COMMENTARIA IN

# PSALMOS

SEXAGINTADVOS

DAVIDICOS, INCERTI

CVIVSDAM AVCTORIS:

Videlicet ab octogeſimonono Pſalmo, qui eſt, DOMINE REFVGIVM FACTVS ES MIHI, ad centeſimum quinquageſimum, qui eſt vltimus.

TOMVS SECVNDVS.




LVGDVNI,
EXPENSIS PETRI LANDRY.
M. D. LXXX.

COMMENTARIA IN

# PSALMOS

SEXAGINTADVOS DAVIDICOS, INCERTI CVIVSDAM AVCTORIS:

Videlicet ab octogeſimonono Pſalmo, qui eſt, DOMINE REFVGIVM FACTVS ES MIHI, ad centeſimum quinquageſimum, qui eſt vltimus.

## TOMVS SECVNDVS.




*LVGDVNI,*
EXPENSIS PETRI LANDRY.
*M. D. LXXX.*

# Ad pium Lectorem.

PRIOR Tomus primos octuaginta octo Pſalmos complexus eſt:hic ſecundus ſexaginta duos, qui reliqui ſunt ab octuageſimo nono,videlicet, Domine refugium factus es mihi:ad centeſimum quinquageſimum, & vltimum, continet:cum eiuſdem authoris ſimili,hoc eſt doctiſsima,enarratione. Quando ergo maiorem huius arenæ partem permenſus es, lector ſtudioſe, metam quoque ipſam pertingito:non ſegnis,neque oſcitabundus,aut animo labaſcens: ſed anhelo ſpiritu & ardenti charitate feruens. vt iis ſtimulis percitus, fœlicem beatúmque finem conſequaris. Nec te à lectione deterreat voluminis magnitudo. Nihil malè multis verbis dicitur,quod pluribus dictum, diminutum mancúmque eſt.Si prophetici ſpiritus myſteria conſideres:ſi fœcundiſsimam diuini ſermonis vbertatem,& cœleſtis muſicæ altiſsimos modulos reputes:intelliges humano ingenio,longa exercitatione opus eſſe, vt aliquid ex illis à quibus longiſſimè diſtat,aſſequatur.Quin adſit potius vnus ſcopus Deo optimo maximo huius humani certaminis athlothetæ placere.Sit potiundi æterni brabij flagrantiſſimum deſiderium:& nullum etiam longiſsimum ſtadium te remorabitur aut fatigabit,quo minus fœlicem terminum alacri curſu contingas. VALE.



## PSAL. LXXXIX.

1551. DOMINE refugium factus es nobis à generatione in generationem.

Huic Pſal.præmittitur titulus iſte. Oratio Moyſi hominis Dei. Opinio fuit aliquorum quòd Dauid iſtum Pſal.fecerit:ſed intitulatur Moyſi. Cuius ratio eſt; quoniā Moyſes fuit lator legis antiquæ,& propheta nouæ legis: de quibus agit iſte pſalmus tractans ſtatum antiquæ legis,in qua terrena præmia pollicebātur: & de ſtatu nouæ legis dādæ per Chriſtum. Cum enim ſit vita vetus & vita noua, vita mortalis & vita immortalis:anni qui pro nihilo habentur,& dies quibus implebimur miſericordia: & pæna primi hominis & regnum ſeculi: de quibus agit iſte pſalmus:ideo ab ipſo Moyſe intitulatur:non quòd Moyſes ipſum fecerit: ſed Dauid. Et hanc opinionem ponit gloſa.Sed veriſimilius & communius dicitur à doctoribus quòd Moyſes iſtū pſalmum fecerit: & ab ipſo intitulatur tanquàm ab auctore.Vt enim dictum fuit in principio huius libri,plures fuerunt auctores pſalmorum:inter quos fuit Moyſes qui iſtum pſalmum fecit ad impetrādum populo quem eduxerat de Ægypto beneficia Dei. Et ſic titulus eſt planus. Oratio Moyſi hominis Dei. Alius textus habet viri Dei, & idem eſt ſenſus. Agit iſte pſalmus de defectu generis humani qui per Chriſtum auferetur. Sic igitur ad litteram petit beneficia temporalia populo Iſrael:ſed quo ad intellectum prophetę petit ſpiritualia beneficia Chriſti populo Chriſtiano. Intentionem mouet ad cōtemptum vitæ veteris,& ad amorē vitæ nouæ. Quibus viſis pſalmus iſte diuiditur in duas partes.quia primò recoluntur beneficia Dei præterita: ſecūdo poſtulātur futura:ibi.Quis nouit.Prima in duas: quia primò recolit beneficia homini data generaliter: ſecundò beneficia naturæ lapſæ data ſpecialiter. ibi.Ne auertas. Prima iterum diuiditur in duas. quia primò beneficia recolit: ſecundò circa hoc

*Beneficia dei.* errorem excludit.ibi,Priuſquàm montes.Quantum ad primum ſciendum quòd duo præcipua beneficia fecit Deus naturæ humanæ à principio.Primum fuit beneficium creationis: quia de nihilo creauit hominem:& præ aliis creaturis ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quantum ſcilicet ad animam per quam eſt capax Dei per cognitionem & amorem. Secūdum eſt beneficium ſingularis gubernationis: quia ordinauit hominem ad vitam beatam habendam: quam conſequi non poteſt ſine ſpeciali Dei gubernatione,& adiutorio gratiæ, quæ hominem in finem beatū dirigit.Et hoc modo non gubernat ceteras creaturas inferiores.Sic enim dicit Apoſtolus 1.Cor. *1.Cor.9.* 9.Non eſt Deo cura de bobus. Secundum beneficium includit primum: & ideo ſecundum tangit dicens. *Domine refugium factus es nobis*: quia ſingulariter nos ad te dirigis vt ad tuum refugium perueniamus.Per hoc autem vult oſtendere quòd Chriſtus in ſua incarnatione factus eſt refugium nobis vt Chriſto dicat. *Domine refugium factus es nobis*. vt ſit ſenſus. Domine tu es re-

A fugium nobis: quia factus es. Non eſt Deus factus,niſi quia filius incarnatus eſt.Qualiter autē Chriſtus ſit refugium noſtrum, vide ſupra verſ. 438.439.755. Et nota hîc quòd filius Dei vt noſtrum eſſet refugium,pro nobis multipliciter legitur factus. *Factus eſt Chriſtus multipliciter.* Hic enim factus eſt ſimilis hominibus,noſtram carnem aſſumendo. Factus eſt obſecrans prolixius,patrem Deum exorādo. Factus eſt obediens in omnibus, crucis mortem tolerādo.Primò factus eſt ſimilis hominibus.ad Rom. 1.Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem: *Rom.1. Incarnatio Chriſti.* quia ſcilicet caro glorioſæ virginis ex qua virtute ſpiritusſancti formatū eſt corpus Chriſti, proceſſit ex ſemine Dauid. Et in hoc magna nobis

B commendatur humilitas.cuius humilitatis magnitudinem admirans Apoſtolus,per iſtud participium factus,ait ad Philip.2. Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu: *Philip.2.* qui cùm in forma Dei eſſet,non rapinā arbitratus eſt eſſe ſe æqualē Deo:ſed ſemetipſum exinaniuit: formā ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus. Qui ideo ſic factus eſt vt noſtram ſuperbiā deprimeret ſuo exemplo: vt ſi quis ab hominibus exemplum humilitatis non dignatur accipere; ſaltem illud recipiat à filio Dei.Vnde Aug.ſuper Ioann. *Auguſti.* ſer.25.ait.Quid ſuperbis ô homo?filius Dei proptèr te humilis factus eſt.Pudet te fortaſſe imitari hominem humilem: imitare humilem Deum.

C Venit filius Dei in homine & humilis factus eſt. Præcipitur tibi vt humilieris:non præcipitur tibi vt ex homine fias pecus. Ille verus Deus factus eſt homo: & tu cognoſce te hominem eſſe. Tota humilitas tua eſt, vt teipſum cognoſcas. Conſiderando ergo verbum Dei carnem factum, ducimur ad humilitatem. Et ideo dicamus cum paſtoribus.Videamus hoc verbum quod factum eſt,quod dominus fecit & oſtendit nobis. *Luc.22.* Secūdò eſt factus obſecrans prolixius.Luc.22. Factus *Luc.22.* in agonia prolixius orabat: & factus eſt ſudor eius vt guttæ &c. In hoc enim quòd factus eſt orans,humilitatis nobis dat exemplum,dum cōſpicis illum,qui omnium vota exaudit,cum tan-

D ta humilitate exorare patrem.quod totum fecit vt nos orando humiles eſſe doceret.vnde & propter hoc orando etiam genu flexit. Vnde Greg. Nazanzenus,Humanus vſus habet pronos terræ ſupplicare maioribus,facto oſtendentes maiores nobis eſſe quibus ſupplicamus. Palam autem eſt humanam naturam nihil dicere Deo condignū: & ideo honorifica ſigna quę inuicē exhibemus, fatentes nos humiles eſſe reſpectu excellentiæ Chriſti facimus incomparabili naturæ. Filius ergo Dei factus refugium nobis genu flexit orādo: ſanciens non eſſe ſuperbiendum orationis tempore:ſed per omnia inſiſtendum humilitati. Iudic.9. *Iudicum 9. Pſal.101.* Humilium & manſuetorum tibi domine

E ſemper placuit deprecatio: quia reſpexit in orationem humilium,& non ſpreuit preces eorum. *Philip.2.* Tertiò factus eſt obediens in omnibus.ad Phil.2. Factus eſt obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis.vbi glo.Attende qualiter factus eſt humilis Chriſtus: quoniam factus eſt humilis vſque ad incarnationem;vſque ad diaboli tentationem;vſque ad populi irriſionē, vſque ad ſputa,vincula,alapas & flagella;vſque ad mortem.Et ſi parum eſt hoc; aliquid addendum eſt de genere mortis.mortem autem non quamlibet, ſed crucis:quę ignominioſior cæteris erat. Ecce ha-

bemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum. Quid ergo ſuperbis ó homo? O pellis morticina: quid tenderis? O ſanies fæda: quid inflaris? Princeps tuus humilis factus eſt: & tu ſuperbis? Caput humile, & membrum ſuperbum; res eſt monſtruoſa. Quia igitur vſque ad tantam obedientiam humilis pro nobis eſt factus: merito de ipſo dicitur, Humilis factus & confuſus; pauper & inops

*Pſal.73.*

1552. Priuſquàm montes fierent, aut formaretur terra, & orbis; à ſeculo & in ſeculum tu es Deus.

Hìc remouet occaſionem cuiuſdam erroris. Quia enim dixit Deum nobis factum eſſe refugium: cum factio quâdam mutabilitatem includat: poſſet forſitan ex hoc aliquis inferre Deum eſſe factum. Hoc remouet pſalmus dicens, Deum eſſe æternum. Æternitas autem nullam mutationem recipit: ſic nec Deus. vnde dicit hìc Deum eſſe Deum ante omnem creaturã. vnde ait, *Priuſquàm montes fierent*. Per montes enim intelligit angelicã naturam: per terram vero naturam humanam. Et dicit montes factos; ſed terram formatã. De angelis enim dixit Deus. Fiat lux, & facta eſt lux. De hominibus vero dicitur, Formauit Deus hominem de limo terræ. Formari enim vel fingi dicitur ſecũdum corpora (vt dicit glo.) quod angelis non competit. Et conſequẽter omnes alias creaturas inſimul concludit, dicens, *Et orbis*. ſ. antequàm angeli fierent: antequàm homo formaretur: antequàm orbis id eſt, generaliter antequã omnis creatura fieret. *Tu es Deus à ſeculo & vſque in ſeculum*, id eſt, ab æterno vſque in æternum. Hîc enim ſecundum gloſ. ſeculum non pro tempore, ſed pro æterno accipitur. Propriè enim loquendo Deus non eſt à ſeculo: quia eſt ante omne ſeculum: nec eſt vſque in ſeculum, cum ſit ſine fine. Sed qualiter eſt poſſibile quòd Deus ſit factus noſtrum refugium: qui ante non erat noſtrũ refugium: & non ſit mutatus? Dico quòd in hoc eſt aliqua mutatio, ſed in nobis, nõ in Deo. Sicut ſi feneſtra ſit clauſa, ſol non eſt illuminans domum: ſi autem aperiatur, ſol ſit illuminans domum. Et iſta mutatio quæ fit de non illuminante illuminans ſolùm eſt in domo & non in ſole. Et notanter dicit; Tu es Deus, & non dicit; Tu fuiſti Deus, vel eris: quia æternitas nõ capit præteritum nec futurum: quia omne præteritum vel futurum mutabile eſt, vt oſtendit magiſter lib. 1. diſ. 8. Vnde eſſe creaturarum reſpectu eſſe Dei, eſt non eſſe. Vnde ſuper illo verbo Iob 23. Ipſe ſolus eſt, ait Grego. lib. 16. mora. cap. 18. Nunquid non ſunt angeli & homines, cælum & terra, aër & maria, cuncta volatilia vel quadrupedia atque reptilia? Et certè ſcriptum eſt. Creauit Deus vt eſſent omnia. Cum ergo in rerum natura tã multa ſunt, cur beati viri nunc voce dicitur: Ipſe ſolus eſt? Sed aliud eſt eſſe: aliud principaliter eſſe: aliud mutabiliter: aliud immutabiliter eſſe. Sunt enim hæc omnia: ſed principaliter non ſunt: quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtũt: & niſi manu gubernantis teneantur, eſſe nequaquam poſſunt. Cuncta namque in illo ſubſiſtunt à quo ſunt creata. Nec ea quæ viuunt, ſibimetipſis vitam tribuunt: neque ea quæ mouentur, & non viuunt ſuis nutibus ad motum ducuntur: ſed ille cũcta mouet, qui quædam viuificat; quædam verò non viuificata in extremam eſſentiam mire ordinãs ſeruat. Cuncta quippe ex nihilo facta ſunt: eorúmque eſſentia rurſum ad nihilum tenderet: niſi eam auctor omnium regiminis manu retineret. Omnia itaque quæ creata ſunt per ſe, nec ſubſiſtere valent, nec moueri: ſed intantum ſubſiſtunt, inquãtum vt eſſe debeant acceperunt. intantum mouentur inquantum occulto inſtinctu diſponuntur. Ecce enim peccator flagellandus eſt de rebus humanis: areſcit in eius laboribus terra; concutitur in eius naufragiis mare: igneſcit in eius ſudoribus aër; tenebreſcit contra eum inũdationibus cælum: inardeſcũt in eius oppreſſionibus homines: mouentur in eius aduerſitate etiam angelicę virtutes. Nunquid nam hæc quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, ſuo inſtinctu & nõ magis diuino impulſu agitantur? Quidquid eſt itaque quod exterius ſæuit: per hoc ille metuendus eſt qui principaliter eſt, & hoc interius diſponit. qui etiam ad Moyſen dicit. Ego ſum qui ſum. ſic dices filiis Iſrael. Qui eſt miſit me ad vos. Cum itaque flagellamur per ea quæ videmus, debemus illum ſollicitè metuere quem non videmus. Cõſimiliter & nunc pſal. eſſe ſoli Deo approprians dicit. *A ſeculo & vſque in ſeculum tu es Deus*. Et pſal. 101. Mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipſe es

*Montes ſunt angeli.*

*Terra ſunt homines.*

*Deus mutabilis eſt.*

*Eſſe propriè ſoli Deo competit.*

*Peccator punitur ab omni creatura mota per deũ.*

*Exod. 3.*

*Pſalm. 101.*

1553. Ne auertas hominem in humilitatem: & dixiſti, Conuertimini filij hominum.

Hìc ponitur Dei beneficium collatum naturæ lapſæ. Et primò hoc facit. ſecundò circa hoc beneficium quendam errorem excludit. ibi, Quoniam mille. Quantum ad primum ſciẽdum quòd beneficium quod Deus homini lapſo confert, eſt hoc: quia ipſum continuè reuocat ad ſe: vt ad finem debitum, propter quẽ factus eſt, poſſit peruenire. Reuocat autem ipſum ad ſuam gratiam modis diuerſis: aliquando proſperis, aliquando aduerſis, aliquando promiſſionibus, aliquando terroribus. Orat ergo pro hoc pſal. dicens. *Ne auertas hominem in humilitatem*. Homo enim à principio in magno honore fuit poſitus: quia omniũ dominus factus. Pſal. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Nunc autem per peccatum tantum eſt humiliatus quòd omnibus creaturis ſubiicitur, & ab omnibus læditur: etiam à pulicibus & muſcis. Et ab iſto ſtatu rogat pſal. Deum liberare hominem dicens. *Ne auertas hominem in humilitatem*, id eſt, ne dimittas ita abiectum & humiliatũ, vt omni creaturæ ſubdatur: ſed reuoca ipſum per tuam gratiam ad ſtatum pænitentiæ: quo ſcilicet ſtatum perditum poſſit recuperare. Et quamuis Deus hoc continuè faciat: ad nos tamen pro hoc ipſum rogare ſpectat. Ideo pſal. confitetur hoc Deũ facere continuè, dicens. *Et dixiſti conuertimini filij hominum*. q. d. Et ſic feciſti, quia ſemper dixiſti conuertimini filij hominum. A principio enim Deus conuerſionem hominum quæſiuit. Nam ſtatim poſt peccatum primi hominis Adam & Euam reprehendit vt pæniterẽt. Similiter Cain, quia fratrem habebat odio, dicens, Cur concidit facies tua? Et ſimiliter facto homicidio ſibi dicit, Vbi eſt Abel frater tuus? Et ſic per omnem ſtatũ hominum Deus peccatorum quæſiuit cõuerſionem. vnde Ezechiel. 18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis cõuertatur & viuat. vt ſit ſenſus.

*Pſal. 8.*

*Conuerſionem peccatorum Deus quæſiuit.*

*Geneſ. 4.*

*Ezech. 18.*



Quia tu dixiſti, conuertimini filij hominum: ideo ne auertas hominem in humilitatem, id eſt, hoc peto, vt tu in homine facias: quia conuerti non poterit niſi tu illum cõuertas. Ideo alibi orat dicens, Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Iſtam conuerſionẽ facit amor & timor. vide ſupra verſi. 455. De conuerſione multiplici. vide ſupra verſi. 1323. 1326. 1374. 1378.

*Pſal. 84.*

1554. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.

Hic remouet errorem humanũ. Et primò pro tempore ante diluuium. Secundò pro tempore poſt diluuium. ibi. Quæ pro nihilo. Quantum ad primum ſciendum inter alia quæ homines errare circa vitia faciunt, & non cito cõuerti ad Deũ: eſt ſpes vitæ lõgioris. Sic & multos prouocat ad peccandum. Quod oſtendens Grego. ait, Reproborum mens erga dies præſentis vitę tanto amore conſtringitur, vt ſic ſemper hic appetant viuere: quatenus ſi valeant viuendi curſum deſiderẽt nunquàm finire. Cogitare quippe futura deſpiciunt: ſpem totam in rebus trãſeuntibus ponũt: habere ſe nulla niſi quæ prætereunt, conſpiciũt. Cúmque nimis tranſeuntia cogitant, & manſura nullatenus ſperant, ſic cæcitate inſenſibili cordis oculus clauditur, vt æternæ luci nullatenus intendatur. Vnde fit ſæpè vt iam corpus moleſtia quatiat: & intima mors virtutem vitalis ſpiritus incidat: nec tamen curare quæ mundi ſunt deſinant: iámque eos vltor ad iudicium pertrahit: & tamen ipſi ordinatione ſollicita rebus tranſeuntibus occupati, nihil aliud cogitant, niſi in hoc mundo qualiter viuant: derelinquenda omnia quaſi poſſidenda diſponunt: quia ſpes viuẽdi nõ frangitur, etiam cum vita terminatur. Iam ad iudicium pertrahuntur per ſententiam: & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam. Dura etenim mente abeſſe mors longè creditur etiã cũ ſentitur. Sicque à carne anima ſoluitur vt erga præſentia immoderato amore ſe retinens cum ad æternum ſupplicium ducitur: hoc ipſum quoq; neſciat qui ducatur: & deſerens quæ amare cum termino noluit, repẽte ſine termino inuenit quæ nunquam præuidit. &c. Sic ergo apparet quòd ſpes longioris vitæ homines implicat peccatis: & à conuerſione pænitẽtiæ retrahit. Hoc autem maximè erat tempore ante diluuium, in quo homines diu viuebant, ſcilicet nongentis & octingentis annis: vt patet Gen. 5. Iſtum autem errorẽ vitæ longioris excludens pſal. ait. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit*, id eſt, totum tẽpus vitæ præſentis reſpectu æternitatis eſt nihil. Ex hoc inferre volẽs quòd in lõgitudinem vitæ homo ſperare non debet: quia tempus quantumcũque longum præterit. Quod autem præteritum eſt nihil eſt. Vnde hic ait gloſ. Omnia enim quæ fine clauduntur pro tranſactis habẽda ſunt. q. d. Nihil eſt homo, niſi des ei alteram vitam. Et aduerte quòd non ſolum mille anni ſunt tãquàm dies vna heſterna: ſed multo minus debet cõputari quàm vna dies. vnde ſubdit,

*Vita longa decipit multos.*

*Gregor. 8. moral. 12.*

*Gen. 5.*

*Vita præſens nihil.*

1555. Et cuſtodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Vbi notandum quòd iſta prima pars verſus, ſcilicet, Et cuſtodia in nocte: eſt de verſu præcedenti. vt ſit ſenſus, Mille anni ſunt tanquàm dies heſterna: quinimmo minus quàm dies heſterna: quia ſunt vt & cuſtodia in nocte. quę ſcilicet cuſtodia minus eſt quàm dies. Pro cuius intelligẽtia ſciendum quòd hic accipitur cuſtodia noctis pro vigilia. Secundum autem quòd Hiero. dicit ſuper illud Matth. 14. Venit ad eos quarta vigilia noctis. Stationes & vigiliæ militares in triũ horarum ſpacium diuidũtur: ſic quòd quælibet vigilia vel cuſtodia continet tres horas. ſed aliquãdo plus, aliquando, minus. Vbi notandum quòd nox diſtinguebatur quo ad cuſtodias militum in quatuor partes: quarum quælibet pars dicebatur vna vigilia. Et ſic quãdo nox erat maior: quęlibet cuſtodia vel vigilia erat longior. quãdo verò breuior, tunc quælibet vigilia erat breuior. Accipiendo autem noctem prout eſt in tempore medio inter lõgitudinem & breuitatem: ſcilicet vt eſt in æquinoctio vernali, vel hyemali: nox cõtinet duodecim horas. Quæ diuiſa in quatuor cuſtodias: quælibet cuſtodia cõtinebat tres horas. Et ſic accipit Hiero. dicens. Vigiliæ militares cõtinebant tres horas: quia accipit noctẽ, nõ prout eſt longior, neque breuior, ſed prout eſt in æquinoctio. Ad propoſitum ergo ait pſalmus, quòd mille anni non ſolum ſunt vt dies heſterna ante oculos Dei: immo etiam minus: quia ſunt vt cuſtodia in nocte. quaſi dicat, quia non ſolum ſunt vt vna dies, immò vt tres horæ quæ faciebãt vnã cuſtodiam noctis. Aliter autẽ Iſidorus in 5. etym. dicit, quòd ſeptem ſunt partes vel cuſtodiæ aut vigiliæ noctis: ſcilicet veſperum, crepuſculũ, cõticinium, intempeſtum, gallicanum, matutinum, & diluculum. Veſperum autẽ dicitur prima pars noctis ab occidentali ſtella quæ ſolem occidentem ſequitur, & tenebras ſequẽtes præcedit. Crepuſculum autem dicitur pars ſequens quaſi dubia lux. Nam creperon idem eſt quòd dubium. & hæc pars eſt inter lucem & tenebras. Tertia pars dicitur conticinium: ſcilicet quando cuncti ſolent cõticere, id eſt, ſimul tacere. Quarta pars dicitur intempeſtum, id eſt, medium noctis, quaſi ſine tempore: quia tunc non eſt tempus aptum alicui rei fiendæ. per actus enim noſtros cognoſcimus tempus, & per conſequens ſine tempore illa pars dicitur quia non eſt apta actibus humanis, ſed magis dormitioni. Quinta pars, gallicanũ dicitur propter gallos lucis prænuncios ſuo cãtu. Sexta pars dicitur matutinum, ſcilicet pars ſequens, ſcilicet tempus medium inter abſceſſum tenebrarum & aduentum aurorę. Et dicitur matutinum, quia illa hora inchoatur mane. Septima pars dicitur diluculum, quaſi diei prima lux iam incipiẽs: quæ pars etiam aurora dicitur. Eſt enim aurora clareſcentis diei exordium quæ ſolis ortũ præcedit. Si ergo accipimus iſtas partes vel cuſtodias noctis prout nox ſeptem habet partes: patet quòd adhuc minori ſpacio comparantur mille anni quàm ſit vna dies heſterna. Sequitur. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. Hic eſt principium ſententiæ. Hic enim remouet errorem illorum qui differunt cõuerti poſt diluuium ſpe lõgitudinis vitæ: quia ſi vita lõgior erat ante diluuium quàm poſt fuerat, quia durabat per mille annos vel circa, qui tamẽ nihil ſunt ante oculos Dei, vt dictum eſt: quanto magis poſt diluuium talis ſpes eſt vana quando multo breuior eſt vita quàm ante? In iſta ergo parte tractat de breuitate

*Cuſtodia noctis dicitur vigilia.*

*Hieronym.*

*Matth. 14.*

*Cuſtodia noctis habet tres horas.*

*Noctis quatuor ſunt partes.*

*Iſidorus.*

*Noctis ſeptem ſunt partes.*

vitæ noſtræ poſt diluuium. Et tria facit: quia primò proponit vitæ noſtræ breuitatem. Secūndò ad hoc adducit exempli conformitatem. ibi, Mane ſicut. Tertiò ad hoc adducit diuinæ iuſticiæ æquitatem. ibi, Quia defecimus. Quātum ad primum ſciendum quòd iſtum textum aliter ponit Hieronymus iuxta litteram hebraicam quę eſt magis errori. quæ dicit. Fluctuaſti eos ſomnium erunt. Quia ſcilicet in diluuio homines fuerunt aquis diluuij ſubmerſi exceptis octo perſonis. Et terræ fertilitas inūdatione aquarum fertilitatem ſuam perdidit. Vnde & homines poſt diluuium breuioris vitæ fuerunt: ſic quòd vita hominis videbatur quaſi quædam dormitio, ſiue ſomnus breuis reſpectu vitæ ante diluuium. Et hoc eſt quod dicit littera hebraica, Fluctuaſti eos, ſcilicet, aquis diluuij, & velut ſomnium erunt. Et hoc idem vult litera noſtra dicens, *Quæ pro nihilo habētur, eorum anni erunt.* quaſi dicat, anni eorum: id eſt totum tempus vitæ noſtræ poſt diluuium erunt ſicut ſomnia quæ pro nihilo habētur. Quia ſomnia dormientibus aliquid apparent & de facto nihil exiſtunt. Sic enim pro nihilo totum tempus vitę præſentis reputabat Iob cùm dicebat. Iob 7. Parce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei. Et iſtam vitæ præſentis breuitatē inducit pſalmiſta: quam dicit eſſe nihil: vt ipſa conſiderata vitā perpetuam nobis paremus. Nam huius breuitas ad Dei amorem nos inducit. teſte Grego. lib. 12. mora. cap. 8. dicente, Quia hic homo vires viuēdi ad modicum accepit, vt in perpetuum tranſeat: vbi eius vitā terminus non concludit: vt in hac breuitate roboratus colligat vnde in perpetuitatem veniat: vel vt ſemper gaudeat, vel vt ſuſcepta ſupplicia non euadat.

*Vitæ breuitas nos inducit ad Deum.*

1556. Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat; induret, & areſcat.

Hic breuitatis vitæ ponitur exemplum. Trāſitus námque herbæ directe aſſimilatur breuitati vitæ præſentis: quia ſicut herba mane floret, & ſtatim ſuccisa deſiccatur: ſic & vita noſtra quantumcunque in alto ſtatu floreat, modica percuſſione vel infirmitate percuſſa cadit. Per mane enim ſignificatur principium vitæ. per veſperum autem finis. A mane ergo tranſit in veſperū: quia à principio ſemper tendit ad finem, & nunquam quieſcit. Vnde noſtrum viuere nihil aliud eſt, quàm tēdere ad mortem. Veſpere autem decidit per mortem: & tunc induratur & areſcit: quia in cineres redigitur. Rectè enim vita noſtra herbæ & flori comparatur: vt oſtēdit Grego. lib. 11. mora. cap. 27. exponens illud Iob 14. Qui quaſi flos egreditur, &c. dicens, Quaſi enim flos egreditur homo: quia nitet in carne, ſed conteritur: quia redigitur in putredinē. Quid enim ſunt nati homines in mundo, niſi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinē mūdi præſentis: & ecce quaſi tot floribus quot hominibus plenus eſt. Vita itaque in carne: flos eſt in fæno. Vnde bene per pſal. dicitur, Homo ſicut fænum dies eius: & ſicut flos agri ſic efflorebit. Eſaias quoque ait, Omnis caro fænum, & omnis gloria eius ſicut flos fæni. Homo enim more floris procedit ex occulto, & ſubito apparet in publico. qui ſtatim ex publico per mortem trahitur ad occultum. Carnis nos viriditas oſtendit: ſed ariditas pulueris ab aſpectibus retrahit. Quaſi flos apparuimus, qui non eramus: quaſi flos areſcimus qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie cōpellitur ad mortem, rectè adiūgitur, Et fugit velut vmbra: & nūquam in eodem ſtatu permanet. Sed cū ſol quoque curſum ſuū indeſinenter peragat: nunquámque in ſtabilitatē ſe figat. cur curſus vitæ hominis vmbræ potius quàm ſoli cōparatur: niſi quia amiſſo amore conditoris calorem cordis perdidit: & in ſolo iniquitatis ſuæ frigore remāſit? Qui igitur in amore Dei calorem cordis non habet, nec tamē vitam quam diligit tenet: ſed velut vmbra fugit. Bene autem dicitur, Et nūquam in eodem ſtatu permanet. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adoleſcentiam, adoleſcētia ad iuuentutem, iuuentus ad ſenectutem, ſenectus tranſit ad mortem: in curſu vitæ præſentis ipſis ſuis augmentis ad detrimenta impellitur. Et inde ſemper deficit, vndè proficere in ſpaciū vitæ credit. Firmum etenim ſtatum hic habere non poſſumus, vbi tranſituri venimus. Atque ſic ipſum noſtrum viuere eſt quotidie à vita tranſire. &c. Et hoc exēplum ponit hic pſal. dicēs, *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat.* Hic enim tranſire bis ponitur: vt tranſire huius vitę cordi noſtro magis imprimatur. Et nota quòd vitæ præſentis tranſitus atque breuitas multis rebus trāſitoriis in ſcriptura comparatur. vide ſuprà verſi. 567.

*Vita præſens herbæ & flori comparatur.*

*Pſal. 102.*

*Eſa. 40.*

Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati ſumus. 1557.

Hic adducit diuinæ iuſticiæ æquitatem. Et quatuor facit. quia ponitur primò effectus diuinæ iuſticiæ. Secūdò defectus noſtræ maliciæ. ibi, Poſuiſti. tertiò proceſſus noſtræ miſeriæ. ibi, Anni noſtri. quartò reſpectus diuinę clementię, ibi, Quoniam ſuperuenit manſuetudo. Quantum ad primum ſciendum quòd ante peccatum vita hominis non ſic tranſibat cum tempore: ſed homo tranſeunte tempore, ſtabat: vt oſtendit Grego. dicens, Lapſum vitæ primus homo ante culpā habere non potuit: quia tempora eo ſtante tranſibant. Sed poſtquàm deliquit in quodam ſe quaſi lubrico temporalitatis poſuit. Et quia cibum comedit vetitum, ſtatus ſui protinus inuenit defectum. Quam tamen mutabilitatem non ſolū exterius, ſed interius quoq; homo patitur dum ad meliora opera ſurgere conatur. Mens enim mutabilitatis ſuę pōdere ad aliud ſemper impellitur, quàm eſt. Et niſi in ſtatu ſuo arcta cuſtodiæ diſciplina teneatur, ſemper in deteriora dilabitur. Quia enim ſemper ſtantem deſeruit, quem habere potuit, ſtatim amiſit. Vnde nunc cùm ad meliora nititur, quaſi contra ictum fluminis conatur: cùm vero ab intentione aſcendendi reſoluitur, ſine labore reducitur ad ima. Quia enim in aſcenſu labor eſt, in deſcenſu ocium: intraturos per anguſtam portam dominus admonet dicēs, Contēdite intrare per anguſtam portam. Dicturus quippe anguſtæ portæ introitum præmiſit, contendite: quia niſi mentis intentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima reuocatur. Ex quibus patet quòd fluxus vitæ præſentis tam corporis quàm mētis ex peccato proceſſit primi parentis. Et hoc hic notans pſalmus dicit. *Quia defecimus in ira tua.* Quid eſt enim

*Vitæ fluxus ex peccato proceſſit. Gregor. 11. moraliū c. 27.*

*Malū agere leuius eſt quā bonum.*

*Luc 13.*



enim ira Dei, niſi effectus diuinę iuſticię, qua punit peccata: & ſic ad modum irati ſe habet. Dicat ergo. Vnde habemus lapſum vitę? Reſpōdet, quia defecimus in ira tua, id eſt, quia iuſticia tua nos punit: vt quia noluimus tenere ſtatum primum, deficeremus per fluxū mortalitatis. vt ſit ſenſus, *In ira tua.* ſcilicet puniti ſumus. & quare? quia defecimus peccando. Et quanto amplius peccata ſunt augmentata: breuior factus eſt fluxus vitæ præſentis. vnde quia multiplicata erant peccata in terra ante diluuium, immiſit Deus diluuium, poſt quod breuior fuit vita præſens quàm ante. vnde Gen. 6. dixit Deus. Repleta eſt terra iniquitate eorum: & ego diſperdam eos cum terra. Et nota alium effectum diuinę iuſticię: quia non ſolum vita præſens, ſemper currit ad mortem: ſed ipſum etiam finem ſemper fugimus. quod non fuiſſet ante peccatum: quia homo ſine morte raptus fuiſſet ad cęlum. Et hoc notans pſalmus dicit. *Et in furore tuo turbati ſumus.* Hic appellat furorem Dei, ſententiam mortis irreuocabilem quam propter peccatum tulit. quæ ſentētia furor dicitur: quia mors eſt vltimum terribilium: ad cuius aduentum quilibet turbatur. Vnde iſtum textum ſic exponit gloſ. di. *Et in furore tuo turbati ſumus.* id eſt, timore mortis infirmi infirmitatem finire trepidamus. Vnde dominus Petro dixit. Cū ſenueris, extendēs manus tuas: & alius ducet te quo tu non vis. Et dominus in ſe nos transfigurans, ait de ſeipſo. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortē.

*Gen. 6.*

*[illegible]*

*Ioan. 21.*

1558. Poſuiſti iniquitates noſtras in cōſpectu tuo: ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Hic ponitur cauſa dicti defectus: ſcilicet noſtra malicia. Omnis enim pæna iuſta pro peccato eſt inflicta. Ex eo ergo pæna fluxus vitę præſentis & mortis hominibus eſt à Deo inflicta propter peccata noſtra. Et hoc eſt quod hic ait. *Quia defecimus in ira tua,* &c. Reſpōdet, quia poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo. Vbi ſciendū, quòd conſpectus Dei idem eſt quòd ſcientia Dei. Nam ſpecio, ſpecis, idem eſt quod videre, & conſiderare, & componitur diuerſimodè. quandoque cum a, & fit aſpicio. cum in, & fit inſpicio. quandoque cum pro, & fit proſpicio. &c. Et iſta cōpoſita habent diuerſa ſignificata. Nam aſpicimus ante, reſpicimus retro, ſuſpicimus ſurſum, deſpicimus deorſum, inſpicimus introrſum, proſpicimus lōgè, conſpicimus circunquaque: Et inde conſpectus quaſi ſimul vel circunquaq; aſpectus. Quāuis ergo omnia nuda & aperta ſint intellectui diuino (vt ait Apoſtolus, Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius) tamen aliqua quādoque dicitur non videre peccata: non quia non videat illa, ſed quia diſſimulat, & ad tempus impunita dimittit. Illa autē videre dicitur quæ punit. Sicut orationem noſtram in conſpectu ſuo ponit quando illam exaudit ſecundum modum loquendi. Intret in cōſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. Et hoc eſt quod ait hic pſalm. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.* id eſt, decreuiſti punire iniquitates noſtras ſicut iudex punit coram ſe reum quem vult punire. Et hoc innuit hic gl. dic. *Poſuiſti iniquitates noſtras in cōſpectu tuo.* id eſt, non ab eis diſſimulaſti. Et quòd nihil eum lateat boni vel mali quod facimus: & ideo quòd in conſpectu ſuo illud ponere poſſit ad libitum, declarat dicens, *Seculum noſtrum in illuminatione vultus tui.* Et hic accipitur ſeculum pro vita noſtra. & eſt ſenſus, *Seculum noſtrum in illuminatione vultus tui.* id eſt, ſicut illud quod eſt in lumine videtur, & non abſcōditur: ſic totum ſeculum noſtrum, id eſt, tota vita noſtra aperta & clara eſt in oculis tuis. ſecundum illud, Oculi domini multo lucidiores ſunt ſole: vias hominū circunſpiciunt. Et ad iſtū ſenſum notat glo. quòd illa peccata teguntur à conſpectu domini, quæ veniam habent, id eſt, quibus Deus parcit. ſecundum quod dicitur pſal. 31. Beati quorum tecta ſunt peccata. Illa autem illuminantur & ponuntur in conſpectu Dei quæ puniuntur. Et hic nota quòd cōſpectus Dei multa in nobis efficit: quia nos quādoque illuminat, quandoque purificat, quādoque humiliat, quandoque beatificat. Vide in dictione conſpectus, parte prima. Ex iſto ergo conſpectu Dei quo peccata noſtra punit, ſequitur fluxus vitæ præſentis. Vnde ſequitur,

*Conſpectus Dei quid ſit.*

*Hebr. 4.*

*[illegible]*

*Pſal. 87.*

*Eccleſ. 23.*

*Pſal. 31.*

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt: & in ira tua defecimus. 1559.

Hic enim verſus quaſi repetitio eſt illius quod ſuperius dixerat. *Quia defecimus in ira tua.* &c. Et eſt repetitio ad maiorem expreſſionem breuitatis vitæ præſentis. Vel per diem accipitur cognitio: ſicut per tenebras ignorantia. Et tunc eſt ſenſus, *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt.* id eſt, cognitio noſtra defecit: obtenebratur enim ratio per peccatum. *Et in ira tua defecimus.* id eſt, ex punitione quæ procedit à iuſtitia tua quæ per iram deſignatur. Vel ſi per dies intelligatur tēpus præſentis vitæ, tunc magis concordat cū verſi. 1557. Et tunc ſecundum gl. eſt ſenſus. *Omnes dies noſtri defecerunt.* id eſt, totum tempus vitę noſtrę abbreuiatum eſt & penè defecit: quia ad paucitatē reducti ſunt dies vitę noſtrę. Vita enim hominis per iram Dei abbreuiata eſt, vt tollatur ſpes longioris vitæ quam præſumptionem habentes magis peccabant. Vnde ad tollendum ſpem longioris vitæ dies vltimus vitæ omnibus incognitus manet. vt oſtendit Greg. dicens, Sæpe enim dum præſentis vitæ breuitas quaſi diu perſeueratura diligitur, ab æterna ſpe animus frangitur: & delectatus præſentibus deſperationis ſuæ caligine reuerberatur. Cunque lōgum putat quod ad viuendum ſibi ſpacium reſtat, repente præſentem vitam deſerens ęternam inuenit quam iam vitare nequeat: quia dum ſe diu immorari viſibilibus ęſtimant, ſpem inuiſibilium derelinquunt. Cunque mēs in præſentibus figitur, vita terminatur: & repente ad ſupplicia improuiſa perueniūt qui decepti ſuis præſumptionibus aut nunquam ſe contingere aut tardè crediderunt. Hinc veritas dicit, Vigilate itaque, quia neſcitis diem neq; horam. Hinc rurſus ſcriptum eſt, Dies domini ſicut fur in nocte veniet. Quia enim ad rapiēdam animā propinquans minimè conſpicitur, furi in nocte comparatur. Tanto ergo debet quaſi ſemper veniens metui, quanto à nobis non valet ventura dies præſciri. Vnde & ſancti viri qui breuitatem vitę ſemper aſpiciūt, quaſi quotidie moriētes viuunt: & tanto ſe ſolidius manſuris præparant, quanto nulla eſſe tranſitoria ſemper ex fine penſant. De iſtis diebus ait pſal. Homo ſicut fænum dies eius. Hinc Eſaias ait, Omnis caro fænum: & gloria eius ſicut flos fæni. Hinc mētes præſumētium Iacobus tangit dicens. Quę eſt vita noſtra?

*Vitæ finis ſiue dies ... incognitus eſt. Greg. 7. moraliū c. 20.*

*Vita præſens amari nō debet.*

*Matth. 25.*

*1. Teſſa. 5.*

*Pſal. 102.*

*Eſa. 40.*

Eſt vapor ad modicum parens. Quod bene oſtendit Pſal. 101. Dies mei ſicut vmbra declinauerũt: & ego ſicut fænum arui. *Pſal. 101.*

1560. ## Anni noſtri ſicut aranea meditabũtur: dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni.

Hic ponitur proceſſus noſtræ miſerię. Iſte verſus aliter incipit in tranſlatione Hiero. ſecundum hebraicam veritatem. ſic enim incipit, Conſumpſimus annos noſtros quaſi ſermonem, ideſt, ſicut ſermo prolatus cito tranſit, & deſinit eſſe: ſic & anni vitæ noſtræ. Et pertinet ad ſententiã prædictam de breuitate vitæ humanæ. Litera autem communis magis refertur ad miſeriam & laborẽ quibus repletur vita præſens, cum dicitur. *Anni noſtri ſicut aranea.* Quia ſicut aranea cum multo labore telam texit, vt doloſè capiat muſcas, quibus vitam ſuam deducat: & tamen modico vento vel flatu tela eius frangitur, & euaneſcit: ſic & homines multo ſudore, multiſq; laboribus occupãtur ad acquirendas diuitias vel honores, quę modico pulſu fortunæ omnia euaneſcunt. Et attende quòd iſta litera poteſt legi actiuè & paſſiuè. Actiuè, vt ſit ſenſus, *Anni noſtri meditabuntur ſicut aranea.* ideſt, ipſi anni meditabuntur: quia homines in annis viuentes meditantur inania; ſicut facit aranea, quæ ſcilicet ſine fructu & vtilitate boni operis tranſeunt. Vel paſſiuè poteſt accipi, meditabuntur, ideſt, reputabuntur anni noſtri ſicut aranea. ideſt, ſicut inanes & inutiles. Et nota quòd araneæ multa comparantur, ſcilicet quandoque viri iuſti conſcientia. vide ſupra verſi. 646. Quandoque hypocritarum fallacia. Hoc deducit Grego. ſuper illo verbo Iob. 8. Sicut aranearum tela fiducia eius, dicens. Bene hypocritarum fiducia aranearum telis ſimilis dicitur: quia omne quod ad obtinendam gloriam exudãt, ventus diſſipat vitæ mortalis. Nam quoniam æterna non quærũt, bona temporalia cum tempore amittũt. Penſandum quoque eſt, quòd araneæ fila per ordinem ducunt: quia ſua hypocritæ quaſi ſub diſcretione opera diſponunt. Aranearũ tela ſtudioſè texitur: ſed ſubito flatu diſſipatur: quia quicquid hypocrita cum labore peragit: aura humani fauoris tollit. Et dum in appetitu laudis opus deficit, quaſi in ventum labor euaneſcit. Sæpe namque & vſque ad præſentis vitæ terminum hypocritarum facta perdurant: ſed quia per hæc auctores laudem non quærunt; bona ante Dei oculos nunquã ferunt. Plerumque enim ſacræ legis eruditione fulciũtur, doctrinæ verba proferũt, omne quod ſentiunt, teſtimonijs accingunt: nec tamen per hæc vitam audientium, ſed proprios fauores quærunt. Quia nec proferre alia nouerũt niſi quę auditorum corda ad impendendas laudes excutiant, non vt ad lachrymas accendãt. Mens quippe exterioribus concupiſcentijs occupata, igne diuini amoris non calet. & idcirco ad incendium diuini amoris inflãmare auditores ſuos nequeũt verba quæ frigido ore proferuntur. Neque enim res quæ in ſeipſa non arſerit, aliud accendit. Et infra, Bene ergo dicitur, Sicut tela aranearum fiducia eius: quia apparente cordis teſte præterit omne quod exterius de humano fauore confidit. Quandoque verò per araneam ſignificatur huius mundi miſeria. vt hic cum dicitur, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* vbi gloſſ. Miſeria & breuitas huius vitæ exprimitur hic per ſimilitudinẽ araneæ quæ multo labore inanes telas texit vt dolo capiat muſcas. Sequitur. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* Hic in particulari determinat vitæ præſentis breuitatem, dicens quòd durat vſque ad ſeptuaginta annos. quia ſcilicet ad illud tempus poteſt durare fortitudo hominis, pulchritudo, & huiuſmodi: quo tẽpore trãſacto vt cõmuniter iſta deficiũt in hominib. Et quia aliqui alijs ſunt melius complexionati: ideo tales aliquando, ſed raro vigent vſque ad octuaginta annos, quibus tranſactis, vita hominis non eſt niſi quædam miſeria. Vnde ſequitur,

*Aranea multa ſingit.*

*Grego. 8. mor. c. 29. Hypocrita araneæ cõparatur.*

*Malus alios ad bonum nõ poteſt accendere.*

## Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor. 1561.

Quod ideo dicit, quia in anno ſeptuageſimo incipit ætas ſenij quæ eſt vltima, in qua vigor naturæ deperditur, oculi caligant, viſus hebetatur, & aures ſurdeſcunt. Si autem propter bonitatem complexionis aliquis incolumis tranſeat ſeptuageſimum annum: ſaltem in octuageſimo incipit deficere. De diſtinctione ætatum vide ſupra. verſ. 1156. Potentatus autem dicitur à potentia; vnde potentatus idem eſt quòd potentia, ſiue potens. Et eſt ſenſus, Si quis tantum ſit vigoroſus, & potens, quòd etiam vigoroſus tranſeat annum ſeptuageſimum: tamen cum peruenerit ad octuageſimum deficit: quia ſenium non eſt niſi quidam langor & miſeria vitæ. Quomodo autem vita ſenum ſit dolor, & miſeria, & in multis deficiat. vide ver. 1147. vnde merito tales dicere poſſunt, Defecit in dolore vita noſtra: & anni mei in gemitibus. Vt autem magis appareat quòd vita tota ſenum eſt miſerabilis, non ſolum exterius, ſed etiam interius: nota quòd philoſophus. 2. retho. tãgit multas malas ſenum cõditiones: inter quas ſex ſpecialiter enumerat, dicens quòd ſunt increduli, ſuſpicioſi, timidi, illiberales, malæ ſpei, & inuerecũdi. Primò enim ſunt increduli. Sunt enim in multis experti: & ſic cognoſcunt homines in multis mentiri: ideo de difficili alijs credunt: ſed credũt omnes alios eſſe deceptores. Ideo dicitur. 2. rethor. quòd quia ſenes multis annis vixerunt, & in multis fuerunt decepti: propter hanc experientiam contingit illos eſſe incredulos. Secundò ſunt ſuſpicioſi. Omnia enim quæ vident, vt plurimum ſuſpicantur in malum, & interpretantur in partem deteriorem. Habent enim contrariam diſpoſitionem quàm iuuenes. Iuuenes enim vel pueri non multa mala fecerunt, & à ſeipſis alios menſurant: & ſic credunt communiter alios eſſe bonos. Econtra autem ſenes, quia multo tempore vixerũt, & in multis peccauerunt, & multa mala fecerunt: aliorum facta menſurant ſecundum illa quæ ipſi fecerunt. Et ideo vt plurimum credunt alios eſſe malos, & aliorum facta interpretãtur in malum. Et hoc eſt quod dicitur. 2. rethoricę quòd quia ſenes vixerunt multis annis, eſſe nõ poteſt quin in multis peccauerint: ideo ſunt malè ſuſpicioſi: & omnia in deterius æſtimant. Tertiò ſunt puſillanimes & timidi. Sicut enim in eis deficiunt humores & vita: ſic deficit & cor in eis, vnde dicitur. 2. reth. Infrigidatio præparat viam formidini. Cum enim timidi efficiantur frigidi, ſequitur quòd quicũque naturaliter eſt frigidus, quòd naturaliter ſit timidus & formidoloſus. Sequitur

*Pſal. 30.*

*Senum multæ malæ conditiones.*

*Senes ſunt increduli.*

*Senes ſunt ſuſpicioſi.*

*Senes ſunt timidi.*



quitur ergo ſenes naturaliter eſſe timidos: quia calor naturalis deficit in eis, & habent membra frigida. Quartò ſunt illiberales: quod contingit tripliciter. Primò ex defectu vitæ. Anima enim vt plurimum ſequitur complexionem corporis. Cũ ergo ſenes in propriis corporibus deficiãt in humoribus & in vita: ſic videtur eis quòd omnia ipſis deficiant. Et ſic timentes defectum pati, efficiũtur illiberales. Secũdò ſunt illiberales ex parte experientiæ temporis. quia enim multo tempore vixerunt, credibile eſt eos multas indigẽtias paſſos fuiſſe: & ſic timentes amplius indigẽtiam pati, illiberales efficiuntur. Tertiò ſunt illiberales, quia magis viuunt in memoria quàm in ſpe. Cogitant enim ſe multũ vixiſſe in præterito, & permanſuros in futuro: & ideo memoria præteritorum & ſpe futurorum non viuunt in ſpe, nec cõſiderant de his quæ debent acquirere in futuro: ſed ſolum confidunt in his quæ acquiſierunt iuuari in futuro. quare non confidentes de acquirendis, acquiſita non facile tribuunt: & ſic fiunt illiberales. Quinto ſunt malæ ſpei. Nihil enim bene ſperant: ſed contra omnia ſe deficere credunt. Cauſa huius eſt: Nam ſpes eſt futurorum: memoria autem præteritorum. Et ſenes memorantur ſe multum vixiſſe in præterito, & parum ſperãt viuere in futuro: ideo in ſperando deficiunt: & modica ſe cogitant facturos. vnde non viuunt, nec delectantur in ſperando. Senes autem adinuicem congregati ſemper recitant res geſtas quas fecerunt: non autem multum loquuntur de futuris, quia pauca ſe ſperant facturos. Sextò ſunt inuerecundi: nam quia illiberales ſunt, magis curant de vtili quàm de honeſto. Vt enim vult Philoſophus, 2. retho. magis ſtudent ad vtilitatem quàm ad ea, quæ quærit ſtatus honoris. Verecundia ergo cum ſit timor inhonorationis non competit ſenibus: quia magis curant de vtili quàm de honore. Tota enim cauſa quare quis eſt verecundus (vt vult Philoſophus) eſt, quia vult honorari & reputari. Senes autem ſicut deficiunt in vita, & in calore naturali: ſic deficiunt in animo & non curant reputari: quare contingit eos eſſe inuerecũdos. Poteſt autẽ aſſignari & alia cauſa ad omnia prędicta communis. Senes enim naturaliter ſunt frigidi: frigus autem omnia conſtringit, & conſtringendo reddit illa grauiora. & ſic facit illa appetere locum inferiorem. Omnia enim frigida & grauia inferius collocantur: calida verò & leuia ſuperius, vt patet in elementis. Et ideo quia ſenes frigidi ſunt: & frigiditate cõſtipati, in ſeipſis redduntur immobiles vt nihil credant, nihil ſperẽt, nihil audeant, & vt non curent reputari: & quia frigidi non quærunt locum ſuperiorem, ſed magis inferiorem. Ad propoſitũ ergo ſi illi qui ſunt in ætate ſenili tot malis conditionibus quaſi naturaliter occupantur: quid aliud poteſt eſſe vita ipſorũ quàm labor & dolor? Et hoc eſt quod hic ait pſalmus. Si autem in potentatibus octoginta anni: amplius eorum labor & dolor.

*Senes ſunt illiberales.*

*Senes ſunt malæ ſpei.*

*Senes ſunt inuerecundi.*

1562. ## Quoniam ſuperuenit manſuetudo ſuper nos: & corripiemur.

Hic oſtẽditur reſpectus diuinæ miſericordiæ. Quamuis enim Deus peccatum nõ dimittat impunitum: punit tamen ſemper cum miſericordia: quia minus punit quàm peccatum puniri meretur etiam quia multoties punit, non ſolũ ne peccatum impunitum dimittat: ſed etiam vt peccatorem corrigat. vt puta, puniuit peccata hominũ per diluuium. Sed nũquid cum miſericordia? ſic: quia reſeruauit octo homines, in quibus genus humanum ſaluatum multiplicaretur: & conſideratione præteritæ punitionis ſcilicet diluuij amplius peccare caueret. Sic etiam aduerſa immittit vt à peccato cuſtodiant electos. Sic & ſenibus multos labores & dolores immittit: quibus excitati, peccare timeant: & commiſſa peccata corrigant. Et hoc eſt quod hîc ait pſal. *Nos corripiemur.* ſcilicet a peccato corrigemur. & cauſa eſt: quoniã ſuperuenit manſuetudo. Et aduerte quod manſuetudo hîc poteſt referri ad domini correptionem, vel ad nos correptos. Si enim referatur ad domini caſtigationem, tunc eſt ſenſus, quia Deus nos punit, & caſtigat cũ miſericordia, ideo corripiemur à peccato, & emendabimur. Si enim rigoroſè Deus peccantem puniret vt puniri meretur: ſtatim ipſum dãnaret: nec relinqueret pænitentiæ locum. Sed quia manſuetè & clementer nos punit: reſeruans nobis pænitentiæ locũ, ideo corripiemur. Poteſt etiam mãſuetudo ad punitos referri: vt idẽ ſit mãſuetudo quòd humiliatio. Et tunc eſt ſenſus. *Quoniam ſuperuenit manſuetudo.* id eſt quoniam humiliatio & punitio Dei venit ſuper nos: ideo corripiemur. Pæna enim multoties aperit oculos, quos clauſerat culpa. Et hoc eſt quod ait gl. Manſuetudo ſi Dei eſt, clementia dicitur: ſi noſtra eſt, punitio vel domatio dicitur. Ipſe enim Deus per clementiam manſuetus: domando nos efficit manſuetos: & ſic corripiemur. Quem enim Deus diligit, corripit & caſtigat. Ex hoc autem quòd manſuetudo Dei nos corrigit, notatur quòd alium corrigere volens à manſuetudine & miſericordia incipere debet. vnde pſal. 140. Corripiet me iuſtus in miſericordia: & increpabit me. Quamuis enim correctio quandoque ſæueritatem requirat: ſemper tamen à miſericordia & mãſuetudine incipere debet. Cuius figura habetur in virga Moyſi. Moyſes enim corrigere volẽs Pharaonẽ, primò virgã gracilẽ portauit in manu, quæ tãdem ipſo Pharaone obſtinato permanẽte, in colubrum eſt verſa: vt habetur Exo. 7. Quam figuram ad propoſitum applicãs Brumo, dicit, Moyſi dixit Dominus: Quid eſt quod tenes in manu? Reſpondet, virgã. Dixitque dominus. Proiice illam in terram: & proiecit, quæ verſa eſt in colubrum. Interrogatur Moyſes non propter aliud, ſed vt reſponſionis ſuæ vinculo teneatur. Ipſe enim confeſſus eſt ſe virgam tenere: quam mox in ſerpentem verſam fugiens expauit. Credat huic ſigno, qui non vult credere verbis. Sed quid per virgam, niſi correctio Dei? Vnde ait pſal. Virga tua & baculus tuus ipſa me cõſolata ſunt. Hæc autem virga illis vertitur in draconem, qui miſericorditer correcti emendare ſe nolunt. quia qui incorrigibiles exiſtũt, tãdem diuinæ vltionis ſæueritatem ſentiunt. Vnde & pſalmus ait de talibus. Reges eos in virga ferrea &c. Sic ergo diuina correctio aliis eſt virga pietatis: aliis verò draco ſæueritatis. quia alios miſericorditer caſtigat: alios autem inſanabiliter percutit. Huius autem caudam Moyſes tenet, & in virgam reuertitur, quando aliquis vir iuſtus vindictam peccantibus incorrigibiliter imminentem auertit orationibus ſuis. Cum enim Deus ab vltionis ira placatur: draco ſæuiens in virgam correctionis ver

*Manſuetè nos punit Deus.*

*Mãſuetos pænis nos Deus facit.*

*Correctio debet fieri cum miſericordia.*

*Exod. 7. Brumo.*

*Pſal 2.*

nis vertitur per miſericordiam, dicens, Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Et vt alios miſericorditer corrigamus: primò de nobiſipſis multa cogitare debemus: vt oſtendit Grego. 23. moral. c. 14. dicens, Cōſideremus igitur, quia aut tales ſumus, quales nōnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus. Ac ſi diuina gratia operāte iam tales non ſumus vt tanto temperantius corde humili alios corrigamus: quanto noſmetipſos in ipſis quos corrigimus agnoſcimus. Si autē tales nec ſumus nec aliquando fuimus, quales illi adhuc ſunt, quos emendare curamus: ne cor noſtrum ſuperbiat, & forte de ipſa innocentia prius ruat quorum mala corrigimus, alia ipſorum bona ante oculos noſtros reuocemus. Quæ ſi omnino nulla ſunt ad occulta Dei iudicia recurramus. Quia ſicut nos nullis noſtris meritis hoc ipſum bonum quod habemus accepimus: ita illos quoque poteſt gratia ſupernæ virtutis infundere vt excitati poſterius etiam ipſa poſſint quæ nos non accepimus dona præuenire. Quis enim crediſſet quòd per apoſtolatus meritū Saulus lapidatum Stephanum eſſet præceſſurus, qui in morte eius lapidantium veſtimenta ſeruabat? Sic ergo alium corrigens, cogitando manſuetudinē ſeruet vt correctè dicere poſſit. Quoniam ſuperuenit manſuetudo &c.

*Abacuc 2. Corrigens aliū multa de ſe cogitare debet.*

## 1563. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Hîc beneficia futura poſtulantur. Petit autem Dei ſex beneficia quæ in nouo teſtamento ſunt impleta. Petit enim primò iræ Dei ſcire poteſtatem. Secundò dexteræ Dei & hominis vnitatem. ibi, Dexteram tuam. Tertiò pro peccatis indulgentiæ pietatem. ibi, Conuertere. Quartò gloriæ æternæ claritatem. ibi, Repleti. Quintò in aduerſis patientiæ firmitatem. ibi. Lætati. Sextò in agēdis dirigentis gratiæ veritatē. ibi, Reſpice. Quantum ad primum ſciēdum quòd ira Dei diſtinctos habet effectus, ſcilicet eius punitio qua aduerſarios tāgit. Nam aliquos purgat, aliquos verò deteriores facit: quia plerunque illis Deus magis parcit, quibus magis videtur iratus. Et plerunq; illis eſt magis iratus quibus parcere videtur. Plerunque illis magis iraſcitur, quos etiam hîc punit: ad hoc ſcilicet vt maiora alibi tormenta recipiant. Quis ergo hominum poteſtatem iræ tuæ cognoſcat ô Domine: qua aliquādo corrigis, aliquando damnas, aliquando verò iraſceris, vt in perpetuū damnes? Hos effectus iræ diuinæ oſtēdit Grego. ſuper illo verbo Iob 27. Emittet ſuper eum & nō parcet. dicens, Peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit vt parcat. Cum verò huius vitā in peccato permanentem feriendo nō cludit, flagellum emittit, ſed nunquàm parcit. In hac enim vita Dominus magis ſtudet vt parcat quanto magis expectando flagellat. ſicut ipſe voce angeli ad Ioann. ait, Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Econtra de flagello damnationis ſcriptum eſt. In operibus manuum ſuarum cōprehenſus eſt peccator. vnde hoc ſemper electi prouident vt ante ad iuſticiam redeant, quàm ſuper ſe ira iudicis accendatur inextinguibiliter: ne vltimo flagello deprehenſi ſimul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum namque tunc diluit culpam, cum mutauerit vitam. nam cuius mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo ira diuina, vel percuſſio, aut purgatio in nobis vitæ præſentis eſt, aut initium pænę ſequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiūt dictum eſt, Qui fingis dolorem in præcepto. Quia dum flagellatur iniquus & corrigitur: quia præceptum audire noluit, audiuit dolorem. Dolor autem in præcepto fingitur eis: quia malis operibus quaſi præcepti vitæ dolor adhibetur. De his verò quos damnant flagella, & non liberant, dicitur, Percuſſiſti eos & non doluerunt: attriuiſti eos & renuerūt accipere diſciplinam. &c. Bene ergo ait pſalmus. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ: quæ tanta eſt quòd aliquibus iratus parcis: aliquos damnas. Conſimili modo facit eccleſia, quæ aliquando non parcens parcit: & quandoq; parcens non parcit. vt oſtendit Grego. 13. moral. c. 3. dicens. Sancta eccleſia diſciplinæ rigorem cū permixtione manſuetudinis ſeruans, aliquando malis quaſi non parcens parcit: aliquando verò quaſi parcens non parcit. Quod melius oſtendimus ſi ipſa quę plurimum accidunt proferamus. Ponamus ante oculos mentis noſtrę duos prauos intra ſanctā eccleſiam eſſe conſtitutos: quorum vnus ſit potens & proteruus: alter mitis & ſubditus. Si qua miti & ſubdito culpa ſubripuerit: hanc protinus increpando prædicator inſequitur, corripit eum: quem corripiendo à culpa liberat: atque ad viā rectitudinis reformat. Quid itaque huic, niſi non parcens parcit? quia dum correctionis verbum non diſtulit: citius hunc à culpa liberauit. Liberè enim arguens non pepercit: ſed in eo quòd correxit, pepercit. At contrà, potens & proteruus cum quid perpetraſſe cognoſcitur: tempus quæritur vt de malo quod fecit increpetur. Niſi enim prædicator ſuſtineat, quando ferre congruè increpationem poſſit: auget in eo malum quod inſequitur. Sæpe enim cōtingit vt talis ſit, qui nulla increpationis verba ſuſcipiat. Quid itaque prædicator huic, niſi parcens minimè pepercit? cui & ſpecialiter correptionis verba non intulit: & tamen vulnus illius ſub communi admonitione percuſſit, &c. Sic & ira Dei quandoque vulnerans parcit: & quandoque parcens vulnerat. Et hoc cognoſcere ſcilicet, quando Deus ferit vt parcat: & quando parcit, vt damnet, eſt difficile. Ideo ſubditur, *Et præ timore tuo iram tuam dinumerare.* ſcilicet, quis nouit, id eſt, quis nouit diſtinguere iram tuam qua his parcis ad pænam: his parcis ad ſalutem: præ timore tuo, id eſt, vt te timeat. quaſi dicat, Pauci ſunt qui hæc nouerunt.

*Ira Dei diuerſos habet effectus. Punit Deus vt parcat: quandoque vt damnet.*

*Greg. 18. moral. c. 12.*

*Apocal. 3.*

*Pſal. 9.*

*Pſal. 93.*

*Hiere 5.*

*Parcens non parcit: & non parcens parcit.*

## Dexteram tuam ſic notam fac: & eruditos corde in ſapientia. 1564.

Hîc petit dexterę Dei & hominis vnitatem, id eſt, verbi incarnationem, quo doceamur irā Dei cognoſcere: & non præſentia ſed amare futura. Vbi notandum quòd nomine dexterę, intelligitur Dei filius, per quem dominus omnia fecit. vide ſup. ver. 285. 713. 740. Hæc autem dextera nobis nota facta eſt, quādo ipſe filius humanitatem noſtram aſſumens inter homines cōuerſatus eſt. Quid eſt ergo dicere? *Dexteram tuam ſic notam fac:* niſi filium tuum mitte in carnem, vt nobis fiat notus: quo ſcilicet cognoſcamus quid quærendum, vel quid fugiendum. vnde gl. Dexteram tuā ſic no

*Ioan.*



ſic notam fac: id eſt Chriſtum ſic notum fac, vt tui per ipſum diſcant magis petere quæ non videntur pertinentia ad nouum teſtamentum, quàm præſentia pertinentia ad vetus teſtamentum. Quam orationem impletam videmus. Per Chriſtum enim ſic notum fecit Deus vt in eius paſſionibus oſtenderet non præſentia, ſed æterna eſſe petenda. Sequitur, *Et eruditos corde in ſapientia:* ſupple fac nos per ipſum Chriſtum. Alia litera habet, *Et compeditos corde in ſapientia*: quod idem eſt: quia qui eruditus eſt in ſapiētia, pedem mentis mittit in compedes præceptorum. Quid eſt autem vera ſapientia, niſi vera fides catholica qua Deus verus cognoſcitur: deſpiciuntur caduca, & vera bona quæruntur? Quid eſt ergo, *Et eruditos corde in ſapientia*: niſi fac nos corde eruditos in fide? Quod & dextera Dei fecit: quando per ſe & per Apoſtolos fidem per orbem manifeſtauit: vt homines pro fide omnia ſpernerent quæ magna habebantur in veteri teſtamento, & æterna bona morte quærerent. Vel per ſapientiam hic intellige Chriſtum. de quo ait Apoſtolus, Prædicamus Chriſtum Dei ſapientiam. vbi gloſ. Chriſtus enim ſapientia patris eſt: ſicut virtus patris eſt. ipſe eſt verbū patris & manus patris: per quem tanquā manu & verbo omnia facit. Et tunc eſt ſenſus, *Et eruditos corde in ſapientia*: id eſt fac nos corde eruditos in Chriſto. Et dicit *corde*: quia aliqui erudiuntur in Chriſto & in factis fidei ſola voce, & non corde vel mente.

*Sapientia Dei Chriſtus eſt. 1 Cor. 1.*

## 1565. Conuertere domine, vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

Hîc ergo pro peccatis petit indulgentiæ Dei pietatem. Deus enim à peccatoribus eſt auerſus, quandiu perſeuerant in peccato: ſed quando eis parcit dando veniam: tunc ad eos conuertitur, & eos ad ſe conuerti facit. vide ſupra, verſic. 1374. In hoc ergo quod petit Deum ad ſe conuerti, petit peccatorum veniam ſibi dari. Et quia Chriſtus erat ille qui poteſtatem habebat dimittendi peccata: ideo in hoc Chriſtum poſtulabat mitti in mundum. Qualiter autem Deus multipliciter conuertatur ad nos, vide ſupra verſicul. 1385. Dicat ergo: *Cōuertere domine, vſquequo?* id eſt vſquequo eris auerſus? Conſimiliter conuerti Deum poſtulabat Pſalm. dicens, Conuertere domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac &c. Creatura enim à Deo auerſa ſe ad Deum conuertere nō poſſet: niſi prius Deus ſua pietate ſe conuerteret ad illam. Durum enim & laborioſum eſt ad ſerenitatem & tranquillitatem diuinæ lucis à terrenarū voluptatum caligine retorqueri: quaſi in conuerſione multis impeditam hoſtibus & oppreſſam, tanquam vehementem perplexitatem huius ſæculi & ſpinas quaſdam dilacerantium deſiderium ſuorum in ipſa conuerſione patientem. Sic ergo Deus poſtulatus reſpondet, dicens, Conuertar, & miſerebor eorum. Vel poteſt eſſe iſta poſtulatio hominis iram Dei ſuſtinentis, & flagella petentis aduerſa mitigari, non ex toto auferri: quia magis prodeſt ſi aliqua aduerſitas nos ſemper feriens cautos reddat. Sequitur, *Et deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos*, id eſt talem te exhibe vt à peccatoribus poſſis exorari. Quod maximè fit quando preces noſtras exaudit. quia tunc magis ad ipſum deprecandum excitamur.

*Pſal. 6.*

*Conuerſionis difficultas.*

*Hier. 12.*

## Repleti ſumus mane miſericordia tua: & exultauimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris. 1566

Hîc petit æternæ gloriæ claritatem. Vbi notandum quòd per noctem præſens vita deſignatur: per diem verò beatitudo futura. Sicut enim in nocte clarè non videmus, ſed mane: ſic in præſenti vita Deū clarè videre non poſſumus, quem in futuro clarè cōſpiciemus. Et hoc notans Gregor. ait, Nocturna enim viſio apparere mentis contemplationi ſub quibuſdam imaginibus ſolet: in diurna autem luce clarè videmus. Quia ergo omnes ſancti quandiu in vita iſta ſunt, diuinę naturæ ſecreta quaſi ſub quadam imaginatione conſpiciunt, quæ in patria manifeſtius contemplantur: ideo hic in viſione nocturna Deum videre dicuntur. Nox quippe eſt vita, in qua quandiu ſumus, per hoc quod interna non conſpicimus: ſub incerta imaginatione caligamus. Propheta namque ad videndum dominum ſub quadam ſeipſum ſentiebat poſitum caligine, dicens, Anima mea deſiderauit te in nocte. acſi diceret, In hac obſcuritate præſentis vitæ videre te appeto: ſed adhuc infirmitatis nubilo circunſcribor. Dauid quoque huius noctis caliginem vitans claritatē veri luminis præſtolatus ait, Mane aſtabo tibi & videbo. Adhuc ergo in nocte videre ſe minus conſpicit: qui ad videndum Deum futurum mane concupiſcit. Sic ad propoſitum. hic per mane intelligit claritatem lucis æternæ: in qua ſancti miſericordia Dei replentur: quia ibi Deus miſericorditer omnes vires eorum replet, dum ibi intellectus ſatiatur Dei viſione: voluntas Dei fruitione: memoria Dei comprehenſione. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Repleti ſumus mane miſericordia tua*, id eſt in æternitate. Modò enim eſt nox in qua eſurimus & ſitimus: tunc autem ſaturabimur vultu Dei: quia ſatiabor cum apparuerit gloria tua. vnde & alibi ait, Mane aſtabo tibi, & videbo, id eſt viſione tua ſatiabor. Sed quia diuinitas ſine gaudio videri nō poteſt, vt ait magiſter lib. 4. diſt. vlt. ideo ſubditur, *Et exultauimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.* Quamuis enim in æternitate non ſint plures dies: quia ſolùm ibi eſt vna dies perſeuerans, quæ nulla nocte terminatur: tamen ad maiorem expreſſionem gaudij æterni quòd nulla mœſticia interpolatur, dicit hic, *Omnibus diebus noſtris*, id eſt quandiu erimus, exultabimus, & delectabimur. Cùm ergo conſtet animam immortalem eſſe, & æternam: ſequitur quòd talis delectatio erit æterna. Et nota quòd ſancti in patria tripliciter replentur. Primò claritate diuinæ ſapientiæ. Eccl. 39. Spiritu intelligentiæ replebit illum. & hoc quo ad intellectum. Secundò voluptate omnis affluentiæ quo ad voluntatem. Pſal. 64. Replebimur in bonis domus tuæ. Tertiò firmitate æternæ permanentiæ. Micheæ 3, Repletus ſum fortitudine ſpiritus domini.

*Greg. 23. mor. cap. 21.*

*Nox eſt vita præſens: Mane eſt viſio beata.*

*Beati replentur miſericordia.*

*Replētur beati in patria multipliciter.*

Lætati

1567 Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti:annis quibus vidimus mala.

Hîc petit patientiæ firmitatem. Vbi notandum, quòd pro diebus humiliationis accipit dies vitæ pręſentis,in quibus diuerſis flagellis & pœnis iuſti humiliantur, & ſuppeditantur : in quibus per virtutem patientiæ lætantur more Apoſtolorum. de quibus Actuum 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu cōcilij.&c. Et iidem ſunt hic dies humiliationis & anni quibus mala videntur. Humiliatio enim ſignificat pœnam & aduerſitatem. vide verſicul. 616. Et quomodo differunt humilitas & humiliatio, verſicul. 896. Dicens ergo Pſalm. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti*.petit,quaſi dicat, Fac vt lætemur in diebus humiliationis,& in annis quibus videbimus mala, id eſt aduerſa. Vel iſte verſus poteſt intelligi de lætitia habita in patria : quæ tanto amplior erit, quanto maiora fuerint aduerſa. vt ſit ſenſus,*Lætati ſumus*, id eſt lætabimur in patria, *Pro diebus quibus nos humiliaſti*, id eſt humiliatio & aduerſitas hic habita, ibi maioris lætitiæ cauſa erit. Et hunc intellectum habet Bernardus qui iſtum verſum exponens ait, Lætati ſumus pro diebus quibus nos &c. Non habebit Deus noſter perfectam gloriæ ſuæ laudem, donec de puluere ſuſcitetur,qui in conſpectu angelorum hoc carmen victoriæ ei cantet : *Lætati ſumus*, &c. Hoc genus lætitiæ cœli ciues neſcierunt niſi per eccleſiæ filios. Hic nemo lætatur qui nunquam lætatur. Opportunè poſt triſticiam gaudium ſubit:poſt laborem requies : poſt naufragium portus. Placet cunctis ſecuritas ; ſed ei magis qui timuit. Iocunda omnibus eſt lux : ſed magis euadenti de poteſtate tenebrarum. Iucundior tranſiſſe de morte ad vitam gratia duplicatur. Pars mea hæc in cœleſti conuiuio & ſeorſum ab ipſis ſpiritibus beatis. Audeo dicere ex parte meæ beatitudinis ipſam beatam vitam, vbi dignetur fateri quòd per charitatem in me ea fruitur, & per me aliquid ſanè videtur ibi perfectioni illi acceſſiſſe per me:neque id parum : denique gaudēt angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod ſi deliciæ angelorum ſunt lachrymæ meæ : quid erunt eis deliciæ meæ?

*Pœna auget gloriam.*

*Angeli ſunt beatiores propter homines.*

1568 Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua:& dirige filios eorum.

Hîc petit in bonis directionem & perſeuerantem voluntatem. Vbi notandum quòd ad merendum beatitudinem, non ſufficit facere quod bonum eſt:niſi id fiat bene & perſeuerāter. Quoniam & bonum malè poteſt fieri : ſicut de hypocritis patet:quia multa bona faciunt,ſed non bene:quia non ad Dei laudem, ſed propriam : vnde illi non merentur,ſed peccant : quia Dei laudem furantur. Vnde Gregorius, Scriptum eſt, Iuſtè quod iuſtum eſt exequere. Iniuſtè quippe quod iuſtum eſt exequitur, qui ad defenſionem iuſtitiæ non virtutis æmulatione, ſed amore præmij temporalis excitatur. Iniuſtè quod iuſtum eſt exequitur,qui ad defenſionem ipſam quam prætendit iuſtitiam venundarę minimè veretur. Iuſtè ergo quod iuſtum eſt exequi, eſt in aſſertionem iuſtitiæ eandem ipſam iuſtitiam quærere. Tunc enim rectè agimus, cùm nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus. Et hoc eſt quod Pſalm.petit dicens, *Reſpice in ſeruos tuos*.Reſpicere enim Dei in nos eſt noſtri miſereri. Vide ſupra verſicul. 150. 360. 363.493.873. 1385. Et in quo petat ſibi miſereri oſtendit, dicēs,*Et in opera tua dirige filios eorum.* Dirigere enim opera alicuius eſt ipſa ad debitum perducere finem. Nam dirigo componitur ex di, & rego,gis. & dicitur dirigo,quod eſt in directum regere. Illa ergo opera dirigit quæ ad debitum finem regit. Cum ergo finis debitus omnium operum noſtrorum ſit ipſe Deus : & nihil aliud in quem omnia vt in finem debitum tendere debent : illa ſolum opera diriguntur à Deo, quæ non alium finem intendunt habere niſi ipſum Deum. Et quia omne quod eſt,à Deo eſt:& ſic omnia opera ſunt Dei. In operibus Dei dirigimur quando bona facientes per illa ſolum quærimus Deum. Et hoc alibi petebat Pſalm.dicens,Dirige in conſpectu tuo viam meam. Dicat ergo Pſal. *Reſpice in ſeruos tuos.* Qui ſerui dicuntur Apoſtoli : quia ab ipſo Chriſto finaliter ſeruati. Nam ſeruus quaſi ſeruatus dicitur. Illos autem præcipuè Chriſtus ſua oratione ſeruauit, quando patrem pro eis orauit dicens, Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi. Filij autem iſtorum ſeruorum ſunt cæteri fideles per ipſos in fide Chriſti geniti. Aliter autem iſtum verſum & ſequentem exponit N.de lyra,dicens, quòd iſtis verbis Pſal. poſtulabat gratiam ædificationis tabernaculi ad Dei cultum conſtruendi. Ad cuius conſtructionem ſeniores populi larga donaria obtulerunt : & filij eorum iuniores operati ſunt faciendo illud opus tabernaculi,& vaſa in tabernaculo ad miniſtrandum neceſſaria. vt habetur Exod. 31. Pro iſto ergo tabernaculo Moyſes orat, dicens, *Reſpice in ſeruos tuos*, id eſt ſeniores populi inſpirando eis voluntatem offerendi donaria ad opus tabernaculi faciendum. *Et in opera tua dirige filios eorum*, id eſt in operibus tabernaculi & vaſorum neceſſariorum ad cultum tuum. *Dirige filios eorum*, ſcilicet dans eis ad hoc ſapientiam & intellectum. Quod de facto dominus fecit. Vnde dixit dominus Moyſi, Exodi 31. Ecce vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri, & impleui eum ſpiritu Dei, & ſapientia ad omne opus faciendum ex auro,argento,ære, & marmore, & gemmis,& diuerſitate lignorum. Et ſic iſte cum aliis à Deo directis fecit tabernaculum Dei cum omnibus ad ipſum pertinentibus. Et ad iſtum intellectum etiam exponit ſequētem verſum, cum dicitur,

*Greg 9.mor. cap.19.*

*Dirige opera noſtra Deus.*

*Pſal.5.*

*Ioan.17.*

Et ſit ſplendor domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarū dirige ſuper nos:& opus manuum noſtrarum dirige. 1569

Hoc ad prædictum ſenſum operis tabernaculi idem ſic exponit. *Et ſit ſplendor domini Dei noſtri ſuper nos*, id eſt,& ſit deitas ſuper nos in tabernaculo,quādo erit cōpletum,illuminans nos,& dās nobis reſpōſa. Quod & factū eſt cōſtructo tabernaculo, in quo diuina reſponſa de propiciatorio



dabantur. vnde dixit dominus Exo.25. Inde præcipiā tibi & loquar ad te de propiciatorio. Sequitur. *Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos:& opus manuum noſtrarum dirige*. Quod bis repetitur. ſemel pro conſtructione tabernaculi : & ſecundo pro ſacrificiis ibidem per manum Leuitarum offerendis. Sed continuando primam expoſitionem, quam credo magis ad intellectum propheticum pertinere, eſt ſciendum, quòd ſplendor dei eſt imago dei, ſcilicet, ipſa gratia nos illuminās & imaginem deſtructam reformans : quæ gratia ſola actus noſtros dirigit in deum. Hic eſt ille gratiæ ſplendor qui tres reges direxit ad Chriſtum. Ambulabunt reges in ſplendore ortus tui,&c. Et de iſto ſplendore gratiæ quo actus noſtri diriguntur in deum dicit, *Et ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos.* q. d. Superius dixi. Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua dirige &c. Sed quomodo dirigentur in deum opera noſtra ? reſpondet, quòd per ſplendorem gratiæ. Et hoc eſt quod ait. *Et ſit ſplēdor domini dei noſtri ſuper nos*, id eſt, lumen gratiæ ſuæ. Et per iſtum ſplendorem gratiæ opera manuum tuarum dirige ſuper nos, id eſt, per iſtum ſplendorem diriges opera noſtra ad te : qui ſplēdor eſt ſuper nos : quia excedit facultatem noſtræ naturę. Diriguntur autem per iſtum ſplendorem opera noſtra, quando opera noſtra facimus non pro mercede terrenorum, ſed æternorū. Sed quia nulla ſunt opera bona niſi procedāt ex radice charitatis, quæ omnia facit vnum:ideo omnia opera bona & directa ex vna radice charitatis procedentia vnum opus eſſe notat, dicēs. *Et opus manuum noſtrarum dirige.* Bona enim quæ facimus ſunt Dei & noſtra, quia procedunt à gratia & à libero arbitrio:vt dicit magiſter li.2.di.25.

*Exo.25.*

*Eſa.60.*

*2.ſententia.*

# PSALM. XC.

1570. QVi habitat in adiutorio altiſsimi; in protectione Dei cœli cōmorabitur.

Huius Pſal. ſecundum magiſtrum in glo. titulus eſt, Laus cantici ipſi Dauid. Ex hoc apparet auctor Pſal. Sed quæ ſit materia Pſal. ex titulo nō apparet. Sciendū eſt ergo quòd Dei filius homo factus pro nobis tentationibus diaboli ſe ſuppoſuit; vt tentatorem ſuperando nobis formam daret, & adiutorium ad ipſum ſuperādum. Formam quidem ; quia ſicut prior tentatus humilitate diabolum ſuperauit ita nos humilitate ipſum vincere docuit. Quia Chriſtus in ſuis iniuriis & tētationibus humilitatem ſeruans, & teſtimoniis ſcripturarum tentatori reſpondēs; iniuriam tamen dei æquanimiter ſufferre noluit. Quod maximæ humilitatis fuit indicium : quia ſcilicet in omnibus ſibi deum præponebat. Sic & nos ſi tentati deum nobis præponamus,& ipſius honorem noſtro præferamus, continuò, ſuperabimus ipſum diabolum, ſiue tentatorem. Adiutorium etiam dedit:quia tentatus à diabolo ipſum ſuperando eius poteſtatem contra nos debilitauit. Nam vt ait magiſter li.2.di.6. Diabolus in tentatione ab hominibus ſemel victus victorem nec alium hominem de eodem vitio amplius tentare non poteſt. Cum ergo principalis dæmon ſcilicet lucifer, contra nos maioris eſſet poteſtatis, maioriſque maliciæ : ſicut & præ aliis dæmonibus maioris eſt ſcientiæ ; ideo vt ipſius poteſtatē Chriſtus ligaret, ſic quòd amplius alium tētare nō poſſet, ab ipſo de tribus principalioribus vitiis ad quæ cætera reducuntur, tētari voluit:vt ipſum ſuperando amplius neminem poſſet tentare. Iſto enim modo Chriſtus apprehendit ſerpētem antiquum; qui eſt ſathanas:& ligauit eū ne amplius ſeducat gentes. Hanc autem tentationem Chriſti præuidens propheta Dauid fecit iſtum Pſal. Cuius auctoritate confiſus diabolus Chriſtum tentare auſus eſt. Huius Pſal. ſcripturā diabolus allegans dixit Chriſto, Scriptum eſt enim, quia angelis ſuis deus mandauit de te &c. Agit ergo iſte Pſal. de victoria Chriſti habita in tentatione diaboli. Eſt ergo ſenſus tituli iſte, Laus cātici ipſi Dauid, id eſt, iſte Pſal. eſt laus ipſi Dauid, id eſt, ipſi Chriſto:quia cōtinet laudes Chriſti contra dæmones:quia oſtendit diaboli tentationes victas à Chriſto,& à ſuis membris in auxilio Dei. Eſt etiam laus cātici:quia eſt laus cum gaudio cordis. Intētionem mouet vt nos exemplo Chriſti diſcamus diaboli tentationes vincere. Quibus viſis Pſal. iſte ab aliquibus exponitur literaliter de populo dei exeunte de Ægypto. vide. N. Sed quo ad ſenſum propheticum iſte Pſal. diuiditur in partes tres. Quia in tentatione Chriſti & ſuorum tria eſſe oſtēdit, ſcilicet, primò diuinam protectionem. ſecundò dæmonum deiectionem:ibi, Cadent à latere. tertiò victorū exaltationem:ibi, Quoniam in me ſperauit. Prima pars diuiditur in partes tres. quia ponitur primò diuina tētati protectio. ſecundò protectionis gratiarū actio. ibi, Dicet domino. tertiò protectionis expoſitio:ibi, Quoniam ipſe. Quantum ad primum ſciendum quòd iſte textus de Chriſto exponitur, & de membris eius. Quantum ad Chriſtum ſciendum quòd in Chriſto erat duplex natura, ſcilicet, diuinitatis & humanitatis. Inquantum deus, dat omnia:inquātum homo, recipit omnia. Vnde Chriſti humanitas à verbo recepit ſcientiam, potētiam, &c. Et ſic à verbo Chriſti humanitas adiuuabatur & protegebatur : ſic quòd nulla tentatione eius anima cōcuti, vel ſuperari poſſet (vt dicit Grego.) quandiu verbo vnita erat, Quærit magiſter li.3. di. 13. an anima Chriſti potuerit peccare? Et reſpondet quòd ipſa manente vnita ad verbum, peccare nō poterat, à verbo protecta. Vnde de Chriſto dicit nunc Pſal. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi*, ſcilicet, qui totam confidentiam habet in deo. *In protectione dei cœli commorabitur.* Quæ ſcilicet protectio erit ratione vnionis hypoſtaticè. Vnde ipſe Chriſtus patri dicit, In te domine ſperaui. ſequitur, Eſto mihi in deum protectorem. Qualiter autē Chriſtus protegebatur à verbo, vel protegebat verbum, vide verſi. 438. Conſimiliter de hominibus intelligitur : Qui habitat in adiutorio altiſſimi. &c. Quia qui toto corde in adiutorium dei ſperat, ab ipſo deo protegitur & defenditur. Si autem vis ſcire qui ſunt illi qui habitant in adiutorio altiſſimi; hoc oſtendit Bernar. iſtum verſum pertractans, vbi ait, Quis ſit diuini inhabitator adiutorij : per non inhabitantes clarius elucebit. Tria quidem ſunt eorum genera. vnum nō ſperantium ; aliud deſperantium ; tertium fruſtra ſperantiū. Neque enim habitat in adiutorio altiſſimi, qui nō poſuit deum adiutorē ſuum:ſed ſperauit in multitudine diuitiarū ſuarum. Et vt de ſecularibus taceamus, timeo ne ſit in nobis, qui non habitat in adiutorio altiſſimi : qđ ſine dolore nec loquimur, nec videmus. Sunt enim aliqui q in ſanctæ conuerſationis principio ſatis ſolliciti & timorati viden-

*Apoc.20.*

*Grego.3. moral.c.13.*

*Pſal.30.*

*Quis habitat in adiutorio dei & quis nō. Bernard.*

tur, donec initium aliquod ſanctæ conuerſationis acceperint. & cum multo magis deſiderare debuerant (iuxta illud Eccle. 24. Qui edunt me adhuc eſurient) incipiunt ita tæpidè agere (acſi dicant) vt quid ei ſeruiamus vltra quãdo iam habemus quod daturus eſt? O ſi ſcires quàm parum habes: & quã cito perdes illud, niſi ſeruauerit ille qui dedit. Hi ergo non ſperant, neque habitant in diuino adiutorio: quia non putant illud neceſſarium eſſe. Sunt alij qui deſperant; qui ſcilicet circa infirmitatem ſuam ſemper intenti; & habitãtes in carne ſua, omnia quæ patiuntur curſim enumerare parati ſunt. vbi enim intenderis, valet ingenium. Alij autem ſperant in domino; ſed fruſtrà, peccantes ſcilicet in ſpe. Primi ergo habitant in meritis ſuis: ſecundi in pænis: tertij in vitijs. Immunda habitatio tertij; anxia ſecũdi; periculoſa primi. Soli autem in adiutorio altiſſimi habitant, qui illud ſolùm obtinere deſiderant. illud ſolùm amittere trepidant, ſedula circa illud & ſollicita cogitatione verſantes: quæ eſt vtique pietas cultus dei. Hi itaque habitant in adiutorio altiſſimi: in protectione dei commorabitur. Et bene in protectione dei cæli commorabitur: quid eis nocere poterit eorum quæ ſub cælo ſunt: quos deus cæli voluerit conſeruare. Porro ſub cælo ſunt quæcunque nocere poſſunt aëreæ poteſtates; caro; mundus; & dæmonia. In protectione inquit, non in præſentia. Angelus ſiquidem habet in præſentia: ego autem in protectione ſum ſecurus. Et glo. hic ait, *Qui habitat in adiutorio altiſſimi.* qui ſcilicet totam ſpem non in ſe, ſed in ſolo deo conſtituit: *In protectione dei cæli commorabitur*, id eſt, omnibus modis protegetur à deo, vt nec illecebra malè blãdientis voluptatis capiatur: nec timore aduerſitatis frangatur: vt nec declinet ad dexteram nec ad ſiniſtram regia via incedens. Regia via eſt via Chriſti regis noſtri, qui ſic viam mũdi cucurrit, vt nec proſperis illiceretur; nec aduerſis frangeretur: quem & nos imitari debemus. De adiutorio dei vide verſi. 99. 267. 301. 499. 631. 673. 872. 957. 1137.

*Protectio dei hominem cuſtodit.*

1571 Dicet domino, ſuſceptor meus es tu; & refugium meum, deus meus ſperabo in eum.

Hic ponitur protectionis gratiarũ actio. Quanto maius eſt beneficium; tanto maior debet eſſe gratiarum actio. Maximum autem beneficium à deo datum Chriſto fuit homini aſſumptio humanitatis ad ſuppoſitum diuinum: ſic quòd homo eſſet deus. Et de tãto beneficio Chriſtus gratias agẽs deo dicebat, Tu autem ſuſceptor meus es, gloria mea, &c. Et hoc præuidens Pſal. de Chriſto dicit. *Dicet domino ſuſceptor meus es tu.* Quia ſcilicet verbum aſſumpſit naturam humanã. Et Pſal. 62. Adhęſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua. Et quia humanitas noſtra à verbo aſſumpta eſt; etiam totum genus humanum verbo gratias agens, *Dicet domino, ſuſceptor meus es tu.* Vbi notat, quòd dei filius factus eſt ſuſceptor noſter multipliciter, ſcilicet, quia factus eſt ſuſceptor noſtræ humanitatis in incarnatione. Suſceptor noſtræ pænalitatis in peregrinatione. Suſceptor noſtræ mortis in paſſione. Primò fuit ſuſceptor noſtræ humanitatis in incarnatione: de qua Pſal. 72. Tenuiſti manum dexteram meã; & in voluntate tua deduxiſti me: & cum gloria ſuſcepiſti me. Et verè cum gloria à verbo ſuſceptus eſt homo: quia in primo inſtãti illius vnionis anima Chriſti fuit perfectè beata. Quæ humanitatis ſuſceptio ſic facta eſt; non quòd natura diuina noſtram ſuſceperit perſonam: quia tunc pater & ſpiritusſanctus eſſet homo, cùm ſint ipſa diuina natura. Non quòd perſona diuina noſtram ſuſceperit perſonam: quia tunc in eodem ſuppoſito eſſent duæ perſonæ. Non quòd natura diuina ſuſceperit naturam humanam: quia tunc natura humana ad omnes perſonas diuinas æqualiter ſpectaret. Sed perſona diuina aſſumpſit humanam naturam ſine perſona humana: quia anima & corpus ſimul faciunt perſonam, quando per ſe ad inuicem ſunt vnita. Iſta autẽ aſſumpſit verbum non ad inuicem vnita: ſed illa duo aſſumẽdo in ſe vniuit. Quæ omnia diffuſè oſtendit magiſter li. 3. di. 5. Ex prædictis ſequũtur aliqua. Primum quòd Chriſtus vt homo, id eſt, ratione humanitatis non eſt perſona. patet, quia perſona hominis aſſumpta non fuit. Secundũ quòd Chriſtus vt perſona eſt æternus. patet; quia perſona Chriſti eſt verbum dei æternum. Tertium quòd Chriſtus vt perſona non eſt creatura: quia vt ſic eſt deus. Secũdò principaliter fuit ſuſceptor noſtrę pænalitatis. Nam vt ait magiſter li. 3. di. 15. Ipſe dei filius omnes infirmitates noſtras, & defectus aſſumpſit abſque defectu ignorãtiæ. Et hoc primo vt ſe verũ demõſtraret hominẽ. vnde ait magiſter vbi ſuprà, quòd dei filius naturã hominis ſuſcepit paſſibilẽ, ſcilicet, animã paſſibilẽ & corpus. vt enim verum corpus probaretur habere, ſuſcepit defectus corporis, ſcilicet, famẽ, ſitim, &c. Et vt verã animã probaretur habere, ſuſcepit defectus animæ, ſcilicet, triſticiam, dolorem, timorẽ, & huiuſmodi. Secundò vt ſuis pænalitatibus nos in aduerſis fortificaret. Quia ſi pænalitates Chriſti ad memoriã reducantur: nihil eſt tam durum vel aſperum quòd non patienter toleretur. Parua enim ſunt quæ toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum ille Dei filius, qui nos inuitat ad cælum. Ille enim pro nobis opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam, crucemque ſuſtinuit. Et nos miſeri vno ſermone fatigamur, & vno verbo deijcimur. Verba ſunt Caſſiod. in de conflictu vitiorum. Tertio vt ſe diabolo occultaret. Sicut enim de virgine deſponſata naſci voluit, vt hoc ſacramẽtum diabolo celaretur: ſic & noſtris ſubijci pænalitatibus. Videbat enim diabolus in Chriſto aliqua quæ erant diuinitatis & non humanitatis opera, ſcilicet, angelos, & mũdi elementa ſibi ſubijci: ex quibus ſuſpicabatur ipſum eſſe Deum. Sed ne ex tali ſuſpicione ipſe dæmon ab inſtigatione ſuæ paſſionis deſiſteret, oſtendebat ſibi aliqua quæ erant ſolum hominis, & non dei: ſicut ex itinere fatigari, fameſcere, & huiuſmodi. Tertiò principaliter fuit ſuſceptor noſtræ mortis: quam quidem mortem voluntate non neceſſitate ſuſcepit: vt oſtendit Gregor. dicens, quòd veniens in carnem dominus, non ipſam mortem ex neceſſitate ſuſcepit: quia nulla labe peccati pollutus reatus noſtri cõditione teneri nõ potuit. Et ideo mortem noſtram omni neceſſitate calcata, cum voluit ſponte ſuſcepit. Quibus omnibus conſideratis bene dei filio natura humana, *Dicet domino, ſuſceptor meus es tu: & refugium meum.* Qualiter verbum refugium Chriſti fuerit, vide verſi. 439. *Deus meus.* Habuit enim Chriſtus vt homo deum: ſed nõ vt deus. vide verſi. 1525. Sperabo in eũ. Qualiter ſpes fuerit in Chriſto, vide verſi. 284. 298. Iſtũ verſum exponit

*Pſal. 3.* *Pſal. 62.* *Incarnatio.* *Pſal. 72* *3. ſenten.* *Pænas noſtras Chriſtus ſuſcepit.* *3. ſenten.* *Caſſiod.* *Greg. 24 moral. ca. 4*



ponit Bernar. vt ſit hominis gratias deo agentis ſuper duplici dei adiutorio, dicens, *Dicet domino, ſuſceptor meus es tu.* Dicet inquam gratiarum actione cõfitẽs deo ſuper duplici adiutorio eius. Ipſe enim refugium eſt: vt venientem cũ ſtercoribus boum, pigrorum lapidatorem, impigri fugiamus & euadere poſſimus fœdam nimis lapidationẽ. Ipſe quoque ſuſceptor eſt: vt etiam cum ceciderimus, non collidamur: quia ipſe ſupponit manum ſuam. Omnes enim aliquando cadere neceſſe eſt dum in hoc ſeculo detinentur. Sed alij colliduntur; alij non: quia deus ſupponit manum ſuam. Iniuſtus verò cùm ceciderit; non adijciet vt reſurgat. Iuſtus verò ſuper manum domini cadit. Nonne illum cadentem dominus ſuſcipit qui ab humilitate ſuſcipitur: cautior reſurgens & humilior. Dicet itaque fidelis anima, *Suſceptor meus es tu.* Poſſunt omnia dicere, creator meus es tu. Poſſunt animalia dicere, paſtor meus es tu. Poſſunt homines dicere, redẽptor meus es tu. At verò ſuſceptor meus es tu; is tantum dicere poteſt, qui habitat in adiutorio altiſſimi. Et addit. *Deus meus.* Cur non deus noſter? Quia in creatione, & redemptione, ceteriſque omnibus beneficijs eſt deus omnium: ſed in tẽtationibus ſuis proprium eum habent ſinguli electorum. Sic enim paratus eſt & cadentem ſuſcipere, & recipere fugientem, vt videri poſſit relictis omnibus alijs ei ſoli operam dare: propterea expedit omni animæ deũ attendere: non ſolum vt adiutorem, ſed vt inſpectorem. Sequitur, *Deus meus ſperabo in eum.* Non dixit ſperaui, aut ſpero, ſed ſperabo. Hoc eſt (inquit) votũ meum; hoc eſt propoſitum meum; hęc eſt intentio cordis mei. Sperabo in eum, nõ deſperabo; nec fruſtra ſperabo: quia maledicti qui peccãt in ſpe, & qui peccant in deſperatione. Sed nec eſſe volo de his qui non ſperant in deo: ſed ſperabo in eum, &c.

*Suſcipit iuſtos ſu.* *Deus meus propoſuit dici.*

1572 Quoniã ipſe liberauit me de laqueo venantium; & à verbo aſpero.

Hîc ponitur modus protectionis, & adiutorij diuini: quo tentatos adiuuat & protegit. Vbi notandum quòd tentatio eſt multiplex. Eſt enim tentatio dæmonis vel hominis; tẽtatio mundi vel carnis, tentatio occulta, & tẽtatio publica. Et ab omnibus iſtis nos protegit deus. Et ſecũdum iſta; hæc pars habet quatuor partes: quia oſtenditur primò quòd nos protegit à prima: ſecundò quòd à ſecunda; ibi, Scapulis ſuis. tertiò quòd à tertia; ibi, Scuto. quartò quòd à quarta, ibi, A ſagitta. Quantum ad primum ſciendum quòd Chriſtus tentatus fuit à dæmone, tentatus fuit ab homine. Tentatus fuit à dæmone, Mathæi 4. Et hanc tentationem ponit pſalmiſta dicens in perſona Chriſti. *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium*, gloſ. id eſt, à tentatione dæmonum. Dæmon enim Chriſtum tentando; ſibi laqueos parauit; dum ipſum per verba ſacræ ſcripturæ capere credidit. vt cum dixit, Si filius dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, angelis ſuis &c. Sed ab iſto laqueo fuit liberatus; quia per ſapientiam à deo ſibi datam; laqueum fregit, dicens, Scriptum eſt, Non tentabis &c. Et ſic dæmon laqueo quem parauerat Chriſto, ſcilicet, verbum ſcriptũ, ipſe fuit captus. Pſal. 9. In laqueo iſto quem abſcõderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Et notat hic gl. quòd in ſcriptura venator vix in bono inuenitur: ſicut ecõtra piſcator vix in malo. Secundò fuit Chriſtus tentatus ab homine: vt puta, quando iniurioſa verba ei dicebant, vt ipſum ad impatientiam prouocarent. vt Ioan. 8. Dæmonium habes. Hoc autem dicebant tentantes eum. Et iſtam tẽtationem pſalmiſta vocat verbum aſperum, dicens, *Et à verbo aſpero.* à quo Chriſtus per patientiam fuit liberatus. Conſimiliter & multos tentat diabolus per laqueos, & aſperum verbum. Vbi notat glo. quòd dæmones fidelibus laqueos parant: non in via Chriſto: ſed circa viam, ſcilicet, ad dexteram proſperitatis malæ extollentis: vel ad ſiniſtram aduerſitatis parant laqueos. Si ergo vis ſecurus ambulare; noli declinare in dexteram; neque in ſiniſtrã: ſed ſit tibi via ille qui pro te factus eſt via: vt ducat te ad ſe per ſe: & ita non timebis laqueos venantium. Sequitur, *Et à verbo aſpero.* Multos enim per verbum aſperum miſit diabolus in laqueos: in quos per verbum aſperũ aliqui cadunt. Puta quia multi nolunt eſſe Chriſtiani propter inſultantes Chriſtiano nomini: & qui timent detractiones hominum à deo vt ceſſent à via dei. Inſultatio itaque & detractio infidelium verbum aſperum dicitur. Et ab omnibus iſtis per ſuam gratiam ſuis exemplis nos liberat Chriſtus. Iſtum autem verſum ſic exponit Bernardus, dicens, *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium.* Ergo ne beſtiæ ſumus: Quid ergo ſuperbis ô homo? Vide quia beſtia factus es; cui venandæ laquei præparantur. Venatores dæmones ſunt, qui cornu non ſonant, ne audiantur: ſed ſagittant in occultis immaculatum. Sicut eſt ante venatorem beſtia; ſic ad eorum comparationem ſit quilibet aſtutiſſimus homo; præter eos qui cum apoſtolo non ignorant cogitationes eorum. Laqueus diaboli diuitiæ ſunt huius ſeculi: ſicut ait apoſtolus. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Vos ergo qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis non habẽtem vbi caput ſuum reclinaret filium hominis, cõfitemini domino toto corde, tota anima; & tota virtute; gratias eis agite dicẽtes, *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium.* Et ne forte paruum beneficium hoc æſtimetur; audite quod ſequitur. *Et à verbo aſpero*, O homo, immo magis, ô beſtia laqueum non timebas? Time vel malleum à verbo inquit aſpero. Quod eſt verbum hoc, niſi illud inſatiabilis gehennę, affer; affer; percute; dilacera; cito interfice; velociter ſpolia, detrahe: Quod eſt verbum aſperum, niſi tollatur impius ne videat gloriam dei: Quomodo exultant venatores, capta beſtia: & clamant, tolle tolle: infige in veru; infer prunis; & malè bullientibus impone lebetibus. Verbum aſperum fuit quod protulit domus exaſperãs, domus Iudæorum. Tolle tolle, crucifige eum. Quàm horribile verbum; quàm aſperum; quàm crudele. Hoc verbum aſperum tu ſuſtinuiſti domine: vt nos à verbo aſpero liberares. Sit iam pietatis tuæ, vt non ſuſtineamus nos, quod ſuſtinere dignatus es pro nobis. Vos autem fratres mei, vos pennati; ante quorum oculos fruſtra iacit rete; nunquid non valde exhilarantur corda veſtra ad verbum hoc: & ſpirituali iucunditate replentur? Nunquid non precioſiorem ducitis paupertatem veſtram theſauris ſeculi? Nunquid ipſa eſt quæ vos liberat à verbo aſpero? Quomodo autẽ à vobis exiget Deus: quod pro ipſius amore relictum eſt? Agite ergo gratias, & exultate, dicentes, *Quoniam ipſe liberauit me*, &c. Exultate inquam; ſed interim cum tremore. Quid enim nobis adhuc timendum eſt? Certè peccatum apoſtaſiæ. Bene enim factum eſt, vt pennas acciperetis: ſicut columbæ, vt volaretis ad quieſcẽdum. Nam in terra non erit requies: ſed

*Tentatio multiplex* *Mat. 4.* *Pſal. 9.* *Ioan. 8.* *Laqueos parat diabolus.* *Verbum aſperum.* *Bernard.* *1. Timo. 6* *Verbum aſperum quod eſt*

labor & afflictio ſpiritus &c.

## 1573 Scapulis ſuis obũbrabit tibi: & ſub pennis eius ſperabis.

Secunda tentatio à qua nos liberat Deus, eſt mundi vel carnis. Et quamuis Chriſtus carnis tentationem paſſus non fuerit; mundi tamẽ ſuſtinuit. *Ioan.6.* vt puta, quando turba voluit eum facere Regem: non quòd anima Chriſti illa tentatione eſſet percuſſa; ſed quia intulit mundus. Et ſic ab hac vmbra dei fuit liberatus: vmbra enim ſemper eſt obſcura. Sic Chriſtus homo ſciens myſterium humilitatis ſibi traditum ſub vmbra veritatis manens: non regnum mundi quæſiuit: ſed in vmbra & obſcuro humilitatis permanſit. Scapulis enim dei ſignificatur eius fortitudo: ſub cuius vmbra Chriſtus humilitatem ſeruauit. Et ſub pennis vel alis dei; quæ ſunt iuſticia & miſericordia, ſperauit: quoniam iuſticia dictabat ipſum patris ſeruare præceptum: miſericordia verò humilitatis nobis dare exemplum. *Pſal.56.* Vnde & dicit Pſal. 56. Sub vmbra alarũ tuarũ ſperabo: donec trãſeat à me iniquitas, id eſt, non quòd in Chriſto fuerit iniquitas; ſed quòd virtute talis ſpei, ab ipſo longè fuit omnis iniquitas. *Scapulæ ſignificant exempla Chriſti nobis relicta.* Vel de iuſto quolibet homine poteſt intelligi: qui ſub vmbra ſcapularum Chriſti ab omni tẽtatione protegitur. ſcapulæ enim ſunt partes poſteriores hominis, ſcilicet, humerus, vel dorſum. De perſona autem quæ nos præcedit; non faciem, ſed ſolum dorſum videmus. Præceſſit nos Chriſtus in hoc mũdo peregrinus. Quid ergo de Chriſto videmus niſi dorſum, id eſt, partem poſteriorem: ideſt illa quę poſt ſe nobis reliquit exempla virtutum? Vnde ſcapulas Chriſti vides; quando eius humilitatem conſideras: quando eius charitatem: quando eius conſtantiam, patientiam, & firmitatem. Et de iſtis ſcapulis nobis obumbrat: quia ſuis exẽplis & virtutibus ab omni tentatione; ſi illa imitari & contemplari volumus; liberamur. Iſta etiam exempla ſunt alæ Chriſti; quibus nos portat in altum: ne in terra per amorem terrenorum commoremur. *Deute.32.* Vnde de ipſo dicitur Deute. 32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos: & ſuper eos volitãs aſſumpſit eum atque portauit in humeris ſuis. Sed ſunt multi qui ſub iſtis ſcapulis Chriſti & pennis protegi nolũt: *Matth.23.* de quibus dicit dominus Matth. 23. Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? Vel per alas vel pennas Chriſti intellige duo teſtamenta. vide ſuprà verſi. 559. Vel alæ diuinæ protectionis ſunt miſericordia & charitas. vide ſuprà verſicu. 593. Iſtum autem verſum ſic exponit Bernar. dicens, Scapulis ſuis obumbrabit tibi. *Bernar.* Qui fidelis eſt in modico; iure conſtituitur ſupra multa. Sicut in accipiendis indignus eſt, qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque deuotè illi gratiarum actioni reſpondet ſpiritus, dicens. Non id ſolum quod dictũ eſt faciet tibi: ſed & ſcapulis ſuis obũbrabit tibi. *Scapulæ Chriſti ſunt promiſſiones eius.* Credo in his ſcapulis geminã promiſſionem domini intelligendam, vitæ quæ nunc eſt; pariter & futuræ. Si enim promitteret regnum; & viaticum in itinere deeſſet; omnino cõquererẽtur homines. Propterea qui poſt hoc ſeculum vitam promiſit æternam; ipſe dandum in hoc ſeculo centuplum prouidentiſſima pietate promiſit. Sub his igitur ſcapulis quatuor nobis conferuntur beneficia. Sub his abſcõdimur, ſub his ab incurſu miluorum & accipitrum protegimur: quæ ſunt aëreæ poteſtates: ſub his obumbraculum ſalubre refrigerat nos: & repellit nimium ſolis feruorem: ſub his quoque alimur & fouemur. Neceſſe eſt enim abſcondere interim ſi quid habemus boni: propter quod corporaliter in clauſtro, & in ſyluis abſcondimur: neque hoc infructuosè credo. Neceſſaria eſt enim hæc abſconſio; non ſolum ante oculos aliorum; ſed multo magis ante ipſum. Sic enim ait dominus. *Luce 18.* Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis; dicite, Serui inutiles ſumus &c. Hæc igitur eſt abſconſio quam ſub ſcapulis domini præſtari diximus. Qualis forſitan fuit obumbratio illa quæ Mariæ eſt facta à Spiritu ſancto ad celandum ſcilicet tam incomprehenſibile ſacramentum. Sub ipſis ſcapulis protegimur. Sicut enim videns accipitrem venientem gallina mater expandit alas ſuas vt pulli ſubeant, & habeant tutum refugium: ſic nobis parata, & quodammodo aperto ſeu dilatato ſinu extenſa eſt ſumma illa & ineffabilis pietas Dei noſtri. Iam vero ſub ipſis quoque ſcapulis, & vmbraculum ſalubre, & protectionẽ habemus. Sicut enim ſol iſte corporeus: licet bonus ſit, & valde neceſſarius: tamen & feruor eius ſi temperatus non fuerit; infirmo capiti: & ſplendor infirmis oculis nocet: nec eſt ſolis culpa, ſed infirmitatis. Sic & ſol iuſticiæ; oportet à nobis etiam bonam gratiam temperari; ne forte elationis aut indiſcretionis vitium incurramus. Quippe licet gratia non detur nobis ad ſacietatem: datur tamen ad ſuſtẽtationem. Et ſi cauet nobis dominus à feruore nimio: tamen fouet nos ſicut mater calore ſpiritus. Et hoc eſt quartum quod ſub ſcapulis eius nobis præſtatur. Sub his pennis ſecurus ſperabis: vt de perceptione pręſentium munerum, ſit firma expectatio futurorum.

## Scuto circundabit te veritas eius: 1574 non timebis à timore nocturno.

Hìc agitur de tentatione occulta. Tentat enim diabolus occultè; quando ſub ſpecie boni ad peccatum intendit inducere: vt quando adulator ſub ſpecie virtutis ad elationẽ adulatũ inducere ſatagit. Et iſto modo tentatus fuit Chriſtus nõ ſolum à *Matt.4.* diabolo; quando ſibi dixit, Si filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim &c. Ibi enim ſecũdum glo. pinaculum templi erat cathedra doctorum; ſupra quam poſuit eum diabolus, vt ipſum tentaret de vana gloria; quia in cathedra doctorum inani gloria deceperat multos. Et iſto modo tẽtatio occulta vocatur timor nocturnus. Vnde ſecundum glo. occulta tentatio per timorem nocturnum ſignificatur: quia illa quæ fiunt in nocte; non clare videntur. Conſimiliter occultè fuit tẽtatus ab hominibus; quando, ſcilicet, adulantes ipſum laudabant: vt ipſum cadere facerent: vt puta quando dicebant, Magiſter; ſcimus quia verax es &c. *Matth.22.* Dic nobis quid tibi videtur, &c. Sed contra iſtam tentationem fuit circundatus ſcuto veritatis: quia veritatem reſpõdens; laqueos ipſorum euaſit. Per ſcutum enim veritas fidei ſignificatur. vide ſuprà verſi. 53. Et attende ſecundum glo. quòd in iſto Pſal. Deus dicitur habere ſcapulas, alas, & ſcutũ: cum nihil horum propriè ſit in deo: *Chriſtus dicitur lapis, leo, agnus: cum nihil ſit horũ.* ſicut Chriſtus dicitur lapis, leo, agnus, vitulus, & huiuſmodi: cum nihil horum ſit. Si enim verè leo eſſet; lapis nõ eſſet; ſi leo eſſet; agnus non eſſet. Ideo iſta inſimul eſſe dicitur: vt nullum horum eſſe credatur. Iſtæ enim ſunt ſimilitudines non proprietates. Eſt ergo ſenſus, *Non timebis à timore nocturno:* ideſt à tentatione occulta: quia vt ſcuto circundabit te veritas eius. ideſt veritas dei proteget te, quæ perſonas non accipit: nec miſcet ſperantes de ſeipſis, cum his qui ſperant in deo: ſed diſcernit humilem à ſuperbo: pœnitentem ab impœnitente: circunſpectum ab ignorãte. *Bernard.* Iſtum autem verſum exponit Bernardus ſic dicens, *Scuto circundabit te veritas eius.* Hoc ideo neceſſe eſt: vt quia circũdamur vndique tentationibus: ſcuto circundet nos veritas eius: vt quemadmodum vndique ſunt bella; ſint & vndique pręſidia. *Veritas nos vallat.* Veritas enim circundat: quia verax eſt qui promittit: & ſic exhibet, vt promittit. Non enim incongruè ſcuto comparatur gratia diuinæ protectionis: quia ſcutum in ſuperiori parte latum & amplum eſt; vt caput, humeroſque cuſtodiat. In inferiori verò parte ſtrictius vt oneret minus: maximè quia graciliores ſunt tibiæ: nec tã facile vulnerantur: ſed nec adeo ſic periculoſum in illis partibus eſt vulnerari. *Scutum dicitur gratia dei.* Sic omnino ſic militibus ſuis Chriſtus ad inferiora tuenda, id eſt, carnem magnam (vt ita dixerim) ſtrictitatem atque penuriam rerum temporalium donat: nec vult earum multitudine eos prægrauari: ſed vt victum & veſtitum habentes his contenti ſimus: in ſuperioribus verò ampliorem latitudinem & abundantiam gratiæ ſpiritualis. *Matth.6.* Sic enim habes: primùm quærite regnũ dei &c. Nam & hæc ipſa pater noſter celeſtis donat nobis ob duplicem ſcilicet cauſam: ne vel omnino crederemus infenſum, ſi iſta negaret: & ſic deſperaremus: vel illorum nimia ſollicitudo ſpiritualis exercitij fieret detrimentum. Sine his enim neque viuere, neque deo ſeruire eſt. Ceterũ quanto ſtrictius; tanto melius. Et infra. Sunt autẽ quatuor tentationes; quibus vndique circundari ſcuto veritatis habemus: vt ſit nobis à dextris & à ſiniſtris ante & retro. Et credo quòd eo ordine quo hic numerantur, contra eos qui conuertuntur inſurgũt: vt princeps omnium tentationum ſit aduerſitas. Per noctem enim aduerſitatẽ ſæpius deſignari reperies. Et ſcimus contra eos qui cõuertuntur: primum eſſe certamen de moleſtijs corporis conſueuit. Caro enim adhuc indomita caſtigari, & in ſeruitutem redigi nequaquam æquanimiter tolerat: ſed adhuc memor recens perditæ libertatis; acrius cõcupiſcit aduerſus ſpiritum: maximè quia in pœnis in quibus ſunt cotidie moriẽtes; immo & morte affecti tota die quæ ſupra vires ſunt; vltra naturam: & contra conſuetudinẽ veſtram. Neceſſarium eſt ergo nobis planè inter initia cõuerſationis ſcutum domini: vt non timeamus à timore nocturno. Et bene dicitur, à timore nocturno, non à nocte: quia non ipſa afflictio tentatio eſt: ſed timor afflictionis. Nocturnus planè & tenebroſus timor: ſed hunc facile radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis nunc quidem peccata quæ fecimus: nũc verò æterna ſupplicia quæ timemus: nunc verò cæleſtia præmia ad quæ tendimus: crebro videlicet memorantes, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam &c. *Rom.8.* & quæ pro nobis pertulit Chriſtus; vt crebro conſiderantes quãta ſuſtinuit illa maieſtas pro militibus ſuis; erubeſcamus non ſuſtinere vel parua pro nobis. Ergo ad lucem tam multiplicis veritatis nocturnus timor recedit.

## 1575 A ſagitta volante in die; à negocio perambulante in tenebris; ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Hic agitur de tentatione aperta. *Sagitta dicitur tentatio.* Sicut enim per timorem nocturnum tentatio occulta deſignatur; ita per ſagittam in die volantem tentatio aperta: vt cum quis non ignoranter, ſed ſcienter tentatur ad malum: quod ſcit eſſe malum. Et ſic quamuis ex parte tentatoris aliqua tentatio Chriſto eſſet occulta: vt quando tentator credebat ſuam intentionem latere Chriſtum: tamen ex parte Chriſti omnis tentatio ſibi facta erat in die: quia nihil ipſum latebat. Et eſt ſenſus, Sicut à tentatione nocturna, vel occulta te Chriſte vt ſcuto circundedit veritas dei: ſic & à tentatione aperta quæ per ſagittam volantem in die clara ſignificatur. Sagitta volans in die fuit: quando vt ipſum ad deſperationem inducerent; ipſi in cruce pendenti improperabant prætereuntes, & blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes. Vah, qui deſtruis templum dei &c. *Matth.27. Mar.15.* quando clamabãt, dicentes, Alios ſaluos fecit: ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Iſtæ ſunt ſagittæ diurnæ & apertæ: de quibus Pſal. 56. *Pſal.56.* Filij hominũ dẽtes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Et tamen ab iſtis ſagittis fuit ſcuto veritatis protectus: quia in ipſis tentationibus poſitus: viam veritatis non deſeruit. *Tobie.1.* Prædicta autem duo tentationum genera, ſcilicet occultæ & manifeſtæ, alijs verbis replicat, dicens. *A negocio perambulante in tenebris:* & hoc quo ad tentationem occultam. *Et à dæmonio meridiano:* & hoc quo ad tentationem apertam. Supple ab his liberaberis ſcuto diuinæ veritatis circundatus. Iſtum autem verſum exponens Bernardus per ſagittam volantem in die *Sagitta dicitur vana gloria.* intelligit tentationem vanæ gloriæ: per negocium in tenebris tentationem auaritiæ: ſed per dæmonium meridianum, intelligit ignorantiam boni. Quantum ad primum ait, *A ſagitta volante in die:* time ſagittam leuiter volantem: quæ leuiter penetrat: ſed non leuiter vulnus infligit. Nã ſagitta hæc, vana gloria eſt. Qui feruentiores videntur; ipſi ſibi caueant in hac parte adhuc ſolliciti non deſerere ſcutum inexpugnabilis veritatis. Quid enim aliud tam contrariũ vanitati ſicut veritas? Nec ſane huic opponenda ſagittæ ſecreta illa: & quodam modo intima veritatis exigimus: ſeipſam nouerit anima: de ſe teneat veritatem. Difficile prorſus (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita ſua adduci poterit altum ſapere: ſi ſe intus ad lucem veritatis ſollicita conſideratione diſcutiat. *Negotium in tenebris eſt auaritia ſiue cupiditas.* Quantum ad ſecundum ſubdit: negocium in tenebris planè eſt cupiditas, quæ eſt radix omnis iniquitatis: ambitio; ſubtile malum; ſecretum virus; peſtis occulta; artifex; mater hypocriſis; liuoris parens; viciorum origo; criminum fomes; virtutũ ærugo; tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium; ex remedijs morbos creans; generans ex medicina languorẽ. *Auaritia quantum ſit malum.* Contempſit iſte (ait dæmon) vanam gloriam: quia vana eſt. fortaſſe aliquid ſolidius affectaret; fortè honores; fortè diuitias. Quid verò hunc vermem fouet aliud quàm mentis alienatio, & obliuio veritatis? aut quid niſi veritas hunc prodendum inueſtigat proditorem: & negocium arguit tenebrarum? *Dæmonium meridianum dicitur aperta ſuperbia.* Quantum ad tertium ait, Dæmonium meredianũ aperta ſuperbia: quia dæmon impingit perfectos; vt facile qui currit, incurrat. Hoc eſt dæmoniũ non tãtum diurnum; ſed etiam meredianum &c. Ab his ergo omnibus, ſi ſcuto veritatis circundati fuerimus; protegimur.

1576 Cadēt à latere tuo mille; & decem milia à dextris tuis:ad te autem nō appropinquabit.

Hic ponitur dæmonum deiectio. Et notantur hîc tria:ſcilicet primò dæmonum deiectio: ſecundò Chriſti, & iuſtorum conſeruatio:ibi, Non accedet:tertiò dæmonum conculcatio:ibi, Super aſpidem. Circa primum oſtendit tria:primò quòd dæmones à Chriſto ſuperantur:ſecundò quòd dæmones per Chriſtum puniuntur:ibi,Veruntamen. tertiò quòd humiles per Chriſtum exaltantur:ibi, Quoniam tu es domine. Quātum ad primū ſciendum, quòd in eo quòd Chriſtus tentatus à diabolo ipſum ſuperauit: dæmonum eneruauit poteſtatem:vt etiam à ſuis fidelibus victi ſuccūbāt. Quod notans pſalmiſta dicit, *Cadent à latere tuo mille &c.*

*Latus Chriſti ſiniſtrū ſignificat reprobos: ſed dextrum prędeſtinatos.*

Vbi ſciēdum quòd Chriſtus duo latera dicitur habere:ſcilicet latus dextrum, ad quod collocabuntur in iudicio prædeſtinati: & ſiniſtrum ad quod ponentur præſciti; vt habetur Matth. 25. Per latus ergo dextrum ſignificantur prædeſtinati:& per ſiniſtrum reprobati. Reprobati autem, quandoque ſunt in ſtatu gratiæ; ſicut aliquando fuit Iudas. Et ſic quandoque victoriam dæmonum habent. Prædeſtinati autem multo fortius & pluries ipſos dæmones vincūt. Et hoc oſtēdens primò de præſcitis, dicit Pſalmiſta. *Cadēt à latere tuo mille.* Per latus hic intelligitur latus ſiniſtrum. quod patet:quia ipſum diſtinguit à latere dextro: dicens poſtea, *Et decem milia à dextris tuis*. Et ſic eſt ſenſus. *Cadent à latere tuo mille*,ſcilicet,dæmones,id eſt,ab ipſis etiam præſcitis aliquando dæmones ſuperabuntur. Et ponitur numerus mille determinatus pro numero indeterminato. Vnde mille,id eſt,multi:vel mille dęmones cadent:mille,id eſt, generaliter:quoniam mille ſignificat vniuerſitatem: vt ait Grego. lib. 9. moral. cap. 2. Quia etiam ipſi præſciti in omni genere tētationis quandoque dæmones vincunt. Sed nulli dubium quòd multo plures dæmones vincunt ipſi prædeſtinati, Tum quia frequentius infeſtantur ab ipſis, Illos enim magis tentant dæmones: quos vident meliores:vt dicit Grego. lib. 4. moral. cap. 24. Et lib. 24. cap. 17. Tum etiam quia dæmones maximè homines tentant; quando morti appropinquant:vt dicit Greg. libro 32. mor. cap. 22. Et certum eſt quòd tūc prædeſtinati ſemper de ipſis habent victoriam:ſed nunquam præſciti. Et ſic multo plures vincunt prædeſtinati quam præſciti. Et hoc notans Pſalmiſta poſtquam dixit, quòd mille cadunt à latere,id eſt,præſcitis:ſtatim ſubdit, *Et decem milia à dextris tuis.* Ponitur etiam hic numerus determinatus pro indeterminato. Vt ſit ſenſus, Multo plures vincuntur à prædeſtinatis quam à præſcitis. Vel aliter exponit glo. Notans quòd per latus Chriſti intelliguntur boni: qui cum Chriſto iudicabunt in iudicio. Aſſeſſores enim iudices de latere principis dicuntur vulgato ſermone: ſicut cardinales dicūtur de latere Papæ. Iſti autem erūt omnes illi qui relinquētes omnia:ſecuti ſunt Chriſtum, quibus Chriſtus promiſit, dicēs, Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me: ſedebitis ſuper ſedes duodecim &c. Non eſt enim putādum, quòd ſolū duodecim apoſtolis hoc promiſerit Chriſtus. Alioquin vbi erit Paulus, qui plus omnibus laborauit? Duodecim ergo perfectio eſt tribunalis: in quibus ſedebunt omnes illi qui reliquerunt omnia:& ſecuti ſunt Chriſtū; qui per latus deſignantur. Per dexteras autem intelligitur beatitudo æterna. Plures autem ſunt beati qui non reliquerunt omnia: vt Abraham, Dauid, &c. Vnde plures ſunt qui ſperant beatitudinem, quàm qui ſperant cum Chriſto ſe iudicaturos. Multi etiam ſperant ſe cum Chriſto iudicaturos:qui ab illa ſpe cadent:quia nō radicati per charitatem. Et multo plures ſunt, qui ſperant ſe futuros beatos;qui tamen ab illa ſpe decident. Et hoc notans Pſalmiſta, dicit, O Chriſtè cadent à latere tuo mille. Et decem milia &c. ideſt pauciores ſunt qui præſumunt ſe tecum iudicaturos:& multo plures qui præſumūt ſe à dextris tuis ſeſſuros:qui tamen cadent à preſumptione ſua. Et quamuis illi ſic cadent;talis tamen caſus ad te non appropinquabit:ad te, id eſt, ad tua membra, ſcilicet prædeſtinatos:qui vnum ſunt tecum:quia nullus illorum finaliter cadet.

*Greg. lib. 9. mor. c. 2.*

*Greg. lib. 4. mor. c. 24. & lib. 24. cap. 17. Greg. lib. 32. mor. cap. 22.*

*Latus Chriſti ſignificat illos qui cum illo iudicabunt.*

*Matth. 19.*

*Dextera ſignificat gloriā æternam.*

Veruntamen oculis tuis conſiderabis; & retributionē peccatorum videbis. 1577

*Intentionem attendit Deus non opus. Gre. lib. 28. moral. cap. 13.*

Hîc oſtendit quòd mali per Chriſtum puniuntur. Vbi notandum quòd Deus nō tam conſiderat quod fit: ſed intentionem qua fit principalius attendit:vt oſtendit Greg. 28. moral. cap. 13. dicēs, In euāgelio veritas dicit, Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex; totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit;etiam corpus tuū tenebroſum erit. Quid enim per oculum exprimitur, niſi præueniēs opus ſuum cordis intentio? quæ priuſquam in actione ſe exerceat:hoc iam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis deſignatur, niſi vnaquæque actio:quæ intētionem ſuam quaſi oculum intuentem ſequitur? Lucerna itaque corporis eſt oculus: quia per radicē bonæ intentionis merita illuſtrantur actionis. Et ſi oculus tuus ſimplex fuerit:totum corpus tuum lucidum erit:quia ſi rectè intēdimus per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur: etiam ſi minus bonū eſſe videtur. Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit: quia cum peruerſa intentione quid vel rectum agitur; & ſi ſplēdere coram hominibus cernitur:tamen apud examē interni iudicis obſcuratur. Ex quo apparet, quòd Deus nō intēdit quid quis agat:ſed qua intentione illud agat. Ad propoſitum dæmon à Deo permiſſus tentat bonos:quæ tētatio vtilis eſt bonis: quia per illam cum diabolo certant, & de illo triumphant:& propter victoriam coronam merentur. Quamuis autem ſic tentando bonis proficiat: quia tamen mala intentione hoc facit, ſcilicet, vt eos ad caſum peccati perducat:ideo ſibi imputatur ad delictum: & per hoc amplius ſupplicium meretur. Et hoc eſt quod ait. *Veruntamen oculis tuis conſiderabis*, ſcilicet, tu Chriſte illo lucido aſpectu; quo iudicas hominum corda. Et ſic videbis hoc dæmones mala intentione agere:ideo punies eos. Et hoc eſt, *Et retributionem peccatorum videbis.* Quia bonum quod per neſcientes agitur, non eis retribuetur:ſed malum quod intenderunt;quia non quod faciunt; ſed quod intendūt cōſiderabis. Vel ſecundum Bernardum exponitur de beatis qui oculis ſuis videbūt pænas damnatorum: quod ad minus ipſorum gaudium erit: quia lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam.

*Intentio operi nomen imponit.*

*Bernard.*





1578 Quoniā tu es domine ſpes mea: altiſsimum poſuiſti refugium tuum.

*Refugium eſt altum & baſſum.*

Hic oſtendit quòd humiles; & boni per Chriſtum exaltantur. Hic enim loquitur eccleſia ipſi Chriſto, vt eſt eccleſiæ caput. Vbi ſciendum quod Chriſtus aliquibus eſt refugium altum: aliquibus baſſum. Baſſum eſt refugiū illis qui ad ipſum refugiunt ſolum pro temporalibus bonis habendis:vel moleſtiis temporalibus fugiēdis. Sed altum eſt refugiū bonis & humilibus qui ſolū propter ipſum ad ipſum cōfugiunt, & æternam pænam effugiūt. Et tales ſibi dicere poſſunt. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* ſcilicet teipſum altiſſimum mihi poſuiſti refugium: quia nihil aliud ſpero præter te:nihil aliud fugio, quam ſeparari à te: quoniam tu es ſpes mea. Vnde iſtum verſum exponens Bernardus ait, *Quoniam tu es domine ſpes mea.* Quicquid agendum; quicquid declinandum;quicquid optādum; quicquid tolerandum ſit, Tu es domine ſpes mea. Hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſa: hæc tota ratio meæ expectationis. Prætēdat alter meritum: ſuſtinere ſe iactet pondus diei & æſtus;ieiunare bis in ſabbato ſe dicat; poſtremò non ſicut ceteri hominum ſe eſſe glorietur. mihi autem adherere deo bonum eſt: & ponere in deo ſpem meam. Ponāt alij ſpē ſuam in alijs:hic forte in ſcientia literarum; hic in aſtutia ſeculi: ille in dignitate vel qualibet alia vanitate confidat: propter te ego hæc omnia detrimētum feci:omnia arbitror vt ſtercora. Quoniam tu es domine ſpes mea. Speret qui vult in incerto diuitiarum: ego autem nec ipſa quidē victui neceſſaria, niſi à te ſpero, nimirum fidens in verbo tuo:in quo abieci omnia. Quærite primū regnum dei:& hæc omnia adijcientur vobis. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo. Si inſurgāt aduerſum me prælia;ſi feriat mundus;ſi fremat malignus; ſi ipſa caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ſperabo. Hoc ſapere ex fide neceſſariū eſt:& dicere, Tu es domine ſpes mea. Nec aliud ex ſententia quis dicere poteſt: niſi cui intus à ſpirituſancto ſit perſuaſum iactare cogitatum ſuum in domino. Quis enim ſperauit in eo, & confuſus eſt? De quacūque inquit tribulatione clamauerint ad me;exaudiam eos. Ecce innumeræ ſunt tribulationes:ſed ſecundum multitudinem earum conſolationes lætificauerunt animam meam:dum modo non ad alia cōuertaris:dum modo clames ad eum, dum modo in eum ſperes: nec humile aliquod vel terrenum; ſed altiſſimum ponas refugium tuum. Non enim accedet illuc tētator; non calumniator, non peſſimus ille fratrum accuſator attinget. Sæpe illuc fugiamus, munitus eſt locus; nullus ibi timebitur hoſtis, vt magis illic manere liceat ſemper: ſed nō huius tēporis. Hoc enim quod modo refugiū eſt:poſt habitaculum erit;& habitaculū ſempiternum. Nempe ad omnem tentationem; ad omnem tribulationem;ad omnem cuiuſcunque denique modi neceſſitatem aperta eſt nobis vrbs refugij:ſinus montis expanſus eſt:parata ſunt foramina petræ:patent viſcera miſericordiæ dei. Hoc refugiū qui declinat, æternam pęnam non meretur effugere. Et nota quòd dixit, ſpes mea;plus eſt quam ſi dixiſſet;ſperabo in eum. Conuenientius quippe ſpes noſtra dicitur quod ſperamus;quam in quo ſperamus. Sunt enim forte nōnulli qui à domino obtinere corporalia, vel temporalia concupiſcunt: ſed perfecta charitas; ſolum id quod ſummum eſt, dicente cum propheta. Quid enim mihi eſt in cælo: & à te quid volui ſuper terram &c.

*Bernardus ſpes noſtra Chriſtus.*

*Matth. 6.*

*Refugium noſtrum Chriſtus.*

*Pſal. 72.*

Nō accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. 1579

Hic ponitur Chriſti & iuſtorum conſeruatio. Nota quòd malum eſt duplex, ſcilicet, pænę & culpæ. Similiter & Chriſtus accipitur dupliciter, ſcilicet, ſecundum caput & ſecundum membra. Chriſto autem in ſe non accedet malum culpæ nec pænæ, quia in totum glorificatus eſt:membris autem eius accedet malum pænæ, ſed non culpæ. Diuiditur ergo in tres partes: quia ponitur primò huius conſeruationis beneficium: ſecundò eius miniſterium: ibi, Quoniam angelis ſuis: tertiò miniſterij modum: ibi, In manibus. Quantum ergo ad primum notandum quòd Pſalmiſta in iſto verſu loquitur primò Chriſto vt corpus eſt, dicens, *Non accedet ad te malum.* ſecundò loquitur ſibi vt eſt caput, dicens, *Et flagellum &c.* Quantū ergo ad membrum Chriſti, dicit, *Non accedet ad te malum.* Propriè enim loquendo mali nomine ſolum intelligitur malum quod culpam includit. Nam (vt habetur 15. q. 1. illa cauenda ſunt.) mali nomine illa ſolum intelliguntur, quæ mentem crimine implicāt. Vnde paupertas, ægritudo, mors, & ignobilitas propriè mala non dicuntur. Deus igitur ſuos electos ſic cuſtodit, vt ſaltem finaliter ipſos peccato implicari non permittat. Et hoc eſt quod Pſalmiſta corpori Chriſti, ſcilicet, omnibus prædeſtinatis ait, *Non accedet ad te malum*, ſcilicet, culpæ finaliter:licet multotiens iſtis accedant flagella, & multæ aduerſitates in præſenti:à quibus tamē omnibus finaliter liberantur. Pſal. 33. Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos dominus. Conſequenter loquens Chriſto capiti dicit, *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Per tabernaculum enim intelligitur corpus Chriſti; in quo habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter:vt ait apoſtolus. Iſtud autem tabernaculum vſque ad mortem crucis fuit flagellatum, paſſum, corona ſpinea coronatum, & mortuum:ſed per reſurrectionem factum fuit impaſſibile & immortale: quia Chriſtus reſurgens ex mortuis; iam non moritur:mors illi vltra non dominabitur. Et ideo nulla pæna amplius iſtud tabernaculū lædere poteſt. Et hoc eſt quod hic dicit Chriſto Pſalm. *Et flagellum nō appropinquabit tabernaculo tuo.* quòd autē tabernaculum dicatur corpus Chriſti. vide ſuprà verſicu. 388. 460.

*Malum propriè ſolum dicitur peccatū.*

*Pſal. 33.*

*Tabernaculū dicitur corpus Chriſti. Coloſſ. 2.*

*Rom. 6.*

Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. 1580

Hic ponitur cuſtodiæ iuſtorum miniſterium. Secundum enim Hierony. iſte verſus non intelligitur de Chriſto, quē cuſtodire habeant angeli:quia angelos tanquam dominus ipſe cuſtodit. Sed intelligitur de quolibet ſancto viro: qui angelorum miniſterio cuſtoditur ne cadat in peccatum. Et ſic diabolus falſè iſtum textum allegauit Chriſto:quia de filio Dei dictus non erat. Vnde ait Hierony. ſuper Matth. in Pſal. 90. legimus, quoniam angelis ſuis &c. hoc non de Chriſto;ſed de quolibet ſancto viro prophetia eſt. Male ergo interpretatur diabolus ſcripturas. Nota ergo quòd beati angeli ad cu-

*Hierony.*

*Matth. 4. Hieron.*

*Angeli animas custodiũt. Matth.18.*

ſtodiam animarum iuſtorum ſunt deputati. Vnde Herony. ſuper illo verbo, Matth. 18. Angeli eorum ſemper vidẽt faciem patris mei qui in cælis eſt. ait, Magna dignitas animarum; vt vnaquęque ab ortu ſuo habeat angelum ad ſui cuſtodiam deputatum. Conſimiliter quælibet habet vnum malum angelum deputatum ſibi ad exercitium; vt eorum impugnationibus reſiſtendo, animarum creſcat meritum. Nota ergo quòd angeli boni iuſtos cuſtodiunt, ne cadant tripliciter. Primò dæmones refrenando, ne noceant, vel tentent quantum cupiunt. Exemplum de angelo Tobiæ, qui dæmoniũ compeſcuit ab vxore Tobiæ. Vnde dixit Tobias patri de angelo Raphaele, Dæmoniũ ab vxore mea compeſcuit. Quod quidem faciunt tẽtati augendo virtutem: & tentantis virtutem debilitando. Et ideo conſulit Bernardus in ſermone de angelis, dicens, Quotiens grauiſſima cernitur inſurgere tentatio, vel vehemens tribulatio imminere; inuoca angelũ cuſtodem tuum, ductorem tuũ, adiutorem tuum: non enim dormitat, neque dormit: etiam ſi quandoque ad tẽpus diſſimulare videatur. Et ad iſtum intellectum habetur Apoc. 20. quòd angelus ligauit ſerpentem antiquum qui eſt diabolus: ne amplius ſeducat gentes. Secundò, bonas inſpirationes immittendo. Cuius figura habetur Actuum 12. de angelo Petri; qui Petrum dormientem, & catenis ligatum excitauit, dicens, Surge velociter. Quamuis enim ſecũdum magiſtrum lib. 2. diſt. 12. omnes boni angeli cõmuniter noſtrũ bonum velint: cõmuniterque ſalutem omnium cuſtodiãt; ille tamen angelus qui alicui deputatus eſt ad cuſtodiam; ſpecialiter eum ad bonum excitat, & hortatur. Conſimiliter & quamuis omnes mali angeli generaliter malum omnium hominum deſiderent: magis tamen quemlibet hominem ad malum magis incitat ille malus angelus; qui ſibi eſt ad exercitium deputatus. Figura huius habetur in angelo Philippi, de quo Actuum 8. Angelus domini locutus eſt ad Philippum, dicens, Surge & vade &c. Tertiò ipſos à malis operibus retrahendo. Si enim in conſpectu alicuius hominis quis cauet peccatum verecundia ductus, quanto fortius in præſentia beati angeli ad cuſtodiam cuilibet animæ deputati: qui ſemper & vbique animæ quam cuſtodit, præſens eſt, peccare quilibet erubeſcere debet? Et hoc notat Bernardus in ſermone de quadrageſima, dicens, In quouis loco, in quouis angelo reuerentiam exhibe angelo tuo: nec audeas illo præſente facere: quod me vidẽte nõ auderes. Sic enim angelus Balaam ipſum à peccato præſeruauit, ſcilicet, eum retrahens, ne iret ad maledicendum populo Dei vt diſpoſuerat: quando dixit illi angelus. Ego veni vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria. Iſtud ad intellectum cuſtodiæ angelorum illa ſancta mulier Iudith in ſeipſa experta fuerat. Vnde dicit, Cuſtodiuit me angelus domini: & non permiſit me ancillam ſuam inquinari peccato. Quamuis autem angeli quantum ex ſe eſt; omnes animas à peccatis præſeruent, & cuſtodiant, maximè tamen electos cuſtodiunt: quia magis eis obtemperant. Vnde nunc Pſalmiſta cuilibet iuſto dicit, *Quoniam angelis ſuis Deus mandauit de te* &c. Quantum enim eſt ex parte ſua, quemlibet ſibi deputatum in omnibus ſuis vijs & actionibus cuſtodiunt.

*Tobie 12. Bernard. Apoc. 20. Actuum 12. Actuum 8. Bernard. Nume 22. Judith. 13.*

1581 In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Hic ponitur modus huius cuſtodiæ. Vbi nota quòd iſte verſus de Chriſto exponitur. Sic quòd per pedes Chriſti, intellige ſanctos apoſtolos, euãgeliſtas, & prædicatores, qui Chriſtum, id eſt, eius fidem portauerũt per orbem. vide ſupra verſi. 445. & 768. Lapis autem ſignificat legẽ antiquam, quæ in tabulis lapideis data fuit: quæ fuit lex timoris: quia cum terroribus data fuit: vt habetur Exo. 19. Offendere ergo pedes ad lapidem: eſt ipſos prædicatores offendere in legem timoris in prædicando fidem timore. De Chriſto ergo dicit, quòd angeli manibus portabunt te: quia manibus angelorum Chriſtus ſubleuatus eſt in cælum: non quòd ſine eis rueret, ſed quia obſequebantur regi. Melior eſt enim & nobilior qui portatur, quàm iumentum portans. Quid autem ex hoc factum eſt, quia portatus eſt in cælum? Certè ſtatim poſt apoſtolis & prædicatoribus miſit Spiritum ſanctum. Quo recepto, omnis timor ab eis fuit expulſus: qui ante timidi non audebant verbum Dei loqui. Sed cum magna auctoritate ſine timore prædicabant lapidẽ, id eſt, legem antiquã impletam fuiſſe. Dicat ergo Chriſto. *In manibus portabunt te*, ſcilicet, angeli in cœlum: vt mittas tuis pedibus Spiritumſanctum. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: id eſt, ne fortè apoſtoli offendant timore. vel ad lapidem, id eſt, prædicent legem in lapidibus datam eſſe ſeruandam. Vel ſecundum Bernardum iſte verſus intelligitur etiam de quolibet iuſto, quem angeli ſancti in manibus portant: quia non patientur eum tentari ſupra id quod poteſt: ſed in manibus, id eſt, in auxiliis ſuis tollent eum, vt pertranſeat offendiculum. quàm facilè tranſit foueam, qui portatur manibus. quàm mũdè lutum tranſit, qui manibus ſuſtinetur. quàm facilè natat aquam, cuius alter ſuſtinet mentum. Qui ergo angelorum portatur auxilio, ad lapidem non offendit. Sed quis eſt iſte lapis? Ego iſtũ lapidem intelligo Chriſtum: qui eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali. In quem ſi quis offenderit, colliditur: ſuper quẽ verò ceciderit, conteret eum. In hunc lapidem offendunt: qui contra Chriſtum peccant.

*Exo. 19. Bernard.*

1582 Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem.

Hic ponitur dæmonum conculcatio. Vbi notandum, quòd ſicut Chriſtus diuerſis nominibus nuncupatur, ſecundum diuerſas virtutes quas habet: Vnde vocatur leo propter fortitudinẽ: agnus propter manſuetudinem: lapis propter fundationis ſtabilitatem. Sic econtra diabolus ſecundum diuerſa eius vitia nomina habet diuerſa. Vnde vt hic ait glo. hæc nomina hic poſita diabolo conueniunt. Ipſe enim eſt aſpis, cùm occultè percutit. Ipſe eſt baſiliſcus, cùm palã venenat. Baſiliſcus enim rex ſerpentum eſt, & nocet flatu. Leo eſt, dum perſequitur violenter. Leo enim rex animalium viribus nocet. Draco eſt, cùm deuorat negligentes. Per iſta ergo omnia nomina hic intelligitur diabolus. Super ergo diabolũ iſtis nominibus ſignificatum Chriſtus ambulauit, & ipſum conculcauit, quando ipſum diabolum tentantem ſuperauit: & poteſtatem ſuis fidelibus dedit ipſum conculcandi. Vel ipſum conculcauit: quando per ſuam paſſionem ipſum eiecit à cordibus fidelium. Vel aliter ſecundum Bernardum iſtis nominibus intelliguntur diuerſa genera vitiorum: quæ vir iuſtus auxilio Dei fultus, conculcat. Vnde ait ſuper iſto verſu. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis &c.* Quid inter iſta faceret pes humanus? quid humanæ affectionis inter tam horribilia monſtra cõſtaret? Iſta enim ſunt nequitiæ ſpirituales: quæ quidem ex diuerſis officijs, vel potius maleficijs diuerſa vocabula ſortiuntur. Alius quidem aſpis, alius baſiliſcus, alius leo, alius draco: quòd ſcilicet variè noceant. Alius morſu, alius viſu, alius rugitu vel ictu, alius flatu. Et conſequenter declarat ſingula: primò de aſpide, dicẽs, Aſpis eſt obſtinatio: quia aſpis alteram aurem preſſius quam poteſt terræ infigere ſolet: & alteram cauda obturare, ne audiat vocem &c. Quid ad hãc, ſcilicet aſpidem incãtionis vox: quid faciat ſermo prædicantis? Nouerit tamẽ vir pertinax non ſe cælo, ſed ſolo terrę infigere: ne ſapientiã quæ de cælo eſt, non ſolum pudica, ſed etiã pacifica non audiat: quã audiret ſi cauda non obturaret auditum. Cauda hæc finis eſt vitæ, quẽ conſiderare recuſat. Terra verò alteram claudit aurem terrenis intẽtus. De aſpide vide ſupra verſic. 871. Conſequenter declarat quid ſit baſiliſcus dicẽs, Baſiliſcus (vt naturales dicunt) venenum gerit in oculo: peſſimum animal & præ omnibus execrabile. Noſſe cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum faſcinatum? inuidiam cogita. Quid enim eſt inuidere, niſi malum videre? Si non fuiſſet baſiliſcus, nunquam eius inuidia mors intraſſet in orbem terrarum. Væ miſero homini, qui inuidum non præuidit. Superemus hũc inuidũ, dum viuimus: ſi poſt mortem volumus miniſtrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum inuido reſpiciat oculo. Neque hoc ipſum quãtum in ſe eſt interficiat. Si enim qui odit hominem illum homicidam veritas teſtatur: quid & ille qui bonum odit in homine: nunquid ille homicida poterit appellari? Conſequenter de dracone ſequitur, dicẽs, Immanis beſtia eſt draco: flatu igneo quicquid attigerit, necat: nõ ſolùm beſtias terræ: ſed etiam volucres cæli. Hic eſt iracundiæ ſpiritus. Quãtos enim ſublimis vitæ flatu huius draconis miſerè ſatis aduſtos turpiter in os eius ingemiſcimus cecidiſſe. Quam melius ſibi iraſci potuerant ne peccarent. Nimirum affectio naturalis ira hominum eſt: ſed abutẽtibus bono: non miſeranda pernicies eſt. Occupanda eſt ira in quibus expedit: ne forte ad illicita prorumpat. Nolite iraſci eis qui vobis tranſitoria auferunt, qui conuitia inferunt, qui ingerunt forte ſupplicia: & propter hoc faciũt nihil. Iraſcimini iniquitati veſtræ. Nulla enim nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Hinc nimirum non modo manſuetudo oritur cui draconis flatus non noceat: ſed etiam magnanimitas quam rugitus leonis non terreat. Conſequenter de bonitate dicit. Aduerſarius videtur tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. ſed gratias leoni de tribu Iuda: rugire poteſt ille: ferire non poteſt. Ad rugitum quidem leonis nulla beſtia ſtare poteſt: & plerumque ſuperat ferientem, qui non ſuſtinet rugiẽtem. Verè beſtia, verè rationis expers quæ ſolo timore cedit: qui victus ante conflictum, non telo, ſed tuba proſternitur. Hæc eſt quidem tentatio quæ corporalis neceſſitatis occaſione animum turbat.

*Diabolus dicitur aſpis baſiliſcus leo & draco. Bernard. Aſpis ſignificat obſtinatos. Baſiliſcus ſignificat inuidos. Draco ſignificat iracundos. Leo ſignificat timorẽ pauperitatis.*



1583 Quoniam in me ſperauit, & ego liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Hic ſequitur virorum exaltatio quæ in tribus cõſiſtit. Quoniam iuſti in ſuis certaminibus à Deo proteguntur: ſecundò à Deo aſſociantur: ibi, Clamabit. tertiò à Deo coronantur: ibi, Longitudine. Quantum ad primum ſciẽdum quòd iſta ſunt verba patris de Chriſto, dicens, *Quoniam in me ſperauit*. Licet enim in Chriſto non fuerit propriè ſpes, quę eſt certa expectatio futuræ beatitudinis: quia à primo inſtanti cõceptionis ſuæ verè fuit beatus: nondum tamen habebat corpus impaſſibile: ſed multis paſſionibus ſubditum: & ſecundum hoc ſperabat quòd merito ſuæ paſſionis reſurgeret cũ corpore impaſſibili: per quam reſurrectionem ab omnibus penitus liberatus eſſet. Et hoc eſt quod pater dicit, *Quoniam in me ſperauit*: cõfidens certiſſimè immortalem ſe reſurrecturum. *Et ego liberabo eum*, ſcilicet, à morte ipſum reſuſcitando. *Protegam eum*, ſcilicet, ne amplius pati poſſit, vel mori. *Quoniam cognouit nomen meum*, id eſt, rem & virtutem quæ per nomen Dei importatur. Nomen enim Dei eſt dominus: vide ſupra verſi. 100. Dominus autem eſt nomen poteſtatis. Quid eſt ergo cognoſcere nomen domini, niſi cognoſcere deum eſſe omnipotentem? Vel etiam poteſt iſte verſus legi de Chriſto: non ſecundum quòd eſt caput, ſed ſecundum quòd eſt corpus, ſcilicet, de mẽbris ſuis. Et eodem modo exponitur, ſcilicet, de finali reſurrectione. Iſtum autem verſum ſic exponit Bernard. dicens. Quoniam in me ſperauit, &c. Dulciſſima liberalitas eſt in ſe ſperantibus non deeſſe. Quoniam inquit in me ſperauit: & ego liberabo eum. Protegam eum, id eſt, conſeruabo eum. Si tamẽ cognouerit nomen meum, id eſt, non ſibi tribuat quòd liberatus eſt: ſed nomini meo det gloriam. Protegam ergo eum, quoniam cognouit nomen meum. Non nouit nomẽ eius qui illud aſſumit in vanum: qui dicit ei, domine domine, & non facit quod dicit ipſe. Non nouit nomen eius, qui eum nec honorat, nec patrem, nec timet vt dominum. Nos autem ſi nouimus nomen ſanctum quod inuocatum eſt ſuper nos: deſiderandum eſt, vt ſemper ſanctificetur in nobis.

*Spes quomodo fuit in Chriſto. Bernard. Nomẽ domini cognoſcere quid eſt.*

Clamauit ad me & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. 1584

Hic oſtendit quòd iuſti in tribulationibus à Deo aſſociantur. Si enim iſte textus de Chriſto capite intelligatur, certum eſt quòd multis clamauit ad patrem orando. Et quòd omnis eius oratio fuit exaudita, non ſolum quo ad vtilitatem, vt orationes aliorum iuſtorum: ſed etiam quo ad votũ. vide ſupra verſi. 190. & 292. & 365. & 406. & 506. 1105. Etiam qualiter Chriſtus multotiens clamauit & multipliciter. vide ſupra verſi. 399. Si autẽ de corpore Chriſti intelligatur, certum eſt quòd omnis iuſtorum oratio à domino exauditur. Et ſi nõ quo ad votum, ſaltem quo ad vtilitatem: quod eſt melius. quia multotiens exaudiri ad votum eſt cauſa perditionis. ſicut patet de infirmo corporaliter: qui inſtãter poſtulat quod medicus ſibi mortifera nouit. de hoc vide ſupra verſi. 74. & 294. & 516. Et nota hic magnam Dei miſericordiam: quia omnem deuotè clamantem exaudit. Quod hic notans

*Oratio quæ meretur exaudiri.*

Bernar

Bernardus ait, *Clamauit ad me & ego exaudiam eum.* Fructus notitiæ domini eſt clamor orationis. Porro fructus clamoris eſt exauditio ſaluatoris. Clamauit ad me &c. Hoc plane eſt teſtamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactũ miſericordiæ, & miſerationis. Non enim dixit exaudiam eum; quia dignus fuit, quia iuſtus fuit, & rectus, innocẽs manibus, & mundo corde: propterea liberabo eum. Si enim hæc aut ſimilia diceret: quis non diffideret? Quis gloriabitur ſe caſtum habere cor? Dulcis vox, quæ meritum exauditionis in clamore conſtituit poſtulationis. Clamauit, inquit, ad me, & ego exaudiam eum. Meritò nõ exauditur, qui clamare diſſimulat: aut omnino non poſtulans, aut tæpidè poſtulans & remiſſè. Siquidem in Dei auribus deſiderium veniens clamor magnus eſt: remiſſa autem intentio vox ſubmiſſa. Quid autem clamans poſtulat, niſi liberationem, conſolationem, & glorificationem? Exaudiam eum, inquit. In quo domine vel in quibus? Sequitur. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Poſſumus nobis hunc ternarium aſſignare. In vita enim præſenti in tribulationibus nobiſcum eſt, cõſolatur nos. In morte eripiet nos, quando iam nihil quod animæ vel corpori faciat mundus habebit. In reſurrectione glorificabit, quando ſurget in gloria quod in ignominia ſeminatur. Vnde verò ſcimus quòd nobiſcum ſit in tribulatione? Ex eo quòd in ipſa tribulatione ſubſiſtimus. Quis enim ſuſtinet ſine ipſo? Clamemus in cælum, vt exaudiamur. Et qui in cælis eſt, ipſe nobis mittat auxilium de ſancto, mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tẽtatione, glorificet in reſurrectione. Ex tua Domine promiſſione ſperamus hęc: inde audemus dicere, ſi corde rogamus pio, certe exaudire debes ex promiſſo.

*Clamor orationis meretur exaudiri.*

1585 Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Hic ponitur quòd iuſti à Deo coronantur. Vbi notandum quòd dierum longitudo ſignificat gloriam æternam: in qua dies nocte non terminatur, ſed ſine fine perſeuerat. Pſal. 118. Ordinatione tua perſeuerat dies. Vnde de quolibet beato dicitur: Longitudo dierum in dextera illius: & in ſiniſtra diuitiæ & gloria. Vbi dexteram accipit pro anima: ſed ſiniſtram pro corpore. Dicit ergo, *Longitudine dierum replebo eum*, id eſt, gloria æterna illum ſatiabo, ſic quòd amplius nihil deſiderare poſſit: quia ibi omne quod deſiderabitur, aderit. vnde beatorum capacitas repleta ſicut vas repletum alia recipere non poteſt. Sed qualiter beati ſaturabuntur & replebuntur, oſtẽdit, dicens, quòd oſtendam illi, ſcilicet, ſalutare meum, ſcilicet, Chriſtum qui ſalutare dicitur, id eſt, ſaluator. vide verſi. 105. & 146. & 155. & 272. & 662. & 979. & 1043. In viſione enim Chriſti noſtra beatitudo perfecta conſiſtit. Quoniam in ipſo ratione diuinitatis beatificatur anima: & in viſione humanitatis corpus. Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. vide ſupra verſi. 1390. & 1453. Iſtum autẽ verſum ſic exponit Bernardus. *Longitudine dierum replebo eum.* Congruus finis Pſalmi: vbi pſallẽti finis promittitur tam beatus, & bonus finis, qui finem non habet. Et ſanè, quoniam cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt. Amplectamur igitur ſanctificationem: quoniam finis eius vita eſt ſine fine. Hæc enim vita qua hic viuimus, magis mors eſt: nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis. Quid enim agimus ex quo primum incipimus viuere, niſi morti appropinquare, & incipere mori? Ibi verè viuitur, vbi viuida vita eſt & vitalis. Gratias deo: vbi dies boni, ibi interminabilis longitudo dierum. Eorum verò dierum paucitas finietur breui, quorum ſufficit cuique malitia ſua. Et nota quòd in hoc quod dicit, *Longitudine dierum:* non viciſſitudinẽ voluit commendare. Alioquin melior eſt dies vna in atrijs ſuper millia. Legimus ſanctos viros etiam à diebus noſtris plenos migraſſe dierum: quod non aliud quam plenos intelligimus gratiarũ. Nimirum vſque ad hãc plenitudinẽ vel de die in diem, de claritate in claritatem: non quidem à ſuo, ſed à Domini ſpiritu transformamur. Si ergo dies gratia dicitur: quomodo non magis verus dies & plenus meridies dicatur gloriæ plenitudo? *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* Ac ſi dicat, Scio quid deſideret, quid ſitiat, quid ſapiat ei. Non enim argẽtum, non aurum ſapit, non voluptas, non curioſitas, non dignitas ſecularis. Non ignorat ad cuius imaginem conditus ſit, cuius magnitudinis capax eſt, nec ſuſtinet de modico creſcere, vt de maximo minuatur. Itaque longitudine dierum replebo eum. Quem niſi lux vera reficere, niſi æterna replere nõ poteſt. Si quidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occaſum, nec ſatietas illa faſtidium habet. Erit enim ſecuritas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de ſocietate. Lõgitudine, inquit, dierum replebo eum. Et tanquam quærens vnde illi dies in ciuitate: de qua legimus, quòd nõ lucebit ibi ſol per diẽ: nox non erit in ea. ſubdit, *Oſtendam illi ſalutare meum:* niſi quẽadmodum ſcriptum eſt, In illa lucerna eius ſit agnus: oſtendam illi ſalutare meum. Iam enim ibi non erudiar, in ſpe non exercebor: ſed in ſpecie adimplebo. Oſtendam illi ſalutare meum: vt in æternum ibi videat, in quem credidit, quem ſemper optauit.

*Longitudo dierũ dicitur gloria cæli.*
*Prouer. 3.*
*Ioan. 17.*
*Vita præſens mors dicitur.*
*Viuere noſtrũ eſt mori.*
*Dierum longitudo eſt gratiarum plenitudo.*
*Dies gratia dicitur.*
*Pſal. 120.*
*Apoc. 21.*

## PSALM. XCI.

BOnum eſt confiteri domino: & pſallere nomini tuo altiſsime. 1586

Titulus huius Pſalmi eſt. Pſalmus cantici in die ſabbathi. Pro cuius expoſitione ſciendum quòd quamuis ſabbathum multipliciter accipiatur: vt dictum fuit ſupra verſi. 334. tamẽ aliter hic diſtinguendum eſt, ſcilicet, quòd ſabbathum ſecundum glo. hic accipitur tripliciter. Eſt enim triplex ſabbathum, ſcilicet, ſabbathum temporis, pectoris, & æternitatis. Sabbathum temporis eſt dies ſeptimus ſeptimanæ: quo poſt omnia ſex dierũ opera quieuiſſe dicitur (aliàs legitur) per hoc nos docens in præſenti vita, quę velut ſex diebus, id eſt, ſex ætatibus deducitur, laborare vt in futuro quieſcamus. In cuius figuram ſabbathum temporis in lege veteri dies quietis ab omni opere vacans colebatur. Et dicitur ſabbathum à ſabba, quòd eſt ſeptem ſecundum Hebræos: quia ſit ſeptimus dies ſeptimanæ. Vel ſecundum gentiles dicitur ſabbathum à Saturno: quia Saturnus planeta dominatur in prima hora illius diei. Ponunt enim ſeptem dies in ſeptimana ſecundum numerum ſeptem planetarum: ſic quòd quælibet dies denominatur ab illo planeta, qui dominatur in prima hora illius diei. Sunt enim in die naturali viginti quattuor horæ: & planetæ ſunt ſeptem, ſcilicet Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. In prima ergo hora ſabbathi dominatur Saturnus, in ſecunda Iupiter, & ſic per ordinem. Quibus ſeptẽ planetis cõpletis conſequenter reincipiut: ſic quòd in octaua hora dominatur Saturnus, in nona Iupiter &c. & in quinta decima Luna. Iterum reincipiendo, in ſexta decima Saturnus, in ſeptima decima Iupiter &c. etiam vigeſima prima Luna. Iterum incipiẽdo in vigeſima ſecunda Saturnus: in vigeſima tertia Iupiter: in vigeſima quarta Mars. Et ſic cõſequenter in prima hora ſequentis diei dominatur Sol, à quo dicitur dies dominicus. Et ſic procedendo in prima hora alterius diei dominabitur Luna, à qua dicitur dies lunæ. Et ſic de ſingulis continuè procedendo. Secundum dicitur ſabbathum pectoris vel mentis: quod nihil aliud eſt, quam tranquillitas & quies bonæ conſcientiæ ex ſpe beatitudinis futuræ: vt hic non turbetur aduerſis ſeculi: ſed laborem patienter toleret, vt mercenarius ſpe præmij in fine diei percipiendi. Et iſtud ſabbathũ conſcientiæ, duo principalia requirit. Primum vt omnia tua bona Deo attribuas. Secundum vt omnia mala tua tibi. Tertium eſt ſabbathum æternitatis, ſcilicet requies æternæ beatitudinis: pro qua habenda in pręſenti vita continuè laborare debemus deo ſeruiẽdo. Et de duobus vltimis ſabbathis agit iſte pſalmus ſcilicet de ſabbatho conſcientiæ & æternitatis: oſtendens quòd hic eſt habendum ſabbathum conſcientiæ, vt tandem poſt hanc vitam habeatur ſabbathum gloriæ. Item notandum vt dictum eſt ſuperius, quòd pſalmus qui dicitur à pſalterio, quod manu pulſatur: ſignificat bonam operationem: canticum verò lætitiam mentis, & exultationem. Eſt ergo ſenſus tituli talis. Pſalmus iſte per quem notatur bona operatio, eſt cantici, ideſt, exultationis mentis: & hoc in die ſabbathi, ideſt, ex conſideratione æternæ beatitudinis. Et nihil aliud eſt dicere, niſi iſte pſalmus agit de bona operatione hîc habenda cum exultatione mentis ex ſpe futuræ beatitudinis. De auctore vero iſtius pſalmi, dicũt Hebræi, quòd Moyſes ipſum fecit ad decantandum in die ſabbathi: quæ erat celebris in memoriam beneficij creationis. Diuiditur autem pſalmus iſte in tres partes: quia primò oſtendit quomodo ſabbathũ mentis à bonis agitur: ſecundò qualiter ſabbathum mentis à malis perditur: ibi, Cum exorti. tertiò qualiter ſabbathum æternitatis iuſtis traditur: ibi, Et exaltabitur. Quantum ad primum ſciendum quòd ſabbathum mentis conſiſtit in quinque: ſecundum quæ prima pars diuiditur. Conſiſtit enim primò in diuinæ laudis exaltatione: ſecundò in ſui & ſuorum perfecta cognitione: ibi, Ad annunciandũ. tertiò in præceptorum dei obſeruatione: ibi, In decacordo. quartò in gratiarũ actione: ibi, Quia delectaſti. quintò, in fideli deo adhæſione: ibi, Quàm magnificata. Quãtũ ad primũ ſciendũ quòd quãuis confeſſio ſacramentalis ſit bona, qua quis deo & vicario ſuo peccata ſua cõfitetur: vt dicitur Pſal. 31. Dixi, cõfitebor domino; & tu remiſiſti &c. tamen de iſta hic non loquitur: ſed de confeſſione laudis, qua deus à creatura ſua laudatur, colitur & adoratur. de qua vide ſuprà verſi. 81. &. 91. 250. 1236. & 1868. Et de iſta confeſſione laudis dicit, *Bonum eſt confiteri domino.* Et quia talis confeſſio non ſolum fit corde, ſed etiam voce, ſicut clerici alta voce cantando & pſallendo in choro deum laudant: ideo additur. *Et pſallere nomini tuo altiſſime.* Et hic nota quòd aliquid dicitur bonum multipliciter: ſecundum quod triplicia ſunt bona. vide ſupra verſiculo 1014.

*Sabbathũ triplex.*
*Pſal. 31.*



Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. 1587

Hic ponitur ſecũdum quod requiritur, ſcilicet, ſuiipſius perfecta cognitio. Homo enim habet duo, ſcilicet, aduerſa & proſpera: ſeipſum in vtroque ſtatu debet cognoſcere: & tempore proſperitatis annunciare mane miſericordiam Dei: & tempore aduerſitatis annunciare debet per noctem veritatem Dei. Vbi ſciendum quòd in ſtatu vtroque nos inſequitur diabolus, ſcilicet, in ſtatu proſperitatis vt cadere faciat per elationem: & in ſtatu aduerſitatis vt faciat cadere per impatientiam. Status autem proſperitatis per diem vel mane ſignificatur: & aduerſitatis per noctem. Vnde Greg. 2. moral. c. 9. dicit, Sacra ſcriptura ſæpe diem pro proſperis, & noctem pro aduerſis ponere conſueuit. In die autem & in nocte nos perſequitur dæmõ: quia modo nos in proſperis, modo in aduerſis nos ante Deum accuſabiles contendit oſtendere. In die accuſat, cũ nos proſperis malè vti inſinuat. In nocte accuſat, cum in aduerſis nos impatientiam habere demonſtrat. Ad hoc autem ſummum remedium eſt, vt in ſtatu proſperitatis totum quicquid boni habes & proſperitatis, cognoſcas talia bona non eſſe tua, ſed Dei: illa non habere à te, ſed à Deo: illa non habere meritis tuis, ſed ſolum per miſericordiam Dei. Et hoc notans hic pſalmiſta dicit, *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam.* hoc eſt, debes eſſe paratus mane, ideſt, tempore proſperitatis ad annunciandum miſericordiam tuam, ideſt, ad confitendum & prædicandum quòd bonum quod habes eſt à miſericordia Dei. In ſtatu autem aduerſitatis debes cognoſcere mala tua: & quòd talia aduerſa meruiſti: & ſic confiteri veritatem Dei, ideſt, iuſtitiam per noctem, ſcilicet, aduerſitatis: vt hic ait glo. *Ad annunciandum mane &c.* ideſt, quando bene eſt tibi. lauda miſericordiam Dei. *Et veritatem tuam per noctem.* ideſt, quando malè eſt tibi, annuncia veritatem, ideſt, iuſticiam Dei, non crudelitatẽ, quia ipſe iuſtè flagellat. Et eſt ſenſus. In proſperis quæ per mane intelliguntur: lauda diuinam miſericordiam: in aduerſis, quæ per noctem: lauda iuſticiam. Et hoc eſt quod in primo verſiculo præmiſit, dicens, Bonum eſt confiteri: vt ſcilicet mala nobis: ſed bona Deo tribuamus. Cuius oppoſitum faciunt peruerſi: qui bona ſibi tribuunt, mala verò vel ſathanæ quaſi coegerit, vel fato ſtellarum quòd eſt accuſare creatorem: vel apertè Deo attribuunt: quaſi hoc ipſe voluerit.

*Nox aduerſa dies proſpera ſignificat.*
*Proſpera ſunt ex miſericordia Dei: aduerſa ex iuſticia.*

In decachordo pſalterio: cum cantico in cithara. 1588

Hic ponitur tertiũ, ſcilicet, mandatorum obſeruatio. Vbi ſciendum quod pſalterium, quoddam eſt inſtrumẽtum muſicum decem chordas habẽs: quod manu pulſatur, quo Dauid cõmuniter laudes Deo reſonabat. ſicut modo cum organis in choro Dei laudes canimus. Et ſignificat obſeruationem decem mandatorum Dei. Nam in hoc quod decẽ chordas habet, ſignificat decem præcepta. In eo verò quod manu pulſatur, ſignificat quòd illa opere

re debent impleri : quia per manum opera ſignificatur. Laudabatur etiam Deus voce,& alijs muſicis inſtrumentis.Quæ omnia myſticè oſtendebãt qualiter Deus à nobis debet laudari : quia ſcilicet operę per obſeruantiam mãdatorum.Et ideo dicit, quòd debemus eum laudare in pſalterio decachordo & in cithara.Debemus etiam laudare voce:ideo ait, *Cum cantico*. Vel per canticum intelligit mentis exultationem : quia non ſolum laus diuina debet eſſe cum exultatione mentis:immo etiam omnia noſtra bona opera hilaritatem debent habere. Et hoc eſt quod hic ait glo. Deum laudare debemus in decachordo pſalterio,id eſt, per obſeruantiam decem præceptorum. *Cum cantico*, id eſt,cum mentis hilaritate. Qui enim cum hilaritate bene agit:cum cantico pſallit. Quicquid enim cum hilaritate facis, bene facis. Qui autem cum triſticia bene facit, de eo fit,non ipſe facit. & portat pſalterium:ſed non ipſe cãtat in eo. Per citharam autem myſticeintelligitur carnis mortificati o ſiue aſperi tas pænitentiæ:vt patet ſuprà verſi. 481. Et ſic ille laudat Deum cum cantico in cithara:qui in carnis mortificatione exultat & in actibus pænitentiæ.

## 1589 Quia delectaſti me Domine in factura tua:& in operibus manuum tuarum exultabo.

Hic ponitur quartum quod eſt gratiarũ actio. Nos enim factura Dei ſumus : quoniam ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Non ſolum autem nos ſumus Dei factura,ſed etiam omne bonum opus quod eſt in nobis, ab illo factum eſt,ſine quo factum eſt nihil. Vnde ad Ephe. 2. Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Quis enim cogitans ſe facturam Dei, non Deo gratias agat,Et attende quòd homo propriè dicitur factura Dei.Sapientia enim artificis in factura ſua lucet, & effectus factoris oſtendit artem. Et per conſequens ille effectus qui magis ſapiẽtiam Dei oſtendit in quo magis ars relucet artificis Dei : ille effectus præ alijs artificis factura vocatur. Cùm ergo inter omnes creaturas diuina ſapientia magis relucea in homine:& homo magis ipſum Deum artificem repræſentet:ſequitur quòd homo ſingulariter factura Dei dicitur.Quid eſt ergo delectari in factura Dei, niſi ſe cognoſcere Dei facturam eſſe? Et in hoc delectatur Deum recognoſcendo factorem ſuũ:quia in homine ſicut in pulchriori effectu Dei magis relucet bonitas Dei : quæ conſideratio delectationem ingerit menti. Sic enim videmus naturaliter quòd quanto res corporalis pulchrior eſt oculis corporalibus præſentata:maiorem delectationem ingerit ſenſibus. Vnde ſicut naturaliter maior eſt delectatio videre vnã pulchram picturã quàm turpem : & vnum pulchrum equum, quàm turpem : & vnum pulchrum hominem quàm turpem : & vnam pulchram mulierem : nec in huiuſmodi viſione delectari eſt peccatũ : quia eſt naturale : niſi in huius conſideratione corrumpatur. Sic & de viſione intellectiua maximè iuſtus delectatur in factura Dei,quæ eſt homo : eo quòd inter cæteras creaturas corporales ſit pulchrior:vt,ſcilicet,delectatio habita in conſideratione facturæ nõ ibi terminetur : ſed referatur ad Deum. Pſal. 103. Ego vero delectabor in domino.Notandum tamen quòd quamuis delectari in factura Dei ipſam videndo etiam corporaliter nõ ſit peccatum : quia tamen procuratione dæmonis viſus talis facturæ, vt puta vel virorum vel mulierũ:multotiens inclinat mentem ad concupiſcẽtiam:tutius eſt ab ipſarũ aſpectu oculos auertere. Cuius figura & exemplum habetur de Dauid:qui videns Berſabe,ſtatim concupiſcentia fuit captus &c. Sichem filius Hemor videns Dinam. Preſbiteri ſenes videntes Suſannam &c.Sequitur, *Et in operibus manuum tuarum exultabo.* Opera manuum Dei ſunt, bona opera noſtra quæ ipſe facit in nobis, Eſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. In quibus tunc quis exultat:quando illa non ſibi,ſed Deo attribuit. Vnde ait glo. In operibus manuũ tuarum exultabo, id eſt, in eo bono quod in me facis. tu enim feciſti,ſi bene ago.Vnde apoſtolus ad Eph. 2. Ipſius enim factura ſumus creati in bonis operibus.Niſi enim te formaret Deus ad bona opera:nõ noſceres niſi peccatum. Dicat ergo *Et in operibus manuum tuarum exultabo*, id eſt:ſi quid boni ago,de te exulto. Nota quòd delectari eſt quaſi proprium hominis : cum nulla res ſit, quæ tantum declaret conditionem hominis : ſicut facit delectatio.Quia quilibet homo talis poteſt nominari, quale eſt illud in quo delectatur. Sic enim virtuoſus dicitur qui delectatur in virtutibus & operibus virtuoſis. Sic iuſtus dicitur qui in iuſtis : voluptuoſus qui in voluptatibus : & ſic de ſingulis. Vnde ſecundum Philoſophũ 2. ethi. Delectatio eſt morũ regulatiua per modum finis. Vnde qui delectatur in pecunijs dat ſe operibus mercationum quibus pecunia acquiritur.Qui delectatur in militia,dat ſe operibus ſtrenuitatis. Et ſic vnuſquique ordinat ſe ſecũdum illud in quo ponit ſuam delectationem. Et ideo principale quod in ſe debent notare homines,vel in illis quos habent corrigere,eſt vtrum delectatio eorum ſit ordinata vel non. Et ſi non ſit ordinata, vt virga dicatur ad oppoſitum, quia per aſſuefactionem ad cõtrarium debet reduci ad oppoſitum quouſque conſiſtat in eo:vt faciunt dirigentes ligna tortuoſa, qui ipſa magis ad oppoſitum plicant.

*Ephe. 2.*

*Factura Dei dicitur homo.*

*Viſio mulierũ non eſt peccatum.*

*Pſal. 103.*

*2. Reg. 11.*
*Gen. 34.*
*Dan. 13.*

*Bona opera noſtra deus operatur.*

*Eph. 2.*

*Philoſophus.*

## 1590 Quàm magnificata ſunt opera tua domine : nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.

Hic ponitur quintum quod eſt Deo fidelis adhæſio.Opera Dei à nobis diſcuti ratione non poſſunt, vt puta quòd Petrum prædeſtinauit ab æterno, & Iudã reprobauit. quod Iacob elegit,& Eſau odio habuit antequam nati eſſent,& aliquid boni vel mali egiſſent,quòd aliqui malè viuũt, & tamen in mũdo dominãtur & florent, virtuoſi autem ſuppeditãtur & egẽt, Ab æterno enim omnia iſta præuidit ſine noſtris meritis vel demeritis. Et ideo iſta Dei opera dicũtur magnificata, quia ſupra intellectũ noſtrũ magnificata.Iſta ergo nõ debemus diſcutere,ſed deo ſimpliciter adhærere, credentes quòd ipſe omnia ſanctè & iuſtè diſpoſuit.Vnde Greg. 25. moral. cap. 18. dicit, Nemo diſcutiat cur ſtante iudaico populo, dudum in infidelitate gentilitas iacuit. & cur ad fidem gentilitate ſurgente, Iudaicum populum infidelitatis culpa proſtrauit.Nemo diſcutiat cur alius trahitur ex dono, alius vero repelitur ex iudicio. Si enim gentilitatem mirari aſſumptam ipſo cõcedente pacem, quis eſt qui condemnet? Si Iudæam obſtupeſcis perditam, ex quo abſconderit vultum ſuum,quis eſt qui contempletur eam? Itaque conſilium ſummæ & occultæ virtutis,ſatisfactio ſit apertæ rationis. Vnde in euangelio cum de eius rei cauſa dominus loqueretur, ait,Confiteor tibi domine pater cæli & terræ:quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus : & reuelaſti ea paruulis. Ita pater. Atque mox tanquam rationem quandam abſconſionis atque reuelationis adiungens, ait, Quia ſic fuit placitum ante te. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus : ne temerè diſcutere ſuperna conſilia de aliorum vocatione:aliorum verò repulſione præſumamus. Cum enim intuliſſet vtrumque, non mox rationem reddidit,ſed hoc deo placitum dixit : hoc videlicet oſtendẽns quòd iniuſtum eſſe nõ poteſt quod placuit iuſto. Qualiter etiam opera Dei ſunt ſupra noſtrũ intellectum magnificata: vide ſuprà verſi. 1182. Et hoc eſt quod dicitur Pſal. 138. Confitebor tibi, quia mirabiliter magnificatus es mirabilia opera tua.Merito ergo nunc dicat pſalmiſta:quàm magnificata ſunt opera tua domine,ſcilicet, pluſquam valeamus intelligere. Sequitur. *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* Quid enim ſunt Dei cogitationes, niſi eius æternalis rerum diſpoſitio, prouidentia & ordinatio ? quæ dicuntur profundæ,quia occultæ : & in profundum radicatæ. Quanto enim arbor profundius radicatur,ſtabilior perſiſtit. Sic diuinæ cogitationes ſunt nobis mortalibus occultæ : quia neſcimus quid finaliter de nobis cogitet. Et ſunt ſtabiliter radicatæ:quia nullus illas permutare poteſt. Vnde Iob. 23. Nemo poteſt auertere cogitationes eius. Quod exponẽs Greg. 16. mor. c. 18. ait, Sicut enim Deus natura eſt immutabilis : ita immutabilis eſt eius cogitare. Cogitationẽ ergo eius nullus auertit:quia nemo reſiſtere occultis eius iudicijs poteſt:quia ſemel fixa iudicia Dei, mutari nequaquã poſſunt. Vnde ſcriptum eſt. Præceptum poſuit & non præteribit. *Nimis ergo profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ* : quia, ſcilicet, inuariabiles & imperſcrutabiles.vnde ſequitur.

*Opera Dei miralia non denda ſunt ſed quærenda.*

*Matth. 11.*

*Deus occult & sabat quis.*

*Pſal. 138.*

*Cogitatio Dei mutari non poteſt.*
*Greg. 16. moral. c. 18.*

*Pſal. 148.*

## 1591 Vir inſipiens nõ cognoſcet:& ſtultus non intelliget hæc.

Stultus enim & inſipiens dicitur, qui operum Dei rationem vult quęrere:qui ſapientiam Dei ſuo intellectu vult comprehendere:quia iſta ſunt ſupra intellectum creatum & inſcrutabilia. Vnde Iob. 5. dicitur, quòd deus facit magna & inſcrutabilia. Quod exponens Grego.ait.Quis omnipotẽtis Dei mirabilia perſcrutari ſufficiat &c. vide ſuprà verſi. 1182.Vnde & in eodem cap. ad propoſitũ adiungit exemplum,dicens : Sed inter hæc ſciendum eſt quòd mirabilia Dei ſemper debent conſiderari per ſtudium : & nunquam per intellectum velle comprehendi. Sæpe nãque humanus intellectus dum quarundam rerum rationem quærẽs non inuenit: in dubitationis ſe voraginem mergit. Vnde fit vt nonnulli homines mortuorum corpora in puluerem redacta conſiderent, dumque rationis vim ex ratione comprehendere non poſſunt, hæc ad ſtatum priſtinum redire poſſe deſperent. Mira igitur quæ ex fide credenda ſunt:perſcrutanda per rationem non ſunt. quia ſi hæc noſtris oculis ratio expanderet, mira non eſſent. Sed cum in his fortaſſe animus titubat,neceſſe eſt vt ea quæ per vſum nouit:nec tamẽ per rationem colligit, ad memoriam reducat;quatenus rei ſimilis argumento fidem roboret;quam labefactari ſua ſagacitate deprehendit. Conſiderato quippe humanæ carnis puluere, quorundam mens concuſſa deſperat:quando puluis ad carnem redeat:& rediuiuũ corpus per membrorum liniamenta componat : quando illa terræ ariditas per viuentia membra vireſcat : ac ſeſe per eorũ ſpecies formaſque diſtinguat. Hoc nimirum per rationem comprehendi non poteſt : ſed tamen credi facile per exemplum poteſt. Quis enim ab vno grano ſeminis immenſam cõſurgere arborem crederet,niſi hoc certum per experimentum teneret?In tanta namque vnius grani paruitate:vbi penè nullam vides ſimilitudinem, vbi latet ligni duritia:& ligni tenerior vel durior medulla:aſperitas corticis:viriditas radicis:ſapor fructuum; ſuauitas odorum : colorum diuerſitas : mollicies foliorum. Et tamen quia hoc per experimentum nouimus: ex vno grano ſeminis omnia prodire non dubitamus. Quid eſt ergo difficile vt puluis in membra redeat : dum conditoris potentiam cotidie cernimus:quia ex grano ligna mirabiliter, & adhuc mirabilius fructus ex ligno creat?Ex quibus omnibus patet, quòd ſtultus & inſipiens eſt : qui Dei cogitationes & opera mirabilia per rationem vult comprehendere : quæ ſola fide creduntur. Et hoc eſt quod de talibus dicit. *Vir inſipiens non cognoſcet &c.* Immo quãto plus illa per rationem vult comprehendere, in maiorem voraginem dubitationis ſe immergit. Vnde Eccleſiaſ. 2. Stultus in tenebris ambulant.

*Iob. 5. Greg. li. 6. moral. c. 6*

*Eccleſiaſ. 2.*

## Cum exorti fuerint peccatores ſicut fænum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. 1592

Hic oſtendit quòd mali non habẽt ſabbathum mentis.Et duo facit : quia oſtendit primò quòd in præſenti non habent mentis requiẽ:ſecundò quòd nec in futuro:ibi, Vt intereant. Quantum ad primum ſciendum quòd deus multotiens malos in hoc mundo exaltat proſperitatibus & dignitatibus : & deprimit bonos aduerſitatibus. & tamen aduerſitas bonorum terminatur, ſicut & malorum proſperitas finem habet. Et rationem huius, vide ſuprà verſiculo 329. Et hinc eſt quòd ſtatus malorum,quia breuis eſt, & ad malum finem inducit, fæno comparatur,qui mane floret, & veſpere areſcit.Vnde dicitur, *Cum exorti fuerint peccatores,erunt ſicut fænum.* Et ſimiliter cũ apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ſupple erunt ſicut fænum. Vnde glo. *Cum exorti fuerint peccatores.* Hic aſſerit malos perituros:vt eorum pæna metus ſit cæteris. Vnde ait, *Cum exorti fuerint peccatores,* id eſt,poſtquã excreuerint in temporalibus:ſicut fænum,ſcilicet, erunt:quia in hyeme huius ſeculi virẽt:ſed in æſtate futuri iudicij areſcent. *Et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.* Apparent qui in altum ſtatum proſperitatis eleuantur : ſtatim ſuple cadent vt fænum.Quare autem peccatoris ſtatus fæno vel herbæ comparetur. vide ſuprà verſicu. 1556. Per hoc enim vult pſalmiſta oſtendere, quòd quanto peccator eſt in ſtatu maioris proſperitatis:tanto eſt in maiori periculo caſus:quod cõſiderans nunquam requiem mentis habet. Quod oſtendit Grego. dicẽs, Malus prius dolorẽ habuit in ipſa ſuæ concupiſcentiæ fatigatione:quomodo ſcilicet concupita raperet:quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret. Atque poſtquã acquiſitis rebus peruenit ad deſiderium,alius hũc dolor fatigat,vt ſcilicet

*Malorũ vita repletur doloribus.*

*Greg. li. 15. moral. c. 11.*

licet cum ſollicito timore cuſtodiat, quod cum graui labore meminit acquiſitum. Hincinde inſidiantes metuit, atque ſe hoc perpeti quod ipſe fecit aliis, pertimeſcit. Formidat potiorem alterum, ne hunc ſuſtineat violentum, pauperem cum aſpicit, ſuſpicatur furem, ipſa quoque quæ congeſta ſunt, curat magnopere ne ex naturæ propriæ defectu per negligentiam conſumantur. In his itaque omnibus quia timor ipſe pæna eſt, infælix tanta

*Exemplum.* patitur quanta pati timet &c. Exemplum de Dionyſio tiranno, qui ſemper vultu triſtis erat. Vnde cum ſemel ab vno amico ſuo reprehenſus cur non ſtaret lætus, quia erat in alto ſtatu, & omnia ſibi proſperè ſuccedebant. cui factis reſpondere volēs antequam verbis, ipſum inuitauit ad prandium, & ſupra caput ipſius amici fecit ſuſpendi gladium acutum cum tenui filo. Quod iſte percipiens, nullo modo lætari poterat, nec comedere, ſed triſti facie ſuſpirabat ex timore gladij pendentis. Quem

*Dionyſius tyrannus.* cum Dionyſius increparet, cur non ſtaret in tanto conuiuio iucundus. Reſpondit. Et quomodo poſſum lætari, cum videam me in continuo periculo mortis ex caſu gladij tenui filo ſuſpēſi? Cui Dionyſius. Ego quomodo lętè poſſum viuere, qui omnium ciuium gladios in me conſpicio promptos? Ex quibus apparet, quòd hic mali ſabbathū mentis habere non poſſunt, quamuis proſperitatibus exorti ſuper alios appareant. Et hoc eſt quod hic ait, *Cum exorti fuerint peccatores vt fœnum: & apparuerint &c.* quod ideo dicit, quia talium vita non eſt

*Iacob.4.* niſi ad modicum apparens. Quid eſt vita noſtra niſi vapor ad modicum apparens?

1593 Vt intereant in ſeculum ſeculi: tu autem altiſsimus in æternū Domine.

Hic conſequenter oſtendit malos in alia vita carere ſabbatho mentis. q.d. Ad quid mali hic proſperitatibus exaltantur? Ad hoc ſcilicet, vt poſt intereant in ſeculum ſeculi, quia ſcilicet in alia vita ſemper puniri merentur: ideo hic habent præmium laborum ſuorum. Vnde hic ait glo. q.d. Modo hic peccatores florent, & proſperantur. *Tu autē domine altiſſimus es in æternum.* ſcilicet qui expectas deſuper ex æternitate tua quando tranſeat tempus impiorum, & veniat tempus iuſtorum. quia æternus es, longanimiter mala toleras, & vides quid illis ſerues. Per ſeculum ſeculi notatur perpetuitas. vide ſuprà verſi. 596. Vnde ſicut electis aduerſitas immiſſa, eſt ſignum prædeſtinationis ipſorum: ſic proſperitas malorum hic eſt ſignum ipſorum reprobationis & interitus. vide ſuprà verſi. 329. & 578. Ad quid ergo hic exaltantur mali? Reſpondet, Ad hoc vt intereant in ſeculum ſeculi. Similiter ad quid hic affliguntur iuſti? Ad hoc vt aduerſis purgati beatificentur in ſeculū ſeculi. Sequitur, *Tu autem altiſſimus in æternum domine.* qualiter autem Deus dicatur altiſſimus, vide verſi. 1430.

1594 Quoniā ecce inimici tui Domine, quoniā ecce inimici tui peribūt: & diſpergētur omnes qui operātur iniquitatē.

Hoc idem hîc alijs exprimit verbis. Inimicos enim Dei dicit, qui operantur iniquitatem: nō qui operati ſunt: ſed qui operantur. quia Paulus operatus fuit iniquitatem Chriſtum perſequēdo: tamen quia pænituit, ex inimico factus fuit amicus. Sic

*Pſal.7.* enim loquebatur Pſal.7. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et attende quòd inimici Dei dicuntur, omnes qui bonis inimicantur. Et reperio multa inimicorum genera: quæ Deo inimicantur & nobis: qui ſunt Blandi adulatores, Falſi conſideratores, Rabidi detractores, Malorum correctores. Primi inimici ſunt adulatores: patet quia tales ideo adulantur, vt decipiant, & oculum tollant rationis. Eccl.12. In labijs ſuis adulatur inimicus: & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas. *Eccl.12.* Vnde Seneca epiſtola 95. Non ſumus contenti modica laudatione: niſi quis ſapientiſſimos & prudentiſſimos nos dicat: totum acceptamus tanquam nobis debitum: & tamen conſtat nobis quòd illi ſolent mentiri, qui nos laudant, & laudibus eorum credimus: & ideo non corrigimus nos, nec mutari volumus: quia nos eſſe optimos credimus. *Seneca li.8. ca.60.* Et ideo ſententia Platonis fuit, quòd homines ex inimicis magis proficiunt quam ex amicis: quia inimici eis errores improperant, & ex hoc corriguntur: amici vero errores ocultant: ex quo ſequitur quòd non corriguntur. Vnde Matt.10. dicitur, Inimici hominis domeſtici eius. Et Eſa. 3. Populе meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. *Matt.10. Eſa.3.* Iſti ſunt execrandi, ſcilicet, conſiderando defectus noſtros quibus conſcij ſumus: & tunc non decipiemur. Et hoc eſt quod docet nos Seneca de Alexandro epiſtola ſupradicta inducēs exemplum. Qui dum in obſidione cuiuſdam ciuitatis circuiret muros, ſagitta percuſſus cum vehementer doleret, ait, omnes me dicunt Iouis filiū: ſed vulnus hoc me hominem eſſe clamat. Idem etiam & nos noſtris faciamus adulatoribus. Vos dicitis me ſapientem vel prudentem eſſe: ego autem video quòd multa inutilia concupiſco & multa ſimilia. De iſto inimico poteſt exponi illud Eccl.12. Nō credas inimico tuo in æternum. *Eccl.12. Conſiliatores falſi ſunt inimici.* Secundi inimici ſunt falſi conſiliatores: qui nobis ſuggerunt aliud quam expediat. Et iſti ſunt maximè periculoſi in communitate. Quia ſicut in nobis conſultoribus conſiſtit honor & vtilitas rei publicę; ſic in falſis oppoſitum. Dicit enim Tullius in li. de ſene. quòd conſiliator in republica eſt ſicut gubernator nauis: in qua alij de ſentina aquam hauriunt, alij chordas trahunt, alij malum aſcendunt. *Tullius.* Iſte vero tenens clauum, eſt ſedens in puppi: & multo maiora facit quam alij. Vnde & conſilians eſt ſicut dans formam: ſecūdum quā alij habent operari. Et hic nota quod conſiliās debet habere: primò in vita ſanctitatē, ſecundò in verbo veritatem: tertiò in zelo æquitatē: quartò in experimento ſagacitatem. Et tales in republica Romana vocabantur ſenatores. Et ſe habent in cōmunitate ſicut cor in corpore. *Senatores.* Vnde & Romulus cōdita ciuitate quam ex ſuo nomine Romam vocauit, centum ex ſenibus elegit: quorum cōſilio omnia ageret, quos ſenatores propter ſenectutem & ſolicitudinem rei publicæ vocauit. Horum nomina literis aureis ſcribebantur: propter quod ab omnibus patres conſcripti vocabantur. Iſti eligebantur poſtquam fuerant probati in diuerſis ſtatibus & officijs. Iſtis tantus honor impendebatur: quòd nunquam duces ad bellum procedebant, nec aliquid ſolemne faciebant: niſi de ipſorum conſilio. Sicut igitur iſti conſultores ſunt ciuitati vtiles & amici, quando ſunt boni: ita ſunt inimici & peſſimi quando ſunt periculoſi, ſcilicet, quando habent zelum pro commodo ſuo perſonali: & non pro republica, & bono communi, quando ſunt cupidi & acceptores munerum. Tunc enim rem publicam diſſi



pant quam gubernare deberent. Et talibus poteſt

*Actuū 13.* dici illud Actuum 13. O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſticiæ: non deſinis ſubuertere vias domini rectas. Talis inimicus fuit Aman, qui pietatem nobiliſſimi principis Aſſueri ſuis conſilijs falſis ad crudelitatem induxit.

*Heſter 7. Detractores inimici.* Heſter 7. Hoſtis noſter peſſimus, inimicus gentis noſtræ Aman. Tertij inimici ſunt detractores: qui tamen frequenter nocere cupientes proficiunt. Sic enim docet Boetius lib.3. de conſolatione. Prouidentia diuina ex inde produxit ſæpe inſigne miraculum: vt mali malos bonos faciāt. Iſto modo inimicus dicitur diabolus: qui facta & vitam iuſtorum lacerat. Horum infamatio timenda non eſt.

*Infamari à prauis commēdatio eſt. Greg. ſuper Ezechielem.* Quia ſicut dicit Greg. ſuper Ezechielem. Peruerſorum derogatio, vitæ noſtræ approbatio eſt. Quia iam oſtendimus iuſticiæ aliquid nos habere: ſi illis qui Deo non placent, incipimus diſplicere. Non enim derogatio, ſed commendatio lucis, ſi eam fugiunt veſpertiliones. Sancti autem viri ſunt lux per lucidam famam & vitam. Theſſa. 5. Vos filij lucis eſtis & filij Dei. Peccatores autem ſicut veſpertiliones amantes opera tenebroſa. Conſimiliter non eſt derogatio vineæ, ſi odorem eius ſerpentes fugiunt: ſed commēdatio. Boni autem viri ſunt

*2.Corin.2.* odor Chriſti per bonam conuerſationem. 2. Corin.2. Bonus odor Chriſti ſumus: & in his qui ſalui ſiunt, & in his qui pereunt: illis quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam. Peccatores autem ſunt ſicut ſerpentes pleni veneno. Conſimiliter tertio non eſt derogatio coloris, ſed commendatio: ſi cæci de illo mentiantur & iudi-

*Soph.1.* cent falſum. Peccatores autem ſunt cæci. Sopho.1. Ambulabunt vt cæci quia domino peccauerunt. Et ideo iudicia temeraria ſunt contemnenda. Vnde cum quidam iuuenis ſpecioſus diceret Dæmoſtheni Philoſopho. Si homines me odirēt, me ipſū perimerem. Reſpondit Demoſthenes. Et ego me perimerem: ſi me quemadmodum te amarēt. Conſimiliter non eſt diffamatio medici, ſed commendatio: ſi freneticus ſibi maledicit. Si ergo mali bonis detrahunt; ipſorum detractio bonorum eſt

*Inimici boni ſunt correctores.* commendatio. Quartò inimici ſunt apparentes, ſed realiter amici, qui, ſcilicet, de noſtris nos exceſſibus arguunt & corrigunt. Veritas enim errantibus eſt odioſa: quandiu in errore perſiſtunt. Talis

*Galat.4.* inimicus fuit Paulus contra Galatas, eis dicens, Inimicus factus ſum vobis verum dicens vobis. Et tales inimici non ſunt odiendi, ſed acceptandi

*Matth.5.* ad amicitiam. Matth. 5. Diligite inimicos veſtros. Ad propoſitum ergo non de iſto quarto genere inimicorum: ſed de tribus primis dicit textus noſter. *Quoniam ecce inimici tui domine: quoniam ecce inimici tui peribunt &c.* Et duplicat nomen inimici ad maiorem ipſorum deteſtationem.

1595 Exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum: & ſenectus mea in miſericordia vberi.

Hæc eſt tertia pars, in qua oſtendit qualiter ſabbathum mentis iuſtis conceditur. Et diuiditur in partes quinque ſecundum quòd quinque oſtendit effectus ex paſſionibus iuſtorum in præſenti. Primus eſt Chriſti exaltatio. Secundus prauorum condemnatio: ibi, Et deſpexit. Tertius eſt iuſtorum coronatio: ibi, Iuſtus vt palma. Quartus eſt eccleſiæ conſummatio: ibi, Adhuc. Quintus eſt iuſticiæ diuinæ commendatio &c. ibi, Quoniam rectus. Quantum ad primum ſciendū quòd quamuis in ſcriptura cornu multa ſignificet: vt dictum fuit verſi. 1245. ſpecialiter tamē hic ſignificat Chriſtum, vel Chriſti poteſtatem: quia ipſo tanquam animal cornibus defenditur, nos protegimur ab inimicis ſpiritualibus. *Cornu Chriſti poteſtates.* Vnde de Chriſto ad literam dicitur, Erexit nobis cornu ſalutis &c. de hoc vide ſuperius verſicu. 714. *Luce.1.* Matth. vltimo. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Præuidens ergo propheta qualiter Chriſti poteſtas erat exaltanda in eccleſia, vt reges & imperatores ſibi ſubijceret mediantibus prædicationibus & paſſionibus ſanctorum martyrum: de Chriſto ait. *Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum.* Aliquando enim vnicornis ſignificat ſuperbiam: ſicut in Pſal.21. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. *Vnicornis. Pſal.21.* Aliquando verò ſignificat vnitatem poteſtatis ſicut hic. Et eſt ſenſus, Poteſtas cornu Chriſti exaltabitur quæ in Chriſto erit vnita: quia erit vnicornis, id eſt, vnus monarcha: cui totus orbis ſubijcietur. Et quamuis hoc iam ſit adimpletum: quia Chriſti dominium per totum orbem fuit dilatatum. hoc tamen vberius apparebit in fine mūdi: quādo Chriſtus ſpiritu oris ſui interficiet antichriſtum qui ſe maiorem Deo prædicabit: vt dictū fuit verſi. 1417. Et hoc eſt quod tangit pſalmiſta in perſona eccleſiæ, dicens, *Et ſenectus mea in miſericordia vberi:* quia in fine mundi interfecto antichriſto: ſolus Chriſtus & in Iudęis & in gentibus exaltabitur. Dicit ergo, *Et ſenectus mea*, id eſt, in nouiſſimo eccleſiæ vberius apparebit poteſtas Chriſti: quia ſua miſericordia agente, omnes Chriſto ſubijcientur. Et notat hic glo. quòd totum tempus vſque ad finem mundi quo patitur eccleſia, dicitur iuuētus ipſius. Nouiſſima autem ſunt ſenectus ipſius: quæ in lætitia erunt. quia vt dicitur Prouerb. vltimo. Ridebit in die nouiſſimo. *Prouer. vlti.* Quamuis autem ſenectutis ſint multæ malæ cōditiones: vt dictum fuit verſi. 1561. hic tamen ſenectus accipitur in bono. Senectus enim aliquas habet bonas conditiones: per quas ſtatus nouiſſimus eccleſię poteſt deſignari. *Senes habent aliquas bonas conditiones. Ariſtotel.* Nam vt habetur 2. retho. ſenes habent quattuor laudabiles conditiones. Primò concupiſcentias habent remiſſas: ſecundò ſunt miſeratiui: tertiò dubia non pertinaciter aſſerunt: quartò nihil agūt valde. Primum patet: quia concupiſcentiæ ſenum maximè circa actus venereos ſunt multum tēperatæ. Quoniam corpore exiſtente calefacto: fit intenſio concupiſcentiarum venereorum: ergo per locum ab oppoſitionis corpore infrigidato, fit remiſſio ipſarum. Concupiſcentia enim venereorum per appetitum in alia ſe extendit. Hoc autem eſt contra rationem frigiditatis quod habet conſtringere. Et ſic ſenes remiſſo calore naturali, propter frigiditatem conſtringuntur in ſeipſis: & ſic in ipſis remittuntur concupiſcentiæ. Secundò ſenes ſunt miſeratiui: non tamen ex eadem cauſa ſunt ſenes miſeratiui ſicut iuuenes. Iuuenes enim miſeratiui ſunt propter amicitiam: ſenes autem propter imbecilitatem. Quilibet enim miſeretur ſuper amico: & ſuper eo quod credit indignè pati. Iuuenes ergo quia ſunt amatores amicitiarum: & quia ſua innocentia alios menſurant: ideo exiſtimant omnes eſſe bonos: quare ſi patiantur, putant alios indignè pati, & ſic faciliter miſerentur. Senes autem non ſunt miſeratiui, quia credant alios bonos, nec quia ſint amatiui amicitiarum, ſed quia quilibet cum eſt in

imbecillitate vel defectu, deſiderat vt alij patiãtur ei,& miſereantur.propter quod & ipſe de facili ad miſerãdum alijs inclinatur. Tertiò ſenes nihil dubium pertinaciter affirmant. Nam vt dicitur 2. retho.quia ſenes vixerunt multis annis: & viderunt quòd ſæpius fuerunt decepti; non audent aliquid pertinaciter affirmare:timẽtes ne res ita ſe habeat, & decipiãtur. Et ideo ait ibi Philoſophus:quòd ſenes omnia dubiè ſentiunt: & ſemper apponunt in dictis ſuis quaſi, vel fortè. Cum enim ab eis de aliquo negocio quæritur, dicunt vt ſæpius, fortè ſic eſt,vel fortè ſic erit. vnde timentes decipi,nõ facilè ſententiant. Quartò ſenes nihil agunt valde:ſed in omnibus operibus ſuis vidẽtur eſſe tẽperati. Nam ſicut iuuenes, quia in eis abundant concupiſcentiæ & paſſiones,in omnibus tenent extremum: & omnia agunt valde: ſic ſenes quia habent concupiſcentias & paſſiones remiſſas vt plurimum, agũt omnia moderatè. Ad propoſitum ergo,vltimus eccleſię ſtatus ſenectus dicitur:maximè propter duas conditiones ſenectutis ex prædictis,ſcilicet,primã & vltimam.

## 1596 Et deſpexit oculus meus inimicos meos: & inſurgẽtibus in me malignãtibus audiet auris mea.

Hic ponitur malorum condemnatio. Vbi ſciendum, quòd in ſenectute eccleſiæ ſancti videbunt inimicos ſuos,ſcilicet, multos fuiſſe,qui ſe ſimulabant amicos:ſicut ſunt multi ſimulati & hypocritæ. Videbũt inquam illos inferius poſitos, ſcilicet, ad ſiniſtram ipſis ad dexteram collocatis. Et hoc eſt quod dicit, *Et deſpexit oculus meus inimicos meos.* Nam ſpecio, cis, quod eſt videre,vel conſiderare: componitur cum de, & fit deſpicio, cis, quod eſt deorſum videre vel cõſiderare. Et quia illa ponuntur deorſum quæ ſunt contempta: ideo deſpicio etiam quandoque ſtat pro cõtemnere. Alia autem litera habet,Et reſpexit oculus meus &c.& eadem eſt ſententia. Et hic accipitur præteritum pro futuro propter certitudinem prophetiæ. Et non ſolum ſic boni malos videbũt:ſed etiam audient ſententiam datam contra illos.vnde ſubdit, *Et inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* Hic ſubintelligitur de, vt dicatur,Et de inſurgentibus &c. in futuro audiet auris mea. Et quid audiet?ſcilicet ſententiam iudicis,dicentis,Ite maledicti in ignem æternum,Et nota quòd peccatores pro tunc damnatos vocat malignos. malignus enim cõponitur ex malo & igne:& dicitur dupliciter malignus quaſi malè igniens,vel quaſi malè ignitus. Primo modo diabolus dicitur malignus:quia malè ignit, & malè inflammat. Sicut econtra Chriſtus dicitur benignus,quia bene ignit. Nam ſecundum naturales duplex eſt natura ignis: altera combuſtiua & cruciatiua:altera autem delectabilis & illuminatiua. Diabolus autem vtitur igne qui eſt edax, ſcilicet,igne cupiditatis quo peccatores ignit & inflammat. Chriſtus autem vtitur igne charitatis ad illuminandum. Alio vero modo dicitur malignus quaſi malè ignitus:& ſic reprobi hic dicuntur maligni quaſi malo igne cupiditatis accenſi. In ſenectute autem eccleſiæ erunt maligni: quia igne infernali igniti & cruciati;quia non habitabũt apud Deum:ſed apud diabolum. Pſal.5. Neque habitabit iuxta te malignus &c.

*Matth.25. Malignus quis dicatur. Benignus quis dicatur. Pſal.5.*

## Iuſtus vt palma florebit: ſicut cedrus libani multiplicabitur. 1597

Hic ponitur iuſtorum coronatio: quia iuſtus hic palmæ comparatur quę eſt ſignum coronationis & victoriæ. Et vide diſſimilitudinẽ aliqualem: nam malos cõparat fæno,dicens, Cum exorti fuerint peccatores ſicut fænum. Iuſtos autem palmæ, dicens. Iuſtus vt palma &c. Et verè meritò ipſa ſancta mater eccleſia & quilibet etiam iuſtus palmæ cõparatur;vt oſtẽdit Gre.19.mor.c.24.dicens, Palma enim tardè proficit: ſed diu in viriditante ſubſiſtit. Cum multis autem difficultatibus ſancta Dei eccleſia ad fidei ſtatum venit: & pro collectione plurimorum in eiuſdem fidei gloria diutius ſtare concupiſcit. Nec immeritò iuſtorum vita palmæ cõparatur:quia,ſcilicet, palma inferius tactu aſpera eſt:& quaſi aridis corticibus obuoluta:ſuperius vero & viſu & fructibus pulchra. Inferius corticũ ſuorum inuolutionibus anguſtatur: ſed ſuperius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe eſt electorum vita deſpecta in inferioribus: in ſuperioribus pulchra. In imis iſtis quaſi multis corticibus obuoluitur:dum innumeris tribulationibus anguſtatur: in ſummis verò illis quam pulchre viriditatis folijs amplitudine retributionis dilatatur. Habet etiam aliud palma quo à cunctis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in ſuo robore iuxta terram vaſta ſubſiſtit: ſed creſcendo ſuperius anguſtatur. Et quanto paulìſper ſublimior:tanto in altum ſubtilior redditur. Palma vero minoris altitudinis vel amplitudinis ab imis inchoat: & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit. Et quæ tenui ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit. Quibus itaque alia arbuſta, niſi terrenis mentibus inueniuntur ſimilia eſſe:inferius vaſta,ſuperius anguſta? Quia nimirum omnes ſeculi dilectores in terrenis rebus fortes ſunt: in cæleſtibus debiles. Nam pro tẽporali gloria vſque ad mortem deſudare contendunt: ſed pro ſpe perpetua nec parum quidem in labore ſubſiſtunt. Pro terrenis lucris quaſlibet iniurias tolerant: & pro cæleſti mercede vel tenuiſſimi verbi ferre contumelias recuſant. Terreno iudici toto etiam die aſſiſtere fortes ſunt: in oratione vero coram Domino vel vnius horæ momẽto laſſantur. Sæpe nuditatem,deiectionem, famem pro acquirendis diuitiis & honoribus tolerant, & earum rerum abſtinentia cruciantur:ad quas adipiſcẽdas feſtinant. Superna laborioſè quærere tanto magis diſſimulant: quanto magis ea tardius retribui putant. Hi itaque quaſi aliarum arborum more deorſum vaſti:ſurſum anguſti: quia fortes in inferioribus ſubſiſtunt:ſed ad ſuperiora deficiunt. At cõtra ex qualitate palmarum deſignatur proficiens vita iuſtorum: qui nequaquam ſunt in terrenis ſtudijs fortes,& in cæleſtibus debiles; ſed longius atque diſtantius ſtudioſos ſe Deo exhibent: quam ſeculo fuiſſe meminerunt &c. Ex quibus patet apta comparatio iuſtorum ad palmam, cùm dicitur, *Iuſtus vt palma florebit.* Sequitur. *Sicut Cedrus libani multiplicabitur.* Ecce alteri arbori iuſti comparantur, ſcilicet, Cedro. Et hoc propter altitudinem vitæ & virtutum multiplicitatem. Nam vt ait gloſſ. Cedrus arbor immarceſcibilis eſt,& altior cæteris arboribus;& præſertim in libano quæ interpretatur candidatio. Ita & iuſtus eſt imputribilis ſtola immortalitatis candidus. Iſtis ergo arboribus iuſti comparantur: quia hæ arbores non areſcunt in æſtate vt fænum:cui ipſius comparatur: quia cito areſcit. Sed locutus eſt in ſingulari, dicens, Iuſtus, & non iuſti: vt oſtẽdat quòd accipit ſingulare pro plurali:ideo ſubdit pluraliter dicens,

*Palmæ comparatur iuſtus. Greg.li.19. mor.ſt.c.24. Arbor.*



## 1598 Plantati in domo domini: in atrijs domus Dei noſtri florebunt.

Domus enim domini dicitur eccleſia. Domus mea domus orationis vocabitur. in qua hic iuſti plantantur per fidem & vitæ ſanctitatem: ſed poſtea florebunt in atrijs domus Dei noſtri. Atriũ enim eſt initium manſionis:ſed domus vocatur interior. Nota ergo quòd hic bis ponit domum Dei. Primò dicit plantati in domo Domini: & ſic accipit domum pro eccleſia militante. Secundò cum dicit, *In atrijs domus Dei noſtri florebunt*: & hic accipit domum pro eccleſia triumphante: de qua Ioan. 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quia ergo atrium eſt principium domus: & ſic per atria domus gloriæ intellige reſurrectionem: per quam totus homo intrabit in domũ interiorem gloriæ: & ſic hic plantãtur:ſed in reſurrectione florebunt: quando,ſcilicet, dicetur eis. Venite benedicti patris mei.&c. De iſtis atrijs dictum eſt Pſal.83. Quã dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiſcit & defecit anima mea in atrijs domini. In iſtis atrijs gloriæ ſunt multa. Primò ibi eſt æternitas ſine fine. Pſal. 84. Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper milia. Secundò ibi eſt obumbratio ab omni iniquitatis ardore. Exo. 40. Circundabit atrium tentorijs: quia ibi ſub tegmine & vmbra alarum diuitiarum ſancti proteguntur. Ezec. 10. Nubes impleuit atriũ interius. Tertio ibi eſt clarus ſplendor gloriæ. Ezec.10. Atrium repletum eſt ſplendore gloriæ domini &c. Iſtum autem verſum exponens Hugo ipſum applicat ad domum ſanctæ conuerſationis vel religionis, dicens, Domus Dei noſtri,domus ſanctę conuerſationis vel religionis eſt. Eſt autem atrium ante domum. Atrium ergo conuerſionis eſt atrium renunciationis. Qui enim mundo renunciat:palmam victoriæ qua mundum vincit: in atrijs domus Dei noſtri plantat. Plantatur ergo in domo conuerſionis: floret per famam bonæ opinionis: & facit fructum bonæ operationis. Radicatur autem per fidẽ, creſcit per ſpem, roboratur per charitatem. Mirum eſt tamen quòd de iuſtis dicitur, *Plantati in domo Domini &c.* Mirum quòd plantatur in domo,& floret in atrio. Sed fortaſſe per fidem plantatur iuſtus intus: per exemplum boni operis floret exterius:& ſic per famam bonæ opinionis foras exit odor floris. Vel aliter, Plantatur in domo:floret in atrio: quia iuſti plantantur in præſenti eccleſia: & flore immarceſcibili florebunt in æterna vita. Ibi etiam cum flore recipient fructum, id eſt, cum mundicia carnis & animæ futuræ retributionis recipient præmium.

*Ioan.2. Ioan.14. Matth.25. Atria gloriæ Pſal.84. Exo.40. Ezech.10. Domus religioſa.*

## 1599 Adhuc multiplicabuntur in ſenecta, vberi, & bene patientes erunt vt annuncient.

Hic ponitur quartum,ſcilicet, eccleſiæ cõſummatio & perfectio, quæ erit in fine. Per ſenectam enim eccleſiæ intelligitur finis eccleſiæ: vt dictum eſt verſi.1595. Ibi ergo fideles multiplicabuntur: quia tũc numerus electorum erit completus: quia vterque populus tam gentilis quam Iudaicus verum Deum eſſe Chriſtum cognoſcent, & confitebuntur. Et hoc eſt quod ait, *Adhuc multiplicabuntur &c.* q.d. quamuis eccleſia per numerum iuſtorum ſit multiplicata,amplius tamen multiplicabitur in ſenecta vberi:quia ſcilicet ille vltimus ſtatus eccleſiæ erit vberior: quia eccleſia magis incipit eſſe vberrima:cùm ad finem ſeculi fuerit perducta. Sed quomodo in fine eccleſia multiplicatur? quia ſcilicet tunc per antichriſtum multi iuſti patientur martyrium:vt per ſuum ſanguinem prædicent, & annuncient Chriſtum. Et hoc eſt quod ait, *Et bene patientes erunt vt annuncient*: quia patienter omnia ſuſtinebunt prædicando Chriſtum. Ecce ergo ſabbathum quod iuſtis dabitur in fine, quia cum cruciatu corporis pacem mentis habebunt. Et ſi quæras quid tunc iuſti annunciabunt ſiue prædicabunt. Hoc ſcilicet quòd Deus eſt iuſtus puniendo malos,& bonos præmiando. Prædicabunt ergo hoc quod ſequitur;

## Quoniam rectus dominus Deus noſter:& non eſt iniquitas in eo. 1600

Hic vltimo ponitur quintum quod eſt iuſticiæ commendatio. Prædicabunt enim quòd Chriſtus Dominus Deus noſter eſt rectus, ſcilicet iuſtus: quia iuſtus omnium retributor bonorum & malorum, & quòd non eſt iniquitas in eo, quia ſcilicet non decipit. quod enim promittit implet. Et nota quòd Chriſtus duas habet naturas, quia eſt Deus & homo. Et licet vt homo poſſit dici rectus, iuſtus, ſapiens & huiuſmodi, non tamen propriè loquẽdo vt Deus dicitur rectus, ſed ipſa rectitudo. non dicitur iuſtus,ſed iuſticia. non dicitur ſapiens, ſed ſapientia. quia propriè loquendo nomina concreta per ſe non ſunt talia, ſed participatione formæ qua talia dicuntur,ſicut album,non niſi ab albedine quàm participat: non à ſe,cùm album non ſit albedo, ſed ipſam participans. Sic cum filius eſſentialiter ſit iuſticia,rectitudo, ſapientia & huiuſmodi, potius debet dici iuſticia quam iuſtus &c. Quod ſatis oſtendit Gregorius lib. 18. moral.cap. 32.dicens, Omnes quidem electi iuſti ſunt,ſapientes ſunt,ſed participatione ſapientiæ, non comparatione. Quid enim ſunt homines Deo comparati? Lumen in ſapientia, & ſerui ſapiẽtiæ vocari ſolẽt. Sed illa lux illuminans, iſti lumen illuminatum:ſicut ſcriptum eſt. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Iſtis autem tantummodo dicitur, vos eſtis lux mundi. Ille eſt iuſticia iuſtificans: iuſti autem ſunt iuſticia iuſtificata. De Deo quippe ſcriptum eſt, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans, iſti verò dicunt vt nos efficeremur iuſticia Dei in ipſo. Aliter ergo venerãdum eſt lumen illuminans, aliter lumen illuminatum, aliter iuſticia iuſtificans, aliter iuſticia iuſtificata. Deus autem eſt ſapientia & ſapit, nec aliud habet eſſe,& aliud ſapere, Serui autem ſapientiæ eſſe quidam ſapientes poſſunt, non tamen habent hoc eſſe quod ſapere &c. Cùm ergo de Chriſto dicitur. *Quoniam rectus eſt Dominus Deus noſter &c.* ſi vt homo,rectus quidem propriè dicitur,ſi autẽ vt Deus, rectus dicitur rectificans, iuſtus iuſtificans &c. Iſtum autem verſum aliter exponit Hugo, dicẽs, *Quoniam rectus Dominus Deus noſter.* Rectus Deus rectum fecit hominem ſimilem ſibi &c. vide ſupra verſiculo 480. Et de rectitudine ibi multa nota.

*Deus dicitur iuſticia proprius quàm iuſtus. Greg li.18. moral.c.32. Ioan.1. Hugo.*

# PSALMVS XCII.

1601 DOminus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

Iſte Pſal. talem habet titulum. Laus cantici Dauid in die ante Sabbathum, quando fundata (aliàs, inhabitata) eſt terra. Pro cuius intellectu eſt notandú quòd ſecundum Hebræos iſtum Pſal. non fecit Dauid ſed Moyſes. Ideo ly Dauid quod ponitur in titulo, non ſtat pro ipſo Dauid patre Salomonis, ſed pro ſignificato ipſius, ſcilicet, pro Chriſto. quia Dauid interpretatur manu fortis, & aſpectu deſiderabilis. Ipſe autem Chriſtus dicitur manu fortis: quia ſibi data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. (Mat. vlt.) Eſt etiam vultu deſiderabilis: quia in ipſum deſiderant angeli proſpicere. Et de quo dicitur Aggei. 2. Veniet deſideratus cunctis. &c. (Aggei. 2.) Agit autem Pſal. iſte de regno Chriſti, quod eſt eccleſia, ſub figura primæ mundi creationis. Vt enim habetur Gen. 1. (Gen. 1.) ſexta die quæ immediatè præcedit ſabbathum factus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Quo facto requieuit Deus die ſabbathi: ceſſando, ſcilicet, à nouis creaturis creandis ſecundum genus: quia ſecundum indiuidua cotidie nouas creaturas producit, per hoc præſignans quòd poſt bona opera ſex dierum perueniemus ad ſabbathum quietis æternæ, quod veſperum, id eſt, finem non habet. Et hinc eſt quòd in die mortuorum quod agitur poſt feſtum omnium ſanctorum eccleſia in veſpera non facit officium pro mortuis: (Mortuorum officium ſecundis veſperis caret.) ad denotandum quòd requies quæ ea die optatur eis fine caret. Item notandum quòd quamuis ad litteram in ſexta die ante ſabbathum non fuerit terra fundata, ſed in prima die, quia in principio fecit Deus cælum & terram: ideo tamẽ dicitur quòd ſexto die fundata eſt terra: quia factus eſt homo de terra. Et per hoc myſticè deſignatur quòd in ſexta ætate quæ per ſextum diem figuratur, venit Deus hominem de terra factum reformare. Tunc enim myſticè fundata fuit terra, id eſt, homo de terra factus, qui prius per peccatum fuerat deformatus: cum homo per aduentum Chriſti in fide fuit immobilis factus. Eſt ergo ſenſus tituli talis. Hic Pſalmus eſt laus cantici Dauid, id eſt, iſte Pſalmus agit de laude diuina ipſius Chriſti, de eo, ſcilicet, quod fecit quando fundata eſt terra ante diem ſabbathi, id eſt, de eo quod fecit in ſexta die: ſcilicet in ſexta ætate ſeculi: quia ſcilicet venit Chriſtus in carnem verum fundamentum, & in fide fundauit hominem. Et ſic iſte Pſalmus agit de regno Chriſti quod factum fuit quando Chriſtus incarnatus fundauit per fidem eccleſiam. Diuiditur autem iſte Pſalmus in tres partes: quia primò agit de regni Chriſti inchoatione. ſecundò de regni Chriſti impugnatione. ibi, Eleuauerunt. tertiò de regni Chriſti confirmatione. ibi, Mirabilis. Quantum ad primum ſciendum quòd licet Chriſti regnum per fidem incæperit in ſua natiuitate: quia tunc etiam reges ſibi fuerunt ſubiecti: vt patet de Magis qui venerũt ipſum adorare, vt habetur Matth. 2. (Matt. 2.) tamen iſtud ſatis manſit abſconditum vſque ad eius reſurrectionem, aſcenſionem, & Spirituſſancti miſſionem. Et ideo regnum iſtud tunc dicitur inchoatum, quia tunc notoriè fuit diuulgatũ. Et ſecundum iſta tria iſta pars habet tres partes: quia oſtendit regnum Chriſti ex tribus inchoatum: primò ratione ſuæ reſurrectionis: ſecundò ratione Spirituſſancti miſſionis. ibi, Etenim. tertiò ratione ſuæ aſcenſionis. ibi, Parata ſedes. Primò ergo oſtendit Chriſti regnum inchoatum ratione reſurrectionis. Vbi notandum quòd veſtimentum Chriſti dicitur eius humanitas, qua diuinitas & anima operiebãtur, ſecundum dictum apoſtoli, Semetipſum exinaniuit; formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo. (Philip. 2.) Iſtud autem veſtimẽtum ante reſurrectionem videbatur infirmum & debile: quia eius humanitas ligata, flagellata, crucifixa, & mortua fuerat deturpata: quia proprio ſanguine cruentatum. Eſa. 53. Vidimus eum non habentem ſpeciem neque decorem. (Eſa. 53.) Fuit diſſolutum: quia corpus ab anima ſeparatum. Io. 19. Inclinato capite tradidit ſpiritum. (Ioan. 19.) Sed in reſurrectione, vt ſe verum regem oſtenderet, contra defectum infirmitatis accepit poteſtatis plenitudinem. vnde ſtatim poſt reſurrectionem dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas. (Mat. vlt.) Contra deturpationem aſſumpſit decorem: quia pulcher & glorioſus reſurrexit. Contra paſſionem & mortem ſurrexit immortalis. Quantum ad poteſtatem dicit, Dominus regnauit. Quãtum ad dotes glorioſi corporis ait, decorẽ indutus eſt. Quantum ad immortalitatem ait, indutus eſt dominus fortitudinem &c. Et nota quòd propriè Chriſtus ſuper fideles regnare dicitur vt verus rex non vt tyrannus: quia habet omnia quæ ad verum pertinent regẽ, vt diſtinguatur à tyráno. vide ſu. verſi. 735. 767. Nota hic quòd aliud eſt accingere: aliud præcingere &c. glo.

## Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. 1602

Hic oſtendit regnum Chriſti inchoatum ratione miſſionis ſpirituſſancti. Vbi aduertendum quòd orbis dicitur à rota rotunda. Et ſic dicitur orbis quælibet res rotunda, & figuræ ſphericæ. Et ideo quia mundus eſt rotundus, dicitur orbis. Certum eſt autem quòd quælibet res ſpherica, & rotunda multum habilis eſt ad motũ: & faciliter mouetur. Et ideo quia apoſtoli domini poſt acceptionẽ ſpirituſſancti multum habiles fuerunt ad diſcurrendum per mundum; quia in paruo tempore totum mundum Chriſti fide repleuerunt. (Orbis ... ſunt apoſtoli.) Pſalmus 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. (Pſal. 18.) ideo quilibet ipſorum orbis terrarum dicitur: quaſi circulus terrarum propter velocitatem motus & curſus ipſorum. Iſti autem apoſtoli etiam ante aduentum ſpirituſſancti etiam mobiles valde erant, & parum in fide ſtabiles; vt patuit de Petro tempore paſſionis, & cæteris apoſtolis; qui omnes Chriſto relicto fugerunt. Sed per aduentum Spirituſſancti facti fuerunt in fide ſtabiles: vt nec verba principum timerent: nec verbera vt à fide caderent. vide ſu. verſi. 1008. Et hoc præuidens Pſalmus ait, *Etenim firmauit orbem terræ*, ſcilicet, ipſos apoſtolos: qui nõ commouebitur, ſcilicet, amplius à fide. Vel ſi per orbẽ terræ mundus intelligatur; tunc accipitur continens pro contento. Et eſt ſenſus, Firmauit orbem terræ &c. ideſt homines habitantes in orbe terræ ad prædicationem apoſtolorũ fecit in fide ſtabiles: vt patuit in martyribus, qui non blandis, non aſperis à Chriſti fide euelli poterant. vnde glo. Etenim firmauit orbem terræ, ideſt, in toto orbe aliquos firmauit, qui nulla concuſſione commouebuntur à fide. Orbis ergo qui non commouebitur eſt



eſt cætus credens in Chriſtum: paratus non molleſcere linguis laudantium, nec frangi linguis vituperantium. Vel per orbem terræ intellige ipſum Chriſtũ, qui orbis dicitur ratione diuinitatis: qui ad inſtar orbis ſui circuli caret principio & fine ratione æternitatis: ratione vero corporis dicitur terra, quia de terra formatum. vide ſu. verſi. 929. De quo orbe dicitur. 1. reg. 2. Domini enim ſunt cardines terræ: & poſuit ſuper eos orbem: (Regum. 2.) quia Chriſtum omni creaturæ præfecit. Pſalmus 8. (Pſalmus 8.) Iſtum orbem ſic Deus firmauit vt nullis aduerſis commoueri poſſet. Videbatur enim Deus contra ipſum in paſſione commotus: ipſe tamen incommotus permanſit. Procuratione enim dæmonis videbatur Deus contra Chriſtum commotus. Vnde dicebat ipſi dæmoni. (Iob 2.) Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtrà. Commouit ergo diabolus Deum aduerſus filium vt ipſum morti traderet, quando primos parentes tentando traxit ad culpam. Qui tamen Chriſtus fruſtrà dicitur afflictus, quia ſine proprio peccato fuit paſſus. Quæ oſtendẽs Greg. 3. moral. c. 11. (Gregor. 3. moral. c. 11.) dicit. Si Iob redemptoris noſtri in paſſione poſiti ſpeciem tenet: quomodo ad ſathan à Deo dicitur, Commouiſti me aduerſus eum vt affligerem eum fruſtrà? Mediator quippe Dei & hominum Chriſtus vt culpas hominum extergeret: venit noſtræ mortalitatis flagella tolerare. Sed qui vnius cum patre eiuſdemque naturæ eſt: quomodo per ſathan commotum ſe aduerſus eum pater aſſerit: cùm conſtet quòd patris filiique concordiam nulla poteſtatis inæqualitas, nulla volũtatis interrumpat diuerſitas? Sed tamen idem qui patri æqualis eſt per diuinitatem: venit propter nos ad flagella per carnem. Quæ nimirum flagella non ſuſciperet, niſi formam damnati hominis redimendi ſumpſiſſet. Et niſi primus homo deliquiſſet, ſecundus ad paſſionis probra minimè veniſſet. Cùm ergo primus homo per ſathan commotus eſt: tunc eſt Deus in hominem ſecundum commotus. Sathan ergo ad huius afflictionem tũc dominum commouit quando in paradiſo primum hominem à iuſticiæ culmine per inobedientiam proſtrauit. Niſi enim Adam primus per voluntarium vicium in mortem culpæ tranſiſſet: ſecundus ſine vicio in mortem carnis voluntariam non veniret. Bene ergo ei de redemptore noſtro dicitur, Commouiſti me aduerſus eum vt affligerem &c. Ac ſi apertè dicatur. Dum iſte non ſua, ſed illius cauſa moritur: tunc me in huius afflictionem commouiſti cũ illũ à me callida perſuaſione traxiſti. (Cõmotus non fuit Chriſtus in paſſione.) De quo & bene additur, fruſtrà. Fruſtra quippe afflict⁹ eſt, qui & culpæ vltione preſſus eſt, & culpæ contagione inquinatus non eſt. Fruſtrà paſſus eſt, qui in carne natus, & propria admiſſa non habuit: & tamen pænam carnalium ſine culpa ſuſcepit. Hinc eſt quod per Prophetam loquitur dicens, Quę non rapui; tunc exoluebam. (Pſalmus 68.) Adam quippe in paradiſo conditus, diuinæ ſcientiæ ſimilitudinem ſuperbè rapere voluit: ſed tamen pænas huius ſuperbiæ ſine culpa mediator exoluit. Fruſtrà ergo & nõ fruſtrà afflictus eſt, qui & in ſe quidem admiſſa non habuit, ſed cruore ſuo reatus noſtri maculam terſit. Et quamuis pater pro nobis ſic aduerſus Chriſtum fuerit commotus: ipſe tamen Chriſtus dexteræ diuinæ poteſtate munitus, in paſſione incommotus permanſit: (Pſalmus 15.) ipſo dicente, A dextris eſt mihi Dominus, ne commouear. Et hoc notans de Chriſto nunc Pſalmus dicit, *Etenim firmauit orbem terræ*, ſcilicet, Chriſtum, *qui non commouebitur.*

## Parata ſedes tua Deus extunc: à ſeculo tu es. 1603

Hic oſtenditur Chriſti regnum paratum ratione ſuæ aſcenſionis. Vbi aduertendum quòd ſedes Dei dicitur anima iuſti: quia ibi tanquam Dominus habitat in ſede. Vnde ipſe ait, Eſaię. 66. Cælum mihi ſedes eſt. (Eſa. 66.) Vnde Gregor. lib. 19. moral. ca. 21. (Grego. 19. moral. c. 21.) Quid enim aliud cælum, niſi ſublimis debet intelligi vita ſanctorum? Cui cælo dicitur, Attende cælum & loquar. (Deut. 32.) Non enim inſenſibili, ſed rationali creaturæ loquebatur. De hoc cælo ait dominus. Cælum mihi ſedes eſt. De qua etiam ſede alias ſcriptum eſt, Anima iuſti ſedes ſapientiæ. (Prouerb. 14.) Quia ergo ſapientia eſt Deus: ſi ſedes cælum eſt, & anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ: & cælum eſt vtique anima iuſti. In iſta autem hic habitat Chriſtus per gratiam: ſed in patria per gloriam. Et nulli dubiũ quòd perfectius habitat Chriſtus in patria, quàm hic in via. Cùm ergo aſcenſio Chriſti fuerit principium quo animæ intrauerunt gloriam: quia tunc captiuos quos reſurgendo de inferno traxit, ad cæli gloriam ſecum perduxit. Et hoc eſt quod ait, *Parata ſedes tua extunc*, ideſt, parata & perfecta fuit ſedes regni tui, ideſt, anima iuſti, *extunc*, ſcilicet, à tempore aſcenſionis. modo ly extunc, poteſt denotare tempus paſſionis: quia per paſſionem meruit omnium habere imperium: iuxta modum loquendi Apoſtoli ad Phil. 2. (Phil. 2.) dicens, quod factus eſt obediens vſque ad mortem. propter quod & Deus dedit illi nomen &c. vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Extũc ergo, ſcilicet, ab ipſa paſſione parata fuit Chriſti ſedes, & in perpetuum. Ne tamen putes Chriſti regnum tunc ſolum in paſſione eſſe paratum addit, *A ſeculo tu es.* Quaſi dicat, ſecundum humanitatem ſedem mundi meruiſti per paſſionem: ſed ſecundum diuinitatem à ſeculo, ideſt, ab æterno tu es verus Deus, verus Dominus & omnium imperator. Vel per ſedem Chriſti intellige eius crucem quæ in paſſione eius fuit parata, quando pellis Chriſti ibidem fuit affixa, & membris eius ornata, vt eius contemplatione vitaremus peccare. Vide exemplum de rege Cambiſe qui pellem iudicis ſedi affixit &c. vide ſupra verſi. 742.

## Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem ſuam. 1604

Hæc eſt ſecunda pars in qua agitur de regni Chriſti impugnatione. Vbi ſciendũ quòd regnum Chriſti poſtquam fuit inchoatum per eius reſurrectionem, aſcenſionem, & Spirituſſancti miſſionem: à multis multipliciter fuit impugnatum: qui ex toto volebant diſſipare Chriſti nomen & ſuorum fidelium. Fuit autem dupliciter impugnatum. primò à Iudæis & ſacerdotum principibus. ſecundò à tyrannis & Romanis imperatoribus. ibi, *El nauerũt ſiumina fluctus.* Vbi primò notandum quòd per flumina intelligitur decurſus vitæ præſentis. (Fluuius ſignificat vitã præſentem.) Vt autem Grego. dicit (Gregor. 33. mora. c. 7.) Quid enim nomine fluuij, niſi humani generis decurſio deſignatur: qui velut à fontis ſui origine naſcendo ſurgit? ſed quaſi ad ima defluens moriendo pertranſit. Sic ergo per fluuium accipe malos, qui ſolum vita corporali non ſpirituali viuere quærunt. Ex quibus erant principes ſacerdotum qui primò contra Chriſti regnum leuauerunt vocem ſuam, eius reſurrectionem & aſcenſionem negare volentes. vnde loquẽtibus Apoſtolis (Actu. 4.)

ſtolis ad populum, ſuperuenerunt ſacerdotes & magiſtratus populi, dolentes quòd docerent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis. vnde vocantes Apoſtolos, denunciauerunt ne omnino amplius loquerentur in nomine Ieſu. Similiter dixerunt, præcipientes precepimus vobis ne doceretis in nomine Ieſu: & ecce repleſtis Hieruſalē doctrina veſtra. Et cæſis eis denunciauerūt eis ne amplius loquerētur in nomine Ieſu. Et hoc eſt quod ait Pſalmus, quod *flumina*, id eſt, ſacerdotum principes contra Chriſti regnū eleuauerūt vocem ſuam, ſcilicet, præcipiendo apoſtolis ne in nomine Ieſu auſi eſſent prædicare. Sic & quando Stephanus eis Ieſum prædicabat, ipſi exclamantes voce magna, impetum fecerunt vnanimiter in eum.

*Actu. 5.*

1605 Eleuauerunt flumina fluctus ſuos, à vocibus aquarum multarum.

Hic ponitur impugnatio facta à tyrannis & gentilibus. Fluctus enim fluuiorum differunt à voce, vel à ſono aquarum: quia vox aquarum ſolùm terret: ſed fluctus non ſolū terret, ſed etiam necat. Sic impugnatio Iudæorum fuit quaſi vox fluuij: quia de facto paucos ex apoſtolis occiderunt: ſed vocibus præcipiendo ipſos terrere conabantur. Sed impugnatio paganorum fuit crudelior: quia gladiis vbique Chriſti fidem perſequebantur, & trucidabāt fideles. Et ideo impugnatio Iudæorum dicitur vox fluminis: ſed impugnatio gentilium & romanorum dicitur fluctus. Vnde de gentilibus dicit, Eleuauerunt flumina fluctus ſuos. Sub iſtis enim fluctibus occubuit Petrus, & Paulus, Andreas, Thomas, & cæteri apoſtoli. Ideo de tyrannis & romanis principibus qui gladiis Chriſti regnū impugnabant, dicebat eccleſia Chriſti: Omnia excelſa tua, & fluctus tui, ſuper me tranſierunt. Et Pſalmus. 87. Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Sed vnde habuerunt romani principes vt Chriſtum perſequerentur, niſi moti à vocibus aquarum multarum? quia ad voces apoſtolorum Petri & Pauli prædicantium Chriſti fidem fuerunt commoti ad fidem Chriſti ſequendam. Et hoc eſt quod ait, *A vocibus aquarum multarum.* Vel aliter iſte verſiculus & præcedens in bonum poſſunt exponi. Vbi aduertendum quòd textus lxx. interpretum ex iſtis duobus verſiculis ſolum facit vnum, dicens, Eleuauerunt flumina, Domine, vocem ſuam à vocibus aquarum multarum. Cætera autem quæ ponūtur non ſunt in editione lxx. interpretum. Aliqui ergo hoc totum in bono exponentes, per flumina intelligunt Apoſtolos, qui ad modum fluuij repleti ſpiritus gratia eccleſiæ ciuitatem lætificauerunt. Pſalmus 45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Iſta flumina leuauerūt vocem ſuam, audacter prædicando accepto Spirituſancto, qui prius clare loqui non audebant. nonne clarè eleuauerunt vocem ſuam, quando principes ſacerdotum præceperunt apoſtolis ne omnino loquerentur, vel docerent in nomine Ieſu. Quibus Petrus & Ioannes dixerunt, Non poſſumus non loqui quæ vidimus, & audiuimus? & obedire Deo magis oportet, quā hominibus. Eleuauerunt fluctus ſuos: quando miraculis oſtenſis corda gentilium conuertebant ad fidem: & vſque ad mortem defenderunt fidē, quam gratis ante perſequebantur. Et propter hoc ipſi Apoſtoli erant honorati à multis populis & exaltati. Et hoc eſt quod ſubditur, *A vocibus aquarum multarum.* Vnde cum Paulus & Barnabas prædicarent Lyſtris; turbæ leuauerunt vocem dicentes, Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.

*Fluctus ſignificat perſecutionem gentilium.*

*Pſalmus 41.*

*Pſalmus 87.*

*Pſalmus 45.*

Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus. 1606

Hic conſequenter ponitur regni Chriſti confirmatio. Et duobus autem confirmatum & multiplicatum fuit regnum Chriſti, ſcilicet ex perſecutionibus tyrannorum, & ex operationibus miraculorum. ibi, Teſtimonia. Quantum ad primum mirabilis fuit Chriſti regni & Chriſtianorum multiplicatio & confirmatio: quia quanto amplius Chriſti nomen perſequebatur, & Chriſtiani trucidabantur: tanto plus creſcebant & augebantur. Sic enim incepit augeri, & confirmari in capite Chriſto: quia plures ad fidem conuertit moriēdo, quàm viuens: quia vt dicit Grego. 29. moral. ca. 7. Chriſtus moriens fidem ſuam in gentibus dilatauit. Quæ dilatatio fidei non fieret niſi ipſe prius vitam quam nouimus, moriendo deſpiceret: & vitam quam non nouimus, reſurgendo monſtraret. In morte quippe ſua noſtræ mētis oculos aperuit: & quæ eſſet vita quæ ſequeretur oſtendit. Vnde & hunc in euangelio tenens ordinem, dicit: Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Pauci enim ex plebe Iſraelitica ipſo prædicante crediderunt. plurimi verò gentium populi viam vitæ illo moriente, ſecuti ſunt. Quod bene Sanſon in ſemetipſo figuraliter oſtendit, qui paucos quippe dum viueret, interemit: deſtructo autem templo, hoſtes innumeros cum moreretur, occidit. Quia nimirum dominus ab elatione ſuperbiæ paucos cum viueret, plures verò cum templum ſui corporis exolueret, extinxit: atque electos ex gentibus quos viuendo ſuſtinuit: ſimul omnes moriendo proſtrauit. Sic & ſui apoſtoli & fideles in perſecutionibus ſunt multiplicati, & confirmati in fide. Et hoc eſt quod ait nunc, *Mirabiles elationes maris.* Quid enim elationes mirabiles maris ſunt, niſi contra fideles Chriſti mirabiles perſecutiones malorum? Inter quas mirabilis Dominus apparuit: quia in illis perſecutionibus mirabiliter perſecutorum multitudinem conuertit ad fidem. Vnde iſtum textum ad propoſitum inducens Gregorius lib. 9. moral. ca. 5. ſuper illo verbo Iob. 9. Graditur ſupra fluctus maris. dicit, Quid enim maris nomine, niſi in bonorum necem ſæuiens huius mundi amaritudo ſignificatur: &c. vide ſupra verſiculo 1509. Dicit ergo, *Mirabiles elationes maris*: ideſt mirabiles fuerunt perſecutiones malorum cōtra eccleſiam: ſcilicet dum fideles vbique perſequebantur & trucidabantur. Sed *mirabilis in altis Dominus.* ſcilicet plus apparuit, qui ſcilicet fidē ſuam maximè in perſecutionibus creſcere fecit.

*Chriſtus plures conuertit moriendo quā viuens.*

*Luca 24.*

*Iudic. 15. & 16.*

*Perſecutionibus creſcit eccleſia.*

*Grego. 9. mor. cap. 5.*

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: domum tuam decet ſanctitudo, domine in longitudinem dierum. 1607

Hic ponitur ſecundum, quo regnum Chriſti cōfirmatum eſt: quod fuit miraculorum operatio. Opera enim miraculoſa per apoſtolos per orbem facta & alios ſucceſſores ipſorum, fuerunt quaſi quoddam certum teſtimonium quo Chriſti fides fuit confirmata, & in cordibus gentilium dilatata. quia miracula facta confirmabant in cordibus audientium fidem quam verbis prædicabant. Et hoc eſt quod dicitur Mar. vlt. Illi autem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Et iſta miracula fuerunt teſtimonia Chriſti fidei credibilia nimis. Item ex alio: nam maius eſt teſtimonium datum operibus quàm verbis. Teſtimonia autē Chriſti non ſolùm verbis, vel miraculis data fuerunt: ſed multo fortius factis. Quia fideles pro teſtimonio dando fidei Chriſti, vitam ſuam dabant in mortem. vnde & martyres teſtes dicuntur. Cogita quale teſtimonium fuit fidei quam prædicabāt Petrus & Paulus, martyrium quod vna die ſuſceperunt: quale teſtimonium Laurentij & aliorum martyrum. Certe teſtimonia magis credibilia quam verborum. Et quia teſtimonia fidei dabant martyres ſanguine proprio: ideo dicit Pſalmus, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Vnde cum Paulus ad Hebræos 11. narraſſet multorum martyrum pænas, & mortes diuerſas, concludit dicens. Et hi omnes teſtimonio fidei probati inuēti ſunt. Et nota, quòd hoc quod dicit, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* quòd nimis quandoque notat ſuperabundantiam: & tunc eſt vituperabile. vt cum dicitur, nimis comedis, vel nimis peccaſti. Sic enim Dauid ait quando reprehenſus fuit de peccato quod fecerat. Peccaui nimis in hoc facto. Quādoque verò notat multū; vel perfectionē. vt cum dicitur, nimis honorati ſunt amici tui Deus, id eſt, multū vel perfectè. Sic & hic cū dicitur, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* id eſt, multū & perfectè credibilia ſunt facta. Perfectè autē & nimis credibilia facta ſunt teſtimonia fidei: quia ipſi apoſtoli habuerunt in ſe omnia quæ aliquem faciunt eſſe credibilem ſecundum philoſophū 3. rethor. vide ſupra ver. 252. Sequitur. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in lon. &c.* Per hoc enim vult oſtendere, quòd decens fuit eccleſiam Chriſti habere teſtimonia credibilia: quia indecēs eſt quòd in domo Domini, quę eſt eccleſia, aliquod non ſolum falſum inueniatur, ſed etiam nec aliquod falſitatis ſuſpicionem habens. Et ideo vt omnis falſitatis ſuſpicio tollatur de domo Domini, ipſam decet habere ſanctitatem per quam teſtimonia eius credibilia reddantur. Hoc etiam notandum, quòd de domo eccleſiæ Chriſti dicit, *Domum tuam decet ſanctitudo &c.* quia clericis qui in domo eccleſiæ teſtimonia fidei reddere debent: non ſufficit quòd ſint ſancti, ſicut & cæteros ſeculares eſſe decet: ſed magis requiritur iuxta modum loquendi quòd ſint ſanctitudo. Sanctitudo enim plus importat quàm ſanctitas: ſicut albedo pluſquam album: quia album eſt album ratione albedinis: non autem albedo eſt albedo propter album. ſic & ſanctitas eſt ratio qua aliquis dicitur ſanctus: & non econtrario. Clericos ergo qui habitant in domo domini, decet ſanctitudo: ſed ſeculares decet ſanctitas, quia clerici debent eſſe cauſa ſanctitatis laicorum: & non econtrario quòd laici ſint cauſa ſanctitatis clericorum.

*Mar. vlt.*

*Teſtimonium [illegible] cre[illegible]*

*Heb. 11.*

*[illegible] multipliciter.*

*Pſal. 21.*

*Sanctitudo [illegible] clericis, ſanctitas laicis.*



## PSALMVS XCIII.

1608 DEus vltionum dominus: Deus vltionum liberè egit.

Titulus huius pſalmi eſt, Pſalmus Dauid quarta ſabbathi. Ad huius intellectum ſciendum (vt communiter dicitur) quòd Dauid non fecit iſtum pſalmum, ſed Moyſes, ad extirpandum vnum errorem qui ſuo tempore per mundum ſeminabatur, quo multi de populo Iſrael erant corrupti. Qui error erat, quòd Deus non regit iſta inferiora: neque de illis curat. quia cùm Deus ſit ſummæ ſapientiæ ac poteſtatis, & ſummè bonus, ſi iſta gubernaret, in iſtis inferioribus nihil inordinatum fieret, ſicut in cæleſtibus quæ ipſe gubernat omnia ſeruant ordinatam ſibi diſpoſitionem, & ab illa non variantur. ſicut patet de motu cæli quod ſemper vniformiter mouetur: de motu ſolis, & Lunæ, ſtellarum & huiuſmodi. Iſta autem inferiora multipliciter variantur, & in illis multa mala contingunt, vt homicidia, furta, ſterilitas terræ, aëris infectio, peſtilētia &c. Etiā ex alio fortificabatur error iſte, quia videmus quòd in iſtis inferioribus indiſtinctè bona & mala dantur bonis & malis, & amplius bona malis & mala bonis. Quod nō cōtingeret ſi Deus iſta inferiora gubernaret: cùm ipſe ſit ſumma iuſticia. Iſte autē error fuit tēpore Moyſi: quod patet, quia iſte error fuit tēpore Iob. Vnde de Deo dicitur, Nubes latibulum eius: circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat. Moyſes autem & Iob fuerūt eodem tempore. Quod patet: quia Baldath ſuites, qui fuit ex quatuor amicis Iob contra eum diſputantibus: fuit ipſe Balach qui fuit tempore Moyſi. de quo habetur Nume. 22. Ex quibus ſequitur quòd error iſte currebat tempore Moyſi. Cum ergo error iſte ſit peſſimus, quia ad ipſum ſequitur quòd homines non curent bene agere: ſed quòd erunt ad vicia proni: & ſequentur magis delectabilia quam iuſta: magis ſenſum quam rationē: Ideo quia Moyſi fuit ſingularis cura ad extirpandum dictum errorem, iſtū Pſal. fecit, in quo apertè oſtendit Deum conſiderare iſta inferiora: & malos punire ac bonos remunerare. Vnde ait, *Deus vltionum Dominus.* & infra, *Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite.* nunquid qui finxit oculū non conſiderat? Ad propoſitum ergo iſte Pſalmus intitulatur. Pſalmus Dauid quarta ſabbathi. Quarto enim die ſabbathi, id eſt, quarto die ſeptimanæ, ſcilicet, die mercurij: vel quarto die ante ſabbathum, quod idem eſt: Deus fecit cæli luminaria, ſcilicet, ſolem & lunam in poteſtatē diei: & ſtellas in poteſtatem noctis. Ad denotandum quòd fideles debent eſſe inter alios certantes tanquam luminaria lucentes in mundo: ne ſcilicet iſto errore capiantur: ſed luminoſè cognoſcant per intellectum ipſum Deum per ſe omnia regere & diſponere: ſicut & ipſe omnia creauit & fecit. vt oſtenſum fuit ſuperius verſi. 566. Et eſt ergo ſenſus tituli talis ſecundū illos qui dicunt hunc Pſal. factum à Moyſe. Pſalmus Dauid, id eſt, Chriſti: quia oſtendit Chriſtum omnia regere quarta ſabbathi, id eſt, nos inducens ad lumen intellectus, quo cognoſcamus Deum omnia regere. quod lumen figuratur per quartam ſabbathi: qua die luminaria in cælo facta fuerunt. Vel ſecundum alios Dauid fecit iſtum Pſal. & hoc tenet glo. & tunc clarior eſt titulus. Intentionem mouet vt cognito Deo omnium gubernatore, patientiam habeamus in aduerſis. Diuiditur autem Pſalmus in partes tres. quia oſtēdit primò Deum malorum eſſe punitorem: ſecundò ipſum cunctorum eſſe cognitorem. ibi, Intelligite inſipientes. tertiò ipſum eſſe bonorum præmiatorem. ibi, Beatus homo. Quantum ad primum oſtendit Deum malorum punitorem: maximè cùm prauos Ægyptios Dei populum

*Error quòd Deus non regit iſta inferiora.*

*Iob. 22.*

*Moyſes & Iob fuerunt in eodem tempore.*

*Nume. 22.*

pulũ perſequentes; iuſtè ac manifeſtè puniuit. Circa quod tria facit: quia primò Deum vltorem malorum prædicat: ſecundò Deum ad malos puniendũ inuocat. ibi, *Exaltare*. tertiò peccata Ægyptiorum punienda manifeſtat. ibi, *Populum tuum*. Quãtum ergo ad primum, ſciendũ quòd homines aliorum iudices in iudicando nõ ſunt veri domini: tũ quia altiorem dominum habent ſupra ſe, ſcilicet Deum: tũ quia ex ſuo libero arbitrio alios non debent iudicare: ſed ſolum ſecundum leges & iura 3. q. 7. iudicet ille. 2. q. 1. vnus. & capit. ſi peccauerit. Propter quod dicit Gregor. 24. moral. ca. 29. quòd quilibet iudex in terris cogitare debet quòd ſuperiorem iudicem habet in cælis. Deus autẽ cùm ſuperiorem iudicem, vel dominum non habeat, neque in terris neque in cælis: ſequitur quòd ipſe ſolus verus eſt: & liberè poteſt iudicare quem vult punire: & cui vult parcere poteſt. Et ideo vocatur Dominus punitionum: quia aliquem punire vel non punire, liberè ſubeſt iuſtæ ſuæ volũtati. Quod attendens pſalmus ait, *Deus vltionum eſt Dominus*, id eſt, deus eſt dominus vltionum vel punitionum: & liber dominus: quia non ſubditus alicui domino vel legibus. vnde ſubdit, *Deus vltionum liberè egit*. Et ex hoc vult pſalmus, nos inducere ad patientiam habendam in aduerſis. quia ſi aliquis tibi iniuriatur: cogita Deum eſſe dominum vltionum & liberum iudicem. Noli tu de tua iniuria vindictam facere: quia officium eſt domini vltionum. Noli dicere, deus non vindicat iniuriam meam: quia neſcis modum quomodo ipſe illam vindicãdam diſpoſuit. Quæ omnia notans magiſter in gloſ. dicit, *Deus vltionum dominus*. Quaſi dicat, Putabatur Deus non vindicare in malos: ſed verè vindicat. Ne ergo feſtines tu alium punire, ſi ipſe te læſit: ſicut & tu nolles puniri alio rogante quem læſiſti. Noli ſubuertere pontem miſericordiæ quem tranſiſti. Et ſi ille peccat in te, ne pecces tu deterius blaſphemãs Deum. Appende in ſtathera æquitatis illum furem qui tua bona furatur, & te blaſphemum. Ille enim te dormire putat: tu verò Deum. ille ſomnũ captat hominis, vt aliquid furetur: & tu dicis, quia dormiat deus & hominem non videt, quia non punit. Nec optes vindictam, quæ ſi venerit, forſan te inueniet prius. Cogita Chriſtum iudicaturum: quia adhuc in carne loquens liberè egit, nulli pepercit, vitia hominum liberè correxit. Si ergo liberè egit tempore infirmitatis, vt quando in templo docuit tanquam poteſtatem habẽs, quia nec veritati eius nec poteſtati poterat obuiari. Quid ergo in iudicio faciet, qui iudicandus nec pepercit in verbo? vtique iudicaturus non parcet in facto. Vnde ſcribitur Eccl. 28. Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam.

*Gregor. 24. moral. ca. 29. Deus libere dominus & iudex eſt.*

*Vindicta deo eſt relinquenda.*

*Eccl. 28.*

1609. ## Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.

Hîc Deum ad malos puniendum inuocat. Et primò Deum ad punitionem inuocat. ſecundò ad hoc rationem aſſignat. ibi, *Vſquequo*. Quantum ad primum quo ad litteram Deum inuocat ad punitionem Ægyptiorum, qui iniuſtè detinebant populum Dei: & dura ſeruitute opprimebant, dicẽs, *Exaltare domine qui iudicas terram*. Quaſi dicat, Vſq; modo humilis apparuiſti Ægyptiis, permittendo populum tuum ab ipſis affligi. ſed nunc ô Domine, qui iudicas terram, id eſt, qui terrenos habes punire; exaltare, id eſt, oſtende potentiam tuam ipſos puniendo, *Redde retributionem ſuperbis*. Per ſuperbos intelligit Ægyptios, qui Dei mandatis nolebant obedire, vt ad Dei mandatum populum Iſraël dimitterent. vt patet in Exodo à quinto capit. vſque ad tertium decimũ, incluſiuè. Vnde & Pharao dixit, Quis eſt Deus vt dimitrã populum? Deũ neſcio: & Iſrael nõ dimittam. Exod. 5. Per iſta verba pſalmus Chriſtum inuocabat ad reſurrectionẽ. quaſi Chriſto dicat. Et ſi inter iudæos humilis apparuiſti, qui ibi te cæperunt, ligauerunt, flagellauerunt, & occiderunt: modo exaltare qui iudicas terram, id eſt, tu Chriſte cui omne iudicium datũ eſt à patre: exaltare reſurgendo, & aſcendendo. *Redde retributionem ſuperbis*: ſcilicet puniendo iudæos contra te ſuperbos. Quod adimpletum fuit per Titum & Veſpaſianum. Et nota quòd reddere, multas habet ſignificationes. vide verſi. 67. 535. Hîc autem accipitur reddere in malum pro malo pænæ, quod fit virtute iuſticiæ. Hic nota quòd inter omnia vicia ſuperbia magis puniri meretur: quia inter cætera peccata eſt maius malum. ſi cõſideres quòd malum ſuperbiæ eſt magis generoſum in naſcendo: magis animoſum in videndo: & magis cauteloſum in alliciẽdo. Primò ſuperbia eſt magis generoſum malum in naſcendo. patet: quia eſt malum ſpirituale, vnde inter angelicos ſpiritus fuit adinuentũ. Et ideo nobiliores & altiores mentes magis infeſtat. Vnde Hieronymus in quadam epiſtola ait, Superbia natione cæleſtis ſublimium appetit mentes: & quaſi ad proprium rediens ortũ appetit omnium gloriam & puritatem corrumpere, quæ de ſua puritate & gloria corruit: vt quos repererit participes gloriæ, conſortes faciat ruinæ. Sic tamen fatua eſt quòd ad domum neſcit redire. Vnde Hugo de ſuperbia dicit, quòd eſt valde immemor qua via de cælo ceciderit: vnde illùc poſtea redire non potuit. Secundò ſuperbia eſt vicium magis animoſum in videndo. vnde hoc vicium nõ parcit perſonæ, non loco, nõ tempori: immo quãto ſtatus eſt ſuperior ſiue ſublimior: tãto ſuperbia eſt promptior. vt patet in præſidentibus, & omnibus aliis, in quibus vigere deberet maior deuotio, ibi ſe magis immiſcet ſuperbia, vt magis ſuperbiæ ſtudeant & oſtentationi. Nõ enim parcit perſonæ: non pepercit Chriſto, quia Chriſtum ſpiritus ſuperbiæ tentauit: ſed non profecit. Angelum & hominem inuaſit. Quia vt dicit Hiero. difficilius arrogantia caremus quàm auro vel gemmis. Non parcit tempori: immo quanto dies ſanctior, tanto magis infeſtat. Non parcit ſtatui: immò omnes generaliter inuadit: ſenes cum iunioribus: religioſos cum ſecularibus: diuites cũ pauperibus: ſubditos cum ſuperioribus. & non eſt qui ſe abſcõdat à calore eius. Ideo orat pſalmus, dicens, Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me. Pes ſuperbiæ eſt affectus per quem homo recedit à Deo. Manus peccatoris eſt tentatio diaboli fortis, qua vt manu ad peccatum impellit. Tertiò eſt vicium cauteloſum in alliciendo. Facilè eſt enim deteſtari gulam; luxuriæ reſiſtere. Vnde ſicut ſagittarius ſi percutiat beſtiam in pede, nõ eſt ſecurus de ea, niſi ipſam percutiat in corde: ſic ſi diabolus percuſſerit hominem in pede per immoderatam affectionem, vel alibi: homo tamen facilè poteſt euadere. Sed ſi percuſſerit in corde per ſuperbiam: euadere non poteſt ſine difficultate. vnde 4. reg. 9. Egreſſa eſt ſagitta per cor regis: ſtatímque corruit. Et Hiere. 49. Arrogantia tua decepit te: & ſuperbia

*Superbia eſt maius peccatum cæteris.*

*Hierony.*

*Hugo.*

*Math. 4.*

*4. Reg. 9. Hiere. 9.*



ſuperbia cordis tui. Superbus enim deo odibilis eſt & habet ſibi deum aduerſarium. quia vt dicitur Eccl. 10. Odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia. Quibus conſideratis quid mirum ſi præ cæteris peccatis puniri meretur? Propter quod ait pſalmus, *Redde retributionem ſuperbis*.

1610 ## Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur.

Hîc oſtendit rationem quare peccatores Ægyptios petit puniri. Et duas aſſignat rationes. prima, quia de peccatis gloriantur: ſecunda, quia de peccatis contra Deum eleuantur. ibi, *Effabuntur*. Primò quia de peccatis gloriantur, quærunt doctores, quod eſt maius peccatum: vel certum peccatum committere, vt puta adulterium: vel poſt commiſſum peccatum in recordatione ipſius gloriari, vel delectari. Et reſpondent quòd maius peccatum eſt ſecũdum. Quod probatur, quia cum tota ratio peccati ſtet in voluntate, vbi eſt æqualis mala voluntas, ibi eſt æquale peccatum. Modo ille qui in recordatione peccati gloriatur, vel delectatur: hoc ipſo quòd gloriatur, nõ deteſtatur peccatum, ſed vult illud ſe commiſiſſe: & ſic tantam voluntatem habet circa illud, ſicut committẽdo habuit. Vltra hoc habet delectationem nouam vel gloriam quam primò nõ habuit. ergo. Et vltra hoc committẽdo adulterium, habet obiectum extrinſecum quod ipſum ad peccatum inclinat. habet etiam carnis ſtimulũ. Sed in delectatione vel gloria recordationis peccati nullum horum habet, niſi propriam maliciam. Quãto autem peccatum eſt ex maiori tentatione minus eſt: & quãto ex minori maior eſt. ergo. Grauitatem autem hanc peccati allegat pſalmus ad ipſorum punitionẽ dicens, *Vſquequo peccatores Domine: vſquequo peccatores gloriabuntur*. Quaſi dicat, vſquequo permittes impunitũ peccatum Ægyptiorum qui gloriantur in peccato ſuo, ſcilicet, in hoc quòd populum tuum violẽter tenent oppreſſum? Per iſta autem verba pſalmus quærit tempus punitionis Iudæorum, qui gloriãtur ſe Chriſtum occidiſſe. De quibus dicitur Prouer. 2. Lætantur cùm malè fecerint: & gloriantur in rebus peſſimis. Et nota quòd aliqui de peccato gloriantur ante peccatũ: ſicut ille diues qui dixit, Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos: ſede, lætare, comede &c. Alij gloriantur in peccando. De quibus dicitur pſalm. 51. Quid gloriaris in malicia, qui potens es in iniquitate? Alij gloriantur poſt peccatum, vt prædictum eſt. Lætantur cum malè fecerint &c. Quorum omniũ iſtud vltimum eſt peius: quia minori motiuo committitur.

*Prouerb. 2.*

*Luca 12.*

*Pſal. 51.*

1611 ## Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniuſticiam?

Hîc allegat ſecundam rationem: quia ſcilicet illi de peccatis contra Deum eleuãtur & ſuperbiũt. Videns enim Pharao, quòd Dei populum ſubiectũ poſſidebat: ſe deo reſiſtere gloriabatur, nec Dei mãdatis volebat ſubiici. Vnde dixit Exod. 5. Quis eſt Dominus, vt audiam vos, & dimittam Iſrael? Deum neſcio, & Iſrael non dimittam. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Effabuntur & loquentur iniquitatem*. Vbi aduerte, quòd for, aris, quod idem eſt quòd loqui, componitur cum ex: & dicitur effor, effaris: quod eſt extra loqui. Quod dicitur ad differẽtiam illorum qui tantum in corde ſuo loquuntur, & nõ extra. ſicut dicitur 1. reg. 1. Porro Anna loquebatur tantum in corde ſuo. Ille ergo effatur, qui non ſolum in corde loquitur, ſed quod habet in corde extra loquitur verbis. Vnde ſicut bonum loqui in corde eſt virtuoſum: ſed illud ad exemplum aliorum effari eſt magis virtuoſum, ſic & per oppoſitum de malo: magis vicioſum eſt malum effari quo alij corrumpantur, quam ſolum illud in corde loqui. 1. Corin. 15. Corrumpunt bonos mores eloquia praua. Volens ergo Pſalm. illorum peccata exaggerare, dicit, *Effabuntur, & loquentur iniquitatem*: quia apertè Pharao contra Deum loquebatur: vt dictum eſt. Et qui ſunt, ibi, ſubdit, *Omnes qui operantur iniuſticiam*, ſcilicet, Ægyptij qui iniuſtè opprimebant filios Iſrael. Et per iſta verba Pſal. notat omnes qui prædicto errore corrupti, dicũt Deum de iſtis inferioribus nõ curare nec illa regere. Tales enim effantur: quia quod intus habent, extra fantur: dicentes contra Deum. Deus nõ curat iſta, vel non placent ei bona quæ facimus: quia iuſtis mala eueniunt, ſed malis proſpera. Cur ergo non facerem quod libet? Ego malè agendo ſum felix. iuſtus bene agẽdo eſt miſer. Talia ergo effantur. Sed qui, ſubdit, *Omnes qui operantur iniuſticiam*. Per hoc etiam tangit Iudæos qui contra Chriſtum expreſſè loquebantur operãtes iniuſticiam, ſcilicet, cum ipſum iniuſtè traderent. De quibus dicitur Pſal. 72. Cogitauerũt & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt. poſuerunt in cælum os ſuum. Omnes etiam qui prædicto errore decepti dum in aduerſis murmurant: contra Deum effanctur. Vnde Gre. 2. moral. cap. 19. Stultè contra Deum loquitur, qui inter aduerſa poſitus, ſemetipſum iuſtificare conatur. Si enim ſe ſanctiorem aſſerere, ſuperbè audeat: quid aliud quã iuſtitiam ferientis accuſat?

*Exo. 5.*

*Effari enim extra loqui.*

*1. Reg. 1.*

*1. Corin. 15.*

*Pſal. 72.*

*Loquitur cõtra Deum qui murmurat in aduerſis.*

## Populum tuum domine humiliauerunt: & hæreditatem tuam vexauerunt. 1612

Hic explicat Ægyptiorũ peccata: propter quæ punitionem ipſorũ poſtulat. Et duo peccatorum genera maximè explicat. ſcilicet primò peccauerunt contra proximum: ſecundò peccauerũt contra Deum. ibi, *Et dixerunt*. Contra proximum autem peccauerunt dupliciter: ſcilicet per ſuperbiam proximos iniuſtè ſubiugando: & per crudelitatem eos paſſim trucidando. Quantum ad primum dicit, *Populum tuum Domine humiliauerunt*. Nam humiliare, quandoque idem eſt quòd alium ſibi ſubiugare, & ad baſſum ſub ſe ponere. vide ſuprà verſi. 616. 896. 1233. Ipſi autem Ægyptij populum Domini humiliauerunt: quia ipſos oppreſſerũt operibus duris, luti & lateris ad faciendum ciuitates Pharaonis. vt habetur Exo. 1. Intantum quòd vitam eorum ad amaritudinem perducebãt. Et quòd intelligat per populum Domini filios Iſrael, ſubdit. *Et hæreditatem tuam vexauerunt*, ſcilicet, ipſos filios Iſrael qui ſoli hæreditas Dei dicebantur. vt oſtenſum fuit ſuperius verſi. 1356. Per hoc vult Pſal. allegare Deo ſuperbiam mundanorum, qui dicunt Deum non regere iſta inferiora: & ideo potentia opprimunt iuſtos, & humiliant. ſicut Nero humiliauit apoſtolos Petrum & Paulum, & oppreſſit. Decius Sixtum & Laurentium. Maxentius

*Humiliantur boni à malis.*

Cateri

*Aduerſa humiliant.*

Caterinam. Vel poſſunt verba prædicta intelligi de humiliatione virtutis:eo quòd aduerſa inflicta multoties etiam ad veram humilitatem deducunt hominem : & ipſum in humilitate conſeruant. Et ſic Ægyptij humiliauerunt Iſraelitas : & tiranni humiliauerunt iuſtos , & martyres Chriſti. Ideo enim Deus permittit iuſtos ab iniquis hæc pati:vt ſeipſos cognoſcentes ad virtutem proficiant humilitatis,vel habitam cuſtodiant humilitatem. Sic enim datus eſt Paulo ſtimulus tẽtationis, vt virtutem ſeruaret humilitatis. Vnde ait Grego. Cum enim virtutibus proficimus : ſi nulla nos pulſaret aduerſitas ; nos alicuius fortitudinis eſſe crederemus. Sed quia nobiſcum ſuperna diſpenſatione agitur,vt infirmitatis noſtræ,quia proficiẽdo obliuiſcimur, aduerſis percuſſi recolamus. Sæpe enim anima alicuius boni ſibi conſcia cum virtutes ſuas ſibi ad memoriam reuocat, quadam delectatione paſcitur:& quaſi gratulatione propriæ plenitudinis impinguatur. Sed cum aduerſitatibus tangimur , qui nos alicuius eſſe momenti bona noſtra pẽſando credidimus:iã pulſati aduerſitatibus formidamus : tunc iniquos nos eſſe deprehendimus, qui ſanctos nos paulò ante eſſe credebamus. Tabeſcit mens,ſtupeſcunt oculi:& omne quod prius proſperũ arridebat, euaneſcit &c. Ad propoſitum ergo mali populum Domini humiliant : cum bonos aduerſitatibus pulſando , ipſos in humilitate cõſeruant. Bonos ergo à malis permittit Deus aduerſis humiliari : vt per humilitatem à fulmine diuinæ ſententiæ finaliter liberentur. Docet experientia quòd natura fulguris eſt tranſire per medium corporis poroſi,& non reſiſtentis abſque læſione : corpora verò reſiſtentia in puluerem redigit. Sicut patet 3. methereorum:ſecundum Albertum de ferro poſito in vagina. Nam per fulgur ferrum comminuitur vbi vagina manet illæſa. Cuius cauſa eſt reſiſtẽtia ferri. Sic ſpiritualiter gladius diuinæ vltionis humiles & obediẽtes Deo trãſit ſine læſione : conterit autem & comminuit reſiſtentes ſuperbos. Hac ergo ex cauſa permittit Deus,vt populus ſuus humilietur,ſcilicet,vt boni aduerſis affligantur à malis. Vnde iuſti dicunt , Humiliaſti nos in loco afflictionis.

*Greg.23.mor. c.27.* *Pſal.43.*

1613 Viduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

Hic explicat peccatum crudelitatis ipſorum. Quantum ad literam præcepit rex Pharao obſtetricibus, quòd quicquid maſculini ſexus ex Hebræis naſceretur,occiderent : ſed fæminas reſeruarent. Quod quia obſtetrices timentes Deum non fecerunt:Pharao præcepit populo ſuo vt quicquid ex Hebræis maſculini ſexus naſceretur , proijcerẽt in flumen. Nulli autem dubium eſſe debet quòd tam patres quam matres videntes tam crudelem ſentẽtiam in filios ſuos datam,poſtquam nati erãt, antequam filij necarentur ipſi parentes dolore deficiebant. Et ſic ex mandato dato interficiebantur dolore etiam antequam nati necarẽtur. Et hoc eſt quod dicit, *Viduam & aduenam interfecerunt.* Ipſi enim Iſraelitæ aduenæ erant in Ægypto. Et ſic per viduam intelligit matrem : ſed per aduenã patrem. Moriebatur enim primò dolore pater pueri necãdi:& ſic vxor vidua remanebat. conſequenter moriebatur hæc vidua relicta : poſt quorũ mortes occidebatur pupillus,qui remanebat. Ex quibus ſenſus literalis clarus apparet. Per hoc enim vult Pſal. exaggerare ipſorum peccatum : quia contra iſtos ſæuiebant : ſcilicet contra viduam & aduenam & pupillum quibus Deus magis præcipit miſereri. Per hoc vult Pſal. oſtẽdere crudelitatem malorum cõtra bonos:qui viduam occidunt dum animam Chriſti ſponſam ſuis perſecutionibus ſuo ſponſo Chriſto priuant:& ad mortem ſpiritualem perducũt. Aduenæ ſunt pauperes Chriſti,qui hic manentem ciuitatem non habent:ſed futuram inquirunt. Quos interficiunt dum eos blandis vel aſperis ad mundum per amorem terrenorum reducũt.

## Et dixerũt , non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacob. 1614

Hic oſtendit quomodo directè peccauerũt contra Deum , ſcilicet , negantes ſcientiam Dei quæ Deus eſt : ſcilicet quia negabant Deum cognoſcere iſta inferiora. qui error eſt cauſa omnis peccati. Qui enim corde crederet Deum videre omnes nos, & noſtra tam cogitationes quam opera , & hoc actualiter cogitaret : quomodo auderet illa mala opera facere, vel corde cogitare : quæ cogitare vel facere in conſpectu hominum etiam ſubditorum non auderet ? verè nullo modo. Sed quamuis fide credamus Deum videre omnia:tamen quãdo peccamus hoc actualiter corde cogitare negligimus. Error autem iſte ex hoc proceſſit:quia hominibus accidit ſicut pueris : qui quando clauſos habent oculos,neminem vidẽt : ipſi à nemine ſe videri putant. Sic & peccatores mente non videntes Deum, ſe putant non videri à deo. Vnde Greg. ait. Exteriora noſtra opera patent oculis hominum : longè verò incomparabiliter interiores ac ſubtiliſſimæ cogitationes noſtræ patent oculis Dei. Omnia enim (ſicut ſcriptum eſt)nuda & aperta ſunt oculis eius. Et ſæpe in exteriori opere ante oculos hominum inordinari metuimus : & in interiori cogitatione Dei reſpectum non metuimus:quoniam videntem non videmus. Multo enim magis intrinſecus Deo, quam extrinſecus hominibus cõſpicabiles ſumus. Vnde ſancti omnes foris intuſque ſe conſpiciunt: quia reprehenſibiles ſe exterius vel iniquos interius videri inuiſibiliter timent. Hinc eſt quòd animalia quæ per prophetam videntur in circuitu & intus plena oculis eſſe memorãtur. Quiſquis enim exteriora ſua bene diſponit : ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet,ſed intus oculos non habet. Sancti verò quia exteriora ſua circunſpiciunt vt bona de ſe exempla fratribus præbeant, & interiora ſua vigilanter attendũt:quia ſeſe irreprehenſibiles interni iudicis obtutibus parant , & in circuitu & intus oculos habere perhibentur, magiſque ſe quo Deo placeant ſua interna conſpiciunt & componunt &c. Ex quibus patet, quòd cogitãs ſe interius videri à Deo, non peccat. Et ſic peccantes credunt , vel non aduertunt ſe interius à Deo videri,nec exterius. Et hoc eſt quod dicunt , *Non videbit Dominus* , ſcilicet, opera noſtra exterius : *nec intelliget Deus Iacob* , ſcilicet , noſtras cogitationes interius. Et iſte error apud homines creuit : quia ſciunt Deum eſſe iuſtum : & ideo quando peccata non punit : credunt Deum illa non videre. Et hoc eſt quod ait Greg. 25. moral. c. 2. Sæpe enim euenit vt dum peccatores ſuperna clementia expectat : in maiorem cordis cæcitatem proſiliant. Ecce dum violentus quiſque dum quæ poteſt,rapit , dum inualidos opprimit,& dum diu omne quod nequiter concupiſcit , exercet ; quia non ſubito percutitur, ſed ei⁹ in finẽ pœna differtur:nequiſſima eius actio à deo videri non creditur. cum tamen ſcribatur, Oculi eius ſuper vias hominũ:& greſſus eius conſiderat. Tunc enim nequaquam cõſiderare credebatur:quando peccator omne malum quod poterat,inultè perpetrabat. Æſtimabatur Deus non videre:quia differebat punire. Iniquus igitur totiens in peccatis ſuis non videri à Deo credidit, quotiẽs inultè peccauit. Peccatores ergo Ægyptij nondum à Deo puniti,credebant à Deo nõ videri, dicentes, *Non videbit Dominus.&c.*

*Deus omnia cognoſcit & videt.* *Grego.19. moral. c.10. Hebr.4.* *Eze.10.* *Deus peccata omnia cognoſcit.* *Deus cognoſcere peccata non creditur quãdo non punit.*

## 1615 Intelligite inſipientes in populo,& ſtulti aliquando ſapite.

Hic oſtendit ipſum Deum omnium habere cognitionẽ. Et duo facit, primò excitat auditores. ſecundò propoſitũ probat per rationes. ibi, *Qui plantauit.* Quantum ad primum ſciendum , quòd aliquorum ad inuicem conuerſatio eſt cauſa participationis morũ adinuicem. Et facilius mali trahũt bonos ſecum conuerſantes ad ſuos malos mores, quam ipſi trahantur à bonis. Quod ſatis docet experientia Pſal. 17. Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Societas malorũ bonos corrumpit,vt deducit Greg. 6. moral. c. 1. Quia igitur omnes filij Iſrael quos Moyſes eduxit de Ægypto, nati fuerant in Ægypto , & cum ipſis toto tempore ipſorum conuerſati , ideo multi illorum erroribus Ægyptiorũ erant infecti. Vnde & propter hoc ad idololatriam erãt proni,quod nõ fuit antequam Ægyptum intrarẽt. Inter errores autem Ægyptiorum vnus erat, quòd Deus nõ cognoſcebat iſta inferiora,nec ipſa regebat,nec cõſiderabat. & ſic impunè quilibet poterat idololatrare , & quæcũque alia mala facere. Hos ergo iſto errore taliter infectos tanquam fatuos & inſipientes ad ſuum auditorium aduocat Pſal. dicens , *Intelligite inſipientes in populo.&c*, id eſt, intelligite rationes probãtes Deũ omnia ſcire. Nota quòd multiplici ratione inſipiẽs quis dicitur in ſcriptura,ſcilicet Ratione fatuitatis & amentiæ. Ratione iniquitatis & malitiæ. Ratione inhoneſtatis & ſtulticiæ. Ratione vilitatis & immunditiæ. Ratione incredulitatis & perfidiæ. Primi ſunt illi qui ad modum amentiũ Deum negant, vel quaſi non eſſet Deus, de ipſo non curant. De quibus dicitur, Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt deus. Secundi ſunt ad modum furioſorum , qui ſine remorſu conſcientiæ perpetrant mala , vel gaudent in malis. De quibus dicitur , Inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam. Et tales quia ſunt ſine virtute, dicuntur inſipiẽtes. Nullus enim eorum qui ſecundum virtutem viuunt ſtultus dicitur. vt dicit Philoſoph. 4. ethi. Tertij ſunt ad modum ſtultorũ , qui veſtibus vilibus aut nudi inhoneſtè incedũt. Homo enim inhoneſtus habitu merito inſipiens reputatur, ſicut Dauid inhoneſto geſtu & modo reputatus fuit inſipiens & repudiatus à rege Geth,& exercitu eius. licet ipſe ſagaciter hoc finxerit pro ſalute ſua quia vt dicit Cato, Inſipiens eſto,dum tẽpus poſtulat aut res , Stulticiam ſimulare loco ſumma prudẽtia eſt. Tamen inhoneſti reputantur inſipientes & temporaliter & ſpiritualiter. Vnde Eccleſia. 20. Melior eſt qui celat inſipiẽtiam ſuam , quam qui abſcondit ſapientiam ſuam. Quarti inſipientes ſunt peccatores , ſicut ex operibus iudicatur. In quorum perſona dicitur, Deus tu ſcis inſipientiam meam & delicta mea. &c. Et Pſal. 37. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Quinti ſunt inſipientes , ſcilicet,increduli,qui credentes ſe eſſe ſapientes,ſcilicet,in fide ſtulti facti ſunt. De quibus dicitur Lucę 6. quòd impleti ſunt inſipientia,& quęrebant quid facerẽt de Ieſu. &c. Et de talibus loquitur apoſtolus dicens, Eramus & nos inſipiẽtes, ſcilicet,in iudaiſmo,quia ignorabant Ieſum,qui eſt virtus & ſapientia. Primo autem modo erant inſipientes illi quos excitat Pſal. dicens. *Intelligite inſipientes.&c.*

*Grego.6. mor. c.1.* *Inſipiens quis dicitur multipliciter.* *Pſalmus 13.* *Sap.10.* *1 Regum 21.* *Cato.* *Eccl.20.* *Pſalmus 68.* *Pſalmus 37.* *Rom.1.* *Ad Titum 3.*

## Qui plantauit aurem , non audiet: aut qui finxit oculum, non cõſiderat? 1616

Hic adducit rationes ad propoſitum. Et probat primò quòd Deus omnia perſpiciat. ſecundò quòd mala corrigat. ibi , Qui corripit. tertiò concludit quòd cogitationes noſtras cognoſcat. ibi , Dominus ſcit. Quantum ad primum volens oſtendere quòd Deus omnia videt , & omnia audit : arguit ſic. Quicquid eſt perfectionis in hominibus & creaturis inferioribus,totum prius & eminentius exiſtit in prima cauſa:ſed perfectionis eſt in homine quòd iſta inferiora audiat , & quòd illa videat: ergo & Deus illa videt & audit. Patet maior : quia quicquid habent iſta inferiora,habẽt à prima cauſa. Quomodo autem prima cauſa alicui daret perfectionem quam in ſe non haberet? quia nemo dare poteſt quod non habet formaliter vel virtualiter. Et hanc rationem ponit dicens , *Deus qui plantauit aurem* , id eſt,qui aures dedit homini vt audiret,ipſe non audiet ? q.d. inconueniens eſt ponere quòd Deus virtutem audiendi communicauerit homini,& ipſe audire non poſſit:quia tunc perfectior eſſet homo quàm Deus. Eodẽ modo arguit, de cognitione dicens, *Aut qui finxit oculum non conſiderat?* q.d. Deus qui oculum dedit homini ad cognoſcendum alia,ipſe nõ cognoſcet? id eſt, impoſſibile eſt quòd ipſe nõ cognoſcat. Et aduerte quòd duplex eſt oculus,ſcilicet , exterior quo videntur corporalia:& interior quo videntur ſpiritualia,ſcilicet, intellectus. Et vtrunque oculum dedit Deus homini,vt cognoſceret exterius,& intelligeret interius. Et nota quòd non dicit qui plãtauit aurem non habet aures:ſed dixit , non audiet. Nec dixit, qui finxit oculum,non habebit oculum:ſed dixit, non conſiderat. Quia virtutes iſtorum membrorũ in ſe habet Deus : ſed iſta membra non habet quia Deus ſpiritus eſt,non corpus. Iſta autem membra ſunt corporis. Quaſi dicat ſecundum gl. Deus qui fecit tibi vnde audias , non habebit ipſe vnde audiat? Qui fecit tibi vnde cognoſcas:nonne habebit ipſe vnde cognoſcat ? Certè immo habet. nulli enim tantum dedit Deus quantum in ſe habet. Et aduerte quòd quandoque ſcriptura dicit Deum habere membra corporalia,vt aures,oculos , manus,& huiuſmodi:non quia talia membra corporalia Deus habeat;ſed virtutem illorum membrorum in ſe continet eminenter. Vnde Grego. ait. In Deo qui corporis forma non circũſcribitur,membra corporis,id eſt,manus,oculi, vterus ita nominantur:vt ex membrorum vocabulis effectus eius potentiæ deſignetur. Oculos quippe habere dicitur,quia cuncta videt. Manus habere deſcribitur, quia cuncta operatur. &c.

*Membra corporis Deus nõ habet.* *Grego.14. mor. c. 22.*

## Qui corripit gentes , non arguet: qui docet hominem ſcientiam? 1617

Hic oſtendit quòd Deus mala corrigit. Vult enim eis Pſal. probare, quòd Deus ipſorum pecca-

ta puniet per experientiam habitam. Viderãt enim in exitu de Ægypto quomodo Deus gẽtiles, Ægyptios & peccatores rigidè punierat omnes ſubmergendo in mare. Cùm ergo nõ minus ſit peccatum illorum qui ſunt de populo Dei, quàm gentilium, immo maius, & committant maiorem ingratitudinem: conſequens eſt quòd ſi illorum peccata ſic puniuit, quòd & veſtra puniet. Et hoc eſt quod ait, *Qui corripit gentes*, ſcilicet Ægyptios ipſos: ſed ipſorum peccata ſubmergendo non arguet. q.d. immo etiam arguet vos. Vel aliter. Deus corrigit peccatores multipliciter ipſos vocando ad pænitẽtiam per prophetas per Chriſtũ per apoſtolos, & alios prædicatores. quod non faceret niſi peccata ſibi diſplicerent. Conſequens eſt ergo quòd ſi corrigit gentes vt emendentur, quòd non emendatos finaliter arguet in iudicio. Et iſtũ ſenſum clarius ponit alia litera quæ dicit, Qui erudit gentes nõ arguet. Vbi gl. Ad erudiendas gentes miſit Deus filium ſuum: & ante ipſum & poſt ipſum miſit ſeruos ſuos prophetas & apoſtolos. Nõne ergo arguet, id eſt, iuſtè iudicabit quibus ſermonẽ doctrinæ præmiſit? Magiſter in ſcholis erudiẽs committit tibi vt reddas. Vtique quando accipis à magiſtro, eruditis: committit tibi magiſter quòd præbet, nonne exiget vt reddas? Et cum cæperis reddere ſine metu eris plagarum. Sic Deus exigit quod ſeminauit. Qui enim modo accipimus: poſtea ſtatuemur ante magiſtrũ vt reddamus rationem de omnibus. Vnde apoſtolus, Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit. &c. Et hanc ſimilitudinem de deo & nobis ponit Pſal. dicens, quòd Deus eſt ſicut magiſter qui docet hominem ſcientiam. Per iſta ergo oſtendit Pſal. quòd Deus arguet peccatores. Et nota quòd Deus aliquos arguit tripliciter: quia quoſdam arguit in æquitate, quoſdã in ira, & quoſdam in furore. Primò arguit aliquos in æquitate, ſcilicet quãdo electos ſuos vt pius pater hic arguit & caſtigat vt emendet. De quo Eſa. 11. Non ſecũdum viſionem oculorum arguet: ſed iudicabit in iuſticia pauperes: & arguet in ęquitate pro manſuetis terrę: & percutiet terram virga oris ſui. Arguẽs enim virga terram percutit Deus, quãdo leuiter ſuos aduerſis tangẽdo ipſos ad pænitẽtiã ducit. Vnde Bruno ſuper illo verbo Exo. 7. Virga verſa eſt in colubrum. dicit: Quid per virgã, niſi dulcis correctio domini deſignatur: dicente pſal. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt? Sed hæc virga in draconem vertitur, quando leuiter correcti emendare ſe nolunt. Et tunc quilibet ſic à Deo argutus dulciter ſe emendando eidem deo dicere debet illud Iob 20. Doctrinã qua me arguis audiam: & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit tibi. Secundò aliquos arguit in ira: quos ſcilicet temporaliter punit, vel igne purgatorij, ne æternaliter damnet. Vnde dicitur. Noli negligere diſciplinam domini: neq; fatigeris cum ab eo argueris: quem enim diligit Deus, caſtigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Vbi gl. Per tribulationes enim erudimur à domino. ideo ne fatigeris, ſcilicet, deficiẽdo dum argueris ab eo qui purgat peccata. Et meritò fatigari non debes, dum argueris ab eo: quia quem diligit dominus, caſtigat, id eſt, ipſum arguendo facit caſtum. Propter quod ſubdit. Flagellat autem Deus omnem filium quem recipit, id eſt, quem recepturus eſt in hæreditatem æternam. Addit autem, omnem, quia etiam vnicum filium ſuum qui fuit ſine omni peccato, flagellauit. Si ergo non argueris à Deo, ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorũ. Vnicus enim dei patris natus æqualis patri, & in forma dei verbo quo facta ſunt omnia non habebat quo flagellaretur: ad hoc autem carne indutus eſt vt ſine flagello non eſſet. Deus ergo qui flagellat vnicum filium ſuum ſine peccato: relinquet ſine flagello adoptiuum filium qui eſt cum peccato. vnicus fuit ſine peccato, non tamen ſine flagello. Exemplum hoc nobis propoſuit in paſſionibus ſuis. Non igitur turbari debemus dum à Deo arguimur, dum grauia & indigna patimur, ſi obliti nõ ſumus quæ pertulit iuſtus iuſtorum. Et attẽde hic iuſticiam & miſericordiam dei. Iuſticiã in hoc quòd arguit & flagellat. miſericordiam autem in eo quòd recipit. Et attẽde quòd nõ ait, Omnis qui arguitur vel flagellatur filius eſt: ſed omnis qui eſt filius arguitur & flagellatur. Et aliter nullus in filium recipitur niſi qui arguitur & flagellatur, ipſo dicente. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Tertiò Deus aliquos arguit in furore, ſcilicet obſtinatos, quos in perpetuum damnat. Vnde in epiſtola Iudæ dicitur, Ecce veniet dominus facere iudicium cõtra omnes: & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ quibus egerunt contra dominum. Vnde Bernard. ſuper illo verbo pſal. 6. Domine ne in furore tuo arguas me. dicit, Domine ne in furore tuo arguas me: ſicut feciſti angelum ſe exaltantem in cælo. neque in ira tua corripias me: ſicut feciſti hominem in paradiſo. Ambo iniquitatem meditati ſunt altitudinem affectantes: ille potentiæ: iſte ſciẽtiæ. Verum vtriuſq; altitudo deiecta eſt: ſed hominis mitius: quia angelus in furore fuit argutus: ſed homo in ira. Nam angelus dum arguitur in furore damnatur. Homo autem iram ſenſit, ſed non furorem. Vnde & filij eius non furoris, ſed filij iræ naſcuntur. Vis videre in furore argutum angelum? Vidi (inquit) ſathan tanquàm fulgur de cælo cadẽtem: quaſi impetu præcipitatum bibiſſe de furore Dei: quia ipſum arguendo non eſt recordatus miſericordiæ ſuæ: qui tamẽ cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur. Væ ergo illis filiis Adam, qui nati iræ filij iram in furorem ſibi vertunt. Et de iſta argutione furoris dicitur, Ego extendam manum meam ſuper Paleſtinos arguens in furore.

*Corripit Deus malos.* — *Rom. 14.* — *Arguit deus nos multipliciter.* — *Eſa 11.* — *Bruno. Exod. 7.* — *Iob 20.* — *Hebr. 12.* — *Apoc. 3.* — *Iudæ 1.* — *Bernard. Pſal. 6. Arguntur quidam in furore & alij in ira.* — *Luca 10.* — *Ezech. 25.*

## Dominus ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt. 1618

Hic ex prædictis concludit Deum ſcire ſecreta cordium. hoc enim eſt proprium Dei corda interius ſcrutari. Hoc enim ex prædictis ſequitur: quia dictum eſt quòd Deus habet arguere & punire peccata. peccata principalius ſunt in corde quàm in opere. Quomodo ergo iuſtè arguere poſſet peccata cordis, niſi corda videret? Et ideo ſequitur, quòd dominus ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt Gen. 8. Senſus & cogitatio hominis ad malum ſunt proni. Si autem nouit vanas cogitationes: conſequẽs eſt quòd & nouit bonas: quia bonum plus in ſe habet de ratione entitatis, & cognoſcibilitatis quàm vanum. Et nota quòd quamuis omnia nuda ſint, & aperta coram oculis Dei (vt dicitur Hebr. 4.) tamen in ſpeciali multa dicitur ſcire & cognoſcere, ſcilicet, noſtrã ambitionem & ſuperbiam: noſtram fragilitatem & miſeriã: noſtram aſperitatem & pænitentiam: cordis iniquitatem & maliciam: iuſtorum humilitatem & innocentiam. noſtram in aduerſitate patientiam. Primò cognoſcit noſtram ambitionem & ſuperbiam, ſed à longè. Pſal. 138. Quoniam excelſus dominus & humilia reſpicit: & alta à lõgè cognoſcit: quia ſcilicet humilia reſpicit oculo miſericordiæ. Si autem aliqui ſint ſuperbi non eum latent: ſed à longè cognoſcuntur ab eo: quia per gratiam non eſt cum illis. Nõ ergo hoc agit ſuperbus vt minus perfectè ab eo cognoſcatur: ſed vt non ſit cum illo à quo videtur. Et hoc eſt alta à longè cognoſcit. Secundò ſcit fragilitatem noſtram. Et hoc ipſum inclinat ad nobis compatiẽdum. Pſal. 102. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Cognouit enim deus (vt ait glo.) figmentum noſtrum, id eſt, infirmitatem noſtram. Nouit enim quod fecit, quomodo dilapſum ſit, quomodo reficiendum ſit, quomodo adoptandũ ſit, quomodo inhabitandum ſit. Factura autem creatoris ſumus: ſed peccãdo repulſi ipſi nos finximus. Tertiò ſcit noſtram in aduerſis humilitatem & pænitentiam: quam nobis inſpirat, vt à peccatis ſurgamus. Et hoc eſt quod ait Pſal. 138. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Vbi gl. Cognoſcit dominus ſeſſionem noſtram & reſurrectionem, quam ipſe nobis donat. Sedent humiles in patientia: ſurgunt erecti in ſpem vitæ æternæ. Item ſedẽt confitentes peccata ſua: ſurgunt iuſtificati gratia ſua. Dicam ergo Deo. Tu cognouiſti ſeſſionẽ meã, & reſurrectionem meam: quia per tuam gratiam iuſtificatus ſurgo: & in ſpem vitæ æternæ erigor. Et hoc dicere Deo nihil aliud eſt, quàm eius dona cognoſcendo ſibi gratias agere. Quartò cognoſcit iniquitatem cordis & maliciam: aliter enim illam iuſtè iudicare non poſſet. Pſal. 43. Nonne deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis. Vnde Hiere. 17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: & quis cognoſcet illud? ego dominus ſcrutãs, &c. Quintò cognoſcit iuſtorum puritatem: aliter enim iuſtè bona præmiare non poſſet. Ioã. 10. Ego cognoſco oues meas. &c. Sextò cognoſcit noſtrã in aduerſitate patientiam, vt ſcilicet ipſam remuneret. Pſal. 1. Nouit dominus viam iuſtorum. Pſal. 36. Nouit dominus viam immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

*Geneſ. 8.* — *Hebr. 4. Scit Deus multa & cognoſcit.* — *Pſal. 102.* — *Pſal. 138.* — *Pſal. 43.* — *Hiere. 17.* — *Ioan. 10.* — *Pſal. 1.* — *Pſal. 36.*

## 1619 Beatus homo quem tu erudieris domine: & de lege tua docueris eum.

Hic oſtẽdit Deum bonorum præmiatorem. Et duo facit. quia primò ponit bonorum præmiationem. ſecundò malorum iudæorum punitionem. ibi, Quis conſurget. Quantum ad primùm oſtendit quòd Deus ſuis electis tria facit. primò ipſos illuminat interius. ſecundò ipſos humiliat exterius. ibi, Vt mitiges eum. tertiò ipſos fortificat ſolidius. ibi, Quia non repellet. Quantum ad primum ſciẽdum quòd ſicut beatitudo patriæ principalius cõſiſtit in clara dei viſione: Hæc eſt vita æterna vt cognoſcãt te. &c. Sic & beatitudo viæ eſt in ipſius cognitione per fidem quæ fit per eruditionem legis diuinæ. Ideo volens oſtẽdere quòd Deus ſuos beatificat in patria, oſtendit quòd primò hic ad ſui cognitionem illuminat in via. Et hoc eſt quod ait, *Beatus homo quem tu erudieris domine.* &c. Quod ideo dicit, quia ſolus deus mentem interius illuminando docere poteſt. Homo enim docendo aures pulſat corporis. ſolus Deus illuminat mẽtem, vt oſtẽſum fuit ſuperius verſic. 1155. 1274. Et nota quòd erudit nos deus multipliciter. Primò nos erudit per gratiæ inſpirationem, vt pater filium, vt bonũ conferat. Vnde ad Titũ 1. Apparuit gratia dei omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegãtes impietatem & ſecularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus. &c. Deute. 8. Sicut erudit homo filiũ ſuum, ſic dominus deus erudit te vt cuſtodias mãdata eius. Secundò nos erudit per ſcripturæ cõſolationem ſicut magiſter diſcipulum. Per ſcripturas enim nos erudit quid credendum, quid ſciendum, quid fugiendum, quid ſequẽdum. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docẽdum, ad arguendum, & erudiendum in iuſticia: vt perfectus ſit homo ad omne bonum inſtructus. Vnde Oſe. 7. Ego erudiui eos, & ipſi receſſerunt à me. Et loquitur de eruditione facta per legem. Tertiò nos erudit per creaturarum contemplationem: ſicut artifex erudit diſcipulum per imagines & opera ſuæ artis. Sic contemplando opera dei erudimur de dei prouidentia, bonitate & benignitate. Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres erudit nos. Quartò erudit nos per diſciplinæ flagellationem: ſicut dominus ſeruum quando ipſum rebellẽ reperit, erudit flagellis. Eſa. 8. In forti manu erudiuit me, ne irem in viã populi huius. Et Hiere. 31. Caſtigaſti me domine, & eruditus ſum quaſi iuuẽculus indomitus. Et nota quòd iſta dei eruditio valet ad multa: quia per ſuam gratiam nos erudit, Primò ad peccata deuitandum: ſicut beſtia manſueta erudit catulos ſuos ad fugiẽda pericula, & animalia eis nociua. Vnde Iob 33. Erudiens nos inſtruit diſciplina, vt auertat hominem ab his quæ fecit: & liberet eum à ſuperbia. Secundò nos erudit ad mãdata cuſtodienda. & hæc eruditio aſſimilatur animali quod docet catulos ſuos ad ſequendum eius veſtigia: vt aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans. Deut. 8. Dominus deus erudit te, vt cuſtodias mãdata eius. Tertiò nos erudit ad æternam pænam præcauẽdum. Et hæc ſimilis eſt eruditioni principis erudientis commilitones ſuos, ne victi redigantur in ſeruitutem: ſic nos deus erudit vt inferni periculum deuitemus. Semita viæ ſuper eruditum, vt declinet ab inferno nouiſſimo. Quartò nos erudit ad vitam æternam appetendum. Et hæc ſimilis eſt eruditioni boni mercatoris, qui erudit filium ſuum ad acquirẽdum ex paucis multa, ex minimis magna, ex vilibus precioſa. Eccleſ. 7. Eruditio ſapientiam & vitam tribuit. Et quia omnis dicta eruditio eſt beatitudo viæ per quam peruenitur ad beatitudinẽ patriæ, ideo nũc ait pſal. *Beatus homo quem tu erudieris domine, &c.*

*Ioan. 17.* — *Erudit nos deus multipliciter.* — *Ad Titum 1.* — *Deut. 8.* — *2. Tim. 3.* — *Oſee 7.* — *Iob 35.* — *Eſa. 8.* — *Hiere. 31.* — *Erudit nos deus ad multa.* — *Iob 33.* — *Deute. 8.* — *Prouer. 15.* — *Eccleſ. 7.*

## Vt mitiges eum à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea. 1620

Hic oſtendit quòd Deus ſuos electos humiliat exterius. Vbi nota quòd mitis idem eſt quòd humilis & patiens. vnde mitigo, gas, idem eſt quòd aliquem humilem & manſuetum facere. Quemlibet ergo electum ſuum Deus ad hoc erudit, vt mitiget eum à diebus malis, id eſt, vt ipſum humilem & manſuetum faciat in diebus vitæ præſentis, qui dicuntur mali, quia aduerſitatibus pleni. Vbi aduerte quòd quamdiu boni in aduerſitatibus mitigantur, peccatori foditur fouea. Dum enim hic boni præmuntur aduerſitatibus, mali proſperitatibus florent. Et ſicut aduerſitas bonorum eis coronam gloriæ parat, ſic proſperitas malorũ fodit foueam illis.

*Proſperitas malorum fouea eſt illis.*

illis. Et ideo dum boni aduerſis humiliantur, proſperitatibus fouea foditur malis: quia cotidie per proſpera pergunt ad foueam mortis æternæ: vel continuè ſuperbiendo ſibi mortis æternæ foueam parant. Vnde hic ait glo. Ad hoc domine erudis, & doces tuos, vt à diebus malis, quibus, ſcilicet, florent mali, & boni laborant, mitiges eum, vt ſcilicet patienter ferat quicquid contra ipſum agitur. Mitiges domine donec fodiatur fouea peccatori. Ipſa namque fælicitas peccatorum ſiue malorum fouea eſt: quia dum florent, eleuantur per ſuperbiam: & ſicut magis ſe in altum eleuant, ſic magis cadũt ab alto. *Pſalmus 72.* Vnde alibi dicitur. Deieciſti eos dum alleuiarentur. Ideo enim malis parcit, vt fodiatur fouea ipſis. Per aſpera ergo boni mitigantur: ſed per proſpera, fouea, ſcilicet, æternæ mortis malis paratur. Vel aliter, Vbi nota quòd foſſa parata peccatori dicuntur vulnera Chriſti, quibus Chriſti corpus fuit foſſum. *Fouea dicuntur Chriſti plagæ.* Foderunt manus meas, & pedes meos. *Pſalmus 21.* Quæ foſſæ peccatori parantur, quamdiu durat vita prçſens: quia ſtat Chriſtus foſſis apertis ad peccatores recipiendum. Sed poſt hanc vitam non parantur iſtæ foſſæ peccatori, ſed clauduntur: quia amplius non recipiuntur ad pænitentiam. Totum ergo tempus præſens dicitur, donec fodiatur peccatori fouea. Et ſic eſt ſenſus, quòd Deus per flagella & aduerſitates erudit quẽlibet electũ. Ad quid? *vt mitiges eum à diebus malis*. id eſt, vt à diebus malis quibus aduerſitatibus repletur, mitis & humilis efficiatur. Et ſi quæras quamdiu à diebus malis mitigabitur iuſtus: reſpondet ſolum donec fodiatur peccatori fouea, ideſt, quãdiu Chriſtus in ſuis vulneribus paratus ſit recipere peccatorem. Et ſic hoc totum non eſt aliud dicere, niſi quod iuſti mitigantur aduerſitatibus quãdiu durat vita præſens.

## 1621 Quia non repellet Dominus plebem ſuam: & hæreditatem ſuam non derelinquet.

*Aduerſa iuſtos fortificãt.*

Hic oſtendit quod Deus ſuos fortificat ſolidius. Aduerſa enim iuſtis immiſſa ipſos fortius Deo coniungit. Quanto autem quis magis vnitus eſt Deo, fortior eſt: & per conſequens per aduerſa iuſti fortificantur. *Grego. 23. mora. cap. 28.* Vnde Grego. ſuper illo verbo Iob 33. Tabeſcit caro illius: & oſſa quæ tecta fuerant, nudabuntur. ait, Quid autem hoc loco carnis nomine, niſi ipſa delectatio carnis accipitur? Vel quid per oſſa, niſi virtutes animæ deſignantur? Tabeſcit ergo caro, vt oſſa nudentur: quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur: ea quæ dudum quaſi ſub carne latuerant, virtutum fortia pateſiunt. Nemo quippe quantum profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit. Cùm enim adſunt proſpera; cerni virium documẽta non poſſunt. Inde alias ſcriptum eſt, In die mandauit dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum eius. Quia videlicet vnuſquiſque ſuperni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit; ſed quantum perceperit in aduerſitate perturbationis oſtendit. Tabeſcat ergò caro, vt nudentur oſſa. Feriamur paternis correctionibus, vt quantum proficimus agnoſcamus. Flagellis enim domini pinguedo carnalis delectationis atteritur: ſed virtutum noſtrarum oſſa pateſiunt. Cæſis namque apoſtolis denunciatum eſt illis ne vltra loquerentur in nomine Ieſu: ſed magna exultatione gauiſi ſunt, quia digni poſiti ſunt pro nomine eius contumeliam pati: ſuiſque aduerſariis cum fiducia reſponderunt, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Act. 5.* Ecce inter aduerſa validius fidei robur emicuit. Ecce conciſa eſt integritas carnium: ſed patefacta ſunt oſſa virtutum. &c. Ex quibus ſequitur quòd aduerſa nõ ſunt ſignum reprobationis, ſed electionis & prçdeſtinationis. Et hoc intendit hic Pſal. dicens. *Quia non repellet dominus plebem ſuam* q. d. dictum eſt quòd bonos erudit per flagella: ſed nunquid flagellando ipſos aduerſis repellit eos? reſpondet quòd per flagella non repellet dominus plebem ſuam, & hæreditatẽ ſuam non derelinquet: immo dum magis flagellat illos, magis aſſociat. Cum ipſo ſum in tribulatione. &c. *Pſalmus 90.* Qualiter autem Deus aliquos repellit, & qualiter non: vide ſupra verſi. 705. 718. Et quomodo Deus derelinquit non bonos ſed malos, verſi. 630. 1149. Item quomodo fideles ſunt hæreditas Dei verſi. 178. 410. 975. 1366. Si autem quæratur quamdiu hoc durabit, ſcilicet, quòd Deus per aduerſa cuſtodiet ſuos electos, Reſpondet,

## Quoaduſque iuſticia conuertatur in iudicium: & qui iuxta illam? omnes qui recto ſunt corde. 1622

Ideſt tamdiu hic boni aduerſis prementur, quouſque iuſticia in iudicium conuertatur. Pro cuius intellectu ſciendum quòd iuſticia in nobis ſignificat habitum mentis qui ſtat etiam ſine aliquo actu exteriori: ſicut ſapiẽtia, ſicut miſericordia & huiuſmodi. Sed iudiciũ dicit actũ exercitum ab ipſa iuſticia, vel ab homine iuſto. vnde quis dicitur iuſtus à iuſticia etiam cum dormit: ſed iudicium dicitur cum actu iudicat. Iuſticia ergo conuertitur in iudicium, quando quis iuſtus intus habens iuſticiam, actum iuſticiæ exercet exterius, rectè iudicando. *Iuſticia quomodo conuertatur in iudicium.* A ſimili ergo iuſticia Dei conuertetur in iudicium, quando per ſuam ſibi eſſentialem iuſticiam iudicabit in vltimo iudicio bonos & malos iuſtè. Et ſic iudicium dicitur executio ipſius iuſticiæ. Verum quia iudicium illud erit valde tremebundum: quia dies illa dies calamitatis & miſeriæ. Statim quærit pſal. dicens. *Et qui iuxta illam*, ſcilicet, iuſticiam diuinam tunc ſtare poterunt ſine terrore? Et ſtatim ſibiipſi reſpondet, dicens, *Omnes qui recto ſunt corde*, q. d. & ſi dies illa malis ſit formidabilis, bonis autem & rectis corde delectabilis erit. Vel aliter, Vbi ſciendum quòd quandoque iuſticia accipitur pro hominibus iuſtis: ſicut ſapiẽtia pro hominibus ſapientibus. Et ſic tũc iuſticia cõuertetur in iudiciũ, quãdo iuſti cum Chriſto venient ad iudicandum. Et ad iſtum intellectum exponit iſtum paſſum Greg. dicens, Abſtuliſſe à iuſtis oculos ſuos dominus fortaſſe creditur: *Greg. 26. moral. c. 25.* quia iniuſtorum crudelitatibus hic ſine vindicta lacerantur: ſed famulos ſuos tunc magis reſpicit, cum iniuſtè eos nequitia perſequentis affligit. Videns enim quid hîc humiliter tolerant: iam præuidet quem illic miſericorditer recompenſet. Non ergo aufert à iuſto oculos ſuos. Ecce iſte humiliter ingemiſcit: ille ſuperbit, & nequiter floret. Iſte cor conuertit ad Deum: ille ſe de gloria iniquitatis extollit. Horum ergo quis diuinis obtutibus lõgè eſt: an qui iniuſticiam pertulit, an qui eam patientibus irrogauit? qui ſupernam gratiam inter mæroris tenebras tenuit: an qui inter exteriora gaudia lumen iuſticiæ intus amiſit? Et



Et infrà, De iuſtis autem dicitur, Reges in ſolio collocat. Semetipſos enim iuſti regendo ad tempus ſunt fatigati: ſed etiam in regno regenerationis internæ ſolio imperpetuum collocantur. Et eò illic accipiunt alios dignè iudicare, quo hic neſciunt nequiter ſibimetipſis parcere. Hinc enim alias dicitur, Donec iuſticia conuertatur in iudicium. Paulus de ſe ſuiſque conſortibus dicit, Vt nos efficeremur iuſticia Dei in ipſo. *2. Corin. 5.* Iuſticia ergo in iudicium conuertitur: quia hi qui nunc iuſtè ac irreprehenſibiliter viuunt, tunc iudicandi alios poteſtatem accipient. &c. Sed ne dubitetis qui ſint illi iuſti, qui conuertentur in iudicium, ſtatim pſal. de hoc proponit quæſtionem dicens, *Et qui iuxta illam?* ſcilicet, qui ſtabunt iuxta illam increatam ſapientiam ad iudicandum? Et reſpondet, dicens, *Omnes qui recto ſunt corde*. ſcilicet, omnes qui hoc volunt quod Deus vult. Qui voluntatem ſuam tortuoſam diuinæ voluntati ſubiiciunt, & ad regulam diuinç voluntatis dirigunt. Recti ſunt corde. vt puta voluntatem humanam vel naturalem quæ fugit aduerſa, quæ mortem abhorret, per voluntatem rationis Deo ſubiiciunt, exemplo Chriſti dicentis, Pater tranſeat à me calix iſte. Hæc eſt voluntas naturalis quam voluntas rationalis ſubiicit diuinæ voluntati dicens, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. vt ait glo.

## 1623 Quis conſurget mihi aduerſus malignantes: aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?

Hic oſtendit diuinam prouidentiam regere iſta inferiora per punitionem Iudæorum. Vbi notandum, quòd quamuis multoties populus Iudæorum in deſerto contra Deum peccauerit, & à Deo multoties fuerit punitus: de duabus tamen ſolum punitionibus hic facit mentionem, ſcilicet, de punitione facta, pro peccato adorationis vituli: & de punitione pro rebellione qua populus voluit in Ægyptum reuerti. Primò ergo agit de prima. ſecundò de ſecunda. ibi, Nunquid adhæret. Prima pars diuiditur in partes quatuor. quia ponit primò punitionis mandatum. ſecundò puniẽtis periculum. ibi, Niſi quia dominus. tertiò Dei datum adiutorium. ibi, Si dicebam. quartò cõſolationis largum beneficium. ibi, Secundum multitudinem. Quantum ad primum ſciendum quòd dum Moyſes cum Deo ſtaret in monte ad accipiendum legem; *Idololatriæ Iudæorum punitio.* populus vidẽs quòd moram faceret Moyſes ad redeundum, compulerunt Aaron vt ſibi faceret idolum, quòd colerent. qui fecit vitulum aureum quẽ populus adorauit dicens, Iſti ſunt dij tui Iſrael qui te eduxerũt de terra Ægypti. Quo facto Moyſes præcepto domini deſcendit ad populum, vt punitionem faceret de peccato dictæ idololatriæ: vnde ſtatim vt deſcendit, præcepit bonis qui non idololatrauerant. Iungatur mihi, & ponat vnuſquiſque gladium ſuum ſuper fæmur ſuum, & occidat vnuſquiſque fratrem & amicum, & proximum ſuum, ſcilicet, qui fuerit cauſa dictæ idololatriæ. Et occiſi ſunt illa die vigintitria milia. Hoc ergo præceptum diuinæ punitionis quod Moyſes fecit, dicẽs, Si quis eſt Dei, iungatur mihi &c. hic aliis verbis Pſal. ponit dicens. *Quis conſurget mihi aduerſus malignantes?* id eſt, aduerſus concitantes populum ad fabricãdum idolum? Fuerunt enim ibi aliqui ad hoc inducentes populum: & iſti fuerunt peiores, quos vocat malignãtes. *Aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?* id eſt, aduerſus illos qui ab aliis inducti vitulum adorauerunt. Vel iſta poſſunt eſſe verba, qui à diabolo tentatus ipſum ſuperauit: qui à Iudæis aduerſis percuſſus ſeruauit patientiam. Et in iſtis imitatores, dicunt, *Quis conſurget mihi aduerſus malignantes?* id eſt, quis ſtabit mecum aduerſus malignantes dæmones eorum tentationes ſuperando? *Aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?* ſcilicet, aduerſus Iudæos, mundi aduerſa patientur tolerando. Vel poſſunt eſſe verba cuiuſlibet iuſti tentati à dæmonibus, & aduerſitatibus preſſi Dei inuocantis auxilium dicens, *Quis conſurget mihi*, id eſt, pro me. *aduerſus malignantes.* id eſt, dæmones tentantes. *Aut quis ſtabit mecum in acie patiens?* Quia ille vincit qui ſuſtinet: perdit ille qui ferit. Quis dico ſtabit, ſcilicet, patienter aduerſus operantes iniquitatem? Quis? quaſi dicat: nullus niſi dominus.

## Niſi quia dominus adiuuit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. 1624

Hic oſtenditur ipſius Moyſi dictum peccatum punientis periculum. Populus enim hebræorum multoties inſurrexit contra Moyſen, volens ipſum interficere. *Exod. 17.* Vnde ipſe ait, Adhuc paululum, & lapidabunt me. Similiter & contra Aaron. Vnde ipſe Aaron timore mortis compulſus, fecit eis vitulum aureum. Cui autem dubium quòd libentius occidiſſent Moyſen, qui pro illo vitulo adorato viginti tria milia hominum vna die occidit: qui & poſt vitulum cõfregit, & redegit in puluerem: niſi ipſum Deus ſpeciali adiutorio protexiſſet, ab illis fuiſſet occiſus. Et hoc eſt quod ait, *Niſi quia dominus adiuuit me. &c. habitaſſet in inferno anima mea.* Hic infernus accipitur pro ſepulchro quia inferius foditur. *Infernus pro ſepulchro.* Et eſt ſenſus, Niſi dominus ſua gratia me iuuiſſet fuiſſem ab illis mortuus, & in ſepulchro poſitus. Vel ſi infernus accipitur propriè, ſcilicet, pro loco inferiori ad quem deſcendit anima Chriſti poſt mortẽ, tunc eſt ſenſus. Niſi dominus adiuuiſſet me, fuiſſem mortuus: & ſic anima deſcendiſſet ad infernum, & ibidem habitaſſet. Quia ante Chriſtum anima cuiuſlibet quantumcumque iuſti ad infernum poſt mortem deſcendebat, & ibidem habitabat quouſque Chriſtus ibi deſcendens illas extraxit. Vel poſſunt hæc eſſe verba Chriſti, cuius anima deſcendit poſt mortem ad infernum: ſed ibi non habitauit, quia adiutorio domini ſtatim reſuſcitatus fuit. Et ideo adiutorium qui ſurrexit patri attribuens ait, *Niſi quia dominus adiuuit me. &c.* Sic enim alibi patri dicebat pſal. 85. *Pſalmus 85.* Eripuiſti animã meam ex inferno inferiori. Vel poſſunt eſſe verba cuiuſlibet iuſti qui tentationibus dçmonũ, & aduerſitatibus mundi reſiſtere non poſſet quin in peccatum caderet: niſi per diuinam gratiã adiuuaretur. vt oſtendit Greg. *Gregor. 3. moral. cap. 2.* Et hoc eſt quod ait Apoſtolis: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentũ, vt poſſitis ſuſtinere. *1 Corin. 10.*

## Si dicebam, motus eſt pes meus: miſericordia tua domine adiuuabat me. 1625

Hic oſtendit Moyſes à Deo ſibi datum adiutoriũ. Vbi ſciendum, quòd facto vitulo ſtatim Deus præcepit Moyſi, vt deſcenderet, reuelãs ſibi peccatum idololatriæ populi, dicens ſibi, Deſcende: pec-

cauit enim populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti. Et ad præceptum domini Moyſes ſtatim incæpit deſcendere. Et dum deſcenderet, cæpit cogitare quòd populus ille duræ ceruicis erat: & quòd ante voluerāt ipſum interficere. vnde incępit timere ne occideretur ab eis. Sed ſtatim Deus adfuit ſibi, ne timeret: ſibi reuelans quòd ipſum illæſum ſua miſericordia conſeruaret. Et hoc eſt quod hic dicit, *Si dicebam, motus eſt pes meus* id eſt, iā incæpi deſcendere ad populum duræ ceruicis, à quo timeo occidi, ſtatim miſericordia tua adiuuabat me: quia ſcilicet ſtatim mihi promiſiſti tua miſericordia me iuuare. Vel iſta poſſunt eſſe verba Chriſti dicentis, *Si dicebam, motus eſt pes meus*: Vbi ſciendum quòd pedes Chriſti dicuntur ipſi apoſtoli & prædicatores qui ipſum Chriſtum portāt per mūdum eius fidem prædicando. vide ſuprà verſi. 768. 1072. Iſti autem Chriſti pedes fuerunt moti, quando in Chriſti paſſione fidem perdiderunt. Petrus negauit, & omnes ipſo relicto fugerūt, frāgentes Chriſto fidem promiſſam. Sed pedes motos ſtatim miſericordia dei adiuuit ipſos per pænitentiam ad fidem reducendo. Et ſic accipitur hic ſingulare pro plurali, id eſt, pes pro pedes. Vel poſſunt eſſe verba iuſti tentationibus, vel aduerſis preſſus: qui cadere per conſenſum vel impatientiam timet: ſed ne cadat à dei adiuuatur miſericordia dum ipſum inuocat. Ne ergo pereas, inuoca deum, dicens, Domine pereo: & ſtatim manum miſericordiæ porrigit: ſicut dominus porrexit manum Petro dicens, Modicæ fidei quare dubitaſti? Quod ergo hic dicitur, Motus eſt pes meus. ibi dicitur, Domine pereo. Quod hic dicitur, Miſericordia tua adiuuabat me. ibi dicitur, Porrexit Ieſus manum. Pericula autem dulciorem faciunt liberationem. vt ait glo.

*Exo. 17.*
*Pedes Chriſti Apoſtoli & prædicatores.*
*Adiuuat nos miſericordia Dei.*
*Mat. 14.*

1626 Secūdum multitudinem dolorum meorum in corde meo; conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Hic ponitur beneficium abundantis conſolationis. Moyſes enim multiplicem dolorem habuit. Et propter peccatum populi quem vidit idololatraſſe, vnde & tactus dolore tabulas teſtamenti, quas deus ſibi dederat, proiecit ad terram, & fregit: quo facto etiā doluit. Doluit etiā quia vidit deum commotum contra populum: vnde ſibi dominus dixit, Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Et tamen cōtra omnes iſtos dolores cōſolationem diuinam recepit: quia poſt ipſius multas præces dominus populo peccatum idololatriæ dimiſit: quia ſcilicet hi qui remanſerāt, pænituerunt: & alias tabulas nouas Moyſi dedit, & placatus populo fuit. Vnde bene dicere poteſt, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo; conſolationes tuæ lætificauerunt. &c.* quia ſcilicet omnē cauſam doloris extinxit. Vel poſſunt eſſe verba Chriſti, qui ſecūdum dolores quos in paſſione ſuſtinuit fuit multiplicatio gloriæ reſurrectionis. Quia ſecundum quòd acerbius fuit paſſus præ cęteris, ſic præ cæteris glorioſior reſurrexit. Et ſi dicas. cōtrà: quia textus loquitur de doloribus cordis non carnis; quia dicit ſecūdum multitudinem dolorum meorum in corde meo. non dicit in carne. Reſpondetur quòd omnis dolor carnis principalius eſt animæ quam carnis: quia (vt dicit magiſter li. 3. di. 15.) caro non dolet, ſed anima per carnem. Vel poſſunt eſſe verba iuſti hominis afflicti, & aduerſitatibus preſſi. Quia quanto maiora pro Chriſto ſuſtinet, tanto ſibi præmia maiora debentur, imo etiā conſolationes dolores excedunt: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus. Sicut abūdant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Paſſiones dicit Chriſti, id eſt, quas patimur propter Chriſtum, vel ad ſimilitudinem Chriſti. Et attende etiam quòd cōſolatio data per Chriſtum, excedit dolores habitos pro ipſo. vt oſtendit Grego. ſuper illo verbo Iob. 42. Addidit dominus omnia quæ fuerant Iob duplicia. Vbi iſtū textum inducit dicens, Cuncta quæ amiſerat Iob, duplicia recepit: quia per pietatem benigni iudicis tentationis noſtræ diſpendium vincunt ſuffragia conſolationum. Minus enim tentat probatio, quā remuneratio cōſolatur: vt ex remunerationis præmio leue fuiſſe omne quod ſuſtinuit, agnoſcat: qui ex percuſſionis pōdere ſe aliquid toleraſſe iudicabat. Vnde afflictæ Iudææ dicitur. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Aliquando verò meta afflictionis diſponitur menſura conſolationis. Vnde alias ſcriptum eſt. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* In ea enim menſura conſolatum ſe in qua afflictus fuerat iudicauit: qui lætificatum ſe ſecūdum multitudinem dolorum clamat.

*Exo. 32.*
*Dolor animæ eſt non carnis.*
*3. ſenten.*
*Conſolatio datur quādoque, ſed mēſurā doloris quandoque vltra. 2. Cor. 1.*
*Gre. 35. mor. ca 8.*

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto. 1627

Hic agitur de ſecunda notabili punitione Iudæorum: ex qua oſtenditur quòd diuina prouidentia ſe extendit ad regimen & curam actuum humanorum. Pro cuius euidentia ſciendum quòd iſta punitio fuit pro rebellione populi: quando ſcilicet territi ad verba exploratorum dicebant, Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. detraxeruntque terræ quam inſpexerant, apud filios Iſrael, dicētes, Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos. populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo: quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur. Ad hæc verba territus populus non ſperans ſe terram promiſſionis poſſe obtinere: murmurauerunt contra Moyſem, & voluerunt in Ægyptum reuerti dicentes, Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Et propter iſtud peccatum data fuit notabilis ſententia contra populum, ſcilicet, quòd nullus illorum qui numerati fuerant in exitu de Ægypto, ſcilicet, à viginti annis & ſupra, numero 603550. intraret terrā promiſſionis: ſed omnes in deſerto morerentur præter Ioſue & Caleb. qui populum confortabant ad obtinēdam terram promiſſionis. Vnde & illi exploratores qui terruerūt populum morte repentina mortui fuerunt. De iſta ergo punitione hic agitur. Et circa iſtam punitionem quatuor facit: quia ponitur primò contra populum Dei indignatio. ſecundò populi contra Moyſem perſecutio. ibi, Captabūt. tertiò pro Moyſe diuina protectio. ibi, Et factus. quarto populi punitio. ibi, Et reddet. Quantum ad primum (vt viſum eſt) populus territus verbis exploratorum credidit, quòd præceptum Dei quo iuſſerat ad terram

*Nu. 13.*
*Num. 14.*



promiſſionis poſſidendam pergere, tantæ eſſet difficultatis, quòd illud nō poſſet implere: magis credentes exploratoribus ſuis quàm deo: & in præcepto fingebant (ſed falſò) laborem. Et ſic erant ſedes iniquitatis: quia ſicut anima iuſti eſt ſedes dei: ſic populus contradicēs deo eſt ſedes iniquitatis: contra quos procedit indignatio dei. Et hoc eſt quod ait Deo. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis*, id eſt, nunquid tibi placent tibi contradicentes, qui ſunt ſedes iniquitatis? quaſi dicat, nō. quia non habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Sed ſi populus. Et quis eſt ſedes iniquitatis? Reſpondet, *Tu qui fingis laborē in præcepto*, vt dictū eſt. Vel aliter. Vbi notandū quòd multi vidētes ꝙ deus flagellat hic ſuos, & reprobos exaltat proſperitatibus: refutāt adhærere deo, ne & ipſi flagellis corrigantur ab eo. Et iſti ſunt ſedes iniquitatis, qui plus diligūt gloriā mundi, quam gloriā dei: plus proſpera carnis, quam mentis. Videntes ergo quòd deus præcipit hic affligi, lugere, continere, abſtinere, quæ ſunt laborioſa: ideo ne laborent, adhærere deo nolunt. Vnde glo. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis?* id eſt nullus iniquus ſedet tecum: nullus adhæret tibi. Quæ eſt cauſa? *Quia tu fingis laborem in præcepto*, id eſt, das præcepta carni laborioſa. Nam præceptum eius continet. Beati qui lugēt, beati qui eſuriūt, Beati qui percutionē patiuntur.

*Sedes iniquitatis ſunt omnes iniqui.*
*Labor in præcepto Dei fingitur.*

Captabunt in animam iuſti: & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Hic ponitur contra Moyſem populi perſecutio: cum populus territus verbis nunciorum vellet in Ægyptum redire: Moyſes & Aaron proni corruerūt in terram rogantes deum pro populo. At vero Ioſue & Caleb confortabant populum dicentes, Terrā quam vidimus valde bona eſt: nolite rebelles eſſe contra dominum: receſſit ab illis, ſcilicet, Chananeis, omne præſidium. vnde poſſumus omnem illum populum ſicut panē deuorare: & conſimilia dicentes, confortantes populum vt eos animarent ad terram promiſſionis obtinendam. Et tūc omnis multitudo voluit Moyſem, & iſtos lapidare, ſcilicet, dicētes illos dignos morte: quia eduxerant populum de Ægypto, promittentes terram quam obtinere non poſſent. Et hoc eſt quod ait, *Captabunt*, id eſt, captauerunt in animam iuſti, ſcilicet, Moyſi principaliter, & conſequēter aliorum, volentes eos occidere. *Et ſanguinem innocentem condemnabunt*, id eſt, condēnauerunt, Et attende quòd dicit, captabunt. Nam capto, captas, eſt frequentatiuum à capio, pis. quod idem eſt quod frequenter capere. Iſti autem frequenter & ſæpe voluerunt captare animam iuſti, ſcilicet, Moyſi: quia ſæpius ipſum occidere voluerūt. Vel hoc intelligitur propheticè dictum de Chriſto: quia Iudæi ſæpius animam Chriſti capere voluerunt, & ipſum occidere. Finaliter tamen ſanguinem iſtius iuſti condemnauerunt: vt puta quando Pilatus dixit eis poſtulantibus Chriſti mortem: Innocēs ego ſum à ſanguine iuſti huius. Ipſi autem reſponderunt dicentes, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Vel poteſt intelligi de ſanctis martyribus, quos Iudæi ſæpe captauerūt, ipſorum iuſtum ſanguinem condēnantes. De quibus ipſis dicit Chriſtus. Ecce ego mitto ad vos prophetas, &c. & ex illis occideris & flagellabitis, &c. vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt. &c. Et hic nota quòd condemnatio aliqua vel alicuius dicitur iniuſta tripliciter. quibus omnibus modis condemnatio Chriſti ſanguinis & ſuorum martyrum fuit iniuſta. Primò condemnatio eſt iniuſta ratione innocentiæ condemnati: ſicut quando innocens tāquam reus condemnatur. Sapien. 12. Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnas. Iſto modo Chriſti ſanguinis condemnatio fuit iniuſta: quia innocens & abſque peccato. quod clarè apparet omnium inimicorum ſuorum teſtimonio. Teſtimonium enim illud maximè eſt credibile, quod pro aliquo datur ab inimico ſuo. vt oſtendit Grego. 5. moral. cap. 4. omnes autem inimici Chriſti teſtimonium dederunt ſuæ condemnationis iniuſtæ. Audi Iudam de ipſo dicentem, Peccaui tradēs ſanguinem iuſtum. Audi Pilatum qui eum condemnauit ad mortem dicentem, Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Audi Centurionem, qui eum conduxit ad crucem, dicētem, Verè hic homo iuſtus erat. Et tamen his non obſtantibus ad mortem fuit cōdemnatus. Mar. 14. Tūc ſummus pōtifex ait, Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum reum eſſe mortis. Secundò condemnatio dicitur iniuſta ratione ordinis iuris prætermiſſi: quia nullus condemnari debet niſi iuridicè reus fuerit comprobatus. Vnde dicitur Nume. 35. Homicida ſub teſtibus punietur: ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur. Et iſto modo Chriſti condemnatio iniuſta fuit. Quamuis enim multi falſi teſtes contra ipſum deponerent, tamen (vt dicitur Marci 14.) conuenientia non erant teſtimonia eorum. Et tamen hoc non obſtante ad mortem fuit condemnatus. ſicut de ſeipſo ipſe prædixerat. Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condēnabūt eum morte. Tertiò condemnatio dicitur iniuſta ratione liuoris, vel vindictæ: quando quis ſcilicet alterum condemnat non zelo iuſtitiæ ſed liuore vindictæ, Sicut illi duo ſenes preſbyteri volentes de Suſanna vindicari, quia non conſenſerat eis, ipſam accuſantes condemnauerūt ad mortem: vt habetur Dan. 13. Sic & Chriſti condemnatio fuit iniuſta, quia ex inuidia à ſcribis & phariſæis fuit cōdemnatus ad mortem: quia vt dicitur Mat. 27. Sciebat enim Pilatus quòd per inuidiam tradidiſſent eum. Quæ omnia de Chriſto præuidens Pſal. dicit, *Captabunt in animam iuſti: & ſanguinem innocentem condemnabunt.*

*Num. 14.*
*Captare, id eſt ſæpe capere*
*Mat. 27.*
*Math. 23.*
*Condemnatio tripliciter dicitur iniuſta ſententia.*
*Sap. 12.*
*Gregorius.*
*Chriſtus iniuſtè fuit condemnatus.*
*Mat. 27.*
*Lucæ 23.*
*Mar. 14.*
*Num. 35.*
*Mar. 14.*
*Mat. 20.*
*Dan. 13.*
*Mat. 27.*

Et factus eſt mihi dominus in refugium: & deus meus in adiutorium ſpei meæ. 1629

Hic ponitur diuina protectio, qua Moyſes cum ſuis à dictis perſecutoribus fuit liberatus. Vt enim habetur Nume. 14. cum omnis multitudo clamaret cōtra Moyſem, & prædictos, ſcilicet cōfortantes populum, & vellent eos lapidare: apparuit gloria ſuper tectum fœderis, videntibus cunctis filij Iſrael. Et ſic populus non fuit auſus facere quod diſpoſuit: quia tectum fœderis ſub quo erat Moyſes cum ſuis, à gloria domini fuit opertum nube dēſiſſima, & igne coruſcante: ſicut quando loquebatur cum Moyſe in monte Sinai dans ſibi legem. Et iſto modo Moyſes fuit protectus à deo. Et hoc eſt quod hic ait Moyſes, *Et factus eſt mihi Dominus in refugium. &c.* Vel de Chriſto poſſunt legi: qui in perſecutionibus Iudæorum poſitus, qui ipſum, id eſt, nomen eius, & fidem totaliter conabantur interficere, à deo fuit per ſuam reſurrectionē protectus:

*Num. 14.*
*Refugium Moyſi fuit dominus, qualiter.*

& ſic Deus fuit refugiũ ſibi factus:& inde amplius in ſuo nomine & fide fuit exaltatus. Vnde Chriſtus

*Pſalmus 30.*

dixit, Eſto mihi in deum protectorẽ, & in domum refugij, vt ſaluum me facias. Vel poteſt legi de viro iuſto aduerſitatibus preſſo: cui Deus fit refugium ſibi dando patiẽtiam ne deficiat: ſibi pro certamine promittens coronam, vt non in mundo, ſed ſolùm in Deo ſpem ponat. Ideo enim quis pungitur dolore vt remedium quærat. Qualiter autem refugium noſtrum ſit Chriſtus vide ver. 438. 755. 655. Dicitur autem quòd Deus factus eſt refugium: non quòd ipſe deus aliquo modo ſit factus, ſicut dicimus, verbum caro factum eſt. non tamen ſequitur, ergo verbum eſt factũ neque mutatum: ſed ſolùm quòd factum eſt vt aliquid vnitum ſit verbo quod ante non erat vnitum.

*Factus dicitur Deus refugium, & quo modo.*

Sic Deus dicitur factus refugium, quia actione dei factum eſt, vt Moyſes viſibiliter à deo protegeretur, qui ſic ante non protegebatur: & alicui eſſet refugium, cui antè non erat.

## 1630 Et reddet illis iniquitatem ipſorum: & in malicia eorũ diſperdet eos: diſperdet illos dominus Deus noſter.

Hic vltimò ponitur ipſorum Iudæorum punitio. Nam omnes illi exploratores qui miſſi fuerant ad explorandam terram promiſſionis, qui reuerſi falsè retulerant populo, quòd terra illa erat ſterilis, deuorabat habitatores ſuos: & quòd erat eis impoſſibile illam terram obtinere propter fortitudinem habitantium ibi.

*Num. 13.*

Et ſic verbis falſis terruerunt populum, vt reuerti vellet in Aegyptum. Omnes inquam iſti propter ſuam iniquitatem tũc à deo in conſpectu aliorũ fuerunt percuſſi, & mortui ſunt repente. Et quantum ad iſtos dicit, *Et reddet*, id eſt, reddidit, *Illis iniquitatem ipſorum*: quia ſicut iniquè & falſe informauerunt populũ: ita morte condigna corã populo mortui ſunt. Aliorũ vero punitio fuit, quòd omnes qui exierunt de Ægypto à viginti annis ſuprà, morerẽtur in deſerto: ſic quod nullus eorum intraret terrã promiſſionis, exceptis duobus ex illis exploratoribus, ſcilicet, Ioſue & Caleb, qui veritatẽ referẽtes populo ipſum confortabant ad poſſidendã terram promiſſionis. Vnde illis dixit dominus, Viuo ego, ait dominus, in ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſuprà: & murmuraſtis cõtra me: non intrabitis terram ſupra quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem in ea præter Caleb & Ioſue, &c.

*Num. 14.*

Et ſic omnes iſti per deſertum fuerunt hincinde diſperſi, & mortui. Et quantũ ad hoc dicit, *Et in malitia eorum diſperdet eos. &c.* Diſperdo, dis, componitur ex dis, & perdo. Et eſt diſperdere, idem quòd diuerſis modis perdere: quia illi diuerſis modis perditi, & mortui fuerunt per deſertum. Vel poteſt intelligi de punitione Iudæorum propter perſecutionem factam Chriſto. Quibus reddita fuit iniquitas illorum: quando per Romanos principes Titum & Veſpaſianum fuerunt trucidati, captiuati, venundati, & per totum orbem vagabundi diſperſi. Vel hoc poteſt intelligi de punitione tẽporali, qua diſperguntur per mundum, & de æternali qua damnantur in perpetuum. Punitio æterna notatur cum dicitur, *Et redde illis iniquitatem*. ſed punitio temporalis, cum dicitur, *Et in malitia eorum diſperdet illos*. Et nota quòd malitia merito diſperditur homo, id eſt, diuerſis modis perditur: quia in anima & corpore. Nam ipſa malitia eſt rectæ rationis peruerſiua, Humanæ conuerſationis turbatiua, Proprij actoris punitiua. Primũ patet, quoniam malitia corrumpit æſtimationem rectam de rebus eligendis: ſicut dicit philoſophus 7. Ethi. Et hinc eſt quòd malitioſi quamuis ſint in nonnullis prudentes, tantum ſæpè decipiuntur: quia malitia ipſorum rationem corrumpit. Sap. 2. Excæcauit illos malitia eorum. Vnde Chryſoſto. ſuper Matthæum oſtendit quomodo malitia Herodis ipſum fecit ſtultum: quando ſcilicet quærebat puerum ad perdendum eum: dicens ſic, Aut enim Herodes ſcripturæ credidit; aut non. Si non credidit, vt quid interrogat ſcripturas, quas reputat vaniloquas? Si credidit æſtimans prophetiam eſſe immobilem: quomodo ergo ſperabat regem illum poſſe interficere: quem futurum eſſe dicebãt ſcripturæ? Nam ſi prophetiæ credidit, clarum eſt ipſum ad impoſſibilia conari. Si non credidit, quare ergo dubitauit, vel timuit, vel puero inſidiatus fuit? Et reſpondet Chryſoſto. Anima ſub malignitate capta ſtultior cunctis efficitur.

*Sap. 2. Chryſoſt.*

*Chryſoſt.*

Tale quippe eſt venenum malitiæ vt à nullo plerumque impulſus præcipitetur: & ſæpè abſque effectu operum erumnoſa & impoſſibilia conatur efficere. Et nota quòd malitia in vtroque ſexu multum eſt periculoſa, ſed magis in fæmina. Vnde Eccl. 25. Breuis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Vnde ibidem malitiam mulieris comparat ſapiens tribus animalibus venenoſis. Primò comparat eam colubro venenoſo, dicens, Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris.

*Eccl. 25. Mulierum malitia.*

Comparatur enim malitia mulieris colubro: primò quia coluber dicitur quaſi colens vmbram: & mulier plus diligit tenebram quam lucem. Secundò quia coluber totum venenum habet in capite: & mulier principaliter venenum ſuum portat in capite: quod principalius ornat, vt oculos intuentium valeat immutare.

*Nota.*

Tertiò quia coluber totum venenum ſuum colligit inter fauces, vt per os illud effundat: ita mulier mala totam malitiã per fauces & os effundit contendendo & detrahendo. Quartò quia coluber ſibilat vt noceat. Sic & mala mulier cantando & adulãdo mirabiliter fallit multos. Vnde Hugo de ſingularitate clericorum, dicit, Venenoſius ſuper cuncta quæ fallunt, eſt mulier: quia tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem, quam mulierem cantantem.

*Hugo.*

Secundò comparat eam leoni, dicens. Non eſt ira ſuper iram leonis: & nõ eſt ira ſuper iram mulieris. Quod ideo dicit, quia ſicut leo iratus non poteſt placari: ſic nec mulier. Item quia ſicut oſſa leonis adinuicem colliſa generãt ignem: ſic mulierum verba ignem incẽdunt luxuriæ. Item quia ſicut leo cauda veſtigia ſua tegit: ita & mulier crimina ſua excuſationibus operit. Ideo dicitur Eccle. 42. In medio mulierum noli commorari. De veſtimẽtis enim procedit tinea: & muliere nequius nihil.

*Eccl. 42.*

Ad literam enim prima iniquitas viri à muliere proceſſit. Tertiò comparat eã draconi: primò quia draco incedit criſtatus: & mulieres criſtã gerunt in capite varijs ornatæ monilibus. Secundò principaliter malitia eſt humanæ conuerſationis turbatiua. Malitia enim nunquam ceſſat machinari malum ſub ſpecie ſanctitatis & iuſticiæ. Vnde Hugo lib. 1. de anima, ſibiipſi loquens dicit: Maligna cogitatio vſquequo illam tolero? Conſentire enim apparebo, ſi illam non corripio: conſentiẽs autem Deũ offendo. Corripiã ergo me, ne Deum offendam: ſed pro Dei iniuria totum faciam: immo me ſibi reſtituam ſicut proximum.

*Hugo.*



Si enim me corrigere & caſtigare voluero, & hoc non eſt nocere: ſed velle prodeſſe. Et nota quod malitia habet currum ſuum, ſicut docet Bernardus ſuper Cantica, quatuor rotas habentem: quæ ſunt, ſæuitia, impatiẽtia, audacia, & impudentia.

*Bernard.*

Valde velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem. quia nec innocentia aut patientia retardatur: nec timore refrenatur, nec prudentia inhibetur. Trahitur à duobus pernicioſis equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, ſcilicet à terrena potẽtia, & à ſeculi pompa. Porro præſidentes his duobus equis duo aurigæ ſunt, ſcilicet, timor & liuor. timor pompam, liuor ſeculi potẽtiam auget. Eccl. 9. Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua: & poſt hoc ad inferos deſcendunt.

*Eccleſiaſt. 9.*

Tertio principaliter malitia eſt in proprium auctorem reflexiua: quia venenum malitiæ eſt peius quam venenum ſerpentis. Sic enim homini mortiferum eſt: cùm ſit alterius vita: ſicut ſunt aliqua animalia quę comedunt ſerpentes & ranas. Sed venenum malitiæ primo nocet habenti: quia malitia ipſa maximam partem ſui veneni bibit. Illud venenum ſerpentes in alienã perniciem proferunt: hæc in ſuam. Vnde Grego. 12. mor. cap. 19. dicit, quod mẽs praua eſt in laboribus ſemper: quia aut molitur mala quæ inferat, vel metuit ne ſibi inferantur ab aliis. Et quicquid ſuo proximo cogitat: hoc contra ſe à proximis excogitari formidat.

*Gregor.*

Ideo dicitur Hiere. 2. Arguet te malitia tua. Ideo Hiere. 4. conſulitur. Laua à malitia cor tuum.

*Hier. 2. Hier. 4.*

Quibus conſideratis: quid mirum ſi de malitioſis pſal. dicit, quod in malitia ſua diſperdet eos: diſperdet illos dominus Deus noſter.

# PSALMVS XCIIII.

## 1631 Venite exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

Hic Pſalmus habet iſtum titulum, Laus cantici ipſi Dauid: Quamuis ſecundum Hebræos nullus præmittatur titulus. De materia pſalmi dicunt Hebræi quòd iſtum pſalmum fecit Moyſes circa finem vitæ ſuæ: quando iam mortui erant in deſerto omnes qui exierant de Aegypto, à viginti annis & ſuprà, præter Ioſue & Caleb: vt habetur Nume. 14.

*Num. 14.*

Vnde in iſto pſalmo Moyſes vult inducere filios illorum mortuorum, quibus promiſerat dominus quòd ingredirentur terram promiſſionis loco patrum ſuorum: vult inquam illos inducere ad Dei laudem, & obedientiam: ne ex rebellione contra Deum Deus iraſcatur contra illos, & moriantur in deſerto antequam intrent terram promiſſionis: ſicut accidit patribus ipſorum. Et litera pſalmi ſatis ad iſtud propoſitum videtur applicabilis. Sed Paulus apoſtolus tractans magnam partem iſtius pſalmi ad Hebræ. 3. & 4. dicit iſtum Pſalmum fuiſſe factum à Dauid, dicens, Quoniam ſupereſt quoſdam introire in illam requiẽ: & hi quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatẽ.

*Heb. 3. & 4.*

Iterum terminat diẽ quendam hodie in Dauid, dicendo poſt tantum temporis: ſicut ſupradictum eſt, hodie ſi vocem eius audieritis &c. Dicit etiam ibi Apoſtolus, quòd iſte pſalmus non loquitur de ingreſſu terræ promiſſionis, qui ante permulta tẽpora fuerat, ſcilicet tempore Ioſue, ſed de ingreſſu terræ viuentium nobis apertæ per Chriſtũ tempore gratiæ: quia Chriſtus per paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem ianuas nobis paradiſi aperuit, remouendo obſtacula. Et ſic iſte pſalmus ad literam ſecundum apoſtolum agit de tempore gratiæ: quando per Chriſtum paradiſus reſeratus fuit nobis. Propter quod omnes fideles inducit ad deuotè Deum laudãdum: & ſibi gratias agendum. Et hoc intendit glo. dicens, Agitur in iſto pſalmo de tempore gratię: in quo per Chriſtum intratur in requiem. Vnde tam in titulo quam in pſalmo monet deum hilariter laudare & deuotè. Laus enim deuotionem ſignificat: cantus autem hilaritatem: vt cum lætitia laudemus. Eſt ergo ſenſus tituli talis, Laus iſta cantici, ideſt deuotionis & hilaritatis: ſit ipſi Dauid, ideſt ipſi Chriſto per Dauid figurato. In hoc ergo pſalmo ad Chriſti laudes primo inuitãtur Hebræi: quibus principaliter Chriſtus fuit miſſus: & per cõſequens omnes alij fideles. Et iuxta hoc iſte Pſal. diuiditur in partes quatuor: quia primò populus ad Chriſti laudem inducitur: ſecundò ad hoc multiplex ratio adducitur: ibi, Quoniam deus. tertiò principale propoſitum concluditur: ibi, Hodie ſi vocem. Circa primũ duo facit: quia primò nos inducit ad Chriſtum laudandum: ſecundò laudis indicat tempus debitum, ibi, Præoccupemus. Quantũ ad primum ſciendum, quòd quia Chriſtus humiliter venit ad nos: & nos ne ſimus ingrati, ad ipſum tenemur accedere.

*Venit ad nos Chriſtus multipliciter.*

Ipſe enim Chriſtus ad nos venit: primò ad infirmorum ſanationem: ſic enim dixit, Mat. 8. Ego veniam & curabo eum: non ſolum in corpore ſed principalius in anima. Lucæ 5. Non veni vocare iuſtos: ſed peccatores ad pænitẽtiam.

*Lucæ 5.*

Ad perditorum ſaluationem. Ioã. 10. Ego veni vt vitam habeant: & abundantius habeant. Mat. 18. Filius hominis venit ſaluare quod perierat, & dare &c.

*Ioan. 10. Matt. 18.*

Ad ignorãtium illuminationem. Ioan. 3. Ergo lux venit in mundum: ſed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.

*Ioan. 3.*

Ergo & merito nos ad ipſum venire debemus.

*Venire debemus ad Chriſtum multipliciter.*

Primò vt infirmi ad medicũ pro ſuſceptione ſanitatis. Ad hoc enim inuitamur Oſeę 6. Venite, reuertamur ad dominum: quia ipſe cæpit & ſanabit nos: percutiet & curabit nos.

*Oſee 6.*

Vide contrarium modum curationis. Nam medici corporales vulnerant animam vt ſanent corpus. Chriſtus autem vulnerat corpus, vt animam ſanet: quia corpus atterit flagellis, & multis aduerſis, vt animam per humilitatem à ſuperbia ſanet: vt oſtendit Greg. lib. 6. moral. cap. 15. Vnde ad nos ſic ſanandos per humilitatem inuitat, dicens Pſal. 33. Venite filij, audite me: timorẽ domini docebo vos.

*Grego. lib. 6. moral. cap. 16. Pſal. 33.*

Secundò vt perditi ad dominum, ipſo nos vocante. Mat. 11. Venite ad me omnes qui laboratis &c. & ego reficiã vos.

*Matth. 11.*

Tertiò vt diſcipuli ad magiſtrum, ad quod inuitamur, Eſa. 2. Venite, aſcendamus ad montem domini: & ad domum dei Iacob: & docebit nos vias ſuas.

*Eſa. 2.*

Sic ad ipſum venit Nicodemus nocte: & dicit ei, magiſter &c. Et quia per iſta omnia ipſe Chriſtus laudatur: ideo ad ipſum ſic laudandum nos inuitat pſalmiſta, dicens, *Venite, exultemus domino.* venite inquam non paſſibus corporis, ſed mentis, & affectibus cordis, ac imitatione virtutum. *Exultemus domino.* Exultatio enim eſt lætitia mentis exterioribus actibus oſtẽſa. vide ſuprà ver. 92. & 480. & 531. Exultat in deo, qui gaudet exẽplo Chriſti in aduerſis. verſi. 152. Exultat in domino,

no,qui omnia ſua bona recognoſcit à Chriſto.Lucæ 1. *Lucæ 1.* Exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. *Iubilemus Deo ſalutari noſtro.* Quid autem ſit iubilare Deo:dictum eſt verſi.766.Salutare autem noſtrum dicitur Chriſtus. *Lucæ 2.* Lucæ 2. Quia viderũt oculi mei ſalutare tuum. Eſt ergo ſenſus iſtius verſiculi ſecundum glo.Venite,ſcilicet fide:exultemus domino,ſcilicet gaudium ſit in mente, quod verbis extra exprimi nõ poſſit. Et quòd domino Ieſu Chriſto exultare & iubilare debeamus, ex hoc apparet. *Exultare Chriſto debemus.* Nam quærũt doctores:quis maiorem habuit cauſam lætitiæ de Chriſti aduẽtu : angeli an homines. Reſpondetur quòd homines:tum quia naturã humanam apprehendit,non angelicam. ad Hebræ.2. *Hebr.2.* Nuſquam angelos apprehẽdit:ſed ſemen Abrahæ. Etiam quia venit ſatisfacere pro peccato hominis, non angeli:cuius peccatum irremediabile erat. Et tamen Angeli Chriſto exultauerunt in ſua natiuitate.Lucæ 2. *Lucæ 2.* Facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis exercitus laudãtium deũ &c. Quanto ergo fortius hoc facere debet homo. Ad quod pſalmiſta inuitans ait, *Venite exultemus domino.* Sed tamen peccatores obſtinati, nõ Chriſto ſed mundo exultant:multiplex malum venite cantãtes. vide ſuprà ver.1037.

## 1632 Præoccupemus faciẽ eius in confeſsione:& in pſalmis iubilemus ei.

Hic pſalmiſta oſtendit laudis diuinæ tempus debitum : quod ſcilicet eſt tempus vitæ præſentis. Quia qui hic confeſſione laudat Chriſtum in æternum laudabit : qui autem hinc decedit ſine laudibus Chriſti:amplius inter laudatores eius non erit. Oportet ergo ad hoc præoccupare diem mortis: ne fortè præoccupemur ab eo. Nã ſecũdum grammaticos;præoccupare componitur ex occupo,occupas:& præ, quod eſt ante. Et ideo præoccupare idem eſt quod præuenire:& ante occupare.Prꝗoccupemus ergo faciem domini in confeſſione : ante quam præoccupemur à facie iræ, & furoris eius in die mortis : exemplo filiorum Iſrael : qui videntes quòd Holofernes venerat ad ipſos perdẽdum:præoccupauerunt vertices montium, per quos aſcendere poterat ad eos. *Iudit.4.* Sic & nos : quia videmus diabolum paratum nos ſubiugare,prꝗoccupemus faciem Chriſti in cõfeſſione. Quid eſt autem faciem domini præoccupare in cõfeſſione,niſi ipſum laudare,nos accuſare? Ad cuius euidentiam notãdum quòd duplex eſt ad propoſitum confeſſio, ſcilicet laudis, qua Deus laudatur : & criminis quo quis ſeipſum accuſando,proprium peccatum cõfitetur. Et vtraque cõfeſſione oportet faciem domini præuenire.Quid enim eſt facies domini, niſi Chriſtus per quem dominus Deus cognoſcitur? vide ſuprà verſi.459.& 689. & 448. Vnde hic ait glo. Præoccupemus faciem domini in confeſſione : ſcilicet illum laudantes, & nos accuſantes. Gemina enim confeſſio eſt ſcilicet laudis & peccati. Confeſſio etiam peccati ad laudem pertinet ignoſcentis.Vnde glo. prædicta principaliter hoc dicit de confeſſione peccatorum: cum dicit, *Præoccupemus faciem eius in confeſſione.* ſed de confeſſione laudis:cũ ſubdit, *Et in pſalmis iubilemus ei.* *Confeſſio debet eſſe feſtina multiplici ratione.* Quantum ergo ad cõfeſſionem peccatorum dicit, *Præoccupemus faciem eius in confeſſione :* quia cõfeſſio mortem præuenire debet: ne homo præueniatur à morte. Si enim morbo corporali cognito, homo quàm citius poteſt augmẽtum eius præoccupare conatur ne inualeſcat. quanto fortius de morbo ſpirituali homo facere debet:ne morte præoccupetur?Et hoc eſt quod dicitur nobis. Eccle. 17. *Eccleſiaſt.17.* Sta cum viuis & dantibus confeſſionem domino: non demoreris in errore impiorum. Ad hoc autem quòd confeſſio criminis debeat præoccupare faciem iudicis : vt ſcilicet ſit feſtina,multiplex ratio aſſignatur. Prima,quia tardatio cõfeſſionis habita opportunitate, peccatum aggrauat.quoniam diuturnitas peccati ipſum aggrauat : quia tanto ſunt grauiora peccata : quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, vt habetur extrà de conſuetudine. Cum tanto.Secunda, quia ex hoc anima fit debilior ad reſiſtendũ diabolo:& in alia peccata facilius labitur.Vnde Grego.ait, *Greg.lib.25. mor.cap.11.* Omne peccatum quod citius pænitendo nõ tergitur:peccatum eſt,& cauſa peccati.Peccatum nanque quod pænitentia non deletur:ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit:vt non ſolum peccatum ſit:ſed etiam & cauſa peccati. Ex illo quippe vitio ſubſequens culpa oritur : ex quo cæcata mẽs ducitur : vt pænis & alio peccato ligetur. Tertia, quia hoc peccator ſe periculo damnationis exponit. *Greg.in ho.* Quoniam vt ait Greg. in ho. Et ſi deus pænitenti veniam ſpopõdit : tibi tamen diem craſtinum non promiſit. Et ideo iuxta conſilium *Auguſti.* beati Auguſt.in libro de vtilitate agendę pænitentiæ,dicit. Vis à dubio liberari, dum ſanus es pænitentiam age. dico tibi quòd ſi ſic agis, ſecurus es: quia pænitentiam egiſti quo tempore peccare potuiſti.Si autem vis agere pænitentiam quando amplius peccare non potes:peccata te dimiſeruut,nõ tu illa. *Eccleſi.17.* Et ideo nobis conſulit ſapiens. Confiteberis viuẽs viuens & ſanus confiteberis.Quia ſcilicet tunc magis viget diſcretio mentis.Et iſtis rationibus conſideratis,ait pſalmiſta, *Præoccupemus faciem eius in confeſſione.* *Quæſtio. Confeſſio an debeat fieri ſtatim habita opportunitate.* Sed ad horum declarationẽ hic occurrit dubium,ſcilicet, vtrũ habens conſcientiam peccati mortalis:ſtatim habita opportunitatę:cõfiteri teneatur. Ad hoc reſpondent aliqui doctores dicẽtes,quòd loquẽdo de cõfeſſione exteriori fienda ſacerdoti in foro pænitentiæ : quòd quis ad talem confeſſionem obligatur dupliciter. Primò ex inſtitutione eccleſiæ:& nõ ex culpa propria,vt puta ille qui non habet conſcientiam peccati mortalis per totum annum. Talis enim tenetur ad cõfeſſionem ſemel in anno,ſolo præcepto eccleſię.Et talibus ſufficit vt tẽpore paſchali ſe ſacerdoti præſentent:& ei ſuam conſciẽntiam aperiant. Secũdò quis tenetur ad confeſſionem nõ ſolum præcepto eccleſiæ, ſed etiã ex culpa propria.vt puta ille qui habet conſciẽtiam peccati mortalis. Et de talibus eſt aliquorum opinio,quòd tales habita conſcientia peccati mortalis,ſtatim tenentur confiteri : ſed confeſſionem ſacerdoti fiendam licitè differre poſſunt vſque ad tempus paſchæ. Ratio ipſorum eſt, quia præceptũ eccleſiæ (extra de pæ.& re.omnis.) nõ plus eos obligat : quod quidem eſt præceptum affirmatiuum.quod in hoc differt à negatiuo:quia præceptum negatiuum obligat ad ſemper & pro ſemper.Præceptum affirmatiuum obligat non pro ſemper : ſed ſolum ad certum tẽpus:maxime ſi determinatum tempus in præcepto affirmatiuo ſit determinatum.Iſtud autem præceptum de confeſſione facienda affirmatiuum:certum tempus continet,ſcilicet tempus paſchæ:ergo ſolum illo tempore obligamur ad confeſſionem. Inſuper dicunt tales,quòd certi ſunt caſus in quibus quis habens conſcientiam peccati mortalis:etiam ante illud tẽpus



pus confiteri tenetur.Primus ratione ſacramẽti:vt cum quis vult celebrare,vel euchariſtiam ſumere. Secundus ratione periculi:vt cũ quis eſt infirmus, & in periculo mortis.Tertius ratione conſcientię: vt ſi alicui dictet conſcientia quòd ſtatim confiteri tenetur:aliter enim faceret contra conſciẽtiam: quod ſemper eſt peccatũ. Quartus eſt ratione dubij,ſcilicet quãdo quis veriſimiliter dubitat,quòd in paſcha non habebit opportunitatem confitẽdi: vt exponens ſe longæuæ peregrinationi:vel habẽs conſcientiam peccati, cuius abſolutio ſpectet ad epiſcopum,cuius modo habet copiam:quam veriſimiliter in tempore paſchæ nõ habebit. Quintus eſt ratione ſtatuti obligãtis : ſicut religioſi ratione ſuarum conſtitutionum,ad quas obſeruãdas obligantur:omni ſeptimana confiteri tenentur:& certis temporibus in anno cõmunicare. *[...]ſa opinio.* Sed iſta opinio mihi vera non videtur. Quia credo quòd quilibet ſtatim habita conſcientia peccati mortalis: habita opportunitate cõfiteri tenetur.Et voco hic opportunitatem confeſſionis,quando habet ſufficientem memoriam ſuorum peccatorum,diligenti examinatione præmiſſa, quam tenetur facere quàm citius poteſt : ſi habet copiã ſacerdotis proprij,aliàs debiti:ſi habet tempus congruũ. Iſtis ergo conditionibus habitis, & conſimilibus : dico quòd quilibet habens conſcientiam peccati mortalis:ſtatim confiteri tenetur. *Confeſſio de iure diuino [...]* Ad hoc probandum ſciendum, quòd confeſſio ſacramentalis peccatorum,& ſi non ſit de iure naturali:eſt tamen de iure diuino.Primò, quia in antiqua lege fuit prophetico ſpiritu prꝗnunciata.Prouerb.28. *Prouerb.28.* Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur:qui autem confeſſus fuerit,& reliquerit ea:miſericordiam cõſequetur. Secundò quia cõfeſſio à Chriſto fuit inſtituta. Quãdo enim Chriſtus dedit Petro, ſuiſque ſucceſſoribus poteſtatem iudiciariam animas ligandi & ſoluendi.Ioã.20.tunc confeſſionem inſtituit. *Ioan.20. & Matth.16.* Probo. Quia nullus rectè poteſt iudicare de his quę ignorat.Si ergo apoſtoli habebant animas iudicio ligare vel abſoluere:oportebat ipſos ſcire ſtatus & cõditiones animarum:quæ ſciri non poſſunt,niſi per cõfeſſionem propriam cuiuſlibet : quia ſolus deus *2.Paral.6.* inſpicit hominum corda. Chriſtus ergo inſtituendo apoſtolos animarum iudices:ex cõſequenti inſtituit confeſſionem ipſis faciẽdam. Ex quo patet, quòd confeſſio eſt de iure diuino.Ad illa autẽ quæ ſunt de iure diuino:quilibet obligatur, etiã abſq; aliquo ſtatuto eccleſiæ. Sed ad ius diuinum obſeruãdum : quilibet ſemper obligatur opportunitate habita:ergo.Præterea,habens conſciẽtiam peccati mortalis,& differens confeſſionem opportunitate habita:etiam poſito quòd habeat peccati diſplicẽtiam interiorem:quæro an talis eſt in ſtatu gratiæ, aut non.Si dicas quòd ſic, cùm omnis exiſtens in ſtatu gratiæ licitè communicari poſſit : ergo talis licitè ſine cõfeſſione poſſet communicari,& miſſam celebrare.quod manifeſtè eſt falſum etiam per eos:quod patet ex caſibus poſitis ſuperius. Si autẽ dicas, quòd talis non ſit in ſtatu gratiæ : cum hoc nõ ſit,niſi quia habita opportunitate differet cõfeſſione:quã ſi nõ differret,eſſet in ſtatu gratiæ;ſequitur ꝙ habita opportunitate ſtatim confiteri tenetur:ſicut ſtatim tenetur ad ſtatũ peccati dimittẽdũ, & gratiæ procurandũ. Præterea ſciẽdũ ꝙ quilibet mortaliter peccans offendit non ſolũ Deũ,ſed etiã eccleſiam.Offendit enim Deum,quia ſibi debitam obedientiam ſubtrahit & honorem. Offendit etiã eccleſiam,quia ſeipſum qui ante erat membrũ eccleſiæ,membrũ diaboli facit:ad Epheſ.5. *Epheſ.5.* Chriſtus dilexit eccleſiam:& nos membra ſumus corporis eius. Vel ſi antè erat in peccato:ſeipſum qui de iure debet eſſe membrũ eccleſiæ,magis ſubiicit hoſti eccleſiæ. Cum ergo quilibet offendens alium,& damnificãs, habita opportunitate teneatur ſtatim ſibi reconciliari, & ſatisfacere : vt docet Chriſtus Matth.5.dicens, *Matth.5.* Si offers munus tuum ad altare, relinque ibi &c. Sequitur quòd peccator habitã conſcientia peccati mortalis, ſtatim tenetur recõciliari Deo & eccleſiæ : & ſibi de dãno illato ſatisfacere. Deo autem reconciliamur per contritioné. Pſal.50. *Pſal 50.* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.Eccleſiæ autem reconciliamur per exteriorem cõfeſſionem, per quam peccator ſe humiliter ſubiicit iudicio miniſtri eccleſiæ,declarãs offenſam ſibi factam:& ſe paratum offerens ad emẽdam,& ſatisfactionem debitã facere iudicio illius: igitur.Nec ratio opinionis oppoſitæ valet:quia illa decretalis,Omnis vtriuſque : non dat licentiam differendi confeſſionem,nec fortè dare poſſet, ſed prohibet prolixiorem negligentiam. Sicut conſimiliter eccleſia ſub certis pænis prohibet,ne quis vltra annum remaneat in excommunicatione. Nõ tamen ſequitur, quòd licitè vſque ad annum poſſit remanere in excommunicatione. Sic etiam in propoſito.Et ideo ſicut laborans morbo cõtagioſo & mortali:ſtatim habita opportunitate tenetur quærere remedium & peritum medicum,& morbum occultum aperire medico:& iuxta conſilium medici facere, aliter ſuiipſius homicida reputaretur:Sic multo fortius in morbo ſpirituali hoc eſſe debet. Et ideo bene dicebat ille rex Ezechias. *Eſa.38.* Viuens viuens ipſe confitebitur tibi. Et dicit bis viuens, vt denotet vitam corporis & vitam mentis, quæ in diſcretione conſiſtit. Si igitur viuens viuẽs debet confiteri : qualiter licitè poteſt cõfeſſionem differre : cùm ignoret diem & horam mortis corporis,& perditionis rationis,& diſcretionis mentis?Debet ergo cõfeſſio præuenire & præoccupare faciem iudicis. Et hoc eſt quod hic ait Pſalmiſta. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione.*

## Quoniam Deus magnus dominus: 1633
## & rex magnus ſuper omnes deos.

Hic adducitur multiplex ratio quare ſic Chriſtum debemus laudare. Et prima ſumitur ratione ſuæ dignitatis.Secunda ratione ſuæ poteſtatis:ibi, Quia in manu. Tertia ratione ſuæ bonitatis : ibi, Quoniam ipſius.Quarta ratione noſtræ vtilitatis: ibi,Venite adoremus. Primò ergo eſt à nobis Chriſtus laudandus ratione ſuæ dignitatis.Quod oſtẽdens Pſal.dicit, *Quoniam deus magnus dominus.* Quaſi dicat Bene debemus Chriſtum laudare, quoniã ipſe eſt Deus : quia filius Dei æternus ratione ſuppoſiti,non Deus participatione,ſed per eſſentiam: quia in principio erat verbũ,& verbum erat apud deum,& deus erat verbum. Et verbum caro factũ eſt &c. *Ioan.1.* Si igitur Chriſtus eſt verus Deus, ſequitur quòd eſt magnæ dignitatis : ſcilicet quòd ſit magnus dominus, & rex ſuper omnes alios reges & dominos.Et hoc eſt quod ſubdit, *Et rex magnus ſuper omnes deos.* ideſt ſuper omnes alios ſanctos.Nam prophetę & alij ſancti,dij participatione in ſcriptura vocantur,pſal.81. *Pſal.81.* Ego dixi dij eſtis:& filij excelſi omnes.vide verſi.774.& 809.& 1391. & 1411. Vnde de Chriſto dicitur Apocal.19. *Apoc.19.* quòd ipſe eſt

rex re

*Dominus propriè dicitur deus Chriſtus & non homo.*

rex regũ & dominus dominatiũ. Nota ergo quòd dicit. *Quoniam deus magnus dominus.* quod dicit ad differentiam temporalium dominorum, qui veri domini non ſunt dicendi: propter tres cõditiones eis deficientes. Primò quia non poſſunt tantũ reddere ſeruo ſuo, quantum ſeruus eis tribuit. Et per conſequens magis indigẽt ſeruo, quàm ſeruus domino: & per conſequens non habent veram rationem libertatis: ergo nec dominij. Secundò, quia nullus dominus terrenus poteſt facere ſeruum ſuũ liberum: quia nec ipſe liber eſt. Patet, quia ipſe ſeruit malis affectionibus & cupiditatibus: vt iræ, auaritiæ & huiuſmodi. Vnde Seneca epiſtola 74. ſeruus es: oſtende mihi quis non ſit: alius libidini, alius auaritiæ, alius ambitioni, alius timori ſeruit. immo vt ipſe Seneca docet in prouerbiis ſuis: domini vt communiter magis timent quàm ſerui. Rex inquit eſt qui multũ timetur: magiſque à regibus quàm à ſeruientibus timetur: quia iſti ſingulos, illi vniuerſos timent. Et ad hoc dicit Chryſoſtomus ſuper Matth. Semper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt. Sicut enim ramum arborum in excelſo poſitarum ſi leuis aura flauerit mouet: ſic & ſublimes homines etiam leuis nuncij fama conturbat. Humiles autem ſicut in conualle exiſtentes plerunque in tranquillitate conſiſtũt. Tertiò, quia nõ poſſunt compellere homines ad liberè & bene ſeruiendum: quia nullus alteri bene ſeruit inuitus & coactus. Per oppoſitum verò Chriſtus deus eſt verus & naturalis dominus. Primò, quia ſeruis nullatenus indiget, nec per aliorũ ſeruitium aliquid ſibi accreſcit: immo potius ſeruis quos ille continuè præſeruat & cuſtodit. Vnde ſibi quilibet ſeruus dicit, Conſerua me domine. Sequitur, Bonorum meorum non indiges. Secundò, quia ipſe ſibi ſeruientes liberos facit: immo reges. Io. 8. Si filius vos liberauerit verè liberi eritis. Et Apoc. 1. Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Tertiò quia non ſolum homines, ſed etiam omnis creatura ſeruit ſibi velit vel nolit in cælo, in terra, & in inferno. Quia ſi homo ſeruiat ſibi voluntariè, virtuoſe ſeruiet: expectans in præſenti diuinam miſericordiam, & in futuro gloriam Si autem nolit diuinis præceptis obedire voluntariè: ſeruiet diuinæ iuſticiæ in inferno. Ideo dicitur pſal. 118. Ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiũt tibi. Iſtud ſatis aduertebat Octauianus Auguſtus, ſicut de eo dicitur in libro de duodecim Cæſaribus. Dicebat enim domini appellationẽ eſſe quaſi opprobrium & maledictionem. Cum enim eo ſpectante ludos pronunciatum fuiſſet ipſum eſſe dominum & regem vniuerſi: quod cum de eo dictum exultãtes approbaſſent: ſtatim manum vultui apponens adulationem compreſſit: & ſequẽti die eos grauiſſimè corripuit: & poſt hæc nunquàm voluit ſe dominum nuncupari. Ex quibus patet, quòd propriè ſolus Deus Chriſtus dicitur & dominus. Et hoc eſt quod hic ait Pſalmiſta. *Quoniam deus magnus dominus.* Propter quod ſibi dicitur. Nomen tibi dominus: tu ſolus altiſſimus &c. vide ver. 1430.

*Seneca.* *Chryſoſt.* *Pſal.15.* *Ioann 8.* *Apoc.1. & 5.* *Pſal.118.* *Exemplum.* *Pſal.82.*

1634 Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ: & altitudines montiũ ipſius ſunt.

Hic oſtenditur Chriſtus laudandus ratione ſuę poteſtatis. *Quia in manu eius*, id eſt, in poteſtate ſunt omnes creaturæ quas liberè cõſeruat, & ad nihilũ redigere poteſt. Notãdum quòd aliqui textus iſtũ verſum aliter inchoant, ſic dicentes. Quoniam nõ repellet dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terrę. Tamen textus communis non habet illud, Quoniam non repellet dominus plebem ſuam. Si tamen ponatur, tunc aduertendũ eſt, quòd per plebem domini intelligit populũ iudaicum. Lucæ 1. Benedictus dominus deus Iſrael: quia viſitauit & fecit redemptionẽ plebis ſuæ. Hãc ergo plebem nõ repellit Deus: quia & ſi aliqui eorum à fide receſſerunt, & per conſequẽs à Chriſto ſint repulſi, aliqui tamen multi remanſerunt. Nam de iſta plebe fuerunt apoſtoli & multi alij iuſti, fuit & Chriſtus. Per fines terræ intelligit gentes, quæ per circuitum terræ Iudęorum habitabant vſq; ad fines terræ, quia terra Iudęorum erat in medio orbis ſita, & gentes circũcirca terram per totum orbem habitabant. Dicit ergo, quoniam nõ repellet dominus plebem ſuam, quia ſcilicet partẽ Iudæorum tenebit in manu ſua per fidem, ac etiam gentes reducet ad fidem, & ſic in vna eccleſia coniungit Iudæos & gentes. Vnde de gentibus dicit, *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ*, id eſt, omnes gentes reducet ad fidem, id eſt, de omni genere gentium. Et ſic Chriſtus eſt lapis angularis qui fecit vtraq; vnum. Et ſi aliquis de hoc dubitaſſet, ſcilicet, quod non poſſet gentes ad fidem ducere, quia inter gentes erant magni & potẽtes domini, vt reges, imperatores, qui Chriſto contradicerẽt. Ad hoc reſpõdet Pſalmiſta, dicens, quòd etiam ipſos magnates reges & imperatores conuertet, & ipſos oculo ſuę miſericordiæ aſpiciet. Et hoc eſt quod ait, *Et altitudines montium*, id eſt, altæ & terrenæ poteſtates, quæ prius Chriſti fidei aduerſabantur, ipſius ſunt, quia ſcilicet illos faciet de numero ſuorum fideliũ. Qualiter autem Deus aliquos repellit, & qualiter nõ. vide verſi. 705. & 718. Item nota quòd per manum dei intelligitur eius potentia. vide verſi. 125. Vel per manum dei intelligitur Chriſtus. ver. 197. Et iſta manus habet quinq; digitos. vide ver. 1520.

*Plebs dei ſunt Iudæi.* *Luc.1.* *Gẽtes ſunt fines terræ.*

1635 Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.

Hic oſtendit Chriſtum laudandum ratione ſuæ bonitatis, qua mare fecit & terram. A principio enim omnia erãt mixta in ſimul terra & aqua, ſed Deus fecit mare quando cõgregauit aquas ad vnũ locum, ſcilicet ad mare oceanum, & tunc fecit etiã terram, quia terra in parte ſui manſit diſcreta propter habitationem & alimenta hominũ & animalium. Vnde Gen. 1. dicitur. Dixit deus, congregentur aquę quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Vocauitque deus aridam terram, cõgregationeſq; aquarum appellauit maria. Et hæc omnia Chriſtus fecit ratione ſuppoſiti. Per hoc vult oſtendere Pſal. Chriſti bonitatem, qui nos ſic regit, vt nulla creatura hominem ad peccatum cogere poſſit. Vbi notandũ quòd hic per mare intelligitur omnis tentatio, tam mũdi quàm carnis vel diaboli, quæ mare dicitur, quia ad amaritudinem peccati nos conatur inducere. De hoc mari dicitur Iob 41. Ferueſcere facit quaſi ollam profundũ maris, quod fit quando grauis tentatio inflammat cor interius. Sed iſtud mare tentationis, vel aduerſitatis Deus ſic arctat, vt non permittat nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit cum tẽtatione prouentum: vt etiam ex tentatione, id eſt, mẽs arida afferat fructum. Et hoc ponit glo. dicens, *Quoniam ipſius eſt mare*, ſcilicet, mundus vel diabolus: cuius fluctus, id eſt, tentationes vel aduerſitates termino arctat Deus, vt non permittat nos tentari ſupra id quod poſſumus. Qui fluctus etiam prouentum, id eſt, vtilitatem nobis faciunt, Deo illud agente. Ipſe ergo facit quòd nec ſcandala tibi noceant: quæ moderatur. *Et ipſe fecit illud.* Hoc addit, vt omnia ſubiecta eſſe eius poteſtati cognoſcas. Vnde & Gregorius ait. Pius conditor noſter cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pæna tranſeat: & per aſtutiam fortium humana infirmitas excidat. Vnde bene per Paulum dicitur. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentũ, vt poſſitis ſuſtinere. Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta modificet: nullus profecto eſt qui malignorum ſpirituum inſidias nõ corruens portet. Quia ſi menſuram tentationibus iudex non præbet, eo ipſo protinus ſtantem deiicit, quo vltra vires onera imponit. Quia vt ait idem Gregorius, nimirum iudicij occulti menſura eſt, & quãdo perſecutionis procella proſiliat, & quando quieſcat, ne aut non exagitata electos exerceat: aut non moderata in profundum mergat &c. Sic ergo, quia huius maris tentationes vel aduerſitates Chriſtus ad libitum temperat: ideo ſub ipſius dicitur eſſe poteſtate. Quod notans Pſal. dicit, *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius firmauerunt.* id eſt, aridam & ſolidam terram mentis humanæ quæ diuinæ gratiæ recipit imbrem, & fructificat: quam non ſinit fluctus tentationum operire. De periculis quæ ſunt in mari iſtius mundi, per tres ſyrenas maris figurata, vide verſi. 653.

*Gen.1.* *Iob 41.* *Tentationes moderat deus.* *Greg.lib.9. mo.cap.34.* *Corinth.10.* *Greg.28. moral.ca.16.*

1636 Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante dominum qui fecit nos: quia ipſe eſt Deus noſter.

Hic oſtendit Chriſtum laudandum ratione noſtræ vtilitatis, id eſt, ratione beneficiorum ſuorum nobis collatorum. quæ in ſpeciali ſunt duo: primum quia creauit nos ad imaginem ſuam: ſecundum, quia gubernat nos per miſericordiam ſuam. ſecundum ponit ibi, Et nos populus. Quantum ad primum ſciendum, quòd quamuis omnia de nihilo creauit: tamẽ modo quodam ſingulariſſimo hominem inter cætera maioris dignitatis creauit: vt oſtendit Greg. ſuper illo verbo Iob 10. Manus tuæ domine fecerunt me, &c. dicens, Ac ſi humiliter dicat, Quia ſub iuſto examine dignum non eſt tuæ placationi quod feci; penſa miſericorditer ne pereat quod tu feciſti. Quibus etiam verbis peruerſum Manichæi dogma deſtruitur: qui duo eſſe principia mentiens: à Deo ſpiritum, à ſathana vero carnem eſſe conditam aſſerere conatur. Sanctus enim vir prophetici ſpiritus gratia plenus longè poſt ventura conſiderat: & errorum germina præuidẽs calcat, dicens, Manus tuæ domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Qui enim & plaſmatũ ſe, & factũ totũ in circuitu à Deo aſſerit, tenebrarum genti nec in ſpiritu ſuo aliquid nec in carne dereliquit. Nam plaſmatum ſe propter internam imaginem retulit: factum verò totum in circuitu: in eo quòd ex carnis conſtat indumẽto memorauit. Notandum verò eſt quòd ſe plaſmatum manibus aſſerit; miſericordiæ iudicis dignitatem ſuæ conditionis opponit. Quamuis enim per coæternum patris verbum cuncta creata ſint: in ipſa tamen relatione creationis oſtenditur quantũ cunctis animalibus: quãtumque rebus vel cæleſtibus, ſed tamen inſenſibilibus, homo præferatur. Cuncta quippe dixit & facta ſunt. Cum vero facere hominem decreuit: hoc quod reuerenter penſandum eſt: præmiſit dicens. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Neque enim ſicut de rebus cæteris de eo ſcriptum eſt: fiat, & factum eſt: neque vt aquæ, volatilia, ſic terra hominẽ protulit: ſed priuſquam fieret, faciamus dicitur. vt videlicet quia rationalis creatura condebatur: quaſi cum conſilio facta videretur: quaſi per ſtudium de terra plaſmatur, & inſpiratione conditoris in virtute ſpiritus vitalis erigitur: vt ſcilicet non per iuſſionis vocem: ſed per dignitatem operationis exiſteret, qui ad conditoris imaginem fiebat. Hanc dignitatem habens in qua à Deo eſt factus hic allegat Pſalmiſta: vt ipſum dominum laudemus & adoremus. dicens, *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Deum.* Et rationem ſubdit, *Qui fecit nos.* Et vide debitum modum laudãdi: primò vt ipſum adoremus: ſecundò vt ante ipſum procidamus: tertiò vt peccata noſtra ploremus. Venite ergo primò adoremus dominum Ieſum Chriſtum. Adorare enim aliquid, eſt illud præ omnibus aliis diligere: in illo totam ſpem ſuam ponere: vt dictum eſt ſuprà verſi. 300. & 320. Primum ergo quòd requiritur ad laudem Chriſti, eſt ipſius ſuper omnia dilectio: vt nullius alterius rei dilectio ſibi præponatur, ſecundum doctrinam apoſtoli dicentis, Quis nos ſeparabit à charite Chriſti: tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an gladius &c. Certus ſum enim quòd neque mors, ideſt, timor mortis, neque vita, id eſt, amor vitæ præſentis &c. neque aliqua creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto. Sic ergo qui timore mortis, vel amore vitæ præſentis, vel alterius creaturæ præcepta Chriſti contemnit, ipſum Chriſtum non adorat. ſed illud adorat, cuius dilectione Cſtriſtum contemnit. Quos reuocat Pſalmiſta nunc, dicens, *Venite adoremus dominum* ſcilicet, corde ipſum præ omnibus diligendo. Ioan. 4. Veri adoratores adorãt in ſpiritu & veritate. Sed hic vnum dubium cadit: ſi vera adoratio Dei ſtat in ſpirtu & veritate: qui ſpiritus loco non circũſcribitur: quare ergo adorando obſeruamus locorum differentias: vt puta oramus verſa facie ad orientem. Et ſic oratoria noſtra & eccleſias ordinamus, quòd caput ad partem orientis habent. Quomodo ergo in ſpiritu Deum adoramus: ſi loca adorando obſeruamus? Ad hoc dico quòd quamuis in ſpiritu & veritate, & non localiter adorandus ſit Deus: vt, ſcilicet, magis credatur placabilis in vno loco quam in alio: veruntamen ipſa locorũ differentia quandoque ad adorandum & orandum, ſpecialius noſtram deuotionem incitat & auget. Per accidens tamen dum, ſcilicet, per ipſa loca aliqua nobis diuinitatis myſteria præſentantur. Quis enim noſtrum exiſtens in loco, in quo Chriſtus orando genu flexit, non deuotius Chriſtum adoret orando? & ſic de cõſimilibus. Nos ergo publicè Chriſtum orando, verſus partem orientalem oramus: quamuis ad omnem partem poſſimus orare. Quia illa pars orientalis nobis tria repræſentat: quibus conſideratis noſtra augetur deuotio. Nobis enim repræſentat: primum principium à quo

*Hominis dignitas patet ex modo creationis.* *Greg.lib.9. moral.cap.35.* *Hominis animam & corpus fecit Deus* *Gen.1.* *Adorare debemus Chriſtum.* *Rom.8.* *Ioan 4.* *Quæſtio.* *Adoramus ad orientem & quare.* *Eccleſiæ habent caput ad orientem & quare.*

noſtra progreditur fœlicitas. Acerbũ ſupplicium, quo noſtra redimitur iniquitas. Vltimũ iudicium, quo noſtra concipitur humilitas. Primum patet, quia ipſa pars orientalis eſt principiũ lucis ſolaris: qua omnia tẽporalia generãtur,nutriũtur & cõſeruãtur.Et ſic nobis repræſentat ipſum Deum:à quo noſtra beatitudo procedit,& perpetuatur. Zac. 6. Oriens eſt nomen eius In huius figuram Chriſtus ad orientem cælos aſcendit.Pſal.67.Aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem.Vt ergo fęlicitatis deſiderio magis accenſi videndo præſentem orientalem deuotius Deũ adoremus, verſis vultibus ad orientem adoramus. Secundum patet, quia oriens repræſentat nobis Chriſti paſſionem.Chriſtus enim in cruce poſitus faciem habebat ad occidentem,& dorſum ad oriẽtem:quia ſcilicet pro nobis patiendo illos aſpiciebat qui per peccatum occiderant, & receſſerant à vero oriente.Si ergo Chriſtum per faciem volumus aſpicere pro nobis pendentem in cruce,dum ipſum colimus,oportet nos faciem noſtram ad orientem vertere: vt ſic non ſolum mente in faciem Chriſti adorando tendamus:ſed etiam corpore.dicens,pſal.83. Reſpice in faciem Chriſti tui. Sic ergo dum ad orientem adoramus: faciem Chriſti pro nobis crucifixi aſpicimus mẽte.Ezech. 8.Viri habentes faciem ad orientem adorabant ad ortum ſolis. Tertium patet. Legimus enim quòd Chriſtus in valle Ioſaphat, quæ eſt iuxta montem olíueti, qui eſt iuxta Hieruſalem à parte orientali tenebit vltimum iudicium.Cuius iudicij conſideratio nos à multis malis refrænat, & ad humilitatem inducit.Et ideo ad orientem adoramus, vt vltimum iudicium ante oculos noſtræ mentis habeamus.Vnde de Chriſto in vltimo iudicio exiſtẽtę,dicitur, Stabunt pedes eius ſuper montem oliuarum qui eſt contra Hieruſalem ad orientem.Secundus actus laudis Chriſti eſt,vt procidamus ante ipſum.Vnde dicit,*Venite,adoremus, & procidamus.* Procido procidis,cõponitur ex pro,& cado,dis.Et eſt procidere idẽ quod ante cadere. Et ſic ille procidit ante alium,qui ante aliquem ex humilitate ſe totum proſternit ad terram.Sic enim de Magis legitur Matth.2. Et procidentes adorauerunt eum. Et hoc eſt ſignum ſummæ humilitatis,& reuerentiæ erga Chriſtum habendæ. Non enim coram aliquo homine debemus in ſignum reuerẽtiæ procidere, ſed ſolùm coram Deo. vt ait Gregorius libro 21.mor.cap.11.dicens,Cùm primus paſtor eccleſiæ Petrus adorante ſe Cornelio, ſupra ſe ſibi honorem videret oblatum,ad æqualitatem conditionis citius recurrit,dicens,Surge & ego ipſe homo ſum.Quis enim neſciat quòd conditori ſuo homo, & nõ homini debeat proſterni?Quia ergo humiliari ſibi pluſquam debuit hominem vidit, ne vltra humilitatis metas mens intumeſceret, eſſe ſe hominem recognouit:quatenus illati ſibi honoris elationem frangeret, conſiderata æqualitate conditionis. Veruntamen hodie hoc modicum ex elatione præſidentium obſeruatur:quia indifferenter ſummo pontifici & aliis maioribus homines loquendo ſe proſternunt: & ante ipſos procidunt. Tertius actus laudis Chriſti eſt:vt de peccatis agamus pænitentiam.Et hoc eſt quod ait,*Venite,adoremus, procidamus, & ploremus ante Deum.* Non enim maior laus alicui poteſt exhiberi, quam factis ſeipſum accuſare, & ipſum laudare. Quod bene aduertens Magdalena pedes Chriſti lachrymis lauit. Ideo dicitur,Plorate in miſeriis veſtris.

*Zacha.6.*
*Pſalmus 67.*
*Pſalmus 83.*
*Ezech.8.*
*Zach.14.*
*Matth.2.*
*Proſterni homini nullus debet: ſed ſoli Deo procidere.*
*Actuum 10.*
*Laudat Deũ qui pænitet.*
*Luca 7.*

## Et nos populus paſcuæ eius:& oues manus eius. 1637

Hic oſtendit Chriſtum laudandum ex beneficio gubernationis. Deus enim ſpeciali modo gubernat homines vltra alia animalia & cæteras creaturas. Quod notans apoſtolus ait, Non eſt cura Deo de bobus,id eſt,talis, ſicut de hominibꝰ:quia homines gubernat ſpecialius.vt puta quia propter hominẽ legem dedit: præmia & ſupplicia ordinauit æterna: & non propter alia animalia. Vnde de gubernatione quam ſpecialiter circa homines habet, dicitur, Vniuerſorum finem ipſe conſiderat, ſcilicet, bonorum & malorum. Quod exponens Greg.dicit,Vniuerſorum nomine electos comprehendi voluit & reprobos.Nam bona faciens Deus: mala verò non faciens:vniuerſorum curam habet. Nam ab iniquis facta ne inordinatè veniant: ipſe diſponendo conſiderat vniuerſorum finem: & patienter tolerat omnia: atque intuetur electorum terminum,quòd ex malo mutentur ad bonum.Intuetur etiã reproborum finẽ, quod de malo opere dignè trahantur ad ſupplicium. Vidit finem perſequẽtis Sauli:quo proſtratus diceret, domine quid me vis facere.Vidit finem quaſi obſequentis diſcipuli:quo commiſſo ſcelere guttur laqueo ſtringeret:ſeque & peccãtem puniret: & vlterius puniendo deperiret.Vidit Niniuitas delinquẽtes:ſed conſiderauit finem delinquentium pænitentiam correctorum. Viditque Sodomam delinquentem: ſed conſiderauit finem ardoris luxuriæ ignem gehennæ.Vidit gentilitatis finem: quòd poſſeſſa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce clareſceret. Vidit Iudææ terminũ:quòd ab ea luce fidei quã tenebat obduratè perfidię ſe tenebris cęcaret.&c.De quibus patet, quòd vigilantiori cura Deus homines gubernat cæteris creaturis. Et ſi obiiciatur illud Sap. 6. quòd æqualiter eſt ei cura de omnibus. Ex prædictis patet reſponſio, ſcilicet, quo ad effectum,æqualiter eſt ei cura de omnibus:licet diuerſis effectibus de omnibus curet.Sicut ſi pater duos filios habens, vnum doctorem, alium militem: quos æqualiter affectu diligit:diuerſis tamen effectibus illos gubernabit,ſcilicet,militi dans non libros,ſed arma:doctori autem libros dabit non arma. Sic Deus omnes creaturas æqualiter gubernat,vnicuique prouidens ſecundũ naturæ ſuæ ſtatum. Et ideo cum hominis natura nobilior ſit cæteris,diligentius gubernat homines.Hoc ergo beneficium hominem ad Chriſti laudem inducit. Quod hic commemorans Pſalmiſta dicit, *Et nos populus paſcuæ eius:& oues manus eius:*quia,ſcilicet,nos ſingulariter paſcit, & vt oues ſuas ſua manu gubernat. Et aduerte quòd idem intelligit hic per oues & per populum.Vnde hic ait glo.vide quam eleganter ordo verborum mutatus eſt. Non dixit oues paſcuæ,nec populus manus: quod magis videretur cõgruere: quia ad oues paſcua magis pertinẽt.Quod ideo fecit,vt ipſas intelligas oues quæ ſunt populus. Iſta etiã littera ſpecialiter referri poteſt ad populum Hebraicum, quem Deus glorioſe quadraginta annis pauit in deſerto. Vel aliter poteſt intelligi,quòd nos ſumus populus paſcuę Dei: non ſolum quia nos Deus gubernat & paſcit: ſed etiam quia nos paſcimus Deum bonis operibus noſtris.Vnde ſicut mali malis operibus diaboli famem paſcunt (vt dicit Grego.) ſic & bonis operibus

*Hominum ſpecialem curam Deus habet. 1.Corin.9.*
*Iob 28.*
*Greg.lib.18. moral.ca. 17.*
*Fine omnium Deus videt.*
*Sap.6.*
*Paſcit nos Deus & nos Deum.*
*Greg.33 mor. cap.11.*



bus bonorum paſcitur Deus. Vnde Gregor.lib. 30.moral.c.34.dicit,Bonis operibus cõuerſorum quaſi herbis virentibus deus ſatiatur. Vnde voce ſponſi in canticis dicitur. Vbi paſcas,vbi cubes in meridie:cùm ex deſideriis carnalibus ardenti corde reproborum apud electorum ſuorum pectora refrigerium interuenit bonę cogitationis &c. Sumus ergo populus paſcuæ dei: quia ipſe ſua gratia nos reficit.Pſal.36.Spera in Deo & fac bonitatem: & paſceris in diuitiis eius.Sumus populus paſcuæ eius: quia ipſe paſcitur bonis operibus noſtris. Can.6.Dilectus meus deſcẽdit vt paſcatur in hortis. Quid autem propriè ſit populus:dictũ eſt ver. 816.Per oues autem boni deſignantur.vide verſic. 88.& 1334.

*Greg.lib.30. moral.c.34.*
*Pſal.36.*
*Can.6.*

## 1638 Hodie ſi vocem eius audieritis:nolite obdurare corda veſtra.

Hæc eſt tertia principalis pars: in qua concludit principale propoſitum: quod eſt(ſecundũ quòd deducit Apoſtolus)inducere omnes & maxime populum Hebræorum ad obediẽdũ humiliter Chriſto:ne propter inobedientiam & rebellionem impediatur ab ingreſſu terræ viuentium:ſicut & patres eorum qui de Ægypto educti fuerunt:propter eorum rebellionem in deſerto deo factam fuerunt impediti ab ingreſſu terræ promiſſionis. Et circa hoc tria facit:quia primò admonitio præmittitur: ſecundò ad hoc exemplum adducitur:ibi,Sicut in irritatione:tertiò pæna illata exprimitur:ibi,Quadraginta.Quantum ad primùm ſciẽdum,quòd inter alias differentias legis nouæ & antiquæ hæc eſt vna:quia,ſcilicet,antiqua fuit data,nõ quidem per Deum in perſona propria loquẽtem: ſed per angelum deum repræſentantẽ:vt expreſſè habetur Act. 7.Noua data fuit à deo in perſona propria: quia à Chriſto,qui eſt verus deus.vt habetur Matt.5.Vbi Chriſtus aperiẽs os ſuum docebat eos,&c.Ex quo ſequitur quòd ſicut Chriſtus eſt maioris excellentiæ quàm ſit aliquis angelus:ad Hebr.1. Sic & lex noua excellit antiquam.Et ideo lex noua cum maiori obediẽtia, cum maiori deuotione eſt obſeruãda,quàm lex antiqua. Cuius oppoſitũ faciens maiori pæna puniri meretur,quàm violator legis antiquæ. Item notãdum quòd lex noua per diem deſignatur:& lex antiqua per noctem:quia ſicut dies in claritate noctẽ excedit: ſic in lumine gratiæ lex noua antiquam. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus ad Rom.13. Nox præceſſit, ſcilicet, lex antiqua: dies autem appropinquauit, ſcilicet,lex noua. Et ideo per ly hodie,intelligitur lex noua,vel tempus gratię.Loquitur ergo tam cum Iudæis,quàm cum cæteris omnibus Pſal.dicens. *Hodie* ſcilicet, tempore gratiæ, *ſi vocem eius audieritis.* Et hic ponitur ſi, pro quia:ſcilicet, quia vocẽ eius Chriſti audietis: quia per ſe nunc loquitur,qui olim per ſeruum loquebatur:qui pręcones antę ſe mittebat:ipſe venire dignatus eſt:ideo ad eius vocem ne ſitis duri:ſicut ad vocem ſerui duri fuerunt in deſerto patres veſtri.Et hoc eſt quod ſubditur. *Nolite obdurare corda veſtra.* ſcilicet, legem euangelicam repellendo. Et notanter dicit, *Nolite obdurare:* oſtendens quòd cordis obduratio vel obſtinatio:non eſt à deo: ſed à libero hominis arbitrio. Et ſi dicas, quòd deus dixit,Exod.7. Ego indurabo cor Pharaonis: & ſic obduratio cordis eſt à deo.Reſpõdet magiſter lib. 1.diſt.41.quòd quamuis miſericordiæ nullum ſit meritum, ne gratia euacuetur, ſi non gratis data, obduratos,tamen aliquando inuenimus meritum, ſcilicet,mala voluntas quæ obicem ponit. Miſeretur itaque deus ſecundum gratiam quæ gratis datur:indurat autem ſecundum iudicium quod meritis redditur. Vnde ſicut reprobatio Dei eſt nolle miſereri:ita obduratio Dei eſt non miſereri. Non quòd à deo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior:ſed tantum quo ſit melior non erogetur. Vnde vult dicere,quòd deus indurat hominem ſolũ: quia non miſeretur.

*Hebr.3.*
*Lex antiqua data fuit per angelum: ſed noua per Deũ.*
*Actuum 7.*
*Matth.5.*
*Hebr.1.*
*lex antiqua dicitur nox: ſed noua dies.*
*Rom.13.*
*Exod.7.*

## Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto: vbi tentauerũt me patres veſtri:probauerunt,& viderunt opera mea. 1639

Hic adducit exemplũ de illis qui in deſerto territi verbis exploratorum,fuerunt rebelles deo: vt habetur Nume.14.vide ver.1630. Hic enim culpa parentum in exemplum repetitur,vt pæna timeatur.Illi enim territi verbis exploratorum voluerũt reuerti in Ægyptum, citò obliti potentiæ diuinæ, quæ tam mirabiliter ipſos eduxerat de Ægypto. Hoc eſt enim Deum irritare, viſa eius potentia de ipſo diffidere.Et iſta irritatio vocatur dies tẽtationis:quia ſic deum prouocando tentabant: habitis multis experientiis de ipſa dei potentia, & miſericordia circa ſeipſos.Et hoc eſt quod dicit, *Vbi tentauerunt me patres veſtri:probauerunt, & viderunt opera mea.* vt puta quòd mare ante ipſos fuit exiccatum: quòd Pharao cum omnibus ſuis fuit ſubmerſus in mari:quòd ad orationem Moyſi Amalech cum ſuo exercitu fuit ſuperatus:& ſic de multis aliis miraculoſis dei operibus,quæ viderant,& probauerãt. Quibus nõ obſtantibus,adhuc de Deo diffidebãt. Iſtum verſum recitat Apoſtolus ad Hebr.3.quem ſic ibi gl.exponit, *Sicut in irritatione.* &c.id eſt,nolite obdurari ſicut patres veſtri obdurati ſunt in die tentationis in deſerto: vbi magis dei indigebant auxilio.q.d.ita & vos in deſerto huius mundi cauere debetis:ne tentetis deum:ne pereatis ſicut illi perierunt in deſerto:qui deum tentauerunt.Recolamus quòd ille populus tẽtauerit Deum,& acceperit diſciplinã:& rectus ſit in deſerto tanquàm ab optimo ſeſſore frenis legum & præceptorum: non deſiſtente etiam emendationis virga:qua percuſſi ſunt pro amaricatione.hiſtoria enim ſatis nota eſt:de eo quòd miſerũt exploratores videre terram.Et cum audirent ab eis ibi eſſe inexpugnabilis giganteæ ſtaturæ viros,obliti virtutis dei totiẽs probatæ, dixerunt, Redeamus in Ægyptum ad ollas carnium.Vnde iurauit dominus quòd nõ intrarent terram promiſſionis: quæ eſſet eis requies laboris.Et ſic omnes perierunt præter duos,ſcilicet,Caleb & Ioſue.Nolite ergo vos effici ſimiles illis.Et nota quòd aliqui deum tẽtant multipliciter. Primò aliqui tentant Dei clementiam:qui ſcilicet negligenter & ſine deuotione orant.Eccl.18.Ante orationẽ præpara animã tuã: & noli eſſe ſicut homo qui tentat Deũ. Secundò aliqui tentãt dei patiẽtiam:qui ſcilicet de die in diẽ in peccatis perſeuerant: & quandoq; per totum tempus vitæ ſuæ. Cõtra quos dicitur, Tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierunt. Tertiò aliqui tentant Dei iuſticiam: qui ſcilicet iniuſtè optant inferre vindictam. Lucæ 9. Vis vt dicamus vt deſcendat ignis de cælo, & deuoret eos. Quartò aliqui tentant eius

*Nume.14.*
*Tẽtauit populus Deum in deſerto.*
*Hebr.3.*
*Tetatur Deus multipliciter.*
*Eccleſ.18.*
*Pſal.77.*
*Lucæ 9.*

potentiam:qui ſcilicet in periculis exiſtentes,non plenè de ipſo cōfidunt. *Iudith 8.* Iudith 8. Qui eſtis vos qui tentatis dominum, & tempus vultis ponere miſericordiæ eius? Et loquebatur cōtra ſacerdotes:qui ſtatuerant dare ſe in manibus Nabuchodonoſor, niſi deus infra quinque dies eos liberaret. Quintò aliqui tentant dei ſapientiam:qui ſcilicet exponūt ſe ad docendum alios ſine ſtudio & pręmeditatione. *Pſal.77.* Pſal.77. Tentauerunt deum in cordibus ſuis. Et ſequitur, Et malè locuti ſunt de deo.

1640 Quadraginta annis offenſus fui generationi illi:& dixi, ſemper hi errant corde.

Hic ponitur pæna illi populo illata propter ſuā obduratione͂. Modica enim eſt via inter Ægyptū, & terram promiſſionis:tamen Deus peccatis eorū iratus per quadraginta annos circunduxit eos per deſertum, retardans introitum terræ promiſſionis: quouſque omnes qui exierāt de Ægypto, à viginti annis & ſuprà qui viderunt mirabilia dei, & increduli permanſerant, morerētur in deſerto : vt habetur Nume.14. *Nume.14.* Et hoc eſt quod ait, *Quadraginta annis offenſus fui generationi illi*, id eſt, implacabiliter iratus fui contra eos, non permittens eos intrare terram promiſſionis. *Et dixi ſemper hi errant corde.* q.d. ipſi errabāt volūtariè. Vnde talis error peccatū eorum augebat, non minuebat. Sicut ignorantia voluntaria peccatum auget, non diminuit. Quia iſti experti ſunt dei miranda opera, & tamen increduli deo manebant. Conſimiliter ergo & nos qui cōtinuè videmus Chriſti mirabilia, ſi rebelles ei fuerimus, ipſe nobis erit offenſus. *Quadraginta ſignificat omne tempus.* Myſticè autē ſecundū glo. hic per quadraginta annos deſignat omnia ſecula. Conſtat enim ex denario qui eſt primus limes numerorum:& ideo plenitudinem ſignificat. Et ex quaternario : qui ad quatuor tempora anni refertur. Et ſic per quadraginta, omne tempus deſignatur. Vnde & dominus in huius numeri ſacramento quadraginta diebus ieiunauit, quando tentatus eſt. Matth.4. *Matth.4.* Et quadraginta diebus poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis fuit, antequàm in cælum aſcenderet : per hæc ſignificans ſe nobis ſemper adeſſe & cōſolatorem & adiutorem in hoc peregrinationis & tentationis tēpore. Sicut & ipſe ait, Ego autem vobiſcū ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. *Matt.vl.* Et nota quòd ſingulariter iſte numerus quadraginta eſt numerus pænitentiæ applicatus : *Quadraginta eſt numerus pænitētiæ dedicatus.* ſic enim iſto numero ieiunauit Moyſes. Exo.24. Helias 3.Reg.19. Et ipſe Chriſtus. Matth.4. *Exod.24. 3.Reg.19. Matth.4.* Et hoc ad denotandum quòd totum tempus vitæ præſentis pænitentiæ debet deputari, & non lætitiæ temporali. Qui enim hic in iſto numero vult lętari : ipſo cōpleto triſtabitur. Sicut patuit de Zoroaſtre : qui ante quadrageſimum diē ſolus riſiſſe legitur: qui poſtea dæmonibus fuit dedicatus. vide ſuprà ver.841.

1641 Et iſti non cognouerūt vias meas: vt iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Hic ponitur cauſa talis pænæ qua non intrauerunt in terram promiſſionis, & fuerūt proſtrati in deſerto. Cuius cauſa fuit, quia noluerūt præcepta Dei obſeruare. Et hoc eſt quod de ipſis dicit, *Et iſti non cognouerunt vias*, id eſt, non approbauerunt legem meā, & præcepta mea, quæ dedi eis illa adimplendo. Sicut enim non cognoſcere dei, aliquādo idem eſt quòd non approbare: ſicut dicit fatuis virginibus. Amen dico vobis, neſcio vos. *Matth.25.* Sic & nō cognoſcere hominis dicitur non approbare. Sicut de malis dicitur, Viam pacis non cognouerunt: nō eſt timor dei ante oculos eorum. *Pſal.13.* Et ideo illico ſequitur pæna. vnde ſubdit, *Quibus* ſcilicet, malis, iuraui in ira mea. Iratus dicitur deus quando malos vult punire. Et ſic iurat in ira, quando ſtabiliter proponit peccatum punire. Vnde aliquando deus iurat iratus: quandoq; iurat placatus. Iurauit enim placatus obedientia Abrahæ, Gen.22. *Gen.22.* Per memetipſum iuraui, dicit dominus: quia feciſti rem hanc: & non pepercisti vnigenito tuo propter me: benedicens benedicam tibi &c. Iurauit iratus quando iurauit punire Heli, cum omni domo ſua: quia filios non correxerat. 1.Reg.4. *1.Reg.4.* Iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas eius victimis & muneribus vſque in æternum. Eodem modo diffinie͂s hic punire rebelles iurauit in ira ſua. Sed quid iurauit, ſubdit. *Si introibunt in requiem meam.* Hic enim accipitur, ſi pro non. Et eſt ſenſus. Iuraui quòd ipſi nō intrabunt in requiem meam. Ad literam dicebat de terra promiſſionis, in quam intrātibus dedit requiem. Et quia illa requies fuit figura quietis bonorū in patria: quia vt dicit Apoſtolus. *1.Cor.10.* Omnia in figura contingebant illis: ideo per hoc intēdit Pſal. inducere omnes, & maximè populum iudaicum ad obediēdum Chriſto : ne Chriſto increduli & inobedientes excludantur ab ingreſſu terræ viuentium: vbi eſt requies ſempiterna beatorū. Notandum autem quòd requies bona quam debemus appetere: triplex eſt, ſcilicet, requies iuſtorum, requies contemplatiuorum, & requies beatorum. *Requies bona multiplex eſt.* Prima eſt contra laborem culpæ : ſecunda contra laborem vitæ actiuæ: tertia contra laborem omnis miſeriæ. Prima eſt requies iuſtorum. Mali enim in peccato poſiti nunquàm requiem habent. Vnde ſuperbus ſemper cum ambitione cōtendit: auarus cum diuitiis: & ſic de ſingulis. Vnde Grego. *Gre.4.mora. cap.2.* Rarum valde eſt vt qui auarum poſſidēt: ad requiē tendant: cum per ſemetipſam veritas dicat, Difficile qui pecuniam habent, intrabunt in regnum cælorum. *Luca 18. & Marc.10.* Nam qui hic multiplicādis diuitiis inhiāt, quæ alterius vitæ gaudia ſperant? quod tamen vt redemptor noſter valde rarum, & ex ſolo diuino miraculo euenire poſſe mōſtraret. Apud homines inquit hoc eſt impoſſibile: apud deum autem omnia poſſibilia ſunt. *Matth.19. & Luca 18.* Sed boni in conſcientia requiē habent: qui ſeipſos ſanctificant Deo. Exod.16. *Exod.16.* Requies ſabbathi ſanctificatio eſt domino. Secūda requies eſt contemplatiuorum. Actiui enim ſollicitudinibus mundi intenti requiem habere nō poſſunt. Sed veri pauperes qui cōtemplatiuam vitam eligunt, veram requiem cordis habent. Quoniam vt ait Greg. *Greg.li.15.mora.c.12.* Mira ſecuritas cordis eſt aliena nō quęrere: ſed vniuſcuiuſque diei ſufficientia cōtentum manere. Ex qua etiam ſecuritate perennis requies naſcitur: quia à bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna tranſitur. Econtrà reprobi & hic fatigantur in deſideriis, & illic in tormentis: eiſq; de labore cogitationis labor doloris naſcitur : dū ab æſtu auaritiæ trahuntur ad ignē gehennæ. Et quia contēplatiuus quilibet in ſolo deo requieſcit: ideo dicit pſal.4. *Pſal.4.* In pace in idipſum: dormiā & requieſcā. Tertia eſt requies beatorū. Vera enim requies in præſenti haberi non poteſt: vbi continuè abundant



labores & miſeriæ. ſed ſolū in patria: vbi omne bonum eſt ſine aliqua miſeria. Et de hac requie dicitur Iob 36. *Iob 36.* Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine. Quod exponens Greg. dicit, *Greg.26. mor.c.32.* Requies mēſæ eſt refectio ſatietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur : quia internæ voluptatis delectatione præparatur. Huius menſę epulas eſuriebat propheta cum dicebat, Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Pſal.16.* Huius menſæ pocula ſitiebat, dicens. *Pſal.41.* Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum: quādo veniam & apparebo ante faciē dei. Et de hac requie dicitur Eſa.32. *Eſa.32.* Sedebit populus meus in requie opulēta. Et iſtam prohibet Deus malis : de quibus nunc ait, *Quibus iuraui in ira mea : ſi introibunt in requiem meam.*

## PSALM. XCV.

1642 CAntate domino cāticum nouum: cantate domino omnis terra.

Hic pſalmus hunc habet titulum. Pſalmus Dauid, quando domus ædificabatur poſt captiuitatē. Pro cuius euidentia notandum, quòd quando Iudæi per regem Babyloniæ fuerūt captiui: inter alia mala quæ Babylonij fecerūt, ipſi templum per Salomonem factum funditus euerterunt: ſed poſt captiuitatem tempore Zorobabel fuit reædificatū: vt patet 1.Eſdræ 1. Et ideo dicūt aliqui, quòd Dauid hoc in ſpiritu prophetico præuidens fecit iſtū pſalmum ad laudandū Deum, & gratias ſibi agendum, quādo templum reædificaretur. Sed iſtud nō videtur veriſimile. cuius ratio eſt: quia quando tēplum fuit reædificatum, gentes non fuerūt admiſſæ ad illam reædificationem: immo magis expulſæ. vt habetur 1.Eſdræ 4. *Eſdr.4.* Ad ædificationem autem tēpli de quo pſal. agit fuerunt gentes admiſſæ. Propter quod in iſto pſal. dicitur, Annūciate inter gētes gloriā eius: in omnibus populis mirabilia eius. Dicunt ergo doctores Hebræorum, vt Rabbi ſa. quòd iſte pſal. agit de tempore Meſſiæ, cuius tēpore ædificabitur templum Deo mirabile. Ad cuius ædificationem gentes & alij orbis populi congregabuntur. Credebant enim Iudæi ipſum meſſiam temporaliter regnaturum, & templum materiale facturum. Sed in hoc errant. Quoniam ſicut Chriſtus regnum temporale non habuit : ipſo dicente, *Ioan.18.* Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſic nec tēplum materiale ædificādum. Sed regnum ſpirituale habuit in ſuis fidelibus : & templum ſpirituale ædificauit, quando animas noſtras fecit templum dei. Et ad iſtud ſpirituale templum fabricandum, non ſolum Iudæi, ſed & gentes & populi fuerunt vocati. Ædificatur hoc tēplum per Chriſtum, non ex lapidibus inſenſibilibus: ſed ex lapidibus viuis. ſicut ait Apoſtolus. *Ephes.2.* Eſtis ciues ſanctorum & domeſtici dei ſuperædificati ſuper fundamentū apoſtolorum & prophetarum : ipſo ſummo angulari lapide &c. Agit ergo iſte pſalmus de templo eccleſiæ per Chriſtū ædificatæ. Ex quibus apparet ſenſus tituli, qui eſt: pſalmus Dauid quando templum ædificabatur, id eſt, pſal. iſte eſt Dauid, id eſt, attribuitur ipſi Dauid, ſcilicet, Chriſto agens de hoc quod factum eſt: quando domus ædificabatur, ſcilicet domus domini ſpiritualis in toto orbe terrarum. Quibus viſis, accedo ad pſalmi diuiſionē. Sicut enim ad ædificationem domus materialis duo genera hominum requiruntur, ſcilicet, magiſtri & præceptores, & ſubditi operatores: Cōſimiliter ad ædificationem templi ſpiritualis, magiſtri & præceptores ſunt prælati, & prædicatores: ſed operatores ſunt alij fideles ſubditi. Et ſecundum hoc pſalmus habet duas partes : quia ad Chriſti laudē primò excitat prælatos & doctores: ſecūdò alios ſubditos fideles: ibi, Afferte domino pa. Prima pars diuiditur in duas: quia ipſos excitat primò ad Chriſti præconium : ſecundò ad debitum Chriſti obſequium: ibi, Confeſſio. Prima in duas: quia primò ipſos inducit ad actum præconij : ſecundò ad prædicationem euangelij: ibi, Annunciate inter gentes. Prima in duas : quia primò inducit ad Chriſti præconium: ſecundò oſtendit præconij modū: ibi, Cantate domino & benedicite. Quantum ad primum ſciendum quòd dicit, Cantate domino canticum nouum. Cantare enim domino, nihil aliud eſt quàm Dei laudes, non ſolum corde, ſed etiam voce cum lætitia reſonare. vide de hoc ſuprà verſi. 1145. & 1146. Sed quid cantare debemus adiūgit, *Canticum nouum.* Eſt enim canticum vetus, & cāticum nouum. Canticum vetus eſt vetus teſtamentum: canticum nouum eſt nouum teſtamentum. vide ſuprà verſi. 653. Dicit ergo, *cantate domino*, id eſt, Ieſu Chriſto, cāticum nouum, ſcilicet, canticū euangelicum: quod non requirit pænam & mortē peccatoris: ſed vitam, id eſt, Chriſto domino attribuite cāticum nouū: quod eſt gratiæ & miſericordiæ, non canticum antiquum: quod erat rigoris & iuſticiæ. vt puta, oculum pro oculo, dentem pro dente &c. Chriſti autem canticum miſericordiæ erat. Vade & amplius noli peccare. *Ioan.8.*

Cantate domino, & benedicite nomini eius : annunciate de die in diem ſalutare eius. 1643

Hic oſtēdit cantandi modū. Cātant enim aliqui domino voce: ſed corde diabolo. Sed illi domino verè cātant, qui corde, & ore, & opere deū benedicūt. i. oībus occaſionē dāt benedicendi deū. Et aduerte q̄ hic pſal. tribus vicibus dicit. Cātate dn̄o: oſtēdēs myſteriū trinitatis. *Trinitatis myſterium.* Vt ly primū, cātate dn̄o, referatur ad Deū patrē, ſecundū referatur ad filiū, tertiū ad ſpiritū ſanctū. Vnde hic ait gloſ. Ter dicit cātate dn̄o, ad diſtinguēdam perſonarū trinitatem: quia laus Chriſti honor eſt totius trinitatis. Et ſic principiū iſtius verſus refertur ad ſpiritūſanctū : vt ſit ſenſus, *Cātate domino* i. ſpirituiſancto. *Et benedicite nomini eius* Hic modo reuertitur ad laudē Chriſti. Nā nomen eius quod debemus benedicere eſt Ieſus: vt oēs ipſum noſtrū ſaluatorem credamus. Et quia hoc maximè ſpectat ad prælatos vt populum inſtruāt benedicere nomē Ieſus: ideo conſequēter ſe ad prælatos vertit dicēs, *Annunciate de die in diē ſalutare eius.* i. cōtinuè prædicate Ieſum omnium eſſe ſaluatorem. Sic ergo ad prælatos maximè ſpectat cātare, & annūciare populo ſalutare Chriſti. Vnde nota q̄ ſancti prædicatores annūciādo diuina myſteria, cauere dicūtur. *Prædicatores cantant canticum nouum.* In quorū figuram angeli annunciantes futura, canere dicebantur. Apoc.8. Et angeli qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe vt canerent. Vnde & quilibet ſanctus prædicator, dicit cum pſalm. Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen deo noſtro. *Pſal.39.* Prædicatio enim euāgelij canticū nouū dicitur : ſicut antiquæ legis cāticū vetus. Quod oſtendit ibi gl. dicens, Cantabāt enim homines veteris teſtamenti canticum vetus, ſcilicet, oculū pro oculo, dentē pro dēte, aīam pro

anima:& ad infernum omnes deſcendebant,clauſa regni ianua: prohibebat Cherubin paradiſi aditũ: in cuius manu erat ignea rumphea. Sed prædicatores noui teſtamenti cantant canticum nouum: quod nouus homo attulit Chriſtus, per quem noua facta ſunt omnia. Nouus ergo populus noua cantat de incarnatione,de reſurrectione, de aſcenſione, de regni cæleſtis apertione, & huiuſmodi. Et hoc eſt quod prædicatoribus præcipitur. *Pſal.97* Cantate domino canticũ nouum, quia mirabilia fecit. Sed heu:quia prædicatores ſatis poſſunt hodie cãtare:tamen ad ipſorum canticum pauci cõuertuntur. Vnde conquerendo hodie ipſi mundanis hominibus dicunt. *Matth.11.* Cecinimus vobis,& non ſaltaſtis, id eſt,prouocauimus vos ad noſtrum canticum,& non ſaltaſtis:lamentauimus,& non plãxiſtis. Quia ſatis poſſunt cãtare de præmijs,& lamẽtari de ſupplicijs: ad eorum tamen canticum quaſi nulli immutantur.Sed vt mihi videtur, ipſimet prædicatores dant in hoc occaſionem:maximè propter duo. Primò, quia ſuo cantu maiores peccatores palpãt, quos fortius terrere deberent.Secundò, quia & ſi verbis cantant, tamen operibus tacent. Et de iſtis duobus loquitur Greg.exemplo galli,dicens. *Greg.30. moral.cap.7.* Gallus nãque valentiores & profundiores cantus edere ſolet in profundioribus horis noctis: cùm verò tempus matutinum appropinquat,leuiores,& minutiores omnino voces format. *Prædicator fortius arguere debet maiores peccatores.* Sic & prædicatores cum iniquis adhuc mentibus prædicãt:altis & magnis vocibus æterni iudicij terrores reſonant: quia videlicet quaſi in profundæ noctis tenebris clamant.Cum verò iam auditorum ſuorum cordibus veritatis lucem adeſſe cognoſcũt: clamoris ſui magnitudinem in dulcedinem vertunt:& non tam illa quæ de pœnis ſunt, quam illa quæ ſunt blanda de præmijs proferunt. Qui etiam minutis tunc vocibus cantant:quia appropinquãte mane ſubtilia quæque de myſterijs prædicant:vt ſequaces ſui eo minutiora quæque de cæleſtibus audiãt:quo luci veritatis magis appropinquãt. Et quos dormiẽtes longus gallicantus excitauerat:vigilãtes ſucciſior delectet.Ex quibus patet,quòd prædicator ſecũdum variationem temporis & auditorum variare debet cãticum prædicationis. *Oſeæ 2.* Oſeæ 2.Canet tibi iuxta dies iuuentutis ſuæ,& iuxta dies aſcenſionis ſuæ de Aegypto. *Prædicator prius debet facere quod prædicat.* Secũda cauſa eſt,quia prædicator quod ore cantat, operibus tacet. Cuius oppoſitum debet facere:vt exemplo galli oſtendit Greg. 30.moral.c.7.dicens.Gallus cùm ſe iam cãtus edere parat:prius alas excutit:& ſemetipſum feriẽs vigilantiorem dedit. Sic & ipſi ſancti prædicatores cũ verba prædicationis monent:prius ſe in ſanctis actionibus exercent:ne in ſemetipſis torpẽtes opere;alios excitẽt voce. Prius ſua punire fletibus curant:& tunc quæ aliorũ ſunt punienda denunciãt. Prius igitur alis inſonant, quam cantum emittãt: quia antequam verba exhortationis proferãt:omne quod locuturi ſunt,operibus clamant.Quia ergo prædicatores hodie oppoſitũ prædictorum faciunt:ideo cantando paucos conuertunt. Prædicando enim bona verbis; & operibus mala demõſtrãdo:plus occaſionem præſtant auditoribus maledicendi Chriſti nomen, quam benedicendi. Et ipſos reprehendens pſalmiſta ait. *Cantate domino,& benedicite nomini eius.*

## 1644 Annũciate inter gentes gloriã eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Hic inducuntur prælati ad prædicationẽ euangelij.Annunciare debent gentibus de Chriſto maximè tria,ſcilicet,gloriã ſuæ reſurrectionis. ſecundò excellentiam ſuæ dominationis:ibi, Quoniam deus magnus dominus.tertiò potentiam ſuæ operationis:ibi, Quoniam omnes dij gẽtium dæmonia. Vbi notãdum, quòd quamuis principalius ad Iudæos venerit Chriſtus,ipſo dicente,Non ſum miſſus niſi ad oues quę perierunt domus Iſrael. *Matth.15.* tamen conſequenter ad omnes mundi gentes ſaluandas venit.Vnde ipſe dicebatur expectatio gẽtium. *Genes.49.* Ipſe etiam dicebatur deſideratus cunctis gẽtibus. *Aggei 2.* Aggæi 2.Veniet deſideratus cunctis gentibus.Et hinc eſt quòd poſt eius aſcẽſionem diſcipuli primò prædicauerunt Iudæis gloriam Chriſti reſurrectionis. Virtute magna reddebant apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. *Actuum 4.* Sed per Iudæos expulſi, ſe ad gentes tranſtulerunt. *Gẽtibus prædicatur fides. Actuum 13.* Sic enim Paulus & Barnabas conſtanter Iudæis dixerũt: Vobis oportebat primum loqui verbũ dei: ſed quoniam illud repuliſtis, & indignos vos iudicaſtis:ecce conuertimur ad gentes. Et hoc præuidens Pſal. apoſtolis & alijs prædicatoribus,dicit, *Annunciate*, ſcilicet, non ſolum Iudæis:ſed etiam *Inter gentes gloriam eius*, ſcilicet, gloriam ſuæ reſurrectionis. Et ne fortè intelligatur gentes in particulari, ſed vniuerſaliter de omnibus gentibus,ideo ſubdit. *In omnibus populis mirabilia eius.* ſcilicet, annunciate vt alia Chriſti ſacramẽta mirabilia.vt quomodo mirabiliter conceptus,& natus:quomodo mirabilia in mundo eſt operatus,cæcos illuminãdo, ſurdis auditum,claudicantibus greſſum; mutis loquelam, & mortuis dederit vitam. Quod & ſic factum eſt. Quia vt habetur Mar. vlti. *Mar.vlt.* Illa autem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.Et nota quòd multa mirabilia de Chriſto annunciare debemus, ſcilicet, eius incarnationem,natiuitatem,operationem,reſurrectionem,& aſcenſionem. vide ſuprà. ver.657.

## Quoniã magnus dominus, & laudabilis nimis: & terribilis eſt ſuper omnes deos. 1645

Hic oſtendit quòd debent annunciare excelſam dominationem. Chriſtus enim magnus dominus dicitur:quia omnium dominorum dominus. *Apocal.19.* Ipſe eſt rex regum, & dominus dominantium. De hoc vide verſi.1633.& 957.& 1270.& 775.Et aduerte, quod Chriſti magnitudo maximè in iudicio apparebit. Ibi enim habebit, & oſtendet tria contra tria parua,quæ in mundo oſtendit. Primo enim in mundo apparuit ſeruus & infirmus: quia cum in forma dei eſſet &c. humiliauit ſemetipſum formã ſerui &c.Phil.2. Sed in iudicio apparebit magnus dominus:quia omnium ordinarius iudex. *In iudicio magnus apparebit Chriſtus multipliciter.* Et quãtum ad hoc dicit, *Quoniam magnus dominus*, ſcilicet, erit Chriſtus:quia,ſcilicet, eius dominij magnitudo tũc omnibus apparebit:de quo dicitur.1. Reg. 2. *1.Reg.2.* Dominus mortificat & viuificat:quia bonis dabit vitam: ſed malis mortem æternam. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & ſubleuat. Et infrà. Dominus iudicabit fines terræ. Secundò in mundo apparuit humilis & deſpectus. Vnde & Iudæi dicebant de ipſo. Ecce vidimus eũ,& non erat ei aſpectus &c. *Eſa.53.* Sed in iudicio apparebit nõ deſpectus,ſed totus glorioſus.Et quantum ad hoc dicit, quòd erit & laudabilis nimis: quia ab omnibus eius



eius iuſticia ratione laudabitur:quia & iuſti laudabunt eius miſericordiam,qua ſaluati erunt:& mali videbunt ſe iuſtè damnatos.Sed hic aduertendum, quum omnis virtus exiſtat in medio: & omne nimium recedat à medio: quomodo ergo Chriſtus dicetur laudabilis nimis: quia tunc non virtuosè laudabilis eſſet? *Nimis ſignificat multa.* Ad hoc dicendum:quòd ſecundum grammaticos huiuſmodi aduerbium nimis, quandoque denotat ſuperabundantiam:& idẽ eſt quòd plus iuſto: ſicut de duobus dæmoniacis dicitur *Matth.8.* Matth.8.quòd occurrerunt ei duo habẽtes dæmonia ſæui nimis, id eſt, plus iuſto. Aliquando vero denotat perfectionem excedẽtem intellectum noſtrum. *Pſal.138.* Sic enim dicitur. Nimis honorati ſunt amici tui deus &c. *Nimis laudabilis Deus. Ephe.2.* Quia honor quem deus tribuit in patria ſuis amicis:noſtrum intellectũ excedit. non quòd ſit indebitus & plus iuſto. Sic etiam loquitur apoſtolus. Propter nimiam charitatem qua dilexit nos deus &c. Nõ quòd illa charitas dei fuerit plus iuſto, & vitioſa: ſed quia noſtrum intellectum excedit. *Gualfredus.* Vnde Gualfredus exponẽs dicta verba apoſtoli, dicit. Nimia eſt ira Dei: nimia eſt & charitas Dei.Immenſus ſiquidem eſt deus: & non niſi immenſum amat:ſed nec niſi immenſum iudicat. Veruntamen non ad ipſum: ſed ſolum ad nos referenda eſt vtraque nimietas.Siquidem conſideretur noſtra indignitas, nimiũ diligimur: ſi noſtra infirmitas,nimis punimur. Quàm terribilis es domine,qui ſic iudicas:quàm amabilis, qui ſic amas. Noſtra itaque omnia tam ſunt minima, vt eorum comparatione omnis magnitudo dei ſit nimia &c. Sic ergo dicitur Chriſtus laudabilis nimis:quia ſuper vires noſtras dignus eſt omni laude.Et hoc eſt *Eccleſiaſt.43.* quod dicitur Eccl. 43. Magnificate eum quantum poteſtis:maior eſt enim omni laude. Sic enim dicitur.Pſal. 144. *Pſal.144.* Magnus dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Tertiò in mundo fuit timidus:quia timorem humanum in ſe aſſumpſit voluntariè. *Mar.14.* Vnde Mar. 14. Cæpit Ieſus pauere & tædere. Sed in iudicio nullũ timens,omnibus apparebit terribilis. ideo ſubditur. *Terribilis ſuper omnes deos.* Deos hic appellat omnes mũdi potentes, & etiam ipſos dæmones qui ab idololatris pro Deo coluntur:quia omnes dij gentium dæmonia:vt ſtatim ſequitur.

## 1646 Quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cælos fecit.

Hic oſtenditur quòd debent annunciare mirabilem Chriſti operationẽ. Hic enim Pſalmiſta ponit differẽtiam inter Chriſtũ verum Deum: & dæmonia vel idola gentium:quæ dij nuncupatiuè dicuntur. Quoniam cùm per verbum Dei æternum *Ioan.1.* omnia ſint facta,cælũ,terra,mare &c.Ioan.1.Omnia per ipſum facta ſunt. ſequitur quòd cum Chriſtus ſit verbum, quòd omnia quæ Deus non ſunt, per Chriſtum ſunt facta. Vnde ratione ſuppoſiti *Chriſtus vt verbum fecit omnia.* Chriſti verum eſt dicere. Iſte puer fecit cælum:fecit ſtellas:fecit totum orbem. vt ait magiſter lib. 3. diſt. 11. Ipſe ergo Chriſtus qui ratione ſuppoſiti omnia quæ ſunt facta fecit:dicitur non factus.Dæmones autem vel idola gentium qui dij dicuntur, ſimpliciter ſunt. Omnes enim angelos à principio fecit,dicens,Fiat lux:& facta eſt lux.Sed ipſis à deo luce factis:alij permanendo luces ſunt confirmati: alij ſuperbiẽdo tenebræ ſiue dæmones ſunt effecti. Iſti autem dæmones in idolis à gentibus colebantur:quæ idola operibus hominũ ſunt facta: vt diffuſè deducitur Sap. 13. *Sap.13.* Hanc ergo differẽtiam ponens Pſalmiſta, oſtendit quòd omnia idola gẽtium quæ dij appellantur,ſunt facta.Sed Chriſtus verus deus omnia fecit:inter quę omnia nominat cælum tanquam omnibus alijs creaturis nobis maius apparens.Per cælos ergo ſuperiorem cæleſtem regionem:vt cælum empyreum in quo dæmones habitare non poſſunt inde ſuperbia proiecti. Vel per cælos accipit ipſos cæleſtes angelos, vel prædicatores & apoſtolos, qui virtute Chriſti poteſtatis imperant dæmonibus.q.d. Pſal. Prædicate Chriſti pænitentiam:quia ipſe cælos fecit, quod dæmonia & dij gentium facere non poſſunt: quia ipſi ſunt à Chriſto facti.Volens ergo Pſal. Chriſti prædicandam oſtendere potentiam ait, *Dominus autẽ cælos fecit.* Per cælos hic accipe ſanctos prædicatores: de quibus dicitur, Cæli enarrãt gloriam dei.vide ver. *Pſal.18.* 252.Iſti autẽ cæli,ſcilicet, ſancti apoſtoli & prædicatores,poteſtatem habẽt ſupra dæmones. Luc.9. *Lucæ 9.* Dedit eis poteſtatem ſuper omnia dæmonia.Quid ergo ſequitur,niſi quòd cælorum poteſtas eſt maior quã dæmonũ: & Chriſti poteſtas maior quam cælorum:quia ipſe cælos fecit.

## Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius:ſanctimonia & magnificẽtia in ſanctificatione eius. 1647

Poſtquam Pſalmiſta excitauit prælatos & prædicatores ad Chriſti prædicandam laudem & præconium. Hic excitat eos ad Chriſti debitum obſequium.Vbi aduertẽdum quòd obſequium Chriſti in noua lege debitum, requirit in obſequẽte interiorem mundiciam mentis:& exteriorem pulchritudinem corporis,vel apparentiæ exterioris.Mundiciam enim interiorem notat hic,dicens, *Confeſſio*: quia per confeſſionem mundatur anima ab omni ſorde.Pſal. 31. *Pſal.31.* Dixi confitebor &c.& tu remiſiſti impietatem &c. Vnde hic ait glo. Confitendo fit homo de fœdo pulcher. Si ergo amas pulchritudinem:confitere vt ſis pulcher,ideſt, iuſtus. Munditiam verò exteriorem notat,dicens, *Et pulchritudo.* *Sacramẽtum euchariſtiæ cõtinet pulchritudinem mentis & corporis.* Chriſtus enim in ſuo ſacrificio immũditias etiam corporales expellit:qui in conſpectu ſuo cõfeſſionem & pulchritudinem requirit. Quod ideo dicitur ad excludendum immunditias quas gẽtiles in cultu idolorum faciebant:ſicut in ſacris Priapi,viri & mulieres incedebant nudi:& faciebãt aliquas vilitates quas hodie etiam meretrices facere erubeſcunt.Similiter & in cultu legis antiquæ multæ immunditiæ corporales includebãtur: vt puta ibi iuxta altare occidebãtur animalia: quorũ ſanguine altare aſpergebatur: & aliquando populus.Ibi etiam propter ſanguinem occiſorum animalium congregabatur magna muſcarum multitudo: fætor erat & multiplex immũditia.Chriſtus in ſacrificio nouæ legis non ſolum puritatẽ interioris conſcientiæ requirit:quæ per confeſſionẽ acquiritur: ſed etiam exteriorem pulchritudinem.Vnde in ſacrificio Chriſti nullus actus inhoneſtus exercetur: nulla turpitudo animalium ibi adducitur: nullus animalis ſanguis ibi ſpargitur: ſed ibi ſub ſpeciebus panis & vini ſuum corpus & ſanguis pulcherrimè & mundiſſimè conſecratur. Et hoc eſt obſequium dignè Chriſto debitum ad altare ſibi miniſtrare cũ mũditia mẽtis quam inducit debita confeſſio:& corporis quam continet debita corporis munditia & pulchritudo.Et hoc eſt quod ait,*Confeſſio*,

*feſſio*, quo ad primum: & *Pulchritudo in conſpectu eius*, quo ad ſecundum. Et quòd tantã pulchritudinem requirat hoc ſacramentum: ſubdit dicens. *Sãctimonia & magnificentia.* Sanctimonia quod idẽ eſt quod ſanctitas: quia in hoſtia conſecrata Chriſtus cõtinetur: qui eſt ſanctus ſanctorum: omnes alias ſanctificans. Ibi eſt magnificẽtia: quia ibi eſt Chriſtus verus deus quo nihil maius cogitari poteſt. Hoc idem replicat pſal. notanter, dicens, *Confeſſio & magnificentia in conſpectu eius &c.* Quis dicatur pulcher, vide ver. 739. Et aduerte quòd meritò Chriſtus in hoc nouæ legis ſacramento dicitur magnificentia. Sicut enim magnificus dicitur magna faciẽs: ſic & magnificentia magnorum factio. Si autem hoc ſacramentũ cõſideres: videbis in ipſo magna fieri. vt puta ꝙ ad verbũ ſacerdotis panis fit corpus Chriſti, & vinum ſanguis. quòd idem corpus Chriſti in diuerſis locis continetur: quòd Chriſtus totus in tota hoſtia exiſtens ad diuiſionem hoſtiæ nõ diuiditur: & ſimilia. Iſtum verſum exponens Hugo ait, *Cõfeſſio & pulchritudo in cõſpectu eius.* Cuius eius? Certè ſpecioſi forma præ filiis hominum: ipſius in quẽ deſiderant angeli proſpicere. Audis cui places, ama vnde placeas: ama confeſſionem ob quam amaris: ama confeſſionẽ ſi affectas decorẽ. Confeſſioni iungitur decor, iungitur pulchritudo: habes vtrũque. Confeſſionem inquit & decorem induiſti. Et confeſſio & pulchritudo in cõſpectu eius. Reuera vbi confeſſio, ibi pulchritudo: ibi decor. Si peccata ſunt, in confeſſione purgantur: ſi bona ſunt, cõfeſſione cõmendantur. Cum mala tua cõfiteris, ſacrificium deo ſpiritus contribulatus. cum dei beneficia confiteris: immolas deo ſacrificium laudis. Bonum ornamentum animæ confeſſio: quæ & peccatorem purgat: & iuſtum reddit puriorem. Abſque confeſſione, iuſtus iudicatur ingratus: & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe tãquam qui non eſt perit confeſſio. Confeſſio igitur eſt peccatoris vita; iuſti gloria. Et ſi neceſſaria ſit peccatori; tamẽ iuſtum decet. Denique rectos decet laudatio. Sericum & purpura & cincturarum fucus decorẽ habent: ſed non præbent. Quicquid tale applices corpori exponit ſpeciem ſuam non deponit: ſecum denique tollit cum tollitur. Ipſe quippe decor qui cum veſte induitur, & cum veſte deponitur: veſtis quippe procul dubio eſt talis decor non veſtiti. Ille igitur eſt verus, propriuſque cuiuſq; rei decor, qui nulla interiacente materia pér ſe ineſt. O quam decenti robore genas ſuffundit ingeniti gẽma pudoris: nec inferioris inſigne decoris diſciplina præfertur. O quam competentem reddit omnem corporis ſtatum diſciplina. Ceruicẽ ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, irã ſedat, format inceſſum.

*Euchariſtia dicitur magnificentia.*

*Hugo.*

*Confeſſio pulchritudinẽ habet & decorẽ.*

*Diſciplina totum corpus ornat.*

1648 . Afferte domino patriæ gẽtium: afferte domino gloriã & honorẽ: afferte domino gloriam nomini eius.

Hæc eſt ſecũda pars: in qua inuitat ſubditos ad Chriſti laudem. Et primò ipſos ad Chriſti præconium inducit: ſecundò ad rationem multiplicẽ adducit: ibi, Commoueatur. Prima in duas: quia primò Chriſti obſequium imponit: ſecundò obſequij modum exponit: ibi, Tollite hoſtias. Quantum ad primum ſciendum quòd Pſalmiſta præuidit gẽtes Chriſti fidem recepturas ad prædicationem Apo- A ſtolorum: Et tales ad honorem inuitat, dicens, *Afferte domino*, ſcilicet, Ieſu Chriſto, *Patriæ gentium*, ſcilicet, ad fidem conuerſarum. Sed quid domino debeant offerre, ſubdit. *Afferte domino gloriam & honorẽ.* Vbi notandum quòd ſecũdum Philoſophum: differt honor à gloria ſicut ſuperius ab inferiori. quòd omnis qui alteri offert gloriam: ſibi etiã offert honorem; & non econtrario. Vnde dicit, quòd honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimoniũ virtutis ſuę: etiam ſi fiat ſecretò, vel corã paucis. Sed gloria dicitur quando talis reuerentia fit publicè, & coram multis. Ex hoc igitur vult oſtẽdere Pſalmiſta, quòd cõuerſis ad fidem non ſufficit honorare Chriſtum in corde, & ſecretò, vel ipſum confiteri: ſed etiam oportet ipſum in publico & apertè cõfiteri. Vt puta B ſi quis ab infidelibus captus, & ad Chriſtum negãdum inductus: ſi Chriſti fidem teneat corde, ſed ne moriatur ipſum neget ore: hoc non ſibi ſufficit, ſed peccaret mortaliter. vide ſuprà verſi. 458. Vult ergo Pſalmiſta quòd non ſolum honorem Chriſto exhibeamus: ſed etiam gloriam: vt ipſum publicè cõfiteamur. Vnde ad maiorẽ huius expreſſionem, exhibitionem gloriæ replicat, dicens, *Afferte domino gloriam nomini eius.* Vel aliter. Afferre gloriam nomini alicuius, eſt oſtendere quòd ſignificatum nominis de illo verificetur. Sicut ſi quis vocatur Ioãnes: glorificare illum de illo nomine, eſt oſtendere quòd ſignificatum huius nominis quòd eſt gratia, realiter ſit in illo. Sic dare gloriam nomini Chriſti, C quòd eſt Ieſus, cuius ſignificatum eſt ſaluator: eſt oſtendere realiter ipſum eſſe ſaluatorem. Quod ille ſolũ facit, qui ſe operibus diſponit vt ſaluetur per ipſum. Nã peccans facto, negat ipſum eſſe ſaluatorem. Et ſic nõ dat gloriã nomini eius. Vocare enim aliquem dominum & non facere quæ dicit: eſt nomini eiꝰ inferre opprobriũ. ſicut dicebat Chriſtus. Quid vocatis me domine domine: & nõ facitis quę dico? Vel aliter, ille offert gloriam nomini Chriſti: qui omnia quæ facit, facit ad eius honorẽ: ſic quòd de ſuis bonis operibus non quærit gloriam propriam: ſed Chriſti. vide ſuprà ver. 412. 502.

*Philo. 1. eti.*

*Honor quid ſit & quid gloria.*

*Gloria dare nomini alicuius quid ſit.*

*Luce. 9.*

Tollite hoſtias, & introite in atria eius: adorate dñm in atrio ſancto eius. 1649

D Hic oſtendit quomodo gentes Chriſtum debẽt honorare. Quia nõ ſolum verbis, ſed rebus: & non ſolum exterioribus, ſed ſeipſis: vt quilibet ſeipſum primò offerat deo, & conſequẽter ſua. Nihil enim proficit deo offerre ſua temporalia bona, & non ſeipſum. Quia ſecundum Greg. lib. 19. moral. c. 12. Manens in peccato, & ſuo amore dei diſtribuens: ſua quidem dat deo, ſed ſeipſum diabolo. Oportet ergo quòd primò quis ſeipſum deo offerat hoſtiã viuam, id eſt, non peccato mortuam: vt dicit apoſtolus. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuẽtem deo placentem &c. Quid autem ſit ſeipſum offerre hoſtiã viuam. vide ſuprà verſi. 411. Et de talibus hoſtijs hic loquitur Pſal. gentibus conuerſis. *Tollite hoſtias.* E Quãdo autẽ quis primò ſe obtulerit deo: tũc ſecura ſua poteſt offerre. Vel per hoſtias intelligit ſacramẽtũ euchariſtiæ: in quo Chriſtus honoratur, qñ dignè celebratur & ſumitur. Nec mireris ſi illud ſacramẽtũ hoſtias dicit in plurali: quia quãuis ſit vnũ ſacramẽtũ & nõ plura: tamẽ duabus diſtinctis cõſecrationibꝰ cõſecratur: quarũ vna aliã nõ expectat. De iſto ergo ſacramento ait. *Tollite hoſtias.* i. recipite dignè iſtud ſacramẽtũ. *Et introite in atria eius.* Quia mul

*Grego.*
*Nota.*

*Rom. 12.*

*Hoſtia dicitur euchariſtia.*



multotiens ſcriptura mentionem de atriis domini facit: ideo notãdum, quod atrium in ſcriptura duo maximè ſignificat, ſcilicet, eccleſiã militantem, & eccleſiam triumphantem. Primò ergo atrium dicitur eccleſia militans. Atrium enim dicitur ampla domus, & ſpacioſa. Et ſic eſt eccleſia quæ per totum orbem eſt diffuſa. Et in iſto atrio benedicendus eſt Deus. Pſalmus 133. Ecce nunc Benedicite dominum omnes ſerui &c. Et attende quòd dicit, qui ſtatis: quia ſolũ in atriis eccleſiæ Deum laudãt qui ſtant: non qui iacent. Stãt autem boni: ſed mali iacent: vt oſtendit Petrus ra. ſuper illo verbo, Matth. 8. Domine puer meus iacet in domo &c. dicens. Qui vocat dominum ſuum, fatetur fideliter ſeruitutem. Quomodo hic qui ſic agnoſcit dominum puerum ſuum auſus eſt profiteri: quaſi neſciens ſerui peculium ad dominum pertinere? Aut ignorat communia qui tam profunda myſteria docet, dicens, Puer meus: ſed meum dico quia iacet. Si tuus eſſet domine nõ iaceret: ſed ſtaret. Ecce inquit benedicite dominũ omnes ſerui domini, qui ſtatis in domo domini in atriis. Iſtud eſt atrium eccleſiæ in quo peccata noſtra debemus confiteri. Pſal. 99. Introite portas eius in confeſſione: atria eius in hymnis confitemini illi. In iſto atrio verbum Dei debet prædicari. Hiere. 26. Sta in atrio domus domini: & loqueris ad eos omnes ſermones meos quos mandauero tibi. Secundum eſt atrium triumphantis eccleſiæ. Pſal. 83. Quam dilecta tabernacula tua domine: conſpicit & defecit anima mea in atriis domini. vide ibi. In iſto atrio gloriæ eſt æternitas ſine fine. Pſal. 83. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper milia. 3. Reg. 7. Fecit Salomon atrium maius rotundũ. Figura enim ſpherica principio caret & fine. Ibi eſt obũbratio ab omni iniquitatis ardore. Exod. 40. Circundabis atrium tentoriis: quia ibi ſub vmbra alarum Dei ſancti proteguntur. Vnde Ezech. 10. Nubes impleuit atrium interius. Ibi eſt clarus ſplendor gloriæ. Ezech. 10. Atrium repletum eſt ſplendore gloriæ domini Ad propoſitum de iſtis duobus atriis hic loquitur Pſal. Primò de atrio eccleſiæ militantis, dicens, *Tollite hoſtias & introite in atria eius.* id eſt, in eccleſia militãte: extra quam nullum verum fit ſacrificium. Et ne mireris, ſi eccleſiam atria dicat in plurali. quia quamuis vna ſit eccleſia catholica generalis: plures tamẽ particulares ſunt eccleſiæ. vt eccleſia Cõſtantinopolitana, Rauennenſem. &c. Et de atrio triumphantis eccleſiæ, ſubdit, *Adorate dominum in atrio ſancto eius.* id eſt, adorate Chriſtum qui eſt in atrio gloriæ ad dexteram patris collocatus.

*Atrium eſt eccleſia militans*

*Pſalmus 133.*

*Matth 8.*

*Pſalmus 99.*

*Hierem. 26.*
*Atrium eſt ſ... æterna.*

*Pſalmus 83.*
*3. Reg. 7.*

*Exod. 40.*

*Ezech. 10.*

1650 Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: dicite in gentibus quia dominus regnauit.

Hic adducit rationem & motiuum præconij Chriſti. Et primò adducit rationem: ſecundò oſtendit fidelium exultationem: ibi, Lætentur cæli. Laudem enim & præconium meruit Chriſtus ratione ſuæ paſſionis & reſurrectionis: propter quæ gentes ad fidem ſunt conuerſæ. Et ideo primò ponit eius paſſionem & reſurrectionem: ſecundò mundi conuerſionem: ibi, Etenim correxit. Quantum ad primum ſciendum quòd Chriſtum eſſe verum Deum oſtendit omnis creatura in ſui paſſione tam cæleſtis quam terreſtris. Nam ſol per totum orbem obſcuratus eſt: petræ ſciſſæ ſunt, terræ motus factus A eſt. Quibus viſis magna multitudo conuerſa eſt ad Chriſtum. Et hoc eſt quod dicitur Luc. 23. quòd omnis turba quæ ſimul aderat ad ſpectaculũ iſtud, videntes quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Et per per conſequens ex iſtis ſignis cognouerunt Chriſtum verum Deum eſſe: & ſic verum regem & dominum. De iſtis autem ſignis in Chriſti morte factis Pſalmiſta ſolum ponit hic terræ motũ, dicens. *Commoueatur à facie eius vniuerſa terra.* id eſt, tempore ſuæ paſſionis commouebitur. Ex qua cõmotione fuit cognitus verus rex: ideo ſubditur, *dicite*, id eſt, dicẽt in nationibus: quia dominus regnauit. Vel per terrã intellige gentes quæ ad Chriſti fidem fuerunt cõmotæ omiſſã idololatria: quãdo audierũt Chriſtum per mortẽ crucis in ſua B reſurrectione accepiſſe regnum ſuper omnẽ creaturam. ſicut deducit apoſtolus. Factus eſt obediens vſque ad mortem: mortẽ ante crucis: propter quod & Deus exaltauit illum &c. vt in nomine Ieſu omne genu flectatur &c. Et ipſe dixit reſuſcitatus. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Et quantum ad iſtum intellectum Pſal. loquitur apoſtolis & aliis prædicatoribus, dicens, *Dicite in gentibus* id eſt, prædicate inter gentes: *quia dominus regnauit.* quia, ſcilicet, merito ſuæ paſſionis in ſua reſurrectione regnum accepit. Vnde littera Auguſtini & Caſſiodori hic dicit: quia regnauit à ligno, ſcilicet, crucis. Et hoc eſt quod in hymno cantat eccleſia. Impleta ſunt quæ concinit Dauid fidelis, carmine: dicendo nationibus, regnauit à ligno Deus. C Dicat ergo pſalmus apoſtolis, dicite in gentibus, quia dominus regnauit. Et quid ad hoc ſequitur, ſcilicet, gentium conuerſio: quia commoueatur, id eſt, ex hoc commouebitur à facie eius vniuerſa terra, id eſt, gentes quæ per vniuerſam terram habitabunt. Et nota quòd triplex eſt commotio qua commota eſt terra, id eſt, gentes à facie Chriſti. Prima eſt commotio conuerſionis peccatorum. Magna quippe eſt commotio quando peccator per pænitentiam cõmutatur: de idololatria ad fidem, de vitiis ad virtutem: & de filio perditionis & diaboli fit filius ſaluationis & Dei. Et iſto modo commotæ ſunt gentes ad prędicationem apoſtolorum. Et de iſta commotione dicitur pſalmus 28. Vox domini concutientis deſertum: & commouebit D dominus deſertum Cades. vbi deſertum vocat gentes: qui ſine Deo, ſine lege, ſine prophetis fuerunt. Et dicuntur deſertum Cades. Cades enim ad literam eſt ille locus vbi de petra per Moyſen data eſt aqua populo. Et quod ad litteram ibi factum fuit: hoc factum eſt ſpiritualiter in eccleſia: quando ad prædicationem apoſtolorum, dura gentilium corda ſunt ad fidem conuerſa: quæ aquas viuas gratiæ emanant. Gentiles ergo dominus commouet, vt agricola commouet ſterilem terram vt fructificet: ſic & corda gentilium ſunt commota: vt fructum pænitentiæ afferant: & aquam fidei & ſalutaris ſapientiæ effundant. Vnde pſalmus 59. Commouiſti terram, ſcilicet, ab idololatria: & conturbaſti eam, ſcilicet, per pænitentiam. Secunda eſt commotio E eruditionis ſubditorum. Nonne magna eſt commotio: quando quis de ignorantia mutatur ad ſapientiam: de falſitate ad veritatem: de tenebris ad lucem. Chriſtus autem iſta commotione multos commouit docendo: ex quo laudãdus erat. ſed ingrati Iudæi ex hoc ipſum diffamare credentes: ipſum accuſabant Pilato, dicentes. Commouit populum docens vniuerſam Iudæam à Galilea vſque huc.

*Luce. 23.*

*Philip. 2.*

*Matth. vlt.*

*Commotio multiplex.*

*Pſalmus. 28.*

*Cades.*

*Pſalmus 59.*

*Luce 23.*

huc. Et ſic ipſum diffamare volentes laudabant. Vnde Beda ibidem dicit. His autem verbis, dicit, Commouit populum docens &c. non illum, ſed ſeipſos accuſant. Docuiſſe enim populum, & à priſtini temporis ignorantia docẽdo commouiſſe: taliq; actu totam terram promiſſionis perluſtraſſe: non criminis, ſed maximum eſt ſignum virtutis. Et per talem commotionem doctrinæ idololatriam *Eſa.19.* amouit à populo. Eſa. 19. Commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius. Tertia eſt commotio admirationis deuotorum. Sic enim deuoti videntes Chriſti mirabilia quæ capere non ſufficiunt, admi*Matth.21.* ratione commouebuntur. Matth. 21. Cum intraſſet Ieſus Hieruſalem commota eſt vniuerſa ciuitas *Chryſoſt.* &c. Vbi Chryſoſtomus ait, Meritò autem omnes commouebantur ad introitum Chriſti: videntes rem tam mirabilẽ. Homo laudabatur quaſi deus: ſed deus laudabatur in homine. Puto autem quòd nec ipſi qui laudabant, ſciebant quod laudabant: ſed ſpiritus ſubito ingreſſus in eos veritatis verba ſuadebat. Conſimiliter ad ſpectaculum Pauli, vt di*Actuum 21.* citur Actuum 21. Commota eſt ciuitas tota, & facta eſt concurſio populi. Prædictis ergo tribus modis cõmota eſt terra prædicãtibus apoſtolis, quòd dominus Ieſus Chriſtus regnauit à ligno.

1651 Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitu : iudicabit populos in æquitate.

Hic oſtendit mundi correctionem. Ante enim aduentum Chriſti & eius paſſionem & reſurrectionem totus orbis idololatria plenus erat: excepto populo Iſrael: qui tamen etiam multotiẽs idololatrabat. Sed poſtquam Chriſtus reſurrexit, & apoſtoli veritatem fidei per totum orbem prædicauerunt: gentes quæ habitabant in orbe ab errore correctæ fuerunt. Et hoc præuidens Pſalmiſta ait. *Etenim correxit orbem terræ.* ſcilicet, ab idololatria. Et ipſum corrigendo tanta firmitate fidem fundauit in eis, vt ab illa amplius euelli nõ poſſint. quod ſatis in martyribus fuit manifeſtum: quia nec blandis, vel aſperis, non verberibus, nec etiam ipſa morte ab ipſa Chriſti fide poterant ſeparari. Et hoc eſt quod ſubdit, *Qui non commouebitur.* ſcilicet à veritate fidei. *Iudicabit populos in æquitate.* Hoc poteſt intelligi *Iudicium diſcretionis.* de iudicio diſcretionis: quod à tempore Chriſti incepit: quia per prædicationem Chriſti, & ſuorum prædicatorum aliqui conuerſi ſunt ad fidem: aliis in infidelitatẽ demiſſis iuſto Dei iudicio: licet nobis occulto. Deus enim ab æterno elegit quos voluit: alios dimiſit quos non elegit. Omnes autem electos ab ipſo per prædicationem fidei conuertit: *Iudicare in æquitate.* & ſic ipſos ab aliis diuiſit. Quid eſt ergo dicere, Iudicabit populos in æquitate: niſi ſecundum æquitatem & iuſticiam æternam per quam aliquos elegit, & aliquos non. Ipſe ſecundum illam iuſticiam illos iudicabit, id eſt, diſcernet & diuidet ab inuicem bonos conuertendo: malis omiſſis. Vel etiam hoc poteſt intelligi de iudicio finali; in quo iuſtè vnicuique dabit ſecundum opera ſua. Et hic nota æquiuocationem commotionis. Prius enim dixit, Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: nunc autem dicit, quòd correxit orbẽ terræ qui non commouebitur. Sed prima eſt commotio de malo ad bonum, qua totam terram commouit, ſcilicet, ab idololatria ad fidem. Secunda eſt commotio de bono ad malum; quam in ſuis electis non permittit: vt commoueantur à fide ad idololatriam. de qua nunc dicit: quòd orbis terræ non commouebitur. Supra iſtam partem quæ dicit. *Etenim correxit orbem terræ &c.* notandum quòd correctio ad hoc vt ſit *Corrigens animam multis vitiis carere debet.* vtilis & virtuoſa, requirit maximè quòd corrigens ab aliquibus vitiis ſit immunis. Primò à cupiditate gloriæ: quia corrector vitiorum laudes populares quærere non debet. Vnde dicit Seneca epiſtola 52. *Seneca.* Quid turpius eſt philoſophia captante clamores? Nunquid æger laudat medicum ſecantem? Vult dicere. quòd ſicut æger quãdo ſecatur, tũc non laudat medicum ſuum: ſic ille qui corripitur, tũc non laudat correctorem ſuum. & ideo hoc corrector quærere non debet. Vnde ſubdit notabile verbum. Quid lætaris, quòd ab hominibus his laudatus es? quos non potes ipſe laudare? Non ergo ex correctione laudes quærat humanas: ſed Dei gratiam & conſequenter amicitiam correcti. Vnde Prouerb. *Prouerb.28.* 28. Qui corripit hominẽ, gratiam poſtea inueniet apud eum magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. Secundò à conformitate malitiæ: ne ſcilicet corripiens ſit in eodem vitio de quo corripit alium. Sicut enim dicit Iſidorus in de ſummo *Iſidorus.* bono: non debet vitia corrigere aliena, qui adhuc vitiorum contagiis ſeruit. Improbum eſt enim arguere in alio: quod quis adhuc deprehendit in ſeipſo. Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 11. Cum inter*Eccleſ.11.* rogaueris corripi iuſtè: quia prius ſeipſum diſcutiendo debet interrogare conſcientiam ſuam: & cum ſe ab eodem vitio mundum inuenerit: tunc proximũ arguere & corrigere debet. Tertiò à tempeſtate iracundiæ. Hoc enim vitium maximè in correctione eſt fugiendum. Vnde Auguſtinus ſu*Auguſtinus.* per epiſtolam ad Galatas dicit. Quicquid reo duxerit puniendum impetus iræ: non eſt charitatis. Corrigendum dilige: & dic quicquid volueris. Et Grego. dicit, Omnis per quem neceſſe eſt aliena vi*Greg. lib. 26. moral. cap. 36.* tia corrigi: ſemetipſum prius ſolerter debet intueri: ne dum aliorum culpas corrigendo vlciſcitur: ipſe vlciſcendi furore ſuperetur. Plerumque enim mentem ſub obtentu iuſticiæ, iræ immanitas vaſtat. Et dum quaſi ſæuit zelo rectitudinis, rabiditas replet furoris: iuſteque ſe facere exiſtimat, quicquid ira nequiter dictat. Ad hoc autem Valerius *Differt vindictam donec transeat ira.* multa adducit exempla lib. 4. cap. 1. Et inter cætera *Exemplum.* ponit exẽplum de Archyta Tarẽtino, qui dum ſub Pythagora magno labore, longoq; tempore ſolidum opus doctrinæ complexus fuiſſet: poſtquam in patriam ſuam fuiſſet reuerſus, rura ſua reuiſere cępit: & animaduertit negligentia ſui villici corrupta perditaq;. Intuẽſq; malè meritũ villicũ: inquit, Sumpſiſſem à te inquit ſuppliciũ, niſi tibi iratus eſſem. Maluit enim impunitum dimittere, quã propter iram grauius iuſto punire. Aliud exemplum *Exemplum.* ponit Platonis, qui cùm verſus delictum ſerui vehementius exarſiſſet, veritus ne ipſe modum vindictæ reſpicere non poſſet: Speuſippo amico caſtigationis arbitrium mandauit: deforme ſibi futurum exiſtimans, ſi iratus in correctione exceſſiſſet: vt parem reprehenſionem culpam ſerui & animaduerſio Platonis mereretur. Ex quibus omnibus patet: quòd debita correctio ab iracundia debet eſſe aliena. Propter quod dicitur Hier. 10. Cor*Hiere.10.* ripe me domine: veruntamen in iudicio, & non in *Pſalmus 6.* furore tuo: ne fortè ad nihilum redigas me. Et Pſal. 6. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Quarto à præſumptione ſuperbiæ. Sẽper enim corrigens cogitare debet quòd in



*Auguſti. Non bene.* in ſimili cadere poteſt. Vnde Auguſtinus 2. lib. de ſermone domini in monte, dicit. Cogitemus cum aliquem nos neceſſitas corrigere cogit, vtrum tale ſit vitium quod nunquam habuimus: cogitemus nos homines eſſe, & hoc potuiſſe habere: aut eſt tale quod habuimus iam, aut habemus. Et tunc tangat memoria quid ſit noſtra miſeria, noſtra fragilitas, vt illam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat. Et hoc eſt quod hortabatur apo*1Theſſ.5.* ſtolus, dicens. Rogamus vos fratres corripite inquietos, conſolamini puſilanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Quintò ab adulationis malignitate: quia corrigens reum palpare non debet: ſed ſibi vicium ſuum aperire. Quia tales adulatores magis vicia fouent, quam corrigãt. *Eccleſ.19.* Vnde Eccleſ. 19. Eſt correctio mendax in ira contumelioſi: & iudicium quod non probatur eſſe bonum. Sexto à cęcitate ignorantię. Quia prius quiſ*Non debet iudicare ante quam ſciat veritatem.* que veritatẽ cognoſcere debet, quã ad correctionem procedat: & non omni credere verbo. Primò præmittit cognitionem: & conſequẽter addit cor*Iob.13.* rectionem, dicens, Secundum ſcientiam veſtram, & ego noui; audite ergo correctiones meas: & iudicium labiorum meorum attendite.

1652 Lætentur cæli & exultet terra: commoueatur mare & plenitudo eius: gaudebunt cãpi, & omnia quæ in eis ſunt.

Hic ponitur fideliũ exultatio. Omnis enim creatura tam cæleſtis quam terreſtris exultationem de Chriſto recipit, tam ſenſibilis, quam inſenſibilis. Et tria facit: quia primò oſtendit exultationem ſenſibilium, ſecundò inſenſibilium: ibi, Tunc *Exultauit omnis creatura ad præſentiam Chriſti.* exultabunt. tertiò Dei iuſtum iudicium. ibi, Iudicabit. Quo ad primum ſciendum quòd creaturæ rationales ſunt duæ, ſcilicet, angeli & homines: & vtraque in aduentu Chriſti exultauerunt. Angeli enim lætati ſunt. vnde in Chriſti natiuitate *Lucæ 2.* cantauerunt canticum lætitiæ, dicentes, Gloria in altiſſimis deo. &c. Et quantum ad hoc ait, *Lætentur cæli.* id eſt, ciues cæleſtes. Quantum vero ad homines ſubdit, *Et exultet terra.* id eſt, homines de terra creati. Vel terra, id eſt, principes terræ. Quod fuit adimpletum quando illi tres principes terræ, ſcilicet, tres reges Magi venerunt ab oriente adorare dominum Ieſum Chriſtum: qui ipſum videntes *Matth.2.* gaudium magnum habuerunt: immo etiam videntes ſtellam quæ ipſos perducebat ad Chriſtum. Videntes ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et etiam gentes gauiſæ ſunt de eius aduentu ad *Act.13.* prædicationem apoſtolorum. De quibus dicitur, Audientes gentes gauiſæ ſunt: & glorificabant verbum Dei. Gentes autem per mare ſignificantur: vt ſæpius dictum eſt ſuperius: quia peccatis inuolutæ erant amaræ. vide ſupra verſi. 1509. 1524. De gentibus ſub nomine maris dicit, *Commoueatur mare & plenitudo eius.* quod dicit ad ſignificandum multitudinem gentium quæ fidem Chriſti acceperunt. Et etiam plebes iudęorum ſunt gauiſæ, ſcilicet, videntes mirabilia opera Chriſti: vt puta quãdo in cam*Matth.14.* pis deſertis ſaturauit quinque milia hominum ex quinque panibus. Et hoc eſt quod ait. *Gaudebũt campi.* Locus enim ille vbi miraculũ fecit, gaudebat: quia erat ibi herba multa: ſicut dicimus quod pratũ ridet quãdo floret. Erat enim fænum multũ in loco. Quod ſignificãs Pſal. dicit *Gaudebunt campi.* Et non ſolũ cãpi illi gaudebãt: ſed multo fortius homines qui erãt in eis. Et de hoc ſubdit, quòd non ſolũ cãpi gaudebunt ad præſentiam Chriſti: ſed etiam omnia quæ in eis ſunt. Quia (ſicut dicitur Lucæ 13.) *Lucæ 13.* omnis populus gaudebat in omnibus quæ glorioſè fiebant ab eo. Vel aliter. Ad litteram exultauerunt cæli in Chriſti natiuitate. vnde & ſtellam nouam ex lætitia miſerunt in mundum. *Exultauit terra.* id eſt, habitantes in ea. Eultauit mare, quando Chriſto reuerentiam exhibuit, vt ſe ſub pedibus eius conculcabilem præberet. Exultauerunt campi, quando paſtores qui erant in campis ſuper gregem ſuum vigilantes Chriſtum natum gaudentes adorauerunt. De quibus dicitur, quòd reuerſi ſunt *Lucæ 2.* laudantes & glorificantes Deum.

Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie domini quia venit: quoniam venit iudicare terram. 1653

Hic agit de exultatione inſenſibilium. Quamuis enim inſenſibilia propriè exultare non poſſint: tamen metaphoricè exultare dicuntur quando hominibus cauſam præbent exultationis. Hoc autem tunc fuit impletum quando in aduentu Chriſti in Hieruſalem, ſcilicet, in die palmarum turba populi cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via ante Chriſtum ex lætitia clamãtes, & dicẽtes. Oſanna filio Dauid &c. Illa enim arborum proſtratio *Matth.21.* fiebat in ſignum reuerentiæ & exultationis. Nec mireris quia dicit, *Omnia ligna ſyluarum.* quia cõſuetudo eſt ſcripturæ accipere partem pro toto, & totũ pro parte. Et hoc à facie domini: quia ante Chri*Arborum ramos quare Chriſto proſternebãt pueri.* ſti faciem ramos arborum proſternebant. Sed cauſam quare ligna ſyluarum proſternebãt ſubdit, dicens, *Quia venit.* Venit enim tũc Chriſtus Hieruſalam ad duo, ſcilicet, ad mortẽ crucis pro nobis tolerãdam: & ad ſacerdotum & phariſæorum hypocriſin & malitiam iudicandam. Venit ergo tũc primò Hieruſalem ad mortem tolerandam pro nobis. Propter quod ſpirituſancto inſpirati, & moti pueri Hebræorum ligna ſyluarũ ſibi proſternebant in via dicentes, Oſanna filio Dauid. Et iſte honor exhibitus Chriſto ab infantibus in ramis arborũ, & clamoribus populorũ fuit maior, quã honor exhibitus ab angelis in natiuitate cantãtibus, Gloria in excelſis Deo. &c. Vide ſuprà verſ. 84. Quantũ ergo ad iſtã partẽ dicit, *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie domini: quia venit.* ſcilicet, pro nobis pati. Secũdo venit tunc ad reprehendẽdã hypocriſin & maliciã ſacerdotũ, ſcribarũ, & phariſęorum. Nuſquam enim legimus tã clarè & diffusè Chriſtum reprehendiſſe illos, ſicut in illo aduentu fecit. ſicut apparet Mat. 23. Quia tunc pluries & pluries ait illis: *Matth.23.* Væ vobis ſcribæ & phariſęi hypocritæ, qui clauditis regnũ cælorũ ante homines. &c. Væ vobis &c. qui circuitis mare & aridã. &c. Væ vobis ſcribę & phariſæi, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis &c. Ex quibus omnibus expreſſè patet, quòd tũc Chriſtus ipſos malos iudicauit, & diſcreuit bonos à malis. Et ideo pueri Hebræorũ hoc ſpiritu ſancto inſpirati præuidentes, & ipſum verum iudicem futurum cognoſcentes, ſibi honorem exhibentes, ligna ſyluarum proſternebant in via. Et iſtam cauſam ſecundam allegat Pſal. dicens, *Quoniam venit iudicare terram,* id eſt, terrenos ſacerdotes, phariſęos & ſcribas, ſcilicet, iudicio diſcretionis: oſtendens illos à bonis eſſe diſcretos & ſeparatos. Vel aliter, Ex hoc vult oſtẽdere quòd gentiles exultauerũt per Chriſti

*Ligna ſyluarum erãt gentiles.*

ſti aduentum. Antequam enim Christus veniret, gentiles erant ligna ſyluarũ, nullis vſibus ſeruientia: ſed poſt Chriſti aduentum fuerunt facta ligna domus eccleſiæ. O quàm magnum lignum fuit in eccleſia dei beatus Gregorius, Ambro. Auguſti. & Hierony. qui exultauerunt ad fidem conuerſi. *Quia dominus venit*, ſcilicet, ad eos per prædicationẽ apoſtolorum. Et iſtum intellectum habet glo. dicens, *Exultabũt omnia ligna ſyluarum*, id eſt, pagani qui olim erant ligna ſyluarum: ſed modo ſunt ligna domus dei abſciſſa in ædificium eccleſiæ. Exultabunt inquam à facie domini, quia venit primò in eccleſia in nubibus, id eſt, in Apoſtolis, & in alijs ſanctis prędicatoribus, & impleuit totum orbẽ. vnde ipſe ait, Ammodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli. Cui aduẽtui qui credit, exultabit in vltimo aduentu. de quo ſubdit, *Quoniam venit iudicare terram.* id eſt, venturus eſt poſtea iudicare terram, ſcilicet, viuos & mortuos. Gentiles enim conuerſi ad fidem exultant, quia Chriſtus ad iudicium eſt venturus: quia tunc ſperant beatitudinis duplicem habere ſtolam. vt oſtendit Grego. dicens, Venturum iudicium & ſi adhuc oculis non cernimus: iam tamen ſperando præuidemus. Omnis autem qui bene viuere incipit, audiens quòd per extremum iudicium iuſti ad regnum vocentur, hilareſcit. Sed quia quædã mala adhuc ex reliquo conſiderat: hoc ipſum iudiciũ de quo exultare inchoat, appropinquare formidat. Vitam quippe ſuam bonis maliſque permixtam conſpicit, & cogitationes ſuas aliquo modo ſpe & timore confundit. Nam cùm audit quæ ſint regni gaudia: mox mentem læticia ſubleuat. Et rurſum cum reſpicit quæ ſint gehennæ tormenta: mox mẽtem formido perturbat. Sic ergo de gentilibus conuerſis ait Pſal. *Exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie domini: quia venit.*

*Mat. 26. Iudicium vltimũ iuſti læ tanter expectant.*

*Grego. 31. moral. ca. 28.*

1654 **Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate ſua.**

Hic oſtendit iuſtum Chriſti vltimum iudicium. Iſtum verſum exponunt aliqui de iudicio diſcretionis dicentes, quòd totum orbem, id eſt, omnis orbis homines iuſtè & verè iudicabit: quia ſecundum quòd æterna ſua iuſticia ordinauit, bonos vocabit ad fidem, id eſt, electos: ſed alios in ſua infidelitate relinquet. Et in iſto iudicio eſt æquitas: quia eſt ſecundum æternam Dei electionem, quæ iuſticia eſt per effectum. Et eſt veritas, quia ſua vocatio nullo modo deuiabit ab ipſius æterna electione. Quamuis iſta iuſticia qua iſtum elegit ab æterno, & non illum nobis ſit incognita. Alij autem & melius iſtum verſum exponunt de finali iudicio: in quo ſecundum iuſticiam vnicuique dabitur ſecundum quòd geſſit in corpore ſiue bonum ſiue malum. Et attende quòd ſecundum glo. per orbem terrarum hic intelligit omnes filios Adam, qui ſunt diſperſi per totum orbem terrarum. Adam nãque ex quattuor litteris componitur, quibus orbis terrarum ſignificatur, ſcilicet, A, quod apud Græcos dicitur alpha. D, quod dicitur delta. A, quod dicitur alpha. &, M, quod dicitur my. Secundum Græcos autem alpha, dicunt orientem. Delta, occidentem. Aaton, aquilonem. Meſembrion, meridiem. Ita quòd nomen Adã quatuor litteras cõtinet, quibus incipiũt quatuor partes principales orbis. Cũ igitur dicit, *Iudicabit orbẽ terræ in æquitate*, generaliter omnẽ hominẽ includit ſecundũ Dei æquitatẽ iudicandũ. Scriptura enim ſæpè nobis mentionẽ facit extremi iudicij: vt hic vitã noſtrã corrigamus. Quia Chriſtus nobis modò manſuetus apparet, & placabilis: tunc placari non poterit. Et hoc eſt quod ait Greg. Tunc iudex diſtrictius exhibet, quod nũc manſuetus iubet. Sic namque cotidie conſpicimus quòd magiſtri pueros elementa litterarum blandientes imponunt. ſed hæc ab eis ſæuientes exigũt: & quæ dant cum manſuetudine, cum verbere exquirunt. Blandè itaque nunc alliciunt eloquij diuini mandata: ſed erunt aſpera in exactione facienda. Manſueta eſt modo admonitio vocantis; ſed tũc diſtricta ventura eſt iuſticia iudicis. Tunc enim iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.

*Orbis terrarum ſignificat ipſum Adam.*

*Chriſtus modò manſuetus, in iudicio erit ſeuerus.*

*Grego. 22. moral. cap.*

## PSALMVS XCVI.

**Dominus regnauit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ.** 1655

Hic pſal. talem habet titulum. Pſal. Dauid quando terra ei reſtituta eſt. Titulus iſte tãgit hiſtoriam quæ habetur. 2. Regum 17. quòd Abſalõ filius Dauid inuaſit regnum patris, & accepit dominium eius. Cuius timore Dauid cum ſuis fugit de Hieruſalem. Veruntamen poſtea habito prælio inter partes, ipſe Abſalon fugiẽs ſub quadam arbore ſuſpenſus per capillos remanſit: quo mortuo Dauid recuperauit regnum ſuum & terram: & poſtea regnauit in pace. & tunc Dauid iſtum pſal. fecit. Et ſic apparet titulus. Pſal. Dauid quando terra ei reſtituta eſt, ſcilicet, quando regnum ſuum recuperauit. Verũtamen de iſta hiſtoria non agit iſte pſal. ſed de ſignificato hiſtoriæ. Vbi ſciendũ quòd Dauid Chriſtum ſignificat. Hic inter filios cęteros habuit vnum filium, ſcilicet, Iudam, qui per Abſalon figuratur. Nam Abſalon dicitur pax patris. & Iudas pacis oſculo tradidit Chriſtum. Iſte inuaſit terram patris, ſcilicet, Chriſti. Nam terra Chriſti fuit eius caro. vide verſi. 193. 396. Hanc terram Iudas inuaſit, quia proditoriè ipſum ad mortem perduxit: & terra, ſcilicet caro Chriſti ab ipſo fuit ablata: quia caro ab anima fuit ſeparata. Quo facto ſicut Abſalon ſuſpenſus interiit, ſic & Iudas laqueo ſe ſuſpendit. Quo mortuo ſicut terra ſua reſtituta fuit ipſi Dauid: ſic & Iuda ſuſpẽſo Chriſtus terrã ſuam, ſcilicet, carnem reſurgendo reaſſumpſit, & poſtea regnauit in pace, tanquã verus rex, & omniũ iudex & dominus. Et de hoc agit iſte pſal. ſcilicet oſtendens quòd Chriſtus reſurrexit: & in carne reaſſumpta venturus eſt ad iudicandum omnes. Iſte ergo pſal. ad litteram agit de Chriſto nõ de ipſo Dauid. Vnde & apoſtolus ad Heb. 1. inducit litteram iſtius pſal. dictam de Chriſto dicens, Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorẽt eum omnes angeli Dei. Quæ littera aſſumpta eſt de iſto pſal. vbi dicitur, Adorate eum omnes angeli eius. Nec eſt multum curandum ſi pſal. loquitur angelis in ſecunda perſona dicens, Adorate eum, & apoſtolis loquatur in tertia perſona dicẽs, Et adorent. quia apoſtoli & euangeliſtæ allegantes ſcripturas veteris teſtamenti non ſemper allegabant ipſam de verbo ad verbum: ſed ſufficiebat eis quandoque capere ſententiam: ſicut etiam ipſe Chriſtus allegans quod ſcriptum eſt Pſalmo 40. Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. non ipſam allegat de verbo ad verbum, ſed ſententiam, dicens, Qui mãducat panem meum, leuabit contra me calcaneum ſuum. Sic & in propoſito literã iſtius pſal. dictã de Chriſto oſtẽdit apoſtolus dicens, Et cum iterum introducit. &c. Fuit enim Chriſtus primò introductus in orbem terræ, ſcilicet, in primo aduentu. ſed iterum introducetur in ſecundo aduentu, quãdo veniet iudicare viuos & mortuos. Sic ergo iſte pſal. agit de ſecundo aduentu Chriſti. Diuiditur ergo pſalmus iſte in tres partes. quia ponit primò Chriſti generale dominium: ſecundò Chriſti aduentus ad iudicium. ibi, Nubes. tertiò generalis exultatio fidelium. ibi, Audiuit & lætata eſt. Quãtum ad primum notandum, quòd quãuis Chriſtus ab inſtanti ſuæ incarnationis fuerit verus Deus & dominus omnium: tamen vſq; ad reſurrectionem apparuit humilis, & infirmus, vt ſeruus. ſed poſtquàm reſurrexit, apparuit mundo clarè eius dominium: quia tunc ſubiecit ſibi per fidem reges mundi, & imperatores. Et hoc eſt quod reſuſcitatus ait, Data eſt mihi omnis poteſtas. &c. Et hoc eſt quod ait. *Dominus regnauit*. q. d. dominus Ieſus Chriſtus qui pri⁹ infirmus mundo apparuit, qui ſpretus & occiſus fuit, reſurgens regnauit, id eſt, rex omnium mũdo innotuit. Hoc autem eius dominium mundo manifeſtatũ hominibus cauſam læticiæ intulit: quia fide mundo per apoſtolos prædicata, homines relictis idolis verum Deum cognouerunt: & de poteſtate diaboli ſunt liberati. Et hoc eſt quod ſubdit, *Exultet terra*, id eſt, homines habitãtes in terra: quia Chriſtus per ſuam reſurrectionem & aſcenſionem præbuit hominibus ingreſſum regni cæleſtis. Et non ſolum exultet terra, id eſt, homines habitãtes in terra firma: ſed etiam lætẽtur inſulæ multæ: quia etiam multæ inſulæ Chriſti fidem receperunt: vt patet de inſulis Cipri, Candiæ, Angliæ. &c. in quibus Chriſti fides viget, & exultant. Vel per inſulas intelligit totius orbis eccleſias: quæ rectè inſulis comparantur ſecundum gl. quia ſicut inſulæ ſunt in medio maris, & fluctibus maris vndiq; agitantur: ſic eccleſiæ ſunt in medio tentationum & circuniactantur fluctibus tentationum. Et ſicut inſula circumſtupentibus fluctibus tunditur, ſed non rumpitur: ita eccleſia per totum orbem dilatata, perſecutiones infidelium patitur, ſed nõ vincitur: immo potius tanquàm inſula frangit fluctus venientes.

*2. Regum 17.*

*Abſalon ſignificat iudam.*

*Heb. 1.*

*Scriptura non ſemper allegatur de verbo ad verbum.*

*Ioan. 13.*

*Matth. vlti.*

*Eccleſia inſulæ comparatur.*

1656 **Nubes & caligo in circuitu eius: iuſticia & iudicium correctio ſedis eius.**

Hic conſequenter deſcribitur aduentus Chriſti ad iudiciũ. Et tria facit. quia primò ponũtur Chriſti iudicantis conditiones. ſecundò malorum condemnationes. ibi, Ignis ante ipſum. tertiò bonorũ præmiationes. ibi. Annunciauerunt. Quantum ad primum ſciendum quòd à Chriſti ſentẽtia nõ poterit in iudicio appellari: tum quia Chriſtus iudicẽ ſuperiorem non habet: tum quia erit iuſta, in nullo deuians à iuſticia. Et ideo poſtquàm poſuit generale dominium Chriſti dicens, *Dominus regnauit*. nunc conſequenter ponit eius inobliquabilem iuſticiam, dicens, *Nubes. &c. iuſticia & iudicium.* &c. Per quæ vult inferre quòd ſentẽtia illa erit irreuocabilis à qua nullus appellare poterit. Et ſic primò deſcribit venientis iudicis modum: & conſequenter iudicis iuſtum ſolium. Quantum ad modũ veniendi dicit, *Nubes & caligo in circuitu eius.* Vbi notandum quòd eodem modo Chriſtus deſcẽdet ad iudicium quo in cælum aſcendit. Sic enim dixerũt angeli. Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum ſic veniet. Chriſtus autem aſcendens in cælum habuit nubes ad obſequium. Sic enim dicitur Act. 1. Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum. Sic & conformiter ad iudiciũ veniẽs habebit nubes in obſequium. Quia nubes clariſſimæ circundabũt eum ad modum cuiuſdam throni, in quo iudex quaſi ſedere videbitur. Vnde ipſe dicit, Videbitis filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & claritate. Quod præuidẽs Pſal. ait. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Vel etiam aliter intelligi poteſt. Per nubes enim quæ terram irrigant ad fructificandum, deſignantur Apoſtoli & ſancti prædicatores, vt ſuprà dictum eſt verſi. 556. 1273. 926. 1084. 1086. Chriſtus autẽ veniet ad iudicium circundatus apoſtolis, & aliis ſuis ſanctis. Vnde Zacha. 14. Veniet dominus Deus meus, & omnes ſancti eius cũ eo. Et ſic erunt nubes in circuitu eius: quia ſanctis circundatus deſcendet. Vel per nubem accipe Chriſti corpus glorificatum in quo deſcendet vt ab omnibus iudicãdis videatur. Omnes iſtas tres expoſitiones notat Augu. in epiſtola ad Eſitium dicens, Quod autem dicitur quòd dominus in nube veniet: intelligi poteſt quòd veniet in eccleſia ſua, vel in ſanctis eius tanquàm in nube: ſiue quòd veniet in corpore ſuo, in quo ſedet ad dexteram patris. Credendum enim eſt quòd nõ ſolùm in eodem corpore, ſed etiam in nube venturus eſt. Quoniam ſic veniet ſicut abiit. Nubes autem ſuſcepit eum ab oculis eorum. Et nota quòd Chriſtus ſic in nube deſcendẽs iuſtis apparebit totus clarus, & luminoſus: ſed malis totus iratus & caliginoſus. Et iſta duo notat pſal. dicens, *Nubes in circuitu eius*, ſcilicet quo ad bonos. ſed caligo quo ad malos, Sequitur, *Iuſticia & iudiciũ correctio ſedis eius.* Hic enim per ſedem Chriſti accipit totum orbem cui Chriſtus dominatur. Ex cælo enim & terra cõponitur ſedes Chriſti. Iuxta illud Eſa. 66. Cælum mihi ſedes eſt: & terra ſcabellum pedum meorum. Iſtam ſedem iuſtificabit in iuſticia & iudicio: vt iuſticia referatur ad iuſtam iudicis voluntatem: & iudicium ad actũ iudicandi. Tunc enim iuſticia conuertetur in iudicium: vt dictum fuit verſi. 1522. De ſede Chriſti nota verſi. 742. 1453. 1504.

*Chriſtus veniet in nubibus.*

*Act. 1.*

*Luc. 21.*

*Chriſtus veniet cum ſanctis ad iudicium.*

*Zach. 14.*

*Auguſti.*

*Act. 1.*

*Eſa. 66.*

**Ignis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.** 1657

Hic ponitur malorum cõdemnatio. Circa quã tria notantur. primò malorum condemnatio. ſecũdò malorum perturbatio. ibi, Alluxerunt. tertiò malorum cruciatio. ibi, Montes. Quantum ad primum ſciendum quòd in iudicio duplex ignis erit: quorum vnus præcedet iudicem: & alius ſequetur. Primus erit ignis conflagrationis, quo ſcilicet totus mundus comburetur: & ſic renouabitur ſicut per ignem aurum, & argentum purificatur & renouatur. Et iſte ignis data ſententia inflammabit in circuitu inimicos eius, id eſt, peccatores, qui ab illo igne inuoluentur, & ad ignem inferni ſic inuoluti deducentur. Et de iſto igne vide diffuſius verſicul. 812. Secundus ignis qui ſequetur iudicem erit ignis inferni, in quem mali mittentur, dicente Chriſto. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c. De igne autem inferni qualiter malos cruciat, vide verſiculo 1426.

*Ignis iudicij duplex.*

*Matth. 25.*

*Hugo.* Iſtum autem verſum exponit Hugo de igne diuini amoris magis myſticè, dicens, *Ignis ante ipſum,* &c. Cũ per ſeipſum viſere dignatur deus animã quærentem ſe: hoc eſt ſignum aduentus eius, quòd, ſcilicet ignis, id eſt, ardẽs deſiderium ante ipſum præcedit. Oportet namq; vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem eius ardere animam ad quã eſt ipſe venturus: qui omnem conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præpararet locum domino. Et ſcit tunc anima quàm iuxta eſt dominus cùm ſenſerit ſe illo *Thren.1.* igne ſuccẽſam: & dixerit cum propheta. De excel- *Pſal.38.* ſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. Et illud, Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis. Tali animæ ſuſpiranti frequenter, immò ſine intermiſſione orãti & affectãti ſemper deſiderio cum interdũ deſideratus ille qui ſic quæritur miſeratus occurrit. Puto illi de propria experientia conuenire, vt dicat cum ſancto *Thren.3.* Hiere. Bonus es domine ſperantibus in te, animæ quærenti te. Vel aliter ſecundum eundem, *Ignis ante ipſum præcedet.* &c. *Ignis dicitur Deus.* Ignis qui deus eſt conſumens quidem ſed non affligit: ardet ſuauiter: deſolatur feliciter. Eſt enim verè carbo deſolatorius: ſed qui ſic exercitat intima, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute quã imitaris, & in amore quo inflammaris dominum præſentem intellige. Nam dextera domini facit virtutem. Non autẽ fit hæc mutatio dexteræ excelſi: niſi in feruore ſpiritus, & in charitate non ficta: ita vt dicat qui hu- *Pſal.38.* iuſmodi eſt. Concaluit cor meum intra me.

1658 Alluxerũt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt terra.

Hic ponitur malorum perturbatio. Ad litteram enim ante iudicium fient multæ impreſſiones in aëre, & multę coruſcationes terribiles: quibus homines territi turbabuntur, & maximè mali iudiciũ pertimentes. Et hoc præuidens pſal. dicit. *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ.* Et loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinẽ prophetiæ. Sequitur. *Vidit & commota eſt terra* id eſt, homines habitantes in terra videbunt, & commouebũtur: *Fulgura ſignificant miracula.* quia ſcilicet timore turbabuntur. Vel per fulgura intellige miracula, quæ tunc faciet antichriſtus. Quibus viſis, terra, id eſt, terreni commouebuntur ad ipſum antichriſtum adorandum. Vel ſimiliter accipi poſſunt miracula ſanctorum apoſtolorum & prædicatorum quæ toti orbi alluxerunt: quibus mota eſt terra, id eſt, gentilitas ad Chriſti fidem recipiendam. Fulgur enim in ſcriptura ſignificat mi- *Gregorius.* racula: vt oſtendit Greg. 27. moral. c. 8. dicẽs, Quid enim per fulgura niſi miracula ſentire debemus? *Pſal.17.* De quibus per pſal. dicitur, Fulgura multiplicabis & conturbabis eos. Quia viſis miraculis gẽtes cõuerſæ de peccatis ſuis ſunt turbatæ, Qualiter autem commouetur terra à facie Chriſti, vide verſic. 1650. Ad iſtum intellectum fulgura pro miraculis *Greg.30. moral.c.3.* ſanctorum exponit Greg. 30. moral. cap. 3. dicens. Fulgura quippe ex nubibus exeunt: ſic mira opera ex ſanctis prædicatoribus oſtenduntur. qui idcirco nubes vocari debent: quia & coruſcant miraculis, & verbis pluunt. Et quia humana corda poſtquàm per prædicationem mota non fuerint iſtis miraculorum fulgoribus, turbantur: propheta atteſtante qui ait, Fulgura multiplicabis, & cõturbabis eos. Ac ſi diceret, Cùm verba prædicationis tuæ non audiunt, per prædicantium miracula conturbantur. Vnde alias ſcriptum eſt. In lumine tuo iacula tua ibunt in ſplendore fulgoris armorum tuorum. Iacula domini in lumine iræ, eſt verba eius aperta veritate reſonare. Sed quia ſæpe homines verba vitæ vel intellecta deſpiciunt: adiunguntur etiam miracula. Vnde illic ſubditur, In ſplendore fulgoris armorum tuorum. Fulgor quippe armorum eſt claritas miraculorum. Armis namque nos tuemur: iaculis aduerſa deſtruimus. Arma ergo cum iaculis ſunt miracula cùm prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis ſuis quaſi quibuſdam iaculis aduerſarios feriunt. Armis verò, id eſt, miraculis ſeipſos tuẽtur: vt & quãtum ſint audiendi ſonẽt per impetum iaculorum: & quantum ſint reuerendi clareſcãt per arma miraculorum. Vnde & alibi dicitur, *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt.* &c.

Montes ſicut cæra fluxerunt à facie domini: à facie domini omnis terra. 1659

Hic ponitur malorum cruciatio. Tẽpore enim iudicij erunt terræ motus magni per mundum: intantum vt etiam montes de ſuis altitudinibus cadãt: ſicut cæra cadit à facie ignis. Quæ omnia peccatoribus, quia iudicium timebunt, ad magnum tormentum vertentur. Sicut dicit Chriſtus. Erunt peſtilentiæ, fames, & terræmotus per loca. Et ſub- *Matth.24.* dit, Hæc omnia initia ſunt dolorum. ſcilicet malorum & peccatorum. Vel per montes intellige ſuperbos & altos peccatores: qui humiliabuntur in *Mons ſignificat peccatores.* iudicio à facie furoris domini, ſicut cæra liqueſcit à facie ignis. Propriè enim per montes peccatores figurantur, ſi conſideres montis cõditiones. Quoniam vt docet experientia mons inferius dilatatur: ſuperius anguſtatur: exterius illuſtratur: interius obſcuratur. Sic & conformiter peccatores. Primò ſicut mons inferius dilatatur: ſic & peccatores terrena diligentes, & ſolum in terrenis affectionem ponentes in iſtis inferioribus maximè dilatantur. Quoniam vt docet experientia, quanto quis temporalibus intentus illis magis abundat: tanto circa illa ſuus magis dilatatur affectus. Vnde Ambroſius. O diues neſcis quàm pauper *Ambroſ.* ſis: quàm inops tibi videaris qui te diuitem dicis: quanto plus habueris, tanto amplius requiris: & quanto plus acquiſieris, tanto plus affectu indiges. Inflammatur lucro auaritia: non reſtringi- *Auaritia habitis rebus creſcit.* tur. Achab Rex in Iſrael erat: & pauper Naboth. Ille regni opibus affluebat: hic anguſti ſoli poſſidebat ceſpitem. Nihil pauper de poſſeſſionibus diuitis concupiuit. Rex autem egere viſus eſt: quia vineam habebat pauperculus vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur: vel qui contentus eſt ſuo: an qui concupiuit alienum? Alter ſcilicet pauper cenſu videtur: alter affectu. Affectus diues egere non nouit. Cenſus abundans auari pectus explere nequit. Hæc ille. Quia igitur diues auarus inferius vt mons dilatatur, vmbram diuitiarum cernens: ideo decipitur: Cui dicitur Iudicum *Iudicum 9.* 9. Vmbram montium videns, ſcilicet, diuitiarum. & hoc errore deciperis. Secundò ſicut mons verſus ſurſum ſemper magis reſtringitur: ſic & affectus peccatoris verſus cæleſtia ſemper anguſtatur: cum ſimul deo & mammonæ ſeruire non poſſit. Vbi Hieronym. ait. Mammona ſermone Sy- *Hierony.* riaco diuitiæ nuncupantur. Audiat ergo hoc auarus, qui cenſetur vocabulo Chriſtiano non



poſſe ſe ſimul diuitiis, Chriſtoq; ſeruire. Si igitur talis ſic eſt arctus, immo nullus in ſeruitio Dei: ſequitur quòd ipſe ad modum montis ſuperius an- *Exod.19.* guſtatur: & ideo mortem incurrit æternam. Exod. 19. Qui tetigerit montem talem, ſcilicet, per affectum, morte morietur. Tertium patet: quia ſicut mons exterius lucet: ſic & peccatores frequenter exterius quo ad famam apud homines clarẽt: quia etiam proximo pauper odioſus erit: amici verò di- *Prouer.14.* uitum multi. Vnde tales per adulationes aliorum *1. Mac.6.* videntur multum lucere. Vnde. 1. Mac. 6. Reſplenduerunt montes ab eis, ſcilicet, ab adulatoribus. Quartum patet; quia ſicut mons interius lumine caret: quia non habet viam per quam lumẽ ingredi poſſit: & peccatores interius diuinæ gratiæ lu- *Iſidorus.* mine carẽt. Quia (vt ait Iſidorus in ſynonymis) diuitiæ nunquàm ſine peccato acquirũtur. Ideo ait *Matth.19.* Chriſtus. Quàm difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum. Vnde tales figurantur per montes Gelboe ſteriles: ſuper quos nec ros deſcendit, nec *2. Regum 1.* pluuia. Montes Gelboe nec ros nec pluuia deſcẽdat ſuper vos &c. Iſti ergo peccatores ſunt illi mõtes qui in iudicio à facie domini fluent, & cadent. *Mich.1.* Contenentur montes ſubtus eum. De quibus nũc ait pſal. *Montes ſicut cæra fluxerunt à facie domini.* Et idem aliis verbis repetit dicens. *A facie domini omnis terra.* ſcilicet, fluet. Vbi per terram peccatores intelligit. vide ſupra verſi. 809. 1026.

1660 Annunciauerunt cæli iuſticiã eius: & viderunt omnes populi gloriã eius.

Hic oſtenditur bonorum præmiatio. Oſtendit enim primò quòd iuſta eſt bonorum præmiatio. ſecundò quòd iuſta eſt malorum cõdemnatio. ibi, Confundantur. Et ſtat in hoc ratio: quia veritas fidei annũciata eſt ſufficienter omnibus. Et ideo ſicut qui fidem receperunt iuſtè præmiantur: ſic & nolentes credere iuſtè punientur: nec poterunt excuſari. Sed quòd veritas fidei ſufficienter omnibus ſit publicata, ponit dicens, *Annunciauerunt cæli iuſticiam eius.* *Cæli ſunt apoſtoli & prædicatores.* Per cælos intelligit apoſtolos & alios cæleſtes prædicatores. de quibus dicitur, Cæli *Pſal.18.* enarrant gloriam dei, Sic quòd in omnem terram exiuit ſonus eorum. Vide hoc ſupra verſic. 252. Iſti cæli annunciauerunt ſufficienter iuſticiã dei. Diabolum ſuperare volẽs carnem noſtram aſſumpſit: in qua prò nobis paſſus: tertia die reſurrexit glorioſus. Et iſtos cælos per totum orbem dilatauit. *Iob 9.* de quibus dicitur Iob 9. Qui extendit cælos ſolus. *Grego.9.moral.c.4.* Quod ad propoſitum exponit Greg. dicens, Quid enim cælorum nomine, niſi cæleſtis prædicãtium vita ſignificatur? Ipſi cæli, ipſi ſol eſſe memorãtur. Cæli, ſcilicet, quia intercedendo protegunt. ſol autem quia prædicando verum lumen oſtendunt. Extẽdit ergo cælos deus: quia cùm Iudæa ad iram perſecutionis infremuit: apoſtolorum & prædicatorum vitã dominus in cunctarum gentium cognitione dilatauit. Et dum illa per iudiciũ in mũdum captiua diſpergitur: iſti vbique per gloriam & honorem tendunt. Anguſti quippe cæli fuerãt, cum vna plebs tot egregios prædicatores tenebat. Quis enim gentilium Petrum agnoſceret: ſi in ſolius Iſraelitici populi prædicatione remaneret? Quis Pauli virtutes agnoſceret, niſi hunc Iudæi ad noſtram notitiam perſequendo tranſmiſiſſent? Ecce qui iam flagris & cõtumeliis ab Iſraelitica plebe repulſi ſunt, per mundi fines honorantur. Solus ergo dominus cælos extendit, qui ſecreti mira diſpenſatione cõſilij prædicatores ſuos vnde permiſit in vna gente opprimi: fecit in mundi cardines inde dilatari. &c. Sic igitur iſti cæli per totum orbem fuerunt dilatati, vt omnibus gentibus prædicarẽt gloriam Chriſti. Et hoc eſt quod ſubditur, *Et viderunt omnes populi gloriam eius.* quia ſcilicet ipſi ſufficienter omnibus nationibus prædicauerunt gloriam Chriſti. Quis ergo infidelis poterit excuſari de infidelitate ſua. Vel viderunt omnes populi gloriã eius, id eſt, omnes populi, ſcilicet iuſti & fideles videbunt gloriam in iudicio: quia cum Chriſto erunt glorioſi. Propriè enim populus ſolum ſignificat bonos. vide ſupra, verſi. 816.

Confundantur omnes qui adorãt ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. 1661

Hic ex prædictis oſtẽdit iuſtam damnationem infidelium. quia cæli ſufficienter omnibus annunciauerunt Chriſti iuſticiam: ſic quòd omnes potuerunt cognoſcere Chriſtum verum eſſe Deum. Meritò ergo infideles confundi debẽt, qui ſculptilia vel ſimulachra adorant. Ipſa enim idola dicuntur ſculptilia quia ad imaginem alicuius rei fabricata. Et eodem modo dicuntur ſimulachra quaſi alicui rei ſimilia fabricata. Et ſi dicas, nonne Chriſtiani adorant talia ſculptilia, & ſimulachra: nõne adorant ſimulachrum Chriſti, beatæ virginis, & aliorum ſanctorum? Reſpondetur quòd non: quia non adorant tales imagines: ſed intantum illas venerantur, inquãtum per illas in memoriam reducuntur ſignificatorum. Vnde cum quidam Chri- *Exemplum.* ſtianus à pagano reprehenderetur quòd ſimulachrum Chriſti adorabat. Reſpõdit, Non iſtũ Chriſtum: ſed Chriſtum adoro per iſtum. Nota autem *Idola ſignificãt aliqua peccata.* hic moraliter quòd ſimulachra, ſculptilia, vel idola ſunt multiplicia, quæ ſignificant diuerſa peccatorum genera: vel quòd idola diuerſas cõditiones habent quibus diuerſa ſignificant peccata. Primò enim ſimulachra ſunt falſæ ſimulationis & apparentiæ. Exterius enim habẽt effigiem hominis viuentis: ſed carent corde & partibus interioribus ſpiritualibus. Tales ſunt ſimulatores & hypocritę: qui exterius adornantur vitæ gratiæ: ſed interius ſunt mortui per peccatum. Iſti quandoq; lapſos ſine compaſſione iudicant & damnãt, vt ipſi ab aliis oditores criminum, & boni iudicentur. De quibus ait Hieron. in quadã epiſtola. Intus leo: foris agnus *Hiero.* mõſtrum eſt: velut quædam beſtia compoſita quæ chimera vocatur. Et quia tales frequenter in gradibus eccleſiaſticis reperiũtur: ideo de talibus cõqueritur dominus. Poſuerunt idolum in domo in *Hiere.32.* qua inuocatum eſt nomen meum, & polluerunt eam. Ideo de clericis verificatur hodie illud Pſalm. *Pſal.77.* 77. In ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt. Secundò ſimulachrum vel idolũ materiam habet precioſam: vtputa ſunt aurea & argentea lapidibus precioſis ornata. Et ſic ſignificat auaros deditos terrenis. Argentum ſuum & au- *Oſeæ 8.* rum dederunt, & fecerunt ſibi idolum vt intereãt. Iſtud eſt idolum mammonæ quod auari adorant. Vnde auaritia idolorum ſeruitus dicitur. ad Ephe. *Epheſ.5.* 5. vbi ait gloſſ. Deus auari eſt nummus: & illum vt Deum adorat & colit. Diligit enim pecuniã pluſquàm ſe: ſicut deberet diligere Deum. Quod patet, quia animam ſuam exponit pro acquirenda

*Eccleſ.10.* pecunia. Vnde Eccl. 10. Nihil iniquius quàm ama- A
re pecuniam. hic enim animam ſuam venalem ha-
bet. hic etiam de pecunia cotidie meditatur. Gen.
*Geneſ.42.* 42. Contemplati ſunt pecuniam in ore. A pecunia
*Matth.6.* ſua nunquàm ſponte ſeparatur. Matth. 6. Vbi eſt
theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Pecuniæ ſuę obe-
*Eccleſ.10.* dientiam ſeruat. Eccleſ. 10. Pecuniæ obediunt om-
nia. Et in fine, decepti ad inferna deſcẽdũt. Amos
*Amos 2.* 2. Deceperunt eos idola ſua poſt quæ abierũt. Vn-
de tales aduertere nolunt quod ſcribitur Pſal. 113.
*Pſal.113.* Simulachra gentium argentum & aurum: os ha-
bent, & non loquentur: oculos habent, & non vi-
debũt &c. Erubeſcãt ergo & cõfundãtur qui ado-
rant lapides: quia nec ſe nec alios iuuare poſſunt.

1662 Adorate eum omnes angeli eius:
audiuit & lætata eſt Sion. B

Hic ponitur generalis fideliũ exultatio. Et pri-
mò ponitur generaliter bonorum gaudium. Secũ-
dò ex hoc infert quoddam correlarium. ibi, Qui
diligitis. Quantum ad primũ nota quòd tria maxi-
mè inducunt ſubditos, vt lętentur de ſuo domino,
ſcilicet domini nobilitas, domini æquitas, & do-
mini poteſtas. Et ideo pſal. iſta tria aſſignat in rege
noſtro Chriſto: quæ omnibus ſunt cauſa exulta-
tionis. Primò ponit eius nobilitatem. ſecundò eius
iuſticiam & æquitatem. ibi, Et exultauerunt. tertiò
eius excelſam poteſtatem. ibi, Quoniam tu domi-
nus. Quantum ad primum ſciendum quòd ante
Chriſti incarnationem nobilior creatura erat an-
gelica natura: quia inter omnes creaturas rationa- C
lis eſt nobilior irrationali. Rationalis autem crea-
tura erat duplex, ſcilicet angelica & humana. An-
gelica autem nobilior erat humana. in cuius ſignũ
*Reuerẽda eſt Chriſti humanitas & qualiter.* angeli ab hominibus permittebant ſe adorari. Sed
poſt Chriſti aduentum hoc non permiſerunt, ſciẽ-
tes naturam humanam in Chriſto ſuper omnẽ na-
turam angelicam fore exaltatam. Et hinc eſt quòd
modo angeli hominem Chriſtum adorant. Hanc
ergo Chriſti nobilitatẽ præuidens pſal. ſuper om-
nes angelos: & per cõſequens ſuper omnem crea-
turam celſiorem angelis, dicit. *Et adorent eum om-
nes angeli eius.* i. adorabũt eum omnes angeli. Ad cu-
ius intellectum: vltra illa, quæ dicta ſunt de adora-
tione, verſi. 320. eſt ſciendum quòd triplex eſt ado-
ratio. Quædam latriæ: & hęc eſt cultus ſoli deo de- D
*Triplex eſt adoratio.* bitus. Quædam eſt duliæ: & hæc eſt cultus etiam
creaturæ debitus: vtputa honor qui fit ſuperiori-
bus & virtuoſis. Iſto enim modo homines ſupe-
riores, & maximè virtuoſi ab inferioribus adoran-
*Geneſ.27.* tur. Vnde & Iſaac benedicens filio ſuo Iacob ait,
Adorẽt te tribus. Eſto dominus fratrum tuorum.
&c. Quædam verò eſt adoratio media inter latriã
& duliã; quia inferior latria & ſuperior dulia: quæ
dicitur hyperdulia. Et iſta adoratione quæ eſt me-
dia inter latriam & duliam adorãda eſt Chriſti hu-
manitas: quæ dicitur hyperdulia. Dulia enim idem
eſt quod ſeruitus: & componitur cum hyper quod
eſt ſupra; inde hyperdulia, ſcilicet, ſeruitus vel rę-
uerentia ſupra ſeruitutem purę creaturæ debitam.
Vnde quòd non eadem adoratione ſit adorãda hu- E
manitas Chriſti cum diuinitate notat gl. ſuper illo
verbo, Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam
ſanctum eſt. dicens: Videndum eſt quid nos iubeat
*Pſal 98.* adorare cum dicit, Adorate ſcabellum pedũ eius.
Terram ſcabellum pedum alibi dicit ſcriptura di-
*Eſa.66.* cens; Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum
pedum meorum. Ergo nos terram iubet adorare,

A quia eſt ſcabellum pedum eius. Sed alibi dicit ſcri-
ptura. Dominum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Math.4.*
Sed ſciendum eſt quòd in Chriſto terra eſt, id eſt,
caro quæ ſine impietate adoratur. Suſcepit enim
de terra terram: quia caro de terra eſt: & de carne
virginis Mariæ carnem accepit. Hæc à verbo dei
aſſumpta ſine impietate adoratur à nobis. Quia
nemo carnem eius ſpiritualiter mãducat, niſi eam
prius adoret. Non illa dico adoratione quæ latria
eſt, quæ ſoli creatori debetur: ſed illa quæ dulia di-
gnior eſt. Dulia enim adoratio eſt quæ etiam crea-
turæ exhibetur: quæ duas habet ſpecies. vnam quę
indifferenter hominibus: alteram quæ ſoli huma-
nitati Chriſti exhibetur. De qua dicit, Adorate ſca
bellum pedum eius, id eſt, corpus Chriſti quod eſt
B ſcabellum diuinitatis. Per pedes enim indefeſſa ſta
bilitas diuinitatis accipitur. Sed qui hoc ſcabellũ
adorat, nõ terram intuetur: ſed illum potius cuius
eſt ſcabellum propter quem adorat. Vnde ſubdit,
Quoniam ſanctus eſt. In cuius honore ſcabellum
adorat: quaſi non propter ſe, ſed propter ipſum cu-
ius eſt ſcabellum adorat. Ideo dixit: quoniam ſan-
ctus eſt: & non quoniam ſanctum eſt: vt diſcernas
corpus à diuinitate: etſi in vtroq; ſit vna perſona.*
Et hanc etiam ſentẽtiam ponit magiſter lib. 3. di. 9.
in principio. Et ibidem conſequenter recitat alio-
rum opiniones, ſcilicet, quòd humanitas cum di-
uinitate vna adoratione ſit adoranda: non tamen
propter ſe, ſed propter illũ cui vnita eſt. Vnde ait.
Aliis placet Chriſti humanitatem vna adoratione
C cum verbo eſſe adorandam: nõ propter ſe, ſed pro-
pter illum cuius ſcabellũ eſt, cui eſt vnita. Nec ipſa
humanitas ſola vel nuda ſed cũ verbo cui eſt vni-
ta: nec propter ſe, ſed propter illud eſt adoranda.
Nec qui hoc facit, idololatrię reus iudicari poteſt.
Sed iſta concordari poſſunt: quia licet adoratio la-
triæ & hyperduliæ vna adoratio ſit in ſubſtantia:
tamen diuerſos habent reſpectus quibus ſpeciem
ſuo modo diuerſificare videntur: quia, ſcilicet, illa
adoratione deus adoratur propter ſe: & ſic dicitur
latria. Sed humanitas Chriſti adoratur nõ propter
ſe, ſed propter deum cui vnitur hypoſtaticè: & ſic
variat ſpeciem, & dicitur hyperdulia. Sicut vna di-
lectione ſubſtantialiter diligitur finis, & ea quæ
ſunt ad finem: ſed quia finis propter ſe, illa verò
D propter aliud, ideo differre videntur. Dicat igitur
pſalm. de Chriſto homine. *Adorate eum omnes angeli
eius.* Ex prædictis ergo patet quantæ ſit nobilitatis
rex noſter Chriſtus, quòd non ſolum homines, ſed
etiam angeli ipſum adorare iubentur. Et hoc cau-
ſam læticiæ ingerit fidelibus ſuis. Quoniam vt di-
citur Eccleſ. 10. Beata terra cuius rex nobilis eſt.
Et hoc eſt quod ſubdit. *Audiuit & lætata eſt Sion.*
Sion enim ſpecula interpretatur: & ſignificat ec-
cleſiam quæ deum per fidem ſpeculatur. Vnde hic
gl. *Audiuit Sion,* id eſt, eccleſia. Quid audiuit? quòd
regis ſui iuſticiam cæli annunciauerunt: quòd vi-
derunt omnes populi gloriam eius; quòd confun-
dentur adoratores idolorum: quòd angeli Chriſtũ
adorant. Et inde lætata eſt.

** Et iſtã opinionẽ videtur ibi approbare magiſter bene inſpiſſa in fine dictis per verba Dam. & Auguſti adducta, vnde Aug. contra Arrian. Perfectã humanitatem in Chriſto ideo adoro: quia à diuinitate ſuſcepta & diuinitati iũcta eſt, vt nec alium & alium ſed vnũ eundemque deũ & hominẽ filiũ dei eſſe confitear. vnde ait, ſi hominẽ à deo ſeparaueris, illi nũquàm credo nec ſeruio: intellige cultu latriæ. Si quis enim purpuram vel diadema iacens inuenit nũquid conabitur adorare. cũ vero rex ea indutus fuerit: periculum mortis incurrit ſi eam cum rege quis cõtẽpſerit adorare. Iis in Chriſto humanitatẽ non ſolam ſed cũ diuinitate, ſi quis contempſerit adorare, æternaliter morietur.*

E Et exultauerunt filię Iudæ propter 1663
iudicia tua domine.

Hic adducit ſecundã cauſam læticiæ quæ eſt ex
iudiciis iuſtis ſui regis. Cũ enim res publica per iu
ſticiã principis gubernetur & cõſeruetur (vt dedu
*Ariſtotel.* cit philoſophus 5. Ethic.) conſequẽs eſt ꝙ ſubditi
diligentes



diligentes rempublicam lætantur de principis iu- A
ſticia. Quæ autem ſit iuſticia Chriſti. Certè bonis
*[illegible] Dei [illegible]* dat præmia: malis autem reddit ſupplicia. Nam bo-
ni finaliter lætantur non ſolũ de præmiatione bo-
norum inter quos erũt: verumetiam de punitione
malorũ. vt patet ſupra ver. 130. 131. 404. 522. 858.
937. Et ideo propter iſtas duas partes iuſticiæ vo-
cat in plurali iudicia dicens, *Et exultauerunt filiæ Iu-
dæ propter iudicia tua domine.* Quæ enim ſunt filiæ Iu-
dæ niſi animæ Chriſtum verũ deum & hominem
confitentes. Nam Iudas cõfeſſio interpretatur. Vel
aliter. Iudicia appellat diſcretionis. Nam gentiles
videntes iudicia dei, quibus ſunt diſcreti ab idolo-
latris recipiendo fidem, & videntes dei magnalia
quibus Iudæi ſunt excæcati, exultant de ſua voca-
tione quæ dicitur iudicium diſcretionis. Sic enim B
& apoſtoli & qui erant filij Iudæorum audientes
quòd gentes receperunt verbum dei, lætabantur &
*Actu 13.* magnificabãt deũ. vnde Actu. 13. dicitur. Audien-
tes autem gentes repletæ ſunt gaudio, & magnifi-
cabant verbum dei.

1664 Quoniam tu dominus altiſsimus
ſuper omnem terram: nimis exaltatus
es ſuper omnes deos.

Hic ponitur tertia ratio quæ eſt regis potentia.
Tanta eſt enim Chriſti regis potentia, quòd omnẽ
*Poteſtas Chriſti omnẽ aliã ſuperat.* creaturam aliam puram excedit. Excedit enim po-
tentiam omnium hominum, & omniũ dæmonum
atque omnium angelorum. Quantũ ad potentiam C
hominum ait, *Quoniam tu dominus altiſſimus ſuper om-
nem terram,* id eſt, ſuper omnes homines qui habi-
tant in terra: vel ſuper omnes homines qui de terra
ſunt creati. Vel hic vult oſtendere Chriſtum habe-
re plenam poteſtatem iudicãdi malos & bonos: vt
per terram intelligat peccatores. Et quantũ ad hoc
dicit, *Quoniam tu dominus altiſſimus ſuper omnẽ terram.*
Sed per deos intelligat homines iuſtos. de quibus
*Pſal.81.* Pſal. 81. Ego dixi dij eſtis &c. Et quantũ ad hoc di-
cit, *Nimis exaltatus es ſuper omnes deos.* Vel per hoc
quod dicit, nimis exaltatus es ſuper omnes deos.
vult oſtẽdere Chriſti poteſtatem generaliter exce-
dere poteſtatem omnium hominum, dæmonũ &
beatorum angelorum: qui omnes, diuerſimodè ta-
men, dij dicuntur. vt fuit dictum verſi. 1411. Quòd D
autem boni angeli dij dicantur, patet: quia Iacob
*Gen.32.* dicit ſe deum vidiſſe facie ad faciem: qui ſolùm an-
*Exo 31.* gelum dei vidit. Lex antiqua dicitur per deum data
Moyſi, quæ tamen ſolum per manus angelorũ fuit
data. vt patet ver. 1638. Si ergo Chriſtus exaltatus
eſt ſuper omnem terram, & ſuper omnes deos, ſe-
quitur quòd eius poteſtas excedit omnem poteſta-
tem cæli, mũdi & inferni. Et hoc eſt quod ipſe ait,
*Mat.vlti.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.
Quomodo autem Chriſtus dicatur multipliciter
altiſſimus. vide verſi. 1430. Quomodo propriè di-
catur dominus. vide verſi. 1633. Quomodo nimis
*Exaltatus eſt Chriſtus ſuper omnes ratione humilitatis.* de deo poſſit dici. vide verſi. 1607. 1645. Et attende
quòd de Chriſto ait, *Nimis exaltatus es ſuper omnes
deos.* quia meritũ exaltationis eſt humilitas. Lucæ E
18. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Et meritũ
depreſſionis eſt ſuperbia. ibidẽ. Omnis qui ſe exal-
*Superbia ca- [illegible] facit ad [illegible].* tat, humiliabitur. Et ideo quia præmium propor-
tionari debet merito, ſic quanto maior eſt alicuius
*Grego.32. moral.c.8.* ſuperbia: maiorem depreſſionem meretur, ſic quã-
to alicuius eſt maior humilitas: tanto magis exal-
tari meretur. vt deducit Gre. ſuper illo verbo Iob.

A 40. Simul & facies eorum demerge in foueã. dicẽs,
Iuſto nãque iudicio ſuperborum facies dominus
in foueam mergit: quia intentionem cordis eorum
ſeſe vltra hominem erigentem inferius deiicit. Ima
enim reſpicit, cuius facies foueam attẽdit. Et bene
de ſuperbis dicitur, quòd eorũ facies in ſuperbiam
demerguntur: quia ima petũt dum ſuperbiẽdo alta
ſectantur. Et quò magis extollendo ſe erigunt: eò
magis ruendo inferius tendunt. Terrenam quippe
gloriam quærunt: & infima ſunt, quæ proſpiciunt
dum ſuperbiendo alta ſequũtur. Vnde miro ac di-
uerſo modo res agitur, vt humiles cælum petant,
dũ ſe infra deijciunt: & ſuperbi infima petant, dum
ſuperbiẽdo ſuper cęteros quaſi in altioribus extol-
luntur. Iſti ſe dum deſpiciunt, cæleſtibus immer-
B guntur: illi dum ſe erigũt, à ſuperioribus diuidun-
tur: atque (vt ita dixerim) illi ſe eleuantes deprimũt,
iſti ſe deprimẽtes eleuãt. Vnde bene de ſuperbien-
tibus per Pſalmiſtam dicitur. Humilians autẽ pec- *Pſal.146.*
catores vſque ad terrã. quia ea quæ infra ſunt am-
bientes: dum ea extollendo ſe erigunt, amiſſo cælo
quid aliud quam terrã petunt? Quibus hoc ipſum
iã nimis cecidiſſe, eſt relictis ſuperioribus ima quę-
ſiſſe. Rectè ergo facies in foueã demergi perhiben-
tur: quia ſequentes infima ad inferni barathrum
tendunt. Miro enim iudicio agitur, vt quos hic vo-
luntaria auerſio excæcat: illic ab intuitu veri lumi-
nis digna ſupplicij fouea abſcõdat. Ex quibus ap-
paret quòd ſicut ſecundum mẽſuram ſuperbiæ eſt
menſura depreſſionis: ſic conſequenter ſecundum
C mẽſuram humilitatis eſt menſura exaltationis. Cũ
igitur Chriſtus in paſſione ſe humiliauerit vltra
omnẽ creaturam: quid mirum ſi exaltatus fuit ſu-
per omnem creaturam? & iſtam rationem formali-
ter facit apoſtolus ad Phil. 2. dicens, Humiliauit ſe- *Phil.2.*
metipſum &c. ſequitur, propter quod & deus exal-
tauit illum: & dedit illi nomen quod eſt ſuper om-
ne nomen. &c. Et hoc hic notans Pſal. ait, *Nimis,*
id eſt, perfectiſſimè, *Exaltatus es ſuper omnes deos.* De
exaltatione Chriſti per ſuã paſſionẽ. vide ver. 290.

Qui diligitis dominum, odite ma- 1665
lum: cuſtodit dominus animas ſancto-
rum ſuorũ: de manu peccatoris libe-
D rauit eos.

Hic Pſalmiſta ex prædictis concludit quoddam
correlarium. Dictũ eſt enim quòd rex noſter Chri-
ſtus eſt ſummæ iuſticiæ & æquitatis: eſt & ſummæ
poteſtatis. Ex quibus ſequitur quòd omnes iuſtè
iudicabit ſecũdum opera: quia iuſtus. & nullũ for-
midabit: quia præ omnibus potens. Ergo ſuum iu-
dicium peccatores debẽt formidare & iuſti lætan-
ter expectare. Ex quibus omnes hortatur Pſalmiſta
ad fugiendum peccatum: & ad bonum imitãdum.
Et hoc Pſalmiſta hic nos hortatur ad tria. primò vt
peccatũ fugiamus, ſecundò vt bonũ faciamus. ibi,
Lux orta. tertiò vt in domino confidamus. ibi, Læ-
tamini. Quantũ ad primũ ſciendum quòd malũ eſt
duplex, ſcilicet, culpę & pænæ: ſed malũ culpæ pro
E priè dicitur malũ: quia nullã rationẽ boni cõtinet.
malũ autẽ pænæ nõ ſimpliciter dicitur malũ: quia
aliquã rationẽ boni cõtinet. vt puta quia ſatisfacit
pro culpa: purgat mẽtẽ, reordinat rẽ deprauatã quã
peccatũ deordinauerat. Sic igitur propriè ſolũ pec
catum dicitur malũ. 15. q. 1. cauenda ſunt. vide ſu-
prà verſicu. 1570. Et de iſto malo culpæ ait, *Qui di-
ligitis dominum odite malum,* ſcilicet, culpæ. Et ſi dicas,

 qualis

qualis exhortatio eſt iſta : cum contradictionem includat oppoſitum,ſcilicet,quòd quis diligat dominum,& non odiat malum ? Reſpondeo dilectio rei eſt duplex,ſcilicet,dilectio qua res diligitur propter ſe,quæ dicitur fruitio. & dilectio qua res diligitur propter aliud, quæ dicitur vſus.ſicut diligo vinum,non propter vinũ:ſed propter me. Dilectio prima dei cũ peccato ſtare non poteſt:de qua procedet argumẽtũ.Sed ſecũda dilectio dei ſine peccato eſſe nõ poteſt:quia vtitur deo:& ſic aliquid aliud diligit pluſquã deũ. Et de iſta loquitur Pſal. Multi enim deſiderant habere gloriã, qui tamẽ in peccato exiſtunt.Et talibus ait Pſal. *Qui diligitis dominum*, ſcilicet, finaliter habere vobis placatũ:odite malũ, ſcilicet,culpę.Vel ſi loquatur iuſtis qui diligũt deũ propter ſe,& odiũt malũ,tunc eſt ſenſus. Qui diligitis dominum odite malũ,ſcilicet,perſeuerãter.Et ne aliquis ſe excuſet quòd peccatũ odire nõ poteſt, quia ſuperatur tẽtationibus diuerſis.Ad hoc reſpõdet Pſal.dicẽs,*Cuſtodit dominus animas ſanctorũ ſuorum*, ſcilicet,ne incurrãt tentationẽ quã non poſſint ſuperare ſi velint.quia vt dicitur.1.Corin. 10.Fidelis deus,qui nõ patietur vos tẽtari ſupra id quod poteſtis:ſed faciet cum tẽtatione prouentũ,vt poſſitis ſuſtinere.Et ſic eas cuſtodit ne per peccatũ cadant in manibus diaboli niſi liberè velint. Et hoc eſt quod ſubditur, *De manu peccatoris*, id eſt,diaboli,liberauit eos. Et verè deus cuſtodit animas ſanctorum ſuorum. Vbi nota quòd præcipuè ſex hominum genera cuſtodit deus ſua gratia : Quoniam deus cuſtodit humiliter ſe deprimentes. Cuſtodit ſtabiliter propter ſe patientes.Cuſtodit cordialiter ſe diligentes.Cuſtodit ſpiritualiter ſe deprecantes. Cuſtodit fideliter ſibi adhærentes. Cuſtodit feliciter ipſum contemplantes. Primum patet:quoniam ſicut de puero paruulo diligẽtiorẽ habemus cuſtodiam:ſic & deus de paruulis per humilitatem.Pſal. 114.Cuſtodiẽs paruulos dominus humiliatus ſum & liberauit me. vbi glo. Cuſtodiens paruulos dominus,id eſt,humiles.quoniam grãdes quærit hæredes:ſed Chriſtus paruulos. vnde ſuos multis doloribus humiliat:qui dolor non eſt pænalis ſed ſalutaris:quem medicus ſecãdo facit. vnde ſequitur. Humiliatus ſum : quia flagellat deus omnẽ filium quem recipit.Et liberauit me.quaſi dicat, experto crede.Vnde & Greg. ſuper illo verbo Iob. 7. Quid faciam tibi ô cuſtos hominũ. dicit, Humilitas noſtræ deſtitutionis oſtenditur.cum deus hominum cuſtos vocatur. Quia ſi eius nos cuſtodia minimè protegit,ante occulti hoſtis inſidias noſtræ ſolicitudinis oculus dormit:Pſal.atteſtante qui ait, Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.Per nos namque occidimus : ſed noſtris reſurgere viribus nõ valemus. Culpa nos volũtatis propriæ ſtrauit:ſed pæna culpę deterius cotidie deprimit. Ad amiſſam rectitudinem ſurgere conatibus nitimur:ſed meritorum pondere grauamur.Vnde in figuram quòd dominus humiles cuſtodit dixit ad Iacob. Ego ero cuſtos tuus quocũque perrexeris.&c.Per Iacob namque quilibet humilis ſignificatur : quia Iacob teſte ſcriptura fuit vir ſimplex, & humilis erat. De aliis autem membris cuſtodiæ dei aliàs dicam.

*Dilectio dicitur duplex ſcilicet fruitio & vſus.*

*1.Corin.10.*

*Cuſtodit ſpecialiter multos.*

*Humiles deus cuſtodit.*

*Grego.8. moral.c.21.*

*Pſal.126.*

*Gen.28.*

*Gen.25.*

## 1666 Lux orta eſt iuſto : & rectis corde læticia.

Hic hortatur fideles ad bonum faciendum.Vbi ſciendum quòd Chriſtus propriè dicitur lux. de quo Ioã.1.Erat lux vera.&c. quia habet lucis proprietates.vt dictum fuit verſi.706. Qui idcirco ortus eſt in mũdum, vt ſuo exemplo nos ad virtutes dimiſſis vitiis induceret exemplis.Nam vt ait Gre. 1.dialogorum.Redemptor noſter per mortale corpus omne quod geſſit hoc totum in exemplum actionis præbuit, quatenus miro modo eius ſequentes veſtigia in offenſo pede præſentis operis vitæ vim carpamus.Et Greg.21.moral.ca.6. dicit, Ad hoc namque dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret : exempla præbendo accenderet : moriendo redimeret:reſurgendo repararet.Natus eſt ergo Chriſtus vt nos ad bonum agendum ſuo exemplo induceret. Et hoc eſt quod ad memoriam nos inducens Pſalm. ait. *Lux orta eſt iuſto*. id eſt, lux verbum dei orta eſt per carnis ſuſceptionem,Iuſto, id eſt, pro homine ſuis exemplis faciẽdo iuſto.Cuius lucis ortus te ad bonum faciendum inducit.Vnde de iſta luce,quæ ſol etiam dicitur,ſcribitur Pſal.103.Ortus eſt ſol,ſcilicet, Chriſtus. & incubilibus ſuis collocabuntur, ſcilicet,recludentur dæmones : & ſic exibit homo ad opus.&c. Sed ad quem finẽ vult te facere bonũ? non propter ſe,ſed propter te.vt,ſcilicet, cum fuerimus eius exemplis effecti iuſti,ipſe nobis ſit lætitia.Et aduerte quòd nec mundus,nec diabolus veram læticiam nobis dare poſſunt:ſed magis virtutẽ frangentes inducunt triſticiam mentis.Quid enim docet mundus, niſi vanitates & voluptates ſequi, per quæ triſticia inducitur ſempiterna?Narrat magiſter in hiſtoriis quòd Cyrus rex perſarum nõ valens bellis ſubiugare ſibi gẽtem Lydorũ ſtrenuam in armis,& bellicoſam : finxit cum eis amicitiam: & vt eos redigeret in vecordiam ſub ſpecie amicitiæ tradidit eis ſolennitates & ludos, vt ludis & voluptatibus vacarent. Quibus vacãtes virtutem & artem bellandi perdiderunt,& per læticias temporales illos ſuperauit, quos armis ſuperare non poterat. Ita facit mundus & diabolus:multas procurant nobis temporales læticias vt nos peccatis ſubiiciant. Et iſtam læticiam quærere eſt apertum ſtulticiæ ſignũ.Propter quod de iſta læticia mundi dicitur.Cor ſtultorum vbi eſt læticia.Non talis eſt læticia Chriſti. Quia illis quos ſuis exemplis liberat,confert læticiam ſempiternam.Eſa.35.Redempti à domino venient in Sion cum laude & læticia ſempiterna : ſuper caput eorum gaudium & læticiam obtinebunt:& effugiet dolor & gemitus.

*Ioan.1.*

*Gregorius.*

*Pſal.103.*

*Eccleſiaſ.7.*

*Eſa.35.*

## Lætamini iuſti in domino : & confitemini memorię ſanctificationis eius. 1667

Hic conſequenter hortatur vt in Chriſto confidamus,omnem noſtram ſolicitudinem proijciẽtes in eum:quoniam ipſi cura eſt de nobis.Quia enim in mundo ſolum preſſura eſt & labor : ideo non in mundo,ſed in Chriſto lætari debemus : in quo vera pax mentis habetur.Ioan. 16. In mundo preſſuram habebitis:in me autẽ pacem. Et hoc eſt quod ait, *Lætamini in domino*.omnis enim noſtra læticia in Chriſto eſſe debet.vide ver.155.479. Et quid ſit in domino lætari ſubdit.*Et cõfitemini memoriæ ſanctificationis eius*, id eſt, laudate eum qui memor fuit ſanctificare vos. Quia niſi vos ſanctificaret, non gauderetis in illo. Et ſic intelligitur de cõfeſſione laudis. Poteſt etiam intelligi de confeſſione peccati quæ hominem ſanctificat : quæ principaliter fit Chriſto : quia ſacerdoti gerenti Chriſti vices in certis quæ contritionem præteritorum peccatorũ requirit.Iuſticia enim dei exigit,vt per quę quis peccat:per hęc & ſatisfactio fiat:modo,ſcilicet,cõtrario. Verbi gratia, vt furatur aliena, ſatisfaciat etiam propria dando : ſic & naturaliter qui deficit nimis comedendo, per abſtinentiam reducitur ad debitum ſtatum. Sic & iuſticia diuina requirit, vt qui peccando malam delectationem habuit,& vanam ad debitum ſtatum reducatur per lachrymas & confeſſionem.Propter quod dicit Pſal.Et confitebor domino ſecundum iuſticiam eius. Et vt ſic quilibet domino confiteri volens cum amaritudine ſua peccata recogitet,dicet illud Eſa.38.Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.Vnde Gregorius ſuper illo verbo Iob. 10. Dimittam aduerſum me eloquium meum. dicit,Quaſi pro ſe loquitur, qui praua quæ geſſit defendere excuſationibus conatur : ſed aduerſum ſe eloquium ſuum dimittit, qui confitendo ſe accuſat de eo quod errauit.Sæpe verò & cum delinquimus,ea quoque quę agimus diiudicamus:& accuſat mens ipſa quod perpetrat : ſed hoc ex deſiderio minimè deſerit, & erubeſcit confiteri quod fecit. Cum vero toto iam iudicio carnis delectationem premit:audaci voce in accuſationis ſuæ confeſſionem ſe erigit. Vnde rectè nunc dicitur, Dimittam aduerſum me eloquium meum. Quia fortis mens relaxare verba deteſtationis culpæ inhiat : quæ apud ſemetipſam prius infirma verecundata retinebat. Sed ſunt nonnulli qui apertis vocibus culpas confitentur : ſed tamen in confeſſione gemere neſciunt, & lugenda gaudentes dicunt. Vnde ad hoc ſubiungitur. Loquar in amaritudine animæ meæ.Qui culpas ſuas deteſtãs loquitur : reſtat neceſſe eſt vt in amaritudine animæ has loquatur. vt hæc ipſa amaritudo puniat quidquid lingua per mẽtis iudicium accuſat.Hæc Grego.Et cauſa quare confeſſio ad hoc vt animam ſanctificet debet eſſe cum amaritudine contritionis eſt,Nam(vt dicũt naturales) omnia dulcia ſunt oppilatiua : & amara ſunt purgatiua.Vnde aloes,quæ eſt ſpecies amariſſima, mirabiliter purgat interius hominem. Sic & ſpiritualiter dulcia & delectabilia ſecundum carnem oppilant animam interius, & claudunt ne inde purgari valeat. Sed amaritudo contritionis inde confeſſione habita ipſam ſanctificat & mundat. In cuius figuram dicitur de Iudæis, quòd baptizabantur in Iordane.Et conſequenter additur, confitentes peccata ſua. Vbi ſciendum quòd Iordanis qui interpretatur fluuius iudicantis:ſignificat fluuium ſiue abundantiam lachrymarum quam primò confitens debet habere. Et in iſto lachrymarum flumine ſeipſum iudicando debet lauare, & baptizare:ſicut faciebat Pſal.6.dicens.Lauabo per ſingulas noctes lectum meum,lachrymis meis.&c. Et tunc poſtquam in tali flumine fuerit baptizatus per cõtritionem:ad confeſſionem ſecurè accedere poteſt. Qui enim nõ dolet ſe peccaſſe, eo ipſo peccat:quia deum non diligit,ſi dei offenſa ſibi nõ diſplicet. Hoc eſt contra multos qui peccata confitentes non dolent : ſed gloriantur ſe aliqua mala perpetraſſe.Quod maximè accidit libidinoſis : qui lætantur cùm malè fecerint. &c. Vera autem confeſſio exigit contritionem de commiſſis cum propoſito amplius non peccandi. Propter quod dicitur Prouer. 28. Qui abſcondit peccata ſua non dirigetur:qui autẽ confeſſus fuerit,&reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Sic ergo vera confeſſio animam ſanctificans, non læticiam carnis vel mundi:ſed læticiam in deo quam cauſat abundantia lachrymarum requirit. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.Et hoc eſt quod nos hortatur nunc Pſal. dicens, Lætamini in domino : & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.

*Ioan.16.*

*Cõfeſſio requirit cõtritionẽ.*

*Pſal.7.*

*Eſa.38.*

*Gre.9. mor.c.33.*

*Mat.3.*

*Pſal.6.*

*Prouer.28.*

*Mat.5.*



# PSALMVS XCVII.

## CAntate Domino canticum nouũ: quia mirabilia fecit. 1668

Iſte Pſal. hunc habet titulum. Pſal. ipſi Dauid. Expoſitio patet ex ſupradictis frequenter. De materia verò Pſal. ſciendum, quòd duo maximè ſunt quæ hominem præſeruant à voluntate peccandi & ad bonum ipſum inducunt, ſcilicet, amor gloriæ, & timor pænæ. Nam timor pænæ retrahit à malo: ſed amor gloriæ inducit ad bonum. Iſta autẽ duo cauſantur in nobis ex conſideratione duplicis aduentus Chriſti. Quia aduentus in mundum qui fuit ex maxima dei dilectione ad nos( dicẽte Chriſto,Sic deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret)nos inducit ad amorem dei : & per conſequens ad amorem gloriæ : dicente Chriſto. Qui diligit me, diligetur à patre meo : & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Aduentus autem ad iudicium nobis timorem inducit per quem declinamus à peccatis. Per timorem domini declinat omnis homo à malo. Et ideo Pſal. in hoc Pſal. volens nos allicere ad dei amorem pariter & timorem, in iſto Pſal.agit de duplici Chriſti aduentu prædicto,ſcilicet,in mundum, & ad iudicium. Et ſecundum hoc Pſal. iſte duas partes habet. quia primò agit de aduentu in mundum. ſecundò de aduentu ad iudicium.ibi,Iubilate.Circa primum duo facit. quia primò oſtendit Chriſti incarnationem. ſecundò incarnationis per totum mundum publicationem.ibi, Viderunt.Circa primum oſtendit quatuor incarnationis Chriſti conditiones,ſcilicet, primò quòd fuit magnæ nouitatis.ſecundò quòd fuit magnæ vtilitatis.ibi, Saluabit. tertiò quòd fuit manifeſtæ claritatis. ibi, Notum.quartò quòd fuit plenæ fidelitatis.ibi,Recordatus. Quantum ad pirmum,primò pro beneficio incarnationis præmittit debitam gratiarum actionem,dicens, Cantate domino canticum nouum. Quantò enim gratia facta eſt maior : tantò gratiarum actio amplior eſſe debet. In rebus autem per tempus ortis illa fuit ſumma gratia, qua homo in vnitatem verbi diuini fuit aſſumptus. vt ait magiſter li. 3. di. 12. Quid enim amplius potuit nobis deus facere quam hominem facere deum?Pro tanta ergo gratia & vos gratias agite. Et hoc eſt quod ait,*Cantate domino canticum nouum*,id eſt, gratias agite domino Ieſu Chriſto. Iſtam partem expone vt ſuperius,verſicu.1642. Nulli enim dubium quòd incarnatio Chriſti plus nobis contulit, quam angelis beatis. Et tamen angeli beati in Chriſti natiuitate gratias agentes cantauerunt canticum nouum, dicentes, Gloria in altiſſimis deo &c. Quanto fortius ergo homines gratias agendo canticum nouum Domino Ieſu Chriſto debent cantare ? Conſequenter ſubdit cauſam huius decanta

*Amor gloriæ & timor pænæ à peccatis præſeruant.*

*Ioan.3.*

*Ioan.14.*

*Eccl.1.*

*Quattuor nouitates in Chriſti incarnatione.*

*3 ſenten.*

*Luc.2.*

cantationis,dicens, *Quia mirabilia fecit*. Hæc eſt in- *Eſa.7.* carnationis nouitas.Nõne mirabile fuit quòd deus fieret homo,& homo deus:quòd immortalis mortalis fieret,& æternus temporalis?quòd virgo conciperet, & ſalua virginitate pareret? quòd puer in corpore matris verus & perfectus vir exiſteret? Et multa ſimilia quæ toti mundo admiranda ſunt, & ſtupenda. *Hiere.31.* Iſtam nouitatem incarnationis admirabatur Hieremias,dicens, Nouum faciet dominus ſuper terram:mulier circũdabit virum &c. De hoc vide ſuprà verſi.657.Nonne magnũ mirabile quòd in Chriſti incarnatione cæci illuminarentur,& excæcarẽtur illuminati.vt puta quòd gentes Chriſtũ cognoſcerent,& Iudæi ignorarent. Quod admirãs *Greg.27. mor.ca.1.* Grego. ait. Dei filius per infirmitatẽ carnis noſtris obtutibus apparens:dum alios reprobat, alios vocat, mira iudicia exhibuit quæ à nobis & cogitari poſſent,& cõprehendi non poſſent. *Ioan.9.* Ait namque.In iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vidẽt videãt:& qui vident, cæci fiant. *Math.11.* Et rurſum. Confiteor tibi domine pater cæli & terræ:quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus:& reuelaſti ea paruulis.In quibus nimirum mirandis iudicijs Iudæa repellitur,& gẽtilitas aggregatur. Quod videlicet factum mirari poſſumus,ſed perſcrutari nõ valemus. Bene ergo dicit, Cantate domino canticum nouũ.glo.id eſt,O vos qui noui eſtis in Chriſto,veteres in Adam, cãtate domino & vita & lingua cãticum nouum,ſcilicet, de incarnatione domini,& hominis redemptione. Quod dicitur canticum nouum,quia nihil tale mũdus ante audiuit. Et quia mirabilia fecit. Mirabilia enim fecit in cõſpectu noſtro:ſed in conſpectu eius nihil eſt mirabile. *Eccl.39.* Eccl.39. Nihil mirabile in conſpectu eius. *Mirabile quis dicitur propter multa.* Et notandum vlterius quòd aliquid dicitur mirabile propter multa,ſcilicet,ratione poteſtatis,veritatis, ſanctitatis,paupertatis, cõfuſionis & formoſitatis. ratione quorum omniũ Chriſtus admirabilis apparuit in ſua incarnatione. De tribus primis dictũ fuit ſuperius verſi. 82. De quarto hic proſequitur. *Paupertas voluntaria facit hominem ad mirabilem.* Dico ergo quòd aliquis redditur mirabilis ratione paupertatis voluntariæ.Quid enim in præſenti vita mirabilius cogitari poteſt;quam præſentẽ mundum ſpernere:carnis delicias horrere: *Eccl.31.* diuitias propter deum cõtemnere? Vnde merito talem mirabilem eſſe ſcriptura prædicat,dicens, Beatus vir qui poſt aurum non abiit:nec ſperauit in pecuniæ theſauris.Quis eſt hic, & laudabimus eum?fecit enim mirabilia in vita ſua. Verè enim admirabilem reddit hominem talis paupertas voluntaria: *Bernard.* teſte Bernardo in expoſitione dictorum verborum, dicens, Quid enim mirabilius voluntaria paupertate eſſe poteſt,quam amore paupertatis inter epulas eſurire:inter veſtes multas algere: paupertate premi inter diuitias quas offert mundus,quas oſtentat malignus, quas deſiderat ipſe noſter appetitus?An nõ merito omnibus admirabilis erit qui ſic legitimè certauerit:promittentem mundum abiiciens, irridens inimicum tentãtem:& quod glorioſius & admirabilius eſt de ſeipſo ſic triumphãs, & in ſeipſo crucifigens perientem concupiſcentiam? *Eccl.34.* Vnde de tali paupertate dicitur, Vas admirabile opus excelſi.Opus namque excelſi dicitur ipſa paupertas voluntaria: *2.Corin.8.* quia ipſam primò Chriſtus attulit mundo.Vnde de ipſo ait apoſtolus, Scitis enim gratiã domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues: vt illius inopia nos diuites faceret. In hoc ergo Chriſtus in mundum veniens mirabilia fecit: & mundo admirabilis fuit:quia pauper factus exterius,ſcilicet,in corpore,interius tamen diues remanſit vt deus. Vnde glo. exponens dicta verba apoſtoli dicit, Admirabilis Chriſtus redditur: quia paupertatem aſſumpſit & diuitias nõ amiſit:intus diues, foris pauper: deus in diuitiis, homo comparens in paupertate. Et hoc in ſpiritualibus nos diuites faceret. Per illius enim paupertatem abiicimus pannos mortalitatis,& induimur ſtola immortalitatis. Omnes ergo diuites facti ſunt pauperes Chriſtum imitantes.Nemo ergo ſe contemnat pauper in cella, diues in conſcientia: ſecurior dormit in terra, quam diues in purpura.Non ergo erubeſcas cum tua mendicitate ad illum accedere, quem in teipſo figuras. Conſiderantes ergo Chriſtum pauperem natum, dicamus illud Pſal.117.A domino factum eſt iſtud, ſcilicet,quòd quis paupertatem eligat.& eſt mirabile in oculis noſtris.

## Saluauit ſibi dextera eius:& brachiũ ſanctum eius. 1669

Hic oſtendit incarnationis vtilitatem: quia per ipſam ſaluamur. Vbi aduertendum quòd per dexteram dei,& brachium eius in ſcriptura ipſe Chriſtus intelligitur. Per dexterã enim Chriſtus intelligitur:quia alteri dexteram offerre ſignum eſt pacis.Sic & deus nos ſibi reconcilians dexterã ſuam, id eſt, Chriſtum nobis obtulit. De hoc vide verſi. 713. Conſimiliter autem & Chriſtus dicitur brachium: quia in ipſo conſiſtit omnis fortitudo diuinitatis.vide ſuprà ver.713. 1367. De Chriſto ergo ſub nomine dexteræ & brachij dicitur: quòd dextera eius & brachium ſanctum eius, ſcilicet Chriſtus,ſaluauit ſibi.Sed quid ſaluauerit ſibi non dicit.Subaudi ergo ſaluauit ſibi orbẽ terræ. *Saluantur aliqui ſibi ipſis & ſanantur aliqui deo.* Et nota quòd dicit quòd Chriſtus ſaluauit ſibi.& ad differentiam illorum qui ſanantur corpore nõ mente:ſaluantur ſibiipſis non deo.Quæ notans glo.ait, Saluauit ſibi, non dicit quid: ſed intelligimus orbem terræ.quod fuit magnũ mirabile.Maius enim mirabile eſt quòd totũ orbem erexit à morte æterna,quam quòd corpore mortuos ſuſcitauit.Saluauit,dico ſibi,ſcilicet,deo.Hoc enim, ſibi, ideo addit:quia multi ſaluantur corporaliter, ſed ſibiipſis non ei: quia accepta ſanitate corporali laſciui viuunt: qui ægroti caſti erant,ſanati adulteri fiunt. Et qui dum ægrotarent, neminem lædebant:receptis viribus opprimunt innocentes.Iſti ergo ſanati ſunt,ſed non ei: Chriſtus autem electos ſaluauit ſibi. *Saluauit nos Chriſtus multipliciter.* Et nota quòd Chriſtus dei dextera & brachiũ nos ſibi ſaluauit multipliciter. Primò nos ſaluauit per ſuam incarnationem. *Eſa.45.* Eſaiæ 45. Rorate cæli de ſuper: & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet ſaluatorem. *Eſa.25.* Et Eſaiæ 25. Ecce deus noſter quem expectabamus, ipſe veniet, & ſaluabit nos. Vnde dixit angelus ad Ioſeph. *Mat.1.* Vocabis nomen eius Ieſum. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Secundò nos ſaluauit per ſuam natiuitatem. *Eſa.12.* Tunc enim verificatum fuit illud Eſaiæ 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Et notanter dicit, haurietis: quia in ſua natiuitate melliflui facti ſunt cæli: vt cantat eccleſia. Tunc enim ſaluatus fuit mundus à flebilitate triſticiæ, ſicut dixit angelus paſtoribus,Annũcio vobis gaudium magnum:quia natus eſt vobis ſaluator mũdi. *Luce.2.* Tertiò per ſuã paſſionem: quia tunc nos à dæmonibus liberauit, præcium



*Math.18.* cium noſtræ captiuitatis exſoluendo.Matth.18.Filius hominis venit ſaluare quod perierat: & dare animam ſuam in redẽptionem pro multis. Quartò per inferni ſpoliationem. Tunc redemptor reuerſus eſt ad ſpolia caſtrorum:& facta eſt ſalus mea in Iſrael.vt dicitur. *1.Mac.4.* 1.Mac. 4. Et verificatum fuit illud *Eſai.49.* Eſaiæ 49. Captiuitas à forti tollitur: & quod ablatum fuit,ſaluabitur. Quintò per ſuam reſurrectionem. *Actu.5.* Act.5.Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno:hunc principem & ſaluatorem exaltauit &c. Sextò per ſuam aſcẽſionem. Tunc enim impletum *Eſai.40.* fuit quod dictum erat Eſaiæ 40. Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit:& merces eius coram eo. Merces eius erãt animæ ſanctæ quas adducebat ſecum ad patriam:quas eripuit de manu diaboli. *Dan.12.* Dan.12. In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ.

## 1670 Notũ fecit dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium reuelauit iuſticiam ſuam.

Hic oſtendit tertiò quòd Chriſti aduentus fuit magnæ claritatis: quia ſtatim natus manifeſtatus fuit & iudæis & gentibus:etiam ſi non ſtatim omnibus. Vbi ſciendum quòd Chriſtus habet diuerſa nomina ſecundum diuerſas virtutes & proprietates quas habet:vt puta, quandoque dicitur agnus propter manſuetudinem: quandoque leo propter fortitudinem:quandoque dexteram propter pacificationem:quandoque brachium propter operationem:quandoque ſalutare propter ſaluationem: quandoque iuſticia propter iuſtificationem.Et talia nomina ſibi competunt ſummè. vnde proprius dicitur iuſticia quam iuſtus:ſapientia quam ſapiẽs &c.vt dictum eſt verſi. 1600.Sic ergo idem hic ſignificat dextera,brachiũ, ſalutare,& iuſticia: quia his omnibus Chriſtus intelligitur. *Chriſtus natus iudæis & gẽtibus fuit notificatus.* De Chriſto ergo ſtatim incarnato dicit, *Notum fecit dominus ſalutare ſuum*.quia ſtatim natus aliquibus iudæis fuit manifeſtatus,& notificatus,ſcilicet,paſtoribus: *Luca 2.* *Pſalmus 75.* quando,ſcilicet,angelus dixit paſtoribus.Annuncio vobis gaudium magnum:quia natus eſt vobis ſaluator mũdi,qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate &c. Et tunc verificatum fuit illud Pſal.Notus in iudæa Deus.Statim etiam fuit notificatus gentibus,ſcilicet,per ſtellam tribus regibus magis orientalibus. *Mat.2.* vt habetur Matth.2. De paſtoribus iudæis quibus primò fuit notificatus, dicit, *Notum fecit domminus ſalutare ſuum*.De gentibus verò Magis ſubdit. *In conſpectu gentium reuelauit iuſticiam ſuam* ſcilicet, Chriſtum qui eſt iuſticia Dei. Et aduerte quia non dicit,in conſpectu omnium gentium: quia non ſtatim omnibus fuit notificatus. Et nota quibus primò notificatus fuit Chriſtus:non quidem doctis, & ſapiẽtibus, ſed idiotis & ſimplicibus paſtoribus: non iuſtis & fidelibus,ſed gentilibus & peccatoribus. *Auguſti.* Horum cauſam oſtendit Aug.in ſer.de Epiphania,dicens, Iſti Magi quibus notificatus eſt Chriſtus,quid fuerunt,niſi primiciæ gentium. Paſtores iſraelitæ:ſed magi gentiles.Iſti erant prope,illi longè. Vtrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt. *Quare Chriſtus primo fuit notificatus indoctis & peccatoribus.* Et ſubdit ad propoſitum. Manifeſtatus eſt ergo Ieſus primò nec doctis nec iuſtis.Ratio. Præualet namque imperitia in ruſticitate paſtorum:& impietas in ſacrilegiis magorum. vtroſque ille lapis angularis attribuit ſibi:quia eſt qui venit ſtulta eligere,vt confunderet ſapientes.& non vocare iuſtos ſed peccatores:vt nullus doctus ſuperbiret: & nullus peccator deſperaret. Sed attẽde & modum notificationis:quia paſtoribus angeli: Magis verò ſtella Chriſtum notificat. Quare ergo notum fecit dominus ſalutare ſuum,ſcilicet,paſtoribus per angelum, ſed Magis per ſtellam? Ad hoc reſpondet Gregor. in homilia dicens. *Gregorius.* Rationabiliter nãque iudæis tanquam ratione vtentibus, rationale animal,id eſt,angelus prædicare debuit.Gẽtiles, quia ratione vti neſciebant ad cognoſcendum dominum:non per voces,ſed per ſigna perducũtur:quia & illis prophetia tanquam fidelibus: & iſtis tanquam infidelibus ſigna data ſunt. Eiſdem autẽ gentibus Chriſtum cum perfectæ eſſet ætatis,apoſtoli prædicant:eumq́ue paruulum nec per humani corporis officium loquentem ſtella gentibus notificat.quia nimirum rationis ordo poſcebat, vt loquentem iam dominum loquentes nobis prædicatores, & necdum loquentem elementa muta prædicarent.

## Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael. 1671

Hic oſtendit quartò quòd iſte Chriſti aduentus fuit magnæ fidelitatis.quia quod Deus promiſerat Abrahę & ſemini eius,ſcilicet,quòd in ipſo benedicerentur omnes gentes terræ:per iſtum aduentum adimpleuit. Et hoc eſt quod dicebat virgo Maria, Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut locutus eſt ad patres noſtros &c. *Lucæ 1.* vnde idem tunc dixit Maria, quod nunc dicit pſal. Suſcepit,inquam,Iſrael puerum ſuuum.Puer enim *Chriſtus dicitur puer.* dicebatur Ieſus à puritate. ſic enim vocatus fuit in circunciſione.Lucæ 2. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer &c.Sic & in præſentatione.Lu. 2. *Lucæ 2.* Cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo &c. Sic & in conuerſatione. Lucæ 2.Puer autem Ieſus creſcebat & confortabatur.&c. Sic & in diſputatione. *Lucæ 2.* Lucæ 2. Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem,& non cognouerunt parentes eius &c.Eſt ergo ſenſus,Suſcepit Iſrael puerum ſuum, id eſt, verbum Dei ſuſcepit hominem Chriſtum,id eſt,Chriſti humanitatem:Iſrael,id eſt, ex Iſrael quia ex ſemine Abrahæ. Et hoc recordatus miſericordiæ ſuæ,id eſt,promiſſionis factæ miſericorditer & mirabiliter adimpletæ. quia quòd verbum hominem ſuſciperet, quòd perditum hominem redimeret,non fuit meritum noſtrum, ſed ſolùm diuinæ miſericordiæ donũ.Videbatur enim Deus oblitus promiſſionis ſuæ differendo incarnationem.Propter quod dicit Pſal.76. *Pſalmus 76.* Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus: aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Et ideo in iſta incarnatione ait Pſal. quòd recordatus eſt miſericordiæ ſuæ. quia ſcilicet filium incarnandum patribus miſericorditer promiſit. Et veritatis ſuæ. quia ſcilicet quod promittit,fideliter obſeruat. quia eius veritas nec decipi nec decipere poteſt. Et hoc domui Iſrael, ſcilicet, quam miſericordiam & veritatem promiſit domui Iſrael,ſcilicet, quòd de illo populo hominem ſuſciperet.Vel aliter per domum Iſrael nõ intelligit illum carnalem populum Dei Iacob,qui & Iſrael eſt dictus natum:ſed fidelẽ domum omnium fidelium Chriſtianorum.Nam Iſrael interpretatur Videns Deum. Illi ergo ſolum domus Iſrael dici poſſunt,qui Deum per fidem contemplãtur. Hanc ergo

ergo miſericordiam & veritatem incarnationis dedit ſolum domui Iſrael: quia ſolum fideles Chriſtiani effectum eius, id eſt, ſalutem per ipſam conſequuntur. Qualiter autem recordatio vel obliuio cadat in Deo. vide ſupra verſi. 349. 1324.

## 1672 Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

Hic conſequenter ponit prædictæ incarnationis Chriſti per totum orbem publicationẽ. Quod factum fuit poſt eius aſcenſionem, & ſpiritusſancti miſſionem: quando ſcilicet apoſtoli poſtquã ipſam publicauerant per iudæam, à finibus iudæorum expulſi pet totum orbem ſe diuiſerunt: & Chriſti fidem per totum orbem prædicauerunt: eis dicente Chriſto, Ite in mundum vniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ &c. Et hoc eſt quod nunc dicitur: *Viderunt omnes fines terræ ſalutare. &c.* Quia in omnem terram exiuit ſonus eorum. &c. Et attende quòd illud quod pſal. dicit, omnes fines terræ, ſaluator dicit, omni creaturæ. Vnde per omnem creaturam, & per omnes fines terræ idem intelligitur, ſcilicet, omnis homo, ſcilicet, omne genus hominum. Vnde Hiero. ſuper Lucam dicit, Omnis creaturæ nomine ſignificatur homo. Omnis enim creaturę aliquid habet homo. habet enim commune eſſe cum lapidibus: viuere cum arboribus: ſentire cum animalibus: intelligere cum angelis. Omni ergo creaturæ prædicatur euãgelium cum ſoli homini prædicatur. Quia videlicet ille docetur propter quem in terra cuncta creata ſunt: & à quo omnia per quandam ſimilitudinem aliena ſunt. Poteſt etiam omnis creaturæ nomine omnis natio deſignari. Antè enim apoſtolis dictum fuerat, In viam gentium ne abieritis. Nunc autem dicitur, *Prædicate omni creaturæ.* vt ſcilicet prius à iudęa apoſtolorum repulſa prædicatio tunc nobis adiutorium fieret, cum hanc iudæa ad damnationis ſuę teſtimonium ſuperbè repuliſſet. Eodem modo dicendum quòd omnes fines terræ viderunt ſalutare Dei, id eſt, quæ habitant in terra vſque ad fines terræ omnia viderunt Chriſtum. vt li, omnia, id eſt, de omni genere hominum. Et nota quòd non loquitur de viſione corporali, cum extra iudæam pauci vel nulli viderint Chriſtum: ſed de viſione intellectuali, qua homo intelligit quæ audit: etſi illa vera eſſe non credat. Sic enim dicitur. 1. Corin. 10. Qui ſtat, videat, id eſt, cognoſcat, vel aduertat ne cadat. Sic enim dicitur Lucæ 3. Videbit omnis caro ſalutare Dei. vide ſupra verſi. 254. Et nota mirabile quòd iudæi inter quos, & ex quibus natus eſt Chriſtus: qui eum ſemper habebant præſentem: per intellectum videre noluerunt. Sed pagani à quibus erat remotus ipſum crediderũt, & receperunt. Quę huius fuit cauſa? Ad quod ſciendum. dicit Albertus in de ſenſu & ſenſato lib. 1. quòd multi ſunt qui rem de prope videre non poſſunt: ſed melius vident à remotis. vt patet de cõfectis ſenio, & exiccatis vigiliis & ſtudio. Cuius ratio eſt ſecundum ipſum, debilitas ſpiritus viſibilis. Quando enim viſibile eſt iuxta oculos: tunc ad directum oculi non dirigũtur ſpecie viſibili, niſi ad paucas partes eius. Sed quędam partes viſibiles ſunt ſupra indirectum oculi: quædam ſubtus: quædã verò à latere. Quando verò viſibile elongatur: tunc omnes partes eius magis ſunt ex directo oculi. Et quia ſpiritus viſibilis debilis eſt: ideo ſolum videt quod eſt ex directo ipſius oculi. Sic ad propoſitum potentia viſibilis intellectiua iudæorum inuidia contra Chriſtum intantum debilitata erat, quòd non poterant eum ſufferre videre. vnde & dicebant. Grauis nobis eſt ad videndum. Sed gentiles qui à remotis erãt: cum receperunt lumen prædicationis, melius ipſum Chriſtum cognouerunt: quia omnes partes Chriſti ipſorum oculis directè repræſentabantur: nõ ſolum humanitas, ſed etiam diuinitas. & ſic cognouerunt eius potentiam & bonitatem. Vnde quilibet illorum qui fidem receperant, dicere poterat illud Pſal. 15. Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper &c. De iudæis autem dicitur Pſal. 85. Non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

*Mar. vlti.*

*Pſalmus 18. Homo dicitur omnis creatura, & omnes fines terræ.*

*Hierony.*

*Matth. 10.*

*1. Corin. 10. Lucæ 3. Vident Chriſtum gentiles melius quam iudæi.*

*Vident aliqui à remotis melius quàm de prope.*

*Sap. 2.*

*Pſalmus 15. Pſalmus 85.*

## Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite. 1673

Hæc eſt ſecunda pars vbi agit de ſecundo aduentu, ſcilicet, ad iudiciũ, vt timorem inducat. Vbi primò ſciendũ quòd duplex eſt iudicium, ſcilicet, diſcretionis & diſcuſſionis. Iudicium diſcretionis quo ſcilicet ſeparantur boni à malis: incepit tempore Chriſti & prædicationis apoſtolorum. Ante enim ſoli iudæi vocabantur ad fidem: poſt verò & gentiles. Nam inter gentiles ab æterno præuidit aliquos eſſe ſaluandos. Et iſtos Chriſtus per ſe & ſuos apoſtolos venit iudicare, id eſt, vocare, & à malis ipſos ſecernere: vt dictum fuit verſi. 1651. Et hoc gentibus fuit ratio magnæ exultationis. Iudicium autem diſcuſſionis erit in fine. Et ſecundum hoc iſta pars habet duas partes. quia primò nos inducit ad gratiarum actionem pro iudicio diſcretionis. ſecundò pro iudicio diſcuſſionis. ibi, Iudicabit. Ad gratiarum actionem vt debito modo fiat quatuor requiruntur: ſecundum quòd prima pars habet quatuor partes: Primò requirit mentis exaltationem, in principio: ſecundò carnis ſubiugationem, ibi, Pſallite domino. tertiò mentis in Deum directionem. ibi. Iubilate in conſpe. quartò mandatorum obſeruationem. ibi, Flumina. Quantum ad primum ſciendum quòd gratiarum actio tanto maior debet eſſe, quanto gratia facta eſt maior. Sed quis cogitare ſufficiat quãta ſit gratia vocatis gentilibus facta, qui de cultura dæmonum ad cultum Dei ſunt vocati: de tenebris ad lucem: de perfidia ad fidem: de filiis perditionis filij regni ſunt effecti. Quibus dicit Petrus. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui aliquando non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti &c. Et ideo tanto amplius ad gratiarum actionem tenentur. Gratiarum actio ſi fiat verbis, vel actibus exterioribus ſine complacentia voluntatis, nec à Deo, nec ab hominibus acceptatur: qui ſolum acceptat ſeruitia cum hilaritate exhibita: quia non cenſum, ſed votum attendit. 2. Corin. 9. Hilarem enim datorem diligit Deus. Vbi glo. Illum qui ex bona voluntate dat, vel gratias agit, diligit Deus, id eſt, approbat & remunerat: nõ triſtem & murmurantem. Qui dat vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viſcera indigentis: rẽ & meritum perdit. Quicquid ergo boni facis: cum hilaritate fac: & tunc bene facis. ſi autem cum triſticia facis, fit de te: non tu facis. Ad propoſitũ ergo vt nos de tanta gratia nobis facta debitè gratias agamus: hilaritatem nos Pſal. docet habere, dicẽs, *Iubilate Deo omnis terra: cantate, exultate & pſallite,* ſcilicet, ipſi Deo. Hæc enim omnia expoſita ſunt ſuperius. Quid enim ſit iubilare,

*1. Pet.*

*Gratiarum actio debet fieri cum lætitia cordis.*

*2. Corin. 9.*

*Eleemoſina cum hilaritate debet fieri.*



vide verſi. 766. 1146. Quid ſit cantare Deo: vide verſi. 389. 482. 1145. 1146. Quid ſit exultare, vide verſiculo 92. 155. 480. 531. 1631. Quid ſit pſallere: vide verſi. 389. 708. 771. 772.

## 1674 Pſallite domino in cithara, in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Hic oſtendit quòd debita gratiarum actio debet habere carnis maceratioñe. Si enim caro non maceretur, & per pænitẽtiam domata ſpiritui ſubiiciatur: inſurgit contra ſpiritum, & illum ſibi ſubiicit. ſpiritus autem ſubiectus carni nec Deum debitè laudare poteſt, nec ſibi ſubiici. Ideo ad carnis macerationem nos inducens, dicit, *Pſallite domino in cithara.* Per citharam enim intelligitur aſperitas pænitentiæ. vide ſupra verſi. 481. Ideo pſallere domino in cithara nihil aliud eſt, quam per afflictionem carnis laudare, ſic quòd caro ſpiritui ſubiiciatur, Vel laudare Deum pro Chriſti incarnatione, vel ipſum laudare de paſſione quam portauit in cruce. Nam tam ipſa Chriſti humanitas, quã crux dominica per citharam ſignificãtur. verſi. 481. Et hic replicat in cithara: vt non ſolum intelligas te laudaturum Deum per afflictionem tuæ carnis: ſed etiam pro Chriſti incarnatione & paſſione crucis. Sequitur, *In voce pſalmi.* Pſalmus enim quandoque ſtat pro bona operatione: quandoque vero ſtat communiter pro Dei laude. Et ſic ſtat hic. vt ſit ſenſus. Non ſolum gratias agite corde & opere: ſed etiã voce. Sequitur. *In tubis ductilibus & voce tubæ corneæ.* Vbi nota quòd talibus inſtrumentis vtebantur iudæi in laudibus diuinis. Habebant enim duplex genus tubarum, ſcilicet, habebant tubas ductiles: vt puta de argento, vel ære, quæ fiebant cum percuſſionibus malleorum: & ſic protendebantur. propterea ductiles dicebantur. Et per hoc ſignificabatur, quòd percuſſi malleo aduerſitatis, per patientiam producuntur, & proficiunt, & Deum laudant. Habebant tubas corneas, quibus ſignificatur quòd laudans Deum, vel prædicans magnalia Dei ad modum cornu debet excedere carnem, id eſt, omnia carnalia deſideria ſuperare. Et hoc ſatis clarè deducit gloſa hic, dicẽs, Morem iudæorum hic tangit, qui habebant duo genera tubarum, (ſicut legitur in li. Num. 10.) Alias quæ argento vel ære ductili producebantur. Alias corneas. Per ductiles tubas ſignificãtur illi qui tribulati ſub malleo vniuerſæ terræ, id eſt, ſub diabolo proficiunt, & ſonãt laudes Dei. Tribulatio ergo tunſio eſt: profectus productio eſt. Talis tuba fuit Iob, qui repente percuſſus tantis damnis, & orbitate filiorum tunſione illa tantæ tribulationis quaſi tuba ductili ſonuit, dicens, Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit &c. Ecce quam ſuauem ſonum dedit illa tuba. Cornu verò carnem excedit: & ſic firmum eſt & capax vocis. Is eſt ille qui affectus carnis ſuperat, & libidines: qui non ſapit terram ſed quæ ſurſum ſunt. Qui in carne ambulat, & non ſecundum carnem militat: ſi cornu carni hæret, & eam ſuperat. Et eſt ſenſus, Cantate in tubis ductilibus, vt, ſcilicet, prædicatores ductilibus, id eſt, productis & proficientibus ſub malleo diaboli. Et cantate in voce tubæ corneæ, id eſt, vt ita aliis ſonent prædicatores, vt in ſeipſis vicia carnis caſtigent. Iſtis enim inſtrumentis vtebantur iudæi literaliter, ad ſignificandum nobis qualiter Deum laudare debemus. Omnia enim in figura contingebãt illis. Aliter nos peccaremus qui cum talibus inſtrumentis laudes Dei non reſonamus.

*Num. 10. Tuba ductilis ſignificat laudem Dei in aduerſis.*

*Iob. 1.*

*1. Corin. 10.*

## Iubilate in conſpectu regis domini: moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo. 1675

Hic oſtendit quòd gratiarum actio debet habere mentis in Deum directionem: quia omnia noſtra bona in Deum debent dirigi vt in finem principaliter intentum. Vnde nihil aliud eſt in conſpectu domini iubilare, niſi ad ipſum principaliter intentionem noſtræ cogitationis, locutionis vel operationis dirigere: & non ad mundum, non ad lucrum, non ad hypocriſim. Quamuis enim peccatores ante conſpectum Dei ſint per cognitionem: quia omnia & aperta ſunt oculis eius, non tamen per approbationem. De iuſtis enim dicit Helias, Viuit dominus in cuius conſpectu ſto. De malis verò dicitur. Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita. Vnde hoc tractans Greg. ait, Cum Paulus apoſtolus dicat, Si noſmetipſos diiudicaremus, nõ vtique iudicaremur. Et tunc dominus ſaluator inuenitur quo nunc pro timore domini peccata noſtra à nobiſmetipſis in cõſpectu ipſius redarguuntur &c. vide ſupra verſi. 686. Et ibi etiam multa nota de efficacia cõſpectus domini. Sequitur, *Moueatur mare & plenitudo eius.* Quanto enim quis deuotius ſeruit Deo, tanto amplius perſequitur à mundo & à diabolo. Quia vt ait Greg. illos magis diabolus tẽtat, quos ſibi magis contrarios videt. quia illos quos iure quieto poſſidet, tentare non curat. Tentando ergo bonos fluctus aduerſitatum cõtra ipſos inducit & excitat. Et hoc intelligens pſalmus ait, *Iubilate in conſpectu regis domini.* ſcilicet, Chriſti, Et quid ſequitur ad hoc? quòd mouebitur contra vos mare mundi & plenitudo eius, ſcilicet, aduerſitatum. Prædicit enim hoc pſalmus non orat ſiue non optat. Apoſtolis enim prædicantibus, contra eos motum eſt mare huius ſeculi: & creuerunt fluctus perſecutionum. Quod autem per mare & plenitudinem eius intelligat mundum cum ſuis perſecutionibus, exponit, dicens, *Orbis terrarum & qui habitant in eo.* Quaſi dicat. Per mare intelligo orbem terrarum: per plenitudinem eius intelligo omnes qui habitant in eo fluctu perſecutionum. Quod enim mare ſignificat mũdi aduerſa, vide verſi. 335. Significat etiam infideles qui contra bonos inſurrexerunt. verſi. 756. 1225.

*3. Regum 17. Iob 13. Grego. 11. moral. 19.*

*Greg. 4. mor. c. 22.*

## Flumina plaudent manu, ſimul mõtes exultabunt à conſpectu domini: quoniam venit iudicare terram. 1676

Hic ponit quartum quod requiritur, ſcilicet, præceptorum obſeruantia. Vbi aduertẽdum quod per flumina ſignificantur illi qui abundant aquis gratiæ. ſicut dicebat ſaluator. Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. hoc autem dicebat de ſpiritu ſancto &c. Significantur etiam illi qui abundant aqua ſapientiæ ſalutaris ſacrarum ſcripturarum. vt deducit Grego. 18. mor. c. 23. dicens, Quid namque per flumen niſi antiquorum patrũ dicta deſignantur &c. vide ſup. verſi. 758. Cum ergo apoſtoli poſt receptionem ſpirituſſancti præ aliis repleti fuerint gratiarum aquis, & ſacrum ſcripturarum, merito nomine fluuiorum ipſi apoſtoli intelliguntur: qui prius

*Ioan. 7.*

*Flumina ſignificant apoſtolos.*

prius parui in gratia, parui in ſcientia, ſubito prædictis aquis repleti fuerunt. vt patet in actibus apoſtolorum: maximè in principio. Vnde de quolibet illorum figuraliter dicitur Heſter. 10. Fons paruus creuit in fluuium magnum: & in aquas plurimas redundauit. *Heſter 10.* Per manus autem quibus operamur: ſignificantur opera quibus præcepta adimplentur diuina: dicente Pſalmo. *Pſalm. 118.* Anima mea in manibus meis: & legem tuam non ſum oblitus. Quid ergo? flumina plaudent manu ſimul, niſi dum mare & plenitudo eius commouebitur contra fideles ipſos perſequendo: tunc ſancti apoſtoli operibus bonis exultabunt? Et hoc eſt, flumina, id eſt, apoſtoli, plaudent ſimul manu, id eſt, exultabũt operibus bonis. *Actu. 5.* Sic enim dicitur act. 5. Ibant apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. vnde hic ait glo. Flumina plaudent ſimul manibus, id eſt, ſancto pleni ſpiritu dei gaudebũt ſimul bonis operibus. Hoc etiam ſonat hoc verbum plaudet. Quoniam ſecũdum grammaticos plaudo, is, id eſt, manu ſimul repercutere ex lætitia, claudere, iungere, & manibus ſonum facere. Sequitur, *Montes exultabunt à conſpectu domini.* Quid enim hic nomine montium intelligitur, niſi ipſi iuſti à Deo electi, & à malorum cõſortio ſegregati: vt dictum eſt ſuperius. ver. 1659. Tales montes fuerunt omnes apoſtoli per iudiciũ diſcretionis ex iudęis à Deo electi: ac etiam omnes alij iuſti ex gentibus ad fidem Chriſti vocati, qui meritò gaudent dum vident Chriſtum per ſuum iudicium eos à malis diſcernere. Et hoc eſt quod dicit. *Exultabunt montes a conſpectu domini.* Et rationẽ ſubdit, *Quoniam venit iudicare terram*, id eſt, illos qui prius erãt terra & peccatores, venit iudicare, id eſt, ad ſuam gratiã vocare, & eos à malis ſegregare. Iſta ſunt mirabilia iudicia Dei: quòd de vna ciuitate aliquos ab æterno elegerit: & alios reprobauerit. immò de vna domo, immò de duobus fratribus ſimul cõceptis & natis: vt de Iacob & Eſau. *Iudicia Dei prædeſtinationis & reprobationis mira. Rom. 9.* De quibus ait Apoſtolus, quòd cum nõdũ nati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, ſcriptum eſt, Iacob dilexi, & Eſau odio habui, &c. *Auguſti.* Quæ verba exponens Aug. ad Sixtum ait, Cum Iacob antequam natus fuiſſet, quid boni egerat? Quid ergo Deus diligebat in eo, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donũ? Et in Eſau quid oderat antequam natus fuiſſet, niſi originale peccatum? Nam nec in illo diligeret iuſticiam, quã nullam ille fecerat: neque odiſſet in iſto naturam, quam bonam condiderat. Sed quoniã rem ſtupendam de nondum natis, nec aliquid boni vel mali agentibus propoſuerat: quòd vnum Deus dilexerit, alterum oderit: quomodo hoc rectum fuerit cũ nihil egiſſent. Ideo Apoſtolus ſibijpſi conſequenter obijcit exprimens vnde moueri poſſet auditor. & ait, Quid ergo dicemus? Nũquid dicemus quòd iniquitas ſit apud Deum? id eſt, dicetur forte quòd Deus ex hoc ſit iniquus? Iniquus enim videtur, vt ſine vllis bonorum vel malorum meritis vnum diligat & alterum oderit. Qua in re ſi futura bona huius, & mala illius quæ vtique Deus præſciebat, attenderet: non diceret nõ ex operibus, ſed diceret ex operibus. Quia ergo ſine meritis alterum elegit, & alterum reprobauit. vnde fortè dicis, quid iniquius? Abſit. Non enim iniquus eſt, quia vnum dilexit, & alterum odit: quia hunc, ſcilicet, Iacob per miſericordiã elegit: illum autem, ſcilicet, Eſau per iuſticiam reprobauit: in quorũ neutro eſt iniquus. Nemo ergo dicat Deum: quia futura opera præuidebat, alterum elegiſſe, & alterum reprobaſſe. Sed potius ne quiſquam de ſuorũ operum meritis audeat gloriari: ad Dei gratiam commendandam gratis vnum elegit, & iuſtè alterũ reprobauit. Ex quibus apparet quàm ſint miranda iudicia Dei. Meritò ergo illi quos ſic iudicat Deus à malis ſegregando, cauſam habent exultationis & actionis gratiarum. De quibus nunc ait Pſalmus. *Exultabunt montes à conſpectu domini: quoniam venit iudicare terram.*

Iudicabit orbem terrarum in iuſticia: & populos in æquitate. 1677

Hic conſequenter agit de iudicio diſcuſſionis, ſcilicet, de vltimo, in quo omnes iudicabuntur boni & mali ſecundum ipſorum merita vel demerita. Vnde ſecundum glo. hic per orbem terrarum malos & terrenos intelligit: qui ſecundũ iuſticiam iudicabuntur: non ſecũdum miſericordiam, ſcilicet, totaliter liberantem: quia ipſi non meruerunt miſericordiam. Ei namque qui non fecerit miſericordiam, fiet iudicium ſine miſericodia. Et attende ꝙ opera debitè non poteſt facere, qui non incipit à ſeipſo: vt ſcilicet, primò ſibiipſi miſereatur, & animæ ſuæ. *Miſereri alteri volens prius ſibi debet miſereri.* Quomodo enim eſt credibile quòd quis miſereatur ſecundum inclinationem gratiæ alteri, qui non miſeretur ſibijpſi: cùm gratia plus inclinet ad dilectionẽ animæ propriæ quàm corporis proximi? quia vt dicitur Eccl. 14. Qui ſibi nequam, cui vnquã bonus erit? Propter quod dicitur Eccle. 30. *Eccleſi. 30.* Miſerere animæ tuæ placens Deo. Ex quibus ſequitur, quòd nullus in peccato manens debitè alicui miſericordiam fecit: ſcilicet tempore quo manſit in peccato. Tales ergo iudicabuntur in iuſticia. De iuſtis autem ſubdit, *Et populos in æquitate.* Per populos enim boni intelliguntur: quia ſolum boni faciunt populum, vt dictum fuit verſi. 816. Iſti iudicabuntur in æquitate: quia capient æqua præmia meritis. Nota tamen quòd Chriſtus iudicãdo tam bonos quàm malos obſeruabit ſimul miſericordiã & iuſticiam. nam iuſticiam faciet malis dando pœnam pro culpis: & miſericordiam, quia minus punientur quàm meruerint puniri. Similiter & iuſtis faciet iuſticiam pro meritis dando præmia: & miſericordiam, quia præmia excedent merita. In punitione malorum principalius relucet iuſticia: & in præmiatione bonorum miſericordia. Iſte verſiculus eſt vnius ſententiæ cum verſic. 1654 Ideo vide ibi. immo etiã Pſalmus 95. & iſte quaſi ſunt vnius ſententiæ.

## PSALMVS XCVIII.

Dominus regnauit, iraſcantur populi: qui ſedes ſuper cherubin moueatur terra. 1678

Hic Pſalmus talem habet titulum. Pſalmus Dauid. Titulus patet ex ſæpè dictis. Huius enim Pſal. Dauid fuit auctor. Sed de materia Pſalmi ſciẽdum quòd ſecundum opinionem aliquorum hebręorũ, vt puta Rabbi ſa. Dauid fecit iſtum pſalmum de rege Meſſia, & de regno eius, id eſt, Chriſti in lege promiſſi. Qui Meſſias vt venerit, debellabit og & magog: & multos alios infideles populos: ſecundũ quòd videtur velle Daniel propheta. Quibus gentibus infidelibus debellatis, monarchia mundi pacificè obtinebitur à iudæis. Et de iſto regno ac rege hic agit Pſal. Sed hoc in parte eſt verum, & in parte



falſum. Quod enim Chriſtus in ſuo aduentu litteraliter ſit debellaturus og & magog: & regnum mundum ſubijcere iudæis: patet falſum. quia iam venit Chriſtus, nec bella commiſit, quibus gentes debellaret: & omnia regna mũdi ſubiugaret. immo dixit Pilato. *Ioan. 18.* Regnum meum non eſt de hoc mundo. Og enim & magog de quibus loquitur Daniel ſecundum Aug. 20. de ciui. Dei, non ſunt populi determinati: ſed ſunt generaliter perſecutores eccleſiæ, ad hoc à diabolo ſpecialiter inducti & inducendi: maximè in fine mundi: quos in fine deſtruet Chriſtus occidẽdo ſpiritu oris ſui ipſum antichriſtum. Et certum eſt quod tunc erit finis mundi. Et ſic non fiet nouum regnum ſubdendum iudæis. Quantum ergo ad hoc falſa eſt ipſorum opinio. Sed quantum ad hoc quod dicit, quòd iſte Pſalm' loquitur de rege Meſſia, & de eius regno, verum dicit, quod quidem regnum non eſt temporale ſed ſpirituale: quo in animabus ſanctis regnat. iuxta dictum angeli. *Lucæ. 1.* Et regnabit in domo Iacob in æternum, id eſt, in animabus ſanctis quæ ſupplantant mundum, carnem, & Diabolum. Vbi ſciendum ꝙ hic ſecũdum literam agit de regno Dauid: per hoc intelligens regnũ Chriſti. Prophetæ enim ſub quibuſdam figuris rerum prædixerunt futura de Chriſto, ſicut Eſaias eius ortum ſub figura prædixit, dicens, *Eſa. 11.* Egredietur virga de radice Ieſſe &c. Sic & nũc Pſalm. ſub velamento regni ſui temporalis hic agit de ſpirituali regno Chriſti. Et ideo quia vmbra præterijt, & veritas venit: abiectis figuris veritatem ſequi debemus. Intentionem mouet vt Chriſtum verum Deum adoremus, & vt verum regem honoremus. Diuiditur ergo Pſalmus iſte in partes duas: quia ſub typo regis temporalis primò inducit gentes ad Chriſtum honorandum: ſecundò ad hoc adducit exempla ſanctorum patrum, ibi, Moyſes. Prima in duas: quia primò oſtendit Chriſtum venerãdum vt regem, ſecundò adorandum vt Deum. ibi, Exaltate. Prima diuitur in partes quatuor, ſecundũ quòd quatuor oſtendit in rege noſtro eſſe propter quæ honorandus eſt. In ipſo namque oſtẽditur primò poteſtatis fortitudo: ſecundò dignitatis altitudo. ibi, Dominus in Sion. tertiò ſanctitatis pulchritudo. ibi, Confiteãtur. quartò æquitatis rectitudo. ibi, Tu paraſti. Quantum ad primum primò oſtendit Dauid ex ſeipſo potentiam regni Chriſti, dicẽs. Dominus regnauit. Quod enim quis facit per aliũ. per ſeipſum facere dicitur. Deus autem Dauid elegit in regem: & ipſum ſuper populum ſuum regnare fecit. *2. Reg. 7.* Nam vt habetur. 2. Reg. 7. Hæc dicit Dominus exercituum. Ego te tuli de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meũ Iſrael. Et per conſequens in ipſo Dauid Deus regnare dicitur. Et ſic eſt ſenſus. *Dominus regnauit*, id eſt, Dominus regnare me fecit. Statim autem vt Dauid habuit regnum totius Iſrael. Philiſtęi, & aliæ gentes quæ in circuitu terræ promiſſionis habitabant, fuerunt cõturbati: timentes quod ſi Dauid proſperaretur in regno, cum eſſet vir fortis, & bellicoſus, quod ipſos impugnaret. Vnde ſtatim irati contra Dauid congregati in vnum exercitum venerunt contra Dauid vt ipſum interficerent. Et hoc eſt quod dicitur. 2. Reg. 5. *Regum 5.* Audierunt Philiſtęi quòd vnxiſſent Dauid regem ſuper Iſrael: & aſcenderunt vniuerſi vt quærerent Dauid. Dauid autem fortificatus à Deo, illos omnes deuicit. Et hoc eſt quòd ſubditur, *Dominus regnauit, iraſcantur populi*, id eſt, ex hoc irati ſunt populi. Qui ſedes ſuper cherubin. Deus autẽ dicebatur ſedere ſuper cherubin: quia arca teſtamenti in qua Deus colebatur, duobus cherubin ſuſtentabatur. vt patet Exo. 25. *Exo. 25.* *Moueatur terra.* Hoc eſt quòd dictũ eſt, iraſcantur populi: quia per terram intelligit populos habitantes in terra: qui cõmoti & irati fuerunt, audientes Dauid regem eſſe factum. Eſt ergo ſenſus, quòd Dauid confidens in deo nõ timet cõmotionem hoſtium. Vnde deo loquitur, dicens. Qui ſedes ſuper cherubin. quaſi dicat, In te domine confido, qui ſedes ſuper cherubin. Ecce irati ſunt populi: commota eſt terra, ſcilicet, cõtra me. Et cauſam ſubdit, quia dominus regnauit. i. me regnare fecit. Per hoc enim vult intelligere quòd contra regnum Chriſti gẽtes iratæ cõuenerunt contra ipſum Chriſtũ. Regnauit autem Chriſtus, id eſt, regnum ſuũ innotuit mũdo poſt eius reſurrectionem, & aſcenſionem: quia & ſi prius humilis apparuit: poſtea regnauit glorioſus. Gentiles autem & Iudæi audientes prædicari eius reſurrectionem, irati ſunt, & contra fideles conuenerunt. Et hoc ſignificans Dauid dicit, *Dominus regnauit*, id eſt, Chriſtus: & ſi prius humilis & infirmus apparuit, dominus ergo regnauit, id eſt, poſt eius reſurrectionẽ & aſcenſionem rex eſſe mundo intonuit. Ex hoc *iraſcuntur populi*, id eſt, irati ſunt Iudæi: qui populus præciſè dicebatur. *Moueatur terra*, id eſt, cõmoti ſunt gentiles, per terram ſignificati: quia idola terrã colebant. Et ſi quęras cui loquitur Pſal. certè loquitur deo. Vnde dicit. *Qui ſedes ſuper cherubin*, quia ad literam ſuper angelicas poteſtates deus ſedet, id eſt, quieſcit, quaſi dicat, Loquor tibi deo qui ſedes ſuper cherubin. Qualiter autẽ deus ſedet ſuper cherubin, vide verſ. 1372. Vel aliter. *Sedet dominus ſuper Cherubin.* *Qui ſedes ſuper cherubin*, id eſt, qui habitas in animabus habẽtibus charitatem, Vnde ait glo. Qui ſedes ſuper cherubin, id eſt, qui quieſcis & regnas in eo qui habet charitatem. Cherubin enim plenitudo ſcientiæ interpretatur: quæ plenitudo eſt charitas: cõtra quã nihil poſſunt irati. Quid enim terra poteſt cõtra cælum? Alia litera habet. Qui ſedes ſuper cherubin. & idẽ eſt ſenſus. Notandum autem quòd cherubin eſt vnus ordo angelicus: cuius eſt officiũ homines de veritate & myſteriis fidei informare. *Cherubin quod habet officiũ.* Cherubin enim ſecũdum Greg. in homilia, plenitudo ſciẽtiæ dicitur: Et illa ſumma angelorũ agmina idcirco cherubin ſunt vocata: quia tanto perfectiore ſciẽtia ſunt plena, quanto claritatẽ vicinius contẽplantur: vt ſecundũ creaturæ modum eo plenius omnia ſciant, quo vicinius viſioni conditoris ſui per meritum dignitatis appropinquãt. Officiũ igitur huius ordinis eſt promouere homines ad cognitionẽ dei. Iſtud angelicũ officiũ patuit in angelo Gabriele, qui miſſus ad Mariã virginẽ de incarnatione verbi informauit eã profundè: qñ dixit Maria ad Angelũ. Quomodo fiet iſtud? Reſpõdit, Spiritusſanctus ſuperueniet in te. &c. *Lucæ. 1.* Informauit Ioſeph de Mariæ virginitate. *Matth. 1.* Angelus dñi in ſomnis apparuit Ioſeph dicens, Noli timere: accipe Mariã cõiugem tuã. quod enĩ in ea natũ eſt, de ſpirituſancto eſt. Informauit paſtores de Chriſti natiuitate. *Lucæ 2.* Ecce angelus ſtetit iuxta illos dicẽs, Annuncio vobis gaudiũ. &c. Informauit mulieres de Chriſti reſurrectione, Matthęi vlt. Reſpondens angelus dixit Nolite timere, ſurrexit ſicut dixit. Quorũ omnium expreſſa figura fuit in illo angelo: quẽ vidit Ioãnes, qui habebat librum apertum in manu. vbi dicitur, *Apoc. 10.* Vidi angelum fortem deſcendentem de cælo: amictũ nube: & iris in capite eius: facies eius ſicut ſol:

& pedes eius vt columna ignis:& habebat in manu ſua libellum apertum,&c. Quid enim in libello aperto,niſi manifeſta doctrina deſignatur. Et vide quàm apertè ille cherubin myſteria Chriſti docuit Ioannem. Vide vbi aperta incarnationis myſteria: quia vidi angelum deſcendentem de cælo. Vide ibi myſterium natiuitatis: quia amictum nube. Vide ibi myſteriũ incarnationis:quia iris in capite eius. Vide ibi myſterium reſurrectionis eius:quia facies eius ſicut ſol. Vide ibi myſteriũ Chriſti iudiciariæ poteſtatis: quia pedes eius vt columna ignis. Vide ibi myſterium Chriſti fidei veritatis: quia habebat in manu ſua libellũ apertum. Et ideo cuilibet noſtrûm,vt plenè dedictis Chriſti myſterijs informetur,dicitur,Vade & accipe librum de manu angeli &c. Ad iſtum ordinem angelicum cherubin aſſumuntur theologi doctores:qui diuina cognoſcentes myſteria,Deum ſedulè contemplantur. Vnde Grego.in homil.de angelis dicit,Sunt qui ſupernæ contemplationis facibus accenſi in ſolo cõditoris deſiderio anhelant:terrena abijciunt:cuncta tẽporalia mente tranſcendunt. Et iſti merito cherubin dicuntur,de quibus dicitur Matth.18. Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt. Sed heu,quia multi hodie iſtum angelicum ordinem cherubin odio habere videntur:qui intellectum ſuum non ad diuina cognoſcenda eleuantes: ſed ſolum ſunt ad terrena ſapientes. Contra quos dicitur Eccleſia.5. Ne dicas coram angelo: non eſt prouidentia:ne fortè iratus dominus cõtra ſermones tuos:diſſipet cuncta opera manuum tuarũ &c. Sic dicitur dominus ſedere ſuper cherubin:nõ ſolum quia in illo ordine angelico habitat:ſed etiam quia in quolibet deuoto theologo reſidet per cognitionẽ. 1. Paralip. 13. Reduxit Dauid arcam domini Dei ſedentis ſuper cherubin.

*Apoc.10. — Greg. in ho. de Angelis. — Matth.18. — Eccle.5. — 1. Paral. 13.*

## 1679 Dominus in Sion magnus,& excelſus ſuper omnes populos.

Hic oſtendit conſequenter quòd Chriſtus eſt honorandus: quia in ipſo eſt dignitatis altitudo, dicens, *Dominus in Sion magnus*, hoc eſt: ille Deus verus qui colitur in Sion, id eſt, in monte Sion in quo erat templum & locus adorationis: ille inquã dominus eſt magnus,& excelſus ſuper omnes populos, id eſt, ſua poteſtas ſe extendit ſuper oẽs populos:ergo meritò honorãdus. Et per hoc vult Pſalmiſta oſtẽdere Chriſti dignitatem. Vbi nota, ꝙ per Sion quod interpretatur ſpecula:ipſa eccleſia intelligitur,quæ in præſenti per fidẽ Deum ſpeculatur. vide verſi. 101. & 1128. Quis autẽ Deus colitur in Sion,id eſt,in eccleſia,niſi Chriſtus? Cum ergo dicit quòd dñs qui colitur in Sion, intelligit quòd Chriſtus qui colitur in eccleſia,ipſe eſt magnus dominꝰ & excelſus &c. Et per hoc cõfirmare videtur fideles:quia dictum eſt ſtatim ſuprà, quòd ex hoc quòd dñs,id eſt,Chriſtus regnauit,irati ſunt populi,& perſecuti ſunt chriſticolas:ideo nunc ait chriſticolis ne timeãt: quia dominus Chriſtus eſt magnus & excelſus &c.q.d. Non poterunt populi te perſequi,niſi quãtum ipſe permittet:quia ipſe magnus dominus, & excelſus ſuper oẽs populos. Non permittet ſuos perſequi,niſi ad ipſorum profectũ. Qualiter Chriſtus ſit magnus dominus. vide verſi. 957. & 775. & 1270. & 1633. & 1645 Et nota quòd Chriſtus dicitur dominus excelſus ſuper oẽs populos multipliciter:ſcilicet ratione ſuæ bonitatis, & miſericordiæ. Pſalm. 137. Quoniã excelſus dominꝰ & humilia reſpicit: & alta à longè cognoſcit. Ratione ſuæ veritatis & ſapientiæ. Iob 21. Nunquid docebit quiſpiam domini ſcientiã qui excelſos iudicat? Ratione ſuæ poteſtatis & eſſentiæ. Eſa.6. Vidi dominum ſedentẽ ſuper ſolium excelſum & eleuatum &c. Ratione ſuæ felicitatis atque gloriæ: quàm ſcilicet plenè conſiderare non valemus. Eſa. 38. Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſo.

*Excelſus dicitur Chriſtus multipliciter. — Iob. 21. — Eſa.6. — Eſa.38.*

## Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt: & honor regis iudicium diligit. 1680

Hic oſtendit quòd in Chriſto eſt ſanctitatis pulchritudo. Vbi nota quòd nomen Dei maximè erat dñs:vt patet ſupra verſi. 100. Nomen autem domini debet eſſe malis terribile:& bonis ſanctũ & placabile. Ideo inducens nos Pſalmiſta ad malum fugiendum:& quòd nomẽ domini eſt terribile, Pſal. 75. Tu terribilis es,& quis reſiſtet tibi. Solus enim Deus verè terrorem incutere poteſt. Ideo dicitur Iob.25. Apud eum poteſtas & terror eſt. Vbi Gregorius lib. 17. Moral. cap.7.dicit, Ac ſi apertè dicat. Solus Deus corda mortalium veraciter terret: quia ea ex diuinitatis ſuæ potentia veraciter poſſidet. Humana enim potentia quem terrorem incutere poteſt:quæ iure eiuſdem potentiæ quando careat neſcit? Deute.10. Deus magnus potens & terribilis,qui perſonam non accipit. Volens etiã Pſalmiſta nos ad bonum agendum inducere:ait, quòd nomen Dei eſt ſanctum. 1. Regum. 2. Non eſt ſanctus,vt eſt dominꝰ. Quia ille ſolus ſanctus eſt alios ſanctificãs. Leuiti.20. Ego ſanctus ſum, qui ſanctifico vos. Et iſta duo ſimul comprehenduntur. Exod. 15. Quis ſimilis tui magnus in ſanctitate terribilis &c. Et per hoc vult Pſalmiſta oſtẽdere Chriſti ſanctitatem erga bonos, quibus in iudicio totus ſanctus apparebit & dulcis: & Chriſti poteſtatem erga malos,quibus totus turbidus videbitur & iratus. Et hoc eſt quod ait, *Cõfiteantur nomini tuo magno.* ſcilicet confeſſione laudis. nomini inquam magno. Paruum enim videbatur Chriſti nomen quãdo populi iraſcebantur & ipſum perſequebantur. Nunc autem magnum nomen eſt:quia in omni terra dilatatum. Et merito debetis confiteri: quia ipſum eſt terribile potentia qua malos punit:eſt ſanctum bonitate qua parcit contritis. Et merito terribilis eſt malis,& ſanctus bonis:quia honor regis iudicium diligit. Iudicium autem eſt actus iuſticię, quæ vnicuique reddit ſecundũ opera ſua. Et quòd nomen Chriſti verè dicitur ſanctũ,quia ipſe Chriſtus omnibus modis ſanctitatis dicitur ſanctus. vide ſupra verſi. 1459.

*Pſalm.75. Terribilis eſt ſolus Deus. — Greg.17. Moral.c.7. — Deute.10. — 1.Reg.2. — Leui.20. — Exo.15.*

## Tu paraſti directiones: iudicium & iuſticiam in Iacob tu feciſti. 1681

Hic oſtendit quòd Chriſtus eſt æquitatis rectitudo. Deus non ſolùm in ſe dicitur iuſtus: ſed etiã in nobis:quia præcepta ſufficientia dedit, quæ ad iuſticiam plenè ſeruandam nos inducunt. Vbi notandum quòd in antiqua lege erant tria pręceptorum genera,quæ ad bonum faciẽdum nos inducebant: ſcilicet præcepta moralia: vt ſunt præcepta decalogi, quæ perfectè dirigunt mores humanos in vltimum finem:vt puta dñm Deũ tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies:non ſumes nomen Dei in vanum &c. Et iſta præcepta propriè vocantur directiones: quia

*Præceptorum ſunt tria genera,ſcilicet,moralia:iudicialia & ceremonialia.*



quia de directo nos dirigunt in vltimum finem. Matth.19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Per iſtorum enim obſeruationem greſſus hominis dirigetur,ſcilicet ad Deum: & viã eius volet. Pſal. 36. Alia erant præcepta iudicialia,quibus præcipiebatur vt omnibus facerẽt iudicium malos puniendo pœna talionis:vt manum pro manu, oculũ pro oculo,dentem pro dente,vitã pro vita. Et iſta præcepta vocabantur iudicia,per illa enim populus iudicabatur. Nee.9. Dediſti eis iudicia recta. Alia erãt præcepta cæremonialia: vt quòd ignis in altari ſemper arderet:quòd omni die fieret ſacrificium & huiuſmodi,quæ omnia figura erant Chriſti, & ſacramentorum: eius:quibus à peccatis mundamur & efficimur iuſti. Vnde vocantur iuſtificationes Pſalm. 118. Legem pone mihi dominè viam iuſtificationum tuarum &c. Et quia iſta præcepta cæremonialia erant quædam figuræ nos inducentes ad vera ſacramenta nouæ legis:ideo iuſticia præparatiua dicebatur. Pſalm.84. Iuſticia ante eum ambulabit:& ponet in via greſſus ſuos. Et omnia iſta tria præceptorum genera dedit Deus ipſi populo Iacob,id eſt,ex Iacob genito. Præcepta ergo moralia vocat directiones,dicens, *Tu paraſti directiones*. Præcepta iudicialia vocat iudicium, dicens, *Iudicium*, Præcepta cæremonialia vocat iuſticiam, dicens, *Et iuſticiam*. Iſta omnia in Iacob tu feciſti. Sed omnia hæc,Chriſtus perfectius dedit,& fecit in populo ſuo. Nam præcepta moralia perfecit in populo ſuo per additionem cõſiliorum. Præcepta iudicialia perfecit per remiſſionem iniuriarum. Vade & amplius noli peccare. Præcepta cæremonialia perfecit per inſtitutionẽ ſacramentorum:& præcipuè ſacramenti euchariſtię. Bene ergo dicere poſſumus Chriſto, *Tu paraſti directiones:iudicium & iuſticiam.*

*Matth.19. — Nee.9. — Pſal.118. — Pſal.84. — Mat.5. Ioan.8. — Mat.26.*

## 1682 Exaltate Dominum Deum noſtrũ: & adorate ſcabellum pedum eius:quoniam ſanctum eſt.

Hic oſtendit Chriſtum adorandum vt Deum. Vbi notandum quòd in Chriſto fuit duplex natura:ſcilicet diuinitatis & humanitatis. Ratione diuinitatis exaltandus eſt indubiè vt Deus & adorandus. Et quantum ad hoc de Chriſto vt Deus eſt,dicit, *Exaltate dominum Deum noſtrum*, ſcilicet Ieſum Chriſtum. Quid eſt autem exaltare Chriſtum, niſi ipſum adorare adoratione latriæ? Quia illud homo præ cæteris rebus in corde ſuo exaltat, quod plus diligit. Illud autẽ quod quis plus diligit,illud adorat. Sicut guloſi, quia præ cæteris rebus diligunt ventrem:ideo ventrem pro Deo adorare dicuntur. ad Philip.3. Quorum Deus venter eſt. Vnde ibidẽ ait glo. Guloſorum Deus venter eſt:quia quicquid faciunt,pro Deo faciunt:quaſi ipſum ventrem colentes. Hoc enim ab homine colitur:quod præ cæteris diligit. Et ideo quia Deus omnibus rebus maior eſt,& melior:plus omnibus rebus colendus eſt vt colatur. Illi autem Deum ſuum faciunt vẽtrem: quia ita laborãt pro edendis,quaſi ſit ſalus in eſca: Qualiter autem Deum exaltare poſſumus,cùm ſit immenſus. vide ſupra verſicu. 421. Quantum verò ad humanitatem Chriſti à nobis adorandam, ſubdit, *Et adorate ſcabellum pedum eius* &c. Scabellum nãque pedum Dei vel verbi dicitur humanitas Chriſti. Et de hoc dictum eſt verſi. 1662. Et nota quòd Chriſti humanitas dicitur ſcabellum verbi. Nam ſecundum grammaticos ſcabellũ dicitur à ſcannelum,n,mutata in,b. Et dicitur ſcabellum, li, quod paruulis lectulis apponitur, ſcamnum autẽ quod altioribus,ſuper quæ pedes ponuntur,quęque pedibus ſubduntur. Et ſecundum hoc accipitur ſcabellũ pro omni re ſubiecta voluntati alterius,quæ volũtas per pedes intelligitur. Cũ ergo humanitas Chriſti præ omni altera creatura ipſi diuinitati obediens fuerit,& ſubiecta, merito eius ſcabellum nominatur. Eſt autem notandum,quòd ſicut variè aliqua Deo ſubijciũtur:ſic & variè ſcabellum Dei dicuntur. Quoniam ſcabellum Dei dicitur primò tota mundi inferioris machina:quia Dei voluntate regitur. Eſa.66. Cælũ mihi ſedes eſt:& terra ſcabellum pedum meorum. Secundò ſcabellum eius dicitur ſancta mater eccleſia: quia eius voluntati ſubditur:quàm obliuiſci dicitur:quoniã ipſam aduerſitatibus exponit. Thren.2. Non eſt recordatus ſcabelli pedum eius. Tertio angelica natura: quia eius voluntati ſemper conformatur. 2. Paral.9. Fecit Salomon ſolium eburneum, & ſcabellũ aureũ. Solium namque eburneum eſt natura humana in Chriſto propter candorem puritatis: ſed ſcabellũ aureum eſt angelica natura propter virtutem conſummatæ charitatis. Quarto ſcabellum eius dicitur prauorum iniquitas: quia eius poteſtati ſubijciuntur,licet inuitè. Pſalm. 109. Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Quintò ſcabellum eius eſt ipſa Chriſti humanitas:quia totaliter Deo conformis plenè ſibi ſubditur: vt hic. *Adorate ſcabellum pedum eius:quoniam ſanctum eſt.*

*Philip.3. — Scabellum Chriſti multiplex. — Eſa.66. — Thren.2. — 2.Paral.9. — Pſalm.109.*

## Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius:& Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. 1683

Hic conſequenter ad propoſitum adducit exẽpla ſanctorum patrum. Et ponitur primò antiquorum patrum Chriſti adoratio: ſecundò orationis adorantium à Chriſto exauditio: ibi,Inuocabant, tertiò exauditionis demonſtratur ratio:ibi,Cuſtodiebant. quartò præuaricationis patrum ponitur punitio:ibi,Dñe Deus,quintò adorationis Chriſti ponitur concluſio:ibi, Exultate. Quantũ ad primũ ſciendum ꝙ exempla ad imitandum data: quanto perſonæ nobiliori data:tanto amplius ad imitationem alios inducũt. Inter omnes autẽ perſonas magnæ auctoritatis,quæ ante Dauid fuerunt:iſti tres, ſcilicet,Moyſes,Aaron,& Samuel fuerunt principaliores. Nam Moyſes fuit legiſlator: Aaron ſummus ſacerdos: Samuel autẽ magnus rector & propheta in populo domini. Et tamen iſti adorauerũt Chriſtum:non præſentem eis, ſed futurum. Nã vt ait magiſter lib.3.diſt.3.diſt.25. ſine fide Chriſti nũquam quis potuit ſaluari:nec ante incarnationem, neque poſt. Sicut enim nos fidem Chriſti habemus quòd ipſe iam venit:ita & illi credebant ipſum eſſe futurum. Vnde Auguſt. epiſtola 93. ait, Iſta fides ſana eſt,qua credimus nullũ hominem ſiue maioris ſiue minoris ætatis, liberari à cõtagione mortis & obligatione peccati,quod prima natiuitate cõtraxit,niſi per vnũ mediatorẽ Dei & hominũ Chriſtũ Ieſum. Cuius hominis eiuſdemq; Dei ſaluberrima fide etiã illi iuſti ſalui facti ſunt:qui priuſquã veniret in carnẽ,crediderũt in carnẽ venturũ. Eadẽ enĩ fides eſt & noſtra & illorum &c. Si ergo credebant Chriſtũ venturũ,& in eius fide ſe ſaluandos,ſequitur quòd ipſum verum Deum credebant eſſe venturum. Et nota quòd per iſtos tres quos hic nominat, vult intelligere generaliter omnes fideles tam

*Fides Chriſti ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria. — Auguſti.*

tam laicos quàm clericos. Quoniam per Moyſen
& Aaron qui erant de tribu Leui,& ſacerdotes,in-
tellige clericos:ſed per Samuelem,qui non erat de
tribu Leui:ad quam ſpectabant officia templi : ſed
erat de tribu Ephraim,accipe laicos.Iſta ergo duo
genera ponit ad oſtendendum quòd nullus vnquã
poteſt,nec poterit abſq; Chriſti fide ſaluari.Et hoc
innuit hic glo. dicens,Moyſes legiſlator, & Aaron
ſummus ſacerdos fuerunt in ſacerdotibus eius , id
eſt,Chriſti.Nota ꝙ Moyſes ſacerdos dicitur:quia ſi
nõ hoſtias,vota tamen populi obtulit Deo : & pro
populo ſupplicauit.Samuel autem nõ numeratur
inter ſacerdotes:quia fuit de Ephraim : de qua tri-
bu non fuit ſacerdos ſecũdum legem:ſed ſolùm de
tribu Leui. Et ideo ſolum inter inuocantes poni-
tur.Item nota quòd inter clericos duo ſunt gradus
ſcilicet,doctorum & prælatorum. Doctores ſigni-
ficãtur per Moyſen,qui fuit legiſlator, & maximus
*Deut.vlt.* prophetarum.Nam de ipſo dicitur Deute.vlti. Nõ
ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes. Sed
*Doctor honore prælatum præcedere debet.* ſtatim hic dubium occurrit.Ecce Moyſes fuit ma-
ximus doctor & propheta:Aaron autem fuit ſum-
mus prælatus & pontifex : quare ergo præmittit
Moyſen ipſi Aaron ſummo ſacerdoti? Et hoc eſt
quærere vter horum ſit magis honorandus doctor
vel prælatus.Prçterea,Aaron antiquior erat tempo
*Exod.7.* re ipſo Moyſe. Nam vt habetur Exod. 7. Erat autẽ
Moyſes quando introiuit ad Pharaonem octogin-
ta annorum, Aaron autem octoginta trium. Cum
igitur antiquitas ſit venerãda,ſequitur quòd Aarõ
præmitti debuit Moyſi.Cuius tamen oppoſitũ hic
facit:etiam per totam ſcripturam:vbi ambo nomi-
nãtur ſimul Moyſes præmittitur.Reſpondeo,quòd
ſicut ſcientia eſt maioris dignitatis quàm prçlatio:
quia ſcientia regitur prælatio:& non ecõuerſo.Sic
& doctor maioris eſt dignitatis quàm prælatus, &
amplius honorandus.Et hoc eſt quod de ſapientia
*Sap.7.* dicitur.Præpoſui illam regnis & ſedibus &c. Præ-
fertur etiam tempori:in cuius argumentum Moy-
ſes minor præfertur ipſi Aaron antiquiori:ratione
ſcientiæ ſiue prophetiæ maioris.Si autem hodie
communis vſus habet oppoſitum:hoc facit virtus
diuitiarum.Sed nunquid Moyſes inter omnes pro-
phetas veteris teſtamenti fuit excellentior prophe
ta ſiue doctor?Nũquid maior ipſo Dauid? Et vide-
*Deut.vlt.* tur quòd ſic per illud quod dictum eſt Deut. vlt.
Non ſurrexit vltra in Iſrael propheta ſicut Moyſes.
Ad oppoſitum eſt magiſter in præmio huius libri,
dicens,quòd Dauid fut eximius prophetarũ. Vnde
& quando propheta abſolutè dicitur, intelligitur,
*Dauid qualiter fuit maximus propheta: & qualiter Moyſes.* de Dauid:ſicut Paulus per apoſtolum. Reſpondeo
quòd vnus propheta maior alio poteſt dici tripli-
citer.Primò modo ratione clarioris notitiæ.Et ſic
quia alij prophetæ nouerunt quæ dicebãt per ſom-
nia , aliqui per figuras : aliqui per apertam viſio-
nem,& claram reuelationem:illi dicuntur maiores
quibus clariori modo reuelata ſunt prophetica
myſteria.Iſto modo Moyſes fuit ſummus ; quia lo-
quebatur dominus facie ad faciem cum Moyſe:ſi-
cut loqui ſolet homo cum amico ſuo.vnde ait do-
*Num.12.* minus,Si quis fuerit inter vos propheta domini in
viſione apparebo ei ; vel per ſomnium loquar ad
eum.at non talis Moyſes:ore enim ad os loquor ei:
palam & non per ægnigmata & figuras Deum vi-
det &c. Sic & iſto modo loquebatur Deus per ſei-
*Pſalmus 84* pſum immediatè ipſi Dauid.Pſal.84.Audiam quid
loquatur in me dominus Deus.Et ſic etiam Dauid
fuit ſummus prophetarum. Sicque ergo vterque
iſtorum ſummus dicitur prophetarum negatiuè,
id eſt,quo nullus maior:non autem affirmatiuè, id
eſt,maior cæteris:quia iſti æquales fuerunt.Secun-
do modo dicitur quis ſummus propheta ratione
maioris extenſionis , ſcilicet , quia plura myſteria
prophetizauit. Et ſic Dauid dicitur maior Moyſe:
quia multo plura Chriſti myſteria prædixit.Tertio
modo quis dicitur ſummus prophetarum ratione
maioris confirmationis ſuæ prophetiæ.Et ſic quia
Moyſes plura miracula coram populo fecit quam
Dauid : ideo ſuam prophetiam coram populo ma-
gis confirmabat,& faciebat credibilem.

## Inuocabant dominum , & ipſe exaudiebat eos:in columna nubis loquebatur ad eos. 1684

Hic ponitur antiquorum patrum orationis à
Chriſto exauditio.quia ipſi inuocabãt,id eſt,intus
in corde vocabant Chriſtum ipſum orando.& ipſe
exaudiebat eos:quia orationes omnes exaudiũtur:
& ſi non ſemper ad votũ:ſemper tamẽ ad fructum.
vide verſ.74.& 291.& 294 & 514.& 516.Sed quõ
antiquos patres exaudiebat Chriſtus qui nondum
erat. Dicitur quòd antiqui patres præſciebant ver-
bum incarnandum:& quòd idem eſſet Deus & ho
mo:& iſtum inuocabant.Et iſte tunc eos exaudie-
bat : quia ratione ſuppoſiti Chriſtus ſemper fuit:
quamuis non ratione humanitatis aſſumptæ.Mul
totiens enim reperimus Moyſen & Aaron à Deo
fore exauditos:vt in plagis Pharaonis:in diuiſione
maris:in ſuperatione Abimelech:qui orante Moy-
ſe ſuperabatur à filiis Iſrael. Exod. 17. *Et in columna* *Exod.17.*
*nubis loquebatur ad eos.* Realiter enim Deus in nube *In nube qualiter Deus ſanctus loquebatur.*
Moyſi loquebatur : vt puta quando ſibi legem de-
dit:ſtatim nubes operuit montem.Exod. 19. Et in *Exod 19.*
multis aliis ſcripturæ locis.Sed per hoc vult oſten-
dere quòd prophetæ ea quæ prædicebant,erant fi-
guris & ænigmatibus velata:& non ſine velamen-
to pronunciata. Et hoc eſt quod hic ait glo. *In co-*
*lumna nubis loquebatur ad eos*, id eſt,per figuras in nu-
be obſcura. Sed illa dicta obſcura quendam mani-
feſtum ſignificabant,ſcilicet Chriſtum. Ad eos er-
go tunc loquebatur in nube,qui iam nobis loqui-
tur in ſcabello,id eſt, in carne aſſumpta apertè. Et
nota quòd non ait in nube:ſed in columna nubis.
Columna enim fortitudo eſt , & decor domus. In
hac ergo ſpiritusſanctus loquebatur eis : qui an-
nunciabat eccleſiam vel carnem Chriſti. Sed tunc
qui in nube loquebatur : modo per filium apertè
loquitur nobis. Magis autem myſticè notandum, *Columna nubis & ignis dicitur Chriſtus.*
quòd columna per quam nobis loquitur Deus, eſt
ipſe Chriſtus : qui propriè columna dicitur. Nam
ſecundum grammaticos columna dicitur à culmi-
ne , eo quòd culmen domus ſuſtineat. Quis igitur
aptius Chriſto columna dici poteſt : qui totum ſu-
ſtinet orbem? Iſta autem columna aliter iuſtos ſu-
ſtinet,& aliter peccatores:aliter iuſtis loquitur,ali-
ter peccatoribus.Vnde de Chriſto ſub nomine co-
lumnæ dicitur Exo.13.quòd dominus præcedebat *Exod.13.*
eos per diẽ in colũna nubis:& per noctẽ in colũna
ignis.Quod ad propoſitũ exponẽs Stephanꝰ dicit, *Stephanus.*
Colũna dicitur Chriſtus:quia rectus & firmus om
nia fulciẽs.Hæc autẽ colũna homines in die præce-
dit in colũna nubis:quia Chriſtus nulla luce claret
illis:qui ſe in die putãt eſſe:ſcilicet præſumptuoſis
& ſuperbis. Sed in colũna ignis præcedit in nocte:
quia illis qui ſe infirmos eſſe reputãt,& peccatores
illos



illos gratia ſui amoris inflãmat pariter & illuſtrat.
Item etiam per colũnam nubis & ignis duo Chri-
ſti ſignificãtur aduẽtus:quia in primo fuit colum-
na nubis : ſcilicet blandus & humilis : in ſecundo
autem erit colũna ignis , ſcilicet aſper & terribilis.
Vel aliter.nox peccator eſt:iuſtus autẽ dies. Colũ-
na ergo nubis in die:& ignis in nocte : quia domi-
nus iuſtos obũbrat,& illuminat peccatores. Hæc
*Gregorius.* ille. Gregorius autem prædicta verba exponens,
dicit in homilia. Dominus autem præcedebat eos
per diẽ in colũna nubis &c.In igne terror eſt:in nu
be autem leue viſionis blandimentum. Dies vita
*Epheſ.5.* iuſti:nox verò vita peccatoris.Vnde illud Apoſtoli.
Fuiſtis aliquando tenebræ:nunc autem lux in do-
mino. In die ergo per nubẽ colũna monſtrata eſt:
& in nocte per ignem : quia omnipotens Deus &
blãdus iuſtis,& terribilis apparebit iniuſtis.hos ad
iudicium veniens per lenitatis manſuetudinẽ mul-
cet:illos autẽ per iuſticiæ diſtrictionem terret. Vel
aliter:colũna nubis in heremo præibat populũ in
die:& in ſplẽdore ignis non in die ſed in nocte irra
diabat:quia Chriſtus conuerſationis ſuæ exemplo
ducatũ ſequẽtibus præſtãs:de iuſticia ſua confiden
tibus nulla luce claret:peccatorum verò tenebras
agnoſcẽtibus, ignẽ ſui amoris infulſit. Et magiſter
*Pſal 77.* in glo.Pſal.77.illã columnã nubis,& ignis exponit
de Chriſto,dicens,Iſta colũna indicabat Chriſtum
futurũ.Sicut enim illa colũna nubis erat in vmbra
culũ contra æſtũ ſolis:ſic & chriſtus per ſuã incar-
nationẽ nobis refrigeriũ præſtat contra æſtũ vitio-
rũ.In nocte verò erit colũna ignis:quia toto tẽpo-
re vitæ præſentis obſcurè : in claritate ſui luminis
quã per illuminationem ignis, id eſt ſpiritusſancti
chriſtianos cuſtodit. Et ideo quia Deus pater ha-
bitat in Chriſto tanquã in ſuo throno:ipſe de Chri
*Eccli.24.* ſto ſub nomine columnæ nubis,dicit.Ego in altiſ-
ſimis habito:& thronus meus in colũna nubis. Et
Neemi. 9. dicitur Chriſto.In colũna nubis ductor
eorum fuiſti domine : & in columna ignis per no-
ctem,vt appareret eis via per quam ingrederentur.

## 1685 Cuſtodiebant teſtimonia eius , & præceptum quod dedit illis.

Hic ponitur ratio exauditionis orationis ipſo-
rũ.quaſi dicat.Dixi quia Chriſtus exaudiebat eos.
Et huius ratio eſt,quia ipſi vt verè obedientes cu-
*Teſtimonia quid ſint, & quid præcepta Gen.31.* ſtodiebant teſtimonia eius &c.Et nota quòd aliud
ſunt teſtimonia Dei:& aliud præcepta. Nam teſti-
moniũ dicitur pactũ factũ per aliqua ſigna teſtifi-
cantia ſignificatum.Sicut quando Laban & Iacob
fecerunt pactum adinuicem , de pace habenda in-
ter ſe & ſucceſſores ſuos:fecerunt aceruũ lapidum
in teſtimoniũ pacti præfati. Præcepta verò dicun-
tur abſolutè:ſicut præcepta per Moyſen data. Ha-
bebat ergo Deus pactũ cum patribus antiquis:ha-
bebat & præcepta.Præcepta primò dederat eis per
Moyſen:conſequenter autem pactũ fecit cum eis:
vt ſi ipſi cuſtodirent præcepta ſua : daret eis bona
*Leui.26.* temporalia temporibus ſuis:& multiplicaret eos,
ac ab hoſtibus defenſaret:vt patet Leu.26. Cuſto-
diebant ergo teſtimonia eius:ſcilicet pacta quæ cũ
Deo fecerant:& præceptum eius,ſcilicet legis præ-
cepta obſeruabant. Et ponitur præceptum hic in
ſingulari pro plurali.Vel ſecundũ Nicolaũ:teſtimo
nia hic dicuntur præcepta iudicialia & cæremo-
nialia:ſed præcepta ſimpliciter dicuntur præcepta
moralia.Per hoc enim vult oſtendere,quòd obſer-
tio mandatorũ Dei facit exaudiri orationes iuſto-
rum.Qualiter autem debemus præcepta Dei cuſto
dire , & qualiter obligamur. vide verſiculo 1339.
Qui enim præcepta Dei non cuſtodit:orando non *Orationẽ exaudiri facit præceptorum obſeruatio.*
meretur exaudiri.Vnde Greg.lib.16.mor. cap. 10.
ait:Rogant quippe Deũ : ſed exaudiri minimè me-
rentur, qui iubentis domini præcepta contẽnunt.
Vnde ſcriptum eſt. Qui declinat aurem ſuã ne au-
diat legẽ:oratio eius erit execrabilis. Prouerb. 28.

## Domine deus noſter tu exaudiebas eos:deus tu propicius fuiſti eis : & vlciſcẽs in omnes adinuẽtiones eorum. 1686

Hic ponitur præuaricationis patrum punitio.
Deus enim miſericors,& iuſtus , & ſemper miſeri-
cordiam ſeruat cum iuſticia:& iuſticiã cum miſeri-
cordia.Tamẽ apertius tũc dicitur miſericors, quã-
do beneficia confert,orationes exaudit,& nos cu-
ſtodit à malis. Tunc apertius dicitur iuſtus quãdo
peccata punit.antiqui autẽ patres ſi iuſti erãt:tamẽ
quia homines aliquando peccabãt. Et ſic Deus il-
lis dicebatur miſericors , præmiando eorũ merita,
& iuſtus, puniendo eorum peccata. Quantũ ergo
ad primũ dicit. *Domine deus tu exaudiebas eos:& propi-*
*cius fuiſti eis :* quia ex benignitate ſuæ miſericordiæ
exaudiebat iuſtas petitiones eorum. Et propicius
erat eis,ipſis peccata remittendo. Propicius enim
non dicitur Deus,niſi quãdo peccatis dat veniam.
vt hic ait glo. Et non ſic erat eis propicius per mi-
ſericordiã:ſed etiã per iuſticiã peccata cõmiſſa pu-
niẽdo.Et hoc eſt quod dicit. *Et vlciſcens in omnes ad-*
*inuentiones*,ſiue affectiones eorum. Deus enim tan- *Punitio peccati magnũ eſt beneficium.*
quam pius pater,& iuſtus,quos diligit , corrigit &
caſtigat:vt puta,peccauit Moyſes quando murmu-
rante populo pro aquæ penuria , ad præceptũ Dei
dubitauit aquã de petra educere poſſe:ſimiliter du
bitauit & Aaron. Iſta peccata Deus vlciſcebatur:
quia in pænam huius peccati, ambo ſcilicet Moy-
ſes & Aaron mortui ſunt in deſerto:& non introi-
erunt terrã promiſſionis,Vnde ſtatim poſt illud in-
fidelitatis vel incredulitatis peccatũ : ( vt ſcribitur
Nume.20.)dixit dominus ad Moyſen & Aarõ:quia *Num.20.*
non credidiſtis mihi , vt ſanctificaretis me coram
filiis Iſrael,non introducetis populos hos in terrã
quã dabo eis &c. Punire autem ſtatim peccata eſt
magnũ Dei beneficiũ.Nam vt dicitur.2.Mac.6.Et- *2.Mac.6.*
enim multo tẽpore non ſinere peccatoribus ex ſen
tentia agere : ſed ſtatim vltiones adhibere magni
beneficij eſt indiciũ &c.Vel ſecundum glo. prædi-
cti patres propter peccata ſua in hoc puniebantur:
quia Deus permittebat eos ab inimicis infeſtari:
quod ſine pæna non erat eorũ:quæ tamen pæna ad
eorũ vtilitatẽ erat.Vnde ait,*Et vlciſcens in omnes adin-*
*uentiones eorum.* ecce & ſi tanti erant iſti:aliquid ta-
men habebant peccati:& ſic Deus erat vlciſcens in
omnes adinuentiones eorũ:pro quibus pæna erat
eis pati eos cum quibus erant.Cotidie enim patie-
bantur populos contradicentes,& iniquè viuẽtes:
inter quos viuere cogebantur:pro quorum pecca-
tis quaſi pro ſuis,per charitatẽ dolebant.Et atten-
de quòd pæna à Deo illis pro peccato incredulita-
tis illata , ſcilicet quòd non intrarent terram pro-
miſſionis:fuit figura pænæ malorum. Vnde hic ait
August. Non enim ſicut putatur à pleriſque fuit *Auguſtinus.*
Moyſi pæna tantũ non intrare in terrã promiſſio-
nis:in quam etiã multæ miſeriæ intrauerũt.ſed fuit
etiam figura huius rei , ſcilicet quòd qui ſub lege



eſſent,

eſſent,quia & per eum,ſcilicet,per Moyſen lex data eſt : & qui ſub gratia eſſe nollent,non intrarent in requiem æternam. Quid autem ſint adinuentiones hominum:& quid adinuentiones Dei. vide verſi. 1269.& 1401.

1687 Exaltate dominũ deum noſtrum: & adorate in monte ſancto eius : quoniam ſanctus dominus deus noſter.

Hic ponitur concluſio adorationis Chriſti ex prædictis. Ex quibus ſequitur quòd ipſum exaltare debem⁹ & adorare. Iſte verſus exponitur vt ver. 1682.vſque ad illum locum,In monte ſancto eius. Per montem enim ſanctum literaliter intelligitur mons Sion : quia ibi iam erat locus diuini cultus inſtitutus. Ibi enim erat templũ & arca teſtamenti.Sed per iſtum montem ſanctum literalem,alium montem vult intelligere , ſcilicet , corpus Chriſti. Vnde hic idẽ eſt mons ſanctus , quod ſuperius ſcabellum pedum eius. Et ſic eſt ſenſus, *Adorate eum in monte ſancto eius* , id eſt , adorate eum in corpore aſſumpto,vel humanitate.Qualiter autem ſit adorandus in humanitate aſſumpta. vide ſuprà verſi. 1662. Vnde per iſtum montem ſanctum intelligit glo.Chriſti humanitatem,dicẽs , Adorate in monte ſancto eius, id eſt , in corpore. Hic eſt lapis paruus:qui ſicut ait Dan.exciſus de monte ſine manibus:creuit in montem magnum:& impleuit totam faciem terræ.præciſus, id eſt,natus de mõte,id eſt, de Iudæorum gente , quæ vnum deum colebat. & inde monti comparatur. præciſus inquam ſine manibus,id eſt, ſine opere hominum:quia de virgine ſine virili ſemine conceptus eſt. Quod enim Chriſtus mons dicatur,vide ver. 336.

## PSALMVS XCIX.

1688 IVbilate deo omnis terra:ſeruite domino in lætitia.

Titulus huius pſalmi eſt. Pſalmus in confeſſione.Ex iſto titulo apparet materia pſalmi : ſed non auctor.Materia enim pſalmi eſt, quòd iſte pſalmus fuit factus ad inducendum homines vt confiterentur domino. Tamen notandum quòd maximè in ſcriptura triplex reperitur confeſſio , ſcilicet , reorum damnatiua : gratiarum redditiua : & peccatorum purgatiua.vide verſi.81.Quia autem deus nõ quærit mortem peccatoris , ſed vt magis conuertatur & viuat:ideo hic pſal. non agit de confeſſione qua rei damnantur : ſed de alia duplici confeſſione,ſcilicet,gratiarum redditiua , & pænitentiali peccatorum purgatiua. Docet enim hic Pſalmiſta, & Deum laudando ſibi gratias agere , & nos accuſando peccata noſtra plangere. Primum docet , ne in bonis ſuperbiamus.Secundum docet,ne in malis deſperemus,Eſt ergo ſenſus tituli talis. Pſalmus in confeſſione,id eſt , iſte pſal, agit de duplici confeſſione, ſcilicet , laudis & criminis. Intentio Pſalmiſtę eſt perfectos inducere ad dei laudem:& peccatores ad criminis confeſſionem. Et ſecundum hoc Pſalm.iſte habet duas partes : quia primò agit de confeſſione laudis. quæ eſt gratiarum actio:ſecundò de cõfeſſione criminis, quæ eſt ſuiipſius accuſatio : ibi. Introite portas eius. Prima pars diuiditur in partes tres:quia ad confeſſionem laudis primò inducit omnes generaliter:ſecundò inducit Hebræos ſpecialiter:ibi, Introite in cõſpectu eius: tertiò inducit miniſtros eccleſiæ ſingulariter : ibi, Populis eius. Quantum ad primum omnibus loquens generaliter ait, Iubilate deo omnis terra , id eſt,omnes habitantes in tera. Quid autem ſit iubilare.vide ſuprà ver.766. Sed quia perfecta laus dei, vel exultatio de deo non ſolum ſtat in corde, vel in voce : ſed multo fortius in bona operatione : Ideo ſubdit. *Seruite domino in lætitia,* id eſt , ſecundum glo. Iubilate,deoque gratias agite:non coactè & neceſſitate:ſed charitate:qua liberati eſtis per Chriſtum. Et ideo ſeruite in lætitia non murmurantes, vt Iudæi in deſerto murmurauerunt. Hæc ſeruitus non eſt amaritudinis nec indignationis : ſed felicitatis & libertatis : quia ſeruire deo regnare eſt. Gratum eſt enim redemptis ſeruos eſſe dei. Seruum ergo te faciat charitas : quia liberum te fecit veritas.Vnde in euangelio. Si manſeritis in ſermone meo , verè diſcipuli mei eritis:& cognoſcetis veritatẽ,& veritas liberabit vos.Hic nota ꝙ ſeruitus eſt triplex,ſcilicet, ſeruitus infectionis vitioſæ quæ culpæ copulatur.Seruitus cõditionis tædioſę quę pęnę ſubiugatur.Seruitus perfectionis virtuoſę quę vitę regulatur.Primò eſt ſeruitus culpæ : qua quis , ſcilicet, vitiis & diabolo ſeruit : de qua anima de corpore conqueritur & econuerſo, dicens,Seruire me feciſti in peccatis tuis : præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.Diabolus enim alliciens hominem per vitia,promittit ſibi libertatem:ſed ad miſerabilem ipſum inducit ſeruitutem.quia vt ait Saluator. Omnis qui facit peccatũ,ſeruus eſt peccati.Quod exponens Auguſtinus ſuper Ioan.ait, O miſerabilis ſeruitus peccati.Seruus enim hominis aliquando ſui domini duris fatigatus imperiis , fugiendo requieſcit.Seruus autem peccati quò à peccato fugiat, nõ inuenit:quia peccatum ſecum trahit quocumque fugerit. Peccatum enim intus eſt: voluptas tranſit:peccatum non tranſit:periit quod delectat : remanſit quod pungat &c.Et Hieronymus Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. quinimmo tot dæmoniorum ſeruus eſt,quot vitiorum. Et vide differentiam ſeruitutis bonorum & malorum. Nam vt ait Auguſtinus. Bonus homo etiam ſi ſeruit, liber eſt : malus autem etiam ſi regnet , ſeruus eſt. nec vnius hominis , ſed quod grauius eſt , tot dæmoniorum quot vitiorum. Et hoc ſatis patere poteſt.Nam denominatio fieri debet à parte potiori. Cum ergo potior pars hominis ſit anima,& minor corpus, ſequitur quòd boni qui ſunt liberi ſecundum animum:etiam ſi corpore ſeruiant , liberi ſunt ſimpliciter:mali autem & ſi corpore regnent: tamen anima ſunt ſerui:ſimpliciter ſerui dicuntur. Vnde Rõ.7. dicitur , Carne ſeruio legi peccati:ſpiritu autem legi dei. Secundò eſt ſeruitus conditionis tædioſæ : qua , ſcilicet , quis alterius hominis corpore ſeruus eſt:ſicut filij Iſrael in Ægypto ſerui fuerunt.Exo.13. In manu forti eduxiſti nos de domo ſeruitutis. Hæc ſeruitus eſt patienter toleranda:quia prouenit ex peccatis , ſcilicet , quòd vnus homo alteri ſit ſeruus. Vnde Auguſtinus 19.de ciuita.dicit,Seruitutis nomen culpa meruit:non natura.Et ideo conſulit apoſtolus Petrus,dicens,Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis. Tertiò eſt ſeruitus perfectionis virtuoſæ:qua quis deo ſeruit,vel homini ob amorem dei:cuius ille homo vices gerit in terris : de quibus nobis Pſal. conſulit, dicens,Seruite domino in timore &c. Et Ioſue 24. Timete

*Seruitus multiplex. Ioan.8. Seruitus peccati. Eſa.43. Ioan.8. Auguſti. Hierony. Augu. 4. de ciui.dei. Rom.7. Seruitus corporalis. Exo.13. Auguſti. 1.Petri 2. Seruitus gratia. Pſal.2. Ioſue.24.*



Timete dominum:& ſeruite ei corde perfecto. Et aduerte quòd iſta ſeruitus multas conditiones debet habere. Quoniam debet eſſe cum caſtitate carnis,& munditia.Cum honeſtate moris, & decẽtia. Cum parcitate victus & abſtinentia. Cum humilitate mentis & reuerentia. Cum hilaritate cordis & lætitia. Primum patet:quoniam mundus dominus mundum ſeruum cupit habere.Luc.1.Seruiamus illi in ſanctitate & iuſticia coram ipſo omnibus diebus noſtris.Secũdum patet : quia dominus in ſeruo non ſolùm requirit criminis munditiam: ſed etiam decentiam morum : vt talis ſeruiens per compoſitos mores appareat homo , & non beſtia: & ſic ſit ſimilis Chriſto formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus : & habitu inuentus vt homo.Tertium patet : nam ſeruus nimis repletus, ad ſeruiendum redditur inhabilis. Et ideo ſerui dei vt ſint habiliores per parcitatem ſua corpora premunt. Vnde 1. Corin. 9. Caſtigo corpus meũ,& in ſeruitutem redigo.q.d.quia caſtigo corpus meum per abſtinentiam : ideo ipſum in ſeruitutem dei redigo per veram obedientiã. Quartum patet:ſeruus enim nomen eſt humilitatis : vt dicit glo. ad Rom. 1.Et ideo ne quis nomen ſerui falsè vſurpando occupet : humilitatem ſeruare debet in opere:exemplo Chriſti qui ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Vt ſic quilibet ſeruus dei humiliter dicat deo. Ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.Quintum patet : quoniam ſicut deus hilarem diligit datorem.2.Corin.9.qui,ſcilicet,hilariter ſua pro Deo donat : ſic multò fortius illũ qui hilariter ſuo ſe mãcipat ſeruitio.Ideo dicitur, Seruus autẽ tuus lætabitur. Ideo veri ſerui dei ſemper debent eſſe læti:& laudibus Dei occupati Eſa. 65. Serui mei laudabunt cum exultatione.Et Gen.47. Reſpiciat nos dominus noſter : & nos læti ſeruiemus regi. Et hoc eſt quod nũc nobis imperat Pſalmiſta,dicens,Seruite domino in lætitia. Talis , autem dei ſeruitus multum eſt affectanda : quia liberat à vitiis, & lætificat in præmiis. Probatur , quia qui debitè ſeruit deo:nõ ſeruit diabolo:qui autem non ſeruit diabolo , liber eſt ab omni vitio : ergo. Maior patet , Matth. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.gl.ſcilicet,contrariis.ſicut ſunt deus ac diabolus.Et minor patet,Ioan.8.Omnis qui facit peccatum , ſeruus eſt peccati. glo.quinimmo tot dęmoniorum quod vitiorum.Quia igitur contradictionem implicat , quòd quis ſimul deo ſeruiat & diabolo : ſequitur quòd dei ſeruitus liberat ab omni vitio. Vnde in figuram huius dicitur. 1. Reg.7.Præparate corda veſtra,& ſeruite illi ſoli , & liberabit vos de manu Philiſtiim.Philiſtiim nãque interpretatur ruina duplex:& ſignificat vitia , quæ dupliciter faciũt peccatorem ruere, ſcilicet , à gratia & gloria. Sic igitur dei ſeruitus liberat à vitiis: quod atteſtatur Auguſtinus , dicens. Vt ſeruiatur deo vtile eſt omnibus hominibus;quia ſeruiẽs deo animus rectè imperat corpori. Ipſa namque ratio domino deo ſubdita,recte imperat libidini,ceteriſque vitiis &c. Et ideo ſi vis dominari vitiis:dominum deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Quod imperans Pſalmiſta ait, *Seruite domino in lætitia.* Hic pone originale.1085.Iubilate &c.

*Luce 1. Philip.2. 1.Cor.9. Phil.2. Pſal.115. 2.Cor.9. Pſal.108. Eſa.65. Gen.47. Mat.6. Ioan.8. 1.Reg.7. Augu.19. de ci.Dei. Mat.4.*

1689 Introite in conſpectu eius : in exultatione.

Hic ſingulariter inducit Hebræorum populum ad deum laudãdum,& gratiarum actionem.& primò eos inducit ad gratiarum actionem : ſecũdò ad hoc aſſignat rationem,ibi.Scitote.Quantũ ad ſenſum literalem ſciendum quòd ſic erat templum ordinatum:quòd ante templum erat atrium ſacerdotum:in quo erat altare holocauſtorum : in quo ſecularibus nõ licebat paſſim intrare. Sed ante iſtud atrium erat atrium laicorum:à quo per portas certas,& feneſtras laici offerentes hoſtias ſuas poterãt videre ſacrificiorum ſuorum conſummationem, ſtando in portis vel feneſtris illis. Quod tamẽ gentilibus non permittebatur tam prope accedere , vt videre poſſent ſacrificiorum oblationẽ & conſummationem.Sic ergo hic loquitur pſal. populo Hebræorum:vt quando offerebant ſacrificia , venirẽt ad portas atrij ſacerdotum vnde conſpectum ſacrificiorum ſuorum videre poſſent:& exultãtes deum laudarẽt.Et hoc eſt quod ait, *Introite ſcilicet,vſque ad portas atrij ſacerdotum* : & ſic ſitis in conſpectu eius, ſcilicet,ſacrificij vel hoſtiæ veſtræ:quia quando videbant hoſtias quas obtulerãt offerri deo : exultabunt.Per hoc Pſalmiſta vult intelligere, quòd laudare dignè deum ad conſpectum ſuæ conſcientiæ prius debet accedere:& ibi ſeipſum diſcutere.Cõſcientia enim conſpectus dicitur. Conſpectus enim idẽ eſt quod ſimul aſpectus. Et ideo quia quilibet ſeipſum in ſua conſcientia aſpicere poteſt , & ibi ſuas virtutes , ſuaque vitia ſimul cernere : ideo conſciẽtia cõſpectus dicitur. Et ideo quia cõſcientiam noſtrã ſolus deus agnoſcere poteſt,& non aliquis homo : ipſa cõſpectus eius appellatur.De iſto cõſpectu cõſciẽtiæ Pſal.deo loquitur dicẽs , Dirige in cõſpectu tuo viã meã. Vbi glo.Dirige viã meam qua,ſcilicet,itur ad te:in cõſpectu tuo,id eſt,in cõſciẽtia:vbi nullus hominũ videt:ſed tu ſolus. Vnde homini laudanti , vel vituperanti non eſt credendum,quia non videt in cõſcientia:in qua ratio laudis conſiſtit,vel vituperij. Et nota quòd iſte cõſpectus cõſcientiæ debet ſemper deum meditari more Pſalmiſtæ qui dicebat , Prouidebã dominũ in conſpectu meo ſemper : quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Vbi glo.q.d.prouidebã dominum in cõſpectu meo ſemper,id eſt,in cõſciẽtia mea : quia in his qui trãſeũt nõ abſtuli oculũ mentis meæ ab eo qui ſemper eſt prouidẽs quomodo in eum poſt iſta tẽporalia trãſacta recurrerẽ.Et attẽde quòd ait, prouidebã dominũ in conſpectu meo ſemper. Hic trahe exẽplũ quo peccata vitẽtur.Qui enim dominũ ſemper acie mẽtis,id eſt, in cõſciẽtia intuentur: non peccatis inquinãtur.Ideo dñm attẽdo,quoniã à dextris eſt mihi,ne cõmouear.i.fauet mihi , vt in eo ſtabilis permaneã. Et ideo nihil ſiniſtri præualet mihi.Iſte conſpectus cõſciẽtiæ virtutibus ſemp debet abũdare.Exo. 23. Nõ apparebis in cõſpectu meo vacuus.ſ.bonis operibus ſecũdũ glo. ſcilicet, vt per omne tẽpus vitæ præſentis nos eſſe peregrinos agnoſcẽtes,nõ hic,ſed in futuro requiẽ inquiramus ſedulò curãtes,ne virtutibus vacui in cõſpectu domini appareamus.Ille enim in cõſpectu conſciẽtiæ deo vacuus non apparet : qui Dei mandata cuſtodit. Vnde Eccl.25.Non apparebis in conſpectu meo vacuus.hæc enim omnia propter mandatum dei fiũt. Iſte cõſpectus cõſciẽtiæ peccata propria cogitãdo,debet dolere.Pſal.37. Nõ eſt pax oſſibus meis à facie peccatorũ meorũ.Et infra. Quoniam ego in flagella paratus ſum : & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Iſte enim ſecũdum glo. pænitendo inde dolet quia deliquit : impius ſe defendit : iuſtus autem iraſcitur contra ſeipſum. Ex

*Cõſciẽtia cõſpectus domini. Pſal.5. Pſal.15. Exo.23. Eccl.25. Pſal.37.*

iſto conſpectu contritionis conſcientiæ, ſequitur conſpectus confeſſionis:quo,ſcilicet,in conſpectu ſacerdotis conſpectum ſuæ conſcientiæ aperit. *Pſal.18.* Pſal.18.Erunt vt complaceant eloquia oris mei:& meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Et ſi dicas:quomodo de conſpectu cóſcientiæ de peccato dolentis poteſt intelligi iſte textus,cũ dicatur, *Introite in conſpectu eius in exultatione.* & conſpectus conſcientiæ conſiderans peccata ſemper dolet?Reſpondeo, quòd dolor peccatorum in conſcientia eſt ipſi animæ magnæ conſolationis & lætitiæ:immò quantò maior eſt in cóſcientia dolor peccatorum,tantò amplior eſt conſolatio pænitentiũ, iuxta illud. *Pſal.93.* Pſal.93.Secũdum multitudinem dolorum meorum in corde meo cóſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

1690 Scitote quoniam dominus ipſe eſt deus:ipſe fecit nos,& non ipſi nos.

Hic aſſignat rationem laudis diuinæ. Quoniam inter omnia peccata, peccatum maximum dicitur ingratitudo. Si ergo ingrati domino deo nolumus eſſe, oportet ſibi beneficia ab eo recepta recópenſare. Ipſe enim dedit nobis eſſe naturæ: eſſe gratiæ & cóſeruat.Sed quid domino pro his omnibus retribuere poſſumus?ſed de noſtro nihil:quia omnia ſua ſunt.Saltẽ ergo volũtate recognoſce beneficia, & ipſum lauda,ipſum adora.Et iſtá rationẽ aſſignat pſal.dicens, *Scitote quoniam dominus ipſe eſt deus &c.* Et aduerte quòd hic loquitur de Chriſto domino:nos inducens ad ipſum exaltandum & adorãdum.Vnde hic ait glo. Quis neſciat quia dominus ſit deus? Sed loquitur hic contra Iudæos de Chriſto crucifixo.q.d.Non vileſcat vobis quem crucifixiſtis, & flagellaſtis: quia ipſe eſt dominus noſter:ipſe deus noſter.Et hoc eſt quod dicebat *Pſal.94.* Pſal.94. Venite adoremus,& procidamus ante dominum:quia ipſe eſt dominus deus noſter. Qualiter autem Chriſtus propriè dicatur dominus deus noſter. vide verſi. 1633.Quod autem ſit dominus Ieſus Chriſtus dominus deus noſter,probat:quia ipſe fecit nos:& nõ ipſi nos. *Homo habet duplex eſſe,ſcilicet,naturale & morale.* Vbi notandum quòd homo habet duplex eſſe,ſcilicet,naturale,& morale. Eſſe naturale conſtat ex anima & corpore. Eſſe autẽ morale ex gratia & bonis moribus. Quantum ad eſſe naturale deus partem principalem hominis fecit ſe ſolo,ſcilicet, animam:quæ per creationẽ de nihilo producitur:ad quam nulla virtus creata, & finita pertingere poteſt:cũ diſtantia infinita ſit inter aliquid & nihil.Et ideo dicit Philoſophus 16.de animalibus: *Ariſtotel. Homo factus eſt a deo quo ad eſſe naturæ & gratiæ. Philoſoph.* quòd intellectus humanus datur de foris. Corpus autem hominis Deus facit: quia omnia per ipſum facta ſunt. Sed non ſe ſolo: ſed mediantibus cauſis ſecundis:quia ad generationem hominis non ſolum concurrit virtus dei infinita: ſed etiam finita virtus & creata:quia vt dicitur 2.Phil.ſol & homo generant hominem. De iſta autem factione hominis quo ad eſſe naturale,vide ſuprà verſi.1633.Homo verò quantum ad eſſe morale conſtat ex gratia & bonis moribus: quia ſicut ille ſolùm veraciter dicitur homo, qui vtitur debitè ratione,per quam diſtinguitur à brutis animalibus.de hoc vide verſi. 558.& 589. Et quantum ad hoc eſſe hominis: ipſe deus fecit nos:quia omnis gratia,virtus,omne bonum morale ab ipſo principaliter habemus. *Iaco.1.* Iac.1. Omne datum optimum & omne donum perfectũ deſurſũ eſt &c.Et de iſto eſſe hominis morali principaliter hic textus intelligitur. Vnde hic ait glo. *Ipſe fecit nos:& non ipſi nos,* id eſt,eſſe noſtrũ bonum ex ipſo eſt:non ex nobis.Ex ipſo eſt,vnde coronamur: ex nobis eſt:vnde damnamur.Hoc ergo ait de operibus gratiæ.Omnis autẽ iſta factio hominis,competit domino Ieſu Chriſto: quia ipſe eſt verbũ dei ratione ſuppoſiti. Et per verbum dei omnia facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. *Ioan.1.* Sed forte di. *Quæſtio. Dominari an poſſit licitè vnus alteri.* Poteſt ne licitè Chriſtus dici dominus? quia ſi ſic, cum eius actio noſtra ſit inſtructio: chriſtiani potuerunt licitè vocari domini: & vnus dominari alteri.Sed hoc non videtur licitum, ſcilicet, quòd vnus Chriſtianus alteri dominetur: nec vn⁹ homo alteri.Quod ꝓbatur multipliciter.Primò,quia natura omnes homines ſunt ęquales:ergo cótra naturam eſt,quòd vnus dominetur & alter ſubiiciatur. Secundò quia vſurpans ſibi poteſtatem non ſibi à deo traditã,peccat.Deus autẽ homine creato quãuis ſibi dederit dominiũ ſupra piſces maris,& beſtias terræ:non tamẽ ſupra homines. Vnde Gen. 1. *Gen.1.* dixit deus primis parẽtibus.Subiicite terrã, & dominamini piſcibus maris & volucrib⁹ cæli:& vniuerſis animãtibus quæ mouẽtur in terra. Ecce determinat quibus volebat hominẽ dominari. Tertiò quia mulier dominari non debet ſupra virum: ergo nec vir ſupra mulierẽ.Antecedens patet.Gen. *Gen.3.* 3.Dixit deus mulieri, ſub viri poteſtate eris:& ipſe dominabitur tui.Et patet cóſequẽtia:quia æqualis códitionis debet eſſe mulier viro. In cuius ſignum mulier creata eſt de latere viri:non de capite,ne viro dominetur: non de pedibus ne viro ſubiecta videatur:ſed de latere, vt æqualis conditionis cũ viro eſſe demonſtretur:vt ait magiſter lib. 2. diſt. 19. Tum etiam quia ſi dicatur quòd peccatũ fuit cauſa ſubiectionis,plus peccauit vir quam mulier. Ad oppoſitum præcipit ſcriptura.1.Pe. 2.dicens, *1.Pet.2.* Serui ſubditi eſtote dominis veſtris: non tãtum bonis & modeſtis:ſed etiam diſcolis &c. Reſpõdeo ponendo tres propoſitiones. Prima, quòd dominatio & pręlatio eſt in cęlo inter bonos angelos.patet,quia ibi ſunt ordines diſtincti:inter quos eſt vnus ordo qui dicitur dominationes.Secũda, quòd dominatio & prælatio eſt in mũdo inter homines, probatur.Luc.22.Reges gentium dominantur eorũ &c. *Luca 22.* etiam quia in mundo ſunt fatui & ſapiẽtes:ſapientes autem fatuis dominantur. Intellectu autem vigentes ſecũdum morales Phil.aliorum ſunt domini & rectores.Vnde Prouer.17.Seruus ſapiens dominabitur filio ſtulto. *Prouer.17.* Tertia, quòd in inferno eſt dominatio & prælatio inter dæmones: patet,quia vnus alteri ibidem principatur. Lucæ 11.In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit &c. *Lucæ 11.* Nec contrariatur quòd ſcribitur Iob 10. quòd in inferno nullus eſt ordo: *Iob.10.* quia intelligitur nõ de ſupplicijs quę ibi ſunt ordinatiſſima: ſed de mẽtibus dannatorum:quę præ acerbitate tormentorum nullo reguntur ordine:vt dicit Greg.lib. 9. moraliũ ca.47. Iſtæ propoſitiones ſunt de mente Grego. dicentis, *Greg.li.4. moral.c.31.* Ex rebus inſenſibilibus diſcimus quid de ſenſibilibus atque intelligibilibus ſentiamus. Terra nanque aëre fæcundatur: aër autem ex cæli qualitate diſponitur: ſic iumentis homines, hominibus angeli, archangeli verò angelis præſunt. Nam quod iumentis homines præſunt: & vſu cernimus, & Pſalmiſtę verbis docemur,qui ait,Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius &c. *Pſal.8.* quod verò angeli hominibus præſint per prophetam teſtatur Dominus, dicens, Princeps regni Perſarum reſtitit mihi. *Dan.10.* quòd verò angeli à ſuperiorum angelorum poteſtatibus



diſponantur, oſtendit Zacharias, qui ait,Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur in occurſum eius: & dixit ad eum. curre & loquere ad puerum iſtum,&c. *Prælatio & dominium inter homines [illegible] vitio processit.* Si enim in ipſis officiis ſanctorum ſpirituum nequaquàm poteſtates ſummæ minora diſponerent:nullo modo hoc quod homini diceret angelus, ab alio angelo cognouiſſet. quòd igitur cunctorũ conditor omnia per ſemetipſum tenet: & tamen ad diſtinguendum pulchre vniuerſitatis ordinem,alia aliis diſpenſantibus regit:nõ immeritò reges angelorum ſpiritus accipimus &c.Sed pro ſolutione argumentorum,ad oppoſitum, notandum quòd prælatio & dominium inter homines acceſſit, non natura, ſed ex vitio. *Greg.lib.21. moral.c.11.* Quod oſtendens Greg.ait.Omnes homines natura genuit æquales:ſed acceſſit diſpenſatio ordinis, vt quibuſdã prælati videamur. Si igitur hoc à mẽte deprimimus,quod temporaliter acceſſit: inuenimus citius quod natutaliter vnum ſumus. Plerumq; enim animo ſe accepta poteſtas obiicit:eũque tumidis cogitationibus allidit.Manu ergo humiliſſimæ conſiderationis deprimendus eſt tumor elationis. Si enim apud ſemetipſam mens deſcendit de vertice culminis: citius planitiẽ inuenit naturalis æqualitatis.Nam vt præfati ſumus, omnes homines natura æquales genuit: ſed variante meritorum ordine alios diſpenſatio occulta poſtponit.Ipſa autem diuerſitas quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudiciis ordinata:vt quia omnis homo iter vitæ non recte graditur:alter ab altero regatur.Ex hoc patet quid dicendum ad argumenta quæ procedũt de natura integra:non de corrupta.

1691 Populus eius & oues paſcuæ eius, introite portas eius in cõfeſsione:atria eius in hymnis confitemini illi.

Hic ad laudem Chriſti ſingulariter inducuntur miniſtri eccleſiæ:qui ſingulari modo dicti ſunt populus dei & oues paſcuæ.Dicebantur enim populus dei,quia ſingulariter ad eius miniſteriũ electi. Dicebantur oues paſcuæ: quia iſti paſcebantur & viuebant de oblationibus & decimis quæ deo offerebãtur. Vel hoc etiam poteſt intelligi vniuerſaliter de omnibus hominibus: quia deus ſingulari cura regit & gubernat homines.vide ver.1638.Sequitur, *Introite portas eius in confeſſione.* Hæc eſt ſecũda pars principalis,in qua ſecundũ gl.agit de confeſſione criminis.q.d.monui intrare in conſpectu eius.nec dubites ſi peccator es, quia miſericordia dei eſt. Ergo introite confidenter, non foris ſtetis vbi ſunt hoſtes. Dicit ergo. Intrate portas eius in *Confeſſio eſt principium ſalutis.* confeſſione. Et aduerte quòd per portas intelligit confeſſionem: quia ſicut in porta eſt initium domus,ſic confeſſio eſt principium ſalutis.Et iſta cõfeſſio criminis etiam continet cõfeſſionem laudis: quia & noſtra accuſatio ad laudem pertinet ignoſcentis.Et ideo poſt confeſſionem ſtatim adiungit & laudem,dicens, *Atria eius in hymnis cõfitemini illi.* Et ad iſtum intellectum hunc paſſum ſic exponit gloſ.dicens, *Introite portas eius in confeſſione.* In portis initium eſt & confeſſio peccatorũ:de qua hic agitur eſt à qua incipimus ad miſericordiam intrare. Et ſic eſt ſenſus. Intrate portas eius, ſcilicet miſericordiæ,in confeſſione,id eſt,à confeſſione incipite ad miſericordiam dei intrare:non à vobis facti: laudate eum à quo facti eſtis,vos accuſando: quia & veſtra accuſatio ad laudem ſpectat ignoſcentis. Et cum intraueritis in atria eius,id eſt,in amplitudine cæleſtis beatitudinis:gratiæ plenitudine percepta cõfitemini illi in hymnis, id eſt,in laudibus. quaſi di.Cum intratis, vos per cõfeſſionem accuſate:cum autẽ intraueritis,ipſum laudate.Sed quia hic agitur de confeſſione criminis:notandũ quòd confeſſio fieri debet de propriis peccatis, non de alienis:quia ſeipſum accuſare debet,& non alium. *Confeſſio debet fieri de peccatis propriis non de alienis.* Sicut & vulneratus curari deſiderans ſua vulnera oſtendit medico:& non aliena. *Pſal.31.* Sic enim Pſalmiſta confiteri docet,dicens, Dixi confitebor aduerſum me iniuſticiam meam domino. Vbi docet confitẽtẽ ſe accuſare non excuſare, dicens,Cõfitebor aduerſum me.docet aliena peccata tacere, & ſolum propria confiteri,dicens, Iuſticiam meam,ſcilicet non alienam. Contra hoc multi facientes in confeſſione ſeipſos excuſando,peccata profitẽtur aliena:& tales venia non ſunt digni.Sic fecit Adã, qui de peccato ſuo requiſitus à domino:ſeipſum excuſans,peccatum vxoris protulit,dicens,Mulier quã dediſti mihi ſociam:dedit mihi & comedi. Similiter & mulier peccatum dæmonis confeſſa fuit,dicens.Serpens decepit me,& comedi. *Gen.3.* Non ſic fecit magiſter pincernarum Pharaonis,qui peccatũ ſuũ confeſſus eſt:& non alienũ,dicens.Confiteor peccatum meum. *Gen.40. Ioſue 7.* Et in figura huius dicitur Ioſue 7. Dixit Ioſue ad Acham: qui fuerat furatus pallium coccineum ducentos ſiclos argenti, & virgam auream.Fili da gloriã deo,& confitere,& indica mihi quid feceris. Ad cuius euidentiam ſciẽdum quòd Achã,qui interpretatur peruertens:ſignificat peccatorem qui peccando peruertit ordinem diuinæ iuſticiæ,dum peccando ſeipſum Deo præponit:& dilectionẽ creaturæ dilectioni creatoris. Vnde de peccatoribus ſub nomine peruerſorũ dicitur, Generatio praua,& peruerſa eſt, & infideles filij. *Deut.32.* Hic igitur talis peccator furatur pallium coccineum &c. Color enim coccineus, qui eſt color rubeus, ſignificat charitatem:vt ait gl.Exod.25. *Exod.25.* Quæ ſcilicet charitas ad modum pallij omnia turpia & peccata operit. Prouerb.10. Vniuerſa delicta operit charitas. *Prouerb.10.* Argentum autem quod eſt album, & ſonorum: ſignificat eloquentiam honeſtam & diuinorum:iuxta illud Pſal.11.Eloquia domini argentum igne examinatum &c. *Pſal.11.* Virga autem aurea, ſignificat pietatis opera:quibus quis ſubuenit indigentibus: vt expreſſè figuratur in virga Aſſueri, quam extendebat in ſignum clementiæ. Heſter 4. *Heſter 4.* Hæc autem tria ſic ſe habent:quòd charitas ſtat in mẽte:eloquium in ore:ſed pietas in opere. Acham ergo,id eſt, peccator furatur pallium coccineum: dum peccat corde. Furatur argentum,dum peccat ore.Furatur virgam auream,dũ peccat opere.Cuilibet ergo tali loquitur Ioſue, qui ſaluator interpretatur,id eſt,Ieſus Chriſtus,dicens,Fili da gloriã Deo,& confitere. Et modum confeſſionis ſubdit, dicẽs. Et indica mihi quid feceris.q.d.indica peccata quæ feciſti:& non aliena.Sed dices, Nunquid aliquando licet aliena peccata in confeſſione dicere? *Quæſtio. Nõ quomodo aliquis poteſt confiteri peccatũ alterius in cõfeſſione.* Dico quòd ſic:nõ ad ſui excuſationem, ſed magis ad accuſationem, & ſui peccati declarationem. Aliquando enim tale eſt peccatum quod declarari nõ poteſt,niſi narrato peccato alterius.Verbi gratia:quis cognouit matrem ipſa volente: talis enim non poteſt declarare peccatum ſuum,niſi dicat & peccatum matris. Qui autem aliena peccata vult exprimere ad ſui excuſationem:talis ſuum peccatũ in Deum videtur impingere:quod omnino iniuſtũ eſt.

Pſal.31. eſt. Quod expreſſe oſtendit glo. ſuper illud Pſal. 31. A Dixi confitebor aduerſum me, &c. dicens, Multi enim confitentur iniquitatem ſuam: ſed aduerſus Deum, &c. vide ſupra verſi. 471. Dicāt ergo illi potius: domine miſerere mei: ſana animam, quia peccaui tibi. Ita clamat æger ad medicum: dicēs, Cum libero arbitrio me creauit Deus. Ideoq; ſi peccaui: per meipſum peccaui, nō fatū, nō fortuna, nō diabolus me peccare coegit: ſed ego volūtarie perſuadēti cōſenſi. Et ſic propriū peccatū confiteatur: nō excuſet. Vnde præcipitur Num. 5. Vir ſiue mulier cū fecerint ex omnibus peccatis que ſolēt accidere hominibus, &c. confitebuntur peccatum ſuum, ſcilicet, non alienum. (Nume.5.)

## 1692 Laudate nomē eius, quoniam ſuauis eſt Dominus: in æternum miſericordia eius: & vſque in generatione & generationem veritas eius.

Hic hortatur ad dictam confeſſionem criminis faciendam: oſtendens quod omnibus libere parcit. Et hoc eſt quod dicit, *Laudate nomen eius*. Laudat peccator nomen domini, quando ſeipſum confitendo accuſat: quia vt dictum eſt, confeſſio criminis eſt ad laudem Dei miſericorditer indulgentis. Non enim eſt Deus ita peccatori iratus, quin per cōfeſſionem ſtatim dulceſcat. Vnde ſubditur. *Quoniam ſuauis eſt dominus*. vt ſtatim miſereatur. Vnde in æternum miſericordia eius. quia hic à culpa liberat: & in futuro coronat. Et quia fideliter omnibus adimplet promiſſa: ideo ſubditur, *Et vſque in generatione & generationē veritas eius*. Generatio enim eſt duplex, ſcilicet, in præſenti, quæ parit mortales: & altera cæleſtis, quæ parit æternos. Et in vtraque eſt veritas eius complens promiſſa. Sed hic eſt vnū dubium. Cum quis volens alicuius nomen honorare, & laudabile ac famoſum reddere, ipſum conatur multis imponere: ſic enim pater filio imponit nomē ſui patris, & huiuſmodi. Cum ergo tota ſcriptura nos prouocet ad laudem & honorem nominis Ieſu Chriſti: vt hic, *Laudate nomen eius*. Quare ergo nomē Ieſu Chriſti in baptiſmo aliquibus nō imponitur: cum tamen nomen matris eius, ſcilicet Maria multis imponatur mulieribus? Ad hoc reſpondetur: quòd ideo nomen Chriſti Ieſu nulli in nouo teſtamento imponitur: ne hoc nomē ab aliquo ſic nominato per peccatum aliquod deturpetur, vel vilipendatur. Nomē verò matris poteſt imponi: quia ſi aliqua mulier vocata Maria peccet, non Mariam matrē domini refertur vilipenſio nominis: ſed ad alias mulieres hoc nomine vocatas: quæ ipſum nomen deturpauerunt. A tribus enim mulieribus iſtud nomē Maria mirabiliter fuit vituperatū. Primò à Maria ſorore Moyſi quæ ipſum deturpauit per ſuperbiam & murmurationem. Secundò à Maria matre Ioānis & Iacobi, quæ ipſum deturpauit per auaritiam & cupiditatem, Chriſto dicens, Dic vt ſedeant hi duo filij mei &c. Tertiò à Maria ſorore Lazari, quæ ipſum deturpauit per luxuriam & carnalem delectationem. Lucæ 7. Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix &c,

*Ieſu Chriſti nomen quare nulli imponitur.*

*Mariæ nomē ab aliquibus fuit deturpatum.*

*Nume.12.* *Matth.20.* *Luc.7.*

## PSALM. C.

## 1693 Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine.

A Titulus huius pſalmi eſt, Pſalmus ipſi Dauid. Ex titulo apparet auctor pſalmi, ſcilicet, Dauid: ſed non apparet materia. Quantum ergo ad materiam pſal. ſciendum, quòd ſecūdum literam Dauid quādo poſt multas perſecutiones vidit ſe à deo liberatum, & ad regnum aſſumptum atque ſtabilitum: vt dicitur. 2. Reg. 5. Cognouit ergo Dauid quòd Deus confirmaſſet eum regē ſuper Iſrael. tunc Dauid firmiter in corde ſuo deliberauit vti bene poteſtate regia. Et quia duæ ſunt præcipuæ virtutes regræ, ſcilicet, miſericordia & iuſticia: vt dicit Iſidor. 9. Ethic. Ideo firmiter propoſuit iſtas duas habere virtutes: vt ſcilicet bonis eſſet pius & miſericors: malis autem iuſtus. Et de iſtis promiſſionem fecit deo iſta ſe obſeruaturum. Et tunc iſta promit- B tendo: fecit hunc pſal. dicens, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine*. Deo enim modulantius cātamus operibus bonis quàm vocibus. Per iſta autē voluit Dauid duplicem Chriſti aduētum demonſtrare futurum, ſcilicet, aduentum in carnem qui fuit miſericordiæ: & aduentum ad iudiciū qui erit iuſticiæ. Primus inducit nos ad ſpem veniæ vt lapſi ſurgant à culpa. Secundus nos ducit ad timorē diuinæ iuſticiæ, ne cadant in gratia ſtantes. Iſta enim duo ſunt cauſa proſecutionis omnis boni: & vitationis omnis mali. Et hoc eſt quod hic ait glo. Hic pſalmus eſt cēteſimus. & ideo ſicut centeſimus eſt perfectus numerus: ſic iſte pſalmus cōtinet, & docet normam perfectæ ſanctitatis. Hic enim docemur bonum appetere per miſericordiam: mala fu- C gere per iuſticiam: in quibus conſiſtit perfecta cōuerſatio vitæ. Et quia omne bonum noſtrum procedit à Chriſto: ideo iſte pſalmus qui perfectū docet eſſe hominē, Chriſto attribuitur. Eſt ergo ſenſus tituli talis. Pſalmus ipſi Dauid, id eſt, iſte pſalmus attribuitur ipſi Chriſto: vt hoc totum quod hic docemur virtutibus Chriſti applicetur. Sic ergo agit pſalmus iſte de miſericordia, & de iudicio dei: ſub miſericordia & iudicio ipſius Dauid. Quātum ad literam iſte pſalmus habet tres partes: quia primò oſtenditur qualiter Dauid deuotè ſe habuit circa deum: ſecūdò qualiter mundè erga ſeipſum: ibi, Perambulabā. tertiò qualiter iuſtè quo ad ſubditum ſibi populum: ibi, Non proponebam. Prima in duas: quia primò oſtēdit deuotionis materiam: D ſecūdò deuotionis formam: quæ ſcilicet eſt diſcretio operationis: ibi. Pſallam. Inſimul tractabo literam cum ſenſu prophetico. Quantum ergo ad ſenſum literæ oſtendit deuotionis ſuæ materiam erga Deum, dicens, *Miſericordiam & iudicium &c.* Materia enim noſtræ deuotionis eſt: vt recognoſcamus Deum miſericordem & iuſtum: miſericordem bona conferendo: iuſtum mala puniendo. Dicat ergo miſericordiam & iudicium &c. quaſi dicat, *Cantabo tibi*, id eſt, laudibus extollam miſericordiam tuā & iudicium tuum. Miſericordiam, quia me gratioſè à multis liberaſti periculis: & gratioſè ad regnū promouiſti: & in illo me cōfirmaſti. Iudicium, qui Saulem & domum eius propter ipſorum demerita abiecisti. Et per iſta verba vult Dauid oſtendere, E quòd omne noſtrum bonum, & proſperitas eſt ex dei miſericordia: omne autem malū pænæ vel aduerſitatis eſt ex dei iuſticia: quia mala nobis immittit iuſtè propter peccata: bona nobis miſericorditer tribuit præter merita noſtra. vide ſupra verſi. 1587. Per iſta enim verba ſtātes terret per iuſticiā ne cadant: iacentes verò per miſericordiam hortatur vt ſurgant. Vnde hic dicit gl. Nemo de Dei miſericordia

*2.Reg.5.*

*Iſidorus.*

*Miſericordia & iudicium à peccatis nos præſeruant.*



præſumat impunitatem: quia eſt ei iudi- A cium: & nemo mutatus in melius iudiciū timeat, quia præcedit miſericordia. Hæc enim ſemper ſimul in eo ſunt. Deus enim nec in bonitate miſericordiæ perdit iudicij ſeueritatem: nec in iudicādo cum ſeueritate amittit miſericordiæ bonitatē. Sed & per tempora hæc duo diſtinguuntur ſecundum effectus. Miſericordia enim nūc omnibus offertur, & multipliciter exhibetur: iudicium autem in futuro. Hic enim eſt tempus miſericordiæ: cum Dei patientia peccantes ad pænitētiam adducit: & bonis & malis temporalia bona præſtat. In futuro autem tempus iudicij: cùm vnicuiq; ſecundum merita reddet. Hæc duo mutua ſocietate ſibi iunguntur. In his duobus breuiter includit omnia opera B Dei. Tamen nota quòd iſta duo, ſcilicet, miſericordia Dei, & iudicium à nobis ſecundum ſtatus diuerſitatem diuerſimodè conſideranda ſunt. quia exiſtentes in gratia iuſticiam conſiderare debent: & non miſericordiam qua faciliter parcit. Exiſtentes verò in peccato conſiderare debent: non iuſticiam ne deſperent: ſed miſericordiam qua redeuntes liberaliter recipit. Et hoc eſt quod dicit Greg. Pius quippe ac iuſtus eſt conditor noſter &c. vide verſi. 369.

*...g.33.mo- ...ral.*

## 1694 Pſallam & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.

Hic oſtendit ſuæ deuotionis formam. Vbi notādum quòd quamuis dona gratuita Dei etiā ma- C lis dentur: inter quæ eſt donū prophetiæ: quia mali etiam aliquando prophetizant: ſicut fecit Caiphas prænuncians vtilitatē mortis Chriſti, dicens, Expedit vt vnus homo moriatur pro populo &c. Tamen in hoc eſt differentia inter bonos & malos ſpiritum prophetiæ habētes: quia boni intelligūt quod prædicunt: mali autem non intelligūt quod prophetizant. ſicut Caiphas nō intellexit quæ ſpiritusſanctus per eum loquebatur: ſed boni intelligunt intellectum ſpiritus in his quæ proferunt. Et hoc eſt quod hic ait pſal. *Pſallam*, id eſt, cum hilaritate bene operabor. Et ſic exiſtens in via immaculata, ſcilicet, viuens ſine peccato intelligā quando venies ad me, ſcilicet per ſpiritum propheticum mihi reuelando ſecreta tua. Et notandū quòd pro- D phetæ quamuis ſint boni, & in ſtatu gratię: nō tamē ſemper adeſt eis ſpiritus propheticus: ſed quādoq; ab eis recedit: quandoque ad eos venit: ſicut oſtendit Greg. ſuper Ezechielem homil. 1. de Nathan propheta, dicēs, Nathan etenim prophetam ſanctum virum fuiſſe quis neſciat: qui Dauid regē, & de culpa apertè reprehendit: & quæ ei pro culpa eadem eſſent ventura nunciauit. Quem tamē dū idem dauid, quia templum deo vellet conſtruere, requiſiſſet, illico reſpondit, Omne quod eſt in corde tuo vade & fac: quia dominus tecū eſt. De quo illic ſtatim ſubditur. Factum eſt autem in nocte illa: & ecce ſermo domini ad Nathan, dicens, Vade & loquere ad ſeruum meum Dauid. Hæc dicit dominus Deus. Non tu ædificabis mihi domum ad E habitandum: ſed cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis: ſuſcitabo ſemen tuū poſt te, quod egredietur de vtero tuo: & firmabo regnum eius: ipſe ædificabit mihi domū. Ecce Nathan propheta qui prius dixerat regi, vade & fac: ipſe poſt modum per prophetiæ ſpiritum hoc fieri non poſſe denuncians filium regis hoc facturum prædixit. Quia quod de ſuo ſpiritu dixerat, falſum

*Ioan.11.*

*...helis nō ...r adeſt ...us pro- ...phe.*

*Greg. ſuper Ezech.*

*1.Paral.7.*

A fuiſſe deprehendit per ſpiritum prophetiæ, qui ad eum venit &c. Ex quibus patet quòd quando Nathan primò dixit regi: omne quod eſt in corde tuo vade & fac &c. quòd tunc ſpiritum prophetiæ nō habebat: qui ſequenti nocte venit. Et hoc eſt quod hic Dauid ait: dum ero in via immaculata, id eſt, in ſtatu gratiæ, intelligam quando venies ad me, ſcilicet, per ſpiritum propheticum. Vel hoc poteſt intelligi de aduētu Chriſti in carnem vel ad iudiciū. In carnem enim venit ſine peccato: vixit ſine peccato: tranſiuit ex vita iſta ſine peccato. Et hoc eſt quod ait, *Pſallam*: & ſic intelligam quando venies ad me, ſcilicet carnem aſſumendo immaculatā. Vel per viam immaculatam qua venit ad nos, intelli- B gitur: virgo Maria. Si autem de aduentu ad iudiciū intelligitur: ſciendum quòd tunc ſancti videbunt Chriſti diuinitatem per quam omnia cognoſcent in verbo: non autem mali. Et ſic eſt ſenſus. *Pſallam*, id eſt, cum hilaritate bona operabor: & ſic exiſtens in via immaculata, quando venies ad me iudicandum intelligam, id eſt, omnia intelligam: quia videbo verbum in quo omnia relucent. Quid enim eſt quod non intelligit qui videntem omnia videt? quaſi nihil. vt ait Greg. lib. 2. moral. c. 3. Hic appone origi. 1086. & applica.

*Aduētus Chriſti duplex, ſcilicet, in carnē & ad iudiciū.*

## Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. 1695

Hic oſtendit pſal. qualiter mundè ſe habuit ad ſeipſum. Cùm enim vita regis ſit quoddam ſpecu- C lum, & quædam regula ſubditorum, quæ imitāda proponitur: ſi vita regis fuerit munda, faciliter ad munditiam trahit ſubditos: ſimiliter ſi maculata, faciliter eius exemplo maculantur & ſubditi. Et hinc eſt quòd reges & prælati peccantes, non ſolùm pro peccatis ſuis merentur puniri, ſed etiā pro peccatis ſubditorum, quæ illis imputantur. Vnde dicitur. 11. q. 3. præcipuè. Vnde vt ait beatus Greg. Scire etenim prælati debent, quòd ſi peruerſa vnquàm perpetrant, tot mortibus ſunt digni, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt. Vnde neceſſe eſt, vt tanto cautius ſe à culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt, non ſoli moriūtur. Et ideo Dauid vidēs ſe regem, & aliorum dominū, ſtuduit mūdam vitam ducere. Et hoc eſt quod ait, D *Perambulabam in innocentia cordis mei*, id eſt, in puritate conſcientiæ meæ: *In medio domus meæ*, ſcilicet, cordis. q.d. multo plus innocentiam extra ſeruaui. Quia magni homines principes & reges magis ſunt ſolliciti ſeruare honeſtatem inter extraneos, quàm inter domeſticos: & plus ſollicitantur de exteriori honeſtate quàm de interiori. Sed fortè dices, Quomodo Dauid ſe dicit perambulaſſe in innocentia: cum tamen ſcienter, & ex malitia multa enormia peccata commiſerit? vt dictum fuit verſic. 54. Innocentia autem omne peccatum excludit. Quod patet. Innocens componitur ex in, quod eſt nō: & noceo, es. Omne autem peccatum nocet. Et ſic nullus peccator innocens dici poteſt. Dicendū quòd duplex eſt innocentia, ſcilicet, quædam con- E creata: vt eſt innocētia angelorum beatorum, quæ nunquàm peccatum admittit. Et ſic Adā ante peccatum fuit innocens. Alia eſt innocētia recuperata, ſcilicet quādo peccator à peccato purgatur per ſacramentum baptiſmi & pænitentiæ. Primam innocentiam nunquàm habuit Dauid, ſed ſecūdam: quia per pænitentiam abſolutus fuit à peccato. vt pſal. 50. Et quòd generaliter loquēdo de prima innocentia

*Greg.*

*Quæſtio. Innocētia multiplex.*

*Innocens propriè ſolus Chriſtus dicitur.*

nocentia vel ſecũda,nullus plenè innocẽs dici poteſt præter Chriſtum.Quoniã vt dictum eſt,innocens idem eſt quòd non nocens. Et in hoc differt Chriſtus ab aliis ſanctis : quia alij faciendo mirabilia ſua, vel orationes ſuas aliquibus nocebant.Chriſtus nulli vnquam nocuit:ſed omnibus profuit.Act.4.Qui tranſiuit benefaciẽdo, & ſanãdo omnes oppreſſos à diabolo : quoniã Deus erat cum illo.Alij autem ſancti à Chriſto,etiam multotiens alios offendebant,ſaltem corporaliter in ſuis portẽtis & mirabilibus:vt patet de Moyſe. Ad cuius orationem aperta eſt terra & deglutiuit Dathã & Abirõ.Num.16. De Helia ad cuius preces ignis deſcendit de cælo : & cõſumpſit duos quinquagenarios cum cẽtum viris.De Heliſæo ad cuius preces egreſſi ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt quadraginta & duos pueros qui inſultabant ei.De Petro ad cuius verbũ Ananias & Saphira expirauerũt ad pedes eius. Chriſtus omnibus benefaciẽdo nunquam alicui nocuit:quinimmo quãdo virtutẽ ſuæ punitiuæ iuſticiæ ad terrorẽ peccatorum volebat oſtendere:hanc exercebat non in hominibus,ſed in beſtiis,vel arboribus.vt patet quãdo ad Chriſti imperium grex porcorum præceps ruit in mare.Matth.8. Et arbor ficus continuò areſacta fuit. Matth.21. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matthęum.Chriſtus maledixit ficui:& areſacta eſt cõtinuò.Quod fecit vt diſcipuli ſcirent ipſum malos poſſe punire.Quia enim vbiq; ſua beneficia tribuebat:nullumq́, puniebat:oportebat etiam eumſuæ punitiuæ poteſtatis demonſtrationem præbere:vt diſcerent quòd poterat etiam iudæos perſequẽtes ſiccare.noluit autem hoc demonſtrare in hominibus : vnde in planta ſuæ poteſtatis punitiuæ præbuit ſignum &c.

*Act.4. Nume.16. 4.Reg.1. 4.Reg.2. Act.5. Matth.8. Matth.21. Chryſoſt.*

1696 Non proponebã ante oculos meos rem iniuſtam : facientes præuaricationes odiui.

Hic oſtendit Dauid conſequenter ſuam iuſticiã erga populum.Et quia in populo aliqui ſunt mali, & aliqui boni:ideo primò oſtẽdit quomodo ſe habuit erga malos:ſecũdò quomodo erga bonos:ibi, Oculi mei. Prima pars diuiditur in quatuor partes : ſecundum quòd quatuor peccatorum genera ſpecialiter nominat quę perſequebatur,& odiebabat:quia primò legis pręuaricatores odiebat:ſecũdò inuidos malignãtes reprobabat:ibi, Nõ adhæſit.tertiò proximorum detractores puniebat : ibi, Detrahẽtem.quartò ſuperbos & auaros fugiebat: ibi,Superbo oculo. Quantum ad primum ſciendũ quòd ſecundum grammaticos præuarico,cas, cõponitur ex præ & varico,cas.varicare autem idem eſt quòd claudicare,vel carne madere:quod ſic dicitur à quadam vena intrinſeca,quæ ſi lædatur,ſtatim reddit hominem curuum & claudicantem. Et ſic præuarico,cas.idem eſt quod præ aliis varicare & claudicare.Et quia maxima claudicatio eſt,quæ fit mente circa legem Dei,ideo varicatio accipitur pro tranſgreſſione legis & præceptorũ. Et ſic præuaricare eſt præ aliis legem Dei tranſgredi:& præuaricator dicitur talis trãſgreſſor : & præuaricatio talis tranſgreſſio. Quid eſt ergo facere præuaricationes,niſi facere oppoſita legis per quæ lex tranſgreditur?Et ſic qui furatur,qui idololatrat,qui aliquo peccato tranſgreditur legem,ille facit præuaricationem,talis autem rem facit iniuſtam.Et tales Pſalmiſta odio habebat: de quibus nunc ait, *Non proponebam ante oculos*, ſcilicet,mentis:quia non diligebam rem iniuſtam,ſcilicet, illa peccata per quæ lex tranſgreditur:immo facientes præuaricationes odiui,id eſt,legis præuaricatores. Et iſtud odiũ eſt perfectũ & laudabile.vide de odio multiplici verſi. 303.Et aduerte quòd dicit, *Non proponebã ante oculos meos rem iniuſtam*. In oculo enim corporali ſignũ datur amoris:quia ſi aliquam rem frequenter oculus videre cupit:ſignum eſt quòd illam diligit.Vnde dicit Philoſophus de regimine principum ad Alexandrum. Si videris hominem frequentantem in te viſum & ſuſpirantem:hic te diligit.Sic & eodem modo qui delectabiliter, & frequẽter aliquid ponit ante oculos mẽtis : ſignum eſt quòd illã rem diligit.Et per oppoſitum, illud quod ante oculos mentis non vis ponere,illud odio habes. Et ideo Pſalmiſta ait. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam &c.* Et ideo oculi tam mentis quàm corporis cautè ſunt cuſtodiendi.vide ver.1261.

*Præuaricatio quid eſt. Oculus ſignũ dat amoris. Ariſtotel.*

Non adhæſit mihi cor prauum:declinantem à me malignum non cognoſcebam. 1697

Hic inuidos & malignantes reprobat. Vbi nota quòd malignus idẽ eſt quòd malo igne ignitus. vide ſupra ver.566. Quis autẽ peior ignis inuidia: quæ ex bonis alterius propriam ſubſtantiam comburit?Qui autem tales malignos approbat vel diligit:cor tortum habet & prauum : quia ad vitia inclinatum.Et tale cor Pſalmiſta à ſe excludit,dicẽs, *Non adhæſit mihi cor prauum.* Cor autẽ qualiter multipliciter dicatur prauum.vide verſ.1288.qui autẽ cor prauum non habet:malos nõ approbat.Et hoc eſt quod ſubdit. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam.* Declinat quis ab alio,quando ipſum,& eius excẽpla non imitatur:quando ipſum odit:quãdo per inuidiã ſibi æmulatur. Et hoc eſt quod ait, *Declinantem à me malignum*, ſcilicet non me imitantem,ſed magis per inuidiã odiẽtem:hunc non cognoſcebã,id eſt,nõ approbabã. Cognoſcere enim aliquando ſtat pro approbare:ſicut nõ cognoſcere pro reprobare,vel nõ approbare.Sic enim dicebat Chriſtus fatuis virginibus.Amẽ dico vobis:neſcio vos,id eſt,non approbo,ſed magis reprobo. Notãdum quòd ne cor noſtrum ſit prauũ : illud deo debemus offerre liberaliter,integraliter,& perpetualiter.vide verſi.1208. Vel cor prauum dicitur cor induratum & obſtinatũ in malis.Et tale debet virtute pietatis emolliri. Nã vt dicit magiſter de proprieta.re. Cor eſt quædam ſubſtantia carnea dura. Sic myſticè cor durum dicitur, quod caret mollicie pietatis:de quo dicitur Iob 41. Cor eius indurabitur quaſi lapis. Vnde Bernard.lib.de conſideratione ad Eugeniũ,dicit, Quæris quid eſt cor prauum & cor durũ.Solum enim cor durũ & prauum eſt:quod ſemetipſum nõ ſentit. Quid me interrogas?Interroga Pharaonem. Quid eſt ergo cor durum?Ipſum eſt, quod nec compũctione ſcinditur, nec pietate emollitur,nec mouetur precibus : minis non cedit,flagellis induratur:ingratũ eſt ad beneficia:ad conſilia infidũ,ad iudicia ſæuũ, inuerecundũ ad turpia:impauidum ad pericula:inhumanum ad humana : ſerum ad diuina ; præteritorum obliuiſcens:præſentium negligens,futura nõ præuidens.Ipſum eſt cor durum & prauum:cui præteritorũ præter ſolas iniurias nihil omnino non ſentit,præ

*Inuidia eſt peior ignis. Matth.25. Cor prauũ dicitur cor obſtinatum. Iob 41. Bernard. Nunquid ſit cor durum.*



ſentia non attendit:futurorũ nulla niſi forte ad vlciſcendum proſpectio ſiue præparatio eſt. Et vt in breui cũcta horribilis mali mala complectar:ipſum cor durum eſt, quod nec Deum timet, nec hominẽ veretur &c. Tale fuit cor Pharaonis: de quo Exod.7.Induratũ eſt cor Pharaonis : & nõ audiuit eos ſicut præceperat dominus. Sed mirabile eſt quòd iſtã prauitatem,vel duriciem cordis facere Deus in nobis dicitur. Vnde dominus dixit Moyſi. Ego indurabo cor eius &c. Sed hoc ſic intelligi debet:non quòd prauitatẽ & duriciem cordis vitioſam Deus faciat:ſed quia facit ſigna & mirabilia,quibus viſis,cor emolliri deberet:ſed ex illis ſua malicia deterior efficitur. Vnde Origenes exponens dicta verba:ego indurabo cor eius.dicit, Aſſiduè Deus dicit:indurabo cor eius:& multiplicabo ſigna tanquã neceſſaria fuerit induratio cordis Pharaonis,vt ſigna multiplicarẽtur. Vtitur ergo Deus bene cordibus malis ad id quod vult oſtẽdere bonis,vel quod facturus eſt bonis. Et quãuis cuiuſq; cordis in malicia qualitas,id eſt,quale cor habeat ad malum ſuo ſiat cordis vitio ex arbitrio voluntatis:ea tamẽ qualitate mala vt huc vel illuc moueatur,cùm huc ſiue illuc malis moueatur cauſis:ſic quibus animus propellitur, quæ vt exiſtant vel non:nõ eſt in hominis ditione:ſed venit ex occulta dei prouidentia iuſtè & ſapiẽter omnia quæ creauit diſponentis & adminiſtrantis.Vt ergo tale cor prauum ac durum habeat:quod patientia Dei non mouetur ad pietatem : vitij propriè fuit.quòd vero ea facta ſunt quibus cor ſuo vitio tam malignũ reſiſteret iuſſionibus Dei. Hoc eſt enim quod dicitur induratum : quia non flexibiliter cõſentiebat,ſed inflexibiliter deo reſiſtebat,diuinę diſpoſitionis fuit:quia tali cordi euidenter iuſta pæna parabatur:qua timentes Deũ corrigerentur propoſito eis lucro.Verbi gratia, Propter hoc quòd homicidium cõmittitur,alter auarus,alter pecuniæ cõtemptor mouetur:ille ad facinus,ſcilicet perpetrãdũ:ille ad cauendum:lucri tamẽ propoſitio in eorũ poteſtate non fuit.Ita cauſæ veniunt malis:quæ non ſunt in eorum poteſtate: ſed hæ de illis faciũt, quales inuenerunt iã factos propriis vitiis ex propria voluntate.Poteſt etiã ſic accipi:indurabo cor eius,id eſt,quàm durũ ſit cor eius demõſtrabo. Et ideo quia prauitas & duricies cordis nõ à deo, ſed à propria malicia procedit : pænã meretur æternã. Eccl.3.Cor durũ malè habebit in nouiſſimo.Iſtud autẽ cor durũ pietate diuina debet emolliri : quod multotiens mollificatur per aduerſa.teſte Iob de ſeipſo dicente,Deus molliuit cor meum. Et ſtatim modũ ſubdit,dicẽs,Et omnipotẽs cõturbauit me. Quod enim cor tam durum,quòd timore aduerſitatis æternæ non emolliatur ? Vnde Greg.exponẽs prædicta verba dicit, Diuino munere cor durum molliri dicitur : quia ſuperni iudicij timore penetratur. Molle enim eſt quod penetrari poteſt:durũ autem quod penetrari non poteſt. Quoniam per Salomonẽ dicitur, Beatus homo qui ſemper pauidus eſt:qui verò mẽtis eſt durę,corruet in malum. Virtutem ergo ſuæ fortitudinis, nõ ſibi,ſed auctori attribuit qui ait,Deus molliuit cor meũ : & omnipotens conturbauit me.Nõ autẽ ſecura,ſed conturbata ſunt corda bonorum : quia dũ futuri examinis pondus cõſiderant:quietem hic habere non appetunt : ſecuritatem ſuam diſtrictionis intimæ cõſideratione perturbant. De iſto ergo corde prauo & duro,dicitur Hier.17.Prauum eſt cor hominis,& inſcrutabile.

*Exod.7. Quomodo Deus induret cor & quomodo. Exod.7. Origenes. Eccl.3. Iob 23. Grego.lib.16. moral.c.20. Prouerb.28. Hiere.17.*

Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. 1698

Hic ponitur tertium peccatum, ſcilicet, detractionis:quod Dauid odiebat. Ad huius peccati notitiam habendam ſciendum quòd detractio eſt triplex in ſcriptura,ſcilicet detractio ſanctitatis, qua à corde ſtultorum culpa trahitur.Prouerb.21.Cogitat iuſtus de domo impij,vt detrahat à malo.Detractio æquitatis : qua pænis vita malorũ traditur. Eſa.14. Veruntamen ad inferos detracta eſt ſuperbia tua. Detractio prauitatis:qua verbis iuſtorum fama læditur.Iac.4.Nolite detrahere alterutrũ &c. vide ſupra ver.629.Et quid ſit detractio : & vtrum detrahẽs ſemper teneatur famã reſtituere.vide ver. 828. Et quòd omnis detractor eſt inimicus verſic. 1594. Et quia iſtud detractionis vitiũ eſt maximè deteſtandum,ideo hoc magis declarãs,noto quòd antiqui morales iſtud vitium per coruum figurabant:& mirabilem imaginem ſibi faciebant.Primũ ideo,quia conditiones corui videtur habere.Nam vt docet experiẽtia,coruus eſt auis iniquitatis furtis aſſueta.Loquacitatis linguis variata. Doloſitatis vulpi ſociata. Malignitatis bonis inimica. Impietatis pullis indurata. Damnabilitatis diis dedicata.Quæ omnia vitiũ detractionis continet.Imaginem autem detractionis taliter figurabant. Erat enim imago hominis exiſtẽtis in equo pallido:qui in manu flagellum geſtabat : in quo quinq; verſus ſcripti erant.Primus,famam furor qua melius manet in homine nihil.Secundus erat,variis armatus gladiis mores omnes lacero linguis. Tertius erat, dolo dolens ſemper volo : cunctos decipere volo. Quartus erat,lædere volens alios, me zelo perimo meo.Quintus erat,me verbis perimẽs primo,corde nulli parco ſecundo.Quæ breuiter deduco.Primò coruus eſt auis furtis aſſueta.Vnde 12.de proprieta.rerum dicitur,quòd coruus eſt auis doloſa, res furtiuè ſubtrahens, & ſubtractas abſcondens. Sic & detractor furatur aliorum famã. Multi enim videntes quòd propriis meritis laudes nõ poſſunt acquirere : conantur alios per detractionem diffamare : vt ſaltem reſpectu illorũ quos ſe peiores eſſe alios faciunt credere,ipſi boni reputentur.De quibus ait Hierony.in epiſtola.Vilium hominum detractorum & ſuam laudem quærentium : eſt alios facere viles:vt in comparatione aliorũ laudari poſſint:& quo ſuo merito placere non poſſunt,placere volunt comparatione aliorum alias peiorum.Et hinc eſt ꝙ detrahere eſt famã alterius furãdo rapere. Ex hoc apparet huius peccati grauitas : quia quanto res ablata eſt præcioſior:tanto illius furtũ grauius eſt peccatũ. Quæ autẽ res in hac vita glorioſior,alias præcioſior, quàm fama poteſt haberi? Certè nulla,teſte ſapiẽte Prou.22.Melius eſt nomẽ bonũ,quàm diuitiæ multæ.In cuius ſignũ antiqui cętera omnia ſpernebãt : immo etiã mori nõ dubitabant:vt ſibi nominis famã acquirerent. Sic agebãt romani : quia vt dicit Augu.5.de ciui.Dei.Ipſi pro fama acquirẽda ſuũ viuere ordinabãt : pro hac mori nõ timebãt:aurũ,diuitias,luxuriã, cæteraſq; mundi cupiditates præmebant. Sic & in ſcriptura ſacra fecit Eleazar ille : de quo 1. Macc.6.vt acquireret ſibi nomen, ſe dedit periculo mortis. Quod tanti ſapientes non feciſſent, niſi boni nominis fama glorioſiſſima res eſſet. Et ideo quia melior eſt fama omni alia temporali ſubſtantia:

*Detractio multiplex. Prouerb.21. Eſa.14. Iacob.4. Detractio figuratur per coruum. Detractionis imago. Detractor cõparatur coruo in multis. Hieronym. Prouerb.22. Auguſt. 1.Macc.6.*

grauiſſimum vitium eſt detractio quæ hanc furatur. Vnde. 6. q. 1. deteriores. dicitur. Deteriores ſunt detractores:qui noſtram vitam,famamq; detrahendo corrumpunt:quàm qui ſubſtantias aliorum prædamq; diripiunt. Et ideo ſubditur, Quia illi ea quæ extra nos ſunt,licet noſtra ſint,auferūt: detractores verò noſipſos diripiunt. Et ideo quia *Iob 19.* detractor ſicut coruus furatur:dicitur Iob 19.Venerunt latrones,fecerunt ſibi viam per me:& cum receſſiſſem ab eis,detrahebāt mihi.Secūdò coruus eſt auis loquacitatis &c.quoniā vt dicitur lib.21. *Coruus.* de proprie.re.Coruus eſt auis clamoſa diuerſas formans voces. Sola enim inter aues ſexaginta quatuor mutationes vocis habet. Sic & detractor eſt linguis variatus : quia in nullo ſtatu quis quantūcunq; ſanctus poteſt eſſe : quin detractor inueniat B *Bernard.* modum ad ſibi detrahendum.Quod declarās Bernard.in ſermone dicit, Si pauper es,detractor ſtatim te vilem & abiectum prædicat.Si diues,ambitioſum,auarum,& cupidum.Si affabilis,diſſolutū. Si prædicator,vel doctor,humani honoris & fauoris,quæſtorem.Si tacens,inutilem.Si ieiunans,hypocritam.Si comedēs,voracem. Et tales detractores in Phariſæis figurantur.de quibus dicit Chri- *Matth.11.* ſtus Matth.11.Venit Ioannes non mādacans neq; bibens:& dicunt,dæmoniū habet.Venit filius hominis manducans & bibens:& dicunt,ecce vorator,potator vini,& peccatorū amicus. Et ideo detractores omni genere linguarum parati ad detrahendum, figurantur per ſerpentem illum qui ce- *Magiſter de proprieta. rerum.* raſtes dicitur.qui ſecundum magiſtrū de proprie. C lib.18.nocere volēs homini : per omnes vias & ſemitas ei ponit inſidias : vt ſuo veneno ipſum interimat.Sic verè facit detractor:quia ad omnē ſtatum ad quem vt bene facias te vertas : ſemper nouo loquēdi genere tibi parat inſidias. Vnde de ta- *Deut.32.* libus dicitur Deut.32. Dentes beſtiarum immittā in eis cum furore trahentium,id eſt,detrahentium *Pſal.108.* ſuper terram,atq; ſerpentium. Vnde Pſal.108. Os peccatoris ſuper me apertum eſt.Sequitur. Pro eo vt me diligerent, detrahebāt mihi:ego autem orabam.Tertiò coruus eſt doloſitatis &c.Vnde habet quaſi quandam doloſitatem & cōnaturalem ami- *Magiſter.* citiam cū vulpe.Vnde ait magiſter vbi ſuprà:quòd coruus eſt amicus vulpis : vnde pugnat cum aliis beſtiis pro vulpe.Sic & detractor quādam natura- D lem amicitiā habet culpæ : quia ſicut inter omnes beſtias vulpis eſt doloſa, & cautelis plena : ſic & detractor ſemper dolos cogitando ſeu meditando cogitat qualiter detrahendo alterius famam lædere poſſit.Quia vt melius eis credatur, antequā detractionem proferant:multa ſigna ſimulata falſa & *Bernard.* doloſa præmittunt. De quibus ait Bernard.ſuper Can.ſer.24.Detractores quodam ſimulato verecūdiæ fuco conceptam maliciam quam retinere non poſſunt:obumbrare conātur. Videas à detractore alta præmitti ſuſpiria:atq; cum quadam grauitate & tarditate:vultu mæſto,dimiſſis ſuperciliis,& voce plangenti egredi maledictionem:& quidem tāto perſuaſibiliorem,quāto creditur ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu E quàm malitioſè proferri. Doleo inquit detractor vehementer:pro eo quia diligo eū,& nūquam potui de hac re corrigere eum:aliàs quidem mihi bene compertū erat de eo iſtud : ſed per me nūquam innotuiſſet. Et quoniā per alium res patefacta eſt: veritatē negare non poſſum.reuera ita eſt, Ex quibus patet quòd detractores ad modū vulpis caute- A loſi ſunt, fictis palliationibus ſuas detractiones operiunt vt nō cognoſcātur.Vnde compaſſionem prætēdentes,duriſſimè mordent. Vnde Eccl.10.Si *Eccleſ.10.* mordeat ſerpens in ſilentio : nihil minus eo habet qui occultè detrahit proximo ſuo.Quartò coruus eſt auis malignitatis. Nullū enim bonū ſcit facere ſed malū.Bonis enim animalibus & vtilibus multū cōtrariatur.Vnde dicit magiſter vbi ſuprà,quòd coruus pugnat cum aſino & boue : & volat ſuper ipſos:& nocet eis pungendo eos cū roſtro:& eorū oculos pungit.Sic & detractor bonis ſemper contrariatur. Quod patet:quia detractio procedit ex inuidia:vt oſtēdit Ricardus in 5.de Trini.Et Greg. *Ricardus. Greg lib.6. moral.c.33.* 6.moral.cap.33.Inuidia autē ſemper nocet,& cōtrariatur bonis & melioribus : igitur & detractio. B immo quod plus eſt ſibiipſi maximè cōtrariatur & nocet : quia omnia merita & ſpiritualia bona annihilat.Propter quod dicitur,de cōſecr.di.5.nihil. Nihil prodeſt homini ieiunare & orare & alia religionis bona facere,niſi mens ab iniquitate : & lingua à detractionibus coerceatur.Vnde de detractoribus dicitur Pſal.108. Induātur qui detrahūt mi- *Pſal.108.* hi pudore : & operiantur ſicut diploide cōfuſione ſua.Quintò coruus eſt auis impietatis &c. Quia ſe- *Magiſter.* cundum magiſtrum vbi ſuprà:tātæ crudelitatis eſt erga pullos ſuos,quòd nunquā eis cibū miniſtrat, quouſq; eos pēnas nigras, & ſibi illos videat ſimiles.Sic & detractor eſt magnæ crudelitatis:quia nō ſolùm cibū ſociis & bonis perſonis nō miniſtrat: ſed etiā eorum viuas comedit carnes.Vnde nō mi- C nus peccatū eſt aliis,detrahere,quàm propriis manibus alienum ſpargere ſanguinem : vt dicitur.11. quæſt.3.Immo quilibet detractor homicida cenſetur.11.quæſt.1.in ſumma.de pænit.diſt.1.homicidiorū.Propter quæ cōſulit ſapiens, Prouerb.4.di- *Prouerb.4.* cens, Labia detrahentia ſint procul à te. Sextò coruus eſt auis dānabilitatis &c. Vnde dicit magiſter vbi ſuprà,quòd coruus apud gētiles fuit Apollini cōſecratus. Sic & detractor diis gentiū,ſcilicet dæmonibus eſt dedicatus:quia omnes detractores vicarij ſunt diaboli : & ideo tāquam eius vicarij & ſucceſſores eius hæredes erūt, ſcilicet pænæ infernalis. Ideo dicitur.2.q.7.accuſatio. quòd omnis detractor flāmis exuretur.nec mirū:quoniam ſumma iniquitas eſt alteri detrahere.6.q.1.in ſumma. D Propter quod dicitur.1. Petri 3.In eo quòd detra- *1.Petr.3.* hunt de vobis,cōfundantur qui calumniant veſtrā bonam conuerſationē in Chriſto. Si ergo tantum peccatū eſt detractio:quid mirū ſi detractores à bonis perſequi debent?Propter quod dicit Pſalmiſta. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo,hunc perſequebar.*

## Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. 1699

Hic Dauid deteſtatur ſuperbos & auaros.Si enim iſta accipiantur literaliter:ſuperbos & auaros Dauid fugiebat.Vnde hic ait gl.ſuperbo oculo,id eſt, cū tumido corde:& inſatiabili corde,id eſt,cū auaro:cuius cor ſatiari nō poteſt. Cū hoc ſcilicet,vtroque nō edebā:quia Dauid ad literā cōſortia talium E vitabat,& fugiebat. Vitiū ergo ſuperbiæ per ocu- *Superbia per oculos primò oſtenditur. Greg.lib.16. moral.c.11.* los manifeſtat,dicēs, *Superbo oculo :* ex eo quia vitiū ſuperbiæ per oculos exterius manifeſtatur:vt oſtēdit Greg.lib.16.moral.ca.11.ſuper illo verbo Iob 22. Qui inclinauerit oculos ſuos ipſe ſaluabitur. Hoc autē rectè dicitur : quia quantum per membrorum miniſterium deprehendi poteſt:prima ſuperbiæ oſtenſio eſſe in oculis ſolet. Hinc etenim ſcriptum



*Pſal.17.* ſcriptum eſt, Et oculos ſuperborum humiliabis. A *Iob 41.* Hinc de ipſo ſuperborum capite dicitur.Omne ſublime videt oculus eius. Hinc de illa generatione *Prouerb.30.* quæ ei per infidelitatem adhæſit:ſcriptum eſt. Generatio cuius excelſi ſunt oculi : & palpebræ eius in alta ſubuectę.Oculos ergo inclinare,eſt nullum reſpiciendo deſpicere:ſed ſe minorē atq; imparem cunctis quos aſpicit,æſtimare. Hoc idem ſentētia- *Auaritia inſatiabilis eſt.* liter dicit lib.34.moral.cap.16.Vitium verò auaritiæ per cor inſatiabile ponit,dicens, Et inſatiabili corde:quia cor auari nunquam ſatiatur : vt oſtēdit *Greg.15.moralia.* Greg.ſuper illo verbo Iob 20.Nō eſt ſatiatus vēter eius. Venter quippe iniqui auaritia eius eſt : quia in ipſo colligitur quicquid iniquo deſiderio peruerſo glutitur.Liquet verò:quia auaritia deſidera- B tis rebus non extinguitur,ſed augetur. Nam more ignis cum ligna quæ cōſumat acceperit, excreſcit: & vnde videtur ad momētum flamma comprimi: inde paulo poſt cernitur dilatari. Cum talibus ergo Dauid non edebat:quia literaliter ipſorum cōſortia fugiebat.Poteſt etiam hoc ſpiritualiter accipi.Nam comedere,eſt cibum ſibi incorporare.Ille ergo nō comedit cum ſuperbis & auaris,qui ipſorum cibos ſibi non incorporat, vel ponit in mēte. vt puta cibus ſuperbi eſt præſumptio, & vanitas. cibus auari eſt pecuniæ cupiditas. Ille ergo nō comedit cum ſuperbo vel auaro,qui in ſuo corde nō ponit vanitatem præſumptionis, nec ambitionem cupiditatis:quamuis cum illis temporaliter comedat & cōuerſetur. Et iſtum intellectum hic ponit *Auguſt.* gl.dicens, Potius hoc quod addit : *ſuperbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam:* ſpiritualiter accipiendum eſt.Nam & Ieſus cum ſuperbis conuiuatus eſt:vt cum Phariſęo:quando venit ad eum Maria peccatrix. Nos quoq; abſtinemus à conuiuio fratrum notabilium vt corrigantur. Facimus hoc plerunque propter medicinam : ſed cum extraneis multis edimus:vt cum paganis & cum aliis impiis & ſuperbis.Quid eſt ergo quod Pſal.ait.*Cum ſuperbo oculo & inſatiabili corde non edebam*? Habet epulas ſuas cor ſuperbum & inſatiabile vnde paſcitur:ſed non reficitur. Epulæ enim ſuperbi cordis vanitas: epulæ inſatiabilis auaritię pecunia.Hoc ergo cibo ſuperbiæ & cupiditatis iuſtus non paſcitur:ſed cibo humilitatis & miſericordiæ. Hoc eſt ergo cum iſtis non edebam,id eſt,non paſcebar,non delecta- D bar,epulis ſuperbiæ & auaritiæ. Iſtum textum ex- *Bernard.* ponit Bernard.contra illos qui feſta Chriſti cele- *Corde inſatiabili quis eſt.* brant cum pompoſo ornatu veſtium & apparatu ciborum,dicens, Videas homines ſeculares in aduentu Chriſti tanta ſollicitudine veſtium gloriam parare & ciborum delitias.ſed ait Chriſtus:ſuperbo oculo &c.Ac ſi dicat, Quid tāta ambitione veſtes paras in natali meo? Has deteſtor ego : ſuperbiam non amplector. Quid tanta ſollicitudine ciborum copias reponis in tēpus illud? Damno ego carnis delitias : non accepto, planè inſatiabilis es corde tanta parans,& ex tam lōgo tempore. Nam & corpori vtiq; & pauciora ſufficerēt,& quæ poſſent opportunius inueniri. Iſtum etiam textū ali- *Gualfred.* ter exponit Gualfredus,dicens, *Superbo oculo & in-* E *ſatiabili corde &c.* Ipſi enim ſunt eſurientes & ebrij, quibus non eſt dominicam cænam mādacare. Inſatiabili corde eſt illud deſiderās,vnde nequeat ſatiari.Quid illud?concupiſcentia carnis & oculorū ambitio ſeculi,vniuerſa deniq; vanitas,curioſitas, & voluptas.Non enim ſatiabitur oculus viſu, nec, auarus auditu.Sed & qui diligit pecuniam,nō im- A plebitur ea:nec voluptuoſus illecebra : nec ambitioſus honoribus. Superbo oculo eſt aliud magnū de ſe ſentiens & dicens : quia diues ſum & nullius egeo.contraria equidem vitia. Sed inter hæc iter medium virtus tenet. Ipſa eſt de qua ait dominus. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam:quoniā ipſi *Matt.5.* ſaturabuntur.His cōueſcitur dominus, & cum eis cænat,qui aperiunt ei. Nam illorum nauſeam vel innaturalem famem ideoq; inexplebilē deteſtatur.

## Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum:ambulans in via immaculata,hic mihi miniſtrabit. 1700

B Hic oſtendit qualiter ſe habeat erga bonos. Et primò hoc facit : ſecundò iterat ſuam cum malis diſplicentiam:ibi,Non habitabit.Sicut enim con- *Societas & cōuerſatio bonorum vtilis eſt: & malorum damnoſa.* uerſatio bonorum faciliter malos ad bonū attrahit:ſic & malorum conuerſatio ad malum. Ex cōuictu enim in ſimul ſimiles mores formantur.Ideo ſicut qui conuerſatur cum ſancto ſanctificatur:ſic qui cōuerſatur cum peruerſis peruertitur. Et ideo malorum conuerſatio eſt ſummè fugiēda,& maximè clericis:vt cum prauis non cohabitēt:ſed cum bonis & fidelibus.& hoc exemplo Dauid dicētis. *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum.* Vocantur autem fideles terræ iuſti,adhuc corpore habitātes in terra. *Ambulans in via immaculata,hic &c.* Hoc dicit quo ad ſubditos & ſeruitores:quia non ſufficit conſocios habere fideles:niſi etiam & miniſtri bo- C ni habeantur.Et nota quòd illi ambulāt in via immaculata,qui ſpiritum ſequuntur:non carnem.de quibus ait Apoſtolus.Spiritu ambulate:& deſide- *Galat.5.* ria carnis non perficietis.Vbi nota,quòd aliqui viuendo ſpiritum ſequuntur : quia ſecundum eius inſpirationem ſe regunt. Et iſti dicūtur ambulare. *Ambulare ſecundū ſpiritū vel ſecundum carnem.* Alij verò non ſpiritum,ſed carnē ſequuntur:& iſti non ambulare dicuntur : ſed magis trotare. Quod oſtendit Guillielmus de calce exponens dicta verba apoſtoli,dicentis.Spiritu ambulate &c.dicens, Noſtis fratres quòd non omnibus equis ambulare competit : ſed ſolū domitis & eruditis : & quos ad hoc flexit ſollicitudo magiſtri. Spiritualem huius vitæ ambulationem ſolum capiunt homines ſpirituales ſpiritualibus exercitiis diſciplinati,ab impe- D tu mundi alienati.Qui enim ambulant equi pedes decentius mouent:compoſitis quodammodo paſſibus edocti.Solent autem equi quos trotare dicimus,eundo ſeſe diſtinguere:quamuis etiam multo durius portare ſeſſores. Ambulantes autem equi quadam pedum connexione mouentur:& incedētes pulchrius.vt ſi diligenter attendas poſteriorem pedem anteriorem ſupertranſire, quodam videbis libertatis inceſſu:ita vt velocius ambulēt amplius excedentes. Non longè alio modo diſtingui poſſunt ambulantes ſecundum ſpiritum:& vt ita dicā ſecundum carnem trotātes. Carnales enim diſtinguuntur incedētes quos ſuperbia diſtinguit à deo: inuidia à proximo:ira à ſeipſis.ſic ita ergo à ſeipſis diſiuncti à ſeinuicem & à Deo:nec Deum nec ho- E minem ſeſſorem recipiunt. Seipſos portare dicendi ſunt : quos ſpiritus carnis quocunque impellit vt etiam compellat. Qui verò ſpiritu ambulant, coniunctis paſſibus ambulant:in connexione virtutum,deo per humilitatē,per charitatē proximo: ſibi per munditiam vitę curriculum perſoluentes: per humilitatem ſub Deo ambulant : per charitatem coambulant proximis : per puritatem per-

ambulant in innocētia cordis ſui. In his etiam pedes poſteriores tranſeunt: quia carnis affectus & opera ſpiritualibus deſideriis & ſtudiis ſuperant, & excedunt. Deniq; ſic omnes quos deo placuiſſe legimus, receperunt duplicia pro omnibus peccatis ſuis, ſcilicet, & pænitentiæ modum ambulantes: addiderunt etiam laborem ad meritorum præmia. Placet certè plurimum deo ambulatio pænitentis. Quippe non vult mortem peccatoris: ſed vt conuertatur & viuat. Placent illi qui relinquunt latam viam ſpacioſam, quæ ducit ad mortē: & per pænitentiæ ac continentiæ ſemitas difficiles Deū quærunt: & propter verba labiorū eius cuſtodiūt vias duras &c. Sic enim ſe ambulaſſe prædixit Pſalmiſta, dicens, *Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.* Sic & mundè ambulantes vult habere miniſtros, dicens, *Ambulans in via immaculata: hic mihi miniſtrabit.*

1701 Nō habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non direxit in cōſpectu oculorum meorum.

Hic reuertitur ad oſtendendum qualiter ſe habebat erga malos: quia ſcilicet primò malos nō recipiebat: ſecundò quia obſtinatos occidebat: ibi, In matutino. Quantum ad primum dicit, *Non habitabit &c.* Ad literam hoc dicit: ne videatur approbare quos habet familiares ſi mali ſunt, dicens, *Nō habitabit in medio domus meæ*, id eſt, inter miniſtros *meos: qui facit ſuberbiam*, id eſt, qui facit opera ex ſuperbia: vt puta alios deſpiciendo vel ſuppeditādo. *Qui loquitur iniqua:* aliis detrahendo: *non direxit in conſpectu oculorum meorum.* ſcilicet cor ſuum nō habuit rectum in conſpectu meo: quia ſcilicet tales ad literam ſecum Dauid non retinebat. Dirigere enim componitur ex di, & rego, gis. & eſt dirigere idem quòd in rectum regere. Illi ergo dirigunt ſe in cōſpectu dei: qui omnia opera ſua rectè ad Deū regunt. Quod non facit ſuperbus: quia ſe contra Deum erigit: non auarus, qui ad terrena curuatur &c. Iſtum verſum exponens Adam de perſeuerantia: ipſum applicat ad virginem Mariam: oſtendēs quæ ad ipſam pertineant, & quæ non: dicens, *Non habitabit in medio domus &c.* Verba hæc ſunt mediatoris noſtri: cuius domus eſt eccleſia. Huius autem domus medium eſt, aut mediatoris mater mediatrix Maria, aut veritas anguli neſcia, aut virtus mediæ charitatis. Non igitur ad mediatricem pertinet, non in veritate ambulat, non in charitate manet, qui facit ſuperbiam, quæ bonis inimicam cōmunibus, & priuatæ gloriæ cupidam ſanctorum communio non admittit. Cum ergo rex virtutum iure mediatoris nomē obtineat: ipſaq; regina virtutum Maria ſe exhibeat mediatricem hominum, merito iudex eccleſiaſticus virtutibus dare operā debet: & propter moderantiam diſcretionis ſatagere, ne quid nimis faciat, vel loquatur. Non enim fruſtra in medio duorum animalium cognitor verbi incarnati infantia: aut in medio templi ſe ſuſcipiēdam exhibuit miſericordia: aut in medio latronum probatur redemptoris noſtri patientia: aut in medio diſcipulorum innoteſcit reſurgentis gloria. Vide mediatorem medium ſibi locum fere in omnibus eligere: medium noſtrum conſiſtere, quotiens duo vel tres in nomine eius fuerimus congregati. De medio quod Chriſtus elegit, vide ver. 759. & 782.

*Adam.*

*Maria dicitur medium domus.*

*Mediū in omnibus tenuit Chriſtus.*

1702 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Hic oſtendit quomodo ſe habebat ad obſtinatos & incorrigibiles: quia ſcilicet tales occidi faciebat. Vbi notandū, quòd iudex tēporalis certis peccatis cōmiſſis: illos peccatores habet punire habita opportunitate iuridicè celeriter, ne impedimētum ſuperueniat. In caſu autē in quo timetur ciuitatis ſeditio, punitionem differre poteſt. Sic & Dauid aliquando ſtatim habito reo ipſum occidebat: quod patet de Rechab & Banaa, qui occiderāt Miphiboſeth filiū Ionathæ, credentes per hoc placere ipſi Dauid: quos ſtatim vt eos habuit, interfici fecit: vt patet. 2. Reg. 4. Aliquando tamen timēs ſeditionem, punitionē diſtulit: ſicut patuit de Ioab qui proditoriè interfecit Abner: quē tamen Dauid non ſtatim occidit, ſed ipſum occidendū filio ſuo Salomoni impoſuit. vt patet 3. Reg. 2. Cuius ratio fuit, quia Dauid nūquam tantū fuit firmatus in regno: nec tantū habuit amorē populi propter ſcelus cōmiſſum in Vria & Berſabe, ſicut firmatus fuit Salomō. Quia igitur ipſe Ioab maximus princeps erat in regno, & à populo dilectus, ideo Dauid diſtulit ipſum punire, timens ſeditionem ciuitatis. Notans ergo Dauid quòd ſollicitè iuſticiā erga malos ſeruabat: & ſtatim quando cōmodè poterat, dicit, *In matutino*, id eſt, celeriter ſine expectatione: interficiebam omnes peccatores terrę, ſcilicet qui morte erāt digni. Et quare hoc? vt, ſcilicet, alij ſecurè manere poſſent, & deo ſeruire: amotis hominibus criminoſis. Et hoc eſt quod ſubdit, *Vt diſperderē de ciuitatē dei omnes operantes iniquitatem.* Per hoc autem vult oſtendere quòd in die iudicij omnes peccatores morte occidētur æterna. Iudicij enim tēpus vocatur matutinū: quia ibi omnia erūt nuda & aperta, quæ in nocte præſentis vitæ manent occulta. Et iſtū ſenſum habet hic gl. dicens, *In matutino*, id eſt, cū dies iudicij aduenerit: & erūt omnia manifeſta quæ ſunt modo occulta: interficiebā omnes peccatores terræ, id eſt, mittentur mali in ignē æternum, qui modo mali tolerantur à patientia dei, vt corrigantur. quod ſi nō fecerint tempore miſericordiæ quod modo eſt, pòſt interficiētur. Et hoc eſt quod ait, *In matutino interficiebā omnes peccatores terræ*, id eſt, in iudicio malos mittā in ignē æternū. Quare? ſubdit, *Vt diſperderem de ciuitate dei omnes operantes iniquitatem*, id eſt, de ſocietate eccleſiæ. Modo enim in eccleſia mixti ſunt boni cū malis: ſed tēpore iudicij ſeparabuntur: quia tunc ſeparabunt angeli malos de medio iuſtorum: & mittent eos in caminum ignis &c. Matth. 25.

*Iuſticia cōtra malos cito dicitur fieri. Occidere malos.*

*2. Reg. 4.*

*3. Reg. 2.*

*In iudicio omnes peccatores occidentur. Gloſa.*

*Matth. 25.*

## PSALM. CI.

1703 DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Titulus huius pſalmi eſt, Oratio pauperis dum anxiaretur in cōſpectu domini effudit precē ſuam (aliàs, Oratio pauperis cùm anxiatus fuerit, & corā domino effuderit precē ſuā.) Ex iſtó titulo non apparet quis hūc pſal. fecerit: neq; per aliquē doctorē, niſi per Auguſt. qui ponit generaliter quòd Dauid omnes pſal. fecerit. Cuius oppoſitū dicit Hieronymus, & alij doctores multi tam hebræorum quàm latinorum. Vnde iſte Pſal. computatur inter ignotos, ſcilicet, quo ad auctorem. Quantum verò ad materiam pſal. diuerſæ ſunt opiniones. Nā quidam dicunt quòd iſte Pſal. eſt oratio quædam facta ab illis amicis Dauid: qui remanſerunt in Hieruſalem, quando ipſe fugit à facie Abſalonis filij ſui. Nam de mandato Dauid ibi remanſerunt Sadoch ſacerdos, & Abiathar, & alij ſacerdotes: quos Dauid remiſit in Hieruſalē cum arca domini. ſimiliter & Chuſi conſiliarius, & amicus Dauid, & decē cōcubinæ Dauid: quæ remāſerant ad cuſtodiam palacij. vt habetur 2. Reg. 15. Iſti ergo propter fugam Dauid erāt in magna anxietate: & deuotè orabant deū pro reuerſione ipſius Dauid in pace. vnde pro oratione ſua iſtū Pſalmū dicebāt. Sed hoc ſtare non poteſt: quia in iſto Pſalmo fit mētio de ædificatione Sion. Certū eſt autē quòd in reditu Dauid nihil ibi fuit reædificatum: quia illo paruo tēpore quo Abſalon regnauit in Hieruſalem nihil legitur deſtruxiſſe in monte Sion. Propter quod eſt aliorū opinio, quòd iſte Pſalmus fuit oratio deuota populi Iſrael in captiuitate Babylonica deducti. Tunc enim multi illorum deuoti aſſiduè deum deprecabantur pro liberatione dictæ captiuitatis, & reædificatione ciuitatis Hieruſalē, & tēpli quod deſtruxerat rex Babylonis: vt habetur 4. Reg. vlti. Et ad hoc litera Pſalmi poſſet ſatis applicari. Sed omnes tales opiniones deſtruit apoſtolus Paulus: oſtendens ad hebræos 1. quòd iſte Pſalmus ad literam loquitur de Chriſto. Vbi ad probandum æqualitatem Chriſti ad patrem in potētia & duratione: adducit illud quòd in iſto Pſalmo habetur: dicens, Et tu domine in initio terram fundaſti &c. Et anni tui non deficient &c. Ibi enim oſtendit illa verba de Chriſto ad literam dicta. Sic ergo dicendum quòd iſte Pſalmus eſt quædam oratio Chriſti pauperis, qui, ſcilicet, cum diues eſſet ſecundū diuinitatem, pro nobis pauper factus eſt ſecundū humanitatem: vt ſua paupertate nos diuites faceret: vt ait Apoſtolus 2. Cor. 8. Eſt ergo hic Pſalmus oratio Chriſti pauperis. Tamen notandū quòd Chriſtus hic loquitur quandoque ſecūdum quòd eſt caput fidelium: quandoque ſecundū corpus: vnde in perſona membrorū in quibus ſunt pænitētes, quos, in ſe trāsfigurat: loquēs dicit, Cinerē tanquā panem manducabam. Non enim in ea egeſtate erat Chriſtus: vt de ſua perſona hoc dicere poſſet: ſed in mēbris loquitur. Chriſtus ergo pauper: vt ait glo. hic orat in perſona pænitētis à peccatis liberari, & in priſtinū ſtatū reponi poſtulātis. Eſt ergo tituli ſenſus. Pſalmus iſte eſt oratio pauperis, id eſt, Chriſti qui eſt pauper in ſe, & in mēbris, in quorū perſona loquitur: oratio, inquā, deo habita dum anxiaretur in miſeriis, inter quas deiectus eſt ſecundum peccatū primi hominis. quas vt euaderet in cōſpectu domini effudit precē ſuā, per quā ſolū poterat liberari. Hic ergo loquitur Chriſtus quādoque vt caput, quādoque vt corpus. Intentionē monet, omnes ſuā aduertere miſeriā & dei miſericordiā poſtulare. Et ſecundū hoc Pſalmus iſte diuiditur in duas partes. quia primò ponitur afflicti populi deprecatio, ſecundo ipſius per Chriſtū liberatio: ibi, Tu autē. Prima in duas: quia primò ponitur deprecatio. ſecundò huius deprecationis allegatur ratio. ibi, Quod defecerunt. Et quāuis in tribus primis verſiculis fit repetitio eiuſdē ſententiæ: tamen ſic diſtingui poſſunt: quia in primo ponit ſuā orationē. in ſecūdo ſuā ponit tribulationē: ibi, Non auertas. in tertio petit exauditionis accelerationem: ibi, In quacūque die. Quātū ergo ad primū Chriſtus hic orat dicēs patri, *Domine exaudi orationem meam.* Vbi aduertendū ꝙ quāuis Chriſtus à patre ſemper auditus eſſet, vt ipſe ait Ioā. 11. Ego enim ſciebā quia ſemper me audis. tamē iuxta vnū modū exauditionis nō ſemper fuit exauditus. Nā exaudire cōponitur ex audire, & ex, quod eſt extra. & ſic exaudire idē eſt quod extra audire. & ille exauditur qui extra auditur. Exauditur ergo oratio: quando illud quod orando petitur exterius in effectu ponitur. Quādo ergo Chriſtus orabat, tūc ſemper audiebatur à patre: quia ſua oratio patri erat accepta. ſed tunc exaudiebatur quando effectus orationis ponebatur in eſſe exterius. vt puta quando Chriſtus orabat patrē pro apoſtolis ſuis. Ioā. 17. dicēs, Pater, rogo vt ſerues eos ad malo: pater ſanctifica eos. Quāuis enim tūc Chriſti oratio Deo eſſet placita, & à Deo audita: nō tamē tūc erat exaudita: quia effectus orationis nōdū venerat. nōdum enim erāt à malo ſeruati nec pænæ nec culpæ. quia eadē nocte omnes peccauerūt frāgēdo fidē Chriſto datā. quia omnes relicto eo fugerūt: & Petr⁹ turpius aliis, qui ipſum abiurādo negauit. ſic nec tunc fuerūt ſanctificati. Sed in die Pētecoſtes hæc oratio Chriſti fuit exaudita, quādo de facto fuerunt per ſpiritum ſanctū ſanctificati: & à malo culpæ ne amplius caderēt cōſeruati. Orat ergo Chriſtus: vt ſuæ orationis effectus in eſſe ponatur. dicēs, *Domine exaudi orationem meā.* Si autē exaudire accipiatur pro annuere: ſicut cōmuniter accipitur. ſic omnis Chriſti oratio ſemper fuit exaudita. vt ſupra fuit dictū ver. 190. 292. 1105. Itē nota quod Chriſtus orauit multipliciter. 268. 399. 400. Itē ꝙ oratio Chriſti aliter fuit exaudita quā noſtra verſi. 406. Et vtrū Chriſtus oret pro nobis verſi. 442. *Et clamor meus ad te veniat.* De clamore Chriſti & corporali & ſpirituali orationis: vide verſi. 24. 295. 390. 399. 422. 516. 1092. Qualiter autem oratio clamat ad deum verſi. 242. Et quid nos clamando debemus à Deo petere verſi. 893.

*Auguſtin. Hieronym.*

*2. Reg. 15.*

*4. Reg. vlt.*

*Ad Heb. 1. Vel ſecundum antiquos iſte Pſal. literaliter intelligitur de perſecutione Antiochi regis & ſic ſubtilis nota.*

*Ioā. 11.*

*Oratio aliter à deo auditur aliter exauditur.*

*Omnis oratio Chriſti ſemper fuit audita à patre: ſed non ſemper exaudita.*

1704 Non auertas faciem tuam à me: in quacūque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

Hic oſtēdit ſuā tribulationē. Sciebat enim Chriſtus deū ab ipſo non auerſurū faciē. ſed hic loquitur in perſona ſuorū, dicēs, *Non auertas faciem tuam à me.* id eſt, à meis: deſpiciēdo orationē ipſorum. Loquitur enim hic de deo ad modū hominis, qui quādo petitionem alicuius non vult exaudire, ab ipſo auertit faciē. quādo autē ipſum vult exaudire, ſibi aurem inclinat. quaſi dicat, auerte faciem tuam à peccatis meis: non à me. *In quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam.* Notandum quod tribulatio eſt duplex, ſcilicet, quædam ab extrinſeco, & quædam ab intrinſeco. Tribulatio ab intrinſeco eſt quę procedit à carne noſtra: quæ nos multipliciter tribulando tētat. de quā 1. Cor. 7. Tribulationem carnis ſuſtinebit. & cùm ſic tribulamur, ad deum per orationem clamare debemus: exemplo Pſalmiſtæ dicentis, In tribulatione mea ad dominum clamaui. &c. Hæc enim dicitur propriè noſtra tribulatio quo ad principiū actiuū: quia à carne noſtra procedit: & quo ad principiū paſſiuū, quia mētē impugnat. In iſta ergo tribulatione maximè orandus eſt deus: quia hoc genus demoniorū nō eiicitur niſi in

*Tribulatio duplex.*

*1. Cor. 7.*

*Pſal. 17.*

*Mat. 17.*

*Valerius. Exemplum.* oratione & ieiunio. Narrat Valerius li. 1. quòd cũ Egles Samius athleta eſſet mutus, & ſibi præmium victoriæ quam adeptus fuerat videret accipi: indignatione tam graui accenſus fuit, quòd vocalis euaſit, id eſt, cæpit loqui, qui prius mutus fuerat. *Orandum eſt quando quis tentatur carne.* Sic moraliter multi ſunt fortes athletæ, qui multa fortia virtutum opera faciunt: qui multos hoſtes vitiorum ſuperant, ita vt ſint digni præmio ſempiterno: qui tamen quandoque tentantur & tribulantur à carne: vt patet de Paulo. *2.Cor.12.* Quando ergo per tales tribulationes vident ſe præmio quo prius digni erant, priuari: tunc ad orationem oportet habere recurſum. vt ſi prius muti erant, ab oratione vocales fieri debent orando vt auxilium eis diuinũ conferatur. *Pſalm 90.* Pſal. 90. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione &c. Alia eſt tribulatio ab extrinſeco, ſcilicet, quæ fit per mũdi calamitates & aduerſa. *Iudith.8.* de qua Iudith 8. Omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes tranſierunt fideles. Et in iſta etiam eſt clamandum ad Deum. *Magiſter de proprietatibus.* Dicit magiſter de proprietati. rer. quòd coturnix mare tranſiens cum fuerit fatigata vnam alam erigit ad modum veli: & alteram alam ad corpus applicat: & ſic ſuper aquas maris quieſcẽs flante vẽto ad littus peruenit. Sic & nos moraliter hoc mare magnum & ſpacioſum tranſituri, quãdo per aduerſa patimur, & tribulamur, incipimus in itinere fatigari *2.Cor.1* 2.Cor. 1. Supra modum fatigati ſumus. Licet autem vnam alam dum hîc ſumus oporteat applicare corpori, vt ſcilicet prouideamus quę corpori ſunt neceſſaria. alteram tamen ſemper ad Deum erectam per orationem debemus habere, & ipſa vti tanquam velo: vt flante vento ſpiritusſancti perueniamus ad portum ſalutis æternæ. quia dicitur *Pſal.45.* Pſal. 45. Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus. Qualiter auertit à nobis faciẽ. vide verſi. 842. Quid ſit auris Dei. verſi. 1838.

## 1705 In quacumque die inuocauero te: velociter exaudi me.

Hic petit exauditionis accelerationẽ. Hoc idem aliis verbis petebat, Pſal. 69. dicens, Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuãdum me feſtina. Sic & nunc ait, *Velociter exaudi me.* Notãdum tamen quòd in aliquibus velocitas eſt reprehenſibilis, & in aliquibus laudabilis. *Velocitas duplex bona & mala.* Quia eſt quædam velocitas mala: & quædam bona. *Velocitas mala multiplex.* Velocitas autem mala eſt triplex. *Velocitas iræ.* Prima conſiſtit in corde, & hæc turbationis & iracundiæ. Cùm enim ira ſit accenſio ſanguinis circa cor: res autem accenſa velocis ſit motus: ſicut ignis velocioris eſt motus cæteris elementis. hinc eſt quòd ipſa iracundia quandam velocitatem in ſe continet deteſtandam. vnde iracũdus nihil deliberat. Et hæc eſt cauſa quare iuuenes velocius iraſcuntur quàm ſenes. quia, ſcilicet, in eis magis viget calor naturalis. Et ſic eorum ſanguis facilius accẽditur. Et de iſta velocitate iræ dicitur, *Eccl.7.* Eccl. 7. Ne ſis velox ad iraſcendum: ira enim in ſinu ſtulti requieſcit. Senes autem tardius iraſcuntur: quia ipſorum ſanguis tardius inflammatur. *Iaco.1.* Iaco. 1. Sit autem tardus ad iram. *Velocitas locutionis.* Secundò conſiſtit in ore. Et hæc eſt velocitas locutionis ſiue loquelæ. Cùm enim quæ ex ore exeunt de corde procedãt naturaliter vt in pluribus: quanto magis cor appropinquat ori, tanto velocius loquela procedit ad extra. *No. de paruis.* Et hinc eſt quòd cæteris paribus parui ſtatura velocius loquuntur quam grandes: quia cùm minor diſtantia in ipſis ſit inter cor & linguam: in ipſis motus cordis citius peruenit ad linguam. Et ſic minus maturè videntur verba proferre. Et de iſta velocitate dicitur Prouer. 29. *Prouer 29.* Vidiſti hominem velocem ad loquendum: ſtultitia magis ſperanda eſt quam illius correctio. *Velocitas operis mali.* Tertia velocitas ſtat in opere. Communiter enim velociores ſunt mali ad malum exequendum, quam boni ad bonum. Cuius ratio eſt, quia ad bonum peragendum, ſcilicet, bene: oportet multas circunſtantias conſiderare: & illas omnes obſeruare. Ad malum autem ſolum defectus vnius circunſtantiæ debitæ ſufficit. Sicut facilius ſagittantem videmus à ſigno deficere, quam directè attingere ſignum: quia pluribus modis deficere poteſt, ſcilicet, ſi ſagitta perueniat ſupra ſignum, ſi infra, ſi à lateribus: & huiuſmodi. Ad attingendum ad ſignum oportet omnia prædicta cauere. Et ideo velocius & citius quis malum agit quam bonum. Vnde de malis dicitur Pſalmus 13. *Pſal.13.* Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Et Prouer. 6. *Prouer.6.* Sex ſunt quæ odit dominus. pedes veloces ad currendum in malum &c. Alia autẽ eſt velocitas bona. Et hæc multiplex. Prima eſt velocitas increpationis: vt mali corrigantur. Sicut enim medicus infirmo velociter adhibet remedium, ne morbus deterius creſcat: ſic multo fortius prælatus malis ſubditorum velociter obuiare debet: ne inualeſcãt. Et hoc eſt quod prælatis & ſuperioribus ſub angelorũ nomine dicitur Eſa. 18. *Eſa.18.* Ite angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam. Sic & ſermo Dei dicitur velociter currere: quia velociter peccãtes corrigit. Pſal. 147. *Pſal.147.* Velociter currit ſermo eius. Secunda eſt velocitas auditionis: vt neſcientes informentur. Iacob 1. *Iaco.1.* Sit omnis homo velox ad audiendum. Tertia eſt obeditionis, vt præcepta obſeruẽtur. Sic enim omnes boni ſtudent velociter adimplere diuina præcepta. Eccl. 32. *Eccl.32.* In omnibus operibus tuis eſto velox: & omnis infirmitas non occurret tibi. Quarta eſt velocitas orationis: vt Dei adiutoriũ impetretur. Quia enim hoſtes ſpirituales vndique nobis & velociter occurrunt: oportet vt velociter diuinum quæramus auxilium: quia ſi tardaret, ſuccumberemus. Et hoc eſt quòd Pſal. velociter adiuuari poſtulat. Pſal. 69. *Pſal.69.* Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me feſtina. ſic & Pſal. 142. *Pſal.142.* Velociter exaudi me: quoniam defecit ſpiritus meus. Conſimiliter & nunc velocem adiutorem poſtulat dicens, *In quacumque die inuocauero te: velociter exaudi me.* Notandum tamen quòd orationes etiam iuſtorum multotiens differt dominus exaudire: ſaltem quo ad votum propter ipſorum vtilitatem. vide verſi. 56. 291. 514. 516. 650. 1495.

## Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. 1706

Hic ponitur huius deprecationis ratio. Huius enim deprecationis motiuum & ratio fuit crudelis perſecutio Antiochi tribulantis populum. quæ conſiſtebat in duobus, ſcilicet, in factis & in verbis iniurioſis. propter quæ compellebantur Dei inuocare adiutorium. Vnde primò ponit primum. ſecundò ſecundum: ibi, Tota die. Quantum ad primum notandum quòd hic adducit Pſal. multa mala quæ populus in illa perſecutione fuit paſſus: quorum primum fuit populi crudelis trucidatio. ſecundum corporis fame arefactio: ibi, Percuſſus ſum. tertium vigoris perſonalis attenuatio: ibi, A voce gemitus. quartum fuit per deſerta populi diſperſio: ibi, Similis factus. quintum fuit laudis diuinæ conculcatio: ibi. Vigilaui. Quãtum ad primum ſciendum quo ad literam: quòd intentio Antiochi regis erat, ex toto abducere Iudæos à cultu veri Dei ad cultum idolorum ſuorum. vt apparet in pluribus locis primo & ſecundo Mac. *2.Macca. 6. & 7.* & maximè 2. Mac. cap. 6. & 7. Vnde & aliqui conſentientes tranſibant ad ritum gentilium. nolentes autem conſentire, trucidabãtur: vt patet ibidem. Et ſic deficiebat populus dupliciter à lege Dei. quia aliqui peruertebantur, & aliqui occidebantur. Et hoc ponens Pſal. in perſona illius populi dicit, *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei*, id eſt, dies mei appropinquant defectui vt omnino deficiat dei cult⁹, niſi tu adiuues nos. quia multi ex nobis trucidãtur, & multi timẽtes ad ritũ gentiliũ trãsferuntur. Et ſic hic accipiũtur dies non pro tẽpore, ſed pro cultu diuino, qui omnibus aliis ſectis clarior erat, ſicut dies ſuperat noctẽ. Sequitur *Et oſſa mea ſicut cremiũ aruerunt.* Vbi aduerte quòd ſecundum grammaticos cremium dicitur à cremo, cremas. *Cremiũ quid dicitur.* Et dicitur cremium frixorium in patella: & maximè illud quod remanet in patella aridum de carnibus poſt pinguedinem liquefactam dicitur cremium. Dicit ergo Pſal. quòd in illa perſecutione oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Quia ad literam aliquos fortes & conſtantes in lege diuina nolentes regi obedire, ne legem Dei trãſgrederentur, rex Antiochus in patellis cremari & frixari faciebat. Sic enim legitur 2. Mac. 7. *2.Mac.7.* quòd ſeptem fratres vnà cum matre compellebantur flagris & verberibus carnes porcinas contra legem manducare. Quorum primus dixit regi, Quid quęris? parati ſumus magis mori quam patrias leges dimittere. Iratus rex iuſſit ſartagines æneas ſuccendi. Quibus ſtatim ſuccenſis iuſſit eum qui prior fuerat locutus, amputata lingua & cute capitis abſtracta, & ſummitatibus manuum & pedum præciſis ipſum torreri in ſartagine: in qua diu cruciatus & crematus expirauit. Et hæc ad literam præuidẽs Pſal. ait, *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* quia pinguedine & carnibus in ſartagine conſumptis oſſa rem anſerunt arida. Per hoc autem vult Pſal. deſignare caſum humani generis per elationẽ primi parentis conſecutum. Vbi notandum quòd in *Dies.* ſacra ſcriptura per diem proſperitas intelligitur: & aduerſitas per noctem. vide verſi. 2. 690. 692. 1481. 1587. Per fumum verò denotatur ſuperbia. *Fumus.* quia ſicut fumus aſcendit ſemper, & aſcendendo deficit: ſic & ſuperbia. vide verſi. 1049. Humanum igitur genus ante primi parentis peccatum erat in die: quia multis proſperitatibus circundatus: quia habitabat in paradiſo voluptatis: vbi nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſentiebat. &c. vide verſi. 799. Sed iſta dies proſperitatis defecit propter fumũ ſuperbiæ primi parentis. Et hoc eſt quod Chriſtus allegat patri in perſonam ſui corporis dicens, *Velociter exaudi me.* Ratio, *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei.* quia propter fumum ſuperbiæ Adæ defecit dies proſperitatis. Vnde ex tali defectione aruit virtus hominis: non ſolum quo ad corpus, ſed etiam quo ad animæ vires: quia propter peccatum primi hominis etiam ſol & luna, & omnia ſidera obſcurata ſunt: *4.Senten.* vt dicit magiſter li. 4. di. 48. quia à ſuo lumine defecerunt: quia minus lucent quam ante. quanto magis & vires animæ quæ per oſſa ſignificantur. Et hoc notans ait, *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Glo. id eſt, animæ virtus & fortitudo contracta eſt. Quod ideo dicit, vt miſeria noſtra pium iudicem moueat ad compaſſionem. Quod enim oſſa virtutes ſignificent, vide ver. 55. 468. 519. 532. 867. Ipſa enim aduerſitas quam incurrimus vires noſtras areſcere fecit. prouerbi. 17. Spiritus triſtis exiccat oſſa.



## Percuſſus ſum vt fœnũ, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. 1707

Hic ponit ſecundum malum, ſcilicet, corporis propter famem arefactio. Vbi ſciendum quòd duci & prælato licet quandoque fugere: quando ſcilicet videt quòd præſentia mortem incurrit cum diſpendio ſalutis ſubditorum. tunc fugere licet, conſiderato quòd ſua abſentia proficit pro tunc ſubditis, & præſentia noceret. vt habetur 7. q. 1. per multa exempla. *7.q.1.* Iudas ergo Mac. in illa perſecutione fugit ad tempus cum multis: vt tempore opportuno Iudæis auxilium poſſet afferre. Vnde dicitur, quòd Iudas Maccabęus receſſit in deſertum locum: ibique *2.Mac.5.* inter feras in montibus vitam agebat, & fæni cibo veſcentes demorabãtur, ne participes eſſent coinquinationis. Et ſic eorum corpora fame areſcebãt, & deſiccabantur: ſicut fænum prati nimio calore ſolis areſcit. Quod præuidens Pſal. in perſona illorũ dicit, *Percuſſus ſum vt fænum*, ſcilicet, ſicut fænum percutitur à ſole, ita & ego in montibus vbi ſine habitaculis erant. *Et aruit cor meum.* Hic accipitur cor nõ prout eſt vis animæ: ſed prout eſt quoddam membrum corporeum. Totum enim corpus areſiebat præ æſtu ſolis ac etiam præ fame: quia non panem, ſed fænum comedebant. Et hoc eſt quod ait, *Quia oblitus ſum comedere panem meum.* id eſt, in vſum duxi non comedere panem. Per hoc autẽ vult oſtẽdere Pſalm. quòd miſeria humani generis ex peccato primi parentis venit. Nam creatus fuit homo immortalis: qui ſi mandatum Dei ſeruaſſet, etiam ſecundum corpus nunquam aruiſſet. ſed commiſſo primo peccato ſtatim immortalitate perdita, mortalis eſt effectus: corpora autem per mortem areſcunt. Hanc ergo noſtram miſeriam allegans Chriſtus patri ait, *Percuſſus ſum vt fænum*, id eſt ex peccato hoc patior: quia factus ſum vt fænum: quod ſcilicet cito areſcit ad æſtũ ſolis. Vnde dicitur Eſa. 45. Omnis caro fænum. *Et aruit cor meum*, ſcilicet, ſterilitate peccati. Totum corpus hominis per mortem areſcit. Et ſic accipitur cor pro toto corpore. Et vnde hæc pæna proceſſit, ſubdit dicẽs, *Quia oblitus ſum comedere panem meum.* Quid enim propriè nomine panis niſi verbũ Dei intelligitur? Ioan. 6. Ego ſum panis viuus. &c. & Matth. 4. Non in ſolo pane viuit homo, &c. *Ioan.6. Mat.4.* Quæ eſt ergo cauſa quare homo ad mortis miſeriam venit? Reſpondet dicens, *Quia oblitus ſum comedere panem meum*, id eſt, oblitus ſum obſeruare verbum Dei, id eſt, præceptum à Deo mihi datum. Vnde glo. *Quia oblitus ſum comedere panem meum*, id eſt, verbum Dei cuſtodire: quia præceptum quod dedit Deus primo homini dimiſit: & bibit venenum ſerpentis conſentiendo eius indignæ perſuaſioni.

## A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ. 1708

Hic ponitur tertium malũ, ſcilicet, vigoris per-

ſonalis attenuatio. Corpus autem attenuatum nimia macie attenuatur:& vigore corporali ſicut & debita refectione fortificatur & robur. Tempore autem prædictæ perſecutionis Iudæi fugientes in montibus, & cum beſtiis comedentes fænum (vt dictum eſt) multa fame attenuati viribus etiam corporalibus deficiebant. Vnde intantum erant attenuati & macri effecti, quòd conſumpta omni pinguedine, cutis oſſibus adhærebat. Etiam ex alio: quia tribulatio intēſa multum exiccat corpus. Iſti autem maximam tribulationem patiebantur: maximè quia videbant legem Dei violari, ſanctum templum contaminari,& Iudæos paſſim interfici: ideo vitam ſuam in dolore & gemitibus perducebant. Quod præuidens pſal. ait. *A voce gemitus mei*. id eſt, propter tribulationem & gemitum meum, adhæſit os meum carni meæ. Hic enim ſecundum

*Hierony.*

Hiero. caro accipitur pro cute: quia omni carne conſumpta oſſa cuti adhærebāt. Per hoc vult Pſal. oſtendere quòd propter peccatum primi parentis ſpiritus vel ratio quæ prius ſenſualitati præerat, ſibi ſubiicitur. Vnde nota quòd per oſſa quæ robur & firmitatem habent: ſignificatur ſpiritus ſiue ratio. ſed per carnē ipſa ſenſualitas denotatur. iuxta modum ſaluatoris dicentis. Spititus quidē promptus eſt: caro autem infirma.

*Mat 26.*

Ante enim peccatum caro adhærebat oſſibus: quia ſenſualitas ſpiritui ſubdebatur: ſed poſt peccatum econtrario oſſa adhærent carni: quia ratio multoties ſe ſubiicit ſenſualitati. Et hoc eſt quod nunc in perſona generis humani dicit, *Adhæſit os meum carni meæ*. non autem dicit: Adhæſit caro mea oſſibus meis. Conſimilis textus habetur Iob 19. Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.

*Iob 19.*

Quia hic caro pro pelle ſiue pro cute accipitur. Et ideo iſte textus poteſt exponi ſicut illum textum Iob exponit Greg. 14. mor. c. 23. dicens, Pelli meæ conſumptis carnibus adhęſit os meum, In oſſe formido: in carnibus verò infirmitas deſignatur.

*Gregorius. Os dicitur Chriſtus carnes apoſtoli: pellis vel cutis mulieres.*

Quia igitur Chriſtus & eccleſia vna perſona eſt: quid per os niſi ipſe dominus deſignatur. quid per carnem niſi diſcipuli qui paſſionis eius tempore infirma ſapuerant. per pellē verò quæ exterior manet carne in corpore quid, niſi illæ ſanctæ mulieres deſignantur: quæ ad præparanda ſubſidia corporis exterioribus domino miniſteriis ſeruiebant? Nam cum eius diſcipuli quamuis necdū firmè veritatis fidem domino prędicarent: oſſi ſuo inhærebant carnes, Et cum ſanctæ mulieres ea quæ neceſſaria erāt exteriora præpararent: quaſi pelles exterius manebant in corpore. Sed cum ad crucis horam ventum eſt: eius diſcipulos grauis ex perſecutione Iudæorum timor inuaſit. fugerunt ſinguli, mulieres adhæſerunt. Quaſi ergo conſumpta carne os domini pelli ſuæ adhęſit: quia fortitudo eius paſſionis tempore fugientibus diſcipulis iuxta ſe mulieres inuenit. Stetit equidē aliquamdiu Petrus, ſed tamē poſt territus negauit. Stetit & Ioannes cum ipſo; cui & crucis tempore dictum eſt, Ecce mater tua. ſed perſeuerare minimè potuit; quia de eo quoque ſcriptum eſt, quòd adoleſcens quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta ſindone nudus profugit ab eis.

*Ioan. 19.*
*Mar 14.*

Quia etſi, poſt vt verba ſui redemptoris audiuit, ad horam crucis rediit: prius tamen territus fugit. Mulieres autē non ſolum non timuerunt, neque fugiſſe ſed etiam vſque ad horam ſepulchri ſtetiſſe memorantur. Dicit ergo, Pelli meæ cōſumptis carnibus adhæſit os meū. hoc eſt, Hi qui meæ fortitudini propinquius inhærere debuerant, paſſionis meæ tempore conſumpti ſunt. Et eas quas ad exteriora miniſteria poſui: in paſſione mea ſine formidine inhærere mihi fideliter inueni. Conſimiliter & iſte textus intelligi poteſt.

*Iob 19.*

## Similis factus ſum pellicano ſollitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. 1709

Hic ponit quartum malum quod fuit diſperſio populi per deſerta. Nam vt dictum eſt: & habetur 2. Mac. 3. Iudas Maccabæus cum multis fugerūt à facie tantæ perſecutionis & latitabant in ſolitudine in montibus cum beſtiis. Et in perſona horum loquitur pſal. dicens, *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis*. Pellicanus enim eſt auis ſolitaria habitans in ſolitudine. Iſti ergo ſic latitantes in ſolitudine non erant auſi apparere de die, ne caperentur. De nocte tamen & occultè Iudas Maccabæus cum ſuis introibant per caſtella: confortantes Iudæos alios, vt legem domini tenerent conſtanter. vt habetur 2. Mac. 8. vbi dicitur, Iudas vero Maccabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in caſtella: & conuocantes cognatos, & amicos & eos qui permanſerant in iudaiſmo aſſumentes adducebant ad ſe. &c. Et quantum ad hoc dicit de illis pſal. *Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*. Nycticorax eſt auis quæ ſolum de nocte apparet: in die autem latitat inter rimas parietum.

*2. Mac. 3.*
*2. Mac.*

Per iſtas aues vult Pſal. oſtendere quale factum eſt genus humanū propter peccatum. Homo habitabat in paradiſo cum angelis: propter peccatum inde expulſus ad mundi ſolitudinem venit. Ante peccatum ambulabat in die gratiæ: ſed poſt ambulabat in nocte culpæ. Quæ notans Chriſtus in perſona ſuorum ait, *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis*. quo ad primum. *Factus ſum ſicut nycticorax. &c.* quo ad ſecundum.

*Pellicano cōparatur genus humanū.*

Vel iſta verba Chriſtus dicit de ſeipſo: qui propter noſtrum peccatum factus eſt vt pellicanus, & vt nycticorax. Vbi ſciendum quòd (vt ait magiſter de proprieta. rerum & hic recitatur in glo.) pellicanus naturaliter odit ſerpentes. Serpens autem per arborem aſcendens pullos ſuos interficit. Quod dum pellicanus percipit: per triduum pullos ſuos luget: deinde ſe in pectore proprio vulnerat, & aſperſione ſui ſanguinis filios ſuos mortuos viuificat. Vel ſecundum quòd hic ait glo. pellicanus dicitur (etſi non certū ſit) filios ſuos roſtro occidere, & triduo lugere. & túc roſtro ſanguinē ſuū ſuper eos ſpargere; vnde illi reuiuiſcūt. Sic & cōformiter Chriſti filios, id eſt, homines ab ipſo creatos ſerpēs veneno ſuæ tētationis occidit: quibus cōpatiens Chriſtus ſanguinē proprium ſuper mortuos filios ſpargēs in cruce, ipſos viuificauit. Vel etiam Chriſtus ipſe filios occidit, & viuificat: quia peccatores occidit, ab eo quod ſunt, cōmutās: & ſanguine ſuo, id eſt, fide ſanguinis ſui viuificat illos. Sic enim Chriſtus occidit Saulū perſecutorē, & ipſum ſuo ſanguine viuificauit. Iuxta illud Deut. 32. Ego occidā, & ego viuere faciam &c. Et. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat.

*Pellicano ſimilis eſt Chriſtus.*
*Deute. 32.*
*1. Regū. 2.*

*Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*. Nycticorax enim ſecundum magiſtrum eſt auis quæ de nocte volans cibos ſibi quærit: & quærendo clamat: cuius cibus volucribus cæli eſt odioſus. Sic & ſpiritualiter Chriſtus de nocte volans cibos ſibi quærit. Quid enim per noctē obſcuram niſi peccatores deſignantur, qui lumine gratiæ carēt. Per hos volat Chriſtus qui non venit vocare iuſtos ſed peccatores ad pænitentiam. Mat. 9. In iſtis cibum ſibi quærit, dum ſibi per gratiam incorporans ipſos ſibi vnit. Et hoc facit clamore ſuo, ſcilicet, prædicationis clamore. qui clamor odioſus eſt volucribus cæli, ſcilicet, dæmonibus: qui volucres cæli dicuntur. Luc. 8. Volucres cæli comederunt illud.

*Nyſtico. dicitur Chriſtus.*
*Matth. 9.*
*Luca 8.*

Iſtum autem verſum exponit Alueidus de pænitentibus dicens, *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis*. Pellicanus pallidi coloris eſſe fertur: qui pullos mox vt excluſerit roſtro occidit; rurſumque cum gemitu mirabili, & ſanguinis ſui effuſione reſuſcitat. Felix anima quæ mutuans alas columbæ ad ſolitudinem ſecura volauit, in qua mortificās membra ſua quæ ſunt ſuper terrā opera ſua priora quaſi pullos ſuos interficit. deinde in nouam vitam dolore ac ſudore quaſi ſanguinis effuſione, gemitibuſque inenarrabilibus ac ſalutari compunctione viuificat. Deinde cibos ſibi cæleſtes in domicilio mutuans ſcripturarum nycticorax efficitur: ſpiritualiter in nocte æquè vt in die: in aduerſis, ſcilicet, & proſperis volans & exultans: & de virtute in virtutem proficiens donec quidam paſſer effectus, & à tenebris huius infelicitatis in illam inacceſſibilem lucem euigilans tranſeat in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum dei in voce exultationis & cōfeſſionis.

*Alueidus. Pellicano & nycticoraci ſimilantur pænitentes.*

Vel iſtis tribus auibus, ſcilicet, pellicano, nycticoraci, & paſſeri comparātur tria genera pænitentium. Quòd ſic hic glo. deducit. Diuerſa pęnitentium genera notat per has aues. Pellicano enim aui maciei nimiæ & ſolitariæ comparantur Eremitæ. Nycticoraci verò ſimilis eſt ille qui à publico remotus: dum alij in nocte huius ſeculi dormiunt, vigilat, & ſibi mentis eſcas petit. qui ſi non inter homines: extra tamen in alto eſt: dicens eis qui dormiunt, Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. Paſſer eſt ille qui ſagax ad alta virtutum fugit vbi tutus eſt à laqueis. Qui ſolitarius vel vnicus dicitur propter charitatem quæ ex multis facit vnum, &c.

*Pœnitētes aſſimilantur pellicano, nycticoraci & paſſeri.*

## 1710 Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Hic ponit quintum malum quòd fuit diuinæ laudis cōculcatio. Quia enim in illa perſecutione Iudæi publicè vniti ſtare non poterant, ſed diſperſi erant: ideo laudibus diuinis ſecundum legis pręceptum non poterant intendere. Et hoc inſinuans Pſal. in perſona illius populi dicit, *Vigilaui*. ſcilicet, mente: ſed nō potui voce publica Dei laudes exoluere. *Quia factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. Paſſer ſolitarius in campis cantat, ſed in tecto ſilet. Per hoc autem vult oſtēdere quòd quamuis Chriſtus ad modum pellicani ſanguine ſuo filios mortuos ipſe moriens viuificauerit: tamen à morte reſurgēs cælos glorioſus aſcendit. Vnde hoc exponens hic glo. ait, Chriſtus vigilans factus eſt paſſer ſolitarius in tecto. Quia Chriſtus qui in paſſione dormierat, vigilauit in reſurrectione: & volando in cælum factus eſt ſicut paſſer ſolitarius in tecto. id eſt, in cælo, vbi interpellat pro nobis. De hoc vide verſicul. 1433. Vel aliter, quia pænitentia de peccatoribus iuſtos efficit: ideo poſtquā oſtendit ſtatum pænitētiæ dicens, Similis factus ſum pellicano. &c. nunc oſtendit ſtatum iuſticiæ acquiſitum per pænitentiam dicens. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. Paſſer enim ſignificat iuſtos. vide ver. 1433. Vel in iſtis duobus ver. ponuntur tria genera auiū, & tria loca quibus diuerſi ſtatus prędicatorum intelliguntur. Quod ſic deducit magiſter in glo. Tres aues, & tria loca hic diſtinguuntur. Aues. pellicanus, nycticorax & paſſer. Loca. ſolitudo, parietina & tectum. Et dicitur pellicanus in ſolitudine: nycticorax in parietinis: paſſer in tecto. Pellicanus auis eſt, quæ in ſolitudine habitat. Nycticorax eſt auis vigil, & teter coruus noctis, habitat in parietinis, quas vulgo dicimus ruinas, vbi parites ſtant ſine tecto, vbi habitat nycticorax auis quæ noctē amat. Paſſer autem tecta amat. Vnus autē homo vel plures poſſunt habere perſonam trium auiū.

*Pellicanus, nycticorax & paſſer ſignificant prædicatores.*

Tria verò loca: tria genera hominū. Eſt enim ſolitudo vbi Chriſtiani non ſunt neque fuerunt. Parietinæ vbi fuerunt ſed corruerūt. Tecta verò vbi fuerunt necdum ceciderunt, manentes in domo. Verus ergo prædicator ſi venit inter eos vbi Chriſtiani non ſunt: ſimilis eſt pellicano ſolitudinis. Si autem venit ad eos qui Chriſtiani fuerunt, ſed tamen ceciderunt: eſt ſicut nycticorax in domicilio, vel in parietinis: quia nec tenebras eorum deſerit, ſed vult eos lucrari. Si autē venit ad eos qui crediderūt, nec ceciderūt manētes in domo eccleſiæ, ſed tæpidè agētes: eſt ſicut paſſer in tecto: & clamat eis qui ſub tecto, id eſt, ſub carne torpēt cùm ipſe ſit ſupra carnem. Vnde dominus in euangelio, Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et alibi. Qui in tecto eſt non deſcendat.

*Prædicatorū tria genera.*
*Matt 10.*
*Matt. 24.*

## Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabāt me, aduerſum me iurabant. 1711

Hic ponitur ſecundum genus perſecutionis, ſcilicet factæ verbis iniurioſis & contumelioſis. Et primò ponuntur illata opprobria. ſecundò pæna populi ex hoc habita. ibi, Quia cinerem. Quātum ad primum ait, *Tota die*. &c. Exprobrabat enim Antiochus cum ſuis populo Iudæorum: vtputa dicēs, Vbi eſt modò Deus veſter quem colitis? ſurgat & liberet vos de manibus meis. q. d. Non eſt verus Deus: quia vos defendere non poteſt: & vos fatui eſtis talem Deum adorare: non aduertentes quòd Deus non ſe habebat in populo Iudæorum ſicut in alijs nationibus: quia iſtos vt pater temporaliter flagellabat vt corrigeret: ſed alios impunitos permittebat, ipſos ſupplicijs reſeruans ęternis. Et hoc eſt quod Iudæi dicebant 2. Mac. 6. Non enim ſicut in alijs nationibus dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis ſtatuit vt peccatis noſtris deuolutis ita demum in nos vindicet: propter quod quidem nunquam miſericordiam ſuā à nobis remouet. Corripiens verò in aduerſis populum ſuum non derelinquit.

*Punire peccatum ſignum eſt amoris.*
*2. Mac. 6.*

Et aduerte quòd talis exprobratio propter iniuriā Deo illatam plus cruciabat bonos fideles, quam proprij corporis tormenta: quia iniuriam dei propriam reputabant. Et hoc eſt quòd dicit, *Tota die exprobrabant mihi*. &c. Quid autem ſit exprobrare propriè vide ver. 1549. Et modum exprobrationis ſubiungit dicens, *Et qui laudabant me, aduerſum me iurabant*. Eſt enim quædam laudatio ironicè dicta: vt cùm fatuo ironicè dicitur, Tu es ſapiens præ cæteris. vel turpi dicitur, Tu es pulchrior cæteris. Iſto modo hoſtes Iudæorum laudabant eos ironicè, quòd realiter erat eos vituperare. vt dicēndo, Vos eſtis ſapientiores cæteris, qui

qui Deum inuiſibilem adoratis, quē nulla alia natio colit. Modo apparet ſapientia veſtra: & ſimilia. Et ſic laudando iurabant aduerſus eos: quia ſcilicet per Deos ſuos iurabant Iudæorum nationem. & Dei cultum ex toto annulare. vt patet, 2. Mac. 5. Per hoc vult Pſal. oſtendere iudæorum malitiam, contra Chriſtum: qui Chriſto exprobrabant. vt Mat. 11. Hic eſt vorax, & potator vini, & publicanorum amicus. Ioan. 8. Dæmonium habes. & conſimilia. Quæ præuidens Pſalm. in perſona Chriſti loquitur dicens. *Tota die exprobrabāt mihi inimici mei.* Quare? Quia peccatores Diaboli membra conuerto, & ipſos membra mea facio. Ex hoc exprobrāt mihi dicentes, Magiſter veſter manducat cum publicanis & peccatoribus. vt ait glo. Et ſic laudabāt Chriſtum verbis adulatorijs: facto autem contra ipſum iurabāt, id eſt, in mortem eius conſpirabāt: vt quando miſerunt diſcipulos ſuos cum Herodianis dicētes, Scimus quia verax es &c. Eſt enim mos adulatorum vt primò laudent quem vituperare & perdere volunt. Vnde magnum peccatum eſt adulari peccatori: quia tunc in peccato nutritur. vide verſi. 114. Maius peccatum eſt adulari iuſto: quia quantum eſt ex parte adulantis ipſum cadere facit: Maximum peccatum erat adulari Chriſto: quia per hoc nō creditur Deus dum æſtimatur neſcire mentem adulatoris.

*2. Mat. 5. — Mat. 11. — Ioan. 8. — Mat. 22. — Adulatio gradus habet.*

1712 Quia cinerem tanquam panem mānducabam: & poculum meum cum fletu miſcebam.

Hic ponitur pæna ex dicta improbratione Iudæis conſecuta. Et hic triplex pæna nominatur. Prima ex parte victus, qui erat cinis. Secunda ex parte caſus, qui erat grauis. ibi, A facie. Tertia ex parte finis, qui videbatur breuis. ibi, Dies mei. Quantum ad primum ſciendum quòd vt dictum eſt: in illa perſecutione Iudas & alij multi fugerūt ad mōtes conuerſantes cum beſtiis: & quandoque latēter deſcendebāt in caſtra. vt habetur. 2 Mac. 8. Et ſic quandoque aliquantulum de farina vt poterant aſportabant, ex qua faciebant panes ſubcinericios, qui cum cineribus ſunt inuoluti: & ſic ex penuria cinerem cum pane manducabant. Similiter recordantes quomodo ſancta erant conculcata ipſorum peccatis exigentibus, & genus Iudęorum exterminatum, continuas lachrymas emittebant: & ſic dum potarent, lachrymæ in ipſorum potu ſtillabant. Et ſic cinerem tanquam panem manducabant, & potum cum fletu miſcebant. Per hoc autem vult Pſal. oſtendere quare Iudæi iurauerunt vel conſpirauerunt contra Chriſtum. Vnde ſi quęras à Chriſto. Quare iudæi qui te laudabant, aduerſum te iurabant, ſiue conſpirabant? Reſpondet Chriſtus. Cauſa eſt, quia cinerem tanquam panem manducabam, &c. Vbi notandum quod per cineres intelliguntur pænitentes ſiue ipſa pænitentia. Quod pulchrè patet ſi conſideres quòd cinis præcipuè valet ad tria, ſcilicet, ad lauanda ſordida: ad conſeruandum ignem: & ad obſcura facienda lucida. Sic & conformiter pænitentia. Primò ergo pænitentia ad modum cineris lauat ſordida. Ex cinere enim fit lixiuium quòd ſordida purgat. Sic & pænitentia ſordidam in peccatis purgat animam. Propter quòd dicitur, Pænitentiam ago in cinere & cilicio. In huius figuram dicitur Hebre. 9. Sanguis taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis. Vbi ſciēdum quòd (vt habetur Num. 19.) præcepit dominus vt vacca ætatis integræ & ſine macula extra caſtra duceretur: & ibi combuſta, ex cineribus eius fieret lixiuium, quo immundi homines aſperſi mundabātur. Quid autem figurabatur, niſi Chriſtus qui eſt vacca ſiue vitulus ſine macula ratione ſuæ immolationis: ætatis integræ, quia trigintatriū annorū. & ſine macula, quia peccatum non fecit. Qui extra caſtra ductus, id eſt, extra ciuitatem Hieruſalē ductus, & in cruce poſitus, igne charitatis fuit conſumptus. Ex cuius cineribus, id eſt, paſſionibus nobis fit pænitentiæ lixiuium omnis immunditiæ purgatiuum: vt ſententialiter ponit ibi glo. ad Hebræ. 9. Iſto ergo cinere aſpergimur, & mundamur, cùm paſſionem eius immitantes, & nos pænitentiam agimus. Et ad iſtum cinerem pænitentiæ inducimur Hiere. 6. Filia populi mei accingere cilicio, & aſpergere cinere. luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Secundò cinis valet ad operiēdum ignem: ne, ſcilicet, appareat. Quid autem per ignem omnia conſumentem, niſi peccatum intelligitur. Ignis in domo impij. Sed hunc ignem peccati operit pænitentia, ne à Deo videatur ad puniendum. propter quòd dicitur. Saccum cōſui ſuper cutem meam: & operui cinere carnem meam. Quod de virtute pænitentiæ exponēs Grego. ait, Quid in ſacco & cinere niſi pænitentia: quid in cute & carne niſi peccatum carnis debet intelligi? Cū ergo quidam poſt lapſum carnis ad pænitentiam redeunt: quaſi ſaccus ſuper cutem conſuitur, & cinere caro operitur: quia culpa per pænitentiam tegitur ne in diſtricti iudicis examine ad vltionem videatur. Et ideo nobis conſulitur Hiere. 25. Clamate, & aſpergite vos cinere. Tertiò cinis valet ad faciendum obſcura lucida. Nam quid lucidius vitro. Quòd tamen fit ex cinere. Sic & conſimiliter pænitētia quæ clarificat animas: quia omnem obſcuritatem peccati tollit. Pſal. 147. Nebulam ſicut cinerem ſpargit. Vbi glo. ad propoſitum ait, Dum nos ad pænitentiam vocat Deus, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Cinis enim ad humilitatem, & pænitētiam pertinet: quia cinis & cilicium ſunt arma pænitentium. Nebula verò caliginem peccati, & ignorantiam notat. Et dum vocatur quis ad intelligendum deum, & dicitur ille capere veritatem: incipit velle capere veritatem, & non ſufficit, ſed patitur caliginem: adhuc eſt illi nebula, vt ſciat ſe neſcire, & non poſſe capere quem oportet eum ſcire. Sed ſi non poteſt penetrare veritatis arcanum, pæniteat eum peccatorum ſuorum quibus in hāc difficultatem videndi venit. Et ita erit ei ſalubris nebula quam ſpargit Deus vt cinerem, id eſt, tollit per humilitatem pænitentiæ quæ ſignificatur per cinerem. Nebulam ergo, id eſt peccati caliginem deus ſicut cinerem ſpargit, id eſt, tollit per humilitatis pænitentiam. Hæc glo. Et quia talis cinis pænitentię de cælo nobis inſpiratur. dicitur Deut. 28. De cælo deſcendet ſuper te cinis donec conteraris, ſcilicet, de peccatis. Ad propoſitū ergo dicit Chriſtus, quòd aduerſus eum iurabant. cauſa, quia cinerem, id eſt, pænitentes manducabam, id eſt, mihi incorporabam peccatores vocando ad pęnitentiā. Vnde hic glo. *Aduerſum me iurabant*, id eſt, conſpirabant. *Quia cinerem tanquam panem manducabam*, id eſt, quia pænitentes qui per cinerem & fletum ſignificantur in membris meis habere volui. Iſtū autem verſum aliter exponit Balduinus dicens, *Quia cinerem tanquam panem*, &c. Ac ſi diceret, Memoriam infirmitatis & conditionis meæ qua memini me cinerem, & puluerem, panis mihi eſt, refectio mea eſt roborans & confortans me: & poculum ſpiritualis lætitiæ quòd me lætificat non ſine amaritudine eſt, quia gaudium doloris temperamentum. Si autem eſſet virtus ſine infirmitate: eſſet gaudium ſine mœrore. Nunc autē & infirmitas proficit ad virtutem. Et hoc eſt, cinerem tanquam panem manducare. Et virtus humiliatur per infirmitatem. Et hoc eſt, poculum meum cum fletu miſcebam.

*2. Macc. 8. — Iob 42. — Hebre. 9. — Num. 19. — Hebre. 9. — Hiere. 6. — Miche. 6. — Iob. 16. — Grego. 13. Mora. c. 10. — Hiere. 25. — Pſalm. 147. — Deut. 28. — Gaudium ſpirituale dolore miſcetur. — Balduinus.*



1713 A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans alliſiſti me.

Hic ponitur grauitas pænæ ex parte caſus. Quanto enim quis magis cadit ab alto, tanto caſus eſt grauior. Nulla autem generatio tantum à Deo fuerat exaltata, vt natio Iudæorum: vt patet ſi conſideres quantum fuit exaltata tempore Dauid, qui omnes circunſtantes populos, & regna ſibi ſubiecit. Quantum tempore Salomonis, cuius vultum omnis terra videre deſiderabat. De quo 3. Reg. 10. Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes reges terræ. Quantum tempore Heſter. Quantum tempore Iudith: quæ ſola mulier totum exercitum Holofernis deuicit. Et ſic diſcurrendo per ſcripturam nullum regnū magnificatum tantū fuit gloria, virtute, & mirabilibus, ſicut regnum & genus Iudæorum. Modò autem tempore Antiochi non erat natio in orbe tantū vilipenſa, tantum abiecta & ſubiugata, totque miſerijs aggrauata, vt natio Iudæorum. Sic enim ad literam de gente Iudæorū tempore Antiochi dicitur. Secūdum gloriam eius multiplicata eſt ignominia eius, & ſublimitas eius conuerſa eſt in luctum. vnde rectè videbatur deus contra Iudæos indignatus. Et hoc præuidens Pſal. dicit. *A facie iræ indignationis tuæ*, ſcilicet, proiectus ſum in tantum opprobrium propter iram indignationis tuæ, qua mihi indignaris propter peccata. *Quia eleuans alliſiſti me*, id eſt, quanto amplius me eleuaſti, nationem, ſcilicet, Iudæorum exaltando, tanto amplius modò depreſſiſti iſtam, ipſam in opprobrium & conculcationem gentibus ſubijciendo. Per hoc vult Pſal. oſtendere, quòd quanto homo nobiliori modo, & altiori cæteris creaturis inferioribus fuit creatus à Deo, tanto amplius peccando cæteris creaturis fuit depreſſus, & alliſus. patet ſi conſideres hominis miſeriam. Vnde ſecundum glo. Hæc ſunt verba generis humani deo dicentis, Eleuans me, ſcilicet in honorē faciendo me ad imaginem tuam, ex quo omnia animalia ſuperamus: & tanto grauius propter peccatum alliſiſti me. Nullum enim animal habet tantam pœnam miſeriæ præſentis, & gehennæ futuræ niſi homo. Quod enim pecus plangit de peccato? quòd animal? Certè nullum niſi homo. Quæ auis timet gehennam ignis æterni? Certè nulla niſi homo, Quia ſicut nulla eſt eis participatio vitæ beatæ: ita nulli ſunt ſtimuli miſeriarum. Nec mirum: quia cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: & ampliori ingratitudini maior pæna debetur.

*3. Reg. 10. — 1. Mac. 1. — Homo miſerior cæteris creaturis.*

1714 Dies mei ſicut vmbra declinauerūt: & ego ſicut fœnum arui.

Hic ponitur tertia pæna ex parte finis, quæ videbatur breuis. Promiſerat enim Deus Dauid ſtabilire regnū eius & Salomonis. Vt patet 2. Reg. 7. vbi Deus per Nathan dixit ipſi Dauid. Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quòd egredietur de vtero tuo: & ſtabiliam regnum eius vſque in ſempiternum. &c. Modò autem tempore Antiochi ex toto defeciſſe videbatur. Et hoc eſt quòd Pſal. in perſona illius populi tempore illius perſecutionis deplorat dicens, *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt*, quæ, ſcilicet, in ſe nullam habēt ſtabilitatem. Et rationem ſubdit dicens. *Et ego*, id eſt, quia ego ſicut fœnum arui, id eſt, ſicut viriditas fœni ab ardore ſolis deficit, & areſcit, ſic & ego ab ęſtu perſecutionis. quia tunc Iudæi paſſim interficiebantur. Vnde dicitur. 2. Mac. 5. quòd in triduo octoginta milia Iudæorū interfecti ſunt: quadraginta milia vincti: nō minus autem venūdati. Per hoc autem vult Pſal. demonſtrare, quòd viuere hominis quod ante peccatum fixum & ſtabile erat: poſt peccatū breuiter ad modum vmbræ ſolis tranſit. Quia ſicut ſol nunquam ceſſat à curſu ſuo: ſic & vmbra cauſata à ſole nunquam fixum ſtatum habet, ſed ſemper fluit. Et fœnum ardore ſolis areſcit: ſic & homo vitæ curſu. Et hoc eſt ꝙ dicitur Iob 14. Homo natus de muliere breui viuens tempore, &c. quaſi flos egreditur, & fugit velut vmbra. Vbi Grego. 11. mor. ca. 27. ait. Homo enim more floris procedit ex occulto, & ſubito apparet in publico: qui ſtatim ex publico per mortem trahitur ad occultum. Carnis nos viriditas oſtendit: ſed ariditas pulueris ab aſpectibus hominum retrahit. Quaſi flos apparuimus qui non eramus: quaſi flos areſcimus, qui temporaliter apparemus. Et quia per momenta homo cotidie cōpellitur ad mortem: rectè adiungitur, Et fugit velut vmbra. Sed cùm ſol curſum ſuum indeſinenter peragat: nunquamque in ſtabilitate figat: Cur curſus vitæ hominis vmbræ potius quàm ſoli cōparetur: niſi quia amiſſo amore cōditoris calorem cordis perdidit, & in ſolo iniquitatis ſuę frigore remanſit? Qui igitur in amorem Dei calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit tenet, velut vmbra fugit. Et hoc eſt quòd de humano genere poſt peccatum Pſal. ait, *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt*. quia cotidie tendimus ad mortem. *Et ego ſicut fœnum arui*, ſcilicet, tempore mortis. Quòd autem vmbra ſit vita præſens vide verſ. 567.

*2. Reg. 7. — 2. Mac. 5. — Homo vt flos egreditur: & fugit velut vmbra.*

Tu autem domine in ęternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem. 1715

Hic ponitur dictæ perſecutionis per Chriſtum liberatio, quam prædicit Pſal. fieri per aduentum Chriſti. Et diuiditur in partes tres: quia primò ponitur eccleſiæ promotio per aduentum Chriſti. ſecundò eccleſię futura tribulatio per aduentum antichriſti. ibi, Reſpondit ei. tertiò præſentis vitæ ceſſatio in fine mūdi, ibi, In initio. Prima in duas. quia primò ponitur eccleſiæ promotio, ſecundò ex hoc concluditur gratiarum actio. ibi, Scribantur. Prima in duas: quia primò ponitur eccleſiæ promotio immediatè facta per Chriſtum. ſecundò facta per cætum apoſtolicum. ibi, Quoniam placuerūt. Circa primum duo facit: quia ponitur primò Chriſti æternitas ratione paternæ generationis. ſecundò Chriſti pietas ratione maternæ incarnationis: ibi, Tu exurgens. Quantū ad primum ſciendum quod Chriſti duplex eſt natura, ſcilicet, diuina ratione perſonæ, & humana ratione aſſumptæ naturæ. Ratione autē naturæ diuinæ Chriſtus ſemper fuit, eſt, & erit:

& erit: quia perſona Chriſti eſt verbum Dei, & ſapientia Dei. Sicut eſt impoſſibile deum eſſe, vel aliquando fuiſſe ſine ſapientia: ſic & ſine verbo. Et

*Chriſtus eſt æternus ratione perſonæ.*

hãt æternitatem Chriſti ratione ſuppoſiti notãs Pſal. Chriſto dicit, *Tu autem Domine in æternũ permanes*. Præuidens enim Pſal. quòd aliqui futuri erant hæretici qui dicerẽt Chriſtũ dei filium nihil fuiſſe, antequam conciperetur ex Maria virgine: ſicut fuerunt Ebenomitę hæretici. Iſtum errorem extirpare volens ait Chriſto, *Tu autem Domine in æternum permanes*. Et iſtam æternitatem Chriſti ratione ſuppoſiti bene nouerant Iudæi quando Chriſto dicebant,

*Ioan.12.*

Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Sed contra iſtam æternitatem perſonę Chriſti admirantur ſimplices dicẽtes, Omne quòd naſcitur ex aliquo, eſt poſterius illo ex quo naſcitur. Quis enim intellectus poteſt capere, quòd pater aliquis generans filium aliquem, non ſit ante filium, & filius poſt patrem? Quòd autem eſt poſt aliquid, non eſt æternum: quia in æternitate nihil prius aut poſterius. Et hanc obiectionem mouet

*Auguſti.*

Aug. in de verbis domini, dicens, Dicunt hæretici. Si natus eſt patri filius: erat pater antequam filius ei naſceretur. hoc autem reſpuit fides. Ergo dicũt, rationem redde quomodo filius naſci potuit patri vt coæternus eſſet ei à quo natus eſt, vel coæuus. Poſt patrem enim naſcitur vtique filius: quòd verum de filio qui naſcitur patri morituro ſucceſſurus. Accipe ergo rationem. Nemo dubitat quòd ſplendor ex igne generatur. Ponamus ergo ignem patrem ſplendoris. da mihi ignem ſine ſplendore: & dabo tibi patrem domini ſine filio. Similiter ponamus arborem natam ſupra aquam: nonne cum imagine ſua naſcitur? Si enim ſemper eſſet, vel fuiſſet arbor ſuper aquam, ſemper eius imago de ipſa nata fuiſſet in aqua. Ad hoc autem clarius intelligendum, ſcilicet, coæternitatem patris & filij: eſt notandum, quòd principium aliquod productiuum alicuius præcedat duratione aliquod productum ab eo, ſolum tribus rationibus accidere poteſt: Primò quia producens à principio ſui eſſe non habet potẽtiam productiuam in ſeipſo perfectam: ſicut homo à principio ſui non habet perfectam potentiam generandi: & ideo eius filius neceſſariò duratione eſt poſterior ipſo. Secundò hoc contingit propter modum producendi: quia quando aliquid producitur per motũ, qui motus eſt in tempore, oportet ꝙ productum ſit poſterius duratione ipſo producẽte: quia productum primò habet eſſe in primo inſtanti, in quo terminatur ille motus: prout patet in generatione formæ vel compoſiti. Tertiò hoc accidit quando aliquid producitur liberè, & non de neceſſitate naturæ: quia tale producens poteſt expectare quantum vult ad producendum ſuum effectum. ſicut creaturæ à Deo cuius potentia eſt perfectiſſima, & ſine tranſmutatione & motu: tamen non ſunt ei coæternæ. & ſi ab æterno potuerit producere creaturas: noluit tamen illas producere ab æterno. Modò ad propoſitum, nullus iſtorum modorum poteſt poni vt verbum Dei ſit poſterius ipſo patre producente. Non primum, quia in diuinis nulla poteſt eſſe potentia productiua imperfecta: quia in Deo nihil imperfectum cadere poteſt. Nec ſecundum, quia verbum in diuinis non procedit per mutationem & motum, quia vt dicitur Iaco. 1.

*Iaco.1.*

Apud Deum nõ eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Nec tertium, quia verbum in diuinis procedit de neceſſitate naturæ: quia Deus neceſſariò ſeipſum intelligit. Et ſic relinquitur neceſſariò quòd verbũ in diuinis eſt patri coæternus: quòd verbum eſt ſuppoſitum Chriſti. Et ratione ſuppoſiti Chriſto nunc dicit Pſal. *Tu autem Domine in æternum*, &c. Sed iterum contra hoc arguunt hæretici, vt dicit magiſter li. 1. di. 9. dicens, Omne quòd eſt natum, habet principium: ſed verbum in diuinis eſt natũ: ergo habet principiũ. Tunc ſic, omne quòd habet principiũ incipit eſſe, verbũ habet principiũ, &c. Tunc ſic, omne quòd incepit eſſe, eſt tẽporale & nõ æternum. Ad iſtud argumentum reſpõdetur quòd duplex eſt principium, ſcilicet, originis à quo producitur aliquid: & principium temporis in quo aliquid producitur. Tunc ad argumentum, omne quòd eſt natum habet principium: verum eſt de principio originis, ſed non de principio temporis. Nam vt dictum eſt: ſi ignis fuiſſet æternus: calor vel ſplendor eius fuiſſet æternus. Et tunc calor eius habuiſſet principium originis, ſed non durationis ſiue temporis. Vnde ad prædictum argumentum ſic reſpondet Ambro. vt dicit magiſter vbi ſuprà. Dic mihi hæretice. Fuítne quandoque omnipotẽs Deus qui pater nõ erat, & Deus erat? Nam ſi pater eſſe cæpit: deus primò erat, & poſtea pater factus eſt. Quomodo ergo immutabilis eſt Deus. Si enim antea Deus, poſtea pater fuit: vtique generationis acceſſione mutatus eſt. Sed auertat Deus hanc amentiam. Ex prædictis ergo omnibus, patet quòd Chriſtus ratione ſuppoſiti manet in æternum, dicente Pſal. *Tu autem Domine in æternum permanes*. Et quamuis ſit æternus: memoriam tamen temporalium habet. vnde ſubditur, *Memoriale tuum in generatione & generationem*, id eſt, memoria qua noſtri memor es: eſt in generationem præſentem, & generationem futuram. quia promiſſionẽ habemus vitæ quæ nunc eſt & futuræ. vt ait glo.

## Tu exurgens miſereberis Sion: quia tẽpus miſerẽdi eius, quia venit tẽpus. 1716

Hic ponitur Chriſti pietas ratione ſuæ incarnationis. Loquitur enim ſacra ſcriptura de deo more hominum, quos dormire dicimus, quãdo oppreſſis nõ ſuccurrut: ſed tunc ſurgere, quãdo præſtant auxilium, Sic & ſimilitudinariè dicimus Deum iacere, vel dormire, quãdo ſuos aduerſitatibꝰ exponit, ſed ſurgere quando ab aduerſis ipſos liberat. Quia ergo Chriſtus per ſuã incarnationẽ ſuccurrit humano generi: ideo per illã dictus eſt ſurgere. Et hoc eſt quòd ait Pſal. *Tu*, ſcilicet, Chriſte, *exurgens*, per aſſumptionem carnis, *miſereberis Sion*. Ad hoc autẽ intelligendum: nota quòd Chriſtus ante incarnationem nõ ſtabat, ſed iacebat, vel dormiebat ſimilitudinariè. quoniã aliquibus erat ſedẽs, aliquibus verò iaces. Sedẽs quidẽ erat angelis, ſed hominibus iacẽs. Quòd ſic deduco: quoniã ſtãtis tã pars ſuperior quã inferior videtur, ſedẽtis autẽ pars ſuperior corporis videtur, ſed pars interior occultatur. iacẽtis verò vtraq; pars occultatur: quia nõ videtur niſi obſcurè & cõfuſe. In deo autẽ eſt cõſiderare partẽ ſuperiorẽ & inferiorẽ: & vtrãq; manifeſtat. Pſal. 138. Si aſcẽdero in cælũ, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades. Et Iob 11. Excelſior eſt cęlo, & profundior inferno. Eſt enim excelſior cęlo, quantũ ad partẽ ſuperiorẽ diuinitatis: ſed profundior inferno per humanitatẽ aſſumptã. alioquin nõ diceret Pſa. Eruiſti animã meã ex inferno inferiori. Angeli autẽ ante incarnationẽ hãc partẽ ſuperiorẽ, ſcilicet, diuinitatem clare videbant: ſed partem inferiorẽ humanitatis non videbant. Vnde Bernard. in ſer. de Epiph. loquens angelis beatis, dicit, Habetis ſublimitatẽ eius: ſed humanitatem eius antea non vidiſtis. Sic igitur fuit Deus apud angelos quaſi ſedens. Pſalm. 79. Qui ſedes ſuper cherubin, &c. Sed hominibus iacebat: quia pars ſuperior, ſcilicet, diuinitas eos latebat. Exod. 33. Non poteris videre faciem meam. non enim videbit me homo & viuet. quia Deus habitat lucem inacceſſibilem, &c. Pars etiam inferior, ſcilicet, humanitatis latebat homines: quia nondum apparuerat Chriſti humanitas, nec benignitas, nec humilitas. Vnde Bernard. Priuſquam appareret humilitas, latebat benignitas. ideo quo ad homines erat quaſi iacens: quia omnino latebat: niſi quia de ipſo aliquid enigmaticè per fidẽ de ipſo credebãt. iacebat quidẽ in cubiculo, id eſt, in ſinu dei patris vbi æternaliter requieuit. Ideo ad ipſum excitandum vt per incarnationẽ exurgat ſuper ipſum clamabat Pſal. dicens, Exurge domine adiuua nos: & libera nos propter nomen tuũ. Et alibi. Exurge quare obdormis domine: exurge, & ne repellas in finẽ. Et dicit bis exurge: Primum propter homines quibus erat iacẽs. Secundũ propter angelos quibus erat ſedẽs. Sed nonne videtur magna præſumptio, vt homo putredo & filius hominis vermis, audeat clamare, & inquietare regẽ cæleſtem dormiẽtem. 1. Re. 26. Quis es, tu qui clamas, & inquietas regem? Sed adhuc maior videtur præſumptio quòd ſibi modum voluit imponere exurgendi, dicens, Exurge domine in præcepto quòd mandaſti. Præceptum quòd ipſe mandauit, eſt præceptũ manſuetudinis & humilitatis, dicens, Diſcite à me quia mitis ſum. Sed adhuc maior præſumptio videtur ex cauſa, quare ipſum excitat: quia non ad vtilitatẽ regis exurgentis: ſed neceſſitas hominis iacentis excitauit. excitauit enim eum vt ſe liberaret, & ab hoſtibus protegeret: cũ tamen præſciret hoc fieri nõ poſſe ſine magno regis periculo. vnde clamat alibi, Apprehẽde arma & ſcutum: & ſurge in adiutoriũ mihi. Ad quẽ tamen miſericorditer Chriſtus reſpondet, dicens, Propter miſeriã inopum, & gemitum pauperum: nunc exurgam dicit Dominus. Hęc ergo omnia præuidens Pſal. quomodo Chriſtus exurgens per incarnationẽ ſecum miſericordiã afferret, dicit, *Tu exurgẽs miſereberis Sion*, id eſt populi colẽtis deum in monte Sion. Magna enim miſeria eſt implere iuſtum deſideriũ alicuius. Omnes autẽ ſancti patres cũ magno deſiderio affectabant Chriſtũ incarnatum videre. Luc. 10. Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, &c. Inter quos fuit ille ſanctus Simeõ, qui reſponſum acceperat à ſpirituſancto nõ viſurũ ſe mortem, niſi videret Chriſtum. Hoc autẽ fuit adimpletum, quando Chriſtus fuit in tẽplo pręſentatus, quòd erat in monte Sion: qñ ibi prædicauit, & miracula multa fecit, quando in mõte Siõ cùm diſcipulis cœnauit, & ſacramentũ euchariſtiæ inſtituit. quando ibidẽ ſpiritũſanctum apoſtolis miſit. Et ſic per Chriſtum fuit adimpleta prophetia Zachariæ dicentis, Exulta ſatis filia Siõ: iubila filia Hieruſalẽ. ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator, & ipſe pauper. Et per hoc quòd dicitur pauper, manifeſte patet quòd conſolatio danda per Chriſtum non intelligebatur quo ad bona tẽporalia quæ ſunt minima: ſed quo ad ſpiritualia quæ ſunt maxima. Et præuidens Pſal. tẽpus Chriſti incarnationis quòd præfixũ fuit æternaliter à patre, ſubdit, *Quia tempus miſerendi eius: quia venit tempus*. De quo tempore dicitur ad Gal. 4. At vbi venit plenitudo tẽporis, &c. Et aduerte quòd cũ dicit, miſereberis Sion. per Sion quòd Specula. interpretatur, non ſolum intelligit iudæos quorum miſertus eſt ex eis ſumendo Apoſtolos & alios diſcipulos multos: ſed etiam intelligit omnes fideles per fidẽ Deũ contemplantes, vide ver. 101. 269. 1336. 1351.

*Margin notes (p. 96, col. 2): Exurrexit Chriſtus per incarnationẽ. Surgere Chriſti eſt incarnatio. — Pſal. 138. — Iob. 11. — Pſal. 85.*

*Margin notes (p. 97, col. 1): Pſal. 79. — Exod. 33. — 1. Timo. 6. — Pſal. 43. — Iob 25. — 1. Reg. 26. — Mat. 11. — Pſal. 34. — Pſal. 11. — Luc. 10. — Luc. 2. — Zacha. 9.*



*Gala. 4.*

## Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur. 1717

Hic ponitur promotio eccleſiæ facta per Chriſtum mediantibus Apoſtolis: qui primò prædicauerunt Iudęis, & inde expulſi gentibus. vt habetur Act. 13. Vbi notandũ quòd hic non loquitur de lapidibus mortuis: ſed de viuis, quibus eccleſia conſtruitur. Vnde Greg. 8. mor. c. 36. ait. Lapidum nomine in ſcriptura ſacra homines deſignantur. ſicut ſanctæ eccleſiæ per Eſaiã dicitur. Ponam iaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos. Qui per eoſdem lapides quid dixiſſet aperuit cùm ſubiunxit, Vniuerſos filios tuos electos à domino. Sicut & admonẽte Petro dicitur, Et vos tãquam lapides viui ſuper ædificamini domos ſpirituales. Et de iſtis lapidibus viuis dicit, *Quoniã placuerunt ſeruis tuis lapides eius*, ſcilicet, ſeruis tuis apoſtolis placuerunt lapides eius, ſcilicet, fideles de Iudæis ad pręḋicationẽ apoſtolorũ conuerſi, vt patet Act. 2. & multis alijs locis. Ipſi enim de Iudæis cõuerſi fuerunt primi lapides viui in ſpirituali ædificio eccleſiæ poſiti. Et de iſtis lapidibus conuerſis dicitur Zachar. 9. vbi poſtquam dixit, Exulta filia Sion, &c. quia ecce rex tuus venit tibi, &c. ſubdit, Et ſaluabit eos dominus deus eorum in die illa: quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius. Et ſerui dei, ſcilicet, apoſtoli primò in Iudæa prædicando miſerti ſunt Iudæorũ, ipſis prædicãdo, ipſorum infirmitates ſanando: & ipſos ad cultũ veri Dei & fidẽ Ieſu Chriſti adducẽdo. Et hoc eſt quòd ſubditur, *Et terræ eius miſerebuntur*. Vel aliter. Vbi aduerte quòd per lapides ſolidos & fortes intelligũtur ſancti prophetæ, qui myſteria eccleſiæ prædixerunt, & Chriſti incarnationẽ. Et ſic fundamentũ eccleſiæ & principium fuerunt. ad Eph. 2. Superædificati ſuper fundamentum apoſtolorũ & prophetarum. Serui autẽ dicuntur apoſtoli: quia idem quòd miſſi. ſed terra ipſius montis Sion dicuntur alij Iudæi & populares. Sic eſt ergo ſenſus. *Quoniã placuerunt ſeruis tuis lapides eius*, id eſt, apoſtolis placuerunt prophetæ. quia eorum dicta de Chriſto & eccleſia receperunt, & crediderunt omnia in Chriſtum eſſe cõpleta. Et hac fidelitate habita ex dictis prophetarum terræ Iudæorum, id eſt, populo Iudæorum ſunt miſerti eos per prædicationem ad fidem adducendo. vnde ſubdit, Et terræ eius miſerebuntur. Et hunc intellectum habet glo. dicens hic. *Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius*, id eſt, apoſtolis tuis placuerunt lapides Sion, id eſt, prophetæ firmi & ſtabiles. Sunt enim in Sion lapides: ſunt & non lapides, ſcilicet, puluis & terra. Lapides ſunt prophetæ. Ibi enim præmiſſa eſt prædicatio vnde ſumptum eſt euangelicum officium. Ergo ſerui, id eſt, apoſtoli agnoſcunt in lapidibus, id eſt, in prophetis eloquia Dei. Et de terra formant imaginem Dei, id eſt, eccleſiam dum terreni mundantur, quorum miſerentur. Sicut ergo de puluere terræ plaſmatus eſt homo: ſic de puluere ruentium parietinarum Dei imago formatur.

*Margin notes (p. 97, col. 2): Act. 13. — Gregorius. Lapides dicuntur boni conuerſi. — 1. Pet. 2. — Act. 2. — Zacha. 9. — Lapides dicuntur prophetæ. — Epho. 2.*

Inde eſt quòd miſſo ſpiritusſancto multi crediderunt eorum qui Chriſtum crucifixerunt. De illo enim puluere ſiue terra multa vtilia credentiũ venerunt precium rerum ſuarum ad pedes apoſtolorum ponentium,&c.

1718 Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriã tuam.

Hic ponitur gentium conuerſio. Ad prędicationem enim apoſtolorum, & ad miracula eorũ gẽtes audientes timuerunt deũ,& conuerſę ſunt ad fidẽ. Sic enim de Cornelio gẽtili ait Petrus. *Actuum 10.* Omnis qui timet Deũ, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Et non ſolum gentes vulgares receperũt timorem Dei,& fidem: ſed etiã magni principes & reges. vt patet de rege Franciæ cõuerſo per beatum Dionyſium: de rege Angliæ: de imperatore Romanorum per beatũ Silueſtrũ: & ſic de multis alijs. Si autem nõ omnes reges adhuc cõuerſi ſunt; omnes tamen in fine timebunt gloriã Chriſti timore filiali aut ſeruili, vt dæmones qui credũt & contremiſcunt. *Timore facere bonum qualiter eſt meritorium.* Nota quòd timoris multæ ſunt ſpecies. Eſt enim timor mundanus, ſeruilis, initialis, & filialis, vide ver.261. Timore mũdano ſiue ſeruili omittere malũ, vel bonũ facere, nõ eſt meritoriũ. vide ver.242. Timore autẽ initiali ſi plus mouet timor quã amor iuſtitiæ, peccatũ eſt: ſi autẽ econtrario, meritorium eſt. Si autẽ moueat ęqualiter, tunc eſt peccatũ: quia tunc deus non plus amatur quã idẽ amet ſeipſum. Item nota quòd timor & amor cauſa ſunt conuerſionis. ver.455. Item nota, quòd timor dei vtilis eſt omnibus peccatoribus pœnitentibus, proficientibus & perfectis. *Timor etiã ſeruilis, videlicet, ad peccata fugiẽda.* Primò ergo timor dei valet peccatoribus ad tria, ſcilicet, ad præterita peccata odiendũ: ad præſentia peccata repellendum: ad futura peccata declinandũ. Primò timor dei valet ad peccata præterita odiendũ. Sic latro deprehenſus, ſolo timore pœnę dolet de furto cõmiſſo. Exẽplum in Adam qui poſt peccatũ dixit ad dominũ. *Gen.3.* Vocẽ tuam audiui in paradiſo: & timui eo quòd nudus eſſem,& abſcõdi me. Vnde Caſſiodorus ſuper Pſal. 2. dicit, quòd ſicut nimia ſecuritas culpas admittit: ſic timor delicta ſemper excludit. *Pſal.2.* Et hoc eſt quòd dicitur Prou.8. *Prouer.8.* Timor domini odit malã arrogantiã & ſuperbiã. Secundò valet ad peccata pręſentia repellendũ: ſicut mulier timore mariti expellit pręſentẽ adulterũ. Figura huius in obſtetricibus Ægypti. Exo.1. *Exod.1.* Timuerunt obſtetrices Deum,& non fecerunt iuxta præceptũ regis. Vnde Hugo. li.3. de anima dicit, *Hugo.* Si amor dei te tenere non poteſt: ſaltẽ te teneat iudicij timor, metus gehennæ, meditatio mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, ſulphur fætẽs, flamma tartarea,&c, Et hoc eſt quòd dicitur Eccl.1. *Eccle.1.* Timor domini expellit peccatũ. Nã qui ſine timore eſt: iuſtificari non poterit. Tertiò valet ad futura peccata cauẽda: ſicut carnis timore domini clamantis declinat à prohibito. Figura habetur de Ægyptijs Exo.9. *Exod.9* quòd qui timuerunt verbũ domini propter grandinẽ futuram: fugere fecerunt ſeruos ſuos & iumẽta in domos,&c. Vnde iſto timore declinauit Pharao à peccato ꝙ facere diſponebat, ſcilicet, hebræos retinere. Ideo dicitur Prou.15. *Prouer.15.* Per timorẽ domini declinat omnis homo à malo. Sed notandum quòd iſte timor ſeruilis quo deus timetur ratione pœnæ: licet peccatoribus ſit vtilis (vt dictũ eſt) non tamen eſt perfectus, quia iſto timore plus timetur pœna quàm Deus ametur. Vnde Greg. dicit, *Grego.9. moral. c.43.* Qui humani generis conditorẽ adhuc ſeruiliter timet: proculdubio ipſum nõ amat. Nam tunc ſolũ Deo vera obſequia reddimus, cûm eum propter amoris fiduciã ſeruiliter non timemus: cùm nos ad bona opera affectus non metus dirigit: cũ malum noſtræ menti iam nõ placet, etiã ſi licet. Nã qui à peruerſitatis opere ex timore reſtringitur, peruerſa libenter ageret, ſi liceret. Nequaquã ergo veraciter rectus eſt, qui adhuc à prauitatis deſiderio liber non eſt; quia vera obſequia deo non reddimus ſi ex timore mãdatis illius,& non potius ex amore ſeruimus.

Quia ædificauit dominus Sion: & videbitur in gloria ſua. 1719

Hic ponitur eccleſiæ ædificatio. Vbi notandum quòd per Siõ ſignificatur eccleſia. *Sion ſignificat eccleſiã.* Eſt autẽ duplex eccleſia, ſcilicet, militans in præſenti: & triũphans in futuro. Significat enim Sion quãdoq; eccleſiam militantẽ. vide verſ.1336.1351. Significat etiã eccleſiã triumphantẽ ver.101. De eccleſia ergo militante dicit, quòd ædificauit dominus Siõ, ſcilicet, eccleſiã militantẽ, in qua deus per fidẽ ſpeculatur, quã Chriſtus ædificauit per ſeipſum & per prædicationẽ apoſtolorũ. Incepit enim eccleſia in mõte Sion per oblationẽ Chriſti in tẽplo: per eius miracula & prædicationẽ,& ſpiritusſancti in eadẽ Sion miſſionẽ. Et hoc eſt quòd dicit, *Quia ædificauit dominus Sion*. Et in eodẽ loco, videbitur in gloria ſua. quia ibi à ſuis diſcipulis viſus eſt reſuſcitatus, & glorioſus. Vel hoc ꝙ dicit: Et videbitur in gloria ſua. refertur ad eccleſiã triumphantẽ, vbi beati clarè gloriã dei vidẽt. Et hoc videtur ſentire glo. Aug. *Auguſtin.* dicẽs. *Quia ædificauit dominus Sion*, id eſt, eccleſiã. Et tandem ædificata eccleſia in ipſa deus videbitur in gloria ſua, qui modò nõ videtur apertè quãdiu hic eccleſia ædificatur. Tunc enim videbitur Chriſtus glorioſus, qui prius viſus eſt infirmus & deſpectus. Tunc enim videbitur Chriſtus glorioſus: quia ipſius diuinitas nõ quidẽ à malis, quia mali deũ etiã ſibi præſentẽ videre nõ poſſunt. vide ver.1672. *Et videbitur in gloria ſua*. *Viſione tertia Chriſtus videtur.* Nota quòd triplici viſione gloria Chriſti videtur, ſcilicet, primò viſione corporali & ſenſitiua: & ſic viderũt ipſum apoſtoli incarnatũ & glorioſum reſuſcitatũ. 1. Ioã.1. Quòd vidimus & audiuimus, & manus noſtræ cõtractauerunt de verbo vitæ,&c. Et Ioã,1. *Ioan.1.* Vidimus gloriã eius,&c. Sic enim ipſum vidit Simeõ. Luc.2. *Luc.2.* Viderũt oculi mei ſalutare tuũ,&c. Secundò viſione ſpirituali & intellectiua. Et ſic ipſum modo vident fideles enigmaticè per fidẽ. 1. Cor.13. Videmus per ſpeculũ in enigmate,&c. Tertiò viſione æternali & fruitiua. Mat.5. *Matth.5.* Beati mũdo corde: quoniã ipſi deũ videbunt. Iſtarũ autẽ viſionum modo ſolũ ſecunda nobis viatoribus congruit. Et iſta viſione in Chriſto multa glorioſa videre debemus. *Videre multa debemus de Chriſto & credere de Chriſto.* Quæ omnia figuraliter nobis demonſtrãtur Apocal. 10. vbi dicitur Vidi angelum fortem ſtantem, deſcendentem de cælo: amictum nube: iris in capite eius: facies eius ſicut ſol: pedes eius tanquam columna ignis: & poſuit pedem dextrum ſuper mare: ſiniſtrum autem ſuper terram. In qua figura apparet quòd ſi volumus videre gloriam Chriſti in patria: hic primò in ipſo per fidem multa videre debemus, ſcilicet, diuinitatis maieſtatem. ibi, vidi angelum fortẽ. &c. Humanitatis veritatẽ. ibi, deſcendẽtem de cælo. Benignitatis pietatem. ibi, iris in capite eius. Subtilitatis claritatẽ. ibi, facies eius ſicut ſol. Stabilitatis firmitatem. ibi, pedes eius,&c. Auctoritatis poteſtatem. ibi,& poſuit pedem,&c. Primũ patet cum dicitur. Vidi angelum fortem ſtantem. Per hoc enim diuinitas verbi intelligitur: quia ſecundum magiſtrum li.1. di.8. *1. ſenten.* ſolus Deus ſtabilis eſt & immutabilis: ſic quòd omnia creata mutabilia ſunt & variabilia. Vnde Iaco.1. *Iaco.1.* Apud quem nõ eſt trãſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Notãs ergo Chriſti diuinitatem dicit. Vidi angelum fortem ſtãtem. Qui rectè vocatur angelus: quia ipſe Chriſtus propriè angeli cum habuit officium. Angelus enim idem eſt quòd nuncius vel legatus,&c.

1720 Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit precem eorum.

Hic ponitur orationum per Chriſtum exauditio. *Incarnationẽ Chriſti ſancti patres ſummè deſiderabant.* Ad quid enim tendebãt ſanctorum patrũ orationes, niſi ad poſtulandum Chriſti incarnationẽ cuius deſiderio ſummè æſtuabant. vt oſtẽdit Greg. li.13. mor. c.21. ſuper illo verbo Iob 17. Vbi eſt nũc præſtolatio mea: dicẽs, Quę eſſe potuit pręſtolatio iuſtorum, niſi iuſtus iuſtificans deus: qui ad preces humani generis ſpõte deſcẽderet: & captiuos mortuos iuſtitiæ ſuæ virtute liberaret? Huius enim præſentiam ſancti patres minimè ceſſabãt intenta cogitatione præſtolari: quàm quandoq; venturam eſſe nouerant, ſed venire citius querebant. Vnde non ait: Vbi eſt præſtolatio mea, ſed ait: Vbi eſt nunc præſtolatio mea. vt oſtẽdat quia quẽ quandoque vẽturum nouerat, ipſum venire citius quęrebat. Quid enim aliud orabat Simeon ille ſenex, vt redemptor cito niſi veniret dicens, Quando veniet: putas videbo? &c. In iſtorum ergo orationem *Reſpexit dei.* Chriſtus reſpexit, quando ipſos exaudiuit carnem aſſumẽdo. Et hoc eſt quòd ait. *Reſpexit in orationem humilium*, ſcilicet, ipſos exaudiendo. *Et non ſpreuit preces eorum*. Hoc eſt enim dei reſpicere, quòd non ſpernere. Quid enim eſt reſpicere dei in orationẽ, niſi ipſam exaudire, homini miſereri. vide ver.444. 541.590.360.363.493.873. 1385. Item reſpicere Dei eſt incarnatio Chriſti. vide verſ.152.158. Sic ergo reſpexit in orationem humilium quando ipſos exaudiendo carnem aſſumpſit.

1721 Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Hic ponitur ex prędictis gratiarum actio. Et diuiditur in partes duas. quia primò beneficiorum Chriſti percipitur memoria. ſecũdò incarnationis Chriſti exprimitur clementia. ibi, Quoniã proſpexit. Quantum ad primum ſciendum quòd ad hoc ordinata fuit ſcriptura, vt rerum ſtabilis eſſet memoria: quia illa quæ verbis proferuntur, in memoria non diutius manent; quæ autem ſcribuntur, *Scriptura manet ſed locutio tranſit.* diutius ſicut & ſcriptura longius verbo manent in memoria. Et hinc eſt quòd illa quæ Deus ſtabiliter perduratura ordinauit, illa ſcribere dicitur. nõ autem illa quę mutabiliter diſpoſuit. vt oſtẽdit Greg. *Greg.11. mor. cap. 24.* ſuper illud Iob 13. Scribis cõtra me amaritudines. dicens, Quia omne quòd loquimur tranſit: quòd verò ſcribimus, manet. Deus nõ loqui, ſed ſcribere cõtra nos amaritudines dicitur, cùm diu ſuper nos flagella perdurãt. Semel quippè peccati homini dictũ eſt, Terra es,& in terrã ibis. *Gen.3.* Et ſæpe apparentes angeli hominibus præcepta dederunt. Moyſes legiſlator per diſcretionem peccata coercuit. Ipſe vnigenitus ſummi patris ad nos redimẽdos venit, moriendo mortẽ abſorbuit, vitã perpetuam denũtiauit nobis quã oſtendit in ſe. Sed tamen illa quæ in paradiſo data eſt de morte carnis noſtræ ſentẽtia? ab ipſo initio generis humani vſq; ad finẽ ſeculi nõ mutatur. Quis eſt enim homo qui viuit,& non videbit mortẽ? *Pſalmus 88.* Et ideo amaritudines contra nos ſcribere dicitur: quia illa ſentẽtia immutabilis durat. Cõſimiliter ergo prædicationẽ euãgelij quæ vſq; ad finem mũdi eſt duratura, ſcribi voluit deus,& non ſolũ verbis prædicari: vt eius memoria vſq; ad mundi finẽ firmius perduraret. Et hoc eſt quòd ait, *Scribantur hæc in generatione altera*. quaſi dicat, ſecundũ glo. per Chriſtum eſſe reparationẽ: per Adã eſſe deſtructionem. Hæc, ſcilicet, ſcribantur, vt firmiter habeantur in generatione altera, ſcilicet, in omni generatione vſq; ad finem ſeculi futura. *Generatio altera dicitur generatio ſpiritualis.* Vel per alterã generationẽ intelligit non carnalẽ generationẽ, ſed ſpiritualẽ qua quis per aquam & ſpiritum regeneratur in Chriſto: quia tali generationi ſcriptura euangelij proficit nõ carnali. Sed quia talis generatio altera, ſcilicet, ſpiritualis nõ erat in antiquo teſtamento, ſed ſolũ per Chriſti prædicationem fuit inſtituta: ideo Pſal. iſta præuidens non ait, populus qui creatus eſt laudabit dominum: ſed populus qui creabitur laudabit dominum. quia tẽpore Pſal. nondum iſta ſpiritualis erat generatio: quæ cõdita per ſcripturã euangelicã gratias agens laudat Dominũ Ieſum Chriſtum. Nota ergo quòd populus nouus, ſcilicet, per Chriſtum nouiter generatus multipliciter. ipſum dominũ Ieſum Chriſtum laudare tenetur. vide. ver.1281. *Laudatur Deus à viatoribus & à beatis.* Itẽ nota quòd à duplici generatione, ſcilicet, viatorũ & beatorũ in quibus perfecta dei laus cõſiſtit: de qua Pſal.8. Ex ore infantiũ & lactentium perfeciſti laudẽ. *Infantes ſignificant viatores.* Generatio enim viatorum per infantes: ſed beatorum per lactentes deſignatur. Deſignatur autem ſtatus viatorum per infantes: quia tẽpus infantiæ ſolùm continet ſeptem annos. Numerus autem ſeptenarius ad totum tempus præſentis vitæ refertur, (vt oſtẽdit Greg.) *Gregorius 35. moral. cap.6.* quia ſeptem diebus deducitur. vnde 1.Petr.2. Quaſi modo geniti infantes, &c. Et ideo de viatoribus qui ſemper in vita preſenti pœnis multis,& miſeriis percutiuntur ſub nomine infantium dicitur. Tunde latera eius dum infans eſt. *Eccleſ.30.* Per lactentes verò deſignatur ſtatus beatorum & fruẽtium Deo. *Lactentes dicuntur beati.* Non enim omnis qui lac guſtat, dicitur lactẽs: ſed ſolùm ille qui de vberibus ipſum immediatè ſuggit. Sic in propoſito. Nã viri contemplatiui præſenti vita lac cæleſtis dulcedinis guſtãt, ſed tamen lactentes non ſunt: ſed cùm exiſtentes in patria quando nudam Dei faciem videbunt, & ex ea immediatè ineffabilem ſuauitatem haurient, quaſi ore nudis vberibus applicato. Dicit enim Auicẽ. *Auicen.2.cano.* quòd lac melius eſt quòd ex vberibus ſuggendo bibitur. Sic & illa dulcedo patriæ omnem aliam ſuperat. De qua Pſalm,30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuę Domine: quam modò abſcondiſti timentibus te; ſed reuelaturus eam in futuro. Et ideo nobis conſulitur, vt hoc lac ſuggere deſideremus in patria. 1.Petri 2. Lac concupiſcite ſine dolo: vt in eo creſcatis in ſalutem.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, dominus de cælo in terrã aſpexit. 1722

Hic incarnationis Chriſti exprimitur clemẽtia. Et primò ponitur Chriſti incarnationis pietas. ſecundò eiuſdem incarnationis vtilitas:ibi, Vt audiret. Quantum ad primum ſciendum quòd Dei aſpicere ſignificat Chriſti incarnationem. vide verſ. 152.158. Dicit ergo, quia proſpexit, &c. Superius enim dixit, quòd ædificauit Dominus Sion. Dixit inſuper: Scribantur hæc in generatione altera. Sed quid ſit ſcribendum, & qualiter ædificauit eccleſiã hic oſtendit dicens, ſcilicet, Scribantur hæc. *Quia Dominus proſpexit*, id eſt, miſertus eſt nobis. Et hoc *de excelſo ſancto ſuo*: vt, ſcilicet, inde ad humiles veniret. & per iſtum reſpectum ædificauit Sion. Loquitur enim de his quæ erant futura per modum præteriti propter prophetiæ certitudinem. Et iſtum reſpectum Dei, ſcilicet, Chriſti incarnationis ſub alijs verbis aperit dicens, *Dominus de cælo in terram aſpexit.* Quòd autem reſpicere Dei ſuper nos ſignificet Chriſti incarnationem, ſic deducitur. Reſpicere enim eſt actus viſionis. Licet autem de viſu fuerit diuerſitas opinionum, ſcilicet, vtrum fiat extra mittendo, vel intus accipiendo, tantum veritas eſt ſecundum philoſophum quod fit intus ſuſcipiendo eo quod ſimilitudo rei viſæ in oculo recipitur: & viſus à re viſibili mutatur. & non econuerſo. Sic fuit in incarnatione Chriſti. Nam Dei oculus dicitur Dei filius: ſicut & cætera quę ad cognitionem pertinent. vt dicitur Dei ſapientia, dei notitia, &c. Iob 29. Oculus fui cæco. Iſte igitur oculus à nobis motus eſt, id eſt, compaſſione noſtræ miſeriæ affectus. Ex qua motione ſequebatur ipſius incarnatio. Rex Iſrael mutauit habitum ſuum. Fuit autem hæc mutatio noſtræ ſimilitudinis in ſe ſuſceptio. Phil. 2. In ſimilitudinem hominũ factus & habitu inuentus vt homo. Hoc igitur fuit ſuum reſpicere, nõ aliquid à ſe extra emittere: quia Deus eſt vt erat. ſed intra ſe recipere, quia noſtram naturam aſſumpſit, quam prius non habebat. Sic enim reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, quia de ipſius ſubſtantia in ſe noſtram naturã aſſumpſit. Vel aliter. *Dominus de cælo in terram aſpexit.* vt per cælum intelligamus glorioſam virginem: de qua carnem aſſumens in terram, id eſt, in peccatores aſpexit ſua miſericordia. Quòd autem virgo Maria propriè cęlum dicatur: apparet, ſi conſideres cęli conditiones ſibi propriè conuenire. Nam cælum in ſuo motu habet viuacitatem: in ſuo ſitu ſubtilitatem: in ſuo effectu luminoſitatem: in ſuo motu regularitatem: in ſuo eſſe ſtabilitatem: in ſuo aſpectu ſpecioſitatẽ. Primò cælum habet in ſuo motu viuacitatẽ: quoniam cælorum influentia omnibus inferioribus vita pręſtatur: ac etiam illa omnia quibus vita noſtra nutritur & conſeruatur, cælorum generãtur virtute. Si enim cælum pluuiã non tribueret terrę: omnia terræ virentia ariditate deficerent. Ideo dicitur Deute. 28. Aperiet Dominus theſaurum ſuũ optimum cælum vt tribuat pluuiam tempore ſuo. Et quãtum ad hoc cælum ſignificat virtutem charitatis, quæ eſt ſpiritualis vita animæ noſtræ: à qua omnia opera viua & meritoria procedunt; ſine qua opera omnia mortua eſſe cenſentur. vt oſtendit magiſter lib. 2. di. 25. & lib. 3. di. 22. Propter quòd dicebat Apoſtolus. Si tradidero corpus meũ ita vt ardeam, charitatẽ autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Sed iſtã cęli virtutẽ quis plenius habuit glorioſa virgine? Certè nullus. quia ſecundum Hiero. cęteris gratia per partes pręſtatur: Marię autẽ ſe tota gratię plenitudo infudit, dicente ſibi angelo. Aue gratia plena. Et propter hãc virtutẽ charitatis ipſius, Petr⁹ bleſen. ipſam cõparat cęlo, &c.

*Reſpicere Dei dicitur incarnatio Chriſti.* — *Iob. 29.* — *3. Reg. 22.* — *Phil. 2.* — *Luc. 1.* — *Cælum ſignificat glorioſam virginem Mariã.* — *Deut. 28.* — *2. ſenten. & 3 ſentẽ.* — *1 Cor. 13.* — *Hiero.*

## Vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum. 1723

Hic ponitur incarnationis vtilitas. Et aduerte quod hic non accipitur incarnatio præciſè: ſed cũ ea etiã quę Chriſtus geſſit incarnatus: vt fuit Chriſti prædicatio, paſſio, & huiuſmodi. Iſtorum autem triplex ponitur hic vtilitas. Et ſecundum hoc hæc pars diuiditur in tres. quia ponitur primò ſacramentorum virtus & efficacia. ſecundò prædicatorum vigor & conſtantia. ibi, Vt annuncient. tertiò fidei vnitas & cõcordia. ibi. In cõueniendo. Quãtum ad primũ ſciendũ quod ſacramenta nouę legis habuerunt efficaciã & virtutẽ ab ipſo Chriſto, qua peccata remittuntur: & gratia gratũ faciens infunditur. vtputa baptiſmus lauat omnẽ maculã & gratiam infundit etiã à malo miniſtro datus. Sic etiã ſacramentũ pænitentiæ quantumcunq; malus ſit miniſter: & ſic de alijs. Quia eorum virtus nõ ſolũ eſt ratione operis operãtis, id eſt, deuotionis miniſtri, ſed etiã ratione operis operati. Quòd nõ ſic erat de ſacramentis antiquæ legis, quæ & ſi aliqua peccata dimittebãt, vtputa circunciſio remittebat peccatũ originale, non tamẽ de ſe cõferebat gratiã. Et hoc eſt quod ait Pſal. quod ideo Chriſtus proſpexit de excelſo ſancto ſuo: & ideo Dominus de cælo in terrã aſpexit: ad hoc vt audiret gemitus cõpeditorũ, ſcilicet, vt per virtutẽ pænitẽtiæ quæ per gemitũ ſignificatur, audiret pænitentes: & ipſos à peccatis abſolueret. Vocãtur enim peccatores cõpediti: quia vinculis peccatorũ ſuorũ ligantur ipſorum pedes, id eſt, affectiones, ne ad bonũ valeant procedere. Vnde Prouer. 5. Funibus peccatorum ſuorũ quiſque cõſtringitur. Sed Chriſti incarnatio & paſſio talẽ virtutẽ dedit ſacramẽto pænitentiæ: quòd ab iſtis cõpedib⁹ ſoluit peccatores. Pſal. 145. Dominus ſoluit cõpeditos. Hos etiã peccatores & malos alio nomine vocat filios interemptorũ. Nã interimo, interimis: idẽ eſt quod occidere. vnde & interemptus dicitur mors vel mortuus. Et ſic interẽpti idẽ quod mortui. Filij ergo interemptorũ dicuntur filij primorũ parentũ: qui per peccatum fuerunt interẽpti, ac totũ humanũ genus peccato ſuo interemerũt. Eſt ergo ſenſus, quòd ideo incarnatus eſt Chriſtus & paſſus, vt daret virtutẽ ſacramentis, quibus mediantibus audiret, id eſt, exaudiret gemitus compeditorũ, ſcilicet, peccatorũ pęnitentium. & ſic per ſacramenta ſolueret, ſcilicet, à peccatis filios interẽptorũ, id eſt, peccatores filios primorũ parentũ. Quæ omnia ſacramenta habent efficaciam à Chriſti paſſione, vt dicit magiſter li. 2. di. 18. & li. 4. di. 2. Tamen notandũ quod duplex eſt gemitus cõpeditorũ, ſicut duplex eſt genus lachrymarũ. ſ. lachrymæ eductæ pro tẽporalibus, & iſtæ ſunt parui valoris: & lachrymæ eductæ pro ſpiritualib⁹. i. ex cõſideratione diuinæ offenſæ amiſſionis gloriæ, &c. & iſtæ ſunt fęcũdiores. Dicit Philoſophus quòd aqua pluuialis magis cõuenit plãtis, quã aqua fontis. & nihil vniformiter bene creſcit niſi aqua pluuiali imbuatur. Sic & ſpiritualiter, aqua fontis quæ eſt de terra, ſignificat lachrymas & gemitus; quæ ex amiſſione terrenorũ prorũpunt. & iſtę lachrymę nõ valent ad fœcunditatẽ meritorum. Aqua vero pluuialis quæ de ſurſum deſcẽdit, ſignificat lachrymas ſpirituales, & deuotionis ex amiſſione diuinæ gratiæ, & cõmiſſione offenſæ diuinæ. Et iſtis anima noſtra plenè fæcũdatur gratia, & à culpa lauatur: & ad fructum meritorũ ſummè diſponitur. Et iſtum gemitũ exaudit dominus Pſal. 11. Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus. Vel hoc accipitur de bonis compedibus gratiæ. vide glo.

*Sacramẽta habent efficaciam à Chriſti paſſione.* — *Prouer. 5.* — *Pſal. 145.* — *Lachrymarum duplex genus.* — *Ariſt. 7. de animalibus.* — *Pſal. 11.*

## 1724 Vt annuncient in Sion nomen domini: & laudem eius in Hieruſalem.

Hic ponitur ſecũda vtilitas, ſcilicet, prædicatorum vigor, & conſtãtia. Ante enim miſſionem ſpiritus ſancti, apoſtoli & alij prędicatores timidi erãt ad annunciandum nomẽ domini Ieſu Chriſti: ſed per ſpiritum ſanctum taliter confirmati fuerunt, vt non timerent minas, non verbera, ſed neque ipſam mortẽ: vt manifeſtè in Petro patuit, qui territus voce vnius mulierculæ non fuit auſus annũciare nomẽ Chriſti. Sed poſt miſſionem ſpiritus ſancti, audacter cũ magna conſtantia contra præcepta principum ipſum prædicabat, dicens: Obedire magis oportet deo quã hominibus. vt deducit Greg. Scimus quòd Petrus &c. vide. verſicu. 1141. Et hoc eſt quod præuidens Pſal. ait, quòd ad hoc venit Chriſtus: vt per ſpiritumſanctum fortificaret ſuos prædicatores. Vt annuncient in Sion, id eſt, in eccleſia nomen domini, & laudem eius in Hieruſalem. Per Siõ enim ſignificatur eccleſia. vide. ver. 1719. Hieruſalem verò quæ interpretatur viſio pacis, ſignificat eccleſiam triumphantem: vbi ſancti videntes deum pacificè quietantur. In Sion ergo annunciatur nomen domini: quia in eccleſiâ militante fides nominis Ieſu Chriſti prędicatur: ſed in Hieruſalem annunciatur laus eius: quia beati continuè laudãt deum. Eſa. 52. Laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, ſcilicet, ipſum deum. Et nota quòd in eccleſia multa ſunt annũcianda. Primò quæ fide ſunt tenenda, ſcilicet, myſteria Chriſti, vt eſt incarnatio, natiuitas &c. vide ver. 657. Item debemus annunciare quæ mente ſunt docenda, ſcilicet, laudes dei. vide verſi. 1370. Itẽ debemus annũciare quæ corde ſunt purganda, ſcilicet, peccata proximorum, vt corrigantur. & noſtra vt confiteamur. Quãtum ad primum ſciendum quòd ad quemlibet prælatum maximè ſpectat annunciare ſubditis ipſorum peccata: vt de ipſis agant pœnitẽtiam. Aliter anima illius animabus illorũ eſſet ſimilis, ſcilicet, quia vterque peribit. Vnde cuilibet prælato vel prædicatori dicitur, Si dicente me ad impium, morte morieris, & non annunciaueris ei: neque locutus fueris vt auertatur impius à via ſua mala, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur: animam autẽ eius de manu tua requiram. Si autẽ annunciante te impio: & ille non fuerit cõuerſus: ipſe quidem in iniquitate ſua morietur: tu autẽ animam tuam liberaſti. Quæ quidem annunciatio qualiter fieri debeat, oſtendit Greg. 25. moral.

*Act. 5. Greg. li. 17. mor. ca. 15.* — *Significat [illegible] Hieruſalem ſignificat eccleſiam [illegible]* — *Annunciare debemus peccata proximo[rum et] noſtra.* — *Ezech. 3.* — *Greg. li. 26. mo. ca. 5.*

## 1725 In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant domino.

Hic oſtenditur tertia vtilitas: qui eſt fideliũ vnitas & concordia. Ad hoc enim venit dei filius: vt ſuos prędeſtinatos per diuerſas mundi partes extra Iudæam diſperſos in vnitatẽ fidei congregaret. Vbi notandũ quòd quamuis ante Chriſti incarnationẽ ſoli Iudæi eſſent de ouibus dei: quia illi ſoli colebãt verum deum: & per cõſequens ſoli ſaluabantur: tamen in aliis nationibus deus multos elegerat prædeſtinando, qui poſt mortem ſuã ad ouile fidei deducti fuerũt: & in vna fide vniti, & quotidie regenerantur in Chriſto, & ad vnitatẽ fidei accedũt. Et hoc eſt ꝙ Chriſtus dicit, Ioã. 10. Alias oues habeo quæ nõ ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocẽ meã audient: & fiet vnũ ouile, & vnus paſtor. Quod exponẽs Aug. de verbis domini: ait, Loquebatur enim primò de ouibus generis carnis Iſrael: ſed erãt alij inter gẽtes de genere fidei ipſius extra Iſrael. Erãt enim adhuc multi in gẽtibus prędeſtinati: nondũ ad ouile fidei congregati. Illi ergo non erãt de hoc ouili: quia non erãt de genere carnis Iſrael: ſed erunt de hoc ouili: quia poſt paſſionẽ Chriſti ad fidem congregabũtur per prædicationẽ apoſtolorũ. Et omnia iſta præuidens Pſal. ait quòd ideo Chriſtus eſt incarnatus, & paſſus, vt reducat prędeſtinatos populos in vnum, & principes mũdi & reges vt ſeruiãt domino ſeruitute, ſcilicet, cultus latriæ. Et hoc eſt quod ait, *In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant domino.* Iſtius enim cõgregationis in vnũ diuerſorũ populorũ cauſa fuit Chriſti mors & paſſio: euangeliſta de Caipha dicente, Expedit vt moriatur vnus homo pro populo, & nõ tota gẽs pereat. hoc autẽ à ſemetipſo non dixit, ſed cũ eſſet põtifex anni illius, prophetauit: quia Ieſus moriturus erat pro gẽte, ſcilicet, Iudæorum. & non tantũ pro gẽte, ſed vt filios dei qui erãt diſperſi cõgregaret in vnũ. Sic ergo Chriſtus morte ſua fideles ſuos cõgregauit in vnũ. Ex quo apparent mira iudicia Dei contra aſtutias hominũ. Ad hoc enim ſolũ Iudæi Chriſti mortem tractauerunt: vt eius fidem delerent, & ſuos fideles fugãdo diſpergerẽt. & ecce inde fides plus eſt dilatata: & diuerſæ nationes in vnã fidẽ vnitæ. Quod admirãdum oſtẽdit Greg. Certè cùm ad noſtri redemptoris miracula credẽtiũ turba afflueret: cùm ſacerdotes populi inuidiæ facibus accẽſi mũdũ poſt eum ire clamarẽt dicentes, Videtis quia nihil proficimus: ecce mũdus totus poſt eũ abiit. vt ab illo vim tantæ occurſionis abſcinderẽt: finire eius potẽtiã morte conati ſunt: dicẽtes, Expedit vt vn⁹ homo moriatur, ne tota gẽs pereat. Sed redẽptoris mors ad vnitatem & cõiunctionẽ eccleſiæ valuit, non ad ſeparationẽ. Perſecutores ergo peregerũt: hoc quod pernitioſè moliti ſunt. Intulerũt mortem, vt ab eo abſcinderẽt fidelium deuotionẽ: ſed inde fides creuit, vnde hãc extinguere in fidelium crudelitas credidit. Cumque ſe exiſtimant hanc perſequendo extinguere: hanc compulſi ſunt neſciendo dilatare. Multo plures enim Chriſtus moriendo ſibi vniuit per fidem, quàm fecerat viuens: vt deducit Grego. 29. moral. 10. Mortuus ergo eſt Chriſtus in conueniendo, id eſt, in congregando populos in vnum. Notandum quòd triplici medio fideles in vnum conueniunt, & copulantur Chriſto ſuo capiti: vt oſtendit Ricar. ſuper illud Pſalmus 72. Mihi autem adhærere deo bonum eſt. dicens, Tria ſunt vincula quibus conſtringimur Chriſto: ſicut ſunt tria, quibus res corporales ligantur adinuicem, & vniuntur. primò accipite funes. ſecundò clauos ligneos vel ferreos. tertiò gluten. primum adſtringit & vnit fortiter & durè: ſecundum fortius & durius: tertium verò fortiter & ſecurè. &c. De iſta autem vnitate fidelium dicitur, Multitudinis ante credentium erat cor vnum &c.

*Ioan. 10.* — *Mors Chriſti cauſa fuit vnitatis eccleſiæ & fidelium.* — *Ioan. 11.* — *Greg. lib. 6. moral. ca. 12.* — *Ioan. 11.* — *Vnimur Chriſto tripliciter & copulamur.* — *Actuum 4.*

## Benedic ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi. 1726

Hic ponitur eccleſiæ temporè antichriſti tribulatio. Et primò ponitur illius tribulationis breuitas. Secundò poſtulatur in tribulatione patientiæ ſtabilitas:ibi, Ne reuoces. Quantum ad primum ſciendum quòd tribulatio tempore antichriſti qua impugnabitur eccleſia, erit fortis & aſperrima,ſed breuis & modicum duratura:ſecundū quòd Chriſtus oſtendit, dicens. *Mat.24.* Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo nec fiet.Et niſi abbreuiati eſſent dies illi,non fieret ſalua omnis caro : ſed propter electos breuiabuntur. Et hanc tribulationem hic ponit pſal.dicēs,*Reſpondit ei &c.*Vbi notandum quòd (vt ait Greg.) *Greg.14.* *Reſpōdere deo quid eſt, Greg. 9.mor.c.32.* vocat nos dominus quando collatis nobis ſuis donis: quaſi voce ad nos miſſa ad ſe trahit. Nos autē reſpondere deo,eſt condigna opera ſuis donis facere; vel eius exemplo imitari. Hoc etiam idem Greg. oſtendit:dicens, Reſpondere quippe cuilibet dicimur : cum factis illius digna opera recōpenſamus. Deo ergo reſpondere eſt donis eius præcedentibus noſtra obſequia reddere. Rectum itaque deus hominem condidit, eumque ad peruerſa defluentem cum longanimitate tolerauit : cotidie culpas aſpicit, & tamen viuēdi ſpacia non citius abſcidit:pro nobis mortem patienter ſuſtinuit &c. Quibus omnibus beneficiis homo reſpondere debet digna recompenſans obſequia.Ille ergo beneficio ſuæ paſſionis reſpondet, qui propter Chriſtum perſecutus, perſecutionem pro Chriſto tolerat patienter. quia ipſe paſſus eſt pro nobis : vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius : vt dicitur, *1.Pet 2* *Iob.6* 1. Pet. 2. Vnde cuilibet propter Chriſtum patienti dicitur,Reſponde abſque contētione,id eſt,patienter ſuſtine. Ad propoſitum ergo eccleſia tempore antichriſti mirabiliter afflicta reſpōdebit Chriſto: quia ſicut Chriſtus pro nobis patienter eſt paſſus: ſic tunc & eccleſia perſecutionem portabit patienter per virtutem patiētiæ à Chriſto oſtenſæ.Et hoc eſt quod de eccleſia dicit,Reſpondit ei,ſcilicet,eccleſia Chriſto:in via virtutis ſuæ, ſcilicet in via patiētię.Et loquitur de futuro per modū præteriti dicēs,Reſpondit,id eſt,reſpōdebit propter prophetię certitudinem. Verum quia fragilitas humana multa eſt : forte ſi illa perſecutio magno duraret tempore,multi frangerentur, & non patienter tolerarent:vt ex verbis Chriſti ſupraſcriptis colligitur. Et ideo eccleſia vt patiēter toleret breuitatem *Mat.24.* illius tribulationis, ſibi reuelari poſtulat; dicens, *Paucitatem dierum meorum:*quibus, ſcilicet, durabit illa tribulatio,nuncia mihi. Quātum autem durabit illa perſecutio antichriſti oſtenditur Dan. 12. *Antichriſtus regnabit tribus annis cum dimidio.* vbi dicitur quòd durabit per tempus & tempora & dimidium temporis, ſcilicet, tribus annis cum dimidio:in quibus regnabit antichriſtus.Nam per tempus intelligitur vnus annus : per tempora duo anni:& per dimidium tēporis medius annus.Tantum enim regnabit antichriſtus quātum prædicauit Chriſtus. vnde Apoca. 13. Datum eſt ei os lo- *Apoc.13.* quens magna& blaſphemias,& data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos,id eſt, tres annos *Danie.12.* cum dimidio. Vnde & Danie. 12. Porro docti intelligent à tempore quo poſita fuerit abominatio, dies mille ducenti nonaginta,qui, ſcilicet, faciunt tres annos cū dimidio.Et ſequitur in Daniel. Beatus qui expectat, & peruenerit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque.Quod ideo dicit, quia quadraginta quinque dies erunt poſt mortem antichriſti antequam mundus finiatur:vt in illis homines mali ad pænitentiam redire poſſint. Hanc ergo breuitatem regni antichriſti reuelari eccleſia ſibi poſtulat dicens, *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

## Ne reuoces me in dimidio dierum meorum,in generatione & generationem anni tui. 1727

Hic poſtulatur in illa tribulatione patientiæ ſtabilitas.Vbi notandum,quòd in perſecutione antichriſti : quanto plus durabit, tanto crudelior erit, Tum quia plures ſibi adhærebunt.Tum quia ſemper nouos cruciatus adinueniet. Quanto autem perſecutio eſt crudelior,tanto magis eſt periculum ne patientis perdatur patientia. Dictum eſt autem quòd antichriſti perſecutio durabit per tres annos cum dimidio. Et ſic in illo dimidio anno vltimo indigebunt iuſti maiori conſtantia : quia acriora erunt tormenta. Et ideo eccleſia ſpecialiter in illo dimidio temporis,ſcilicet,in dimidio vltimo anno orat,vt à deo ſpecialius conſeruetur, dicens. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum,* ſcilicet,in dimidio vltimo anno:quo perſecutione antichriſti amplius debeo premi. Non enim eſt intelligendum, quòd deus aliquem reuocet à ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati:cùm ipſe velit omnes homines ſaluos fieri. ſed *Reuocat deus à bono quādo gratiam non apponit.* quia homo ſubiipſi dimiſſus ſtare nō poteſt, quin cadat, ideo tunc reuocare à ſtatu gratiæ dicitur, quia ab homine ſuum ſubtrahit adiutorium.Sicut deus dicitur indurare cor obſtinati peccatoris: non quòd ipſe obſtinationem immittat, quæ peccatum eſt:ſed quia ipſi non confert gratiæ adiutorium;vt dictum eſt ſupra verſi.1697.Sic & reuocare dicitur à virtute patientiæ, quando conſtantia non apponit patienti. Dicendo ergo, ne reuoces me in dimidio dierum meorum:idem eſt quòd dicere, in illo vltimo dimidio anno conſerua me: vt ſtabilis permaneam in fide. Et quòd hoc deus poſſit facere ſubdit, *In generatione & generationem anni*, id eſt, anni tui ſunt æterni : ergo tu æternus : ergo tu omnia potes. Vel aliter, vbi ſciendum quòd aliter diuiduntur dies bonorum:& aliter dies malorū,diuidūtur enim dies malorū quando non continuè perſeuerant in malo,ſed ad pænitentiam conuertuntur : ſed tunc non diuiduntur quando continuè in malo perſeuerāt. Vnde Greg. *Greg.5.mor. ca.28.* Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Dies quippe dimidiare eſt tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pænitentiæ lamenta diuidere:atque hoc ad bonum vſum partiendo reparare. Sed iniqui dies ſuos nequaquam dimidiant: quia peruerſam mentem nunquam immutant. Ad *Dimidiū dierum quid eſt.* propoſitum ergo eccleſia dei gentibus conuerſa eſt in dimidio dierū,quia dies ſuos dimidiat, dum de ſtatu culpæ venit ad ſtatum gratiæ:in quo confirmari à deo poſtulat:dicens, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.* Et nota quòd annus dei dicitur gloria æterna. qui annus dicitur in generatione& generationem: quia non ſolū paratus eſt primæ generationi, quæ fuit ab Adam vſque ad Noe, ſed etiam ſecūdæ quæ fuit à Noe vſque ad Abraham:& ſic de aliis ſuccedentibus generationibus:eo quia in omni generatione fuerunt ſemper aliqui ad gloriam æternam *Annus dicitur gloria æterna.* prædeſtinati.Gloria enim æterna per annum figuratur ſeptimum,qui erat annus pacis & quietis.de *Leui.25.* quo dicitur Leui.25. Sex annis putabis vineā tuā: ſeptimus verò annus requietionis erit.quia ſex annis deo ſeruire debemus faciendo opera meritoria.Per ſex annos conſidera totum tēpus vitæ præſentis : quod per ſex ætates ducitur : ſed ſeptimus annus eſt quietis : quia in ſeptima ætate quæ erit poſt reſurrectionem, iuſti in gloria quietabuntur.



## 1728 Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Hic deſcribitur vitæ mortalis ceſſatio:quæ erit in generali reſurrectione omnium. Duratio enim vitæ præſentis ordinatur ad completionem numeri electorum:qui numerus cum erit completus,ſtatim ceſſabit vita mortalis : ceſſabit & motus cæli qui eſt cauſa generationis & corruptionis rerum ad obſequium vitæ mortalis.Et circa hoc quatuor facit : quia ponitur primò orbis productio : ſecundò mundi ceſſatio : ibi, Ipſi, peribunt. tertiò dei immutatio : ibi, Et ſicut opertorium. quartò beatorum quietatio : ibi, Filij ſeruorum tuorum. Quantum ergo ad primum ponens mundi creationē ait, *Initio tu domine terram fundaſti.* *Gen.1.* *Deus eſt æternus.* Initiū enim idem eſt quòd principium. Et idem eſt in initio tu domine terrā fundaſti &c. ſicut in principio creauit deus cælum & terram.Per hoc enim vult oſtendere Dei ęternitatem:quia ſi deus cęlum & terram creauit in principio,ſcilicet, tēporis:ergo ipſe fuit ante principium temporis. Sed ante tempus non fuit,niſi ęternitas:ergo deus eſt ęternus.Et hoc eſt *Gloſa.* quod ait glo. In initio tu domine terram fundaſti. q.d. Tu domine æternitate tua fundaſti & creaſti omnia. Præcedis ante omnia quæ creaſti : ergo tu exiſtis ante omnes creaturas:& per conſequens tu es æternus.Et de terra dicit:tu fundaſti : quia illud dicitur fundamentum, quod eſt infimum in ædificio.Cum autem totus orbis ſit ſphericus, & terra ſit in medio, ſequitur quòd terra totius orbis eſt fundamentum. Et fundamentum terræ eſt ipſius centrum,ad quod omnia grauia tāquam ad baſſiorem orbis ſitum naturaliter tendunt. Conſequenter ponit partem orbis ſuperiorem:quæ eſt ſupremum cælum,dicens,*Et opera manuum tuarum ſunt cæli.*Dicendo enim cælos in plurali, ſupremū cælum includit.Et aduerte, quòd per manum operamur. & quia omnia deus per ſuum verbum eſt operatus: ideo hic per dei manum intelligit dei verbum. De *Ioan.1.* quo Ioan 1.Omnia per ipſum facta ſunt.Vnde hic ait glo. Opera manuum tuarum ſunt cæli. Alibi enim dicitur, verbo domini cæli firmati ſunt. Sed quod deus verbo ſuo facit : hoc & manu ſua facit, id eſt, virtute.non enim diſtinctus eſt corporeis lineamentis.verbum autem domini manus eius eſt. Et attende quòd iſta dei manus qua cælum & omnia creata produxit,ſcilicet,dei filius, habet quinque digitos.vide verſi.1520.

## 1729 Ipſi peribunt, tu autē permanes:& omnes ſicut veſtimentū veteraſcent.

Hic ponitur mundi ceſſatio : quia in fine peribunt,& ceſſabunt omnia quæ naturaliter ordinata ſunt ad generationem vel corruptionem rerum. Completo enim numero electorum, amplius non erit generatio hominum. Et per conſequens cum omnia ſint facta propter hominem:ceſſabunt omnia quæ ad generationem vel corruptionē rerum faciunt. Et quia inter omnia creata quæ maximè faciunt ad generationem & corruptionem rerum, cæli ſunt præcipuè:ideo ipſos cælos hic ceſſare dicit,vt nomine ipſorum intelligātur cætera. Et hoc *Cælum & terra quomodo peribunt.* eſt quod ait de cęlis.*Ipſi peribunt,tu autē permanes.*Sed quomodo in fine peribit cælum & terra, & totus mundus?Certè ſaluator ait Lucæ 21. Cælū & terra tranſibunt. *1.Cor 7.* *Mundus qualiter innouabitur.* Apoſtolus ait. Præterit enim figura huius mundi &c. Ad hoc reſpondet Greg. lib. 17. mor.cap.5.ſuper illo verbo Iob 25.Auferentur omnia.dicens,Sed quæri poteſt,cum per Salomonem dicatur,Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat : cur beatus Iob omnia aſſeruit auferri?Quod tamen facile diſcutimus, ſi terra & cælum vel qualiter tranſeat, vel qualiter maneat,diſtinguamus.Vtraque enim hæc per eam quam nunc imaginem habent,tranſeunt : ſed per eſſentiam ſuam ſubſiſtunt.Hinc namque per Paulum dicitur.Pręterit enim figura huius mūdi.Hinc *1.Cor 7.* *Mat.24.* *Apoc.21.* per ſemetipſam veritas dicit,Cælum & terra tranſibunt:verba autem mea non &c. Hinc per Ioannem angelica voce dicitur,Erit cælum nouum, & terra noua. Quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouantur.Cælū igitur & terra tranſit,& erit:quia & ab ea quam nūc habet ſpecie per ignē tergitur:& tamen in ſua ſemper natura ſeruatur. Tamen per Pſal.dicitur, Mutabis ea & mutabuntur. *Pſal.101.* Quam quidem vltimam commutationem ſuam ipſis nobis nunc viciſſitudinibus nunciant: quibus noſtris vſibus indeſinenter alterant. Nam ſicut terra à ſua ſpecie hyemali ariditate deficit:virginali humore virideſcit:ſic cælum cotidie caligine noctis obducitur,& diurna claritate renouatur. Hinc ergo fidelis quiſque colligat & interire hunc & tamen per renouationem refici:quæ cōſtat nūc aſſiduè velut ex defectu reparari. Ad quorum clariorem intelligentiam ſciendum quòd iſta inferiora ſic innouabuntur, quòd ignis qui præcedet faciem Chriſti ad iudicium deſcendentis:totū mundum comburet, & aſcendet tantum quantum aſcenderunt aquæ diluuij in altum:& hoc ad purificandum terram & aërem ab immunditiis factis in ipſis:& maximè à fumo ſacrificiorum idolis immolatorum ſiue oblatorum:poſt quem remanebit terra purificata : ſimiliter aër ſplendidiſſimus. Sphera vero ignis ſic innouabitur : quòd ignis ſuas qualitates ſic diuidet:quòd vnam ſuperius mittet per effectum, & aliam inferius. Ignis enim eſt calidus & lucidus. totam luciditatem ſuam mittet ſuperius verſus cælum : & totam caliditatem ſuam verſus infernum.Cæli autem ſic peribunt,ſcilicet,à motu quem nūc habent.Motus enim cæli continuus eſt propter generationem & corruptionem. Sed quia poſt iudicium non erit amplius opus generationis vel corruptionis:ideo cæli amplius non mouebuntur:ſed ſolidè ſtabunt:ſic quòd ſol & luna,& cæteræ ſtellæ ſtabunt in eo ſitu in quo creata fuerunt: vt dicit magiſter li. 4. di. 48. Quantum autem ad *Elemēta quomodo innouabuntur.* elementa clarius loquendo:notant doctores quòd omnia elementa ſecundum ſubſtantiam remanebunt:ſed quantum ad qualitates innouabuntur.Et notant quòd tria ſunt genera qualitatum in elementis. Quædam ſecundum quas ordinantur in mundo quo ad ſitum:vt grauitas & leuitas : & illæ remanebunt:quia remanebit in mundo ordo & ſitus.Aliæ ſunt qualitates elementorum:ſecundum quas eſt receptio influentię luminis ſine omni corruptione:vt perſpicuitas & tranſparentia:& illę ſimiliter remanebunt:ſicut influētia luminis. Quædam autem ſunt, ſecundum quas ordinantur ad

agendum & patiendum, & per conſequens ad generationem & corruptionem:& ſecundum has nõ remanebunt.Sed inter iſtas quædam ſunt actiuę,vt frigiditas & caliditas:quædam paſſiuæ,vt humiditas & ſiccitas.Et illæ quæ ſunt actiuæ, & illæ quæ excitant & faciunt tranſmutationem : illæ tollẽtur ab elementis:& cadẽt in regionem damnatorum: ſicut vult Baſilius ſuper illud Pſal. Vox domini intercidentis flammam ignis.Dicit enim quòd calor cedet in partem damnatorũ:ſicut lux in regionem ſaluatorum. ſimiliter & in aqua frigiditas ad affligendum.Siccum verò & humidum non tollentur: ſed remanebũt.Ad propoſitum ergo apparet quomodo innouabitur mundus:& quomodo cæli peribunt,ſcilicet,quantum ad motum peribunt:non quãtum ad eſſe ſubſtantiale. Vel myſticè ſecũdum glo. Cæli ſunt iuſti, qui ſunt opera manuum dei: qui ſecundũ veſtimentũ quod,ſcilicet, eſt corpus, peribunt: quia ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori:ſed mutabũtur in melius:Tu autẽ permanes, ſcilicet, omnino immutabilis. Vnde ſicut æternitatẽ oſtẽdit creãdo omnia,cũ dixit:tu autem domine in initio terrã fundaſti &c.ſic nũc oſtendit manẽdo poſt mutata.Sequitur, *Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Et hoc ſecundum glo.de angelis non poteſt intelligi:ſed de cælis vt dictum eſt : vel de ſanctis, qui veteraſcent ſecundum veſtimẽtum, id eſt,ſecundum corpus,quod more veſtimenti ſeu veſtis conſumitur. Vel de toto mundo intelligitur, quòd omnia quæ in mundo ſunt veteraſcent,ſcilicet à ſtatu quẽ nunc habent, deficient,vt dictũ eſt.

*Baſilius.*

*Gloſa. Iuſti peribunt qui ad corpus: ſed mutabuntur in melius.*

1730 Et ſicut opertorium mutabis eos,& mutabuntur:tu autem idem ipſe es: & anni tui non deficient.

Hic oſtenditur mundi immutatio. Loquitur enim Pſal. de cælis & aliis elemẽtis per quandã ſimilitudinẽ:vt ſicut adueniente æſtate mutatur veſtis hyemalis,quæ amplius non eſt neceſſaria, manet tamẽ hominis ſubſtãtia. Sic finaliter in fine mũdi corpora cæleſtia & elemẽtaria mutabũtur à ſtatu in quo ſunt : quia non erunt amplius neceſſaria ad generationẽ,cõpleto electorũ numero. *Tu autem idem ipſe es*,ſcilicet,omnino immutabilis & inuariabilis. Iſtos duos verſus allegat Apoſtolus ad literã de Chriſto dictos.ad Hebræ.1.dicens,Et tu in principio domine terrã fundaſti,& opera manuũ tuarũ ſunt cæli:ipſi peribũt,tu autẽ permanebis : & omnes vt veſtimentũ veteraſcent.& velut amictũ mutabis eos & mutabũtur : tu autẽ idẽ ipſe es:& anni tui non deficiẽt.Quæ omnia de Chriſto ad literam dicta oſtẽdit ibidẽ glo.dicẽs,Pſalmiſta de filio ad filiũ ait,Tu domine,ſcilicet,fili dei,in principio terram fundaſti:quaſi dicat,tu creator ante creata extiſtis ſine vllo initio.Et opera manuũ tuarũ ſunt cæli. Quod ita dicit : quaſi in eis ſpecialiter ſit operatus. Manus autem eius eſt virtus iuſſionis,id eſt,potentia voluntatis : quæ vt voluit facta ſunt omnia. Ipſi peribunt &c,ſcilicet,ab eo quod ſunt. Nouiſſimi enim cæli qui per diluuiũ periierũt:ſicut aqua totã iſtã capacitatẽ, vbi aues volitãt,occupauit:ſic vtique cæli peribunt,ſcilicet, propinqui terris vbi aues habitant:de quibus non eſt dubium quin diluuio perierint:& igne perituri ſint. De ſuperioribus ergo cælis,vtrũ igne perituri ſint,dubiũ eſt & inter doctores,an erit incendiũ mundi non incendẽs ſanctos Dei. Quod enim fuit caminus regis tribus pueris:hoc erit ardẽs mũdus iuſtis in trinitate ſignatis. *Tu autẽ permanebis.* hoc dicit:quia ſicut æternus eſſe oſtenditur:quia eſt ante omnia : ſic etiam oſtẽdatur, quia permanet idẽ poſt omnia mutata. *Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcẽt.* Veteraſcere ante dicitur illud quod more veſtis paulatim conſumitur:ſicut caro humana:quæ tamẽ in melius mutabitur:ſic cæli meliorẽ formã recipiẽt. *Et velut amictũ mutabis eos & mutabũtur.* Per hoc enim ſignificat mutationem cæli. Vnde Ioan.in Apoc.21.ait.Vidi cælũ nouũ,& terrã nouam.Et rectè cælos amictui vel veſtimẽto cõparat:quia cingũt.Tã facile enim mutat deus cælos:ſicut amictus extẽditur & plicatur. Poſt mutationem autem permanebunt cæli. Vnde ſubdit, *Et mutabuntur.* id eſt,mutati ſic permanebũt. Quia facta dei iã ſub æternitate ſtabũt nec ad corruptionẽ reuertentur. *Tu autem idem ipſe es,&c.* Et eſt ſenſus,Tu nõ mutaris nec deficis. Quod ad filium dictũ eſt. Ac per hoc ipſe dicere poteſt:Ego deus & nõ mutor. *Et anni tui non deficiẽt.* id eſt,æternitas tua. Hæc omnia glo. Per hoc autem vult dare differentiã inter æternitatem & annos vitæ preſentis:quia illa omnino inuariabilis totum ſimul habens. Iſti autem ſemper variantur:quia nõ ſimul totum habent:ſed ſucceſſiuè partem poſt partem. Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd in ſcriptura eſt annus multiplex. Et de vltimo anno,ſcilicet,gloriæ,dictũ eſt verſicu.1727.

*Non de mutatione celorũ & terræ in nouiſſimo.*

*Aeternus eſt dei filius.*

*Manus Dei dicitur potentia.*

*Apoc.21.*

*Malac.3.*

Filij ſeruorum tuorum habitabũt: & ſemen eorum in ſeculum dirigetur. 1731

Hic vltimò oſtenditur beatorum quietatio. Vbi notandum quòd nomine ſeruorum dei omnes iuſti intelliguntur:vt patriarchæ,prophetæ,apoſtoli, ceteriſque ſancti doctores : qui Chriſto per fidem multos filios genuerunt. Vnde glo. *Filij ſeruorũ tuorum habitabũt,* id eſt,prophetarum & apoſtolorum, nedum ipſi:ſed etiã filij eorũ per imitationem, ſcilicet,ita dicit hic filios habitare:vt filij Iſrael intrauere in terram promiſſionis,nõ patres eorũ. Quod ſignificat nouos homines intrare in veram requiẽ, non veteres. Intrauerũt tamẽ de illis patribus duo, ſcilicet,Caleb & Ioſue:quia etiam in verã requiem intrant vnus & vnitas,id eſt, Chriſtus ſignificatus per Ioſue:& eccleſia per Caleb cum omni nouitate filiorũ. Cùm ergo dixit filios habitatores : & hiſtorię alludit,& myſterium notauit. Dicat ergo. *Filij ſeruorum tuorum habitabunt*, ſcilicet, in annis tuis, id eſt,in æternitate tua. Filij inquam.ſ. prophetarũ & apoſtolorum quos genuerunt per verbum prædicationis,& euangelij, iuxta modũ loquẽdi Apoſtoli dicentis.1.Cor.4.In Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui. Et iſti ſunt veri fideles & Chriſtiani. Sequitur. *Et ſemẽ eorum in ſeculum dirigetur:* ſemen idem eſt quòd filij. Quod ideo dicit,quia fideles & veri Chriſtiani æternaliter in patria dirigentur:quia ſemper actu & continuè directè ferẽtur in deũ. Vel aliter:per filios ſeruorũ intelligit opera bona illorum qui debitè ſeruiũt deo:quia virtute iſtorum operũ quæ à nobis generãtur & producũtur, vt filij intramus requiẽ æternam. Et eſt ſenſus,Filij tui habitabunt,id eſt, ſerui tui per opera ſua bona habitabũt in gloria. Et hoc notãs glo.dicit. Filij ſũt opera bona ſine quibus gloriã nemo intrat. Filij ergo ſeruorũ tuorum habitabunt,id eſt, ſerui tui per opera bona ſua habitabunt, quaſi per filios. Noli ergo eſſe ſterilis,ſi vis habitare. Præmitte fœtꝰ operũ quos ſequaris:qui te reducãt ad terrã viuẽtium. In cuius figuram Ioſeph filius Iacob anteceſſit patrem in Ægyptũ. Et ait patri ſuo & fratribus ſuis. Ego præueni parare vobis eſcas. Ita ergo præcedãt filij tui,id eſt, opera tua parare tibi eſcas refectionis æternæ. Quales enim filios præmiſeris:tales ſequeris. Hæc gl. Aduertãt ergo illi qui viuẽtes opera mala præmittunt: vel aliena detinent:ſed bona opera ſequi volũt:dum illa quæ ipſi reſtituere noluerunt:hæredibus ſuis reſtituẽda relinquunt plus de illis quàm de ſeipſis cõfidentes. Si enim præmiſeris opera bona:ſemẽ tuum in ſeculum dirigetur, id eſt, opera tua æternaliter te in deum dirigent. Quod ideo dicit,quia nihil tortum ibidem poteſt intrare. Si autẽ præmiſeris malos filios,id eſt,opera mala,cum illis in æternum cruciaberis. Quid autẽ propriè ſit dirigere.vide verſic.1047. Sed hic fortè dices,Cùm ſancti viri liberi ſint & non ſerui,cùm Chriſtus omnibus ſuis dicat, Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos:quare ergo hic ſerui appellãtur: cum dicitur, *Filij ſeruorum tuorum*, id eſt,ſanctorum prophetarum & apoſtolorum? Ad hoc reſpondet gl.ad Rom.1.dicens quòd duo ſunt genera ſeruitutis. Eſt enim ſeruitus timoris & pænæ ſeruilis:& eſt ſeruitus amoris & filiationis ac humilitatis: qua inſtar filij qui ſeruit,non vult offendere patrẽ. Si ergo ſanctos dictos ſeruos ſecundum humilitatis & amoris ſeruitutem putemus, nõ errabimus. Non enim per hoc læditur veritas libertatis : quia omni libertate maior eſt ſeruitus Chriſti:cui ſeruire regnare eſt. Vnde autem originẽ traxit vocabulum ſerui,vide verſ.1130. Notandum autem quòd non incongruè(vt dictum eſt)per filios intelliguntur opera noſtra. Quod oſtendit Greg.dicens, Non incongruè filiorum nomine opera deſignantur:ſicut de muliere Paulus dicit:quòd ſalua erit per filiorum generationem. Neq; enim mulier,quæ cõtinentiæ ſtudens nequaquã filios generat:propter hoc ſalua non erit. Sed per generationem filiorum ſaluari dicitur,quia per effectum bonorum operũ perpetuæ ſaluti ſociatur. Nobiles ergo filij ſunt opera recta:ignobiles verò peruerſa opera &c.

*Filij ſanctorũ dicũtur omnes iuſti.*

*1.Cor.4.*

*Filij dicuntur opera noſtra.*

*Gloſa.*

*Geneſ.45.*

*Queſtio.*

*Ioan.15.*

*Seruitus duplex.*

*Rom.1.*

*Filij dicuntur opera noſtra. Greg.lib.4. moral.c.10.*



## PSALM. CII.

1732 Benedic anima mea domino: & omnia quæque intra me ſunt nomini ſancto eius.

Huius pſalmi titulus eſt. Pſalmus ipſi Dauid. Hic pſalmus hiſtorialis non eſt:ſed totus doctrinalis. In ipſo Dauid excitat ſeipſum ad laudãdũ Deũ: vt ſuo exemplo ad hoc alios inducat. Et vt hoc efficacius faciat:hic oſtendit rationes quare à nobis benedicendus eſt Deus. Senſus autem tituli apparet ex ſuperius multotiẽs dictis. Iſte ergo pſalmus, quia in ipſo Dauid ad laudem Dei excitat omnes: diuiditur in tres partes. Quia ad laudẽ Dei Dauid primò excitat naturam humanam:ſecundò excitat naturam angelicã:ibi, Dominus in cælo. tertiò generaliter excitat omnẽ creaturam:ibi, Benedic domino anima. Circa primam partem vt omnes homines ad Dei laudem excitet,tria facit:quia primò recolit beneficia ſibi à Deo data perſonaliter:ſecũdò beneficia populo Iſrael data ſpecialiter:ibi, Faciens miſericordiã. tertiò beneficia omnibus iuſtis data generaliter : ibi, Miſericordia autem domini. Prima in duas : quia primò ſeipſum excitat ad Dei laudem:ſecũdò ad hoc multiplicem aſſignat rationem:ibi, Qui propiciatur. Quantum ergo ad primum ait, *Benedic anima mea domino.* Pro cuius euidentia eſt notandum, quòd benedicere quandoq; compoſitum eſt ex bene,& dico,dicis:& ſic benedicere idem eſt quòd de aliquo bonum dicere, vel aliquem laudare. Et hoc contingit dupliciter:quãdoq; voce,& ſic benedicere eſt idem quòd aliũ voce vel verbis laudare. Quandoq; verò hoc contingit,non voce,ſed aliquo ſigno exteriori,vel opere. Et ſic obediendo deo & præceptis eius,ipſum benedicimus:ſicut in iſto pſalmo dicitur. Benedicite domino omnes miniſtri eius:qui facitis voluntatẽ eius. Sic etiam omnes creaturę ratione etiam carẽtes Deum benedicunt:dum eius voluntati obtemperant:& ſeruant ordinem naturalem eis inditum. Sic etenim dicitur Dan.3. Benedicite montes & colles domino &c. Quandoq; verò benedicere cõponitur ex bene ſiue bono:& do das. Et ſic benedicere:idem eſt quòd bonum dare,ſiue boni datio. Et iſto modo ſpectat ad maiores. Et ſic nos Deum benedicere non poſſumus:quia nullũ bonum ſibi dare poſſumus : ſed ipſe nobis benedicit. Et de iſta benedictione loquitur Apoſtolus. Sine vlla conditione : quod minus eſt, à maiore benedicitur. Ad propoſitum ergo pſal.hic ſeipſum & ſuo exemplo alios ad benedicendum Deo excitat primo modo benedictionis. Et ſic eſt ſenſus, *Benedic anima mea domino,* id eſt,lauda dominum qui dicit:ſacrificium laudis honorificabit me. Et in hoc tangit benedictionem quæ fit voce ſiue verbis. Sed benedictionem quæ fit corde,vel operibus bonis tangit,cum ſubdit, *Et omnia quæ intra me ſunt : nomini ſancto eius,* ſcilicet,benedicant. quaſi dicat ſecundum gl. Lauda Deum voce ſi eſt homo qui audiat,ſed ſi non eſt homo qui audiat:lauda & clama ſine voce. quia eſt Deus qui audit. Et hoc declarans, ſubdit. *Et omnia quæ intra me ſunt &c.* id eſt,omnis cogitatio,omnes vires, nulla diſcrepet quin benedicat nomini ſancto eius. Sicut enim nunquã deſinis beneficia Dei recipere,ſic nũquam deſinere debes Deum laudare. Vnde in prima parte verſus, dicit, *Benedic anima mea domino:* excitat omnes vires exteriores animæ: vt eſt viſus,auditus,loquela &c. Sed per ſecundam partem, dicit, *Et omnia quæ intra me ſunt &c.* excitat omnes vires interiores animæ : vt ſunt intellectus, voluntas,& memoria &c. quia omnia iſta tam interiora quàm exteriora diuinis laudibus debẽt occupari ſeruando rectum ordinem in actibus ſuis propter quẽ Deus illa creauit. Hic ergo nota,quòd multipliciter debemus Deũ benedicere. vide verſicul.502.

*Benedicere eſt duplex.*

*Dan.3.*

*Hebr.7.*

*Benedicere deo debẽt omnia exteriora & interiora.*

Benedic anima mea domino:& noli obliuiſci omnes retributiones eius. 1733

Hic explicat aliis verbis hoc idem quod prius dixerat:addens modum quo Deo debemus benedicere,dicens, *Et noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Sicut enim ſummum ingratitudinis genus eſt acceptorum beneficiorum obliuio:vt dictum eſt ſuperius verſi.1291. Si vis ergo debitè benedicere & laudare domino : noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quomodo autem hoc ſit faciendũ,oſtendit hic gl.dicens, *Noli obliuiſci omnes retributiones eius:* vt,ſcilicet,non ſit ante oculos mentis tuæ delectatio peccati:ſed peccati damnatio & quaſi remiſſio Dei. Cogita omnia mala tua : quia quot ſunt mala tua:tot ſunt bonæ Dei retributiones. Nõ ergo poterunt ante oculos tuos eſſe omnes retributiones Dei:

*Peccatorũ cõſideratio ad Deũ benedicendũ nos inducit.*

dei: niſi ante oculos tuos fuerint omnia peccata tua. Et notat gl. quòd non ait omnes tributiones: ſed omnes retributiones. Aliud enim debebatur nobis: & aliud redditum eſt, quod non debebatur. Homo tribuit mala pro bonis: & Deus ei retribuit bona pro malis: pro quibus bonis tribuit homo mala. Ecce bonũ eſt: quia homo eſt, & quia viuit, & quia ad imaginem Dei factus eſt. Pro quibus cũ debuiſſet reddere deo ſimilitudinem, reddit diſſimilitudinem. Et pro his malis reddit Deus bona inſpirando pænitẽtiam & præſtando veniam. Ideo alibi dicit, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Tribuit mihi cùm me fecit: retribuit cũ me recreauit & iuſtificauit. Iſtę ergo ſunt retributiones Dei. Item cogita, non ſolùm quæ tibi bona retribuit: ſed à quantis malis te præſeruauit. Quæ conſiderare oſtendit Gregorius, dicens, Conſideremus igitur: quia aut tales ſumus &c. vide verſi. 1562. Item nota quòd retributionis multę ſunt ſpecies. verſ. 67. & 535. Sed hic forte dicet aliquis, Cùm tã ſedùlè inducimur, vt in omnibus operibus noſtris benedicamus domino: quare ergo nõ in omni miſſa: quæ inter omnia eſt ſacrificiũ & excellentior Dei laus: non ſemper dicimus, Benedicamus domino: ſed aliquando Ite miſſa eſt: aliquãdo Requieſcant in pace: aliquando Benedicamus domino? Reſpondeo. quòd ſicut miſſæ celebrãtur pro tribus generibus perſonarũ: ſic & tribus modis terminantur. Aliquæ enim miſſæ celebrãtur ad honorem ſanctorum in cælo exiſtentium. Et tunc in fine miſſæ dicitur, Ite miſſa eſt. quaſi dicatur perſonis ibi exiſtentibus, Ite ad bene agendum: vt mereamini ire in cælum: ſicut fecerũt ſancti, quorum miſſam celebrauimus. Et quia poſſent forte reſpõdere. hoc libenter faceremus ſi haberemus auxiliũ Dei, Ideo eis reſpondens ſacerdos vel diaconus dicit, Miſſa eſt. ſcilicet hoſtia in cælis ad interpellendum pro vobis. Aliquando verò miſſæ celebrãtur ad deuotionem viuorum: vt ſunt miſſæ peculiares. Et iſtæ finiuntur per benedicamus domino. quaſi dicat, In noſtris tribulationibus & pænis, benedicamus domino: ſicut fecit Iob, dicens, Sit nomen domini benedictum. Aliquando miſſæ celebrãtur pro defunctis. Et tunc finiuntur per requieſcant in pace. quaſi dicat, Pænæ exiſtentium in purgatorio ſunt ita graues, quòd cum lachrymis debemus orare vt ab eis abſoluantur.

*Pſal. 115.*
*Grego. lib. 23. moral. c. 14.*
*Quæſtio.*
*Miſſa quandoque finitur per ite miſſa eſt: quãdoque per benedicamus: quandoque per requieſcant.*
*Iob 1.*

## 1734 Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Hic Dauid vt ad laudẽ Dei magis excitetur, recolit beneficia à Deo ſibi collata. Et ſunt tria. Primum eſt peccatorum abſolutio. Secundum eſt à morte præſeruatio: ibi, Qui redimit. Tertiũ eſt orationis exauditio: ibi, Qui replet. Quantum ad primum ſciendum, quòd tãtum eſt beneficium alicui collatum: quantum eſt bonum quod per illud cõſequitur: vel malũ quod per illud declinatur. Nullum autem maius malum poteſt eſſe quàm peccatum & iniquitas: immo propriè ſolum hoc dicitur malum. Quoniam vt dicit Cañ. Mali nomine illa ſolum intelliguntur, quæ mentem crimine implicant. Vnde paupertas corporis, ægritudo, mors, vel ignobilitas mala non dicuntur: ſed ſolum peccata dicuntur mala 15. quæſt. 1. illa cauenda ſunt. Cum ergo Dauid multis peccatis fuerit implicatus & enormibus. vt patet verſi. 54. quæ tamẽ ſibi à Deo omnia gratioſè dimiſſa fuerũt. vt patet 2. Reg. 12. Ideo hoc pro magno beneficio ſibi collato ad memoriam reducit animæ ſuæ, dicens, *Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis.* Quid autẽ propriè ſit propiciari. vide ver. 355. Et multipliciter nobis Deus propiciatur ver. 1012. Notandũ autem quòd quãuis omnis infirmitas ex peccato proceſſerit: quia ſi non fuiſſet peccatum, nulla pæna fuiſſet: tamẽ etiã infirmitas carnis quãdoq; cauſa eſt peccati. Vnde etiam & caro integra ante peccatum fuit quædam circunſtantia minuens peccatum hominis: vt non tantum peccaret, ſicut angelus fecit, qui erat ſine carne. vt oſtendit Grego. dicens, Duas ad ſe intelligẽdum creaturas fecerat Deus: angelicam, ſcilicet, & humanã. Ambas verò ſuperbia perculit, & à ſtatu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed vna tegmẽ carnis habuit: alia verò nihil infirmum de carne geſtauit. Angelus namq; ſolummodo ſpiritus eſt: homo verò ſpiritus & caro. Miſertus ergo creator vt redimeret, illam ad ſe debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid conſtat habuiſſe. Et eo altius debuit apoſtatam angelum repellere: quo cum à perſiſtendi fortitudine corruit: nihil infirmum in carne geſtauit. Vnde recte cum Pſalmiſta miſertum redemptorem hominibus diceret: ipſam quoq; cauſam miſericordiæ expreſſit, dicens, Miſertus eſt dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmẽtum noſtrum: memoratus eſt quia caro ſunt. Ac ſi diceret, Quo eorũ infirma vidit: eo culpam diſtrictè punire noluit &c. Ex quo apparet quòd etiam caro ad peccandũ inclinat. Et ideo Deus remittẽdo peccata, & poſt remiſſionem peccatorum carnis infirmitates ſanat: & hoc per gratiã mitigando carnis deſideria: quãdoq; proſperis: quandoq; aduerſis ne mentem ſuperent. Et hoc notans hic gloſ. dicit, *Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis:* remittendo eas. Qui etiam poſt remiſſionem iniquitatum: ſanat omnes infirmitates tuas: quia corpus infirmũ eſt: & ex lãguore corporis multa ſuggeruntur animæ: carnalia deſideria titillãt: & quibuſdam capitur anima: vt carnis fragilitas pauperem inclinat ad furtum: colericum ad iram: ſanguineum ad libidinem. quæ omnia ex infirmitate carnis procedunt. Sed non eſt timendum: quia Deus per gratiam ſanat omnes infirmitates tuas, ſcilicet, ne animæ poſſint dominari: nunc fouendo blandis: nũc ſecãdo aſperis. Omnipotenti enim medico nullus languor inſanabilis occurrit. Maxime autem iſtas infirmitates ſanabit in fine: quando corruptibile hoc induet incorruptionem. Nota quòd duplex eſt infirmitas: ſcilicet corporis & animæ. verſicu. 55. Infirmitas omnis ex peccato proceſſit. verſi. 611.

*Beneficiũ attẽditur: ſed bonũ datum vel malũ ablatũ.*
*2. Reg. 12.*
*Caro eſt cauſa peccati & peccatũ minuit.*
*Grego. lib. 4 moral. c. 9.*
*Pſal. 77.*
*Gloſa.*

## Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. 1735

Hic oſtendit ſecundum beneficium, quod fuit à morte pręſeruatio. Vbi nota, quòd interitus dicitur mors: ab interimo, mis. vide ſupra ver. 529. Dauid autem pluries fuit in periculo mortis. Tũ quia vir bellicoſus fuit, & ex conſequenti multotiens vulneratus. Tum quia Saul fecit cuſtodire domum Dauid de nocte, vt mane interficeretur: ſed Michol vxor eius ipſum emiſit per feneſtrã: vt habetur 1. Regum 19. Tum quia Saul dũ Dauid pſalleret ante eum,

*Dauid multotiẽs fuit in periculo mortis.*
*1. Reg. 19.*



eum, niſus eſt cõfigere lancea Dauid in parietem: ſed lancea caſſo vulnere perlata eſt in parietem: vt habetur ibidem. Similiter quando Saul cum exercitu ſuo circundedit locum in quo erat Dauid in modũ coronæ vt ipſum interficeret: ſic quòd tunc deſperauit Dauid poſſe euadere mortem. Sed dominus ſua gratia ipſum liberauit: quia tunc nutu dei nuncius venit ad Saul, dicens, Feſtina, quia infuderunt ſe Philiſtei ſuper terram. Ex quo Saul cõpulſus eſt recedere, & Dauid dimittere. vt habetur 1. Regum 23. Et ſic multotiens Dauid fuit in periculo mortis: ſed miraculoſè liberatus à Deo. Et hoc ſibi ad memoriam reducens, dicit ſibiipſi, Benedic anima mea domino: qui redimit de interitu, ſcilicet de morte vitã tuam. Et quod plus eſt non ſolùm ipſum à morte ſaluauit, ſed etiã ex abũdanti miſericordia ipſum regem ſuper populũ ſuũ conſtituit. primò ſuper tribum Iuda. vt habetur 2. Reg. 2. Deinde ſupra totum Iſrael. vt habetur 2. Reg. 5. Et hoc notans ait, *Qui coronat te in miſericordia,* ſcilicet, quando ipſum fecit regem ſupra tribũ Iuda, & in miſerationibus, quando fecit regem ſuper omnes duodecim tribus. Et per hoc multo fortius vult inducere omnes fideles ad benedicẽdum & laudandum Chriſtum: qui nos à ſpirituali peccati morte redemit: quaſi dicat, Si ego benedico Deum: quia me redemit à morte corporali: quanto magis omnes debemus Chriſto benedicere: qui nos ſuo ſanguine à morte ſpirituali redemit? Quod ſolus Chriſtus Deus & homo facere potuit. vide verſi. 662. & 794. & 803. Et nõ ſolum redemit nos: peccatum noſtræ mortis exoluendo: ſed etiam nos redẽptos coronat in gloria. vide verſ. 1021. Et hoc facit in miſericordia & miſerationibus: quia corona glorię excedit merita noſtra: propter quod opus miſericordiæ dicitur: quamuis etiam ibi ſit opus iuſticiæ: vt dicit Apoſtolus. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c. Vel hoc poſſumus intelligere, de corona meritorum: quæ principalius à Dei gratia procedunt: vt oſtendit magiſter lib. 2. diſt. 26. Sic quòd ſecundum diuerſitatem meritorum diuerſificatur & corona iuſtorum. Et de iſta corona dicitur Tobiæ 3. Hoc autẽ pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur.

*1. Reg. 23.*
*2. Reg. 2.*
*2. Reg. 5.*
*2. Tim. 4. Coronat Deus iuſtos corona meritorum.*
*Tobiæ 3.*

## 1736 Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Hic ponitur tertium beneficium, ſcilicet orationis exauditio. Vbi nota quòd Dauid maximè in præſenti vita duo deſiderauit. ſcilicet regimen populi Dei, & Dei viſionem. Primò enim deſiderauit habere coronam regni. Vnde 2. reg. 3. dixit Abner ad Dauid. Surgam vt congregem ad te dominum meum omnẽ Iſrael, vt imperes omnibus, ſicut deſiderat anima tua. Et hoc eius deſiderium impleuit Deus, qui ipſum aſſumpſit ad regnum. vt patet 2. Regum 5. Sed forte dices. Nunquid iſtud deſiderium eſt iuſtum? Et videtur quòd non: quia omne dominium & prælatio ex vitio proceſſit. vt patet ver. 1690. Item quia appetere dominationẽ eſt deſiderium ambitionis. Ad oppoſitum videtur Apoſtolus dicere, Si quis epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat. Reſpondeo, quòd in dominio vel prælatione duo continentur, ſcilicet, honor & labor. Honor mẽtem extollit: labor ſubditos gubernat & regit. Ratione honoris nõ licet: quia eſt præſumptuoſum. Ratione laboris licet, & eſt meritorium. Vnde glo. 1. Tim. 3. ſic ait, Si quis epiſcopatũ deſiderat &c, id eſt, qui deſiderat operari & prodeſſe multis: non ſuperbè dominari: vt ſcilicet deſideret opus non dignitatem, laborem non delitias, nõ creſcere faſtigio, ſed humilitate decreſcere: vt fiat ſeruus & miniſter hominum propter Chriſtum, vt etiam intermiſſa Rachele decora facie, ſed non relicta: cum Iacob intret ad Liam oculis lippam: & de monte cum Moyſe deſcẽdat ad campos: de ocio cõtemplationis ad laborem actionis. Non ſic enim quiſq; debet eſſe ocioſus, vt in eodem ocio vtilitatem non cogitet proximi: nec ſic actuoſus: vt contemplationem non requirat Dei. In ocio non iners vacatio delectare debet: ſed inquiſitio, vel inuẽtio veritatis: vt in ea quiſq; proficiat: & quod inuenerit, alteri non inuideat. In actione verò non amandus eſt honor ſiue potentia: quia in hac vita omnia ſunt vana ſub ſole: ſed opus ipſum quod per eundẽ honorem vel potentiam fit: vt ſic rectè & vtiliter fiat, vt valeat ad ſalutem ſubditorum. Ideo rectè ait apoſtolus. Si quis epiſcopatum deſiderat, &c. Exponere voluit quid ſit epiſcopatus: quia nomẽ eſt operis, non honoris. Græcũ enim vocabulum eſt atq; inde ductũ: quòd ille qui præficitur, illis quibus præficitur ſuperintẽdit curam eorum, ſcilicet. gerens. Scopos quidem intẽtionem notat. Epiſcopus ergo latinè ſuperintendens dicitur: vt intelligat ſe non eſſe epiſcopum qui præeſſe deſiderat, nõ prodeſſe &c. Ad propoſitum ergo Dauid deſiderabat regnum Iſrael, nõ vt præeſſet principaliter: ſed vt prodeſſet. Et in hoc eius deſiderium à Deo fuit impletum. Quoniam vt dicitur Pſal. 77. Deus elegit Dauid ſeruum ſuum paſcere Iacob ſeruũ ſuũ, & Iſrael hæreditatem ſuam. Et ſequitur, Et pauit eos in innocentia cordis ſui &c. non dicit: & ſubiecit eos. Et quia in dignitate regia ſolum deſiderabat prodeſſe, nõ præeſſe: ideo Deus impleuit deſiderium ſuum. Quoniam vt habetur Prouerb. 10. Deſiderium ſuum dabitur iuſtis. Secundò Dauid deſiderauit Dei viſionem, dicens, Pſal. 41. Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sed hoc deſiderium ipſius fuit impletum etiã in vita præſenti: quia ſuper omnes prophetas hic clarius Chriſti myſteria fuit contẽplatus. vt patet verſi. 1683. Vnde & de ſeipſo, dicit. Pſal. 126. Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum &c. Hoc ergo beneficiũ recolens, vt magis ſeipſum ad Dei laudem excitet, dicit, *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Verum quia hoc ſanctorum deſiderium, ſcilicet, vidẽdi deum hic in vita ex parte licet poſſit impleri, non tamẽ ex toto. Ideo ſi quæras, quando hoc deſiderium ex toto erit impletum: vt anima totaliter ſit ſaciata. Reſpõdet, ꝙ hoc erit quando renouabitur vt aquila iuuentus tua. q. d. ſecundum glo. Deſiderium hoc in pręſenti totaliter non impletur: ſed quando erit ad inſtar aquilæ renouata iuuentus tua, ſcilicet, ad immortalitatem. Similitudo enim data eſt (quia dicit vt aquilæ) quanta dari poteſt de re mortali ad immortalem. Dicitur aquila dum ſenio grauatur, roſtri immodicè creſcentis vnco non poſſe aperire os, & cibum capere; & inde langueſcit: ſed quodam inſtinctu naturæ collidit roſtrum ad petram: & excutit roſtri onus quo cibus impediebatur: & redit ad cibum: & ei omnia reparantur, vt robore iuuenis fiat, Sic & quod nos impedit comedere panem noſtrum, petra

*2. Reg. 3.*
*Quæſtio. Dominari vel epiſcopari ſimpliciter deſiderari licet & ſimpliciter non.*
*1. Tim. 3.*
*Eccleſ. 1.*
*Pſal. 77.*
*Prouerb. 10.*
*Pſal. 41.*
*Pſal. 126.*
*Aquila quomodo renouatur.*
*Gloſa auguſti.*

tra aufert & excutit vetuſtatem,id eſt, Chriſtus vt in eo renouamur, quibus vetuſtas peccati claudit os oblitis manducare panem noſtrum. Vel per renouationem aquilæ intellige renouationem veteris hominis per ſtatum pœnitentię ad gratię nouitatem. Dicit enim magiſter de proprietatibus rerũ lib.12. quòd aquilæ natura eſt quòd cum ſenuerit: in alis habet grauedinem; in oculis caliginẽ; in roſtro nimiam ſentit duriciem. tũc fontem aquę ſcaturientis petit: & altiſſimè per directum aeris ſenſum volat: & ex motu & ex aeris calefactione & ſolis appropinquatione ſe calefactam ſentiens, ſubito in fontem deſcẽdit. In quo mutatis plumis & oculorum caligine aſcendit recens de fonte. Sic & conformiter pænitẽs: dum ſe grauari ſentit in plumis, vt ad alta contemplenda euolare minimè poſſit peccatorum pondere preſſus, & oculorum mẽtis caliginem pati: incipit cæleſtia quantum poteſt conſiderare: & per aliqualem affectionem ad Deũ appropinquare. Et tunc calefactus proprio motu, ſcilicet, timore ac etiam appropinquatione ad ſolem, ſcilicet, etiam amore iuſticiæ: tunc de peccatis dolendo ſe immergit in aquam frigidam, ſcilicet, lachrymarum, & ſic renouatur, & ad priſtinũ ſtatum reducitur. De hoc vide in litera aquila, parte ſexta.

*Aquila ſignificat pænitentes.*

## 1737 Faciens miſericordias dominus & iudiciũ, omnibus iniuriam patiẽtibus.

Hic inducit beneficia data ſpecialiter populo Iſraeli: vt non ſolùm ſeipſum, ſed etiam totum populum Iſrael excitet ad Dei laudẽ. Et diuiditur in duas partes: quia primò ponitur beneficiorũ collatio: ſecũdò ad hoc multiplex adducitur ratio: ibi, Quomodo miſeretur. Prima pars diuiditur in quatuor partes, ſecũdum quòd quatuor narrat beneficia eis à Deo collata. Primũ, quia eos à iugo ſeruitutis liberauit. Secundò, quia eos per legem datam informauit: ibi, Notas fecit. Tertiò, quia eos peccãtes patiẽter expectauit: ibi, Miſerator. Quartò, quia iram ſuam erga eos temperauit ibi, Nõ in perpetuum iraſcetur. Quantũ ad primũ notat beneficium liberationis de Ægypto, dicẽs, quòd ipſe dominus eſt faciens miſericordias, ſcilicet, omnibus iniuriam patientibus. Filij enim Iſrael in Agypto multas iniurias patiebantur. vt patet Exod.1. Quia Ægyptij affligebãt iniuſtè filios Iſrael in operibus luti & laterum: & ad amaritudinem deducebant vitam illorum. Inſuper & crudele pręceptum contra filios Iſrael ne multiplicarentur fecit Pharao: vt ſcilicet omnes mares filiorum Iſrael, ſtatim cùm nati eſſent, interficerentur. Iſtas iniurias cernens dominus, miſericorditer illos de tanta ſeruitute liberauit: & eos per manum Moyſi eduxit de Ægypto. Et hoc eſt quod ait, quòd dominus eſt faciens miſericordias omnibus iniuriã patientibus, id eſt, omnibus filiis Iſrael, dictas iniurias in Ægypto patientibus eos liberando. *Et iudicium.* hoc refertur ad ipſos Ægyptios qui iniuriam inferebant: quibus iudiciũ fecit ipſos mirabiliter diuerſis plagis puniendo: & ſimiliter Pharaonem cum toto exercitu ſuo in mare ſubmergendo. vt patet Exod. 14. Eſt ergo ſenſus verſiculi, quòd dominus eſt faciens miſericordias omnibus patientibus iniuriã: & eſt faciens iudicium omnibus, ſcilicet facientibus iniuriam. Iudicium enim ſignificat actũ ipſius habitualis iuſticiæ quo puniuntur mali: vt dictum

*Exod.1.* *Exod.14.*

fuit verſi.1622. Per hæc enim verba vult oſtendere Pſalmiſta, quòd Deus à nobis ſemper eſt laudãdus; quia eſt faciens miſericordiam & iudiciũ. ſed miſericordiam bonis: iudicium autẽ malis. Et nota hic, quòd Deus miſeretur maximè tribus generibus perſonarum, ſcilicet primò aliis miſericordiã facientibus. Matth.5. Beati miſericordes &c. Sed ſciendum quòd vera miſericordia in duobus conſiſtit, ſcilicet, in dimittere & dare. & vnum ſine alio imperfectum eſt: vt oſtendit Greg.22. moral.c.12. dicens. Scriptum eſt, Dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis. Dare namque noſtrum ad res pertinet, quas habemus exterius: dimittere autem ad relaxandum dolorem quem ex aliena culpa cõtraximus interius. Sed ſciendum eſt, quòd qui dimittit, & non dat: & ſi non plenè operatus eſt: meliorem tamen partem miſericordię tenuit. Qui autem dat, & minimè dimittit: omnino miſericordiã nullam facit: quia ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malicia profertur. Mũdari quippe debet animus priuſquàm eleemoſynam tribuat: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente penſatur. Cuncta namq; maliciæ macula ab interiori noſtro homine tergẽda eſt: quia irã iudicis placare neſcit oblatio, quæ non placet ex immũdicia offerẽtis. Vnde ſcriptum eſt, Reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius: ad Caim autem & ad munera eius non reſpexit. Neq; etenim ſacrum eloquium dicit, Reſpexit ad munera Abel: ac deinde ſubiũxit ad Abel: ſed reſpexit ad Abel primò: ac deinde ſubiunxit & ad munera eius. Et rurſum dicit: quia nõ reſpexit dominus ad Caim, ac deinde ſubdit, nec ad munera eius. Ex dãtis quippe corde id quod datur accipitur. Iccirco non Abel ex muneribus: ſed ex Abel munera oblata placent. Prius namq; ad eum legitur dominus reſpexiſſe qui dabat &c. Vnde qui dat & nõ dimittit: res temporales dat deo, ſed ſeipſum diabolo. vide verſi.484. Ideo ſcribitur Eccl.30. Miſerere animæ tuæ placens deo. vt ſcilicet tibi primò miſerearis, deinde proximo. Secũdò Deus miſeretur à malo recedentibus, ſcilicet per contritionem peccati. Iohel 2. Conuertimini ad dominum Deum veſtrũ: quia benignus eſt, & multæ miſericordiæ &c. Tertiò miſeretur iniuriam patientibus, vt hic. Sed nota quòd patiens quandoque dicitur à paſſione. Et ſic etiam dæmones & mali homines inuiti puniũtur: & ſic non eſt meritorium. Quandoq; autem dicitur à patientia: & ſic patiens diuinam miſericordiam meretur.

*Matth.5.* *Dimittere & dare quomodo differunt. Luc.9.* *Dimittere melius eſt quàm eleemoſynã dare.* *Munus dãtis ex corde penſatur.* *Eleemoſyna in peccato facta non valet.* *Geneſ.4.* *Eccl.30.* *Iohel.2.*

## Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael voluntates ſuas. 1738

Hic notat ſecundum beneficium, ſcilicet datæ legis. Præcepta enim in lege à deo data, erant viæ domini: quia, ſcilicet per illa patet ſeu paratur nobis via veniendi ad Deum Matth.19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Dando enim legem nota fecit præcepta: notas etiam fecit voluntates ſuas filiis Iſrael. Sed illa Moyſi immediatè per ſeipſum, vel miniſterio angelico manifeſtauit: ſed populo Iſrael mediante ipſo Moyſe. Sed dubitabit aliquis: quomodo Deus notas fecit volũtates ſuas filiis Iſrael: cùm Dei voluntas ſit nobis incognita: maximè in his quæ tangunt homines. Certum eſt enim quòd Deus certos vult ſaluare, & certos dãnare; quia vult prædeſtinatos ſaluare & damnare præſcitos:

*Matth.19.*



præſcitos: & volũtariè quos voluit prædeſtinauit. Sed quis hominum nouit in vita præſenti, an Dei voluntas ſit ipſum eſſe prædeſtinatum, an nõ? Certè nullus. Ideo dicitur Eccl.9. Nemo ſcit vtrũ amore vel odio dignus ſit. Præterea cum voluntas Dei ſit idem quod Deus: & ideo ſicut eſt ſolum vnus Deus, ſic ſolum erit vna voluntas Dei. Quomodo ergo plures dei aſſerit eſſe voluntates, dicens, *Notas fecit filiis Iſrael voluntates ſuas.* Notãdũ ergo quòd voluntas Dei cum ſit vna & ſimpliciſſima, vt dictũ eſt verſic.1516. tamen voluntatem Dei impropriè ſcriptura multipliciter accipere conſueuit, ſcilicet, quandoq; pro præcepto: quandoq; pro conſilio: quandoq; pro prohibitione: quæ tamen in ſe non ſunt Dei voluntas: ſed ſunt aliqua ſigna exteriora diuinæ voluntatis. Sicut dicimus punitionem eſſe ſignum iræ diuinæ: cùm tamen punitio qua punit peccatores, non ſit ira Dei: quia ira in deo non cadit. Sic dicimus illas eſſe volũtates Dei: quia ſigna voluntatis. Et quantum ad iſta talia ſigna voluntatis diuinæ: quæ impropriè dicuntur voluntas Dei: certum eſt quòd illas volũtates nobis fecit notas. vt puta voluntatem præcepti per affirmatiua præcepta: & voluntatem prohibitionis per præcepta negatiua: voluntatẽ conſiliationis per conſilia quę dedit hominibus. Et de iſtis loquitur, dicens, *Notas fecit filiis Iſrael voluntates ſuas.* Notãdum etiam quòd accipiendo voluntatem Dei pro ſignis voluntatis eius: voluntas Dei non ſemper impletur: quia nec omnes eius præcepta affirmatiua vel negatiua ſeruant. Vnde & ipſe voluntate ſigni multa præcipit, quæ nõ vult adimpleri voluntate beneplaciti: quia illa ſemper adimpletur. de qua dicitur Pſalm.134. Omnia quæcunq; voluit fecit dominus in cœlo & in terra.

*Pſal.134.*

## 1739 Miſerator & miſericors dominus longanimis & multum miſericors.

Hic ponit tertium beneficium, ſcilicet, patientiæ Dei in expectatione peccatorum. In hoc enim quòd Deus peccatorem non ſtatim punit æternaliter cùm peccat: ſed ipſum patienter expectat ad pænitentiam vt conuertatur: apparet magna Dei miſericordia. Quam notans Apoſtolus ait, An diuitias bonitatis illius patiẽtiæ & benignitatis cõtemnis? Ignoras quòd patientia Dei ad pænitentiã te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam, & cor impænitens: theſaurizas tibi iram, &c. De iſta autem miſericordia Dei, qua peccatores patienter expectat, vide verſi.75. & 484. & 1265. Hanc ergo notans dicit, *Miſerator & miſericors dominus, &c.* Vbi gl. Miſerator actu: ſed miſericors natura. Miſericordiam neceſſariò ſequitur patientia. Vnde ſubdit, *Longanimis:* quia peccatores ſuſtinet. & multũ miſericors quia nõ ſolum expectat: ſed etiam dat bona & multis modis vocat. Vocat enim Deus peccatores beneficiis creaturæ: vocat impartiendo tẽpus viuendi: vocat per lectorem: vocat per tractatorem: vocat per intimam cogitationem: vocat per flagellum correctionis: vocat per miſericordiam conſolationis. Qualiter autem Deus ſit miſericors vel miſericordia cadat in deo. vide verſi.55. Miſericordia Dei in quibus conſiſtit. vide verſi.592. Miſericordia Dei quomodo differt à miſeratione ver. 664. Miſericordia Dei eſt multiplex verſic.833. & 834. Iſtud autem beneficium miſericordiæ & expectationis multipliciter Iudęorum populo Deus conceſſit: quia multotiens in deſerto ipſum ad iracundiam concitauerũt. Vnde de illo populo dixit dominus Moyſi. Nume.14. En iam tentauerũt me per decem vices? Tamen (vt dicitur Pſal.105.) vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum: & dedit eos in miſericordias, &c. Et nota quòd talis ac tanta eſt Dei miſericordia, quòd in omni loco & ad omnes ſe extẽdit: & reperitur vbiq;. Nam ſi ſurſum ad cœlum reſpicias, ipſam in cœlo reperies: quia ibi beatos vltra condignum præmians. Pſalm.35. Domine in cœlo miſericordia tua. Si in mundo, ibi eſt peccatores patienter expectãs. Eſa. 30. expectat dominus vt miſereatur veſtri. Si in purgatorio: ibi eſt per ſanctos angelos ibidem cõfortans animas. Eccleſ.51. Liberaſti me à preſſura flammæ quæ circundedit me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui. Si in inferno: ibi eſt damnatos mitius puniendo quàm meruerunt. Vnde Pſal.76. Nũquid obliuiſcetur miſereri Deus: aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? &c.

*Rom.2.* *Vocat deus peccatores multipliciter.* *Nume.14.* *Pſal.105.* *Miſericordia Dei eſt in omni loco.* *Pſal.35.* *Eſa.30.* *Eccl.51.* *Pſal.76.*

## Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur. 1740

Hic oſtendit quartum beneficium: quia ſcilicet iram ſuam circa illos temperauit. Temperatur autem ira alicuius dupliciter, ſcilicet, ipſam terminãdo, & ipſam mitigãdo. Sic & Deus circa illum populum iram ſuam terminauit: & ſecundò illã mitigauit: ibi, Non ſecũdum. Quantum ad primũ ſciẽdum quòd electis ſuis deus dicitur iratus, quando eos hic punit ne ipſe puniat ęternaliter. Sicut pater irat[9] videtur filiis qñ ipſos corrigẽdo verberat, quę tñ correctio nõ ex ira ſed magno ex amore ꝓcedit. Apoc.3. Ego quos amo, corripio & caſtigo. Quod oſtendit Greg. dicens, Omnipotens Deus eos quos in æternum diligit: aliquãdo ad tempus relinquit. Vnde ſcriptum eſt, Ad punctum in modico dereliqui te: & in miſerationibus magnis cõgregabo te. In momento indignationis meæ abſcondi faciem meam pauliſper à te: & in miſericordia ſempiterna miſeratus ſum tui. Et hoc eſt quod Pſalmiſta deprecatur, dicens, Non me derelinquas vſquequaque. Derelinqui igitur ſeſe poſſe ad modicum vtiliter nouerat: qui ne vſquequaq; derelinqueretur petebat. Sanctos ſuos dominus veniendo adiuuat: derelinquendo probat: donis firmat: tribulationibus tentat. Iuſtam quippe animam gratia reuocat: tentatio interrogat. Et omnipotens Deus electorum ſuos aduerſarios quandoque permittit tẽporaliter excreſcere: vt per illorum ſæuitiam purgetur vita bonorum. Nunquam quippe dominus bonis malos aduerſos eſſe permitteret, niſi etiam quantum prodeſſent, videret. Nam dum iniuſti ſæuiunt, iuſti purgantur. Et vtilitati innocentium proficit vita prauorum, dum hanc puniendo humiliat: & humiliando ſemper ad melius format, &c. vide ibi. Vnde ſequitur eodem cap. Quia igitur mala prauorum: dum bonos cruciant, purgant: vtilitati iuſtorum militat etiam poteſtas prauorum. Sed talis ira Dei erga electos non ſemper durat: ſed temporaliter tranſit & terminatur. Propter quod dicitur, In me tranſierunt iræ tuę. Quod autem tranſit: non in perpetuum durat. vide verſicul.1497. Et hoc notans Pſalmiſta dicit, quòd non in perpetuum iraſcetur, ſcilicet, electis ſuis. Qualiter autem ira cadat in deo. vide verſi.55.684.1360. Item nota quòd ira Dei diuerſos habet effectus. vide verſi.1563.

*Ira Dei proficit bonis.* *Apoc.3.* *Greg.20 moral.c.22.* *Eſa.54.* *Pſal.118.* *Boni per malos purgãtur.* *Pſal.87.*

1741 Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis:neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

A Hic ponit iræ circa illos mitigationem. Et primò ponit ipſius mitigationem:ſecundò mitigationis modum:ibi, Quoniam ſecundum altitudinem. *Punit Deus peccata vltra condignum.* Quantum ad primum ſciendum, quòd in hoc mitigatur ira Dei erga peccatores:quia etiam eos puniendo punit citra condignum : ſicut ſemper præmiando vltra condignum præmiat. Vnde quilibet peccator percuſſus à Deo, rectè dicere debet illud *Iob 33.* Iob 33.Deliqui:& vt erã dignus non recepi.Quod *Greg.24.moral.c.12.* exponẽs Greg.ait,Vnuſquiſq; enim in flagello poB ſitus,minus adhuc peccata ſua conſiderat,ſi vel tãto vel amplius ſe percuſſum quàm merebatur,æſtimat.Iſte autem quanto maiorum extra conſiderat: tanto ſe minus percuſſum quàm merebatur agnoſcit:quia in illorum iuſtitia conſpicit quàm grauis culpa fuerit quòd errauit.Et icirco illud quod patitur diſtrictum eſſe non ſentit:quia diſtrictè nouit pẽſare quod fecit. Valde autem facile eſt:vt peccatorem quiſq; ſe eſſe cõfiteatur cum nihil pro peccato ſuo patitur. Sed cum de peccato flagello interueniente corripimur,murmuramus, Pæna ergo nos interrogat,ſi veraciter cognoſcimus culpã. Et *Greg.10.moral.c.8.* ibidem Greg.dicit, Si ſollicita conſideratione pẽſamus quantum quotidie contra auctorem noſtrũ delinquimus agnoſcimus. Si autem culpas perpẽdimus : profecto æquanimiter flagella toleramus. C Dolor quippe flagelli temperatur, cum culpa cognoſcitur.Quia & tanto quiſq; patiẽtius ferramẽtum medici tolerat,quanto putridum cõſpicit eſſe quod ſecat.Cùm ergo quiſq; quæ fecit bene conſiderat:profectò intelligit quòd cũcta quæ patitur minora ſint quàm meruerat.Hoc ergo bene conſiderans Pſalmiſta dicit, *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis,&c.* *Quæſtio. Peccator an puniri poſsit ad condignũ.* Ad hoc autem intelligendum quærũt aliqui vtrum Deus peccatum per iuſtitiam punire poſſet ſine miſericordia,vt ſi puniret peccatum vel peccatorem,quantũ puniri meretur de condigno. Et videtur quòd ſic:quia hoc præcipit fieri:ergo & *Apoc.18.* hoc ipſe facere poteſt. Patet antecedens. Apoc.18. Quantum glorificauit ſe,& in deliciis fuit:tantum *Deute.25.* date ei tormentum & luctum.Et Deute.25. SecũD dum menſuram delicti erit & plagarum modus. Item quia non poteſt punire ſine iuſtitia : cum ſit ſummè iuſtus.Ad oppoſitum, quia deo proprium eſt miſereri & parcere.Et quia in opere Dei cõcur- *Pſal.34.* rit miſericordia & iuſtitia.Pſalm.34.Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas. Reſpondeo quòd Deus non poteſt punire peccatorem, quantum peccator puniri meretur;quinimo ſi puniret eum quantum meruit puniri, ſequeretur quòd nullus peccator pænam aliquam haberet.probatur,quòd omnis peccator ingratus eſt Deo. Omnis autem ingratus meretur de cõdigno priuari omni beneficio accepto ab illo cui eſt ingratus.Cũ ergo peccator à Deo acceperit beneficium eſſentiæ,mereE tur priuari eſſentia;ergo & annihilari. Si autẽ peccator eſſet annihilatus,nullam pænã haberet:quia quod nihil eſt,nullam pænam pati poteſt. Ad rationes autem in oppoſitum dicitur, quòd in illis auctoritatibus ly quantum, denotat æqualitatem proportionis pænæ ad peccatum : nõ æqualitatem quantitatis. Et quòd iuſtitia Dei intrinſecè includit miſericordiam.

A Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra : corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. 1742

Hic declarat modum mitigationis iræ diuinæ. Ira autem Dei erga nos mitigatur,& quo ad pænã: quia minus punit quàm peccator puniri meretur, vt dictum eſt.& quo ad culpam:quia culpam mortalem quæ de ſe nõ meretur veniam, vnde & mortalis vocatur:ſua gratia remittit. Et ſecundum iſta duo:iſta pars habet duas partes. Quia primò agit de mitigatione iræ Dei quo ad pænam:ſecundò de ipſa quo ad culpam:ibi, Quantum diſtat ortus.Pro *Altitudo cœli à terra ſignificat pænã peccato debitam.* euidentia iſtorum duorum notandum quòd mulB to maior eſt diſtantia ab oriente vſq; ad occidens, quàm ſit à terra vſq; ad cœlum. cõſideremus ergo ſpheram cœli in quo ſol eſt poſitus:qui facit oriẽtẽ & occaſum. Diſtantia in ipſo orientis ad occaſum eſt directè ſecũdum diametrum circuli ipſius. Vnde ſi circulus illius cœli continet ſexaginta miliaria:diameter eius cõtinet tertiam partem.ſcilicet, viginti.Linea autem ducta à centro circuli vſq; ad *Diſtantia ortus ab occidẽte ſignificat culpam.* circunferentiam continet ſolum ſextam partẽ circunferentiæ circuli,ſcilicet decem. Et ſic diſtantia orientis ab occidẽte in circulo eſt maior quàm diſtantia cœli à terra : etiam vſq; ad centrum terræ. Cùm ergo culpa ſit maius malum quàm pæna,immo ipſa pæna propriè malum nõ dicitur : ideo per diſtantiam cœli à terra intelligit ipſam remiſſionẽ vel mitigationem pænæ.ſed per maiorem diſtãtiã, C ſcilicet,orientis ab occidente,intelligit remiſſionẽ culpæ. Quantum ergo ad mitigationẽ iræ ſuæ quo ad pænam dicit, *Quoniã ſecundum multitudinem cœli à terra corroborauit,&c.* quaſi dicat,quia quãtitas pænæ debitæ intelligitur ſecundũ altitudinem cœli à terra:iſtã altitudinẽ mitigat corroborando miſericordiã ſuã ſuper timentes ſe;quia quanta eſt illa latitudo pænæ debita:tãta fuit eius miſericordia illã dimittendo. Quod facit virtute veræ pænitentiæ, quæ æternã pænã peccato debitam remittit.Et adducit iſtam cõparationẽ diſtantiæ cæli à terra:quia quamuis terra multũ diſtet à cœlo ; tamẽ ſine cœli influẽtia nullis vſibus eſſet apta. Sic & homo peccator ſi puniretur vt meruit:nullis vſibus eſſet aptus.Vnde hic ait gl.Attẽde aptã cõparationẽ. CœD lũ enim vndiq; terrã circuit.Inde lux ad terrã,inde aer,inde ſpiritus,inde pluuia,inde fructus:ſine cœlo defecit terra.Sic mitigatio debitę pænæ ſuper timentes eũ.Et nota hic q mitigationẽ pænæ notat *Altitudo pœna multiplex.* per altitudinẽ cœli à terra : quia multiplex eſt altitudo qua pæna debita remittitur; ſcilicet altitudo humilitatis,paupertatis,aſperitatis,contemplationis,charitatis,& obedientiæ. Vide in litera,altitudo:parte prima.Iſta eſt ergo altitudo diuinæ miſericordiæ,qua ſe timẽtibus pænam dimittit.de qua *Pſal.112.* Pſal.112. Dominus Deus noſter in altis habitat:& humilia reſpicit.

Quantũ diſtat ortus ab occidente: lõgè fecit à nobis iniquitates noſtras. 1743

E Hic oſtendit mitigationem iræ Dei quo ad culpam. Sicut enim vt dictum eſt, maior eſt diſtantia ortus ab occidente,ſic maior eſt Dei miſericordia qui peccatis noſtris iratus etiam per pænitentiam ipſa peccata dimittit. Et nota quòd hic per *Oriens gratia occidens peccatum.* ortum intelligit diuinam gratiam : per occidens autem peccata. quia Deus per ſuam gratiam quæ eſt oriẽs,occidit noſtra peccata. Vnde hic ait gl.occidunt peccata dum gratia oritur. Peccata tanquã in occaſu ſunt : quia cadere faciunt gratia verò in ortu eſt qua liberaris. Auerte ergo ab occaſu peccatorum:& attende ad ortum gratiæ.& ita ſurgit. Fecit ergo à nobis longè iniquitates noſtras, quãtum diſtat ortus ab occidente:quando fecit vt illa occidant & gratia oriatur.quod gratis fecit : non meritis noſtris.Et nota quòd ſecundum diſtãtiam quæ peccatum nos diſtare facit à deo:ſic Dei miſericordia nos deo appropinquare facit,tollẽs peccatum quod eſt cauſa illius diſtantiæ.Diſtãtia autẽ peccati à Deo,nos in multis facit errare. Quos errores Deus tollit, dum à nobis peccatum diſtare facit,ſcilicet,ipſum remittendo.Diſtantia autẽ qua à Deo elongamur per peccatum:circa vitam beatã nos in multis facit errare,ſcilicet, ſecundum quòd B in rebus corporalibus diſtantia corporalis errare facit. Primò diſtantia facit errare circa rei quantitatem.quanto enim res viſa magis diſtat : apparet minor quàm ſit ſecundum rei veritatẽ. Patet in ſole,qui quia multum diſtat à nobis, videtur minor terra:cum tamen ſit inter omnia luminaria maius: & quælibet ſtella ſit maior tota terra. Item diſtantia facit errare circa qualitatẽ.Patet, quia propter diſtantiam res alba apparet oculis nigra.vt patet in turribus viſis à remotis & montibus & in velis nauium. Item facit errare in figuris:vt patet de re quadra viſa à remotis quæ apparet rotunda. Turris enim quadra à remotis rotũda videtur. Sic igitur quia peccatum à cæleſti patria nos diſtare nimis facit:quia longè à peccatoribus,ſalus : iccirco circa illam modis prædictis nos facit errare. Primò circa quantitatem eius. Credunt enim peccatores maiorem eſſe gloriam mũdi quàm regni cæleſtis:ideo iſtam præferunt illi. Errant quia illa in- *Baruch.3.* comparabiliter maior eſt.Baruch.3.O Iſrael quàm magna eſt domus Dei : & ingens locus poſſeſſionis eius,&c.Item errãt circa eius qualitatem:quia cum ibi recepti ſint homicidæ vt Dauid:peccatrices vt Magdalena:fures vt latro crucifixus:nõ æſtimant illam eſſe ſecuram neq; mundam : ſed ſpelũcam latronum & proſtibulum mulierum. Et ideo intrare non curant.Sed multum errãt:quia vt ſcri- *Apoc.21.* bitur Apoc.21. Nihil inquinatum intrabit in illã: immo canes & venefici foras eiiciẽtur. Item errãt circa figuram:quia credunt illam eſſe rotundã : cũ tamẽ ſit quadra. Res enim rotũda faciliter eſt mutabilis:quadra autem difficilius:quia credũt illam non eſſe perpetuam : cum tamẽ ſit ſtabilis & æter- *Apoc.21.* na:quia quadra. Apoc.21. Ciuitas in quadro poſita eſt.Sed remota culpa quæ eſt cauſa iſtius diſtantiæ:remouẽtur prædicti errores.Sed culpam iſtam remouet Deus tantũ ipſam a nobis diſtare faciens, quantum ipſa nos diſtare faciebat à Deo. Et hoc eſt quod ait. *Quantum diſtat ortus ab,&c.*

1744 Quomodo miſeretur pater filiorũ, miſertus eſt dominus timentibus ſe: quoniã ipſe cognouit figmẽtũ noſtrũ.

Hic conſequenter ponitur prædictæ miſerationis diuinæ ratio. Quæ ſumitur ex tribus, ſcilicet, primò ratione diuinæ bonitatis : ſecundò ratione humanæ fragilitatis:ibi, Recordatus eſt:tertiò ratione noſtrę mortalitatis:ibi, Quoniã ſpiritus. Quãtum ad primum ſciendum quòd naturaliter maior eſt amor parentum ad filios,quàm filiorum ad pa- *Ariſtotel.* rentes. Quod probat Philoſophus 8. Ethic.maxiA mè triplici via & ratione. Prima ratio ſumitur ex diuturnitate temporis. Nam quãto amor plus durat:vehementior efficitur. Amor autem parentum ad filios plus durat,quàm filiorum ad parentes.Nã ſtatim vt filij naſcuntur,parentes diligunt eos:immo ſtatim vt ſunt concepti antequam naſcantur. Non autem ſic filij diligunt parentes citò:quia nõ ſtatim nati ſunt tãtæ cognitionis vt poſſint diſcernere quid ſit diligendum : etiam quia ſtatim nati neſciunt diſcernere parentes ab aliis:ideo non ſtatim per amorem afficiũtur ad illos : ſed per proceſſum temporis : quando parentes ab aliis incipiunt diſcernere:tũc ipſos diligere incipiunt.Diuturnior ergo eſt amor parentum ad filios,quàm ecõtrario. & per conſequens intenſior. Secũda ratio ſumitur B ex parte certitudinis : quia magis certi ſunt parentes de prole ſua,quàm proles de parentibus. Filij enim non poſſunt eſſe certi qui ſint parentes eorũ, niſi ex auditu & per quædã ſigna amoris ſatis extrinſeca:quæ multotiens tanta vel maiora oſtendit aliquis non filiis ſuis.Parentes autem ſtatim habẽt cognitionem de ipſa prole : & certificare poſſunt de prole ſua. Et ex hac ratione deducit Philoſophus quòd mater plus amat filiũ quàm pater:quia certior eſt de filio quòd ſit ſuus quàm ſit pater. Tertia ratio ſumitur ex parte vnionis parentum ad filios : quia filij ſunt propinqui parentibus magis quàm parentes filiis. Cum autem amor quandam vnionem importet:ideo filij tanquam magis vniti parẽtibus magis ab eis diligũtur quàm ecõtrario. C Imaginatur enim Philoſophus,quòd filij ſunt quaſi quædam pars parentum:quia filius eſt quædam portio à parentibus deciſa. Pars autẽ magis vnitur toti quàm totum parti. Quia totum comprehẽdit partem:pars autem totum comprehendere nõ poteſt:quia in toto aſſignatur aliquid quod multum diſtat à parte : ſed nihil eſt in parte quod non ſit in ratione totius. Quare ſi pars moueretur ad amorẽ totius,non ſic feruẽter diligeret ipſum : quia videret in ipſo toto aliqua,quæ multũ diſtarent ab ea. Sed quia filius eſt quædam pars parẽtum,nihil eſt in filio quod non ſit propinquum parentibus : & quod ſecundum aliquem modum nõ pertineat ad illos. Et ideo parentes plus amant filios dictis rationibus quàm econtrario. Et hinc eſt quòd filius D nũquam tantum poteſt offendere patrem:quin libenter ipſum recipiat ad ſuam miſericordiã ſi velit reuerti:non autem ecõtrario. Quod ſatis apparuit *Luc.15.* in filio prodigo,quem pater reuertentẽ miſericordia motus gratioſè ſuſcepit.Nec mirũ, quia naturaliter ſemper in patris pectore manet:qui pro filio intercedit affectus.Iſtam ergo rationẽ allegat Pſalmiſta.Nõ mirum ſi Deus miſertus fuit populo ſuo: Quia ſi pater carnis naturaliter miſeretur filio ab ipſo carnaliter genito:quanto amplius pater Deus ſuorum filiorum?Et hoc eſt quod ait, *Quomodo miſeretur pater filiorum:miſertus eſt dominus timentibus ſe.* Et aliam rationem huius miſerationis aſſignat,dicẽs, *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.* Figmentum *Figmentum dicitur fomes peccati.* hic accipitur pro fomite peccati qui eſt in anima: E quo homo ad malũ inclinatur:ſecũdum : quod dicũt Hebræi.Propter quod hominis peccatũ eſt magis miſeratione dignũ.De quo fomite dicitur Geñ. *Geneſ.8.* 8.Senſus & cũcta cogitatio hominis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Sic etiam gl.hic accipit figmentum pro infirmitate mẽtis,id eſt,pro fomite,dicẽs, *Ipſe cognouit figmentum noſtrum,* id eſt,infirmitatẽ noſtrã.Nouit enim quod fecit quomodo

 dilapſum

dilapſum ſit:quomodo reficiendum ſit: quomodo adoptandum ſit:quomodo ditandum ſit. Factura enim creatoris repulſa ipſi nos finximus.

1745 **Recordatus eſt quoniam puluis ſumus,homo ſicut fœnum,dies eius tãquam flos agri ſic efflorebit.**

Hic aſſignat rationem noſtræ fragilitatis quo ad carnem ſiue corpus. Homo enim ex terra creatus eſt quo ad corpus. *Gen.1.* Gen.1. Fecit Deus hominẽ de limo terræ. *Redimi debuit homo & non angelus.* Terra autem eſt corpus graue:& ſic ipſum corpus animæ cõiunctum ſemper aggrauat animam,& ad peccatum inducit:& ex conſequẽti peccatum hominis redditur magis miſericordia dignum. Angelus autem quia non eſt puluis, neque carnem geſtat peccando grauius cecidit:& peccatum ſuum non fuit venia dignum. Et hanc rationẽ aſſignat Greg.ad probandum quòd homo debuit redimi,& non angelus: quia homo carnem geſtabat:ſed non angelus,dicens. *Gregor.lib.4. moral.c.9.* Duas ad ſe cognoſcẽdũ creaturas dominus cõdidit &c. vide verſ.1734. *Sap.9* Et hoc eſt quod dicitur Sap.9. Corpus quod corrumpitur,aggrauat animam &c. Vnde & hanc noſtram fragilitatem ratione corporis,aliis verbis innuit,dicẽs. *Homo ſicut fœnum*,id eſt,ſicut herba,quæ ſtatim areſcit. *Dies eius tanquam flos agri,&c.* De hoc vide ver.1556. Vnde ex iſtis verbis quàm ſit fragilis vita noſtra demonſtratur,dum dicitur, *Homo ſicut fœnum,dies eius tanquam flos agri,&c.* Sic enim iſtũ textum ad hoc propoſitum inducit Greg.7.mora. cap.20.dicens, *Gregor lib.7. moral.c.20.* Sæpe enim dum præſentis vitę breuitas quaſi diu perſeueratura diligitur: ab æterna ſpe animus frangitur, & delectatus præſentibus deſperationis ſuæ caligine reuerberatur. *Breuitas vitæ debet conſiderari.* Cumque longum putat quod ad viuẽdum ſibi ſpacium reſtat,repente vitam deſerẽs, æterna inuenit quæ vitare iam nequeat. *Eccl.2.* Hinc eſt quod per quendam ſapientem dicitur. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Suſtinentiam enim perdunt, qui dum diu ſe viſibilibus immorari æſtimant,ſpem inuiſibilium derelinquunt. Cúmque mens in pręſentibus figitur,vita terminatur:& repente ad ſupplicia improuiſa perueniũt, que decepti ſuis prꝑſumptionibus, aut nunquam ſe contingere,aut tarde crediderunt. *1.Teſſal.5.* Hinc enim ſcriptum eſt, Dies domini ſicut fur ita in nocte veniet. Qui enim ad rapiendam animam minimè propinquans conſpicitur: furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quaſi veniẽs ſemper metui:quanto a nobis non valet venturus præſciri. Vnde & ſancti viri qui breuitatem vitæ indeſinenter aſpiciunt: quaſi quotidie moriẽtes ũviut. Et tanto ſe ſolidius manſuris pręparant; quanto nulla eſſe tranſitoria ſemper ex fine penſant. Hic quippe Pſal. veloci curſu fugere vitam prꝑſentem ait. Homo ſicut fœnum: dies eius tanquam flos agri &c. Sed tamen aduertendum quomodo homo fœnum dicatur. *Grego.lib.4. moral.c.17. Homo tribus modis dicitur.* Nam vt ait Grego. Scriptura ſacra hominẽ tribus modis appellat,ſcilicet, aliquando per naturam,aliquando per culpam, aliquãdó per infirmitatem. *Gen 1.* Homo quippe per naturã in ſcriptura dicitur:ſicut ſcriptum eſt, Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. *Pſal 81.* Homo per culpam,ſicut ſcriptum eſt. Ego dixi,dij eſtis,& filij excelſi omnes:vos autem ſicut homines moriemini. *1.Cor.3.* Ac ſi apertè dicat, Sicut delinquentes obitis. Vnde & Paulus ait. Cum ſit inter vos zelus & contẽtio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Ac ſi dicat, Qui diſcordes mentes ducitis: nonne adhuc ex reprehẽſibili humanitate peccatis? Homo per infirmitatem accipitur:ſicut ſcriptũ eſt. *Hiere.17.* Maledictus qui ſpem ſuã ponit in homine. Ac ſi apertè dicat,in infirmitate. Et quocunq; modo accipiatur homo,apparet quòd eſt ſicut fœnũ: quia ecce per mortem à flore vitæ decidens areſcit.

**Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.** 1746

Hic ponit tertiam rationẽ,quæ ſumitur ex parte mortalitatis. Vbi notandum quòd ſpiritus quãdoq; accipitur pro ſuperbia. *Grego.7.moral.c.3. Spiritus hominis eſt ſuperbia quæ fuit cauſa mortis.* Vnde Gregorius exponens illud Iob 6. Sagittæ domini in me,quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, ait. Quid enim eſt ſpiritus hominis,niſi ſpiritus elationis? Sagittæ autem domini ſpiritum hominis ebibunt:cum ſupernæ animaduerſionis ſententiæ afflictam mentem ab elatione compeſcunt. *Pſal.76.* Sagittæ domini ſpiritum hominis ebibunt:quando intẽrum exterioribus introrſus trahũt. Vnde & Pſalmiſta dicit,Renuit conſolari anima mea:memor fui Dei:& defecit ſpiritus meus,ſcilicet,ſuperbia. Et ſi ſic hic ſpiritus accipiatur,oſtendit cauſam noſtrę mortalitatis:quia ſuperbia hominis qua deo inobediẽs fuit, cauſa fuit noſtræ mortalitatis. *Rom.5.* Rom.5. per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum:& per peccatum mors. Et tunc eſt ſenſus. Quare homo moritur,& non ſubſiſtit? Reſpondet, *Quoniam ſpiritus*, ſcilicet ſuperbiæ pertranſibit in illo. accipit enim futurum pro præterito. Et ideo non ſubſiſtet,ſcilicet, in eſſe hominis: quia mortuus homo non eſt homo. Quandoq; verò accipitur ſpiritus pro effectu ſpirituali. *Spiritus dicitur vita ſpiritualis.* Vnde Greg.11.moral.cap.3.ait, Pro effectu ſpirituali ſpiritus accipitur:ſicut ſcriptum eſt. *Pſal.103.* Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Angeli namq; id eſt,nuncij in ſacro eloquio prædicatores vocãtur:ſicut ſcriptum eſt, *Malac.2.* Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiam: & legem requirũt de ore eius. Angelus enim domini exercituum eſt. Omnipotens ergo Deus angelos ſuos ſpiritus facit: quia prædicatores ſuos ſpirituales efficit. Et ſi ſic accipiatur hic ſpiritus:eodem modo vult oſtendere cauſam mortalitatis. Homo enim à Deo ſine aliqua culpæ macula fuit creatus: & ſtatim per gratiam & virtutes ſpiritus,id eſt,ſpiritualis effectus. Sed quia iſtú ſpiritum ſpiritualis vitæ peccãdo perdidit:ideo mortalis effectus non ſubſiſtit:quia ſtatim perdita vita gratiæ,eſt mortalis effectus. *Spiritus dicitur ipſa anima.* Quandoq; verò ſpiritus accipitur pro anima rationali: quæ eſt forma ſubſtantialis hominis. *Grego.lib.11. moral.c.3.* Vnde Greg.ait. Ponitur nãque ſpiritus pro anima: ſicut de capite noſtro ſcriptum eſt, Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Si enim aliud ſpiritum quàm animam euangeliſta diceret:exeunte namq; ſpiritu,anima remanſiſſet. Et ſi ſic hic accipiatur ſpiritus,Pſalmiſta oſtẽdit ipſam mortalitatẽ hominis & non cauſam,dicẽs, *Quoniã ſpiritus pertranſibit in illo*.i.quia anima nõ ſemper manet in corpore:ſed quandoq; ſeparatur per mortẽ: ideo homo nõ ſubſiſtit.ſ.in eſſe hominis. *Philoſophus.* Vnde & Philoſophus 1.de aĩa in fine ait.ꝙ egrediẽte anima homo expirat.i.deſinit eſſe homo, & corpus marceſcit. Et hoc eſt qđ ſubditur, *Et nõ cognoſcet amplius locum ſuũ.* Quis enim eſt locus ſpiritus ſiue animæ, niſi ipſum corpus in quo naturaliter manere deſiderat? ſed anima ſeparata iſtú locum amplius non cognoſcit,id eſt, amplius ad ipſum corpus non reuertitur in vita præſenti. *Animæ ſeparatæ nõ cognoſcunt quæ hic fiunt.* Et hoc de lege communi. Vel per locum animæ accipe vitã præſentem,à qua anima violẽter recedit. Et tunc eſt ſenſus quòd anima ſeparata à corpore, nõ cognoſcet amplius locũ ſuum:quia ſicut exiſtentes in præſenti vita nõ cognoſcunt quæ fiũt in receptaculis defunctorũ: ſic nec animæ exeũtes à corpore cognoſcunt illa quæ fiunt in locis viuẽtium:vt dicit Augu.in li. de cura pro mortuis agenda. *Auguſt. Mortui.* Quod intelligendũ eſt de lege cõmuni:quia aliquãdo accidit oppoſitũ ex ſpeciari reuelatione diuina. Sciẽdú etiã quòd beati vidẽt in verbo illa quæ faciũt ad augmentũ beatitudinis ipſorum. Et ſic vidẽt pœnas dãnatorum,& illa quæ hic fiunt ad ipſorum honorẽ. Item notãdum quòd litera Hierony.aliter dicit:quæ ſic ſtat. *Hierony.* *Et non cognoſcet eũ amplius locus eius.* Et tunc ſenſus eſt clarior,ſcilicet,quòd illi qui ſunt in vita præſenti, nõ cognoſcũt ſtatũ,in quo ſit ſpiritus ſeparatus. Sed hic dubium inſurgit. *Chriſtus an fuerit homo in triduo mortis.* Quia dictum eſt quod ſpiritus pertrãnſibit in illo,& non ſubſiſtet,id eſt,quòd anima tranſeunte, homo nõ ſubſiſtit amplius in eſſe hominis. Nunquid Chriſtus ſeparata anima ſubſiſtebat verus homo. Ad hoc fuit opinio magiſtri li. 3. diſt,2.quòd Chriſtus in triduo erat verus homo:& tamẽ verè mortuus erat:quia alia ratione Chriſtus erat homo, quàm cæteri hominũ:quia alij nõ ſunt homines:quia anima corpus informat. Deus verò erat homo: quia verbũ aſſumpſit corpus & animã humanam in vnitate perſonę:quamuis autẽ anima ſeparata fuerit à corpore, & econtrariò,tamen nec corpus nec anima ſeparata fuit à diuinitate: quia quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit. Sed communis ſchola hic nõ tenet magiſtrum. *Magiſter.* vide de hoc multa ibi,ſcilicet,libro 3.diſt.22.

**Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum: ſuper timentes eum.**

1747

Hic cõſequẽter accipitur ratio laudãdi deũ ex beneficiis cõmuniter à deo collatis omnibus iuſtis. Vbi oſtẽdit quòd duo maximè habẽt iuſti, quibus dei beneficia merẽtur habere. Primũ eſt timor dei, quo declinãtur peccata. Secundũ eſt amor dei.quo adimplẽtur pręcepta:ibi. Et iuſtitia. Duę enim ſunt partes iuſtitiæ, ſcilicet, declinare à malo & facere bonũ. Primã inducit timor domini,ſcilicet,filialis: quo offenſa patris diſplicet:etiam ſi nulla ſequeretur pœna. *Prouer.15.* Vnde Prou.15. Per timorẽ domini declinat omnis homo à malo. *Timor Domini miſericordiam acquirit & gratiam.* Iſtum verſum bene cordi ſuo impreſſerat virgo Maria:quæ beneficiũ tãrũ vt magiſter dei eſſet effecta,ex timore domini cõfitebatur ſe habuiſſe in ſuo cãtico,dicẽs. *Luc.1.* Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. *Græcus.* Quæ verba exponẽs Græcus ait quaſi dicat virgo Maria. Ex miſericordia dei quã habet à generatione in generationẽ,ego cõcipio. At ipſe corpori animato cõiungitur noſtrã tractans ſalutem ſolius intuitu pietatis. Miſeretur autẽ deus non quibuſcunque:ſed his quos timor eius cõpeſcuit in qualibet natione. propter quod ſubditur:timentibus eum, quaſi,ſcilicet, pænitẽtia ducti ad fidem cõuertuntur. Nã qui obſtinati ſunt incredulitatis vitio,clauſerunt ſibi ianuã pietatis. Per hoc quod dicit,à generatione in generationem, idẽ eſt ꝙ hic dicitur. *Ab æterno vſque in æternũ*,id eſt,à principio mundi ſine fine à parte poſt,id eſt,à præſenti ſeculo vſq; in futurũ:miſeretur dominus timẽtibus ſe. Quia dictum eſt ſu.ver.1718.quomodò timor valet ad fugienda peccata:nunc cõſequenter oſtẽdo quomodo valet ad acquirendã gratiã & dei miſericordiã. *Timor domini valet ad multa.* Vbi nota quòd maximè pænitẽtibus valet ad tria,ſcilicet, Ad iuſtificationẽ,in cõtritione. Ad ſanctificationẽ, in cõfeſſione. Ad obedientiam in ſatisfactione. Primò valet ad iuſtificationẽ in cõtritione:ſicut humiliatio iniuriãtis valet ad recõciliationẽ iniuriati. Huius figura habetur in duobus latronibus crucifixis cũ domino. *Luc.23.* Luc.23. Neq; tu times deum,qui in eadem damnatione es &c. Vnde & ſuprà: quomodo miſeretur pater filiorũ,miſertus eſt dominus timẽtibus ſe. *Hierony.* Vnde Hiero. ſuper mat.ait. Timor domini corrigit,ſcilicet,iuſtificãdo. Timor hominũ differt actionem:ſed malã volũtatem nõ mutat:immo audaciores reddit ad crimen quos à crimine quãdoq; ſuſpendit. Et ideo ſine dei timore iuſtitiã nullus acquirit. *Eccl.1.* Eccl.1. Qui ſine timore eſt,iuſtificari non poterit. Secũdum patet: quia ſicut ancilla timore dominæ domũ ab immũditiis purgat: ſic & dei timor per cõfeſſionem domum conſcientiæ purgat. Ideo Pſalmiſta vt timore domini cõſcientiam melius à peccatis purgare poſſet orabat Pſal. 118. dicẽs. *Pſal.118.* Cõfige timore tuo carnes meas:à iudiciis enim tuis timui. *Caſſiodorus.* Ideo ait Caſſiodorus ſuper Pſal. Noueris te, ſcilicet, tuam conſcientiam diſcutiendo: vt deum timẽs noueris deum, vt anima tua ipſum diligat:quia lex dei à timore incipit,& ad charitatem terminatur. Initium nãque ſapientiæ eſt timor domini:& plenitudo legis eſt dilectio. quẽadmodum enim ex notitia tui venit in te timor dei:ſic ex notitia dei in te venit amor. Et hoc eſt quod dicitur Eccl.2. *Eccl.2.* Qui timẽt deum præparabunt corda ſua:in cõſpectu illius ſanctificabũt animas ſuas. Tertium patet quoniã ſicut ſeruus timore principis implet ſibi præcepta:ſic & timens deũ obediendo ſatisfacit de peccatis commiſſis. Cuius figura habetur de Iacob, qui timens fratrẽ ſuum Eſau ſtudebat ei per obediẽtiã ſatisfacere.vt habetur Gẽ.32.dicẽs, *Gen.32.* Erue me domine de manu fratris mei: quia valde eũ timeo. Sequitur.& ait,placabo ipſum muneribus. Et huius ratio eſt:quia timor dei cor pænitẽtis emollit,vt deo ſatisfaciat:vt oſtendit Grego.dicens. *Gre.16.moral.ca.20.* Diuino munere cor iuſti emolliri debet: quia ſuperni iudicij timore penetratur. Molle enim dicitur, quod penetrari poteſt: durum autem quod penetrari non poteſt. Iſto autem timore penetrata:non ſecura ſed perturbata ſunt corda bonorum: quia dum futuri examinis pondus cõſiderant:hic habere quietẽ non appetunt. Qui tamẽ inter ipſa timoris ſupplicia ſæpe animum reuocant ad dona. Et dum ſe magis debitores conſiderant:timentes deo ſatisfacere curant. Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 2. *Eccl.2. Pſal.111.* Qui timent deum cuſtodiunt mãdata illius, & patientiã habebunt. Et Pſal.111. Beatus vir qui timet dominũ,in mãdatis eius volet nimis. Cũ igitur iuſtificatio,mẽtis purgatio,& mandatorũ obſeruatio quæ per timorẽ habẽtur:ſint effectus diuinæ miſericordię:ſequitur formaliter quòd miſericordia dei ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum.

**Et iuſtitia illius in filios filiorũ: his qui ſeruant teſtamentum eius.** 1748

Hic oſtendit ſecundam partem iuſtitiæ quã facit amor:quæ eſt mandatorum dei obſeruatio. Vbi nota quòd cùm iuſtitia ſit virtus qua cuicunque redditur quod ſibi debetur: ideo iuſtitia appella- *Iuſtitia dicitur præmium æternum.*

 tur:

tur:quando deo reddimus debitum:quãdo & proximo damus eleemoſynam:ſicut dicitur Pſal. 111. [Pſal.111.] Diſperſit dedit pauperibus iuſtitia eius &c. Sic & conformiter præmium æternum dicitur iuſtitia: quia debetur iuſtis. Deus enim debitor noſter eſt, [Deus debitor eſt ex promiſſo.] non ex condigno,ſcilicet, aliquid cui prius dederimus,quòd ipſe nobis reddere teneatur:ſed ex promiſſo: quia promiſit iuſtis præmium æternum. Et ideo gloria ęterna vocatur iuſtitia:quia ex promiſſo debita iuſtis. Vnde & gloriam æternam ſibi ex promiſſo debitam apoſtolus vocat coronam iuſtitiæ.2.Tim.4.dicens,Bonum certamen certaui &c. [2.Tim.4.] Ideo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c. De iſta ergo iuſtitia quæ eſt merces æterna,dicit, *Et iuſtitia illius*, id eſt,merces æterna eſt, *In filios filiorum his qui ſeruant teſtamentum eius*. quaſi dicat.illis qui ſeruant teſtamentum dei, ſcilicet, eius præcepta debita eſt iuſtitia dei,id eſt, gloria æterna. Vnde hic ait gloſ. Ecce iuſticiã dei dicit retributionẽ mercedis æternæ quæ debetur filiis filiorum &c.Sed hic dubium mouet glo.Cum multi iuſti non habeant filios, & [Filij dicuntur opera: ſi ij filiorum ſunt merces operibus debita.] per conſequens nec filios filiorum:quomodo dicit quòd iuſtitia dei in filios &c? Et reſpondet,dicens, quòd filij iuſtorum ſunt opera eorum:ſed filij filiorum dicũtur merces operis.Et eſt ſenſus prædictorum verſiculorum. Miſericordia autẽ domini &c. Et iuſtitia illius &c,id eſt,per miſericordiã & iuſtitiam dei dabitur timẽtibus eũ æterna merces pro bonis operib⁹.Et ne omnes hoc habere pręſumãt: ideo ſubditur quibus dabitur,dicens, *His qui ſeruãt teſtamentum eius*. Quod autem filij noſtri dicantur opera noſtra,vide ver.1731.Item nota quòd teſtamẽtũ dei dicitur ſcriptura ſacra.vt patet ver. 1503. & 1527.Et ſic illi ſeruant dei teſtamentũ, qui præcepta in ſcriptura ſacra poſita cuſtodiũt. Sed forte dices, Cùm ſcriptura ſacra duo teſtamenta contineat,ſcilicet,vetus & nouum:& ad obſeruationem amborum teneamur,ſaltem antiqui teſtamẽti quo ad præcepta moralia. cur dixit in ſingulari,his qui ſeruant teſtamẽtum eius : & non potius in plurali, his qui ſeruant teſtamenta eius? Ad hoc reſpondetur:quia iſta duo teſtamenta vnum faciunt:eo quia nouum teſtamentum in veteri continetur figuraliter:vt dictum fuit ver.949.Vel aliter:per teſtamentũ dei intelligitur paſſio Chriſti. vt patet ſuprà ver. 354.& 358. Illi ergo obſeruant teſtamẽtum Chriſti, qui paſſionem eius imitantur crucifigẽtes carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis.

1749 Et memores ſunt mandatorum ipſius,ad faciendum ea.

Iſte verſus eſt quaſi expoſitio præcedẽtis:oſtendens quòd per teſtamẽtum dei intelligit præcepta dei. Per hoc oſtendens quòd præcepta dei ſemper debent eſſe in memoria noſtra : non ſolùm vt memor ter pronuncientur:ſed magis vt per memoriã fœcundam agant quod didicerunt:quia,ſcilicet,ad faciendum ea.Nota autem quòd dei memoriam,& mandatorum ſuorum duo maximè nobis inducũt, ſcilicet, multiplex ſimilitudo nobis propoſita, & multa eius beneficia nobis exhibita.vide ver.1324. Vnde quantum ſit nobis habenda dei memoria,& [Memoria dei nobis eſt nũcia. Gualfre. Eccl.vlti.] mandatorũ ipſius:oſtendit Gualfredus exponẽs illud Eccleſias. vlti. Memento creatoris tui. dicens, Dum adhuc videre creatorem tibi nõ licet : ſaltem memoriam eius amplectere:ſi præſentiã eius concupiſcis habere.Memẽto creatoris tui:nihil vtilius. Ea nempe memoria tollit extollentiam,& ſub deo humiliat.Tollit diffidentiam, & aduerſus inimicũ erigit & confortat.Memento creatoris tui.Parum eſt hoc.Ego amplius aliquid addo.Memẽto redemptoris tui. Nihil enim creari profuit, niſi redimi profuiſſet. Salomon enim ſuæ generationis hominibus q͂ erat notũ pro tempore loquebatur:nobis autem clamat Apoſtolus. Empti enim eſtis precio [1.Cor.6.] magno &c.Nõ mediocriter periculoſa eſt beneficij huius obliuio. Odibilis foret omnib⁹ hominibus, ſi quis hominum homini inueniretur ingratus:per cuius operam videretur auditũ recepiſſe vel viſum &c.Et hic nota quòd multorum memoriam debemus habere : ſi debitè viuere volumus. Primò dierum ſanctorum ad feſtiuandum.Exod.20.Memento [Exo.20.] vt diem ſabbathi ſanctifices. Secundò ſuſceptorum beneficiorum ad gratias agendum. 1. Mac. 4. [1.Mac.4.] [Eccl.vlti.] Mementote quomodo ſalui facti ſunt patres veſtri. Et Eccleſiaſ.vlti.Memẽto creatoris tui.Tertiò ſtatus mortuorum ad non peccandum. Eccl. 28.Memento [Eccl.28.] [Eccl.14.] [Ecc 7.] nouiſſimorum:& deſine inimicari:Et Eccl. 14.Memor eſto quomodo mors non tardabit.Et in cap.7.Memorare nouiſſima tua,& in æternum nõ peccabis. Quartò peccatorum commiſſorum ad pœnitendum.Apoc.2.Memor eſto vnde excideris: [Apoc.2.] & age pœnitentiam.Quintò diuinorum iudiciorũ [Eccl.7.] ad nos humiliandum. Eccl.7.Memento iræ : quoniam non tardabit. Sextò diuinorum mãdatorum ad ipſa faciendum : quia miſericordia dei ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum.& iuſtitia eius in filios filiorũ &c .Et memores ſunt mandatorum ipſius &c.

Dominus in cælo parauit ſedem ſuam : & regnum ipſius omnibus dominabitur. 1750

Hic cõſequẽter Dauid inducit ad laudẽ dei naturam angelicam.Et duo facit:quia primò ponit eis, ſcilicet,angelis à Deo collatum beneficium:ſecundò concludit in eis diuinæ laudis debitum:ibi,Benedicite domino. Quantum ad primum ſciẽdum, quòd quamuis deus quia immenſus,ſit vbique per ſuam eſſentiam,potentiam,& pręſentiam:quia aliter contineretur loco,& finitus eſſet:quod contradictionem importaret : tamẽ per quandam ſpecialem influentiam plus dicitur in vna parte mũdi eſſe quàm in alia : ſecundum quòd maiores effectus in vna parte efficit, vel oſtendit quàm in alia.Sic & anima humana licet ſit tota in toto corpore,& tota in qualibet parte corporis,quia tamen.magis ſe manifeſtat in capite in quo omnes ſenſus oſtendit: quod non facit in aliqua alia parte corporis : ideo principaliorem ſedem dicitur habere in capite : vt deducit magiſter lib.1.diſtin.37.Sic & deus, quia in cælo maiores effectus oſtendit quàm in terra,& nobiliores : ideo ibi dicitur habitare principalius. vt dictum eſt ſuperius verſi.136.Et non ſolùm hoc [Angeli beati dicuntur cæli.] intelligendum eſt de cælo materiali,ſed multo fortius de cælo ſpirituali. quod cælum ſpirituale ſunt ſanct angeli : in quo cælo ſe eis clarè & manifeſtè oſtendit.Et hoc tantum beneficium beatis angelis collatum, eos obligat ad deum ſemper benedicendum,& laudandũ.Et hoc beneficium angelis præſtitum Pſalmiſta hic exprimit,dicẽs,*Dominus in cælo parauit ſedem ſuam*,id eſt, in ſanctis angelis ſpecialiter ſedet, & habitat per ſui clarã manifeſtationem. Nec incongruè angeli beati cæli dicuntur:quia ſicut cæli ſolidi ſunt, & ſtabiles : ſic & ſancti angeli



ſolidi & ſtabiles permanſerunt in amorem conditoris,quem acceperant in munere,quando aliis cadentibus, ipſi deo per amorem adhæſerunt. Et de iſtis cælis, ſcilicet,beatis angelis, dicitur Iob. 37. [Iob.37.] [Gre.27.mor. c.15.] Cæli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.Quod de beatis angelis exponit Greg.dicẽs.Per cælos hi qui in cæleſtibus ſunt conditi angelici ſpiritus deſignantur. Vnde & in oratione dominica voce veritatis dicere inſtruimur. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in [Mat.6] terra. vt nimirũ ſicut voluntas dei à ſuperiore creatura agitur:ita in omnibus etiam ab humana infirmitate ſeruetur. De quibus bene dicitur,quòd ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.Natura namque æris eſt rubigine difficile cõſumi. Et virtutes angelicę quę in diuino amore fixæ perſtiterũt,lapſis ſuperbientibus angelis, hoc in munere diuinæ retributionis acceperunt, vt in contemplatione conditoris ſine fælicitatis fine permanerẽt.& in hoc quòd ſunt conditæ æterna ſtabilitate ſubſiſtunt. Quod bene apud Moyſen ipſa de mũdi origine hiſtoriæ verba teſtãtur:cùm & prius cælum factum dicitur:& hoc idem poſtmodum firmamentum vocatur : quia videlicet & natura angelica prius ſubtilis eſt in ſuperioribus condita:& poſt ne vnquam poſſet cadere, mirabilius cõfirmata &c.In iſto ergo cælo parauit deus ſedem ſuam:quia in ipſis ſanctis habitat,quibus ſe clarè & beatificè manifeſtat. Et de iſto cælo angelicæ naturæ dicitur Pſal.10.Dominus in templo [Pſal.10.] ſancto ſuo,ſcilicet, in Chriſto per plenitudinẽ diuinitatis.*Dominus in cælo ſedes eius*,ſcilicet,in angelis per oſtenſionem ſuæ maieſtatis. Cùm ergo beneficium collatum inducat recta ratione ad gratias agendum benefactori : quid mirum ſi ſancti angeli tantum beneficium receperunt à deo : ſi ipſi deum laudare tenẽtur? Et hoc eſt quod ait,*Dominus in cælo parauit ſedem ſuam*.Ne autem aliquis per hoc credat quòd etiam per viſionem beatificam deus non regnet in ſanctis ſuis hominibus : ideo ad hoc remouendũ ſubdit, *Et regnũ eius omnibus dominabitur*.Quid enim nomine omnium intelligitur niſi homo, qui ſolus cum omnibus creaturis participat? Quod oſtendit [Mar.vlti.] Chriſtus Mar.vlti.dicens,Prædicate euãgelium omni creaturæ,id eſt,homini qui dicitur omnis creatura.

1751 Benedicite domino omnes angeli eius:potentes virtute, facientes verbũ illius, ad audiẽdam vocem ſermonum eius.

Hic ex præmiſſo beneficio beatis angelis à deo conceſſo,cõcludit Pſalmiſta angelis ſanctis eſſe debitũ deo benedicere. Et primò ad hoc excitat omnes angelos generaliter:ſecundò odinem virtutum ſpecialiter : ibi, *Benedicite domino omnes virtutes eius*. Quantum ergo ad primum ſciendũ quòd poteſtas beatorum angelorum excedit mirabiliter poteſtatem hominum,& omnium corporalium creaturarũ.Vnde multotiens in ſcriptura leguntur mirabilia [Dan.14.] opera per angelos facta:quæ nulla alia creatura poſſet facere. Vt de angelo qui de Iudæa portauit Abacuc virtute capilli ſui in Babylonem ſubito:cũ tamẽ inter Iudæam & Babylonem multa eſſet diſtantia.Et ſubito reſtituit Abacuc in locũ ſuum dictum. Sicut etiam patet de angelo domini, qui de exercitu ſennacherib regis Aſſyriorũ occidit vna nocte centum octoginta quinque milia virorũ. vt [4.Reg.19.] habetur.4.Reg,19. Sicut patet de angelo qui præcedebat populum in deſerto in die per columnam nubis:& in nocte per colũnam ignis.Exo.13.Quæ [Exo.13.] enim virtus corporalis vel naturalis hæc poſſet facere? Certè nulla. Quinimo quod mirabilius eſt, iſta poteſtas etiam remãſit in angelis damnatis, qui mirabilia virtute ſua naturali poſſunt facere : niſi deus ipſorum ligaret poteſtatẽ.Apparuit in angelo [Mat.4.] qui tentauit Chriſtum : qui Chriſtum de deſerto poſt primam tẽtationem ſubito adſportauit in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum tẽpli, & de templo ſtatim & ſubito adſportauit in mõtẽ excelſum valde.Quis enim homo virtute ſua hoc facere poſſet?Certè nullus.Vnde etiam de malo angelo,dicitur.Iob.41.Nõ eſt poteſtas ſuper terram [Iob 41.] [Gre 34. mor. ca.13.] quæ cõparetur ei,ſcilicet,malo angelo. Quod exponens Greg. ait. Poteſtas diaboli ſuper terram cunctis eminentior perhibetur : quia & ſi actionis ſuæ merito infra homines cecidit,omne tamen genus humanum naturæ angelicæ cõditionem tranſcendit.quamuis [Angelorũ etiã malorũ magna eſt poteſtas.] enim internæ fælicitatis beatitudinem perdiderit:naturæ tamẽ ſuæ magnitudinem nõ amiſit:cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat : licet ſanctis hominibus meritorum ſuorum deiectione ſubiaceat. Vnde & eiſdem ſanctis cõtra hunc decertantibus eo retributionis ſuæ meritum creſcit:quo ille ab eis vincitur:qui per naturæ potentiam, quaſi iure ſe hominibus ſupereſſe gloriatur.Si igitur adhuc tanta poteſtas in malis remanſit angelis.quid credendum eſt de bonis,in quibus per gratiam natura eſt fortiſſima? Et ideo hic Pſalmiſta, omnes bonos angelos potentes virtute appellat,dicens,*Benedicite domino omnes angeli eius potentes virtute*.Et attende quòd hoc non dicit Pſalmiſta angelis beatis imperando,nec eos ad hoc excitando ſed magis congratulando. Subdit. *Facientes verbum eius*. Quod dicit:quia ſancti angeli obedientes [Angeli ſuperiores illuminãt inferiores.] ſunt diuinæ voluntati:& officia eis commiſſa diligenter exercent. Quæ tamen per eos agenda ſunt: habent per reuelationes quæ primò & immediatè à deo fiunt angelis ſuperioris hierarchiæ:& iſti reuelãt angelis mediæ hierarchiæ : & iſti medij reuelant angelis inferioris hierarchiæ : & iſti reuelant facienda hominibus.Et ideo ſtant intenti ad percipiendas ſupernas reuelationes.Et hoc eſt quod ait, *Ad audiendam vocem ſermonum eius*. Vox enim ſermonum dei ipſis angelis:non eſt niſi reuelatio diuinæ voluntatis.Sed hic occurrit quæſtio non omittenda. [Quæſtio angeli beati quomodo adinuicẽ præliantur.] Quia hic dicitur,quòd beati angeli faciunt verbũ dei:quomodo hoc eſt poſſibile, quia nos in ſacra ſcriptura inuenimus in officiis ſuis ſibi à deo commiſſis ipſos adinuicem præliari:& vnum alteri contradicere.Ex quo ſequitur, quòd in ſibi commiſſis contradicũt. quod alter illorum dei verbum non facit,ſed ſibi contradicit.Habemus enim Dan. [Dan.10.] 10.quòd angelus cuſtos regni perſarum reſtitit angelo cuſtodi regni Iudæorum.Vnde ibidem angelus regni Iudæorũ dixit Danieli. Ego veni propter [Angeli beati quomodo adinuicẽ præliãtur.] ſermones tuos:princeps autem regni perſarũ, ſcilicet, angelus ad cuſtodiam regni perſarum deputatus : reſtitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Et paulo poſt,Nunc reuertar,vt prælier aduerſus principem perſarum.&c.Hanc materiam pulchrè & apertè tractat Greg.ſuper illo verbo [Greg 17.mor. cap.7.] Iob 25.Qui facit cõcordiam in ſublimibus ſuis. dicẽs,Hic licet inquirere : ſi pax in ſublimibus angelis ſumma retinetur:quid eſt quod per angelum Danieli dicitur. Ego veni propter ſermones tuos: [Dan.10.]

A ſed princeps perſarũ reſtitit mihi : & ecce Michael vnus de principibus &c. Quos itaque alios principes gentium appellat,niſi ſanctos angelos;qui ſibi exeũti reſtiterũt?Quomodo ergo in ſublimibus angelis pax eſſe poteſt:ſi inter ipſos quomodo angelicos ſpiritus præliãdi certamẽ aggreditur : qui ſemper cõſpectui veritatis aſſiſtunt,Sed quia certa angelorũ miniſteria diſpẽſandi ſingulis quibuſque gẽribus ſunt prælata , cum ſubiectorũ mores aduerſum ſe viciſſim præpoſitorum ſuorum ſpirituum opem merentur:ipſi qui præſunt ſpiritus contra ſe venire referuntur.Ille nãq; angelus qui Danieli loquebatur,captiuis Iſraelitici populi in perſide conſtitutis prelatus agnoſcitur.Michael autem eorum qui ex eadẽ plebe in Iudææ terra remanſerant præ- B poſitus eſt inuẽtus. Vnde adhuc ab eodem angelo poſt Danieli dicitur.Nemo eſt adiutor meus in omnibus iſtis,niſi Michael princeps noſter.De quo & hoc quod premiſimus dicit,Ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi.Quidum nequaquam ſimul eſſe , ſed venire in adiutorium dicitur,apertè eidem populo prælatus agnoſcitur : qui captiuus in alia parte tenebatur. Quid
Dan.10. eſt ergo angelo dicere,Ego veni propter ſermones tuos:princeps autẽ regni perſarum reſtitit mihi.niſi ſua ſubditis opera nũciare?Ac ſi apertè dicat.Precum quidẽ tuarũ merita exigũt, vt Iſraeliticus populus à iugo ſuæ captiuitatis exuatur:ſed eſt adhuc quod in eodem populo perſarum dominio purgari debeat.Vnde ereptionem illius perſarũ princeps mihi iure contradicat:quãuis preces tuæ illorũque C lachrymæ qui in Iudæa relicti ſunt,adiuuẽt. Vnde hoc quoque quod prædiximus adiungit. Michael princeps veſter venit in adiutoriũ mihi. Cumq; vt aduerſus principem perſarum prælietur,egreditur: Græcorum princeps adueniens apparet.Qua ex re innuitur quòd aduerſum quoq; Græcos aliquid Iudæa cõmiſerat ; quorũ perfecto cauſa ereptioni illius reſiſtebat. Prophetæ igitur preces angelus exaudiuit : ſed perſarum princeps reſtitit.Quia & ſi iam iuſta vita deprecãtis ereptionem illius populi exigit:eiuſdem tamẽ populi adhuc vita cõtradicit. Vnde quia necdũ plene hi qui in captiuitatẽ fuerant ducti,purgati ſunt:iure eis adhuc perſæ dominentur. Michael adiuuat:ſed Græcorum princeps ad prælium venit. Quia mereri quidem veniã tam D longa oppreſſorum captiuitas poterat:ſed ereptionis eorũ beneficio:hoc quoq; quod in Græcis deliquerũt,obuiabat.Rectè ergo dicitur , quòd contra ſe angeli veniũt ; quia ſubiectarũ ſibi gentiũ viciſſim merita contradicũt. Nam ſublimes ſpiritus eiſdẽ gẽtibus principantes nequaquam pro iniqua agẽtibus decertãt:ſed eorũ facta iuſtè iudicãtes examinãt. Cũque vniuſcuiuſque gentis vel culpa vel iuſtitia ad ſupernæ curiæ conſilium ducitur , eiuſdem gẽtis angelus præpoſitus vel obtinuiſſe in certamine, vel ſuccubuiſſe perhibetur. Quorũ tamen omniũ vna victoria eſt ſui ſuper ſe opificis voluntas ſumma:quam dum ſemper aſpiciũt,quod obtinere non valent,nunquã volunt.Hæc omnia Greg. Ex quibus patet quòd arma quibus ad ſe inuicem E angeli beati præliantur ; ſunt merita vel demerita ſubditorum eis populorum. Ipſi tamẽ angeli ſemper concorditer præcepta conditoris adimplent.
1.Reg.14. Et ad iſtum intellectum dicitur.1. Regum 14. Applicate vniuerſos angelos populi,& ſcitote per quẽ acciderit hoc peccatum hodie.

## Benedicite domino omnes virtutes eius : miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. 1752

Hic ſpecialiter ad laudem dei excitat ordinem virtutum. *Angelorum hierarchiæ tres* Vbi notandum eſt,quòd ſecundũ doctores triplex eſt hierarchia angelorũ.ſ.ſuperior , media,& inferior.Et quælibet iſtarũ cõtinet tres ordines angelorũ. Superior hierarchia tres ordines cõtinet,ſcilicet,ſeraphin,cherubin,& thronos.Media continet tres ordines,ſcilicet,principatus,poteſtates,& dominationes.Inferior cõtinet tres , ſcilicet, virtutes,angelos,& archangelos.Ex quibus omnibus inſurgunt nouem angelorum ordines.Et quia *Ordines Angelorũ nouem.* B in iſto loco diffuſius tractatur materia angelorum, quam in aliqua alia parte Pſalterij.Ideo quia materia eſt lata & alta,aliquid de iſtis ordinibus dicã,ſcilicet,qualiter diſtinguũtur,& quæ ſint propria cuiuſlibet ordinis officia. Primus ergo ordo angelicus dicitur,ſeraphin. *Seraphin. Gre.in hom.de Angelis.* Secundum enim Greg.in homel.de angelis,ſeraphin dicitur multitudo cæleſtiũ ſpirituũ:qui ardentes, vel incẽdẽtes interpretatur: eo quòd angelorũ iſtius ordinis proprium eſt præ aliis in dei amore ardere:& alios ad incendium diuinæ dilectionis promouere. Iſtud officium angelicum figuratũ fuit in illo angelo qui Gedeoni apparuit.de quo habetur Iudi.6. *Iudi.6.* Angelus domini dixit Gedeoni , tolle carnes & panes azymos : & pone ſupra Petram:& ius de ſuper funde. Quod cùm C feciſſet, extendit angelus domini ſummitatem virgæ quã tenebat in manu , & tetigit carnes & azymos panes:& aſcẽdit ignis de petra:& carnes,azymoſque panes cõſumpſit. Gedeon quippe qui circuiens in vtero interpretatur : verum pænitentem ſignificat : qui circuit in vtero mentis ſuæ omnia ſua cogitando peccata. *Mat.4.* Panis autem quo vita ſuſtentatur, ſignificat animam:ſed carnes ſignificant corpus noſtrũ quod eſt caro. Petra autẽ eſt Chriſtus.1.Cor.10. *1.Cor.10.* Gedeõ ergo ad præceptũ angeli ponit carnes & panes ſupra petram : quando vir pænitens ſe totum, ſcilicet , animam & corpus offert Chriſto in pænitentiæ ſacrificium : quia ſacrificiũ deo ſpiritus contribulatus. *Pſal.50.* Et tunc angelus domini virga quam tenet in manu,ſcilicet,amore domi- D ni tangit ſacrificium,ſcilicet, feruorem inſpirando diuini amoris. Quo facto ignis charitatis pænitẽtem totaliter accendit & inflãmat.Et attende quòd ſecundum Greg.in prædicta homel. *Gre.in home. prædicta.* diſtinctæ conuerſationes hominum ſingulis angelorum ordinibus applicantur:ſic quòd quilibet homo iuſtus in aliquo ordine angelico reponitur. Et ſic ſecũdum ipſum illi homines qui dei & proximi dilectione feruent,& ardent,in primo ordine angelorum, ſcilicet,Seraphin collocantur : figurati in angelo qui apparuit mannæ.Iudi.13. *Iudi.13.* de quo ibi dicitur. quòd cum aſcendiſſet flamma altaris in cœlum, angelus in flamma pariter aſcẽdit. Et ſic de aliis ordinibus procede.Sed de ordine virtutum: *Virtutes ordo angelorum.* (de quo loquitur præſens textus,dicens,*Benedicite domino omnes virtu-* E *tes eius.*) ſciendum quòd vt ait Gregorius vbi ſuprà, *Gre.vt ſuprà.* ad ordinem virtutum ſpectat miranda exercere opera. Vnde illi angelici ſpiritus virtutes vocantur : per quos ſigna & mirabilia frequentius fiunt. Et ſic iſtius ordinis officium eſt virtus faciendi miracula : & illam virtutem hominibus perfectis concedere , vt reducti ad primum ſtatum in quo deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem



ſuam,demonſtrentur. A Iſtius ordinis fuerunt illi angeli,de quibus dicitur. *Apoc.15.* Vidi ſignum in cœlo magnum , & mirabile : angelos ſeptem habentes plagas ſeptem,&c. Conſimiliter iſtius ordinis fuit ille angelus qui miraculosè populum domini liberauit: qui occidit de caſtris Sennacherib vna nocte centum octoginta quinque milia. vt habetur. 4.Reg.19. *4.Reg.19.* Ad iſtum ordinem ſecundum Grego.reducuntur illi homines, qui miracula in vita ſua faciunt,& mirabilia ſigna demonſtrãt : ſicut fuit Petrus ſuſcitando mortuos : Laurentius cæcos illuminando:& huiuſmodi.Et iſtum ordinem fugiunt homines pigri & otioſi:qui carnis pacem quærentes grandia operari recuſant,nõ aduertentes quòd ſcribitur Eſa.33. *Eſa.33.* Angeli pacis amarè flebunt . Et ſi quæras quare hic Pſalmiſta ſpecialiter nominat i- B ſtum ordinem virtutum, alios ordines prætermittendo.Ad quòd dicitur quòd huius ratio eſt : quia iſte ordo plus nobis innoteſcit dum mira operatur contra inſolitum curſum naturæ : & plus nos in admirationem ducit cæteris ordinibus.Ideo ipſius hic ſingularem mentionem fecit Pſalmiſta. *Angelus cum in diuerſis ordinibus ponitur.* Item notandum quòd idem ſpiritus angelicus in diuerſis ordinibus poteſt poni : ſecundum diuerſa officia ſibi commiſſa.Eidem enim ſpiritui angelico poteſt cõmitti vt faciat miracula: &vt reuelet etiã aliqua temporalia:vtputa Michael, quem non dubitamus, ſicut dignitate cæteros angelos præcellit ſic etiam & cæteris in Dei amore feruentius ardet. Et ſic ratione feruentis amoris erit in ordine ſeraphin:ratione miraculorũ erit in ordine virtutum: C ratione reuelationis ſummorum erit in ordine archangelorum : & ratione reuelationis tẽporalium erit in ordine angelorum. Et conſimiliter dico de hominibus. quòd vnus & idem homo ad diuerſos ordines angelorum poteſt aſſumi . Iſta videtur intentio Greg.in homil.de angelis, *Greg.vt ſup.* ſic dicens, Sciendum quòd plerumque ipſi beatorum ſpirituũ ordines vicinorum ſibi ſpirituum vocabula ſortiuntur.Thronos enim,id eſt, ſedes dei ſpecialem ſpirituum beatorum ordinem diximus . Et tamen per Pſalmiſtam dicitur,Qui ſedes ſuper cherubin operare,&c.Quia videlicet in ipſis diſtinctionibus agminũ dum cherubin thronis iungitur : ſedere etiã ſuper cherubin dominus ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Sic quippè in illa ſumma ciuita- D te ſpecialia quædam ſingulorum ſunt:vt tamẽ ſint communia omnium.Et quod in ſe quiſque habet ex parte,hoc in alio ordine totum poſſidet.Sed idcirco vno eodemq́; vocabulo cõmuniter non cenſentur : vt ille ordo vocari vniuſcuiuſq; debet nomine qui hanc plenius accepit in munere. Seraphin enim incendium dicimus:& tamen in amore conditoris omnes ſimul ardent. Sic cherubin plenitudinem ſcientiæ: & tamen quis ibi aliquid neſciat vbi ipſum omnes ſimul fontem ſcientiæ domini vident . Throni illa quoque agmina quibus conditor præſidet, vocantur. Sed beatus quis eſſe poteſt:niſi creator eius mẽti preſideat?Quod ergo ex parte ab omnibus habetur:eis in priuato nomine data ſunt qui hoc in munere plenius acceperũt. E Ad propoſitum ergo ad iſtum ordinẽ virtutes appellat Pſalmiſta congratulando: cauſa prædicta Pſalmiſta ſpecialiter loquitur,dicens, *Benedicite domino omnes virtutes eius* . Et quia per miranda opera vel miracula quæ ad iſtum ordinem ſpectat facere (vt eſt dictum) quæ excedunt virtutem naturæ nobis apertè monſtratur quòd Deus non agit ex ne- A ceſſitate naturæ : ſed ſua & mera libera voluntate. Ideo ſubditur . *Miniſtri eius qui facitis voluntatem eius:* quia omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus: vt ait Apoſtolus. *Heb.1. Angeli omnes dicuntur miniſtri Dei.* Vnde per hoc quòd ſubditur.*Miniſtri eius,* &c.notat omnes alios angelorum ordines . Vnde ait glo. Per hoc ait , *Benedicite domino omnes virtutes eius.* notatur ille ſingularis ordo angelorũ qui virtutes dicitur.Deinde generaliter omnibus angelis loquitur,dicens, Benedicite domino miniſtri eius qui facitis voluntatem eius.

## Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius: benedic anima mea domino. 1753

B Hic vltimò ad Dei laudem inducit generaliter omnem creaturam. *Benedicit Deo omnis creatura.* Vbi notandum, quòd propriè ſolùm creatura rationalis Deũ benedicere poteſt: quia iſta ſola capax eſt illius per amorem & cognitionem. Sed aliæ creaturæ ratione carentes: deo benedicunt methaphoricè inquantum in eis relucet diuina bonitas,& in ipſarum proprietatibus & operationibus : vel inquantum ordinem naturæ à Deo ſibi datum conſeruant ; quia ſic videntur Deo obedire & ipſum ſuum dominum confiteri: quòd eſt ſic deum laudare. Sicut enim ſuo modo omnis creatura etiam inuiſibilis deo benedicit : vt puta cœlum ordinatè motum ſuum continuando: ſol & luna mundum illuminando ; ſtellæ noctem, & tempora diſtinguendo : ignis calefaciendo : aër C reſpirando:aqua humectando : terra fructus producendo.Propter quòd dicitur Dan.3. *Dan.3.* Benedicite omnia opera domini domino,&c. Similiter modo ait. *Benedicite domino omnia opera eius.* Et aduerte quòd ſicut nullum opus excipitur à benedicendo domino:ſic & nullus locus. *Benedicendus eſt Deus vbique.* Vnde ſubdit,*In omni loco dominationis eius* , id eſt , in omni loco benedicite domino.Vnde glo.*In omni loco dominationis eius*.Ac ſi dicat,Sicubi Deus non dominatur : ibi non benedicatur.Sed quia vbique eſt,& vbique dominatur: ideo vbique benedicatur , nullus excuſetur. Sicut nulla creatura excipitur à laude diuina: ſic & nullus locus.conſimiliter & nullum tempus. Pſal.33. *Pſal.33.* Benedicam dominum in omni tempore : ſemper laus eius in ore meo. Sed quia nulla virtus quan- D tumcunque bene inchoata, niſi perſeueret eſt deo accepta:ideo vnde iſte Pſalmus incæpit:ibi terminatur. *Benedic anima mea domino.* Vnde hic ait glo. Vnde cepit Pſalmiſta:ibi finit.Benedictio à capite, *Gloſa.* benedictio à fine . A benedictione profecti ſumus : ad benedictionem redeamus : & in ea regnemus . Et ſecundum Caſſiodorum per hoc notat eos qui bonis principiis bonum finem adiungunt.Et nota quòd propriè benedicere deo eſt bene viuere.vide ver.378. Item nota quòd deum benedicimus multipliciter.ver.502.

# PSALMVS CIII.

## Benedic anima mea domino : domine Deus meus magnificatus es E vehementer. 1754

Iſte Pſalmus ſecundum Hieronymum nullum habet titulum:nec etiam in Hebræo titulus apponitur.Propter quòd aliquorum fuit opinio , quòd iſte Pſalmus non eſt Pſalmus diſtinctus à præcedente. Sed iſta opinio expreſſe conuincitur falſa: quia ſecundum Hierony.& ſecundum omnes Hebræos

bræos pſalterium continet centum quinquaginta pſalmos. Si autem iſte pſalmus non diſtingueretur à præcedenti: non eſſet talis pſalmorum numerus. Magiſter autem in glo. & alij doctores communiter talem titulum huic Pſalmo præmittunt. Pſalmus Dauid : qui titulus ex multotiens ſupra dictis patet. Notandum autem quòd intentio Dauid in iſto pſalmo eſt eadem quæ fuit in præcedenti, ſcilicet, mouere nos ad Dei laudem. Sed aliter hic nos ad hoc inducit, quàm in præcedenti pſalmo fecerit. Ibi enim omnes induxit ad Dei laudem ex beneficijs dei nobis collatis. Hic autem materiam laudis aſſumit ab omni creatura à Deo producta: vtputa à cœlo, & à terra, & ab ornatu eorum, ab angelis & hominibus & ipſorũ operibus. De quibus omnibus agit iſte pſalmus. Et notat Glo. quòd totus iſte pſalmus figuris rerum myſteriiſque eſt cõtextus. Quia omnia in iſto pſalmo poſita quãuis ad literam accipi poſſint: omnia tamen plena ſunt myſteriis: vt, ſcilicet, ex viſibilibus operibus Dei quæ realiter iuxta literam hic ponuntur, inuiſibilia dei intelligantur: vt, ſcilicet, ex creaturis productis earum creator cognoſcatur: & ex ipſarum magnitudine & pulchritudine, dei magnitudo & pulchritudo intelligatur iuxta modum loquendi Apoſtoli, dicentis, Inuiſibilia dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas: ita vt inexcuſabilis ſit omnis homo. Et Sapien. 13. ait ſapiens, A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum creator videri. Nec mirum, quoniam ſicut ſapientia artificis in artificato ſuo relucet: ſic dei potentia, pulchritudo & ſapientia in ſuis creaturis relucet. Quibus viſis ad diuiſionem Pſalmi accedo. Diuiditur autem pſalmus iſte in partes tres: quia primò laudẽ Dei proponit. ſecundò ad hoc rationes adducit: ibi, Cõfeſſionem. tertiò laudem Dei concludit: ibi, Cantabo domino. Quantum ad primum laudem dei proponit, dicẽs, *Benedic anima mea domino.* Dupliciter enim Deus benedicitur, ſcilicet, corde & ore. Sed benedictio oris ſine benedictione cordis non proficit: ſicut eſt benedictio hypocritarum: de quibus dicitur Pſal. 77. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Et Eſa. 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum lõgè eſt à me. Laus autem cordis ſine laude oris proficere poteſt. Et ideo Pſalmiſta principalius ad laudem interiorẽ cordis conſurgit, dicens, *Benedic anima mea Domino.* de hoc vide verſ. 1732. & 1733. Sequitur. *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Hoc ideo dicit: vt ad ipſius laudem anima magis ſollicitetur. quaſi dicat, Tu Deus tantum magnificatus es, quòd ad te laudandum non ſufficit anima mea. Et propter hoc dicitur Eccl. 43. Glorificantes dominum quantumcũque poteritis: ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes dominum exaltate eum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Qualiter autem Deus ſit immenſus, & immutabilis, à nobis poteſt magnificari. vide verſ. 272. & 503. 551. & 1160.

*Gloſa. Deo cognoſcitur per creaturas.*

*Rom. 1.*

*Sapien. 13.*

*Pſal. 77.*

*Eſa. 29. & Matt. 15.*

*Laudari nõ poteſt Deus: quantum dignus eſt laude.*

## 1755 Confeſsionem & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento.

Hic adducit motiua laudis diuinæ, quæ ſunt creaturæ ab ipſo productæ. Oſtendit ergo deũ ex duobus laudandum. Primò ex partium mundi debita productione. Secundò ex rerum viuentiũ debita prouiſione: ibi. Qui emittis. Quantum ad primum ſciendũ quòd mundi vel vniuerſi partes principales ſunt duæ. Prima cælum quòd eſt ſupra elementa: quòd tenet à cœlo ſupremo, ſcilicet, empyreo vſque ad ſupremum elementum ignis excluſiuè. Secunda pars ſunt elementa quæ incipiunt à ſphera ignis incluſiuè vſque ad ipſam terram incluſiuè. Et ſic prima pars habet partes duas: quia primò agit de parte cœleſti: ſecundò de parte elementari: ibi, Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Prima pars habet partes duas: quia primò agit de cœlo empyreo: ſecundò agit de cœlo ſidereo: ibi. Extendens cœlum. Quãtum ad primam partem ſciendum quòd in cœlo empyreo habitant angeli ſancti & animæ beatæ: quæ nõ ceſſant continue deum benedicendo laudare. Et illud cœlum vocatur empyreum ab igne: pyr enim idem eſt quòd ignis. Illud autem cœlum cõcordat cũ igne: non quidem in ardore: ſed in claritate & ſplẽdore. Vnde illud cœlum per lumen figuratur. Laus verò continua angelorum per cõfeſſionem demonſtratur. De iſtis ergo duobus, ſcilicet, de cœlo empyreo, & de confeſſione angelorum dicit, *Confeſsionem & decorem induiſti*: quia ibi angeli mundi & decori ſemper Deum laudando confitentur. *Amictus lumine ſicut veſtimento.* hic per lumen intelligit cœlum empyreum, quòd eſt ſplendidum & luminoſum. Iſtis enim duobus dicitur indutus: ſcilicet, claritate cœli, & empyrei: & confeſſione & decore laudis angelorum. Quia ſicut veſtimentum facit ad ornamentum corporis induti: ſic illa duo faciunt ad ornamentum Dei: quia in illis maximè diuina maieſtas & gloria in illis principalius laudatur. Ad iſtum intellectum iſtum verſum inducit Gregor. ſuper illo verbo Iob 40. Circunda tibi decorem: & ſpecioſis induere veſtibus, &c. dicens, Deus enim ſibi decorem circundat: quia de ipſo ſcriptum eſt, Dominus regnauit, decorem indutus eſt. Ipſe ſpecioſis induitur veſtibus: quia ſanctorum angelorum choros quos condidit in vſum ſui decoris aſſumpſit: & velut quandam veſtem glorioſam ſibi eccleſiam exhibet non habentem maculam aut rugam. Vnde ei per prophetam aliûs, Pſalmiſtam dicitur, Confeſſionem & decorem induiſti amictus lumine ſicut veſtimento. Hic quippe confeſſionem induit: illic decorem. quia quos hic per pœnitentiam cõfitentes fecerit: illic fulgentes per decorem iuſtitiæ oſtendet. Lumine ergo ſicut veſtimento induitur Deus: quia ſanctis omnibus quibus dictum eſt: vos eſtis lux mundi, id eſt, illa æterna gloria veſtientur. Vnde per euangelium dicitur, quòd transfigurato in monte domino: veſtimenta eius facta ſunt candida ſicut nix. In qua transfiguratione quid aliud quam reſurrectionis vltimæ gloria nunciatur? In monte enim veſtimenta eius facta ſicut nix. quia in ſupernæ claritatis culmine ſancti omnes ei luce iuſtitiæ fulgentes adhærebunt. Myſticè autem per hoc vult intelligere, quòd confeſſione ſacramẽtali Deus induitur decore luminoſo: quia confeſſio ſuos facit decoros & luminoſos. Quòd oſtẽdit Hugo ſuper illud Pſal. 95. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, &c. vide verſ. 1647. Vel hic per veſtimentum intelligit Chriſti incarnationem: quia carnem verbum aſſumpſit, quę vt veſtimento operiretur. Vnde hic ait Gloſ. Incarnationem Chriſti ſignificat cum ait, *Induiſti confeſsionem & decorem*, id eſt, carnem aſſumpſiſti: per quam confeſſio laudis, & decus ſupernæ maieſtatis innotuit. Et per hoc es amictus lumine ſicut veſtimẽto: quia per eandẽ incarnationem homines eum ſunt confeſſi: quia lumẽ cognitio eſt. Vel per hoc vult oſtẽdere quòd ad hoc quòd confeſſio decoret animam: debet eſſe luminoſa angelis, & excuſationibus carens: & vt omnes circunſtantias peccati producat ad lucem.

*Veſtis Dei ſunt omnes ſancti.*

*Greg. li. 31 morum cap. 5.*

*Pſal. 92.*

*Hugo. Pſal. 95.*

*Gloſa.*



## 1756 Extendens cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora eius.

Hic agit de cœlo Sydereo quòd continet ſpheram ſtellarum fixarum, & orbem ſeptem planetarum. De quo cœlo ad literam dicit, *Extendens cœlũ ſicut pellem.* Ad literam enim cœlum ſtellatum videtur extendi ſuper Hemiſpherium noſtrum ad modum cuiuſdam tentorij. Suprà autem cœlum ſyderium eſt cœlum cryſtallinum quòd dicitur aqueũ: quia conuenit cum aqua in diaphanitate & tranſparentia. Et iſtæ ſunt illæ aquę quæ ſunt ſuper cœlum ſydereum, ſcilicet, cœlum aqueum in modum cryſtalli. De quo cœlo aqueo dicitur Gen. 1. Et diuiſit aquas quæ erant ſub firmamento: ab his quæ erant ſupra firmamentum. Vnde quòd iſtud cœlũ aqueum operiat cœlum ſtellatum, ſubdit. *Qui tegis aquis ſuperiora eius.* Hoc enim ad magnam Dei laudẽ pertinet, quòd aquas quæ ſunt naturaliter graues ſuper cœlos leues collocauit: quòd nulla virtus creata facere poſſet. Vnde literaliter hunc paſſum exponit glo. dicens, Ad literam enim cœlum quaſi tentorium extendit deus. Facit enim amplum firmamentum vt tegat orbem terrarum. Et hoc facit ſicut pellem, id eſt, non labore aliquo: vt tu homo tuum extendis tectum. Sed tam facile facit deus: vt pellem quis extendit: deus verò facile illud extendit ſicut pellem. Myſticè autem, quia dictum eſt in præcedenti verſiculo quòd deus induit ſanctos & eccleſiam. hic oſtendit modum quo ſibi per fidem vniuit eccleſiam, dicẽs, *Quia extendit cœlum ſicut pellem.* Vbi notandum quòd cœli nomine ipſi ſancti prædicatores & apoſtoli intelligũtur. vt patet ver. 253. & 815. 1502. 1660. Iſtos ergo cœlos dominus extendit; quando prædicatores ſuos apoſtolos à Iudæis expulſos per totum orbem dilatauit. Qui Chriſti fidem gentibus prædicantes, Chriſto congregauerunt eccleſiam: cuius confeſſione & decore luminoſo induitur. Iſtam extẽſionem cœlorum oſtendit Grego. ſuper illo verbo Iob 9. Qui extendit cœlos ſolus, dicens, Quid namque cœlorũ nomine, &c. vide verſi 1660. Sed nota quomodo illos extendit: quia ſicut pellem. Pellis enim animalium extenditur poſt mortem ipſorum, vt ad vſum noſtrum ſit apta: ſic & Deus pellem ſuorum apoſtolorum per ipſorum mortem extendit: quia omnes martyrio coronati, Chriſti eccleſiam fabricauerũt. Sed quia hodie prædicatores non circũeunt mũdum prædicando infidelibus timentes, ne pelles ſuæ per martyria extendantur: ideo conqueritur dominus de ipſis Hiero. 10. dicens, Non eſt qui extendat tentorium meum & pelles meas. Sed Apoſtoli vt Chriſti fidem dilatarent morti ſe libenter tradebant: quia gratia ſpiritusſancti protecti mortẽ non formidabant. Et hoc eſt quòd ſubditur. *Qui tegis aquis ſuperiora eius.* Per aquas enim accipe ſpiritu ſancti gratiam. Ioan. 7. Qui crediderit in me, &c. Sed per ſuperiora apoſtolorum intellige eorũ animas quas corporibus præponebant.

*Gen. 1.*

*Cœlum ſidereum dicitur tentorium. Gloſa.*

*Cœlos, id eſt apoſtolos extendit deus ſicut pellem.*

*Greg. 9. moralium ca. 4.*

*Hiero. 10.*

*Ioan. 7.*

## 1757 Qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum.

Hic conſequenter agit de creatis quæ continẽtur infra ſpheram lunæ, quæ ſunt quatuor elementa. Et diuiditur in quatuor partes. quia primò agit de elemento aëris, ſecundò ignis, ibi, Qui facis. tertiò terræ: ibi, Qui fundaſti. quartò aquæ: ibi, Abyſſus ſicut. Quantum ad primum ſciẽdum quòd hic vult oſtendere Pſalmiſta Dei poteſtatem ſupra elementum aëris: quia ipſe poteſtate ſua ad libitum agitat aërem: & per ventum nubes ducit per aërem ſecundum bene placitum voluntatis ſuæ. Per hoc volens inferre, quòd tales impreſſiones, quæ fiunt in aëre & conſimiles: fiunt ex diuina diſpoſitione. Vnde ait. *Qui ponis nubes aſcenſum tuum.* In hebræo habetur, currum ſuum: quia nubes videntur diſcurrere per aëre ad modum curruum: quòd fit dei virtute. Et quia nubes per aërem velociter agitantur, & diſcurrunt à ventis impulſæ: ideo ait, *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Dicuntur enim venti habere pennas metaphoricè propter velocitatẽ curſus. Et per hoc voluit oſtendere Pſalmiſta Chriſti aſcenſionem in nubibus. Nam vt habetur Act. 1. Videntibus illis eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Et nõ ſolùm ipſe Chriſtus vt caput aſcendit in nubibus, ſed etiam membra eius aſcendent in nubibus: dicente Apoſtolo. 1. Theſ. 4. Nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, &c. Quòd ideo dicit, quia tempore iudicij nubes ſuſcipient fideles, qui tunc erunt: & angelorum miniſterio ducentur in nubibus obuiam Chriſto: vt ibidem ait Glo. Tam ergo de Chriſto capite quam de mẽbris eius dicit, *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Et quia Chriſti aſcẽſus fuit in ictu oculi: & ſic etiã erit aſcenſus ſanctorum: ideo ait, *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Vel myſticè aliter. Vbi nota quòd per nubes ſancti Apoſtoli & prædicatores ſignificantur: vt oſtẽdit Greg. vide verſiculo 926. & 556. Cœlum autem ad quòd iuſti aſcendere cupiunt, eſt ſacra ſcriptura, cœlum dicta à cœlo, as. quia in ipſa myſteria diuina celantur. Ponit ergo Deus nubes aſcenſum ſuum: quia per prædicatores hominum corda ad intellectum ſacræ ſcripturę fecit aſcendere. Qui aſcenſus fuit ſuper pennas ventorum: quia Apoſtoli fidem Chriſti prædicantes: ipſa ſacra ſcriptura in paruo tempore totum mundum repleuerunt. Et iſtum intellectum ponit hic Glo. dicens, Spiritualiter cœlum ſcripturæ per prædicatores aſcenditur, quãdo per eos non intelligentibus exponitur. extenſa eſt ſcriptura, nec nubes deſunt, quæ in eam ducunt. Sequitur, *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Per hoc enim myſticè vult oſtendere Pſalmiſta: quòd Chriſtus virtutes omniũ aliarum animarum excedit. Myſticè enim animæ ſunt vẽti: quia ipſarum virtute corpora agitantur. vnde & anima hominis ventus ſiue ſpiratio dicitur Gen. 1. Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Pennę autem ventorum, id eſt, animarum ſunt virtutes duæ, ſcilicet, duo charitatis præcepta. Ambulat ergo Chriſtus ſuper pennas ventorum: quia charitate omnium animarum ſuperat charitas Chriſti & excedit. Ad iſtum ſenſum iſtum verſum exponit Greg. exponens illud Iob 28. Qui fecit ventis pondus. dicens, Velocitate enim ac ſubtilitate ventorum in ſacra ſcriptura ſolẽt animæ deſignari: ſicut per Pſalmiſtam de Chriſto dicitur, Qui ambulat ſuper pennas ventorum, id eſt, qui tranſgreditur virtutes

*Aſcenſio Chriſti.*

*Actuum 1. Nubes aſcenſio Chriſti.*

*1. Theſſ. 4. Aſcendent ſancti in nube*

*Gregorius.*

*Ventus dicitur anima.*

*Gloſa. Pennæ vẽtorum præcepta charitatis.*

*Charitas Chriſti omnẽ aliã ſuperat.*

*Gen. 1.*

*Greg. 19. moral. c. 4.*

*Pſal. 17.*

virtutes omnium animarum. Fecit ergo Deus vẽtis pondus: quia dum ſuperna ſapientia implet animas: eas maturitate ſolita graues reddit: non illa grauitate qua dicitur, Filij hominũ vſquequo graui corde. Aliud namque eſt grauem eſſe per conſilium, aliud per peccatum: aliud eſt grauem eſſe per conſtantiam, aliud per culpam. Iſta enim grauitas pondus habet oneris: illa virtutis. Pondus ergo recipiunt animæ: vt ab intentione Dei non tam leui motu deſiliant: ſed in ea fixæ conſtantiæ grauitate cõſiſtant, &c. Hoc etiã ſentẽtialiter ponit hic Gloſ. Et quia hic agitur de Chriſti aſcenſione, cum ſibi dicitur, *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*, potes notare quòd Chriſtus propter multa aſcendit, ſcilicet, mẽtem, nauem, crucem, nubem ſiue cœlum.

*Pſal.4. Grauitas duplex bona & mala.*

*Gloſa. Aſcendit Chriſtus multa.*

## 1758 Qui facis angelos tuos ſpiritus: & miniſtros tuos ignem vrentem.

Hic agit de elemento ignis, quòd Deus ad libitum aſſumit ad ſuum famulatum. Vbi notandum eſt, quòd angelus eſt nomen officij non naturæ: & ſpiritus eſt nomen naturæ & non officij. Vnde angelus idem eſt quòd nuncius: vnde ſubſtantiæ ſeparatæ intellectuales ſemper ſunt ſpiritus: ſed non ſemper angeli: vt Michael ſemper eſt ſpiritus: ſed non eſt angelus, niſi quando à Deo ad aliquod myſterium mittitur. Vnde eo quòd eſt, ſpiritus eſt: ex eo autem quòd agit, angelus eſt. Illos igitur beatos ſpiritus ad libitum Deus facit angelos: cum ipſos ad aliqua officia mittit. Hoc apertè ponit Gregorius in homilia de angelis, dicens, Angelorum vocabulum nomen eſt officij nõ naturæ. Nam ſancti illi cœleſtis patriæ ſpiritus, ſemper quidem ſpiritus ſunt: ſed ſemper angeli vocari nequaquã poſſunt. Tunc enim ſolum ſunt angeli: cùm per eos aliqua nunciantur. Græca enim lingua angeli nuncij dicuntur: archãgeli verò ſummi nuncij. Eſt ergo ſenſus, *Qui facis ſpiritus beatos angelos tuos*, ſcilicet, ad libitum tuum. Nõ quòd faciat angelos eſſe ſpiritus, ſed facit quòd ſpiritus efficiuntur angeli, id eſt, nũcij, quia eos ad libitũ mittit. *Et miniſtros tuos ignem vrentem.* Ex hoc vult oſtendere, quòd Deus in poteſtate ſua nõ ſolùm habet ſpiritus minores, & inferiorum ordinum: ſed etiam ſuperiores: & ipſos ſuperiores quando vult angelos ſeruos, id eſt, nuncios facit. Nam primus & ſupremus ordo ſpirituũ beatorum eſt Seraphin: vt dictum eſt ver. 1752. Ille autem ordo per ignem vrentem ſignificatur: quia Seraphin interpretatur incendium. Et tamen ſpiritus illius ordinis facit quandoque angelos. Vnde Eſa. 6. dicitur, Volauit ad me vnus de Seraphin: qui ſunt ſuperior ordo. Et hoc eſt quòd hic ait, *Et miniſtros tuos ignem vrentem*, id eſt ipſos Seraphin qui dicuntur ignis vrens: ad libitum tuũ facis miniſtros tuos & nuncios. Vel ideo hoc dicit, *Et miniſtros tuos ignem vrentem*: ad oſtendendum quòd Deus elemẽto ignis vtitur ad votum. quia ſpiritus beatos & nuncios ſuos aliquãdo mittit in forma ignis, quia frequenter legitur angelos in elemẽto ignis apparuiſſe: vt Moyſi in rubo ardenti. Exo. 3. Qui angelus tamen ibi vocatur Deus: quia dei perſonam repræſentabat. Item 4. Regum 2. in tranſlatione Heliæ quę facta eſt miniſterio angelico: apparuit currus igneus, & equi ignei: qui nihil aliud erat quam beati angeli. Item 4. Reg. 6. Apparuit mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi: quia vt ait Hieronymus: tunc ad defenſionem Heliſæi deſcenderunt ſancti angeli. Per hoc autem vult Pſalmiſta intelligere, quòd Deus prędicatores ſuos qui angeli in ſcriptura dicũtur, facit ſpiritus, id eſt, ſpirituales: quos igne charitatis inflammat. Vnde iſtum textum ad iſtud propoſitum exponit Greg. li. 11. morum ca. 3. dicens, Scriptum eſt, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignẽ vrẽtem. Angeli quippè, id eſt, nuncij in ſacro eloquio nonnunquam prædicatores vocantur: ſicut per prophetam dicitur, Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſciẽtiam: & legem requirunt de ore eius: quia angelus dei eſt. Omnipotens ergo Deus angelos ſuos ſpiritus facit: quia prædicatores ſuos ſpirituales efficit & ardentes ſpiritu: qui alios igne charitatis incendunt & conſumunt ſcoriam vitiorum.

*Angelus nomen officij eſt nõ naturæ.*

*Gregor. in homel. de angelis.*

*Spiritus ſummi etiam ſũt angeli, id eſt, nuncij.*

*Eſa. 6. Angeli in ſpecie ignis multoties apparuerunt.*

*Exod. 3.*

*4. Reg. 2.*

*4. Reg. 6.*

*Hierony. Prædicatores ſuos deus facit ſpirituales & ignitos.*

*Greg. li. 11. moral. cap. 3.*

*Malac. 2.*

## 1759 Qui fundaſti terrã ſuper ſtabilitatẽ ſuã: non inclinabitur in ſeculũ ſeculi.

Hic conſequenter agit de elemento terræ. Vbi notandum quòd fundamentum rei fundatæ: dicitur pars eius inferior. Pars autem inferior rei eſt illa ad quam naturaliter grauitas rei deſcendit. Et per conſequens cum omnia grauia, & omnes partes terrę naturaliter deſcendunt ad centrum terrę: & de facto deſcenderent, niſi obſtaculum alterius rei impediret: ſequitur quòd fundamentum terræ eſt ipſum centrum terræ. Vnde ſicut in vno circulo omnes lineę protractę à circumferentia ad centrũ: experimentaliter quantò amplius appropinquant ad centrum circuli, & minus diſtant à centro: tãto plus à ſe inuicem elongantur. Sic conformiter eſt de omnibus grauibus: quia omnia grauia directè centrum terræ appetunt naturaliter: & ſi ibi pertingere poſſent, in eo naturaliter quieſcerẽt. Quia ergo ſupra centrum terræ fundata eſt terra: quòd centrum de ſe naturaliter eſt immobile: quia in eo eſt ratio omnis grauitatis: & à quacunque parte moueretur, aſcenderet: quòd eſt contra naturam grauitatis: ſequitur quòd ipſa terra ſit ſtabilis, & moueri non poſſit, ſcilicet, ſecundum ſe totam extra ſpheram ſuam: licet bene moueatur ſecundum partes naturaliter: & hoc tamen infra ſpheram ſuã. Et hoc eſt quòd ait, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, id eſt, ſupra centrum eius quòd eſt immobile. Et ideo nõ inclinabitur, id eſt, nõ exibit ſpheram ſuam in ſeculum ſeculi. Et ſi dicas quòd ſcribitur Luc. 21. Cœlũ & terra tranſibunt, dico quòd non quo ad ſubſtantiam. ſed ſolùm quo ad formã: vt dictũ eſt ſuperius ver. 1729. Myſticè autẽ per hoc Pſalmiſta vult oſtendere eccleſiæ ſtabilitatem: quæ licet varijs perſecutionum impulſibus turbetur: inconcuſſa tamen & ſtabilis ſemper durabit. De qua dicit, *Qui fundaſti terram*, &c. Terrę namque nomine ipſa eccleſia intelligitur: vt dictũ eſt ver. 334. Fundamentum autem eccleſiæ eſt Chriſtus. De quo dicit: Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, id eſt, Chriſtum qui ſic ſtabilis eſt, quòd nũquam peccare potuit, vel errare: vt oſtendit magiſter lib. 3. diſt. 12. Dicat ergo de eccleſia, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, &c. Quia eccleſia ſuper Chriſtum fundata per martyres fuit roborata: & per ſanctos doctores illuminata: vt ſic fulta à veritate inclinari non poſſit. Quòd pulchrè deducit Greg. ſuper illo verbo Iob 9. Qui fecit arcturum & orationes & hyadas, &c. dicens, Quid namque Arcturi nomine: qui in cœli axe conſtitutus ſeptem ſtellarum radiis fulget: niſi eccleſia vniuerſalis exprimitur: quæ in Ioannis Apocalipſi per ſeptem eccleſias, ſeptemque candelabra figuratur? Quæ dũ dona in ſe ſeptiformis gratiæ ſpiritus cõtinet: claritate ſummæ virtutis irradians: quaſi ab axe veritatis lucet. Penſandũ quoque eſt quòd Arcturus ſemper verſatur & nũquam mergitur: quia ſancta eccleſia perſecutiones iniquorum ſine ceſſatione tolerat: ſed tamen vſque ad mundi terminum ſine defectu perdurat. Sæpe namque reprobi eam vſque ad internitionẽ perſecuti ſunt: quaſi hãc ſe funditus extinxiſſe crediderunt. Sed eo multiplicius ad ſtatum ſuæ rectitudinis rediit: quo inter manus perſecutorum moriendo laborauit. Arcturus ergo dum verſatur, erigitur: quia tunc eccleſia valentius in veritate reficitur: cùm ardentius pro veritate fatigatur. Et ſtatim ſubdit quomodo per martyres roboratur, dicens, Vnde aptè quoque poſt Arcturum Oriones ſubdit. Oriones quippè in ipſo pondere temporis hyemalis oriũtur: ſuo quoque ortu tempeſtates excitant: maria terraſq; perturbant. Quid ergo per Oriones, niſi martyres deſignantur. Qui dum ſancta eccleſia ad ſtatum prædicationis erigitur: pondus perſequentium, moleſtiaſq; paſſuri: ad cœli faciem quaſi in hyeme venerunt. His etenim natis mare terraque turbata eſt: quia dum gentilitas mores ſuos deſtrui apparente illorum fortitudine doluit: in eorum neceſſe non ſolum iracundos ac turbidos, ſed etiam placidos erexit. Oriones ergo cœlum edidit: cùm ſancta eccleſia martyres miſit: qui dum loqui recta rudibus auſi ſunt: omne põdus ex frigoris aduerſitate pertulerunt. Et ſtatim ſubdit quomodo per doctores illuminatur, dicẽs, Bene autem poſt Oriones hyadas ſubdit: quæ iuueneſcẽte verno vel vere, ad cœli faciem prodeunt: & cum ſol iam caloris ſui vires exerit oſtenduntur. Illius quippè ſigni initiis inhęrent quòd ſapientes ſeculi taurum vocant, ex quo augeri ſol incipit: atque ad extendenda diei ſpacia feruentior exurgit. Quid itaq; poſt Oriones hyadum nomine, niſi doctores ſanctæ eccleſiæ deſignantur? qui ſubductis martyribus: eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt: quo fides clarius elucet: & repreſſa infidelitatis hyeme altius per corda fidelium ſol veritatis calet: qui remota tempeſtate perſecutionis, expletis noctibus longis infidelitatis, tunc ſanctæ eccleſiæ exorti ſunt: cùm ei iam poſt vernum credulitatis lucidior annus aperitur. Et infra prædicta recolligendo ait, Vir igitur ſanctus redemptionis noſtræ ordinem contemplatus admirans exclamet, dicens, Qui extẽdit cœlos ſolus, & facit Arcturum Oriones & Hyadas. Extẽſis enim cœlis, dominus formauit Arcturum: quia in honorem deductis apoſtolis in cœleſti conuerſatione formauit eccleſiã. Formatoq; Arcturo fecit Oriones: quia roborata fide vniuerſalis eccleſiæ: contra procellas mundi edidit martyres. Editiſque Orionibus protulit hyadas: quia conualeſcentibus contra aduerſa martyribus ad infundendã ariditatem humanorum cordium doctrinam cõtulit magiſtrorum, &c. Ex quibus omnibus patet qualiter eccleſia ſtabiliter eſt fundata. quòd aliis hic verbis notans Pſal. dicit, Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c.

*Luc. 21.*

*Eccleſia fundata eſt ſtabiliter.*

*Grego. 9. moral. ca. 6.*

*Arcturus ſignificat eccleſiam.*

*Apoc. 1.*



*Orationes ſignificant martyres.*

*Hyadeſ ſignificant doctores.*

*Eccleſia qualiter fundata ſit.*

## 1760 Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.

Hic incipit agere de elemento aquæ. Circa quòd quatuor agit: quia oſtendit primò aquarum quantitatem: ſecundò earum qualitatem: ibi. Ab increpatione: tertiò earum æqualitatem: ibi. Aſcendunt, quartò ſtabilitatem: ibi. Terminum poſuiſti. Quantum ad primum ſciendum quòd elementum aquæ quam ſit grande maximè apparet in mari Oceano. quòd abyſſus dicitur propter ipſius nimiam profunditatem. Hoc autem mare circundat terram ab omni latere, excepta vna parte: quæ diſcooperta ſeruatur à Deo propter habitationem hominum & aliorum animalium quæ in aqua viuere non poſſunt. Exiſtimandum enim eſt de mundo ad modum vnius oui: quòd in medio habet vitellum rubeum: & iſtud vndique circundatur albugine: albugo autem pellicula: ſed pellicula cortice. ſic eſt de mundo. Elementum enim terræ conſiſtit: cuius centrum quaſi æqualiter diſtat ab omni parte ſuperficiei terræ. Quòd dico quaſi: quia ſuperficies terræ non eſt ex toto plana: quia habet montes & valles. Sed talis inæqualitas modicum quid eſt reſpectu tãti corporis, vt eſt elementum terræ. Aqua autẽ imaginetur albugo oui quæ vndique circũdat vitellum rubeum: quia elementum aquæ ſiue ipſum mare Oceanum vndiq; terram circundat: & naturaliter tãtum eſſet ſuper vnam partem terræ ſicut ſupra aliam: quia cum ſit corpus graue, naturaliter appetit centrum: & cum ſit corpus fluxibile, partes ſuperiores aquæ circũcirca æqualiter diſtarent à centro terræ. Sed Deus ſua poteſtate ligat iſtas aquas maris, ne totam terram cooperiant (vt dictum eſt) propter habitationem hominum. De iſto ergo mari Oceano ſub nomine abyſſus dicit, quòd abyſſus eſt amictus eius, ſcilicet, terræ: & hoc ſicut veſtimentum: quia ex omni parte operit terram, vt dictum eſt. Corpus enim aquę eſt totum ſphericum circa centrũ terrę, vt dictum eſt. & ſic eſt veſtimentum terræ, quia ipſam vndique operit. Et vide aliud mirabile quòd Deus facit circa iſtud elementum, quia ſuper mõtes ſtabũt aquæ. Quòd ſic intelligit Rabbiſa. quòd aquæ maris Oceani ſunt altiores omnibus montibur terræ. Quòd vtique verum eſt quo ad ſupremã ipſarum partem: quia vbi terram circundant, non impeditæ à ſua fluxibilitate naturali, terram cooperirent: & earũ ſuperior ſuperficies magis diſtat à centro terræ, quã aliqua pars terrę. Poteſt etiam & aliter intelligi de aquis quæ per calorem ſolis eleuantur ſurſum, & in nubibus ligãtur: vt inde fluẽtes terram irrigent, quæ aquæ in nubibus ligatæ ſine dubio altiores ſunt & magis diſtantes à centro terræ quam montium ſummitates. Et ſic intelligit hic Pſalmiſta, dicens, *Super montes ſtabunt aquæ.* ſcilicet, in nubibus ligatæ, quia Iob 26. Qui ligat aquas in nubibus, &c. Per hoc autem vult oſtendere Pſalmiſta myſticè, quòd abyſſus, ſcilicet, diuinorum iudiciorum nobis occultorum, terram eccleſiæ circundat. Quæ diuina iudicia ſunt vt abyſſus tantæ profunditatis, quòd illa non ſolum ſuper alios, ſed etiam ſupra ſeipſum nullus mortalium cognoſcere poteſt. quòd notabat Pſalmiſta Pſalm. 35. dicens. Iudicia tua abyſſus multa. Quæ domini iudicia terram eccleſiæ circundantia, ſub nomine abyſſus nobis incerta oſtendit Grego. lib. 29. moralium cap. 9. dicens, Quis hominum iudicia diuina diſcutere poteſt? Multos enim videmus quotidie qui iuſtitiæ luce reſplendent, & tamen ad finem ſuum nequitiæ obſcuritate tenebrantur. Et multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & inde iuxta vitæ ſuæ terminum repente reddi luci iuſtitiæ liberos. Multos etiam nouimus ſemel inuentam viam iuſtitiæ

*Aqua terrã circundat.*

*Altitudo rei attenditur penes diſtantiam à centro.*

*Aquæ mõtibus ſunt altiores.*

*Iob 26.*

*Abyſſus dicuntur iudicia Dei.*

*Pſal. 35.*

*Gregorius.*

*Quis bene viuens male moritur: & econtrario.*

illibatæ vſque ad obitum tenuiſſe. Et pleroſque conſpeximus vſque ad exitum cæpta ſemel crimina ſine ceſſatione cumulaſſe. Quis verò inter iſta iudiciorum nubila mentis ſuæ radium mittat, vt aliqua conſideratione diſcernat: vel quis perduret in malo: vel quis aliqua perſeueret in bono: vel quis ab infimis conuertatur ad ſummum: vel quis à ſummis reuertatur ad infima? Latent hæc ſenſus hominum: nec quicquam de cuiuſlibet fine cognoſcitur: quia diuinorum iudiciorum abyſſus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quòd illa Deo aduerſa gentilitas iuſtitiæ luce perfuſa eſt: & videmus dudum dilecta Iudæa quòd perfidiæ nocte eſt cæcata. Scimus etiã quòd latro de patibulo tranſiuit ad regnum: Iudas autem de apoſtolatus gloria eſt lapſus in tartarũ. Ruſumque quia aliquando ſortes quæ cæperint non mutantur: & latronem alium nouimus perueniſſe ad ſupplicium: & apoſtolos percepiſſe propoſitum quòd deſiderauerunt regnum. Video apoſtolum de illa perſecutionis ſæuitia ad gratiã apoſtolatus vocatũ: & certè iam de illo dominica voce dictum: Vas electionis eſt mihi iſte. Et tamen adhuc inter iudicia dei occulta formidat reprobari, dicens, Caſtigo corpus meum: & in ſeruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauero: ipſe reprobus efficiar. Væ ergo miſeris nobis: qui de electione noſtra nullam adhuc Dei vocem cognouimus: & iam in ocio quaſi de ſecuritate torpemus. Debet profectò non ſolum in ſpe eſſe ſecuritas: ſed etiam terror in conuerſatione: vt & illa certantes foueat: & iſta torpentes pungat. Et hæc omnia notans Pſalmiſta, dicit quòd abyſſus, ſcilicet, diuinorum iudiciorum, terram eccleſiæ vndequaque vt veſtimentum operit, dicens, *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Sed ſuper montes ſtabunt aquæ.* Per montes intellige beatos angelos: vt patet verſi. 1166. & 1552. Et iſti non circundantur abyſſo tali: quia operti ſunt ſapientia Dei quæ per aquam ſignificatur: vt patet verſiculo 212. & 216. & 257. Et ſic clarè circa ſe diuina iudicia cognoſcunt. Vel iſte verſus poteſt intelligi de abyſſo perſecutionum qua circundata fuit eccleſia.

*Actuum. 9.*

*1. Cor. 9.*

1761 Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

Hic oſtendit aquarum qualitatem: quæ, ſcilicet, multotiens hominibus timorem immittunt: quia pericula aquarum multum terrent homines. Et hoc maximè patuit in diluuio: cuius inundatione totum genus humanum, octo perſonis exceptis fugit, id eſt, de terra periit. vt patet Gene. 7. Patet etiã quotidie: quia virtute aquarum congregatarum in nubibus generantur fulgura, ſonitus, & tonitrua terribilia, quæ terrent homines: & quaſi naturaliter ſe quaſi abſcondendo fugiunt: vt experientia docet, quæ omnia Dei poteſtate cauſantur. Et hoc eſt quòd ait, *Ab increpatione tua fugient.* quia, ſcilicet, homines taliter his impreſſionibus territi, fugiunt de campis ad loca magis ſecura. vt habetur de grandine quam Deus miſit in Ægyptum. Exo. 9. Dedit dominus tonitrua, & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram, &c. Iſtæ autem tales impreſſiones nõ fuiſſent in nubibus, ſi homo nõ peccaſſet. & ideo ſunt quaſi quædã dei increpationes propter peccata. Dicat ergo, *Ab increpatione tua fugient*, &c. Per hoc autẽ myſticè Pſalmiſta vult oſtendere, quòd conſtanti prædicatione apoſtolorum & miraculorum operatione Chriſtus fugauit eccleſiæ ſuæ perſecutores: ipſos, ſcilicet, conuertẽdo ad fidem. Et hoc ſatis deducit Greg. 29. moral. ca. 16. ſuper illo verbo Iob 38. Quis dedit vehemẽtiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui, dicens, Quid enim per tonitruum, niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur? Cuius terrorem dum humana corda percipiunt, quatiuntur. Dominus ergo ſe viam ſonantis tonitrui dare aſſerit: qui & verba prædicationis tribuit: & per terrorem corda compungit, &c.

*Gen. 7.*

*Exod. 9.*

*Tonitruum dicitur prædicatio.*

*Greg. 29. moral. ca. 16.*

Aſcendunt montes & deſcendunt campi: in locum quem fundaſti eis. 1762

Hic oſtendit aquarum æqualitatem: ponendo differentiam inter terram & aquas. Quoniam terra eſt corpus ſolidum: idcirco vna pars ſuper aliam poſita in loco ſuperiori manet: ſi fundamentum habet ſolidum. Et ſimiliter valles inferius remanẽt baſſæ: quia latera habent ſolida. Sed non ſic de aqua: quia cum ſit corpus fluxibile, ex ea montem facere non potes: quia ſtatim pars ſuperior fluet inferius. Similiter nec in aqua vallem baſſam poteris facere: quia aqua non facit ripas ſolidas: quia ſtatim fluunt. ſicut patet per exemplum: ſi foueam facis in terra, remanet concauitas propter latera terræ ſolida. ſi foueam facis in aqua: non remanet concauitas: quia latera fluida ipſam ſtatim replent. Iſtius autem differentiæ inter terram & aquã Pſalmiſta ſolum ponit vnam partem, ſcilicet, quæ eſt ex parte terræ: vt aliam partem quæ eſt ex parte aquæ ex prima concipiamus. Et hoc eſt quòd de terra dicit *Aſcendunt montes & deſcendunt campi.* quòd totum eſt poteſtate diuina. Vnde ſubdit, *In locum quem fundaſti eis.* Per hoc vult Pſalmiſta oſtendere, quòd quando Deus permiſit: ſuperbi perſecutores eccleſiæ qui per montes figurantur, (vt dictum eſt verſ. 208. & 1659.) ipſi aſcendunt ſupra eccleſiã ipſam perſequendo ſed quando Deo placuit: ipſos humiliauit: & eccleſię ſuæ ſubiecit. Nonne ad modum montis aſcendit contra eccleſiam ſuperbia Pauli: qui Chriſtum in ſuis membris perſequebatur? Nonne ſtatim quando voluit ipſum deſcendere ad planiciem humilitatis fecit? Quando, ſcilicet, circumfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terram, &c. Sic de Imperatoribus romanis: qui ad modum montium ſe contra eccleſiam eleuabant: quos tamen ad campum humilitatis deſcendere fecit: ipſos eccleſiæ ſubiiciendo. quòd totum poteſtate diuina factũ eſt. Et hoc eſt quòd dicit, *Aſcendunt montes*, ſcilicet, ſuperbi tyranni contra eccleſiam: ſed ad libitum deſcendunt campi, id eſt, efficiuntur plani ad modum camporum & humiles. *In locum quem fundaſti eis*, id eſt, ſecundum gradum humilitatis, quem eis diſpoſuiſti. Vel per campos intellige ſtatum pænitentiæ: ad quem multotiens ſuperbos elatos Deus ſua inſpiratione deſcendere facit: dum eis ſua peccata proponit. De quo campo dicitur Ezech. 37. Duxit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus. erat autem multa valde ſuper faciem campi. Et ſequitur. quomodo flante ſpiritu, oſſa illa ad vitam ſunt reducta. Sic conformiter & in pænitentiæ campo anima quæ eſt ad modum oſſis arida & dura, flante ſpiritu ſancto: ad gratiam vitæ reducitur, &c.

*Superbos Deus humiliat, & aſcendentes deſcendere facit.*

*Actuum 9.*

*Ezech. 37.*

Terminum poſuiſti quem non trãſgredientur: 1763



gredientur: neque conuertentur operire terram.

Hic notat aquarum ſtabilitatem. Quãuis enim aqua de ſui natura nullam habeat ſtabilitatem, ſed ſemper fluit ad baſſum: Deus tamen ad libitum ei ponit terminum ne fluat: ſicut fecit in tranſitu maris filiorum Iſrael, vt habetur Exod. 14. Erat enim aqua quaſi murus à dextris eorum & ſiniſtris. Et ſicut fecit in tranſitu Iordanis tempore Ioſue: vbi aquæ quæ deſuper erant, in vna mole ſteterunt. Et ſic etiam facit hodie aquis maris Oceani: quæ multo altiores ſunt quã ſit terra: quia magis à centro terrę diſtant, quam aliqua pars terrę: vt dictum eſt verſ. 1760. Et tamen dominus poſuit eis terminum, ne cooperiant terram: vt homines & animalia viuere poſſint. Per hoc vult Pſalmiſta oſtendere, quòd abyſſis ſiue aquis perſecutionem eccleſiæ Deus ad ſui libitum imponit terminum & menſuram: vt, ſcilicet, non tantum excreſcant, vt ipſam terram eccleſiæ operiant ex toto, vel ſubmergant quinimo ipſas terminat vt ſua voluntas dictat. Et hoc eſt quòd ait Glo. *Terminum poſuiſti eis*, ſcilicet, finem poſuiſti perſecutionibus eccleſiæ: ipſos perſecutores, ſcilicet, reges, principes, & imperatores ipſi eccleſię ſubiiciendo per fidem. *Neque conuertentur operire terrã*, ſcilicet, eccleſiæ. Quia & ſi leues fructus inſurgunt: terram tamen eccleſiæ diluuio nõ operiunt: vt iam liceat eccleſię liberè prædicare Et ſi ei perſtrepunt adhuc, & murmurant pagani: ſonitus littorum audio: diluuiũ nõ perhorreſco. Cõformiter loquitur Greg. lib. 28. moral. ca. 16. exponent illud Iob 38. Huc vſque venies, & non procedes amplius. dicens, Quia nimirum iudicij occulti menſura eſt: & quando perſecutionis procella proſiliat: & quando conquieſcat: ne aut non exagitata electos nõ exerceat: aut non moderata in profundum mergat. Cûm verò notitia fidei vſque ad perſequentes extẽditur: turbati maris tumor ſedatur. Ibique fluctus ſuos mare frangit: quia ad cognitionem veritatis veniẽs, omne quòd nequiter egit, erubeſcit. Fracta quippe vnda in ſe colliditur: quia cognita nequitia per cognitionem ſui cordis accuſatur: & quaſi ipſam vim quam intulerat, recipit: quia de prauitate quam geſſerat, reatus ſui ſtimulos ſentit. Vnde per Paulum quibuſdam dicitur. Quem fructum habuiſtis in quibus nunc erubeſcitis? Ac ſi diceret, Quid ſe in altum fluctus veſtræ prauitatis extulerũt: qui nunc in ſemetipſis fracti: vnde peruerſos vos inflammauerunt, conuerſos nunc confundunt. Conformiter omnibus tentationibus & aduerſitatibus terminum & mẽſuram Deus imponit: ne ſupra vires noſtras aſcendant, & mentem ſubmergant: vt oſtendit Greg. li. 9. moral. cap. 34. dicens, Pius conditor noſter cum viribus noſtris flagella moderatur: ne per virtutem pœna tranſeat: & per aſtutiam dæmonum humanam infirmitatem excedat. Vnde & bene per Paulum dicitur, Fidelis autem Deus qui non patietur vos tẽtari ſupra id quòd poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Niſi enim omnipotens Deus cum viribus tentamenta modificet: nullus profecto eſt qui malignorum inſidias non corruens portet: quia ſi menſuram tentationibus iudex non præbet: eo ipſo protinus ſtantem deiicit. quo vltra vires onera imponit. Et hoc eſt quòd hic ait Pſalmiſta. *Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, &c.*

*Exod. 14.*

*Ioſue 3.*

*Gloſa. Perſecutiones eccleſiæ terminat deus.*

*Aduerſa terminat deus Grego. 28. moral. c. 16.*

*Rom. 6.*

*Greg. li. 9. moral. ca. 34.*

*1. Corin. 10.*

Qui emittis fontes in cõuallibus: inter mediũ montiũ pertranſibũt aquæ. 1764

Hic adducitur ratio laudis diuinæ ex debita prouiſione viuentium. Et diuiditur in tres partes: quia primò oſtenditur debita prouiſio vitæ eorum qui habitant in terra. ſecundò eorum qui habitant in aquis: ibi, *Hoc mare.* tertiò quo ad prouiſionem vtriuſque naturæ: ibi, *Omnia à te expectant.* Quantum ad primum, quòd ad vitam corporalem eorum quæ habitant in terra duo præcipuè requiruntur, ſcilicet, ſufficientia ciborum, & alternatio temporum. quæ duo hic oſtendit. ſecundum ibi, *Fecit lunam.* Ad productionem autem ciborum requiritur quòd terra aquis irrigetur. Et ideo primò oſtendit prouidentia Dei circa irrigationem terræ: ſecundo ex hoc oſtendit fructum orientem ex terra: ibi, *Producens fœnum.* Circa primum ſciendum quòd duplices ſunt aquæ, ſcilicet, inferiores quæ de terra oriuntur, & ſuperiores quæ de nubibus ſtillantur. Vnde primò agit de primis: ſecundò de ſecundis: ibi, *Rigans montes.* Circa primum duo facit: quia primò oſtendit aquarum ex terra productionem: ſecundò ponit ipſarum ad vitam ampliationem: ibi, *Potabunt omnes.* Quantum ergo ad primum ſciendum quòd communiter in pedibus montium quidam fontes oriũtur: ex quibus magna flumina creſcunt. Flumina autem valles faciunt, & per valles tranſeunt. Et hoc eſt quòd ait, *Qui emittis fontes in conuallibus*, &c. Ad intelligendum autem quomodo ex terra fontes oriantur aquarum, cum terra ſit infra elementum aquæ: & aqua naturaliter ſit ſupra terram, ſciendum quòd ariditas terræ eſt cauſa diſſolutionis terræ: quia terra ex ariditate in puluerem conuertitur. Et hinc eſt quòd in æſtate multiplicantur pulueres: quia terra tunc aridior eſt quam in hyeme. Ne ergo terra ex toto propter ariditatem diſſolueretur: miſcuit Deus aliquas partes aquæ cum elemento terræ: quæ magis in viſceribus terræ occultantur: quia calor ſolis areſaciens terram, non ſic penetrat interiora terræ ſicut tangit ſuperficiem. Et hinc eſt quòd quanto amplius profundius cauatur: plus de aqua reperitur. Et hoc eſt quòd dicitur Pſal. 135. Qui firmauit terram ſuper aquas. Aqua ergo infra terram violenter incluſa: quærit ſibi venas terrę & meatus vnde poſſit exire. & tales aquarũ meatus, fontes vocantur. Per hoc enim vult oſtendere Pſalmiſta, quòd gratia ſpiritusſancti ex prædicatione Apoſtolorum proceſſit ad irriganda humilium corda. Vbi nota quòd per fontem aquæ intelligitur gratia ſpiritusſancti: teſte Chriſto Ioan. 4. dicẽte, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam ęternam. Per valles autem humiles deſignantur & pænitentes. Pſalm. 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum. Per montes autem ſignificantur Apoſtoli & ſancti prædicatores. vide verſiculo. 1016. & 1179. Sic ergo Deus emittit fontes in cõuallibus, quia ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Iaco. 4. Sed inter medium montium pertranſibunt aquæ: quia ex doctrina Apoſtolorum & aliorum prædicatorum aquæ gratiarum ad humiles peruenerunt. Vel idem ſunt conualles & montes: quia omnis humilis altus eſt conuerſatione mentis qua habitat in cœlis. Et iſtam ſententiam ponit Gloſ. hic dicens, *Qui emittis fontes in conuallibus*, id eſt, fontes aquæ viuę ſalientis in vitam

*Fontes quomodo ex terra poſſunt oriri.*

*Aqua intra terram includitur.*

*Pſal. 135.*

*Ioan. 4.*

*Valles ſignificant humiles.*

*Gratia humilibus datur*

*Iaco. 4.*

*Gloſa.*



tam

tam æternam,id eſt,gratiarum ſpiritusſancti, in cõuallibus, id eſt, in humilibus:qui etiã montes propter ſpiritualẽ altitudinẽ dicuntur, conualles autẽ propter ſpiritus ſui humilitatẽ.Et eſt ſenſus. De humilibus ſubditis gratiæ,& ſi ſint montes ſpirituali altitudine: fluũt fontes ſpirituſſancti qui ſuper humilem & quietũ quieſcunt. *Magiſter.* Dicit magiſter de propric.rerũ in cap.de fonte,quòd in Ægypto eſt quidam fons: in quo faces accẽſæ extinguuntur & accendũtur extinctę.Talis fons eſt gratia ſpirituſſancti:quia qui eſt accenſus,ſcilicet, qui ſe reputat luminoſum, & igne charitatis accenſum, per ſuperbiam ſtatim extinguitur: quia in eo omnis gratia ſpirituſſancti amittitur.ſed ille qui ſe reputat extinctum,ſcilicet, humilis:accenditur & inflammatur. *Fontes dicuntur apoſtoli.* Vel per iſtos fontes intellige Apoſtolos quos deus miſit ad conualles,id eſt, ad gentes quæ erant valles per vitæ fœditatem: per terrenam cupiditatem: & per cultus vanitatem. Nec immerito Apoſtoli fontes dicuntur:quoniam ſecundum Iſidorum 13. etym. *Iſidorus.* Fons eſt caput aquæ naſcentis: dictus fons quaſi aquas fundens.Et ideo per fontes intelligũtur Apoſtoli:qui erant caput aquæ gratiæ naſcentis in mundo. *Exod.15.* De quibus dicitur Exo.15. quòd in Helim erant duodecim fontes aquarũ,id eſt,Chriſto adhærentium. Nam Helim interpretatur fortis eorum: & ſignificat Chriſtum: qui dicit Ioan.15. *Ioan.15.* Sine me nihil poteſtis facere.Et aquę iſtorum fontium habẽt triplicem prærogatiuam. *Aqua ſignificat doctrinã apoſtolorum. Vitruuius.* Primò in copioſitate: quia in omnem terrã exiuit ſonus eorũ. Pſal. 18. Dicit Vitruuius li.8.de architectura:quòd aquæ fluẽtes de ſaxo rubeo ſunt copioſæ & bonæ. *1.Cor.10.* Tales iſtæ fuerunt. Nã ſaxũ eſt Chriſtus 1.Cor.10. Petra autẽ,&c. *Deut.23.* Et Deut.23. Vt ſuggeret mel de petra,oleumq́; de ſaxo duriſſimo.Erat autem hoc ſaxum rubeum: quia proprio ſanguine rubricatum. *Gala.1.* ſecundum illud apoſtoli.Ego autẽ non ab homine illud accepi,ſcilicet,euangelium:ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Et ideo iſtæ ſunt aquæ bonæ & copioſæ. *Num.20.* Num.20. Egreſſæ ſunt de petra aquæ largiſſimæ: ita vt omnis populus biberet,&c. *Pſal.77.* Et Pſal. 77.Eduxit aquam de petra:& eduxit tanquam flumina aquas.Secundò ex ſui puritate: erãt enim iſti fontes puriſſimi. *Auicen.* Dicit Auicen.1.can. quòd aquæ fontium ſunt cæteris aquis meliores. fontium inquam terræ:quæ eſt ab omni extranea diſpoſitione aliena, id eſt, ab omni infectione & putrefactione. Sic erant iſti fontes Apoſtolorum liberi ab omni infectione extranea peccati mortalis. *Ezech.32.* Ezec.32.Puriſſimas reddam aquas eorum:immò &vt puriores eſſent aquæ fluentes ab ipſis: omnes ſordes rerum temporalium abiecerunt. *Actuum 3.* Vnde & Petrus ait. Argentum & aurũ non eſt mihi. Hæc enim temporalia iſtam aquam viciant. Quia ſicut dicit Auicẽ.1. can.Aquæ vbi miſcetur ſubſtãtia metallina,omnes malę ſunt.Et ſicut dicit Vitruuius vbi ſup.Vbi aurum, argentũ, & metalla fodiuntur,ſicut in mineriis iſtorũ fontes inueniuntur copioſi: ſed maximè vicioſi. Sic & doctrina quæ de corde procedit circa iſtas diuitias occupato:licet quãdoq; poſſit eſſe copioſa,tamẽ ſemper eſt vicioſa. *Num.27.* Num.27. Hi ſunt fontes aquæ contradictionis. quia tales quòd verbis prædicant: moribus impugnant. Tertiò ex ſui vtilitate. Dicit enim Vitruuius vbi ſuprà: quòd aquæ quæ ſub radicibus montium oriuntur: ſunt vberiores,frigidiores,& ſalubriores. Sic in propoſito. *Pſal.67.* Nam mons eſt eccleſia:ſecundũ illud Pſal.67. Mons in quo beneplacitum eſt deo habitare in eo, Huius montis radix & origo dicitur eſſe charitas, *Ephe.3.* Ephe.3. In charitate radicati & fundati. Hæc autẽ Apoſtolorum doctrina ex magna charitate proceſſit. *Phil.1.* Phil.1. Teſtis eſt mihi Deus,quomodo cupiam vos eſſe in viſceribus charitatis. Et ideo iſtæ aquæ ſunt frigidiſſimæ ad extinguendum feruorem inordinatæ concupiſcentiæ. ſaluberrimæ ad curandas omnes infirmitates tam corporis quã animæ. *Ezech.47.* Ezech.47.Erant piſces multi, poſtquam venerunt illuc aquæ iſtæ & viuent.

## Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua. 1765

Hic applicat iſtas aquas ad vſus viuentium. Et primò ad vſum beſtiarum: ſecundò ad vſum volatilium:ibi,Super ea volucres. Quãtum ad primum ſciendum, quòd inter animantia quæ habitant in terra:beſtiæ ſunt maioris potus:quia magis abundant in calore naturali: quo humidũ intrinſecum conſumitur. Et inter alias beſtias onagri ſunt amplioris caloris.Et ideo volens Pſalmiſta oſtendere, quòd Deus ſufficiẽter parat potum omnibus animalibus habitantibus in terra:exemplificat de beſtiis:inter quas ſpecialiter ponuntur onagri, dicẽs, quòd Deus ſic abundè omnibus potum miniſtrat: quòd potabunt omnes beſtiæ agri:& expectabunt onagri in ſiti ſua.Expectabunt ſufficienter ſaturare ſitim ſuam. Vel extinguent ſitim ſuam. Per hoc vult oſtendere Pſalmiſta quòd ex doctrina prædicationis Apoſtolorum,ſcilicet,ſanctorum euangeliorum omnes tam gẽtiles quam Iudæi bibere debent,id eſt,ad doctrinam euangelicam conuerti:& ipſam cordialiter deſiderare. ſed differenter, quia ad Chriſti fidem gentes prius conuertentur: Iudæi autem expectabunt conuerti vſque in finem ſeculi. Ad cuius intellectum ſciendum, quòd per beſtias intelligit gentilem populum, qui colendo idola, & Deum non cognoſcendo viuebant beſtialiter. *Pſal.48.* Pſal.48.Homo non intellexit:comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c. Sed per onagrum populus iudaicus intelligitur. Quoniam vt dicit magiſter de proprie.re. *Onager ſignificat Iudæos.* Onagri naſcentibus maribus inuident: & ne generare poſſint, dentibus teſticulos eis abſcindunt. Quòd naturaliter cognoſcentes mares nati, à patribus recedunt: & ad alia loca procedunt.Sic & conformiter Iudęi videntes apoſtolos ex eis natos eſſe mares, & virtuoſos, & viriles ad alios per prædicationem Chriſti generandos in fide, ipſis inuiderunt:& virtutem generandi alios fideles,ſcilicet, loquelam quam multipliciter eis auferre conati ſunt. *Actuum 4.* Vnde Actuum 4. Vocantes apoſtolos eis præceperunt ne omnino loquerentur: nec docerent in nomine Ieſu. Quòd videntes apoſtoli dimiſſis patribus:ad gentes proceſſerunt. Et per conſequens ipſos Iudæos hodie venatur diabolus: qui dicitur leo quærens quẽ deuoret.Vnde populo iudaico ſub nomine onagri dicitur, *Eccle.13.* Venatio leonum onager in heremo. De gentibus ergo ad prædicationem Apoſtolorum conuertendis, dicit, *Potabunt omnes beſtiæ agri*, id eſt, ex omni generatione gentilium fidem Chriſti deſiderabunt & recipient. Hoc fuit figuratum Petro in lintheo de cœlo ter ſubmiſſo quatuor initiis: in quo erant omnia animalia. De quibus dictum eſt Petro. *Actuum 10.* Macta,& manduca. Petrus enim primus Apoſtolorum ſignificat omnes Apoſtolos & prædicatores. Vas ſubmiſſum plenum animalibus eſt cœtus populi gentilium beſtialiter viuentium. Et dictum



dictum eſt Petro de illis. Macta & manduca. quia omnes illos mactat Petrus in eo quòd mali ſunt:& manducat in corpus eccleſiæ traiiciendo. Et vide modum quo ipſos conuertendo manducat. Nã illud vas quatuor initiis ſubmiſſum eſt: ad figurandum quatuor partes orbis:in quibus prædicãdum erat euangelium,& homines baptizandi. Ter ſubmiſſum eſt: vt in nomine trinitatis baptiſmus fieret,Et vide per quos,ſcilicet,per apoſtolos:quoniã ex ternario & quaternario numerus duodenus cõſurgit: qui eſt numerus prædicatorum duodecim enim Apoſtoli electi ſunt à domino, quorum prædicatione totus orbis cuius quatuor ſunt partes, quæ in nomine trinitatis vocantur vt inde eccleſia congregetur.Sed de Iudæis ſolum in fine mundi conuertendis dicitur,*Expectabunt onagri in ſiti ſua.* Vbi glo.id eſt,Iudæi.Quia has aquas ſcripturarum & fidei differunt bibere vſque in vltimum tempus. Et ſic ſitim patientur vſque ad illud tempus.

## 1766 Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

Hic agit de vſu aquarum quo ad volatilia. Duplex eſt enim genus auium:quia quædã ſunt aquaticæ, quæ in agris vel fluminibus habitant, ſicut cignus:& quædam ſunt nemoroſæ, quæ in arboribus vel in petris nidificant. Dę primis ait. *Super ea volucres cæli habitabũt.* De aliis verò auibus quæ,ſcilicet, veniunt ad aquas ad bibendum:& poſtea recedunt cantando,dicit,*De medio petrarum dabunt voces.* *Iob.39.* Inter enim cæteras aues nidificantes in petris: aquila dicitur principalior.De qua dicitur Iob.39. In petris moratur,& in cæſis rupibus.Et ideo cum ipſa aquila ſit regina auium qua morantur in terra: per ipſam cæteræ aues intelligũtur:quæ poſtquam potauerit: ad nidum ſuum in petris factum rediẽs, volitat clamando. Et hoc eſt quod ait. *De medio petrarum dabunt vocem ſuam.* Littera autem Hebraica habet.De medio ramorum. Et tunc per illas intelligit aues in arboribus nidificantes. Per hoc vult Pſalmiſta oſtendere quòd ſuper ea quæ dicta ſunt, ſcilicet, ſuper aquas ſcripturæ & dicta apoſtolorum, habitant non omnes, ſed ſolum ſpirituales: qui ſignificãtur per volucres cæli. Volucres enim quandoque ſignificant ſuperbos præſumptuoſè in altum volare cupientes, & alios ſuppeditare. *Volucres dicuntur homines ſpirituales.* De quibus vide ſuprà verſiculo 89.Aliquando verò ſignificãt homines ſpirituales mente conuerſantes in cælis:more apoſtoli dicentis, Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Vel per volucres cœli intellige pœnitentes. Nam volucris idem eſt quòd auis. Auis autem dicitur ab a quod eſt ſine: & vis, quaſi ſine violentia.Et ſic ſignificat ſtatum pœnitentiæ: quæ non violenta debet eſſe,ſed volũtaria.Et tales aues vel volucres de medio petrarum dant voces, quia non ſua proferunt, ſed ſolum illa quæ petræ Apoſtoli & prophetæ prædixerunt. *Gloſa.* Et hoc eſt quod ait gloſa.Super ea volucres cæli habitabunt, id eſt,ſuper montes,prophetas & apoſtolos, volucres cœli,id eſt, ſpiritualia corda. Ideo enim addidit cœli, vt notet ſanctos:habitabunt, quia ibi petras inueniũt, id eſt, fundamentum præceptorum. Sicut enim illa vna petra verbum dei Chriſtus eſt: ſic multa verba dei, multæ petræ ſunt. Et iſtę petræ ſunt in montibus.Sed ne putes has volucres ſuam ſequi voluntatem;ideo addit dicens, quia dabunt voces de medio petrarum, id eſt,non de ſuo:ſed de auctoritate verborum dei in quibus ſonat petra Chriſtus:à quo etiam ſui dicuntur petræ.

## Bigans mõtes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. 1767

Hic agit de aquis ſuperioribus quæ de nubibus deſcendunt. Calore enim ſolis vapores aquei ſurſum eleuantur & condenſantur in nubibus:vt opportuno tempore compluant terram.Et quia aqua pluuialis fœcundior eſt quam ſit aqua fluminis, vel fontis:vt dictum eſt verſicu.690. hinc eſt quòd plura gignit ad nutrimentum animalium, quam aqua inferior. *Prædicatione apoſtolorũ terra eſt ſaturata.* Et hoc eſt quod ait, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*, id eſt,de aquis quæ ſunt in nubibus ſuperioribus:quæ aquę mirabiliter terram fœcundant:ideo de fructu operum tuorum, id eſt,de effectu pluuiæ quæ eſt opus tuum, ſatiabitur, id eſt, fœcundabitur. Per hoc vult oſtendere Pſalmiſta quòd Deus repleuit terram eccleſiæ fidelibus:quia primò corda apoſtolorum quæ montes dicuntur ſpirituſſancto de ſuper miſſo rigauit: per quorum poſtea prædicationem terra per totum mundum dilatata fœcundata fuit. Rigare enim dicitur Deus corda noſtra, quando gratiam ſuam deſuper immittit:vel prædicationem fidei ſpargit per orbem. Sic enim rigati fuerunt montes prophetarum primò & apoſtolorum: & per ipſos alij: vt oſtendit Grego.ſuper illo verbo Iob.5.Vniuerſa deus aquis irrigat.dicens, *Gre.li.6.mor.ca.7.* Poſſunt vniuerſorum nomine ipſæ morum diſſimilitudines deſignari. Alius namque elatione erigitur: alius pondere timoris inclinatur &c. Vel ipſos irrigauit quando per ſpiritumſanctum docuit omnem veritatem. Vnde Gregorius in homil.de Pentechoſte ait, Libet fratres chariſſimi oculos fidei in virtutem ſpirituſſancti attollere,&c.Sic enim irrigata terra fructu ſatiatur:quia paulatim de virtute proficit in virtutem. Quarum virtutum fructificationem paulatim de gradu ad gradum procedere oſtendit Chriſtus,dicens, *Mar.4.* Terra vltro fructificat primò herbam: deinde ſpicam: deinde plenum frumentum. Quod exponit Gregorius ad propoſitum lib. 22. capitulo 20. dicens, Ecce veritatis voce &c.vide verſi.222.

## Producens fœnum iumẽtis:& herbam ſeruituti hominum. 1768

Hic oſtendit fructum diuina prouidentia extra productum: & ex arboribus quæ de terra naſcuntur.Et primò agit quomodo iſti fructus deſeruiunt vitæ hominum.Secundò quomodo vitæ auium & animalium: ibi, Saturabuntur. Ad victum autem hominum tria requiruntur, ſcilicet, cibus, potus, & condimentum. Et ſic primò agit de cibo: ſecundò de potu: ibi, *Vt educas*: tertiò de condimento: ibi, *Vt exhilaret.* Quantum ad primum ſciendum, quòd hic fœnum & herba pro eodem accipiuntur. & ſimiliter iumentum & homo:quia homo per peccatum verſus eſt in iumentum. Pſalmus 48. Homo cum in honore eſſet &c. Dicit ergo quòd deus eſt producens de terra fœnum iumentis, id eſt, hominibus peccatoribus: quia herbæ naſcentes ex terra ſunt ad vſum & ſeruitium hominum. *Prædicatoribus dãda ſunt neceſſaria etiã nõ petentibus.* Et hoc aliis verbis repetit,dicens,*Et herbã ſeruituti hominũ.* Per hoc vult oſtendere Pſalmiſta, quòd prædicatoribus euangelij liberè eſt ſubuenien

niendum,& hoc ante quam petant.Vnde differentia eſt inter pauperes mẽdicantes,& doctores euangelizantes.Quia primis eſt dandũ quando petunt: quia te quærere debent,non tu illos. Secundis autem dandum eſt antequã petant:quia tu illos quærere debes. Hoc enim eſt quaſi debitum : illud autem magis quaſi gratioſum.Prędicatores enim per iumenta ſignificantur : quia ſunt iuuamenta infirmorum.Ideo ſi te iuuant, & tibi ſeruiunt:ex debito mercedem quo viuere poſſint obligaris eis dare: etiam illis non petentibus. Et hoc ſentit hic gloſ. *Gloſa Augu.* dicens,*Producens fœnum iumentis*, id eſt,prædicatoribus ſeruis hominum pro Chriſto : vt de euangelio viuant,qui euangelium annunciant. Vnde conſequẽter exponit quod dixerat, *Et herbam ſeruituti hominum*,id eſt,temporalia bona ſeruituti prædicatorum : qui ſunt ſerui hominum pro Chriſto. Hæc ſunt iumenta quibus merces debetur:quia ſeruiũt. *Deut.25.* De quibus dicitur,Non alligabis os boui trituranti.Et dignus eſt operarius mercede ſua. *Luc.10.* Debentur enim prædicatoribus temporalia:qui largiũtur ſpiritualia. *1.Cor.9.* Vnde Apoſtolus ait,Si ſeminamus vobis ſpiritualia,magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus. De iſtis enim dicitur , Beatus qui præoccupat vocem petentis,id eſt, qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Et ſequitur ad propoſitum. Non enim ita debes agere boui trituranti:vt mẽdico tranſeunti.illi enim,id eſt,mendico das : quia ſcriptum eſt. *Luc.6.* Omni petenti te tribue. Huic etiã non petenti dare debes. Vide ergo ne ſi ſic egeat miles Chriſti vt petat:te iudicet,id eſt, damnabilem oſtendat antequam petat. Sicut enim enim dicitur de illo qui quærit:da omni petenti.ſic de illo quem tu quærere debes,dicitur, *Eccl.29.* Deſudet eleemoſyna in manu tua: donec inuenias iuſtum cui des.Omni petenti ergo quicumque ſit da:agnoſcẽs in eo cui des.Sed multo magis da ſeruo dei militi Chriſti etiam non petenti.Hæc glo. Ex quibus apparet, quòd prædicatoribus & militibus Chriſti non licet mendicare: *Prædicatori an liceat mendicare.* ſed auditores ſponte non petenti neceſſaria debẽt tribuere. Quid ergo dicemus de mẽdicantibus religioſis prædicatoribus ? Reſpondeo, quòd ſi præueniantur in neceſſariis:mendicare non debent. ſi autem non præueniantur:tanto amplius merẽtur: quia & ſtipendium lucrantur prædicando:& conſequenter laborant mendicãdo. Notet tamen quilibet prædicator,quòd(vt dicit Grego.)prædicator non debet prædicare vt alatur : ſed ali vt prædicet.

## 1769 Vt educas panẽ de terra : & vinum lætificet cor hominis.

Hic agit conſequenter de potu neceſſario vitæ animalium. Tamen notandum quòd iſta pars prima iſtius verſi. videtur eſſe finis præcedentis verſi. quaſi dicat,Ideo enim producit fœnum & herbam de terra:vt inde educat panem ad vitam hominum neceſſarium.Sicut enim per pecuniam intelligitur omne medium tranſmutationis in emptionibus & vẽditionibus : ſic per panem intelligitur omnis cibus ad vitam neceſſarius.De potu autem ſequitur, *Et vinum lætificet cor hominis*.Vinum enim naturaliter eſt lætificatiuum : quia ſanguinem generat. Complexio autem ſanguinea lætitiam parit.Per hoc autem vult Pſalmiſta oſtendere, quòd ad vitam ſpiritualem hominum nutriẽdam deus de terra,ide eſt, *Panis vitæ eſt Chriſtus.* de beata virgine Maria quæ terra dicitur , Eſai. 45. *Eſa.45.* Aperiatur terra,& germinet ſaluatorem.vide verſi. 1446.& 1455. deus nobis eduxit panẽ ſpiritualem & vinum.Panis eſt ipſe Chriſtus,qui de ſeipſo ait, Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi,&c. Si *Ioan.6.* quis manducauerit ex hoc pane viuet inæternum. Per hoc vult dare differentiam in mãna datum patribus, & corpus Chriſti. quia illud manna ſolum erat panis figuratiuus corporis Chriſti:corpus autem Chriſti eſt panis vitæ figuratus. Sed circa hoc Auguſt. ſuper Ioan. mouet dubium. *Auguſt.* Sed nunquid nos morimur qui mãducamus panem deſcendentem de cœlo ? Sic etenim patres qui manducauerunt manna mortui ſunt : ſicut & nos ſumus morituri,quantum attinet ad mortem huius corporis viſibililem,atque carnalem : quantum autem attinet ad mortem ſpiritualem qua patres iſtorũ mortui ſunt:Manducauit manna Moyſes, & multi qui domino placuerunt, & mortui non ſunt:quia viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerũt, & ſpiritualiter guſtauerunt vt ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum.ſed aliud eſt ſacramentum, & aliud virtus ſacramenti. quod multi de altari accipiunt:& accipiendo moriũtur. Vnde apoſtolus.Iudicium ſibi manducat & bibit: *1.Cor.11.* qui indignè accipit. Panẽ ergo cœleſtem ſpiritualiter manducare eſt innocẽtiam ad altare portare, peccata & ſi ſint quotidiana:nõ ſint mortifera,&c. Hic eſt ergo panis quem deus eduxit de terra , id eſt,Chriſti corpus ; quod ex virgine Maria formauit. Et ad hoc manifeſtandum ipſe Chriſtus ſe nobis manducandum ſub ſpecie panis in ſacramento reliquit.Vel per terram ſignificantur prædicatores ratione ſtabilitatis & conſtantiæ:& ratione fertilitatis qua fructum ſpiritualem animarũ producũt. Pſal.84.Dominus dabit benignitatem:& terra noſtra , ſcilicet , ſtabiles prædicatores dabit fructum ſuum. *Pſal.48.* De hac ergo terra dominus panem educit, ſcilicet,verbum dei,quod panis dicitur. quia Apoſtoli & alij prædicatores panem verbi dei per totum orbem prædicauerunt. *Mar.4.* *Gloſa.* Et iſtum intellectum notat glo.dicens,*Vt educas panem de terra*,id eſt, verbum dei de prædicatoribus. *Et vinum lætificet cor hominis*.Vbi loquitur de ſacramento altaris ſub ſpecie vini tradito:qui eſt calix domini inebriãs , ſcilicet, dignè ſumentem gratiis & virtutibus conformiter ad panem acceptum pro corpore Chriſti. Vel per vinum accipe dilectionem dei : qua deus ſuos inebriat delectabiliter. Vbi notandum quòd aliter lætificat cor hominis vinum diuini amoris : & aliter vinum amoris mundi. *Vinũ amoris ſignificat Dilectat aliter amor dei aliter a mundi.* quia vino mũdanæ dilectionis in principio dulce videtur : ſed in fine amarum inuenitur.ecõtrario autẽ vinum amoris dei. Quod oſtendens Hugo ſuper illo verbo Ioan. 2. *Hugo.* Omnis homo primo bonũ vinum ponit.dicit , Inter amorem Dei & huius mundi hæc eſt differentia : quia amor mundi in principio dulcis eſſe videtur:ſed finem habet amarum. ſed amor dei ab amaritudine incipit:ſed vltima eius plena ſunt dulcedine.Vnde & dicitur,Omnis homo primò bonum vinum ponit, &c. Omnis namque homo carnalis ponit bonum vinum primò : quia in ſua dilectione primò quandam falſam dulcedinem ſentit:ſed poſtquam fame deſiderij mentem inebriauerit , tũc quod deterius eſt propinat ; quia ſpina conſcientiæ ſuperueniens mentem quam prius falſo delectabat,grauiter cruciat. Sed ſponſus noſter Chriſtus poſtremò bonum vinum porrigit : dum mentem quam ſui amoris dulcedine replere diſponit quadã prius tribulationum compunctione amaricari ſinit : vt poſt guſtum amaritudinis auidius bibat ſuauiſſimum



mum poculum charitatis. Et hoc eſt vinum quod verè lætificat.Et de hoc dicitur Iudi. 9. *Iudi.9.* Vinum lætificat deum & homines.

## 1770 Vt exhilaret faciem in oleo:& panis cor hominis confirmet.

Hic agit de cõdimẽto ciborum, ſcilicet,de oleo. Per oleum enim , quod eſt principale ciborũ cõdimẽtum,intelligũtur omnia cõdimenta. Hic oportet ſubintelligi quod dictum eſt ſuperius , ſcilicet, vt educas panem de terra : educas etiã vinum:educas etiã oleũ.Et ad quid?ſcilicet , vt in oleo exhilaret faciẽ,& ipſam iucũdam oſtendat. Vbi ſciẽdum *Hierony.* quòd vt ait Hie.ſuper Mat.Erat cõſuetudo prouinciæ paleſtinæ, ꝙ in diebus feſtiuis oleo aliqualiter homines,& maximè mulieres vngebãt caput & faciẽ:ad hoc,ſcilicet,vt magis capilli reſplẽderent:ac etiã facies iucundior videretur. Et ſic oleũ faciem exhilarabat.Sed poſito quod hoc ſit verũ:nõ tamẽ facit ad propoſitum:quia talẽ hilaritatẽ faciei,non facit oleũ tãquã ciborũ cõdimentũ. Aliter ergo eſt dicendũ.Nã oleũ cũ ſit quædã pinguedo cõdiendo cibos, illos facit pingues. cibi autẽ pingues magis comedentẽ impinguãt.facies autẽ pinguis hilarior eſt,ſeu videtur:ſicut & macilenta triſtis.& ſic quia oleũ impinguat faciẽ,ipſam hilarẽ facit.Per iſta autẽ omnia nos ad dei laudẽ cõſurgere debemus.Verũ quia tria principalia ad vitam hominis de terra dixit producta.ſ.panem,vinũ,& oleum.& dixit effectũ vini quia lætificat:& olei quia exhilarat:& nõ dixit effectũ panis:ideo hic effectũ panis oſtẽdit,dicẽs,quòd fortificat.*Et panis cor hominis confirmet*.Vbi per cor intelligit vitã quę principiũ habet à corde, quæ pane cõfirmatur:quia panis eſt hominis principale nutrimẽtũ. *Oleũ ſignificat gratiã ſpiritusſancti.* Per hoc autẽ Pſalmiſta vult oſtẽdere,quòd caput eccleſię Chriſtus omni gratiá ſpiritusſancti repletus fuit. Quid enim per faciem niſi Chriſtus intelligitur?vide verſi.150.Quid autẽ per oleũ,niſi gratia ſpirituſſancti? *Greg.lib.19. mor.ca.13.* Vnde Gre. ait:Poteſt nomine olei ipſa ſpirituſſancti vnctio deſignari.De *Eſa.10.* qua per prophetã dicitur. Cõputreſcit iugũ à facie olei.Iugũ quippe à facie olei cõputreſcit:quia dum ſpirituſſancti gratia vngimur:à captiuitatis noſtræ ſeruitute liberamur.dũq; maligni ſpiritus ſuperba *Eſa.5.* dominatio repellitur:iugũ conteritur quo libertatis noſtræ colla premebantur.De hoc quippe oleo rurſum ſcriptum eſt. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.Filij quippe olei,fidelis populus dicitur:qui ad fidẽ dei in terrena ſpirituſſancti vnctione generatur. Quid eſt ergo vt exhilaret faciem in oleo:niſi donis ſpirituſſancti Chriſtũ replere:à quo tanquã à fonte gratiarũ riuuli nobis conferuntur: quia de plenitudine eius omnes accepimus gratiã. *Ioan.1.* Ioã.1.Propter quod dicitur Iob 29. *Iob 29.* Petra fundebat mihi riuos olei.Petra,id eſt, Chriſtus.1.Co.10,Petra autẽ erat Chriſtus. *1.Cor.10.* Vel per faciẽ accipe mẽtem noſtrã:vt ſuprà verſi. 168. quæ donis ſpirituſſancti iucũdatur.Et tunc eſt ſenſus ſecundũ glo. *Gloſa.* Vt exhilaret faciem in oleo,id eſt, lætificet mentẽ noſtram gratia ſpirituſſancti,qua,ſcilicet, gratioſus quis efficitur apud alios.Vnicuiq; enim vt ait,Apoſtolus: datur ſpiritus ad manifeſtationẽ &c. *Oleũ eſt multiplex.* Hic autẽ notare poſſumus quòd in ſcriptura myſticè oleum eſt multiplex,ſcilicet , Oleum adulationis criminalis. Oleum ſapientiæ diuinalis. Oleum proſperitatis temporalis. Oleum miſericordiæ ſalutaris. Primò eſt oleum adulationis:de quo dicitur Pſalmus 140. Corripiet me iuſtus:& increpabit me. oleũ autem peccatoris non impinguet caput meum. Vbi gloſ. *Gloſa.* Oleum peccatoris eſt falſa laus adulatoris:& ſimulata dilectio,quæ mentes à rigore veritatis emollit ad noxia. Inde eſt quòd homines cum falſa laude aliquem irriſerint:de illo dicunt.vnxit caput illius. Secundum patet:quoniam ſacra ſcriptura ad inſtar olei vngit mentes quas docet.quæ ſicut vnctio docet de omnibus. Vnde de ſacra ſcriptura ſub olei nomine dicitur Iob.29. *Iob 29.* Petra fundebat mihi riuos olei.Quod ad propoſitum exponens Gre.ait. *Gre.19 mor. ca.12.* Quia Petræ nomine Chriſtus accipitur:prædicator egregius fatetur,dicens,Petra ante erat Chriſtus. *1.Cor.10.* Quæ videlicet Petra nunc ad vſum ſanctæ eccleſiæ olei riuos fundit:quia in ea loquens dominus prędicamẽta vnctionis intimè emanat.De hac Petra riuus exiit,liber Matthæi:liber Marci ; liber Lucæ , liber Ioannis,In diuerſis mundi partibus,quot prædicamenta edidit : tot petra hæc per Apoſtolorum ora omnium riuos olei fudit. Totiens adhuc de petra hac riuus olei funditur:quotiens ſancto ſpiritu vngendis mentibus auditorum ea quæ in libris veteribus de Chriſto dicta ſunt,explanantur&c. Vnde Deut.32. *Deut.32.* Vt ſuggeret mel de petra , oleũque de ſaxo duriſſimo.Tertium patet.quoniam ſicut oleum extinguit calcem viuam,quam aqua accendit : ſic & aduerſitas ad dei amorem mentem accẽdit quã proſperitas extinguit temporalis.De hoc vide ver. 1159.Vnde ipſum oleum inter tẽporalia bona ſpecialiter nuncupatur.Pſal.4. A fructu frumenti vini & olei ſui &c.Quartũ patet,quia ſicut oleum valet ad ſanãda vulnera:ſic & miſericordia ad mẽtes peccato laceratas ſanãdas.In cuius figurã dicitur Luc. 10. *Luc.10.* quòd ille Samaritan⁹ illius ſauciati vulnera curauit infundens vinum & oleum. Quod exponens Gre. *Gre.20. mor. ca.6.* In vino morſum diſtrictionis exhibet:in oleo mollitiem pietatis. per vinum purgantur putrida: per oleum ſanãda fouentur. Miſcẽda eſt ergo lenitas cum ſeueritate : ac faciendum eſt quoddam ex vtroq; temperamentum:vt nec multa aſperitate exaſperentur ſubditi : neque benignitate nimia ſoluãtur. Et quia iſto oleo miſericordiæ Chriſtus caput eccleſiæ fuit impinguatus:ideo de illo dicit eccleſia.Pſal.22. *Pſal.22.* Impinguaſti in oleo caput meũ. Vnde miſericordia eſt illud oleum exultationis quo Chriſtus fuit vnctus.Pſal.44. *Pſal.44.* Vnxit te deus , deus tuus oleo lætitiæ &c. De quo nunc conſimiliter ait Pſal.*Vt exhilaret faciem in oleo.*

## Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantauit : illic paſſeres nidificabunt. 1771

Hic oſtendit quomodo prædicti fructus ex terra producti deſeruiunt vitæ auium : & animalium, ſcilicet , quo ad victum , & quo ad habitationem. Quo ad victum ait,*Saturabunt ligna campi*, id eſt, lignis campi. Pro lignis campi intelligit omne lignum quod naſcitur in terra. omnis autem herba, & omnis arbor nomine ligni vocatur. Certum eſt autem quòd his veſcuntur aues:& animalia , & ſaturantur. Iſta ligna campi ſunt ad eſcam nõ ſolum hominum , ſed etiam omnium auium & animalium:& non ſolum ad eſcam,ſed etiam quo ad aues & animalia ad habitationem. Quæ omnia ligna campi figurantur in arbore, Danielem 4. *Danie.4.* quæ erat arbor in medio terræ : & altitudo eius nimia : eſca vniuerſorum in ea:ſubtus eam habitabant animalia & beſtiæ:& in ramis eius conuerſabantur volu-

cres cœli. Vbi tanguntur duo, ſcilicet, animalium & auium eſca, & habitatio. Inter omnia autem ligna notabilia camporum: cedri quæ naſcuntur in libano ſunt notabiliora: quia cæteris altiora. Ideo nomine illorum cætera ligna comprehendit. Vnde dicit, *Et cedri libani quas plantauit*, ſcilicet, ipſe Deus, ſupple ſunt ad eſcam auium & animalium. Et non ſolum ad eſcam, ſed etiam ad habitationem. Vnde ſubdit, *Illic paſſeres nidificabunt*. Nomine enim paſſerum intelligit omnes aues. Vnde textus Hiero. habet: illic aues nidificabũt. Et ſic accipit cedros pro omni arbore: quia cæteris altiores, & paſſeres pro omnibus auibus: quia cæteris communiores. Per hoc autem vult Pſalmiſta oſtẽdere, quòd ex fructibus terræ, ſcilicet, ex fructibus prædicatorum: qui fructus ſunt verbi dei: omnes homines ſaturantur tam magni quam parui, tam nobiles quam plebei: vt dictum eſt, verſi. 1767. Vnde per ligna campi intelligit pauperes ſubditos & humiles: ſed per cedros libani, altos, potẽtes & principes. Quibus omnibus per apoſtolos & prędicatores ad ſaturitatem datus eſt panis diuini verbi. Et iſtum ſenſum accipit glo. dicens, *Saturabuntur ligna campi*, id eſt, plebes humiles prius. *Et cedri libani*, id eſt, potẽtes in ſeculo poſterius: quia prius electi ſunt contẽptibiles & ignobiles, quam ſapientes & nobiles. Vel in cedris paſſeres nidificabũt. Quia pauperes, qui per paſſeres quæ ſunt minuta animalia intelliguntur, nidificant in cedris. quia pauperes qui ſua relinquunt vt nudi ſequantur Ieſum, vt Apoſtoli qui non ſolum dimiſerunt quicquid habebãt: ſed etiam quicquid habere & cupere poterãt. *In cedris nidificant*, ſcilicet, ex bonis magnatum & principum viuunt. Vt puta pauperes clerici nidificãt in bonis Conſtãtini imperatoris, quæ dimiſit eccleſiæ, Philippi imperatoris tempore Sixti, Karoli magni &c. Vel per cedros intellige prælatos: in quibus paſſeres, id eſt, ſubditi nidificare debent: ab ipſis exempla accipiendo virtutum. Vel per cedrum intellige glorioſam virginem Mariam &c.

*Hierony.*

*Verbo dei ſaturãtur omnes.*

*Gloſa.*

*Pauperes de bonis diuitum viuant.*

1772 Herodij domus dux eſt eorum: montes excelſi ceruis: petra refugium herinaciis.

Hic oſtendit quòd ligna, & terra, & alia creata nó ſolum à deo ſunt facta pro habitatione auium: ſed etiam aliorum animaliũ. Et primò quo ad aues dicit, *Herodij domus dux eſt eorum*. Vbi notandũ quòd Herodius eſt nomẽ cuiuſdam auis prędalis: quę in celeritate volatus cæteras aues trãſcẽdit: quia modicum habet de carnibus quæ grauant: & multum de plumis quæ leuãt. Vnde propter volatus ſui celeritatem, etiã aquilam impetit. Hæc auis alio nomine dicitur falco: vt dicit magiſter de proprie. lib. 9. Hæc auis nidificat in cedris: ita quòd cedri ſunt domus eius. Et propter celeritatem volatus, regina aliarum auium dicitur, & ductrix: eo modo quo leo propter fortitudinẽ dicitur rex & dux animalium. De iſta ergo aue dicitur: *Herodij domus*. Hæc enim pars ſpectat ad prę cedẽtem. Dictum eſt enim quòd paſſeres nidificant in cedris: ſequitur quòd ſimiliter & Herodij. Vnde de cedris dicitur, quòd ſunt Herodij domus. Sed quod ſequitur: *Dux eſt eorum*, refertur ad paſſeres, ſcilicet, ad alias aues: quarum Herodius dux eſt ſiue rex. Conſequenter agit de habitatione animalium, dicens, *Mõtes excelſi ceruis*, ſcilicet, præſtant habitationẽ: quia cerui libentius latibula ſua in montibus parant. Et ſequitur, *Petra refugium herinacijs*. Herinaceus enim idem eſt quod hericius animal totum ſpirituóſum. Et hoc animal libentius habitat in petris, & in locis duris: quia quando eſt in locis mollibus: eius ſpinæ infiguntur terre: & ſic minus liberè poteſt moueri. Sed ſecundum quòd hic ait gloſa. per hæc quæ ſunt ſatis groſſa, & naturalia: innuit alia ſpiritualia eſſe quærenda. Nam vt dictum eſt in præcedenti verſi. per cedrum intelligitur altitudo prælatorum: in quibus paſſeres nidificant. Cum ergo prælatorum ſummus ſit Chriſtus: ipſe propriè cedrus poteſt dici. De quo dicitur Eſa. 2. Exaltabitur ſuper omnes cedros ſublimes & erectas. Iſta ergo cedrus non ſolum domus eſt, & refugium paſſerum, ſcilicet, paruorum & humilium hominum, quos ad ſuam gratiam liberè recipit: ſed etiam eſt domus Herodij, id eſt, magnorum & ſuperborum peccatorum: quia etiam tales Chriſtus à ſua miſericordia non repellit. Et hoc ponit gloſa. dicens, Herodius rapaciſſima auis eſt omnium volatilium maior: qui & aquilam vincit. per quem intelliguntur rapaces, ſuperbi, & magni peccatores: nec etiam tales deſerit Chriſtus. Vnde non ſolum paſſeres nidificanti in cedris, id eſt, in Chriſto qui omnes cedros in ſe continet, id eſt, omnium prælatorum virtutes: ſed etiam ibi nidificat Herodius: quia Chriſtus etiam eſt domus rapaciſſimorum: quia nec tales deſerit. Vel per Herodium auem rapaciſſimam intellige tribu Beniamin: de qua fuit Paulus apoſtolus, De quo dicitur Geneſe 49. Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam: veſpere diuidet ſpolia. quia Paulus in adoleſcentia rapaciſſimus fuit, & perſecutor Chriſtianorum: ſed in veſpere ſuæ ætatis conuerſus ad dominum: ſpolia diabolo rapuit prædicando. Et eſt ſenſus. In cedris non ſolùm humiles nidificant: ſec etiam Herodis auis rapaciſſima, ſcilicet, Paulus. Vnde & ipſe factus eſt dux eorum: quia ſua prædicatione alios plures raptores poſt ſe traxit ad fidem. Sequitur, *Montes excelſi ceruis*. Vbi nota quòd fidelium ſunt duo genera: quidam enim in ſtatu perfectionis ſunt, quærentes non ſolum dei ſequi præcepta: ſed etiam ſuperogando obſeruare conſilia. Et iſti per ceruos qui alta petunt, figurantur: vt pauperes voluntarij. Dicit enim magiſter de proprie. re. quòd ceruus tantæ eſt agilitatis, quòd currendo vel ſaltando quaſi terram non tangit: & inter ſpinas ſaltando, eas non ſentit: & virgularum ſummitatibus paſcitur. Sic & quilibet perfectus pauper voluntarius tantæ agilitatis eſt, quia totus mente cæleſtis: quòd quandiu hic habitat, quaſi terram, id eſt, terrena mente non tangit. dicens cum apoſtolo. Habentes alimenta. & quibus tegamur, his contenti ſimus. Vnde inter ſpinas diuitiarum ſaltans, eas non ſentit: quia in eis cor non apponit. Et de talibus dicitur: *Montes excelſi ceruis*, quia tales ſolùm montes & præcepta quærunt excelſa. dicentes illud Pſalmo 17. Perfecit pedes meos tanquam ceruorum ſuper excelſa ſtatuens me. Alij autem ſunt parua animalia non magnæ vel altæ perfectionis, ducentes vitam communem: ſicut viuentes in coniugio, mercatores, & alij: quorum vita ſine multis ſaltem venialibus tranſigi non poteſt. Et iſti per hierichium ſpinis vndique plenum ſigni

*Herodius dicitur falco.*

*Gloſa.*

*Eſa. 2.*

*Gloſa. Herodius ſignificat ſuperbos & rapaces.*

*Paulus per Herodium ſignificatur.*

*Geneſ. 49.*

*Contẽplatiui & Veri pauperes ſignificantur per ceruum.*

*1. Tim. 6.*

*Pſal. 17. Actiui per hericium ſignificantur.*



ſignificant: quæ peccata venialia per ſpinas hericij ſignificant: quæ licet in ſeipſis pungant, eius tamẽ carnem non lacerant. Et iſtis refugium eſt petra Chriſtus: quia tales Chriſto per fidem adhærent. Et iſtos notat dicens. *Petra refugium, &c.*

1773 Fecit lunam in tempora: ſol cognouit occaſum ſuum.

Hic agit conſequenter de alternatione temporum: quæ requiritur ad cõſeruationem hominum & animalium. Et primò alternationem temporum oſtendit in generali: ſecundò in ſpeciali: ibi, Poſuiſti. Quantum ad primum notandum quòd non ſolum terreſtria Deus fecit propter conſeruãdam vitam hominum, & animalium: ſed etiam ipſa cæleſtia: ſicut eſt ſol, luna, & ſtellæ. Sed quia inter omnia cæleſtia iſta duo, ſcilicet, ſol & luna nobis magis apparent: ideo iſta duo in ſingulari notauit, dicens, *Fecit lunam in tempora, &c.* Secundum enim lunam quæ eſt mater humiditatis, maximè alternãtur tempora ſecundum qualitates quæ ad humiditatem ſpectant: vt de pluuia in ſerenitatem: & ecõtrario, de tempore ventoſo ad tranquillum: & huiuſmodi: quia ſecundum varium motum lunæ nobis ſenſibiliter apparet maior mutatio aëris. Sol autẽ variat tempora ſecũdum alias qualitates. ſcilicet de calore ad frigus: de luminoſitate ad claritatem: & huiuſmodi. Et ſine iſtis alternationibus temporum, non ſtaret vita hominis & animalium. quia ſi non eſſet pluuia, terra nó germinaret. ſi nó eſſet tẽpus clarũ & ſiccũ: fructus nó matureſcerẽt: ſi nó eſſet frigidũ: fructus nó radicarẽtur in terra. ſi non eſſet calidũ: non aperiretur terra: & huiuſmodi. Sed per iſta duo alia voluit pſalmiſta oſtendere. Vbi primò quo ad lunam notandum, quòd per lunam quæ illuminatur à ſole ſignificatur eccleſia: quæ à vero ſole Chriſto, gratia & veritate perluſtratur. Et ſicut luna creſcit & decreſcit: ſic & eccleſia creſcit & decreſcit in omni gradu ſuo: quo ad doctores, prædicatores, ſubditos & alios fideles. Vnde Greg. ait. Quid enim per lunam, niſi cuncta ſimul eccleſia deſignatur? Quid per ſtellas niſi ſingulorum bene viuentium animæ deſignãtur? Qui inter prauorum hominum conuerſationes: dum magnis virtutibus eminent: quaſi in tenebris noctis lucent. Quibus per Paulum dicitur. Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Quia enim appellatione lunæ ſancta eccleſia exprimitur, propheta teſtatur dicens, Eleuatus eſt ſol: & luna ſtetit in ordine ſuo. Eleuato enim ſole, in ordine ſuo luna ſtatuitur: quia aſcendente ad cœlos domino: ſancta protinus eccleſia in prædicationis auctoritate roboratur: quia etiam nec ſancta eccleſia virtute propria miraculis emicat: niſi hanc præuenientis gratiæ dona perfundant, &c. De hac igitur luna eccleſiæ, dicit, *Fecit lunam in tempora*: quia eccleſia militans cum tempore incepit: & cum tempore terminabitur. Incepit enim in primo homine: & in vltimo iuſto finietur: vt ait Greg. in homil. vide verſic. 85. & 1169. Vel per lunam intellige glorioſam virginem mariam: & hoc multiplici ratione. Primò ratione ſuæ poteſtatis. Habet enim luna poteſtatẽ ſupra mare, & ſuper omnia quæ viuunt in mari. Vnde in plenilunio meliora reperiuntur. De quo dicit Iſidorus 12. Etym. cap. 6. Omnium enim clauſorum animalium maris, atq; concharũ incremẽto lunæ membra turgeſcunt, defectu euacuãtur. Luna enim cum in augmento fuerit, humorem auget. Sic & Maria quæ ſtella maris dicitur: ſupra mare, id eſt, amaritudinẽ vitę præſentis dominatur: iuxta illud Pſal. 88. Tu dominaris poteſtati maris. Et eius virtute mouetur hoc mare ad littus: quod eſt ipſam amaritudinem in quietem cõuerti. Nam per littus vbi eſt terminus maris: quies & lætitia deſignatur. Vnde & Chriſtus poſt reſurrectionẽ in littore ſtetit, qui ante paſſionẽ dormiebat in mari. Dicit Albumazar, quòd quãdiu luna eſt in aſcẽdendo verſus medium cœli: mouet mare ad littus: & poſtmodum motu oppoſito. Sic autem lunam moueri, eſt ipſam nobis appropinquare. Sic autem & Maria quibus appropinquat: laboris amaritudinẽ in gaudium & quietem perducit. Pſal. 65. Conuertit mare in aridam. Inſuper & eorum qui in amaritudine viuunt: conditionem meliorat: humorem gratię augmentando: Præcipuè verò eorum quæ incluſa ſunt: per quæ intelligunrur illi qui forti ſe patientia muniunt intrinſecus in aduerſis. Vel qui intra ſecretum conſcientiæ Deũ habentes ab huius mũdi temporalibus ſe abſcõdunt. Ideo poſtulatur Ioſue. Luna contra vallem haylon ne mouearis. Cõtra vallem haylon ipſam moueri eſt ab afflictis & oppreſſis ſe elongare, quod auertat. Vnde Bernardus ſuper miſſus ait. Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, ſalus deniq; vniuerſorum filiorum Adã. Secundò ratione ſuæ humilitatis. Luna enim infima omnium planetarum: quamuis lumine poſt ſolem omnes excellat: inſuper & quanto magis fuerit illuminata ſuperius: tanto minus lumen ſuum terræ oſtendit. Sic & beata virgo Maria poſt Chriſtum gratia ſingulari reſplenduit, & humilior fuit: & minus apparere hominibus curauit: ſatis iudicans ſi Deo & ſupernis ſpiritibus lumen ſuum appareret: iuxta illud Lucę 1. Exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo, &c. Et angelo ait, Ecce ancilla domini. Ezech. 32. Luna non dabit ſplendorẽ ſuũ, id eſt, gratiam ſibi datam per humilitatem abſcõdet. Vnde Bernardus ſuper miſſus eſt. Quæ eſt tam ſublimis humilis, quæ cedre nouit honoribus? Inſoleſcere gloria neſcit: mater dei eligitur: ſed humilitatem non obliuiſcitur. Tertiò ratione ſuæ benignitatis. Luna enim hoc habet ſingulare, quòd apparet tam die quàm de nocte. Vnde ſecundum Iſidor. 8. etym̃. Luna dicitur diana, quaſi duana: eo quòd die ac nocte apparet. Sic beata virgo tã iuſtis quàm peccatoribus præſto eſt: vt de ipſa dicatur illud Act. 19. Magna Diana Epheſiorum. Et illud Quis eſt hominum qui neſciat Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianę, Iouiſq; prolis? Ciuitas Epheſiorum eſt eccleſia Chriſtianorum. Nam Epheſus interpretatur volũtas mea in ea. Et de eccleſia dicitur Eſa. 62. Vocaberis volũtas mea in ea. Iſtam ergo colit eccleſia & meritò præ cæteris: quia (1. Cor. 15.) alia eſt claritas lunæ & alia ſtellarum. Quartò ratione ſingularis dignitatis. Habet enim luna hanc dignitatem: vt feſtum reſurrectionis ſecundum ſuum curſum tardius aut citius celebretur. Vnde Ambroſius in hexamerõ ait, Luna decimaquarta ſignificat diem ſalutis. Sic & reſurrectio ſpiritualis, ſcilicet à morte culpæ ad vitã conſequitur motum voluntatis virginis glorioſæ. Quamuis enim reſurrectio dominica celebretur: & noſtra reſurrectio ſpiritualis ſit principaliter ex diuina gratia: tamen præſupponit lunam decimãquartam plenam, id eſt, Mariam tam lumine gratię quàm verbo Dei repletam: vt merito ſi reſurrectionem

*Luna ſignificat eccleſiam.*

*Greg. 17. moral.*

*Philip. 2.*

*Abac. 3.*

*Greg. in homi.*

*Luna ſignificat glorioſam virginẽ Mariam.*

*Iſidorus.*

*Pſal. 88.*

*Iob 21.*

*Albuma.*

*Pſal. 65.*

*Ioſue 10.*

*Bernard.*

*Luc. 1.*

*Ezech. 32.*

*Bernard.*

*Iſidorus.*

*Act. 19.*

*Eſa. 62.*

*1 Cor. 15.*

*Ambroſ.*

nem ſpirituale celebrare volumus:ad ipſius gratiæ plenitudinem recurramus.Eccl.43.A luna ſignum diei feſti. Quintò ratione ſuæ mediationis. Nã ſecundum Hipocratem luna eſt coniungens cæleſtia cum terreſtribus. Sic & virgo Maria fuit medium coniunctionis naturæ diuinæ cum humana: quoniam in eius vtero facta eſt illa coniunctio ſecundum illud Eſa.7.Ecce virgo cõcipiet,& pariet, &c.Emanuel interpretatur nobiſcum Deus,id eſt, in noſtra natura. Vnde & merito ipſa dicitur mediatrix.Inſuper in ipſa fuit cõiuncta virginitas,quę eſt portio angelica cum fœcunditate carnali : quæ eſt conditio terreſtris.Eſt aliud mediũ coniungens cæleſtia cum terreſtribus. Ex quibus meritò ipſa per lunam figuratur:quam Deus nobis hic temporaliter viuentibus dedit protectricem:quia fecit lunam in tempore.Sequitur, *Sol cognouit occaſum ſuum*, id eſt,ſol determinate vadit ad occaſum,ac ſi haberet intellectum:quia talis motus eſt ab intelligentia mouente.Sic enim dicimus,quòd opus naturæ eſt opus intelligentiæ.Per hoc enim vult Pſalmiſta oſtẽdere Chriſti paſſionem & reſurrectionẽ. Quid enim nomine ſolis,niſi Chriſtus intelligitur. Mal. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.vide ver.77.Sol enim eſt rex ſtellarum,ac lumen earum.Propter eum enim cõplentur res terrę ex plantis & fructibus:& per eum creſcit,& augetur ſubſtãtia eorum.Sic enim eſt de Chriſto : quoniam ipſe eſt rex ſtellarum , ſcilicet angelorum : & ab ipſo illuminantur : & per ipſum etiam complẽtur res terræ : quia omnis perfectio noſtra ab ipſo eſt,& omne crementum ſpirituale.Vnde Apoca.1. Vidi ſimilem filio hominis, &c.& facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua. Quid autem per occaſum, niſi mors intelligitur?vide verſi.1051. Quid eſt ergo dictu:ſol cognouit occaſum ſuũ : niſi Chriſtus præuidit,& cognouit paſſionem ſuam & mortem? quæ bene occaſui ſolis comparatur. Sol enim ſic occidit vt oriatur:ita & Chriſtus ita occidit vt reſurgeret.Occidit,quia voluit:ſurrexit,quia voluit & quando voluit:quia nemo tollit animam eius.

*Eccl.43.* *Hipocras.* *Eſa.7.* *Sol ſignificat Chriſtum.* *Malac.4.* *Apoc.1.* *Occaſus ſolis ſignificat Chriſti mortem.*

1774 Poſuiſti tenebras,& facta eſt nox:in ipſa pertranſibunt omnes beſtię ſyluę.

Hic agit de alternatione & varietate temporum magis in ſpeciali. Et primò ponit modum varietatis:ſecundò eius effectum:ibi, *Catuli.* Quantum ad primum ſciendum quòd maxima temporis variatio eſt:qua mutatur de die in noctem : & econtrario.quod facit præſentia ſolis ſuper Hemiſpheriũ noſtrum,& eius abſentia. Quando enim ſol eſt ſuper Hemiſpherium noſtrum : cauſat diem.quando autem circuiendo recedit ab Hemiſpherio noſtro, & circundat terram circundatam aquis:ibi diẽ nõ cauſat,neq; noctem:ſed hic tũc cauſat noctem. Et hoc eſt quod ait, *Poſuiſti tenebras*, id eſt, in Hemiſpherio noſtro per occaſum ſolis.Tenebra enim nihil eſt,niſi abſentia lucis:ſicut nec ſilentiũ aliquid eſt,niſi carentia locutionis.Ideo ſubdit, *Et facta eſt nox.* Quia ſicut dies eſt latio ſolis ſuper terram:ita eius occaſus cauſat noctem. *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ* : quia animalia ſyluestria de die ſtant in latibulis ſuis , ne ab aliquo videantur ; de nocte autem perambulant quærentes ſibi cibum magis quàm de die. Per hoc enim vult oſtendere & prædicere Pſalmiſta : quomodo ad occaſum veri ſolis tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terrã. Per noctem ergo intellige abſentiã veri ſolis,id eſt, Chriſti:qui à vita præſenti per mortem abſceſſit : & tũc tenebræ factæ fuerunt. Et hoc maximè in Iudæis qui in Chriſti morte perdentes lumen ſacræ ſcripturæ tenebroſi & obſtinati ſunt effecti. Vnde Iudæa ſic effecta tenebroſa omnium immundorum ſpirituum habitatio facta fuit. Vnde de ipſa ſubditur, *In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.* Quid enim per beſtias ſyluæ,niſi dæmones hic accipimus.Nõ enim immerito beſtia dicitur diabolus.Beſtia enim quaſi vaſtia à vaſtando dicitur : & diabolus omnia vaſtare nititur bona & corrumpere. Vnde de ipſo dicitur Daniel.7. Beſtia erat quaſi leena , & habebat alas aquilæ.Sicut enim leo rex eſt animalium, ſic & diabolus omnium ſuperborum. Iob 41. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Vnde & diabolum ratione ſuperbiæ beſtiam appellat ſcriptura: dicens cuilibet humili , Beſtiam terræ non formidabis.Quod exponit Greg.dicens, Callidus quippe aduerſarius beſtia terræ dicitur : quia ad capiẽdas mortis tempore animas ſuperbia crudelitatis effrenatur.Quos enim viuentes blandiens decipit: hos morientes ſæuiens rapit. Quocirca de electorum eccleſia per prophetam dominus pollicetur, dicens,Mala beſtia non tranſibit per eam.Illi ergo beſtiam terræ timent : qui viuentes ſui conditoris potentiam non timent , &c. Iſtæ ergo beſtiæ terræ per Iudæam trãſeunt : quia ipſorum obſtinata poſſidẽt corda.Et ſic de illis verificatum eſt illud Sap. 16.Superuenit illis ſæua beſtiarum ira.Et nota etiã ad literam , quòd iſtæ beſtiæ dæmonum plus ambulant de nocte quàm die:& fortius homines tentant. Cùm enim Chriſtus dicat , omnis qui malè agit odit lucem,& non venit ad lucem , vt non arguantur eius opera : conſequens eſt quòd dæmones malè agentes,lucem fugiunt:& diligunt tenebras noctis:& adueniente luce diei,non tantũ nobis poſſunt nocere.Vnde & in hymno dicitur hoc, ſcilicet,ſolis ortu omnis errorum chorus viam nocẽdi deſerit. Vnde & de dæmonibus dicitur:ortus eſt ſol,& congregati ſunt:& in cubilibus ſuis collocabunt.Hoc etiam generaliter poteſt intelligi de omni peccatore peccatorum tenebris obſcurato, quòd omnes beſtiæ agri in ipſo pertrãſibunt: quia ſuper ipſum poteſtatem habent & dominium.

*Tenebræ factæ ſunt in Chriſti morte.* *Beſtia dicitur diabolus.* *Dan.7.* *Iob 41.* *Iob 5.* *Grego.6.moral.c.21.* *Eſa.35.* *Sap.16.*

Catuli leonum rugientes vt rapiãt, & quærant à deo eſcam ſibi. 1775

Hic oſtẽdit varium effectum varietatis temporum.Et primò oſtendit quòd noctis obſcuritas eſt timoroſa.Secũdò , quòd lucis claritas eſt aſſecuratiua : ibi , *Ortus eſt ſol.* Tertiò quòd diei claritas eſt operoſa:ibi, *Exibit.* Quartò ex hoc concludit quòd dei poteſtas eſt glorioſa:ibi , *Quàm magnificata.* Primò ergo noctis obſcuritas eſt timoroſa.ſicut enim lux naturaliter aſſecurat hominem & cõfortat : ſic & obſcuritas timorem inducit , & vires diſſoluit, ſcilicet hominibus.ecõtrà autem feris animalibus. Plus enim habet timere quis in nocte quàm in die. Vnde plura mala de nocte quàm de die perpetrantur,maximè ab animalibus brutis,quæ tunc maximè perambulant:vt dictum eſt:quia in ipſa ſcilicet obſcuritate pertranſibũt omnes beſtiæ ſyluæ. Vnde & nunc addit quòd in ipſa obſcuritate , *Catuli leonum ſunt rugientes vt rapiant , &c.* quia tunc magis ad prędam ſunt auidi.Per hoc enim vult Pſalmiſta oſtendere ferocitatem dæmonum erga peccatores. Vbi notandum quòd ſicut inter angelos bonos eſt ordo prælationis & ſubiectionis : ſicut etiam inter homines.

*Leo dicuntur dæmones maiores : catuli leonum minores.*



homines.ſic & inter dæmones aliqui principãtur, vt lucifer:& alij ſubiiciuntur. Principãtes per leones figurantur:ſed ſubditi per catulos leonum. De iſtis ergo catulis dicit, *Catuli leonum,&c*, quaſi dicat, Non ſolum principales & maiores dæmones infeſti ſunt hominibus , vt ipſos rapiant in eſcam ſibi: quia peccatis noſtris paſcuntur : ſed etiam hoc faciunt catuli leonum,id eſt , alij dæmones minores & ſubditi.Et aduerte quòd ait, *Vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi:* quia neminem tentare poſſunt, niſi quantum deus eis permittit. vt patuit de dæmone tentante Iob.Sed quærunt aliqui. Et ſi leo diabolus nullum tentare poteſt, niſi quantum Deus ſibi permittit : quare ergo ſuos electos deus à diabolo ſinit tentari ? Ad hoc reſpondet Gregorius dicens, Bona noſtra antiquus hoſtis malitioſè attrectare appetit:ſed hæc tentare Deus,nõ niſi benignè permittit:vt dum mens tentatione pulſante , in bonis de quibus gaudebat concutitur:imbecillitatis ſuæ debilitate cognita , in ſpe diuini amoris robuſtius ſolidetur.Fitq; mira diſpenſatione pietatis:vt vnde malignus hoſtis cor tentat vt interimat:inde miſericors conditor hoc erudit vt viuat , &c. Sed fortè dices.Hæc reſponſio eſt de illis qui tẽtationes vincunt.Sed de illis qui ſuperantur : quæro cur Deus permittit tentare hominem quem nouit eſſe caſurum.Et iſta dubitatio aſſimilatur illi qua quęritur: cur creauit Deus homines quos malos præſciuit. Ad quæ reſpondet magiſter lib.2.diſt.23.dicens, Quæri ſolet:cur Deus hominem tentari permiſerit quem caſurum eſſe præſciebat.Reſpondet. Sed non eſſet laudabile homini : ſi ideo bene viueret, quia nemo malè viuere perſuaderet:cum in natura poſſe , & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti deo iuuante. Et eſt glorioſius nõ conſentire,quàm tentari non poſſe. Mouẽt etiam quidam dicentes. Cur creauit Deus quos malos futuros præſciebat?Reſpondeo,quia præuidit quid de malis eorum eſſet facturus.Sic enim eos fecit vt relinqueret eis vnde aliquid facerent. Et ſi culpabiliter aliquid facerent:illum de ſe laudabiliter operãtem inuenirent.A ſe habent voluntatem malam : & ab illo naturam bonam & iuſtam pænam.

*Quæſtio. Tentari ſuos permittit deus quare.* *Grego.2. moral.c.31.* *Cur quare permittit deus quos caſuros præſcit.* *Quare creauit [illegible] [illegible]*

1776 Ortus eſt ſol,& congregati ſunt:& in cubilibus ſuis collocabuntur.

Hic oſtenditur quomodo lucis claritas eſt aſſecuratiua.quia ſcilicet ad ortum lucis ſolaris fere in cubilibus ſuis congregantur quæ de nocte vagando quærũt prædam:ideo ſecurius eſt homo de die ambulare,quàm de nocte. Per hoc enim vult Pſalmiſta oſtendere,quòd ſic moriente Chriſto:leo cũ ſuis catulis circuiens multos rapuit:quia etiã ipſos Apoſtolos à Chriſto fugauit : Apoſtolorum principem ad negandum ter Chriſtum induxit. Et per conſequens fortius alios ſtrauit. Sic & Chriſto reſurgente,illi ad fidem ſurrexerunt:& dęmones territi fugati fuerunt. Et hoc eſt quod ait , *Ortus eſt ſol*, ſcilicet,Chriſtus,qui per mortem occiderat prius. *Et congregati ſunt*,dæmones ſcilicet,qui prius tentãdo erãt diſperſi. *Et in cubilibus ſuis collocabuntur.* Quid enim ſunt cubilia dęmonum,niſi corda peccatorũ in quibus habitant per peccata diuerſa.vide verſi. 555. Et attẽde quòd Chriſtus ſol maximè dicitur: quia ad modum lucis ſolaris omnia aduerſa & dolores mitigat.Docet enim experiẽtia quòd luce ſolis adueniente,alleuiantur infirmi. Lux incarceratis præſtita eorum pænam mitigat. Lux cæcis reddita,eis ingerit conſolationem:in tantum quòd ſine luce nullus poteſt eſſe iucundus. Propter quod dicitur Tobiæ 5. Quale gaudium poteſt eſſe mihi: qui in tenebris ſedeo:& lumen cœli nõ video?Vnde dicit Damaſ.quòd lux ſolaris tenebras expellit: mœrores diſſoluit,ægritudines alleuiat,& omnem ſpeciem lætam iucũdamq; facit:omnibusq; rebus formam tribuit & decorem.Sic & Chriſtus ad modum veri ſolis,& lucis omnes aduerſitates infirmitateſque alleuiat. Et hoc ſuo ortu & reſurrectione ſpem victoriæ ex aduerſitatibus tribuit:& poſt aduerſitates glorioſus reſurgens:nomen quod eſt ſuper omne nomen accepit.Vnde reſurrectio Chriſti per ſolis ortum denotatur Mar.vlt. cum dicitur, quòd mulieres venerunt ad monumentum orto iam ſole.

*Tobiæ 5.* *Damaſ.* *Chriſtus dicitur lux.* *Mar.vlt.*

Exibit homo ad opus ſuum:& ad operationem ſuam vſque ad veſperã. 1777

Hic oſtenditur quomodo lucis claritas eſt operoſa. Sicut enim animalia fera in die ſtant in latibulis , ne capiantur:de nocte autem perambulant prædam ſibi quærẽdo:ſic homo qui eſt animal rationale,per oppoſitum de nocte quieſcit , & in die exit ad opus.Per hoc vult oſtẽdere Pſalmiſta quòd Apoſtoli & alij prædicatores fidei qui ante Chriſti reſurrectionem opus prædicationis eis à Chriſto impoſitum,timore concuſſi non audebant exercere:poſt Chriſti reſurrectionẽ , & ſpiritusſancti miſſionem fortes effecti:per totum mundum opus eis commiſſum viriliter adimpleuerunt. Vnde ipſos apoſtolos ſic roboratos ſub nomine hominis ponit dicens , *Exibit homo ad opus ſuum.* Nec immeritò quia propriè ſolum ille dicitur homo,qui viuit ſecundum rationem.Qui autem ſenſualiter viuit,nõ homo,ſed beſtia debet cenſeri.vide verſi.558.589. Et aduerte quòd Apoſtolos non dicit homines in plurali:ſed ſingulariter homo.& propter vnitatem ſummam quam adinuicem habuerũt poſt Chriſti reſurrectionem:vt de ipſis dicatur, Act.4.Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. De iſtis ergo omnibus in ſingulari numero dicit , *Exibit homo ad opus ſuum.* vtputa Petrus Romam , Andreas Achaiam.Matthæus Æthiopiam. Bartholomeus Indiam : opus Euangeliſtæ faciendo perambulauerunt.De quo opere ait Apoſtolus 2.Tim.4. Opus fac euangeliſtæ:miniſterium tuum imple.Et quia iſtud opus deuotè fecerunt vſq; ad finem vitę ipſorum,ideo ſubditur. *Et ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Per veſperam enim quæ eſt finis diei, intelligitur mors : quæ eſt finis vitæ hominis. Sic enim veſperam pro morte accipit propheta dicẽs, De mane vſque ad veſperam finies me.

*Homo dicuntur apoſtoli.* *Act.4.* *2.Tim.4.* *Eſa.38.*

Quàm magnificata ſunt opera tua domine:omnia in ſapientia feciſti:impleta eſt terra poſſeſſione tua. 1778

Hic concluditur ex prædictis:quòd dei potẽtia & operatio eſt glorioſa. Quis enim poſſet excogitare magnificẽtiam operum Dei prædictorum etiã quo ad literam , quomodo mundum vt dictum eſt diſpoſuit:quomodo elementa adinuicem compoſuit:qualiter cœlos diſpoſuit,&c. Quò verò ad intelligẽtiam ſpiritualem:qualiter homines creauit, qualiter aliquos ab æterno prædeſtinauit : & aliquos reprobauit,&c.vide verſi.1590. Quæ tamen omnia in ſapientia fecit:quia per verbum ſuũ:quia omnia

*Not totũ uſque ad finem. Sapientia dei dicitur filius Dei.*

omnia per ipſum facta ſunt. quod verbum eſt ſapientia patris. Pro cuius intelligentia notandum quòd ſapientia patris dicitur verbum patris, vel filius Dei. Vbi nota quòd verbum in nobis dicitur propriè: non vox prolata exterius: ſed notitia mẽtis interior. In nobis autem eſt duplex interior notitia: ſcilicet informis & perfecta. quia noſtra cognitio procedit de imperfecto ad perfectũ. primo Ethic. Et ideo de re primò habemus notitiam imperfectam & vniuerſalẽ: & talis non dicitur verbũ, ſed cogitatio. Ab illa autem notitia confuſa & imperfecta procedimus ad notitiam rei diſcretam & perfectam: quæ à Philoſophis dicitur diffinitio: à ſanctis autem dicitur mentis verbum. Et iſta notitia perfecta quæ eſt in mente: dicitur verbum vel ſapientia noſtra. Vox autem exterior propriè non eſt verbum nec ſapiẽtia: ſed ſolum manifeſtatio interioris verbi & ſapientiæ. vt dicit Ariſtotel. primo Perihermenias. quòd voces ſunt eorum quæ ſunt in anima paſſionum notæ. Ex hoc autem deuenire poſſumus in cognitionem ſapientiæ ſiue verbi diuini. Vt enim ab omnibus cõceditur philoſophis: Deus eſt naturæ intellectualis. Et ideo in ipſo ponitur verbum, quod eſt perfecta notitia & ſapiẽtia omnium: quo vnico verbo immenſo vel vnica immenſa ſapiẽtia, Deus perfectiſſimè ſeipſum cognoſcit, & omnia alia: quæ ſapientia per omnia ſibi eſt æqualis: aliter ſeipſum perfectiſſimè nõ cognoſceret. Iſtud autem Dei verbum vel ſapientia dicitur filius Dei. Ad cuius euidẽtiam ſciendum quòd de ratione filiationis naturalis & propriè dictæ, ſunt tria. Primum quòd ibi ſit origo vnius ab altero. ſic quòd ſicut nullus poteſt eſſe homo, niſi ſit animal: ſic nullus naturaliter poteſt eſſe filius alterius, niſi ſit ab illo originatus. Secundum quod requiritur eſt, quòd ibi ſit originatio viuentis à viuente. Non enim ſufficit originatio. Nam frumẽtum originatur à terra. non tamen propriè dicitur filius terræ: ſed oportet quòd vtrunq;, ſcilicet originãs & originatum habeat vitam. Sed nec hoc etiam ſufficit. Vt puta vermis viuus originatur ab homine viuo: non tamen propriè eius filius dicitur. Sed requiritur tertium ſcilicet quòd originans & originatum ſint ſimiles in natura ſpecifica. Sic enim animal viuum originatum ab animali viuo eiuſdem ſpeciei: dicitur eius filius. Et iſta tria complẽt rationem filiationis naturalis: ſcilicet originatio viuentis à viuente infra eandem ſpeciem. Ex prædictis duo apparent. Primum quare ſapiẽtia noſtra, vel verbum non dicitur filius noſter: quia non procedit viuum à viuente: neq; ſunt eiuſdem ſpeciei: cum vnum ſit accidens, & aliud ſubſtantia. Secundum quòd ſapientia Dei vel verbum propriè dicitur filius Dei naturalis. Quia ibi ſunt omnia tria prædicta, ſcilicet originatio: quia verbum quodlibet originatur à mente: cuius eſt verbum vel ſapientia. Secundum quia ibi eſt proceſſus viuentis à viuẽte. quia ſapiẽtia Dei eſt vita: Deus eſt vita: quia eſſentia diuina eſſentialiter eſt vita. Tertium, quia ibi eſt ſimilitudo: immo identitas ſpecifica. quia omne quod eſt in deo: realiter eſt Deus. vt dicit magiſter lib. 1. diſtinct. 8. Ex quibus omnibus ſequitur quòd Dei ſapientia realiter eſt filius Dei naturalis. Et de filio ſub nomine ſapientiæ hic ait Pſal. *Omnia in ſapiẽtia feciſti:* quia Deus omnia fecit in filio vel per filium. Ioã. 1. Omnia per ipſum facta ſunt. Sed quomodo omnia Deus fecit in ſapientia? notãdum eſt, quòd omnia creata producũtur à deo: ſicut artificiata ab artifice: cum ipſe deus ſit agens nõ neceſſitate naturæ: ſed per intellectũ & voluntatẽ. Vnde de ipſo dicitur. Sap. 7. quòd omniũ eſt artifex. Quod autẽ producitur per intellectũ & artẽ: producitur per exemplũ artificiati quod eſt in intellectu artificis. ſicut dicit Philoſophus 7. metaphiſi. quòd domus quæ eſt extra producitur à domo quæ eſt intra in anima. Et ſic per ſapiẽtiam artificis quæ eſt in eius mente, producũtur omnia artificiata. Cùm autem verbum diuinum, ſiue filius Dei ſit ſapientia Dei, vt dictum eſt, ſequitur quòd per ipſam ſapientiam Deus omnia producit. Et ideo dicitur de iſta ſapiẽtia quæ verbũ Dei eſt. Omnia per ipſum facta ſunt. Quod & nunc oſtendit Pſal. dicens, *Omnia in ſapiẽtia feciſti.* Et per hoc vult oſtẽdere Pſal. quòd Deus per filium ſuum, qui ſapientia patris dicitur: ſicut omnia creauit, ita illa ſapientia omnia redemit & recreauit. Ad quod ſequitur, quòd impleta eſt terra poſſeſſione tua. Per terrã enim eccleſia deſignatur vt dictum eſt. Poſſeſſio autem dei dicũtur fideles. vide ſupra. Quid eſt ergo, *Impleta eſt terra poſſeſſione tua:* niſi quia omnia quæ in ſapientia feciſti: in ſapientia redemiſti? ideo eccleſia tua impleta eſt fidelibus.

*Non totum de verbo ſapiẽtia ſine filio Dei.* *Ariſtot.* *1. Sentẽtiarũ.* *Filio Dei qui eſt ſapientia omnia ſunt facta.* *Sap. 7.* *Philoſophus.* *Ioan. 1.*

## Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. 1779

Hic conſequẽter agit Pſal. de prouiſione illorũ quæ habitant in aquis. Et diuiditur in partes duas. quia primò deſcribitur maris ampla capacitas. ſecũdò eius magna vtilitas: ibi, *Animalia puſilla.* Quãtum ad primum ſciendũ quòd hic loquitur de mari Oceano quod totã terrã circũdat: ad quod omnes aquæ cõfluunt quod eſt magnũ & latum: quia realiter totã ſpheram elementi aquæ continet. Et ſic eſt mare ſpacioſum: *Manibus.* Dicit Nicolaus de lyra: quòd hic ly manibus, eſt dictio hebraica ſignificãs duo: ſcilicet manus & loca. Et ſi ſignificet manus, eſt ſenſus, quòd illud mare eſt ſpacioſum ad operandum manibus, id eſt ad remigandũ quod ſit manibus. Si autẽ ly manus, ſignificet loca: tunc eſt ſenſus quòd in illo mari ſunt multa & diuerſa loca. quia multo maius eſt tota terra. Vel aliter ſecũdum Grammaticos, Manes, maniũ, manibus, accuſatiuo manes: dicũtur dij infernales, qui in illo mari frequenter apparent. Propter quod ſubditur, *Illic reptilia quorum non eſt numerus.* ſcilicet vel piſces diuerſi generis: qui à nobis numerari non poſſunt. Vel ſecundum gl. *Illic reptilia quorum non eſt numerus.* id eſt, mali ſpiritus quorum inſidiæ ſerpunt: quorũ inſidiæ ſunt innumerabiles, & incautos occupant. Per hoc vult oſtendere pſal. quòd mare huius ſeculi periculis eſt plenum, & dæmonũ inſidiis. quod cautelosè eſt tranſeũdum: vt ad portum perueniamus ſalutis. Et ad ſtellã maris eleuãdi ſunt oculi: ne in ipſo operamus: ſcilicet ad glorioſam virginẽ Mariam. De quo mari ait Bernardus in ſermo. Maria merito nuncupatur ſtella maris: quia exemplo virtutum præradiat vniuerſis. In hoc etenim mundo quaſi in mari magno & ſpacioſo ſumus. Illic reptilia quorum non eſt numerus: maligni ſcilicet ſpiritus, piratæ crudeles. Quod ſi ventũ tentationis immittant: ſi fluctus iræ ſuperbiæ vel alteriũs vicij in nos iactent: ſi ſcopulis aduerſitatum nos illidãt: ad hãc ſtellam erigatur deuotè oculus cordis: & eius beneficio tempeſtas in auram gratiæ reducetur.

*Nicolaus de lyra.* *Manes ſunt dij infernales.* *Gloſa.* *Bernard.*



Quanta autem huius maris mundi ſint pericula, figuraliter oſtenditur per illas tres ſyrenas quæ in mari habitant. vide verſi. 653.

## 1780 Animalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt.

Hic ponitur maris vtilitas. Aduertendum tamẽ quòd prima pars verſus, ſcilicet, *Animalia puſilla cum magnis:* ſpectat ad verſum præcedẽtem. Quia dictũ eſt quòd in mari ſunt reptilia quorum non eſt numerus. ſubdit, quia ibi ſunt animalia parua cũ magnis. In mari enim ſunt multi piſces valde parui: & aliqui valde magni. Per hoc enim vult oſtendere Pſal. quòd in præſenti mũdo ſunt multi infideles: aliqui magni ſcilicet & potentes: aliqui autẽ parui & puſilli: quos infideles per animalia ſignificat, qui fideles perſequuntur. Vnde gl. ait, *Animalia puſilla cum magnis.* id eſt infideles puſilli & magni qui nondum crediderunt: qui oderunt eccleſiam: ſed Chriſti nomine præmuntur, ne ſæuiant vt volunt. Vel per animalia puſilla intelliguntur in mundo humiles: & per magna ſuperbi: quę animalia puſilla dicuntur volucres. Vnde de arbore Daniel. qua ſignificatur eccleſia: dicitur Dañ. 4. quòd ſubtus arborem habitabant animalia & beſtiæ: & in ramis eius volucres cœli conuerſabantur. Per arborem enim illam vniuerſalem eccleſiam accipe: quæ etiã mare propter multas preſſuras quas patitur, dicitur: *Hoc mare magnum, &c.* In ramis eius cõuerſantur volucres, ſcilicet animalia puſilla per humilitatem cæleſtia cõtemplantes: & vt prælati aliis ſuperintendentes: ſed ſubtus eam animalia magna & beſtiæ manent: quia terreni & ſuperbi peccatores per humiles & ſpirituales debent regi, & nõ regere. Sed vt notant doctores: hodie videbis mirabile: quia rectus ordo peruerſus videtur. Sic quòd animalia & beſtiæ habitent in ramis arboris eccleſiæ: ſed volucres conuerſentur in terra. quia animales & beſtiales ad prælationes altas eriguntur: ſed ſpirituales, boni, & humiles ſub arbore in terra & in abyſſo relinquuntur. Quod admirãs Ricardus exponẽs prædicta verba Daniel. dicit, Rectè in ramis arboris magnæ eccleſiæ quaſi in ſublimioribus conuerſantur volucres cœli. quòd ſpirituales viri & humiles cæleſtibus ſuccenſi deſideriis, merito debent in auctoritate erigi: & honore digno ſuper alios ſublimari. Sed ſubtus eam habitabãt animalia magna & beſtiæ. Ergo in imis animalia & beſtias coercebat: puſillos & ſpirituales ſubleuabat in alta. Diſcãt ergo prælati noſtri: diſcant hic quid facere debeant: diſcant inquam in diſciplinatos & animales premere mores: honorare & attollere bonos. Quid quæſo hoc generis mõſtrum: quod noſtri temporis arbores vrſos portãt in ramis ac leones. Volucres verò cœli & quælibet pennata animalia, contra naturæ iura premunt in imis. Quid quæſo eſt quòd facitis: qui bruta & beſtialia corda in ſublime attollitis: & velut ad aëra ſuſpenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? Nam dũ eos ad alta ſuſpenditis, eis vtiq; ruinas præparatis. Cõuerſentur volucres cœli in ramis, locumq; teneant in ſummis, quos pẽna ſubleuat ſanctitatis. Animalia verò & beſtiæ in imis reſideant. Et qui pronos vultus habent ad terram per appetitum carnis: diſtrictionem ſentiant piæ ſeueritatis & iuſtæ humiliationis. Eſt enim contra rationem: quòd rationale ab irrationali regatur. Quoniam vt ait Apoſtolus 1. Cor. 2. Animalis homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus Dei: ſpiritualis aũt iudicat oĩa. Vnde Greg. dicit, Nequaquam noſmetipſos intuemur, vt ſciamus aliud in nobis eſſe rationale quod regit: & aliud animale quod regitur, niſi ad ſecretum mentis redeuntes, ab omni exterius occupatione ſeparemur. Et tũc in ſemetipſo vel quæ præeſſe debeãt viriliter, vel quę ſubeſſe poſſint infirma diſtinguit: vt aliud ſit quòd in illo regere debeat tanquam vir & rationale: & aliud tanquam animale & fœmina quod regatur. Ex quibus patet quòd non ſolum in eccleſia, ſed etiam in quolibet homine ſunt animalia puſilla cum magnis, beſtiæ & volatilia, ſuperbi & humiles motus. Ex malo ergo iſtorum regimine, ſcilicet quòd animalia regant, & volucres regãtur: quòd animalia ſtent in ramis eccleſiæ, & volucres in terra: hodie deſtructum eſt vtrunq;, ſcilicet, animalia & volucres & ſpirituale & temporale: vt Hieremias prophetauit, dicens, Propter malitiam habitantium in ea, ſcilicet in eccleſia conſumptum eſt animal & volucre. Tamen his non obſtantibus Deus fideles gubernat & regit. Vnde ſequitur. *Illic naues pertranſibunt.* Secundum literam hic notatur vtilitas, quia ad hoc naues petranſeũt mare: vt bona in vna terra abundãtia per nauigium deportentur ad aliam terram vbi deficiunt: & ecõtrario. Quãtum verò ad intellectum prophetæ prædictũ: per nauem ſignificatur eccleſia fidelium: quam inter huius mũdi procellas, inter animalia puſilla & magna Deus gubernat & regit. Vnde eccleſia dicitur nauis Simonis petri, quam Chriſtus aſcendit, Lucæ 5. Hæc eſt nauis ſine qua in mari huius mũdi nemo ſaluari poteſt: figurata per nauim vel arcã Noe: in qua omnes exiſtentes ab aquis diluuij ſunt ſaluati, cæteris ſubmerſis. Geñ. 7. De qua naui eccleſiæ dici poteſt illud Act. 27. Niſi in naui manſeritis: ſalui fieri nõ poteritis. quia extra catholicam eccleſiam nõ eſt ſalus: nec aliquis poteſt ſaluari. vt ait Greg. lib. 14. moral. cap. 2. lib. 23. c. 4. lib. 35. c. 5. & 6. Et 1. q. 1. teneamus 24. q. 1, quia ex ſola. Et vide quàm propriè eccleſia dicitur nauis. Quoniam ſicut multa ligna copulantur ad faciẽdum nauim, ſic in eccleſia fidelium multudo per fidem vnitur. Huius nauis gubernator eſt Chriſtus. arbor eſt ſanctiſſima crux. velum charitas: ventus impellẽs ſpiritus ſanctus: anchora ſpes: ſentina, peccatorũ frequens meditatio. Et de hac naui dicitur Marc. 8. quòd Ieſus aſcendit nauem cũ diſcipulis ſuis. Hæc ergo nauis pertranſit mare huius mundi. quia nauicula Petri impelli fluctibus poteſt & agitari: ſed Chriſto iam regente, ſubmergi non poteſt. 24. q. 1. à recta ergo. & multis cap. ſequentibus. Et non mireris ſi in plurali dicit naues: quia quamuis ſit vna vniuerſalis eccleſia: ſit vna fides, & vnũ baptiſma: plures tamen ſunt particulares eccleſiæ: de quibus nunc ait. *Illic naues pertranſibunt.*

*Animalia puſilla & magna ſunt humiles & ſuperbi in eccleſia.* *Humiles & ſuperbi regere debẽt: ſed ſuperbi regi & ſubiici.* *Ricardus.* *1. Cor. 2.* *Gregorius.* *Hierem. 12.* *Nauis ſignificat eccleſiam.* *Luc. 5.* *Geneſ. 7.* *Act. 27.* *Gregorius.* *Marc. 8.*

## Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. 1781

Hic Pſal. declarat prouiſionẽ diuinã generaliter circa omnia. Notandũ tamẽ ꝙ iſta prima pars verſus ſpectat ad verſum præcedentem. quia dictum eſt quòd in mari iſtius mundi ſunt animalia puſilla cum magnis. ſequitur quòd ibi etiã eſt draco quẽ formaſti ad illudendũ ei. Vbi notandũ ꝙ literaliter

M iſte

*Draco dicitur cœtus.*

iſte draco exiſtens in mari, dicitur quidā piſcis magnæ quātitatis qui alio nomine dicitur cœtus. Geneſ. 1. Creauit Deus cœte grādia. In Iob autem vocatur Leuiathan. Vnde cū dicitur Geñ. 1. Creauit Deus cœte grādia. in Hebręo dicitur, Creauit De⁹ dracones magnos. Iſte draco vel cœtus creatus eſt ad illudendum ei: vel ſecundum aliam literam ad ludendum in eo. Vnde ly, ad, non tenet cauſatiuè. vt ſcilicet ad hoc ille draco ſit creatus vt ſibi illudatur ab aliis piſcibus: ſed magis tenet conſecutiuè. quia ad eius formationem conſecuta eſt eius illuſio. Quæ illuſio talis eſt. Nam piſcis ille ſiue draco cùm ſit magnus corpore, multo cibo indiget: propter quod alios piſces multum inſequitur, vt eos deuoret. Propter quod alij piſces videntes cœtū: naturali inſtinctu fugiunt ab eo: & vadunt verſus littus maris: vbi cœtus magnus corpore vorare ipſos non poteſt propter paruitatem aquæ. Vnde & cœtus eos inſequēs impingit ad terram. & ſic nō valens ibi natare à piſcatoribus occiditur. Et ſic ab aliis piſcibus ei illuditur. Per hoc vult Pſal. oſtēdere diaboli poteſtatem in hoc mundo à Chriſto ſuperatam, & ſibi fuiſſe à Chriſto illuſum: vnde & captiuatus fuit. Vbi notandum quòd per iſtū draconem corpore magnū diabolus intelligitur: qui in forma ſerpentis tentauit primos parentes. Qui ideo magnus dicitur, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Sed dum per mare huius mundi alios piſces, id eſt, fideles deuorare vellet: peruenit ad Chriſtum, à quo per eſcam ſuę carnis illuſus fuit & captus. Vnde iſtam materiam ad literam tractans Greg. lib. 33. moral. ſuper illo verbo Iob 40. An extrahere poteris Leuiathan hamo: ſic dicit, Leuiathan quippe additamentum eorum dicitur. Quorum videlicet niſi hominum: quibus ſemel culpam præuaricationis intulit: & hanc vſq; ad mortem quotidie peſſimis ſuggeſtionibus extēdit: Quibus dum peccatū multiplicat: pænas proculdubio ſine ceſſatione coaceruat. Poteſt etiā per irriſionem vocari Leuiathan. Primò quippe homini perſuaſione callida diuinitatē ſe additurū promiſit: ſed immortalitatem tulit. Additamētum ergo hominum per irriſionem dicitur: dū hoc quod non erant ſe addere promiſit: etiam hoc quod erāt fallēdo ſubtraxit. Sed Leuiathā iſte illuſus à Chriſto hamo captus eſt; quia dum in redemptore noſtro per ſatellites ſuos eſcam corporis momordit: diuinitatis illum aculeus perforauit. Quaſi hamus quippe fauces glutientes tenuit: dum in illo & eſca carnis patuit quam deuorator appeteret: & diuinitas paſſionis tempore latuit, quæ ipſum necaret. In hoc ergo mari, vel aquarum abyſſo, id eſt, in hac numeroſitate generis humani ad omniū mortem inhiabat, vitam penè omnium vorans: huc illucq; aperto ore cetus ferebatur. Sed ad mortē ceti iſtius in hac aquarū caliginoſa profunditate mira diſpoſitione hamus eſt ſuſpēſus. Huius hami linea eſt illa per euāgelium antiquorum patrū propago memorata. Nam cum dicitur Abraham genuit Iſaac: Iſaac genuit Iacob: cumq; cęteri ſucceſſores interpoſito Ioſeph nomine vſq; ad Mariam virginem deſcribuntur deſponſatam: quaſi quædā linea torquetur: in cuius extremo incarnatus dominus, id eſt, hamus iſte ligaretur: quē in his aquis humani generis dependērem aperto ore iſte cœtus appeteret: ſed eo per ſatellitū ſuorum ſeuitiā morſu mordendi vires vlterius non haberet. Ne ergo iſte cœtus humanis morſibus inſidiās quos vellet vltra deuoraret: hamus hic fauces raptoris tenuit: & ſeſe mordentem momordit. Sequitur, *Omnia a te expectant, vt des illis eſcam in tempore.* Hic in Hebræo incipit verſus: & in tranſlatione Hieronymi. vbi Pſal. declarat prouiſionem diuinam generaliter ad omnia animantia tam in aquis commorantibus quàm in terra. Et circa hoc duo facit. quia primò oſtendit erga creaturas diuinam bonitatem. ſecūdò diuinam poteſtatem. ibi, *Qui reſpicit terram.* Prima in duas: quia primò deſcribitur diuina bonitas. ſecundò ex hoc deo agit gratias: ibi, *Sit gloria,* Circa primum primò oſtenditur creaturarum neceſſitas. ſecundò diuinæ bonitatis largitas. ibi, *Dāte te.* Quantum ergo ad primum dicit, *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore.* Expectare enim idem eſt quòd deſiderare vel extra petere. Cū enim humor radicalis vitam cuiuſlibet animalis cōſeruet: qui per calorem naturalem conſumitur: ideo exteriori cibô omnia animalia indigent ad humorem radicalem fouendum. Et ſic omnia naturali inſtinctu deſiderāt à deo ab extra ſibi dari cibum. Et hoc eſt quod aliis verbis dicitur, Pſal. 144. Oculi hominum in te ſperant domine: & tu das illis eſcam in tempore opportuno.

*Gen. 1.*

*Cœtus quomodo illuditur & capitur.*

*Grego. 33. moral. c. 12.*

*Diabolus à Chriſto fuit illuſus & captus.*

*Draco diabolus à Chriſto qualiter fuit captus.*

*Hieronym.*

## Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate. 1781

Hic oſtenditur diuinæ bonitatis largitas. Et oſtenditur primò quantæ ſit liberalitatis. ſecundò quantæ ſit neceſſitatis. ibi, *Auertente.* tertiò quantę ſit poteſtatis. ibi, *Emitte ſpiritū.* Quantum ad primū ſciendū quòd aliqua ſunt animalia quæ de victualibus prouiſionem ſibi faciūt: vt ſunt homines qui tēpore meſſis frumenta colligunt pro tēpore hyemali. Sic & formicæ faciūt. Alia autē ſunt quæ nō colligunt, ſed de die in diē eſcā ſibi quærūt: vt ſunt aues, & animalia fera maximè. De primis dicit, *Dāte te illis colligent.* Vnde de formica dicitur Prouerb. 6. Vade ad formicā ô piger, & cōſidera vias eius; & diſce ſapientiam: quæ parat in æſtate cibum ſibi: & congregat in meſſe quod comedat. De aliis verò ſubditur. *Aperiente autem te manum tuam omnia replebūtur bonitate.* Quia etiā talia animalia Deus paſcit: de die in diem ſibi parat eſcas. Et hoc eſt quod ait Chriſtus Matth. 6. Reſpicite volatilia cœli: quoniā nō ſerunt, neq; metunt, neq; cōgregant in horrea: & pater veſter cęleſtis paſcit illa. Per hoc vult oſtēdere Pſal. quòd omnes tam boni quàm mali eſcas ſuas habent à Deo. Vbi notādum quòd in mundo ſunt duo capita quæ faciunt duo corpora myſtica: ad quæ omnes homines reducuntur. Primū caput eſt Chriſtus qui eſt caput omniū fideliū: & ſic omnes fideles ſunt corpus Chriſti myſticū. Secūdum caput eſt diabolus, qui eſt caput omniū iniquorū. cuius corpus faciūt omnes mali. Et tamē omnibus iſtis dat Deus eſcā ſuā. Sed attende quòd alia eſt eſca corporis Chriſti: & alia eſca diaboli. Vnde hic ait gl. Habet iuſtus cibum ſuū: habet & draco. Cibus draconis terra eſt: cui dictū eſt, Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. quia peccatores qui terrena amant, cibus diaboli ſunt. Cibus autem iuſti eſt verbum Dei. Matthæus 4. Non in ſolo pane viuit homo, &c. Si ergo bene vixeris, cibum Chriſti habebis. Si verò à Chriſto receſſeris, cibus draconis eris. Et tamen nullus iſtorum cibum ſuum poteſt habere niſi tu deus dederis: quia *dante te illis colligent.* Ante enim quàm dederis illis, ſcilicet dæmonibus: ipſi nō poſſunt colligere, nec tentare. Et hoc eſt, *dante te illis colligent.* id eſt, dante te illis licentiā tentandi, illi tentare poſſunt: & non aliter. Per tentationes autem multos in cibum ſibi colligūt. Deinde de cibo bonorum dicitur, *Aperiente te manum tuam: omnia replebūtur bonitate.* Manus enim Dei Chriſtus eſt, quæ aperitur cū reuelatur. Quaſi dicat, à ſe non habent iuſti intelligentiam verbi diuini, nec ad bonum: ſed à Chriſto aperiente manum ſuam, id eſt, reuelante ſeipſum. Hic cadit dubium vtrum iuſtis liceat temporalia congregare. Conſimiliter dicitur Pſal. 144. Aperis tu manū tuā & imples omne animal benedictione.

*Prouerb. 6.*

*Matth. 6.*

*Cibus diabol.*

*Gen. 3.*

*Cibus Chriſti & bonorum.*

*Pſal. 144.*



## 1783 Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficiēt, & in puluerem ſuum reuertētur.

Hic oſtendit quantæ neceſſitatis nobis ſit diuina bonitas. Quia ſi deſinat ſua bonitate præſtare nobis ſua beneficia, ſtatim omnia animātia morerentur: quia diu ſine cibo manere non poſſunt. Facies namq; dei dicitur eius dilectio. vide verſ. 392. Ex dilectione autem dei nobis conceditur vt terra, aër, & aqua fructus ſuos producāt: ex quibus vita animaliū conſeruatur in eſſe. Eſt ergo ſenſus, *Auertente autem te faciem tuam.* ſcilicet, tuam bonitatem à nobis fructus neceſſarij non producuntur. Et ſic omnia animalia fame turbarētur & morte deficerent. Vnde ſubditur, *Auferes ſpiritum eorum,* id eſt, vitam ipſorū: *& in puluerem reuertentur.* ſcilicet in terram quæ puluis eſt, de qua ſunt creata animalia irrationabilia, & homo quo ad corpus. Per hoc autē vult oſtendere Pſal. quòd nulla virtus in homine remanere poteſt, niſi deo efficiente: quia ſtatim vt auertit Deus faciem ſuæ gratiæ à nobis, cadimus: & nulla virtus in nobis vireſcere poteſt. Quid enim proficiet prædicator auditoribus, ſi ab eis auertatur gratia Dei? Certè nihil. Et hoc eſt quod dicitur Iob 12. Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur. Quod exponēs Greg. ait. Aquarum nomine ſpiritus ſancti gratia accipitur, Chriſto dicēte, Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuę, hoc autē dicebat de ſpiritu ſancto. Ait ergo de his aquis. Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur. Quia ſi ſpiritusſancti gratia ab audientis mēte ſubtrahitur, areſcit protinus intellectus, qui iam per ſpem virideſcere in audiēte videbatur: &c. Vel aliter vt ſonet in bonum: vt per faciem intelligantur proſpera: ſicut per dorſum aduerſa. Et ſic auertit Deus faciē ab aliquo, & dorſum vertit ad illū: quādo aufert ab ipſo proſpera & immittit aduerſa, vt ſpiritus ſuperbiæ deficiat in ipſo: & ſpiritus humilitatis formetur. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Gregor. ſuper illo verbo Iob 34. Deficiet omnis caro ſimul: & homo in cinerem reuertetur. dicens, Simul omnis caro deficit, quādo iam nullis ſuis motibus ſeruit: quia præſidens ſpiritus cuncta eius fluxa reſtringit: & quodam diſcretionis ſuæ gladio, omne quod in illa malè viuebat, interficit. Et infra, Nam quanto quiſquis incipit ſuperius viuere: tanto & inchoat inferius interire. Iuxta effectum namq; carnalis operationis omnis caro paulo ſimul defecerat, cùm dicebat, Viuo ego iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Vnde & rectè ſubditur, Et homo in cinerem reuertetur. In peccato enim quiſq; poſitus mortalitatis ſuę obliuiſcitur: & terram ſe eſſe non meminit: dum adhuc per ſuperbiam inflatur. Poſt conuerſionis verò ſuę gratiam cum humilitatis ſpiritu tangitur: quid ſe eſſe aliud quàm cinerem recordatur? Sic enim Abraham in puluerē reuerſus fuerat dicens, Loquar ad dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Et ſi viuentem carnem necdum in terra mors ſoluerat: hoc tamē apud ſe erat, quòd ſe futurum abſq; dubitatione præuidebat. Hinc aliàs dicitur. Auferes ſpiritum eorum & deficient: & in puluerem ſuum reuertentur. Quis autem eorum ſpiritus, niſi ſpiritus ſuperbię nominatur? Tollatur ergo ſpiritus eorum, & deficient: id eſt, ſubducto ſuperbiæ ſpiritu, nihil de ſe ſe eſſe cognoſcent. & reuertātur in puluerē. id eſt humilientur ex infirma cōditione propter hunc puluerem: ad cuius memoriam qui ſeipſos conſiderant, reuocantur. Ad iſtum etiam intellectum hunc verſum exponit gl. hic, dicēs, Multi repleti bonitate dei ſibi tribuunt quod habēt: & facti ſunt ſibi placentes. Volens autem eos probare Deus quòd à ſe hoc non habent, ſed à deo: vt ea bonitate habeant humilitatē, aliquando ipſos perturbat: auertit ab eis faciem, & cadunt in tentationem. Et ita oſtendit illis quia quòd iuſti erāt, & rectè viuebant: eo regente fiebat. Sed quare metuebas? Ecce per hoc. *Auferes ſpiritum eorum,* id eſt, ſuperbiā, & *deficient* omnino vt conuertantur & clament, *Defecit ſpiritus meus:* de peccatis pænitentes: *& reuertentur in puluerem,* id eſt, ſe eſſe puluerem cognoſcent.

*Gratia remota prædicatio non proficit.*

*Greg. 11. moral. 6.*

*Greg. 24. moral. 26.*

*Galat. 3.*

*Gen. 18.*

*Auerſa humiliant.*

## Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. 1784

Hic oſtēdit diuinæ bonitatis poteſtatem. Quia ſicut deo auertēte ſuam bonitatē omnia deficiunt: ſic illam emittente omnia quæ defecerant, renouātur. Patet in naturalibus: quia plantæ, arbores, & herbæ quæ in hyeme defeciſſe videntur: deo in vere emittente ſpiritum ſuum, id eſt effectum ſuæ voluntatis vel bonitatis: iterum creari videntur & reuiuiſcere. Et per hoc terra renouari videtur: quia de nouo ornatur floribus, foliis, herbis, & fructibus. Per hoc autem vult oſtendere Pſal. quòd ſicut Deo auertente a nobis faciem bonitatis omnis in nobis deficit virtus: ſic & ſe ad nos conuertente per gratiā, omnis virtus perdita recuperatur. quia non minoris poteſtatis eſt ſua gratia quæ per ſpiritum ſignificatur ad viuificādum, quàm fuerat peccatum noſtrum ad mortificādum. Et hoc eſt quod ait. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur,* ſcilicet homines noui efficientur in virtutibus. Homo enim dū de ſtatu culpæ venit ad ſtatum gratiæ, creari dicitur, & nouus homo effici. quia de non homine totali, fit homo rationalis: & de non grato fit gratus. Vel dicitur. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.* ſcilicet virtutes quæ prius erant perditæ creabuntur. quia nō ille materialiter redeunt, ſed aliæ illarū loco Deus creat de nouo: ſicut & gratiam confert de nouo creatā. Et tūc facies terræ renouatur: ſcilicet eſſe hominis qui eſt de terra. vide verſ. 1736. Notādū ꝙ per ſpiritū ſanctū merito in virtutibus creari dicimur, & renouari. Cōſideremus igitur quos effectus ſpiritus ſanctus in animā facit ad quā deſcēdit: qui ſunt multi. Primò ſpiritus ſanctus eſt purgatiuus culpæ inficientis. gratia enim cū contraria ſit peccato, inſimul cum peccato ſtare non poteſt. ideo adueniente ſpiritusſancti gratia: ſtatim omnis expellitur culpa. Eſaiæ 4. Si lauerit dominus

*Spiritusſanctus in anima multa bona facit.*

*Eſa. 4.*

ſordes filiarum Sion: & ſanguinem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij & in ſpiritu ardoris. Sion enim ſignificat animas quæ Deũ per fidem debent cõtẽplari. Vnde & Sion ſpecula interpretatur. Per ſordes verò intellige peccata ſpiritualia. Prouerb. 30. Generatio quæ ſibi munda videtur, nõ eſt lota à ſordibus ſuis. Per ſanguinẽ vero peccata carnalia intelliguntur. Eſa. 1. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Iſta autẽ lauantur, & purgantur per ſpiritum ſanctũ: qui dicitur ſpiritus iudicij, quia bonos diſcernit à malis. Dicitur ſpiritus ardoris, quia animã ad dei amorẽ accendit, ad deſiderium æternorum. Hãc purgationẽ poſtulabat Dauid, dicẽs, Amplius laua me ab iniquitate mea, &c. Et infrà. Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritũ rectum innoua in viſceribus meis, &c. Secũdò ſpiritus ſanctus eſt infuſiuus gratiæ viuificantis. Anima enim ſine gratia ſpiritus ſancti mortua eſt. Ioan. 6. Caro nõ prodeſt quicquam: ſpiritus autem eſt qui viuificat. Figura Ezech. 37. de cãpo pleno oſſibus quæ ſpiritum nõ habebant: quæ per ſpiritũ flantẽ a quatuor ventis viuificata fuerũt. Quid enim per oſſa arida nõ habentia vitam, niſi animæ carentes vita gratiæ deſignantur? Sed per ſpiritum ſanctũ à quatuor ventis flantem viuificantur. Per quatuor ventos intellige quatuor conditiones quas ſpiritus ſanctus immittit, quibus anima vitam gratiæ ſumit. Primus eſt ventus aquilonaris. cuius principalis qualitas eſt ſiccitas: per quam defectus mũdanorum intelligitur: vt arida ab homine nihil reputẽtur. Per ventũ occidẽtalem, cuius principalis qualitas eſt frigiditas, intellige carnis mortificationem, per quam ardor carnalis concupiſcentiæ refrigeratur. Per ventum meridionalem: cuius principalis qualitas eſt humiditas: intellige miſericordiã & compaſſionẽ: quæ cor durum humectat. Per ventum verò orientalem: cuius principalis qualitas eſt caliditas: intellige amorem & charitatem. Ab iſtis ergo quatuor ventis ſpiritus ſanctus emittitur: quia dictas cõditiones per dictos ventos ſignificatas largitur: per quas anima prius mortua, reſuſcitatur per gratiã. Et hoc eſt quod dicitur Rom. 8. Viuificauit mortalia corpora noſtra per ſpiritum ſanctum habitantẽ in nobis. Vel per iſtos quatuor vẽtos intellige quatuor conſiderationes: quas ſpiritus immittit, ex quibus anima creatur ad vitam. Primus vẽtus ſcilicet orientalis eſt, cõſideratio noſtræ natiuitatis: ſcilicet quàm de vili materia ortus eſt. & iſte vẽtus immittit humilitatẽ. Secundus ventus ſcilicet occidentalis eſt: conſideratio mortis, & iſte immittit timorem. Tertius eſt auſtralis: qui eſt conſideratio mundanæ proſperitatis; quàm ſcilicet ſit breuis & incerta. Quartus eſt aquilonaris: qui eſt conſideratio mundanæ aduerſitatis, vt patiẽter toleretur, & iſte immittit fortitudinẽ. Tertiò principaliter ſpiritus ſanctus eſt collatiuus gloriæ quietantis. Pſal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Rom. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: ſi filij & hæredes, &c.

Prouerb. 30. — Eſa. 1. — Pſal. 50. — Ioan. 6. — Ezech. 37. — Venti quatuor quid ſignificent. — Rom. 8. — Pſal. 142. — Rom. 8.

1785 **Sit gloria domini in ſeculum: lætabitur dominus in operibus ſuis.**

Hic ex præmiſſis Pſal. Deo gratias agit. Vbi nota, quòd per ſeculum hic non intelligitur aliquod tempus determinatum: ſed æuum, quod fine caret. quaſi dicat, Gloria Deo detur ſine fine propter beneficia tot & tanta nobis impenſa. Lætabitur dominus in omnibus operibus ſuis. non quòd Deus ab operibus gloriam recipiat, qui in ſeipſo glorioſus eſt: ſed dum creaturas propter ſeipſum operatus eſt: gloriari in operibus, eſt in ſeipſo gloriari. vnde Proueb. 16. dicitur. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus. Loquitur enim more hominum, qui effectus ſuos diligunt: & per conſequens in eis lætantur. quia dilectio ſine lætitia eſſe non poteſt. Vel ſic loquitur propter vnitatem corporis cũ capite. Sicut enim mali lætantur cùm malè fecerint: ſic & iuſti delectantur in operibus bonis: & per conſequens lætantur in omnibus operibus dei: cum omnia ſint bona. Lætitia autem iuſtorum, dei dicitur eſſe.

Lætatur Deus & qualiter. — Prouerb. 16. — Prouerb. 2.

**Qui reſpicit terrã, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.** 1786

Poſt commẽdationem diuinæ bonitatis ſequitur commendatio ſuæ poteſtatis. Ad literam enim terram tremere facit Deus, quando virtute ventorum infra terram incluſorũ facit terræmotus. *Tangit montes & fumigant*. quando ictu fulguris, quod frequenter cadit in montibus, incendit ſyluas: & tunc fumigant: non ſolum quia naturaliter ex igne fumus procedit: ſed etiam quia ignis fulguris magis fumigat, quàm imflammat, vt experiẽtia docet. Per hoc enim vult oſtendere Pſal. quòd tãta eſt diuina poteſtas, quòd peccatores quãdo vult per cõtritionem conuertit. Et hoc eſt terram tremere facere. Peccator namq; terra dicitur, &c. vide verſic. 959. Reſpicit ergo terram, & facit eã tremere: quãdo oculo ſuæ miſericordiæ peccatorem reſpicit & ad cõtritionẽ inducit. ſicut de Petro legitur Matt. 26. Reſpexit dominus Petrũ: & recordatus eſt Petrus, &c. & egreſſus foras fleuit amarè. *Sed tangit montes & fumigant*. Quid enim mõtes, niſi huius ſeculi potentes accipimus: qui pro terrena ſubſtantia in altum tument. Hos montes tangit dominus, quando aduerſa eis immittit: vt ſeipſos cognoſcãt. Magnus mons ſuperbiæ erat Paulus, quãdo ſpirãs minarum, & cædis in diſcipulos domini: acceſſit ad principes ſacerdotum, &c. Hunc montem tetigit Deus quando circunfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terra audiuit vocem ſibi dicẽtem, Saule, &c. Hic mõs ſtatim fumum emiſit. Quid enim fumus lachrymarum eductiuus ſignificat, niſi cõtritionem vel orationem quibus Deus placatur? Sic enim dicitur Apoc. 8. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu angeli coram deo. Sic ergo iſte mõs ſuperbiæ tactus à deo ſtatim fumigauit per contritionẽ: fumũ orationis ad Deũ emiſit, dicens, Domine quid me vis facere? Iſtũ intellectũ ponit gl. hic, dicens. *Qui reſpicit terram & facit eam tremere*. quia peccatores reſpiciẽs dominus, ad tremorẽ cõtritionis inducit. quia melior eſt tremor humilitatis, quàm ſuperbia vitæ. *Ipſe tãgit mõtes & fumigant*. tangit montes ſuperbos per cõpunctionẽ vel amiſſionẽ rerum: & tacti fumigant: quia preces cõtriti Deo offerũt. Iſte autẽ fumus lachrymarum, quia fumus lachrymas educit, eſt purgatiuus: quia ex eo q lachrymas educit exterius, deſiccat interius. propter quod dicit Auicen. q omnes fumi ſunt deſiccatiui. Vnde fumus cõtritionis educẽs lachrymas per oculos: interius exſiccat iniquitatis torrentes: vt ipſis deſiccatis valeat anima melius inflammari amore diuino.

Reſpicere Deũ tremere facit peccatores per pænitentiam. — Matth. 26. — Superbos deus fumigare facit per contritionẽ vel orationem. — Fumus ſignificat cõtritionem vel orationem. — Auicen. 4. ca.

**Cantabo domino in vita mea: pſallam deo meo quàm diu ſum.** 1787





Hæc eſt tertia pars principalis: in qua ex omnibus præmiſſis concludit dei laudem. Et diuiditur in partes tres: quia primò gratias agẽs deum veneratur. ſecundò peccata ſua accuſat & confitetur: *Iucundum ſit ei*. tertiò pro peccatoribus orat vt conuertantur: ibi: *Deficiant*. Quãtum ad primum ſciendum. quòd vt dictum fuit. verſi. 389. cantate domino eſt in deo corde & voce lætari. pſallere verò eſt manibus & operibus dei obſeruare præcepta. Dicit ergo Pſal. *Cãtabo deo in vita mea*. quia in vita præſenti totam noſtram lætitiam in deum ferre debemus. Sed quia præcepta ad plenum hic ſeruari non poſſunt propter carnem repugnãtem. vt dicit Magiſter. li. 3. de. 37. de præcepto dilectionis dei vt in ipſum feramur omnibus viribus noſtris: ſed ſolum in patria perfectè adimplebitur. Ideo pſallere ſe dicit: non in vita præſenti ſed in futura. Poſt hanc enim vitam homo eſt, quia principalior eius pars exiſtit, ſcilicet, anima. Et hoc eſt quod ait, *Pſallam deo meo quandiu ſum*. Vel ſi volumus bene deum laudare in præſenti vita: ſibi per actum pœnitentiæ debemus canere. propter quod dicit, *Cantabo deo in vita mea*. Lacrymæ enim & gemitus pænitentium dulciſſimum cantum in auribus dei faciunt. Et hic eſt cantus quem deo pro gratiarum actione debemus reddere: qui omnibus peccatoribus ſuadetur. Eſa. 23. vbi cuilibet dicitur, Sume citharam: circue ciuitatem meretrix obliuioni tradita. bene cane: frequenta canticum vt memoria tui ſit. Meretrix dicitur quælibet peccatrix anima quæ relicto vero ſponſo Chriſto peccando, adulteratur cum diabolo. Cui dicitur, Facta es quaſi meretrix faſtidioſa. Hæc ciuitatem, ſcilicet, conſcientiæ ſuæ debet circuire conſiderando peccata ſua: & tũc bene canere, ſcilicet, cantu contritionis & pænitentiæ. & hoc in cithara quæ manu pulſatur: quia operibus bonis canticum ſuæ pænitentiæ debet oſtendere. Et de iſto cantu pænitentiali dicitur, Bonum eſt cõfiteri domino. Et ſequitur, In pſalterio decachordo cum cantico in cithara. Vbi nota quòd cantus pænitentiæ has conditiones debet habere. Primò, vt ſit in voce per confeſſionem. ideo pręmiſit, Bonum eſt confiteri domino. Secundò debet eſſe in opere per ſatisfactionem. propter quod ſubiungit, In decachordo pſalterio. Pſalterium enim vt ibidem dicit glo. à ſuperiori parte reddit ſonum. Et ideo per ipſum viuificatio ſpiritus ex pænitẽtia intelligitur. Pſalterio dico decachordo, id eſt, decem præceptorum: per quorum obſeruantiam ſpiritus in pænitentia viuificatur. Tertiò debet eſſe in moribus per concordantiam: vt, ſcilicet, cum moribus lingua concordet. Et ideo ſubditur, Cum cãtico in cithara. cum cãtico, id eſt, verbo: cum cithara, id eſt, opere. Si enim tantum bene loqueris: tunc canticum habes ſine cithara. ſi autem bene operaris, & non bene loqueris: citharam habes ſine cantico. & ideo in pęnitentia bene loquere & bene fac: vt ſit cithara cum cantico in carnis mortificatione. De iſto cantu pænitentiæ dicitur, Canite tuba, ſanctificate ieiunium &c. Et attẽde quòd (vt dicit Ricardus ſuper illud Pſal. 97. Cantate domino, quia mirabilia fecit.) tribus modis omnis cãtus diſtinguitur: quia aut eſt grauis: acutus: aut ſuperacutus. Sic in pænitentia debet eſſe cantus grauis per contritionem. cuius figura habetur. 2. Paralip. 35. vbi dicitur, quòd omnes cantores & cantatrices ſuper Ioſiam lamentantes repleuit, ſcilicet, omnes pænitentes vtriuſque ſexus per contritionem lamentantes Ioſiam mortuum, id eſt, Chriſtum per peccatum ab eis perditum. Item debet eſſe cantus acutus: hic eſt qui clarius ſonat: & ſignificat confeſſionem. Pſal. 105. Cantate ei: pſallite ei: narrate omnia, ſcilicet, veſtra peccata. Item ibi debet eſſe cantus ſuperacutus: qui ſignificat carnis mortificationem. in qua caro repugnans ſenſualiter ſemper clamat & ſtridet. Et ſic dicere poterit illud Abac. 3. Super excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem. Iſte eſt ergo pænitentiæ cantus, qui cuilibet ſuadetur. Ezec. 32. Fili hominum cane carmen lugubre ſuper multitudinem Ægypti, id eſt, peccatorum. Aegyptum enim interpretatur tenebra, quod peccatum ſignificat.

3. Sent. 24. — Eſa. 23. — Cur pænitẽtialis decantus. Ezech. 16. — Pſal. 91. — Iohel. 2. Ricardus. — 2. Para. 35. — Abac. 3.

**Iucundum ſit ei eloquium: ego verò delectabor in domino.** 1788

Hic Pſal. ſe accuſat & confitetur. Vbi notãdum quòd in ſcriptura nomine eloquij confeſſio deſignatur peccatorum. Sic enim de confeſſione dicitur Iob. 10. Dimittam aduerſum me eloquium meum. Quod ad propoſitum exponens Grego. dicit, Cum pręſens vita vileſcere, cũ conditoris amor dulceſcere ceperit: ſeipſum contra ſe animus accendit: vt accuſare ſe de culpis debeat: in quibus ſe ante ſupernorum neſcius defendebat. vnde ait, Dimittam aduerſum me eloquium meum. Quaſi pro ſe eloquio ſuo vtitur qui praua quæ geſſit defendere excuſationibus conatur. Sed aduerſum ſe eloquium dimittit: qui accuſat in ſe quod errauit. Sæpè verò cum delinquimus, ea quoque quæ agimus diiudicamus. accuſat mens ipſa quod perpetrat. Sed quia hoc ex deſiderio minimè deſerit, erubeſcit confiteri quod fecit. cùm verò toto iam iudicio carnis delectationem præmit: audaci voce in accuſationis ſuæ confeſſionem ſe erigit. Vnde bene ait, Dimittam aduerſum me eloquiũ meum. quia fortiter mens relaxare contra ſe verba deteſtationis inchoat: quæ apud ſemetipſam prius infirmè verecundata retinebat. Et de iſto eloquio confeſſionis nunc ait Pſalmus. *Iucundum ſit ei eloquium meum*. Sed forte dices, Cum eloquium confeſſionis debeat eſſe amarum: quia cum conteratur quomodo iſte ait, *Iucundum ſit eloquium meum*? Quod enim debeat eſſe amarum: audi Iob dicentem, Dimittam aduerſum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ. Quod exponens Gregorius ait, Sunt nonnulli qui apertis vocibus culpas fatentur: ſed tamen in confeſſione gemere neſciũt: & lugenda gaudentes dicunt. contra quos dicitur, Loquar in amaritudine animæ meæ. Qui enim culpas ſuas rectè deteſtans loquitur, neceſſe eſt vt has in amaritudine animæ loquatur. vt hæc ipſa amaritudo puniat: quicquid lingua per iudicium mentis accuſat. Si ergo amarum debet eſſe confeſſionis eloquium: quomodo Pſalmus ait. *Iucundum ſit eloquium meum*? Reſpondeo, quòd amarum debet eſſe ex parte confitentis: ſed iucundum ex parte Dei acceptantis. vnde nihil aliud eſt, *Iucundum ſit ei eloquium meum*: niſi deo ſit acceptum. Et hoc notat gloſa. dicens, Iucundum ſit ei eloquium meum, id eſt, eloquium meum quo me iudico me ſcienti: vt ſe mihi indicet neſcienti: ſit ei iucũdum. Et re vera ſic eſt: quia ſuauis eſt deo cõfeſſio tua. Quod autem hic ad litteram loquatur de eloquio cõfeſſionis: patet, quia vbi nos habem⁹

Eloquiũ dicitur confeſſio. — Gre. 9. moral. ca. 33. — Cõfeſſio debet eſſe amara. — Grego. — Confeſſio dicitur diſputatio.

iucũdum ſit ei eloquium meum:alia littera habet: ſuauis ſit ei diſputatio mea.vbi gloſa.hic,Diſputatio enim hominis ad deum eſt confeſſio peccatorum:quæ ſuauis eſt deo. Confitere ergo deo quod es:fac bona opera, & diſputas. Vnde Iob 13. dicitur.

*Iob.13.*

Cum deo diſputare cupio.Et verè confeſſio diſputatio quædam dicitur: quia in ipſa magnũ certamen homo ſuſtinet.Nam verecũdia arguit quòd non debeat confiteri quod ſecretum eſt quòd nullus famam ſuam negligere debet:quòd ſoli deo qui ſolus peccata dimittere poteſt,ſit confitendum.Ex alia verò parte arguit ratio. vulnus medico occultari non debet:& huiuſmodi.

*Cõfeſſio eſt magni certaminis.* *Greg 22.mor, ca.14.*

Intantum inualeſcit in mente peccatoris iſta diſputatio: quòd maioris certaminis eſt peccata commiſſa confiteri, quam nõ commiſſa vitare. Quod apertè oſtendit Gre.ſuper illo verbo Iob.31.Si abſcondit peccatum meũ quaſi homo, dicens, Mirentur qui volunt in Iob caſtitatis continentiam:mirentur integritatem iuſtitiæ: mirentur viſcera pietatis: miretur patientiæ vigorem. Ego verò in eo non minus admiror confeſſionem humilem peccatorum:quam tot ſublimia virtutum. Scio enim quia per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris eſt certaminis commiſſa peccata prodere, quam non commiſſa vitare. Et vnumquodque malum quamuis robuſtius vitetur:tamen humilius proditur. Beatus ergo Iob, qui tot magnis operibus fultus confiteri culpam non erubuit: oſtendit in virtutibus quam humilis fuit. Sequitur, *Ego vero delectabor in domino.* quaſi dicat Pſal. Circa confeſſionem peccatorum in me eſt diſputatio partium contrariarum: quia vna pars arguit quòd non: alia quòd ſic. Sed ego delectabor in illa parte: quæ arguit confitendum eſſe domino,& illam eligo. Et hoc eſt quod ait, *Ego vero delectabor in domino*, id eſt, in parte quæ arguit pro eo.

1789 Deficiant peccatores à terra,& iniqui ita vt non ſint:benedic anima mea domino.

*Deficit quiſque dupliciter.*

Hic pro peccatoribus orat vt conuertantur. Vbi notandum quòd res duobus modis dicitur dificere,ſcilicet, quo ad eſſe: & quo ad modum eſſendi. Quo ad eſſe, ſicut homo deficit quando moritur. ſic enim dicitur Iud.4.Defecit & mortuus eſt.

*Iudi.4.*

Quò verò ad modum eſſendi,ſicut quando quis calidus efficitur frigidus, albus niger, lætus triſtis. Trenn. 5.Defecit gaudiũ cordis noſtri.

*Trenn.5.*

Et iſto modo quando quis de bono efficitur malus, deficit à bonitate.& quando de malo efficitur bonus,deficit à malicia. Sic enim per pænitentiam peccator deficit ab eſſe peccatoris: & amplius peccator dici non debet.36.q.2.apud omnipotentem.

*Peccator per pænitẽtiã deficit quia amplius non eſt peccator.*

Iſto ergo modo hic Pſal. accipit deficere peccatorum: vt, ſcilicet, conuertantur vt amplius peccatores non ſint: dicens, *Deficiant peccatores à terra.* gloſa.Deficiant, ſcilicet,à peccatis ne iam ſint quod prius erant, ſcilicet, ipſorum auferantur peccata & mala voluntas. Et iniqui, ſcilicet, qui peccant, in proximos deficiant,ſcilicet,ita vt non ſint iniqui.Et quia ad laudem dei eſt quando ſic peccator deficit: vt ſic deo ſubiiciatur voluntariè; qui deo ante contrarius erat. Et per conſequens qui ſuis orationibus vel doctrina peccatorem conuertit, hic deum laudat. ideo Pſal. pro peccatoribus orans ſe deum laudare fatetur,dicens, *Benedic anima mea domino.*

## PSALMVS CIIII.

Confitemini domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter 1790
gentes opera eius.

Iſte Pſalmus talem habet titulum, Alleluia. Vbi ſciendum quòd ſecundum gloſa. hic eſt primus locus in quo in ſcriptura inuenitur alleluia. Eſt enim nomen Hæbraicum,quod nullus doctor Hebræus, Græcus vel Latinus propter ſui dignitatem vnquam mutare fuit auſus. Sicut amẽ primo in euangelio à Chriſto dictum reperitur.

*Alleluia quid ſit.*

Sciendum ergo quòd alleluia non eſt ſolum vna dictio, vt aliqui putant: ſed ſunt duæ dictiones ſimul compoſit, ſcilicet, allelu, & ia. Nam allelu, idem eſt quòd laudate. & eſt verbum imperatiui modi. ia verò eſt nomen domini. & eſt hic ia accuſatiui caſus. vnde alleluia idem eſt quod laudate deum. ia enim ſignificat deum, vt eſt inuiſibilis. Et ſic alleluia idem eſt quòd laudate deum inuiſibilem. Quod autem ab aliquibus dicitur quòd alleluia quatuor habet ſyllabas:per quas quatuor intelliguntur, ſcilicet, al. id eſt,altiſſimus.le,id eſt,leuatus eſt in cruce.lu, id eſt,lugebant apoſtoli.ia,id eſt,iam ſurrexit.etymologia eſt nominis,non ſignificatio. Iſtius ergo Pſalmi titulus eſt alleluia. quia totus iſte Pſal. nos mouet ad laudem dei ex ſuis operibus & beneficiis quæ contulit deus ſpirituali ſemini Abrahæ,id eſt, imitatoribus eius:quæ etiam & quotidie ſpiritualiter intellecta exhibet. De dignitate autem & excellentia iſtius nominis alleluia:ſic dicit Ioannes Caſſianus. Alleluia tantum habet honorem vt in Hebraica lingua ſit traditum, nulloq; alio ſermone tranſlatum. Hoc Græcus,hoc latinus,hoc chaldeus,hoc ſyrus,hoc perſa,hoc arabs,hoc tenet cũcta terrarum natio. Et quicquid eſt debitum diuinitati: dignitate huius nominis pia deuotione veneratur. Hoc nomen nulli ab ſonum: nulli abſurdum. quia omnes celebrant gaudia ſua cum huius nominis ſuauitate prolata. Eſt ergo ſenſus tituli,alleluia, id eſt, laudate deum. vnde & à laude dei hic incipit Pſalm.

*Hierony.*

Per titulum ergo quamuis appareat materia Pſalmi, non tamen apparet quis fuerit auctor. vnde & ſecundum Hieronymum auctor iſtius Pſalm. quis fuerit ignoratur. & ſic iſte Pſal. quo ad auctorem inter pſalmos ignotos computatur. Quibus viſis venio ad pſalmi diuiſionem. Diuiditur ergo in partes duas. quia pſalmus primò omnes ad dei laudem excitat. ſecundò ad hoc multiplicem rationem aſſignat:ibi, *Mementote.* Prima in duas. quia primò omnes ad dei laudem inducit. ſecundò modum laudandi deum oſtendit:ibi, *Cantate ei.* Quantum ergo ad primum omnes excitans ad dei laudem dicit, *Confitemini domino*, ſcilicet, confeſſione laudis. Multiplex eſt enim confeſſio, ſcilicet, quædam reorum damnatiua. quædam peccatorũ purgatiua:& quædam dei laudatiua. vide. ver. 81. Hic autẽ loquitur de confeſſione laudatiua. De hac confeſſione vide ver. 250.1468. Vnde ad veram confeſſionem laudis requiritur dilectio dei. propter quod hic ait gloſ.

*Gloſ.*

*Confitemini domino*, id eſt, laudate deum. quod rectè ſolum fit ab amante deum. Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. An autem exiſtẽs in peccato poſſit confiteri domino, vel ipſum laudare, quin nouiter peccet. vide verſi. 825. Sequitur, *Et inuocate nomen eius.* Inuocare enim deum

*[illegible] deũ [illegible]*

eſt actus ad quem duo requiruntur, ſcilicet, mentis puritas: & fidei credulitas. Requirit enim primò puritatem conſcientiæ. Nam cum ſcribatur Iohe.2. Quicumq; inuocauerit nomen domini ſaluus erit. & tamen peccatores deus nõ exaudit.

*Iohel.2.* *Ioan.9.*

ſequitur quòd peccatores deum nõ inuocant. Inuocare enim componitur ex in,& voco, vocas. & ſic inuocare idem eſt quòd intus vocare. Inuocas ergo deum quãdo intus vocas eum,ſcilicet, quando in domum cordis inuitas eum. Ad faciendũ primum oportet mundari ab omnibus immũdiciis. In turpi enim hoſpitio tãtum dominũ inuocare non debes. Mũdas autem cõſcientiæ hoſpitiũ,quãdo deũ vocas,nõ pro tẽporalibus, ſed ſolũm pro ſpiritualibus bonis. Si enim vocas deũ, vt det tibi lucrum, lucrũ inuocas nõ deũ. Si inuocas eum vt proſperis in furto,furtũ inuocas non deũ. Gratis ergo,id eſt, ſine cauſa auare inuocas deum, vt te ipſe deus impleat. Nunquid ſine auro & argento non vis illum ad te venire? Quid ergo de his quæ facit tibi deus? Quomodo illa ſufficient tibi:cui deus non ſufficit? Secundò inuocare requirit fidei credulitatem. vide ver.204. Iſtis ergo modis inuocandus eſt deus, ſcilicet,cum puritate & fide. vnde nunc ait Pſal. *Et inuocate nomen eius.* Sequitur, *Annũciate inter gentes opera eius*, id eſt,cognoſcere facite in populis. Quæ autem ſunt opera dei quæ annunciare & prædicare debemus aliis. vide verſi. 657.1370.

1791 Cãtate ei, & pſallite ei:narrate omnia mirabilia eius.

Hic oſtẽdit modum laudis diuinæ. oſtẽdit enim quòd tripliciter debemus laudare deũ. Primò vniuerſaliter. Secũdò delectabiliter:ibi. *Laudamini.* Tertiò perſeueranter:ibi, *Quærite dominum.* Primò debemus deum laudare vniuerſaliter,ſcilicet, & quo ad nos & quo ad omnia eius opera. Quo ad nos primò:quia & intrinſecè & extrinſecè .i.corde & opere. Et quo ad hoc dicit, *Cãtate ei,& pſallite ei.* Cãtate quia cãtatur corde ore & voce. Pſallite, verò quo ad opera. pſallere enim eſt opere laudare:quia manib⁹ pſallitur. Quid autem ſit cantare deo. vide ver. 482. 1145.1643. Vel hoc intelligit de cãtu charitatis in conſonantia morũ.

*[illegible] ſignifi[illegible] charitate [illegible]*

Et de cãtu charitatis dicitur ad Eph.5. Impleamini ſpiritu ſancto loquẽtes vobiſmetipſis in pſalmis,& hymnis:& cãticis ſpiritualib⁹ cãtantes & pſallẽtes domino in cordib⁹ veſtris. Et vide quòd iſte cantus charitatis quo deo canere debeamus, directè opponitur cantui prauitatis & diaboli. vt oſtendit Hugo in de, 12. abuſionibus ſeculi. abuſione, 11. dicens, differt muſica Chriſti à muſica diaboli.

*Hugo.*

Illa enim cãticum ſuũ incipit à voce ſublimiori:hæc autem ab humiliori:dicens, Diſcite à me quia mitis ſum.

*Mat.11.*

In muſica ſiquidẽ Chriſti ſex ſunt voces conſonæ inter ſe & concordes. Prima vox concordiæ eſt humilitas cordis; ſecunda mortificatio carnis; tertia compaſſio; quarta conſolatio:quinta oratio;ſexta deuotio. In iſtis ergo ſex vocibus cantatur domino cantus charitatis. In his auditur iubilus vnitatis, conſonum melos deuotionis,& dulcedo contemplationis. Et ad iſtum cantum charitatis & concordiæ nos inducit pſal. dicens, *Cantate ei.* Et Hugo vbi ſuprà conſimiliter ad hoc nos inducens ait, Sunt tres ſpecies ſonorum quæ fiunt, pulſu, flatu, & cantu. Ad citharam pertinet pulſus:ad organum, flatus? cantus ad vocem. Aſſignatur hæc cõſonantia ſonorum: concordiæ morum:ſi referatur ad pulſum citharæ manuum operatio:ad flatum organi mentis deuotio: ad cantus vocis ſermonis operatio. Percute ergo chordas citharæ manu bonæ operationis: vt concordes proximo per exemplum mortificante carnis. Imple organum cordis flatu, id eſt,ſpiritu ſanctæ inſpirationis: vt reddas deo ſonum piæ deuotionis. Hæc ille. Et hoc eſt quod de iſto cantu quo deo canere debemus:nobis dicit apoſtolus. Sitis in gratia canentes in cordibus veſtris domino.

*Coloſſ.3.*

Ad quem nos conformiter nunc hortatur pſal. dicens, *Cantate ei, & pſallite ei.* Quid enim ſit pſallere: vide verſi. 708.771.772. Sequitur. *Narrate omnia mirabilia eius*, id eſt, loquimini de vniuerſis mirabilibus eius. Hoc eſt quaſi declaratiuum illius quod dixerat ſuperius. Annunciate inter gentes opera eius. niſi quòd hic additur omnia. & hoc ad determinãdum quòd laus dei debet eſſe vniuerſalis: non ſolum quo ad nos vt dictũ eſt:ſed etiam quo ad opera eius: vnde ait, *Narrate omnia mirabilia eius.* Sed quo modo omnia mirabilia dei poſſunt à nobis narrari, cum ſint ſine numero? vide verſi. 91. Et aduerte quòd non dicit monſtrate vel oſtendite omnia mirabilia eius:ſed narrate:quia mirabilia dei credi debent quæ inueſtigari non poſſunt à nobis. vide ver. 1182.1466. Et quæ mirabilia narrare debemus, vide verſi. 1268.657.1370.

Laudamini in nomine ſancto eius: 1762
lætetur cor quærentium dominum.

Hic oſtendit quòd deum laudare debemus hilariter. Omnia enim opera cum lætitia cordis debẽt fieri. quia omnia ex voluntate & libertate arbitrij procedunt. Omnia autem quæ ex voluntate procedunt, quandam ſecum delectationem gerunt. Omnis autem delectatio lætitiam cauſat.

*Lætitia debet eſſe in omnibus operibus bonis.*

Et hoc eſt quod dicitur. 2. Cor.9. Hilarem enim datorem diligit deus. Vbi ex bona electione quòd lætanter faciendum eſt, conformiter inducit gloſa. de omni alio bono opere:dicens, Hilarem enim datorem diligit deus, id eſt, qui ex voluntate bona dat talem diligit deus & remunerat:non triſtem murmurantem. Qui enim dat vt careat tædio interpellantis non vt reficiat viſcera indigẽtis: & rem & meritum perdit. Et ſubdit ad propoſitum. Quicquid ergo boni facis, cum hilaritate fac; & tunc bene facis. ſi autem cum triſtitia facis, illud fit de te: non tu facis. Similiter & cum bonum abſtinentiæ agimus:illud lætanter debemus facere. propter quod Chriſtus ait, Cum ieiunatis nolite fieri triſtes &c. vbi ait Hieronymus.

*Mat.6.* *Hierony.*

Hic præcipit vt cum ieiunamus:nos lætos & feſtiuos eſſe monſtremus. Similiter ergo deum laudando: læto animo hoc facere debemus. & hoc eſt quod hic ait Pſal. *Laudamini &c.* Lætetur cor &c. Vbi notãdum quòd quatuor ſunt quæ quaſi idem videntur: ſed tamen differunt ab inuicem, ſcilicet, laus, honor, gloria & fama.

*Laus honor gloria & fama differunt.*

Primò enim differunt:laus & honor à fama & gloria:tanquam cauſa ab effectu. Ex hoc enim quòd aliquis laudatur & honoratur:apud alios habet famam & gloriam. Honor etiam differt à laude tanquam genus à ſpecie; quoniam laus propriè ſtat in verbis, quibus aliquis honoratur & commendatur. ſed honor non ſolum eſt in verbis: ſed etiam in aliis ſignis exterioribus. vt dicitur primò rethorice.

*Ariſto.*

fama autem differt à gloria:quia ex honore fama procedit. Ex hoc enim quòd quis honoratur, conſequẽter laudatur: & ex laude ſequitur gloria: ex gloria

 autem

autẽ ſequitur fama. Ex quibus apparet quòd laus *Laudẽ ſoli boni merentur.* eſt honor verbis alicui exhibitus. Cum igitur honor nulli debeatur niſi virtuoſo, (vt habetur. 3. ethicorum. quia eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis.) ſequitur quòd conſimiliter ſolus virtuoſus & bene operãs laudem meretur. Vnde ſicut honorem vicioſo exhibere, eſt falſum dare teſtimonium. ſic & laudare non virtuoſum. Ad propoſitum ergo ait pſal. *Laudamini in nomine ſancto eius.* Non eſt aliud quam dicere, niſi ſic virtuoſe *Gloſa.* operamini ſub nomine ſancto eius: vt laude digni ſitis. Et hoc eſt quod hic ait gloſ. *Laudamini in nomine ſancto eius*, id eſt, operamini ſic, vt laudemini. quod bene operantes ſolum merito poſſunt. Sed *Laudẽ bonorũ operũ deo non nobis dare debemus.* ne ex bonis operibus tibi adſcribas laudem, ſed ſoli deo à quo bonum habes quo laudaris, ideo di- B cit, *Laudamini*, non in vobis: *Sed in nomine ſancto eius.* Vt qui gloriatur: non in ſeipſo: ſed in domino glo- *Hypocrite pugnant contra deum.* rietur. Quod dicit contra hypocritas qui de bonis operibus laudem ſibi quærunt, non deo. & ſic faciendo, furtum committunt. De quibus ait Grego- *Gre. 8. moral. ca. 27.* rius. Hypocritarum vita ad bona opera peragenda infuſione quidem ſuperueri muneris percipit: ſed in cunctis quæ agit exteriores laudes appetens: à fructu perceptæ infuſionis inaneſcit. Sæpe namque mira ſignorum opera faciunt: ab obſeſſis corporibus ſpiritus expellunt: prophetiæ dono ventura quæque ſciendo præueniunt. Sed tamen à largitore tot munerum cogitationis intentione diuiſi ſunt. quia per eius dona, non eius gloria, ſed proprias laudesquærunt. Cumque per accepta bona C ſeſe in laude ſua eleuant ipſis muneribus contra largitatorem pugnant. Inde quippe contra dantem ſuperbiunt: vnde ei amplius humiles eſſe debuerunt. Sed eo eos poſtmodum diſtrictrior ſententia percutit: quo nunc ſuperna bonitas & ingratos largius infundit. Fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis. quia irrigati fructum non ferunt &c. Contra iſtos ergo ait pſal. *Laudamini in nomine ſancto eius*, id eſt, omnem veſtram laudem nomini eius attribuite. Si autem quæras: quod eſt nomen ſanctum domini in quo *Gloſa.* laudari debemus. Reſpondet gloſa. quòd eſt nomen Chriſti: à quo Chriſtianus diceris in quo laudaris: quando Chriſtum imitaris operibus. Sed quia omnia iſta, non ex timore, ſed magis amore D iuſtitiæ lætanter ſunt facienda, ideo ſubdit. *Lætetur cor quærentium dominum.* Non quidem lætetur in ſeipſo: ſed in domino. Sic enim dicitur Pſalmus *Pſal. 149.* 149. Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum: & filiæ Sion &c.

## 1793 Quærite dominum, & cõfirmamini: quærite faciem eius ſemper.

Hic oſtendit quòd deum laudar debemus perſeueranter. Nullum enim opus ſine perſeuerantia laudem meretur, nec præmium: vt oſtendit Bernardus ſuper illo verbo Chriſti, Qui autem perſeuerauerit vſque in finem &c. dicens, Perſeuerantia ſola meretur viris gloriam: coronam virtutibus, &c. vi- E de verſi. 844. Et hanc nobis præcipit nunc Pſalm. dicens, *Quærite dominum & confirmamini*, gloſa. id eſt, quærite dominum vobis in præmium. vnde hic verſus eſt quaſi confirmatio præcedentis: vbi dictum eſt, quòd in omnibus noſtris operibus non laudem noſtram ſed domini quærere debemus. Quod nunc confirmans ait, *Quærite dominum, & non*

A *laudem veſtram &c.* Vbi nota quod hic quæritur dominus per fidem: ſed in futuro per clarã viſionem. In futuro autem fides non erit, ſed ceſſabit, adueniente ſpecie. Confirmatur autem fides in præſenti: quando durat vſque ad vltimum articulum vitæ. Sed viſio in futuro nullo termino finitur. Et ideo de vita præſenti dicit, *Quærite dominum & cõfirmamini*, ſcilicet, per fidem. De futura verò vita ſubdit: dicens, *Quærite faciem eius ſemper.* Ve ly ſemper, poteſt referri ad præſentem vitam & futuram. vt ſit ſenſus, *Quærite ſemper.* id eſt, in præſenti & in futuro. tũc enim ſine fine quæritur: quia qui amatur ſemper deſideratur & ſemper quæritur ne ſit abſens: ſed ſemper præſens. Malus autẽ poteſt timere præſentiam: quam bonus amat. Quomodo autẽ deus B quærendus ſit. vide verſi. 1125. Per faciem autem dei Chriſtus intelligitur: in quo totaliter beatificamur: & quo ad animam & quo ad corpus. vide ver. 150. 1374. Vel per faciem dei intellige verbum dei verſiculo 459.

## Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia & iudicia oris eius. 1794

Hic conſequenter Pſalm. recitat dei beneficia: quæ homines ad laudem dei excitant. Et diuiditur iſta pars in partes quinque ſecundũ quinque tempora quæ narrat: in quibus deus beneficia ſua contulit populo ſuo. Prima pars continet tempus ab C Abraham vſque ad Iacob: in principio. Secunda tempus à tempore Iacob vſque ad Ioſeph. ibi, *Et ſtatuit illud in Iacob.* Tertia à Iacob vſque ad Moyſen, ibi, *Et vocauit famem ſuper.* Quarta à tempore Moyſi vſque ad Ioſue. ibi, *Miſit Moyſen.* Quinta à tempore Ioſue vſque ad ingreſſum terræ promiſſionis. ibi, *Et eduxit populum ſuum.* Prima autem pars diuiditur in partes quatuor. quia primò implicitè dei mirabilia notantur. ſecundò auditores vt attendant excitantur: ibi, *Semen Abraham.* tertiò dei mirabilia ad omnes gentes perducuntur, ibi, *Memor fuit.* Quan- *Abrahæ deus fecit mirabilia.* tum ad primum ſciẽdum quòd tempore Abraham deus multa mirabilia pro ſuis operatus eſt. Vt pu- *Gen. 12.* ta quando Abraham cum vxore ſua ingreſſus eſt Ægyptum, Pharao rex Ægypti tulit Sara, vxorem D Abraham. vt habetur gen. 12. quia erat pulchra nimis? Deus autem miraculoſè flagellauit regem Ægypti: ſic quòd illam cognoſcere non potuit: ſed intactam reſtituit viro ſuo, ipſumque in multis ditauit: vt ibidem habetur. Similiter miraculoſè eius tempore ſubuertit pentapolim: igne cum ſulphure emiſſo de cęlo. & de medio ipſorum ſaluauit Loth: nepotem Abrahę per manum angelorum. Gen. 19. Similiter cum veniſſet Abraham in Gerare: Abi- *Gen. 19.* malech rex terræ tulit Sarram vxorem Abrahæ. Deus autem miraculoſè ipſam cuſtodiuit ne pollueretur ab eo. Nam vt habetur Geneſe 20. Deus *Gen. 20.* ſtatim in nocte apparuit ipſi regi Abimelech, dicens, En morieris propter mulierem quam tuliſti: redde eam viro ſuo. Reſtituit eam & munera E multa dedit ipſi Abrahæ. Et multa alia fecit tempore Abrahæ. vt patet ex decurſu libri Geneſe ab. 11. capitulo vſque ad capitulum 25. Et nota quòd *Mirabilia dicuntur prodigia.* iſta dei mirabilia vocantur prodigia. Prodigium enim dicitur, quaſi procul à digito, id eſt, ab oſtenſione. quia talium cauſa à nobis oſtendi nõ poteſt. vt puta quòd ſuper pentapolim plueret ignis & ſulphur: nullus naturalium cauſam poſſet aſſignare: nec



nec Dei voluntatem nobis occultam. Quòd vxor A Loth illo tempore verteretur in ſtatuam ſalis: cauſam nullus reddere poſſet. Propter quod prodigia vocantur. Et hoc eſt quod ait, *Mementote mirabilium eius quæ fecit.* quæ, ſcilicet, ſunt prodigia eius: ſunt & iudicia oris eius. Quòd ideo dicit: quia flagellatio dictorũ regum fuit quidam effectus diuinæ iuſtitiæ. effectus autem iuſtitiæ ſiue actus iudicium vocatur. Nota ergo quòd Dei memoriam & operum eius habere debemus. vide ver. 715. 1230.

## 1795 Semen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius.

Hic auditores excitantur. Cum enim ſemen in B ſeipſo gerat ſimilitudinem eius à quo deciditur: vnde & poſtea per illud aliud ſimile in ſpecie ge- *Semen dicuntur imitatores.* neratur. Et filius ſit ſemen patris, patet quòd filius patrem imitatur, & hinc eſt quòd omnes alterius imitatores, ſemen illius dicuntur. Sic enim illis lubricis iudicibus quia imitabantur chananeos in *Dan. 13.* ſuis immundiciis: ait, Semen chanaan & non Iuda. Sic & imitatores Iacob ipſius ſemen dicitur, Pſal. *Pſal. 21.* 21. Qui timetis Deum laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Merito ergo ſequitur quòd ſemẽ Abraham debet recordari de mirabilibus factis in ipſo Abraham vel tẽpore ſuo ſicut & ille recordabatur. Dicat ergo, *Mementote mirabilium eius*, &c. Sed qui ſunt illi qui debent recordari? Iſti C ſunt ſucceſſores Abrahæ: quia ſemen Abrahã ſerui *Gen. 22.* eius. Sic & conſequẽter filij Iacob electi eius. Vo- *Rom. 9.* cat enim Abrahã ſeruum propter actum maximũ obedientiæ quam oſtendit obediens Deo in immolatione ſui vnigeniti. Sed Iacob vocat electum: quia in ventre matris fuit à Deo electus: & Eſau reprobatus. Per hos ergo filios Abraham & Iacob vult intelligere omnes fideles iſtorum imitatores *Abraham fidei exemplũ ſit.* in fide: qui Dei mirabilia meditari debent. Notandum ergo vt imitari poſſimus Abraham quòd ipſe multarum virtutum nobis ponitur in exemplum, ſcilicet, fidelitatis: quia fuit citus credendorum amplexator. In ipſo enim primum ſignum fidei reperimus: ſcilicet, circuncisionem. ſicut in nouo teſtamento baptiſmus fideles diſtinguit ab infidelibus. *Gene. 15.* Propter quòd de ipſo dicitur, Credidit Abrahã deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Hoc ideo ad teſti- D monium ſuæ credulitatis adducit Apoſtolus ad Ro. 4. & ad Gal. 3. Vbi notandũ eſt quòd Abraham quamdiu fuit in domo patris: ſignum fidei non accepit, ſcilicet, circuncisionem: ſed poſtquã ad præ- *Fides non innititur naturalibus rationibus.* ceptum dei egreſſus eſt de domo ſua, & patris ſui. vt habetur Gen. 15. Et infra. Et hoc ad denotandum: quòd qui fidem vult ſuſcipere ad naturalia inſtrumenta non debet intendere vel rationes: ſed egredi de domo ſua: id eſt, intellectum ſuum captiuare in obſequium fidei. Vnde Origen. ſuper gen. ait, Abrahã cum adhuc carnalis natiuitatis vocabulum ferret: non poterat ſuſcipere teſtamentum Dei, fidei ſignum, circuncisionem. Et ideo exiuit de terra ſua, & de cognatione ſua: & ad eum ſecre- *Gen. 17.* tiora deferuntur, vnde primo dicitur ei. Non vocaberis Abram: ſed Abraham erit nomẽ tuum. Tunc E & teſtamentum Dei ſignaculum fidei accepit circuncisionem: quam non potuit recipere: cum eſſet in domo patris ſui & in conſanguinitate carnali. vt oſtendat volẽtem credere extra ſe & ſuos oportere exire, vt non ſenſibus ſuis, nec ſcientiis mundanis innitatur: ſed ab omnibus his exutus: ſoli Deo intellectum ſuum ſubiiciat. Sicut & Abrahã

A de quo ſcriptum eſt, Credidit Abrahã Deo: & re- *Gene. 15.* putatum eſt ei ad iuſtitiam. Et hinc eſt quòd in generatione Chriſti in quo noſtra fides conſiſtit, Abrahã primus pater ponitur: vt fidei typum gerẽs. Vbi notandum quòd ad veram fidem tria requiruntur, ſcilicet, fidei deuotio: operum fidei executio: & aduerſitatum pro fide toleratio. Quæ tria in Chriſti generatione denotantur, vt, ſcilicet, in Abraham fides, in Dauid operatio: in trãſmigratione Babylonis toleratio. vt oſtendit Gualfre. ſuper illo verbo Matt. 1. Ab Abraham vſque ad Dauid gene- *Matth. 1. Gualfredus.* rationes ſunt quatuordecim, dicens, In genealogia ſaluatoris triplex eſt diſtinctio, ſcilicet, ab Abrahã B vſque ad Dauid. à Dauid vſque ad tranſmigratio- *Fides tria requiritur.* nem Babylonis. & exinde vſque ad Chriſtum. Tria enim nobis neceſſaria ſunt ad ſalutem: vt quiſque in ſeipſo per fidem veram pariat ſaluatorem, ſcilicet, deuotio fidei, fortitudo operis, & tolerantia tribulationis. Abraham autem prima fidelitatis & credendi via eſt dictus pater multarum gentium. quia fides parens eſt omnium virtutum. Dauid autem manu fortis: formam exprimit ſanctæ actionis. Tranſmigratio autem in Babylonem: eſt ſubire confuſionem: ſuſtinere tribulationem. Quæ quãuis pluribus propter peccata ſua acciderit: indignatur tamen Deus his qui recalcitrant: & ſuſcipere diſciplinam recuſant. Poſt igitur iſtam tripli- C cem patrum ſeriem per fidem in nobis vere naſcitur Chriſtus. quia electus quiſque per hæc tria in fide ſaluatur. In ſingulis autem diſtinctionibus generationes quatuordecim numerantur. quia neceſſe eſt vt in omnibus decalogo legis quatuor euangeliſtæ fideliter ſociẽtur. Docemur enim in lege quid credendum per Abraham. quid agendum per Dauid. quid ſuſtinendum per Babylonis tranſmigrationem. Sed in his omnibus ſine euangeliorum fide lex neminem duxit ad perfectum. Vnde quia fides in Abraham ſignificatur: ideo ipſe multarum gentium, id eſt, omnium fidelium pater interpretatur, propter quòd de ipſo dicitur Eccl. 44. Abraham magnus pater gentium nõ eſt inuentus ſimilis illi in gloria. qui conſeruaret legem excelſi: & fuit in teſtamento cum illo. In carne eius ſtare fecit teſtamentum: & in tentatione inuentus eſt fi- D delis. Ex quibus omnibus patet quòd loquendo Pſal. ſemini Abrahæ: loquitur omnibus fidelibus. quorum omnium ipſe pater fuit. dicens, *Semen Abraham*, &c.

## Ipſe Dominus Deus noſter: in vniuerſa terra iudicia eius. 1796

Hic oſtendit quòd Dei mirabilia ad omnes mũdi partes dilatantur. Quia enim fideles qui ſemen Abraham dicũtur, per vniuerſam terram ſeminati ſunt & generati per Apoſtolos: ſequitur quòd ſi Deus mirabilia ſua facit ipſi Abrahę & ſemini eius, oſtendit ſua iudicia: quòd hoc faciat in omni terra vbi fideles habitant. Vel per vniuerſam terram intellige omnes tam bonos quàm malos. quia omnes de terra habent corpus creatum. Et in iſtis om- E nibus iudicia ſua oſtendit mirabilia. vtputa quòd vnum eligat & alium reprobet. quòd gentes cęcas illuminauit: & Iudæos videntes excecauerit. Iſta ſunt Dei iudicia quæ in omni terra operatur. quæ iudicia abyſſus multa nullus mortalium diſcutere poteſt. De quibus iudiciis dictum eſt ver. 557. 754.

## Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui: 1797

## ſui: verbi quod mandauit in mille generationes.

*Teſtamentum dicitur ſcriptura ſacra.*

Hic oſtendit quòd dei mirabilia ſe extendunt ad omnes generationes præteritas præſentes & futuras. Vbi notandum quòd ſacra ſcriptura nõ immerito teſtamentum dicitur. vide verſ. 1503. 1527. Hoc autem teſtamentum primò fuit lex vetus: quę quia neminẽ ad perfectum poterat adducere: ideo huius teſtamẽti memor, illud perfecit addens nouum teſtamentum ſacræ ſcripturæ: quam mãdauit obſeruari vſque in finem. quia nouum teſtamentum amplius non mutabitur per aliud: ſicut mutatum fuit antiquum per nouum. Et hoc eſt quòd ait, quòd, ſcilicet, teſtamentum mandauit in mille generationes. Ibi enim accipitur numerus determinatus pro indeterminato. Quod oſtẽdens Greg. ſuper illo verbo Iob 9. Non poterat reſpondere ei vnum pro mille. ait, In ſacra ſcriptura millenarius numerus pro vniuerſitate ſolet intelligi. Hinc etenim Pſal. ait, Verbi quòd mandauit in mille generationes. cum profectò conſtet quòd ab ipſo mundi exordio vſque ad redemptoris aduentum per euangeliſtam non amplius quam ſeptuaginta & ſeptem propagines numerentur. Quid ergo in millenario numero: niſi ad proferendam nouam ſobolẽ: perfecta vniuerſitas præſcitæ generationis accipitur? Hinc & per Ioannem dicitur. Et regnabit cum eo mille annis. Quia videlicet regnum ſanctæ eccleſiæ vniuerſitatis perfectione ſolidatur. Eſt ergo ſenſus quòd mandauit teſtamentum ſuum, ſcilicet, ſeruari in mille generationes, id eſt, ſine fine. Et ſic loquitur de teſtamento nouo: nõ de antiquo quòd finem habuit. Vel etiam ſi loquatur de antiquo: loquitur de ipſo vt nouum includit: quia nouum teſtamentum vetus includit: vt ſupra dictum eſt ver. 949. Vnde ſententia verſus eſt hæc. *Memor fuit*, ſcilicet, promiſſionis factæ ad Abrahã, ſcilicet, quòd Chriſtus ex eo naſceretur. Gen. 12. Dixit dominus ad Abraham, In te benedicentur omnes cognationes terræ, ſcilicet, in Chriſto qui erit ex te oriundus. Et ſic memor fuit verbi, ſcilicet, implẽdo promiſſum ipſi Abrahæ. Quę quidẽ promiſſionis impletio in Chriſto fuit formatio noui teſtamenti: quòd mandauit in mille generationes. Ita quòd ly verbi, refertur ad memor fuit. Et hanc expoſitionẽ hic inſinuat Glo. Vel aliter per mille generationes intelliguntur ſolum boni & fideles: quibus Deus mandat teſtamentum ſuum, id eſt, hęreditatem in teſtamẽto ſuo promiſſam donat. Numerus autem millenarius perfectionẽ ſignificat vt oſtẽdit Greg. 35. moral. cap. 19. dicens, Breuiter dicere poſſumus quòd apud ſecularem ſcientiam millenarius numerus idcirco perfectus habetur: quia denarij numeri quadratum ſolidum reddit. Decem quippe decies ducta fiunt cẽtum: quæ iam figura quadrata eſt: ſed plena non eſt. Vt autem ad altitudinem ſurgat, & ſolida fiat: rurſus centum decies multiplicantur & mille ſunt. Sic ergo teſtamentum eſt verbum fidei: verbum euangelij quòd extenditur in omnes generationes. pro quo ſeruato datur pręmium æternum: ſed ſolum illis qui ſunt de mille generationibus, id eſt, de numero perfectorum. Quamuis enim euangelium mandetur omnibus: quia tamen nõ obſeruatur ab omnibus: ideo promiſſa hęreditas per euangeliũ non omnibus datur.

*Greg. li. 9. moral. cap. 1.*
*Mille ſignificat vniuerſitatem.*
*Apoc. 20.*
*Gen. 12.*
*Mille ſignificat perfectionem.*
*Greg. 35. moral. cap. 19.*

## 1798 Quod diſpoſuit ad Abraham: & iuramenti ſui ad Iſaac.

Hic oſtendit quibus primo promiſſum eſt nouum teſtamentum, ſcilicet, ipſe Chriſtus qui nouũ teſtamẽtum condidit. Promiſſus enim fuit Chriſtus principaliter ipſi Abrahæ & ipſi Iſaac. Abrahę namque vt habetur Gen. 22. quãdo ad præceptum domini voluit immolare filium ſuum Iſaac: ſibi ait dominus. Per memetipſum iuraui, dicit dominus: quia non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicens benedicam tibi: & benedicẽtur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Et Luc. 1. Iuſiurãdum quòd iurauit ad Abraham patrem noſtrum; daturum ſe nobis. Conſequenter autem & hoc diſpoſuit & iurauit ad Iſaac qui erat filius ſuus per quem Chriſtus erat deſcenſurus. Vnde dixit dominus ipſi Abrahæ Geneſ. 21. In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Si ergo iurauit dominus Abrahæ quòd ex ſemine ſuo naſceretur Chriſtus: & determinauit quòd in Iſaac vocaretur ſibi ſemen: conſequens eſt quòd iurauit quod ex Iſaac Chriſtus naſceretur. Et hoc eſt quòd ait, quòd, ſcilicet, *teſtamentum diſpoſuit ad Abraham: & iuramenti ſui*, ſcilicet, intentio erat ad Iſaac. Vbi nota quòd quamuis diuerſi ſancti patres diuerſis polleant virtutibus: ſic quòd in vna virtute vnius ſuperat alium: ſed in alia ſuperatur ab illo, tamen inter omnes ſanctos patres Abrahã in humilitatis obedientia maior prædicatur. Et quia hæc virtus præcipua fuit in Chriſto: per quam totum myſterium redemptionis humanæ compleuit, qua factus eſt obediens patri vſque ad mortem. ideo in ſignum huius conformitatis in humilitatis virtute: Deus maximè legitur diſpoſuiſſe Chriſtum ex ſemine Abrahæ incarnari. Quod oſtendit Greg 27. moral. dicens. Ad medium ſanctorum patrum exempla ducamus. Ecce cum præceptis celeſtibus ſubiici per obedientiam cupimus: conſideratis antiquorum patrum veſtigiis iuuamur. Quid enim Abraham obedientius: qui ad vnam vocem dominicam cognatos & patriam deſeruit: & pro adipiſcenda æterna hæreditate ipſum ferire non trepidauit quam ſenex iam & penè moriturus acceperat hæredẽ, &c. vide reſiduum verſi. 1249. Quia igitur virtus humilitatis maxima fuit in Chriſto: cuius exemplum præcipuum pręceſſit in Abraham: ideo inter omnes quibus promiſſus eſt Chriſtus principalius notatur Abraham. Similiter quia exemplum patientię maximum fuit in Iſaac qui iam grandis effectus ſe à patre ligari permiſit: & aræ ſuperponi, vt occideretùr à patre. Chriſto autem nihil patientius: ideo eadem ratione ex ipſo Iſaac Chriſtum procedere fuit promiſſum. Quòd notans Gregorius, ait, Cum patientiæ apprehendere virtutem conamur: præcedẽtium patrum exempla inſpicimus. Quid enim Iſaac patientius qui ligna portat, & de holocauſto interrogat: atque poſt paululum ab Abraham ligatur & non loquitur: arę ſuperponitur & non reluctatur? Quid iſto viro patientius dici poteſt: qui quaſi ad ſolatium ducitur & requiritur ad feriendum: ligatur & conticeſcit: & oblatus in holocauſtum tacet.

*Gene. 21.*
*Abraham exemplum humilitatis & obedientiæ.*
*Grego. lib. 27. moral. cap. 7.*
*Iſaac exemplum fuit patientiæ.*
*Gre. vbi ſup.*

## Et ſtatuit illud Iacob in præceptũ: & Iſrael in teſtamentum æternum. 1799

Hic conſequẽter deſcribuntur facta à tempore Iacob vſque ad Ioſeph. Mirabilia autem quæ notantur facta ipſi Iacob ſunt plura: ſecundum quæ iſta pars diuiditur. Primum eſt diuini cultus imperatio. ſecundum eſt ſuis terræ promiſſionis diſtributio: ibi, *Dicens tibi*. tertium eſt ſui generis multiplicatio: ibi, *Cum eſſent in numero*. quartum eſt per mundum peregrinatio: ibi, *Et pertranſierunt*. quintũ eſt ipſius ab hoſtibus protectio: ibi, *Non reliquit*. ſextum eſt Chriſtianorum commendatio: ibi, *Nolite tangere*. Quantum ad primum notãdum quòd præceptum diuini cultus ſingulariſſimè datum à Deo fuit ipſi Iacob. quòd tamen ante datum fuerat Abrahæ & Iſaac minus lucidè. Quòd quidem fecit Deus. quando Deus apparuit ipſi Iacob dicẽs, Ego ſum dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. Terrã in qua dormis dabo tibi & ſemini tuo. Et illa erat terra promiſſionis in qua naſciturus erat & Chriſtus moriturus: & noſtræ redemptionis impleturus myſterium. In qua terra cultus diuinus erat ampliandus: ſacerdotes & miniſtri ad illum cultum deputãdi: templum per Salomonem conſtruendum. quem cultum maximè ampliauit Dauid & Salomon. Quando ergo Deus dixit ipſi Iacob quòd ſibi daret terram illam & ſemini ſuo: per hoc ſibi præcepit diuinum cultum quòd in illa ampliandum obſeruaret. Ideo ſibi ait. Ego ſum Deus Abraham: imponens ſibi cultum vnius Dei. Et ideo ſtatim Iacob euigilans intelligens præceptum de diuino cultu ſibi per illa verba datum: ſtatim promiſit ſe colere Deũ. Vnde dicitur ibi quòd ſurgens Iacob accepit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo: & illum in altare conſecrauit fundens oleum deſuper, dicens, Erit mihi dominus in Deũ, & lapis iſte quem erexit in titulum: & cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi. Vnde de præcepto diuini cultus ait, *Et ſtatuit illud in Iacob præceptum*. Et quia Iacob binominis fuit: vocatus eſt enim Iacob, id eſt, ſupplantator: quia naſcens tenebat plantam fratris. Gen. 25. Sed poſtea quãdo luctauit cum angelo, & Deũ clarè vidit Iſrael, id eſt, videns Deum ab angelo vocatus fuit. Ideo primũ dictum de Iacob ſub alio nomine replicat: dicens. Et illud idem ſtatuit Iſrael in teſtamentum æternum, id eſt, in deſcendentibus ab illo Iſrael ſiue Iacob. non quidem ſecundum generationem carnalem, ſed ſecundum generationem ſpiritualem quæ fit per imitationem cultus & bonorum operum. Iſto enim modo gentiles conuerſi dicuntur filij Abraham, Iſaac, & Iacob. Ideo autem pręceptum diuinum cultus poſuit in Iacob ad denotandũ quòd fides ſine operibus mortua eſt. Inter omnes enim ſanctos patres Iacob fuit laboribus plurimis magis deditus. Vnde de ipſo ait Greg. Quid enim Iacob laborioſius qui apud Laban tam longo tempore propinquus iure cognationis opera exercuit ſeruitutis? & vice obſecutus eſt famuli vt perfrueretur præmiis hæredis.

*Iacob habuit præceptũ cultus diuini.*
*Gen. 28.*
*Iacob vocatus fuit Iſrael.*
*Greg. lib. 27. moral. ca. 7.*

## 1800 Dicẽs tibi, dabo terram Chanaam: funiculum hæreditatis veſtræ.

Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, terræ promiſſionis ſuis diſtributio. Ipſi enim Iacob promiſit Deus dare terram promiſſionis in hęreditatem: nõ quidem dare perſonæ ſuæ, ſed ſucceſſoribus ſuis deſcendentibus ex eo. quando, ſcilicet, ipſi eunti Meſopotamiam apparuit ſibi dominus dicẽs, Terram in qua dormis dabo tibi & ſemini tuo. Quòd poſtea fuit impletum tempore Ioſue, quando omnes duodecim tribus de Iacob deſcendentes intrauerunt terram promiſſionis, quam omnibus eis diuiſit Ioſue per ſortes: vt habetur Ioſue 18. Quamlibet autem contingentem ſingulas tribus vocat funiculũ hęreditatis. Funiculus enim dicitur quædam menſura. Et ſecundum certam menſuram, & certos terminos Ioſue cuilibet tribui aſſignauit dictam terram promiſſionis. De hoc vide verſ. 1337. Quia autem multi mirantur quòd ſacra ſcriptura totiens facit mentionem de iſta terra promiſſionis data populo Iſrael: Ideo notandum quòd hoc non facit ſcriptura propter ipſam terram promiſſionis in ſe: ſed magis ad imprimendum mentibus fideliũ ſignificatum illius terræ: & qui ſunt qui modo eiiciuntur, & quibus diſtribuitur. Notans ergo quòd illa terra promiſſionis ſignificat celeſtem patriam quam Deus ſuis fidelibus promiſit, ad quam non omnes pertinent, ſed ſolum prædeſtinati quibus datur in funiculo diſtributionis: quia ſecundum proportionem meritorum erit & proportio præmiorum. dicente Chriſto. In domo patris mei mãſiones multæ ſunt. Hæc autem cœleſtis patria dicta eſt terra Chanaan: qui interpretatur humilis: quia ſine humilitatis virtute nullus intrat in eam. Datur autem duodecim filiis Iacob: per quos duodecim virtutes ſignificantur: quibus hæc terra meretur à nobis. Iſti filij Iacob fuerunt, Ruben, Symeon, Leui, Iudas, &c. Quid autem iſti ſignificent: vide. verſ. 1372.

*Gene. 28.*
*Ioſue 18.*
*Ioan. 14.*

## Cùm eſſent in numero breui, pauciſſimi & incolæ eius. 1801

Hic oſtẽditur tertium, ſcilicet, ſui generis multiplicatio mirabilis. Nam quando Iacob ingreſſus eſt Ægyptum cum omnibus ab ipſo deſcendentibus: omnes inſimul erant ſeptuaginta. Et tamen ſic in paruo tempore multiplicati ſunt, quòd non numeratis illis de tribu Leui, ex aliis vndecim tribubus Moyſes ſolum viros bellatores numerando à viginti annis & ſupra, omiſſis mulieribus & paruulis, ſexcenta tria milia quingenti quinquaginta. Hoc ergo admiratione dignũ oſtẽdit Pſal. dicẽs, *Cũ eſſent in numero breui*. quia ſolum ſeptuaginta. *Et pauciſſimi incolæ eius*, ſcilicet, ipſius Iacob ſupple mirabiliter multiplicati ſunt. Per hoc autem quòd dicit: *Incolæ eius*: notãt grammatici, quòd iſta differunt, ſcilicet, inquilinus, incola, aduena, & peregrinus. Nam inquilinus dicitur à colo colis, ſcilicet, qui aliena colit, vel habitat. Sic tamen differunt inquilinus, incola, aduena & peregrinus. Nam inquilini ſunt qui emigrant: ſed incola vel aduena qui aliunde veniunt. Nam incola non indigenam, ſed aduenam deſignat. Hæc ergo inter illa differentia eſt. Nam inquilini ſunt qui emigrant, & non perpetuo permanent: ſed aduenæ vel incolæ ſunt aduenticij, ſed permanentes. idem & accolæ. Peregrini verò propriè dicuntur quorum parentes ignorantur. ſunt enim de longinqua regione. Indigenæ verò ſunt inde geniti, inde nati, ſcilicet, in eodem loco vbi habitant. Sic ergo Iacob cum ſuis deſcendentibus fuit incola in terra Ægypti. quia aliunde ibidem venit permanſurus. Per hoc enim vult oſtendere Pſal. multiplicationem fidelium qui eadem via multiplicati ſunt: ſicut & ſucceſſores. Nam iſti ſunt multiplicati mediantibus aduerſitatibus & perſecutionibus. Nam vt ſcribitur Exod. primo. Oderãt Ægyptij filios Iſrael: & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam illorũ operibus duris, &c. Sed quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant.

*Acola. incola. inquilinus. aduena. indigena. peregrinus.*
*Eccleſia aduerſitatibus creuit.*

bant. Conſimiliter fideles à principio erant pauciſſimi, vtputa duodecim Apoſtoli, homines rudes, & idiotæ: expulſi de Iudæa per orbem fidem prædicauerunt, perſecuti ſunt, flagellati, occiſi, crucifixi, decollati. Sed quanto magis perſequebantur, & martyrizabantur: tanto amplius numerus creuit fidelium. Quot fideles credis fecerit vna mors Petri ratione ſuæ conſtantiæ oſtēſæ? quot mors Pauli. Occidebatur vnus: & conuertebātur multa millia. Modo autem ceſſante perſecutione fidelium, decreſcit fidelium numerus & deuotio. Et per iſta quæ patent ad ſenſum: denotatur quòd aduerſitatibus virtutes multiplicantur in nobis quæ in proſperitate decreſcunt. Vnde Greg. li. 12. moral. c. 2. ait, Cùm enim morte paſſionis iuſtus pro veritate afficitur, in æternæ vitæ hæreditate recuperatur. Et qui hic virebat per fidem: ille vireſcit per ſpem: & rami eius pululant. quia plerumq; ex paſſione iuſti fideles quique ad amorem cœleſtis patriæ multiplicantur: & viriditatem vitæ ſpiritualis accipiunt: dum pro deo ſe fortiter agere vident.

*Aduerſitatibus creſcunt virtutes.*

1802 ## Et pertranſierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.

Hic ponitur quartum, ſcilicet, ipſius per mundum peregrinatio. Prædixerat enim Deus Abrahę: qualiter deſcendentes ab eo debebant peregrinari in Ægyptum, & ibi ſeruituti ſubiici: & poſt quadringentos annos inde educi magnificè. Vnde dixit Deus ad Abraham Gen. 15. Scito prænoſcēs quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis: veruntamen cui ſeruituri ſunt ego vindicabo. Et poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Hoc autem temporaliter adimpletum fuit quando Iacob cum omnibus ſuis deſcendentibus tempore famis intrauit Ægyptum: vbi filius ſuus Ioſeph dominabatur. Et hoc eſt quod commemorans Pſal. *Et pertranſierunt de gente in gentem.* quia, ſcilicet, à gente Chananeorum receſſerunt & tranſierunt ad gentem Ægyptiorum. Et hoc aliis verbis explicat: dicēs, *Et de regno ad populum alterum.* Sed hic occurrunt duo dubia. Primum quomodo vocat terram Chananeorum regnum: quia quādo Iacob inde receſſit: regnum non erat. Secundum quomodo vocat gentem Ægyptiorum populum qui erant idololatræ. Et dictum eſt ver. 816. quòd ſolùm iuſti & ſubditi Dei faciūt populum. Ad primum dicitur quòd ſi terra illa nondum erat regnū: tamen futurum erat, vt eſſet regnum: ſicut temporibus Saulis, Dauid, &c. Et hoc eſt quòd ait Glo. hic. Terram promiſſionis vocat regnum: non quia tunc eſſet regnum, ſed quia futurum erat, vt eſſet ibi regnum Iſrael. Ad ſecūdum dicitur: quod quāuis propriè accipiendo populum ſolum ex iuſtis conſtituatur: tamen aliquando populus accipitur magis largè. Et ſic eum diffinit Aug. 19. de ciuita. Dei ca. 24. dicens. Populus eſt cœtus multitudinis rationalis rerum quas diligit concordi communione ſociatus. Sic ergo hic accipit populum largo modo loquendi: vt mali etiam faciant populū iuxta modum Chriſti de malis hypocritis: dicens, Mat. 15. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Notandum tamen quia ſacra ſcriptura in diuerſis locis pro eodem videtur accipere populū, plebem, vulgum, & tribū: quamuis iſta propriè accepta multum differunt ſecundum Iſido. 9. etymo. Nam populus eſt collectio tā nobilium quàm ignobiliū eiuſdem ciuitatis. Plebs autem eſt collectio ſolum ignobilium. Et dicitur plebs à pluralitate: quia plures ſunt ignobiles quā nobiles. Vulgus eſt multitudo paſſim inhabitans. Et dicitur vulgus à volendo. quia quilibet facit quòd vult. Tribus dicuntur congregationes diſtinctę populorum, ſic dictæ. quia in principio Romani fuerunt à Romulo diſtincti tripliciter, ſcilicet in ſenatores, milites, & plebeios. Et ideo populus vt diſtinguitur contra vulgum, plebem, & tribum: ſtat pro collectione tam nobilium quam ignobilium. ſequitur quòd continet omnes tam bonos quam malos, nobiles, & ignobiles.

*Quæſtio.* *Populus largè ſic ex malis.* *Matt. 15.* *Populus, plebs, vulgus, tribus.* *Iſidorus.*

## Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges. 1803

Hic ponitur quintum, ſcilicet, ab hoſtibus protectio. Hoc enim refertur ad tempus: quo filij Iacob tranſierunt per deſertum ad capiendam terrā ipſis promiſſam: non autem ad tempus quo ſteterunt in Ægypto. quia certum eſt quòd tunc Ægyptij multum Iſraelitis erant infeſti: & eis multa nocumenta inferebant, vt patet Exod. 1. Sed per tempus quo per deſertum proceſſerunt, nullus ei nocere potuit: quamuis multi & magni hoc attentaſſent. Statim enim tranſacto mari rubro Amalech venit ad pugnandum contra Iſrael. qui tamen ſuperatus fuit à Ioſue mediante oratione Moyſi: vt patet Exod. 17. Similiter inſurrexit contra eos Seō rex Armorreorum manu armata, & eis nocere nō potuit: ſed ſuperatus fuit ab eis & mortuus: vt habetur Numeri 21. Similiter & Balaam regem madianitarum cum populo ſuo interfecerunt gladio cum multis aliis regibus: vt habetur Numeri 31. Et de multis aliis populis & regibus qui volebāt nocere filiis Iſrael non permiſit illos Deus: ſed illos occidendos tradidit in manu Iſrael. Et hoc recolēs Pſal. ait, *Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit,* id eſt, interfecit pro eis reges terræ. Per hoc enim vult Pſalm. oſtendere quòd bonis nocere non poſſunt mali. immo quanto plus mali contra bonos ſæuiūt ipſi ſibiipſis nocent: ſed bonis proficiunt. Quanto bonorum creſcunt certamina: tanto & eorum prę̄mia creſcunt. Quid nocuit Nero Apoſtolis Petro & Paulo quos laureatos trāſmiſit ad cœlum? Quid Laurencius Decius: vide verſi. 997. Quid noceret tibi in effectu auferens denarium ex cuius actu lucrareris regnum? Nocent ergo mali bonis quo ad affectum: ſed quo ad effectum proficiūt eis. Quòd ſatis notatur Pſal. 9. Dum ſuperbit impius incenditur pauper. Bene ergo de bonis dicitur, *Non reliquit hominem nocere eis.* Sed eis nocere volentes ſibi ipſis nocuerunt. Vnde ſequitur. *Et corripuit pro eis reges terræ.* Notandum autem quòd correptio tam diuina quam humana à pietate incipit: ſed obſtinatis in ſeueritatem vertitur. Quòd ſatis fuit figuratum in virga Moyſi. Moyſes enim corrigere volēs Pharaonem primò virgam gracilem portauit in manu, quæ tandem ipſi Pharaoni incorrigibili in colubrum eſt verſa. Exo. 4. Quam figuram ad propoſitum applicans Bruno dicit, Moyſi dixit Dominus. Quid eſt quòd tenes in manu tua? Reſpōdit, virga. Dixitque dominus, proiice illam in terram. & proiecit: quæ verſa eſt in colubrū. Interrogatus Moyſes non propter aliud: ſed vt reſponſionis ſuæ vinculo teneatur, Ipſe enim confeſſus eſt ſe tenere virgam quam mox in ſerpentem verſam fugiens expauit. Credat huic ſigno qui non vult credere verbis. Sed quid per virgam: niſi correctio Dei deſignatur? Vnde ait Pſalm. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Hæc autem virga illis vertitur in draconem qui miſericorditer & leuiter correcti emendare ſe nolunt. quia qui incorrigibiles exiſtunt: tandem diuinæ vltionis vim & indignationem ſuper ſe ſæuientem ſentiunt. vnde Pſalm. Reges eos in virga, &c. vide ver. 1562.

*Exod. 1.* *Exod. 17.* *Num. 21.* *Num. 31.* *Nocent mali ſibiipſi non bonis.* *Pſal. 9.* *Correctio incipit à pietate: ſed obſtinatis ſeueritate terminatur.* *Bruno.* *Pſal. 22.*



1804 ## Nolite tangere chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

Hic ponitur ſextum, ſcilicet, Chriſtianorum cōmendatio. Quantum enim ad literam ſpectat: hic Pſalmus oſtendit quòd illos antiquos patres, ſcilicet, Abraham, Iſaac, & Iacob Deus ab inimicis & potentibus defendebat: dicens regibus & principibus mundi, verbis, ſignis, vel factis. *Nolite tangere chriſtos meos & prophetas meos.* Sic enim dixit Pharaoni regi Aegypti quem flagellauit propter vxorem ipſius Abrahæ. Gene. 12. Sic & regem Gerare flagellauit: quia tulerat vxorem Abrahæ Gene. 20. Et ſic factis dicebat illis ne nocerent ſeruis ſuis: dicēs, Nolite tangere chriſtos meos, &c. Et aduerte quomodo Abraham, Iſaac, & Iacob vocat chriſtos & prophetas. Vbi notandum quòd Chriſtus idem eſt quòd vnctus. vngebantur autem exteriori vnctione ſacerdotes & reges. ideo quilibet illorum Chriſtus dicebatur, id eſt, vnctus. Sed cùm talis vnctio incæperit de præcepto domini tempore Moyſi: vt apparet in Exodo: & iſti, ſcilicet, Abraham, Iſaac, & Iacob, fuerunt per magnum tempus ante Moyſen: & ſic vncti non fuerunt. Quomodo ergo vocat eos chriſtos: cum Chriſtus ſit idem quòd vnctus. Reſpondeo quòd vnctio eſt duplex, ſcilicet, exterior & interior, corporalis & ſpiritualis. Spiritualis eſt qua ſpiritus ſanctus ſua gratia inungit mētes fidelium. Sic enim omnibus fidelibus dicitur 1. Ioan. 2. Vos vnctionē habetis à ſpiritu ſancto. Sic enim omnes baptizati Chriſti ſiue Chriſtiani dicuntur. quia gratia ſpirituſſancti interius ſunt vncti. Sic ergo ad propoſitum ipſi patres dicebantur Chriſti, non ab vnctione exteriori, ſed ab interiori. Dicuntur etiam prophetæ: quia quilibet eorum ſpiritu ſancto tactus multa prophetauit: vt in pluribus locis in lib. Gene. patet. De Abraham patet quòd prophetauit dicens ſeruo ſuo. Dominus mittet angelum ſuum coram te: & accipies inde vxorem filio meo, &c. De Iſaac patet: qui benedicens filio ſuo Iacob multa futura ei prædixit ipſi Iacob & ſemini eius, Gen. 27. Conſimiliter patet de Iacob qui benedicens filios ſuos omnibus eis futura prædixit. Gene. 49. Bene ergo iſtos patres antiquos vocant chriſtos & prophetas dicens regibus & aliis. *Nolite tangere chriſtos meos,* &c. Et hoc eſt quod ſentit hic Glo. dicens, Quod autem dixit illos Chriſtos, nullum moueat: quia iam tunc chriſtiani erant: & ſi latenter. Vnde Abraham exultauit vt videret diem Chriſti: vidit & gauiſus eſt. Nullus enim præter hanc fidē Chriſti vel ante incarnationem vel poſt Deo reconciliatus eſt, vnde enim mediator eſt Dei & hominū Chriſtus Ieſus. *Et in prophetis meis nolite malignari.* Pro huius euidentia ſciendum quòd prophetia à Deo multis modis reuelatur. vide in procemio. Et ſic multipliciter quis propheta conſtituitur. Notandum quòd propheta triplex reperitur, ſcilicet, Propheta falſidicus & decipiens. Propheta veridicus & non intelligens Propheta catholicus & intelligens.

*Gene. 12.* *Gene. 20.* *1. Ioan. 2.* *Gene. 24.* *Gene. 27.* *Gene. 49.* *Gloſa.* *Prophetia multipliciter reuelatur.* *Propheta triplex.*

## Et vocauit famem ſuper terram: & omne firmamentum panis contriuit. 1805

Hic deſcribuntur mirabilia quæ acciderunt à tempore Ioſeph vſque ad Moyſen. Tota enim iſtius partis intentio eſt oſtendere quomodo Deus mirabili modo exaltauit Ioſeph. propter cuius exaltationem Iacob cum omnibus ſuis intrauit Aegyptum. Et diuiditur in nouem partes: quia ponitur primò exaltationis Ioſeph occaſio. Secundò ipſius Ioſeph vēditio: ibi, *Miſit ante eos.* Tertiò ipſius Ioſeph incarceratio: ibi, *Humiliauerunt.* Quartò ipſius Ioſeph liberatio: ibi, *Eloquium domini.* Quintò ipſius Ioſeph exaltatio: ibi, *Conſtituit eū.* Sextò ipſius Ioſeph illuſtratio: ibi, *Vt erudiret.* Septimò populi Dei in Aegyptum deſcenſio: ibi, *Et intrauit Iſrael.* Octauò ipſius populi multiplicatio: ibi, *Et auxit.* Nonò ipſius populi ab Aegyptiis afflictio: ibi, *Conuertit cor eorum.* Quantum ad primum ponitur occaſio omnium prædictorum quæ fuit fames generalis per orbē ſeptem annorū. De qua habetur Gen. 41. Vbi dicitur quòd tranſactis ſeptem annis vbertatis cœperunt venire ſeptem anni inopiæ. & in vniuerſo mundo præualuit. Et hoc eſt quod ait, *Et vocauit,* ſcilicet, Deus ſua ordinatione, *famem ſuper terram,* ſcilicet, ſeptē annorum. in quibus ſeptem annis omne frumentum (alias, firmamentum) panis contriuit. quod non intelligitur de frumento per annos præcedentes congregato: quia ipſius magna copia erat in Aegypto: ſed de frumento in illis ſeptem annis famis naſcituro: quia terra illis ſeptē annis nihil fructificabat: quia ſementem vix colligere poterant. hiſtoria eſt clara Gene. 41. Nota quòd in ſcriptura triplex fames reperitur, ſcilicet, Fames cibi corporalis. Fames verbi diuinalis. Fames pænæ infernalis. Primò eſt fames cibi corporalis: quæ nihil aliud eſt niſi naturale deſiderium cibi pro conſeruatione humidi radicalis quod cōſumit calor naturalis. De qua Luc. 15. Facta eſt fames valida in regione illa: & ipſe cæpit egere. Et quandoque Deus immittit, vt ex indigentia homines reducantur ad Deum. Sic enim ille prodigus filius fame preſſus reuerſus eſt ad patrem: qui abundans receſſerat à patre. Vnde in ſe reuerſus, dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abūdant panibus: ego autem hic fame pereo: ſurgam ergo, &c. Quod exponens Petrus ra. ait, In ſeipſo reuerſus eſt, quia à ſeipſo receſſerat: dum receſſit à patre tranſit, & totus ab homine migrat in beſtiā: paternæ pietatis immemor gratiæ genitoris oblitus. Sed hunc fames ad patrem reuocat: quem ſaturitas expulerat à patre, &c. Sic ergo Deus multis famem & alias aduerſitates immittit: vt homines ad ſeipſum reducat. Sic ergo nunc dicit Pſal. *Vocauit famem ſuper terram,* quæ fuit occaſio vt fratres Ioſeph cognoſcerent quod in venditione eius cōmiſerāt. Secundò eſt fames verbi Dei, id eſt, deſiderium audiendi verbum Dei, vel carentia prædicationis verbi Dei. Vnde Amos 8. Immittam famem in terra: non famem panis ſed audiendi verbi Dei. Vnde Gregorius ait, Omnis homo quia ex anima & carne conſiſtit: quaſi ex robore & infirmitate compoſitus eſt. Ex ea enim parte qua ſpiritus rationalis eſt conditus, non incongruè dicitur robuſtus

*Gene. 41.* *Gene. 41.* *Fames multiplex.* *Luc. 15.* *Luc. 15.* *Petrus ra.* *Amos 8.* *Greg. li. 14. moral. cap. 7.*

buſtus: ex ea verò qua carnalis: infirmus eſt. Robur ergo ſpiritus eſt anima rationalis quam impugnãtibus viciis reſiſtere per rationem valet. Ex rationali quippè anima habet homo: vt in perpetuum viuat. Peccatoris ergo robur fame attenuatur quãdo eius anima nulla interni cibi refectione paſcitur. Hinc ergo famẽ quandoq; deus immittit propter rebellionem audientium. ſicut à Iudæis trãſtulit prædicatores Apoſtolos propter ipſorum obſtinationem. Vel tunc iſtam famem immittit, quãdo cordibus noſtris deſiderium audiendi verbum Dei inſpirat. *Pſal 58.* Sicut de gentibus conuerſis dicitur, Conuertentur ad veſperam: & famem patientur vt canes: vide verſ. 944. Tertiò eſt fames pœnæ infernalis. *Apoc. 18.* vnde de quolibet dãnato dicitur. Plagæ eius, ignis, luctus & fames. Ignis quia damnati reali igne qui non extinguitur cruciabuntur. Luctus propter acerbitatem doloris. *Matth. 13.* Mat. 13. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Sed fames quia ibi naturale deſiderium fruſtrabitur: quia deſiderabunt mortem & mors fugiet ab eis.

1806 Miſit ante eos virum: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.

Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, ipſius Ioſeph venditio. *Gene. 37.* Vt enim habetur Gene. 37. videntes fratres Ioſeph quòd ipſe à patre cunctis plus amaretur: & quòd propter ſomniũ quod fecerat, ſcilicet, quòd manipuli fratrũ adorabant manipulum ſuũ. Item quia vidit ſolem & lunam & ſtellas vndecim ipſum adorare. Quæ ſomnia pater eius Iacob interpretatus eſt quòd ipſe à patre & matre ac vndecim ſuis fratrib[9] adoraretur. Et hoc fratres ſui ſufferre non poterant. Et ideo ne hoc eueniret, ipſum ſemel à patre ad eos miſſum, vendiderunt mercatoribus Iſmaelitis euntibus in Ægyptum cogitantes & cogitatione dicẽtes, Vendidimus eum ſeruũ: amplius non dubitamus quòd nobis nõ dominetur. Et vide mirabile iudicium Dei. Iſta vẽditio directè fuit via, vt dominaretur ipſis. Vnde hoc oſtẽdit Grego. ſuper illo verbo, Iob 5. *Gre. li. 6. moral. cap. 11. Iob 5. Conſilia noſtra contra ordinationẽ dei non poſſunt.* Qui apprehendit ſapientes in aſtutia ſua. dicens, Sæpè enim nonnulli humana ſapientia inflati dum deſideriis ſuis diuina iudicia contraire conſpiciunt: aſtutis ei reluctari machinationibus conantur. Et quòd ad votũ ſuum vim ſupernæ diſpenſationis intorqueãt: callidis cogitationibus inſiſtunt. ſubtiliora cõſilia exquirunt. Sed inde voluntatem Dei peragunt: vnde hanc immutare contendunt. Atque omnipotentis Dei conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur. Et ſubdit infra ad propoſitũ de venditione Ioſeph: *Ioſeph vẽditus factus eſt dominus Ægypti.* dicens, Ioſeph ſomnium viderat: quòd ſuo manipulo fratrum manipuli ſe proſternebant. Somniũ viderat quòd ſol & lũna cũ reliquis ſtellis ſe adorabant. Quæ quia purè fratribus retulit: eorũ corda protinus futurę damnationis inuidia pauorq; percuſſit. Cumq; hunc ad ſe venire conſpicerẽt malitia ſæuiẽte dixerunt, Ecce ſomniator ille venit: venite occidamus eum: & videamus quid illi proderunt ſomnia ſua. Cũq; eius dominio ſe ſubiici metuunt: ſomniatorem in puteo deponunt: cumq́ue Iſmaelitis tranſeuntibus vendunt, Qui in Ægypto ductus ſeruituti ſubditus, luxuriæ accuſatione dãnatus: caſtitatis merito adiutus, prophetiæ iudicio ereptus eſt: omni Ægypto prælatus eſt. per ſupernam verò ſapiẽtiam prouidus frumenta congeſſit: & futuro periculo famis obuiauit. Cumq; in orbẽ fames irruit, de alimentorum præparatione ſollicitus Iacob filios in Ægyptum miſit. Qui frumentorum diſpenſationi præpoſitum Ioſeph neſcientes inueniunt: atque vt mererentur alimenta percipere, eorum diſpenſatorem compulſi ſunt protinus pronis in terra ceruicibus adorare. Penſemus ergo rei geſtæ ordinem: penſemus quomodo ſapientes in ipſa ſua aſtutia vis diuina comprehẽdit. Ideo enim ab eis Ioſeph venditus fuerat, ne adoraretur. Sed ideo eſt adoratus, quia venditus, &c. Ex quibus patet: quòd quamuis Dei bona diſpenſatione Ioſeph ſit venditus, miſſus fuit in Ægyptum vt parentibus & fratribus aliis prouideret tempore famis. mala tamẽ voluntate fratres ſui ipſum vẽdiderunt. Vnde eis dixit Ioſeph poſtquã ipſum cognouerunt: non veſtro conſilio ſed Dei huc miſſus ſum voluntate, vt reſeruemini ſuper terram & eſcas ad viuendum habere poſſitis. Gen 45. *Gen. 45.* Eſt verſiculi ſenſus iſte, *Miſit ante eos virum*, ſcilicet, Deus miſit ante patrem ſuum & fratres: virum, ſcilicet, Ioſeph qui rectè vir, id eſt, virtuoſus erat: & hoc ad prouidendum. Sed per quem modum miſit: adiungit dicens, *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph*, &c. Reſpectu ergo eiuſdem miſſionis ponitur bona voluntas dei in prima parte verſus: ſed mala voluntas fratrum eius in parte ſecunda.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius. ferrum pertranſiit animam eius: donec veniret verbum eius. 1807

Hic ponitur tertium, ſcilicet, ipſius Ioſeph incarceratio: quæ habetur Gene. 39. *Gene. 39.* Nam cum Ioſeph ab Iſmaelitis ductus eſſet in Ægyptũ, ipſum in ſeruum ſibi emit Phutiphar princeps exercitus Pharaonis: qui inuenit gratiam corã domino ſuo: vt liberè de ipſo confidẽs adminiſtrationem totius domus ſuæ in manu ipſius Ioſeph poneret. Dominus autem Deus benedixit illi domui propter Ioſeph, & multiplicauit omnia bona eius. Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. Domina autem ipſius Phutipharis ſemel iniecit oculos in Ioſeph, & ait illi, Dormi mecum. *Ioſeph falsò accuſatus incarceratur.* Qui nequaquam acquieſcens operi nefario reſpondit, Ecce, dominus meus omnib[9] mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua; nec quicquam eſt quod non tradiderit in mea poteſtate pręter te, quę vxor eius es. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere & peccare in dominum meum? Illa autem continuò moleſta erat illi. Accidit autem quadam die, vt illa apprehenſo veſtimento Ioſeph diceret: dormi mecum. Ille autem relicto in manu eius pallio fugit foras. Cumq́ue illa videret ſe contemptam marito ſuo ait. Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus vt illuderet mihi. Cumq́; ego clamaſſem, ipſe timens reliquit pallium quod tenebat in manu, & fugit foras: & in argumẽtum fidei retentum pallium oſtẽdit. Quibus auditis dominus nimis credulus verbis cõiugis fecit Ioſeph in carcerem poni, & compedibus ferreis alligari. Et ſic manſit vltra duos annos. Hoc ergo exprimens Pſalm. dicit, *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, ſcilicet, miniſtri Phutipharis ad præceptum Domini ſui ipſum incarceratum pedes eius compedibus ferreis ligauerunt: ferrum pertranſiit animam eius: quia ex illis compedibus non ſolum affligebatur in corpore, ſed etiam in mente. Quamuis enim patiẽtiam ſeruaret: tamen affligebatur mente: maximè conſiderans inſa-



-famiam ſibi illatam, & malitiam mulieris. Et ſic remanſit donec veniret verbum eius, id eſt, donec veniret tempus in quo verbis ſuis oſtenderet ſapientiam ſuam. Quod tẽpus fuit quando ipſo exiſtenti in compedibus duo miniſtri regis qui erant cum ipſo in carcere, ſcilicet, pincerna & princeps piſtorum, viderunt ſomnia: quæ ille prudenter & veraciter expoſuit. Quæ expoſitio fuit cauſa liberationis ſuę: vt dicetur. Iſtud autem verbum: *ferrum pertranſiit animam eius*, *Bernard.* exponit Ber. de Chriſto dicẽs. Foderunt Iudæi manus Chriſti & pedes & latus lancea forauerunt: vt eius anima ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis. Per foramina corporis patet magnum pietatis illud ſacramentum: patent viſcera miſericordiæ dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriẽs ex alto: quòd viſcera per vulnera pateãt: in quo enim clarius quã in vulneribus illuxiſſet. Quoniam tu domine ſuauis & mitis & multæ miſericordiæ? *Aduerſitas ... eſt ad ... ſalutem.* Maiorem enim miſerationem nemo habet: vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis & damnatis. Meum proinde meritum miſeratio domini, &c. Per hæc omnia vult oſtendere Pſal. quòd aduerſa præſentis vitæ patienter ſufferre debemus: ignorãtes diuinæ diſpoſitionis conſilium. Quòd quandoque ideo hominẽ humiliat: vt ipſum exaltet glorioſius: hominẽ in carcerem ponit: vt inde ipſum glorioſius ducat ad regnum. ſicut in Ioſeph hic oſtendit exemplum. vt *Act. 4.* Act. 4. Neſcit quis præuidere: quòd de carcere cateniſq́; introducatur quis ad regnum: & alius natus in regno inopia conſumatur.

1808 Eloquium domini inflammauit eũ: miſit Rex & ſoluit eum: princeps populorum, & dimiſit eum.

Hic oſtenditur quartum, ſcilicet, ipſius Ioſeph liberatio. *Hierony.* Aduertendum tamen quòd in tranſlatione Hiero. habetur, *Eloquium domini probauit eum*, ſcilicet, habere ſpiritum & ſapientiam Dei. & idẽ eſt. quia ex hoc quòd eloquiũ domini inflãmauit eũ, probatum fuit ipſum habere ſapientiam Dei. *Gene. 40. Somnia Pha... & officialium eius.* Huius hiſtoria habetur Gene. 40. Cum enim Ioſeph compedibus ferreis in carcere eſſet detentus: accidit vt duo miniſtri regis Ægypti peccarent domino ſuo regi. quos in carcerem vbi erat Ioſeph iuſſit mitti. quos ſemel cum Ioſeph triſtiores ſolito vidiſſet, dixit eis, Cur triſtior ſolito eſt hodie facies veſtra? Qui dixerunt. Vidimus ſomnium, & non eſt qui interpretetur nobis. Dixitq́; Ioſeph. Referte mihi quod vidiſtis. Narrauit præpoſitus pincernarum ſomnium ſuum, dicens, Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim gemmas: & poſt flores vuas matureſcere, calicemq́ue Pharaonis in manu mea. Tuli ergo vuas & expreſſi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Reſpondit Ioſeph. Hæc eſt interpretatio. Tres propagines: tres adhuc dies ſunt: poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui: & reſtituet te in gradum priſtinum: dabiſq́; ei potũ ſicut facere conſueueras. Rogo te memento mei cũ bene tibi fuerit: vt ſuggeras Pharaoni vt educat me de iſto carcere: quia furtim ſublatus ſum de terra Hebręorum: & hic innocens in lacum miſſus ſum. Tunc alius piſtorum magiſter, videns quòd prudenter ſomniũ expoſuiſſet; ait, Et ego vidi ſomniũ, quòd haberem tria caniſtra farinę ſuper caput meũ & in vno caniſtro quod erat ſuperius: portare omnes cibos qui fiunt arte piſtoria: aueſq́; cœli cõmedere ex eo. Reſpõdit Ioſeph. Hæc eſt interpretatio. Tria caniſtra, tres adhuc ſunt dies poſt quos Pharao auferet caput tuum: & ſuſpendet te in cruce, & lacerabũt volucres carnes tuas. Et ſicut Ioſeph expoſuit, ſic & rei exitus fuit: quia poſt tres dies pincerna fuit reſtitutus in officium ſuum: & piſtor fuit ſuſpenſus. Iſta autem interpretatio fuit eloquium: quia reuelatũ fuit ſibi à domino verbũ, quod hic protulit. Et hoc eſt quod ait, *Eloquium domini inflammauit eum*. Iſtis iſta geſtis: ille pincerna liberatus: oblitus eſt interpretis ſui Ioſeph: nec aliquã mentionẽ de ipſo fecit Pharaoni. Sed duobus annis poſtea elapſis: Pharao vidit ſomnium: quòd ſeptẽ boues craſſæ paſcebantur: poſt quos veniebãt aliæ ſeptem macilentæ nimis. Rurſumq́; dormiens vidit aliud ſomnium: quòd ſeptem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atq; formoſæ. poſt quas videbat alias ſeptem tenues vredine cõſumptas. Quæ ſomnia dum ſapientibus Ægypti narraſſet: nullus ſciebat illa exponere. Tunc pincerna reminiſcens Ioſeph interpretis ſui: ait Pharaoni. Cõfiteor peccatũ meum. Dum eſſem in carcere: vidi ſomnium ego & piſtorum magiſter, cũ narrauiſſemus vni incarcerato Hebræo, ſcilicet, Ioſeph: expoſuit nobis verè ſicut rei euentus probauit. Et tunc ad regis imperiũ ſubito de carcere eductus fuit Ioſeph. Cauſa ergo quare eductus fuit de carcere, fuit eloquiũ domini: qui inflammauit eum, id eſt, informauit in ſolutione ſomniorũ pincernæ & magiſtri piſtorum. Et hoc eſt quod ait, *Eloquium domini inflammauit eum, miſit rex & ſoluit eum.* Et non miſit minores ad liberandum eum: ſed miſit principes populorũ: & dimiſit eũ: ſcilicet, à carcere, Non eſt credendũ quòd ſcriptura ſacra tanta de iſto reciter propter eius corporalẽ liberationem: ſed magis propter ſignificatũ: quia per hoc ſignificatur quòd vinculis peccatorũ ligati: gratia ſpiritus ſancti ſoluuntur. *Eloquiũ domini eſt ſpiritusſanctus.* Quid enim eſt eloquium domini: niſi ſpiritus ſanctus: dicente Chriſto ſuis Apoſtolis. Non enim vos eſtis qui loquimini: ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Cũ autem iſtud eloquiũ incarceratũ peccatorum vinculis inflammat: ſtatim ipſum liberatum à vinculis emittit.

Conſtituit eum dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſsionis ſuæ. 1809

Hic ponitur quintum, ſcilicet, ipſius Ioſeph exaltatio. Cauſa enim huius exaltationis habetur Gen. 41. *Ioſeph in regnum exaltatur.* Nam cùm Ioſeph eductus eſſet de carcere ad ſuggeſtionẽ magiſtri pincernarum, vt ſolueret ſomnia Pharaonis de ſeptẽ vaccis pinguibus præcedentibus, & ſeptem macris ſequentibus: ſimiliter & de ſeptem ſpicis pinguibus præcedentibus, & ſeptem vaccis ſubſequentibus. & illa prudenter ſoluiſſet, dicẽs: quòd primæ vaccæ ſeptem pingues & ſeptem ſpicæ priores plenæ: ſignificabãt ſeptem annos proximè futuros maximè abundantiæ & fertilitatis. ſequentes autem ſeptem vaccæ macilentes & ſeptem ſpicæ vacuæ: ſignificabant ſeptem alios annos ſequentes maximæ ſterilitatis, in quibus cõſumptura eſt fames omnem terram. ſubdit dicens regi. Prouideat ergo Rex virum ſapientem & induſtrium & præficiat eum terra Ægypti qui conſtituat præpoſitos per ſingulas regiones Aegypti, qui tempore ſeptem annorum fertilitatis

congregent frumenta in horrea regis: vt habeatur tempore ſterilitatis. Placuit conſilium Pharaoni, & cūctis principibus eius. Et tunc dixit ad Ioſeph. Quia Deus oſtendit tibi omnia quæ locutus es, tu eris ſuper domum meam: & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. vno tātum ſolio te præcedam. Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Et tulit annulum de manu ſua: & dedit in manu eius: & aſcendere fecit eum ſuper currum ſuum ſecundum: clamante præcone vt omnes coram eo genua flecterent: & præpoſitum eum ſcirēt vniuerſæ terræ Ægypti. Et hoc cōmemorans Pſal. dicit, *Conſtituit eum dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſsionis ſuæ*. Per iſta enim Pſal. vult oſtendere; quòd in domo regis quæ eſt eccleſia: dominus & princeps ſiue prælatus ille ſolum debet conſtitui: qui exemplo ipſius Ioſeph caſtitatem ſeruet integraliter: qui aduerſa portet patienter: qui ſcripturam exponat ſapienter: quæ habuit Ioſeph. vt patet ex dictis.

*Prælati conditiones.*

## 1810 Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſenes eius prudentiam doceret.

Hic ponitur ſextum, ſcilicet, ipſius Ioſeph illuſtratio. Quia ſicut ipſe à Deo illuſtratus fuerat ſapientia: ita ad hoc fuit exaltatus vt alios erudiret: ne lucerna domini tecta lateret ſub modio. Vbi aduerte, quòd ſcientia eſt duplex: vna, ſcilicet, per exercitium & ſtudiū acquiſita: alia autem diuinitus infuſa. Prima non concernit, niſi ſolum neceſſaria quæ aliter ſe habere non poſſunt: vt eſt naturalis philoſophia. Et iſta non ſe extendit ad actus humanos qui ſunt variabiles: neque ad certam futurorum cognitionem, quę pater poſuit in ſua poteſtate. Sed ſcientia diuinitus infuſa: omnia cōcernit præſentia, præterita, & futura. malitias hominum & euentus temporum: vt dicitur Sap. 8. Primam ſcientiam acquiſitam per ſtudium habebant Aegyptij. Quoniam in Aegypto primò viguit ſtudium ſapientiæ. vt dicitur 1. Metaph. ſed ſecunda ſcientia carebant, quæ neceſſaria erat ad prouidēdum cōtra ſterilitatem futuram. Et iſta docuit Ioſeph principes Aegypti. quia ſtatim circuit omnes regiones Aegypti docēs principes prouinciarum: quem ordinem tenere deberent in congregatione frumentorum per ſeptem annos fertilitatis. Et hoc eſt quod ait, *Vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum.* Et quia talis doctrina maximè erat circa actus humanos, & circa practica magis quàm circa ſpeculatiua: ideo dicitur prudentia. Et hoc eſt quòd ſubdit, *Et ſenes eius prudentiam doceret:* qua ſcirent frumenta congregare. Notandum autem quòd prudentia eſt multiplex, ſcilicet, temporalis, moralis, & ſpiritualis. Primò eſt prudentia temporalis. quā, ſcilicet, habēt homines mundi in acquiſitione rerum temporalium: ſicut mercatores aſtuti ad lucrandum, dicuntur prudentes; aduocati & iudices, qui temporalia per fas & nefas congregare ſciunt. De qua prudentia dicitur Luc. 16. Filij huius ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua. Et Baruch 3. Filij Agar exquiſierunt prudentiam quæ de terra eſt. Sed forte dices. Nūquid ergo peccatores & mali poſſunt habere virtutem prudentiæ? quia hoc videtur contra Philoſophum, dicentem, Impoſſibile eſt prudētem eſſe non entem bonum. Reſpondeo quòd duplex inuenitur prudentia tēporalis, ſcilicet, vera & falſa. Falſa eſt illa quæ intendit non bonum finē: & tamen moderat cautè illa quæ ſunt ad finem illum. Et iſtā habentes, vulgariter dicuntur prudentes: licet nō ſint verè prudentes. ſicut dicitur prudens latro: prudens adulter: & huiuſmodi. Et iſta virtus. 6. Ethic. dicitur Gnotic. id eſt, naturalis induſtria: quæ ſe habet indifferenter ad bonum & ad malū: ſiue dicitur quędam aſtutia, ſed non eſt propriè prudētia. cùm virtutes denominentur ſecundum dictamen rectę rationis ad finem debitum. Iſto modo prudentiæ vir diues, ſapiens ſibi videtur. vt dicitur Prou. 28. Et quia iſta prudentia eſt imperfecta: quia poteſt eſſe in bonis & in malis: ſecundum quòd aliquos actus prudentiæ poteſt habere, vt bene conſiliari: bene eligere in aliquib⁹. Et dicitur largè eubulia. 6. Eth. Et ſic dicitur quis prudens mercator vel prudens agricola. Secunda prudentia eſt moralis: quæ eſt vera virtus. quam Tullius 2. rethoricæ ſic deſcribit dicens, Prudentia eſt bonorum malorumq; ſciētia: ſcilicet, ad fugienda mala & inquirenda bona. Et quaſi eandem diffinitionē dat Philoſophus 6. Eth. dicens, quòd prudentia eſt habitus verus cum ratione actiuus circa hominis bona aut mala. Et primò rethoricæ dicit, quòd prudentia eſt virtus intellectualis: ſecundum quam homines poſſunt bene cōſiliari de his quę dicūtur optima vel bona ad felicitatem. Vnde inter omnes virtutes morales vel intellectuales; prudētia cōtinet has prærogatiuas: quia, ſcilicet, in virtutibus moralibus habet mediū inuenire. Principalis actus eius eſt pręcipere. Ad regimē multitudinis habet ſe extēdere. Alias virtutes ſub ſe aliquo modo habet includere. Primū habetur ex hoc ꝙ ponitur in diffinitione virtutis moralis. 2. Ethic. vbi dicitur, quòd virtus moralis eſt habitus electiuus immediatè exiſtēs determinatus ratione quo ad nos prout ſapiēs determinabit. i. prudēs. Sicut fuit Hirā. de quo 2. Paral. 2. dicitur, quòd ipſe prudēter ſciebat inuenire omne quod in opere erat neceſſarium. Secundum patet 6. Ethic. vbi dicitur quòd prudentia eſt præceptum. Cuius ratio eſt: quia actus propriis rationis practicæ eſt applicare conſiliata & iudicata ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini practicè: ideo bene dicitur principalis actus. Exemplum de Dauid: qui ad omnia prudenter ſe agebat: & ideo poſuit eum Saul ſuper exercitum, ſcilicet, ad præcipiendum, vt habetur. 1. Re. 18. Tertium patet ex tertio politicę. vbi dicitur, quòd prudētia eſt propria virtus principis. Etenim certū eſt: quòd iſta virtus eſt maximè neceſſaria principibus: & in illis qui alios habent gubernare. Vnde in Policraton lib. 4. dicitur, quòd nunquam meminit actor libri iſtos per quos res publica viguit illiteratos fuiſſe. Et vegetius de re militari, dicit, quòd nullus eſt quem oporteat vel plura vel meliora ſcire: quàm principem cuius doctrina omnibus ſubditis prodeſſe debet. Talis fuit Salomon: cui Deus dedit multam prudentiam. Quartum patet, quoniā vt dicitur 6. Ethico. Prudentia exiſtenti vna, omnes erunt virtutes. Cauſa eſt, quia habet ordinare circa materias omniū virtutum moralium: cū ſit ratio recta & perfecta agibilium: non reſpectu vnius virtutis tantum; ſed reſpectu omniū. quia pro obiecto ſibi adæquato habet totū bonū agibile humanū. Vnde Pro. 17. Gēma gratiſſima expectatio pręſtolātis quocunq; ſe verterit, prudenter intelligit, id eſt, quantū ad omnes alias virtutes: prudens ſe rectè diriget & ordinabit prout fuerit rationis. Iſta autem prudentia facit in homine iſta bona: quia Rationem dirigit ad rectè conſiliandum. Volūtatem ad rectè eligendum. Intellectum ad rectè iudicandum. Affectum ad bene operandum. De primo dicitur, 6. ethic. quòd prudentis eſt bene conſiliari poſſe circa ipſum, id eſt, circa bona humana & conferentia: non ſecundum partem: ſed ad totum bene viuere. Et iſta vocabitur eubulia. 6. ethic. Et ideo dicitur Prou. 2. Conſilium cuſtodiet te: & prudentia ſeruabit te. De ſecundo dicitur. 6. eth. quoniam non erit electio recta ſine prudentia. Et ad hoc dicitur homo prudēs: vt ſciat reprobare malum & eligere bonum: ſicut Salomō elegit prudentiam. De tertio dicitur 6. ethicorum. quòd ſineſis eſt virtus: qua quis bene iudicat quæ ſunt eligenda aut fugienda. Syneſis autem eſt quædam ſpecies prudentiæ aut pars. Et ſic prudens eſt bene iudicans circa agibilia. Vnde Prouerb. 14. dicitur. In corde prudentis requieſcit ſapientia. De quarto dicitur 2. ethic. quòd virtus eſt quæ habentem perficit: & eius opus bonū reddit. Modo prudentia eſt directiua ad opus bonum. Ideo dicitur Prouerb. 16. Vir prudens dirigit greſſus ſuos. Et Prouerb. 3. Beatus vir qui affluit prudentia. Tertia eſt prudentia ſpiritualis: quam quilibet poſſidens, gratiam habet. Et quia gratia charitatis eſt eadem: ideo poſuerunt aliqui quòd eſt dare prudentiam ſpiritualem correſpondentem charitati: ſicut eſt dare prudentiam correſpondentem omnibus virtutibus moralibus, theologicè loquēdo. Vnde iſta prudentia, habet Honeſtatis conuerſationem. Sanctitatis meditationem. Bonitatis operationem. Felicitatis contemplationem. Veritatis affirmationem. De primo. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes: & ſimplices ſicut columbæ. ſimplicitas autem attenditur in motu & geſtu. Super quo dicit Augu. Simplicitatem columbinam habete: ne cuiquam malum machinaueritis: & prudentiam ſerpentinam ne vnquam fallaris cuiuſquam inſidiis: quia non multum diſtat in vicio decipere vel decipi. De ſecundo. Qui ſapiens eſt corde: appellabitur prudens. De tertio. Eſtote prudentes, ſcilicet, operatione: & vigilate in orationibus. De quarto prouer. 9. dicitur, quòd ſapientia ſanctorum eſt prudentia. Sapientia autem ſanctorum eſt in contemplatione verę fœlicitatis. De quinto. Os prudentis quæritur in eccleſia. Sed vtrum poſſit inueniri in prælatis modernis & viris eccleſiaſticis? quia dubiū eſt ne magis verificetur illud Deut. 32. Gens abſque conſilio eſt & ſine prudentia: vtinam &c. Prudentia autem eſt circa futura. vt habetur. 6. ethic. Ad propoſitum ergo electus fuit Ioſeph vt ſenes Aegypti doceret prudētiam non primam, quia non eſt perfecta: non tertiam, quia erant infideles & ſine gratia. ſed ſecūdam quę eſt moralis. vt ſcilicet, prudenter ſcirent fami futuræ præuidere.

*Scientia eſt duplex. — Sapien. 8. — Studiū ſcientiæ in Aegipto incepit. — Prudentia multiplex. — Luc. 16. — Baruch. 3. — Phil. 6. Ethicorum. — Prouer. 18. — Tullius. — Philoſophus. — Ariſto. — 2. Paral. 2. — 1. Reg. 18. — Policraton. — Vegetius. — 3. Reg. 4. — Prouer. 17. — Ariſto 6. Ethicorum. — Prouer. 2. — 3. Reg. 3. — Prouer. 14. — Prouer. 15. — Mat. 10. — Auguſti. — Prou. 6. — 1. Petri. 4. — Eccl. 9. — Ariſto.*

## 1811 Et intrauit Iſrael in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Hic ponitur ſeptimum, ſcilicet, populi dei in Aegyptum deſcenſio. Vbi notandum quòd Iacob fuit binominis. Prius enim dictus fuit Iacob: ſed poſtquam luctauit cum angelo. & deum vidit facie ad faciem (vt habetur Gene. 32.) ab angelo fuit vocatus Iſrael. Hic autem cum omni ſua familia tempore famis prædictæ intrauit in Aegyptum: vt à filio ſuo Ioſeph ibi cum omnibus ſuis aleretur: vt habetur Gen. 45. Cùm enim fratres Ioſeph filij Iacob deſcendiſſent in Aegyptum vt emerent frumenta: & finaliter Ioſeph ſe manifeſtaſſet eis dicens, Ego ſum frater veſter Ioſeph quem vendidiſtis in Aegyptum: nolite timere: pro ſalute enim veſtra me præmiſit dominus in Aegyptum, Biennium eſt enim quòd fames cæpit: & adhuc quinque anni reſtant quibus arari non poterit, nec meti. Feſtinate ergo, aſcendite ad patrem meum. & dicetis ei. Hæc mandat filius tuus Ioſeph. Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ Aegypti. deſcende ad me cum omnibus quæ poſſides: eriſque iuxta me tu & filij tui, & filij filiorum tuorum &c. Et dedit eis plauſtra ad portandum patrem & omnia ſupellectilia eius. Iſti ergo venientes ad patrem, nunciauerunt ei dicentes. Ioſeph filius tuus viuit: & ipſe dominatur in totam terram Aegypti. Quo audito Iacob & viſis plauſtris & vniuerſis quę miſerat Ioſeph: reuixit ſpiritus eius: & ait, Sufficit mihi ſi adhuc viuit filius meus Ioſeph. vadam & videbo ipſum antequam moriar. Sicque profectus eſt Iacob in Aegyptum cum omnibus filiis ſuis & familia: & cū omnibus quæ habebat in terra Chanaam. Erant autem omnes tam Iacob cum filiis & filiorum filiis: numero ſeptuaginta. Et hoc eſt quod commemorans Pſalmiſta ait. *Et intrauit Iſrael in Aegyptum*, ſcilicet, cum omnibus ſuis: *Et Iacob*, qui idem quòd Iſrael, *Accola fuit in terra Cham.* Accola enim idem eſt quòd aduena, non indigena. Terra enim Cham dicitur Aegyptus: cuius gens à Cham filio Noe deſcendit. Cham enim filius Noe fuit pater Chanaam: de quo Aegyptij traxerunt originem.

*Gen. 32. — Accola au dicitur.*

## Et auxit populum ſuum vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius. 1812

Hic oſtendit octauum, ſcilicet, ipſius populi, ſcilicet, Iacob filiorum multiplicatio. Nam vt habetur Exode 1. Filij Iſrael creuerunt: & quaſi germinantes multiplicati ac roborati ſunt nimis: & impleuerunt terram. Vbi notandum quòd filij Iſrael quandiu vixit Ioſeph, qui dominabatur in Aegypto: propter ipſius Ioſeph poteſtatem fratres eius ab omnibus aliis Aegyptiis timebantur, & honorabantur. Et quia tamen Aegyptij hoc faciebant, non amore ſed timore: ideo corde eis maledicebāt quibus ore benedicebāt. Propter quod & ſi apparenter amici erant: tamen realiter erant inimici. Et hoc eſt quod ait, *Et confirmauit eum ſuper inimicos eius*, ſcilicet, quādiu vixit Ioſeph. Propter quod ſtatim mortuo Ioſeph: Aegyptij apertè oſtenderunt ſe inimicos eorum. vt habetur Exod. 1. Vel hoc quòd deus confirmauit populum ſuum ſuper inimicos eorum, ſcilicet, Aegyptios: refertur ad tēpus Moyſi. Mortuo enim Ioſeph, filij Iſrael fuerunt multum afflicti ab Aegyptiis, in tantum quòd regis præcepto omnis maſculus qui ex filiis Iſrael naſcebatur, necabatur. Sed poſt quando deus per manum Moyſi fecit illa mirabilia ſigna in Aegypto: & eam ſuis plagis percuſſit, tunc filij Iſrael fortificati & confirmati fuerunt ſuper Aegyptios. Et hoc ponit gloſa. dicens, *Et firmauit eum ſuper inimicos eius.* Hoc non ante Moyſen factum fuit: ſed per ſigna Moyſi. Ante enim maſculi filiorum Iſrael necabantur: & ipſi in faciēdis lateribus cōterebantur. Sed poſt in manu potēti per ſigna & porten

*Exod 1. — Iſrael in Aegypto quomodo fuit fortificatus. — Exod 1.*

portenta domini, metuendi & honorãdi facti ſunt: donec duri regis contentio vinceretur: ipſumque cum exercitu ſuo mare rubrum obrueret. Ex hoc quòd mortuo Ioſeph filij Iſrael multiplicati ſunt, quia auxit populum ſuum vehementer & firmauit eum &c. vult ſpiritualiter Pſal. oſtendere quòd per Chriſti mortem multiplicati ſunt fideles. Vnde Grego. ſuper Exod. ait. Sic poſtquam verus Ioſeph, id eſt, Chriſtus pro omnibus mortem ſuſcepit, & deſtruxit eum qui habebat mortis imperiũ: multiplicatus & auctus eſt populus fidelium. Niſi enim granum frumenti cadens in terrra mortuum fuiſſet, ſolum manſiſſet, Vel aliter ſecundum Origines. Si moritur in te Ioſeph, id eſt, ſi mortificationem Chriſti in te ſuſceperis, & mortifices membra tua peccato: multiplicãtur in te filij Iſrael. ſenſus, ſcilicet, boni & ſpirituales. Si enim ſenſus carnis mortificantur: ſenſus animæ creſcunt: & morientibus in te vitiis virtutes augentur: & terra te multiplicat in operibus bonis: quæ per officium corperis miniſtrantur. Paulum multiplicauerat terra qui dicebat, Permanere in carne magis neceſſarium eſt propter nos. Dum enim manet in terra, id eſt, in carne ſua: multiplicatur credendo acquirento populum deo &c.

*Grego. ſuper Exodum.*
*Chriſtus mors multiplicauit fideles & virtutes.*
*Origenes.*
*Philip. 1.*

## 1813 Conuertit cor eorum vt odirent populum eius: & dolum facerent in ſeruos eius.

Hic ponitur nonum, ſcilicet, ipſius populi ab Ægyptiis afflictio. Quod fuit quando rex Ægypti alios Ægyptios induxit apertè ad perſequendum filios Iſrael, dicens eis. Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. Venite ſapienter opprimamus eum: ne forte multiplicentur &c. Et tunc afflixerunt eos apertè operibus duris luti & lateris. Et quantum ad hoc dicit, *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius.* Etiam occultè inſidiabantur eis. Vt puta, quia rex Ægypti præcepit obſtetricibus, vt in partu Hæbræarum maſculos interficerent: ſimulando quòd abortiuum feciſſent. vt habetur Exo. 1. Sed dices: Quis conuertit cor eorum ad tantum malum peragendum: vt odirent populum eius, & dolum facerẽt &c. Dicunt aliqui quòd hoc refertur ad regem Ægypti: qui dixit. populo ſuo, Populus filiorum Iſrael fortior eſt nobis. Venite ſapienter opprimamus eum &c. Non enim auſi ſunt dicere quòd hoc fecerit deus: timentes ex hoc dicere quòd deus eſt cauſa peccati. Sed hoc non ſtat in veritate: quia ad literam Pſal. loquitur de deo, ſcilicet, quòd deus conuertit cor eorum vt odirent filios Iſrael. Non eſt maius periculum confiteri: quòd deus conuertit cor eorum ad odium: quam dicere quòd deus indurauit cor Pharaonis. Et tamẽ deus dicit apertè, Ego indurabo cor Pharaonis. Qualiter autem hoc deus facere poſſit: non tamen ſit cauſa peccati. vide ver. 1697. Cõſimiliter dicitur hic de deo: quòd conuertit cor eorũ vt odirent populum eius &c. Quomodo autem hoc ſit poſſibile deo: hic declarat gloſ. non quòd deus illorum corda ad malum induxerit: ſed ipſi propter bona dei opera ad malum ſunt moti. verbi gratia, Deus benefaciebat populo Iſrael: ipſos multiplicando & fortificando. Ægyptij ergo hoc videntes: ad inuidiam ſunt excitati, ſcilicet, quòd accolæ & peregrini in ipſorum patria tantum proſperarentur. Et ex hoc bono opere dei, ſe ad illorum odium conuerterunt. Vnde hoc ponens gloſ. hic dicit. *Conuertit cor eorum vt odirent populũ eius.* Non ideo dicit, Conuertit cor eorum: quòd deus ſit auctor mali. Non intelligendum eſt vel credendum quòd deus cor hominis ad facienda peccata conuertat: vel quòd paruum peccatum ſit odiſſe populũ dei. Iſtorum ergo grauium peccatorum auctor non eſt deus: quia nullius etiam leuiſſimi peccati, auctor credendus eſt. Sed mirabilis dei bonitas etiam malis bene vtitur. Cũ enim ipſi vitio ſuo mali eſſent: ille de malo illorum bene fecit. Non enim antequam odiſſent populum eius, boni erant: ſed maligni & impij: tales erant qui facile incolis ſuis fœlicibus inuiderẽt, Dum ergo auxit deus fœlicitatem populi ſui: hoc dei beneficio illi ad inuidendum ſunt conuerſi: quia iam mali erant. Non itaque cor illorum malum faciendo: ſed populo ſuo benefaciendo cor eorum ſponte malum conuertit: dum ſuos multiplicauit: vt odirent per inuidiam populum eius. Inuidia enim eſt odium alienæ fœlicitatis. quo illorum odio ad exercitationem populi ſui: & ad gloriã nominis ſui vſus eſt: ſicut ſequentia docent &c, Vnde Exode 1. dicitur. Oderant filios Iſrael Ægyptij: & affligebant illudentes eis.

*Exo. 1.*
*Exo. 7.*
*Cor ad malũ quomodo conuertit deus.*

## Miſit Moyſen ſeruum: Aaron quem elegit ipſum. 1814

Hic deſcribuntur mirabilia facta tempore Moyſi: tam in terra Ægypti quam in deſerto. Et primò deſcribuntur prima. ſecundò ſecunda. ibi. *Petierunt & venit cõturnix.* Circa primum duo facit: quia primo oſtenditur quorum miniſterio illa mirabilia ſunt facta. ſecundò quomodo: ibi. *Poſuit in eis.* tertiò quæ mirabilia fuerunt illa. ibi, *Miſit tenebras.* Quantum ergo ad primum primo notat miniſtros mirabilium factorum in Aegypto: qui fuerunt Moyſes & Aaron. In illis enim mirabilibus Moyſes erat principalis miniſter. ſed quia nõ erat multum eloquens: deus ſibi aſſociauit fratrem ſuum Aaron: qui loquelæ magnam habebat facundiam. Vnde Exod. 4. Poſtquam dixiſſet dominus Moyſi, Veni mittam te ad Pharaonem: vt educas filios Iſrael de Aegypto. Ait Moyſes ad dominum. Obſecro domine non ſum ego eloquens: ſed impeditioris & tardioris linguæ ſum. Tũc ſibi reſpondit dominus, Aaron frater tuus ſcio quòd eloquens eſt. tu pones verba mea in ore eius. ipſe loquetur pro te ad populum; & erit os tuum. Sic ergo iſtos duos miniſtros elegit deus vt loquerentur Pharaoni: & ipſorum miniſterio mirabilia in Aegypto faceret coram Pharaone. Moyſes erat immediatus dei miniſter: ſed Aaron quaſi miniſter Moyſi. Et aduerte, quòd vt ait gloſa. Exo. 4. Moyſes ideo dicebatur nõ eloquens: quia ſecundum Hæbræos Moyſes gracilẽ & tenuem habuit vocem: & in illis mirabilibus fiendis coram Pharaone, neceſſe erat vti voce clamoſa quia regio faſtu prope Pharaonem accedere nõ permittebatur. Erat autem tunc Moyſes octuaginta annorum: Aaron autem octuaginta tres. Hos ergo duos, ſcilicet, Moyſen & Aaron inſimul miſit dominus vt liberarent populum ſuum de ſeruitute Aegypti: ad denotandum quòd prælatus volens ſubditos de ſeruitute peccati liberare in ſe debet ſimul habere Moyſen & Aaron. Per Moyſen qui fuit legiſlator, ſcientia intelligitur: ſed per Aaron charitas; quia nec ſcientia ſine charitate: ſed nec charitas ſine ſcientia ſubditis proficit. immo magis poteſt ſubditis proficere ſcientia prælati quam

*Moyſes quomodo ineloquens fuit.*
*Exod. 4.*
*Exo. 4.*
*Moyſes ſignificat ſciẽtiam. Aarõ ſignificat charitatẽ.*



bona ipſius vita: vt dicit Oddo. ſuper illo verbo Exo. 28. Applica ad te Aaron fratrem tuum. dicẽs. Prælatus ſi ignorat legem dei, quomodo ſuum ſequetur officium? qui nec de vulnere ſcit iudicare: quomodo ipſum curare poterit? Cum ergo reprobandus ſit prælatus ex mala vita: multo fortius ex ignorantia. Peccare enim poteſt prælatus occultè vt noceat ſibi ſoli. Si verò cæcus fuerit: nõ ſe ſolum, ſed totum gregem in foueam trahit. Sic ergo quia ratione ſubditorum plus in prælato neceſſaria eſt ſciẽtia vel cognitio diuinæ legis figurata per Moyſen: quam caritatis vel bona vita figurata per Aaron. Hinc eſt quòd Moyſes pręmittitur ipſi Aaron, cum dicitur, *Miſit Moyſen ſeruum ſuum: Aaron, &c.* Et quòd per Aaron charitas vel ſanctitas vitæ denotetur: quod videtur magis obſcurũ: hoc patet. Quoniam magnam charitatem expreſſit Aaron quãdo ſe totum in adiutorium Moyſi orantis dedicauit: immo in ſubſidium totius populi: pro quo Moyſes orabat. Exo. 17. Vbi dicitur quòd dũ Moyſes oraret: Aaron & Hur ſuſtentabant manus eius. Quæ verba ad propoſitum exponit Gualfre. dicens, In Aarõ & Hur amorem dei & proximi accipite: quia in his duobus mandatis vniuerſa lex pẽdet & prophetæ. Nihil eſt quod timeas, ſi tales auxiliatores & conſiliatores habeas tecum. Per Aaron enim amor dei deſignatur: quia Aaron mons fortitudinis interpretatur. Et quid eſt mons fortitudinis: niſi amor omnipotentis? Vis ſcire quantum mons iſte ſit fortis. Charitas (vt ait apoſtolus) nunquam excidit: & charitas omnia ſuffert. Hunc montem diabolus non facile aggreditur: ſciens quod ſcriptum eſt, quòd qui tetigerit montem lapidabitur. Hur autem qui lumen, ſiue ignem ſignificat: amorem proximi nobis euidenter inſinuat. Quod enim amor proximi lumen ſit: Ioannes oſtendit dicens, Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet. Sit ergo nobiſcum Aaron, vt ardeat in nobis ignis diuini amoris: & ſic intus ferueat, vt etiam foris exeat per exhibitionẽ fraternæ dilectionis. Hoc namque mandatum habemus à deo: vt qui diligit deũ, diligat, & fratrẽ ſuum. O quam frigidus eſt in quo nõ ardet iſte ignis. Parũ dixi: mortuus eſt: iuxta illud. Qui nõ diligit, manet in morte. Et ideo quia nullus amor in infimis dulcior eſt amore fraterno, ideo ad oſtendẽdum quòd Aaron ſignificat charitatis amicitiam: ipſe in ſcriptura ſæpius fraterno nomine deſignatur. vt Exod. 7. Dixit ad Moyſen: Aaron frater tuus, ipſe erit propheta tuus. Ex quibus patet quòd in prælato ſimul Moyſes & Aaron debent coniungi, ſcilicet, ſcientia & amor vt ſubditos de poteſtate diaboli poſſit liberare. Sic enim deus miſit Moyſen ſeruum ſuum Aarõ quem elegit ipſum.

*Oddo. Exo. 28. Prælatus debet habere ſciẽtiã & caritatem.*
*Exo. 17.*
*Aarõ ſignificat caritatẽ & dilectionẽ dei.*
*1. Corin. 13.*
*Exo. 19. Hur ſignificat caritatẽ & dilectionẽ proximi.*
*1. Ioan. 3.*
*Exo. 7.*

## 1815 Poſuit in eis verba ſignorũ ſuorum & prodigiorum in terra Cham.

Hic oſtendit modum quo prædicti Moyſes & Aaron fecerũt mirabilia in terra Aegypti. Vbi notãdum quòd illa ſigna fuerunt facta virtute diuina, non virtute Moyſi vel Aaron: ſed facta fuerunt ad verba eorum, quia deus vt oſtenderet potẽtiam in ſeruis ſuis: poſuit verba in ore ipſorum: quibus ſigna mirabilia imperarent fieri. tamen ipſe deus miracula illa faciebat. Sicut ſacerdotis ore verba conſecrationis euchariſtię proferuntur: tamen deus eſt qui ſua virtute panem conuertit in Chriſti corpus, & vinum in ſanguinem. vt dicitur de conſe. diſtin. 2. quia corpus. Et aduerte quòd aliter poſuit verba ſignorum ſuorum in Moyſe: & aliter in Aaron. Nam deus per ſemetipſum informabat Moyſen quid eſſet dicturus: ſed mediante Moyſe informabat ipſum Aaron. Vnde dixit dominus ad Moyſen. Loquere ad Aaron: & pones verba mea in ore eius. ipſe loquetur pro te ad populum. Vbi gloſa. Auguſtinus. Hoc adiutorium Aaron Adiunxit dominus Moyſi, qui conuenienti voce ſufficeret populum docere. quoniam Moyſes gracilis vocis & tardioris linguæ erat. Quod autem ait: Dabis verba mea in ore eius: oſtendit quòd ea loquendo eſſet daturus. Deinde quod poſtea ait: Et loquetur pro te ad populum, & ipſe erit os tuum. Ex hoc indicat in Moyſe principatum: in Aaron autem miniſterium. Sic ergo differenter poſuit in eis, in Moyſe & Aaron verba ſignorum ſuorum & prodigiorum in terra Cham, ſcilicet, quæ ibi in Aegypto erat facturus. Terra enim Cham vocatur Ægyptus, eo quòd meſraim à quo denominata eſt Aegyptus, fuit filius Cham filij Noe. Gen. 10. Vnde vbicumque in veteri teſtamento habetur Aegyptus in Latino: in Hæbræo habetur meſraim. Hic nota quòd ſigna diuina ſunt in multiplici differentia. Eſt enim quoddam ſignum placatiuum diuinæ iracundiæ? quod eſt miſericordiæ. Quoddam ſignum punitiuum humanæ immundicię: quod eſt pænitentiæ. Quoddam directiuum humanæ ignorantiæ: quod eſt ſapientiæ. Quoddam expreſſiuum diuinæ potentiæ: quod eſt efficaciæ. De quarto autem ſigno hic agitur. quia in decem plagis quæ Deus immiſit per verba Moyſi & Aarõ in Aegytũ oſtẽdit potentiam ſuam cũctis præualere. vt ait domius Exo. 7. Multiplicabo ſigna & portẽta mea. Et de talibus ſignis nunc ait, *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum &c.*

*Moyſes in mirabilibus faciendis erat principalis: ſed*
*Aarõ miniſter Moyſi. Auguſt.*
*Gen. 10.*
*Signum multiplex.*
*Exo. 7.*

## Miſit tenebras & obſcurauit: & non non exacerbauit ſermones ſuos. 1816

Hic incipit narrare mirabilia quæ in terra Chã facta fuerunt. Et diuiditur in partes decem ſecundum quòd fuerunt mirabilia ſecũdum decem plagas quibus percuſſit Aegyptum. quæ tamen plagę hic non ponuntur illo ordine quo immiſſæ fuerũt. nec etiam hic omnes plagæ numerãtur ſiue ponũtur: quia ſolũ ex decem hic octo numerãtur. Et ſecundum iſtas octo plagas: hæc pars habet octo partes, quæ patebunt ſucceſſiue. Prima plaga quæ hic ponitur in ordine fuit nona, ſcilicet, plaga tenebrarum. De qua dicitur Exo. 10. Dixit dominus ad Moyſen. Extende manum tuam in cœlũ, & ſint tenebræ ſuper terram Aegypti tam denſæ vt palpari poſſint. Extendit Moyſes manum & factæ ſunt tenebræ horribiles in tota terra Aegypti: tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum: nec mouit ſe de loco in quo erat. Vbicumque autem habitabant filij Iſrael: lux erat, Et hoc recolens pſal. ait. *Miſit tenebras & obſcurauit: & non exacerbauit ſermones ſuos*, ſcilicet, ipſe deus: quia, ſcilicet, ipſos compleuit. Res enim quæ remanet acerba: non peruenit ad finem intentum naturæ. Illi ergo dicuntur exacerbare ſermones ſuos, qui promittunt, & promiſſa non implent. Sed quia deus plagas quas immittere promiſit: ad effectum produxit: ideo dicitur quòd non exacerbauit ſermones ſuos. Et quamuis iſta plaga tenebrarum ſecundum rei veritatem non fuerit prima: hic tamẽ ideo ponitur primo loco: quia per ipſam ſignificatur mentis cæcitas, quæ eſt omnis mali initium. quia ſecundum Ariſto. 3. eth. omnis malicia præſupponit mentis obſcuritatem. ideo dicit.

*Tenebrarum plaga.*
*Exacerbãtur ſermones qui nõ implẽtur.*

ibiq; omnis malus eſt ignorans. Cum enim obiectum voluntatis ſit bonum : nũquam aliquid vult, niſi aut quod eſt verè bonũ, aut quod apparet bonum,& nõ eſt:& tũc decipitur & ignoratur intellectus.Et hoc intelligit hic glo.dicẽs Per tenebras intelligimus corda eorum obſcura, qui præcepta dei ſpernebãt. Et eſt competens initium plagarum cæcitas,ſine qua non incurriſſet cætera.Et attende quòd iſta plaga quę realiter fuit nona:directe competit tranſgreſſori noni præcepti.Pręceptum enim nonum eſt. Non concupiſces vxorem proximi tui. Nona plaga denſæ tenebræ. Eſt enim quædam tenebra Mechia etiam in appetẽdo vxorem alienam: quando cuiuis non ſufficit ſua, etiam alienam tentare:verè denſæ tenebræ ſunt. Nihil enim tam dolet patiens, nihil tam nolit pati faciẽs:qui ergo hoc facit:verè cæcatur furore horribili.

*Vxorẽ alienã cõcupiſcere:cæcitas eſt horribilis.*

1817 Conuertit aquas eorum in ſanguinem:& occidit piſces eorum.

Hæc enim fuit prima plaga qua deus percuſſit Aegyptum. quia omnes aquas Aegypti conuertit in ſanguinem : & ſic occidit omnes piſces eorum. nec aliquis ex aquis poterat bibere. Hæc tamen plaga non tetigit terram Aegypti quam incolebãt filij Iſrael. Iſtam plagam expoſitam vide ver.1326. *Et occidit piſces eorum.* Per hoc enim quòd aquas cõuertit in ſanguinem : præſignabat eis deus, quòd aqua maris rubei verteretur eis in mortem. *Et occidit piſces eorum* : præſignans eorum finalem deſperationem.Vnde gloſa.Et occidit piſces eorum : ne ſit in aquis ſpes vitæ illis hominibus,cùm in aqua moritur,quod ibi naturaliter nutritur.Aqua enim ſignificat gratiam ſpiritus ſancti. Piſces ergo naturaliter viuentes in aqua ſignificant eos qui ſpe gratiæ viuunt:qui occiduntur apud Aegyptios : quia ſpe gratiæ priuantur. Vel per piſces qui viuunt in aquis :accipe pœnitentes, qui in aquis lachrymarum vitam ſuam ducunt. Et iſti apud Aegyptios occiduntur, quia nullus eorum ab obſtinatione ſua ad ſtatum pœnitentiæ erat reuerſurus:ſed omnes obſtinati in mari erant ſubmergendi.

*Piſces ſignificat ſpẽ & pænitentes.*

1818 Et dedit terra eorum ranas : in pænetralibus regnum ipſorum.

Hic ponitur alia plaga quæ fuit ſecunda. vt habetur Exod. 8. Vbi dixit dominus ad Moyſen. Dic ad Aaron.Extende manum tuam ſuper riuos, fluuios,& paludes:& educ Ranas ſuper terram Ægypti. Et extende Aaron manum ſuper aquas Ægypti: & aſcenderunt Ranæ:& operuerunt terram Ægypti.Quæ Ranæ fuerunt in tanta multitudine quòd intrabant omnia loca Aegypti quantuncumque ſecr eta,cameras,mẽſas,lectos &c. Et hoc eſt quòd ait, *Dedit terra eorum Ranas in penetralibus regum ipſorum.* Et dicit regum in plurali, quamuis vnus ſolus eſſet rex Aegypti : quia reges intelligit omnes principes regum, populumque regentes. Quid autem iſtæ Ranæ myſticè ſignificent. vide verſicu. 1327.Et vide quòd iſta ſecunda plaga:ſecũdo præcepto correſpondet. Quod deducit Richardus.dicens,Secundum præceptum eſt. Non accipies nomen dei tui in vanum.Nomen domini veritas eſt. Ipſe enim ait. Ego ſum veritas. Qui loquitur veritatem de deo loquitur:qui autem loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Veritatem loqui,eſt rationabiliter loqui : vanitatem autem loqui, ſtrepere. Secundum ergo præceptum eſt dilectio veritatis. cui contrariatur dilectio vanitatis. Loquitur veritas : Perſtrepit vanitas. Huic contraria eſt ſecunda plaga Ranarum abundantia : quarum loquacitas vanitatem ſignificat. Amatores veritatis non accipiunt nomen dei in vanum : quia à veritate in vanitatem non recedunt. qui autem veritati contradicunt : & vanitati decepti decipiunt; Ranæ ſunt tædium inferentes auribus, non verbum mentibus. Audi homines rationabiliter loquentes.non ſunt loquelæ neque ſermones : quorum non audiantur voces eorum : ſed voces non inanes : quia in omnem terram exiuit ſonus eorum &c.Audi & Ranas:vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum.

*Exo.8.*

*Ranarũ plaga.*

*Ranæ ſignificãt vane loquentes.*

Dixit & venit cynomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum. 1819

Hic ponitur alia plaga quæ fuit quarta. vt habetur Exod.8.vbi dicitur,Dixit dominus ad Moyſen. Loquere ad Aaron. Extende virgam tuam & percute puluerem terræ, & ſint cinifes in tota terra Aegypti : feceruntque ita : & extendit manum ſuam Aaron virgam tenens : percuſſitque puluerem terræ : & facti ſunt cinifes in hominibus & in iumentis:omnis puluis terræ verſus in cinifes per totam terram Ægypti. Et ſtatim poſt ſequitur de plaga cynomyiarum ſiue muſcarum. Et venit muſca grauiſſima in domo Pharaonis & ſeruorum eius in omnem terram Aegypti. Corrupta eſt autem terra ab huiuſmodi muſcis. Iſta duo inſimul commemorans Pſalmiſta ait, Dixit & venit cynomyia, id eſt, muſca canina. Et cum hoc venerunt aliæ muſcæ graues diuerſi generis.Et hæc fuit plaga quarta. De alia autem plaga quæ fuit tertia:ſequitur, *Et cinifes in omnibus finibus eius.* Quid autem ſit cynomyia. vide verſiculo 1327.Et nota quod dicitur, *Et venit cynomyia* : in Exodo dicitur:Et venit muſca. vbi accipitur ſingulare pro plurali.quia ibi fuit tanta muſcarum multitudo quòd totam terram Aegypti impleuerunt. Vnde Auguſtinus in gloſ. Exo.Et venit muſca &c. Muſca pro multitudine muſcarum poſita eſt. Neſcio enim quomodo per loquendi conſuetudinem imbutis ſenſibus hominum plus videtur quod ſingulariter quam quod pluraliter dicitur. verbi gratia, Eſt illic miles : plus ſignificat, quam ſunt illic milites. Eſt illic piſcis : plus ſignificat, quam ſunt illic piſces. *Et cinifes in omnibus finibus eius.* Cinifes enim ſecundum catholicon eſt genus paruarum muſcarum : quod vulgo dicitur zinzala. Et ſecundum papiam cinifes eſt genus culicũ aculeis permoleſtum. quæ ſunt ita paruæ,quòd vix oculis hominum videntur. Et attende quòd in iſta tertia plaga cinifum, magi Pharaonis defecerunt. Nam in prima plaga magi Pharaonis etiam aquã verterũt in ſanguinem,vt fecerat Moyſes. Similiter & in ſecunda plaga Ranarũ,ipſi ſuis incantationibus Ranas produxerunt. Sed in iſta tertia plaga defecerunt:non valentes ſuis incãtationibus producere cinifes. Vnde dixerunt, Digitus dei eſt hic.Quod petractans Auguſtinus ſuper Exo.dicit, Quod dixerunt magi ad Pharaonem, Digitus dei eſt hic : quia non potuerunt educere cinifes. Senſerunt profectò( cum artium ſuarum nefariarũ ſcirent potentiam non talibus artibus velut potẽtior in eis eſſet Moyſes)ſe fuiſſe fruſtratos.ſed digito dei qui operabatur per Moyſẽ,qui eſt ſpiritus ſanctus. Quod

*Plaga quarta muſcarũ.*

*Cynomyia eſt muſca canina*

*Auguſt.*

*Plaga Cinifum.*

*Cinifes eſt Zinzala.*

*Magi Pharaonis defecerũt in tertia plaga.*

*Augu.*



Quod enim alius euangeliſta ait. In digito dei eiicio demonia:id expoſuit dicẽs,in ſpiritu Dei.Cum vero magi:in quorum potentia Pharao cõfidebat: confiterẽtur digitum dei eſſe in Moyſe : in quo ſuperabantur eorum beneficia. Induratum tamẽ eſt cor Pharaonis.Cur autem in tertia plaga magi defecerunt:ſentire & explicare difficile eſt. Poterant enim in primo ſigno deficere.verbi gratia.Vbi virga verſa eſt in ſerpentẽ:& in prima plaga vbi aqua verſa eſt in ſanguinem:& in ſecunda de ranis ſi hoc voluiſſet digitus dei.id eſt ſpiritus Dei. Quis enim dixerit digito Dei magos in hoc ſigno poſſe impediri:& nõ in ſuperioribus ? Certa eſt ergo cauſa: quare huc vſq; facere permiſſi ſunt. Cõmendatur enim fortaſſe trinitas : & quaſi verum eſt. Summi philoſophi gentium quantum in eorum literis indagatur:ſine ſpiritu ſancto philoſophati ſunt:quãuis de patre & filio non tacuerint. Iſta tertia plaga cinifum directe correſpondet tertio mandato.Vnde Rabanus ait,Tertium præceptum eſt, Memento vt diem ſabbati ſanctifices. quo inſinuatur vacatio & tranquillitas mentis,quam bona conſciẽtia facit.Ibi ſanctificatio:quia ibi ſpiritus Dei. Vnde ſuper quem requieſcet ſpiritus meus : niſi ſuper humilem.quietum,&c.Inquieti ergo a ſpiritu ſancto reſiliunt.prouocatores rixarum, amatores calumniarum.nec admittẽt quietem ſpiritualis ſabbati. Eſto ergo manſuetus.nõ ſit tumultus in corde tuo volitãtibus per corruptionem fantaſmatibus & te pungentibus.Audi Deum dicentem.Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. Tu per inquietudinem vacare non vis:& cæcatus exigis videre quod non potes.Attende enim contrariã plagam. Cinifes natæ ſunt in terra Ægypti de limo muſcæ:ſcilicet minutiſſimæ,inquietiſſimæ,inordinatè volantes,in oculos ruentes, & negãtes hominibus requiem : dum abiguntur redeunt : ſic fantaſmata inquietorum.Pręceptum tene:plagam caue. Similiter & quarta plaga quarto præcepto reſpõdet.vnde idem ait, Quartum præceptum eſt. Honora patrem tuum & matrem tuam. Huic præcepto cõtraria eſt quarta plaga ſcilicet cynomyia. id eſt muſca canina.Canum enim eſt parentes non agnoſcere. Vnde & catuli canum cæci naſcuntur. De iſta quarta plaga vide verſi.1327.

*Digitum Dei ſpiritum ſanctum.*

*Rabanus.*

*Pſal.45.*

1820 Poſuit pluuias eorum grandinem: ignem comburẽtem in terra ipſorum.

Hic ponitur alia plaga quæ in ordine fuit ſeptima.vt habetur Exod.9.Dixit dominus ad Moyſen. Extende manum tuam in cœlum,vt fiat grando in omni terra Aegypti ſuper homines,& ſuper iumẽta,& ſuper omnem herbam agri in terra Aegypti. Extẽdit Moyſes virgam in cœlum:& dominus dedit tonitrua,& grandinem,& diſcurrentia fulgura ſuper terram,pluitq; dominus grandinẽ ſuper terram Aegypti:& grando igni mixta pariter ferebatur.tantæq; fuit magnitudinis, quanta nunquam ante apparuit in vniuerſa terra Aegypti, &c. Et hoc commemorans Pſal.ait. *Poſuit pluuias eorũ grandinem,&c.* De iſta plaga vide verſic.1329.Iſta plaga quæ in ordine fuit ſeptima : ſeptimo præcepto reſpondet.vt deducit Rab.dicens, Septimum præceptum eſt : Non furaberis. ſeptima plaga grando in fructibus. Nemo enim habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno.Dum furaris,acquiris veſtem:perdis fidem:lucrum viſibile, damnum inuiſibile.lucrum de tua cæcitate : damnum de domini nube. Qui enim malo deſiderio forinſecus furantur:Dei iudicio intrinſecus grandinantur : & ager cordis eorum deuaſtatur.

*Exod.9.*

*Plaga ſeptima grãdinis.*

Et percuſsit vineas eorum:& ficulneas eorum:& cõtriuit lignum finium eorum. 1821

Hic nõ ponitur plaga diſtincta:ſed effectus plagæ grandinis. Nam grando igni immixta deſcendens conſumpſit omne quod in campis vel in locis diſcoopertis reperit.Quoniam vt dicitur Exod. 9. Percuſſit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſq; ad iumẽtum: cunctam herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit : tantum in terra Geſſen vbi erant filij Iſrael grando nõ cecidit. Myſticè autem per vineam & ficulneam deſtructam:intellige hypocritarum opera à Deo eſſe reprobata. Vnde Greg.ait. O miſeri hypocritæ qui affectantes laudes hominum in ſemetipſis diſſipant fructus laborum. Cumq; ſe oſtendere alienis oculis appetunt: damnant quod agunt.Quos nimirum maligni ſpiritus cum ad iactantiam prouocant : eorum opera captiuantes denudant. Vnde ſub cuiuſdam gentis ſpecie antiquorum hoſtium malitiam ſignans,per prophetam veritas dicit, Poſuit vineam meam in deſerto:decorticauit ficum meam : nudans ſpoliauit eã:albi facti ſunt rami eius.Inſidiantibus quippe ſpiritibus, vinea Dei in deſerto ponitur cũ plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate diſſipatur. Ficum dei gens iſta decorticat.quia ſeductam mentem in fauoris appetitum rapiens : quo hanc ad oſtentationem pertrahit, tegmẽ ei humilitatis tollit:eamq; nudans ſpoliat:quia quouſque in bonis ſuis abſconditur, quaſi proprij tegminis cortice veſtitur.Cum verò mens hoc quod egerit, videri ab aliis appetit:quaſi ſpoliata ficus eum qua ſe texerat corticem amiſit. Vnde apertè ſubditur. Albi facti ſunt rami eius.quia oſtẽſa humanis oculi eius opera candeſcunt. De ſanctitate nomen ſumitur,cùm recta actio diuulgatur:ſed quoniã ſubducto cortice,rami huius fici areſiunt : ſolerter intuendum eſt,quia facta arrogãtium humanis oculis oſtenſa : vnde placere appetunt,inde ſiccantur. Mens itaq; quæ per iactãtiam proditur:decorticata rectè ficus vocatur. Vnde ait Pſalm.de appetitu laudis humanæ. *Et percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum, &c.* Vide de hoc effectu iſtius plagæ.verſicul.1330.

*Exod.9.*

*Vineæ diſſipatæ & ficui expoliatæ hypocritæ ſimilãtur.*

*Grego.8.moral.c.38.*

*Ioel 1.*

Dixit, & venit locuſta, & brucus: cuius non erat numerus. 1822

Hic ponitur alia plaga quæ in ordine fuit octaua immediatè ſequens plagam ſeptimam. Vbi notandum quòd(vt habetur Exod.9.) poſt plagam ſeptimam grandinis remanſerũt aliqua terræ naſcẽtia,quæ adhuc ſub terra latebant:necdũ ſupra terram erant nata.vnde grãdine(vt ibi dicitur ) linum & hordeum læſum eſt : eo quòd hordeum eſſet virens,& linum iam folliculos germinaret.Triticum autem & far non ſunt læſa:quia ſerotina erant.Iſta ergo octaua plaga ſuperueniẽs,ſcilicet locuſtarum & brucorum:totum quicquid remanſerat à plaga grandinis conſumpſit. Vnde vt habetur Exod.10. Dixit Moyſes ad Pharaonem. Hæc dicit dominus. Dimitte populum meum. Et ſi non vis dimittere: ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos,quę operiat

*Plaga octaua locuſtæ & brucus.*

*Exod.10.*

operiat ſuperficiē terrę:nec quicquam eius appareat,ſed comedatur quod reſiduum fuerit grandini:& corrodēt omnia ligna quę germināt in agris. Cum ergo Pharao nollet etiā adhuc dimittere populum:dixit dominus ad Moyſen. Extēde manum tuam ſuper terram Aegypti ad locuſtam,vt aſcendat ſuper eam,& deuoret omnem herbam quæ reſidua fuerit grandini. Extendit Moyſes virgam ſuper terram Aegypti : & dominus induxit ventum vrentē tota die & nocte:& mane facto,ventus vrēs leuauit locuſtas quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terrā Aegypti : & ſederūt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles,quales ante illud tempus non fuerunt. Deuorata ſunt ergo omnia quæ grādo dimiſerat.Iſtam ergo plagam memorans Pſalm. ait. *Dixit & venit locuſta, &c.* Vnde locuſta & brucus fuerūt inſimul vna plaga.Brucus enim eſt quidam paruus vermis à locuſta generatus qui dicitur brucus à bracos quod eſt breue, eo quòd breuis ſit. Et vide quòd iſta octaua plaga correſpondet octauo præcepto. Quod deducit Rab.dicens, Octauum præceptum eſt.Falſum teſtimonium nō dices. Octaua plaga locuſta animal,ſcilicet, dente noxium.Falſus enim teſtis mordendo nocet & cōſumit mentiendo.Vnde ſi mordetis & conſumitis, videte ne adinuicem conſumamini.

*Rabanus.*

1823 **Et comedit omne fœnum in terra eorum : & comedit omnem fructum terræ eorum.**

Hic non ponitur noua plaga ſed effectus plagæ octauæ, ſcilicet locuſtarum & brucorum quæ cōſumpſerunt omnia terræ naſcentia quæ remanſerant à plaga grandinis:vt dictū eſt. Litera clara eſt. Sed moraliter quid per locuſtas quæ omne bonū conſumpſerunt,quas ventus vrens adduxit,intelligitur:niſi adulatio quæ omnia bona deuorat hominis?Vnde Grego.ſuper Exod.ait.Exhibitæ cælitus Aegypti plagæ:exigentibus meritis corporaliter illatæ ſunt. Sed quæ mala quotidie prauas mētes feriant,ſpiritualiter ſignauerunt.Quibus exteriori percuſſione commota humana mens,dolenſque perpendet,quę vaſtationis damna interius negligens toleret. Per locuſtas enim quæ plus quàm cætera minuta animantia fructibus nocent,linguę adulatorum figurantur, quæ terrenorum mentes aliqua bona proferentes immoderatius laudando corrumpūt.Fructus enim Aegyptiorum opera cenodoxorum quæ locuſtæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes trāſitorias cor operantis inclinant. Herbam locuſtæ comedunt: quando adulatores verba loquentium fauoribus extollunt.Poma vero bonorum deuorāt, dum vanis laudibus quorundam tanquam fortium opera enarrant.Vel per locuſtam ſignificatur inanis gloria : per brucum autem vitium gulæ figuratur.vt oſtendit Greg.33.moral.c.39.exponēs illud Iohel. 1.dicēs.Reſiduum erucæ comedit locuſta. reſiduū locuſtæ comedit brucus.reſiduum bruci comedit rubigo.dicēs, Quid enim per erucam quæ toto in terram corpore repit:niſi luxuria deſignatur : quæ cor quod tenet ita polluit, vt in ſuperioris mundicię ſurgere amorem nō poſſit? Quid per locuſtam quæ ſaltibus euolat, niſi inanis gloria exprimitur quæ ſe variis modis præſumptionis exaltat. Quid enim per brucum cuius penè totum corpus in vētre colligitur:niſi edēdi ingluuies figuratur? Quid per rubiginem quæ dum tangit,incēdit niſi ira innuitur? Reſiduū ergo erucæ locuſta comedit:quia ſæpè dum luxuriæ vicium à mente receſſerit inanis gloria ſuccedit. Nam quia iam quaſi per amorem Dei caro ſternitur : mens quaſi ſe ſanctam ex caſtitate gloriatur. Et reſiduum locuſtæ comedit brucus:quia ſæpe cum inani gloriæ quæ quaſi ex ſanctitate veniebat,reſiſtitur : vel veneri vel quibuſlibet ambitionis deſideriis immoderatius indulgetur. Mens enim dei neſcia tāto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur:quanto nullo vel humano laudis amore refrenatur.Reſiduum vero bruci cōſumit rubigo:quia ſæpe dum ventris ingluuies per abſtinentiam reſtringitur : impatientia acrius dominatur. Et more rubiginis quaſi exurendo meſſem comedit : quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabefacit. Dum ergo intus vitia ſuccedūt: agrum mentis alia peſtis deuorat quod alia relinquit.Sic etenim quod plaga grandinis dimiſit : locuſta & brucus conſumpſit.

*Gregorius.*

*Locuſtæ ſignificant adulatores.*

*Greg.33.moral.c.39.*

*Eruca ſignificat luxuriā.*

*Locuſta ſignificat inanem gloriam.*

*Brucus ſignificat gulam.*

*Rubigo ſignificat impatiētiam.*

*Peccatū ſucce dēs conſumit quod præcedēs relinquit.*

**Et percuſsit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum.** 1824

Hic ponitur alia plaga:quæ fuit decima & vltima,ſcilicet, omnium primogenitorum Aegyptiorum interfectio. Aduertēdum autem quòd hic nō facit mētionem de duabus plagis,ſcilicet,de quinta & ſexta. Quinta enim fuit omnium animalium Aegyptiorum peſtilentia & mors.quæ ſecundum Rabanum correſpondet 5.prędcepto.Quintū enim præceptum eſt : Non mæchaberis. Quinta plaga mors in pecoribus & animalibus : Comparemus hæc.Da hominem mæchari volentem cōiugio nō contentum:appetitum carnis domare nō vult:nobis pecoribusq; communem. Coire enim & generare etiam pecudum eſt:ratiocinari & intelligere hominum.Ratio ergo quæ præſidet : motus inferiores tanquam regina frenare debet, nō immoderatè laxare. Ideoq; pecoribus natura datum eſt: vt certis tantum temporibus ad coitum moueantur.Interim namq; motus ipſe torpeſcit:homo autem ſemper moueri poteſt : quia refrenare motum ſemper poteſt.Tibi determinationem rationis creator dedit : tibi præcepta continentiæ tanquam in beſtias inferiores lora cōceſſit. Tenes quod pecus non poteſt : & ſperas quod non poteſt.laboras in continendo non pecus.ſi opus fatigat : merces cōſolatur.Debes interiorem motum frenare:non tāquam pecus in omnia laxare. Quod ſi contempſeris & imaginem Dei quæ in te eſt ſeruare neglexeris:victus cupiditate tāquam dimiſſo homine, pecus eris:cōtra illud,Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus nō eſt intellectus. Sed forte eligis libera libidine vagari:nulla lege refrenari. Attēde plagam:ſi pecus es ſaltem mori time.Sexta verò plaga fuit : quòd in hominibus & in iumentis facta ſunt vulnera & veſicę turgentes : nec poterant malefici Pharaonis propter vulnera quæ in eis erant ſtare coram Moyſe. Et hæc plaga ſexto præcepto correſpōdet ſecundū Raba.quod ſic deduxit. Sextum præceptum eſt:nō occides. Sexta plaga puſtulæ in corpore, veſicæ bullientes & ſcatentes incendia vulnerum fauillæ fornacis. Ardēt enim homicidæ, ira,inſania.Si poſſes videre animas homicidarum: plus plangeres quàm putrentia corpora vlceratorum.Iſtas duas plagas interpoſui quia iſtas omittit hic Pſal.& neſcio quare. Reuertor ergo ad decimā plagam quæ fuit primogenitorum interfectio, Nā vt habetur Exod.12. Celebrato Paſcha à populo Dei quando comederunt per familias ſuas agnum paſchalem:factū eſt, in noctis medio percuſſit dominus omne primogenitum in terra Aegypti à primogenito Pharaonis qui ſedebat in ſolio eius,vſq; ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere.& omne primogenitum iumentorū. Surrexitq; Pharao nocte,& omnes ſerui eius,cunctaq; Aegyptus: & ortus eſt clamor magnus in Aegypto:neq; enim erat domus in qua non iaceret mortuus, &c. De iſta plaga vide verſic.1333.Hæc decima plaga correſpondet decimo præcepto.vide verſi.1333.

*Rabanus.*

*Plaga quinta ſuit peſtis animalium.*

*Luxuria facit hominē pecus.*

*Pſal.31.*

*Sexta plaga fuit vlcera & veſicæ turgētes.*

*Rabanus.*

*Plaga decima primogenitorum interfectio.*



1825 **Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorū infirmus.**

Narratis plagis quibus Deus Aegyptios percuſſit:& conſequenter narratur exitus populi Dei d. Aegypto.Et primo narratur exitus ipſorum.Secūdo ipſorum progreſſus:ibi, *Expandit.* Quantum ad primum : primò oſtendit ipſorum exitum quo ad filios Iſrael.Secundò quo ad Egyptios : ibi. *Lætata eſt.* Quātum ad primum circa populum Iſrael duo tangit,ſcilicet, ipſorum proſperitatem temporalē: ibi, *Et eduxit eos cum argento & auro.* Secūdò proſperitatem perſonalem : *quia non erat in tribubus eorū infirmus.* Quantum ad primum ſciendum quòd Pharao cum omnibus ſuis ſubditis viſis plagis Dei: maximè vltima quæ fuit mors omnium primogenitorum:omnes mori timuerunt.vnde amplius nō fuit auſus retinere populum Dei : ſed etiam ipſum exire cum omnibus ſuis coegit,In illo autem exitu (vt habetur. Exod.12.) dominus dedit gratiam populo Iſrael coram Aegyptiis. quia quicquid ab eis poſtularunt mutuo,conceſſerunt eis. Poſtulauerūt ergo ab illis mutuo ex præcepto domini vaſa aurea,& argentea,& veſtes:quæ omnia eis conceſſerunt. & ſic cum omnibus illis receſſerunt & expoliauerunt Aegyptios. Vnde dixit dominus ad Moyſen.Dices omni plebi : vt poſtulet vir ab amico ſuo : & mulier à vicina ſua vaſa aurea & argentea : dabit autem dominus gratiam populo coram Aegyptiis. Et hoc eſt quod ait Pſalm.quòd eduxit eos dominus,ſcilicet,de Aegypto cum argento & auro.Sed nunquid furtum fecerunt:quia ſic doloſe petētes mutuo expoliauerūt Aegyptios? Reſpōdetur quòd non:quia hoc fecerūt ex præcepto domini cuius ſunt omnia : & poteſt illa dare quibus vult:& auferre à quibus vult. Vel etiam aliter.nam ipſi Aegyptij expoliauerūt Hebræos : quia mercedem ipſorum retinebant, quam eis pro laboribus ſuis dare tenebātur.Hęc ergo expoliatio Aegyptiorum ab Hebręis facta fuit magis bonorum ſibi debitorum acceptio quàm alienorum.Sed hic Auguſtinus mouet dubium.Hebræi habitabāt in Aegypto ſeorſum ab Aegyptiis : ſcilicet in terra Geſſen vbi nec plagæ fiebant:quomodo ergo potuit quis petere a vicino ſuo,vel vicina vaſa aurea,& argentea,vel veſtes? Reſpondet. Intelligendum eſt ergo in terra Geſſen non ſolum Hebræos habitaſſe : ſed etiam aliquos Aegyptios cohabitaſſe:ad quos potuerunt merito Hebræorum illa diuina beneficia peruenire vt eos etiam diligerent.& quod petebāt facilè commodarunt. Nec tamen Deus iudicauit ita eos alienos fuiſſe ab iniuriis & contritionibus quas populus Dei pertulit:vt nec iſto damno ferirentur qui plagis aliis percuſſi non fuerāt. Sed nūquid exemplo iſtorum licet nobis proximos decipere?Reſpondit Auguſt.ſuper Exo.dicens. Nō debet hinc quiſquam exemplum ſumere, vel proximum expoliare. Hoc enim Deus iuſſit qui nouerat,quid quodq; oporteat pati. Nec Iſrael furtum fecerunt : ſed deo iubenti miniſterium præbuerūt. Sicut enim miniſter iudicis occidit quem iudex præcepit:ſed ſi illud ſpōte faciat,homicida eſt:etiā ſi eum occidat quem ſcit à iudice occidi debuiſſe. Item notandum quòd iſta vaſa mutuo fuerunt poſtulata,non poſt mortem primogenitorum ſed ante.Non enim eſt veriſimile quòd in tanto luctu : vt fuit plaga primogenitorum,iſta commodarentur. Sed adhuc maius reſtat dubium.quoniā & ſi Deus vt verus omnium dominus iſta potuerit licite auferre ab Aegyptiis & conferre Hebræis : ſed tamen hoc Deum per deceptionem facere nō licuit.quomodo ergo præcepit vt vaſa illa mutuo peterent: quæ tamen non mutuare:ſed dominium transferre volebat ad Hebræos?Hoc dubium mouet gl.dicens, Præcepit Deus Hebræis vt vaſa aurea & argentea ac veſtes precioſas ab Aegiptiis mutuarēt: ac ſecum aſportarent.In hoc autē quòd Aegyptios deceperunt : non eſt putandus deus dolos eis qui ſurſum habent cōr,vel iubere vel approbare : quia in eis non fuit hic dolus:quia nō ex cupiditate fecerunt:ſed vt deo mandanti parerēt. Illi autem infirmi quorum cupiditates examinabat Deus : magis permiſſi ſunt hoc facere illis,ſcilicet, Aegyptiis qui talia iure paſſi ſunt,quàm iuſſi.Sicut enim bonis præceptum fuit : ita & cupidis permiſſio ſecūdum aliquid:& ſecundum aliud præceptio.Præcepit Deus vt facerent:ſed permiſit.Non præcepit vt ita facerent.Quantitas ergo facti fuit in permiſſione:factum vero in præceptione. Sequitur de ſecūdo beneficio. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* In toto enim tempore quadraginta annorū quo fuerunt in deſerto:veſtimenta ſua,ſcilicet filiorum Iſrael nō fuerunt læſa nec attrita:vt dicitur Deute.8. Veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit : & pes tuus non eſt ſubtritus. En quadrageſimus annus eſt. Similiter quando exierunt Aegyptum:in toto illo tā grandi populo nullus erat infirmus:quod dei prouidētia fecit:ne alicuius ipſorum infirmitate ipſorum exitus de Aegypto tardaretur.Nam ſecundū quod habetur Exod. 12. Numerus filiorum Iſrael qui exierūt Aegyptū: fuit ſexcenta fere millia peditum virorum abſque paruulis:ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cū eis. & in tanta multitudine nullus erat infirmus. Sed nunquid iſta corporalis ſanitas durauit per totum tēpus quo fuerunt in deſerto?Credo quòd non : quia omnis illa multitudo ſexcētorum milium moriebatur in deſerto : duobus exceptis.Et certum eſt : quòd mortem naturaliter præcedit infirmitas.

*Exod.12.*

*Exod.11.*

*Anfurtū fecerint filij Iſrael expoliātes Aegyptios.*

*Occidens aliū qualiter eſt homicida: & qualiter non.*

*Gloſa.*

*Auguſt.*

*Veſtes populi in deſerto nō fuerūt attritæ.*

*Deuter.8.*

*Exod.12.*

**Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum:quia incubuit timor eorum ſuper eos.** 1826

Hic oſtendit exitus illorum conditionem quo ad Aegyptios.Videntes enim Aegyptij plagam vltimam interfectionis primogenitorum:timētes ne ſi filij Iſrael violenter tenerentur, reliquis ita accideret:eos emiſerunt:immo eos exire ægyptum coegerunt. Vnde cum tanta feſtinantia exierūt ægyptum quòd non potuerūt ſibi de victualibus prouidere:

*Aegyptij lætati fuerūt in profectione filiorum Iſrael & qualiter.*

uidere: vnde nec panem fermentatum potuerunt coquere: ſed fecerũt panes ſubcinericios azymos: vt dicitur.Exod.12.Neq; enim poterant fermẽtari cogentibus exire ægyptiis:& nullam facere ſinentibus moram.Et ideo in memoriale huius liberationis deus præcepit eis:vt omni anno Hebręi paſcha facerent in quo non comederent panem fermẽtatum,ſed ſolum azymum:in memoriam quòd compulſi exire ægyptum azymos panes ſibi præparauerunt.Et quia illud paſcha ſiue tranſitus erat figura tranſitus Chriſti ex hoc mundo ad patrem: in quo tranſitu ſacramẽtum euchariſtiæ inſtituit: ideo ſacramẽtum euchariſtiæ adhuc eccleſia celebrat in pane azimo.*Lætata eſt ergo ægyptus in profectione coorum*.Non quidem proprie lætata:quia malè libenter caruit ſeruitute Hebræorum.ſed ideo lætata:quia libentius elegit corũ ſeruitute carere quàm mori.Sicut homo timens mori lętatur ſi liberatus à morte mittatur in exilium: quod tamen exilium de ſe ſibi non placet. Vel aliter ſecundum aliquos, *Lætata eſt ægyptus in profectione eorum*.Hoc quidem nõ refertur ad exitum de ægypto. Sed quando audita tanta ſtrage mortuorum in mari rubro:quãdo,ſcilicet, Pharao perſequens Hebræos cum toto ſuo exercitu in mari rubro fuit ſubmerſus. timebant ægyptij ne populus Iſrael reuerteretur ad ægyptũ reliquias ægyptiorum cõſumere. Et ſic lætati ſunt quando ſcierunt quòd Iſrael illis mortuis proficiſcebantur verſus terram promiſſionis: & nõ reuertebantur in ægyptum: quia mortuis in mari exercitibus:ſi fuiſſent reuerſi,faciliter totam ægyptum obtinuiſſent.Et hoc eſt quod ſubditur, *Quia incubuit timor eorum ſuper eos*. Ex prædictis poſſumus notare modum diuinæ bonitatis: quo peccatores ad pœnitentiam vocat per aduerſitates:quia incipit à lenioribns ad grauiora procedens, ſi non conuertãtur ex primis.ſi autem obſtinati finaliter manẽt: ipſos in mare inferni ſubmergit. Quod deducit ex prædictis plagis.Orige.ſuper Exod.dicens, Conſidera erga peccatores Dei bonitatem ſiue pietatem & ſapientiam.Primo enim non flectitur Pharao cũ vertitur aqua in ſanguinem.In ſecundo parũ molliri videtur,ſcilicet,in plaga ranarũ. Vocauit enim Moyſen & Aaron dicens, Orate pro me ad dominum.In tertio autem ſigno,ſcilicet, cinifum magi cedunt:dicentes,Digitus dei eſt hic. In quarto per cynomyiam verberatus:dixit,Eũtes immolate domino deo veſtro, &c. In quinto verò ſigno necis pecudũ & animaliũ non cedit:ſed amplius induratur.In ſexto ſimiliter ſuper plagam vlcerum. In ſeptimo verò cum grandine deuaſtatur & ignibus: vocauit Moyſen & Aaron, dicens, Peccaui etiam nunc:dominus enim iuſtus:ego autem & populus meus impij ſumus. In octauo verò cum locuſtis vrgetur:feſtinanter vocat Moyſen & Aaron,dicẽs, Peccaui ante dominum deum veſtrum & in vos: ſuſcipite peccatum meum etiam nunc & orate ad dominum deum veſtrum. In nono cum tenebris effunditur vocat Moyſen & Aaron:dicens, Ite ſeruite domino deo veſtro, &c. In decimo vero cum primogenita extinguuntur vocat eos nocte:& dicit. Surgite & exite de populo meo vos & filij veſtri,&c.Et ſubdit:Benedicite autem me.Sic & myſticè deus diuerſis aduerſis vocat peccatores. Sed nota quia dicit quòd lætata eſt ægyptus, &c. quia incubuit timor eorum ſuper eos. Quod conuerſio peccatoris vel pœnitentia facta timore pœnæ non valet.vide verſi.242.1315.1718.

*Exod.12.* — *Plagæ decem ægyptiorũ quibus Deus vocat peccatores.* — *Origenes.*

## Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem. 1827

Hic incipit narrare ipſorum progreſſum: & eis beneficia collata in ipſorum progreſſu deſcribere. Et tria facit: quia primò narrat beneficia eis exhibita quo ad tempus.Secundò quo ad corpus: ibi, *Petierunt*. Tertiò ex his concludit quòd in promiſſis eſt verus:ibi, *Quoniam memor*. Quantum ad primum ſciendum(vt habetur,Exod.14.)quòd ſtatim vt populus Iſrael exiuit de ægypto, dominus ducatum præſtabat eis viam quam eos tenere volebat. Per diẽ namq; præcedebat eos in columna nubis quæ eos protegebat ab æſtu ſolis.ſed per noctem in columna ignis: vt obſcuritatẽ noctis perluſtraret. Hoc declaratum fuit verſi.1294. Et ſic nubes in die erat ad protectionẽ eorum.prout tego, gis, ſtat pro operire.& ſic protegere pro valde operire: quia nubes interpoſita inter ſolem & eos operiebat eos contra ſolis ardorem. De protectione vide verſic.438.

*Exod.14.* — *Columna nubis & ignis præcedebat filios Iſrael.*

## Petierunt & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos. 1828

Hic deſcribit beneficia eis collata quo ad vitam corporis neceſſariam.Et primo quo ad cibum.Secundo quo ad potum:ibi. *Dirupit petram*.Quantum ad primum ſciendum quòd cum eſſet populus Iſrael in deſerto, vulgus promiſcuum quod aſcẽderat de filiis Iſrael de ægypto:non contentus manna flagrabat deſiderio carnium, flens & ait, Quis dabit nobis carnes ad veſcẽdum?Recordamur piſciũ quos comedebamus in ægypto. Audiuit autem Moyſes murmur populi:& ait ad dominum. Vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? flent enim coram me dicentes, Da nobis carnes vt comedamus.Dixitq; dominus ad Moyſen. Dices populo. Sanctificamini.cras comeditis carnes: dabo enim vobis carnes non vno die vel duobus, aut quinq; aut decem,nec viginti quidem:ſed vſq; ad menſem dierum donec exeant per nares veſtras & vertãtur vobis in nauſeam, &c.Tunc ergo ventus egrediẽs à domino: arreptas trans mare conturnices detulit,& dimiſit in caſtra:itinere quantum vno die cõfici poteſt ex omni parte caſtrorum per circuitum. volabãtq; in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram.Surgens ergo populus collegit coturnices, &c.Et hoc eſt quod dicitur Pſal.77.Tranſtulit auſtrum de cœlo,& pluit ſuper eos ſicut puluerẽ carnes,&c.vide ibi verſi.1307.& infra. Et hoc hic recolens Pſal.dicit, *Petierunt & venit coturnix*.Sed qui petierunt?Populus?non quidem:quia ille non poſtulauit ſed murmurauit. ſed hoc poſtulauit a deo Moyſes cum aliquibus aliis bonis vt murmurationem populi ſedarent.Et hoc eſt quod ait gl. Petierunt itaq; non coturnicem ſed carnes:& venit coturnix:non quælibet caro,ſed coturnix quæ habet nobiliſſimas carnes. Et quia hic nõ de amaricatione iniquorum in quibus non eſt beneplacitũ deo: ſed de fide electorum qui ſunt verũ ſemẽ Abrahæ, loquitur.Ideo ipſi intelligendi ſunt poſtulaſſe carnes: vnde amaricantium murmura præmerentur. Et non ſolum prouidit eis de carnibus: ſed etiam de pane.vnde ſubditur, *Et pane cœli ſaturauit eos*. Hic panis de cœlo fuit manna:quod eis pluit de cœlo. de

*Nume.11.* — *Coturnices dedit Deus populo.* — *Pſal.77.*



de quo dictum eſt Pſal.77. Et pluit illis manna ad manducandum: panem cœli dedit eis.vide verſic. 1305.1306.

*Pſal.77.*

## 1829 Dirupit petram,& fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.

Hic oſtendit beneficium eis collatum quo ad potum.Iſtud autem beneficium aquę ſibi miraculosè traditæ:bis eis dominus contulit,ſcilicet,primò ante dationem legis:vt habetur Exod.17. Vnde de hoc dicitur.Pſal.77. Interrupit petrã in Eremo,&c.vide 1295. Secundò poſt dationem legis: vt habetur Nume.20.Et de iſta ſecunda vice dicitur ibidem. Et eduxit aquam de petra.vide verſicul.1296.

*Aquam de[…] Deus po[…] in deſer[…]* — *Nume.20.*

## 1830 Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerũ ſuum.

Hic ex dictis concludit quòd Deus in promiſſis eſt fidelis.Promiſerat enim Deus Abrahæ quòd ſemen ſuum peregrinum eſſet futurum in terra aliena:& ſubiicerentur ſeruituti,& affligerentur quadringentis annis:poſt quos educeret eos inde cum magna ſubſtantia:& eos introduceret in terrã promiſſionis.Vt ergo ſeruaret promiſſa,prouidit eis in deſerto in omnibus neceſſariis. Et hoc eſt quod dicitur,Quare dicta beneficia contulit eis? Reſpõdet: quoniã memor fuit verbi ſancti ſui quod habuit ad Abraham. Vel aliter: vt per hoc oſtendat quòd illa beneficia non dedit illi populo propter ipſorum merita,cum eſſent rebelles,& murmurãtes:ſed propter merita Abrahæ quibus merebatur vt promiſſio ſibi facta perficeretur. Et nota quòd præmia correſpondẽt meritis. Inter omnes autem ſanctos patres Abraham maximè de pietate erga indigentes & peregrinos commendatur: propter quod conueniens erat quòd propter illum deus ſemini peregrè per deſertum cõſtituto etiam de neceſſariis prouideret. Abraham enim omnibus in exemplum pietatis erga indigentes & peregrinos ponitur.Hic enim pauperum pater & hoſpitalitatis fuit:propter quod angelos meruit recipere.Vnde de ipſo dicitur Diſt.42. Quieſcamus. Quieſcamus ab hac abſurda curioſitate.& infra, Abraham circa omnes hoſpitalem ſe oſtendebat.Si ſcrutator fuiſſet circa refugientes ad ſe, nunquam angelos hoſpitio recepiſſet. Fortaſſis enim nõ putaſſet eos angelos:ſed cum reliquis repelleret. Sed quoniam Abrahã omnes ſuſcipiebat,ſuſcepit angelos hoſpitio. Non enim ex vita eorum quos accipis mercedem tibi tributurus eſt dominus: ſed ex voluntate & ex honorificentia multa, & miſericordia & bonitate tua. Et ſunt verba Chryſo.ſuper epiſtolam ad Hebræ. Et vide mirabilem ipſius Abrahæ erga pauperes pietatẽ:quia non fuit contentus Abrahã in præſenti vita pauperes fouere & hoſpitio recipere:quinimo etiam poſt mortem in alia vita pauperum fuit receptor.vnde illum mẽdicum & pauper Lazarum poſt hãc vitam geſtabat in ſinu. Vnde Luc.16.dicitur, Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in ſinu Abrahæ,&c. Quod exponens Pe.Ra.dicit. Vides quàm rerum lamentanda permutatio. pauperem portant angeli in ſinu Abrahæ:diuitem autem deglutit infernus. Quare ergo ſic exequiarum pompa mentitur? In obſequium diuitis migrat tota ciuitas cum funus effertur. Pauper vadit ſolus:pauperem portat duorum miſeratio baiulorum: nec quatuor vt mortuo: ſed duobus vno vecte: quaſi proiiciendo eum portatores adducuntur inuiti. Merito mox ei officia deputãtur angelica: cui tam crudeliter negata ſunt ipſa humanitatis.funus diuitis antecedit lugubris turba ſuorum: feretrum pauperis antecedit angelorum pſallentium multitudo.Vnde & de mẽdico paupere dicitur, Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in ſinu Abrahæ. Sed cur Abraham ſic ambit pauperem: diuitem autẽ ſic refugit & refutat? Nõne & ipſe diues fuit. Re vera diues fuit:ſed pauperum pater: & opes non habere ſed prærogare geſtiuit,magiſq; in ſinu pauperis quàm in horreis recondere ſuas ſtuduit facultates: ſicut in toto vitæ eius exordio perdocetur.Exterus patria,domus neſcius,ipſe & domus omnium fuit & patria: ſciẽs ſe non incubatorem ſed diſpenſatorem diuinæ poſitum largitatis. Et de eius hoſpitalitate quid dicam?cum & ipſum Deum Abrahæ humanitas inuitauit & compulit hoſpitari? Vnde & nũc parum ſe beatum credidit: ſi etiam ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis ceſſaret officio & ſolis donis frueretur diuinis:qui hic crudelem ſe credidit, ſi humana bona cuiq; negaret. Hæc ille. Et quia pietas & miſericordia erga pauperes etiã temporalia multiplicat bona:ita & Abraham diuitiæ quanto plura erogabat:tanto amplius multiplicabantur. Propter quod de ipſo dicitur, Erat autem Abraham ſenex multorumq; dierum: & dominus in cunctis benedixerat ei. Ex quibus patet: quòd Abraham propter ſua pietatis opera erga peregrinos apud Deum meruit, vt ſemini ſuo peregrè proficiſcenti etiam dominus in cunctis neceſſariis prouideret. quia ſi deus iniquitates patrum viſitat in filios: quanto amplius propter bona opera patrum cum filiis bene agit?Et ideo ſi quæras: quare iſta populo Deus ſic prouidebat in deſerto. Reſpondetur: quòd propter merita Abrahæ. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui:quod habuit ad Abraham,&c.* Vel hoc ſolum refertur ad illud quod dictum eſt ſuperius: Et eduxit eos cum argento & auro.ratio quia memor fuit verbi ſui quod habuit ad Abraham: quando, ſcilicet, dixit ad Abraham quòd ſemen ſuum educeret de ſeruitute cum magna ſubſtantia. Qualiter autem memoria cadat in deo,ſcilicet,quomodo memorari dicatur.vide ver. 270.1234.1324.1363.

*Geneſ.15.* — *Abraham […] ſumme […] erga […]* — *Geneſ.18.* — *Eleemoſyna […] eſt […]* — *Chryſoſt.* — *Luc.16.* — *Pe.Ra.* — *Exequiarũ pompa mẽtitur.* — *Nota totũ de diuitibus & pauperibus quantũ diſtãt ad inuicẽ in morte.* — *Geneſ.24.* — *Geneſ.15.*

## Et eduxit populum ſuum in exultatione:& electos ſuos in lætitia. 1831

Hic deſcribuntur beneficia facta populo Iſraeli tempore ducatus Ioſue. Et diuiditur in tres partes: ſecundum quòd tria hic narrantur beneficia. Primum fuit viæ ipſorum præparatio. Secundum terræ promiſſionis diſtributio:ibi, *Et dedit illis*. Tertium fuit ipſorum paternalis eruditio:ibi, *Vt cuſtodiant*. Quantum ad primum ſciendum quòd tempore ducatus Ioſue: dominus ſiccauit iordanis fluuium eis viam præparans. vt enim habetur Ioſue 3. peruenerunt filij Iſrael ad iordanis fluuiũ in tempore meſſis: qui aquis impleuerat ripas ſuas. Ioſue præcepit, quòd ſacerdotes acciperent

*Iordanis deſiccatio.* — *Ioſue 3.*

O arcam

arcam domini, & intrarent aquas iordanis. quòd cum poſuiſſent pedes in aquis fluminis ſacerdotes domini, ſtatim aquæ ſuperiores ſteterunt in vno loco ad inſtar mõtis intumeſcentes: quæ erant inferiores, deſcenderũt in mare: & ſic deſiccatus fuit fluuius & totus populus lætus tranſiuit. Quibus omnibus tranſactis ſacerdotes vltimi tranſierunt cum arcã fœderis: & ſtatim aquæ ſuperiores fluxerunt per ripas iordanis: vt prius facere cõſueuerãt. Vnde lætitiam quam habuit populus ex iſta præparatione viæ: hic notat Pſal. dicens, *Et eduxit populum ſuũ in exultatione.* Nota quòd lætitia eſt duplex, ſcilicet, iuſtorum & peccatorum. Lętitia iuſtorum eſt vera & grandis: ſed lætitia peccatorum falſa eſt & breuis.

*Lætitia duplex.*

Prima eſt lætitia iuſtorum qui lætantur in ſolo Deo. Pſal. 31. Lætamini in domino, & exultate iuſti. Et iſta eſt vera & grandis lætitia. Vbi notandum, quòd ſecundum naturales cor noſtrum in quo ſtat lætitia vel triſtitia ſic eſt diſpoſitum, quòd ſuperius eſt latum, & strictum inferius. Cum ergo lætitia de deo & bonis ſpiritualibus ſit ſuperior: lætitia autem de tẽporalibus & carnalibus ſit inferior, conſequens eſt quòd lætitia iuſtorum ſtat in parte ſuperiori cordis: & peccatorum in parte inferiori. Cum ergo cor in parte inferiori ſit ſtrictũ: ibi de lætitia temporalium modicum poteſt contineri: quia parua lætitia ibi repletur. ſed in ſuperiore parte cum ſit latum: ibi capax eſt magnę lætitię. Eſt enim de lætitia bonorum & malorum: ſicut de auro vero & falſo. Nam ſecũdum naturales aurum verum habet cor confortare & dilatare: & per cõſequens lætificare. & propter hoc in medicinis ponitur. Sed aurum falſum: quamuis exterius habeat apparentiam auri non tamen cor cõfortat: ſed magis grauat ſi ſumatur. Sic & in propoſito: mali quamuis lætitiam ſimulent exterius ex temporalibus bonis quæ aſſumunt contra triſtitiam, tamen quia illa non ſunt vera bona: realiter magis grauãt cor quàm lætificent.

*Pſal. 31*

*Seneca.*

Vnde Sene. epiſtola 96. Iſta quæ ſic petis tanquam veram datura lætitiam ac voluptatem: cauſæ ſunt dolorum. & infra. Quid igitur ſtulti ac mali, inquit, non gaudent ſed magis grauantur. Sed boni, cum Deus ſit obiectum lætitiæ ipſorum verum gaudium poſſidẽt. Pſal. 63. Lætabitur iuſtus in domino, & ſperabit in eo. Vis videre ſi mundanorum lætitia cor non lætificat ſed diſſoluit? Narrat magiſter in hiſtoriis quòd Cirus rex Perſarum gentem Lydorum bellicoſam: quam armis ſuperare nõ poterat, aſtutè redegit in vecordiam. Tradidit enim eis ſolennitates & ludos: quibus vacarent, ludis, comeſſationibus, & amplexibus eſſent intenti: quaſi beneuolentiam eis oſtendens. Et cum talibus lætitiis eos eneruauit: & ſibi plenè ſubiugauit quos bello ſubiugare non poterat. Sic & diabolus, mundus, & caro multis procurant occaſionem mundialis lætitiæ: ſuadẽtes vt talibus occupentur, certi quòd per hoc poſterius de ipſis triumphabunt virtute mentis totaliter ablata. Ideo de iſta peccatorũ lætitia dicitur, Cor ſtultorum vbi eſt lætitia, ſcilicet mundialis. Nam lætitia ſpiritualis non eſt ſtultorum ſed iuſtorum. Pſal. 31. Lætamini in domino & exultate iuſti. Ad propoſitum ergo tali lætitia habita de diuinis beneficiis præſtitis filiis Iſrael; *Eduxit dominus populum cum exultatione: & electos cum lætitia.*

*Pſal. 63.*

*Eccl. 7.*

*Pſal. 31.*

1832 Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.

Hic ponitur terrę promiſſionis diſtributio. Nã ſub ducatu Ioſue introduxit filios Iſrael in terram: quam eiectis gentilibus populis qui in ipſa habitabãt, ipſis illam ſorte diſtribuit. Et hoc eſt quod ait. *Et dedit illis regiones gentium,* ſcilicet, Amorreorum, Chananeorum, Iebuſeorum, Phereſeorum, Eueorum, &c. vt diffuſe patet in libro Ioſue. *Et labores populorum poſſederunt,* ſcilicet, ciuitates terræ promiſſionis. quas illi ſuis laboribus ædificauerũt. Et hoc eſt qđ dicitur Pſal. 77. Et eiecit à facie eorum gẽtes, & diuiſit eis terrã, &c. Et habitare facit in tabernaculis eorum tribus Iſrael. vide ibi.

*Terra promiſſionis ſignificat gloriam æternam.*

Notandũ autem quòd ſæpius ſcriptura mẽtionem facit de terra promiſſionis data filiis Iſrael quaſi in præmium cultus diuini: quo ipſum ſoli verum Deum colebant. Sed quia ſecundum apoſtolum omnia in figura contingebant illis: ideo non eſt credendum quòd Deus bonis terrenis ſuos fideles velit præmiare: quia cùm deus ſemper præmiet vltra condignum: ſemper melius eſt præmium quàm ſit meritum noſtrum. Ideo cum nullum bonum creatum ſit melius virtute & actu meritorio: ſequitur quòd nullum bonum creatum poteſt eſſe ſufficiens pręmium virtutis. Et nullum bonum creatũ recta ratione eligibilius eſt virtute. Per illam ergo terram promiſſionis eis datam quaſi ſtipendiũ diuini cultus: intelligitur nõ ipſa terra: ſed ſignificatũ ipſius: quod eſt terra viuẽtium: vbi Deus ſeipſum ſuis veris cultoribus dat in præmium.

*1. Cor. 10.*

*Gloſa.*

Vnde hic ait gloſ. *Dedit eis regiones, &c.* Hoc dicit: non vt propter iſta terrena Deum colant: ſed vt iſta ad ſua ſignificata, ſcilicet, ad bonum æternum referãt: quod quidem ſuis cultoribus dare ſemper eſt paratus. Sicut enim deus ſuperbos angelos de cœlo eiecit: & ibi eorũ loco homines iuſtos collocauit: ſic eiectis ſuperbis idololatris de terra promiſſionis ipſam in poſſeſſionem populo Iſrael tradidit. Nota ergo quanta negligentia eſt noſtra: qui Deum dare nobis æterna præmia ſemper paratum cernimus: & nos illa petere, aut nobis oblata negligimus accipere.

*Dare nobis ſemper deus paratus eſt.*

Vnde Pe. Ra. ſuper illo verbo, Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media, &c, dicit, O quàm dare vult deus: qui ſe inquietari taliter vult ſuſcitari. O quàm pulſanti geſtit occurrere qui ſic ſecreti ſui cubilis ipſum collocauit ad ianuam. O quàm denegare noluit qui ſibi etiam deneganti qualiter extorqueretur, oſtendit. O quàm dare deſiderat: qui dormientibus ſeruis pulſantis neceſſitatem ſolus & primus audit. O quàm miſericors: quia quod mandatis dicit probat & informat exemplis. Cum facis eleemoſynam: noli tuba canere ante te. Quod ibis ad illum media nocte: parum eſt. Quod facientis miſericordiam nox velabat: quòd largitatem dantis & petentis obtegebat improbitas niſi ad cumulum pietatis velandum aſcriberetur etiam ſomniis. Vnde necnon potuit impetrare quod voluit, &c. Si ergo ſic ſe offert deus nobis dare regiones gentium, ſcilicet, ſupernas ſedes angelorum. quid torpemus petere: quinimo quid accipere tardamus?

*Valerius.*

Narrat Vale. lib. 1. de Dionyſio Siculo. quòd cum pertranſiuit per Siciliam, vidit ſimulachra deorum habentia manus extenſas, & in manibus coronas aureas. Quæ omnia ab eis recepit. Et cum argueretur quòd deos expoliabat. Reſpondit, quòd cum a diis bona precamur: abſurdum eſſe oblata nobis ab eis nolle recipere. Et conſtat quòd verum dixiſſet: ſi ea quæ recipiebat ſibi à diis oblata fuiſſent. Vnde



*Pſal. 83.*

Vnde. Pſal. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Deus deus virtutum: beatus homo qui ſperat in te.

1833 Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legem eius requirant.

Hic ponitur Dei paternalis eruditio populi ſui. Deus enim ad modum patris eos erudiendo incitabat ad virtutes: quandoq; donis & promiſſionibus: quãdoq; verò flagellis & verberibus. Hic autẽ notat primam partem: quia: ſcilicet, vt cuſtodiant mandata eius: ideo illos donis alliciendo dedit eis regiones gentium, &c. Hic enim iuſtificationes & legem intelligit mandata decalogi data in lege quę ſpiritualiter obſeruata, obſeruantẽ iuſtificãt.

*Iuſtificationes Dei quid ſunt.*

*Pſal. 118.*

Nulli enim dubium quòd ſpes æterni præmij ad obſeruationẽ diuinæ legis inducit. Propter quod. Pſal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem, ſcilicet æternã quæ Deus eſt. Si enim propter retributionem temporalem quis obſeruaret præcepta diuina: iam peccaret: quia temporalem mercedem finẽ ſibi conſtitueret. Vel per iuſtificationes dei duo intellige quibus iuſtificantur electi, ſcilicet, aduerſitatem temporalem & proſperitatem: vt, ſcilicet, in aduerſis patientia, in proſperis ſeruetur humilitas.

*Aduerſitas requirit patientiam, proſperitas humilitatem.*

*Auguſt.*

Iſtis enim duabus probantur electi & iuſtificãtur. Vnde hic ait Auguſt. Vos ergo verum ſemen Abrahę qualiter vti debeatis temporali aduerſitate ac proſperitate hic intelligite. Si aduerſitates ſeculi vobis duræ vidẽtur: Ioſeph in carcere, & Chriſtum in cruce cogitate: & Ioſeph per carcerem ad dominium ægypti peruenisse: & Chriſtũ per crucẽ ſuper omnia exaltatum fuiſſe. Si proſpera vobis arrident: nõ propter ipſa deo, ſed ipſis propter Deũ vtamini. Nec illa putetis præmium iuſtis debitum: quæ dat malis & blaſphematoribus ſuis. Sed primum quærite regnum Dei: & hæc omnia adiiciẽtur vobis. Quantum autem ad cuſtodiam diuinorum præceptorum tenemur: vide verſi. 1339.

## PSALM. CV.

1834 Confitemini domino quoniã bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Iſte pſalmus hunc habet titulum, Alleluia alleluia. Quid autem dictum ſit alleluia: dictum eſt in titulo pſal. præcedentis. Sed hic notandum quòd apud magnos doctores de titulo iſtius pſal. in quo bis ponatur alleluia varia eſt opinio: dicentibus quibuſdam quòd primum alleluia ſpectat ad præcedentem pſalmum: & eſt finis eius. Secundũ verò alleluia eſt titulus iſtius pſalmi. Vnde dicit generaliter: quòd quandocunq; in titulo alicuius pſalmi ponitur duplex alleluia quòd primum ſpectat ad pſalmum præcedentem. Et iſta videtur fuiſſe opinio Hieronym. & Caſſiodori.

*Hieronym.*

*Caſſiodo.*

Sed quàm plures alij dicunt: quòd vbicũq; in titulis pſalmorum duplicatur alleluia vel triplicatur: totum ſpectat ad pſalmum ſequentem. Sicut quandoq; Chriſtus volens affirmare quæ dicturus erat: quandoque ponebat vnum ſolum amen: ſicut quando dixit Petro, Amẽ dico tibi: tu in hac nocte ter me negabis. Quandoque vero duplicabat: & hoc ad maiorem certitudinem: ſicut quando dixit Nicodemo. Amen amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit denuo. &c.

*Mar. 14.*

*Ioan. 3.*

Et tamen certum eſt: quòd vtrũq; amen ad futurã propoſitionẽ ſpectabat. Et iſtius opinionis videtur eſſe Auguſt. Et hanc tenet gl. præſertim quia nulli codices græcorum habent in fine alicuius pſalmi alleluia.

*Auguſt.*

Ponitur ergo hic duplex alleluia in titulo. Primum pro laude Dei: qua in præſenti laudatur à iuſtis. Secundum pro laude quæ eſt in futuro: qua laudatur à beatis ſecundum modum qui habetur Apoc. 19. vbi dicitur. Audiui voces in cœlo angelorum multorum dicentium alleluia, &c. Et ſequitur, Et iterum dixerunt alleluia.

*Apoc. 19.*

De materia vero pſalmi notãdum: quòd ſicut eccleſia Dei nunc inſimul cõtinet bonos & malos: ſic & ſynagoga populi Iſrael in qua aliqui erant boni & deo deuoti: aliqui verò mali & obſtinati. Et ſecũdum hoc iſte pſalmus differt à præcedente: quia præcedens agit de populo Iſrael ſecundum partem bonorum: nihil agens de malis: ſed oſtendens dei beneficia eis collata. hic autem pſalmus agit de eodem populo: ſed ſecundum partem malorum agens de ipſorum peccatis quibus ſępius deum ad iracundiam prouocauerunt. tamen oſtendens quòd Deus illis ſua beneficia conferebat. Et ſic iſte pſalmus mouet ad confeſſionem peccatorum: ac etiam laudis diuinę. Agit enim de peccatis malorum: vt ipſos ad cõfeſſionem peccatorum inducat. Agit etiam de beneficiis diuinis: vt eos ad confeſſionem laudis diuinæ attrahat. Quibus viſis venio ad pſalmi diuiſionem. Diuiditur ergo pſalmus iſte in duas partes: quia primò excitat peccatores ad confeſſionem peccatorum. ſecundò ad cõfeſſionem laudis diuinorum: ibi, *Memento noſtri domine.* Prima pars ſubdiuiditur in tres partes: ſecũdum quòd ex tribus nos ad cõfeſſionem peccatorum induxit, ſcilicet, primò ratione diuinæ bonitatis: quæ veniam vult dare. ſecundò ratione diuinæ poteſtatis: quæ culpam poteſt delere: ibi, *Quis loquetur.* tertiò ratione diuinæ æquitatis: quæ culpam habet punire: ibi, *Beati qui cuſtodiunt.* Primò ergo induxit ad confeſſionẽ peccatorum ratione diuinæ bonitatis: quæ tanta eſt quòd pœnitẽtibus ſemper veniam præſtat. Et hoc proponit: dicens, *Confitemini domino quoniam bonus.* Bonitas enim iudicis: qua cunctis ſuum defectum cognoſcẽtibus diſpoſitus eſt veniam dare: reos ad ſui reatus confeſſionem inducere debet.

*Bonitas Dei ad confeſſionem inducit.*

Propter quod ad Ro. 2. dicit Apoſtolus. An diuitias bonitatis illius contemnis: an ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitẽtiam te adducit? Vbi ait gl. Copioſa eſt bonitas Dei quæ multa peccantibus bona miniſtrat: blandiens vt ad pœnitẽtiam adducat. Copioſa eſt patientia Dei: quæ tot & tanto peccantes ſuſtinet: & non cito eos punit: ſed per multa tempora peccatores expectat ad pœnitentiam. Hanc ergo bonitatem Dei nobis vt confiteamur proponit nunc Pſalm. dicens, *Confitemini domino.* Et ideo ſubdit: *quoniam bonus, &c.*

*Gloſa.*

Notandum tamen quòd vt confeſſio peccati veniam mereatur: multas cõditiones debet habere, ſcilicet, debet eſſe iuſta, propria, plorans ſcelera. vide ver. 1667. Secundò debet eſſe propria: aliorum tacẽs crimina. vide ver. 1691. Tertiò debet eſſe vera: vt falſa omittantur omnia. Quod hic oſtendo. Nulla enim cauſa licet in cõfeſſione mentiri: vel ſcienter falſum dicere. Confeſſio enim inducta eſt: vt animam à peccatis viuificet. quod mendaciũ facere non poteſt: quinimo ipſius animæ vitam occidit. Sapien. 1. Os quod mentitur occidit animam. Et ideo præcipitur. 2. Paral. 20.

*Confeſſio debet nulla falſa dicere.*

*Sapien. 1.*

*2. Paral. 20.*

O 2 Voce

Voce conſona confitemini domino. Vox enim cõſona dicitur quæ conſcientiæ concordat & menti, &c. Ad confeſſionem ergo ex dei bonitate & miſericordia Pſalm. cunctis peccatores prouocans: ait. *Confitemini domino quoniam bonus, &c.* Vbi gl. Hoc dicit: ne pro culpa commiſſa quis terreatur & ne deſperet: ſed miſericordiam Dei poſcat. *Quoniam in ſeculum miſericordia eius*, id eſt, vſq; in finem ſeculi eſt miſericordia eius: quæ miſeris exhibetur; veniam dando peccatorum: quæ ſolùm in præſenti ſeculo præſtatur.

## 1835 Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius?

*Poteſtas Dei dimittẽdi peccata eſt infinita.*

Hic peccatores inducit ad confeſſionem ratione diuinæ poteſtatis: quia ſolus ipſe poteſt peccatis veram dare veniam. Cum enim (vt ait Auguſt. ſuper Ioan. maius ſit totum peccatorem iuſtificare quàm totum mundum creare. & nulla creatura poſſit totum mundum creare: conſequens eſt ergo quòd nulla creatura poteſt peccatorem iuſtificare. quia ad peccatum tollendũ requiritur poteſtas infinita: cũ ratione obiecti infiniti præoffenſi peccatum ſit malitiæ infinitæ. Hác ergo ſummam dei poteſtatem admirans hic Pſalm. dixit. *Quis loquetur potentias domini?* quaſi dicat, nullus hominũ ad hoc ſufficit. Et dicit in plurali potentias: quamuis vna ſola potentia ſit in deo: ſicut vna eſſentia propter plures effectus illius potentiæ: ſicut cum vna ſola ſit in Deo voluntas: in plurali tamen quandoq; dicitur Pſal. 110. Magna opera domini exquiſita in omnes voluntates eius. Verum quia multotiẽs reperitur quòd Chriſtus tollit peccata mundi: etiam quòd ſacerdotes poſſunt à peccatis ligatos ſoluere. quomodo ergo ſolus Deus habet poteſtatẽ dimittendi peccata? Notãdum ergo quòd peccatum multis modis tolletur, ſcilicet, impetratiuè: & ſic quilibet homo iuſtus poteſt diſpoſitiuè: & ſic peccator ſeipſum poteſt ſoluere ſatisfactiuè: & ſic ſolus Chriſtus. iuſtificatiuè: & ſic ſolus Deus. De hoc vide verſic. 1445. Ad intelligendum autem clarius quomodo ſola Dei potẽtia à vinculo peccati peccatorem ſoluere poteſt: eſt notãdum quòd peccator triplici vinculo tenetur ligatus, ſcilicet, Primo vinculo culpæ. Ipſa enim peccata ſunt quædã vincula quibus ligatur anima: & in diaboli poteſtate ligata tenetur. Prouerb. 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium? & funibus peccatorum ſuorum cõſtringitur. Et Sapien. 17. dicitur, quòd iniqui vinculis tenebrarum compediti ſunt. Secundo ligatur vinculo pœnæ æternalis ad quã ratione peccati obligatur: quia eo ipſo quòd quis mortaliter peccat: iudicio Dei iuſto æternæ pœnæ obligatus manet. Vnde in epiſtola Iudæ dicitur: quòd iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Tertiò ligatur vinculo pænæ temporalis: quia anima exiſtens in peccato; eo ipſo punitur temporaliter: dum per remorſum conſcientiæ ſemper ſtimulatur: & pro tunc bono gratiæ priuatur. Vnde peccatori dicitur, Fili hominis data ſunt ſuper te vincula & ligabunt te. Secundum ergo iſta ad declarandum præſentem difficultatem dico aliqua. Primò quòd ſola diuina poteſtas animam à vinculo, culpæ poteſt ſoluere, Probatur, quia ille ſolus poteſt vinculum culpæ ſoluere qui animæ gratiã infundere poteſt: quia culpa non tollitur ſine gratia: ſed hoc poteſt ſolus Deus: ſed ſolus Deus gratiam poteſt infundere: vt dicit magiſter lib. 3. diſt. 27. Et lib. 4. diſt. 18. dicit: quòd ſolus Deus animam à morte culpæ reſuſcitat: ac pulſis interioribus tenebris & maculis: animam illuminat & mundat qui ſolus animæ faciem lauat. Et ſecundum hoc: dico quòd ſacerdotes non poſſunt ſoluere vinculũ culpæ. quod probo: quia nõ poſſunt ſoluere animam contritam: quia iam ſoluta eſt: nec non contritam: quia contradictionem implicat. Secundum quòd ſolus Deus & homo poteſt ſoluere à vinculo pænę æternæ, patet, quia debitum ętern æ pænæ eſt inſeparabile à culpa mortali: quia omnis exiſtens in mortali culpa: eſt debitor æternæ pænæ: & ecõtrariò, Vnde eo ipſo quòd vinculum culpæ ſoluitur: ſoluitur etiam vinculum æternæ pænæ: & ecõtrariò. & ideo ſicut ſolus Deus poteſt primum: ſic ſolus Deus poteſt & ſecundum. Statim enim ſoluta culpa: pæna ęterna in temporalem mutatur. Tertiũ dico quòd nõ ſolum Deus poteſt ſoluere à vinculo temporalis pænæ; ſed etiam ſacerdotes quibus hoc ipſe conceſſit. Vbi ſciendum quòd poſtquam anima per ipſum Deum ſoluta eſt à culpa: & debitum pænæ æternæ in temporalem pænam cõmutatum: tunc ſi peccatoris contritio fuerit tanta vt æquipolleat pænæ temporali debitæ pro culpa ſoluta: tunc virtute contritionis anima ſoluitur à toto debito illius pænæ: vt oſtendit magiſter lib. 4. diſt. 20. Si autem contritio nõ fuerit tanta quòd ſit æquiualens toti illi pænæ temporali debitæ: tunc illius pænæ parti in qua illa pæna excedebat contritionem: anima remanet obligata ad ipſam tolerãdam hic, vel in purgatorio. Et à tali vinculo pænæ poſſunt ſacerdotes ſoluere virtute clauium. Sic ergo ſacerdotes ſoluunt, dum totam illam pænam aut partẽ dimittunt. Ex quibus patere poteſt: quãta ſit poteſtas domini remittentis culpam, de qua nunc dicit. *Quis loquetur potentias domini.* Sequitur. *Auditas faciet omnes laudes eius.* Hoc duobus modis exponitur. Primo modo: vt ſit ſenſus quòd ſicut nullus ſufficit loqui & declarare poteſtatem Dei: ſic nec ipſum tantum laudare quantum dignus eſt laudare: quia maior eſt omni laude. Secũdo modo exponitur: vt ſit ſenſus. Quis omnes laudes eius auditas faciet? Et tunc per laudẽ eius intellige pręcepta eius: quæ quis faciendo laudat Deum. Et tũc eſt ſenſus: quòd ille ſolus poterit loqui potentias domini, id eſt, dignè laudare Deum qui facit omnia eius præcepta, ſcilicet, data à Deo & à populo audita.

*Nota totiũ de ſolutione peccati.*

*Ligatur peccator multipliciter.*

*Prouerb. 5.*
*Sapien 17.*

*Ezech. 3.*
*Peccatore qualiter deus ſoluere poteſt: & qualiter ſacerdos.*

*Eccleſ. 43.*

## Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. 1836

*Peccatũ impunitum eſſe non poteſt.*

*De penitentia diſt. 1.*

Hic inducit ad cõfeſſionẽ ratione diuinæ iuſtitiæ. Vbi nota quòd tanta ac talis eſt diuina iuſtitia ꝙ peccatum cõmiſſum nũquam impunitũ dimittit: vnde oportet ꝙ peccator vel ſeipſum puniat in præſenti per pęnitentiã: aut Deus illũ puniet in futuro: vt habetur de pæni. diſt. 1, ſi peccatũ. ſic igitur ad diuinam iuſtitiã ſpectat peccatũ punire. Sed ille qui peccatum ſuũ punit in præſenti; ex toto à peccato liberatur: & ſic poſt hanc vitã beatificatur. Ille autẽ qui in præſenti per pænitẽtiã nõ vult ſeipſum pro peccato punire; in futura vita Deus ipſum ęternaliter punit. Et hoc eſt qđ hic ait Pſal. *Beati qui cuſtodiũt iudicium.* ſ. ſeipſos hic puniẽdo. Sed quia non ſufficit commiſſa punire peccata: niſi in poſterum homo à peccatis caueat, diuina adimplendo præcepta. ideo ſubditur, *Et faciunt* iuſtitiam. Nam facere iuſtitiam eſt facere opera iuſta. Item quia non



non ſufficit ſemel pænitere, niſi contritio de peccato perſeueret: ſimiliter non ſufficit facere iuſtitiam ad tempus, & poſtea dimittere: ideo quo ad iſta duo ſubdit, *In omni tempore.* Sic ergo beati qui iudiciũ cuſtodiunt omni tempore: beati qui faciũt iuſtitiã omni tempore. Cum ergo confeſſio ſit pars pænitentiæ: ſequitur quòd ratione diuinæ iuſtitiæ quis peccata debet confiteri. Sed forte dices, Nunquid ſemper oportet pænitere de peccato & ſemper confiteri: quia dicit, in omni tempore? Reſpondeo: quòd ly, in omni tempore, refertur ad omne tempus quo quis ſe peccato videt implicari. Semper enim debet diſplicentiam habere de peccato, & confeſſionis propoſitum. Diſplicentia autem debet perſeuerare, etiam poſt commiſſum peccatum. Confeſſio autem peccato ſacramentaliter remiſſo neceſſitatem nõ habet: niſi in certis caſibus. Vbi notandum quòd confeſſio debet eſſe integra. Sicut enim multis obnoxius pro quorum quolibet morti eſt iudicatus: vt puta propter homicidium, furtum, adulterium &c. fatue & vane ſupplicaret veniam de aliquo illorũ & non de aliis: vel de omnibus vno illorum excepto: quia ſic etiã mortem non euaderet. Sic etiam pluribus peccatis mortalibus implicatus: pro quorum quolibet mortem meretur æternam: vane de illis confitetur vno illorum retento &c. Sed dices. Nunquid omni tempore quis habens conſcientiam peccati mortalis tenetur confiteri, ſcilicet, habita opportunitate? Reſpondeo quòd ſic. verſi. 1632.

*Queſtio.*

*Queſtio.*

## 1837 Memento noſtri domine in bene placito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo.

*Viſitatio dei incarnatio Chriſti in.*

Hic conſequenter nos inducit ad confeſſionem laudis. Vbi aduerte quòd omnis qui poſtulat dei gratiam: eo ipſo laudat deum & ipſi confeſſionem laudis offert: quia hoc ipſo confitetur ipſum eſſe gratiarum dominũ. Ideo iſta tria facit: quia deum laudando primò dei precatur gratiam. Secundò ſuam confitetur malitiam: ibi, *Peccauimus.* Tertiò ſe totum ad diuinam confert miſericordiam: ibi. *Saluos nos fac.* Quantum ad primum ſciẽdum quòd gratia peccatoribus facta eſt per Chriſtum. & ideo vt humanum genus gratiam conſequatur: iſte petit Chriſti incarnationem ad duo. Primò vt ipſa viſitemur. Secundò vt ipſa peccatores iuſtificentur: ibi, *Ad videndum.* Quantum ergo ad primum nota quòd Chriſti incarnatio dicitur humani generis viſitatio. Lu. 1. Per viſcera miſericordiæ dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quæ viſitatio fuit eius incarnatio. Vnde Chry. ſuper Luc. ait. Zacharias dum deum benediceret, viſitationẽ dicit eſſe factam ab ipſo deo erga populum ſuum: ſiue materiales Iſraelitas quis velit accipere. Venit enim ad oues quæ perierant domus Iſrael: ſiue ſpirituales, id eſt, fideles qui digni fuerunt hac viſitatione efficaciter erga ſe diuinam prouiſionem facientes. Hanc ergo viſitationem pro adipiſcenda gratia diuina ſancti patres poſtulabant: dicentes, *Memento noſtri domine &c.* Notandum ergo quòd ideo Chriſti incarnationem petit: vt eius populus ſit in dei beneplacito. Pro quo ſciendum: quòd beneplacitum dei eſt in multis virtutibus: quæ per Chriſti incarnationem nobis fuerunt exhibite. Nam beneplacita ſunt deo, ſcilicet, ſtabilis credulitas: humilis ſynceritas: gracilis benignitas: pręceptorum obſeruatio: deuotorũ habitatio: filiorum deprecatio. Sed iſta omnia nobis attulit Chriſtus per ſuam incarnationem. Primo fidem docẽs ſe verum deum & hominem: dicens. In deũ creditis: & in me credite. Secũdo humilitatẽ, quia humiliauit ſemetipſum &c. propter quòd dicit. Diſcite à me. &c. Tertiò benignitatem. Mat. 5. Beati miſericordes. & Luc. 6. Eſtote miſericordes: ſicut pater veſter. &c. Quarto obedientiam. Ioan. 4. Meus cibus eſt: vt faciam voluntatem. &c. Quintò deuotorum &c. dicens. Ego in medio veſtrum &c. Sextò orationem: dicens. Orate pro perſequentibus &c. Ad propoſitum ergo ſciẽs quòd omnium iſtarum virtutum Chriſtus exemplum nobis erat daturus: vt in ipſis eccesia ſit in dei beneplacito: ipſum Chriſtum incarnari poſtulat dicens. *Viſita nos domine in ſalutari tuo*, id eſt, in Chriſto qui ſalutare dei dicitur. Luc. 1. Exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Et ad quid? vt populus tuus dictis virtutibus ſit in beneplacito tuo. Vnde hic ait Gloſa. *Memento noſtri in beneplacito populi tui*, id eſt, vt ſimus de numero illorum in quibus beneplacitum eſt tibi. Et per quem modum precor memento noſtri, ſubdit, *Viſita nos in ſalutari tuo*, id eſt, in Ieſu, quem ſequentes erigimus beneplacentes tibi.

*Luc. 1.*

*Chryſo.*

*Beneplacitũ dei eſt in multis virtutibus.*

*Phil. 2.*
*Mat. 5.*
*Luc. 6.*
*Ioan. 4.*
*Luc. 22.*
*Mat. 5.*

*Luc. 1.*

## Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua. 1838

Hic conſequenter poſtulat: vt per Chriſti incarnationẽ peccatores iuſtificentur, id eſt, à peccatis purgentur per gratiam: vt Chriſtum videre mereantur. Nullus enim niſi iuſtificatus Chriſtum videre poteſt ſaltem meritoriè. Mat. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi deum videbunt. Aduertẽdum ergo quòd hic tria nomina ponit: cum quibus omnes ante deum eſſe cupit: & tria verba illis adiungit. Primum nomen eſt, *Electorum.* Secundum. *Gentis tuæ.* Tertium, *Hæreditate tua*: quæ tria idem ſignificant: ſed diuerſis reſpectibus, ſcilicet, beatos deum facialiter contemplantes. Qui dicuntur electi ratione æternæ prædeſtinationis. Eph. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius. Et iſte actus electionis eſt ſolum ex parte dei: nullum bonum vel meritum præſens vel futurum ſupponens in electo. Vnde ibidem ait Gloſa. Ne quis ergo putet animas cum deo fuiſſe æternas: & tunc aliquid meruiſſe iuxta errorem illorum: qui ante hæc viſibilia dicunt fuiſte animas ſanctas: & ideo tunc fuiſſe à deo electas. Sed aperte oſtendit hoc falſum eſſe dicens. Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Quomodo autem eligeret illos qui nondum erant: niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos. Et ſicut non elegit nos tunc eo quòd ſancti eſſemus: ita nec ideo quia ſancti futuri eramus. Sed potius elegit nos ad hoc vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, ſcilicet, in tempore gratiæ. Non ergo quia futuri eramus ſancti: ſed vt eſſemus ſancti. Ideo quippe tales futuri eramus: quia ad hoc ipſe nos elegit prædeſtinans vt tales per gratiam eius eſſemus. Sed Pelagianus veritati reſultans ait, Præſciebat deus qui futuri erant ſancti, & immaculati per liberum voluntatis arbitrium. Et ideo in ſua præſcientia quales futuros eſſe præſciuit: elegit in-

*Electio domini eſt cauſa meritorum.*

quit antequam eſſent:prædeſtinãs filios ſuos quos futuros ſanctos præſciuit eſſe, non fecit nec ſe facturum:ſed ipſe futuros eſſe præuidit. Quem confutat Apoſto. dicens. Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, id eſt, vt eum conſpiciamus, Ex quibus apparet quòd ſancti dicuntur electi ratione æternæ prædeſtinationis:ad hoc vt ſint ſancti & immaculati:in qua ſanctitate deum facialiter videre poſſint. Et ideo huic nomini electorum addidit Pſal. hoc verbum videre dicens, *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, Glo. id eſt, ad videndum te in bonitate quam præſtas electis tuis per gratiam tuam. Et hoc poteſt intelligi de viſione fidei & de viſione dei faciali. Per hoc ergo nihil petit pſal. in perſona aliorũ à deo:niſi vt ſit de numero electorũ. Sed quia diuinitas ſine gaudio & lætitia videri non poteſt:vt ait magiſter lib. 4. diſt. vlti. Cum enim obiectum voluntatis ſit bonum:& ibidem intellectus conſpiciat rationem omnis bonitatis: ideo impoſſibile eſt voluntatem clare deum videre:& non delectari in obiecto ſuo ipſum totaliter ſatiantem. Ideo ſubdit pſal. ſecundum nomen cum verbo delectationis dicẽs. *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* Vbi aduertendum quòd electio præcedit meritum electi: vt dictum eſt: immo eſt cauſa omnis operationis meritoriæ. Vnde ipſa electio æterna facit poſtea electos in vita iſta bene operari per gratiam. Et ratione iſtius operationis diuinæ dicuntur gens dei: nam gens dicitur à generando. Illi ergo dicuntur gens dei: qui generant & faciũt opera dei. Et quia opera dei ſemper fieri debẽt cum lætitia:ideo ait ad lætandum in lætitia gentis tuæ. Quia meritorie nullus bene poteſt operari: niſi complacenter operetur. vide verſicu. 1792. Et ſic pſal. dicẽs: *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, nihil aliud petit: niſi poſt electionem diuinam ſit generans opera dei, ſcilicet, meritoria hilariter. Sed quia qui libet generans opera meritoria complacet eis, & condelectatur:aliter virtuoſè non ageret:quòd totum ad laudem dei procedit, quia ſicut per omne malum opus deus inhonoratur quantum eſt ex parte peccantis: ſic per omne opus bonum deus honoratur & laudatur. Ideo ſubdit tertium nomẽ cum verbo laudationis dicens, *Vt lauderis hæreditate tua.* Hæreditas dei vocantur ſancti in patria qui deum habent:& deum poſſident:ſicut filius hæres patris dicitur, bona paterna poſſidens. pſal. 46. Elegit nobis, id eſt, nobis hæreditatem ſuam. Sunt ergo ſancti hęreditas dei:vt veri filij in patria. Sancti autem hæredes dei in patria ſemper deum laudant:ſemper gratias agunt. Pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua domine:in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et ſic pſal. dicens: *Vt lauderis cum hæreditate tua*: nihil aliud petit; niſi vt poſt generationem bonorum operum perueniat ad diuinam hęreditatem, ſcilicet, ad poſſeſſionem æternæ gloriæ:vbi ſine ſine gratias agendo diuinis laudibus inſiſtat. Pſal. Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

*Gens dei dicuntur electi.*

*Hæreditas dei, ſcilicet, ſancti ſemper laudãt deum. Pſal. 46.*

*Pſal. 65.*

1839 Peccauimus cum patribus noſtris: iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

Hic pſal. vt dignius poſſit deo confiteri confeſſione laudis: ſciens quòd non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: ſua & patrum peccata confitetur: vt illorum acquirat veniam. Et quia ingratitudo beneficiorum receptorum eſt circunſtantia omne peccatum aggrauans: ideo ad oſtendendum peccatorum ſuorum & patrum grauitatem confitendo peccata patrum: narrat cum hoc beneficia eis à deo collata quibus fuerunt ingrati. Et diuiditur in tres partes. Quia primo confitetur peccata quæ fecerunt in Ægypto. Secundo quæ fecerunt in deſerto:ibi, *Cito fecerunt.* Tertiò quæ fecerunt in terra promiſſionis:ibi, *Et diſtinxit in labiis.* Prima in duas: quia primò confitetur ipſorum infidelitatem. Secundò circunſtantiam beneficiorum aggrauãtem: ibi. *Et ſaluauit eos.* Prima pars diuiditur in partes tres:ſecundum quòd tria peccata narrat, Primum fuit infidelitatis. Secundum fuit ingratitudinis. ibi, *Patres noſtri.* Tertium fuit contradictionis, ibi, *Et irritauerunt.* Quantum ad primum ſciendum quòd quamuis filij Iſrael primò credidiſſent Moyſi dicenti eis, quòd deus ipſos volebat liberare de Pharaonis ſeruitute: vnde dicitur Exode 4. Credidit populus. audierunt quòd dominus viſitaſſet filios Iſrael & reſpexiſſet afflictionem eorum: & proni adorauerunt, Tamen ſatis cito poſt increduli ſunt effecti. Quia cum Moyſes dixiſſet Pharaoni ex parte dei: vt dimitteret populum eius: propter quod indignatus Pharao pręcepit vt filij Iſrael magis grauarentur in operibus ſuis: ſtatim infideles effecti: murmurauerunt contra Moyſen & Aaron dicentes eis. Videat dominus & iudicet: quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius: & præbuiſtis gladium ei, vt occideret nos. Iſtud ergo peccatum infidelitatis, quia oppreſſi nouiter amplius crediderunt quòd moyſes eos decipiſſet:& infideles deo per conſequens fuerunt:commemorans pſal. ait, *Peccauimus cum patribus noſtris.* Increduli enim tunc fuerunt, non ſolum patres antiqui, ſed etiam filij eorum. Vnde hic in perſona filiorum loquitur pſal. dicens, *Peccauimus &c.* Et attende quòd tunc peccauerunt contra deum, & contra proximum: quia non crediderunt verbis dei dictis per Moyſen:& per conſequens reputauerunt Moyſen deceptorem. Vnde hic ait glo. Iniuſtè egimus quantum ad deum:iniquitatem fecimus quantum ad proximum. Sed ſtatim oritur dubium, Iſti confitentur peccatum parentum, dicentes, *Peccauimus cum patribus noſtris*, id eſt, ſicut patres noſtri. Sed nunquid licitum eſt aliena peccata confiteri:cum tamen dicatur. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã domino &c. Reſpondeo:quòd quamuis aliena peccata quis nõ debeat confiteri in excuſationem ſui criminis: quãdoque tamen licet ratione declarationis peccati proprij. vt dictũ fuit ver. 1691. Et ſic eſt in propoſito. Non enim eſt veriſimile, quòd omnes de populo Iſrael illa verba infidelitatis dixiſſent Moyſi:qui erant fere ſexcenta milia: ſed principalis patres aliorum. Erat ergo manifeſtũ peccatũ infidelitatis patrum: ſed peccatum filiorum qui erant imitatores in hoc patrum ipſorũ, occultum manebat. Declarãtes ergo occultum peccatum ipſorum: inducũt peccatum publicum patrum:declarantes ſe eodem modo peccaſſe. Et hoc licet. Dicunt ergo. *Peccauimus cum patribus noſtris*, id eſt, ſecundum glo. peccauimus ſicut patres noſtri.

*Eccl. 15.*

*Infideles fuerũt patres & filij Iudæi deo & Moyſi.*

*Exo. 5.*

*Pſal. 31.*

*Peccatum alterius ratione declarationis cõfiteri licet.*

Patres noſtri in Aegypto nõ intellexerũt mirabilia tua: non fuerũt mores multitudinis miſericordiæ tuæ. 1840



Hic ponit ſecundum ipſorum peccatum:quod fuit ingratitudinis. Quamuis enim peccatum ingratitudinis inter alia ſit maximum: tamen habet certas partes, inter quas obliuiſci de receptis beneficiis eſt grauius. vt dictũ fuit ver. 1291. Iſto peccato peccauerũt patres antiqui:quia non fuerũt memores multitudinis miſericordiæ dei. Vbi notandum, quòd in Ægypto deus multa mirabilia oſtendit populo ſuo: quia in decẽ plagis quibus totam terram Ægypti percuſſit:nulla illarum tetigit filios Iſrael:nec terrã Geſſen in qua illi habitabãt: quòd in manu petenti eos de ſeruitute liberauit. Quamuis enim illa mirabilia oculata experientia vidiſſent, illa tamen non intellexerunt, ſcilicet, quid per illa deus vellet ſignificare. Verbi gratia, Prima plaga fuit, conuerſio aquæ in ſanguinem. per quam vult ſignificare, quòd per ea quæ peccat quis, & punietur. Et ideo, quia Pharao occidens pueros Iudæorum ipſorum ſanguinem ſparſerat:ideo in pænam ipſorum, potum ſanguinis dedit eis. Et ſic de aliis. Omnia enim ſolum literaliter accipiẽtes, ſenſum ſpiritualem quem in eis operabatur ſpiritus ſanctus non intelligebant. Et ſic quãtum ad intellectum defecerunt non intelligentes per illa mirabilia ſignificata. Etiã quo ad mirabilia eis promiſſa, per quæ æterna præmia ſignificabantur:quæ tamen omnia ſolum temporalia intelligebant. Vnde glo. *Non intellexerunt mirabilia tua*, id eſt, quid per illa eis dare velles, ſcilicet, non temporale:ſed ęternum bonum quod per patientiam expectatur. Et ideo ipſi peccatores murmurauerũt: temporalibus bonis fallacibus & fugacibus beati volẽtes. *Et non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ*, id eſt, multorum mirabilium alias miraculorũ quæ pro ipſorum liberatione in Ægypto feciſti:vt ſaltẽ illa temporaliter recolentes:poteſtate quam experti fuerãt ſe ab inimicis liberandos ſperarent. Talia enim hic debent memorari: quia ipſorum memorari poſt mortem non proficit. verſi. 58. Hic autem beneficiorum dei memorari nobis magnam cõfidentiam parit. verſi. 695. 715. 1230. 1268. Sed attende quòd memoriam beneficiorũ dei multa impediũt. 1316.

*Mirabilia æterna per tẽporalia bona ſignificantur.*

1841 Et irritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum.

Hic ponit peccatũ eorum cõtradictionis:quo, ſcilicet, deum ad iracundiam prouocauerunt, dicens, *Et irritauerunt.* Nam irrito, as. quãdoque idem eſt quòd prouocare: quandoque vero idem quòd rem promiſſam non obſeruare. vide ver. 1533. Hic autem accipitur pro prouocare:quia ſuis cõtradictionibus deum ad iracundiam prouocauerunt, quando mare intrare debebant. Nam vt habetur Exod. 14. Cùm eduxiſſet Moyſes populum de Aegypto caſtra poſuerunt ſupra mare: Pharao autem dolens quòd illos emiſerat, dixit Aegyptiis. Quid facere voluimus, vt dimitteremus Iſrael ne ſeruiret nobis? Tulitque omnes currus ad prælium aptos, & omnes duces exercitus, & per conſequens totum exercitum ſuum. & perſecuti ſunt filios Iſrael exiſtentes ſupra mare. Cum appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos viderunt Aegyptios in graui multitudine contra ſe venientes:& timuerunt valde, & clamauerunt contra dominum; & contra Moyſen dicentes, Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto:ideo tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine? Quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos de Aegypto? Nonne melius erat nobis ſeruire Aegyptiis quam mori in ſolitudine? Ecce ergo quomodo obliti ſunt mirabilium quæ dominus fecit in Aegypto: & contradicendo verbis Moyſi, deum ad iracundiam prouocauerunt. ſed Moyſes ſuis orationibus deũ placauit. Hanc ergo contradictionem notans pſal. dicit, *Et irritauerunt aſcendẽtes in mare.* quia, ſcilicet, erant ſupra mare caſtra metati. Vnde gloſa. ait. Hæc eſt irritatio facta, cum egredientes de Aegypto peruenerunt ad mare rubrum:vbi erant concluſi. quia ex vno latere mons nimis arduus, & nemini ad tranſeundum peruius. ex alio latere erat mare rubrum:& à dorſo erant in ſequentes Aegyptij. vnde cæperunt grauiter murmurare obliti potentiæ dei. Sed tunc mare ante eos diuiſum eſt in duodecim diuiſiones, ſicut erant duodecim tribus. Et adhuc tantum formidantes & increduli deo: nullus auſus erat intrare mare. Sed Aminadab princeps in tribu Iuda, fuit primus qui cum quadrigis ſuis, & tribu ſua intrauit mare per vnam diuiſionem:poſt quẽ aliæ tribus ſequentes eum intrauerũt mare, quælibet per viam ſuam. Et propter iſtam probitatẽ, tribus Iudæ quæ prior mare intrauit, illa tribus meruit dignitatem regiam & principatum ſuper omnes alias. Quod aliæ tribus poſtea videntes, turbatæ ſunt: quaſi dicat. Quare ego non primo intraui mare ſicut fecit Aminadab princeps tribus Iudæ: & ſic obtinuiſſem principatũ? Et hoc eſt quod dicitur ar. Cãtico. 6. Anima mea turbauit me propter quadrigas Aminadab, ſcilicet, primò mare tranſeuntes. Et nota quòd illud mare quod tranſierunt filij Iſrael, dicitur mare rubrum: non quia aqua eius ſit rubra: ſed quia terram rubram habet in littore. Per hoc enim myſticè denotantur aliqui, qui videntes ſe perſequi ab Aegyptiis, id eſt, dæmonibus: timent intrare mare pœnitentiæ &c.

*Exod. 14.*

*Iudæ tribus quare meruit regnum.*

*Cantico. 6.*

*Rubrũ mare dicitur propter ripã rubram.*

Et ſaluauit eos propter nomen ſuum: vt notam faceret potentiam ſuam. 1842

Nunc deſcribit circunſtantiam beneficiorum aggrauantem. Duo autem beneficia tunc eis collata deſcribit. Primum fuit populi Iſrael ſalutatio. Secundum fuit perſecutorum ſubmerſio, ibi, *Operuit aqua.* Circa primum, ſcilicet, circa ipſorum liberationem tria facit. quia primò ponit ſaluationis motiuum. ſecundò ſaluationis modum, ibi, *Et increpuit.* tertiò ſaluationis effectum, ibi, *Et ſaluauit eos.* Quantum ad primum oſtendit, quòd cauſa quare deus ipſos liberauit: non fuit ipſorum meritum: immo merebantur oppoſitum: quia viſis tot mirabilibus, adhuc non ſperantes ipſum irritauerunt. Sed tota cauſa fuit diuina bonitas: quæ non obſtante tanta ipſorum ingratitudine, propter ſeipſum illos ſaluauit, Propter quod dicit, *Et ſaluauit eos propter nomen ſuum*, ſcilicet, inter gentes magnificandum. Nonne etiam vſque hodie magnificatur nomen domini, dum audimus quòd gentem tam incredulam & obſtinatam deus ſola ſua pietate ſaluauit, ipſorum meritis contradicentibus. Ex hoc enim apparet bonitas dei:quia contradicentibus meritis ſaluat. Apparet etiam potentia dei: quia tam miraculoſè contra omnem modum naturalem ſaluat quos vult. Vnde ſubditur: *Vt notam faceret potentiam ſuam.* quæ, ſcilicet, maximè parcendo peccatis manifeſtatur:quia maius eſt impium iuſtificare, quam totum mundum

*Saluat deus tripliciter.*

creare. Nota autẽ quòd deus ſaluat aliquos tripliciter. Primò quoſdam propter ipſorũ merita: quia, ſcilicet, fides ipſorum ſaluationem meretur. Sic fides & pœnitentia Magdalenæ, ſibi meruit ſaluationem. Lu. 7. Fides tua te ſaluã fecit: vade in pace. Fides enim cum lachrymis ſaluationem meretur. Vnde Ambr. ſuper Lu. Ingreſſus domum Phariſei diſcubuit. Et ecce mulier quę erat in ciuitate peccatrix, &c. Sic & tu ſi vis à Chriſto ſaluari, defle. & poſt peccati pænitentiam vbicũque audieris Chriſti nomẽ, accurre. In cuiuſcunque interiorem domum Ieſum intraſſe cognoueris in penetrabilibus recumbentem, accurre ad pedes. hoc eſt: vel extremam partem quære ſapientiæ. lachrymis confitere delicta. Et fortaſſe ideo non lauit pedes ſuos Chriſtus: vt eos nos lachrymis lauemus: Bonę lahrymę, quæ non ſolum noſtrum poſſunt lauare delictum: ſed etiam verbi cæleſtis rigare veſtigium: vt greſſus eius in nobis exuberent. Bonæ lachrymæ, quæ non ſolum merentur ſaluationem peccatorum: ſed etiam iuſtorum refectionẽ. Sic enim ait Chriſtus mulieri Emorroiſſe. Fides tua te ſaluam fecit, &c. Secundo ſaluat aliquos meritis aliorum: vt in fide parentum ſaluantur paruuli baptiſati. Vnde de paralytico, quem portantes non habentes modum quo ipſum poſſent inferre: ipſum ſubmiſerũt per tegulas ante Ieſum. dicitur, Cum vidiſſet autem Ieſus fidem illorum: ait paralytico. Fili, dimittuntur tibi peccata tua &c. Vbi ait Beda, Intuendum ſane quanti propria cuiuſque fides apud deũm valeat: vbi tantum valuit aliena, vt totus homo repente interius exteriuſque iam ſaluatus exurgeret: aliorumq́ue merito illi relaxarentur errata. Et ad iſtum ſenſum loquitur Apoſtolus. 1. Corinthios 7. dicens, Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Tertio ſaluat aliquos abſque omnibus cuiuſcunque meritis, ſolum propter gloriam nominis ſui. Sic enim dixit de cæco nato, & de Lazaro. Hæc infirmitas non eſt ad mortem: ſed pro gloria filij dei. Ex talibus enim liberationibus inopinatis, nomen dei magis honoratur: & eius poteſtas magis cognoſcitur. Vnde Gregorius ait. Alia eſt percuſſio qua peccator percutitur, vt ſine retractatione puniatur, alia qua peccator percutitur vt corrigatur: alia qua quis percutitur, non vt præterita corrigat: ſed ne ventura committat: aliâ per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur; ſed dum inopinata ſalus percuſſionem ſequitur: ſaluãtis virtus cognita, ardentius amatur. Et ſic fuit in propoſito: quoniam dum filij Iſrael inter mare & hoſtes eſſent concluſi, deſperantes euadere, dum fuerunt per deum liberati: gratias nomini domini magis egerunt, dicentes. Cantemus domino &c. Et hoc hic notans pſal. ait, *Et ſaluauit eos propter nomen ſuum &c.* Sic & nos petamus dicentes, Adiuua nos deus ſalutaris noſter. &c..

*Luc. 7.* — *Ambroſius.* — *Lachrimarũ vtilitas.* — *Mar. 2.* — *Beda.* — *1. Cor. 7.* — *Aduerſa diuerſis cauſis proueniunt.* — *Ioan. 9.* — *Ioan. 11.* — *Gre. 1. moral. ca. 9. In præfatione.* — *Exo. 15.* — *Pſal. 78.*

## 1843 Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſsis ſicut in deſerto.

Hic oſtendit modum, quo tunc eos ſaluauit, ſcilicet, mare exſiccando. Modus enim quo mare meabile fecit eis, habetur Exode 14. Dum eſſent filij Iſrael concluſi inter mare ab vna parte, & hoſtes ab alia, & montes ab alia: ſic quòd eis non patebat modus euaſionis: dixit dominus ad Moyſen, Eleua virgam tuam ſupra mare: & diuide illud vt gradiantur filij Iſrael in medio maris per ſiccum. Quod cum feciſſet moyſes, abſtulit dominus mare flante vento vrẽti tota nocte: & vertit in ſiccum. Diuiſaq́ue eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium maris ſicci. Erat enim aqua quaſi murus à dextris eorum & ſiniſtris. Et ſic mare trãſierunt. Vt enim ait glo. 135. Sicut duodecim erant tribus, ita duodecim diuiſiones fecit in mari, vt quælibet tribus ſuam viam haberet: vt vna tribus aliam non impediret: & ſic citius tranſirent. Et iſtum modum recolens pſal. ait, *Increpuit mare &c. Et deduxit eos in abyßis ſicut in deſerto.* In abyſſis, non quòd ipſi irent per aquas: ſed inter aquas quæ erant altiſſimæ ab omni latere ipſorum. Iſte modus liberationis myſticè figuram gerit baptiſmi quo liberamur ab Ægyptiis perſecutoribus. vt deducit Origenes ſuper Exode dicens. Iubetur Moyſes virga percutere mare vt ingrediente populo dei cedat: & aquæ quæ timebantur, dextera læuaque murus effectæ: quæ non ſolùm perniciem neſciãt: ſed etiam munimen exhibeant: ſoliditatem recipit liquor, & ſolum maris areſcit in puluerem. Bonitatem creatoris intellige ſi voluntati eius obtemperes: ſi legem eius ſequaris, elementa tibi contra naturam compellet ſeruire. Audiui à maioribus traditum, quòd ſingulis tribus ſingulę aquarum diuiſiones factę ſunt & propria vnicuique via. Quod oſtenditur, eo quòd dicitur: Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones. Apoſtolus autem baptiſmũ in Moyſe conſtitutum: dicit in nube & in mari: vt & tu qui in Chriſto baptizaris in aqua & ſpiritu: ſcias te inſectari Ægyptios: & ad ſeruitium eorum reuocare rectores, ſcilicet, mundi: & ſpirituales nequitias quibus ante ſeruiſti. Sed cum deſcendis in aquam, euadis incolumis: & nouus aſcendis: peccatorum ſordibus ablutis: paratus ad cantandum nouum canticum. Ægyptij inſequentes ſubmerguntur in abyſſum: quia peccata omnia in aqua necantur. Et ad eundem ſenſum huius maris tranſitum inducit Iſidorus dicens. Mare rubrum baptiſmum Chriſti ſanguine conſecratum ſignificat. Hoſtes à tergo ſequentes cum rege ſuo moriuntur: quia peccata præterita in baptiſmo delentur, & dyabolus ſuffocatur. Premunt Ægyptij vſque ad mare, & peccata vſque ad baptiſmum. Poſt tranſitum maris cantat populus ſubmerſis hoſtibus & fideles de lauacro aſcendentes exſtinctis peccatis, hymnum decantat, dicentes, Cantemus domino glorioſe. Vel per iſtud mare intellige ſacramẽtum pænitentiæ. vt dictum eſt. ver. 1015.

*Exo. 14.* — *Gloſa.* — *Baptiſmus per mare ſignificatur. Origenes.* — *Pſal. 135.* — *Iſidorus.* — *Exo. 15.*

## Et ſaluauit eos de manu odiẽtium, & redemit eos de manu inimici. 1844

Hic concluditur ſaluationis effectus. Vbi primò videndum, quid per odientes filios Iſrael, & quid per inimicum ſignificetur. Vt enim habetur Exod. 1. Surrexit rex nouus in terra Ægypti: qui videns quòd populus Iſrael multum creuerat timens eos, induxit cæteros Ægyptios ad odium eius. Propter quod ibidem dicitur, quòd oderant filios Iſrael Ægyptij: & affligebãt illudentes eis: atque ad amaritudinem inducebant vitam illorum. Et ſic Pharao erat inimicus eorum. Sed alij Ægypti erant odientes eos inducti à Pharaone. Sed iſtud odium adhuc magis creuit, quando propter filios Iſrael Ægyptij à Deo decem prædictis plagis flagellati fuerunt: & ab omnibus iſtis illos ſaluauit Deus. Quod commemorans Pſal. ait, *Et ſaluauit eos de manu odientium,* ſcilicet, Ægyptiorum. *Et redemit eos de manu inimici,* ſcilicet, Pharaonis. Hæc autem ſaluatio fuit per tranſitum maris. Per quod manifeſtè figurabatur ſaluatio fidelium facta per tranſitum aquæ baptiſmalis. Vnde hic ait Gloſa, Hoc in figura baptiſmi dictum eſt: in quo redimimur de manu diaboli ſanguine Chriſti. Vnde mare rubrum dixit: quo colore ſanguis Chriſti figurabatur. Notãdum quòd Chriſtus nos redemit de manu inimici tripliciter, ſcilicet, ſapienter: & hoc contra dæmonis aſtutiam: quia Chriſtus muſcipulam prudenter parauit diabolo: quando diuinitatis occultè ſuæ carni eſca operuit. Vnde Pſal. 30. Redemiſti me domine Deus veritatis. Secundò nos redemit iuſte: quia iuſtum preciũ pro nobis exoluit. Pſal. 110. Redemptionem miſit dominus populo ſuo, ſcilicet, filium ſuũ. Tertiò nos redemit clementer: quia ſola charitate. ad Titum 2. Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Quæ notans Apoſtolus de Chriſto dicit. quòd factus eſt nobis à Deo ſapientia iuſtitia ſanctificatio & redemptio. Quæ verba exponens Ber. oſtendit quomodo & qui huius redemptionis participes eſſe poſſunt: dicens, Chriſtus factus eſt nobis ſapientia: vt expectata futuræ gloria præmia, per ipſius gratiam prælibemus. Iuſtitia, quia ipſe eſt qui operatur in nobis, & velle, & operari, & proficere pro bona voluntate. Sanctificatio: vt peccata quæ odimus eius ope, & opere declinemus. Redemptio: vt per ipſum ab æternis quæ meruimus peccãdo ſuppliciis eruamur. Et hæc quatuor vnuſquiſque noſtrum in ſe debet habere. Sanctificationem, in contritione cordis. Sapiẽtiam, in confeſſione oris. Iuſtitiam, in ſatisfactione operis. Redemptionem, in conſummatione virtutis. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hæc quatuor in ſe habuit latro: qui in cruce Chriſtum confeſſus eſt. Habuit ſapientiam: quia perfectè illuminatus Chriſtum Deum eſſe cognouit: quando omnes diſcipuli eum reliquerunt. Habuit iuſtitiam: quia alium latronem blaſphemantem per charitatẽ corripuit: & ſeipſum per iuſtitiam accuſauit: & Chriſti innocentiam fideliter prædicauit. Hanc enim triplicem perfectionem iuſtitiæ ſonant verba latronis. Ait enim ad alterum. Nec tu times Deum: qui in eadem damnatione es? Ecce correctio per charitatem erga proximum. Et nos quidem iuſtæ, inquit, nam digna factis recipimus: ecce cognitio culpæ per pænitentiam. Hic verò nihil mali geſſit. ecce prædicatio innocentiæ Chriſti. Habuit ſanctificationem: quia per fidem & dilectionem Chriſtum orauit, dicens, Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum. Habuit participium redemptionis: ſicut ei dominus ait, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo. Et de omnibus cõſimilibus dicitur, *Et de manu inimici redemit eos.* quia vt dicitur Matth. 18. Filius hominis venit ſaluare quod perierat, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.

*Exo. 1.* — *Baptiſmus per mare ſignificatur. Gloſa.* — *[Re]demit nos [Chri]ſtus multipliciter.* — *Pſal. 30.* — *Pſal. 110.* — *Titum 2.* — *1. Cor. 1. Chriſtus eſt [ſa]pientia: iu[ſtitia], ſancti[ficatio] & redemptio.* — *Mat. 10.* — *Latro bonus [quatuor virtu]tes ha[buit].* — *Luc. 23.* — *Luc. 3.* — *Matt. 18.*

## 1845 Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit.

Hic ponitur perſecutorum ſubmercio. Et primò ponit ipſorum ſubmerſionem. ſecundò conſequentem vtilitatem, ibi, *Eo crediderunt.* Quãtum ad primum modus ponitur Exo. 14. Nam cũ filij Iſrael ingreſſi eſſent per ſiccum maris, Pharao cum exercitu ſuo & curribus peruenit ad mare. Et videntes filios Iſrael fugiẽtes per ſiccum maris, ingreſſi ſunt poſt eos ipſos perſequentes: omnis exercitus Pharaonis, curruſq; eius, & equites per medium maris. Iamq́; aduenerat vigilia matutina: ſubuertit dominus rotas curruum Pharaonis & ferebantur in profundum. Cumq́; vellẽt reuerti, Moyſes præcepto domini extendit manum ſuam ſupra mare: & aquæ quæ erant quaſi pro muro conſolidatæ à dextris & à ſiniſtris, reuerſæ ſunt ad priſtinam naturam fluxibilem. Et ſic Pharao cum toto ſuo exercitu inuolutus in mediis fluctibus, aquis operti omnes ſubmerſi fuerunt: nec vnus quidem ſuperfuit ex toto exercitu Pharaonis, quin ſubmergeretur in mari. Et veriſimile eſt: quòd erant in grandi multitudine quando perſequebantur filios Iſrael: vt eos captiuos reducerent ad Ægyptum. Qui tamen filij Iſrael erant ſexcenta milia hominum armatorum. Vnus enim perſecutus (vt communiter) valet duos perſequentes. Sic ergo de illis perſecutoribus Ægyptiis nullus penitus remanſit. Illi autem qui remanſerant in ciuitatibus Aegypti non perſequentes: remanſerunt ſuperſtites. Myſticè autem per hoc denotatur: quomodo aqua baptiſmi omnia peccata quibus impugnamur, occidit. Vnde ait Glo. ſuper Exod. Spiritus ſancti gratia aquas baptiſmatis fidelibus meabiles facit: vt de ſpirituali Aegypto, ſcilicet, peccatorum: in terram promiſſionis trãſeant. hoſtium verò ſuffocat exercitũ.

*Exod. 14.* — *Submerſio Ægyptiorũ.* — *Filij Iſrael. quãdo egreßi ſunt de Ægypto erant 6000. armatorum hominum.* — *Baptiſmus omnia peccata occidit.* — *Exod. 14.*

## Et crediderunt in verbis eius: & laudauerunt laudem eius. 1846

Hic ponitur effectus dictæ punitionis quo ad filios Iſrael: quia, ſcilicet, videntes Aegyptios ſubmerſos, conſiderantes potentiam Dei, crediderunt verbis quæ dixerat Moyſes eis ex parte Dei. Nam vt habetur Exod. 14. Antequam filij Iſrael intrarent mare: videntes Aegyptios contra ſe venientes in manu forti: timuerunt valdè: & inſurrexerunt verbis contra Moyſen, quia eos eduxerat de Aegypto. Et ait eis Moyſes. Nolite timere. State, & videte magnalia Dei: quæ facturus eſt hodie. Aegyptios enim quos nunc videtis, nunquam vltra videbitis vſque in ſempiternum. Iſta ergo ſunt verba quibus crediderunt: quando Aegyptios omnes viderunt mortuos. Vnde in fine eiuſdem cap. dicitur. Liberauit dominus in die illa Iſrael de manu Aegyptiorum: & viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris & magnam manum quam exercuerat Dominus contra eos: & crediderunt domino & Moyſi ſeruo eius, ſcilicet, verba quæ dixerat Moyſes vera fuiſſe. Et notat hic Glo. duritiã Iudæorũ qui ante miracula viſa credere noluerũt. Et ideo eorum credulitas meritoria non fuit. quia fides nõ habet meritum: cui humana ratio prebet, experimẽtum. Sequitur. *Et laudauerunt laudem eius.* quia vt habetur Exo. 15. ſtatim viſis Aegyptiis mortuis: laudantes dominum, cantauerunt, Cantemus domino, glorioſe, &c. Quod autem iſti crediderũt verbis Moyſi propter impletionẽ viſam, & nõ crediderunt impletionẽ futurã propter verba: nõ habuerunt verũ credere, quod eſt meritoriũ. probo. Vbi notandum quòd quatuor modis contingit aliqua credere, ſcilicet, ratione naturali: auditu, miraculis & fide.

*Exod. 14.* — *Credere alicui multipliciter.*

## Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius: 1847

## eius : & non ſuſtinuerunt conſilium eius.

Hic conſequenter oſtendit eorum peccata quæ fecerunt in deſerto poſtquam mare tranſierunt. Et inter alia numerat ſeptem peccata quæ commiſerunt in deſerto, ſecundum quæ hęc pars diuiditur: Primum fuit peccatum guloſitatis & caſtrimargię. ſecundum rebellionis & ſuperbiæ: ibi, *Et irritauerunt Moyſen.* tertium fuit infidelitatis & idololatriæ: ibi, *Et fecerunt vitulum.* quartum fuit ingratitudinis & nequitiæ: ibi, *Obliti ſunt Deum.* quintum fuit incredulitatis & perfidiæ, ibi. *Non crediderunt.* ſextum fuit voluptatis & luxuriæ: ibi. *Et initiati ſunt.* ſeptimum fuit prouocationis ad malum & diſcordiæ: ibi, *Et irritauerunt eum.* Quãtum ad primum tria facit. quia primo ponit ipſorum inſtabilitatem. ſecũdò ipſorum guloſitatem: ibi, *Et concupierunt.* tertiò, ipſorum ſaturitatem: ibi, *Et dedit eis.* Notat ergo primò eorum inſtabilitatem. Vbi ſciendum quòd diuinum conſiliũ & prouidentia erat prouidere populo ſuo: quem tam mirabiliter eduxerat de Ægypto, ſcilicet, de omnibus neceſſariis ſibi. Promiſerat enim eos educere de Ægypto & inducere in terram promiſſionis. vt patet Exo. 3. quòd requirebat neceſſaria vitæ. Sed ipſi citò ſatis tranſacto mari: non expectauerunt quòd Deus daret eis: ſed murmurando quęſierunt victualia. Et ſic patet eorum inſtabilitas: quia viſis Ægyptiis mortuis: crediderunt verbis domini, & ſtatim poſt increduli non expectauerunt quòd Deus prouideret eis. Et hoc eſt quòd hic dicitur. *Cito fecerunt.* Quid fecerunt? hoc quod ſubditur. Quod obliti ſunt operũ eius. quaſi ſumma celeritate mutati à credulitate in credulitatem: à laude in murmurationem. Et non ſuſtinuerunt conſilium eius, id eſt, non patienter expectauerunt prouidentiam Dei: quæ daret eis victualia: quod Deus facere aliquantulum differebat alto conſilio: vt, ſcilicet, eos probaret, ſcilicet, & mundo oſtẽderet ipſorum inſtabilitatem & malitiam. Si enim Deus eis prouideret in maioribus ſine ipſorum requiſitione, multo fortius ſperare debuerant quòd eis in victualibus prouideret Et vide quàm cæca iſtorum fatuitas, qui ſperabant ſuis murmurationibus diuinum mutare conſiliũ: quod eſt immutabile, dicens, Cõſilium autem domini in æternum manet.

*Exod. 3.* *Cõſilium Dei à nobis mutari non poteſt.* *Pſal. 32.*

1848

## Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto: & tentauerunt Deum in inaquoſo.

*Exod. 16.*

Hic ponitur eorum guloſitas. Vbi notandum quòd vt habetur Exo. 16. quintodecimo die menſis ſecundi egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto: ipſi peruenerunt in deſerto Sin: & ſtatim ibi murmurauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen & Aaron, dicentes, Vtinã mortui eſſemus in Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carniũ, & comedebamus panes in ſaturitate. Cur induxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideres omnẽ hanc multitudinem? Tũc locutus eſt dominus ad Moyſes, dicens, Loquere. Audiui murmurationes filiorũ Iſrael. Loquere ad eos. Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus. Quod & ſic factum eſt: quoniam veſpere venerunt ad caſtra eorum tot coturnices, quòd operuerunt, caſtra: & quilibet capere poterat ad libitũ. Mane verò quando ſurrexerunt, apparuit manna panis de cœlo datus per circuitum caſtrorum. Et iſte cibus omni die pluebat de cœlo: excepto die ſabbathi. Et ſic durauit per quadraginta annos quouſque ceperũt comedere de fructibus terræ promiſſionis. Hanc ergo eorum guloſitatem notans Pſal. ait, *Et concupierunt concupiſcentiam*, id eſt, concupierunt carnes in deſerto. Et dicit, concupierunt cõcupiſcentiam: quaſi geminando eorum deſiderium: vt deſiderij nimietatem oſtendat. Statim autem inde mori venerunt in Raphidin, vbi erat terra inaquoſa: vbi ſurrexerunt filij Iſrael contra Moyſen, dicentes, Da nobis aquam vt bibamus. Cur feciſti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & filios noſtros? Et hoc notans Pſal. dicit, *Et tentauerunt deũ in inaquoſo*, id eſt, in loco qui erat inaquoſus, id eſt, ſine aqua, vel in ſolitudine. Et dicit tentauerunt, quia non ſolum quæſierunt aquam ad ſitim refocillãdam: ſed etiam ad experiendam potentiam Dei. cuius exempla tamen antea multa experti fuerant. Quid autem ſit tentare Deum: & quòd multipliciter tentatur, vide verſ. 1298.

*Exod. 17.* *Tentare Deũ quid ſit.*

## Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum. 1849

Hic ponitur ipſorum ſaturitas, quòd ipſorum deſiderium adimpleuit dominus: quia & carnes abundanter eis miniſtrauit, & panem de cœlo, vt ſtatim dictum fuit, & ſimiliter aquam abundanter eis de petra fluxit. De adminiſtratione panis de cœlo dictum eſt verſ. 1304. 1305. 1306. De datione carnium dictum eſt verſ. 1307. 1308. 1309. De datione aquæ de petra: dictũ eſt ver. 1295. 1296. Et attẽde quòd deus exaudiuit eos in malũ ipſorũ: quia habita ſaturitate ira Dei aſcendit ſuper eos: & magnã partẽ illorũ occidit. vt dictũ eſt ve. 1311. 1312. Et ſic nota quòd nõ omnis qui exauditur à Deo, exauditur ad eius vtilitatem: immò quandoque ad damnum temporale & æternum. vide verſ. 1310. Quæ omnia conſiderans Pſal. dicit, *Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum.* Hic nota quòd multiplex eſt ſaturitas, ſcilicet, Saturitas criminalis & vitioſa. Saturitas ſpiritualis & virtuoſa. Saturitas æternalis & glorioſa. Primò eſt ſaturitas criminalis. Et iſta magis conſiſtit in deſiderio quàm in eſſe reali. Vtputa auarus quærit ſaturari diuitiis: & illæ ſitim augent. vide ver. 509. 568. 582. Luxurioſi quærunt ſatiari libidine, quę ſatiari non poteſt, ſed fatigat. Hypocrita quærit ſaturari laude. Et quanto amplius laudatur: amplior ſitis laudis excreſcit in eo. Guloſus cibis non ſatiatur quia non ſatietatem, ſed nauſeam magis inducunt. Et de iſta ſaturitate dicitur, Manducauerunt & ſaturati ſunt, &c. Sequitur, Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, &c. Secũda eſt ſaturitas ſpiritualis. Et hanc facit iuſtitia. Matth. 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. quoniam ipſi ſaturabuntur. Quod ideo dicitur: quia deſiderium iuſtitiæ: omni virtute animam replet. Vnde prędicta verba exponens Iſaac: ait. Beati qui eſuriũt & ſitiunt iuſtitiam, &c. Liber ſapientiæ ſcriptus eſt intus & foris. Qui peruerſos corrigit: foris loquitur. & quaſi intus qui peruerſos dirigit. Iuſtitia eſt virtus quæ omnia æquat, reddẽs cuique quod ſuum eſt. Hanc lex naturæ continet: ſcriptura præcipit: euangelium cõplet. Hac itaque dirigendus eſt qui veram ſaturitatem quęrit: qui beatitudinem contendit habere ne cum naturali lege maneat, vt philoſophus: vel iuſtitiam

*Saturitas multiplex.* *Pſal. 77.* *Matt. 5.* *Iſaac.* *Commendatio iuſtitiæ.*



ſtitiam inſtituat vt Iudæus. Hinc pręſumptor, hinc ſimulator, ſed iuſtitiæ fidei ſe ſubiiciat vt Chriſtianus & humilis accuſator ſui. Vis ſaturari virtute? Vide ne vnquam affugiat iuſtitia à manu, ab ore, à corde. Nam qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam: non vacuam ſed plenam: ſed perfectam & quietem. Ideo beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Iuſtitia viaticum eſt in itinere: iuxta quod ex parte eſt. Ipſa cœna in patria: iuxta quod perfecta eſt: nunc ad medicinã: tunc ad delectationem. Cuius inchoatio obtinet, nemini iniuriam facere. profectus, illatam patienter ferre: perfectio, omnibus benefacere ſi poteſt: ſin minus, velle. Hãc qui habuerit, ſatiatus erit. Hęc enim eſt illa virtus: de qua dicitur, Quæ ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Tertia eſt ſaturitas æternalis: quæ ſtat in viſione nuda, & fruitione diuinitatis. de qua Pſal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Vide ibi.

*Pſal. 106.* *Pſal. 16.*

1850

## Et irritauerunt Moyſen in caſtris: Aaron ſanctum domini.

Hic ponitur ſecundum peccatum ipſorũ. quod, ſcilicet, fuit rebellionis & ſuperbiæ. Et primò ponitur ipſorum rebellio. ſecundò rebellionis punitio. ibi, *Aperta eſt terra.* Pro euidentia iſtius rebellionis ſciendum quòd cum Moyſes & Aaron cum cęteris filiis Iſrael in deſerto eſſet in caſtris: & Aaron iam præcepto domini in ſummum ſacerdotẽ eſſet conſecratus: aliqui ſibi inuidentes, ambiebant & ipſi ſummum habere ſacerdotium. Quorum tres inter alios erant principales, ſcilicet, Chore Datan & Abiron. Qui rebellantes Moyſi, dixerunt, Sufficiat vobis quòd omnis multitudo ſanctorum eſt. quaſi dicat, Debet vobis ſufficere quòd vos, ſcilicet, Moyſes & Aaron ſitis in eodem gradu cum aliis de tribu Leui: quia omnis multitudo eſt ſanctorum, id eſt, ita ſpectant ad Deum ſicut & vos. Cur ergo eleuamini ſuper populum? Quod cũ audiſſet Moyſes: cecidit pronus in terram: & dixit ad omnem multitudinem. Mane notum faciet dominus qui ad ſe pertineant: & ſanctos applicabit ſibi: & quos elegerit, appropinquabunt ſibi. Tollat vnuſquiſque veſtrum thuribulum ſuum: & hauſto igne ponat deſuper thymiama coram domino. Et quem elegerit dominus, ille ſanctus erit, id eſt, ſummus ſacerdos. Quid enim fecit Aaron vt murmuraretis contra eum. Miſit ergo Moyſes & vocauit Dathan & Abiron. Qui reſponderunt, Non veniemus. Nunquid parum tibi eſt quòd nos eduxiſti de Aegypto quæ fluebat lacte & melle, niſi noſtri dominatus fueris? An oculos noſtros vis eruere? Et tunc iratus eſt Moyſes valde, &c. Iſtam ergo rebellionem notans Pſalm. ait, *Et irritauerunt Moyſen in caſtris*, &c. id eſt, ad iracundiam prouocauerunt. Quid autem propriè ſit irritare, vide ver. 1533. In hoc enim denotatur aliquorum præſumptio ſubditorum: qui ſuis prælatis rebellare contendunt: ipſorum audientes honorem. Nam ipſe Aarõ ſummus ſacerdos cæteros eccleſiæ prælatos ſignificat. Et hoc ratione ſui nominis: ſui ponderis: ſui pectoris, &c.

*Num. 16.*

1851

## Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abiron.

Hic ponitur dictæ rebellionis punitio. Huius punitionis hiſtoria habetur Num. 16. Facta hac rebellione dixit dominus ad Moyſen. Præcipe vniuerſo populo, vt ſeparentur à tabernaculis Chore, Dathã & Abiron. Cumq; receſſiſſent à tabernaculis eorũ per circuitũ: Dathan & Abirõ ſtabãt in ingreſſu papilionum ſuorum cum vxoribus & liberis omniumque frequentia. Et ait Moyſes ad populum. In hoc ſcietis quia dominus miſit me. ſi iſti conſueta hominum morte interierint, nõ miſit me dominus. Si autem rem nouam fecerit dominus: vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quę ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum: ſcietis quia blaſphemauerunt dominum. Igitur vt Moyſes ceſſauit loqui, confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuũ deuorauit eos cũ tabernaculis eorum vniuerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntque viui in infernum operti humo, &c. Et iſtam pœnam commemorans Pſal. ait, *Aperta eſt terra & deglutiuit Dathan*, &c. Hic notat Glo. quòd pœna, culpæ reſpondet. N iãſti qui terrena ambiebant: à terra ſunt abſorpti. ſecundũ quod dicitur Sapiẽ. 11. Per quæ peccauerit homo, per hęc & torquetur. Attende quòd aperire in ſcriptura, quandoq; punitionem malorum ſignificat. qua diuina iuſtitia aperit pharetram ſuam vt malos percutiat. quia ſicut reprobi aperiunt cogitationes ſuas, & opera ad mala peragenda: ſic & dignum eſt vt Deus iuſtitiam ſuam aperiat ad illos puniendos. Sicut enim ſagittarius aperit pharetrã ſuam vt hoſtem feriat: ſic & Deus ſuam iuſtitiam vt malos puniat. Propter quod de Deo dicitur Iob 30. Pharetram ſuam aperuit & afflixit me. Sic & in propoſito: Deus aperuit terram: vt peccatores puniret. quia aperta eſt terra.

*Num. 16.* *Dathan & Abiron abſorpti.* *Aperire ſignificat punitionem.* *Iob 30.*

## Et exarſit ignis in ſynagoga eorum: flamma combuſsit peccatores. 1852

Hic ponitur alterius partis punitio. Apertio enim terræ puniuit Dathan & Abiron: vt dictum eſt, ſed Chore cum ſuis igne fuit punitus. Nam volens Moyſes oſtendere, quòd Aaron à Deo in ſummum ſacerdotẽ fuerat electus, dixit ad ipſum Chore qui erat de tribu Leui, & ambiebat ſacerdotium ſummum. Dixit ad Chore. Tu & omnis congregatio tua, ſtate ſeorſum coram domino: & Aaron ex alia parte: & tollite ſinguli thuribula veſtra offerentes incenſum coram domino, ſcilicet, ducenta quinquaginta thuribula. Aaron quoque teneat thuribulum ſuum Quod cum feciſſent, tum dixit dominus ad Moyſen. Separamini de medio cõgregationis huius: vt eos repente diſperdam. Cumque Chore cum ſuis ducentis quinquaginta thuribulis vellent incenſum offerre domino: ignis egreſſus eſt à domino: & interfecit illos ducẽtos quinquaginta viros qui offerebant incenſum. Quo facto murmurauit vniuerſa multitudo contra Moyſen & Aaron, dicentes, Interfeciſtis populum domini? Qui timentes fugerunt ad tabernaculum fœderis. Et dixit dominus ad Moyſen & Aaron. Recedite de medio huius multitudinis, & nunc delebo eos: & egreſſus eſt à domino ignis deuorans multitudinem. Dixitque tunc Moyſes ad Aarõ. Tolle thuribulum & perge cito ad multitudinẽ: vt ores pro eis. Quod cum feciſſet Aaron: venit ad mediã multitudinem quam iam vaſtabat incendium, & obtulit thymiama: & ſtans inter viuos & mortuos orauit pro populo; & ceſſauit plaga. Fuerunt autem qui igne perierunt quatuordecim milia ſeptingenti

*Num. 16.* *Chore cũ ſuis combuſtis.*

ti abſque illis qui perierunt in ſeditione Chore. Huius ergo incẽdij quo puniti fuerunt rebelles & ſuperbi: commemorans Pſalmus ait, *Et exarſit ignis in ſynagoga ipſorum*,&c. Quid autem dicatur ſynagoga: & quomodo differat ab eccleſia.vide verſicul.1406. Et vide pœnam correſpondere peccato.Illi enim acceptis thuribulis igne impoſito: ſuperbè Deo ſacrificare voluerunt: vnde & igne perierunt.quoniam exarſit ignis in ſynagoga eorum, id eſt valde arſit.Notandum ergo quòd ardor ignis ardori ignis correſpondet,ſcilicet,ignis pœnę,igni culpæ. Eſt enim duplex ardor, ſcilicet, criminalis immunditiæ: & hic eſt multiplex.& eſt ardor pœnæ peccato correſpondens:ſcilicet, ardor ignis infernalis.quia qui hic ardet igne vitiorum:ibi ardebit igne tormentorum.

*Ardor multiplex.*

### 1853 Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt ſculptile.

Hic ponitur tertium ipſorum peccatum: quod fuit infidelitatis & idololatriæ. Et primò punitur ipſorum idololatratio.ſecundò ex hoc ipſorum vituperatio.ibi,*Et mutauerunt gloriam*.Quantũ ad primum hiſtoria habetur Exo.32.Nã cũ Moyſes eſſet in monte Sinai: in quo fuit quadraginta diebus,& quadraginta noctibus ieiunans: vt legem de manu domini mereretur accipere.Videns populus quòd Moyſes moram faceret in monte: congregatus eſt aduerſus Aaron: dicens, Fac nobis deos qui præcedãt nos. Moyſi enim ignoramus quid acciderit. Aaron autem volens eos ab iſta ſtultitia auertere: cogitauit petere ab eis rem tam difficilem pro factura idoli: quòd ipſi non acquieſcerent.Dixit ergo Aaron ad eos.Tollite inaures aureas de auribus vxorum,filiorum & filiarum veſtrarum: & ferte ad me.Illi autem nullam difficultatẽ in hoc facientes: fecerunt ſicut dixit. Quas cum Aaron accepiſſet: fecit ex eis vitulum conflatilem opere fuſorio, quẽ populus adorauit, & hoſtias attulit illi. Et hoc eſt quod ait.*Et fecerunt vitulũ in Oreb:& adorauerunt ſculptile.* Et aduerte quòd vitulus ille conflatilis fuit, ſcilicet, opere fuſorio factus & non ſculptus. Sed hic accipitur vnum pro alio. Sed nunquid Aaron cauſa fuit prædictę idololatriæ,qui aurum petiit,& formauit idolum? Aliqui excuſant eum de primo, ſcilicet, quòd aurum eorum petiit, vt eos difficultate poſtulationis reuocaret. Et hæc eſt intentio Rabani ſuper Exod.dicens,quòd iubet Aaron aurum dari ab auribus vxorum, filiorum & filiarum ſuarum, vnde illis faceret deos:non abſurdè intelligitur difficilia voluiſſe præcipere: vt difficultate præcepti eos ab intentione idololatrię facilius reuocaret.Et ſi dicas, poſtquam iſto modo reuocare non potuit, quia libenter ei dediderunt quod petierat:quare tamẽ ipſe ſummus ſacerdos ex illo auro idolum fabricauit,ſeu fecit eis? Ad hoc reſpondent aliqui,quòd non fuit intentionis eius idolum facere:nec iſta intentione aurum acceptum proiecit in ignem: ſed potius ipſorum poſtulatione turbatus vt inaures ipſorum deſtrueret. Et hoc videtur ſentire magiſter in hiſtoriis ſcolaſticis ſuper Exod.dicens,Tradunt quidam Aarõ inaures ipſorum in ignem proieciſſe: ſed dæmonis opera conflatum fuiſſe caput vitulinum. quod tamen quandoque vitulus: quandoque caput vituli vocatur. Vnde in excuſationem ſui quando Moyſes arguit eum, ipſe ait, Dederunt mihi aurum. proieci illud in ignem: & egreſſus eſt vitulus iſte. Sed poſito quòd in prædictis poſſit excuſari: non video tamẽ de his quę conſequenter fecit:qualiter excuſari poſſit:vt non dicatur cauſam dediſſe illi idololatriæ.Nã poſtquam vitulus ille factus eſt, arte cuiuſcunq; factus fuerit,Aaron ędificauit altare corã eo:& præconis voce magna fecit clamari, dicens, Cras ſolennitas domini eſt. Vnde ſurgentes manè obtulerunt holocauſta & hoſtias,&c.imò ipſe Aaron populo dixit.Iſti ſunt dij tui qui eduxerunt te de Ægypto. Et nota quòd per iſtum actum quem Aaron fecit,notant doctores auaritiã à clericis ortum habere:vt dictum eſt ſuperius ver.818.De pœna autem qua hoc peccatum idololatrię fuit punitum,nihil hic dicitur:ſed illam vide Exo.32.

*Exod.32.*

*Aaron an fuerit cauſa idololatriæ.*

*Rabanus.*

*Exod.32.*

*Auaritia proceſſit à clero.*

### 1854 Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnũ.

Hic ponitur dictæ idololatriæ vituperatio.Nõne magna confuſio eſt homini idololatrę:& maximè Iudæo qui maieſtatem inuiſibilis Dei:quã non ſolum ex creaturis agnouit: ſed per legem, per tot mirabilia illis oſtenſa,& tam multiplicia beneficia, in ſimilitudinem vituli commutare: & imaginem vituli pro Deo colere: Dicant quod eſt excellentioris perfectionis,vel res viua & ſenſibilis: vel res inſenſibilis & ſine vita. Quis Philoſophus etiam mere naturalis non diceret,quòd res viua?Et tamẽ ipſi non adoraſſent vitulum viuum. Et ad tantam dementiam deuenerunt, quòd ſimilitudinem vituli vita carentem coluerunt. O quãta mentis hębetudo: quantaq; ſtultitia eorum apud quos plus poteſt imago quàm veritas: inſenſibilitas quã vita. Iſti ergo recedentes à Deo viuo & vero: vt experti fuerunt,ad ſimilitudinem vituli ſe contulerunt: ſimiles gẽtilibus de quibus dicit Apoſtolus Rom.1. quòd commutauerunt gloriã incorruptibilis Dei: in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis quadrupedum & ſerpentum.

*Idololatria eſt deteſtãda.*

*Rom.1.*

### 1855 Obliti ſunt Deũ qui ſaluauit eos,qui fecit magnalia in Aegypto: mirabilia in terra Cham:terribilia in mari rubro.

Hic ponitur quartum ipſorum peccatum:quod fuit ingratitudinis. Et primò ponit ipſorum ingratitudinem. Secundò Dei indignationem:ibi,*Et dixit*.Tertiò Dei placationem: ibi,*Vt auerteret iram*. Quantum ad primum notat beneficia eis collata pro ipſorum liberatione,vt ex hoc exigeret eorum ingratitudinem: dicens quòd Deus ſaluauit eos, ſcilicet, de tanta miſeria: qua ſubiugati erant in Ægypto: ſicut dictũ eſt ſupra. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum,vt notam faceret potentiã ſuam: vide ver.1842. Sed modũ quo ſaluauit eos ſubdit: dicẽs, *Qui fecit magnalia in Aegypto*.Et hoc dicit:quoad decem plagas,quibus flagellauit Ægyptum, de quibus plagis dictum eſt ſupra, *Qui fecit mirabilia in terra Cham*, ſcilicet, in Ægypto qui dictus eſt Chã. Quia Æſraim à quo denominata eſt Aegyptus, fuit filius Cham vt habetur Gene.10. Vbi vbicũq; in veteri teſtamento habetur Aegyptus in latino, in hebręo habetur Meſraim.Mirabilia ergo fecit in Aegypto ſiue in terra Cham.quia cum cæca Aegyptus decẽ plagis percuteretur: mirabile erat quòd terra Geſſen in qua habitabant filij Iſrael, illis plagis nullo modo fuit percuſſa.*Terribilia in mari rubro*: quando,ſcilicet,filij Iſrael ſicco pede mare tranſierunt, in quo totus exercitus Ægyptij ſubmerſus fuit:

*Ingratitudo Iudæorum.*

*Gene.10.*



vt vnus quidem non ſupereſſet.quæ omnia fecit ad ſaluandum populum Iſrael. Et tamen iſti ita ingrati fuerunt, quòd obliti ſunt Deum: qui, ſcilicet, modis prædictis ſaluauit eos. Quæ tamen omnia propter facientis virtutem & talium operum in conſuetudinem non ſolùm videntes, ſed etiam audientes merito ducuntur in ſtuporem: & per conſequens memoriæ hominum magis imprimuntur. Quæ tamen iſti ingrati obliti ſunt. quod eſt ſummum genus ingratitudinis: vt dictum eſt verſ.1291. Ex omnibus ergo prædictis vult Pſalm. concludere:quòd ex operibus illis Deus admirabilis apud filios Iſrael eſſe debuerat:& per conſequẽs non tradendus obliuioni. Si enim admirantur homines opera mirabilia quæ vident incõſueta: quomodo non admirari debent potentiam facientis? Sic enim ex operibus mirabilibus Dei: ipſe Deus vbique admirabilis prædicatur. Pſalm.8. Domine Domine dominus noſter,quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra,&c.

*Admirabilis Deus vbique.*

*Pſal.8.*

### 1856 Et dixit vt diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.

Hic ponitur Dei contra illos indignatio. Hoc enim fuit quando fecerunt ſibi vitulum conflatilem, atque adorauerunt. Tunc enim (vt habetur Exod.32.) dixit Dominus ad Moyſen. Deſcende, peccauit populus tuus: fecerunt ſibi vitulum & adorauerunt.Cerno enim quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte vt iraſcatur furor meus contra eos:& deleam eos,faciamq; te in gentem magnam. Sed Moyſes indignationi diuinæ orationibus ſe oppoſuit dicens, Quieſcat domine ira tua: & eſto placabilis ſuper malitiam populi tui. Et infra. Aut dimitte eis noxam hanc:aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Hanc ergo indignationem domini,& per Moyſen factam placationẽ recolit Pſa.dicẽs,*Et dixit vt diſperderet eos:ſi non Moyſes*,&c.Ex quibus verbis oſtendit Auguſtin. quantum apud Deũ pro peccatoribus valeat iuſtorum oratio: quia Deus dixit Moyſi. Dimitte me, &c. Et tamen ipſe Moyſes tanti peccati indignationem diuinam ſua oratione placauit. Vnde ſic ait Auguſtin. Volebat Moyſes vt filij Iſrael in domino ſpem ponerent: & in eius miſericordia ſe ab illa ſeruitute liberatos crederent. Cuius tamen tantum erat meritum: vt ei diceret dominus. Dimitte me: vt iraſcar contra eos.Quod ſit iubentis cum ait: ſine me: aut quaſi petentis. vtrumque videtur abſurdum. Nam ſi Deus iubebat: famulus obedienter non parebat. Et Deum hoc à ſeruo pro beneficio petere non decebat: qui poterat eos etiam ipſo nolente conterere. Significat ergo his verbis Deus plurimum prodeſſe apud ſe illi populo, ſic ab illo diligi: quem Deus ſic diligebat:vt eo modo admoneremur:cum merita noſtra grauant ne diligamur à Deo,releuari nos apud Deum illorum meritis poſſe, quos diligit. Nam cum à Deo homini dicitur: ſine me, & conteram eos:hoc eſt conteram eos niſi diligerentur à te. quaſi noli eos diligere: & conteram eos. quia ne illud faciam: dilectio tua intercedit. Obtemperandum eſſet Deo dicenti: noli eos diligere: ſi hoc iubendo dixiſſet & non potius admonẽdo: exprimendo quid illum ab eorum ſupplicio reuocaret. Nec tamen illo intercedente ſine flagello diſciplinæ populum dereliquit. Neſcio enim quomodo, vt ſic eos diligeret ipſe Moyſes, Deus occultus illos diligebat, qui manifeſta voce terrebat. Et hic in iſto verſu Gloſ.dicit. Hic monſtratur quantũ valet interceſſio ſanctorum. Securus enim Moyſes de iuſtitia Dei qua eum delere non poſſet: impetrauit miſericordiam Dei his qui iuſtè perirent.Et attende quòd Deus orationibus iuſtorum placatus ſic peccatoribus vno modo parcit, vt eos etiam alio modo percutiat. Nam Moyſes qui ſuis orationibus tanti ſceleris à Deo veniam impetrauit populo: ipſemet poſtea puniuit populum: vt ibidem habetur Exod. 32. Vnde iſtum verſum pertractans Gregor.ait. Intueri libet Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videmus enim piè amantem & diſtrictè ſæuientẽ. Certe cum Iſraeliticus populus ante Dei oculos penè inueniabilem contraxiſſet offenſam: ita vt eius rector audiret: deſcende. peccauit populus tuus. Ac ſi ei diuina vox diceret. Populus qui in tali peccato lapſus eſt: iam meus non eſt: ac ſubiungeret. Dimitte me: vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos:faciamq; te in gentem magnam.Ille ſemel & iterum pro populo cui præerat obicem ſe ad impetum Dei iraſcentis opponens ait. Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Penſemus ergo quibus viſceribus eundem populum amauit: pro cuius vita deleri ſe de libro vitæ petiuit. Sed tamen iſte qui tanto eius populi amore conſtringitur contra eius culpas penſemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima culpæ veniam ne deleretur obtinuit: ad eundem populum veniens ait.Ponat vir gladium ſuper fœmur ſuum: ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum:& occidat vnuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum.Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria milia hominum. Ecce qui vitam omnium etiam cum ſua morte petiuit: paucorum vitam gladio extinxit. Et intus arſit ignibus amoris,& foris accenſus eſt zelo ſæueritatis. Tanta fuit pietas: vt ſe pro illis coram domino offerre non dubitaret: tanta ſæueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit,vt pro eis nec ſibi parceret. Et tamẽ delinquentes ſic perſecutus eſt quos amauit, vt eos etiam Domino parcente proſterneret, &c.Et hoc notans Pſal.ait. *Et dixit vt diſperderet eos ſi non Moyſes*,&c.

*Exod.32.*

*Auguſtin.*

*Oratio iuſtorum pro peccatoribus multum proficit apud dominũ.*

*Gloſa.*

*Prælatus miſericordiã cũ iuſtitia debet habere.*

*Exod.32. Greg.lib.20. moral.cap.6.*

### Vt auerteret iram eius ne diſperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. 1857

Hic oſtenditur diuina placatio. Et eſt quaſi declaratio intenſionis Moyſi orantis pro populo, quaſi dicat, Ad quid fuit Moyſes pro populo in confractione in conſpectu Domini? Reſpondet.*Vt auerteret iram eius*,ſcilicet,à populo. Oratio enim iuſti hominis tantæ eſt efficaciæ quòd Deũ erga peccatorem placat, & iram Dei auertit à peccatore. In cuius figurã dicitur Num.25.quòd ſtatim quòd Phinees luxuriantes percuſſit, ſcilicet, Iudæum & Madianitidem: Deus iram ſuam auertit à populo. vnde ibidem ait Deus.Phinees auertit iram meam à filiis Iſrael. Similiter & quandocunque nos contriti peccata noſtra punimus, Deus iram

*Num.25.*

P ſuam

ſuam à peccatis noſtris auertit. Ergo & nos ſibi *Pſal.50.* verè cõtriti dicamus. Auerte faciem tuã à peccatis meis,&c.Si enim nos aſpicimus peccata noſtra illa puniendo : Deus ab ipſis auertit iram ſuam,ne illa puniat: ſi autem nos ab ipſis faciem noſtram auertimus,tunc Deus illa reſpiciẽdo punit. Vnde ſuper præallegato verbo. Auerte faciem tuam à peccatis *Gloſa.* meis,ait Glo. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Non dicit à me:ſed à peccatis meis : quia, ſcilicet, ego illa habeo ante faciem meam. Sic enim homo auertit, & illa bene reſpicit : Deus faciem ſuam auertit ab illis ne ipſa puniat. Auerte ergo peccatũ tuum,vt auertat ab illo iram ſuã Deus:ne tu auertendo, ipſe animaduertat. *Auertere Dei irã quomodò quis poteſt.* Et non ſolum actus pænitentis à ſuis peccatis iram Dei auertit : ſed etiam actus orationis iuſti pro alio orantis. vt in præcedenti verſiculo patuit. Et ad hunc finem Moyſes orauit pro populo & veniam obtinuit. Sed hic eſt dubium:quomodo quis pænitẽtia vel orationibus *Iob 23.* iram Dei poteſt auertere:cum ſcriptum ſit Iob 23. Et nemo auertere poteſt cogitationes eius. Hoc *Greg.li.16. moral.cap.18.* declarans Greg.ait.Sicut enim Deus natura eſt immutabilis:ita immutabilis eſt cogitatione,Cogitationem quippe eius nullus auertit:quia nemo reſiſtere occultis eius iudiciis præualet. Nam & ſi fuerunt quidam qui orationibus ſuis eius cogitationem auertiſſe viderentur:ita fuit interna eius cogitatio:vt ſententiam illius auertere potuiſſent:& ab ipſo acciperent quod agerent apud ipſum. Dicat ergo. Nemo auertere poteſt cogitationẽ eius.quia ſemel fixa iudicia mutari nequaquam poſſunt,Vn*Pſal.148.* de ſcriptum eſt. Præceptum poſuit & non præte*Luc.21.* ribit.Et rurſum. Cœlum & terra tranſibunt:verba autem mea non tranſibunt. Cum ergo exterius mutari videtur ſententia : interius conſilium non mutatur : quia de vnaquaque re immutabiliter intus conſtituitur , quicquid foris mutabiliter operatur. Eſt ergo intentio Grego.quòd ſententia (quia ſtat in ſignis exterioribus) mutari poteſt : ſicut & ſigna exteriora mutabilia ſunt. ſed Dei conſilium & cogitatio interius nullatenus orationibus poteſt auerti. Sequitur. *Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Hic incipit verſus ſequens in *Hieronym.* Hebræo : & in tranſlatione Hierony.Et ſic hic incipit quintum peccatum: quod,ſcilicet, fuit incredulitatis & perfidiæ. Quod fuit , ſcilicet , quando populus territus verbis exploratorum (vt habetur Nume.14) voluit reuerti in Ægyptum. Et hoc eſt quod dicitur.*Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*,ideſt,terram promiſſam Abrahę & ſemini eius. Vnde ipſam deſpicientes quaſi ſterilem:in Ægy*Num,14.* tum voluerunt reuerti. Pro cuius intellectu ſciendum quòd Moyſes de deſerto miſit de qualibet tribu vnum principem ad explorandum terram promiſſionis:vt populo referrent conditiones eius:ad hoc vt populus audita eius bonitate & pulchritudine patriæ, ad ipſam magis animaretur acquirendam.Inter iſtos duodecim exploratores fuit Caleb de tribu Iuda. Qui reuerſi detraxerunt terræ,dicẽtes. Nequaquam ad iſtam terram valemus aſcendere:quia ibi eſt populus fortior nobis. Terra quã vidimus : deuorat habitatores ſuos, ſcilicet, ſterilitate. Populus quem vidimus proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus gigantes , &c. Caleb vero econtrario compeſcens murmur populi:quod oriebatur contra Moyſen, dicebat. Aſcendamus ſecurè ad poſſidendam terram nobis promiſſam quoniam optima eſt : & poterimus obtinere illam. Populus au-

A tem credidit maiori parti : & deſpexit terram promiſſionis : & dicebat alter ad alterum. Conſtituamus nobis ducem : & reuertamur in Ægyptum. Et ſic illam terram promiſſam ſpreuerunt. Et hoc eſt quod hic ait, *Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.*

## Non crediderunt verbo eius : & murmurauerunt in tabernaculis ſuis: non exaudierunt vocem Domini. 1858

Hic exequitur peccatum incredulitatis illorum. Et primò ponitur ipſorum incredulitatis malignatio.Secundò ex hoc diuinę iræ prouocatio:ibi. B *Et eleuauit manum.*Quantum ad primum ſciendum, quòd iſta litera duobus modis exponitur. Primo modo : vt pro ly verbo eius intelligatur verbum Caleb. quoniam vt ſtatim dictum eſt : omnes exploratores reuerſi terruerunt populum non credentes illam terram poſſe obtinere : ſolo Caleb dicente quòd facile erat eis ipſam capere. & eos confortabat vt ad ipſam aſcenderent. Ipſi ergo crediderunt aliis diſtrahentibus : vt redirent in Ægyptum : & noluerunt credere verbo ipſius Caleb. Et hoc eſt quod ait. *Non crediderunt verbo eius.* Vel ſecũdo poteſt intelligi de verbo Dei qui multotiens per Moyſen promiſerat eis introducere illos in terram illam : ipſi autem audientes exploratores : dicentes quòd ibi erat populus fortiſſi- C mus & homines quaſi gigantes : quòd ibi erant ciuitates fortiſſimæ vſque ad cœlum muratæ: ſtatim diſſiderunt illam terram poſſe obtinere : & quòd Deus non daret eam illis. Et hoc eſt quod ait. *Non credidernut verbo eius*,id eſt,ipſius Dei. Vnde ſequitur. *Murmurauerunt in tabernaculis ſuis.* quia vt *Num,14.* habetur Nume.14. Filij Iſrael audientes verba exploratorum fleuerunt tota nocte illa : & murmurabant contra Moyſen & Aaron cuncti filij Iſrael ; dicentes, Vtinam mortui eſſemus in Ægypto : & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus : & non inducat nos dominus in terram iſtam : ne cadamus gladio ; & vxores noſtræ & filij ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Aegyptum ? Et dicebant ad alterutrum. Conſti- D tuamus nobis ducem & reuertamur in Aegyptũ. Et de iſto murmure hic ait Pſalm. *Et murmurauerunt in tabernaculis ſuis : & non exaudierunt vocem Domini.*Per hoc autem ſpiritusſanctus intendit reprehendere eos qui pro nihilo reputant terram viuẽtium per iſtam terram promiſſionis figuratam:qui de diuino adiutorio diffidentes : timent ſuperari à mundo , à carne vel à diabolo. Et ſic non credunt verbis Domini dicentis.Ego autem vobiſcum ſum omnibus diebus , &c. Et iſtum ſenſum hic ponit Gloſ.dicens. Et pro.ni.ha.ter.deſi. id eſt, contempſerunt : quod per illam ſignificabatur bonum, ſcilicet, æternum ; quòd eſt verè deſiderabile.Nec crediderunt verbo eius per parua ad magna vocantis. Pro certo niſi aliquod magnum terra illa E ſignificaret ad quod inuitaremur ; nullo modo culparentur qui pro nihilo habuerunt eam: cuius temporale regnum etiam ſancti pro nihilo ducunt; vt Hieruſalem quæ eſt in cœlo verè deſiderabilis ament.Sed infidelitas merito arguitur:quia in eo quod pro nihilo habuerunt eam: nõ crediderunt verbum Dei per parua ad magna ducẽtis.Notandũ quod dicit,*Et murmurauerũt in tabernaculis ſuis.* Quod

*Terra promiſſionis ſignificat terra cæleſtem. Matth.vlti. Gloſa.*

*Murmuratio quid ſit & quam multiplex.*



Quod murmuratio eſt querela cum impatientia in iis quæ homo deberet ſuſtinere patienter,&c.

## 1859 Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto.

Hic ponitur ex prædicta incredulitate cõtra ipſos Dei indignatio.Et primò contra patres.Secundò contra natos:ibi.*Et vt deiiceret.*Quantum ad primum ſciendum:quòd vt habetur Num.14.ex peccato prædictæ incredulitatis & murmurationis, contra eos data fuit diuina ſentẽtia: vt omnes maiores natu proſternerẽtur in deſerto. ſic quòd nullus eorum terram promiſſionis intraret. Et voco maiores natu,id eſt,omnes illi qui in exitu Iſrael de Ægypto numerati ſunt à viginti annis & ſuprà: omnes illi mortui ſunt in deſerto:duobus exceptis B *Num.14.* ſcilicet,Ioſue & Caleb. Vnde dicitur Nũ.14.quòd dominus ex peccato prædicto prouocatus ait,Vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me ? Querelas filiorum audiui. Dic ergo eis.Viuo ego ait Dominus:ſicut locuti eſtis audiente me:ſic faciam vobis.In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra , & murmuraſtis contra me : non intrabitis terram ſuper quam leuaui manum meam: vt habitare vos facerem : præter Caleb & Ioſue. Iſtam ergo ſententiam contra ipſos datam oſtendens Pſal. ait,*Et eleuauit manum ſuam ſuper eos:vt proſterneret eos in deſerto*: quia,ſcilicet,ſententiam dedit quòd omnes illi in deſerto morerentur. Et hæc fuit cauſa quare per quadraginta annos vagi per deſertũ am- C bulauerunt antequam peruenirent ad terram promiſſionis : cum tamen non multum diſtet Ægyptus à terra promiſſionis:vt,ſcilicet,omnes illi qui à viginti annis ſuprà ex Ægypto exierunt : primò in deſerto morerentur, quàm terram promiſſionis attingerent. Ex quo concluditur.quòd ex illis qui intrauerunt terram promiſſionis : nullus erat ætatis vltra ſexaginta annorum. Myſticè autem per manum domini intellige Dei potentiam : vt paret ver.125.quam in iudicio ſuper malos eleuabit : vt eos in deſerto infernalis miſeriæ proſternat. Item nota quòd manus domini multa facit ver.127. Vel manus Dei dicitur Chriſtus ver.197.qui in iudicio ſupra malos eleuabitur.

*...ati ſunt ...ſerto om... qui exie... Ægy... à viginti ... ſupra.*

## 1860 Et vt deiiceret ſemen eorum in nationibus , vt diſperderet eos in regionibus. D

Hic oſtenditur diuina indignatio contra filios eorum.Per ſemen tamen ipſorum intelliguntur filij qui ex ipſorum ſemine ſunt nati.Vbi nota quòd iſta pœna erga filios eorum à Deo fuit comminata : ſed pro tunc precibus Moyſi fuit impedita: ſed fuit impleta tẽpore captiuitatis Babylonicæ : quia tunc deſcendentes ex illis in nationibus extraneis captiui ducti fuerunt: & in alienis regionibus,ſci*Filius pro ...cato patris ...nitur.* licet,in Babylonia , & diſperſi per regnum illud.Et ſi dicas:illi qui diſperſi fuerunt per orbem tempore Nabuchodonoſor , quid culpabiles fuerunt in- E credulitatis patrum ſuorum : vt pro peccato patrũ deberent puniri ? Dico quòd de pœna temporali multotiens filius portat pœnam patris: ſed non de pœna ſpirituali. Vel etiam quia iſti fuerunt non ſolum ſemen patrum nati ab ipſis:ſed etiam peccatorum patrũ imitatores.Ideo nõ ſolũ propter peccata patrũ,imò propter ſua diſperſi & captiuati fue-

A runt. Et hoc notat cum vocat eos ſemen eorũ : dicens.*Et vt deiiceret ſemen eorum*,&c.Nam propriè ſemen alicuius dicũtur illi qui ſunt eius imitatores: vide ver.1795. Vel iſta pœna in filiis Iſrael directe fuit impleta,quando per Titum & Veſpaſianũ fuerunt trucidati & venundati : & à propria patria expulſi , & per orbem diſperſi : & ſic vſque hodie manẽt.Et vide quòd iſtius diſperſionis duo notat. Primò extremum à quo fuerunt expulſi:dicens, *Et vt deiiceret.*Et exteras nationes ad quas fuerunt diſperſi,dicens,*Et diſpergeret eos.*

## Et initiati ſunt Beelphegor : & comederunt ſacrificia mortuorum. 1861

Hic ponitur ſextum peccatum: quod fuit volu- B ptatis & luxuriæ. Vbi ſciendũ,quòd quamuis textus iſte principalius videatur agere de peccato idololatriæ: tamen ad illud peccatum deuenerunt propter peccatũ luxuriæ.Et ſic tractando ipſorum idololatriam:principalius intendit manifeſtare luxuriam ipſorum.Hic aliqua ſunt prænotanda. Primò quid eſt initiare. Vbi ſciendum quòd ſecundum grammaticos initior, initaris. dicitur ab initiũ.Et eſt initiare idẽ quod inchoare , introducere, vel ſacrificare. Vnde initiare vel initiari eſt quaſi encenia facere,id eſt, noua feſta colere : vel aliquid de nouo ſacrificare. Hic autẽ cum dicitur : initiati ſunt,ſtat pro ſacrificare.Item notandum quò Beelphegor erat idolum Moabitarum : pro cuius euidentia ſciendum quòd vt ait Beda: Ninus rex Aſſi- C riorum qui condidit Niniuem patre ſuo mortuo: qui Beel vocabatur : fecit imaginẽ ad eius memoriam fieri : quã vocauit Beel, iuxta nomen patris. Et vt ad maiorem patris memoriam illa imago ab hominibus in maiori reuerentia haberetur : ordinauit quòd quilibet reus ad dictam imaginem confugiens , ſaluus eſſet : vnde & illa imago cæpit multum ab hominibus venerari:in tantum etiã quòd diuinos honores cœperunt homines illi exhibere,ab illa gratias poſtulare:& illã vt Deum colere.Et inde incœpit idololatria: & ad alias gentes eſt deriuata : ita quòd nomen iſtius idoli Beel ad alia idola deriuatum fuit ſecundum diuerſitatẽ linguarum. Et maximè iſtud nomen Beel , ad omnia idola applicabatur. quia lingua punica Beel idem D eſt quòd Deus. Vnde ſicut Aſſyrij vocabant idolũ ſuum Beel , vel Belum:ita & Babylonij ſuum idolũ vocabant Beel: alij Baal:alij Beol ſecundum varietatem linguarum. Moabitæ autem idolum ſuũ vocabãt Beelphegor : quod eſt nomen cõpoſitum ex duobus integris, ſcilicet, ex Beel & Phegor : quod eſt nomẽ cuiuſdã mõtis in quo colebatur idolum Moabitarũ.Iſtud ergo idolum,ſcilicet, Beelphegor Iudæi propter deriſionem gentiũ vocabãt Beelzebub : aſſerentes in iſto idolo principem dæmoniorum habitare.Erat ergo Beelphegor idolũ Moabitarum.Quod filij Iſrael in deſerto coluerunt,& ſibi ſacrificauerunt. Et hoc eſt quod ait. *Et initiati ſunt Beelphegor.* Huius autem idololatriæ cauſa fuit ipſorum luxuria. Nam vt dicũt doctores. & habetur E *Num.22.* Numer.22. Balach rex Moabitarum videns quòd populus Iſrael erat iuxta terram ſuam , timens ne ipſum & regnum eius caperent : miſit pro Balaam qui erat magnus diuinator & propheta : vt ſibi contra filios Iſrael conſilium daret : ipſe autem finaliter tale conſilium ei dedit. Non poteris iſtos ſuperare quamdiu ſeruient Deo ſuo: ſed ſi ipſum offendant,leuiter ſuperabuntur.Mitte ergo

*Initiare quid eſt.*

*Beelphegor.*

*Beda. Idololatria quomodo incœpit.*

*Nota malum conſilium Balaã prophetæ.*

ergo puellas pulchras & nobiles prope caſtra ipſorum: vt per eas inducantur ad idololatriam: & ſic Deus ipſorum iraſcetur contra eos. Quod & factū eſt. Vidētes ergo filij Iſrael illas puellas moti ad luxuriam, ibant ad illas. Illæ autem vt edoctæ erant: nullo modo permittebant ſe ab illis cognoſci, niſi illi cum ipſis prius adorarent Beelphegor deum illarum. Illi autem impetu brutali deuicti, vt eis cōſentirent, idololatrabant. Et patet quòd principalis cauſa iſtius idololatriæ fuit peccatum luxuriæ. Sic etiam fuit de Salomone: qui per mulieres infatuatus: templa idolis ædificauit: vt habetur 3. Reg. 11. Ponit ergo primo iſtorum idololatriam. Secundo Dei diſplicentiā: ibi, *Et irritauerunt*. Quantum ergo ad primum dicit, *Et initiati ſunt Beelphegor*, id eſt, coniuncti ſunt, vel ſacrificauerunt illi idolo Moabitarum. *Et comederunt ſacrificia mortuorum*, id eſt, de carnibus animalium mortuorum illi idolo ſacrificatorum. Iſte verſus habetur Numer. 25. vbi dicitur, Fornicatus eſt populus cū filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua: at illi comederunt & adorauerūt deos earum. Quomodo autem Balaam docuit Balach, vt per mulieres induceret filios Iſrael ad idololatriā, habes Apocal. vbi dicitur, Balaam docebat mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari, &c. vide in poſtil. Et vide duo vitia coniuncta, ſcilicet, edere & fornicari: quia vnum ſequitur ad aliud. vnde Hierony. ait, Venter mero æſtuās, cito in libidinem ſpumat. vicina enim ſunt venter & genitalia. Iſta autem duo vitia diabolus omnibus communicat. Vbi nota quòd Glo. ſuper illud Tob. 6. dæmō occidit ſeptem viros Sarræ, dicit, Diabolus de cōcupiſcentia vxore ſua nouem filias habuit, quarum ſeptem diuerſis generibus hominum maritauit, ſcilicet, primam ſimoniam prælatis & clericis. Secundam, ſcilicet, hypocriſim, monachis luxurioſis & falſis fratribus religioſis. Rapinam, militibus & aliis nobilibus. Vſuram, burgēſibus. Dolum, mercatoribus. Sacrilegium, agricolis, qui decimas Deo ſacratas auferunt. Fictum ſeruitium operariis conducticiis. Luxuriam autem & gulam nulli maritari voluit: ſed omnibus generaliter illas expoſuit. Ex quibus patet quàm pauci ſunt hodie ſine vxore: ſed pauciores ſine concubina.

*Luxuria cauſat idololatriam.* *3. Reg. 11.* *Num. 25.* *Apoc. 2.* *Ad gulā ſequitur luxoria.* *Hierony.* *Peccata nouē genuit diabolus ex concupiſcentia.* *Peccata diuerſa diuerſis applicantur.*

## 1862 Et irritauerunt eū in adinuētionibus ſuis: & multiplicata eſt in eis ruina.

Hic ponitur erga eos Dei diſplicentia. ſecundo ponitur placatio diuina: ibi. *Et ſtetit*. Quantum ad primam notandum quid ſit adinuentio. Quamuis enim adinuentio vno modo idē ſit quod pręceptū. vt dictum eſt ver. 1401. quandoq; tamen aliter accipitur. Nam venio, venis. componitur cū in: & fit inuenio, nis. quod eſt in id quod cupimus, vel quęrimus venire. vnde inuenimus quæſita: reperimus vltro occurrentia. Inuenio autem componitur cū ad, & fit adinuenio, id eſt, valde iuxta noſtrum votū inuenire. quæſita & deſiderata. vnde adinuētio, id eſt, valde exquiſita inuētio, vt quando quis propter id quod concupiſcit, diuerſas vias ad illud cōſequendum inuenit. Sicut in propoſito, iſti pro cōcupiſcentia illarum puellarum, etiam ad idololatriam ſe inclinauerunt: & ſic adinuentiones fuerūt peccata: quæ ſtudioſè vt quod quærebant habere poſſent, commiſerunt. Dicit ergo, *Et irritauerunt Deum in adinuentionibus ſuis*, id eſt, in idololatriis ſuis. & commeſtionibus ſacrificiorum idolis oblatorū.

*Adinuētiones ſunt peccata exquiſita pro volito conſequendo.*

Qualiter autem fuit irritatus dominus ex iſtis adinuentionibus, habetur Num. 25. vbi dicitur. quòd cum initiatus Iſrael Beelphegor: iratus dominus dixit ad Moyſen. Tolle cunctos principes populi: & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Iſrael. Quod ideo præcepit: quia peccata ſubditorum principibus & prælatis imputantur: maximè quādo perueniunt ad eorum notitiam publicam, & illa non corrigunt. Et vocat principes primos tribuum. Quælibet enim tribus vnum principaliorē habebat: qui in illa tribu principabatur. Iſtis ergo principibus qui ſuas tribus habebant corrigere & non corrigebant: ſubditorum imputantur peccata. Nam vt dicit Leo epiſ. & habetur di. 86. inferiorum. Inferiorum ordinum culpæ, ad nullos magis referēdæ ſunt, quàm ad deſides negligenteſque rectores: qui multam ſępè incurrunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulāt adhibere medicinā. Et ideo dominus peccata populi imputans: principibus iuſſit, vt omnes principes ſuſpenderent. vnde ſequitur. *Et multiplicata eſt in eis ruina.*, quia, ſcilicet, ex iſto peccato multi corruerunt. vt enim habetur Num. 25. Moyſes ad præceptum domini dicit. ſuſpende principes populi, &c. præcepit principibus vt emendarent negligentiam ſuam, & corrigerent malos. vnde dixit ad iudices Iſrael. Occidat vnuſquiſque proximos ſuos qui initiati ſunt Beelphegor. Et occiſa ſunt 23. milia hominum. Et propter iſtam ſtrangem dicit. *Et multiplicata eſt in eis ruina.* Ruina enim dicitur à ruo, is. quod eſt cadere. Et ſic ruina eſt caſus. Multiplicata fuit ergo in eis ruina: quia 23. milia occiderūt.

*Num. 25.* *Prelatis imputantur peccata ſubditorum.* *Leo.* *Num. 25.*

## Et ſtetit Phinees, & placauit: & ceſſauit quaſſatio. 1863

Hic ponitur diuina placatio. & ponitur per quē facta fuit placatio. ſecundo placantis commendatio: ibi. *Et reputatum*. Quantum ad primum quomodo facta fuit in hoc facto placatio Dei: notandum quòd (vt ſcribitur Nume. 25.) dum tanta commotio in propoſito Dei eſſet vt principes tribuum occiderent quos reperiebant initiaſſe Beelphegor: accidit vt princeps, tribus Simeonis, cui nomen Zambri luxuria ductus, publicè coram omnibus videns puellam pulcham nomine Corbi filiam Sur nobilis principis Madianitarum, introiuit ad eam. Quod videns Phinees filius Eleazari ſacerdotis filij Aaron, zelo Dei accēſus, ſurrexit de medio multitudinis: & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt iſtū principem Zambri in lupanar: & inuenit eos pariter commiſcentes: & perfodit ambos ſimul virum, ſcilicet, & mulierem in locis genitalibus. Quo factō ſtatim ceſſauit quaſſatio: quia ex zelo iſtius, & & morte illius principis Deus placatus: dixit ad Moyſen. Phinees auertit iram meam à filiis Iſrael: quia zelo meo commotus eſt contra eos. Et hoc eſt quod recolens Pſalm. ait, *Et ſtetit Phinees*, &c, Ex hoc apparet quòd multitudine peccante: non omnium, ſed aliquorum cæde Deus placatur.

*Num. 25.* *Peccāte multitudine pauci puniuntur.*

## Et reputatum eſt ei ad iuſtitiam in generatione & generationem: vſque in ſempiternum. 1864

Hic ponitur placantis, ſcilicet, Phinees commēdatio. Deus enim non tantum factū quā intentionē aſpicit facientis tam in bono quàm in malo. Et ideo intentionem Phinees reſpiciens Deus: quia hoc fecit zelo dei motus: ipſius opus ad meritum ſibi & aliis imputauit. & non ſolum ſibi: ſed etiam ſucceſſoribus ſuis. vnde per hoc à deo fuit certificatus, quòd patri ſuo ſuccederet in ſacerdotio. Nā vt habetur Nume. 25. hoc facto dixit dominus ad Moyſen. Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis auertit iram meā à filiis Iſrael: quia zelo meo commotus eſt contra eos. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei: & erit illi pactum ſacerdotij ſempiternum: quia zelatus eſt pro deo ſuo. Sed fortè dices. Cum actus iſtius Phinees fuerit actus fortitudinis, quomodo ergo ſibi reputatum eſt hoc factum ad iuſtitiam, & non potius ad fortitudinem? Sciendum eſt igitur quòd (vt dicit Philoſophus 5. ethico.) iuſtitia eſt duplex, ſcilicet, iuſtitia legalis, & iuſtitia æqualis. Iuſtitia enim legalis eſt quodammodo omnis virtus: ſed iuſtitia æqualis eſt virtus particularis. Quod autem iuſtitia legalis dicatur omnis virtus: ex hoc declaratur. Nam ex hoc aliquis dicitur iuſtus: quia adimplet præcepta ad quæ obligatur. Sed vt dicitur in. 1. magnorū moralium. Lex præcipit actus omnium virtutum. Vnde & 5. ethico. dicitur: quòd lex præcepit non derelinquere actiue nec fugere: quod ſpectat ad virtutem fortitudinis. Lex pręcipit non mœchari: quod ſpectat ad temperātiam. Lex præcipit non repercutere: quod ſpectat ad manſuetudinem. Et ſic vniuerſaliter lex iubet actus omnium virtutum adimplere: & omnem maliciam fugere. Cum igitur iuſtitia legalis ſit implere legem: conſequēs eſt, quòd inſtitia legalis actus omnium virtutum præcipit. Iuſtitia autem æqualis dicitur particularis virtus, per quam redditur vnicuique quod ſibi debetur. Ad propoſitū ergo patet: quòd Phinees exercendo actum fortitudinis, habuit iuſtitiam legalem, quæ actum omnis virtutis imperat. Dando autem illi Zambri quod meruerat: habuit iuſtitiam æqualem. Et ideo actus ille reputatus eſt ei ad iuſtitiam. Eodem modo actus fidei reputatus fuit Abrahæ ad iuſtitiam: cum tamē fides ſit alia virtus à iuſtitia particulari. Vnde Geneſe. 15. Credidit Abraham deo: & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

*Num. 25.* *Iuſtitia duplex, ſcilicet, legalis & æqualis.* *Philoſoph.* *Gen. 15.*

## 1865 Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: & vexatus eſt Moyſes propter eos: quia exacerbauerunt ſpiritum eius.

Hic ponitur ſeptimum peccatum: quod fuit prouocationis ad malum & diſcordiæ: quod fuit propter defectum aquæ. De quo habetur Nume. 20. De qua cōtradictione & aquæ datione dictum eſt ſuperius. verſicu. 1295. 1296. 1829. Et vocatur aqua illa data, aqua contradictionis: quia impatienter & contentioſè locuti ſunt contra Moyſen: & per conſequens contra deum, non expectantes patienter eius beneplacitum. Vnde vt habetur Numero. 20. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron: & verſi in ſeditionem dixerunt, Vtinam periſſemus inter fratres noſtros coram domino. Cur eduxiſtis eccleſiam domini in ſolitudinem: vt nos & iumenta noſtra moriamur? Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto: & adduxiſtis in locum hunc peſſimum? &c. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta *Et irritauerunt eum*, ſcilicet, deum, & etiam ipſum Moyſen ad aquas contradictionis. *Et vexatus eſt Moyſes propter eos*, id eſt, turbatus mente, in tantum quòd dubitauit aliqualiter de bonitate dei: ne, ſcilicet, exaudiret eum, dando eis aquam. Vnde non plenè credidit verbis domini, dicentis ſibi & Aaron. Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. vnde & percutiendo petram, locutus eſt dubitatiuè dicens. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? vnde quòd Moyſes & Aaron deo in hoc non plenè crediderint, apparet, quia propter illorum incredulitatem puniendam fuerunt priuati ambo ingreſſu terræ promiſſionis, & in deſerto ſunt mortui. Vnde dicitur Nume. 20. quòd poſtquam deus de petra aquam dederat in abundantia, dixit dominus ad Moyſen & Aaron. Quia non crediđiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael non introducetis hos populos in terram quā dabo eis. Vexatus ergo fuit Moyſes tunc propter verba ipſorum, id eſt, turbatus, quia exacerbauerunt ſpiritum eius, id eſt, aſperum & acerbum fecerunt, ne domino crederet. Et ad hoc facit quod ſubditur, *Et diſtinxit in labiis ſuis*, id eſt, diſtinctè & apertè oſtendit in verbis ſuis quòd non credebat: quando, ſcilicet, dubie pronunciauit coram populo, dicens, Num de petra hac poterimus eiicere aquam? Et nota quòd iſtud peccatum contradictionis præceſſit peccatum luxuriæ & initiationis Beelphegor, quamuis illud hic præponatur. Sicut multoties faciunt etiam euangeliſtæ: qui poſterius acta prius narrant. Sicut Matthæus 27. narrat deſperationem & ſuſpēſionem Iudæ: antequam narret examinationem Chriſti factam per Pilatum: cū tamen poſt Chriſti condemnationem Iudas ſe ſuſpenderit.

*Num. 20.* *Aqua cōtradictionis quare dicitur.* *Num. 20.* *Moyſes & Aaron non crediderunt deo.* *Num. 20.*

## Et diſtinxit in labiis ſuis, & non diſperdiderunt gentes quas dixit dominus illis. 1866

Hic narratis peccatis quæ fecerunt in deſerto, narrat peccata quæ fecerunt in terra promiſſionis. Et diuiditur in duas partes: quia primò ipſorum deſcribitur culpa: ſecūdò pœna, ibi, *Et iratus*. Quantum ad primum aliqua ipſorum notat peccata. primò peccatum inobedientiæ. ſecundo peccatum idololatriæ, ibi, *Et commixti*. tertiò peccatum homicidij, ibi, *Et immolauerunt*. Quantum ad primum ſciendum, quòd prima pars iſtius verſus, ſcilicet, E*t diſtinxit in labiis ſuis*. refertur ad verſum præcedentem: cuius eſt finis: qui intelligitur de Moyſe, qui non diſtinctè ſed dubitatiuè locutus eſt, quando præcepto domini de petra aquam eduxit: vt dictum eſt. Vnde hic ait Gloſa. & eſt Caſſiani. E*t diſtinxit in labiis ſuis*, ſcilicet, hoc miraculum Moyſes à priori conſtantia quam habuit in aliis miraculis. Hoc enim ambiguè dixit: qui omnia alia certa fide promiſerat. Perturbatus namque murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam quam debuit: quaſi non poſſet, vel nollet deus facere, qui tanta iam fecerat. Dubitans namque petram percuſſit, qui in aliis miraculis nō dubitauerat. De hoc autē hac ſola pœna correptus eſt, vel punitus: quòd nō intrauit terram illam. Nō alienatus eſt à regno gratię, ſicut illi de quorū iniquitatibus loquitur iſte Pſal. Hæc gloſ. Ex quibus patet, quòd pars iſta in qua incipit agere de peccatis commiſſis infra terram promiſſionis: incipit in ſequēti parte iſtius Verſus, ibi, ſcilicet, E*t nō diſperdide*

*Moyſes non credidit deo.* *Gloſa.* *Hæc eſt gloſa Auguſtini.*

*Societas malorum nocet.* *Cōtraria agūt ad inuicē & patiuntur.*

*diderunt gentes, quas dixit dominus illis.* Vbi ſciendum quòd contraria iuxta ſe poſita, ſemper in inuicem agunt & patiuntur. & quodlibet eorum alterum conatur ſimilare ſibi. vt patet de calido & frigido: de ſicco & humido:ſic & de bono & malo. Et hinc eſt, quòd ſi boni ſint mixti cum malis: ſicut boni conantur malos ad ſuam ſimilitudinem ducere,ſic & mali bonos:& ratione fragilitatis humanæ quæ prona eſt ad malum:vt in pluribus; malis ad ſe trahunt bonos,quam trahantur ab eis. Et ideo ſciens deus pronitatem populi ſui Iſrael ad malū: ne malorum & idololatrarum ſocietate ad idololatriam traherentur:præcepit eis,dicens, Cum intraueritis terram Chanaam,diſpergite,id eſt,interficite cunctos habitatores eius; ne, ſcilicet, eorum ſocietas vobis ſit in ruinam. Ipſi autem in hoc domino inobedientes fuerunt: quia cupiditate ducti,vt ab eis haberent tributum, ſub ſe illos permiſerunt viuere. Et hoc peccatum hic notans pſal. ait, *Et non diſperdiderūt gentes quas dixit dominus illis.* Vnde & poſt experti fuerunt,quam malum eſt deo non obedire. Quod patere poteſt:conſiderato quantum bonum ſit obedientiæ virtus. De qua ait Grego. libro 35. moral. ca. 12. dicens. Obedientia eſt virtus,quę cæteras virtutes mēti inſerit,inſertaſque cuſtodit. Vnde primus homo præceptum quod ſeruaret accepit:cui ſi vellet ſubeſſe ad æternam beatitudinem ſine labore perueniret. Hinc Samuel ait. Melior eſt obedientia quā victima:& auſcultare magis quam offerre adipem arietum. quoniam peccatum ariolandi eſt repugnare,& quaſi ſcelus idololatrię nolle acquieſcere. Obedientia quippe victimis recte præponitur:quia per victimā aliena caro:per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto ergo quiſque citius deum placat, quāto ante oculos eius reprehenſa arbitrij ſuperbia, gladio præcipientis ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur:vt quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex aduerſo igitur melius oſtēditur quid de eius laude ſentitur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere: obedientia ſola eſt, quæ meritum fidei poſſidet, ſine qua quiſque infidelis cōuincitur,etiam ſi fidelis eſſe videatur. Hinc per Salomonem in oſtenſionem obedientiæ dicitur. Vir obediens loquetur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur: dum alienæ voci humiliter ſubdimus, noſmetipſos in corde ſuperamus &c.

*Num. 33.* *Obedientia quātū bonum ſit.* *Grego. lib. 35. mor. cap. 12.* *1. Reg. 15.* *Prouer. 21.*

## 1867 Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.

Hic ponitur ſecundum peccatum eorum,quod fuit idololatria. Quoniam vt ſtatim eſt dictum:mali bonos ad ſuam ſimilitudinem trahunt. Ideo filij Iſrael habita terra promiſſionis. illos idololatras reſeruauerunt:vnde habitātes cum eis, ad illorum idololatriam deuenerunt. Propter quod multotiēs à deo derelicti,grauia paſſi fuerunt. vt patet per totum librum Iudicum & regū. Et hoc eſt quod ait, *Et commixti ſunt inter gentes &c.* Quia hic ait, quòd *Seruierunt ſculptilibus ſuis:& factum eſt illis in ſcandalum.* Quod ſeruire peccatis,eſt ſeruire dęmonibus:quia qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati. Ioan. 8. Vbi Hierony. Immo tot dæmoniorum,quot vitiorum. Quantum autem deteſtabilis ſit talis ſeruitus & damnoſa,apparet ſi conſideres quòd illa ſeruitus inducit Mentis fœditatem, Culpæ pronitatem, Mentis cæcitatem, Pœnæ calamitatem. Primum patet, quoniam ſicut ſeruiens immundiciis carnalibus,& ſi maculat corpus: multo fortius mentem quia mores mali plus fœditatis offerunt quā ſeruitia corporalia etiam corporaliter minus munda. vt ſunt multa artificia quibus corpus maculatur. de quibus loquitur Philoſoph. 1. politicæ. Pręterea Seneca epiſtola,47. dicit, Erras ſi æſtimas me quoſdam quaſi ſordidioris operis reiecturum: vt puta bubulcum. Non enim miniſteriis eos, æſtimabo fœdos:ſed moribus. Et ſequitur. In illis ex ſordida conuerſatione ſeruile eſt: honeſtiorum conuictus excutiet. Ideo ad Ro. 6. dicitur. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete ſeruire iuſtitiæ &c. Secundum patet. quia ſicut dicitur ad Titum. 1. Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum. inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. Iſti non ſeruiunt deo, ſed dagon. ſicut illi de quibus dicitur. 1. Reg. 5. Dagon enim interpretatur piſcis iniquus, aut piſcis mœroris. quia illi qui ſeruiunt viciis: ſemper iniquitate grauantur & miſeria. Et tales figurantur per Amon regem Iuda: de quo dicitur. 4. Reg. 21. quòd ſeruiuit immundiciis quibus ſeruierat pater ſuus. pater enim malorum eſt dæmon. Tertium patet,nam vt dicitur. 7. ethico. venus furatur intellectum ipſius ſapiētis. & ſic ſeruitus veneris excæcat intellectum. Nam vt dicit Sene. multis ſeruit qui corpori ſeruit:qui pro illo nimium timet. qui ad omnia illud refert. quod eſt honeſtum, illi vile eſt cui corpus ſuum nimis carum eſt. Ex quo ſequitur quòd qui ſeruit corpori:caret iudicio rationis. De quibus dicitur Rom, 16. quòd non ſeruiūt Chriſto:ſed ventri ſuo. Quartum patet, quia qui ſeruiunt diabolo: pro præmio ſeruicij ſui habent pœnam æternam. De hoc Bernard. in vno ſermone fingit ꝙ eſſet vnus homo in medio,caro, mundus & diabolus eſſent in circuitu eius. Et quilibet eorum clamat quòd ille homo ſibi ſeruiat oſtendendo præmium ſeruicij quod ſibi dabit: ſic quòd caro clamat:ſerui mihi, & ego te inficiam. mundus clamat: ſerui mihi & ego tibi deficiam. diabolus clamat:ſerui mihi & ego te decipiam. Chriſtus clamat:ſerui mihi: & ego te reficiam. ad cuius ſeruitium potius declinare debes? & tamen excæcatus homo ad ſeruitium creaturarum declinat: relicto ſeruitio creatoris quod ei in ſcandalum vertitur. De talibus dicitur Rom. 1. quòd ſeruierunt potius creaturæ quam creatori. propter quod tradidit illos in reprobum ſenſum. Conformiter nunc de filiis Iſrael dicitur, quòd ſeruierunt ſculptilibus eorum,id eſt, idolis ſculptis: & factū eſt illis in ſcandalum.

*Seruitus mala peccati.* *Hierony.* *Rom. 6.* *Tit. 1.* *1. Re. 21.* *4. Reg. 21.* *Ariſto.* *Seneca Epiſt. 15.* *Rom. 16.* *Bernar.* *Rom. 1.*

## Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis. 1868

*Immolabant filios ſuos dæmoniis filij Iſrael.*

Hic oſtendit tertium ipſorum peccatum:quod fuit homicidij filiorum ſuorum. Vbi oſtendit quòd illa homicidia erant magnæ peruerſitatis. ſecundo erant magnæ crudelitatis: ibi, *Et effuderunt.* tertio quòd erant prauæ volūtatis:ibi, *Et infecta eſt.* Quantum ad primum ſciendum quòd (vt ait Hierony. ſuper Matth.) idolum quoddam nomine Baal, fuit iuxta Hieruſalem ad radicem montis mora: vbi erat vallis aquoſa, nemoroſa, & deliciis plena. vbi ante per gentiles colebatur idolum Baal: quod ibi erat in loco quodam obſcuro. In tātam autem dementiam deuenerant filij Iſrael: quòd ritu gentilium idololatrando hoſtias & ſacrificia immolabant illi idolo. Et quandoque non ſolum immolabant illi bruta animalia vt deo: ſed ad maiorem deuotionem ad idolum oſtendendum immolabāt etiam quandoque filios ſuos & filias. quod maximæ peruerſitatis opus erat. Et hoc recolens pſalm. dicit, *Et immolauerunt filios ſuos &c. dæmoniis*, id eſt, idolo in quo dæmones habitabant. Vbi aduertendum ſecundum grammaticos quod immolo, as, componitur ab, in, & moles, vel mola: qui eſt lapis grandis. Et eſt immolare quaſi in molam altaris victimam ponere. vnde & immolatio dicta eſt ab antiquis eo quòd in mola altaris poſita victima occideretur. vnde & mactatio poſt immolationem erat. Et attēde quòd immolo ſcribitur per duo. m, quia. n. mutatur in, m. cum ante. m. n. ſtare non poſſit. Immolabant ergo primò filios & filias,id eſt,ſuper altare offerebant viuos:& poſtea mactabant.

*Immolare quid eſt.*

## Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum: quas ſacrificauerūt ſculptilibus Chanaam.

*Crudelitas maxima filios occidere.*

Hic oſtenditur ipſorum crudelitas. Si enim magnæ crudelitatis eſt ſcienter ſpargere ſanguinem innoxium quantuncunque alienum: multo fortius eſt crudelitatis innocentem ſanguinem ſuorum filiorū ſpargere:cum non ſit aliquod animal tam ferum,vel crudele,quod non conſeruet quantum poteſt vitam filiorum. Quam crudelitatē auget motiuum peſſimum: quia vt illos ſacrificarent idolis:quia illos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam,id eſt, idolis Chananæorum inter quos habitabant. Et nota quòd per iſtius ſanguinis innocētis filiorum ſuorum effuſionē:iam præſignabant infœlices Iudæi ſe crudeliter ſanguinē Chriſti innocētis & ſuorum ſanctorum effuſuros:quoniam Chriſtus & apoſtoli filij Iudæorum dicuntur:quia ex eis nati. De quibus dicitur pſal. 78. Effuderunt ſanguinem ſanctorū velut aqua in circuitu Hieruſalē. non conſiderantes quod ſcriptum eſt Gen. 9. Quicūque effuderit ſanguinem humanum, effundetur ſanguis eius. Sanguis enim humanus dicitur ſanguis innocentis:quia cū quis perdit innocentiā peccando:iam limites exit hominis, & mutatur in beſtiam. Nos ergo non ſanguinem innocentem ſed ſanguinem noxium,ſcilicet, peccatū effundamus. Sic enim præceptum eſt in lege. Effundent filij Aaron ſanguinem per circuitum altaris. Quod exponens Radulph. ait, Filij Aaron nonnūquā rectores eccleſiæ:nōnunquā vero quilibet fideles accipiuntur, Per ſanguinem verò in quo vita carnis cōſiſtit, prauam intelligimus voluntatem. Fúde ſanguinē, & caro morietur. tolle malam volūtatem; nec erit qui mala operetur. Fundunt ergo filij Aaron ſanguinē: quia doloris ſancti aſſiduitate ſua de diſcipulorum cordibus expellunt malitiam. Et quoniā dei timore hoc agitur, hæc ipſa effuſio, dei oblatio appellatur. Effundent inquit per altaris circuitum. Altare Chriſtus eſt:quia oblationes noſtras ei imponimus: & per ipſum illas acceptas patri fore poſſe ſperamus. Per huius circuitū altaris ſanguinem fundimus:dum Chriſti virtutes mente reuoluentes, vicioſos affectus à nobis eiicimus verbi gratia. dum manſuetudinem illius recolimus: noſtram iracundiam abdicamus. & ſic de ſingulis eſt agēdum. Si verò nomine altaris ſancta eccleſia deſignatur:per eius circuitum ſanguinem fundimus, dum ſanctorum qui in ea aut ſunt aut fuerūt, ſanctitatē conſiderantes. in ſingulis oculos tēdimus, correctionis noſtræ exempla videmus. &c.

*Pſal. 78.* *Gen. 9.* *Signu ſignificat peccatū.* *Radul.* *Sāguinē peccati qualiter fundere debemus.* *Altare dicitur Chriſtus.*

## Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum: & fornicati ſunt in adinuētionibus ſuis. 1870

Hic oſtenditur eorum praua voluntas:quæ, ſcilicet,ad tantum ſcelus à nullo coacti, ſed ſola libidine malæ voluntatis deuenerūt. Quod notat cum dicit:quòd fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis, ſcilicet, ſtudioſè & cum magna diligentia in malis, ab ipſis adinuentis. Dicit ergo; *Et infecta eſt terra in ſanguinibus.* vbi per terram ſignificat ipſos habitantes in illa terra promiſſionis qui interfecti ſunt:dū quidam corporaliter, ſcilicet, filij & filiæ qui immolabantur idolis: quidam ſpiritualiter, ſcilicet, ipſi immolantes:qui tam enormi ſcelere interficiebant animas ſuas. Et etiam quia propter talia peccata multoties deus tradidit eos in manibus inimicorum à quibus trucidabantur. vt patet in libr. Iudicum & regū. Sic enim dicitur Pſal. 77. Et tradidit pulchritudinem eorum in manus inimici. Et cōcluſit in gladio populum ſuum; & hæreditatem ſuam ſpreuit. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt. &c. vide hiſto. 1. Re. 22. Dicat ergo. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*,id eſt,in peccatis eorum. Quāuis enim ſecundum grammaticos ſanguis in plurali non dicatur: tamen illo licentia ſpiritus ſancti ſcriptura ſacra vtitur in plurali,per ſanguines ſignificans peccata. vide ver. 847. *Et contaminata eſt in operibus eorum.* Vbi aduerte quòd contamino,as,componitur ex con, & tamino, as. quod eſt aduerſari, corrumpere,polluere. Et inde contamino,as. idem eſt quòd ſimul polluere, deturpare, vel corrūpere. Contaminata eſt ergo terra in operibus eorum,id eſt,polluta & deturpata vel dehoneſtata:ſicut ciuitas per maleficia deturpatur. *Et fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.* fornicari enim eſt idololatrare: quia fornicatio dicitur ipſa idololatria. vide verſic. 157. 1209. Et tamen (quod ipſorum grauat peccatum) de iſtis eos deus præmunierat dicens, Caue ne imiteris gentes:poſtquam fuerint te introeunte terrā promiſſionis ſubuerſæ:& requiras cærimonias eorum dicens, Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos: ita & ego colam. Offerebant enim filios ſuos & filias comburentes igni. Et tamen hoc non obſtante,ita ſicut gentes fecerunt. Quia fornicati in adinuētionibus ſuis. Vbi glo. id eſt,polluti ſunt adulterinis pollutionibus ſuis: quas dicit adinuentiones ipſorum: non quia ꝑmi inuenirent: ſed quia alios imitati ſunt. Nota quòd fornicatio in ſcriptura eſt triplex. Prima ſtat in carnis delectatione. Nu. 25. Fornicatus eſt populus cum filialibus Moab. Secunda ſtat in dæmonis veneratione. Iudic. 8. Fornicati ſunt cum Baalim. Tertia ſtat in cuiuſque criminis commiſſione. Pſal. 72. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

*Terra quomodo interfecta eſt.* *Pſal. 77.* *Deut. 12.* *Fornicatio triplex.* *Iudicum. 8.*

## Et iratus eſt furore dominus in populum ſuum:& abominatus eſt hæreditatem ſuam. 1871

Hic ponitur pœna pro illis peccatis eis hic à deo inflicta. Et diuiditur in partes duas: quia primò ponitur eorum punitio. Secundò diuina miſeratio, ibi, *Et vidit cum tribularentur.* Prima pars diuiditur in partes duas: quia primò ponitur ipſorum punitio. Secundò punitionis oſtenditur iuſta ratio. ibi, *Ipſi autem.* Prima autem diuiditur in tres partes: ſecundum quòd tres ipſorum pœnas aſſignat. Prima fuit diuini auxilij ſubtractio. Secunda inimicis ſuis ſubiugatio, ibi, *Et tradidit eos.* Tertia fuit ipſorum ab inimicis afflictio, ibi. *Et tribulauerunt eos.* Prima ergo pœna fuit, quia à deo qui ſolebat eos protegere, fuerunt derelicti. Deus enim derelictus à nobis per peccata noſtra, nos derelinquit. Vnde ait, *Et iratus furore dominus. &c.* Non quòd propriè ira vel furor cadat in deo: ſed quia iuxta noſtrum modum intelligẽdi vocatur iratus: quandò ad modum irati ſe habet. Puniens peccata, & furibundus dicitur, quando peccata ſubito & acriter punit: quæ tamen omnia cum trãquillitate facit & manſuetudine: ſicut dicitur Sap. 12. Tu autẽ domine cum tranquillitate iudicas. Quomodo autem furor, vel ira cadat in deo, vide ver. 12. 54. 55. 684. Vnde hic ait glo. Ira non eſt in deo: ſed per ſimile hoc dicitur: quaſi potentia vindicandi excitatus eſt. vt puta, quãdo reliquit eos viribus propriis ipſos non defendendo. *Et abominatus eſt hæreditatem ſuam.* De hęreditate dei: vide ver. 178. 410. 975. 556. Et nota quòd iſta abominatio fuit dei erga eos ad vtilitatem eorum. Qui enim flagellat aduerſitatibus, videtur illum repellere & abominari: ſed tamẽ hoc multoties facit ad eius vtilitatem temporalem vel ſpiritualem. Sic enim deus abominatus eſt populum peccantem: non vt eum perderet, ſed vt eum corrigeret & caſtigaret. Sic & nunc dicitur, quòd abominatus eſt hæreditatem ſuam. Ex hoc enim quòd ipſum populum abominatum nominat hæreditatem ſuam datur intelligi quòd iſta abominatio erat ad reducendum eos: vt hæredes eſſent domini. Vnde hic ait glo. *Abominatus eſt hæreditatẽ ſuam,* id eſt, aduerſus eſt ab eis: non ad perditionem, ſed ad diſciplinam. quod innuit nominans hæreditatẽ. Abominatus eſt ergo eos: quia ad tempus auerſus eſt ab eis, tradens eos in manus gẽtium. quòd auerti ab eis: eſt extremum omnium malorum prænomen. Sic enim eos abominari ad correctionẽ ipſorum eis prædixerat deus, dicens. Si ambulaueritis contra me, & ego incedam contra vos: & corripiã vos: & abominabitur vos anima mea in tantum vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem. Ex hoc datur nobis exemplum vt peccatores ratione viciorum ſuorum abominemur. Prouer. 29. Abominantur iuſti virum impium: & abominantur impij eos qui in via recta ſunt. Et nota quòd quãuis viri iuſti generaliter abominentur omnia vicia. de aliquibus tamen in ſcriptura fit ſpecialis mentio.

*Sap. 12.*

*Abominatur deus peccatores ad vtilitatem eorum.*

*Leui. 26.*

*Abominantur iuſti peccatores & peccatum.*

1872 Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorũ qui oderunt eos.

Hic ponitur ſecunda pœna: quæ fuit ſubiicere ipſos inimicis ſuis. Propter enim ipſorum peccata multoties ipſos permiſit deus ab inimicis ſubiici: vt quia derelinquẽres deum, idola colebant: merito idololatris ſubiicerentur. Nam vt habetur Iudicum. 2. Fecerũt filij Iſrael malum in conſpectu domini: & reliquerũt deum patrum ſuorum: & ſecuti ſunt deos alienos. Iratuſque eſt dominus contra Iſrael: & tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos & vendiderunt hoſtibus, nec poterant reſiſtere aduerſariis: ſed quocunque pergere voluiſſent, manus domini erat ſuper illos. Vnde cap. 3. nominantur aliqui in quorum manus traditi fuerunt. vbi dicitur. Iratus dominus contra filios Iſrael: tradidit eos in manus Chuſanreſataim regis Meſopotamiæ: & ſeruierunt illi octo annis. Sed poſtea miſertus dominus liberauit eos per manus Othoniel. Et quieuit terra ſub Othoniel quadraginta annis. Quo mortuo, fecerunt filij Iſrael malum coram domino: & tradidit eos in manus Eglon regis Moab: & ſeruierunt ei decem & octo annis. Et miſertus dominus liberauit eos per manus Ahot. Et quieuit terra octuaginta annis ſub ipſo Ahot. Quo mortuo, addiderunt facere malum in conſpectu domini: & tradidit eos in manus Iabim regis Chanaam per quadraginta annos. Quibus regebatur populus Iſrael per vnam mulierem, ſcilicet, Delboram prophetiſſam. Et miſertus dominus liberauit eos per manum Barach: ſub quo quieuit terra per quadraginta annos. Quo mortuo, fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu domini: qui tradidit eos in manus Madian ſeptem annis: & oppreſſi ſunt ab eis valde. Et miſertus dominus liberauit eos per manus Gedeon, & quieuit terra ſub eo. 40. annis. Quo mortuo, filij Iſrael fecerunt malum coram domino: & adorauerunt Baalim, & Aſtaroth deos Philiſtinorũ: & tradidit eos deus in manus Philiſtim & filiorum Amon. Et afflicti ſunt ab eis vehementer annis decẽ & octo. Et miſertus dominus liberauit eos per manus Iepte. & poſtea cæperunt inter ſeipſos dimicare. Multis etiam aliis vicibus tradidit eos deus in manus gentium. Et quando pleno corde reuertebantur ad dominum: liberabat eos. vt patet per totum librum Iudicum & regum. Hoc ergo recolens Pſalmiſta eis propter peccata ſua factum dicit. *Et tradidit eos in manus gentium &c.* Omnia autem iſta quamuis litteraliter ſint dicta: ad myſticum tamen intellectum reducuntur: vt per illos in quorum manus ſunt tradit, diuerſa denotantur vicia, in quibus deum derelinquentes cadunt: & per illos à quibus liberantur denotentur virtutes quibus ab illis liberantur vitiis.

*Filij Iſrael ſubditi fuerũt gẽtilibus multoties.*

*Iudicum. 2.*

Et tribulauerunt eos inimici eorũ, & humiliati ſunt ſub manibus eorum: ſæpe liberauit eos. 1873

Hic ponitur tertia pœna, ſcilicet, qualiter ab inimicis afflicti & tribulati fuerunt. Iſte verſus ex ſtatim dictis patet quomodo ſæpe ab inimicis vexati & tribulati fuerunt: & quomodo ipſi tribulati clamauerunt ad dominum: & ipſe ſæpe liberauit eos. Sed hic eſt notandum quòd deus eos tribulari ab inimicis permittebat, non ſolum vt de ſuis peccatis puniretur: ſed etiam vt tribulatio autem cordis ipſorum aperiret: & ſua peccata facilius cognoſcerent: & per conſequens ad deum redirent. Pœna enim oculos mentis aperit: quos culpa claudit: vt ait Gre. Ideo dicitur pſalmo 82. imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum domine. Et Pſal. 77. Cum occideret eos quærebant eum: & diluculo veniebant ad eum: Vnde Gregorius 6. moralium. Plerumque culpas imminentes non ſolum minimè vitamus: verum etiam nec commiſſas agnoſcimus. Et peccatoris mẽs tanto altius tenebreſcit: quanto nunc damnum ſuæ cæcitatis intelligit. Vnde fit plerunq; diuini muneris largitate, vt culpã pœna ſubſequatur: & flagella oculos delinquentis aperiant: quos inter vitia ſecuritas cæcabat. Torpens quippe animus percuſſione tangitur, vt excitetur: quatenus qui ſtatum ſuæ rectitudinis ſecurus perdidit: afflictus conſideret quo iacet. Hinc itaq; ipſa aſperitas correctionis origo fit luminis. Vnde per Paulũ dicitur, Omne quod arguitur: in lumine manifeſtatur. Argumentum vero ſalutis eſt vis doloris. Hinc eſt quod Salomon ait: curatio ceſſare facit peccata maxima. Hinc iterum dicit. Quem enim diligit dominus flagellat: caſtigat autem omnem filium quem recipit. Hinc voce angelica ad Ioannem dominus loquitur. Ego quos amo corrigo & caſtigo, &c. Si ergo permiſit eos dominus tribulari: vt per afflictionem ſe ipſos cognoſcerent & humiliarentur. Et hoc eſt quod ait, *Et tribulauerunt eos inimici eorum: & humiliati ſunt ſub manibus eorum.* Et hoc duobus modis intelligi poteſt. Nam humiliatio quandoq; ſignificat pœnam, & non virtutem. Et ſic humiliari eſt de alto ſtatu in baſſum deponi. Quandoq; vero ſignificat virtutem: vide verſi. 616. Poteſt ergo intelligi, humiliati ſunt, id eſt, afflicti & ad baſſum deducti. Vel humiliati, id eſt, virtuoſe ſe cognoſcentes, deo ſe humiliauerunt petentes veniã. Et iſte ſenſus magis prædictis conformari videtur: ac etiam ei quod ſequitur. *Sæpe liberauit*, quia: ſcilicet quandocũq; humiliati reuertebantur ad Deum deuotè: ipſe liberabat eos: vt patet in verſi. præcedente. Nota quòd liberatio eſt multiplex. verſi. 1110.

*Tribulatio & pœna corporalis aperit oculos mentis.*

*Gre. 25. mor. ca. 3.*

*Pſal. 77.*

*Greg. 6. mor. ca. 17.*

*Epheſ. 5.*

*Eccleſ. 10.*

*Hebr. 12.*

*Apoc. 3.*

1874 Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

Hic ponitur ratio punitionis ipſorum: quia ſcilicet, ipſi peccatis ſuis quotidie ad iracũdiam Deũ prouocabant. Et hoc eſt quod dicit: *Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſiliis ſuis.* Quid autem ſit exacerbare: vide ver. 1322. 1816. Per hoc autem quod dicit. *In conſilio ſuo*: notat quòd peccabant non ex infirmitate vel ignorantia: ſed potius ex deliberatione & certa malitia. Et hæc eſt ratio punitionis ipſorum. Et ideo ſubditur. *Et humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis*, id eſt, propter iniquitates ſuas afflicti, depreſſi & ſubiugati: vt hic humiliatio ſtet pro pœna. Et nota quòd quamuis conſilium debeat eſſe de his quæ ſunt ad finem: iſti tamen conſilium ſuũ ſolum dirigebant contra finem, ſcilicet ad irritandum Deum: per quod homo elongatur à fine humano: ſibi ſcilicet, & aliis malè conſulendo: nõ aduertentes quòd prauum cõſilium primo præcipitat illum à quo datur, quàm illum cui datur. Propter quod dicitur Iob 18. Præcipitabit eum cõſilium ſuum. Quod exponens Gregor. dicit. Habet nunc conſilium ſuum omnis iniquus, ſcilicet, præſentia appetere. æterna deſperare. iniuſta agere. iuſta deridere. Sed cum iudex iuſtorum iniuſtorumque venerit: ſuo vnuſquiſq; impius conſilio præcipitabitur. quia per hoc quòd hic appetere prauis cogitationibus elegit: in æterni ſupplicij tenebras ingreditur. Quem enim hic gloria temporalis extollit: illic ſine termino pœna premit. Quia hic in voluptate lętatus eſt: illic perpetua vltione cruciatur. Et fit plerunq;, vt hæc ipſa mundi proſperitas: quæ ab aliis inhianter appetitur: eorum greſſus ita obliquat, vt etiam cum ad bona opera voluerint redire, vix poſſint. quia recte agere nõ valent: cum mundi huius amatoribus diſplicere timent. vnde agitur vt per gloriam quam impius ex peccato cõſequitur: adhuc eius peccatum amplius multiplicatur, &c. Et hoc maxime fiet quãdo dominus veniet, & illuminabit abſcõdita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. vt dicitur 1. Cor. 4. Et notandum quòd conſilium peccatorum vel criminalis prauitatis in ſcriptura multiplex reperitur, &c.

*Conſiliũ peccatorum.*

*Iob 18.*

*Greg. 14. moral. c. 4.*

Et vidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum. 1875

Hic conſequenter ponitur circa eos diuina miſeratio. Et diuiditur in partes tres. quia ponitur primò dei pietas ipſos exaudiendo. ſecundò dei fidelitas promiſſa adimplendo: ibi. *Et memor.* tertiò dei largitas ipſos liberando: ibi. *Et dedit eos.* Quantum ad primum notandum quòd aliter videt deus peccatores in præſenti: & aliter in futuro. Nam videre Deum peccatorem in præſenti: eſt cor eius emollire: vt ſeipſum cognoſcat & ſe corrigat. in futuro autem videt, vt puniat. Vnde Grego. ſuper illo verbo Iob 7. Nec aſpiciet me viſus hominis. ait, Viſus hominis eſt miſericordia noſtri redemptoris: qui inſenſuabilitatis noſtrę duritiã cum reſpicit emollit. Vnde teſte quoq; euangelio dicitur, Reſpexit dominus Petrũ: & recordatus eſt Petrus verbi Ieſu quod dixerat, Et egreſſus foras fleuit amarè. Exutã vero carne animam nequaquam iam viſus hominis aſpicit: quia poſt mortem non liberat quẽ ante mortem gratia ad veniam nõ reformat. Hinc enim Paulus dicit. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. Hinc pſal. ait. Quoniam in ſeculum miſericordia eius. quia nimirum quẽ nequaquam modo miſericordia eripit: ſola poſt præſens ſeculum iuſtitia addicit. Hinc Salomon ait, quia lignum in quocunq; loco ceciderit, ſiue ad auſtrum ſiue ad aquilonem, ibi erit. quia cum humani caſus tẽpore ſiue ſanctus ſiue malignus ſpiritus egrediẽtem animam clauſtra carnis acceperit: in æternum ſecũ ſine vlla permutatione retinebit. vt nec exaltata ad ſupplicia proruat: nec merſa æternis ſuppliciis vltra ad remedium ereptionis aſcendat. Vir igitur ſanctus humani generis damna cõſiderans, quòd à præſenti ſęculo ſine redemptoris cognitione ſubtrahitur: atq; æternis ignibus irreparabiliter ſepelitur: & eius vocem in ſe ſuſcipiẽs dicat, Nec aſpiciet me viſus hominis. Quia nimirum redẽptoris gratia quem nunc non intuetur vt corrigat: tunc non reſpicit vt ab interitu abſcondat. In iudicium quippe dominus veniẽs, peccatorem videt vt feriat: ſed non videt, vt ad largiendam ſalutis gratiam recognoſcat: culpas examinat, & vitã pereũtium ignorat. Ex quibus patet quòd illos quos ſcriptura dicit Deum videre in præſenti: oſtẽdit illos ad bonum emollire & conuertere. Ad propoſitum ergo vidit Deus filios Iſrael cum tribularentur: quia ipſos ad pœnitẽtiam prouocabat, ſcilicet, vt ſeipſos cognoſcerent: & ad dei gratiam poſtulãdam redirent. Vnde in lib. iudicum. quando filij Iſrael traditi erant in manus gentium & tribulabantur, ſemper dicitur, Et clamauerũt filij Iſrael ad dominum: & liberauit eos. Et quare & vnde clamabant ad dominum: niſi quia deus prius eos oculo miſericordiæ videndo, ipſorum corda emolliebat? Et ſic

*Vidit Deus peccatorem in præſenti vt parcat: in futuro, vt puniat.*

*Grego. 8. moral. c. 13.*

*Luc. 22.*

*2. Cor. 6.*

*Pſal. 135.*

*Eccl. 11.*

*Iob 7.*

*Exaudit deus orationẽ antequam fiat.*

Et ſic cum clamarent, ipſos exaudiebat.imo quod plus eſt:antequàm clamarēt exauditi.Et ideo quia eos iam exaudierat: ipſos ad clamorem orationis excitabat.Ideo dicitur Pſal.16.Ego clamaui: quoniam exaudiſti me. Et hoc eſt quod hic dicitur, *Et vidit cum tribularentur:& audiuit orationem eorum.*

## 1876 Et memor fuit teſtamēti ſui:& pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.

Hic oſtenditur dei fidelitas in promiſſis: quia teſtamentum quod promiſit Abrahæ,ſcilicet promiſſio quam ſibi fecit,quòd ſemen eius multiplicaretur:& quòd in ipſo omnes gentes benedicerētur,adimpleuit. Et ideo filios Iſrael quāuis malos B non deſerebat finaliter in manus inimicorum: ſed ipſos ad tempus in manibus inimicorum propter ipſorū peccata tradebat:ſed poſtea pœnitens ipſos liberabat.Et hoc eſt quod ait. *Et memor fuit,&c.* Vel memor fuit teſtamenti ſui id eſt, promiſſionis ſuæ, quam per Moyſen fecerat,dicēs,Si ad cardines cœli fueris diſſipatus ſcilicet,propter peccata tua:retrahet te dominus Deus tuus ſcilicet,ſi verè pœnitueris: & aſſumet atq; introducet in terram quam poſſederunt patres tui. *Et pœnituit eum ſecūdum multitudinem miſericordiæ ſuæ*,id eſt, ad modum pœnitētis ſe habuit:quādo quos propter peccata ſua captiuauerat,de captiuitate reduxit. Qualiter autem memoria cadat in deo,vel obliuio:vide verſi.1324. C 1363.349.Quomodo autem deus poſſit pœnitere, vide verſi.55.Hic gl.duo notat. Primò quòd cauſa quare Iſrael pro debito peccati non periit,fuit teſtamentum quod diſpoſuit ad Abraham ſcilicet, teſtamentum nouum:vbi eſt aduentus domini:qui eſt Abrahæ promiſſus.Et hoc notat,dicens, *Et memor fuit teſtamenti ſui*. Secundū quod notat eſt,quia quod dicitur: *Et pœnituit eum, &c.* Ideo enim dicit, *Et pœnituit*:non quia pœnitētia in Deum cadat:ſed quia mutauit quod facturus videbatur. Tūc enim pœnitet deus:quādo nos pœnitere videt. Talis eſt nobis,quales nos illi. Nihil autē repēte facit deus: ſed quod ab æterno præſciuit. Sed mutari dicitur: quia curſum cauſarum ſequi nō videtur, aliis cauſis occultis interueniētibus.Sed & cauſas, & quid fieret,præuidit immutabiliter.

*Deuter.30.* *Gloſa.* *Pœnitet deus & qualiter.*

## D 1877 Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos.

Hic ponitur larga dei bonitas ipſos mirabiliter liberando. Tali enim modo & mirabili deus liberabat eos:vt inimici eorum manifeſtè viderent miſericordias domini ipſos liberare, & nō virtus humana. Si conſideres quàm mirabiliter Gedeon liberauit populum de manibus Madianitarum:quia contra infinitam multitudinem venerunt trecenti viri,pro armis portātes lampades in lagenis, & tubas. Quam mirabiliter liberauit populum de manu Holofernis per manum vnius mulieris ſcilicet, Iudith. Qualiter liberauit Iſrael de manu Philiſtinorum,omnes philiſtinorum prouincias peſtę na- E tium percutiendo:propter quod & compulſi, arcā domini quam ceperant,honorificè remiſerunt. Et ſic de multis aliis. Vel aliter. *Dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium,qui ceperant eos.* Quia illi met inimici qui eos capiebant,illos captiuos miſericorditer exaltabāt.vt patet de Manaſſe rege iuda: quem de captiuitate in regnum ſuū reſtituit.De Ioachim A rege Iuda: quem rex Babylonis de carcere eduxit: & ipſum inter maiores ſui regni conſtituit.De Daniele in captiuitate poſito,quem rex babylonis ſuper totum regnum exaltauit. De Tobia cui in captiuitate poſito dedit Deus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis Aſſyriorū. Et ſic de Mardocheo: de Heſter regina & de multis aliis: quos mirabiliter in conſpectu illorum qui eos ceperant,faciebat gratioſos. Verum quamuis de multis hoc legatur: quia tamen hoc nō fuit vniuerſaliter de omnibus. vt patet de rege babylonis,qui captum Sedechiam regem iuda cum filiis ſuis tenens,omnes filios Sedechiæ occidit coram illo:& oculos Sedechiæ regis eruit:& vinctum catenis duxit in babylonem. Et ideo ly omnium,cum dicitur,in conſpectu om- B nium qui ceperant eos, accipitur vt nullus fuerit qui non inuenerit gratiam apud, eos captiuantes, niſi hoc deo faciente. Vel hoc myſtice exponit gl. de prædeſtinatis de illo populo:quia quicquid boni habent,eſt miſerentis Dei.Prophetę enim,Apoſtoli, martyres & confeſſores de Iudæis fuerunt: quos dedit in miſericordias in cōſpectu omnium qui ceperant eos,ſcilicet,gentium: vt gentes mirētur quæ prius eos deſpexerāt. Vel dedit eos in miſericordias in cōſpectu omnium,&c.id eſt,diaboli & angelorum eius:qui eos prius captiuos tenebāt. Nam coram dęmonibus liberi facti ſunt: ſub quibus ſancti fuerant captiui.

*Iudicum 7.* *Iudith 13.* *1.Reg.5.* *Miſericordia Dei erga Iudæos.* *2.Para.33.* *4.Reg.vlt.* *Daniel.2.* *Tobis 1.*

## Saluos nos fac domine deus noſter: 1878
## C & congrega nos de nationibus.

Hic Pſalm.ſe totum ad diuinam miſericordiam confert. Et tria facit:quia primò gratiam Dei poſtulat.ſecundò deo ſe humiliat.ibi, *Et confiteamur.* tertio deum glorificat.ibi, *Benedictus.* Quantum ad primum ſciendum,quòd populus Iſrael à tempore iudicum frequenter fuit captiuatus:& ad diuerſas nationes ductus propter ipſum peccata. Et ideo contra hoc dei miſericordiam poſtulat:vt Dei populus de nationibus educatur: & ad locum diuini cultus introducatur.Et hoc eſt quod ait, *Saluos fac nos domine deus noſter: & congrega nos de nationibus* ſcilicet ad locum tui cultus.Per hoc autem orat Pſal. vt deus ſuos electos in nationibus gentium contētos ad ouile reducat eccleſiæ, dicens, *Congrega nos* D *de nationibus* id eſt,de gentibus.vnde hic ait gl. Dominus ait: Alias oues habeo, &c.id eſt,filios Dei, qui diſperſi erant in gentibus.vnde Ioannes euangeliſta ait de Caypha qui prophetauit. Expedit vt vnus moriatur pro populo:ne tota gēs pereat. Hoc autem non dicit à ſemetipſo, ſed cum eſſet pontifex anni illius,prophetauit quod vnus erat moriturus pro gente:& non tantum pro gēte,ſcilicet, Iudæorum,ſed vt filios Dei qui erant diſperſi cōgregaret in vnum id eſt, filios Dei diſperſos de gentibus congregaret cum Iudæis vt fieret vnum ouile & vnus paſtor.Et hoc eſt quod hic orat Pſal.dicēs, *Congrega nos de nationibus.* Hoc autem falſo Iudæi putant impleri per antichriſtum. Ad videndum autem qualiter electos ſuos cōgregat Chriſtus ad E diuerſa:eſt notandū quòd congregatio in ſcriptura multiplex reperitur,ſcilicet,cōgregatio fidelitatis eccleſiæ.cōgregatio charitatis atq; gratiæ, &c.

*Congregauit Chriſtus electos de gentibus.* *Ioan.10.* *Ioan.11.*

## Et confiteamur nomini ſancto tuo: 1879
## & gloriemur in laude tua.

Hic deo ſe humiliat, non quærens in perſona omnium electorū gloriari vel lætari in alio, quàm in con



in confeſſione Dei & laude. Vbi attende,quòd ſicut ſunt diſtincta merita & præmia: ſic diſtinguūtur & tempora meritorum & præmiorum.Nam in præſenti eſt tempus meriti: ſed in futuro præmij. De tempore ergo meriti dicit, *Et confiteamur nomini tuo* ſcilicet,confeſſione laudis ipſum exaltando. Et in hoc ſtat meritum noſtrum: quia per omne bonum quod agimus, cōfitemur domino,id eſt,laus datur domino.De qua cōfeſſione laudis vide verſi. 250.Conſequenter verò agit de tempore præmiorum quod erit in futuro,dicens, *Et gloriemur in laude tua.* Quia in gloria ſancti ſemper Deum laudabunt.vide verſi.1721. Si autē hoc referre volumus ad gloriam iuſtorum,quam habent in præſenti:tūc dicendum quòd iuſti gloriātur in multis.ver.479. 860. Dicat ergo. *Gloriemur in laude tua:* quia gloriā omnium bonorum noſtrorum, non nobis ſed ſoli Deo dare debemus.

*Meritorum tempus eſt ... ſed in futuro præmiorum.*

## 1880 Benedictus dominus Deus Iſrael a ſeculo & vſque in ſeculum: & dicet omnis populus,fiat fiat.

Hic concludēdo ex omnibus prædictis, Deum benedicit & glorificat dicens. *Benedictus dominus Deus.* Vbi nota quòd benedicimus Deum multipliciter.verſi.502.Item benedicere Deum eſt bene viuere.verſi.378. Item quòd omnia noſtra tam interiora quàm exteriora Deum benedicere debent. verſi.1732.Item quòd vbiq; benedicēdus eſt deus. verſi.1753. Item quòd ſemper,in præſenti ſcilicet, & in futuro. Et hoc eſt quod hic ait. *Benedictus dominus Deus Iſrael à ſeculo* ſcilicet, præſenti: *& vſque in ſeculum,* futurum.Vbi notandum, quòd ſecundum grammaticos ſeculum dicitur à ſequor, eris.Et eſt ſeculum hoc quandoq; ſpatium cētum annorum. quandoq; ponitur pro tota vita vnius. quandoq; pro quolibet longo ſpatio temporis.quandoq; vero pro toto tempore vitæ præſentis. Et dicitur ſeculum,quia partes temporis ſucceſſiuè ſe habent, quòd vna ſequitur ad aliam. Quādoq; & ſeculum dicitur vita futura, eo quòd ſequatur ad iſtam. Et ſic hic ſeculum pro loco poſitum ſtat pro tota vita præſenti:ſed ſecūdo loco poſitum ſtat pro vita futura. Et eſt ſenſus, *A ſeculo vſque in ſeculum*, id eſt à pręſenti vita vſq; in futurā incluſiue: ſemper Deus ſit benedictus. *Et dicet omnis populus, fiat fiat.* Hic accipit populum pro omnibus bonis tam in præſenti quàm in futuro:qui merito nomine populi deſignantur:quia populum non mali propriè: ſed ſolū boni facere poſſunt:vt dictum fuit verſi.816.Vnde iſtum textum ſic exponit gl. *Benedictus dominus Deus Iſrael:* & hoc *à ſeculo vſque in ſeculum:*quia ab æterno in æternū:quia ſine fine laudabitur ab eis, de quibus dicitur,Beati qui habitant in domo tua domine:in ſecula ſeculorum laudabunt te. *Et dicet omnis populus,fiat fiat.* Iſte eſt populus prædeſtinatus tā de Iudæis quàm de gentibus. *Fiat fiat*, id eſt,iſti laudi cōſentient omnes prædeſtinati. Idem enim eſt fiat fiat,quod Amen amen. Et ſecūdum opinionē illorum qui dicunt,quòd pſalterium continet quinq; libros: quia vbicūq; in fine pſalmi ponitur fiat,ibi eſt finis vnius libri.Et ſic primus liber finiretur in Pſal.40.ſecundus in 71.tertius in 88.quartus hic, ſcilicet, 105. quintus in 150. Hic finiretur ergo quartus liber pſalmorum. Sed magiſter illam opinionem improbat,dicens,quòd eſt ſolum vnus liber pſalmorum: licet plures habeat diſtinctiones: A ſicut epiſtolæ Pauli plures habent diſtinctiones: tamen vnum ſolum librum faciunt. Vnde Dauid vnum ſolum librum ponit dicens. In capite libri ſcriptum eſt de me.non ait librorum.Et conſimiliter in actibus apoſtolorum dicitur. ſicut ſcriptum eſt in libro pſalmorum.

*Seculū quid dicitur.* *Pſal.83.* *Pſalteriū facit ſolū vnum librū & non ...* *Pſal.39.* *Act.1.*

# PSALM. CVI.

## Confitemini domino quoniā bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius. 1881

*Quinta pars pſalterij.*

Hic eſt Pſalmus 106. qui talem titulum habet, B Alleluia alleluia. Vbi notādum,quòd quamuis iſte Pſal.habeat eundem titulum cum præcedenti: tamē alia de cauſa hic ponitur duplex alleluia quàm ibi.Nam vt ibidem dictum fuit,ibi ponitur duplex alleluia pro duplici laude Dei, ſcilicet, quam ſibi exhibemus in præſenti:& exhibetur à beatis in futuro.Sed in titulo iſtius pſalmi ponitur duplex alleluia:ſolū pro laude quam deo exhibemus in pręſenti:ſed à duplici pariete eccleſiæ quos Chriſtus lapis angularis coniunxit in vnum,ſcilicet populū gentilem & Iudaicum:vt primum alleluia reſpondeat populo gentili conuerſo: quoniam iſte pſalmus agit de duobus dictis populis in Chriſto per fidem coniunctis:Eſt ergo tituli ſenſus,alleluia alleluia,id eſt, alleluia decantant Iudæi credentes in C Chriſtum,ipſum laudantes: & alleluia decantant conuerſi ad Chriſtum gentiles. Quid autē ſit propriè dictu alleluia,vide verſi.1790.Quantum vero ad materiam pſalmi diuerſæ ſunt opiniones. Nam opinio videtur eſſe Auguſtini, quòd iſte pſalmus eſt quædam gratiarum actio facta à redemptis omnibus generaliter per Chriſtum. Quoniā pſalmus iſte præuidit Chriſtum humanum genus redempturum:ideo in perſona redemptorum generaliter pro gratiarum actione fecit hūc pſalmum. Ad hoc videtur facere quod ſtatim ſubditur, Dicant nunc qui redempti ſunt à domino,&c.Et quia iſta redēptio quo ad ſufficientiam fuit generalis omnium: quo vero ad efficaciam fuit generalis quo ad genera ſingulorum: quia ex omni parte aliquos ele- D git:ideo ſubditur, A ſolis ortu & occaſu,ab aquilone & mari.Sed ſaluo ſemper meliori iudicio, talis expoſitio eſt magis myſtica quàm literalis:vnde in multis locis litera huius pſalmi illi expoſitioni non conuenit.Eſt ergo aliorum opinio: quòd iſte pſalmus eſt quædam inuitatio ad gratiarum actionem quorumcunq; à deo redemptorum, vel liberatorū à preſſuris & periculis vndequaq; & maximè ipſorum Iudæorum. Certum eſt enim quòd filij Iſrael vt habetur in libro iudicum: & in 4.Reg. diuerſis vicibus & in diuerſis partibus fuit captiuatus. & oppreſſus. Et ſi non vniuerſaliter totus populus Iſrael:tamē particulariter fuit captiuatus ad omnem plagam circunſtantem terram promiſſionis:quandoq; verſus orientem, quādoq; ad oc- E cidentem,&c.Et hoc eſt quod dicit. *Confitemini domino,&c.* Dicant nūc qui redempti ſunt, a ſolis ortu & occaſu,ab aquilone & mari.Et iſta opinio eſt magis literalis. Opinio autem Auguſtini pulchra eſt: ſed magis moralis & myſtica quàm literalis. Quis autē fecerit ipſum pſalmū, inter ipſos ignotos computatur. His viſis accedo ad pſalmi diuiſionem.Diuiditur ergo pſalmus iſte in duas partes: quia

quia Pſal.inducit ad gratiarum actioně, primo liberatos a periculis.ſecundò liberatos particulariter, ibi, *Errauerunt*. Quantum ad primum duo facit:quia primo ponit gratiarum actionis modum. ſecundo ponit debitū,ibi, *Dicant nunc*. Quātum ad primū ſciēdū q̄ gratias agimus deo per cõfeſſionẽ criminis & per confeſſionẽ laudis. Nā quando cõfitemur crimina:iam dei prædicamus omnipotentiam:quia ex ipſo ſperamus per ipſum veniam cõſequi,& iuſtificari:quod eſt ſummæ poteſtatis : vt dictum eſt verſi. 1158. Similiter quando cõfitemur deo confeſſione laudis:túc ab ipſo recognoſcimus bona quæ habemus. Sic ergo intelligitur iſte verſus de vtraq; confeſſione, ſcilicet,laudis & criminis. De confeſſione laudis,vide verſi. 1790. De cõfeſſione criminis, vide verſi. 1838. Sed quo ad confeſſionem criminis hic addo,quod ibi dictum non fuit: quòd confeſſio criminis inter alias conditiones quas requirit,eſt, quòd debet eſſe cum ſpe veniæ. Si quis enim doleret de peccatis ſuis omnibus,& omnia confiteretur,non tamen a deo ſperās veniam:nihil in tali confeſſione proficeret. Iudas enim tradito Chriſto doluit de peccato quod fecerat: & pœnitentia ductus confeſſus eſt peccatum ſuum,dicens, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. quia tamen de venia deſperauit : nihil profuit ſibi. Vnde ſpem veniæ in cõfeſſione neceſſariam habere docet pſal.dicens, Spera in deo,quoniam adhuc confitebor illi. Loquitur enim animæ ſuæ.

*Confeſſio debet habere ſpē veniæ.*

*Matth.27.*

*Pſal.42.*

## 1882 Dicant qui redempti ſunt à domino,quos redemit de manu inimici : & de regionibus congregauit eos.

Hic ponitur gratiarum actionis debitum,ſcilicet,datum beneficium.& primo in ſe : ſecundo in circunſtantiis,ibi, *A ſolis ortu*. Quātum ad primum ſciendum, quòd deus multoties redemit filios Iſrael de manu inimicorum eos opprimentium. Redemit enim eos de manu Ægyptiorū.vt patet Exo. 14. Et ſimiliter poſtquam fuerunt in terra promiſſionis,multoties fuerūt traditi propter peccata ſua in manus gentium, miraculosè fuerunt à domino liberati.vt patet verſic. 1872. Iſtud igitur beneficiū recolens pſal.ait. *Dicant nunc qui redempti ſunt a domino,&c.* Sed quid dicant,ſcilicet,primum verſum præmiſſum dicant. Confitemini domino quoniam bonus,&c. Ex quo apparet, quòd in iſto verſiculo incipit conſtructio totius primæ partis iſtius pſalmi : ſic quòd iſte verſus ſecundus in conſtructione præcedit primum. Per hoc autẽ vult inducere populum Chriſtianum ad gratiarū actiones Chriſto domino : qui gentiles per mundum diſperſos non ſolum corpore ſed magis mente per diuerſum cultum idolorū ſuo ſanguine redemit de manu inimici diaboli,ſub cuius poteſtate preſſi tenebantur:& congregauit in vnam catholicam fidem : non quidem omnes ſimul ſed paulatim. Quod & quotidie facit per ſacramentum baptiſmi nos ad vnitatem eccleſiæ ducens. Et non ſolum ab vna plaga mundi, ſed de diuerſis mundi regionibus : imo & de omni regione aliquos cõgregauit in fidem eccleſiæ. De iſtis ergo ſic redẽptis & congregatis dicit. *Dicant nūc qui redempti ſunt a domino Ieſu Chriſto, quos redemit de manu inimici,* diaboli, *& de regionibus diuerſis congregauit eos,* ſcilicet, in vnam fidem & cultum veri dei. Redempti enim ſumus per Chriſtum.ver. 267.377.431.533.521.662.794.803. Notandum etiam quòd Chriſtus nos de multis redemit, ſcilicet,de praua peccatorum inquinatione. De vana mundanorum conuerſatione. De dura dæmoniorum ſubiugatione. Item notādum quòd multiplex eſt congregatio tam bona quàm mala:& quòd bona congregatio ne nos Chriſtus miſericorditer cõgregauit. Et prima eſt cõgregatio fidelitatis eccleſiæ:qua,ſcilicet,Chriſtus diuerſitatem gentium in vnam fidem congregauit,& eccleſiam. Et iſtā congregationem per ſuos apoſtolos & prædicatores fieri præcepit:eis præcipiens. Ite ad exitus viarum: & quoſcūq; inueneritis,vocate ad nuptias. Egreſſi autem congregauerunt omnes, quotquot inuenerunt. De congregatione autem diuerſa,vide verſicul. 1878.

*Redempti ſumus per Chriſtum.*

*Matth.22.*

## A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. 1883

Hic oſtendit circunſtātiam,qua,ſcilicet, augetur beneficium redemptionis. Quia non ſolum redemit & cõgregauit ab vna parte,ſed ab omnibus. Vnde hic nominat quatuor partes mundi principales,ſcilicet, per mare intelligens partem auſtralem. Sciendum enim quòd filij Iſrael in terra promiſſionis odioſi erant omnibus circunſtantibus: ideo diuerſitatem cultus & ab omni parte inimicos habebant:à quibus quādoq; ſubiugati fuerāt: tamẽ ab omnibus liberati. Per hoc enim vult Pſal. oſtendere,quòd ex omni ſtatu mūdi quoſdā Chriſtus redemit:& in vnitatem congregauit eccleſiæ: quia aliquos ab oriente,aliquos ab occidente.&c. Quia aliquos vocat in iuuentute, aliquos in ſenectute,aliquos in aduerſitate, & aliquos in proſperitate. Vbi notandum quòd per oriens in quo lux ſolis primò aſpicitur, ſignificatur vitæ humanæ principium. Illos ergo vocat ab oriente, quos in principio conuertit ad fidem : ſicut pueros ſtatim ortos per ſacramentum baptiſmi. Per occidẽs autem in quo lux ſolaris occidit nobis, intelligitur finis humanæ vitæ,ſcilicet, mors. Illos ergo vocat ab occidente,quos ſolum in fine vitæ cõuertit. Sic enim vocauit latronem cum ipſo a dextris crucifixum : qui in hora mortis cõuerſus fuit ad Deum. Per aquilonem autẽ ſtatus ſignificatur aduerſitatis:quoniam ventus aquilonis eſt frigidus & tempeſtuoſus. Sic & ſtatus aduerſitatis eſt frigidus, quia caret amore ſiue igne charitatis : eò quòd in aduerſitate poſitus nullum habet amicū. Et eſt tẽpeſtuoſus:quia talis multiplicationẽ pœnarū ſuſtinet:quia vna pœna inuitat aliā. Illos ergo ab aquilone redimit,quos in miſeria & paupertate poſitos vocat:ſicut vocauit hominem illū qui viginti octo annis iuxta piſcinā in Hieruſalẽ iacuit infirmus:ſic & vocauit cæcū à natiuitate. Per auſtrum vero ipſa proſperitas intelligitur:quia pars auſtralis eſt calida,& in illa parte ſol eſt altior & magis reſplẽdẽs: ſic & homo poſitus in proſperitate altè ſituatur,ac lucidus & famoſus prædicatur. Sic enim vocauit ab auſtro proſperitatis Cõſtantinū Imperatorem, Karolum magnū,ac Romanos principes. Hæc ergo denotans pſal.de Chriſto dicit, *Quos redemit de manu inimici:* aliquos ab ortu ſolis,aliquos ab occaſu, aliquos ab aquilone ; & aliquos à mari ſiue ab auſtro. Per mare enim bene intelligitur pars auſtralis in qua ſol eſt altior:quia per mare ſignificantur ſuperbi ſe in altū eleuantes ſeculares:quos tamẽ ad fidẽ reduxit dominus. Quod oſtendit Grego.ſuper illo verbo Iob 26.capit. In fortitudine illius maria

*Occidẽs mors. Oriens vita Aquilo:aduerſitas. Auſter:proſperitas.*

*Luc.23. Eccl.43.*

*Ioan.5. Ioan.9.*

*Mare ſignificat ſuperbiā*

*Greg.17.moral.c.15.*



aggregata ſunt.dicens: Quid autem maris nomine niſi præſens ſeculum deſignatur:in quo corda hominum terrena quærẽtium diuerſis cogitationum fluctibus intumeſcunt ? Qui elatione ſuperbiæ incitati:dum alterna intentione ſe impetūt:quaſi aduerſitates ſe vnde collidūt. Sed iam in fortitudine illius maria cõgregata ſunt : quia incarnato domino,diſcordantia ſecularium corda cõcorditer credunt. Iam Petrus iam in mare ambulat. quia nimirum Chriſti prædicatoribus illa quondam tumida corda humili auditu ſubtracta ſunt. Vnde rectè & in euangelio huius mundi manſuetudinem figurauit:quòd proceſſoſa maris aqua domini pedibus preſſo tumore calcata eſt.

## 1884 Errauerūt in ſolitudine in inaquoſo:viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.

Hic oſtenditur quòd eos liberauit à periculis particularibus multis,quæ cõmuniter hominibus accidere ſolẽt : per quæ pericula multa tentationū genera intelligit. Et diuiditur in ſex partes : ſecūdū quòd ſex pericula exprimit, à quibus liberati fuerunt. Et ponuntur ſex pericula,ſecundum quæ iſta pars habet ſex partes. Primum fuit erroris in itinere. Secundū captiuitatis ab hoſte.ibi, *Sedentes*. Tertium fuit, infirmitatis in corpore.ibi, *Suſcepit eos*. Quartum fuit tempeſtatis in mare, ibi, *Qui deſcendunt*. Quintum ſterilitatis patriæ.ibi, *Poſuit flumina,* Sextū fuit diſſenſionis interioris & diſcordiæ.ibi, *Et pauci facti ſunt*. Quantum ad primum ſciendum quòd in primo periculo quatuor ponit,ſcilicet,primò ponitur periculi expoſitio:ſecundò cõtra periculum apponitur oratio.ibi, *Et clamauerunt*. tertiò ponitur orationis exauditio.ibi,*Et eduxit eos*.quartò gratiarum actio.ibi, *Confiteantur*. In prima autẽ parte primo exponitur error itineris.ſecūdo conſequentia famis.ibi, *Eſurientes*. Quantum ad primū ſciendum quòd filij Iſrael vagi quaſi viam neſciẽtes,ſteterunt in deſerto quadraginta annis:cum tamen non multa eſſet via ab ægypto vſq; ad terram promiſſionis:quod accidit eis propter peccata ſua: nec in toto illo tempore habuerunt aliquam ciuitatem in qua pacifice habitare poſſent. Nā vt habetur Nume. 13. exploratores miſſi Moyſe ad conſiderandam terram promiſſionis quadraginta diebus illam circundederunt & conſiderauerunt:qui poſtea reuertentes ipſam populo diffamauerunt: propter quod populus in ægyptum voluit reuerti. Et in pœnam huius peccati Deus decreuit iuxta numerum quadraginta dierum vt quadraginta annis vagabundi per deſertum incederent. V..de illis ait dominus. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra,ſcilicet,in exitu de Ægypto,& murmuraſtis contra me,non intrabitis terram pro qua iuraui patribus veſtris. filij autem veſtri vagi erunt in deſerto annis quadraginta,donec conſumantur cadauera patrum in deſerto:iuxta numerum quadraginta dierum,quibus conſideraſtis terrā:annus pro die cõputabitur : & quadraginta annis feretis vltionem meam. Iſtam ergo per deſertum vagationem notans pſal. dicit, *Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo* : quia in ſolitudine illa aquarū penuria erat, vt habetur Nume. 20. *Et viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt*. quia in toto tempore quadraginta annorum nullam ciuitatem habuerunt. Per hoc autẽ vult oſtendere pſal.quòd gentilis populus vſq; ad Chriſti aduentum errauit in ſolitudine huius mūdi, non inueniens viam per quam accedere poſſet ad ciuitatem ſupernam. Et hāc expoſitionem notat gl.hic dicens,*Errauerunt*,ſcilicet,gẽtiles exiſtentes in ſolitudine:quia ſoli erant ſine deo. Exiſtebāt & in inaquoſo. Per aquam enim vera doctrina intelligitur. Eccl. 15. Aqua ſapientiæ ſalutari s potauit illum. Ille ergo exiſtit in inaquoſo, id eſt,in loco ſine aqua qui vera doctrina fidei caret. Et ideo quia erat ſine vera doctrina, non inuenerunt viam ciuitatis habitaculi. Quid eſt enim hæc via, niſi Chriſtus,qui de ſe dicit. Ego ſum via,veritas, &c. quæ via ducit ad cæleſtem ciuitatem Hieruſalem in qua habitandum eſt. Quandiu ergo gentiles errauerunt,viam quę ducit ad ciuitatẽ,ſcilicet,Chriſtum,non inuenerunt. Qui quantum ad diuinitatẽ immobilis,ſed quo ad humanitatẽ mobilis, & via ducens exiſtit:vt oſtendit Gregor.ſuper illo verbo Iob 28. Deus intelligit viam eius:dicens, Sapientia Dei æterna,aliter habet locum,aliter viam. Viā habet per humanitatis trāſitum : locum vero per ſtatum diuinitatis. Inde enim nõ tranſit vt coæterna eſt:ſed inde trāſit, vnde propter nos apparuit temporalis. Sic namq; in euangelio ſcriptum eſt : quia egrediens à Hiericho tranſibat:duo autem cęci ſedentes iuxta viam,clamabant dicẽtes, Domine miſerere noſtri fili Dauid. Ad quorum vocem ſicut illic ſcriptū eſt,ſtetit Ieſus,& lumen reddidit. Quid eſt autem tranſeundo audire,ſtando autem lumen reſtituere:niſi quòd per humanitatem ſuam nobis miſertus eſt qui per diuinitatis ſuæ potẽtiam à nobis mentis noſtræ tenebras excluſit ? Quod enim propter nos natus & paſſus eſt,quòd reſurrexit,aſcendit in cœlum,quaſi tranſit Ieſus. quia nimirum hæc actio eſt temporalis. Sed ſtans nos tetigit & illuminauit:quia non ſicut illa diſpenſatio verbi tẽporalis,ita verbi æternitas tranſit:quæ in ſe manẽs innouat omnia. Stare enim eſt incommutabili cogitatione mutabilia cūcta diſponere. Qui ergo voces petentium tranſiens audiuit, ſtans lumen reddidit. quia & ſi propter nos temporalia pertulit: inde tamen nobis lucem tribuit, vnde habere mutabilitatis tranſitum neſcit, &c. Ex quibus apparet,quòd Chriſtus via dicitur ratione humanitatis aſſumptæ, quam gentiles errantes non inuenerunt. Notandum etiam quòd homines errare contingit ex tribus. Primò ex iuſtitiæ diuinæ permiſſione : & tunc talis error non ſolum peccatum eſt: ſed & pœna peccati. vnde Pſal. 106. Errare fecit eos in inuio,& non in via. Secundo ex negligentia ſacræ lectionis : & ſimiliter eſt peccatū & pœna peccati. Sic errabant Iudæi nolentes ſcripturas ad verum ſenſum intelligere. Matth. 22. Erratis neſcientes ſcripturas. Tertiò ex fuga humanæ increpationis:quia quando homo non vult corrigi : faciliter cadit in errorem. Prouerb. 10. Qui increpationes relinquit,errat,& Sapien. 17. Indiſciplinatæ animę errauerunt.

*Erraũt filij Iſrael 40. annis in deſerto.*

*Nume.13.*

*Eccl.15.*

*Ioan.14. Chriſtus dicitur via noſtræ humanitatis.*

*Grego.19.moral.c.13. Iob.28.*

*Matth.10.*

*Errat quis multipliciter.*

*Matth.22.*

*Prouerb. 10. Sap.17.*

## Eſurientes & ſitiẽtes,anima eorum in ipſis defecit. 1885

Hic oſtẽditur defectus prouenięns ex prædicto defectu ſiue errore. Errantes enim per ſolitudinis inuias vbi nõ reperiuntur neceſſaria vitæ humanę: vt cõmuniter defectum famis patiuntur & ſitis. Sic enim legimus de Agat ancilla Abrahę quādo emiſſa fuit de domo Abrahę cum filio ſuo Hiſmael:ipſa errabat per ſolitudinem Berſabee : & conſumpta

*Geneſ.21.*

aqua quam portauerat in vtre, puer fuit in periculo mortis: niſi Deus aliter prouidiſſet. Sic & filij Iſrael vagantes per deſertum, quandoq; eſuriebāt & ſitiebāt. Quamuis enim manna haberent ad ſufficientiam: tamen illo cibo non contenti alios cibos & potum deſiderabant. *Nume.21.* Sic enim ex deſiderio cibi locutus eſt populus cōtra dominum & Moyſen, dicens, Cur eduxiſti nos de Ægypto: vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis: non eſt aqua: anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Et hoc notans pſalm. ait. *Eſurientes & ſitientes, &c.* *Eſuriebāt & ſitiebāt gētiles verbū dei.* Per hoc enim Pſal. vult oſtendere, quòd inter gentiles multi erant: qui diuerſis ſtudiis inquirebant veritatem doctrinæ cum magno deſiderio: & tamē ambulando per multos circuitus errorum ipſam non inueniebant: & verum doctrinæ cibum & potum deſiderantes, nec inuenientes, eſurientes & ſitientes deficiebant. *Philoſophus.* Sicut Ariſtoteles cum magno ſtudio indagauit inuenire veram vitam moralem, per quam homo eſſet verè virtuoſus: nec inuenit: quia ſine fide nulla vera virtus habetur. *Auguſt.* Similiter de beato Auguſtino legitur, quòd poſt multos circuitus errorum quærebat verum animæ virum cuius amplexibus ſemper inhæreret: nec inueniebat. Iſti ergo erant eſurientes & ſitientes. Eſuries enim & ſitis nihil aliud eſt quàm naturale deſiderium cibi & potus. Et ſic eſurire & ſitire eſt deſiderare. Et ad iſtum intellectum exponit glo. dicens, *Eſurientes & ſitientes.* ſcilicet, ipſi gentiles qui erāt ſine cibo vero Dei & potu gratiæ. *Gloſa.* Per hoc autem quod dicit. *Auguſt.* *Eſurientes & ſitientes*, curioſos ſeculi ſignificat: qui veritatem diuerſis opinionibus exquirebant: nec inueniebāt: ideo anima eorum in ipſis defecit, ſcilicet, a bono interiori. Et hoc ideo quia anima eorū manſit in ipſis; quia nō ſe exceſſit: ſed ſe ſibi ipſi ſufficere putauit. Et aduerte quòd cū dicitur, *Anima eorum in ipſis defecit:* non oſtenditur dei crudelitas: ſed monſtratur quomodo Deus commendabilem ſe nobis oſtendat: permittens hominem deficere: quod nobis expedit. Deficimus enim vt rogemus: & vt ſubuenientem amemus. Nota quòd eſuries vel fames eſt duplex, ſcilicet, mentis & corporis. verſi. 944. Item quòd eſt multiplex. 1805.

1886 Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de neceſsitatibus eorum eripuit eos.

Hic cōtra dictum periculum apponitur oratio. Tanta eſt enim Dei pietas vt ſubueniat omnibus deuotè ad ipſum recurrentibus. Pſal. 90. *Clamans ad dominū orādo exauditur.* Clamauit ad me: & ego exaudiam eum. Sic & quādocūq; filij Iſrael clamauerunt ad dominum: exauditi fuerunt. *Exod.16.* vnde literaliter clamauerunt ad dominū deſiderātes cibos: & ſtatim eis per Moyſen fuit reſpōſum. Dabit dominus vobis veſpere carnes: & mane ſaturabimini panibus. Sic etiam clamauerunt deſiderantes aquam ad potandum: & ſtatim dominus exaudiuit eos. *Nume.20.* vnde aqua abundantiſſimè eis de petra fluxit. Verumtamen quia clamor in talibus filiorum Iſrael erat magis quoddam murmur: & ſic magis clamor eſt contra dominum quàm ad dominum. ideo melius intelligendum hoc puto de clamore Moyſi & Aaron; quo orabant Deum vt in prædictis neceſſariis populo ſuo prouideret. Sic enim orando clamabant ad dominum: quoniam ipſo Moyſe orante ſibi ait dominus. *Exod.14.* Quid clamas ad me? Clamauerunt ergo filij Iſrael ad dominū in prędicto neceſſitatis articulo: quia Moyſes & Aarō pro ipſis orabant vt Deus eorum ſaturaret deſiderium. Et per hoc vult pſalmus oſtendere quòd gētiles eſurientes & ſitientes ſaturari verbo quando non ad vanitatem mundi ſtudebant: ſed ſolū ad intelligēdam veritatem: quòd dominus illis inſpirabat gratiam qua ipſum intelligerēt. ſicut fecit Dionyſio philoſopho. ſicut fecit beato Auguſtino. ſicut fecit Cornelio. *Act.10.* Sic enim dicitur Pſal. 21. Ad te clamauerunt patres noſtri: clamauerūt & ſalui facti ſunt. *Clamor orationis.* Nota ergo quòd oratio deuota quamuis principalius ſtet in mente quàm in voce: tamē dicitur eſſe quidam clamor ſpiritualis ad deum. Sic enim orans Propheta ad Deum, ait, Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Pſal.101.* Et quòd tali clamore pro multis clamare debemus ad dominum, vide verſi. 893.

Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis. 1887

Hic ponitur exauditio quo ad principale periculum, ſcilicet, erroris viæ. Secūdum enim literam conſumptis in deſerto murmurationibus contra Deum: filios eorum qui pro peccato parētum vagi per deſertum fuerant annis quadraginta: dominus per manum Ioſuæ ipſos per viam rectā deduxit ad terram promiſſionis, quam obtinuerunt: & ipſorū ciuitates habitauerūt. vt habetur in lib. Ioſuæ per capit. multa. Quod hic commemorans Pſal. ait, *Et deduxit eos in viam rectam, &c.* Per hoc autē vult Pſal. oſtendere quòd gentiles qui prius errabant in diuerſis erroribus diuerſa adorantes idola: dominus Ieſus Chriſtus incarnatus ad viā veritatis reduxit: quia ipſos à cultura idolorum ad cultum veri Dei deduxit per ſe, & per apoſtolos ſuos, & alios prędicatores. vt per Petrum, in viam rectā fidei deduxit Italiam: per Ioānem, Aſiam: per Andream, Achaiā: per Bartholomeum, Indiam: per Mattheū, Æthiopiam: & ſic de aliis. Et prædicatione apoſtolorum deduxit eos in viam rectam, ſcilicet, in Chriſtū: vt per illam viam ambulantes irent in ciuitatem habitationis, ſcilicet, Hieruſalem cæleſtem quā prius neſciebant inuenire. Sic enim iſtum verſum exponit gl. dicens, *Et deduxit eos in viam rectam:* illos, ſcilicet, gentiles qui prius errabāt, deduxit in viam rectam, quę Chriſtus eſt, qui dicit: Ego ſum via, veritas, &c. *Ioan 14.* quia: ſcilicet, Chriſtus eripuit eos de ignorantia, oſtēdens eis ſeipſum viā vt per hāc viam irēt bene operādo, & eius exēpla imitādo, in ciuitatem habitationis quā prius inuenire neſciebāt. De iſto ductore Chriſto dicitur, Iuſtū deduxit dñs per vias rectas: & oſtēdit illi regnū Dei. *Sap.10.* quia illū quē iuſtificat: per vias rectas deduxit ad gloriā. *Deducuntur multi male multipliciter.* O quàm ergo miſeri qui iuſtū ducem dimittentes, ad duces ſe cōuertūt erroris: quia ducūtur illecebroſa ſenſualitate, alij pernicioſa familiaritate, alij præſumptuoſa temeritate: alij malicioſa cæcitate. Nō ſic ductor Chriſtus, qui ſuos recta via ad patriam ducit. *Deducit nos Chriſtus ad ciuitatē gloriæ.* ideo hūc ductorē ſequi debemus more formicæ excæcatę. De qua dicit Albertus 8. de animalibus, &c. vide ver. 1467. quia Chriſtus ſe ſequētes ducit ad fontē vitæ beatæ, Apoc. 7. *Apoc.7.* Agnus qui in medio throni eſt, reget eos; & deducet eos ad fontem aquarum.

Confiteātur domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. 1888

Hic ponitur ꝓ prędictis gratiarū actio. & cōſequēter ponitur beneficij recordatio: ibi. Quia ſatiauit.



Inducēs ergo filios Iſrael quibus præfatum beneficium contulit ad gratiarum actiones, dicit. *Confiteantur domino miſericordiæ eius*, id eſt, miſericordiæ quas vobis fecit, debent vos inducere ad confitendum domino confeſſione laudis. Ac etiam mirabilia eius facta filiis hominum: ipſos ad confitendum domino inducere debēt. Et ſic ex duobus inducit eos ad gratiarum actionem. primo quia miſericorditer eos deduxit. ſecūdo quia mirabiliter. Per hoc conformiter vult pſal. oſtēdere fideles quos de regionibus ad vnitatem cōgregauit eccleſiæ ad gratiarum actionē, dicens, *Confiteantur domino.* Et quid debent cōfiteri? hoc, ſcilicet quòd eos liberauit ab errore: hoc attribuant miſericordiæ eius: quia miſericordiæ eius nos liberauerunt: non merita noſtra, non virtutes, non ſapientia: ſed miſericordiæ. Etiam mirabilia eius ſint filiis hominum materia laudandi Deum. Non enim miſericorditer ſolum gētes vocauit ad fidem: ſed cum mirabilibus ſuis, id eſt, miraculis oſtenſis. Poteſt & iſte textus intelligi de confeſſione peccatorum. Si enim deus ſua mera miſericordia nos vocauit ad fidē, nullis noſtris meritis præcedentibus: quanto magis miſericorditer iam vocati veniā dabit. vt ſit ſenſus: Miſericordiæ domini nobis factæ & mirabilia nobis oſtenſa: ſunt cauſa ſufficiens filiis hominum: vt cōfiteantur domino, ſcilicet, peccata ſua: ab ipſo ſperantes veniam. *Confeſſio debet eſſe verecunda.* Nota tamen quòd talis confeſſio & ſi voluntaria debeat eſſe: cum hoc tamen debet eſſe verecunda. Ideo enim ordinauit Deus, vt homo homini confiteretur: & ſecreta ſuæ conſcientiæ reuelaret, vt inde verecundaretur: & ſic per verecundiam pœniteret: aliàs puniretur. Quæ verecundia eſt magna pars ſatisfactionis.

1889 Quia ſatiauit animam inanem: & animam eſurientem ſatiauit bonis.

Hic recolit beneficium pro quo illos ad gratiarum actionem inducit. Quoniam vt dictū eſt, deſiderium ipſorum cōpleuit ipſis dādo panes de cœlo & carnes in abundātia & aquam de petra. Propter quod dicitur Pſal. 77. *Pſal.77.* Manducauerūt & ſaturati ſunt nimis: & deſiderium eorum attulit eis dominus: & non ſunt fraudati a deſiderio ſuo. Et hoc notans Pſal. dicit. *Quia ſatiauit animam inanem. &c.* *Inanis.* Inanis enim idem eſt quod quaſi annihilatus, depreſſus, diminutus, vel vacuus. Et attēde quòd hic accipitur anima pro toto homine. Et ſic anima vel homo dicitur inanis, ſcilicet, fameſcens præ fame quaſi annihilatus, conſumptus vel vacuus. Illis ergo datis abundanter victualibus in ęremo & quibuſdam cibis adiungit dicens. *Quia animam eſurientem ſatiauit bonis*, ſcilicet, cibis: quia pane cœleſti omne delectamentum in ſe habēti & omnis ſaporis ſuauitatem. vt ſcribitur Sapien. 16. Per hoc vult pſal. oſtendere: quòd Deus illos quos ad fidem miſericorditer elegit ſpiritualibus hic replet per ſpē: ſed in futuro realiter. iuxta quod dicitur. Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Pſal.16.* Vbi notandum quòd multiplex eſt bonum, ſcilicet temporale, morale & æternale. Et iſtud vltimū in patria nos ſatiat: quod quamuis ſolum ſit vnicum: tamen propter multiplicem eius effectum, multiplex vocatur. vt puta quia ſatiantur omnes partes animæ. vide ver. 1014. vnde Pſalm. 64. dicit. *Pſal.64.* Replebimur in bonis domus tuæ. Itē nota quòd triplex eſt ſatietas, ſcilicet, criminalis, temporalis & æternalis. vide verſic. 1849. De ſatietate autem æternali, qua eſurientes & ſitientes ſatiat dominus: dicitur Matth. 5. *Matth.5.* Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Quod ad propoſitum exponens Bernard. *Bernard. Satietas beatorum.* ait. Qui eſurit eſuriat amplius: & qui deſiderat, abundantius deſideret adhuc. Quoniam quandocunq; deſiderare poterit: tantū eſt accepturus: imo vero non ſecundum imperfectionem moderni deſiderij: quoniam donec perfectè habeat, perfectè deſiderare non poteſt: ſed nec perfectè habere, donec perfectè deſideret. Inferiori palato cordis & animæ languenti adhuc dura & inſipida: res videtur eſſe iuſtitia: qua tamē anima ſatiatur in patria. Sed qui guſtauerunt, ipſi ſciūt: quoniam beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabūtur. O vere fœlix & glorioſa ſatietas. ô ſanctum cōuiuium. ô deſiderabiles epulæ. vbi anxietas nulla. nullum poterit eſſe faſtidium. Iam vero hoc verbum aduerſus Adam procedere credo: qui portionem videtur tenuiſſe iuſtitiæ: in eo quòd mulieri compaſſus eſt. Sed ſi vere eſuriſſet iuſtitiam: curaſſet reddere quod debebat. nō modo vxori, ſed multo magis creatori. Debebat enim vxori cōpaſſionē & diſciplinam tanquam inferiori. deo autem obedientiam & ſubiectionem. Sed quàm multi vſque hodie factum illud grauiter diiudicant: & tamē inſipienter illud imitantur. Indignantur aduerſus Adam quòd obedierit voci vxoris ſuæ: pluſquam dei. & ipſi Euam id eſt, carnem ſuam audiunt pluſquam Deum. Si modo præſentem videremus Adā in hoc articulo poſitum: coarctari inter præceptū vxoris & præceptum creatoris: nōne clamaremus aduerſus eum dicētes: Caue tibi miſer, ſeducta eſt mulier: ne acquieſcas ei. Vt quid ergo quotiēs apprehendit nos tentatio ſimilis: non perſuademus ſimiliter nobiſipſis: vt vere ſitientes iuſtitiam, vero fructu iuſtitiæ ſaturemur? Scriptum eſt enim. Quia ſatiauit animam inanem: & animam eſurientem ſatiauit bonis, ſcilicet, æternis.

Sedētes in tenebris & vmbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro. 1890

Hic ponitur ſecundum periculum in quo fuerunt filij Iſrael. Iſtud enim refertur ad tempus quo in ægypto miſerabili ſeruitute preſſi fuerunt. a qua per dominum miraculoſe liberati fuerunt. Et diuiditur in quatuor partes: quia ponitur periculi expoſitio. ſecundò contra periculum deprecatio: ibi, *Et clamauerunt.* tertiò à periculo liberatio: ibi, *Et eduxit.* quartò gratiarum actio: ibi, *Confiteantur.* Circa primum tria oſtenduntur. primò ipſorum dura ſubiugatio. ſecundo ſubiugationis occaſio: ibi, *Quia exacerbauerunt.* tertiò ipſorum à deo derelictio: ibi, *Humiliatum.* Quantū ad primum ſciendum quòd per tenebras vel vmbram mortis in ſcriptura ægyptus intelligitur, quoniam ægyptus tenebræ & anguſtia ſiue tribulatio interpretatur. Dum autem in ægypto ſederunt filij Iſrael: vincti fuerunt mendicitate & ferro. mēdicitate: quia duris laboribus luti & lateris victum ſuum mendicare cogebantur. ferro, id eſt, morte crudeli: quia ſtatim nati præcepto Pharaonis necabantur. vt habetur Exo. 1. Eſt ergo ſenſus verſiculi: quòd quādo erāt ſedentes in tenebris & vmbra mortis, ſcilicet, quādo erant habitātes in ægypto: Pharao tenebat eos vinctos mendicitate & ferro: vt expoſitum eſt. Per hoc vult oſtendere pſal. ꝙ quandiu habitamus in vita præſenti, lege peccati vel carnis vincimur ne malū quod odimus plene fugiamus: nec bonum

quod volumus, perfecte compleamus. Vbi primo notandũ quòd per tenebras vita præſens deſignatur: quia in ipſa ſedentes vndiq; tenebris circundamur: quia finem noſtrum & operum noſtrorum ignoramus. vt deducit Grego. ſuper illo verbo Iob 3. Viro cuius abſcondita eſt via: & circũdedit eum deus tenebris. dicens. In præſenti enim vita via ſua viro abſcondita eſt: quia & ſi iam in qua ſit vitæ qualitate conſiderat: adhuc tamen ad quem finem tendit ignorat. Et ſi iam ſuperna appetit & plenis deſideriis quęrit: adhuc ſi in eiſdem deſideriis permanebit, neſcit. Peccata quippe deſerẽtes ad iuſtitiam tendimus: & vnde venimus nouimus: ſed quo perueniamus ignoramus, &c. Sequitur infra. Bene autem ſubditur, *Et circundedit eum Deus tenebris*. Tenebris namq; homo circundatur: quia quãuis cœleſti deſiderio ferueat, quid de ſemetipſo diſpoſitũ ſit, intrinſecus ignorat: & valde meruit ne quid in iudicio ſibi obuiet, quod ſe de ſe nũc & in deſiderio boni fructus latet. Tenebris homo circũdatur: quia ignorantiæ ſuæ caligine premitur. An tenebris circundatus non eſt qui plerunq; præteritorũ non meminit: futura nõ inuenit: præſentia vix cognoſcit? Tenebris ſe circundatum quidam ſapiens viderat cũ dicebat: Quæ in proſpectu noſtro ſunt: inuenimus cum labore. & quæ in cœlis ſunt: quis inueſtigabit? His tenebris propheta ſe circundatũ vidit: cum diſpoſitionis intimæ penetrare interna non potuit, dicens, Poſuit tenebras latibulum ſuũ. Auctor enim noſter qui a nobis in hoc exilio deiectis lucem ſuæ viſionis abſtulit: ſeſe noſtris oculis quaſi in tenebrarum latibulo abſcondit, &c. Ex quibus apparet quòd per tenebras intelligitur ſtatus obſcurus vitæ pręſentis: vt noſtrum quilibet in vita præſenti poſitus merito dicat, Tenebrę circũdant me. Conſimiliter per vmbram mortis intellige vitam præſentem: quę nihil aliud eſt quàm prolixitas mortis. vnde in hac vita exiſtẽtes illuminari quærebat Zacharias, dicens. Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedẽt. Similiter & dei electos in hac vita poſitos: ſedere in tenebris & vmbra mortis dicit pſal. *Sedentes in tenebris & vmbra mortis*. Quãdiu ergo ſumus in præſenti vita aſtringimur mendicitate & ferro, id eſt, difficultate ad bonum agendum & ad malum fugiẽdum. vnde & Apoſtolus Paulus ſe ſic vinctum ſentiebat cum dicebat. Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc ago: ſed quod odit malum hoc facio. Quod ideo quilibet etiam electus dicere poteſt: quia concupiſcentia carnis ligatur. vnde ibidem ait gl. Attende quòd ait: Velle adiacet mihi: perficere autẽ bonum non inuenio. Non dicit facere: ſed perficere. quia & ſi aliquid boni facit: non tamen perficit. rebellat enim concupiſcentia & non cõſentit. vt puta, delectat vxor aliena & non amat. mentem euertit: in ſecretarium mentis intrat. videt foris ſtrepẽtem concupiſcentiam. agit ergo bonum, quia concupiſcentiæ non conſentit: ſed nõ perficit bonum, vt, ſcilicet, non concupiſcat. Sic & hoſtis eius, ſcilicet, concupiſcentia agit malum quia mouet malũ deſiderium: ſed non perficit malum, quia non parturit malum repugnante voluntate. Et in iſto bello eſt tota vita ſanctorum. Sic & Petrus erat vinctus catenis duabus ferreis. quarum prima eſt difficultas perficiendi bonum. ſecunda verò eſt difficultas fugiẽdi malum. Sic ergo omnes electos ponit pſalm. hic ſedentes in tenebris & vmbra mortis: vinctos eſſe mendicitate & ferro.

*Tenebræ dicuntur vita præſens. Grego 5. moral. c. 3.* — *Ignoramus finem noſtrũ.* — *Pſal. 17.* — *Eccl. 23.* — *Vmbra mortis dicitur vita præſens.* — *Luc 1.* — *Concupiſcẽtia rebellat voluntati.* — *Rom. 7.* — *Act. 12.*

## Quia exacerbauerunt eloquia dei: & conſilium altiſsimi irritauerunt. 1891

Hic ponitur tantæ ſubiugationis & captiuationis occaſio. Quantum ad literam deus permiſit filios Iſrael in Ægypto taliter opprimi: quia ibidem primo exacerbauerũt eloquia. Nam vt dictum eſt verſicul. 1816. exacerbare eloquia dei eſt præcepta eius non obſeruare. Præceptum autem principale dei erat non colere deum alienum: quòd & ſi nondum lex erat data per Moyſen: erat tamẽ hoc præceptum patribus eorum a deo: & ipſi pro ſe ſuiſq; ſucceſſoribus obſeruare promiſerũt. propter quod & Deus vocabat ſe Deũ Abraham Iſaac & Iacob. Ipſi autem in Ægypto exiſtentes: hoc præceptum non ſeruarunt: ſed adorauerũt idola ægyptiorum. Vnde ſuper illo verbo Exod. 32. fecit eis vitulum conflatilem: ait gl. Ideo fecit eis vitulum, quia bouem adorauerunt in ægypto: forſitan enim aliud idolum non ſuſcepiſſent. Hoc ergo ipſorum peccatũ innuẽs pſal. ait. *Quia exacerbauerunt, &c.* Quaſi ſi quęratur quare permiſit Deus filios Iſrael tanta ſeruitute opprimi in ægypto? Reſpõdet: quòd ideo hoc permiſit quia exacerbauerũt eloquia dei, &c. Per hoc autem vult oſtendere pſalm. cauſam quare electi Dei concupiſcentia repugnante ſic in præſenti vita ligantur, dicens quòd cauſa eſt: quia exacerbauerunt eloquia Dei. Nõ loquitur de ipſis nũc electis: ſed de primis parentibus qui trãſgreſſi fuerunt primum præceptum eis a deo datum, contingendo prohibitum eis lignum. Hoc enim primum peccatum fuit cauſa totius carnalis concupiſcẽtiæ & carnalis rebellionis. Dignum namq; fuit vt anima quæ deo per obedientiam ſubiici noluit: ipſa quoq; ſuum inferiorem, ſcilicet, carnem ſibi repugnantem haberet. vnde & in carnali conceptione propter primorum parentum peccatum carnalis oritur peccati fomes & concupiſcẽtia mali. Quod oſtendens Greg. ſuper illo verbo Iob 14. Quis poteſt facere mundum de immundo cõceptum ſemine? ait. Is qui per ſe ſolus eſt mundus, mundare valet immũda. Homo enim in corruptibili carne viuens habet tentationum immundicias impreſſas in ſemetipſo: quia nimirum eas traxit ab origine. Ipſa quippe propter delectationem carnis eius cõceptio immunda eſt. Hinc eſt ergo quòd electus quis tentatur etiam nolens. Hinc eſt quòd immũda quædam in mente patitur: quamuis ex iudicio relucetur. quia exceptus de immundicia dum ad mundiciam tendit: hoc conatur vincere quod eſt. Quiſquis autem occultæ tentationis motus aut immundiciam cogitationis euicerit: nequaquam ſibi ſuam mundiciam tribuat: quia de immundo conceptum ſemine nullus facere poteſt mundum: niſi is qui mundus per ſemetipſum ſolus eſt. Qui ergo iam ad locum mundiciæ mente peruenit: cõceptionis ſuæ viam reſpiciat per quam venit. atque inde colligat quia ex ſua virtute non habet mundiciam viuendi: cui de immunda conceptione factum eſt initium ſubſiſtendi. Hanc ergo cauſam pſalmus exprimens ait. *Quia exacerbauerunt eloquia domini*, ſcilicet, primi parentes. *Et conſilium altiſsimi irritauerunt*. quo, ſcilicet, conſulit eis ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederent: quia vt dicitur Pſal. 77. Non cuſtodierunt teſtamentum dei: & in lege eius noluerunt ambulare.

*Exod. 4.* — *Exod. 32.* — *Concupiſcẽtia carnis ex originali peccato oritur & fomes peccati.* — *Greg. 11. moral. c. 28.* — *Mũdiciã nullus habet.* — *Pſal. 77.*

Et



## 1892 Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, & infirmati ſunt: nec fuit qui adiuuaret.

Hic oſtenditur ipſorum à deo ad tempus derelictio. Peccatis eorum exigentibus deus permiſit eos ad tempus in Ægypto ſic affligi ipſos non adiuuando, vt ex afflictione cognoſcerent ſeipſos: & redirẽnt ad deum. Et hoc notat Pſal. dicens, *Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum*. humiliatũ, ſcilicet, humilitate afflictionis & pœnæ. quia vt dicitur Exo. 1. Oderant filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis: & ad amaritudinem ducebant vitam illorum operibus duris: omniq́ue famulatu in terra præmebantur. & ſic humiliati ſunt, id eſt, baſſi & ſubiecti effecti. Et vnde hoc? quia non fuit qui adiuuaret, ſcilicet, deus non iuuabat eos, ab illis afflictionibus eos liberando. & ſic infirmati ſunt, id eſt, debilitati reſiſtere non valẽtes. Et ex hoc vult pſal. oſtendere quòd in præſenti vita quandoque deus derelinquit ſanctos ſuos affligi à diuerſis perſonis & occidi corporaliter, vt inde magis coronentur. Et quamuis dicatur quòd dominus nõ derelinquit ſanctos ſuos. hoc intelligitur de prędeſtinatis, quos finaliter non deſerit. Et nota quòd ad adiutorium diuinum multi multimode ſe habẽt. quoniam aliqui illud ſpernunt. aliqui illud colunt. aliqui illud impugnant &c. vide ver. 1131. Iſtud autem adiutorium impugnauerunt filij Iſrael in Ægypto: quando deum deſerentes idola coluerunt. Ideo nõ meruerunt adiuuari à deo. propter quod dicitur: *Et nõ fuit quia adiuuaret*, quouſque redirent ad deum.

*Exo. 1.* — *Adiutorio aliqui ad … priuantur.*

## 1893 Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de neceſsitatibus eorum liberauit eos.

Hic ponitur cõtra defectum deprecatio. Quantum enim ad literam: poſtquam filij Iſrael in Aegypto ſic afflicti fuerunt & humiliati: reuerſi ſunt ad deum vt eos liberaret: & ad dominum clamauerunt. Sic enim ad literam ſcribitur Exo. 3. Ingemiſcentes filij Iſrael propter opera, vociferati ſunt: aſcenditq́ue clamor eorum ad deum ab operibus: audiuitque gemitum eorum: & recordatus eſt fœderis quod pepigerat cum Abrahã, Iſaac & Iacob. Et infra ait ad Moyſen. Vidi afflictionẽ populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui: deſcendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum &c. Et hoc eſt quod hic Pſalm. ponit, dicens, *Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de manibus eorum liberauit eos*. Per hoc autem vult oſtendere quòd licet electos ſuos deus ad tempus aduerſitatibus affligi permittat vt ſeipſos cognoſcant: ipſos tamen finaliter liberat. Expone vt ſuprà. verſi. 1886. Nota ergo quòd clamor oppreſſorum ab aliis iniuſte exauditur à domino.

*Exo. 3.* — *Clamauerunt filij Iſrael ad dominum in Aegypto.* — *Clamor oppreſſorũ auditur à domino.*

## 1894 Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis: & vincula eorum dirupit.

Hic ponitur à prædicta ſeruitute liberatio. Vt enim dictum eſt verſi. 1890. per tenebras & vmbrã mortis ſignificatur Aegyptus. Tunc ergo quando filij Iſrael reuerſi fuerunt ad dominum afflicti & clamauerunt: ipſe mirabiliter liberauit eos: & eduxit eos per manum Moyſæ & Aaron de Aegypto. vt habetur Exode 14. Per hoc vult oſtendere Pſal. quòd deus electos, ſi in præſenti vita quæ dicitur tenebræ & vmbra mortis ipſos affligi permittit, de tali tamen afflictione ipſe ipſos glorioſe educit ad gloriam: & vincula ipſorum diſrumpit: quando ipſos de præſenti vita educit ad gloriam. Nam vt dictum eſt verſicu. 1890. per tenebras & vmbram mortis intelligitur vita præſens. Quamuis enim concupiſcentia carnis & difficultate ad bonum agendum & ad malum fugiendum in præſenti vita ligentur electi: tamen omnia iſta vincula diſrumpuntur, cum de hac vita electi deducuntur ad gloriam. Et hoc eſt quod ait. *Et eduxit eos de tenebris &c.* Sic enim educi de vinculis præſentis vitæ orabat pſal. 141. Educ de cuſtodia animam meam: vt confiteatur nomini tuo. Ad ipſum enim deuote recurrendum eſt: quia ipſe eſt qui educit vinctos in fortitudine. Et nota quòd tria ſunt myſtica vincula, ſcilicet, vinculum culpæ & inquinationis. pœnæ & afflictionis: gratiæ & charitatis. Prima tria vincula in ſuis electis diſrũpit dominus: vt eos ad charitatis perfectæ vincula perducat.

*Exo. 14.* — *Pſal. 141.* — *Pſal. 67.* — *Vincula multiplicia.*

## Confiteãtur domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. 1895

Hic ponitur gratiarũ actio primò. & conſequenter ponitur beneficij recordatio: ibi, *Quia contriuit*. Quantum ad primum certum eſt quòd iuxta literam deus miſericorditer liberauit filios Iſrael de Aegypto: faciens pro eis multa mirabilia. vide pſal. 77. 104. 105. Quæ omnia mouere debuerant filios Iſrael ad confitendum deo. Sic enim ait dominus Exo. 3. Percutiam Aegyptum in mirabilibus meis. Per hoc vult Pſal. inducere dei electos de vinculis huius mundi abſolutos & mirabiliter ad gratiarũ actiones, multoties enim mira oſtendit: & magna miracula in morte ſanctorum oſtendit. ex quibus ſancti liberati: tenentur gratias deo reddere. Et hoc eſt quod dicit. *Cõfiteantur domino omnia. &c.* expone vt ver. 1886. Poteſt etiam hoc intelligi de cõfeſſione criminis: vt miſericordia noſtris patribus exhibita, & mirabilia pro ipſorum liberatione oſtenſa, nos ad confeſſionem criminis induceret. Et quantum ad hoc pręter alias de confeſſione dicta criminis: hic notandum quòd confeſſio criminis inter cætera debet eſſe volita, & liberè facta &c.

*Exo. 3.* — *Cõfeſſio debet eſſe volũtaria.*

## Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit. 1896

Hic recolitur datum liberationis beneficium. Vbi nota, quòd captiuitas populi Iſrael in Aegypto propter magnam oppreſſionem duram, vocabatur carcer ferreus. Sic enim ad literã dixit Moyſes populo. Nos autem tulit dominus, & eduxit de fornace ferrea Aegypti. Et per conſequens quando eos liberauit de captiuitate illa: vectes ferreos & portas æreas dicitur confregiſſe. Quamuis dicant aliqui quòd ciuitas Geſſen vbi habitabant filij Iſrael in Aegypto, claudebatur portis æreis, & vectes ferreos habebat. Quæ omnia in nocte qua primogenita Aegyptiorum per manum domini fuerunt occiſa: angelico miniſterio confracta fuerunt. quod beneficium rememorans Pſalmiſta ait, *Quia contriuit portas æreas*. Per hoc autem vult Pſalmiſta oſtendere quòd deus in electis ſuis quando ipſos eduxit de præſenti vita quæ eſt vmbra mortis & tenebræ: omne obſtaculum ſoluit carnalis concupiſcentiæ. Vel per portas

*Deut. 4.* — *Exo. 12.*

*Portæ æreæ ſunt cõſuetudines malæ. Vectes ferrei ſunt dæmones.*

æreas intellige ſecundum glo. carnalem cupiditatem. & per vectes ferreos, diabolicas ſuggeſtiones, Portæ enim æreæ ſunt hominum cupiditates vicioſę: quæ clauſos non ſinunt exire. vectes autem ſunt ſpiritus immundi qui portas obſeruãt. Æreas autem portas & vectes ferreos pro fortitudine ponit. Quæ omnia diſrumpũtur: cum anima cuiuſlibet electi à corpore migrat.

*Ricardus.*

Ricardus autem iſtum verſum aliter exponit, dicens, *Quia contriuit portas Aereas &c.* Portis procedentium tranſitum obſtruimus; vectibus autem ipſam clauſuram, munimus atque obfirmamus. Quid itaque per portam accipimus, niſi contradictionem. quid per vectes, niſi rebellionem? Per ferrum enim quod omnia metalla domat: audacia quæ neminem formidat accipitur. Per æs vero quod eſt cæteris durabilius; pertinacia deſignatur. Porta enim Ærea, contradictio pertinax: vectis ferreus, & rebellio audax.

*Porta ærea contradictio pertinax.*

*Vectis ferreus audax rebellio.*

Portas itaque æreas & vectes ferreos dominus confregit: quando pertinacem contradictionem & audacem rebellionem interna aſpiratione & cordis cõpunctione conterit & diſſoluit. Hic poteſt notare quòd in ſcriptura eſt multiplex vectis.

*Vectis multiplex.*

Primo eſt vectis ſapientiæ; quo portatur vinum conſolationis ſpiritualis. Num. 13. Abſciderunt palmitem cum vua ſua: quem portauerunt in vecte duo viri. Secundo vectis pudiciciæ ad portandum arcam ſanctitatis.

*Exod. 25.*

Exo. 25. Facies vectem de lignis ſethim: quæ ſunt ligna imputribilia. quia ſacerdotes & clerici qui arcam legis prædicando circunferre debent: debẽt eſſe per caſtitatem incorruptibiles, Tertio publicæ iuſtitiæ ad dãdum vrbi debili fortitudinem firmitatis. Prou. 18. Iudicia, quaſi vectes vrbium.

*Prou. 18.*

*Iob. 38.*

Quarto eſt vectis diuinæ potentiæ ad pręſtandum rei labili quietudinem ſtabilitatis. Iob. 38. Poſui vectem & oſtia & dixi. hucuſque venies & non procedes amplius. hoc dicitur mari labili. Quinto eſt vectis diabolicæ maliciæ ad obdurandum cor peccatoris: quem deus ſua gratia frangit. de quo hic. *Et vectes ferreos confregit.*

1897 Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

Hic ponitur tertium periculum: quod eſt infirmitatis corporalis Et diuiditur vt prius in quatuor partes. quia primo periculum exponitur, ſecundo remedium à deo quęritur: ibi, *Et clamauerũt.* tertio à deo remedium conceditur: ibi, *Miſit verbum.* quartò gratiarum actio exoluitur: ibi, *Confiteantur.*

*Deute. 4.*

Quantum ad primum ſciendum, quòd dum filij Iſrael vagarentur per deſertum, cœpit eos tædere laboris & itineris; & locuti ſunt contra dominum & Moyſen, dicentes, Cur eduxiſti nos de Ægypto vt moreremur in ſolitudine? deeſt panis: non eſt aqua anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Propter quam murmurationem dominus ſerpentes ignitos miſit in populum: qui mordebant populum & plures ad ipſorum plagas moriebãtur.

*Infirmitas corporis multoties ſanat animam.*

Quod ideo fecit dominus: vt per iſtam mirabilem punitionem eis præmiſſam ipſi recognoſcerẽt potentiam dei. & per infirmitatem corporis, ipſi à tali murmuratione ceſſarent. Multoties enim deus percutiens corpora ſanat animas. Et hoc eſt quod recolens Pſal. ait, *Suſcepit eos de via iniquitatis eorum,* ſcilicet, qua contra dominum murmurabant: per illam, ſcilicet, plagam quam immiſit: quia per illam ſeipſos recognouerunt, & reuerſi ſunt ad dominum. Et hoc eſt quod ſubditur. *Propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt,* id eſt, propter iniuſtitias ſuas remouendas, humiliati ſunt, id eſt, afflicti, & puniti per plagas ſerpentium. Sic enim multoties deus percutit corpora: vt ſanet animas. exemplum de Ezechia rege Iuda.

*4. Reg. 20.*

Sic igitur ſuſcepit eos de via iniquitatis eorum, ſcilicet, ſuſcepit eos ad puniendum infirmitate corporali: ſicut pater accipit filium ad caſtigandum. Per hoc vult Pſalm. oſtendere quòd deus ſuis electis multoties aduerſitates temporales immittit: vt ipſis peccata commiſſa purgentur. vide ver. 1842. Nam pœna corporalis, oculos aperit mentis. 1873. Et nota quòd Chriſtus diuerſos ſuſcipit ad diuerſa.

*Suſcipit nos Chriſtus multipliciter.*

Primo ſuſcipit innocentes per gratiam conſeruantem. Pſalm. 40. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti & confirmaſti &c. Secundò, ſuſcipit pænitentes per gratiam reparãtem. Iere. 3. Reuertere ad me; & ego ſuſcipiam te.

*Iere. 3.*

Tertio, ſuſcipit patientes per gloriam præmiantem. Actu. 7. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meũ. Quarto, ſuſcipit delinquentes per diſciplinam corrigentem. ſicut hic, *Suſcepit eos de via: &c.*

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. 1898

Hic exaggeret & peccatum eorum & pœnam. Peccatum; quia omnem eſcam abominata eſt anima eorum: quia, ſcilicet, mãna quæ dicebatur omnis eſca: quia in ſe omnem ſaporẽ habebat, & ſuauitatem omnium eſcarum: ipſi abominati ſunt. vnde & dixerunt de manna. Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.

*Num. 21.*

quod fuit magnæ ingratitudinis. Conſequenter exaggerat pœnam, dicẽs, *Et appropinquauerunt vſq̃ue ad portas mortis,* id eſt, tanta fuit pœna eis per illos ſerpẽtes immiſſa, quòd quaſi omnes mortui ſunt. Vel aliter. inualeſcente infirmitate, omnem eſcam abominata eſt anima eorum: ſicut infirmus omnem cibum abominatur. Et ſic appropinquauerũt vſque ad portas mortis, ſcilicet, ex deſperatione recuperandæ ſanitatis. ſicut legitur de Ezechia: qui auditis verbis Eſaiæ prophetæ ſibi dicentis ex parte domini, Diſpone domui tuæ &c. ait. Ego dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

*Eſa. 38.*

Sed prior expoſitio magis litteræ conformatur. Per hoc vult Pſal. oſtẽdere quòd defectus verbi dei, mortem inducit animæ. Nã verbum dei eſca & cibus eſt animæ. Matt. 4. Non in ſolo pane viuit homo; ſed &c.

*Verbi dei carẽtia occidit animam ſiue mors eſt animæ.*

Quandocunque ergo anima iſtam eſcam abominatur & ipſam nõ percipit: moritur ſpiritualiter. Vnde glo. Omnem eſcam abominata &c. id eſt, verbum dei quo anima viuit. De hoc vide verſi. 1805. Illi ergo iſtam eſcam abominantur; qui verbum dei reiiciũt: nec reuerentur ipſum audire ſatagunt.

*Abominati ſunt Iudæi Chriſtum. Iob. 19.*

Sic enim Iudei iſtam eſcam abominabantur; quando Chriſtum prædicantem contempſerunt. De quo Chriſtus cõqueritur, dicens, Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei: & quem maxime diligebam, aduerſatus eſt mihi. Conſiliarij enim dei dicti ſunt prophetæ & maiores Iudæorum: quia conſilia & ſi non deo in ſe: tamen ipſi in membris ſuis miniſtrabant. Vnde prædicta verba ad propoſitum exponens Gregor. ait. Cunctis liquet quia dominus conſiliariis non indiget &c.

*Gregori. 14. moral. 23.*

Et



1899 Et clamauerunt ad dominum cum tribularẽntur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

*Num. 21.*

Hic contra dictum periculum opponitur humilis oratio. Sic enim ad literã habetur Nu. 21. quòd filij Iſrael percuſſi ab illis ſerpentibus: orauerunt pro ſua liberatione. vnde ibi dicitur, quòd vidẽtes ſerpentium plagas, morteſque plurimorum: venerunt ad Moyſen dicentes, Peccauimus: quia locuti ſumus contra deum & contra te. Ora vt deus tollat à nobis ſerpentes. quòd quidem ipſorum oratio: clamor quidam fuit in auribus dei. Per hoc vult pſal. oſtendere quòd aduerſitas corporalis, ad orationem conſurgere facit. vide verſic. 1783. Et nota quòd orantes dicuntur clamare.

*Gre. 22. mor. c. 18. Clamat oratio cordis ad deum.*

Cuius cauſam oſtendit Grego. dicens, Vera quippe oratio vel poſtulatio non eſt in oris vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Æternam quippe vitam ſi ore petimus, non tamen corde deſideramus, clamãdo tacemus. Si vero deſideramus ex corde: & tamen ore conticeſcimus: tacentes clamamus. Hinc eſt quòd in eremo populus vocibus perſtrepit: & Moyſes à ſtrepitu verborum tacet. & tamen ſilens, aure diuinę pietatis auditur: cui dicitur, Quid clamas ad me?

*Exo. 14.*

Intus ergo in deſiderio eſt clamor ſecretus, qui ad humanas aures non peruenit: & tamen auditum conditoris replet &c. Ex quo apperet quòd omnis deuota oratio apud deum clamat: etiam ſi vox corporis ſileat. vide de clamore orationis ver. 24. 412. 898. 1886. 1893.

1900 Miſit verbũ ſuum & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

*Num. 21.*

Hic contra dictam tribulationem apponitur à deo remedium. Vbi notandum quòd (vt habetur Nu. 21.) cum populus Iſrael pænitens propter plagam ſerpentum de murmuratione quam fecerant contra deũ & Moyſen, dixiſſet Moyſi: peccauimus: quoniã locuti ſumus contra deum & cõtra te: ora pro nobis ad dominum vt tollat à nobis ſerpentes. orauit Moyſes pro populo: & dominus locutus eſt verbum Moyſi per quòd ſanati fuerunt, & ceſſauit plaga. Et quod fuit verbũ ꝙ miſit dominus Moyſi, id eſt, dixit Moyſi? hoc, ſcilicet, fac ſerpẽtem æneũ: & pone eũ pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit ſerpẽtẽ, viuet.

*Serpẽs æneus ſanauit à morte.*

Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneũ, & poſuit eũ pro ſigno: quẽ percuſſi aſpicientes ſanabantur. Et hoc eſt ad literam, verbũ quod miſit dominus ad ſanandũ eos quãdo, ſcilicet, dixit Moyſi, fac ſerpentem æneũ. Accipitur enim multoties verbũ pro ſignificato verbi, nõ pro ipſo verbo. ſicut cũ dicit Chriſtus.

*Matth. 7.*

Qui audit verba mea hæc & facit ea &c. ſcilicet, illa quę per verba ſignificãtur. Sic enim facimus verbũ Chriſti quãdo ſignificata per verbũ eius obſeruamus. Verbũ ergo quod deus miſit, fuit ſerpẽs æneus, quẽ fieri præcepit. Et hoc notãs pſal. ait. *Miſit verbũ ſuum & ſanauit eos,* id eſt, effectum verbi. *Et ſanauit eos de interitionibus eorum.* Interitus enim idem eſt quòd mors. Interitiones ergo idem ſunt quòd mortes. Saluauit ergo eos de interitionibus eorum, id eſt, à mortibus. quia abſtulit ſerpentes quibus illi percuſſi moriebantur, ac etiam percuſſos ad mortem intuitu ſerpentis ſanauit.

*Serpẽs æneus ſignificat Chriſtũ crucifixum.*

Quid autem ex hoc Pſal. velit innuere Chriſtus ſatis expreſſit Ioã. 3. cum Nicodemo dixit. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit in eũ &c. Vnde verba prædicta exponens Aug. ait.

*Augu. in li. de baptiſmo paruulorum.*

Serpentũ enim morſibus multi in deſerto moriebantur: ac ſic Moyſes ex præcepto domini ſerpentem æneũ exaltauit: quem videntes ſanabantur continuo. Quid eſt autẽ exaltatus ſerpens: niſi mors Chriſti eo modo ſignificãdi, quo per efficientẽ effectus deſignatur? A ſerpente quippe mors venit qui peccatum quo mori mereretur, homini perſuaſit. Dominus autẽ in carnem ſuam, non peccatũ tranſtulit tanquã venenum ſerpẽtis, ſed mortẽ: vt eſſet in ſimilitudine carnis peccati pœna ſine culpa. vt in carne peccati pœna ſolueretur & culpa. Sicut ergo tunc qui conſpiciebãt exaltatum ſerpentem, à veneno ſanabantur, & liberabantur à morte: ſic nunc qui conformatur ſimilitudini mortis Chriſti per fidem baptizatus: & à peccato per iuſtificationem: & à morte per reſurrectionem liberatur. Sic ergo per ſerpentẽ qui fuit cauſa mortis: intellige mortem. Chriſtus ergo ſerpens dicitur: quia verbum caro factũ, in cruce pro nobis mortem ſuſcepit. Et hoc notans Pſal. dicit, *Miſit verbum ſuum in carne,* vt in ipſa mortem ſuſciperet. *Et ſic ſanauit eos à peccatis: & eripuit eos de interitionibus eorum.* Vnde prædictam ſerpentis figurã ad Chriſti mortem applicans Theo. ait.

*Theophil.*

Videas igitur figuram veritate impletã. Ibi enim ſerpentis ſimilitudo, ſpeciem quidem beſtiæ habet: ſed venenum nõ habet. Sic & hic, Chriſtus à peccato liber: in ſimilitudinem carnis peccati venit. Exaltari autem ſerpentẽ audiens, ſuſpenſionem intellige in altum: vt ſanctificaret aërem qui ſanctificauerat terrã, ambulando in ea. iſtam miſſionem verbi pro ſanatione à morſibus ſerpentum factam, expreſſè præuidit ſapiens de prædicta ſerpentum plaga, dicens.

*Sap. 16.*

Etenim cum ſuperueniret illis ſæua beſtiarũ ira: morſibus peruerſorum colubrorum exterminabantur: ſed non in perpetuum permãſit ira tua. ſed ad correptionem in breui turbati ſunt: ſignum habentes ſalutis, ſcilicet, ſerpentem exaltatum. Qui enim nõ per hoc quod videbant, ſanabantur; quia, ſcilicet, ſerpẽs ille ſolum erat figura Chriſti paſſionis. Ideo dicit: non enim per hoc quod videbant ſanabãtut: ſed per te omnium ſaluatorem, ſcilicet, in illo ſerpẽte figuratum. Neque enim herba nec malagma ſanauit eos, ſed tu⁹ domine ſermo qui ſanauit omnia. Malagma, atis. enim eſt quoddã medicamentum ex herbis confectum. Ex quibus verbis apparet quòd per illum ſerpentem exaltatum in deſerto non ſanabantur aſpiciẽtes in eum: ſed per ſignificatum eius quod erat dei verbum. De quo nunc ait, *Miſit verbum ſuum & ſanauit eos &c.*

Confiteantur domino miſericordię eius: & mirabilia eius filiis hominum. 1901

Hic cõſequẽter ponitur ex dicto beneficio gratiarum actio. Et exponitur vt ſuprà ver. 1888. 1895. Si autẽ intelligatur, quòd per hoc nos inducat ad confeſſionẽ criminis, circa confeſſionẽ criminis vltra cõditiones eius alias dictas. nota quòd cõfeſſio debet eſſe lucida, nulla omiſſa circunſtantia. Non enim ſufficit peccatum ſimpliciter confiteri: niſi circũſtantiæ omnes quæ peccatum mortaliter aggrauant confiteantur. &c.

*Cõfeſſio exprimere debet circunſtãtias.*

Et ſacrificẽt ſacrificiũ laudis: & annuncient opera eius in exultatione. 1902

Hic oſtendit qualiter deo gratias debemus reddere & cõfiteri. Nam vt ſæpius dictum eſt, duplex maximè eſt confeſſio, ſcilicet, laudis & criminis. & vtraque dicitur ſacrificium laudis. Nã laudare deũ, dicitur ſacrificiũ. pſal. 49. Immola deo ſacrificium laudis. Confeſſio etiam quæ cõtritionem includit, dicitur ſacrificium. pſal. 50. Sacrificiũ deo ſpiritus contribulatus. Et eſt ſacrificiũ laudis: quia confitẽs peccata ſua laudat deum, dum ſe ſibi humiliat cum ſpe veniç, credens ipſum peccatis veniã poſſe dare. Nota tamen generaliter quòd nullũ ſacrificiũ deus acceptat, quod ei corde bono nõ ſacrificatur. Vnde Gre. in ſuo paſtorali. li. 34. ait. Hoc ſolũ deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari cordis boni operis charitatis flamma incendit. De diuerſis ſacrificiis antiquç legis & qualiter ſpiritualiter illa ſacrificia ſacrificare debem⁹. vide. ver. 817. Poſſumus etiam notare quòd multa ſunt ſacrificia quæ deo ſacrificare debemus, ſcilicet, Sacrificium corporalis macerationis & pænitẽtiæ. Sacrificium temporalis diſtributionis & eleemoſynç. Sacrificiũ ſacramentalis conſecrationis & euchariſtiç. Primũ eſt ſacrificium pænitentiæ. pſal. 50. Sacrificium deo ſpiritus cõtribulatus &c. De hoc vide. ver. 849. 34. Secundum eſt ſacrificium eleemoſynæ. Nam eleemoſyna quæ ex corde datur, ſacrificium dicitur, quod probatur. Sacrificium ſummè deo acceptum eſt obſeruatio diuinorum mãdatorum. vnde Eccl. 35. Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis domini. Cũ ergo eleemoſyna cadat ſub præcepto. Eſa. 58. Frange eſurienti panẽ tuum: egenoſque. &c. ſequitur quòd eleemoſyna ſit ſacrificium. Sed nota quòd iſtud ſacrificiũ non acceptat deus niſi à iuſto. vide ver. 484. 592. Tertium eſt ſacrificium euchariſtiæ. de quo pſal. 4. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ &c. Et pſal. 249. Sacrificium laudis honorificabit me. Reſpice de iſto ſacrificio vbi de euchariſtia.

*Pſal. 49.* *Pſal. 50.* *Sacrificiũ ſolũ ex corde deus acceptat.* *Sacrificium multiplex.* *Pſal. 50.* *Eccl. 35.* *Eſa. 58.*

## 1903 Qui deſcẽdũt mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis.

Hic ponitur quartum periculum à quo deus liberat ſuos. Et diuiditur in quatuor partes. & primò periculum exponitur. ſecundo ſuffragium poſtulatur: ibi, *Et clamauerunt.* tertiò adiutorium impetratur: ibi, *Et ſtatuit*, quartò ex hoc deus laudatur: ibi, *Confiteantur.* Quantum ad primum oſtendit pericula maris ex multis. primò ex parte nauis. ſecundo ex parte maris. ibi, *Ipſi viderunt.* tertiò ex parte venti: ibi, *Dixit & ſtetit.* quartò ex parte fluctus: ibi, *Aſcendunt.* quintò ex parte effectus: ibi, *Turbati ſunt.* Quantum ad iſtud periculum maris Pſal. vertit ad hiſtoriam Ionæ prophetæ: qui in mari ſæuiente tempeſtate fuit proiectus & à cæte deuoratus: & tamen à deo finaliter liberatus. Et primò oſtendit maris periculum ex parte nauis. Quantum enim ſit periculum modico ligno nauis credere vitam ſuam in mare, apparet cogitanti pelagus & ligni fragilitatem. Vnde Galfre. ſuper illo verbo Prouer. 30. Quatuor ſunt mihi difficilia &c. via nauis in medio mari. ait, Nihil enim in rebus humanis terribilius, nihil periculoſius, quam inter flatus aëris & fluctus maris: inter auras mutabiles & vndas mobiles ligno fragili credere vitam ſuam: & vix duobus digitis à morte diſtare. vnde Sap, 14. dicitur, Alius nauigare cogitans, & per feros fluctus incipiens iter facere, exiguo ligno credit animam ſuam. Hoc periculum expertus fuit Ionas, de quo habetur Ioann. 1. Nam cum præcepiſſet dominus Ionæ vt iret in Niniuem ciuitatem magnam ad prædicandum: quòd ipſe timore motus facere recuſauit. Ionas cogitauit fugere in Tharſis: & deſcẽdit in Ioppen: & inuenit nauem quæ ibat Tharſis: & intrauit in illam vt fugeret præceptum domini. Dominus autem immiſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari: & nauis periclitabatur conteri: & timuerunt nautæ: & clamauerunt vnuſquiſque ad deum ſuum. Et Ionas deſcenderat in profundum nauis & dormiebat. Et acceſſit ad eum gubernator dicens. Quid tu ſopore deprimeris? Surge inuoca deum tuum: ſi forte cogitet de nobis & non pereamus. Et dixerũt adinuicem. Mittamus ſortem: & ſciamus quare hoc malum ſit nobis. Et miſerunt ſortem: & cæcidit ſors ſuper Ionam. Et dixerunt ei. Indica nobis quare hoc malum ſit nobis? Quod eſt opus tuum. quæ terra tua: quo vadis: vel ex quo populo es tu? Et reſpondit eis Ionas. Hebræus ego ſum: & dominum deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et indicauit eis quòd à facie domini fugeret. Et dixerunt ei. Quid faciemus tibi vt ceſſet mare à nobis? Et tunc Ionas recognoſcens peccatum ſuum. dixit eis, Tollite me & proiicite in mare: Scio enim quòd propter me venit hæc tempeſtas. Tunc nautæ ſoliciti euadere periculum: omnia vaſa quæ erant in naui proiecerunt in mare: & ſimiliter proiecerunt ipſum Ionam. Sic ergo omnes iſtas operationes quas iſti fecerunt in aquis maris poſiti vt euadere poſſent: quia quilibet clamauit deum ſuum ſortes miſerunt. omnia vaſa proiecerunt: & finaliter ipſum Ionam proiecerunt in mare. Notans Pſal. ex periculo nauis ait. *Qui deſcendunt mare in nauibus.* ſupple ipſi ſunt facientes operationem in aquis multis. Per hoc vult Pſalm. oſtendere, quam periculoſum ſit in mari huius mundi mente conuerſari: quia tales operationes multas oportet facere in aquis multis, ſcilicet, aduerſitatum. quia implicati mundo, ſemper ſolicitantur inter aduerſa mundi & operantur. Per mare enim mundus ſignificatur. Et de periculis eius vide ver. 653.

*Ion. 2.* *Nauis exiguo ligno credũt homines animas ſuas.* *Ionas in mare fuit proiectus.* *Sap. 14.* *Ionan. 1.*

## Ipſi viderunt opera domini: & mirabilia eius in profundo. 1904

Hic ponitur periculum ex parte maris. Vbi aduertendum quòd realiter in maris profundo mirabilia videntur, quando nautæ quandoque cautè ſiue ſtudioſè deſcendunt ſub naui, vel ad aptandum vel ad colligendum anchoras. Ibi enim ſunt mirabiles ſpecies animalium. Propter quod dictum eſt Pſalmo 103. Hoc mare magnum & ſpacioſum: illic reptilia quorum non eſt numerus. Dicunt ergo aliqui quod proiecto Iona in mare, ſtatim facta fuit maris tranquillitas: quod nautæ videntes admirati, aliquos miſerunt in mare vt viderent quid de ipſo Iona factum eſſet. Et tunc viderunt mirabilia opera domini in profundo maris. quia, ſcilicet, viderunt cætum grandem: qui Ionam ſine aliqua læſione deglutiuit. Et hoc notans Pſalmiſta. ait. *Ipſi*, ſcilicet, deſcendentes, *viderũt opera domini &c.* Per hoc enim vult pſal. oſtẽdere quomodo in profundo maris hui⁹ ſeculi deus mirabilia operatur. Nõne mirabile eſt quòd vnus homo benè viuat, & malè moriatur? Nõne mirabilius ꝙ vn⁹ ſit in profundũ maris huius merſus per vitia: & tamẽ ꝙ bene morietur. Quç tamẽ ſæpe videmus contin-

*Mirabilia iudicia dei.*



contingere. vt notat Greg. lib. 29. moral. cap. 9. vide verſ. 1760. Nonne mirabilia in huius profundo maris operatur Deus? vt duo ex eiſdem parentibus in eadem conſtellatione eodẽq; tempore concepti & nati: & tamen vnus eorum inclinatur ad virtutes: alius ad vitia? vt exemplum patet de Iacob & Eſau. Et de iſtis & conſimilibus mirabilibus ait Pſal. quòd ipſi, ſcilicet, qui deſcendunt per humilitatem conſiderando iudicia Dei viderunt opera domini & mirabilia eius in profundo. Iob 5. Qui facit mirabilia abſque numero. Et quotidie multa mirabilia Deus operatur. Vbi nota quòd mirabile aliquid dicitur propter multa. quandoque propter nouitatem. vt in naturalibus inſolita operatio. vt quòd de petra arida educatur aqua abundantiſſime: ſicut Moyſes fecit. Et de hoc Eccle. 36. Innoua ſigna & immuta mirabilia. Quandoque propter raritatem: vt quòd homo magnæ poteſtatis ſit humilis. quòd diues homo ſit bonæ conuerſationis. Propter quod dicitur Eccl. 31. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurũ non abiit. Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Quandoque propter naturalẽ cõtrarietatem: vt quia naturale eſt quòd ignis ardeat appoſito combuſtibili. Quod tamen non fecit in fornace tribus pueris. quòd ignis ardeat in aqua: quod tamen fecit Deus. Vnde Sap. 16. Quod enim mirabile erat in aqua quæ omnia extinguit, plus valebat ignis. Quæ tamen mirabilia in huius profundo ſeculi Deus operatur ſpiritualiter in nobis. quoniam mirabiliter aquam educit de petra: quãdo cor peccatoris lapideum conuertit ad lachrymas per pœnitentiam. Diuites facit humiles: quia tyrannos & principes mundi conuertit ad fidem. Naturalem vſum immutat quando ſancti propter fidem ſeipſos ad ſupplicia tradunt. Et iſta mirabilia videmus Deum facere ſæpe.

*Gen. 29. 30. 49.* [illegible] *Gene. 25.* *Iob 5.* *Mirabile dicitur multipliciter.* *Num. 20.* *Eccle. 31.* *Dan. 3.*

## 1905 Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.

Hic ponitur periculum ex parte venti qui faciliter agitatur in mari. Hoc namque periculum realiter fuit in naui Ionæ. Nam vt dictũ eſt ver. 1903. dum Ionas intraſſet nauem: dominus immiſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari. Quod notans Pſal. ait. *Dixit*, ſcilicet, Deus, cuius dicere eſt facere. quia dixit & facta ſunt. Dixit ergo ad cuius prçceptum ſtetit ſpiritus procellæ. Spiritus namque idem eſt quòd ventus. Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat, &c. Stetit ergo ſpiritus procellæ, id eſt, ſurrexit ventus procelloſus. Vbi nota procello, is. idem eſt quòd percutere. & componitur cum pro. & fit procello. vnde hçc procella, ç, id eſt, ſubita vis ventorum cum pluuia: quia procellat, id eſt, percutit. Quandoque dicitur procella eleuatio fluctuum maris ex vi ventorum. Eſt ergo ſenſus. *Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ*, id eſt, ad prçceptum domini ſurrexit ventus vehemens procellæ, id eſt, tanquam procella percutiens aquas maris. propter quam procellam conturbatum eſt mare: & per conſequens exaltati ſunt fluctus eius. Per hoc autem vult Pſal. oſtendere quòd dominus quandoque mare huius mundi contra ſuos agitat aduerſitatibus: vt & ſua virtus aduerſa placando, amplius cognoſcatur. Sic enim fecit cæcum naſci à natiuitate, vt opera ſua manifeſtaret in illo. Sic enim (vt habetur Mar. 4.) cum eſſet in naui cũ diſcipulis ſuis, facta eſt procella magna. venti fluctus mittebãt in naui vt impleretur nauis. Et ſimile habetur Matt. 8. Et ecce motus magnus factus eſt in mari: ita vt nauicula operiretur fluctibus. Vbi ait Orige. Hæc tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis: quæ educit ventos de theſauris ſuis. Facta eſt autem tempeſtas magna, vt magnum opus oſtenderetur: quia quanto amplius fluctus nauiculç irruebant, tanto magis diſcipulos timor conturbabat, vt plus deſiderarent ſe liberari per miracula ſaluatoris. Et ideo ſecũdum Chriſoſt. poſtquam multa & magna operatus fuerat in terra, tranſiuit ad mare vt ibi excellentiora opera demonſtraret: quatenus terræ mariſq; dominum ſe omnibus demonſtraret. Hoc autem etiam ſe permittit, vt patientes deuotius ad orationem conſurgant. quia aduerſitatibus preſſi: deuotius ad orandum conſurgunt. Quæ omnia in naui Ionæ apparuerunt. Ibi enim cognita fuit Dei potentia: quia proiecto Iona in mare: ſtatim facta fuit tranquillitas magna. Propter quod (vt dicitur Ione 1.) ſtetit mare à feruore ſuo: & timuerunt viri timore magno dominum: & immolauerunt hoſtias domino. &c. Ibi etiam ad orationem ſurrexerunt: vnde vt dictum eſt, quilibet inuocabant Deum ſuum. Non ergo credas quòd ſuis Deus aduerſa agitare permittit: niſi quia illis ipſos ad deuotionem excitat & fidem. Et notat quòd in hoc quòd ait. *Et exaltati ſunt fluctus eius*, quòd fluctus habent tres conditiones quibus tria ſignificant. Primò ſunt inſtabiles: quia ad ventis agitantur faciliter, & ſic ſignificant mobilitatẽ conſcientiç peccatoris quæ nulla ſtabilitate fulcitur. Iaco. 1. Qui enim hæſitat: ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur, &c. Secundò ſunt eleuabiles: quia in altum eleuantur ac depriguntur. Pſal. 92. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos. Tertiò ſunt formidabiles. vnde etiam & apoſtoli dum cum Chriſto eſſent in naui: videntes fluctus maris, timuerunt valde. Et ſic ſignificãt diuinam iuſtitiam: quæ cuilibet redditur formidabilis. Iob 31. Quaſi tumentes ſuper me fluctus: ſic timui dominum. Primi fluctus quietantur per animi conſtantiam. Eccl. 24. In fluctibus maris ambulaui. Secundi diſſipantur per Dei potẽtiam Iob 38. Ibi confringes tumentes fluctus ſuos. Tertij mitigantur per ſatisfactionem & pœnitẽtiam. Pſal. 88. Motum autem fluctuum eius tu mitigas.

*Ione. 1* *Pſal. 32.* *Aduerſa & … cula con… nes exci… Deum ad …* *Mar. 4.* *Origenes.* *Chriſoſt.* *Fluctus multa ſignificat.* *Matth. 8.*

## Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. 1906

Hic ponitur periculum ex parte fluctus maris, qui, ſcilicet, quando mare turbatur, de profundo maris in altum aëris ſpacium aſcendunt: & ſtatim de alto deſcendunt in abyſſum. Quod fuit in naui Ionæ. Nam vt dicitur Ionæ 1. Mare orta tempeſtate ibat & intumeſcebat ſuper eos. Quod notans Pſal. de illis fluctibus: ait. *Aſcendũt vſque ad cœlos.* &c. Per cœlum enim intelligitur altum aëris ſpacium, ad quem aues aſcendunt volando. propter quod & dicuntur aues cœli. Per abyſſum vero intelligit maris profunditatem inuiſibilem nobis. Vnde ex tali aſcenſu fluctuum & deſcenſu illi qui in naui erant, timebant mori. Nam vt habetur Ionæ 1. remigabant viri vt reuerterentur ad aridam, & non valebãt: quia mare intumeſcebat ſuper eos. & clamauerunt ad Deum & dixerunt. quæſumus domine pereamus, &c. Et hoc notans Pſal. ait. *Anima eorum*

*Iona. 1.* *Luc. 8.* *Aſcendunt ſuperbi ad cælos: ſed deſcendũt ad infernum.*

*Esa.14.* *Abyssus significat infernum.*

*rum in ipſis tabeſcebat.* Per hoc vult oſtendere Pſalm: quòd ſuperbi qui in mari huius mundi aſcendunt vſque ad cœlos per ſuperbiam: trahuntur conſequenter vſque ad abyſſos, id eſt, vſque ad infernum per diuinam iuſtitiam. Sic fuit & de lucifero qui dicit, In cœlum aſcendam, &c. ſequitur. Veruntamen ad infernum detracta eſt ſuperbia tua. Et non immerito per abyſſum ſignificatur infernus: quia ſicut abyſſus quos capit retinet: ſic & infernus quos ſemel cœpit, amplius non relaxat. Iſtum verſum exponit Gregor. de viris contemplatiuis: qui contemplatione vſque ad cœleſtia eleuantur: & inde tentati ſtatim ad turpia cogitanda deſcendũt. deſcendunt. Vnde exponens illud verbum, Iob 9. Cum inuocantem me exaudierit: non credo quòd exaudierit me, dicit, Plerumque enim mens deſiderio diuini amoris accenditur: atque ad intuenda cœleſtia ſubleuatur: ad ſumma iam rapitur: & perfecto deſiderio compuncta ab infimis eleuatur: ſed repentina tentatione percuſſa quæ intẽtione forti execta in Deũ fuerat ab ortis cogitationibus tranſfixa curuatur: ita vt ſeipſam diſcernere neſciat atque inter vitia virtuteſq; deprehenſa: ex qua parte ſit valentior non agnoſcat. Nam ſæpe ad hoc vſque perducitur vt miretur quomodo tam ſumma comprehendit quam cogitatio illicita polluit. Et rurſum quomodo illicitam cogitationem recipit: quam ſupra ſe valdè fortior ſpiritus rapit. Quos alternantes cogitationum motus in animo bene per Pſal. intuens ait. *Aſcendunt vſque ad cœlos: & deſcẽdunt vſque ad abyſſos.* Vſque ad cœlos quippè aſcendimus: cum ſumma penetramus. ſed vſq; ad abyſſos deſcendimus: cum repente à contemplationis culmine per turpia tentamenta deiicimur, &c.

*Contemplatiui aſcendunt vſque ad cœlos & deſcendut ad abyſſos.*

## 1907 Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.

Hic oſtendit periculum conſequens talem maris perturbationem exteriorem in tali commotione habitũ. Nam vt docet experientia ex maris cõmotione cerebrum agitatur, ſtomachus perturbatur, & omnes vires ſenſitiuæ debilitantur. Vnde quædam vertigo in capite generatur: ſicut ebriis accidere ſolet: propter quæ impeditur intellectus ab actu ſuę virtutis intellectiuæ. Quamuis in ebrio maneat habitus artis vtputa habitus ſcribendi: tamen quamdiu durat talis commotio cerebri atque vertigo, actum ſcribendi elicere non poteſt. Sic & de virtutibus moralibus & intellectualibus: quia quamuis maneant & ſic commoto: illarum tamen virtutum actus habere non poteſt. Sic enim accidit illis qui erant in naui cum Iona. Vnde & amiſſo actu ſapientiæ: conabantur contra fluctus nauigare: cum magis fluctus ſequi debuiſſent. Et hoc quod notans Pſal. ait. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: omnis ſapientia eorum deuorata eſt*, id eſt, omnis actus ſapientiæ non habitus in eis perditus fuit. Aliqui autem textus habent: omnis ſubſtantia eorum deuorata eſt. Et tũc hoc intelligitur, quia omnem ſubſtantiam, id eſt, omes merces, omnia vaſa quæ habebant in naui proiecerunt in mare: & ſic à mari omnia conſumpta fuerunt. Communius autem habetur. *Omnis ſapientia eorum deuorata eſt:* quia, ſcilicet, ipſi ab actu ſapientiæ alienati fuerunt. Nec mirum: quoniam vt hic ait Glo. tempore proſperitatis aliqui ſapientes apparent, quando loquuntur & quando legunt: ſed adueniente tempeſtate, omnia conſilia humana deficiunt: & quid agendum ſit, non vident. Propter quod dicitur: *Omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Vnde Apoſtolus ait. Supra modum grauati ſumus: ita vt tęderet nos viuere. & ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus: vt non ſimus fidentes in nobis. Orta enim maris tẽpeſtate quantumcunque ſe vertant: fluctus fremũt, tempeſtas ſæuit, brachia deficiunt, quo prora impinguatur: quo nauis impulſa dimittatur: à quibus ſaxis ne pereat refrenetur: omnino à rectoribus non videtur. Nihil ergo reſtat niſi clamare ad Deum vt dirigantur. Et nota quòd hic Pſal. turbatum & commotum comparat ebrio: quia omnia mala quæ facit ebrietas, facit & commotio iræ. Ebrietas autem multa mala facit: propter quod maximè in prælatis & principibus eſt vitanda.

*Actus virtutis perditur quãdoque manente habitu.*

*Ionæ 1.*

*Gloſa.*

*Maris pericula.* *2.Cor.1.*

*Ebrietas multa mala facit.*

## Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de neceſsitatibus eorum eduxit eos. 1908

Hæc eſt ſecunda pars iſtius periculi in qua ſuffragium poſtulatur à Deo. Realiter enim illi qui erant in naui cum Iona videntes ſe in periculo mortis: pro ſubſidio clamauerunt ad dominũ. vnde Ionæ 1. dicitur. quòd orta tempeſtate timuerunt valde. & clamauerunt ad dominum ſuum: & infra, clamauerunt ad dominum atque dixerunt, Quæſumus domine ne pereamus. Quod notans Pſalm. dicit: *Et clamauerunt ad Dominum*, &c. Exponitur vt ſup. ver. 1893. 1899. Per hoc vult notare Pſal. quòd quandoque Deus immittit aduerſa: vt ad ipſum per deuotam orationem clamare cogamur. Iſta enim ratione (vt habetur Matt. 8.) dum eſſet in nauicula cum diſcipulis ſuis: commoto mari ipſe Ieſus dormiebat, vt diſcipuli cogerentur ipſum excitare. Vnde Chriſoſtomus ibi aſſignat duas rationes: quare mare tunc commouit: & dormiebat: dicens, Quia enim viderant apoſtoli alios Chriſti beneficia recepiſſe: non autem ſimiliter quis æſtimat quæ in alienis corporibus fiũt, & quæ in ſeipſo: ideo oportuit per familiarem ſenſum eos potiri beneficiis Chriſti: & ideo voluit hanc fieri tempeſtatem: vt per liberationem manifeſtiorem accipiant beneficij ſenſum: ſed vt daret tempus formidini ipſe dormiebat. Sic enim eo vigilante facta eſſet tempeſtas: vel non timuiſſent, vel non rogaſſent. Et quia ideo dormiebat: acceſſerunt ad eum & ſuſcitauerunt eum, dicentes, Domine ſalua nos, perimus. Et ſic aduerſa ad Deum per orationẽ nos redire cogunt. Pſal. 77. Cum occideret eos: quærebant eum, &c. & Pſal. 82. Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum domine.

*Ionæ 1.*

*Mat. 8.*

*Chriſoſto.*

*Beneficia in propria perſona plus mouent quam in aliena.*

*Aduerſa ad orationẽ inducunt.*

## Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius. 1909

Hic ponitur adiutorij impetratio: & conſequẽter ex impetrato adiutorio exultatio: ibi. Et lætati. Quantũ ad primum: vt habetur Ionæ 1. facto clamore ad Deum: & proiecto Iona in mare ſtatim tempeſtas maris ceſſauit: vnde dicitur ibidem. Clamauerunt ad dominum: tulerunt Ionam & proiecerunt in mare: & ſtetit mare à feruore ſuo. Quod nunc oſtendit Pſal. dicens. *Et ſtatuit procellam eius in auram.* Aura enim dicitur leuis motus aëris: quo aër non tempeſtuosè: ſed dulciter mouetur & leniter. Et ſic procella ac tempeſtuoſi fluctus maris in auram

*Ionæ 1.*



*Mat. 8.*

ram ſunt conuerſi. Conſimile dicitur Mat. 8. Quia cum diſcipuli eſſent cum Chriſto in naui, & tempeſtas magna eſſet: Chriſtus à diſcipulis inuitatus ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna. Per hoc vult Pſal. oſtendere quòd Chriſtus eſt æqualis patri ratione ſuppoſiti: quia quod hic dicitur de patre, quòd ſtatuit procellam eius in auram, Chriſtus adimpleuit quando imperans mari & ventis tranquillitas magna facta eſt in mari. Vnde Chriſoſto. ſuper Matth. hoc inducens ait. In hoc enim quòd Chriſti imperio omnis ſubito ſoluta eſt tẽpeſtas, ſic ꝙ neq; ſemita quidẽ turbationis aquarum remãſit: quod quidem extraneũ erat. Cũ enim naturaliter maris fluctuatio terminatur: vſque ad multum tempus aquæ concutiuntur: ſed hic ſimul omnia ſoluebantur. Vnde quod de patre prædixit Pſalm. dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & ſtatuit procellam eius in auram: hoc Chriſtus opere adimpleuit: ſolo enim verbo mare ſedauit & refrenauit. In hoc etiã prouidebat Pſal. quòd tempeſtuoſas procellas & fluctus perſecutionum quas mare huius mundi in primitiua eccleſia contra Chriſtum & eius eccleſiã per tyrannos & principes excitauit. Hæc omnia Chriſtus verbo ſuæ prædicationis per Apoſtolos ſuos placauit. Quod notans Greg. ſuper illo verbo Iob 9. Qui graditur ſuper fluctus maris, ait. Quid enim maris nomine niſi in bonos ſeuiens mundi huius amaritudo ſignatur? De quo per Pſal. dicitur. Congregans quaſi in vtre aquas maris. Aquas enim maris quaſi in vtre congregat: cum miro moderamine cuncta diſponens in ſuis clauſas cordibus carnalium minas frenat. Super fluctus ergo maris dominus graditur: quia cum ſe procellæ perſecutionis erigunt: miraculorum eius obſtupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ veſaniæ mitigat: quaſi erectas in cumulo vndas calcat. Nam cum morem ſuũ gentilitas deſtrui nouæ conuerſationis prædicatione conſpiceret: cum mundi huius diuites elationi ſuæ contrairę viderent facta pauperum: cum ſapientes ſeculi aduerſari ſibi imperitorum verba penſarẽt: in perſecutionis protinus tempeſtate intumuerunt. Sed qui verborum aduerſitate commoti ad perſecutionis procellas inſiliunt: ſignorũ vt diximus admiratione temperantur. Tot ergo in iſtis fluctibus dominus greſſus poſuit: quot ſuperbis perſecutoribus miracula oſtendit. Vnde bene rurſum per Pſal. dicitur, Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus. Quia contra electorum vitam ad perſecutionis vndas mundus ſe mirabiliter extulit, ſed has ſupernorum conditor ſubleuata virtute prædicantium, mirabilius ſtrauit. Miniſtros etenim ſuos plus oſtendit poſſe per miracula, quàm poteſtates terrenæ tumuerãt per iram. Et hoc eſt quod nunc Pſal. præuidens ait. *Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius*, ſcilicet, mundi maris.

*Mare tranquillatur à Chriſto miraculoſe.*

*Chriſoſto.*

*Greg. libr. 9. mor. cap. 5.*

*Pſalm. 32.*

*Perſecutiones eccleſiæ per tempeſtatem maris ſignificatas dominus placauit.*

*Pſal. 92.*

## 1910 Et lætati ſunt, quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorũ.

Hic ponitur conſequenter exultatio impetrati adiutorij. Naturaliter enim quantum malum turbat: tantum lætificat ablatio vel terminatio mali. Et ſic quam turbati & commoti fuerunt exiſtentes in naui, cum Iona exorta tempeſtate, tantum lętati fuerunt in eius ſedatione. Vnde vt habetur Ionæ 1. Ex lætitia immolauerunt hoſtias domino, & vouerunt vota. & ſic peruenerunt tranquillè ad portum voluntatis eorum. Per hoc vult Pſal. oſtendere quòd aduerſa præſentis vitæ: dominus electos ſuos deducit ad portum ſalutis æternę. Similiter & Ionam deduxit ad portũ ſuæ voluntatis: quia quãdo Ionas fuit proiectus in mare (vt habetur Ion. 2.) Dominus parauit piſcem grandem, qui deglutiuit Ionam. Et erat Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, & euomuit Ionam in aridam. Et ſic iuit ad locum quem præceperat illi Deus, ſcilicet, in Niniuem ad prædicandum pœnitẽtiam. Nota quòd in beneficiis & donis Dei ſpiritualibus lætari debemus: & non in rebus temporalibus. Et quæ ſit lætitia mundi, & quæ iuſtorum, vide ver. 155. Item nota quòd iuſti lætantur in multis, ver. 479. Item quòd lætitia mundi ducit ad interitum & mortem: ſed lætitia in Chriſto ad vitam ęternam ver. 1666.

*Ionæ 1.*

## Confiteantur domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filij hominum. 1911

Hic ex prædictis deus laudatur: & conſequenter modus laudis oſtenditur: ibi, *Et exaltent.* Quãtum ad primum expone vt ſupra. ver. 1888. 1895. Si autem hoc intelligatur de confeſſione criminis: tunc circa illam vltra cõditiones alibi poſitas, Nota quòd confeſſio debet eſſe debita, ſcilicet, debito facta confeſſori: quia nõ omnis habet poteſtatem abſoluendi ſacerdos: quamuis quilibet habeat eccleſiæ claues ordinis, nõ iuriſdictionis. Solus enim ſummus pontifex habet claues iuriſdictionis plenariæ ſuper omnes, & in omnibus caſibus. Alij autem ſacerdotes hoc habent ex commiſſione ſuper illos, quos papa in hoc illis ſubditos fecit: & ſolum in illis caſibus quos tales illis voluit ſubiici. Et hinc eſt quòd vnus curatus habet claues ligandi: non quidem ſuper omnes homines ciuitatis: quia papa non ſubiecit omnes ſibi: ſed ſolum illos de cura ſua. Nec etiam in illis habet poteſtatẽ in omnibus caſibus: ſed ſolum in certis: quia aliquos retinet ſibi papa: aliquos epiſcopus, &c. Eſt ergo cõfeſſio debita quando peccatum confitetur illi qui poteſtatem habet iuriſdictionis ſupra cõfitentem, & ſupra caſum de quo confitetur.

*Confeſſio debitum confeſſorem debet habere.*

## Et exaltent eum in eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum. 1912

Hic oſtendit modum quo Deus eſt laudandus, vt, ſcilicet, laudetur vniuerſaliter ab omnibus tam ſubditis quàm prælatis & rectoribus. Vnde per eccleſiam plebis intelligit ſubditorum congregationem: quoniam eccleſia eſt communis locus in quo plebs conuenit ad orandum. Pſalm. 67. In eccleſiis benedicite Deo domino de fontibus Iſrael. Qualiter autẽ eccleſia differt à ſynagoga, vide ver. 1406. Sed per cathedram ſeniorum intelligit præſidẽtes & prælatos qui alios habent regere. Vnde hic ait Glo. *Laudent eum in eccleſia plebis*, id eſt, laudent eum populi minores qui reguntur. *Et in cathedra ſeniorum laudent eum*, id eſt, laudent eum ſeniores & prælati qui alios regunt & docent. Qualiter autem Deus exaltetur à nobis vide ver. 69. Nota quòd multiplex eſt cathedra in qua Deus debet laudari: & vna quæ eſt maligna quæ debet exterminari.

*Gloſa.*

*Cathedra multiplex.*

## Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim. 1913

Hic ponitur quintum periculum quod fuit ſterilitatis patriæ ex carentia pluuiæ. Et primò ponitur

tur terræ ſiccitas. ſecundo terræ ſterilitas: ibi, *Terrã fructiferã*, tertiò terræ reddita fertilitas: ibi, *Poſuit deſertum.* Quantum ad hoc ſciẽdum quòd Pſal. iſtam terræ fertilitatem applicat ad ſterilitatem quæ fuit in regno Iſrael tempore Heliȩ prophetæ ex nimia ſiccitate terræ ſub rege Achab: de qua habetur. 3. Reg. 17. quando, ſcilicet, propter peccatum Achab regis Iſrael ad orationem Heliæ clauſum eſt cœlũ annis tribus & menſibus ſex, quibus non pluit ſuper terram, ſcilicet, illius regni. vnde propter ſiccitatem terra facta eſt ſterilis. Et hoc eſt quod commemorans Pſal dicit. *Poſuit flumina in deſertum*, ſcilicet, illa deſiccãdo ab aquis fecit deſerta. Sicut enim ex pluuiis augentur torrentes & flumina: ſic ex defectu pluuiarum minorantur: & aliquando deſiccantur totaliter. ſimiliter & fontes ex quibus oriũtur flumina. Et hoc eſt quòd ait, *Poſuit flumina in deſertum*, ſcilicet, illa exiccando. *Et exitus aquarum*, id eſt, fontes vnde ſcaturiunt aquæ in ſitim, id eſt, in ſiccitatem: ſicut dicimus quòd terra ſitit quando eſt ſicca. Per hoc vult Pſal. oſtendere quòd ſynagoga Iudæorum quæ gratiis abundare ſolebat, in aduentu Chriſti priuaretur: & à gratia Dei maneret aliena. vnde ait, *Poſuit flumina in deſertum*, id eſt, Iudæos qui ad modum fluminum gratiis abundare ſolebant: vbi erant doctrinæ: vbi currebãt prophetæ, poſuit in deſertum: quia ibi iam non eſt propheta: non fides Chriſti: non ſacerdos: non ſacrificium, nec templũ. vt ait Glo. Et hoc idẽ aliis verbis exprimit, dicens, Poſuit exitus aquarũ in ſitim, id eſt, Iudæos vnde alii manabant aquæ doctrinæ poſuit in ſitim, id eſt, ſine aqua doctrinȩ atque gratiæ. Nota quòd non immerito per aquam intelligit diuinam gratiam qua Iudæi ſunt expoliati propter ſuam incredulitatem: quoniam ipſa gratia ad modum aquæ purificat maculam deformantem: refrigerat fomitem ardeſcentem: viuificat animam morientem, &c.

*Pluuia tempore Heliæ ceſſauit tribus annis & ſex menſibus.*
*Iudæi gratia dei ſunt priuati.*
*Gloſa.*
*Aqua ſignificat gratiam*
*Aqua aſcẽdit quãdoque vſque ad talos vſque ad genua: vſque ad renes.*

## 1914 Terram fructiferam in ſalſuginem: à malicia inhabitantium in ea.

Hic conſequenter ponitur terræ ſterilitas propter penuriam aquæ. Quoniam terra Iſrael quȩ lacte & melle manare conſueuerat, ad tantam ſterilitatem peruenit tempore ipſius Achab deficiente pluuia: quòd nec modicam herbam pro equis & iumentis ſaluandis reperire poterant. Vnde vt habetur. 3. Reg. 18. Achab præ penuria herbarum dixit ad Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ. Vade ad vniuerſos fontes aquarum: & ad vniuerſas valles: ſi forte inuenire poſſimus herbã & ſaluare equos & mulos noſtros. Et iſta tanta ſterilitas terræ fuit propter ceſſationem pluuiæ: quam impetrauit Helias propter peccata ipſius Achab regis, & Iezabel reginæ. Et hoc eſt quod notas Pſal. ait, *Quia deus poſuit terram fructiferam in ſalſuginem*, id eſt, poſuit terram illam quæ prius faciebat fructus vberes in ſterilitatem. Sal enim in terra poſitum facit terrã ſterilem: quia deſiccat & conſumit humorem terræ. Et cauſam ſubdit, dicens, *A malitia habitantium in ea*, id eſt, propter malitiam & peccata Achab regis & Iezabel reginæ. Per hoc vult Pſal. oſtendere: quòd terra, id eſt, natio Iudæorum quæ prius electa fructus meritorum ſolebat producere, & bonorũ operum: propter ipſorum malitiam ſterilis eſt effecta à bonis operibus. Vnde Glo. *Poſuit terrã fructiferam in ſalſuginem*, id eſt, Iudæam quę prius bona opera faciebat: poſuit ſterilem à bonis operibus: quia ſine fide impoſſibile eſt placere deo. Salſus enim humor vbi dominatur: tollit fœcunditatem. Et hoc ſecundum malitiam habitantium in ea, ſcilicet, ſacerdotum, ſcribarum, & phariſeorum, qui in ea doloſis mentibus dominabãtur. Ex quo habes, quòd propter peccata principis multotiens punitur populus. Sic enim propter Dauid numerantis populum puniti fuerunt ſubditi. vnde vt habetur 2. Re. vlti. infra tres dies mortui ſunt peſte angelico myſterio ſeptuaginta milia virorũ. Et hic nota: quòd ſicut ſal facit ſterilitatem terræ: ſic malitia ſterilitatem mẽtis inducit, quoniam ipſa malitia in homine malitioſo eſt rectæ rationis peruerſiua: humanæ conuerſationis turbatiua: & in proprium auctorem reflexiua.

*Sterilitas terræ tẽpore Heliæ.*
*3. Reg. 18.*
*Iudæi ſteriles ſunt effecti.*
*Gloſa.*
*Punitur populus propter peccato domini.*
*2. Reg. vlt.*
*Malitia ... mala ...*

## Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum. 1915

Hic ponitur terræ reddita fertilitas. Sicut enim Helias ſua oratione clauſit cœlum, & nõ pluit tribus annis & ſex menſibus: ſic & conſequenter ſua oratione aperuit cœlum, & cœlum dedit pluuiam ſuam: & ſic terra quæ facta fuerat ex ſiccitate ſterilis: adueniente pluuia fructificauit. vt dicitur Iac. 1. Et circa hoc multa oſtenduntur: primò ſequitur terræ irrigatio, ſecundò terræ deſertæ inhabitatio ibi, *Et collocauit*. tertiò terræ fructificatio: ibi, *Et ſeminauerunt*. quartò bonorum multiplicatio: ibi, *Et benedixit eis*. Quantum ad primum ad orationem Heliȩ apertum fuit cœlum, & terræ dedit pluuiam. Nam vt habetur 3. Reg. 18. Poſtquam cœlum clauſum fuerat tribus annis & ſex menſibus: Helias qui tempore illo fugerat à facie Achab, ex præcepto domini ſeipſum Achab præſentauit: & dixit ipſi Achab. Aſcende quia ſonus pluuiæ eſt. Helias autẽ aſcendit in verticẽ montis Carmeli: & dixit ad puerũ ſuũ: Reſpice contra mare. Qui reſpiciens dixit. Non eſt quicquã. Et rurſum ait illi. Reſpice ſeptẽ vicibus. In ſeptima autẽ vice vidit nebulã paruulam quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari. Et tunc dixit ad Achab. Iunge currum tuum & deſcende: ne occupet te pluuia. Et ecce cœli cõtenebrati ſunt, & nubes & ventus: & facta eſt pluuia grandis: ita quòd terra quæ prius erat ſicca, aquis ſufficienter compluta fuit. Et hoc in breuibus recitans Pſal. ait. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarũ*, id eſt, terram prius deſertam aquis & deſiccatam, poſuit in ſtagna aquarum, ſcilicet, dando pluuias in tanta abundantia, vt in ſtatum priſtinum reducerentur fontes & flumina. Et hoc idem aliis verbis exprimit dicens, *Et terram ſine aqua*, id eſt, quæ prius erat ſine aqua: poſuit in exitus aquarum. ſic ſcilicet, quòd aqua exibat de fontibus & replebat flumina vt prius. Per hoc enim vult Pſal. oſtendere quòd per aduentum Chriſti gentilitas quæ erat deſerta, & ſine aquis gratiæ vel diuinæ ſapientiæ exiccata: aquis gratiarum & ſcientiæ Dei fuit irrigata & fertilis effecta. Et iſtum intellectum ponit hic Glo. dicens, Poſuit deſertum in ſtagna aquarũ, id eſt, gentes deſertas aquis gratiæ irrigauit: vt velut in ſtagno in eis manerent aquæ gratiarum. Et reperit idem dicẽs, *Et terram*, ſcilicet, quæ prius erat ſine aqua in exitus aquarum, vt, ſcilicet, ab ipſis aliis emanent aquæ viuæ gratiarum. Per aquã ergo intellige gratiam vt ver. 1913. Vel per aquam intellige ſapientiam fidei ſalutarem: quæ data eſt gentibus

*3. Reg. 17.*
*Iacobi 1.*
*3. Reg. 18.*
*Gẽtes aquã gratiæ & ſcientiæ perceperunt.*
*Gloſa.*



tibus per Chriſti aduentum. Nec mirum quòd per aquam ſignificatur fidei ſapientia ſalutaris: ſi conſideres quòd aqua habet ſuperficialem continuationem, ſummam humectationem, & figuralem reputationem, &c.

*Aqua ſignificat ſapientiam ...*

## 1916 Et collocauit illic eſuriẽtes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis.

Hic conſequenter ponitur terræ prius derelictȩ inhabitatio, Veriſimile eſt enim quòd propter prȩdictam ſiccitatem aliàs ſterilitatem terræ regni Iſrael, quòd multi inde ad alias partes receſſerint fertiles vt viuere poſſent. Sicut etiam Iſrael quandoque cum omnibus ſuis intrauit in Ægyptum ad habitandum propter ſterilitatem terræ Chanaan. vt habetur Gen. 46. Et per conſequens multa loca deſerta remanſerunt inhabitata. Sed conſequenter adueniente pluuia & terræ fœcunditate ad proprias manſiones inhabitandas reuerſi fuerunt. Et hoc notans Pſal. dicit, *Et collocauit illic eſurientes*, ſcilicet, Deus, reſtituendo pluuiam illuc induxit vagos eſurientes: & ciuitates prius deſertas inhabitauerunt, *Et conſtituerunt ciuitatem habitationis*. Per hoc enim vult Pſal. oſtendere, quòd Chriſtus incarnatus, gentes quæ prius eſuriebant: quia cibo verbi Dei carebant: ad fidem vocauit: ex quibus ciuitas eccleſiæ eſt conſtituta. Vnde Glo. *Et collocauit illic*, ſcilicet, in gratia fidei, *eſurientes*, id eſt, gentiles qui auidè verbum Dei reciperent. *Et conſtituerunt ciuitatem habitationis*, ſcilicet, eccleſiam diuinis obediẽdo præceptis. Poteſt etiam hoc & melius intelligi de Apoſtolis: quos primo in fide Chriſtus collocauit: vt ciuitatem eccleſiæ ſuis prædicationibus ex vtroque populo fabricarent. Ipſa namque eccleſia dicitur ciuitas. ver. 461. 758. 775. Et hæc fundata fuit per Apoſtolos. ver. 1474. 1475.

*Gen. 46.*
*Gloſa.*
*Eccleſia dicitur ciuitas.*

## 1917 Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum natiuitatis.

Hic ponitur terræ fructificatio: quia, ſcilicet, iſti reuerſi poſt datam pluuiam terram ſuam quæ prius inculta fuerat, incœperunt colere & vineas plantare. Et tandem terra ſic culta & plantatæ vineæ fecerunt fructum natiuitatis, id eſt, naturalem & bonum. Quando enim terra diu quieuerit à cultura, ſi poſtea cultiuetur meliores & vberiores fructus producit. Per hoc vult Pſalm. oſtendere quòd gentiles qui prius abſque rore gratiæ erant aridi: poſtquam compluti fuerunt aqua ſalutaris ſapientiæ, ipſi verbum Dei per agrum mundi prædicando ſeminauerunt: & fructum multum attulerunt alios ad fidem conuertendo: ſicut fecerunt Dionyſius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius, de gentilibus ad fidem conuerſi. Eccleſia enim quandoque in ſcriptura dicitur ager. Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, &c. quandoque dicitur vinea. Matth. 20. Simile eſt regnum cœlorum homini qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Vel hoc intellige de Apoſtolis qui verbum Dei per totum orbem etiam vſque ad mortem certantes fideliter ſeminauerunt: de quibus Pſalm. 125. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Ipſum enim agrum totius mundi per duodecim partes diuiſum ſeminȩ verbi Dei impleuerunt. vt puta Petrus ſeminauit in agro Italiæ, Ioannes Grȩciȩ, Matthȩus Æthiopiæ, Bartholomeus Indiæ: & ſic de ſingulis: & fructum plurimum domino fidelium attulerunt eis: dicente Chriſto. Ite prædicate euangelium omni creaturæ, &c. Vel ſecundum Glo. ſeminant agros & plantant vineas qui corpora ſua cœleſti inſtitutione purificant: vt fructus bonorum operum ferant. Vnde hic nota quòd ager myſticus in ſcriptura eſt multiplex, ſcilicet, ager vniuerſalis eccleſiæ meritorum productiuus, &c.

*Semen verbi Dei per gentiles & apoſtolos fuit ſeminatum.*
*Matth. 13.*
*Matth. 20.*
*Pſal. 125.*
*Matth. vlti.*
*Gloſa.*
*Ager multiplex.*
*Ager dicitur eccleſia.*

## Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non minorauit. 1918

Hic ponitur bonorum per benedictionem Dei multiplicatio. Quia, ſcilicet, in regno Iſrael, reddita fertilitate terræ per Dei gratiam, & benedictionem, multum fuerunt multiplicati & in hominibus & in iumentis. Et per hoc vult oſtendere Pſal. quomodo eccleſia per verbum prædicationis apoſtolorum, qui agrum mundi fidem ſeminauerunt: mirabiliter & ſubito augmentata fuit & merito ac numero. Quod totum fuit: non principalius virtute Apoſtolorum: ſed virtute benedictionis diuinæ. Sicut etiam in carnali generatione virtute verbi Dei quo primis parentibus benedicẽs, dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: homines mirabiliter cito fuerunt multiplicati: mediante tamen humano opere. Sic & in generatione ſpirituali mediante apoſtolorum prædicatione: principaliter tamen virtute benedictionis diuinæ multiplicati ſunt. Et hoc eſt quod ait. *Et benedixit eis & multiplicati ſunt nimis*, id eſt, multum. ſicut Alibi dicitur: Nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt, &c. Vide de nimis quomodo dupliciter accipitur ver. 1607. 1645. *Et iumenta eorum non minorauit*. Et nota quòd iumentum quandoque ſignificat prædicatores & prælatos: quia iuuant & aliorum onera ſuſtinent. & ſic coadiutores Dei dicuntur. Pſal. 72. Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum. Et hoc eſt magnæ dignitatis onera Chriſti portare: immo potius ipſum Chriſtum per patientiam. Vnde de iſto iumento dicit Bernard. ſuper illo verbo Pſalm. 48. Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumẽtis, &c. Quid tantopere propheta plangit in homine ſimilitudine iumentorum: præſertim qui alio loco de ſe loqui videtur & dicere. Vt iumentum factus ſum apud te, &c. Scio aliquam ſimilitudinem iumentorum & hominum commendari, ſcilicet, patientiæ & manſuetudinis. Neque enim plãgentis vox videretur ſi diceret. homo cum ſub Dei honore eſſet, non recalcitrauit: vt iumentum factus eſt apud eum. Quis non illi iumento plurimum inuideret: in cuius humili tergo ſaluator ſedere dignatus eſt? ſi cum illius tam precioſi oneris intelligentia quoque tam ſingularis honoris habuiſſet. Vt iumentum ergo eſto: non tam iumentum quidem patienter ſuſtinens onus: ſed etiam honorem intelligens ſapienter & delectabiliter cogitans tam ipſius oneris dignitatem quam propriam vtilitatem. Nempe geſtare eum, cui ſeruire regnare eſt, non oneris eſt: ſed honoris, &c. Et de iſtis iumentis dicitur, Interroga iumenta, & docebũt te. Quandoque verò iumentum ſigni

*Benedictio dei multiplicat temporaliter & ſpiritualiter.*
*Gen. 1.*
*Iumentũ multiplex.*
*Iumentũ dicitur prædicator & quilibet prælatus virtute patientiæ.*
*Iob 12.*

ſignificat ſimplices & inferiores, qui iumenta dicuntur: quia ſuperiores in temporalibus iuuant, ſicut à ſuperioribus iuuantur in ſpiritualibus. Et in ipſorum comparatione prælati & prædicatores dicuntur homines. *Pſal.35.* Pſal.35. Homines & iumenta ſaluabis. Quandoque iumentum ſignificat peccatores, qui vt iumentum in ſtercoribus iacent peccatorum. *Iohel.1.* Iohel.1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Hic ergo cum dicitur, quod Deus iumenta eorum non minorauit: de duobus primis generibus iumentorum intelligitur. Item nota quòd benedictio Dei valet ad multa. ver.1444.

1919 **Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore.**

Hic ponitur ſextũ periculum: quod fuit interioris diuiſionis & diſcordiæ. Hic enim loquitur de diſſenſione & diſcordia orta in populo Dei, quando Moyſes miſit duodecim principes, ſcilicet, de qualibet tribu vnum principem ad explorandum terram promiſſionis: qui cum reuerſi fuiſſent, dixerunt populo quòd impoſſibile foret populo illã terrã acquirere. propter quod populus in ſeditionem verſus fuit contra Moyſen. vt habetur Nũ.14. *Num.14.* Circa iſtud ſeditionis periculum, primò ponitur eius narratio: ſecundò ex omnibus prædictis gratiarum actio, ibi, *Videbunt.* tertiò ad conſiderandum prædicta omnium excitatur intentio, ibi, *Quis ſapiens.* Circa primum tria facit, quia ponitur primò populi turbatio: ſecundò principum punitio: ibi, *Effuſa eſt.* tertiò humilium directio: ibi, *Et adiuuit pauperem.* Quantum ad primum ſciendum quòd iſtæ primæ tres partes ſatis patere poſſunt ex dictis ver.1884. & infra: quia ibi iſtud periculum tractatũ eſt. Melius ergo exponitur de diſcordia in populo orta contra Moyſen per Dathan, Chore, & Abiron. de qua habitum eſt ſupra ver.1850. Sciendum eſt ergo quòd cum Chore, Dathan, & Abiron cum ducẽtis quinquaginta aliis viris de maioribus inſurrexiſſent contra Moyſen, nolentes quòd ipſe populum regeret: diuino iudicio primò omnes qui erãt cum Chore igne diuino interfecti fuerunt: & conſequenter Dathan & Abiron cum omni ſua familia à terra fuerunt abſorpti. vnde in ſumma ceciderunt de illis quatuordecim milia 950. hominum. vt habetur Num.16. & 17. Et ſic de cõplicibus ipſorũ puniti remanſerunt. Ex quo omnis multitudo turbata fuit. vnde vt dicitur Nume.17. Murmurauit omnis multitudo contra Moyſen: dicens, Vos interfeciſtis populum domini. Et hoc eſt quòd notãs Pſa. ait. *Et pauci facti ſunt*, ſcilicet, illi qui erãt ex parte Chore, Dathan, & Abirõ, quia, ſcilicet, tot milia mortui ſunt. Ex quo alij hoc videntes vexati ſunt à tribulatione & dolore, ſcilicet, malorum quę videbant, ſcilicet, tantum de populo interfici. Per hoc vult Pſal. oſtendere, quòd inſurgentes contra eccleſiã hæretici & ſchiſmatici à veris catholicis ſuperati ad paucum numerum ducerentur reſpectu, catholicorum. vnde Glo. *Et pauci facti ſunt*, quia omnes diuiſi ab vnitate fidei, ſcilicet, hęretici qui cum catholicis communia habent ſacramenta & ſpeciẽ pietatis: pauci ſunt, non tam meritis quàm numerò. Vel per oppoſitum poteſt intelligi, quòd quia in eccleſia ſunt boni mixti cum malis, & mali multiplicantur, & ſemper bonos perſequuntur: ideo ipſi boni pauci facti ſunt, & vexati à tribulatione & dolore malorũ, ſcilicet, per malos illata. Sic enim per multos mali intelliguntur, ſed boni per paucos: Matth.20. Multi ſunt vocati: pauci verò electi. vide ver.895.

*Num.16. Cõtentio Dathã & Abiron, & Chore contra Moyſen.*

*Num.16. & 17.*

*Pauci ſunt boni, & mali multi, & ecõtrario.*

*Gloſa.*

*Matth.20.*

**Effuſa eſt contentio ſuper principes eorum: & errare fecit eos in inuio, & non in via.** 1920

Hic oſtenditur principum contentio. Quia vt dictũ eſt, principes populi, ſcilicet, Chore, Dathan, & Abiron contra Moyſen & Aaron: quia à Deo inſtituti etant principes populi, contendere ceperũt volentes dominari ipſi in populo. Vnde cum Moyſes vocaſſet eos, ipſi contentioſè reſponderunt: dicentes, Non veniemus. Nunquid parum tibi eſt, quòd nos eduxiſti de terra Ægypti quæ lacte & melle manabat: an etiam oculos noſtros vis eruere? Non veniemus. Et hoc eſt quòd ait. *Effuſa eſt contentio ſuper principes illorum*, ſcilicet, eorum aduerſus Moyſen & Aaron. Et propter tales contentiones & conſimiles Deus fecit eos errare in inuio, id eſt, in deſerto quod erat inuium, & non in via: quia non poſuit in viam rectam eos propter ipſorum peccata: ſed errare fecit eos per deſertum circũeundo per annos quadraginta, donec omnes morerentur qui exierant de Ægypto ab annis viginti & ſupra. vt habetur Num.14. Et ſic dum eſſent in inuio & non in via, ſcilicet, in deſerto: errare fecit eos. vide ver.1884. Per hoc vult Pſal. oſtendere, quòd Deus iuſto iudicio errare à via veritatis fecit hæreticos: quia contentioſè contra eccleſiam ſe erexerunt, in eccleſia quærentes habere primatum. Sed ex hoc ipſi magis contempti fuerunt. Vnde hic ait Glo. *Effuſa eſt contentio ſuper principes eorum*, ſcilicet, hæreticorũ, id eſt, ſuper hæreſiarchas & magiſtros hæreſum: vnde reprobati ſunt ab eccleſia: & magis contempti ſunt: quia principes eſſe voluerunt. De quibus dominus per prophetam ait, Ipſi regnauerunt: & non ex me principes extiterunt: & non cognoui. vnde errare fecit eos ipſos, ſcilicet, ſibi relinquendo. ſicut dicitur Roman.1. Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, &c. Boni enim poſiti ſunt in via recta, vt vadant in ciuitatem cœleſtem: ſuperbi verò à Deo relicti, in inuio extra viam ſunt poſiti. Et nota quòd licet ſit multiplex contentio in ſcriptura, quædam virtuoſa, & quædam vitioſa: hic ſolum agitur de contentione vitioſa, quæ eſt contentio iniquitatis & malitiæ, atque diſcordiæ.

*Contẽtio exploratorum. Num.16.*

*Inuium dicitur deſertũ, id eſt, ſine via.*

*Num.14.*

*Hæreticorũ contentio & ſuperbia.*

*Gloſa.*

*Oſee 8.*

*Rom.1.*

*Contentio vitioſa.*

**Et audiuit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oues familias.** 1921

Hic ponitur humilium directio. In illa enim plaga quãdo percuſſi fuerunt Chore, Dathan & Abiron: ſolum ſuperbi & præſumptores ceciderunt. humiles verò non contradicentes directi fuerunt, & terram promiſſionis intrauerunt. Et hoc eſt quòd ait Pſal. *Et audiuit pauperem de inopia*: quia, ſcilicet, illos humiles qui intrauerunt terram promiſſionis, ditauit bonis gentium, qui terram promiſſionis habitabant: quas ingreſſi exterminauerunt, & ipſorũ bona poſſederũt. quos nõ ſolũ multiplicauit diuitiis tẽporalibus, ſed filiis ipſos mirabiliter multiplicando. Et hoc eſt ꝙ ait, *Et poſuit ſicut oues familias.* Ouis enim eſt animal quod multũ fœcunditate multiplicatur. Per hoc vult Pſal. oſtendere quod diſſipatis hæreticis, Deus ſuos fideles adiuuat & multiplicat. Et quanto fideles plus impugnantur: tanto amplius creſcunt. Et ſic dum contra fideles creſcit contentio impugnantium: dilatatur eccleſia. vide ver.221.448. Ponit autem Deus ſicut oues familias. quilibet enim electus eſt de familia Dei. Iſtos autem per diſtinctos gradus collocat in patria: quia diuerſæ & multæ manſiones ſunt in domo patris mei. Sed quia nullum ad ſuam familiam admittit, niſi ſit innocens: ideo dicitur quòd ponit ſicut oues familias. Et nota quòd Deus maximè pauperes adiuuat: quia iſti à mundo premuntur. Si enim homo iuſtus dici non poteſt, ſi pauperes iniuſtè oppreſſos non adiuuat, quos adiuuare poteſt: quomodo Deus iuſtus diceretur, ſi pauperes oppreſſos non adiuuaret? Propter quod de ipſo dicitur. Factus eſt dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

*Num.16.*

*Eccleſia perſecutionibus creſcit.*

*Ioan.14.*

*Adiuuat Deus pauperes patientes.*

*Pſal.9.*

1922 **Videbunt recti & lætabuntur: & omnis iniquitas oppillabit os ſuum.**

Hic ex prædictis concludit lætitiam iuſtorum, & gratiarum actionem. Iuſti enim gaudent de omni opere Dei tam iuſtitię, quàm miſericordiæ. vnde etiam beati videntes ſupplicia damnatorum, quæ ſunt opus diuinæ iuſtitiæ, lætantur Pſal.57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Lætantur de præmiatione bonorum: quod eſt opus miſericordiæ. Pſal.5. Lætentur omnes qui ſperant in te: quoniam tu benedices iuſto. Et de iſtis duobus dicitur ſimul. Pſal.66. Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate. Et hoc quo ad opera iuſtitiæ. Et gentes in terra dirigis: quo ad opera miſericordiæ. Cum iſta duo genera operum Dei ſint tractata ſuperius, ſcilicet, quod malos per iuſtitiam punit, ibi: effuſa eſt contentio ſuper principes, &c. & quòd bonos adiuuat per miſericordiã, ibi: & audiuit pauperem de inopia. ſequitur quòd iuſti iſta videntes opera, lætantur in patria. Quod notans Pſal. ait. *Videbunt & lætabuntur.* Sed econtra mali & peccatores de omni opere Dei dolebunt, & triſtabuntur: quia dolebunt de ſuppliciis quæ per iuſtitiam patiuntur. dolebunt de præmiis iuſtorum quæ ſe perdidiſſe vident. Et hinc eſt quòd ad augendam lętitiam iuſtorum: beati ſemper ſupplicia damnatorum videbunt. ad mitigãdam verò pœnam damnatorum, non ſemper damnati videbunt beatos: quia non poſt iudiciũ, vt oſtendit magiſter li.4.di.50. vnde de malis ſubditur, *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Iniqui enim ęterno ſupplicio preſſi: vidẽdo iuſtorum pręmia, loqui nõ poſſunt, qui hic poſiti iuſtos ore aperto lacerabant, Et hoc eſt quod dicitur Iob 5. Erit egeno ſpes: iniquitas autem contrahet os ſuum. Quod exponens Greg. ait, Sic enim Deus mentes humilium in ſe ſolidat, vt eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimẽta ſuaſionum pertrahant, nec dolores ſuppliciorũ ſternãt. Spes quippe in æternitate animum dirigit: & idcirco nulla mala quæ exterius tolerat ſentit. Ad cuius ſpei fructum cum pauper peruenit: omnis elatus obmuteſcit. Propter quod ſubditur, *Iniquitas autem contrahet os ſuum.* Nunc enim malus bonis derogat: & recta quæ agere negligit: hæc in aliis obtrectando lacerare non ceſſat. Sed tunc iniquitas os ſuũ contrahit: cũ iuſtis quanta ſuppetat gloria retributionis agnoſcit. Tunc enim ei loqui cõtra bonos non vacat: quia malorum ſuorum digna retributione linguam tormenta ligant. Vnde bene Anna prophetante dicitur. Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit: & impij in tenebris conticeſſent. Quod ſimiliter nunc ait Pſal. dicens, *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* quia nihil quod tantam audaciã præſtet loquendi, ſicut innocentia. & nihil quod tantum intumeſcere faciat: ſicut culpa perpetrata.

*Lætantur iuſti in omnibus operibus Dei, mali triſtantur.*

*Pſal.66.*

*Greg.6.moral.cap.16.*

*Omnis malorum os loquatur claudit iniquitas.*

*1.Reg.2.*

**Quis ſapiens & cuſtodiet hæc: & intelliget miſericordias domini?** 1923

Hic ad opera miſericordiæ Dei, quibus ab omnibus periculis oppreſſos liberat, mente conſideranda omnes excitantur. Vbi aduertendum quòd hic ly, quis, non ſtat interrogatiuè: ſed magis indicatiuè. Et eſt ſenſus. Ille qui eſt ſapiens cuſtodiet hæc, ſcilicet, prædicta opera miſericordiæ Dei cõſeruabit in corde ſuo illa ſæpe meditando. Sicut de glorioſa virgine dicitur, Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Et quis eſt fructus iſtius cuſtodiæ, ſubdit: quia ille qui iſta cuſtodiet, intelliget miſericordias domini, id eſt, non attribuet ſibi aliquod bonum quod habeat: nõ quòd de errore ſit ductus ad viam veritatis: non quòd pericula euaſerit. ſed omnia hæc cognoſcet miſericordias domini in illo ſtetiſſe: & omni in ipſo ſperanti, fideliter ſubuenire. Quilibet etiam iuſtus opera dei mente cõſiderando intelliget miſericordias Dei multas eſſe in ipſo. Quod notans Bernar. ſuper illo verbo: Miſericordias domini in æternum cantabo, dicit. Septem in me miſericordias Dei intelligo. Prima eſt cõſeruatio gratiæ quæ à multis peccatis, &c. vide ver.1500. Ergo intelligite hæc qui obliuiſcitur Deum: ne quãdo rapitur, & non ſit qui eripiat.

*Luc.2.*

*Miſericordiæ dei multiplex in nobis.*

*Pſal.88.*

## PSALMVS CVII.

**PAratum cor meum Deus, paratũ cor meum: cantabo & pſallam in gloria mea.** 1924

Hic Pſalmus hunc habet titulum. Canticũ Pſal. ipſi Dauid. Vbi notandum quòd iſte Pſal. eſt compoſitus ex duobus Pſal. præcedentibus, ſcilicet, ex Pſal.56. & 59. Nam prima pars iſtius Pſal. vſque ad illum locum. Et ſuper omnem terram gloria tua: habetur formaliter in vltima parte Pſal.56. Totum verò quòd in iſto Pſal. ſequitur: habetur in Pſal.59. ſcilicet, vt liberentur dilecti tui. & infra. Ita quòd ex duabus partibus illorum Pſal. Dauid illas partes recapitulando, iſtum Pſal. compoſuit: volens oſtẽdere quòd illi duo Pſal. ad vnum concurrant intellectum: non quidem ſecundum ſuperficiem hiſtoriæ in qua fundantur, ſed ſecundum ſenſum propheticum. Verba ergo de duobus prædictis Pſalm. hic in vnum Pſal. cõiuncta, ducuntur ad alium intellectum in hoc Pſal. quam ibi contineant ſecundum ſuperficiem hiſtorię. In illis enim duobus primis Pſ. agitur de primo de fuga Dauid à facie Saulis. In ſecundo autem agitur de fortitudine & victoria Dauid. Conformiter ad illa duo hic agitur de Chriſto ſecũdum duas Chriſti naturas. quia hic agitur de Chriſti humilitate ſecundum hominem: quæ ſignificatur per fugam Dauid. agitur ſecundò de Chriſti altitudine ſecundum diuinitatem: quæ per fortitudinem & victoriam Dauid ſignificatur. Quod declarat huius Pſal. titulus, dicens, Canticũ Pſal. ipſi Dauid. Et eſt ſenſus tituli. Iſte Pſalm. dicitur canticũ: quia agit de mẽtis iocũditate. Dicitur etiã Pſa. quia mouet ad bonã operationẽ. Canticũ enĩ ad diuinas res pertinet. Pſ. verò ad actuales operationes. Attribuitur ipſi Dauid. i. Chriſto: in cuius

 perſona

perſona Dauid hic loquitur. Intentionem mouent vt Chriſtum verum Deum credamus & hominem. & litera patet ex dictis duobus præteritis Pſalm.ex quibus huius Pſal.litera accipitur. Ideo hic ſolum ſenſum tractabo propheticum .Iſte ergo Pſal.diuiditur in partes duas. quia primò Chriſtus gratias agit patri ſuo : quia à mortuis reſurrexit glorioſè. ſecundò oſtendit fructum qui ſecutus eſt ex ſua reſurrectione:ibi, *Vt liberentur dilecti tui.* Quantum ad gratiarum actionem Chriſtus tria oſtendit. primò gratiarum actionis modum. ſecundò gratiarum actionis effectum : ibi, *Exurge.* tertiò oſtendit cauſam : ibi, *Quia magna.* Quantum ad primum gratias agit Chriſtus patri:quia in paſſione ſibi dedit perfectam patientiam,vt eſſet pleno corde paratus pro nobis mortem ſubire.Et hoc eſt quod ait, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quod bis dicit: quia gratiarum actio fit duobus modis, &c. vide ver.923. Quæ duo alijs verbis diſtinguit, dicens, *Cantabo & pſalmum dicam,*&c.vt ibi.Vbi notandum quòd ex iſtis verbis nos docet Chriſtus cor noſtrũ in omnibus Deo ſubiugare in aduerſis & proſperis. vt in aduerſis ſit paratum per patientiam : in proſperis autem per humilitatem. Ad tantam enim elationem venit cor noſtrum ex fomite primi peccati,quòd plus appetit apparere quam realiter exiſtere.plus falſam apparentiam quàm veram exiſtẽtiam,plus vana quam ſolida.Propter quod dicitur, Non eſt in ore eorum veritas : cor eorum vanum eſt,&c.

*Gratiarum actio fit dupliciter.*

*Cor noſtrum vanum debet Deo humiliari.*

*Pſal.5.*

1925 Exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

Hic ponit Chriſtus effectum gratiarum actionis.Et ponit duplicem effectum , ſcilicet,ſuæ glorioſæ reſurrectionis : & gentium ad fidem conuerſionis ; ibi. *Confitebor.* Quantum ad primum nota quòd iſta verba prima poſſunt eſſe patris ad filium, vel ipſius Chriſti ad corpus proprium. prout ſint verba patris ad filium,dicentis. *Exurge pſalterium & cithara.*. Vbi notandum quòd Chriſtus per pſalterium & citharam intelligitur. dicitur enim pſalterium vt hic ait Glo. propter morum probitatem. pſalterium decem chordas continens manu pulſatur : & ſignificat conſummationem legis quæ in decem præceptis conſiſtit:quam Chriſtus perfectè adimpleuit & perfecit. Math.5. Non veni legẽ ſoluere ſed adimplere. Dicitur autẽ cithara. vide verſ. 481. Sub iſtis ergo duobus nominibus pater loquitur filio,dicẽs, *Exurge pſalterium,*&c.Ex quo apparet effectus gratiarum actionis, qui fuit Chriſti reſurrectio. Poſſunt etiã eſſe verba Chriſti ad corpus ſuum diuinitati vnitum : quod eis rationibus pſalterium & cithara dicitur.Et ſic eſt ſenſus, *Exurge*,id eſt,exurges.Ad quæ verba Chriſtus reſpõdet, dicẽs, *Exurgam diluculo.* Quod ideo dicit:quia Chriſti reſurrectio primo diluculo fuit facta.diluculum enim dicitur prima pars diei & vltima noctis, ſcilicet, quando iam lux aliqualiter incipit apparere. vide ver.943. Et illa hora Chriſtus reſurrexit. In Pſalm.autem 56. præmittitur ante : Exurge gloria mea,quod hic non premittitur.ſed non variat ſenſum:quia Chriſti caro, gloria Chriſti dicitur. vide ver.924.

*Chriſtus dicitur pſalteriũ & cithara.*

1926 Confitebor tibi in populis domine: & pſallam tibi in nationibus.

Hic ponitur ſecundus effectus,ſcilicet,ex Chriſti reſurrectione gentium ad fidem conuerſio. Expone ſicut verſ.925. Et nota quòd Chriſtus patri confitetur:& per ſeipſum dum patri gratias agit,& per alios qui per fidem in Deum credunt. De prima confeſſione,quæ eſt filialis ſapiẽtiæ,dixit Chriſtus.Cõfiteor tibi domine pater cœli & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus , & prudentibus , & reuelaſti ea paruulis.Ita pater:quoniam ſic placitũ eſt ante te. Iſta enim confeſſio Chriſti ad patrem quid aliud eſt quàm noſtra eruditio?ne,ſcilicet,iudiciorum occultorum Dei aliam quæramus cauſam, niſi ipſam Dei voluntatem. Quod oſtendens Greg.25.moral.ca.18.exponens illud Iob 34. Ipſo concedente pacem : quis eſt qui condemnet? &c. Nemo diſcutiat cur ſtante populo Iudaico in fide: dudum in infidelitate gẽtilitas iacuit. Et cur ad fidem gentilitate ſurgente,Iudaicum populum infidelitatis culpa proſtrauit.Nemo diſcutiat cur alius trahatur ex dono ; alius repellatur ex merito. Si enim miraris gentilitatem aſſumptam ipſo concedente pacem:quis eſt qui condemnet? Si Iudæam obſtupeſcis perditam: ex quo abſconderit vultum ſuum:quis eſt qui contempletur eum? Itaque conſiliũ ſummę & occultæ virtutis ſatisfactio ſit apertę rationis.Vnde in euãgelio cum dominus de huius rei cauſa loqueretur,ait. Confiteor tibi domine pater cœli & terræ , quia abſcondiſti hæc , &c. Atque mox tanquam rationem quandam abſconſionis ac reuelationis adiungens ait, quia ſic placitum fuit antę te.Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus ; ne temere diſcutere ſuperna conſilia de aliorum vocatione aliorumq́uę repulſione præſumamus. In cũctis ergo qui exterius diſponuntur, aperta cauſa rationis eſt occultæ iudiciũ voluntatis.Et ideo quia Chriſtus in tali confeſſione noſtram reprimit ſuperbiam : & paternæ voluntatis prædicat potentiam: ipſius confeſſionẽ mente conſiderare debemus:vt dicit Apoſtolus ad Hebręos 3.dicens, Conſiderate Apoſtolum & Põtificem confeſſionis noſtræ Ieſum: qui fidelis eſt ei qui fecit illum.

*Cõfeſſio Chriſti ad patrem eſt noſtra eruditio.*

*Gregor.25 moral.cap.18.*

*Iudiciorũ Dei aliã non quæramus cauſã niſi diuinam voluntatem.*

1927 Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua:&vſq; ad nubes veritas tua.

Hic ponitur cauſa tantæ actionis gratiarũ. Vbi ſciendum quòd merito paſſionis Chriſti ipſe fuit exaltatus ſuper omnem creaturam angelicam vel humanam, cœleſtem vel terreſtrem.vt oſtendit Apoſtolus ad Phil.2. Propter quod Deus dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:vt in nomine Ieſu omne genu flectatur , &c. Quod hic notans Chriſtus ait patri. *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua,* &c. Vbi nota quòd nomine miſericordiæ Dei ipſe Chriſtus homo intelligitur;vel ipſa Chriſti humanitas à verbo aſſumpta. De qua dicitur Pſal.47.Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui,&c. Expone vt ver.926.Solũ autẽ in hoc diſtat iſta littera ab illa ; quia ibi dicitur, Quoniam magnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia tua. Hic autem dicitur, quia magna ſuper cœlos miſericordia tua. Eadem enim eſt ſententia: quia magnificatus idem eſt quòd magnus factus. Et ſic magnus in creatura idẽ eſt quod factus magnus: quia nulla creatura eſt magna niſi ab alio facta & magnificata.Item ibi dicitur vſque ad cœlos: hic autem dicitur ſuper cœlos. Illud enim non obuiat iſti:ſed iſtud magis eſt illius declaratiuum.Sequitur, *Et vſque ad nubes veritas tua.* Exponitur vt ibi.

*Chriſtus dicitur miſericordia Dei.*

*Pſal.47.*

*Magnus idẽ eſt in creaturis quod magnificatus.*



Notãdum autem quòd cum de humanitate Chriſti dicitur , *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua:* hic poteſt accipi cœlum materialiter:Chriſtus autem ſuper omnes cœlos aſcendit corporaliter. ad Eph.4. Vel poſſunt accipi cœli magis myſtice.Vbi notandum quòd cœlum in ſcriptura ſacra ſtat pro cognitione diuina:& hoc ratione ſuæ luminoſitatis.Et ſecundum quòd eſt triplex viſio vel cognitio dei:ſic dicitur eſſe triplex cœlum. Et hoc eſt quòd Paulus fuit raptus vſque ad tertium cœlum in illo triduo,quãdo,ſcilicet,circũfulſit eum lux de cœlo: & fuit tribus diebus cæcus corpore non manducans neque bibens.vt habetur Actu.9.De quo tertio cœlo ipſe ait. Scio homine in Chriſto raptum vſque ad tertium cœlum &c. Ad propoſitum verò ex hoc quòd Chriſtus dicit humanitatem ſuam magnam ſuper cœlos , vult oſtendere quòd humanitas ſua omnia illa genera tranſcendit , clarius vidẽs diuinitatem & perfectius aliqua alia creatura. Sed nunquid ſic ſuper omnes cœlos iſto modo fuit exaltata humanitas Chriſti per meritum ſuæ paſſionis.Reſpondeo,quòd anima Chriſti à principio ſuæ creationis habuit omne meritum & præmium in ſe:quod poſtea habuit.Vnde nunquam profecit in merito:non in gratia:non in ſciẽtia:non in præmio.vnde omnia quæ meruit in paſſione : iam illa omnia meruit in primo inſtanti ſuæ conceptionis: ſed idem pluribus actibus meruit.Hæc ſatis deducit magiſter lib.3.diſt.18.

*Cœli triplex dicuntur triplex cognitio.*

*2.Cor.12.*

*Chriſtus non profecit in merito.*

1928 Exaltare ſuper cœlos deus,& ſuper omnem terram gloria tua:vt liberẽtur dilecti tui.

Hic ponitur fructus qui ex reſurrectione ſecutus eſt. Quamuis proprie verſus hic non incipiat: ſed in Hebræo incipit ibi, vt liberentur dilecti tui. vſque enim ad illum locum excluſiuè totum ſumptum eſt de pſal.56.ſed ab illo loco , vt liberentur, & infra:ſumptum eſt de 59.Sed quia ſecundũ pſalterium noſtrum totum in vno verſiculo cõtinetur: ideo totum inſimul legam : hic incipiens ſecũdam partem iſtius pſal. Sic ergo iſta ſequens pars diuiditur in tres:quia ponitur primò electorum conſolatio.ſecundò diuinæ virtutis recognitio:ibi , *Quis deducet.* tertiò reproborum finalis damnatio:ibi. *In deo.* Prima pars diuiditur in partes quinque : quia ponitur primò eccleſiæ generalis deprecatio.ſecũdò gentium ad fidem conuerſio:ibi, *Deus locutus eſt.* tertiò gentium cõuerſarum applicatio:ibi, *Meus eſt.* quartò tribulationum cõſolatio ; ibi. *Iuda rex meus.* quintò euãgelij Chriſti per orbem prædicatio:ibi, *In Idumeam.* Quantum ergo ad primum ſciendum quòd iſta verba poſſunt eſſe verba pſal.ad Chriſtũ: vel verba Chriſti ad patrem. Si autem ſint verba pſal, tunc pſal. viſis iniuriis Chriſto in paſſione illatis;viſa Chriſti triumphali reſurrectione: deſiderans quòd Chriſtus ſuper omnem creaturam cognoſcatur glorioſus,& verus deus:optat prędicendo & prædicit optando , quòd nomen diuinitatis ſibi dabitur vt ſuper omnem creaturam verus deus nuncupetur. Quamuis enim in ſua cõceptione verus eſſet deus:tamen quia mortalis & paſſibilis,nõ apparebat hominibus & dæmonibus clarè ipſum eſſe deum : vt poſtea apparuit per reſurrectionem eius & aſcenſionem. Dicitur ergo per reſurrectionem & aſcenſionem exaltatus ſuper omnem terram:alias, creaturam:vt deus fieret quod tamẽ erat ante. ſed dicitur deus factus per reſurrectionem & aſcenſionem,eo loquẽdi modo quo res dicitur fieri quando innoteſcit.Illud ergo quod ante reſurrectionem erat:non tamen euidens erat:poſt reſurrectionem fuit in euidenti poſitum, vt euidenter ſcirent homines & dęmones ipſum eſſe verum deum, quod eis ante ineuidens erat. Hæc omnia habẽtur à magiſtro li.3.diſt.18.Quę omnia præuidens pſal. ait Chriſto. *Exaltare ſuper cœlos deus,* id eſt , ſuper angelos vt deus cognoſcaris.Nomine enim cœlorum ipſi beati angeli intelligũtur. vnde in oratione dominica cœlum angelicam naturam dicimus cum oramus : Fiat volũtas tua ſicut in cœlo & in terra. Quod exponens Greg.dicit.Per cœlos enim hi qui in cæleſtibus ſunt cõditi angelici ſpiritus deſignãtur.vnde & orando voce dominica inſtruimur:Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. vt nimirum voluntas dei ſicut à ſuperiori,id eſt,ab angelica natura agitur:ita etiam in omnibus ab humana infirmitate ſeruetur.Cum ergo Pſal.Chriſto dicit: *Exaltare ſuper cœlos deus:* hoc prædicit,quòd Chriſtus per reſurrectionem & aſcenſionem cognoſcatur verus deus:& per conſequens ſuper omnes angelos exaltatur enim deus , non in ſe, ſed in nobis : quando ipſum exaltatum cognoſcimus,quod prius neſciebamus.Et iſtum ſenſum aperiens Conſequẽter ait, *Et ſuper omnẽ terrã gloria tua,* id eſt,ſic exaltare vt gloria tua in qua verus deus es, in omni terra cognoſcatur & dilatetur. quod ſic factum fuit quando apoſtoli poſt eius reſurrectionẽ & aſcenſionẽ Chriſtum eſſe verum deum per omnem terram prædicauerunt,& euidẽtibus miraculis oſtẽderunt.quoniam vt habetur Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorũ &c. Si autem iſta ſint verba Chriſti ad patrem:tunc eſt ſenſus vt Chriſtus patri dicat.O tu deus pater exaltare ſuper cœlos,id eſt,fac in me per quod cognoſcaris ſuper omnes cœlos,id eſt,angelos exaltatus, id eſt,fac me reſurgere & aſcẽdere ad dexteram tuam.Et tũc apparebit hominibus quod gloria tua excedit gloriam angelorum:quia , ſcilicet, tunc apoſtoli mei per omnem terram gloriam tuam prædicabunt. Et hoc eſt quod ſubdit: *Et ſuper omnem terrã gloria tua,* ſcilicet,per apoſtolos erit manifeſtata.Sequitur , *Vt liberentur dilecti tui.* Et hic eſt principium verſus ſequentis in Hebræo : & etiam apud nos in pſal.50. vnde totum quod in iſto pſal. ſequitur , fuit ſumptum. ita quòd iſta pars continuatur cũ ſequenti ver.Sciẽdum ergo quòd Chriſti paſſio in ſe fuit ſufficiens pretium pro redemptione omnium : immo infinitorum mundorum ſi eſſent.tamen quo ad efficaciam ſolum dilectis applicatur & prædeſtinatis à deo , qui fidem formatam cũ operibus habẽt.maior autem pars electorũ erat in gentilibus : ex quibus eccleſia Chriſti fabricãda erat. oportebat gẽtiles vt per Chriſti paſſionem liberarẽtur:& ipſos in Chriſtũ credere.Sed quomodo crederent niſi audirent?Quomodo autem audirẽt ſine prædicante?Quomodo autem prædicabũt, niſi mittãtur?vt deducit apoſtolus Rõ.10.Sed quis habebat eos mittere per orbem, niſi Chriſtus poſt eius reſurrectionẽ aſcenſionẽ & ſpiritusſancti miſſionem?Et ideo vt ſpiritusſanctus per Chriſtũ mittatur,orat Pſal.vt Chriſtus reſurgat,& in cœlũ aſcẽdat:quia niſi aſcẽderet , ſpiritusſanctus non mitteretur,ipſo dicente.Niſi ego vadam,paracletus non veniet ad vos. Orat ergo pſalm.vt Chriſtus aſcendat,dicens. *Exaltare ſuper cœlos deus : ad hoc* ; ſcilicet, vt ſpiritusſanctus mittatur , quo apoſtoli edocti

*Chriſtus qualiter in reſurrectione dicitur exaltatus.*

*Chriſto in reſurrectione datum eſt vt ſit deus & quaſi.*

*Angeli dicũtur cœlum.*

*Gre.27.mor. ca.25.*

*Mat.6.*

*Pſal.18.*

*Vt prædeſtinati ſaluarẽtur oportuit Chriſtum aſcendere & ſpiritũ ſanctũ mittere.*

*Rõ.10.*

*Ioan.14.*

ad prædicandum per omnem terram mittantur: ad hoc vt fide Chriſti per orbem prædicata prædeſtinati Chriſti fidem accipiant. Quod totum hoc ad hoc tendit:vt,ſcilicet, per paſſionem tuam liberentur dilecti tui.Quod declarat verſus ſequẽs cuius hoc quod dictum eſt,eſt principium.

1929 Saluum fac dextera tua , & exaudi me:deus locutus eſt in ſancto ſuo.

Sic ergo continuatur iſte verſus : vt, ſcilicet,liberentur dilecti tui:ſaluum fac dextera tua &c.Vbi notandum quòd in ſcriptura per dexteram dei aliquando ſignificatur dei gratia bonorum præmiatiua : ſicut per ſiniſtrã diuina iuſtitia malorum punitiua. Et hoc ſignificatur ex hoc quòd in iudicio ſtatuet beatos à dextris,ſcilicet , ad partem miſericordiæ per ipſum præmiandos:malos autem à ſiniſtris,ſcilicet, ad partem iuſtitiæ per ipſum puniendos. Vnde Chriſtus pro ſuis fidelibus orans ad patrem ait.*Saluum fac* , ſcilicet , populum mihi creditum.Non quidem peto vt ſaluetur meritis ſuis:ſed dextera tua , id eſt , miſericordia & gratia tua. *Et exaudi me* , ſcilicet , pro eis orantem. Orabat enim Chriſtus pro ſuis tempore ſuæ paſſionis dicens patri. Non pro mundo rogo : ſed pro eis quos tradidiſti mihi. Non rogo vt tollas eos de mundo : ſed vt ſerues eos à malo. Et non pro eis rogo tantum: ſed pro eis & qui per verbum eorum credituri ſunt in me. Et in iſta oratione ſe poſtulat exaudiri. Sed fortè dices. Quomodo iſta ſunt poſſibilia quæ poſtulat Chriſtus vt non tollantur de mundo , & tamen ſeruentur à malo : cum in mundo nullus ſine multis pœnis & miſeriis viuere poſſit? Reſpondeo quòd duplex eſt malum , ſcilicet , culpæ & pœnæ. 15. q. 1. Illa cauenda ſunt. Orat ergo Chriſtus vt ſui ſeruentur à malo:non quidem pœnæ ſed culpę. vt , ſcilicet , mala pœnæ quæ patientur illos corrigant:non per impatientiam ad peccatum inducãt. Quomodo autem omnis oratio Chriſti fuit exaudita,vide verſi.190. 292.406.1105. 1703.Et quòd Chriſtus ſe exaudiendum à deo reputet, certum oſtendit cum ſubdit.*Deus loquutus eſt in ſancto ſuo*.Vbi nota quòd per ly , ſanctum quando ponitur abſolutè Chriſtus intelligitur qui per excellentiam dicitur ſanctus cæteros ſanctificans.Vnde ipſum ſanctum abſolutè vocauit angelus Marię dicẽs.Quod enim ex te naſcetur,ſanctum &c.Vnde & Leui.60. ait. Ego ſanctus ſum qui ſanctifico vos. Sed quid locutus eſt deus pater in iſto ſancto ; niſi quòd per ipſum redimeret genus humanum ? Sic enim per angelum dixit Mariæ. Vocabis nomen eius Ieruſalem:ipſe enim ſaluum faciet populum. &c. Vnde hic ait glo. Deus locutus eſt in ſancto ſuo,id eſt,in me Chriſto. Non ait deus locutus eſt per ſanctum ſuum : ſed in ſancto ſuo. ne per eum putaretur loqui ſicut per prophetas & apoſtolos:quia deus eſt in Chriſto per gratiam vnionis:in aliis autem per gratiam adoptionis. Locutus eſt ergo in ſancto ſuo,quòd per ipſum dilecti liberarentur. Cum ergo diuina promiſſio irrita eſſe non poſſit:certificatus erat Chriſtus de ſalute dilectorũ, & quòd prædeſtinati ad fidem vocarentur. Et hoc eſt quod ſubditur.

*Mat.25.*

*Orauit Chriſtus pro ſuis vt ſeruarẽtur à malo.*

*Ioan.17.*

*Sãctus abſolute dicitur Chriſtus.*

*Luc.1.*

*Luc.1.*

1930 Exultabo & diuidam ſichimam: & conuallem tabernaculorum dimetiar.

Hic ponitur ex Chriſti oratione gentium electarum ad Chriſti fidem conuerſio. Iſte verſus plenè expoſitus eſt verſicu. 963. Dic vt ibi.Iſta enim ſunt verba Chriſti:qui exultat in conuerſione peccatorum.

Meus eſt Galaad & meus eſt Manaſſes : & Ephraim ſuſceptio capitis mei. 1931

Hic ponitur gentium conuerſarum applicatio. Vbi aduertendum quòd deus fideles ſuos conuerſos ad fidem ad diuerſa applicat officia &c. Dic vt verſi. 964. quia ille eſt in omnibus idem cum iſto: niſi quòd ibi dicitur Ephraim fortitudo capitis mei. Et hic dicitur Ephraim ſuſceptio capitis mei. Prima littera ibi expoſita eſt : ſed iſta hic debet exponi. Nam per Ephraim quod interpretatur creſcens,ſiue augmentum,ſignificantur prædicatores: per quos fideles multiplicantur , & creſcunt:vt ibi dictum fuit. Hic autem vult aliam aſſignare cauſam multiplicationis fidelium : quæ fuit ſuſceptio capitis Chriſti , ſcilicet , quando caput Chriſti ſuſcepit ſpineam coronam.Illa enim ſuſceptio coronæ præfigurabat gentibus Chriſtum per paſſionẽ gloria & honore coronandum : vt etiam regnaret in gentibus.Et ſic illa corona non ſolum figura fuit augmentationis fidelium:quæ per Ephraim ſignificatur:ſed etiam cauſa fuit.Et hoc eſt quod ait,*Suſceptio capitis mei*,ſcilicet,corona eſt Ephriam,id eſt, augmentatio fidelium. Et iſtum ſenſum hic ponit gloſ.dicens,Ephraim,id eſt,augmentum vel fructificatio:eſt ſuſceptio capitis mei.quia dum ſpineam coronam caput meum ſuſcepit:vltra omnes fructificauit. Totum enim mũdum hæc ſuſceptio lucrata eſt:quia,ſcilicet,me totius orbis regem fecit, id eſt,me regem mundi eſſe manifeſtauit.

Iuda rex meus : Moab lebes ſpei meæ. 1932

Hic ponitur conſolatio tribulationum.Vbi notandum quòd iuſti ad deum conuerſi , plus conſolantur aduerſis quam proſperis : & plus proſpera timent quam aduerſa &c. expone vt ſupra verſicu. 964.quia in nullo hic & ibi variatur litera:niſi quia ibi dicitur Moab olla ſpei meæ : hic autem lebes ſpei meæ. Sed non eſt diuerſitas : quia pro eodem accipitur lebes & olla.

In Idumeam extendam calceamentum meum:mihi alienigenæ amici facti ſunt. 1933

Hic ponitur euangelij per orbem prædicatio. Hic verſus eſt idem cum verſu.966.Ideo expone ſicut ibi. Solum in hoc differũt:quia ibi dicitur,Mihi alienigenæ ſubditi ſunt : hic autem dicitur,Mihi alienigenæ amici facti ſunt. Tamen idem vtrobique deſignatur. quia omnis voluntariè ſubditus Chriſto per fidem formatam amicus eſt Chriſti. Quibus Chriſtus loquitur dicens, Vos amici mei eſtis,ſi feceritis quę ego præcipio vobis.Et hic notandum , quòd ad hoc quòd quis ſit verus Chriſti amicus,ac etiam cuiuſlibet alterius multas conditiones debet habere,ſcilicet , Intentionis puritatẽ, dilectionis æqualitatem , volitionis conformitatẽ, patientiæ ſtabilitatem , conuerſationis iucunditatem:& caſtigationis ſynceritatem.

*Ioã.14*

*Amicus verus multa debet habere.*

Quis



1934 Quis deducet me in ciuitatem munitam : quis deducet me vſque in Idumeam?

Hic ponitur diuinæ virtutis recognitio.Iſte verſus in nullo diſcrepat à verſic.967.Ideo per omnia exponatur vt ibi.Vel ſecundum gloſ. hic per ciuitatem munitam,id eſt, bene clauſam & firmam,infernus intelligitur : quam nullus poterat penetrare nec aperire. Chriſtus ergo de hoc interrogat:vt reſpondendo oſtendat,quòd ad infernum aperiendum poſt mortem : & Idumeam , id eſt , ad gentes conuertendum , nullus eum deducere poteſt : niſi ſolus deus:& non alius purus homo. Vnde ad hoc reſpondet dicens ſtatim.*Nonne tu deus*. Sic ergo iſte verſus de duplici ciuitate intelligitur , ſcilicet , de cœleſti & infernali.

*Ciuitas gloriæ & ciuitas inferni.*

1935 Nonne tu deus qui repuliſti nos:& non exibis deus in virtutibus noſtris?

Hic reſpondetur prædictæ interrogationi. Iſta reſponſio poteſt eſſe Chriſti loquentis in perſona ſuorũ membrorum,quæ à deo repulſa videntur cũ pœnis & aduerſitatibus exponũtur in vita præſenti.Iſtum verſum expone,vt verſi.968.quia idẽ ſunt.

1936 Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.

Exponitur vt ver. 969.quia idem ſunt pænitus. In tribulationibus enim & aduerſitatibus anima intus fortificatur.Et ſic per tribulationes deus ſuis electis auxilium præſtat:vt deducit Gre. 23.li.mor. cap. 24. Notandum ergo quòd diuinum auxilium maximè datur agonizãtibus tribulatis,& laborantibus,quia eſt confortatiuum militantium.

*Auxiliũ dei datur tribulatis & pugnãtibus.*

1937 In deo faciemus virtutem:& ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

Hic ponitur reproborum finalis damnatio. Iſte ver.eſt idem cum verſu.970.ideo exponitur vt ibi. In hoc enim ſolum eſt differentia iſtius literæ & illius:quia ibi dicitur , Tribulantes nos. hic dicitur inimicos noſtros. quæ pro eodem accipiuntur,ſcilicet , pro malis & reprobis qui electos dei perſequuntur.

## PSALMVS CVIII.

1938 Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Pſalmus iſte talem habet titulum.In finem pſal. Dauid. Qui titulus patet ex multoties ſuperius dictis. Quantum ad materiam notandum , quòd iſte pſal.eſt quintus inter illos qui latius de Chriſti paſſione loquũtur. Quorum primus eſt pſal.21.Deus deus meus:ſecũdus eſt pſal.34. Iudica domine nocentes me.tertius eſt pſal.Exaudi deus orationem. quartus eſt pſal.68.Saluum me fac,quintus eſt iſte. Deus laudem meam. Hic ergo pſal.agit ſpecialiter qualiter Chriſtus à Iuda fuit traditus. qualiter ipſe Iudas de apoſtolatus gradu fuit depoſitus:& Matthias in locum eius ſubſtitutus.vnde literam iſtius pſalm. de Iuda ad literam allegat Petrus apoſtolus Actu.1.dicens,Viri fratres oportet impleri ſcripturam quam prædixit ſpiritusſanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui cõprehenderũt Ieſum.Et ſubdit,Scriptum eſt enim in libro pſal.Fiat habitatio eorum deſerta : & non ſit qui inhabitet in ea.& epiſcopatum eius accipiat alter.Prima pars iſtorum verborum habetur in pſal.68.ſed ſecunda, ſcilicet,& epiſcopatum eius accipiat alter:habetur in iſto pſal. In eo ergo quod agit de proditione & ingratitudine Iudę:conſequenter agit de omnibus inimicis Chriſti ingratiſque Iudæis:quorum perſonas exprimit Iudas:quibus etiam competunt illa quæ hic de Iuda ſunt expreſſa.Intentionem monet iſte pſal Iudæ malitiam declinare : & humilitatem Chriſti paſſionis & patientiam imitari.In iſto ergo pſal.Chriſtus loquitur ad patrem orando.vnde eſt quædam Chriſti oratio declarans ſuam innocentiam:& Iudæ ac Iudæorum maliciã.Diuiditur ergo pſal.iſte in partes quinque:quia in iſta Chriſti oratione primò prenotatur Chriſti innocentia.ſecundò Iudæorum demonſtratur malitia:ibi,*Locuti ſunt*. tertiò Iudæorum prædicitur miſeria:ibi , *Conſtitue*. quartò reſurrectionis Chriſti poſtulatur gloria:ibi, *Et tu domine*. quintò obſtinatorum prædicantur futura ſupplicia,ibi,*Induantur*.Quantum ad primum notandum,quòd illa ſola eſt vera laus,quæ fit ab illo qui nec decipi,nec decipere poteſt. Cum igitur deus ſit huiuſmodi:ſequitur , quòd ille quem laudat,verè laudabilis exiſtit. Et ideo à deo cui omnia ſunt nota:laudes,non ab hominibus ſunt quærendæ.Sed fortè dices.Nunquid licet homini quãtuncunque iuſto laudari velle:vel ſeipſum laudare ? Et videtur quòd non:dicente Chriſto Mat. 6. Neſciat ſiniſtra tua,quid facit dextera tua. Quoniã & Luc. 18. abiectus eſt Phariſæus ille , qui ſeipſum laudabat. Ad oppoſitum Paulus apoſtolus laudans ſeipſum dicit, Bonum certamen certaui:fidem ſeruaui &c.Ad hoc reſpondet glo. ſuper verbo Chriſti , Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus &c.dicens.Prohibet deus opera noſtra bona facere coram hominibus ad hunc finem , vt videamur ab eis & laudemur. Præcipit autẽ vt videant opera noſtra bona proximi , vt deus glorificetur.Ad quod magis declarandum,ſciendũ,quòd deus qui omnium corda ſcrutatur,nõ verba noſtra attendit principaliter:ſed magis noſtræ mentis intentionem.Nam eiſdem verbis à duobus intentione diuerſa dictis,ab vno deus placatur, ab alio vero irritatur.Quod oſtendit Gre.dicẽs,Sicut enim grauis culpa eſt hominem ſibi arrogare quod non eſt: ſic plerumque nulla culpa eſt, ſi humiliter bonum dicit quod eſt.Vnde ſæpe contingit , quòd iuſti & iniuſti habent verba ſimilia:ſed tamen ſemper cor longè diſſimile.Et ex quibus dictis dominus ab iniuſto offenditur : in eiſdem quoque à iuſtis placatur. Nam Phariſæus ingreſſus in templum dicebat. Ieiuno bis in ſabbatho : decimas do omnium quæ poſſideo. Sed iuſtificatus magis publicanus quam ille exiit. Ezechias quoque rex : cum moleſtia corporis afflictus ad extremitatem vitæ perueniſſet:in oratione compũctus dixit,Obſecro domine:memẽto quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto. Nec tamen dominus hanc confeſſionem perfectionis eius deſpexit , aut renuit : quem mox in ſuis precibus exaudiuit.Ecce Phariſæus ſe iuſtificat in opere.Ezechias ſe iuſtum aſſeruit etiam in cogitatione:atque vnde ille offendit:inde iſte dominum placauit.Cur itaque hoc niſi quia omnipotens deus ſingulorum

*Actu.1.*

*Quæſtio. Laudare ſeipſum an ſit licitum.*

*Luc.18.*

*2.Thi.4.*

*Matth.*

*Grego.lib.12. mor.c.16.*

*Luc.18.*

*4.Re.20.*

*Eſa 38.*

verba atque cogitationes penſat:& in eius auribus ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur &c.Ex quibus verbis clarè patet,quòd licitè poteſt quis in caſu velle laudare. ſed hoc non pro ſe ſed pro proximorum vtilitate. Nam certum eſt: quòd quandoque qui bonus eſt intus, exterius diffamatur & malus creditur. Et econtra qui malus eſt intrinſecus; exterius commendatur & bonus creditur. Si ergo quis doctor vel prælatus alios habens docere vel regere:quamuis intus ſit bonus:ſi exterius diffamatus videt auditores ſuos doctrinã eius deſpicere,ſubditos eius præcepta cõtemnere:nonne talis pro vtilitate ſubditorum appetere licite poteſt ſuam bonitatem eſſe ſubditis manifeſtam & ſuam bonam famam apud ſuos rutilare? Certũ eſt quòd ſic:immo in tali caſu crudelitatis argueretur: ſi circa bonam ſuam famam procurandam negligens foret.Vnde Greg.dicit, Sicut viri de ſua bona opinione nonnunquã gaudent:ſed cum hanc proficere audientibus penſant: nec iam de opinione ſua:ſed de proximorum gaudent vtilitate: quia aliud eſt fauores quærere, aliud de prouectibus fauorum exultare. Sicut infirmus libenter medicinã amaram recipit ratione conſequendæ ſanitatis:ſic & iuſtus laudes ſuas quærit ratione conſequendæ vtilitatis ſubditorum. Et huiuſmodi exemplũ nobis Chriſtus dedit, qui laudes ſuas à deo publicari quæſiuit,dicẽs, *Deus laudem meam ne tacueris*.Si enim Chiſti infamia iniuſtè ſibi illata,vt puta quòd eſſet ſeductor & dæmoniacus: apud mentes hominum remaſiſſet.quis ad eius fidem fuiſſet cõuerſus?Certũ eſt quòd nullus. Dicat ergo Chriſtus patri.*Deus laudem meam ne tacueris*.ſed ipſam mundo manifeſta. *Quia os peccatoris ſuper me apertum eſt*,id eſt,populi Iudaici. Ex quibus apparet quòd in caſu peccatum eſſet ſuas virtutes & laudes tacere. Sed pone. Duo ſunt,quorum vnus ſe laudat vltra cõdignum.alius ſeipſum vituperat vltra condignum. Certum eſt, quòd vterque peccat.Sed quis iſtorum magis peccat?vide ad Titum.6.

*Famã ſuam nullus negligere debet.*

*Greg.lib.22. mor.ca.9.*

*Laudans ſe vltra cõdignũ vel vituperãs quis magis peccat.*

1939 Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa: & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.

Hic ponitur Iudæorum erga Chriſtum malitia quia Chriſto ſummè fuerunt ingrati. Et diuiditur in tres partes. ſecũdum quòd ſuam malitiam & ingratitudinem contra Chriſtum habuerunt in tribus.Primo in falſa oblocutione.Secundo in praua emulatione,ibi.*Pro eo*.Tertio in iniqua operatione, ibi, *Et poſuerunt*. Quantum ad primum notandum, quòd Iudæi contra Chriſtum quandoque loquebantur doloſè: quandoque iniquè. Loquebantur doloſè,quando ficte eum commendabant vt ipſum deciperent & caperent in ſermone; ſicut quando doloſè ſibi dicebant. Magiſter ſcimus quia verax es:& viam dei in veritate doces &c.quando adduxerunt ei mulierem in adulterio deprehenſam, dicentes, Magiſter hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio &c.Locuti ſunt doloſè,quando conſilium fecerunt: quomodo Ieruſalem dolo tenerent & occiderent. Loquebantur doloſè, quando ipſis congregatis vt doloſe Ieſum tenerent: ad ipſos Iudas acceſſit,dicens, Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Loquebantur doloſè, quando vt ipſum traderet, ſibi pecuniam dare promiſerũt, Quæ omnia præuidens pſal. in perſona Chriſti dicit, *Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa*. Et ab iſta lingua doloſa: per ſuam reſurrectionem ſe liberari poſtulabat Chriſtus dicens patri, Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua doſoſa. Aliquando vero non doloſè, id eſt,abſcõſe,ſed iniquè & apertè contra Chriſtum loquebantur. vt puta quando apertis vocibus dicebant.Nonne bene dicimus nos: quia Samaritanus es tu:& dæmonium habes?Quando Pilato dicebant.Ioan. 19. Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Quando clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Quæ omnia verba ex fomite odij procedebant. Quæ notans hic Chriſtus ait. *Sermonibus odij circundederunt me: & expugnauerunt me gratis*, id eſt, ſine iuſta cauſa. Sicut enim piis placet per ſe æquitas:ſic & impiis iniquitas.Nota quòd aliquis contra alium poteſt loqui multipliciter. Primò iuſta iuſtè.vt puta quando aliquis peccatum quod alius fecit,loquitur iuſta intentione.vt, ſcilicet, ille corrigatur.Secundò iniuſta iniuſtè.vt cum quis alium falſè diffamat:& iniqua intentione: tunc loquitur iniuſta, quia falſa: & iniuſtè quia intentione ſiniſtra. Tertiò iniuſta iuſtè. vt cum quis credens verum dicere alteri crimen obiicit falſum:tamen bona intentione. Quartò iuſta iniuſtè. vt cum quis loquitur vera: ſed malo animo & intentione non corrigendi ſed vituperandi. Vnde Gregorius dicit. Omne quod dicitur: quadrifaria poteſt qualitate diſtingui. Quia autem mala malè: aut bona bene: aut mala bene: aut bona malè dicuntur. Malum enim malè dicitur,cum res peruerſa ſuadetur,ſicut ſcriptum eſt. Benedic deo:& morere.Bene bonum dicitur, cum rectè recta prædicantur. Sicut Ioannes ait.Agite pœnitentiam: appropinquabit enim regnum cœlorum. Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vicium exprimitur, vt reprobetur.ſicut Paulus ait. Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum qui eſt contra naturam,quo loco execranda quoque virorum facinora ſubdidit. Sed honeſtè inhoneſta narrauit: vt multos ad honeſtatis formam ab inhoneſtis reuocaret.Malè autem bonum dicitur, cum rectum aliquid non recto ſtudio profertur:ſicut illuminato cæco Phariſæi dixiſſe perhibentur. Tu ſis diſcipulus eius. quod maledictionis vtique dixerunt ſtudio non orationis voto. Et ſicut Caiphas ait, Oportet vnum hominem mori pro populo:vt non tota gens pereat. Bonum quippe,ſed non bene locutus eſt: quia dum crudelitatem vobis appetiit, redemptoris gratiam prophetauit. In propoſito ergo iſti contra Chriſtum locuti ſunt mala malè. quia, ſcilicet, falſa & intentione corrupta. Quod explicans Chriſtus ait,*Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa &c.*

*Matth.22.*

*Ioan.8.*

*Matth.26.*

*Pſal.119.*

*Ioan.8.*

*Ioan.19.*

*Loquimur quatuor,ſcilicet,bene bona bene mala, male mala, male bona.*

*Gre.23.mor. c.3.*

*Matth.3. Ioan.1.*

*Rom.1.*

*Ioan.9.*

*Ioan.11.*

Pro eo vt me diligerent,detrahebãt mihi:ego autem orabam. 1940

Hic oſtendit quòd contra Chriſtum oſtenderunt ſuam ingratitudinem in praua æmulatione: quia,ſcilicet,pro dilectione ipſi rependebant odia, & pro oratione detractiones. Et hoc eſt quod ait Chriſtus, *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi*, id eſt, pro eo quod debebant diligere: detrahebant mihi,ſcilicet,negãdo me eſſe filium dei. vt puta detrahebant Chriſto,quando dicebat,In Belzeebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Ioann.9. Nos

*Detractio quã graue ſit peccatum.*

*Luc.11.*



ſcimus,quia hic homo peccator eſt. Matt.11. Hic homo eſt vorator & potator vini, & publicanorum amicus.Nota quòd aliqui textus aliter habẽt,ſcilicet, pro eo vt me diligerent interficiebant me:& detrahebant mihi.q.d.ſecundum gl.ideo interfecerunt: quia detraxerunt. Plus enim nocent membris Chriſti detrahentes Chriſto qui animas crediturorum interficiunt quàm qui eius carnem mox reſurrecturam peremerunt. Et ſic eſt ſenſus. Pro bono mala reddebant: quia illi detrahebant: ego autem orabam: non ſolum pro diſcipulis, ſed etiam pro illis.vt puta quando exiſtẽs in cruce ait ad patrem.Pater dimitte illis, &c.Sed dices.Nunquid Chriſti oratio fuit exaudita à patre: cum illi Iudæi obſtinati permanentes vſq; hodie non ſint conuerſi ad Chriſtum?Dicitur quòd omnis Chriſti oratio fuit exaudita:vnde & omnes illi conuerſi ſunt,pro quibus orauit. Nam vt dicit Hiero.ſuper Matthæum in prolatione huius orationis vltra quinq; milia conuerſi ſunt. Orabat ergo pro illis quos videbat electos:& illi conuerſi fuerunt. Nos autem quia diſcernere non valemus inter electos & præſcitos:generaliter oramus pro omnibus, & de primis exaudimur nõ pro ſecundis. Nota quòd detractio eſt multiplex.quædam bona:quædã mala.Vide.verſic.629. Item nota quid propriè eſt detractio mala,& quàm multiplex ſit.verſi.828.Item nota quòd detractio per coruũ figuratur: & quot mala facit.Vide ſupra.verſic.1698.

*Matth.11.*

*Gloſa.*

*Luc.23.*

*Quæſtio.*

*Orauit Chriſtus pro electis non pro præſcitis.*

*Detractio [illegible] mala [illegible].*

1941 Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis:& odiũ pro dilectione mea.

Hic oſtendit quòd ſuam ingratitudinem Chriſto oſtenderunt per iniquam operationẽ:quia:ſcilicet,non ſolum verbis ſed operibus mala pro bonis acceptis reddebant. Chriſtus enim multa bona fecerat eis prædicando,infirmos eorum ſanando,mortuos ſuſcitando:& pro ipſis orando. Pro quibus omnibus ipſi ipſum perſequebantur ad mortem.Et hoc eſt quod Iudæis Chriſtus dicebat. Multa bona opera oſtẽdi vobis ex patre meo:propter quod eorũ opus vultis me lapidare?Quæ omnia præuidens pſalmus in perſona Chriſti dicit de Iudæis. *Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis*. Sed quæ fuit cauſa omnium illorum malorum? Certè ſola illorum mala intẽtio & odium: propter quod ſubdit, *Et odium pro dilectione mea*. Nã occidere Chriſtum, non fuit malum niſi inquantum ex odio & mala voluntate ipſorum proceſſit. Nam pater tradidit pro nobis Chriſtum in mortem: ſed quia nõ odio,ſed charitate ideo commẽdatur. Sic & Chriſtus tradidit ſeipſum: vnde eius charitas vbiq; cõmendatur.Sed quia Iudas & Iudæi ipſum tradiderunt odio:ideo reprobantur: vt deducit magiſter. lib.3.diſt.20.Vnde ait hic glo. *Et odium pro dilectione mea*. Hic eſt omnis & magnus reatus eorum. Non enim nocere Chriſto potuerunt perſequentes,non neceſſitate ſed voluntate moriẽtem.ſed totum crimen perſequentium fuit odium. Hic notat Augu. ſuper iſtum locũ: quòd retributionis ſex ſunt differentiæ.Et ſimiliter ponitur.23.quæſt.3.ſex ſunt. Vnde ait. Notandum quòd in reddendis bonis vel malis pro bonis vel malis:ſex ſunt differentię,quæ cõmemoratæ animaduerti facile poſſunt, ſcilicet, reddere bona pro malis: non reddere mala pro malis. Hæc duo bonorum ſunt: & primum quidẽ melius eſt.Itẽ non reddere bona pro bonis & reddere mala pro bonis.Et hæc duo malorũ ſunt: ſed poſterius peius eſt. Item reddere bona pro bonis: & mala pro malis.Et hæc duo ſunt mediorum,ſcilicet,illorum qui ſunt vel mediocriter mali.& primum propinquius eſt bonis. Quod Chriſtus non arguit in euangelio: ſed plus oportere dicit: quia ethnici hoc faciunt. diligunt enim diligentes ſe. Poſtremum verò, ſcilicet, reddere mala pro malis propinquum eſt malis:conuenit tamen bonis.Vnde & lex modum vltionis ſtatuit:oculum pro oculo,& dentem pro dente,& huiuſmodi:quæ (ſi dici poteſt)iniuſtorum iuſtitia eſt:non tamen ideo quia iniqua ſit vltio quam lex ſtatuit: ſed quia vitioſa eſt libido id expetẽtis deſiderio vlciſcẽdi. Hoc autem non ad hominem:ſed magis ad iudicem pertinet.Cum enim homo hoc agit: reddit malum pro malo.Iudex vero nõ:ſed delectatione iuſtitiæ iuſtũ reddit pro iniuſto:quod eſt reddere bonũ pro malo.quod etiam deus iudex facit. Tribus ergo modis omne peccatum cõtrahitur in huiuſmodi redditionibus. Primus gradus eſt non reddere bona pro bonis.Secundus reddere mala pro malis. Vltimus eſt reddere mala pro bonis. & hoc eſt deterius.Et hoc Iudæi elegerũt,ſcilicet, vt Chriſto detraherent:& odium pro dilectione redderent. Cõtra hæc ſunt alia tria quæ ſpectant ab bonos. Primum eſt dare bona pro bonis. Secundum nõ reddere mala pro malis.Tertium vero quod eſt perfectum:eſt reddere bona pro malis. Et hoc Chriſtus orans pro Iudæis fecit. Et hoc eſt quod contra Iudæos ait. *Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis,&c.*

*Ioan.10.*

*Occidiſſe Chriſtum ex charitate non fuiſſe peccatum.*

*Gloſa.*

*Reddere ſex ſunt differẽtia.*

*Matth.5.*

*Exod.21.*

Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus ſtet à dextris eius. 1942

Hic conſequenter ex præmiſſis peccatis Iudæ & Iudæorum prædicitur miſeria. Et diuiditur in partes duas. Quia primo ponitur pœna Iudæ in ſpeciali.Secundò pœna Iudæorum in generali. Secunda pars ibi, *Nutantes*. Prima pars diuiditur in quatuor partes ſecundum quòd quatuor pœnas de ipſo prædixit: quia ex illo peccato primo Iudas diabolo fuit deputatus. Secundo ad pœnam æternam fuit condemnatus, ibi, *Cum iudicatur*. Tertio de apoſtolatu fuit cancellatus:ibi,*Fiant dies*. Quartò vita cito fuit priuatus:ibi, *Fiant filij eius*. Quantũ ad primum ſciendum, quòd in ſcriptura nomine peccatoris ſimpliciter poſiti ſignificatur diabolus: tum quia primò ipſe peccauit: tũ quia primos parentes ad peccandum induxit: tum quia omnium peccatorum eſt caput.vnde hic ait gl. *Conſtitue ſuper eum peccatorem*,id eſt,ſuper Iudam diabolum: vt qui noluit eſſe Chriſto ſubditus,diabolo ſubiiciatur.Vnde & ſi quæras quem peccatorem cõſtituet ſuper eum? reſpondet diabolum. Vnde ſubditur, *Diabolus ſtet à dextris eius*. vnde notat gloſ.quòd hoc cuilibet dextrum vocatur: quod cæteris aliis præponitur & tanquã melius elucet.quia dextera pars fortior eſt, nobilior & ad operandum promptior. vt qui præponit caſtitatem libidini: caſtitas eſt illi dextrum.qui verò libidinem:libido eſt ſibi dextrũ, Similiter qui præponit diuitias ſcientiæ: diuitiæ ſunt ſibi dextrum: & econuerſo. Iudæ ergo quod erat dextrum,ſcilicet,opera diaboli quę præpoſuit operibus Chriſti,auaritia quam præpoſuit ſuæ ſaluti.Stetit ergo diabolus à dextris eius:quia diabolum præpoſuit Chriſto: dum præpoſuit auaritiam ſapientiæ:pecuniam ſuę ſaluti:vt eum pecunia traderet,à quo debuit poſſideri,ne à diabolo poſſideretur. Hæc ergo præuidens pſal.ait. *Conſtitue ſuper eum*

*Peccator abſolute dicitur diabolus.*

*Dextrũ dicitur cuilibet quod ſibi præponit.*

*Diabolus ſuper Iudã fuit conſtitutus.*

eum peccatorem,&c.prædicit,non optat.Hoc autem maxime impletum fuit in Iuda,quãdo *Ioan.13.* Chriſtus cum intinxiſſet bucellam panis tradidit Iudæ: & poſt bucellam introiuit in eum Sathanas : quia *Auguſt.* tunc,ſcilicet,plenius ipſum poſſedit.vnde Auguſt. ſuper Ioan.Tunc introiuit in Iudam ſathanas : introiuit in eum:vt iam ſibi traditum plenius poſſideret. Neq; enim non in illo ante erat quando de pretio tradendi dominum ad Iudæos pactus eſt: *Luc.22.* cum Lucas dicat, Intrauit autem Sathanas in Iudã & abiit:& locutus eſt cum principibus ſacerdotũ: vt proderet eum illis. Talis iam venerat ad comedendum : ſed poſt panem introiuit in eum diabolus:nõ vt adhuc alienum tentaret:ſed vt proprium poſſideret.Tunc enim verificatũ eſt quod per pſal. B prædictum fuerat. *Cõſtitue ſuper eum peccatorem, &c.* Quod Deus dicitur facere:quia iuſto iudicio illud permittit. Iſtum autem verſum aliter exponit Nicolaus : & iudicio meo magis extraneo modo dicens. Hoc intelligendum non ſolum de Iuda, ſed *Caiphas peccator dicitur.* etiam de populo illo Iudaico.vt ſit ſenſus, *Cõſtitue,* id eſt,cõſtitues ſuper eum,ſcilicet,populum Iudaicum peccatorem,id eſt, Caipham qui erat pontifex anni illius : qui ideo hic dicitur peccator abſolutè:quia dedit vltimum cõſilium de morte Chri- *Ioan.11.* ſti:vt habetur Ioan,11. *Et diabolus ſtet a dextris eius,*id eſt,ſtabit:quia ad hoc à diabolo principaliter incitabatur:quia cum eſſet pontifex anni illius , & per conſequens magnæ auctoritatis, poterat alios ad ſuam ſententiam facilius inclinare.Et tunc diabolus ſtetit à dextris eius : quia voluntatem diaboli, C ſcilicet,de morte Chriſti ſententiando præelegit.

## 1943 Cum iudicatur exeat condemnatus:& oratio eius fiat in peccatum.

Hic oſtendit quomodo inde ad æternam pœnã fuit condemnatus.Vbi notãdum quòd cum Chriſtus in cæna ſuis dixiſſet diſcipulis, vnus veſtrũ me *Matth.26.* traditurus eſt, adiunxit dicens , Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo:ſtatim ſentẽtiam contra proditorem Iudam protulit dicẽs,Væ *Væ ſignificat damnationẽ æternam.* autem homini illi per quem tradetur. Per væ enim ſignificatur dãnatio æterna : vt apparet Matth.23. vbi Chriſtus hypocritas oſtendit damnãdos æternaliter dicens, Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ qui clauditis regnum cælorum ante homi- D nes nec vos intratis , &c. Dicens ergo Chriſtus de Iuda proditore , vę autem homini illi per quẽ tradetur:ipſum ex peccato ſuo quod præſciebat condemnauit ad æternam pœnam. Quãdo autẽ Chriſtus illam ſententiam protulit adhuc erat in cæna *Matth.26.* cum illo : vt habetur Matth.26.poſt autem prædictam ſententiam cõtra Iudam datam diſcipuli volentes ſcire contra quem data eſſet ſententia aſpiciebant ſe mutuo hæſitantes de quo diceret. Cum *Iudas exiuit a cæna condemnatus.* ergo Ioannes recumberet in ſinu Ieſu ad nutũ Petri dixit ad Ieſum. Domine quis eſt qui tradet te? Cui dixit Ieſus. Ille eſt cui intinctum panem ego porrexero, Et cum intinxiſſet panem dedit Iudæ. Cum ergo accepiſſet ille bucellam exiuit cõtinuo: *Ioan.13.* vt habetur Ioann.13. Ex quibus patet quòd Iudas E antequam de ſocietate Chriſti in nocte cænæ exiret:iam contra eum data erat ſententia damnationis æternæ per Chriſtum. Et hoc eſt quod præuidens pſal.in perſona Chriſti dicit,*Cum iudicatur*,ſcilicet in cæna à Chriſto, *exeat condemnatus*,id eſt,exibit iam condemnatus:quia poſt prolatam ſententiam a Chriſto Iudas exiuit à conſortio Chriſti & A apoſtolorum ad perficiendum proditionem ſuam: quam ante facere principibus ſacerdotum promiſerat,ſcilicet,vt de facto traderet Chriſtum in manibus eorum:vt habetur Ioann.18.Sequitur quod *Ioan.18.* eſt mirabile.*Et oratio eius fiat in peccatum.* Vbi notandum quòd oratio ſecundum grammaticos dicitur quaſi oris ratio. *Oratio idẽ eſt quòd oris ratio ſiue locutio.* Et ſic omnis ad alterum prolocutio:oratio poteſt nũcupari. Vnde & ambaſiatores ad loquendum alicui miſſi oratores dicuntur. Et *Oratio quomodo fit in peccatum.* ſecundum iſtum intellectũ:oratio Iudæ fuit quando exiuit de cæna à conſortio Chriſti quòd directa via iuit ad principes ſacerdotum ad orãdum,id eſt, ad loquendum cum eis quòd modo erat hora capiendi Chriſtum:& ad petendum ab eis cohortem B & miniſtros vt caperẽt Ieſum. Et ſic nulli dubium quòd talis Iudæ oratio illi fuit in peccatum , ſcilicet tractatio quòd Chriſtus caperetur : quod & de facto fecit.Et hoc eſt quod præuidens pſalm.ait. *Et oratio eius fiat in peccatum*, ſcilicet , ipſi Iudæ , & aliis qui ad orationem eius dederunt ei cohortem & miniſtros.Magis autem hic myſticè notat gl.quòd *Oratio bona oratio quæ fit per Chriſtum.* illa oratio oranti fit in peccatum qua quis nõ vult ſequi Chriſtum , ſed perſequi magis.Non enim eſt iuſta oratio:niſi illa quæ fit per Chriſtum.Illa autẽ quæ non fit per Chriſtum:non ſolũ non delet peccatum:ſed etiam ipſa fit peccatum. Illa autem oratio non fit per Chriſtum quæ nec affectu bono fit nec bonum petit.Sicut ecõtrario illa oratio fit per Chriſtum : qua petitur quod petendum eſt & eo modo quo petendum eſt. Alioquin aut ſic oratur C vt in parte ſit oratio per Chriſtum : & in parte nõ: quando,ſcilicet , bonum non bene , vel bene non bonum petatur. Iudas autem nec bonum nec bene petiit. Quando autem Iudas ſic orare potuit vt oratio eius fieret in peccatum , certe iam nõ poterat orare per Chriſtum : cum iam cogitaret de illo tradendo.Ex quo habes quòd omnis orans peccat *Orans quod non debet vel qualiter non debet peccat.* orando : qui orando aut petit quod non decet aut petit affectione & modo : quo non petere decet. Quid ergo dicemus de petentibus in oratione tẽporalia non æternam ſalutem corporis,non animę & huiuſmodi?De talibus enim dicitur:Cum mul- *Eſa.1.* tiplicaueritis orationes veſtras , nõ exaudiam vos: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.

## Fiant dies eius pauci : & epiſcopatum eius accipiat alter. 1944

D Hic ponitur tertia pœna Iudæ,ſcilicet,quòd in apoſtolatu modicum ſtetit , & de collegio apoſtolorum fuit cancellatus. Et hæc vtẽti ratione maxi- *Philoſophus 4.Ethicorũ.* ma pœna eſſe videtur.Nam ſicut honor in pręſenti vita videtur bonum ſupremum : ſic priuatio honoris qua quis ab honore alto ad confuſionem cadit : pœnarum temporalium maxima eſſe videtur. *Iudas medicũ tẽpus ſtetit in apoſtolatu.* Conſidera ergo quàm altus honor & gradus erat Chriſti apoſtolatus , ad quẽ gratuitè à Chriſto Iudas fuerat electus : quia de toto orbe ad tam altam dignitatem duodecim elegit,vt eſſent totius orbis lumen:ſeculi totius iuſti iudices : vt cœlum verbo clauderent:ſeraſq; eius ſoluerent:animas hominũ E ligare & ſoluere poſſent. Et ideo quanto gradus apoſtolatus honore erat altior,tanto ab ipſo deponi,maior fuit pœna. In iſto autem gradu apoſtolatus Iudas paucis ſtetit diebus:quia apoſtoli à Chriſto fuerunt electi poſtquam Chriſtus incepit prædicare.cuius prædicatio durauit per tres annos.Petrus autem apoſtolatum tenuit poſt mortẽ Chriſti per multos annos.ſic & Andræas, Matthæus , &c. Et



Et hoc præuidens pſalm.ait. *Fiant*, id eſt erunt dies A eius pauci,ſcilicet,in apoſtolatu. *Et epiſcopatum eius accipiat*, id eſt,accipiet alter:quia ſcilicet,dignitatẽ apoſtolatus loco eius accepit Matthias:vt habetur *Act.1.* Act.1.vbi hunc textum pro electione Matthiæ faciẽda allegat Apoſtolus Petrus , ad literam dictum eſſe de Iuda,dicẽs,Viri fratres oportet impleri ſcripturã quam prædixit ſpirituſſanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt dominum Ieſum:qui cõnumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius,&c. Scriptũ eſt enim in lib.pſal. *Fiat commoratio eorũ deſerta , &c.* *Epiſcopatus eſt nomẽ honoris & laboris.* *Et epiſcopatum eius accipiat alter.*Nota ergo quòd epiſcopatus in eccleſia alti eſt honori,ſed magni laboris.quod ex ſuo patet nomine. Nam ſcopin quod eſt intendere vel ſpeculari componitur cum epi, B quod eſt ſupra:& inde dicitur epiſcopus,quaſi ſpeculator,& ſuperintendens,curam ſubditorum gerens. Vel dicitur ab epi & copos , quod eſt labor quaſi ſuperlaborãs ſupra gregem ſibi commiſſum. Et quia talis labor & ſpeculatio eſt labor bonus & *1.Tim.3.* meritorius : ideo de epiſcopatu ait Apoſtolus. Si quis epiſcopatum deſiderat , bonum opus deſiderat.Sed vt ait catholicon:hodie magis videtur eſſe nomẽ honoris quàm oneris : magis domini quàm *1.Tim.3.* miniſtratoris. De tanto ergo officio depoſitus fuit Iudas : quia oportet eſſe epiſcopum ſine crimine. Ipſe autem radicem omnium criminum in ſe cõtinebat,ſcilicet,auaritiam:qua inebriatus Chriſtum *Iudas auaritia tradidit Chriſtum.* vẽdidit ſuum dominum & magiſtrum.Vnde iſtius iuſtam depoſitionem propter cupiditatẽ auaritiæ C notans Ioãnes Chryſoſtomus in ſermone de proditione Iudæ, ſic ait , Ait Iudas principibus ſacer- *Matth.26.* dotum, Quid vultis mihi dare & ego eũ vobis tradam?Dico Iuda omniũ ſceleratiſſime,hoc tibi magiſter docuit:hoc tibi tantus doctor oſtendit? Ideo enim diuitias debere contemnere prędicabat:ideo *Matth.20.* admonebat. Nolite poſſidere aurum nec argẽtum in zonis veſtris , vbiq; auidam cupiditatem pecuniarum excludens. Nam & hoc tibi perſuadebat *Matth.5.* dicens.Si quis te percuſſerit in vna maxilla:præbe ei alterã.Quid vultis mihi dare , &c.Dic mihi quæ cauſa proditionis eſt.Tradis magiſtrum : nunquid laceratus ab eo ? audiam læſionem tuam. Forſitan quòd tibi dęmonum tradidit poteſtatem. quòd fecit te languẽtibus ſubuenire.quòd mortuos ſuſci- D tare didiciſti : has beneficiorum vices exſoluis di- *Matth.26.* cens , Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam?O dementia,imo cupiditas proditoris:Cũcta enim mala cupiditas procurauit. Hac affectus Iudas magiſtrum tradidit.Nam cupiditas huiuſmodi ſortita eſt naturam : captas animas retinet : & omnibus modis alligatas conſtringit . beneficiorum omnium obliuionem imponit : & alienationem mentis oſtendit & animæ. Iudas captus cupiditatis inſania:quanta beneficia conuerſationis menſę apoſtolatus admonitionis ſuaſionis oblitus eſt:cu- *1.Tim.6.* piditati intentus? Vnde & Apoſtolus omnium malorum radicem cupiditatem dicit eſſe.Hæc Iudam à Chriſti menſa expulit : de libro vitæ cancellauit: ac de epiſcopatu ſui apoſtolatus excluſit , vt alter E ſui loco poneretur,dicente pſal. *Fiant dies eius pauci: & epiſcopatum eius accipiat alter.*

## 1945 Fiant filij eius orphani:& vxor eius vidua.

Hic ponitur quarta pœna Iudæ. quia ſcilicet, citò poſt proditionem ſuã fuit vita priuatus : quia, A ſcilicet,eodem die quo Chriſtus fuit paſſus. Nam *Matth.27.* vt habetur Matth.27.videns Iudas quòd damnatus eſſet,ſcilicet,Chriſtus ad mortem : pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum,dicens,Peccaui tradens ſanguinem iuſtum:& abiens laqueo ſe ſuſpendit : & diffuſa ſunt omnia viſcera eius:vt habetur Act.1. Hoc ergo *Act.1.* notans pſalm.dicit. *Fiant filij eius orphani.* Filij enim alicuius fiunt orphani ex morte patris : quia,ſcilicet,eodem die paſſionis ſe ſuſpendit. Quod aliis verbis repetit:dicens , *Et vxor eius vidua* : quia vxor alicuius non fit vidua niſi per mortem illius cuius eſt vxor.Habebat enim Iudas vxorem & filios , vt *Gloſa.* hic ait glo.Ex hoc enim vult notare pſal.quòd etiã filij & vxor Iudæ propter ipſius peccatũ ſunt paſſi: B quia ſcilicet , filij effecti ſunt orphani , & vxor vidua.Sed hic gl.mouet quæſtionem : quare hic no- *Mortui an cognoſcant quæ hic aguntur.* minat filios Iudæ & vxorem?vult ne forte ex hoc innuere quod ad pœnæ Iudæ ſpectet,quòd ſui cari hic relicti paſſi ſunt : an etiam nullus dolor tangat mortuos de iis quæ in ſuis caris poſt mortem contingunt : vel quomodo ea quæ circa nos aguntur: *Gloſa.* nouerunt ſpiritus mortuorum.Ad iſtud reſpondet gl.dicens , Breuiter dici poteſt , quòd mortuis eſt cura de ſuis caris:vt de diuite legitur:qui dum tor- *Luc.16.* menta apud inferos pateretur : leuauit oculos ad Abraham:& inter alia dixit, Habeo enim quinque fratres:ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Habent enim mortui curam de viuis quos ſciunt viuere : quia nec in locis pœnarum vident C eos,vbi diues ſine fratribus erat:nec in requie bea- *Damnati vidẽt beatos vſque ad diẽ iudicij.* torum vbi Abraham & Lazarum agnoſcebat. Dãnati enim videbunt beatos vſq; ad diem iudicij:nõ tamen ideo conſequens eſt eos ſcire quæ circa caros illorum agantur hic , vel læta vel triſtia. Vult dicere quòd mortui ſciunt ſuos viuere:ex hoc quia nõ vident eos ibi eſſe,nec cum beatis neq; cũ malis:non tamen eos hic vident : vnde neſciunt quid circa eos,ſcilicet,viuos agatur.

## Nutantes transferantur filij eius, & mendicent : & eiicientur de habitationibus ſuis. 1946

Hic ponitur Iudæorum pœna in generali. Et D diuiditur in duas partes:quia primò ipſorum multiplex pœna ponitur : ſecundò dictæ pœnæ cauſa oſtenditur:ibi , *Fiant contra dominum ſemper.* Quantum ad primum,pœna multiplex Iudæorum prædicatur , quam propter Chriſti mortem erant paſſuri : quia primo à ſuis habitationibus fuerunt expulſi.ſecundò ſuis bonis omnibus fuerunt expoliati : ibi , *Scrutetur.* tertiò omni adiutorio fuerunt deſtituti:ibi,*Non ſit illi adiutor.*quartò de mundo citò fuerunt eradicati:ibi , *Fiant nati eius.* quintò pro patribus filij fuerunt trucidati : ibi, *In memoriam.* Prima pœna quam ponit Iudæorum pro peccato mortis Chriſti eſt:quia de ſuis habitationibus fuerunt expulſi.Quod fuit quando Titus & Veſpaſia- *Iudæorũ captiuitas per Romanos.* nus Romani principes obſederũt ciuitatem Hieru E ſalẽ in die feſto : & ipſa capta omnes trucidauerũt, vendiderunt , vel ſic captiuarunt,quòd in toto regno Iudæę nullus ipſorum remanere potuit. Et hoc præuidens pſal.dicit , *Nutantes transferantur filij eius*,id eſt , populi Iudæorum , id eſt , cadentes vel ruentes.Nam nuto , as , idem eſt quod cadere , vel ruere:quia ipſi ruentes in captione ciuitatis,multi ipſorum venundati ad alias regiones tranſlati fuerunt.

runt. Et notandum quòd non dicit de Iudæis qui Chriſtum perſecuti ſunt:ſed de filiis:quia cũ quadraginta duo anni tranſierunt inter Chriſti paſſionem & captionem ciuitatis per Titum & Veſpaſianum: veriſimile eſt quòd perſecutores Chriſti iam erant mortui: vel ſaltem maior pars ipſorum: pro quorum peccato filij puniti fuerunt.& expulſi. Et ideo ſicut vagabundi: omnibus ſuis priuati: exierunt coacti mendicare.Et hoc eſt quod ſubdit, *Et mendicent & eiicientur de habitationibus ſuis.* Hoc autem intelligit glo.dictum de filiis & vxore Iudæ: qui poſt mortem Iudæ expulſi fuerunt & expoliati etiam ab ipſis Iudæis in deteſtationem proditionis commiſſæ.Licet enim quandoq; malæ placeat proditiones quibus ſuos inimicos euertant: nunquam tamen proditores: maximè cum ſecundum aliquos vxor Iudæ cum filiis fuerint conſentientes proditionis Chriſti: quam Iudas eis reuelauit propter lucrum inde recipiendum.

## 1947 Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: & diripiant alieni labores eius.

Hic oſtenditur quòd Iudæi omnibus bonis tẽporalibus fuerunt expoliati. Vbi primò aduertendum quòd nomine fœneratoris intelligitur princeps Romanus Titus.Cuius ratio eſt. Nam vt dictum fuit.verſic.1177.vſura ſiue fœnus eſt triplex, ſcilicet, culpæ,gratiæ, & pœnæ.Et dicitur fœnus pœnæ quando plus exigitur in pœnis quàm commiſſum fuerit in culpis:quod multipliciter accidit: vt paret ibidem.quod & fecit Titus:quia a Iudæis vnus ſolus iniuſtè fuit mortuus: & ipſe tot milia Iudæorum trucidauit pro vindicta illius. Vnde & alia litera habet exactor: vbi hic habetur fœnerator.Secundò notandum quòd nomine ſubſtantiæ tria intelliguntur: quoniam ſubſtantia eſt triplex, ſcilicet,interior,& ſic anima noſtra dicitur ſubſtãtia, quia eſt corporis humani forma ſubſtantialis: vt deducit Philoſophus 3.de anima.Et de hac ſubſtantia dicit pſal.Deo. Et ſubſtantia mea apud te eſt.Secundò eſt ſubſtantia ſuperior,ſcilicet, fides: quia dicitur fundamentum primum omnibus virtutibus ſubſtantiãs.Et de hac ad Heb.11. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum:ar. &c. Tertio eſt ſubſtantia exterior,ſcilicet,omnia bona temporalia,quæ dicuntur ſubſtantia: quia ſubeſſe debent homini & non dominari. Sic enim de bonis temporalibus dicitur Geñ.13.de Abraham & Loth quòd erat ſubſtantia eorum multa, & nequibant ſimul habitare. Et in iſta tẽporali & exteriori ſubſtantia tria debent attendi. Primum ne indebitè acquiratur.Eccl.13.Bona eſt ſubſtantia,cui nõ ineſt peccatum in conſcientia.Secundum ne iniuſtè diſſipetur: ſicut fecit ille adoleſcens qui accepta portione ſubſtantiæ quæ ipſum contingebat:à patre receſſit:& diſſipauit ſubſtãtiam ſuam cum meretricibus: & poſtea cæpit egere:vt habetur Lucæ 15.Tertium,ne nimis cupidè retineatur. Eccle.14. Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia. Ad propoſitum hic accipitur ſubſtantia pro diuitiis & temporalibus bonis: quibus omnibus per Titum & ſuum exercitum Iudæi expoliati fuerũt: quãdo ab eo ciuitas Hieruſalem capta fuit in vindictam mortis Chriſti. Et hoc eſt quod præuidens pſal.de populo Iudæorum ait. *Scrutetur*,id eſt,ſcrutabatur fœnerator, id eſt, Titus cum ſuo exercitu, omnem ſubſtantiam eius. *Et diripiant alieni labores eius*,id eſt,Romani qui alieni erant a Iudæis & natione & cultu. Vbi per labores intellige diuitias ipſorum laboribus acquiſitas. Vel aliter iſtũ textũ intelligit gloſ.dictum de vxore Iudæ relicta & filiis ſuis:de quibus etiam intelligitur verſus præcedẽs: Sed tunc facit dubitationem,vnde Iudæ vxor & filij habebant ſubſtantiam rerum temporalium quã Iudas pater eorum non habuit:qui cum aliis apoſtolis ſequebatur dominum, & omnia reliquerat. Ad hoc reſpondetur quòd quamuis Iudas à principio quãdo ſecutus eſt Chriſtum omnia reliquerit: tamẽ poſtea a Chriſto factus ſocietatis procurator,habebat loculos: & ea quæ Chriſto dabãtur ipſe portabat.Et ſic vſu pecuniarum mutato, animo factus eſt fur.Et de illis quæ dabantur Chriſto & Apoſtolis ipſe partem furabatur. (vt habetur Ioann.12.) & illam dabat vxori ac filiis.& ex hoc habetur veriſimiliter quòd illos triginta argẽteos quos recepit pro Chriſti proditione retulit vxori ac filiis.& ſic vnde illos habuerat intimauit illis. Ex quo ſatis apparet quòd illi etiam conſentientes fuerunt in Chriſti traditione.Vnde hic ait glo. Omnia quæ Iudas habuit, vxori & filiis dimiſit, ſcilicet, quæ de loculis Chriſti furabatur. Et de iſtis ſubſtantiis quas Iudas dimiſit vxori & filiis hic dicitur: *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtãtiam eius, &c.* quia iſtis ipſi poſtea expoliati fuerunt. Sed dicet quis. Cum dominus cognoſceret Iudam ad furtum diſpoſitum:quomodo ſibi commiſit loculos dans ei occaſionem furandi? Ad hoc reſpondet Chryſoſto.ſuper Ioan.dicens. Ideo enim Iudæ furi exiſtenti loculos commiſit dominus:vt omnem ab eo furandi abſcindat occaſionem. Non enim habebat dicere quoniam propter pecuniarum deſiderium hoc fecit.Etenim ſufficientem habebat ex loculo concupiſcentiæ mitigationem.

*Subſtãtia accipitur tripliciter.* *Articulus.* *Hebr.11.* *Subſtãtia diuitiis ſumpta pria debet habere.* *Eccl.14.* *Gloſa.* *Iudas habuit diuitias quia fur erat.* *Ioan.12.* *Gloſa.* *Iudam quare dominus Chriſtus fecit procuratorẽ cum ſciret eũ furẽ.*

## Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius. 1948

Hic ponitur tertia pœna, ſcilicet, quòd in illa captiuitate omni fuerunt adiutorio deſtituti.quia propter timorem poteſtatis Romanorum nullus alius populus auſus fuit ſibi præbere auxilium cõtra Romanos. & etiam quia aliæ nationes circunſtantes erant gentiles: & propter cultus diſparitatem ipſos habebant odio. Quinimo Agrippa Rex qui erat Iudæus:populo Iudæorum relicto:confœderauit ſe,& iunxit cũ Romanis: vt dicit Ioſephus in lib.de bello Iudaico.Iſtum autem textum intelligit gl.de Iuda,dicens ſic,*Non ſit illi adiutor.* De Iuda hoc ideo dicit, quia & boni quandoq; tentantur:ſed dominum habent adiutorem. De Iuda autem dicitur: non ſit illi adiutor, ſcilicet, ad tuendum eius poſteritatem: propter quod ſubditur, *Nec ſit qui miſereatur pupillis eius.* Pupilli enim dicuntur quaſi puſilli.vnde & pupillus dicitur quaſi paruus. Hoc dicit, quia filij Iudæ non habuerunt protectorem qui eos à morte tueretur:vt ſtatim dicetur in ſequenti verſiculo.Et nota quòd diuinum adiutorium multiplici ratione a multis ſubtrahitur:quibus omnibus merito à Iuda & ſua poſteritate fuit ſubtractum. Subtrahitur enim primo ratione præuaricationis & inobedientiæ. Qui enim deo inobediẽs eſt: qualiter eius auxilio fulciri meretur? Sic enim de populo Iudæorum qui deo fuit rebellis

*Ioſephus.* *Gloſa.* *Auxilio diuino quis priuatur propter multa.*



rebellis dicitur Pſal.88. Auertiſti adiutorium gladij eius:& non es auxiliatus ei in bello.Iudas autẽ Chriſto inobediens fuit: quia ſibi cum aliis præceperat Chriſtus. Nolite poſſidere aurum nec argentum,&c. Secundò ratione præſumptionis & ſuperbiæ.Sic enim ſuperbus & facinoroſus Nicanor depoſita veſte gloriæ fugiens ſolus:omni auxilio deſtitutus venit Antiochiã.vt habetur 2.Mace.8. Tertiò ratione humanæ confidentiæ. Quando enim quis in auxilio mundi ſperat,& non dei:merito diuino priuatur adiutorio. Sic enim accidit Iudæis quando in mundo ſperabant.Eſa.30.Væ filij deſertores ſperantes in auxilio & fortitudine Pharaonis:& habẽtes fiduciam in vmbra Ægypti: Talis erat Iudas:& ideo furabatur:ſpem in temporalibus ponens:vt ab illis adiuuaretur. Quartò ratione ſuſtentationis malitiæ:quando,ſcilicet, quis malis auxilium præſtat & ipſos fouet. Vnde 2.Paral.19.Impio præbes auxilium:& his qui oderunt dominum amicitia iungeris? idcirco iram domini merebaris. Talis fuit Iudas qui auxilium præſtitit principibus ſacerdotum ad Chriſtum capiẽdum. Quintò puſillanimitatis & vecordiæ. Qui enim indigenti timet præſtare auxilium: quomodo ipſe a deo auxiliari meretur? Sic enim accidit Aſſyriis, de quibus 2.Reg.10.Si præualuerũt aduerſum me Syri: eris mihi in adiutoriũ.ſi autem filij Ammon præualuerint aduerſum te:auxiliabor tibi. Sic fuit Iudas qui Chriſto auxilium debuit præſtare: per oppoſitum fecit. Sexto ratione obſtinationis voluntariæ. Vnde de obſtinato Antichriſto dicitur. Veniet vſq; ad ſummitatem eius:& nemo auxiliabitur ei.Talis fuit Iudas qui obſtinatus periit. Septimò ratione damnationis & perpetuæ miſeriæ. Damnatis enim non præſtabitur auxilium dei.vnde Eſa.10. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venientis: ad cuius confugietis auxilium?Quaſi dicat. Nullus auxiliabitur vobis. Talis fuit Iudas:de quo deus ait. Væ autem homini illi,&c.Et hæc omnia etiam populo Iudæorum poſſunt applicari iuxta primam expoſitionem.

*Math.10.*

## 1949 Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.

Hic ponitur quarta pœna,ſcilicet,quòd de mũdo cito eſſent eradicati. Hic de populo Iudæorum intelligitur. Vbi notãdum quòd non omnes Iudęi tractauerunt mortem Chriſti: quinimo aliquibus diſplicebat quod cõtra Chriſtum agebatur. Quoniam vt dicitur Luc.23.dum Chriſtus duceretur ad crucem,ſequebatur eum multa turba populi & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eũ. De illis ergo Iudæis qui principales fuerunt contra Chriſtum,intelligitur hic textus. Tales enim iam veriſimiliter erant mortui tempore captionis ciuitatis. Sed ne aliqua poſteritas talium remaneret,omnes nati illorum in illo excidio ciuitatis interierunt. Quod præuidens pſal.de illis principalioribus dicit, *Fiant nati eius in interitum*, ſcilicet, eius gentis quæ principaliter Chriſti mortem tractauit.vt,ſcilicet,memoria eorum ex toto eradicetur de terra.Et hoc eſt quod ſubditur, *In generatione vna deleatur nomen eius*, id eſt,in generatione prima.Nam prima generatio patris eſt filius, ſecunda filius filij,tertia filius filij, & ſic vlterius. Tales ergo non habuerunt ſecundam generationem:quia omnes ipſorum nati mortui ſunt in illo excidio abſque filiis.Quod quidem ſatis eſt veriſimile. Si enim in vindictam mortis Chriſti, Romani tantam ſtragem Iudæorum fecerunt: credendum eſt quòd omni diligentia adhibita ipſi principalius quærebant illos occidere,quæ fuerunt cauſa,mortis Chriſti, & natos eorum. Aliter iſtum textum Nicolaus de omnibus Iudæis intelligit generaliter.quia anno quadrageſimo ſecundo poſt paſſionem domini: Romani ceperunt ciuitatem: & natos multorum qui fuerant tempore occiderunt.Et taliter illos qui de Iudæis remanſerunt, diſperſerunt hincinde per mundum aliis nationibus ſubiectos, quòd hodie per ſe non faciunt populum habitantem aliquam terram, vel habentem aliquod dominium. Et ſic in prima ipſorum generatione deletum eſt nomen eorum:quod erat populus Dei vel populus Iſrael:quo amodò nomine carent.Et hoc præuidens pſalm.ait, *In generatione vna deleatur nomen eius.* Aliter iſtum verſum de Iuda proditore & eius filiis exponit gl.dicens, Quia ſupra de Iuda & filiis eius ait pſalm. Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.Et poſſent ſine adiutore filij Iudæ(licet in erumnis)creſcere,& genus ſuum propagationem ſeruare: ideo de ipſis ſubdit,*Et in generatione vna*, ſcilicet, prima,deleatur nomen eius,id eſt,quod de Iuda generatum eſt,cito per interitum tranſeat & deficiat. Ricardus autem de ſancto Victore, iſtum textum magis myſticè exponit de tentatione: quæ ne robur acquirat: in prima generatione debet occidi.vnde dicit ſic, *Fiant nati eius in interitum,&c.* de prima ſuggeſtione cui in ipſo exordio non reſiſtitur, praua deſideria tanquam filij vel filiæ oriuntur. contra quam ſobolem increpationis iaculũ, propheta valida manu deuotionis intorſit, cum dixit, *Fiant nati eius in interitum.* Filiæ ergo ſunt ſpecies quæ mentem alliciunt:nati vero cum per conſuetudinem robur acquiritur. In fœminis enim forma quæritur: in viris autem virtus præfertur.Quoniam ergo quaſdam prius aſſuetas, quaſdam quamuis minus aſſuetas, tamen multum illecebroſas cogitationes toleramus: nunc contra filios, nunc contra filias pugnamus. Fiant inquit nati eius in interitum, &c. Noluit eos viuere cum dicit:*In generatione vna deleatur nomen eius.* Prima proles eſt in cogitatione: ſecunda in delectatione.tertia in conſenſu: & quarta in effectu. Vigilanter tamen attendendum eſt quòd non dixit, ſine generatione deleatur nomen eius:ſed ait.*In generatione vna deleatur nomen.* Si enim non tentemur, non coronabimur: quia ſi non pugnemus, non ſuperabimus. Sed quia internæ pacis gaudia, quæ exuperant omnem ſenſum,non contemplamur:quandiu tentationis pertubationum moleſtiis fatigamur, non ipſum tantum: ſed nomen eius etiam deleri deſiderat: vt vel nulla memoria conſcientiam remordeat.

*Iudæi tractãtes mortẽ Chriſti omnes ſunt excluſi cum ſuis.* *Iudæi nomen ſuũ perdiderũt quod erat populus.* *De Iuda proditore nullus ſupereſt.* *Tentatio ſtatim debet occidi.*

## In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu domini: & peccatum matris eius non deleatur. 1950

Hic ponitur quinta pœna:quia pro peccato patrũ filij puniti fuerunt,quod generaliter de Iudæis intelligi

intelligitur. Nam vt dicit Nicolaus; iſta diſſipatio Iudæorum fuit facta per Romanos per quadraginta duos annos poſt mortem Chriſti. Et veriſimile eſt quòd illi qui tractauerunt mortem Chriſti: iam erãt mortui: vel ſaltem pro maiori parte. Sed ipſorum iniquitas ad memoriam fuit reducta domini: quando in vindictam Chriſti mortis nati eorum captiuati & interfecti fuerũt. Sed forte dices. (*Quæſtio.*) Quæ iuſtitia eſt Dei, vt filium nõ peccantem puniat pro peccato patris? (*Ezech.18.*) cum tamen dominus dicat, Omnes animæ meæ ſunt: ita anima patris, ita anima filij. Anima quę peccauerit ipſa morietur, filius nõ portabit iniquitatem patris, &c. (*Quomodo pro peccato patris filius punitur.*) Iſtam materiã tractat Greg. lib. 15. moral. cap. 22. ſuper illo verbo Iob 21. Deus ſeruabit filiis eorum dolorem patris. dicens ſic. (*Exod.34.*) Scriptum nouimus, qui reddis peccata patrum in filiis ac nepotibus vſq; in tertiam & quartã generationem. (*Ezech.18.*) Et rurſum ſcriptũ eſt. Anima quę peccauerit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, &c. In vtraq; igitur hac ſententia dum diſſimilis ſenſus inuenitur: ſed auditoris animus vt diſcretionis viã ſubtiliter requirat, inſtruitur. Peccatum quippe originale à parentibus trahimus: & niſi per gratiam baptiſmatis ſoluamur: etiam parẽtum peccata portamus: quia vnum adhuc videlicet cum illis ſumus. Reddit ergo peccata patrũ in filiis: dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rurſum non reddit parẽtum peccata in filiis: quia cum ab originali culpa per baptiſmum mundamur, non iam parentum culpas, ſed quas noſipſi committimus habemus. Quod tamen aliter intelligi poteſt. quia quiſquis parentum iniquitatem imitatur: etiam ex eius delicto conſtringitur. quiſquis etiam parentum iniquitatem non imitatur: nequaquam delicto illius grauatur. Vnde fit vt iniquus filius iniqui patris imitator: non ſolum quæ addidit: ſed etiam peccata patris perſoluat: cum viis patris quibus iratum dominum non ignorat: etiam ſuam adhuc malitiã adiungere non formidat. Et iuſtum eſt vt qui ſub diſtricto iudice vias parentis iniqui nõ timet imitari: cogatur in vita præſenti etiam culpas parẽtis iniqui perſoluere. Vnde & illic dictũ eſt, anima patris mea eſt, anima filij mea eſt: anima quæ peccauerit ipſa morietur: quia in carne nonnunquã filij etiam ex patris peccato puniuntur. Deleto autem originali peccato: ex parentum nequitia in anima non tenetur. Quid enim eſt quòd paruuli nonnũquam à dęmonibus arripiuntur, niſi quòd caro filij ex patris pœna vulneratur. In ſemetipſo enim percutitur pater iniquus, & percuſſionis vim ſentire contemnit. Plerũq; percutitur in filiis vt acrius vratur. vnde dolor patris carni filiorum redditur: quatenus per filiorum pœnas mens patris iniqua puniatur. Cum vero non iã paruuli, ſed prouectiores filij ex parentum culpa feriuntur, quid aliud apertè datur intelligi, niſi quòd illorum etiã pœnas luunt: quorum facta ſecuti ſunt? Vnde rectè dicitur vſq; ad tertiam & quartam progeniem. Quia enim vſq; ad tertiam vel quartam progeniem eam quam imitantur filij parentum vitam poſſunt videre: vſq; ad eos vltio extenditur qui viderũt quòd malè ſequerentur, &c. Iſtum autem textum applicat gl. non ad Iudæos generaliter, ſed ad Iudam & ſuos filios, quia Iudas fuit imitatus peccatum patrum qui iuſtos & prophetas perſequebantur: & ſimiliter filij ipſius Iudæ peccata patris ſui. ideo pro ipſis puniti fuerunt. vnde ait, Peccata enim patrum eis redduntur: qui à malis eorum non recedunt, ſed non eis qui mutati ſunt in Chriſto qui iã non ſunt filij iniquorum: quia iam non imitantur mores eorum. Si ergo Iudas teneret adoptionem quam ceperat: non pertinerẽt ad eum vel ſua præterita vel parẽtum iniquitas: ſed quia rediit ad malam vetuſti generis: redit iniquitas patrum in conſpectu domini: vt in eo puniretur. Vel breuiter ad difficultatẽ poteſt dici, quòd pro peccato alterius non punitur quis ſpiritualiter: ſed ſolùm temporaliter vel corporaliter: ſicut pro peccato patris adulterantis filius ex adulterio natus punitur temporaliter: quia hæreditate priuatur. vel corporaliter: quia ex ſeruo natus in ſeruitutem redigitur.

## Fiant contra dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorũ: pro eo quòd nõ eſt recordatus facere miſericordiam. 1951

Hic oſtenditur dictarũ pœnarum cauſa. Et aſſignatur multiplex cauſa. prima ipſorũ peruerſitatis obſtinatio: ſecunda crudelitatis perſecutio, ibi, *Et perſecutus eſt.* tertia peruerſitatis electio, ibi, *Et dilexit.* quarta diuinæ æquitatis retributio, ibi, *Hoc opus eorum.* Quantũ ad primũ notandum quòd quilibet obſtinatus eſt cõtra dominũ: (*Obſtinatus eſt ſemper cõtra dominũ.*) quia negat bonitatẽ domini. quod maximè intelligitur de finaliter in malo obſtinatis. Illi enim propriè dicuntur ſemper cõtra dominũ. Cuius ratio eſt, quoniã in eodẽ ſtatu in quo anima ſeparatur à corpore quo ad bonitatẽ & malitiã: ſemper ſine fine perdurabit. Et ideo quia mali moriẽtes obſtinati ſemper erũt obſtinati: & omnis obſtinatus opponitur domino: ideo de talibus dicitur, quòd ſemper erunt cõtra dominũ, Hoc ergo intelligitur de Iudæis generaliter: quia Iudæi qui remãſerũt poſt captionẽ ciuitatis & trucidationẽ multorum: vt in pluribus cõtra Chriſtũ manent obſtinati & infideles: & ſic permanebunt vſq; ad finẽ ſeculi. Sed quia malorũ nomẽ & fama cito tranſit (vt oſtendit Greg.) (*Greg. lib.14. moral. cap.7.*) hinc eſt quòd fama Iudæorum quæ per totum orbẽ diuulgabatur: ad nihilum eſt redacta. Quod conſiderans pſalm. ait, *Et diſpereat de terra memoria eorum,* ſcilicet, quãtum ad virtutes & bonam famã. licet eorum memoria duret in malũ ipſorum & infamiã. Sic enim dicitur. Prouerb. 10. Memoria iuſti cum laudibus: & nomẽ impiorum putreſcet. Quæ autẽ ſit cauſa ipſorum talis infamiæ per orbẽ ſubdit de illo populo: *Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiã.* Minus ponit & plus ſignificat. Per hoc enim intelligit quòd populus Iudaicus crudelitatẽ maximã fecit Chriſtũ perſequendo. Ex quo patet, quòd per illam propoſitionem negatiuam, (*Negatio infert affirmationem.*) ſcilicet, nõ eſt recordatus facere miſericordiam: vult inferre iſtam affirmatiuã: fecit magnam crudelitatem. Sed illa propoſitione negatiua vſus eſt: vt oſtendat populum Iudæorum iuſtè derelictum à deo: ſine miſericordia finali puniendum: iuxta illud quod dicitur Iacob. 2. Iudiciũ ſine miſericordia fiet illi qui nõ fecerit miſericordiam. Aliter iſtum verſum exponit gloſ. de Iuda & parentibus ſuis. Pro quo notandum quòd hæc dictio contra, (*Contra accipitur dupliciter.*) quandoq; ſignificat contrarietatem, quãdoq; præſentialitatẽ. Notat enim cõtrarietatẽ: ſicut vnum cõtrariorum alteri cõtrariatur: vt calidum frigido, album nigro. ſic mali cõtra bonos cõtinuè bellãt. ſic & Iudæi cõtra Chriſtum. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. (*Cantic.1.*) Quandoq; verò notat



præſentialitatem rei ante conſpectũ poſitæ. Sic enim dixit Chriſtus Apoſtolis. (*Matth.21.*) Ite in caſtellum quod contra vos eſt. quæ, ſcilicet, ciuitas Hieruſalẽ directè erat ante oculos ipſorum. Et iſto modo dicebat Pſal. 50. Peccatum meum cõtra me eſt ſemper, id eſt, ante oculos meos. Dauid enim peccatũ ſuum poſt tergum habuit, & non contra ſe, id eſt, ante: cum ſententiam contra diuitem qui rapuerat ouẽ pauperis dedit: oblitus quòd ille erat qui Berſabe rapuerat. Sed tunc illud cõtra ſe habuit: cum per Nathan reprehenſus peccatum ſuum recognoſcens fleuit, dicens, Peccatum meum cõtra me eſt ſemper, id eſt, ante me, in conſpectu meo. Iſto etiam modo accipitur contra pro ante Pſal. 49. vbi deus ait peccatori. Arguam te & ſtatuam cõtra faciem tuã. Vnde ibidẽ ait gl. Arguam te, &c. id eſt, arguendo oſtendam te tibiipſi & diſplicebis tibi. quod & modo faceres ſi te videres mihi non placens. quaſi dicat, Statuam cõtra faciẽm tuam: quia peccatum tuum quod poſt tergum poſuiſti: ante faciem tuam ego ponam, vt ſcias quòd malè egiſti, & fœditatem tuam erubeſcas. Ad propoſitum ergo hic accipitur ly contra, ſecundo modo, ſcilicet, vt notat præſentialitatem. De Iuda ergo & parentibus eius ait Pſalm. *Fiant contra dominum ſemper.* vbi gloſa, id eſt, pater & mater Iudæ fiant contra dominum: non quidem vt aduerſentur domino: ſed vt deus mala ipſorum aſpiciens, non obliuiſcatur in iſto. Et eſt ſenſus. *Fiant contra dominum,* id eſt, in conſpectu domini. *Et memoria eorum,* id eſt, parentũ ei diſpereat de terra: quia memoria parentũ in ſucceſſoribus dicitur continuari. ſed ſucceſſores Iudę in prima generatione fuerunt deleti, vt dictum eſt verſi. 1949. Et cauſam aſſignat. *Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam cum effectu,* ſcilicet, cum Chriſto. ſed ipſum prodidit in mortem.

## 1952 Et perſecutus eſt hominem inopẽ & mendicum: & compunctum corde mortificare.

Hic oſtendit ſecundam cauſam tanti exterminij Iudæorum: quæ fuit ipſorũ perſecutionis crudelitas. Vbi aduerte quòd in Chriſto erat duplex natura, ſcilicet, diuina & humana. diuinam Iudæi perſequi non poterant: ſed humanam perſequebãtur, quæ adhuc mortalis erat, & infirmitatibus ſubiecta. (*Chriſtus fuit inops & mendicus.*) Et in illa natura Chriſtus erat inops & mendicus: inops, id eſt, ſine ope: quia nihil habuit ſibi proprium: ipſo dicente, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuũ. Et quia nihil habuit quando mendicando vixit: vt dicit Bernard. in illo triduo quando remanſit in Hieruſalem recedentibus parentibus eius, cũ eſſet annorum duodecim. Nec derogat dignitati Chriſti mendicaſſe: cui non derogat, imo ſibi gloriam infert, quòd cum in forma Dei eſſet, tantum ſe pro nobis humiliauit, vt eius humanitas non ſolum in manibus diaboli, ſed quod amplius eſt in manibus membrorũ eius traderetur. Aſſumpſit enim omnes defectus noſtros non culpabiles excepta ignorantia: vt oſtẽdit magiſter lib. 3. de. 15. Cum ergo mendicitas in nobis ſit defectus non culpabilis diſtinctus ab ignorantia: ſeqnitur quòd hunc ſumpſit. Quod autem nõ ſit defectus culpabilis, patet intuenti: quid ſit mẽdicitas, vel mendicare. Nã ſecundum grãmaticos, manus componitur cũ dico dicis: & fit mendicus. a. ũ. id eſt, ex toto pauper: quaſi manu dicens vel manu ducens: eo quòd mos erat antiquus egenũ os claudere & manum extẽdere: quaſi manu dicere, vel manum ducere. Nihil autem aliud includit quod ſit culpabile. Dicit ergo de populo Iudæorũ quòd ideo tantam cladem fuit paſſus: quia perſecutus eſt hominem inopem & mendicum, ſcilicet, Chriſtum gratis & iniuſtè: quod fuit maximæ crudelitatis. Vnde hic ait glo. Pauperes enim perſequi ſola ſæuitia eſt. Alij autem vt diuites perſequuntur quandoq; vel pro diuitiis ipſorum habendis, vel ipſorum dignitatibus. Vel ſecundũ gl. hoc totũ intelligitur de Iuda qui ſpecialiter perſequutus eſt Chriſtũ: ipſum in manus hoſtiũ tradendo. propter quod tantã pœnã ipſe meruit cũ omnibus ſuis natis. De Chriſti mendicitate, & inopia in qua eum ſequi debemus. vide verſic. 672. Et de iſto eodẽ inope & mẽdico, ſcilicet, Chriſto: ſequitur. *Et compũctum corde mortificare.* (*Chriſtus compunctus fuit carne & corde.*) Chriſtus enim compunctus, id eſt, totus ſimul pũctus, & vulneratus fuit carne & corde. carne per flagella: mẽte per peccata Iudæorum: quibus videbat aliàs electũ populũ Iudæorũ morte ſua perire. Vnde dolore tactus cordis: pro populo Iudæorum dixit patri in cruce. (*Matth.27.*) Deus deus meus vt quid dereliquiſti me? Quod ſecũdũ Theo. ſic intelligitur. hoc pro Iudæis dixit: quaſi & ipſe ſecundũ carnẽ Iudæus exiſtens quaſi patri diceret. Vt quid dereliquiſti populũ Hebraicũ intantũ cadere flagitiũ vt tuũ crucifigeret filiũ? Plus enim me affligũt ipſorũ peccata, quàm vulnera mea. Et iſtũ ergo Chriſtũ corde cõpunctum: ipſe populus Iudaicus quæſiuit mortificare, id eſt, mortuũ facere. Nã iudicãte Pilato illũ dimittendũ acquieſcere noluerunt: ſed clamantes dicebant. Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæſaris. (*Ioan.19.*) Similiter & Iudas hunc mortificare quęſiuit: dũ ipſum ad mortẽ tradidit. De populo ergo Iudæorum & de ipſo Iuda dicitur quòd quæſiuit compunctum corde mortificare. Per hoc enim vult oſtendere quomodo vterq; illorum perſecutus eſt hominem inopem & mendicum.

## Et dilexit maledictionem & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. 1953

Hic oſtendit tertiã cauſam quæ fuit ipſorũ volũtatis, vel electionis peruerſio. Et diuiditur in tres partes. quia primò ponitur ipſorũ electionis peruerſitas. ſecundò ipſorũ punitionis grauitas, ibi, *Et induit.* tertiò ipſorũ captiuationis qualitas, ibi, *Fiat ei ſicut.* Quantũ ad primũ ſciẽdum ꝙ deus ad malũ neq; bonũ nullũ cogit: (*Deus nullum cogit ad peccatũ neque ad meritum.*) quia quod coactè fit, & nõ liberè, neq; peccatũ eſt, nec meritũ, nec laudabile, nec vituperabile. Sed homini dedit rationẽ qua poſſet cognoſcere & deliberare quid agendũ, quid fugiendũ: & voluntatẽ qua poſſet eligere liberè partẽ quã vellet. Et ſi eligeret bonũ: ordinauit tali debitũ præmium. ſi autẽ ex peruerſitate volũtatis eligeret malũ: tali ordinauit pœnã & ſuppliciũ. Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 15. Deus ab initio creauit hominẽ: & reliquit eũ in manu cõſilij ſui. adiecit mãdata & præcepta: appoſuit tibi aquam & ignẽ: ad quodcũq; volueris porrige manũ tuã. ante hominẽ vita & mors: bonũ & malũ: quod placuerit ei dabitur illi. Etiã ſciendũ ꝙ omnia præcepta legis ad dilectionẽ proximi terminabantur: vt deduxit Apoſtolus ad Rom. 13. dicens, Qui proximũ diligit: legem impleuit. Nam non adulterabis: non occides:

non furtum facies. Et ſi quod aliud eſt mandatum in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum ſicut teipſum. plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et ideo vt dilectionem proximi nullus violaret: certas maledictiones & pœnas ſtatuit contra perſequentes proximum: vt patet Deuter. 27. & certas benedictiones obſeruantibus legem & dilectioné proximi. Qui ergo ſtudioſè & gratis eligit proximum perſequi & iniuſtè: talis conſequenter eligit mala quæ perſecutoribus proximorum ſunt ordinata, vt puta eligit inquinari peccato, a deo derelinqui, æternis pœnis deputari. Non quòd iſta per ſe cadãt ſub electione: quia nullus poteſt velle malum per ſe ſub ratione mali: ſed per accidens: quia eligit illud agere ad quod iſta mala ſequuntur. ſicut eligens fornicari: per accidens eligit pœnam fornicantibus debitam. Ad propoſitum ergo Iudæorũ populus habebat legẽ de dilectione proximi: habebat inſuper maledictiones & pœnas debitas iniuſtè perſequentibus proximum. Sed his non obſtantibus peruerſum habentes iudicium elegerunt Chriſtum innocentem perſequi. & ideo ex cõſequenti maledictiones & pœnas talibus debitas elegerũt. Et hoc eſt quod de illo populo ait, *Et dilexit maledictionem:* quia dilexit perſequi proximum: ad quod ſequitur debita maledictio: & veniet ei. Et ſimiliter noluit benedictionem. ſicut enim maledictionem nullus per ſe poteſt eligere: ſic nec benedictionem per ſe nullus poteſt nolle: ſed per accidens: vt dictum eſt: nolendo aliquid ad quod ſequitur benedictionis priuatio. Et iſto modo nolentes dilectionem proximi, benedictionem debitam diligentibus proximum noluerũt. Iſti ergo populo merito venit maledictio: quia a Romanis grauiter & merito afflicti fuerũt & venundati. & ſic ab iſtis elõgata fuit benedictio: quia Romani illius populi nullatenus miſerti fuerunt. Vnde iſtum paſſum tam de populo Iudæorum quàm de ipſo Iuda exponit gl. dicens, Dilexit maledictioné, ſcilicet, ipſe Iudas furãdo de loculis: & magiſtrum ſuum vendendo. Vel etiam populus Iudæorum dilexit maledictioné, dicens, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et veniet ei: quia adhuc vſque hodie maledictio pro illa Chriſti perſecutione durat in eis. Noluit benedictionem: quia Chriſtum regem negauerunt, dicentes, Non habemus regem, &c. Vnde & cæco nato dixerunt. Tu diſcipulus eius ſis: nos autem non. *Et elongabitur ab eo:* quia benedictio in lege promiſſa ipſi Abrahæ: cui dictum eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes gẽtes: ab ipſis Iudæis elongata tranſiuit ad gentes. Et verè merito populus Iudæorum benedictione Dei eſt priuatus: quoniam dei benedictio ſex virtutibus haberi meretur: quibus omnibus in Chriſti perſecutione priuati fuerunt Iudæi.

*Malũ per ſe nullus eligere poteſt.*

*Bonũ per ſe nullus poteſt nolle.*

*Maledictionẽ voluerunt Iudæi & non benedictioné.*

*Ioan. 9.*

1954 Et induit maledictionem ſicut veſtimẽtum: & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.

Hic oſtenditur ipſorũ maledictionis ſiue punitionis grauitas. Vbi notandũ quòd Iudæi triplicẽ maledictioné paſſi fuerunt in perſecutione Romanorum, & ipſorũ excidio. Primo bonis exterioribus, ſcilicet, temporalibus fuerũt priuati. Vnde de ipſis hic prædicitur. *Mendicent & eijciantur de habitationibus ſuis.* Secũdo corporaliter populares fuerunt interfecti, venundati, & captiuati. Sic enim dictũ eſt, *Fiant nati eius in interitum, &c.* Tertiò ipſorum multi in tãta perſecutione deſperati fuerũt: & ſic in anima perpetuò mortui. Vnde de eis prædictum eſt: *Fiant contra dominum ſemper.* Volens ergo pſal. oſtendere acerbitatem maledictionis quæ ſuper Iudæos venit: iſta tria hic inſimul comprehendit. Et primò tangit bonorum temporalium expoliationem, dicens, *Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur.* Veſtimentũ enim eſt inter exteriora bona. Et ſicut maledictio fuit eis ſicut veſtimentum: quando loco bonorum exteriorum maledictionem induerũt. Secundò tãgit corporum trucidationem vel captiuationé, dicẽs, *Et intrauit ſicut aqua in interiora eius.* Aqua enim ſignificat mortẽ corporis: quia ſicut aqua corpus ſemper fluit ad mortem 2. Regum. 14. Omnes morimur: & ſicut aquæ dilabimur ſuper terram quæ non reuertuntur. Inter bona autẽ intrinſeca & nõ extrinſeca computantur corpora noſtra quæ ſunt intrinſecæ partes hominis. Maledictio ergo ſicut aqua intrauit in interiora eius: quando mors corporalis in dicta ſtrage ad Iudæorum corpora peruenit. Tertiò tangit mortem animæ ipſorum dicẽs, *Et ſicut oleum in oſſibus eius.* Quid enim per oſſa, quibus totum corpus fortificatur, & totus homo ſuſtentatur intelligitur: niſi anima qua corpus viuit & ſuſtinetur? Quid autem per oleũ quod eſt ſummè penetratiuũ niſi peccatum figuratur? Maledictio ergo ſicut oleum intrauit in oſſibus eius, ſcilicet, Iudæ: quando abiens laqueo ſe ſuſpendit: & ſic irrecuperabiliter eius anima peccato mortua fuit. Vel populi Iudæorum: quando in illa ſtrage multi deſperati obierunt. Aliter autem iſtum verſum exponit gl. dicens, *Induit maledictionem.* ſcilicet peccata quæ modo delectant: ſed dicuntur maledictio: quia tormenta parant. *Sicut veſtimentum:* quòd quia corporis eſt per ipſum deprauatum; corpus ſignificatur. Et eadem maledictio intrauit ſicut aqua in interiora eius: per quod intelligitur deprauata anima. Foris enim in corpore & intus in anima maledictionem habuit, incidens in eis iudiciũ: qui corpus & animam perdit in gehennam. Et eadem maledictio fuit in oſſibus eius. per quod notatur deprauata ratio. Addit autem ſicut oleum. per quod oſtenditur: quia delectat eos modo malè agere. Et nota quòd maledictio eſt multiplex, ſcilicet, opprobrij. vnde maledicta erat ſterilis in lege. Deut. 7. Et iſtam maledictionem hodie ſuſtinẽt Iudæi: quia in opprobrium ſunt toti mũdo. Secunda eſt maledictio culpæ. vnde maledictus dicitur qui in homine confidit plus quàm in deo. Hier. 17. Maledictus homo qui confidit in homine. Iſtam maledictioné ſuſtinent Iudæi: quia infideles effecti. Tertia tẽporalis pœnæ. Eſa. 24. Dabo eos in maledictionem & vexationem. Iſtam ſuſtinent Iudæi: quia per orbem vagabũdi. Quarta pœnæ æternæ. Matth. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem, &c. Et iſtam ſuſtinebunt æternaliter; niſi conuertantur ad Chriſtum.

*Veſtimentum ſignificat bona tẽporalia.*

*Aqua ſignificat mortem.*

*Oſſa ſignificãt animam, Oleũ ſignificat peccatum.*

*Maledictio multiplex.*

Fiat ei ſicut veſtimẽtum quo operitur: & ſicut zona qua ſemper præcingitur. 1955

Hic oſtenditur captiuationis qualitas, ſiue modus. Hic enim vult pſal. oſtendere, quòd maledictio Iudæ, & Iudæorum confuſio ex Chriſti morte erit publica toti mundo & perpetua. Erit publica: & quãtũ ad hoc dicit, *Fiat ei ſicut veſtimẽtũ quo operitur.* Quamuis enim ſit differentia inter veſtimẽtum & oprimẽtum: quia veſtimentũ non totũ hominem operit: immo aliquã partẽ liberam dimittit, vt caput & manus: operimentũ autẽ vt palliũ totũ operit: & nihil inopertũ dimittit: vt notatur ver. 1189. Tamẽ Pſal. hic accipit veſtimentũ largo modo, vt etiam ſe extẽdit ad operimentũ. Propter quod ſtatim exponit ſeipſum, dicẽs, *Fiat ei ſicut veſtimẽtũ.* Vnde quòd veſtimẽtũ accipiat pro operimẽto: ſtatim ſubdit, *Quo operitur.* Vnde glo. hic ait, Suprà dixit: Et induit maledictionẽ ſicut veſtimẽtũ: accipiẽs veſtimentũ pro tunica: hic verò dicit, veſtimentum quo operitur vt pallio. Quod ideo dicit: quia ſicut homo operatus pallio, hominis perdit apparẽtiã: quia ſi vna ſtatua lignea ſit operta pallio, & vnus homo ſit opertus pallio: nõ plus intuẽti apparebit, ſeu in cõſpectu hominũ homo quã ſtatua. Sic & Iudæi in cõſpectu totius orbis: ſic indumẽto vel pallio maledictionis operiũtur: vt ab omnibus nõ homines eſſe videãtur, id eſt, ſecundũ rationem viuẽtes: ideo quia vt dicitur Pſal. 72. Quia tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua: quæ, ſcilicet, faciũt hominẽ deſinere eſſe à vero eſſe hominis. Vel ideo Iudæi dicũtur maledictione operti: quia Chriſti perſecutionem falſis coloribus operiebãt, vt puta dicẽtes eum legis trãſgreſſorem, deum blaſphemantem &c. Tamen iſtud operimentorum falſorum colorum hodie toti mundo denudatũ eſt: vt non zelo iuſtitiæ: ſed liuore & odio ipſum Chriſtũ fuerint perſecuti credatur. vt prædixit propheta. Eſa. 22. Reuelabitur operimentũ Iudæ, ſcilicet, populi Iudæorũ: vel etiam ipſius Iudæ: qui reuelauit operimentũ ſuę maliciæ: quãdo pœnitẽs dixit, Peccaui tradens ſanguinẽ iuſtum. Quãtum vero ad ſecundũ, ſcilicet, quòd iſta maledictio ſit eis durabilis declarat, dicẽs, *Et ſicut zona qua ſemper præcingitur.* Præcinctus enim ſiue ab hoſte zona ligatus: nõ poteſt ſe ad libitum liberare. Sic & Iudæi maledictione vt zona ſemper præcincti dicuntur: quia ab iſta maledictione nullatenus liberari poſſunt: quia ligatas habẽt manus & pedes, ſcilicet, affectiones & opera ad bonũ. Vel ideo hoc dicit: quia in illa clade à romanis captiuati, ligati fuerunt vt captiui, & tracti extra patriam ſuam. Nota quòd in ſcriptura multiplex zona reperitur, ſcilicet, mala & bona. Primo eſt zona mala, ſcilicet, prauæ cõſuetudinis: qua homo in peccato ligatus tenetur: & ducitur ad perpetuã miſeriã. Et iſta zona ligati ſunt Iudæi, vt hic dicitur. Secundò eſt zona bona. Et hæc eſt quadruplex qua multipliciter accingi debemus. Prima zona eſt puritatis & mũditiæ. Et hæc eſt zona poderis: quę, ſcilicet, eſt quædam veſtis ſacerdotalis linea: qua ſacerdotes induebantur, quæ deſcẽdebat vſque ad pedes: ſed circa pectus erat ſtricta. & hac ſignificatur mũditia caſtitatis. Et iſta circa pectus accingi debemus exemplo Chriſti: de quo Apoc. 1. Vidi ſimilẽ filio hominis veſtitum poderę: præcinctum ad mamillas zona aurea. Secũda zona eſt funea: & ſignificat vir tutẽ aſperitatis & pœnitentiæ: & iſta debet poni ad renes contra impetus libidinis & luxuriæ. Iob. 12. Baltheum regũ diſſoluit: & præcingit fune renes ipſorum. Tertia eſt zona pellicea, ſignificans memoriam noſtræ mortalitatis: & hæc debet poni ad lumbos, vbi eſt virtus generatiua; vt geniti nos ſemper cognoſcamus morituros. Iſta zona pellicea accinctus erat Helias. Et de Ioanne baptiſta: quòd habebat zonam pelliceam circa lumbos ſuos.

*...ti fuerũt ...a maledi... ...ne.*

*Matth. 27.*

*Zona multiplex qua multipliciter debemus accingi.*

*4. Reg. 1. Matth. 3.*



Hoc opus eorum qui detrahũt mihi apud dominũ: & qui loquũtur mala aduerſus animam meam. 1956

Hic oſtenditur diuinę æquitatis retributio. Vbi notandum quòd Chriſtus ex duabus naturis conſiſtebat: diuina, ſcilicet, & humana. Et vtrique naturæ Iudæi Chriſto detraxerunt; ſcilicet, primo diuinæ, quãdo, ſcilicet, negabãt eum filiũ dei eſſe, vnde ex hoc allegauerunt Pilato ipſum dignum morte, quia filium dei ſe dixerat Chriſtus, dicentes. Nos legem habemus, & ſecũdum legẽ debet mori, quia filium dei ſe fecit. Et quantum ad hoc dicit, *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum.* Nam ſecundum glo. apud dominũ Chriſto detrahunt dicentes, ipſum nõ eſſe filium dei, non eſſe illũ quem lex & prophetæ deum vẽturum pronunciauerunt, qui dicũt eum nõ eſſe ex patre vel minorem patre. Secundò Chriſto detraxerunt quantum ad humanitatem, vt puta, qui dicebant ipſum peccatorem & hominem maleficum, ſicut quãdo dixerũt, Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. & Mat. 11. Hic homo vorator & potator vini, & publicanorũ amicus &c. Et quantum ad hoc dicit, *Et qui loquuntur mala aduerſus animã meam.* Per animam enim accipitur totus homo quãdoque, ſicut aliquãdo per carnem totus homo intelligitur. vt Verbum caro factum eſt. Item nota quòd hic opus eorũ accipitur pro ipſorũ malis operibus, ſed pro pœna illis operibus malis debita. vt ſit ſenſus, Hoc opus eorũ, id eſt, hæc eſt retributio operis eorum qui detrahunt mihi &c, ſcilicet, pœnæ ſupradictæ ſunt retributio operis Iudæorum contra Chriſtum.

*Detrahebant Iudæi Chriſto dupliciter.*

*Ioan. 19.*

*Ioan. 1.*

Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum: quia ſuauis eſt miſericordia tua. 1957

Hic expoſitis malis & calamitatibus Iudæ & Iudæorum, qui Chriſtum perduxerũt ad mortem: cõſequenter ponitur à Chriſto reſurrectionis eius poſtulatio. Orat enim Chriſtus, vt per reſurrectionem de manibus Iudæorum eripiatur. Et primò quòd debeat in hoc exaudiri, multiplicem adducit rationem. Secundo expreſſe ſuam poſtulat orationem: ibi, *Adiuua me.* Quantum ad primum Chriſtus adducit tres rationes propter quas à patre debet exaudiri. Prima ſumitur ex parte diuinæ clementiæ, ſecunda ex parte Chriſti miſeriæ: ibi, Libera me. tertia ex parte Iudæorum maliciæ: ibi, Et ego factus ſum opprobrium illis. Quãtum ad primum ſciendum quòd non noſtris meritis deus noſtras preces exaudit, ſed ſua ſola miſericordia. quoniam (vt ait Magiſter) meritis noſtris inquantum huiuſmodi non debetur gratia, ſed pœna, libro 2. diſtinctio 26. Et hoc oſtendens Chriſtus ſolam dei miſericordiam pro exauditione ſua inuocat, dicens, *Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum: quia ſuauis eſt miſericordia tua.* Quaſi dicat. *Et tu domine domine fac mecum*, ſcilicet, miſericordiam tuam me reſuſcitando propter nomen tuum, ſcilicet, per mundum prædicandum & dilatandum. *Quia ſuauis eſt miſericordia tua*, id eſt, aſſueta preces iſtas exaudire. Nam ſecundam grammaticos ſuauis dicitur à ſueo, ſues: quæ aſſueta ſunt ſuauia ſolent eſſe. Sic ergo miſericordia

*Suaue dicitur quaſi aſſuetũ.*

Dei dicitur ſuauis: quia ſueta exaudire. Et nota quòd cum Chriſtus dicit patri fac mecum: ly mecum, tenetur merè paſſiuè: vt ſit ſenſus, fac mecum, id eſt, fac mihi. Vel poteſt teneri actiuè: vt ſit ſenſus, fac mecum, id eſt, id quod ego facio, tu mecum facis. Et hunc ſenſum magis approbat gloſa. Et ideo permittit coniunctionem, dicẽs. *Et tu domine.* Chriſtus enim inquantum verbum omnia opera ad extra faciebat vt pater. Ioan. 6. Pater meus vſque modo operatur: & ego operor. Inquantum enim verbum, reſuſcitauit ſe mortuum vnà cum patre: inquantum verò homo, reſuſcitatus fuit à patre & à verbo. Vnde hic ait glo. Nota quòd ait, *Et tu domine domine fac mecum*: quia non ſine cauſa præpoſita eſt coniũctio: ac ſi diceret, Et tu domine fac: quia ego facio. vnde ſequitur, *Fac mecum*, id eſt, operare vt ego in vaſa miſericordiæ: vel fac mecum, id eſt, adiuua me ſecũdum hominem. Et ſic glo. notat vtrumque ſenſum. Et ſic vides quòd idem homo Chriſtus rogat patrem: qui omnia agit vna cum patre. Rogat vt homo: ideo patrem dominum vocat, dicens, *Et tu domine.* Agit cum patre inquantum verbum. & ideo dicit, *Fac mecum*, id eſt, tu & ego inſimul faciamus. Sed quòd ad tantam dignitatem peruenerit Chriſtus: vt aſſumptus à verbo patri dicere poſſit: fac mecum: hoc non habuit Chriſtus homo aliquibus ſuis præcedentibus meritis: ſed ſola gratia dei ſibi collatum fuit tantum beneficium. Et hoc notans dicit, *Propter nomẽ tuum.* quaſi dicat: quòd ego Chriſtus homo tibi patri dicere poſſim: fac mecum. hoc eſt: quia in vnitate perſonæ aſſumptus ſum. ſed talis aſſumptio non eſt propter merita mea præcedentia: ſed ſolum propter nomen tuũ. Et ſic in hoc gratiam dei cõmendat. Nullis enim operum Chriſti meritis præcedentibus in tantam celſitudinem ſubuecta eſt humana natura: vt totum ſimul verbũ & caro, hoc eſt deus & homo vnigenitus filius diceretur. Vnde hoc totum miſericordiæ dei attribuit, dicẽs, *Quia ſuauis eſt miſericordia tua.* Sicut enim nullis pręcedentibus meritis ab æterno deus elegit & prędeſtinauit quos voluit: ſed ſola gratia eligentis: ſic nullis pręcedẽtibus meritis humanitas Chriſti aſſumpta eſt à verbo: ſed ſola inextimabili gratia creatoris. Quod notans Chriſtus ait, *Quia ſuauis eſt miſericordia tua.* Verè ſuauis nobis eſt miſericordia, qua deus humanam naturã aſſumpſit: quia in hoc eius miſericordia nobis ſubuenit in multis, ſcilicet, primò contra incommodum noſtræ infirmitatis per ſuam omnipotentiam: quia natura humana in Chriſto omnipotentię dei fuit copulata: ipſo dicente, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et de hac miſericordia dei dicitur Sapien. 11. Miſereris omnium: quia omnia potes. Secundò cõtra incõmodum ignorantiæ: quia natura humana in Chriſto facta eſt omnia ſciens: quia omnia nouit quæ deus. Et ſic noſtra per illum illuſtratur ignorantia. Eccle. 36. Miſerere noſtri deus & reſpice in nos: & oſtẽde nobis lucem miſerationum tuarum. Tertio contra incommodum peccati vel malitiæ: quia natura humana in Chriſto innocens fuit abſque omni macula. 1. Petr. 2. Non fecit peccatum &c. Immo accepit poteſtatem purgandi peccata, dicens, Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mũdi. Vnde Ionæ. 4. Scio quia tu domine clemens & miſericors es & patiẽs: & multæ miſerationis ignoſcẽs ſuper malicia.

*Merita nulla præceſſerũt vt homo Chriſtus eſſet deus.*

*Rom. 8.*

*Miſericordia dei in Chriſto nobis valet ad multa.*

*Matt. vl.*

1958 Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.

Hic Chriſtus aſſumit rationes quòd debeat à patre exaudiri, ex parte pœnæ ſuæ & miſeriæ. Quãto enim quis in maiori miſeria eſt: tanto amplius alium inclinat ad miſericordiam ſibi exhibendam. Chriſtus autẽ vt homo hic ſuas miſerias exprimit: quæ maximè ſunt tres. Primò miſeria paupertatis & inopiæ, ſecundo miſeria perſecutionis varię: ibi. *Sicut vmbra.* tertiò miſeria infirmitatis & pœnæ: ibi, *Genua mea.* Quantum ad primum experiẽtia docet: quòd alterius paupertas & miſeria hominẽ inclinat ad miſericordiam. Quid enim aliud eſt miſericordia: niſi miſerum cor ex alterius miſeria? Chriſtus autem propter nos homo factus (vt aliàs dictũ eſt) defectum noſtrum non culpabilem aſſumpſit præter ignorantiam ſiue ignorantia excepta. Et ſic quo ad corpus aſſumpſit paupertatem: quo ad mẽtem triſtitiam. Et iſta hic allegat patri: vt ipſum iuxta noſtrum modum loquẽdi ad miſericordiam flectat & facilius exaudiatur, dicens, *Libera me*, ſcilicet, de manibus Iudæorum & de morte: & hoc per reſurrectionem. *Quia egenus & pauper ſum ego*: quia cum eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt: vt ſua paupertate nos faceret diuites. Vel egeſtas & paupertas Chriſti eſt aſſumptæ carnis infirmitas, ex qua crucifixus eſt. *Et cor meum conturbatum eſt intra me.* Quod fuit quando in paſſione ſua ait, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Cor enim Chriſti vel anima ſic potuit conturbari: ſicut & caro crucifigi. Et hoc in vtroque oſtenditur vera humanitas. Conſimilem orationem fecit Chriſtus ſupra pſal. 39. dicẽs, Ego autẽ mendicus ſum & pauper: dominus ſolicitus eſt mei. Et pſal. 69. Ego vero egenus & pauper ſum: de us adiuua me. vide ver. 672. 1136.

*Miſeria inclinat ad miſericordiam.*

*Matt. 26. & Mar. 14.*

Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſta. 1959

Hic conſequenter Chriſtus allegat ſuam perſecutionem variè. Vbi notandum quòd Chriſtus à principio ſuæ natiuitatis perſecutus fuit, & de terra ſua excuſſus: vt quando à facie Herodis fugit in Ægyptum: ſimiliter grandis effectus, à Iudæis & principibus ſacerdotum: & ſic finaliter ductus ad mortem. Vbi notandum quòd per vmbram mutabilitas vitæ præſentis deſignatur. Vnde de homine qui in continua mutatione perſiſtit, dicitur Iob. 14. quòd fugit velut vmbra: & nunquam in eodem ſtatu permanet. Sic & Chriſtus ſe vmbræ comparat: quia diuerſas perſecutiones paſſus diuerſimodè agitabatur vita eius. & tandem eleuata ſuper ipſum perſecutione, finita & ablata fuit eius vita. Quod notans dicit. *Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum.* Pro cuius euidentia ſciendum quòd vmbra cauſatur à ſole interpoſito corpore opaco: ſic quòd quanto ſol eſt baſſior, maiorem & altiorem vmbrã cauſat: quanto autem eſt altior tanto paulatim minuitur vmbra. Et ſi tantum eleuaretur quòd directe eſſet ſupra corpus opacum: nullam vmbrã cauſaret. Vnde dicitur quòd in monte Sion eſt vna columna, quæ dicitur eſſe in medio mundi: & cùm in ſolſticio æſtiuali in meridie ſol reſpicit illam columnam quòd nullam vmbram cauſat: ſed ex omni parte illuminatur à ſole. Cuius ratio eſt: quia cum corpus ſolare multo maius ſit illa columna: ad omnem partem eius expandit radios ſuos: & per conſequens totam illius vmbram euacuat. Iſta ſimilitudine

*Vmbra ſignificat vitam præſentem.*



tudine vtitur hic Chriſtus. Vbi notandum quòd per ſolem ratione ſui ardoris ſignificatur quandoque in ſcriptura perſecutionis ardor & crudelitas: quod oſtendit Grego. dicens, Per ſolem in ſcriptura peſecutio deſignatur: ſicut dominus in euangelio dicit: quòd orta ſine radicibus ſemina, orto ſole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia ſuperueniente perſecutionis ardore ſiccantur. Sol ergo perſecutionis quanto magis inaltatur: tanto vmbra vitæ præſentis minoratur: & quando eſt in ſummo ipſa vmbra vitæ præſentis aufertur. Sic ergo quando perſecutio Iudæorum contra vitam Chriſti fuit in ſummo: quia ipſorum contra Chriſtum malicia erat confirmata: & poteſtas eis à deo permiſſa: ſtatim ad nihilum deduxit vitam Chriſti per mortem. Et hoc eſt quod de ſe Chriſtus ait. *Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum*, ſcilicet, à perſecutione inaltata. Sequitur. *Et excuſſus ſum ſicut locuſta.* Quod ideo dicit: quia fugiendo perſecutores multotiens tranſiuit de loco ad locum quouſque venit tempus ſuæ paſſionis à deo præfinitum. vt puta fugiendo perſecutionem Herodis fugit in Ægyptum. Iam grandis effectus fugiẽdo perſecutionem Iudæorum fugit trans Iordanem. Vnde cum Chriſtus prædicaret, quærebant Iudæi apprehendere eum: & ipſe exiuit de manibus eorum, & abiit trans Iordanem. Item cum dixiſſet Ieſus Iudæis. Amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego ſum: tulerunt lapides vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcõdit ſe, & exiuit de templo. Item cum deliberato conſilio ad verbum Caiphæ dicentis: expedit vt vnus homo moriatur pro populo &c. deliberaſſent Iudæi interficere Chriſtum: Ieſus iam non in palam ambulabat apud Iudæos: ſed abiit in regionem iuxta deſertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis: & ſic multis aliis vicibus contigit. Et propter iſtas fugàs frequentes, & mutationem locorum comparat ſe Chriſtus locuſtis quæ in eodem loco non perdurant: ſed ſaltant hinc inde, dicens, *Et excuſſus ſum ſicut locuſta.* Iſtum autem textum: *Excuſſus ſum ſicut locuſta*, exponit Grego. de Chriſti reſurrectione: oſtendens quòd locuſta in ſcriptura multa ſignificat. dicens, Locuſtarum nomine aliquãdo Iudæorũ populus: aliquando conuerſa gẽtilitas: aliquando adulantium lingua: aliquando vero reſurrectio dominica: vel prædicatorum vita ſignificatur: & procedit de ſingulis: vide ibi. & ſubdit ad propoſitum. Locuſtæ nomine per comparationem redemptoris noſtri reſurrectio deſignatur: vnde & voce eius per prophetam dicitur, *Excuſſus ſum ſicut locuſta.* Teneri enim ſe Chriſtus vſque ad mortem à perſecutoribus pertulit: ſed ſicut locuſta excuſſus eſt: quia ab eorum manibus ſaltu ſubitę reſurrectionis euolauit &c.

*Greg. lib. 34. moral. cap. 6.*

*Matth. 13.*

*Matth. 2.*

*Ioan. 10.*

*Ioan. 8.*

*Ioan. 11.*

*Greg. lib. 31. moral. cap. 19.*

1960 Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.

Hic Chriſtus allegat miſeriam ſuæ infirmitatis & pœnæ. Vbi ſciendum quòd in genibus maxime debilitas apparet corporis: in quibus totum corpus vertitur. Hinc eſt quòd homo feſſus ſtatim ſedere quęrit: quod maxime facit propter genua quæ laborem corporis portant & pondus. Chriſtus autẽ in vita præſenti multos labores ſuſtinuit: vt puta itinerando, ieiunãdo: vnde & eius genua infirmata ſedere quærebat quandoq;. Ioan. 4. Ieſus autẽ fatigatus ſedebat ſic ſuper fontẽ. Cũ ergo Ieſus ſtatim poſt baptiſmũ ieiunauerit quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil penitus guſtando & poſtea eſurierit: cõſequẽs eſt ꝙ ex defectu cibi eius genua debilitata & infirmata fuerint nõ modicum. Et hoc eſt quod ait, *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* Sequitur, *Et caro mea immutata eſt*, id eſt, intrinſecus mutata & debilitata. & ſequitur cauſa, ꝓpter oleũ. Quod exponit Nicolaus, dicens: propter oleum, id eſt, propter defectum olei: quia Chriſtus ſine cõdimento olei; & multotiens fortius alterius pinguedinis ſua cibaria comedebat. Et ſic in hoc notatur tenuitas cibi ſui. Et probat quòd ſic debet exponi propter oleum, id eſt, propter defectum olei: primò per textum Hieron. qui ſic dicit, Et caro mea lenta eſt abſque oleo. Et in Hebręo habetur. Et caro mea macilẽta à pinguedine. Corpus enim Chriſti optimè complexio natũ erat: quia virtute ſpiritus ſancti formatum, qui errare non poterat, & ideo in iuuentute habuit conuenientem carnoſitatem: quæ tamen mutata fuit in maciem ex ieiuniis, vigiliis, itinerationibus, & aliis laboribus. Et hinc eſt quòd in apparentia videbatur amplioris temporis quam de facto eſſet. Vnde & Iudæi dixerunt ei quinquaginta annos nondũ habes. Sic enim locuti fuerũt: quia licet ſolum tunc haberet triginta duos annos cum dimidio: vel ſecundũ alios triginta tres: videbatur tamen multo plures habere propter mutationem faciei & corporis ex cauſis prædictis. Vel aliter: Chriſtus hic aſſumit perſonam diſcipulorũ ſuorum quos vocat genua ſua: quia in genibus ſtat virtus ambulationis. Et ipſi Chriſtum per totũ orbem portauerunt: ambulantes prædicando. Iſti autem Chriſto capto, & ab eis ſubtracto ſic infirmati fuerunt: vt Petrus ipſum negaret: Ioãnes nudus fugeret: & cæteri omnes relicto eo fugerũt. & ſic tunc ieiunabãt: quia verus panis, ſcilicet, Chriſtus ab eis erat ſubtractus. Et hoc eſt quod ait. Genua mea infirmata ſunt à ieiunio. Vbi glo. Hoc aperte de Chriſti membris intelligitur. Et eſt ſenſus. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio*, id eſt, fortes mei, apoſtoli mei. pane, id eſt, Chriſto ſubtracto defecerunt: vt patuit in Petro & aliis. De quibus etiam ſubdit, *Et caro mea immutata eſt propter oleum.* Per oleum enim vnctio ſpiritus ſancti deſignatur: quia quos tangit vngit ſpiritualibus donis. De quo dicitur. 1. Ioã. 2. vnctionem haberis à ſpiritu ſancto: qui ſicut vnctio vos docet, Caro igitur Chriſti, id eſt, apoſtoli ſui qui prius erãt debiles & infirmi: immutata eſt propter oleum, id eſt, per ſpiritũ ſanctũ fortificata: quia accepto ſpiritu ſancto ſic fortes ſunt effecti in Chriſto: vt nõ verba timerẽt: nõ minas, non verbera: ſed nec mortem. Et hoc eſt quod ait glo. *Et caro mea immutata eſt propter oleum*, id eſt, apoſtoli confirmati ſunt per ſpiritum ſanctum.

*Genua primo ſunt debilitas corporis.*

*Chriſtus amplius temporis apparebat quam eſſet. Ioan. 8.*

*Genua ſignificãt apoſtolos.*

*Oleũ dicitur ſpiritus ſanctus.*

Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me & mouerunt capita ſua. 1961

Hic aſſignat tertiam rationem ſuæ exauditionis quæ ſumitur ex crudelitate Iudæorum perſequentium. Aperta enim iniuria alicui crudeliter illata mouet ad compaſſionem. Quæ autem maior poterat eſſe Iudæorum crudelitas, quam poſtquam ipſum ceperunt, ligauerunt, flagellauerunt, & poſuerunt in cruce: adhuc non contenti dum in cruce pẽderet ipſum opprobriis lacerabãt, & blaſphemabant

*Iudæorũ crudelitas cõtra Chriſtum.*

mabāt mouentes capita ſua dicentes. Si Chriſtus rex Iſrael eſt; deſcēdat nūc de cruce: & credimus ei? Alij inſultabāt, dicentes. Alios ſaluos fecit, ſeipſum nō poteſt ſaluū facere: & ſimilia. Quæ omnia præuidēs Pſal. in perſona Chriſti dicit. *Et ego factus ſum opprobriū illis*. Cōſimiliter dicit pſal. 21. Ego ſum vermis & nō homo: opprobrium hominū & abiectio plebis: omnes videntes me deriſerūt me: locuti ſunt labiis & mouerūt caput. Et hoc idē nunc præuidēs pſal. ait. Viderunt me, & mouerūt capita ſua. vide. ver. 296. 297. Dicat ergo. *Viderūt me & mouerūt capita ſua*. Q. d. viderūt me pendentē in cruce: ſed non reſurgentē. Viderūt me: quando genua mea infirmata ſunt: ſed non quando caro mea immutata eſt: Et ideo mouerunt capita ſua tanquam furioſi: commotione capitis adhuc minantur.

*Matth. 27.*

*Caput mouere & minari.*

1962 Adiuua me domine deus meus: ſaluū me fac ſecundum miſericordiā tuam.

Hic Chriſtus expreſſè à patre ſuam poſtulat reſurrectionē. Et diuiditur in partes tres: quia Chriſtus primo poſtulat reſurrectionē. ſecundo ex hoc manifeſtat dei poteſtatē: ibi, *Et ſciant*. tertiò ex hoc oſtendit apoſtolorum confirmationē: ibi, *Maledicēt*. Quantum ad primum ſciēdum quòd Chriſtus qui erat verus deus & homo: vt homo orat: ſed vt deus exaudit orationē. Dicit ergo. *Adiuua me domine deus meus*, ſcilicet, me Iudæorū manibus liberādo: quod fit per reſurrectionem: quādo corpus mortale immortale fuit effectū. & ſic in ipſum amplius Iudæi poteſtatem non habuerūt. vnde ſubdit. Saluum me fac. Anima enim Chriſti ante reſurrectionem erat vere beata: & deo fruebatur: ſed corpus nōdū à miſeriis mūdi erat eruptum: ſed in reſurrectione beatitudinis dotes aſſumpſit. Et ideo quantum ad hoc ait. *Saluum me fac*, ſcilicet, corpus reſuſcitando. Et quia reſurrectio Chriſti fuit opus non ſolū iuſtitię: ſed etiam miſericordiæ. vide, ver. 69. 918. & in ipſa maximè dei miſericordia relucet: ideo ipſam Chriſtus petit magis ex miſericordia quam ex iuſtitia, dicens, *Secundum miſericordiam tuam*. vnde ſecundum glo. nō petit adiuuari ex debito operum: ſed à miſericordia. Qualiter autem adiuuat deus inuocantes eum: vide ſupra in multis locis: vbi de adiutorio dei tractatur.

1963 Et ſciāt quia manus tua hæc: tu domine feciſti eam.

Hic oſtendit Chriſtus ex ſua reſurrectione quòd manifeſtabatur mundo eius poteſtas. quia cum reſurrectio erit mūdo publicata, cū ſolus deus mortuos ſua poteſtate ſuſcitare poſſit: ex cōſequēti eius poteſtas publicabatur. Vel aliter: ex hoc vult oſtēdere quòd per reſurrectionem Chriſtus cognoſcetur verus dei filius. Vbi aduertendū quòd manus dei dicitur eius potētia: quia per manū operamur. Cum ergo deus omnia operetur per verbum: ideo ipſum verbum rectè manus dei dicitur: quā manū petebat Pſal. in mundū emitti. dicēs, Emitte manū tuā de alto, eripe me &c: vide. verſi. 197. 469. 1215. 1520. De iſta ergo manu quæ eſt Chriſtus ait, *Et ſciāt quia manus tua hæc*. i. cum reſuſcitatꝰ fuero, electi qui ſūt inter peruerſos, cōuertētur & ſciēt, quia hęc eſt manus tua, ſcilicet, cognoſcēt ꝙ Chriſtus eſt manus tua. i. verus filius tuꝰ. Et nota quòd iſta manus dei quæ eſt Chriſtꝰ duas partes habet, ſcilicet, duas naturas, diuinitatis & humanitatis. ſecundū primā non eſt facta: quia filius à ſolo patre eſt: nō creatus nō factus ſed genitus: quia factum à faciēte eſſentialiter differt: nō autē dei filius à patre. ſed ſecundum humanitatē eſt factus quādo, ſcilicet, verbū caro factū eſt. Gal. 4. Miſit deus filiū ſuū factū ex muliere &c. Secundū humanitatem ergo dicit. *Et ſciāt quia tu feciſti eam*. Sic ergo quantū ad diuinitatem dicit, *Et ſciāt quia manus tua hæc*. ſed quātū ad humanitatē: ſciant quia tu feciſti eam. Et nota quòd Chriſtus dicitur factus multipliciter. vide: ver. 1551.

*Manus dei dicitur Chriſtus.*

*Pſal. 143.*

*Athanaſius in ſymbolo.*

*Ioan. 1.*

*Factus multipliciter dicitur.*

Maledicent illi, & tu benedices qui inſurgunt in me, confundantur: ſeruus autem tuus lætabitur. 1964

Hic ex reſurrectione oſtēditur apoſtolorū cōfirmatio. vt enim habere in pluribus locis in actibus apoſtolorū: dū apoſtoli prædicarēt Iudæis Chriſti reſurrectionē: Iudæi ipſos perſequebantur & maledicebāt; etiā verberibus flagellabāt: præcipiētes eis ne in nomine Ieſu amplius prędicarent. Vnde dicitur Actu. 4. & 5. Quia prædicantibus apoſtolis ad populū, ſuperuenerūt ſacerdotes & magiſtratus tēpli dolentes quòd docerēt populū, & annūciarēt Ieſum reſurrxiſſe à mortuis: & iniecerūt in eos manus: & poſuerūt eos in carcere. Et in craſtinū congregato concilio vocauerūt apoſtolos: præcipiētes eis: ne amplius docerēt in nomine Ieſu. Sic ergo etiam Chriſto iā reſuſcitato maledicebāt; dū ipſum dicebant malū: prohibētes ne ſuum nomen diuulgaretur. Sicut ergo de bonis electis qui inter malos erant, ſtatim oſtendit quòd per reſurrectionem erant credituri, dicens. Et ſciant quia manus tua hæc. Ita nunc de reprobis dicit: quòd per reſurrectionem magis obſtinabuntur, & Chriſto maledicent: eius nomen tanquam malum prohibebant annunciari populo. Et hoc eſt quod ait, *Maledicent illi*, ſcilicet, Chriſto reſuſcitato. Vel maledicent illi, id eſt, membris eius electos & prædicatores perſequendo. Et ſequitur. *Et tu benedices*: quia quāto amplius impugnabant nomen Chriſti, tanto plures conuertebantur ad fidē Chriſti: & ſic nomē Chriſti benedicebant, id eſt, bonum eſſe dicebant, & ipſum adorabant. immo quod plus eſt vide quòd propter maledictionem à reprobis factam nominis Chriſti, nomen Chriſti per totum orbem fuit diuulgatum & honoratum, quia propter illorum maledictionem apoſtoli de Iudæa expulſi totum mundum fide Chriſti repleuerunt, quod totū fuit diuina virtute factū. Quæ omnia præuidēs pſal. dicit. *Maledicēt illi & tu benedices*, ſcilicet, nomini Chriſti, vel ipſis apoſtolis, ipſos in fide cōfirmādo. Vnde propter magnā apoſtolorū in Chriſti fide cōſtātiā ipſi ſacerdotes & magiſtratꝰ in ſeipſis cōfundebātur, nec ſciebāt apoſtolorum verbis reſpondere. Si enim habetur Actu. 4. ꝙ cū præcepiſſent apoſtolis ne amplíꝰ prædicarēt Chriſti reſurrectionem, Petrꝰ eis reſpōdit, Si iuſtū eſt in cōſpectu dei vos potius audire quā deū, vos ipſi iudicate. Et tūc cōfuſi ſunt, neſcientes quid reſpōderēt, nō inuenientes quomodo punirēt eos. Et ſic illi torquebātur inuidia, & apoſtoli ibāt gaudētes à cōſpectu cōcilij. Et hoc notās Pſal. in perſona Chriſti ait. *Qui inſurgūt in me: cōfundātur*, id eſt, cōfundētur. *Seruus autē tuus lætabitur*: loquitur enim in perſona apoſtolorū, vnde Actu. 3. dicitur, quòd cum Petrus ſanaſſet Æneā ad portam ſpecioſam tēpli ſedētē mēdicādo, adduxerunt apoſtolos in cōſiliū ſuū & illū hominē ſanatū. Audiētes autem Petrū prędicatē, & videntes Petri cōſtātiā & Ioānis, cōperto quòd eſſent homines idiotæ & ſine literis

*Maledicebāt Iudæi Chriſto reſuſcitato.*

*Benedicebāt apoſtolis deus ipſos cōfirmādo.*



literis confundebantur: ſcientes eos fuiſſe cum Ieſu: videnteſque hominem qui curatus fuerat ſtantem cum eis nihil contradicere poterant. Nec mirandum ſi apoſtoli à Deo benedicti tantam habebant in fide conſtantiam. quoniam benedictio dei valet ad multa. vide literam, benedictio, parte ſecunda.

*Benedictio dei valet ad multa.*

1965 Induantur qui detrahunt mihi pudore: & operiantur ſicut diploide cōfuſione ſua.

Hic obſtinatorum prædicuntur futura ſupplicia. Et tria facit: quia primò ponit ipſorum damnationem. ſecundò gratiarum actionem: ibi, *Confitebor Domino*. tertiò Chriſti exaltationem: ibi, *Qui aſtitit*. Quantum ad primum notandum quòd confuſio ſpectat ad mentem: cum ſit quædam verecundia mentis & compunctio de malis commiſſis. Sed pudor ſecundum grammaticos eſt verecūdia corporis, id eſt, per aliquod ſignum extrinſecum apparens in corpore ex aliquo malo commiſſo. Volens ergo oſtendere Pſal. quòd damnati patientur verecundiam & confuſionem intus & extra in corpore & in mente: in ſe ipſis & in cōſpectu aliorum: dicit, *Qui detrahunt mihi*, ſcilicet, infideles qui dicunt Chriſtum non eſſe verum Deum: tales inquam induantur pudore, id eſt, circundabuntur verecundia exterius in corpore coram aliis: ſicut homo circundatur veſtimento. *Et operiantur ſicut diploide confuſione ſua*, id eſt, intus in mente totaliter erunt confuſi. & ſic confundentur intus & extra. Diplois enim eſt duplex veſtimentū. Vnde ad hunc ſenſum iſtum verſum exponit Gregor. dicēs, Duobus autem modis in hac vita hominem iudicat Deus: quia aut per mala præſentia irrogare iā tormenta ſequentia ſtagellis præſentibus extinguit. Niſi enim delictis exigentibus iuſtus iudex & nūc & poſtmodum quoſdam percuteret: Iudas Apoſtolus minimè dixiſſet: ſecundum eos qui non crediderunt perdidit. Et de iniquis Pſal. non diceret. *Induantur qui detrahunt mihi pudore: & operiantur ſicut diploide confuſione ſua*. Diploidem duplex veſtimentum dicimus. Confuſio ergo ſicut diploide induti ſunt: qui iuxta reatus ſui meritum & temporali & æterna animaduerſione feriuntur. Solos enim illos pæna præſens ab æterno ſuplicio liberat: quos immutat. Nam quos præſentia mala non corrigūt: ad ſupplicia æterna perducunt. Vel operiantur cōfuſione ſicut diploide: quia dupliciter confundentur, ſcilicet, coram Deo & coram hominibus. Et hoc eſt quod dicitur Hiere. 17. Duplici contritione contere eos domine Deus noſter. Et notanter dicit operientur: quia nihil eis à pæna manebit liberum. Quanta autem erit damnatorum cōfuſio. vide ver. 455. 550. 55. Vel poſſet exponi iſte ver. in bono: vt, ſcilicet, oret Chriſtus pro electis qui adhuc ſunt de numero malorum: vt de peccatis ſuis verecundentur, & confundantur. & ſic per pœnitentiam veniant ad ſtatum gratiæ. Sed iſta expoſitio licet pulchra: tamen non eſt literalis: ſed magis myſtica.

*Damnatorū confuſio duplex.*

*Grego. lib. 9. moral. ca. 33.*

*Diploidis ſignificat damnatorum duplicem pænā.*

1966 Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorū laudabo eū.

Hic conſequenter Chriſtus ex omnibus prædictis conſurgit ad gratiarum actionem. Confeſſio eſt multiplex, ſcilicet, laudis & criminis: vt multotiens ſuperius dictum eſt. Hic autem accipitur pro confeſſione laudis: quia qui laudat Deum in beneficiis ſuis, de illis ſibi gratias agit. Dicit ergo, *Confitebor Domino*, id eſt, laudem dicam domino, & in meipſo & in membris meis: & non ſolum corde ſed etiam ore. vnde ſubdit, *Nimis in ore meo*. Et attēde quòd hic nimis non accipitur prout ſonat vltra debitum: ſed accipitur pro valde. ſicut dicitur Pſal. 95. Nimis exaltatus es ſuper omnes deos. vide ver. 1607. 1645. De confeſſione laudis vide ver. 81. 91. 250. 806. 1044. 1236. 1468. Sed quia non ſufficit confiteri corde: niſi etiam & homo confiteatur Dei laudes ore: vbi adſit facultas: vt oſtenſum fuit ver. 1926. ideo ait. *Confitebor domino nimis in ore meo*: quia corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutē. Sequitur. *In medio multorum laudabo eum*. Quod realiter verificatum fuit in Chriſto: quando poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis apparuit: & ſtetit in medio eorum: oſtendens ſe à Deo reſuſcitatum ad Dei laudem, dicens: Videte manus meas, & pedes meos, &c. Hoc etiam quotidie Chriſtus in membris ſuis facit.

*Ioan. 20.*

Qui aſtitit à dextris pauperis: vt ſaluam faceret à perſequētibus animam meam. 1967

Hic finaliter concludit Chriſti exaltationem. Vbi notandum quòd nomine pauperis, Chriſtus intelligitur. Sic enim ſe pauper vocabat ſuperius dicens, Libera me: quia egenus & pauper ego ſum. De hoc vide ver. 315. 574. 1408. 1958. Item ſciendum quòd per dexteram ſignificatur illud quod quis ſibi præeligit: & per ſiniſtram id quod minus: vt dictum eſt ver. 1942. Et quia Chriſtus elegit ſibi Deum: ideo Deus dicebatur dextera Chriſti. ſicut quia Iudas elegerat ſibi congregare diuitias: ideo diuitię erant dextera eius. Eſt ergo ſenſus. *Qui*, ſcilicet, *Deus aſtitit à dextris pauperis*, id eſt, ipſe Deus fuit dextera Chriſti pauperis. ſicut & diabolus ſtetit à dextris Iudæ: qui, ſcilicet, fuit dextra eius. Vel aliter Dominus habet dexteram & ſiniſtram. dextera ſunt electi: vnde & ponet eos à dextris in iudicio. ſiniſtra autem ſunt reprobi: vnde ipſos ponet à ſiniſtris. Mat. 25. Aſſiſtit ergo Deus à dextris: quia ſuos electos adiuuat & ſaluat. Non autem aſſiſtit à ſiniſtris: quia reprobos ſibiipſis dimittit & damnat. Aſſiſtit ergo à dextris pauperis, ſcilicet, vt ſaluam faciat animam meam: quia, ſcilicet, protegit pauperem, id eſt, humiles, ne paupertate vel infirmitate deficiant: quia ipſi humiles ſunt dextera Chriſti. Vel aliter: vbi ſciendum quòd per ſacramenta eccleſiæ quæ virtutem habent ex Chriſti paſſiòne: ſaluantur animæ noſtrę. Quæ quidem ſacramènta fluxerunt de latere Chriſti dextro dormientis in cruce. vt ait magiſter li. 2. diſt. 18. Volēs ergo Deus ſaluare animas noſtras: aſtitit à dextris pauperis: quia, ſcilicet, virtutem ſacramentorum, quibus ſaluamur poſuit in latere dextro pauperis Chriſti. Et hoc eſt quod per dexteram Chriſti orabat propheta Pſal. 59. dicēs. Saluum me fac dextera tua: & exaudi me. A latere enim dextro Chriſti in cruce pendentis ſalus noſtra proceſſit, quando vnus militum lancea latus eius perforauit: & continuo exiuit ſanguis & aqua. Ioan. 19. Per ſanguinem enim & aquam intellige tria ſacramenta: in quibus ſalus noſtra conſiſtit principaliter. Nam aqua ſignificat ſacramentum baptiſmi: ſine quo nullus

*Dextera eſt illud quod præeligimus.*

*Dextera ſunt electi.*

*A dextra Chriſti proceſſit ſalus noſtra.*

nullus poteſt ſaluari. Ioan. 3. Significat & ſacramẽtum pœnitentiæ: quo quis aquis lachrymarum à peccatis purgatur. Sanguis autem ſignificat ſacramentum euchariſtiæ, in quo realiter Chriſti ſanguis continetur & corpus. Et iſta ſacramenta ſalutis cauſa proceſſerunt à dextera Chriſti. Pro quorum euidentia dicit Iſidorus 17. etymol. de ſucco balſami, quòd arbore balſami percuſſa vngulis ferreis in cortice: per illa foramina exit gutta balſami eximij odoris: quæ eſt inter omnes guttas maioris ſalutis. Nam hæc gutta fœtum mortuum expellit de ventre matris, cicatrices curat, & corpora à putrefactione præſeruat. Sic & in propoſito Chriſtus quaſi arbor balſami & lignum vitæ vngulis ferreis percuſſus in cortice, id eſt, in carne, guttam ſuauiſſimam diſtillauit ex foraminibus vulnerum, ſcilicet, perforatus clauis & lancea. Quæ quidem gutta vel vnda ſanguinis & aquæ fœtum mortuum expellit, id eſt, peccata & opera mortua: cicatrices, id eſt, inordinatas affectiones ſanat. & tam corpus & animam ſaluando ſeruat à putrefactione. vnde Ambroſius ſuper Pſa. beati immaculati, dicit, Chriſtus in ligno compunctus eſt lancea: & exiuit ex eo ſanguis & aqua omni ſuauior vnguẽto. Et quaſi balſamum ex arbore: ſic virtus de Chriſti corpore exibat. Compuncta ergo dextera Chriſti: odorem remiſſionis peccatorum & redemptionis effudit. Hæc Ambroſius. Vnde Pſalm. 19. In potentatibus ſalus dexteræ eius. Et Ezech. 47. Aquæ redundabant à latere dextro: & erũt piſces multi ſatis poſtquam illuc peruenerint aquæ iſtæ: & ſanabuntur & viuent. Exiuit etiam ſanguis à dextera. Sanguis enim præcipuè audaciam confert & vires. vnde dicitur in libro de naturis rerum: quòd aues prædales de ſanguine auium venatarum magnam ſumunt audaciam & venandi conatum. Sic regenerati in aqua baptiſmi cum ſint quaſi aues prædales: vtputa quarũ præda Chriſtus eſt qui eſt quaſi auis. Eſa. 46. Vocans ab oriente auem: & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Auis iſta re vera in ſacramento euchariſtię ſumitur. Et ideo ſanguis eius magnam audaciam & potentiam venandi, id eſt, ſtrenue prædam ſuam capiendi confert. Quæ omnia facit virtus Dei quam collocauit in dextera Chriſti, vt merito de ipſa dicamus illud Pſal. 117. Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltauit me. Et hoc ideo quod dominus aſtitit à dextris pauperis: vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

*Balſami guttavtilis eſt ad membra.*

*Sanguis Chriſti audaciam & fortitudinem confert.*

## PSALMVS CIX.

1968 **DIxit dominus domino meo, ſede à dextris meis.**

Iſte Pſalmus hunc habet titulum. Pſalmus Dauid. Patet titulus ex ſupra poſitis titulis multotiẽs. De materia verò literali iſtius pſalmi diuerſorum eſt multiplex opinio. Quidam dicũt quòd eſt quædam gratiarum actio pro victoria diuinitus conceſſa ipſi Abrahæ de quatuor regibus: de quibus habetur Gen. 14. quòd rex Sannaar & rex Ponti, & rex Elamitarum, & rex gentium ſimul congregati: venerunt contra regem Sodomorum, & contra regem Gomorre, & contra regem Adame, & contra regem Seboim, & contra regem Bale ſiue Ségór: & percuſſerũt omnẽ regionẽ Amalechitarũ & Amorreorum. Et facto bello rex Sodomę & Gomorreorũ terga verterunt, & illi tulerũt omnẽ ſubſtantiã Sodomorũ & Gomorre: & inter cætera ceperũt Loth, qui habitabat in Sodomis filiũ fratris Abraham: & omnẽ ſubſtantiã eius abſtulerũt. Quod cũ audiſſet Abraham, qui tunc habitabat in conualle Mãbre, ſcilicet, iuxta regiones illas numerauit de ſua familia vernaculos trecentos decem & octo: & perſecutus eſt eos vſque Dan. & irruit ſuper eos nocte & percuſſit eos: redemitq; omnem prædam quam illi abſtulerant: & Loth nepotem ſuum cum omni ſubſtantia illius: mulíereſq; & omnem populum. Et tunc Melchiſedech rex Salem: qui erat ſacerdos Dei altiſſimi: venit obuiam ipſi Abrahæ reuertenti cum victoria: & obtulit ipſi Abrahæ panem & vinum, &c. De hac ergo victoria per ipſum Abraham habita, dicunt iſtum pſalmum factum pro gratiarum actione ab ipſo Dauid. Et tũc ſic exponunt Pſal. *Dixit dominus domino meo*, id eſt, dixit Deus ipſi Abrahæ: quem Dauid dominum ſuũ vocat: quia deſcendit ex eo. *Sede à dextris meis*, id eſt, ſis ſecurus de protectione mea contra iſtos reges: ad quos debellandos procedis: quia, ſcilicet, ponã eos ſub ſcabello pedum tuorũ: quia, ſcilicet, dabo tibi victoriam contra illos. Et quia Melchiſedech obtulit ſibi panem & vinum & decimas: ideo hic vocatur Abraham ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, id eſt, Melchiſedech ex illo actu oſtẽdit ipſum eſſe ſacerdotem. Et ſic conſequenter applicant literam ad illam hiſtoriam. Aliorum verò opinio eſt, quòd iſte Pſal. eſt gratiarum actio ipſius Dauid: pro hoc quòd Deus ipſum aſſecurauit in perſecutione Saulis: quòd non traderetur in manibus eius. Et tunc ſic exponitur, *Dixit dominus domino meo*. vt ſint verba Dauid dicẽtis, Dominus dixit mihi, domino meo, id eſt, pro domino meo Saule me perſequente: ſede à dextris meis, id eſt, ſis ſecurus de protectione mea, quòd non traderis in manus eius. *Donec ponam inimicos tuos*, id eſt, omnes illos qui te cum Saule nituntur impedire à regni executione: *ſcabellum pedum tuorum*, id eſt, tibi faciã illos ſubditos. quod fuit adimpletum poſt mortem Saulis, vt patet 2. Reg. per multa capitula. Et ſic cõſequenter applicat Pſal. ad ipſum Dauid. Sed iſtæ expoſitiones ſtare non poſſunt ſecundum intentionem literæ. patet: quia litera Pſalmi eſt de illo qui eſt ſacerdos in æternum: ipſe autem Abraham non fuit ſacerdos, nec ipſe Dauid. Et dato quòd fuiſſent ſacerdotes non tamẽ habuerunt ſacerdotium æternum. Vnde ad literam iſte Pſal. intelligitur de Chriſto: qui ſolus habet ſacerdotiũ æternum: vt diffusè tractat Apoſtolus ad Hebr. 7. Item hoc patet ex verbis Chriſti qui iſtum Pſal. de ſe dicit ſcriptum. Nam congregatis Phariſeis interrogauit eos Ieſus dicẽs. Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicũt ei. Dauid. Ait Ieſus. Quomodo ergo Dauid vocat eum dominum, dicens: *Dixit dominus domino meo, ſede*, &c. Si ergo Dauid vocat eum dominum: quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat reſpõdere illi verbum. Quod ideo erat: quia Phariſei ignorabant diuinitatem Chriſti, per quam erat dominus omnium: & per conſequens ipſius Dauid. quamuis eius filius eſſet ſecundum carnem. Item quòd hic Pſal. ad literam ſit de Chriſto, patet per Apoſtolum qui ex litera iſtius Pſal. probat Chriſtum maiorem eſſe angelis, dicẽs, Cui enim angelorum dixit aliquando Deus, ſede à dextris meis, quouſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ? Vnde de Angelis ſubdit. Nõne omnes

*Nota hic hiſtoriam quia non videtur hoc dicere. Melchiſedech obtulit Abrahæ panem & vinum.*

*Dauid ſedet à dextris Dei & qualiter.*

*Matth. 22.*

*Hebr. 1.*



omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſſi? Probatio autem per ſcripturam ſacram non fit, niſi ex ſenſu literali: vt dicit Auguſt. contra Vicentium donatiſtam. Item patet ex alio. quoniam quidam doctor Hebræus, ſcilicet, Rabbi Ionathas filius Oziel: qui tantæ fuit auctoritatis apud Hæbræos: quòd nullus fuit auſus contradicere ſibi, in tranſlatione ſua Chaldaica, vbi nos habemus, dixit dominus domino meo, &c. tranſtulit ſic. Dixit Dominus verbo ſuo, ſede, &c. Certũ eſt autem quòd nec Abraham poteſt dici verbum Dei: nec aliquis alius niſi dominus Ieſus Chriſtus. His ergo præmiſſis: accedo ad Pſalmi diuiſionem. Vbi ſciendum quòd intentio Pſalm. eſt hic oſtendere tria de Chriſto, ſcilicet, eius humanitatem, qua eſt minor patre. ſecundò eius diuinitatem, qua eſt æqualis cũ patre, ibi, *Tecum principium*, tertiò eius ſacerdotalem dignitatem, qua pro nobis intercedit ad patrem, ibi, *Iurauit Dominus*, Circa verò Chriſti humanitatẽ tria oſtendit. Primò eius dignitatem: qua à patre fuit exaltata. Secundò eius poteſtatem: qua omnia ſibi fuerunt ſubiugata, ibi, *Donec ponam*. Tertiò eius fidei veritatem: quæ per orbem fuit prædicata, ibi, *Virgam virtutis*. Quantum ad primum ſciendũ quòd humanitas Chriſti ſecundum quam eſt minor patre, in hoc fuit oſtenſa inter cætera quòd à patre Chriſtus in ſua aſcenſione eleuatus eſt in cœlum: & ad dexteram ipſius patris collocatus. ſicut dicitur Mar. vltimo. Et dominus quidem Ieſus poſtquã locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum: & ſedet à dextris Dei. Nullus enim ab aliquo poteſt ſic exaltari: niſi ab habente poteſtatem & auctoritatem ſuper eum: & per conſequens à maiore ſuo. In hoc ergo quòd Chriſtus ſic à patre ſuo fuit exaltatus: oſtenditur eius humanitas, qua minor eſt patre. Eſt ergo ſenſus iſte, *Dixit dominus domino meo*, id eſt, dominus, ſcilicet, Deus pater, dixit domino meo, id eſt, Ieſu Chriſto, quem Dauid ſecundum diuinitatem æqualem patri, & omnium cognoſcebat Dominum, quem præuidebat incarnandum: & etiam ſecundum humanitatem ſuper omnia exaltãdum: & ſic omnium dominum in humanitate futurum. Vnde Hieronymus ſuper Matth. Dominus Dauid, erat Chriſtus iuxta illud quòd natus eſt de patre: ſecundum quòd fuit ſuperpræueniens ipſum ſuæ carnis patrem. Sed quomodo hoc dixit, dominus domino, id eſt, pater filio? Non enim hoc dixit vocali ſono vocis: ſed potius re, ipſum verbum æternaliter generando. Vbi nota, quòd dicere Dei multipliciter accipitur. vide ver. 14. Quomodo autem dicere Dei ad intra ſit idem quòd filium generare: eſt ſciendum quòd in nobis eſt duplex dicere, ſcilicet, ad intra & ad extra. Dicere enim ad extra, prę̃ceditur à dicere ad intra: quia antequam verbum extrinſecum & vocale dicatur: prius dicitur verbum intrinſecum ſine voce, à quo procedit extrinſecum verbum. Vnde verbum extrinſecum nõ poteſt dici ſine intrinſeco: ſed bene econtrario. quia noſtrum intelligere poteſt eſſe ſine extrinſeca loquela. Dicimus enim verbum intrinſecum, quãdo intelligimus: ſed verbum extrinſecum per vocem exterius proferimus. Propter quod ait Philoſophus, quòd voces ſunt earum quæ ſunt in anima paſſionum notæ. Conſimiliter etiam Deus dicit intrinſecè: dum verbum intrinſecum ſuum produxit intelligendo: quod verbum dicitur filius dei. Et quia Deus æternaliter intelligit & perfectiſſimè ſeipſum: ideo æternaliter dicendo produxit ſibi verbum æquale per omnia. Et iſto modo dicitur Pſal. 2. Dominus dixit ad me: filius meus es tu, &c. id eſt, dominus pater generãdo dominum verbum ſiue filium: produxit ipſum ſibi æqualem per omnia. quæ æqualitas per hoc notatur, quòd dicitur, ſede à dextris meis. Hoc enim nomen dominus cõpetit tam patri quàm filio. ver. 28. Si autem ly, dominus, ſecundò loco poſitus, ſtet pro Chriſto ſecundum humanitatem: tunc eſt ſenſus. Dixit dominus, &c. id eſt, Deus pater diſpoſuit æternaliter quòd Chriſtus homo exaltaretur ad dexteram ſuã. Vnde hic ait Glo. Sede à dextris meis. hoc humanitatis iudicium eſt: quòd dicit pater filio: ſede, id eſt, poſt laborem quieſce, & regna ſecundum quòd homo. ſede non ſolum in alto vt excellens domineris, ſed etiam in occulto, vt latens & occultus credaris. quia non eſt merces fidei, niſi lateat quod credimus. Dum ergo dicit pater Chriſto: ſede: duo notat, ſcilicet, eum poſt laborem paſſionis quieſcere & conregnare: & in occulto eſſe. Sede dico à dextris meis, id eſt, in potioribus bonis meis conregna, vt æqualis mihi. Per dexteras enim accipitur æqualitas. Hic notandum quòd Chriſtum reperio dupliciter ſedentem, ſcilicet, primo in throno crucis ſedet ignominioſe: ſecũdò in throno patris ſedet glorioſe. Primò ſedet in throno crucis ignominioſe. Quid enim per Chriſti thronum: niſi Chriſti crux deſignatur? Vnde Balduinus de laude crucis ait, Quem inquit decet magis Chriſti thronum dicere: quàm Chriſti crucem tormentis paratam? In iſto throno ſediſſe dicitur Chriſtus: quãuis ibi affixus fuerit extenſus, quia ſedens habet partem ſui corporis erectam, ſcilicet, ſuperiorem, inferiorem verò curuatam. Sic & in Chriſto: quãuis ſenſualitas & inferior pars rationis pœna curuabatur: quia humiliauit ſemetipſum factus obediẽs vſque ad mortem crucis: ſuperior tamen pars rationis continue in Deum erecta ferebatur. In hoc ergo throno ſedet Chriſtus: vt iuſtitiam faceret de hoſtibus, qui iniuſte captiuos tenebant homines: quamuis iſti iuſte tenerentur. Et ideo dicitur. Parauit in iudicio thronum ſuum, &c. & ſedes ſuper terram qui iudicas iuſtitiam. Secũdò ſedet in throno patris glorioſè. vide ver. 841.

*Quæſtio.*

*Dicere Dei quid ſit.*

*Dicere noſtrũ duplex.*

*Philoſophus 1. perihermenias.*

*Chriſtus ſedet in cruce & in gloria.*

*Philip. 2.*

*Pſal. 9.*

**Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.** 1969

Hic oſtendit quomodo omnia Chriſto homini fuerunt ſubiugata. Hoc autem ſic probatur: quia omnes homines aut ſunt de numero prædeſtinatorum, aut reproborum. Sed tam iſti quàm illi ſunt ſub pedibus Chriſti: quia boni per humilitatem & deuotionem: mali autem per iudiciariam poteſtatem. Et hoc eſt quod dicit Chriſtus. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Per cœlũ intellige bonos: ſed malos per terram. Et hoc alibi præuidens Pſal. de Chriſto, dicit, Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c. vide ibi ver. 88. Iſta poteſtas Chriſti qua ſibi omnia, ſcilicet, & boni & mali ſubiugãtur: figuraliter ponitur Apoc. 10. vbi ait, Vidi angelum deſcendentem de cœlo, &c. & infra. Et poſuit pedem dextrum ſuper mare: ſiniſtrum autem ſuper terram, &c. Per terrã intellige malos: per mare autem bonos in ſacramento pœnitentiæ, exiſtentes. vide in prædictis. Vel per inimicos Chriſti intellige ipſos Iudæos de facto poſitos ſub ſcabello pedum Chriſti: quia de facto Iudæi qui per fidem Chriſto crediderunt: ſibi per fidem ſunt ſubiecti &

*Chriſto omnia ſubiiciuntur.*

*Matth. vltĩ.*

*Pſal. 8.*

*Iudæi omnes Chriſto ſubiiciuntur.*

& deuotionem. Qui autem obſtinati credere nolunt, etiam ſunt Chriſto ſubiecti: quia membris eius. quia in terris Chriſtianorum habitãtes, chriſtianis ſunt ſubiecti. aliæ autem nationes ipſos nõ permittunt in terris ſuis habitare. Dicat ergo pater Chriſto. *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.* Vnde hic ait Glo. ponã inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, id eſt, ponã illos tibi plenè ſubiectos: aut ex voluntate vt conuerſos, aut ex neceſſitate, vt malos. Et ſi dicatur quando omnes inimici Chriſti, Chriſto erũt plenè ſubiecti: nũquid poſtea Chriſtus ſedebit ad dexteram patris? quia dicit: ſede, &c, donec, &c. Reſpondeo: quòd ly donec, hic non accipitur pro aliquo determinato tempore: ſed pro ęterno. Vnde donec, id eſt, ęternaliter. ſicut accipitur Matth. 1. quòd Ioſeph non cognouit Mariam donec peperit filium ſuum. vide ver. 915. Vnde iſtum textum exponit Greg. & ait. Per Pſal. dicitur, *Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam,* &c. non quòd à dextris domini nequaquam dominus ſedeat poſtquam inimicos illius feriens eius poteſtati ſubſternit: ſed quòd in æterna cunctis beatitudine præſidet: & priuſquam rebellium ſuorum corda cõculcet: quia nimirum conſtat quòd ſubiectis hoſtibus ſuis, ſine fine etiam poſterius regnat. Sic enim per euangeliũ de Mariæ ſponſo dicitur. Ioſeph nõ cognouit eã donec peperit filiũ ſuum primogenitũ. Non quòd hanc poſt natiuitatem domini cognouerit: ſed quòd nunquam illam contigit: etiam cũ conditoris ſui matrem eſſe neſciuit: etiam quia eã nequaquam contingere valuit: poſtquam redemptionis noſtræ ex eius vtero celebrari myſterium agnouit. De illo profectò tempore neceſſe erat vt Euangeliſta teſtimonium ferret: de quo propter Ioſeph ignorantiam dubitari potuiſſet.

*Greg. 8. moral. cap. 41.* — *Mar. 1.*

## 1970 Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Hic oſtenditur fidei veritas, quæ per totum orbem fuit prædicata: quæ de Sion monte fuit emiſſa per orbem. Vbi ſciẽdum quòd poſtquam Chriſtus aſſumptus fuit in cœlum ſecundum humanitatem à dextris collocatus: ſpirituſſanctus apoſtolis fuit miſſus: qui omnia myſteria fidei eos docuit: & omnia linguarum genera: qui eos ad prædicandum fidem, fortes fecit & conſtantes. qui eis datus fuit in monte Sion, in loco vbi Chriſtus cum eis cænauerat. Quo ſpirituſancto accepto ibidem: ſtatim inde exierunt ad fidem Chriſti prædicandum. Sic enim in aſſumptione ſua eis prædixerat Chriſtus. Accipietis virtutem ſpirituſſancti in vos: & eritis teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria & vſque ad vltimum terræ. Per hanc autem fidei prędicationem Chriſtus per fidem incepit regnare in cordibus fidelium. & per conſequens prædicatio euangelij de mente Sion fuit emiſſa: & ibi regnum Chriſti incepit. Sic enim prædictum fuerat Eſa. 2. De Sion exibit lex: & verbum domini de Hieruſalem. Et hoc eſt quod præuidẽs Pſal. Chriſto prædicit, *Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion,* id eſt, poteſtatem cum ſcientia docendi omnium linguarum Deus emittet ex Sion: quia ibi ſpirituſſanctus fuit datus qui Apoſtolos docuit & fortificauit. Vel per virgam intellige ipſam potentiam Chriſti regiam, quæ de Sion exiuit: quia inde miſſi ſunt diſ- A cipuli Chriſtum verum regem mundo prædicare. Vnde hic ait Gloſa. Laudem ſubiectionis inimicorum propheta Chriſto canit ad ipſum in ſua perſona loquens, & ordinem incipiendi regni Chriſti: oſtendens quòd à Iudæis incepit & tranſiuit ad gẽtes. Propheta ergo loquens in ſua perſona ait, *Virgam virtutis tuæ,* &c. quaſi dicat, Dominus ponet inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorũ. quod ita fiet quòd, ſcilicet. incipiet à Iudæis. Et hoc eſt, *Dominus emittet virgam virtutis tuæ,* id eſt, regiæ potentiæ tuæ. ex Sion, ſcilicet, inde exibit fidei & regię tuę dignitatis prædicatio. Et quia prædicata fide Chriſti per totum orbem Chriſtus fideles & ſibi ſubiectos B habuit: & ideo ſequitur, *Dominare in medio inimicorũ tuorum.* quaſi dicat, Hæc erit vtilitas talis emiſſionis: quia, ſcilicet, tu Chriſte dominare, id eſt, dominaberis in medio inimicorum tuorũ: quia inimici tui, ſcilicet, infideles recepta fide tibi ſubiicientur. Hic poteſt notari quòd multiplex eſt virga. vide ver. 1214. Itẽ quòd beata Maria dicitur virga. ver. 1531. Vel aliter diuidendo, nota quòd multiplex eſt Chriſti virga. ſcilicet, virga crucis Chriſti, & pænalitatis: virga iuſtitiæ Chriſti & æquitatis, virga pietatis Chriſti & humanitatis. Primo eſt virga, ſcilicet, crux dominica. Crux enim dominica fuit Chriſto lancea & armatura, qua hoſtes noſtros ſuperauit. 2. Reg. 23. Præuaricatores & ſpinæ euellẽ- C tur: ſi quis tangere voluerit, armabitur ferro: & ligno lanceato. Iſta virga crucis dominicæ dęmones ſuperati fuerunt: & Chriſto ſubiugati. Et bene dicitur virga ferrea: quia ferramentis vndique plena. quia in ipſa multis clauis ferreis corpus Domini cõfixum fuit. Vnde crux Chriſto fuit quaſi ſceptrũ ſui regni. Vnde Bernard. ait. Improperabant inſani Chriſto dicẽtes. Si rex Iſrael eſt: deſcendat de cruce, &c. immo totum oppoſitum oportebat dicere. ſi rex Iſrael eſt: titulum regni non deſerat. virgam imperij, ſcilicet, crucem non dimittat: cuius imperium nimirum ſuper humerum eius. Per iſtam virgam mali corriguntur: quia per eius meditationẽ reducuntur ad pœnitentiam. Prou. 23. Tu percutis eum virga: & animam eius liberaſti. Iſtam virgam ex Sion emiſit dominus: quia ad literam, palacium regium in quo Chriſtus per Pilatum ad crucẽ fuit D iudicatus, erat in monte Sion iuxta templũ: & inde exiuit Ieſus condemnatus, baiulans ſibi crucem. Secundò eſt virga iuſtitiæ & æquitatis. Per virgam enim intelligitur rectitudo iuſtitiæ. Vnde & regibus Sceptrum datur: vt oſtendatur eos habere poteſtatem iuſtè recteq́; iudicandi. Sed fortè dices. Regibus virga datur aurea, quam Chriſtus nõ habuit. Reſpondeo quòd auream virgam noluit habere: quia apud ipſum aurum nõ erat precioſum. Sapiẽ. 7. Omne aurum in comparatione eius, arena eſt exigua. ſed magis virgam ferream per quam inflexibilis à iuſtitia regeret mundum. quia vt habetur Dan. 2. Ferrum omnia domat. Et ſic magis ferrum iuſtitiæ cõgruit quàm aurum: quinimo aurum repugnat magis, & eſt venenum iuſtitiæ: quia qui diligit aurũ non iuſtificabitur. Et ideo de Chri- E ſto dicitur: quòd recturus eſt gẽtes in virga ferrea. Iſtam virgam iuſtitię ex Sion emiſit dominus: quia in templo quod erat in monte Sion cæpit primo Ieſus actum iuſtitiæ in malos exercere: quando ementes & vendentes eiecit de templo. vt habetur Ioan. 2. Tertiò eſt virga Chriſti humanitatis. Humanitas enim Chriſti virga dicitur, quaſi vi regẽs: quia poteſtate diuina omnia gubernat & regit. Virga

*Virga virtutis dicitur fidei prædicatio.* — *Virga multiplex.* — *Virga dicitur crux.* — *Mar. 15.* — *Ioan. 19.* — *Virga dicitur iuſtitia.* — *Eccle. 5.* — *Apoc. 12.* — *Virga dicitur humanitas Chriſti.*



Virga autem dicitur ſecundũ Caſſiodorũ. eo quòd vi ſua regat: & non ſinat cadere innitẽtes. Sic hæc virga humanitatis Chriſti non ſinit ſibi innitentes ſubmergi vel cadere: ſed potenter ſuſtinet illos. Eſa. 50. Quis ambulat in tenebris: & non eſt, &c. Et Pſal. 22. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Et iſta virga dicitur ferrea: quia ſicut dicitur in libro de naturis rerum, vis adamantis Iudici maior eſſe perhibetur, cũ in annulo ferreo ponitur. vnde ſicut dicit Philoſophus in libro de lapidibus: adamas ferrum attrahit: & magnetẽ ſurripit. Sic in propoſito: nã adamas (ſecundũ Iſido. 16. Etym.) Græca Etymologia, dicitur quaſi vis indomita: quia nec ferro nec igni cedit, ſed tantum hircino ſanguine emolleſcit. Sic nec ira Dei nec igne veteris legis ſacrificiis conſumebatur perpetuò: quia præceptum veteris legis erat. Ignis in altari modo ſemper ardebit. Nec ferro, id eſt, humano corpore conſumpto emollita eſt: ad miſericordiam, id eſt, ad remiſſionem culpæ originalis: donec ſanguine innocentis filij placaretur. Ezechi. 3. Adamantem & ſilicem dedi faciem tuam. Facies Chriſti, ſua erat diuinitas. Iſte autem adamas: vt virtutem ſuam nobis magis oſtenderet: poſitus eſt in virga ferrea, id eſt, in natura aſſumpta à patribus veteris legis, tanquã in ſede cõuenientiſſima. Lu. 1. Dabit ei dominus Deus ſedem Dauid patris eius, &c. Vnde propter hoc ipſe ferrum illud rapuit à magnete. Nam magnes erat diabolus qui totum ferrum illud, id eſt, naturam humanã ad ſe rapuerat. ſed adamas iſte ſua virtute ferrum magneti ſurripuit: quando naturam noſtram ſic ab omni peccato mundauit: vt de puriſſimis ſanguinibus virginis Mariæ ſibi corpus aſſumeret. Iob 28. Ferrum de terra tollitur, id eſt, de beata Maria: quando terra dedit fructum ſuum. Et de iſta virga dicitur, Virga directionis, virga regni tui.

*Adamas ſignificat diuinitatem.* — *Leui 16.* — *Pſal. 62.* — *Pſal. 44.*

## 1971 Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplẽdoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.

Hic exprimitur Chriſti diuinitas: qua patri eſt æqualis. Vbi primò ſciendum, quòd nomine principij: propriè Deus pater intelligitur. Cuius ratio eſt quoniam principium dicitur illud ex quo aliud procedit. Sic parentes dicuntur principium filiorum: quia ab ipſis procedunt: ſicut ignis dicitur principium caloris, ſol ſplendoris, & huiuſmodi. Cum ergo à Deo procedant omnia viſibilia & inuiſibilia: ipſe Deus dicitur principium omnium. Apoc. 3. Eſt principium creaturæ Dei. Deus autem dicitur principium quandoque ad extra, quandoque ad intra. Si dicatur principiũ ad extra, ſic nomen principij conuenit toti trinitati: ſic quòd omnes tres perſonæ diuinæ inſimul ſunt vnum ſolum principium omnium creaturarum: quia opera trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. vt habetur lib. 3. di. 5. Si autem in diuinis accipiatur principiũ ad intra, ſic diſtinguitur, quia aut eſt principium non de principio aliquo egrediens: aut eſt principium de aliquo principio. Si ſecundo modo, ſic principium eſt filius qui producit ſpiritumſanctum: quia ab ipſo filio ſimul cum patre procedit ſpirituſſanctus, & ſic pater & filius dicuntur vnum principiũ ſpirituſſancti. vt habetur extra de ſumma trin. & fi- A de cap. lib. 6. Si autem accipiatur in diuinis principium ad intra non de aliquo principio: ſic ſolum competit patri, qui à nullo procedit: & à quo procedit filius per generationem: & ſpirituſſanctus per ſpirationem. Ex prædictis apparent tria. Primũ quòd ſpirituſſanctus ad intra nullo modo dicitur principium: ſed ſolum ad extra reſpectu creaturarum. Secundum quòd filius ad intra dicitur principium: ſed de principio: quia de patre. Tertium quòd pater dicitur proprie principium, quia principium non de principio: & quia eſt principium reſpectu omnium, quorum filius & ſpirituſſanctus eſt principium ad intus vel ad extra: & non econtrario. nam ſpirituſſanctus ſolum eſt principium reſpectu creaturarum: ſic & omnium pater & fi- B lius. & filius eſt principium reſpectu ſpirituſſancti, & reſpectu creaturarum: ſic & pater. Sed pater eſt principium reſpectu filij: quod non competit filio nec ſpirituiſancto. Omnia iſta ſatis habentur lib. 1. ſenten. diſt. 29. Ex quibus omnibus concluditur, quòd nomen principij proprius competit patri, quàm alicui creaturæ vel alteri perſonæ diuinæ. Vnde de patre ſub nomine principij dicitur. In principio erat verbum, &c. Vnde Orige. prædicto verbo exponens ait. Quia principium filij pater eſt: & principium ſpirituſſanctus ac etiam omniũ entium. ideo per illud in principio erat verbum: per verbum filium intellige: per principium patrem. tanquam ſi foret dictum, in patre erat filius Et cõformiter hic nomine principij patrem intel- C lige cum filio dicitur, *Tecum principium,* &c. Et attẽde quòd non ait tu es cum principio: ſed tecum principium: nec filius minor patre indicetur. Vnde iſta poſſunt eſſe verba Dei patris dicentis filio, Quaſi dicat pater, Ego dominus emittam virgam virtutis tuæ: quia tecum eſt mihi principium. quia quod ego facio, tu facis: quia tu es filius meus per naturam. vnde ego & tu vnum principium ſumus omnium. Sed hoc hic plenè videri non poteſt: ſed videbitur in patria vbi clarè diuina eſſentia conſpicietur cum omnibus perſonis & proprietatibus earum. Et hoc eſt quod ſubdit. *In die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum,* id eſt, hoc videbitur clarè in æternitate vbi virtus diuina conſpicitur à ſanctis qui fulgent: vt ſol in regno patris eorum: quo- D niam in reſurrectione omnes ſancti erunt ſplendidi vt angeli. Sic ergo eſt ſenſus. hoc quòd filius ſit æqualis patri, & vnum principium cum patre: hic non videtur clarè: ſed videbitur quando erimus in ſplendoribus ſanctorum, id eſt, inter ſanctos ſplendentes quibus clarè diuina virtus manifeſtatur, Sequitur, *Ex vtero ante luciferũ genui te.* Vbi primò notandum quòd per vterum Dei, ſignificatur eſſentia diuina: in qua velut in vtero ab æterno omnia quæ ex tempore erant fienda concipiebantur: & in qua ab æterno electi prædeſtinabantur. Vterus enim in nobis ſignificat mentem noſtram: teſte Grego. dicente. Sciendum vero eſt quòd in ſacro eloquio vteri nomine mens ſolum intelligitur. Hinc enim per Salomonem dicitur, Lucerna do- E mini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris. Lux enim gratiæ, quæ deſuper venit ſpiraculum præſtat homini ad vitam. quæ videlicet, lux omnia ſecreta ventris inueſtigare dicitur: quia occulta mentis penetrat, vt ea quæ de ſeipſa latebant animam ante eius flenda oculos reducant. Hinc Hieremias ait. Ventrem meum doleo. Qui vt ventrem ſuum quid dixiſſet oſtenderet:

*Principium propriè dicitur Deus pater.* — *Extra de ſumma trinitate, lib. 6.* — *Ioan. 1.* — *Greg. 12. moral. cap. 28.* — *Vterum dicitur mens.* — *Prouer. 20.* — *Hier. 12.*

adiunxit. Senſus cordis mei turbati ſunt. Vteri itaque nomine recte mens accipitur: quia ſicut proles in vtero concipitur: ſic cogitatio in mente generatur. Et ſicut in ventre cibi: ita continentur in mente cogitationes. Si ergo in nobis per vterum ſignatur mens noſtra: ſic & in Deo vterus Dei eſt mens Dei, id eſt, diuina eſſentia. Dicit ergo filio pater. *Eh vtero genui te*, id eſt, ſecundum Glo. ex occulta & ſecreta ſubſtantia mea genui te ineffabiliter. Et hoc *ante luciferum*, id eſt, ante omnia tempora. Lucifer enim quæ eſt emicans ſtella quæ diem nunciat ſeculo: hic accipitur pro omnibus ſtellis & ſyderibus: per quæ ſydera, omnia tempora intelligũtur: quia in ſignis & in temporibus poſita ſunt. Et eſt ſenſus ſecundum Glo. *Ante luciferum genui te*, id eſt, ante omnem creaturam: & ante omnia tempora: & per conſequens ab ęterno, cum ante omnẽ creaturam nihil fuerit: niſi æternum. Vel poſſunt omnia verba iſtius verſus eſſe ipſius Pſalmiſtæ loquẽtis ad filium. Quaſi dicat, Benedixi quòd dominus emittet virgam virtutis tuæ: quia ipſe eſt principiũ tecum, id eſt, in principio tecum & coæternus tibi: non tamen ſecundum quòd homo, ſed in die virtutis tuæ, id eſt, in claritate diuinitatis tuæ quæ eſt tua: quia tu conſubſtantialis es patri. Etiam eſt pater tecum principium. Et hoc in ſplendoribus ſanctorum, id eſt, in ſpiritu ſancto: quia eſt ſplendor ſanctorum & ſanctos ſplendificat. Sed quantum ad humanitatem ego ex vtero genui te. Quaſi dicat Dauid. Cum Maria ſit de me: ex vtero virginis eius genui te. Et hoc ante luciferum, id eſt, in nocte: ante diem corporaliter natus eſt Chriſtus. Hic notãdum magis moraliter, quòd principium reperitur multiplex, ſcilicet, principium efficiens, deficiens, iuficiens, reficiens, & perficiens. vide ſuper Ioan. 6.

*Vterus dei eſt eſſentia Dei.*

1972 Iurauit dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in ęternum: ſecundum ordinem Melchiſedech.

Hæc eſt tertia principalis pars: in qua agit de Chriſti ſacerdotali dignitate & regali. Et primò agit de ſacerdotali. ſecundò de regali: ibi, *Iudicabit.* Prima pars in duas. quia primo agit de ipſius ſacerdotali dignitate. ſecundò de ipſius poteſtate: ibi, *Dominus à dextris tuis.* Quantum ad primum ſciẽdum quòd iurare Dei nihil aliud eſt, quàm aliud ſtabiliter ordinare. Stabiliter autẽ Deus ordinauit Chriſtum regere futurũ. quod fecit: quando dixit Abrahæ. Per memetipſum iuraui dixit dominus. ſequitur: in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, id eſt, de ſemine tuo naſcetur ille, qui omnes gẽtes habet benedicere. Benedicere autem aliis, eſt officium ſacerdotis. Et ſic iurauit dominus ipſi Abrahę, quòd de ſemine ſuo naſceretur ſacerdos: qui omnes gentes benediceret. Et ſic eſt ſenſus ſecundum Glo. vt Pſa. loquatur filio, dicens, *Dominus iurauit tibi*, id eſt, firmiter promiſit tibi, ſcilicet, ſecundum quòd tu es homo. Iuratio enim Dei firmamẽtum eſt promiſſionis. *Et non pœnitebit eum*, id eſt, non mutabit ſacerdotium tuum: ſicut cõtigit de ſacerdotio Aaron quod mutauit in ſacerdotium nouæ legis: quia illud erat figura, ſed illud eſt figuratum. Ideo ſignificans æternitatẽ ſacerdotij Chriſti, ait. *Iurauit dominus & non pœnitebit eum.* Loquitur enim de Deo more hominum: in quem tamen nulla cadit pœnitentia. Scit enim quid agat: nec mutat conſilium. ſed verbo pœnitentię Dei: mutatio non voluntatis Dei, ſed rerũ ab extra intelligitur: quando, ſcilicet, res aliter mutantur quàm ſperabatur euenturum. Quomodo enim tu cum aliquid pœnitet te feciſſe: doles factum quod feciſti. ſic quãdo aliquid Deus, præter quàm homines ſperant, mutat in aliud: pœnitere ſe dicit: vſque adeò vt de pœna noſtra pœniteat eum ſi nos de vita noſtra mala pœnituerit. Ergo non pœnitebit eum: quia ſacerdotium non mutabit. Vnde quid dominus iurauerat de quo non pœnitebit eum, ſubdit quòd hoc iurauit: *Tu es ſacerdos in æternum*, id eſt, ſacerdos æternus. Iſtum textũ adduxit Apoſtolus ad Heb. 7, ponens ipſum Melchiſedech figuram fuiſſe Chriſti ſacerdotis, dicens, Conteſtatur enim, ſcilicet, Dauid dicens, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Vbi notandum quòd ſecundum Glo. quæ habetur ad Heb. 7. tradunt Hebræi iſtum Melchiſedech fuiſſe Sem filium Noe. Et quando Abraham natus eſt: ipſum trecentos & nonaginta annos habuiſſe. hic Abrahæ nepoti ſuo obuiauit, quando reuertebatur de cæde quatuor regum. de quibus dictum eſt in principio iſtius Pſa. & panem & vinũ Abrahæ obtulit in refectione eius & ſuorum. Salem verò dicunt fuiſſe Hieruſalem: nõ quòd Hieruſalem tunc eſſet: ſed ibi erat quoddam oppidum: vbi poſt Hieruſalem fuit ædificata. Ex quibus & multis aliis deducit Apoſtolus: quòd Melchiſedech erat Chriſti figura. Primò ex nomine: quia vocatur Melchiſedech rex Salẽ. primò quia Melchiſedech interpretatur rex iuſtitiæ. & hic eſt Chriſtus qui ſuos iuſtos facit & regit. Deinde dicitur rex Salem, id eſt, rex pacis: quod verè Chriſto competit: qui pacificauit quæ in cœlo & quæ in terra ſunt. Quis ergo hominum propriè dicitur rex iuſtitię & rex pacis: niſi ſolus Chriſtus? Certè nullus. Etiam dicit Apoſtolus ipſum Melchiſedech fuiſſe ſine patre & ſine matre. Non quidem eſt inligendum quòd ille non habuerit patrem & matrem: ſed ideo ſine illis dicitur fuiſſe: quia ſcriptura de patre vel matre eius nullam facit mentionem. Sic & Chriſtus fuit ſine patre quo ad humanitatem: & ſine matre quo ad diuinitatem: quia in cœlis natus ſine matre: & in terris ſine patre. Ille etiam non animalia bruta in ſacrificium obtulit: ſed panem & vinum quæ figurabant ſacrificium Chriſti: quod ſub ſpeciebus panis & vini cõſecratur. Quibus omnibus conſideratis concludit Apoſtolus: Chriſtum verè ſacerdotem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech: ſecundum quòd Pſal. dicit, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Vnde & Apoſtolus ibidem probat Chriſtum eſſe ſacerdotem in æternum: dicens quòd ſecundum legem plures facti ſunt ſacerdotes: idcirco quòd morte prohibentur permanere. Ieſus autem eo quòd maneat in æternum: ſempiternum habet ſacerdotium, &c. Et aduerte quòd non ſolum Ieſus eſt ſacerdos æternus in ſe: ſed etiam in ſuis ſacerdotibus: quoniam character ſacerdotalis eſt indelebilis: & idcirco in reſurrectione omnes qui modo ſunt ſacerdotes, ſic & tunc erunt ſacerdotes: quod non erat in ſacerdotio legis antiquæ. Non autem omnes qui modo ſunt religioſi, tunc erunt: & ſecundum Theologos, neque Epiſcopi: quia epiſcopatus non eſt ordo ſed dignitas. Notandum quòd ſacerdotes ſacerdotium Chriſti volẽtes imitari multas conditiones debent habere: & in multis beatis aſſimilari angelis.

*Iurare Dei.*

*Gene. 22.*

*Dominus quo modo pœnitet*

*Melchiſedech figura fuit Chriſti multipliciter.*

*Gene. 14.*

*Heb. 7.*

*Sacerdos à nullo debet aſſimilari.*

Domi



1973 Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ ſuæ reges.

Hic oſtendit Chriſti poteſtatem regalem. Et primò oſtendit Chriſti poteſtatis officium. ſecundò eius poteſtatis cauſam & meritum: ibi, *De torrente.* Poteſtas autem Chriſti maximè ad duo ſe extẽdit, ſcilicet, ad malos puniendum. ſecundò ad bonos præmiandum: ibi, *Iudicabit.* Quantum ad primum ſciẽdum quòd per reges in quibus totum regnum conſiſtit: intelliguntur omnes etiam ſubditi. *Dominus ergo confregit reges:* quia tam ſuperiores quàm inferiores Iudæorum ſibi reſiſtentium redegit ad nihilum. Quod maximè patuit de Herode, de Pilato, de principibus ſacerdotum: qui principalius inſurrexerunt contra Chriſtum. De quibus dicitur Pſal. 2. Aſtiterunt reges terræ: & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum: & aduerſus Chriſtum eius. Iſtos confregit dominus in die iræ ſuæ, ſcilicet, quando vindictam de ipſorum peccatis voluit facere per manus Romanorum. Nam Herodes & Pilatus fuerũt in exilium relegati per imperatorem Romanũ. Pilatus occidit ſeipſum: Herodes verò poſtea cum eſſet in gloria ſua, ſtatim ab angelo percuſſus & vermibus plenus expirauit. Principes verò ſacerdotum cum reliquo populo conſequenter per Romanos principes Titum & Veſpaſianum fuerunt trucidati: partim venundati: & de propria terra expulſi: per mundum vſq; hodie peregrè conſtituti. Dicat ergo Pſalm. Chriſto. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges.* Quomodo autem ira cadat in deo: multoties dictum eſt ſuperius. Sed notandum eſt quomodo dominus, ſcilicet, Deus pater dicitur eſſe à dextris Chriſti: cũ magis videatur eſſe à ſiniſtris. Dictum eſt enim ſuprà quòd Chriſtus eſt à dextris patris, quia dixit dominus domino meo, id eſt, pater filio, ſede à dextris meis. Quicunque autem ſedet ad dexteram alicuius: oportet quòd ille ad cuius dexteram ſedet ſit ad ſiniſtram illius, qui ad eius ſedet dexteram. Reſpondeo quòd argumentum procedit de dextera corporali: hic autem non accipitur dextera corporalis, cum talis non cadat in Deo qui corporalia membra non habet, ſed accipitur dextera ſpiritualis, ſcilicet, pro poteſtate gloria & honore: quia vna eſſentia diuina, vna poteſtas, vnus honor & gloria eſt patris & filij per naturam, quæ Chriſto homini per gratiam ſunt communicata. Et ſic filius eſt ad dexteram patris: quia eiuſdem potentiæ & eſſentiæ eſt cum patre. & pater ad dexteram filij eadem ratione. Tamen proprius, filius dicitur ad dexteram patris, quam pater ad dexteram filij: quia filius habet eſſe à patre per potentiam & virtutem: quia naſcendo accepit ęternaliter à patre quicquid habet. Hic eſt notandum, quòd peccator aliquãdo confringitur à Deo, aliquando comminuitur. Cõfringitur enim aduerſitatibus huius vitæ: ſed comminuitur ſuppliciis æternæ pœnæ. Quod notans ſaluator ait, Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, cõfringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eũ. Quod exponens Augu. in de quæſtionibus euangeliorum exponit confractionem ad pœnam vitæ præſentis: ſed comminutionem ad pœnã vitę futuræ, dicens, Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum: confringetur. de his loquitur Chriſtus qui modo cadunt ſuper eum: qui, ſcilicet, peccando illum modo contemnunt vel afficiunt iniuriis, qui non penitus intereunt: ſed tamen confringuntur, vt non recti ambulent. ſuper quos tamen cadet dum venient in iudicio deſuper cum pæna perditionis. Ideo dixit, Conteret eos: vt ſint ipſi tanquam puluis ante faciem venti: De quibus dicitur in Pſal. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli cõfringes eos. Aliter tamẽ exponit Chriſoſtomus.

*Regit terræ reges Chriſtus ſum per ſpiritu.*

*Act. 1.*

*Confringitur peccator & comminuitur.*

*Matth. 21.*

*Pſal. 2.*

Iudicabit in nationibus: implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum. 1974

Hic oſtendit Chriſti poteſtatem in bonorũ ſaluatione. Vbi notandum quòd inter cæteras cauſas quare Deus hominem creauit: hæc fuit vna, vt, ſcilicet, ex hominibus reſtauraretur angelorum ruina. Statim enim creatis angelis: lucifer cum aliis multis ſuperbiens, Deo voluit æquari. Michael autem cum cæteris voluntati illorum reſiſtens, Deo adhæſit humiliter. Et hoc fuit prælium inter angelos primitus factum. vnde & tunc Michael cũ ſuis Deo adhærentibus fuit confirmatus in gratia: diabolus verò cum ſuis, ruit ad infernum. Et ſic quo ad numerum tanta ruina manſit in angelis beatis: quot numero fuerunt angeli qui ceciderunt. Volẽs ergo Deus iſtam ruinam implere & beatorum angelorum numerum reintegrare, hominem condidit, vt ex hominibus dicta ruina implerentur. non quòd reſtauratio dictæ ruinæ fuerit totalis cauſa creationis hominis: ſed inter cęteras fuit vna. Et hoc notans magiſter lib. 2. diſt. 9. dicit, Notandum eſt quòd decimus ordo angelorum legitur de hominibus reſtaurandus. Sed cum non ſint niſi nouem ordines angelorum, nec plures fuiſſent, etiã ſi illi qui ceciderunt perſtitiſſent: mouentur lectores quomodo ſcriptura dicat decimum ordinem angelorum compleri ex hominibus. Gregorius namque dicit homines aſſumendos in ordines angelorum. Quorum alij ſumuntur in ordine ſuperiorum, qui, ſcilicet, magis ardent caritate. Alij in ordine inferiorũ, qui, ſcilicet, minus perfecti ſunt. Ex quo apparet non eſſe de hominibus formandum decimum ordinem angelorum: tanquam nouem ſint ordines angelorum, & decimus hominũ: ſed homines pro qualitate meritorum ſtatuendos in ordinibus angelorum. Quod ergo legitur quòd decimus ordo de hominibus eſt complendus: ex tali ſenſu dictum accipi poteſt: quia de hominibus reſtaurabitur ruina angelorum: de quibus tot ruerunt vt poſſet fieri decimus ordo. Propter quod dicit Apoſtolus reſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt: quia per Chriſtum redemptum eſt humanũ genus: de quo fit reparatio angelicæ ruinæ, &c. Iſtam ergo angelorum ruinam ex hominibus implendam per Chriſtum præuidens Pſal. ait. *Iudicabit in nationibus*, id eſt, diſcernet in nationibus tot homines bonos & electos. quia de qualibet natione aliquos elegit, quòd de ipſis electis implebit ruinas angelorum. Vnde Apoſtolus ait: quòd inſtaurauit omnia per Chriſtum: quæ in cœlo & quæ in terra ſunt. Vbi ad propoſitum ait Glo. Inſtaurauit, id eſt, ad primum ſtatũ reduxit omnia per peccatũ deſtructa: & quæ in cœlis, id eſt, angelos: & quæ in terris ſunt. i. homines. Nõ quidẽ ꝙ pro angelis reparandis mortuus ſit Chriſtus: ſed quia ex ipſa redemptione hominũ ruinæ angelicæ damnum reparatur. Et vtiq; nouerunt angeli docti à Deo quanti numeri ſupplemento de genere humano, integritas illius ciuitatis ſit reſtauranda.

*Ruina angelorum ex hominibus implebitur.*

*Ephe. 1.*

*Ephe. 1.*

 In

Inſtaurantur ergo quæ in cœlis ſunt: cũ illud quod indè cicidit in angelis, redditur ex hominibus: ex quibus angelorum ruina impletur. Sed qualiter de nationibus iudicabit, id eſt, diſcernet electos ad implendum ruinam angelorum. ſubdit. *Conquaſſabit capita in terra multorum.* Per multos enim intellige malos. quorum capita conquaſſauit Chriſtus: quando de peccatoribus fecit iuſtos. Vbi aduertẽdum quòd caput omnium eſt ſuperbia. quæ ideo malorum dicitur caput: quia ipſa eſt radix omnis peccati & origo. Iſtud autem caput ſuperbiæ: in plurali dicitur capita: quia plura aliorum vitiorũ in ſe capita portat. Vnde ſuperbia figuratur per illam beſtiam: de qua habetur Apo. 13. Vidi beſtiam aſcendentem de mari: habẽtem capita ſeptem. Hæc beſtia eſt ſuperbia: quæ homines extra cognitionem propriam trahens; in beſtias vertit. Quæ aſcẽdit de mari, ſcilicet, huius mũdi: quia ex rebus mũdanis, ſcilicet, ex diuitiis, potentiis, honoribus & huiuſmodi oritur. Habet capita ſeptem: quia ex ea ſeptem principalia vicia oriuntur. vt oſtẽdit Greg. *Conquaſſabit ergo Chriſtus in terra*, ſcilicet, gentes capita malorum: quia conquaſſando & diſſipando multorũ vicia, ipſos iuſtificauit: & ex ipſis ruinas angelorum impleuit. Vnde hic ait Glo. *Conquaſſabit capita in terra multorum*: quia vt impleret ruinas angelicas: hic in vita iſta de multis ſuperbis humiles fecit.

*Caput omniũ malorum ſuperbia.*

*Greg 31. moral. cap. 31.*

1975 De torrente in via bibit: propterea exaltabit caput.

Hic oſtenditur Chriſti poteſtatis meritum, ſcilicet, quid fuit in Chriſto vt tantam dignitatẽ mereretur & poteſtatem. & oſtendit quòd hoc meritũ fuit humilitas ſuæ paſſionis. Vbi notandum quòd per torrentem ſignificatur aduerſitas & miſeria vel mortalitas vitæ præſentis. Nam ſecundum Grammaticos Torreo, res, torrui. idem eſt quod vrere, aſſare, ſiccare, cremare. Et à torreo dicitur hic torrens, tis, id eſt, fluuius vel aqua veniens cum impetu ex imbribus repentina, & magnum habens incrementum: ſed adueniente æſtate: calore ſolis, torreſcit & exiccatur. Et eſt ſic dictus, quia pluuia creſcit: ſed in æſtate torreſcit & ſiccatur. Quid autem per aquas: niſi mundi aduerſitates deſignantur. Pſal. 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, &c. Vel ipſa mors. 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quaſi aqua, &c. Et ſic torrens aquarũ ducens impetum: ſignificat aduerſitatis impetum ducens ad mortem. Quæ aduerſitates non diu durant: ſed cito torrentur: quia ſaltem terminantur in morte. De iſto ergo torrẽte Chriſtus bibit dum hic eſſet in via: quando calicem amarum ſuæ paſſionis potauit. Quæ potatio vel mortis toleratio fuit meritum ſuæ exaltationis: vt oſtendit Apoſtolus ad Phil. 2. vnde Glo. hic ait. *De torrente in via bibit.* quia Chriſtus de fluxu mortalitatis noſtræ & de tranſitoria & turbulenta paſſione bibit naſcendo & moriendo. Et hoc in via, id eſt, in præſenti vita qua itur ad patriam. Et propterea quia ſic bibit humiliatus & factus obediens patri vſque ad mortem: Deus pater propter hoc exaltauit caput eius, ſcilicet, dando illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſũ, &c. Cõſimiliter hunc verſum de Chriſto exponit Gregor. dicens, Quid per torrentem niſi mortalitas huius vitæ exprimitur. de quo per prophetam dicitur, De torrente in via bibit: propterea exaltabit caput. quia, videlicet, redemptor noſter mortalis vitæ pœnam in quodam terræ ſitu attigit. Et idcirco eidem morti cui ſponte ſuccubuit: nõ adhæſit. Vnde die tertia hoc quod moriendo poſuerat: reſurgendo caput eleuauit. quia, ſcilicet, pater ipſum Chriſtum caput omniũ exaltauit. Et aduerte quòd rectè Chriſtus per caput deſignatur. quia ipſe omnium fidelium caput exiſtit. Col. 1. Ipſe eſt caput corporis eccleſiæ: qui eſt principium primogenitus ex mortuis. vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens, &c:

*Torrẽs ſignificat aduerſitates & mortem.*

*Greg 33. moral. cap. 6.*

*Caput dicitur Chriſtus.*

## PSALMVS CX.

COnfitebor tibi domine in toto corde meo: in conſilio iuſtorum & congregatione. 1976

Hic Pſal. talem titulum habet. Alleluia. Expoſitus eſt in principio Pſal. 104. vide ibi. Et quamuis hic titulus omnibus Pſal. congruat, ibi tamen præcipuè ponitur, vbi de magna exaltatione agitur. ſicut ait Glo. in hoc Pſal. populus enim Dei ab omni malo liberatus laudat Deum: & ad eius laudẽ conſideratis operibus Dei alios inuitat. quæ laus vitæ præſentis, figuram gerit laudis quæ erit in patria. Diuiditur autem iſte Pſal. in duas partes. quia Pſal. primò laudem Dei proponit, ſecundò rationes diuinæ laudis oſtendit, ibi, Magna opera domini. Quantum ad primum ſciendum quòd duplex eſt confeſſio, ſcilicet, laudis & criminis. Iſta gaudet: illa luget. Illa medico vulnus oſtẽdit: iſta medico de ſanitate gratias agit. Et hæc toto corde eſt facienda non labiis ſolum. ne ſimus de illorum numero de quibus dicitur. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. vide ver. 91. Sed quia non eſt ſpecioſa ſalus in ore peccatoris. ideo vt Deo dignè cõfiteri valeamus ipſi laudando, primo cor noſtrum debet emundari. Docet autẽ ſcriptura quòd cor noſtrum multipliciter emundatur, ſcilicet, per adhæſionem credendorum, per contritionem peccatorũ, &c. Sed quia laus diuina quanto eſt communior & inſimul à pluribus facta, glorioſior eſt. Propter quod & clerici ad Deum laudãdum inſimul conueniunt eccleſia. Ideo ſubdit, *In conſilio iuſtorum & congregatione.* Vel per conſiliũ iuſtorum intellige cauſam laudis Dei, quam iuſti aſſumunt: non quidem pro terrenis, ſed pro ſpiritualibus gratias agentes. Vel per conſilium & cõgregationem iuſtorum: accipe angelorum beatorum multitudinem: in quorũ conſilio & ordinibus homines poſiti & aſſumpti in patria, Deum cum illis laudabunt. ſicut Pſal. 137. dicitur. Confitebor tibi domine in toto corde meo. ſequitur in conſpectu angelorum pſallam tibi, &c. Vel per conſilium iuſtorum: accipe exempla ſanctorum quibus inſtruimur ad Dei laudem. Non enim quis alteri conſulit verbis: ſed multo fortius factis & exemplis: quia ſicut efficacius quis docetur exemplis quàm verbis: ſic etiam efficacius eſt conſilium factis datum & exemplis quàm verbis nudis.

*Eſa. 29.*

*Cor mundatur multipliciter.*

*Conſilium iuſtorum dicitur exempla ſanctorum.*

Magna opera domini: exquiſita in omnes voluntates eius. 1977

Hic adducit rationes laudis diuinæ. Et primò adducit rationes generales. Secundò rationes ſpeciales. ibi, *Confeſſio.* Quantum ad primum rationes generales adducit duas. Prima ſumitur ex parte potentiæ. Secunda ex parte iuſtitiæ, ibi, Confeſſio. Quantum



Quantum ad primum dicit deum laudabilẽ ex parte ſuæ potentię: quæ talis eſt, quòd potentia ſua eſt voluntas ſua: & voluntas eſt potẽtia. Et ideo ſicut leue eſt deo, magna opera facere velle: ſic & illa facere. Et hoc eſt quod ait, *Magna opera domini*: quæ tamen à voluntate eius procedũt. Vnde ſubdit. *Exquiſita in omnes voluntates eius.* Quaſi dicat, Ideo magna opera facit dominus, quia illa vult facere. quaſi dicat, Non eſt alia cauſa magnorum operum dei, niſi voluntas eius: & alia cauſa non eſt inquirenda. Si ergo conſideras operum dei magnitudinem: quòd totũ mundũ ex nihilo creauit, quòd cœlos incorruptibiles fecit, & in ſuo motu infatigabiles, quòd in homine naturã ſpiritualem & corporalẽ ſic coniunxit, vt nullatenus ab inuicẽ ſeparari velit, & huiuſmodi. ſi velis quærere quare deus ſic fecit iſta opera magnalia: certè nulla alia cadit reſponſio, niſi quia ſic voluit. quia magna opera domini, exquiſita in omnes volũtates eius. Si autẽ vlterius quæras, quare ſic voluit, fatuè quæris, quia quæris diuinæ volũtatis cauſam: quæ tamen nõ habet cauſam, ſed aliorũ omniũ cauſa exiſtit. Et hoc eſt quod ait magiſter. li. 1. di. 45. volũtatis dei cauſa quęrẽda nõ eſt: quia cauſam nõ habet, cũ ipſa omniũ cauſa exiſtat. Vnde Augu. 83. q. ar. 28. ait. Qui quærit quare voluit deus mũdũ facere, cauſam quęrit volũtatis dei. Omnis autẽ cauſa efficiens: maior eſt eo quod efficitur. Nihil autẽ maius eſt voluntate dei. Nõ ergo eius cauſa quærẽda eſt. Tãtũ piè quręẽtibus ſatisfaciẽdo. poſſumus dicere, quòd deus ideo mũdũ voluit facere: vt bonitatem ſuã omnibus creaturis cõmunicaret generaliter: in ſpirituali autem creaturę rationali. ita quòd nõ propter ſuum bonũ, ſed propter noſtrũ fecit nos & mũdũ. Vnde magiſter. li. 2. di. prima. Credimus ergo omniũ creaturarũ viſibiliũ & inuiſibiliũ cauſam nõ eſſe, niſi bonitatẽ ac volũtatẽ creatoris. cuius tãta eſt bonitas, vt beatitudinis ſuæ qua æternaliter eſt beatus: alios velit eſſe participes. Et quia nõ valet ei⁹ beatitudinis aliquis particeps exiſtere, niſi per intelligẽtiã, ideo fecit rationalẽ creaturã quæ ipſum intelligeret, & intelligendo amaret: amãdo poſſideret, & poſſidẽdo frueretur eo. Si autem quæras, quare ita voluit, fatuè quæris, quia magna opera domini exquiſita &c. Vel aliter, *Magna opera domini, exquiſita &c.* quia dum volũtati eius reſiſtere quis conatur, inde eius volũtatẽ cogitur proficere. vt deducit Greg. dicẽs, Sæpe enim nõnulli hominum ſapiẽtia inflati, dũ deſideriis ſuis diuina iudicia cõtrarie cõſpiciunt &c. vide ver. 440. Et concludit fine cap. 13. dicẽs. Iuſtus nãq; & miſericors deus facta mortaliũ diſponẽs, alia cõcedit propicius, alia permittit iratus. ſicq; illa quæ permittit ſic tolerat, vt etiã hæc in ſuæ voluntatis vſum cõuertat. Vnde miro modo fit, vt quod ſine voluntate dei cõtrarium nõ ſit: quia dum in bonũ vſum malè facta vertuntur: eius voluntati militant, etiã quæ eius voluntati repugnant. Hinc enim per Pſal, dicitur. *Magna opera domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Sic quippe eius opera magna ſunt. vt per omne quod ab hominibus agitur: eius voluntas exquiratur. Nam ſæpe inde voluntas dei perficitur: vnde repelli videbatur &c.

*[Volun]tas dei [cau]ſa omnium.*

*[Volun]tatis dei [nulla ca]uſa quærenda.*

*[Volun]tati dei [nemo reſiſte]re poteſt. Greg. lib. 6. moral. 31. [Volun]tas dei ſemper adimpletur.*

1978 Confeſſio & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Hic oſtendit Pſal. deum eſſe laudãdum generaliter ratione iuſtitiæ. Vbi notandũ, quòd iuſtitia legalis eſt omnis virtus (vt ait Philoſoph.) eò quòd ſine iuſtitia nullũ opus moraliter poteſt eſſe bonũ. Hinc eſt ꝙ habẽs iuſtitiã legalẽ, omnes habet virtutes, quia talis ſeruat omnẽ legẽ. Vnde & ipſa legalis iuſtitia, nõ ſolum laudãda & magnifica virtus eſt: ſed ipſa in abſtracto dicitur laudatio & magnificentia. Quod notãs Pſal. dicit, quòd opus dei eſt cõfeſſio & magnificẽtia, ſicut de vno qui excellenter ſit ſapiens, dicimus quòd ipſe eſt ipſa ſapientia. & de vno excellenter bono, quòd ipſe eſt ipſa bonitas. Sic & opera dei quæ in iuſtitia legali fundãtur: oſtendit quòd deus nõ ſolum eſt laudãdus, ſed etiã ipſe eſt ipſa laus. & quòd nõ ſolum eſt magnificus, ſed quòd eſt ipſa magnificentia. Ratio, quia omnia in iuſtitia ſunt fundata. Et hoc eſt quod ſubditur, *Iuſtitia eius manet in ſeculũ ſeculi*, id eſt, incõmutabilis durat in æternum Pſal. 118. Iuſtitia tua iuſtitia in æternũ. Et maximè verificabitur de iuſtitia vltimæ ſentẽtiæ per ipſum dãdæ pro bonis dicens, Venite benedicti &c. & cõtra malos, dicẽs, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum &c. Et ibũt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem &c. Opera ergo dei dicuntur cõfeſſio, quia omnia deum cõfitentur: vt puta naturalia obſeruãdo naturã eis à deo indictã. Cœlum deum confitetur, dum regulariter motum ſuum ſeruat. Ignis dum lucet & calefacit. Aër dum ſpiratur & ſpirat. Aqua dum irrigat & terram fœcundat. Terra dum germinat, & fructus produxit. Homo bonus, dum dei præcepta ſeruat. Malus, dũ per deũ punitus ipſum iudicẽ iuſtũ oſtẽdit. Et breuiter omnia ſuperiora & inferiora cœleſtia, terreſtria deũ cõfitẽtur. Pſal. 148. Cõfeſſio eius ſuper cœlũ & terrã. De hoc vide. verſi. 250. Ad videndũ autẽ qualiter dei iuſtitia eſt virtus perpetua manens in ſeculum ſeculi: eſt notãdum, quòd cum omnis virtus conſiſtat in medio: vt dicitur 2. & 3. ethicorũ. & iuſtitia ſit omnis virtus, vt dicitur. 4. ethicorum: ſequitur quòd præ omnibus aliis virtutibus iuſtitia conſiſtat in medio. Mediũ autem eſt cõſecratiuum rei. Et hoc eſt quod ipſa iuſtitia de ſe profitetur. prouer. 8. dicens. In viis iuſtitiæ ambulo in medio ſemitarum iudicij. Ad quod magis intelligẽdũ, notandum: quòd ſecundum Aulum Gelliũ, li. noctiũ atticarũ ca. 4. Antiqui imaginem iuſtitię ſic deſcripſerũt, ſcilicet, in ſpecie virginis incorruptæ: clarũ habens lumen oculorum: quæ non humilis nec atrocis aſpectus: ſed cuiuſdam reuerendæ dignitatis videbatur. capite coronata: in cathedra ſedens: ſceptrum tenens in manu. Ex qua figura clarè patere poteſt iuſtitiæ perpetuitas: quæ nunquam violari poteſt. Vbi notandum quòd in ſcriptura multiplex medium reperitur in quo conſiſtit iuſtitia &c. Et ideo de iuſtitia dicitur Sapientiæ. 1. Iuſtitia enim perpetua eſt & immortalis. Si igitur iuſtitia de ratione ſui eſt perpetua; quanto magis in Deo? Propter quod nunc ait Pſalmiſta. *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

*Philoſoph. 5. ethicorum.*

*Confeſſio & magnificẽtia dicitur opera dei.*

*Matth. 25.*

*Cõfitẽtur omnia deũ eſſe.*

*Iuſtitia quomodo cõſiſtit multipliciter in medio.*

*Nota imaginem iuſtitiæ.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator dominus: eſcam dedit timentibus ſe. 1979

Hic ponitur ratio laudis diuinæ ex ſacramẽto eucharistiæ. Circa ꝙ duo ponũtur. primò eius oſtẽditur cõditio. ſecũdo eius inſtitutio: ibi, Redẽptionẽ.

Prima in duas: quia primo oſtenditur euchariſtiæ A conditio reſpectu vitæ præſentis. ſecundò reſpectu vitæ futuræ: ibi, *Memor erit*. Quantum ad primum ſciendum quòd inter cætera mirabilia quæ deus fecit filiis Iſrael in deſerto: fuit quòd quadraginta annis ipſos pane cœleſti pauit. Vnde in ſignum admirationis manna dicitur, id eſt, quid eſt hoc. quia quando Iudæi primo illud manna viderunt: admirantes adinuicem dixerũt. Man, id eſt, quid eſt hoc? Quod quidẽ manna expreſſa figura fuit ſacramenti euchariſtiæ: vt dictum eſt. verſi. 1305. 1306. Cum ergo figura & figuratum ſint relatiua: & vnum relatiuorum ducat in cognitionem & memoriam alterius: ſicut videndo imaginem Petri: duceris in memoriam petri. & econtrario: videndo Petrum: duceris in memoriam figuræ ſuæ. Sic & in propo- B ſito: ſancti patres videndo manna: per illud recordabantur ſacramenti euchariſtiæ futuri. Et nos videndo ſacramentum euchariſtiæ recordamur figuræ ſuæ, ſcilicet, manna: in quo multa mirabilia dei virtus operabatur. Inter autẽ alia mirabilia ipſius manna duo erant notabilia. Primum quòd ille cibus bonis erat ſapidus & miræ delectationis, ac boni nutrimenti: propter quod dicitur Sapien. 16. Panem de cœlo præſtitiſti eis: ſine labore omne delectamentum in ſe habentem. Secundum vero mirabile erat: quòd malis videbatur cibus inſipidus & abominabilis. Vnde & mali dicebant, Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. Sic & conformiter ſacramentum euchariſtiæ bonis quidem C eſt vtilis & ſummæ delectationis, quia nutrit nos: non quidem vita temporali; ſed ſpirituali & ęterna. Propter quod Chriſtus dicit, Ioan. 6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, ſcilicet, dignè: viuet in æternum. Malis autem & peccatoribus inſipidus eſt, & damnoſus: quia ipſo damnantur æternaliter, Vnde ait apoſtolus. 1. Corin. 11. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè: iudicium ſibi manducat & bibit &c. Nec mireris: ſi ſacramẽtum iſtud malis ſit ad damnationẽ. quoniam ſicut mala poſſunt proficere bonis vt aduerſa patienter tolerata: (ſic enim Decius malus multũ profecit Laurentio patienti) ſic & econtrario bona malis poſſunt nocere. Vnde gloſ. ſuper illo verbo, Quicun- D que manducauerit vel biberit calicem domini indignè: reus erit &c. dicit, Ecce ex his habes; quòd ſancta obſunt malis; bonis autem ſunt ad ſalutem: ſed malis ad iudicium. Vtique ſanctum eſt quod accipimus: nec ideo reus eſt qui malè accipit: quia malum eſt quod accipit; ſed quia ille malus malè accidit quod bonum eſt. Cauendum eſt ergo malè accipere bonum; quia bonum male acceptum obeſt malis, ſicut econtrario mala patienter portata proſunt bonis, vt Paulo angelus ſathanæ. Propter ergo iſtas ſimilitudines quas euchariſtia habet cũ manna: ponitur ipſum mãna ſumma figura euchariſtiæ fuiſſe. Cum igitur figuratum viſum ducat ad memoriam figuram ipſius pręteritã, ſequitur quòd E euchariſtia ad memoriam nobis inducit mirabilia dei oſtenſa in manna. Et hoc eſt quod ait pſal. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator dominus*, id eſt, mirabilium oſtenſorum in manna. Et in quo fecit iſtam memoriã? Certè in hoc quòd eſcam dedit timentibus ſe, ſcilicet, eſcam & cibum corporis & ſanguinis ſui. Vnde hic ait gloſa. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum &c.* Quaſi dicat, Ideo

*Exo. 16.*

*Euchariſtia per mãna ſignificatur.*

*Num. 21.*

*Euchariſtia bonis eſt ad ſalutẽ: malis ad iudicium.*

*Gloſa ſuper 1. Cor. 11.*

*2. Cor. 12.*

A confiteri debemus domino & ipſum laudare: quia ipſe dominus miſericors natura: & miſerator exhibitione: fecit memoriam ſuorum mirabilium: quia nobis dedit quod in veteri lege erat ſignificatum: quia, ſcilicet, eſcam dedit timentibus ſe. eſcam quidem non corporalẽ, quam etiam malis dat. Eſcam enim dicit Chriſtum in ſacramento euchariſtiæ contentum. Ad intelligendum autem qualiter in eſca iſta Chriſtus continetur eſt notandum: quòd vt ait glo. 1. Corin. 11. in iſto ſacramento ſunt tria cõmendanda. Vnum quod eſt tantum ſacramentum. Alterum quod eſt ſacramentum & res. Tertium quod eſt res & non ſacramentum. Sacramentum & nõ res, eſt ſpecies viſibilis panis & vini. Sacramentum & res, caro Chriſti propria & ſanguis. B Res & non ſacramentum, eſt myſtica caro Chriſti. Porro ſpecies illa viſibilis ſacramentum eſt duplicis rei, ſcilicet, contentæ & ſignificatæ. Sacramentum enim eſt ſacræ rei ſignũ, & ſpecies illa vtramque rem ſignat, & vtriuſque gerit ſimilitudinem. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, & vinum hominem lætificat & inebriat. ſic caro Chriſti interiorem hominem magis cæteris gratiis ſpiritualiter reficit & ſaginat. quem & ſanguis Chriſti ſpiritualiter lætificat, & inebriat, vt ſobriam reddat. Vnde pſal. Calix tuus inebrians quam præclarus eſt. Habet etiam ſimilitudinem cum re ſignificata tantum: quæ eſt vnitas fidelium. quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis, vinum in vnum confluit, ſic C ex multis fidelium perſonis vnitas eccleſiæ conſtat. Cuius etiam ſacramentum eſt corpus Chriſti propriũ, quod de virgine ſumpſit. Quia ſicut corpus Chriſti ex multis membris puris & ab omni macula peccati immunibus conſtat: Ita & vnitas eccleſiaſtica ex multis perſonis mundis & immaculatis conſiſtit &c. Et per prædicta patere poteſt, quare ſub ſpeciebus panis & vini, Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit. Hic acinus, ni. eſt botrus, ſcilicet, granellum quod eſt in vua, & ponitur quandoque pro vua, quandoque pro racemo: ſicut & botrus.

*Euchariſtia in ſe tria continet.*

*Pſal. 22.*

## Memor erit in ſeculum teſtamenti 1980
## ſui: virtutem operum ſuorum annun- D ciabit populo ſuo.

Hic oſtendit conditionem huius ſacramenti reſpectu vitæ futuræ. Hoc enim ſacramentum dignè ſumentibus confert æternam gloriam. Vnde eſt quaſi quædam via per quam iuſti ad gloriam pergunt: & propter hoc viaticum dicitur. Et circa hoc Pſal. oſtendit, in quibus hoc ſacramentum excedit alia, Et primo ratione exiſtentiæ. ſecundo ratione efficaciæ: ibi, *Vt det illis*. tertio ratione permanentiæ: ibi. *Fidelia*. Quantum ad primum ſciendum quòd in iſto ſacramento ratione corporis & ſanguinis Chriſti in ipſo realiter exiſtentium: plura miranda opera dei continentur quam in aliquo alio, & per conſequens diuinam virtutem quæ miranda ope- E ratur, nobis efficacius oſtendit, Et hoc eſt quod hic Pſal. de hoc ſacramento. *Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui*, id eſt, iſtius ſacramenti, quod teſtamẽtum Dei vocatur. Vnde iſtud ſacramentum Chriſtus dando diſcipulis ſuis in cæna, ait, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti &c. id eſt, in iſto ſacramento inchoatur nouum teſtamentum, quia ſicut antiquum conſecratum fuit ſanguine hircorũ & agnorum:

*Matth. 26.*



rum, ſic nouum teſtamentũ Chriſti corpore & ſan- A guine. Memor ergo fuit Chriſtus iſtius teſtamẽti in ſeculum, id eſt, in vita præſenti, quia in ipſo nobis annunciat virtutem operum, id eſt, virtutem qua mirabilia opera deus operatur. Vide ergo in iſto ſacramento tibi annunciatam virtutem operum dei in multis & multorum ratione. Primo ratione cõſecrationis. Nonne magna virtus operum dei hic oſtẽditur quòd in altari ponitur verus panis corporalis & vinum: & tamen virtute diuina ad verbũ ſacerdotis panis fit verum corpus Chriſti, & vinum verus Chriſti ſanguis? Quid enim vanius verbo: quod ſtatim prolatũ deſinit eſſe? Quid ſolidius corpore Chriſti, quod diuinitati perſonaliter manet vnitum? Et tamẽ ad verbũ ſacerdotis hic fit ex B pane, Chriſti corpus. Vnde Ambro. In altari ante verba ſacramentalia eſt verus panis, vbi vero acceſſerint verba conſcrationis, ex pane fit Chriſti caro &c. Sic etiã determinat eccleſia. extra de ſum trini. dicens. Corpus & ſanguis Chriſti in ſacramẽto altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter cõtineri: tranſubſtantiato pane in corpus Chriſti, & vino in ſanguinem virtute diuina. Hic ergo annunciatur virtus operũ dei, quia ſicut deus ſolo verbo mundum produxit ex nihilo, quia dixit & facta ſunt, ſic ſolo verbo ſacerdotis virtute diuina ex pane fit Chriſti corpus, & ex vino Chriſti ſanguis. Vnde Chriſo. ait. Attẽde in ſacramẽto euchariſtiæ virtutem operum dei. Nõ enim homo eſt quis propoſi- C ta, ſcilicet. panẽ & vinũ Chriſti corpus facit & ſanguinem, ſed ille qui pro nobis crucifixus eſt Chriſtus, ſacerdotis ore verba proferuntur & dei virtute conſecrãtur. Nec hoc tibi videatur impoſſibile. Si enim tãta virtus eſt in ſermone dei: vt ipſo inciperent quæ non erãt: quãto magis operatorius eſt, vt ipſo illa quæ erant in aliud conuertãtur? Vide exempla ſcripturæ. Quamuis enim naturæ virtute homo generari nõ poſſit niſi commixtione viri & mulieris, tamen quia deus voluit, verbo angeli ſolum Maria conſentiens Chriſtum concepit. Aliud exemplũ ponit Chriſo. in ſermone de paſſione, dicens. Sicut illa vox dei quę dixit primis parentibus. Creſcite & multiplicamini: ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationẽ D operante natura. Ita vox Chriſti cõſecrationis huius ſacramenti, ſemel quidem dicta eſt, ſed omnes menſas eccleſiæ præſtat ſacrificio firmitatem. Ex quibus patet quòd in iſto ſacramẽto ſiue teſtamẽto virtus operũ dei nobis annũciatur, quiſicut ſolo verbo totum mundum produxit, ſic ſolo verbo ex pane & vino iſtud conficit ſacramentum. Propter quod dicitur Hebræo. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ &c. Secundo ratione menſurationis. Nonne magna dei virtus nobis annunciatur in iſto ſacramento, dum conſideras quòd tam grãde corpus Chriſti, ſub tam parua menſura hoſtiæ totum realiter continetur. Docet enim experientia ſenſus E noſtros, quòd aliorum corpora naturaliter tantum locum occupant, quantũ illa ſunt magna, hic autẽ non ſic. Ad declarandũ poſſibilitatem iſtius, ſciendum primo quòd in omni re naturali quantitas & ſubſtantia differũt. quia manẽte eadem rei ſubſtantia, quantitas augeri poteſt & minui. Subſtãtia autem de ſe locum non occupat, niſi ratione quantitatis cum de ſe ſubſtantia non habeat partem extra partem, ſed ſolum ratione quatitatis quæ partẽ habet extra partem. Videmus tamen quòd ſubſtãtia quãdo eſt alicubi mediante quãtitate, quòd tũc

*Euchariſtia continet virtute operũ dei in multis.*

*Euchariſtia multa mirabilia cõtinet.*

*Ambr. in li. de ſacramẽtis.*

*Extra de ſumma trini. c. firmiter.*

*Chryſoſtomus in ſermone de paſſione.*

A ſubſtãtia induit modum quantitatis. ſicut patet de anima quæ tantũ locum occupat: quãtum eſt corpus hominis ſiue quãtitas eius, quia eſt tota in toto & tota in qualibet parte corporis. Conſidera ergo quòd ſi quantitas quæ eſt accidens, quãdoque trahat ſubſtantiã ad naturam eius vt accipiat locũ, quid miraris ſi quandoque ſubſtantia trahat quantitatem ad naturã eius: vt ſit alicubi & locum non occupet? Et ideo cum in iſto ſacramento ſit virtute conſecrationis principaliter ſubſtantia: ex conſequenti autẽ quantitatis, quãtitas induit naturam ſubſtantiæ, & ſic magnum corpus in parua hoſtia poterit cõtineri. Et ideo quia ſubſtãtia de ſe nõ habet partẽ extra partem, quãuis totum corpus Chri- B ſti ſit in hoſtia, nõ tamẽ aſſignãdus eſt loc[9] capitis: & locus pedũ, qua in omni particula eſt totũ Chriſti corpus. Si ergo admiraris virtutem operum dei, vt puta quia clauſo virginis vtero exiuit, quia clauſo ſepalchro reſurgẽs exiuit, quia ad diſcipulos ianuis clauſis intrauit, conſidera iſtud ſacramentũ & hic tibi annũciatur virtus operũ dei. quia hic corpus Chriſti nõ occupat locum. Tertiò ratione fractionis. Hoſtia enim cõſecrata in qua chriſtus realiter cõtinetur, frãgitur, & in multas diuiditur partes, corpus tamẽ Chriſti nõ frãgitur, ſed integrum ſub qualibet diuiſionis particula perſeuerat. Vnde ait magiſter. 4. ſententiarũ. quòd corpus Chriſti incorruptibile eſt, ideo ſanè dici poteſt, quòd fractio C illa hoſtiæ & partitio non eſt in ſubſtãtia corporis Chriſti, ſed in ipſa accidentali forma panis: vt vera ſit fractio & partitio nõ ſubſtantiæ ſed ſacramenti. Sed quomodo hoc eſt poſſibile? Sciẽdũ quòd ſicut anima noſtra eſt tota in toto corpore & in qualibet parte corporis, ſic & Chriſti corpus in hoſtia. Et ideo ſicut diuiſo corpore non diuiditur anima, ſic diuiſo ſacramento nõ diuiditur Chriſti corpus. Sicut datur exemplũ de ſpeculo, ad cuius diuiſionẽ nõ diuiditur imago, ſed multiplicatur. Et in hoc nobis annunciatur virtus operũ dei. Si enim miraris quomodo vnica & ſimplex dei volũtas in ſe immutabilis & indiuiſibilis manẽs diuerſos habet effectus, conſidera quòd in iſto ſacramento virtute diuina fractis accidẽtibus ſacramẽti, non frangitur corpus Chriſti. Quartò ratione motionis. Nã cum D idẽ Chriſti corpus ſit realiter in omni hoſtia cõſecrata, ſequitur quòd ſimul diuerſis mouetur motibus, ſcilicet, ſurſum & deorſum, & quòd hic mouetur, & ibi nõ mouetur. Nec hoc eſt impoſſibile diuinæ virtuti. Nã ſi de facto poneret deus vnũ corpus in pluribus locis ſimul. ſicut dicitur de beato Ambroſio, quòd cũ celebraret in Mediolano, fuit raptus Turonis ad exequias beati Martini, tũc nõ eſſet impoſſibile quòd in vno loco cantaret, & alibi dormiret. in vno loco aſcẽderet, & in alio deſcẽderet. in vno loco quieſceret: & in alio moueretur. Sed corpus Chriſti inſimul eſt in pluribus locis, quia in pluribus hoſtiis. Quomodo autẽ eſt poſſibi- E le Chriſti corpus ſimul in pluribus locis exiſtere? Accipe experientiã. Nõne vna vox ſimul exiſtit in pluribus auribus localiter? Pręterea, ſicut plura corpora in ſimul poſſũt eſſe vt patuit in Chriſti reſurrectione & natiuitate, ſic conformiter vnũ corpus ſimul in pluribus poteſt eſſe locis. Etiam Paulus in paradiſum fuit raptus, & tamẽ eius corpus remãſit in terra. Et in hoc nobis virtus diuinorũ operũ annũciatur. Si enim miraris cũ deus ſit vnicus, & ſimplex in affectione & volũtate, quomodo vni iraſcitur, & alteri placatur. vnũ diligit, & alterũ odit. Vi-

*4. ſen. diſt. 12.*

*Exemplũ de beato Ambroſio.*

*2. Cor. 12.*

de exemplum in iſto ſacramẽto, quia idem Chriſti corpus diuerſis moribus inſimul moratur & quieſcit. Quintò ratione viſionis, quia vidẽdo cõſecratã hoſtiã, video corpus Chriſti, cuius tamẽ nullam video partẽ: quia non caput, non pedes, non manus & huiuſmodi. Pro cuius euidentia ſciendũ quòd aliquid dicitur multipliciter videri. Primo modo vt viſionis per ſe obiectum, & iſto modo ſolũ color videtur. Secũdò vt per ſe obiecti viſionis ſubiectũ: & ſic viſo colore dicitur videri corpus, quod eſt illius coloris ſubiectũ. Tertio modo vt ſuppoſitum ſubiecti talis obiecti: & ſic Iudæi videndo corpus Chriſti videbãt & verbũ. Quarto modo tanquam ſubiecto viſionis obiecti coniunctũ, vt vidẽdo aliquẽ indutum: dico me illum videre cũ non videam ipſum nec aliquid eius, ſed ſolum pãnos quibus induitur. Et iſto modo videndo ſacramentũ videmus corpus Chriſti, quia, ſcilicet, videmus accidẽtia quibus Chriſti corpus ſacramẽtaliter eſt indutũ. Et in hoc virtus operum dei annunciatur nobis. qui patribus in aſſumpta ſpecie apparere poterat quẽ tamen in ſeipſo videre non poterãt. Si ergo in iſto ſacramento tã multipliciter virtus operum dei nobis oſtenditur, quid miraris ſi de ipſo dicat pſalm. quòd Chriſtus memor erit in ſeculũ teſtamẽti ſui, ſcilicet, huius ſacramẽti, in quo virtutẽ operũ ſuorũ annunciabit populo ſuo: quia hic dat tibi multa exẽpla virtutis operũ ſuorũ. Vel in iſto ſacramento nobis annũciatur virtus operũ dei: quia nobis annũciatur Chriſtus qui eſt virtus dei, per quã facta ſunt omnia. Sic enim ipſum dei eſſe virtutẽ dicebat apoſtolus. 2. Pet. 1. dicens, Notã vobis facimus domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem.

*Videri multipliciter.*

## 1981 Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas & iudiciũ.

Hic oſtẽdit huius ſacramẽti præ aliis efficaciã. Vbi aduertẽdũ ꝙ ad hoc directè & principaliter eſt ordinatũ à Chriſto hoc ſacramẽtũ, vt virtute illius cœleſtem cõſequamur hæreditatẽ: dicẽte Chriſto, Qui mãducat carnẽ meã: & bibit meũ ſanguinẽ: habet vitã æternã. Si ergo quęras, quę eſt huius ſacramẽti virtus, & ad quid inſtitutũ eſt: reſpondet pſal. dicẽs. *Vt, ſcilicet, det illis hæreditatẽ gẽtiũ*, ſcilicet, dignè ſumẽtib⁹. Et attẽde ꝙ gloriã cœleſtẽ vocat hęreditatẽ gẽtiũ: quia gẽtib⁹ Abraæ fuit promiſſa: ſibi dicẽte domino, In ſemine tuo benedicẽtur omnes gẽtes. Quãuis enim gẽtes eſſent idololatriæ: tamẽ ad prædicationẽ Chriſti & apoſtolorũ in magnã parte fidẽ cõuerſæ ſunt. vnde & multo plures de gẽtibus ſaluãtur, quã de Iudæis. Et ideo ſalus æterna hæreditas gẽtiũ nũcupatur. Sic ergo cauſa finalis inſtitutionis huius ſacramẽti eſt, vt det illis hęreditatẽ gẽtiũ. Ad quod intelligẽdũ, eſt notandũ ꝙ iſtud ſacramẽtũ digne ſumẽtibus magnã præbet efficaciã. quoniã ideo inſtitutũ eſt, vt à maculis peccatorũ mũdaremur: vt à pœnis infernalibus ſaluaremur: vt dei gratia informaremur, vt paſſionis Chriſti recordaremur: vt ad dei amorẽ accẽderemur. & vt ad cæleſtẽ hęreditatẽ per ipſum aſſumeremur. vide de iſtis in pſal. 68. Sequitur, *Opera manuũ eius veritas & iudiciũ*. Per manũ enim ſignatur virtus qua operamur. Dicitur ergo hoc ſacramẽtũ opus manus Chriſti: quia virtute Chriſti primo fuit inſtitutũ, & ab ipſo apoſtolis collata poteſtas ipſum cõficiẽdi. De iſto ergo ſacramẽto quod eſt opus manus Chriſti, ait, *Opera manuũ eius veritas*: quia hic nõ eſt corpus Chriſti ſolũ in ſigno: vt quidã dicũt hæretici: ſed etiam in veritate: quia illudmet corpus quod pro nobis ſumpſit de virgine: hic realiter cõtinetur. Vnde Ambro. & habetur de conſecra. di. 2. dicit, Omnia quęcunque voluit fecit dominus in cœlo & in terra. & quia ſic voluit, ſic factũ eſt. Ita licet figura panis & vini videatur: nihil tamẽ aliud quã caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Vnde ipſa veritas ad diſcipulos inquit, Hæc eſt caro mea pro mundi vita. Et vt mirabilius loquar, non alia plane caro, quã quæ nata eſt de Maria: quæ paſſa fuit in cruce & reſurrexit de ſepulchro: hæc inquã ipſa eſt &c. Et hãc veram Chriſti carnem: hic contineri notãs Pſal. hic ait, quòd opera manuum eius veritas. Sequitur. *Et iudicium*. Quod ideo dicit: quia iſtud ſacramentum eſt ad iudicium vitæ bonis, & ad iudicium mortis æternæ malis, vt deducit apoſtolus. 1. Corin. 11.

*Ioan. 6.*
*Euchariſtiæ multiplex vtilitas.*
*Gen. 22.*
*Euchariſtia vera Chriſti caro.*

## Fidelia omnia mandata eius confirmata in ſeculum ſeculi: facta in veritate & æquitate. 1982

Hic oſtẽdit hoc ſacramẽtum alia excedere ſacramẽta. & hoc ratione permanentiæ: quia durabit vſque ad cõſummationem ſeculi, dicẽte Chriſto. Ego autẽ vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi. Et de hoc dicit, *Fidelia omnia mãdata eius confirmata &c.* Ipſe enim præceptũ dedit de cõſecratione huius ſacramẽti, dicẽs, Matt. 26, Hoc facite in meam commemorationẽ. Et de eius receptione, dicit, Accipite & mãducate: hoc eſt corpus meum &c. In hoc ergo iſta mãdata Chriſti, ſcilicet, de cõſecratione & communicatione dicũtur fidelia. quia ſicut promiſit vobiſcũ ſe manere vſque ad cõſummationẽ ſeculi: ſic fideliter obſeruat. Et aduerte quòd iſta mãdata de ſacramento euchariſtiæ dicũtur confirmata in ſeculum ſeculi. Res enim fidei confirmãtur miraculis. ſicut dicitur Mar. vlti. quòd apoſtoli fidẽ prædicauerũt vbique, domino cooperãte & ſermonẽ cõfirmãte ſequẽtibus ſignis. Nullũ autẽ aliud ſacramẽtũ tot in ſe mirabilia cõtinet & miracula, ſicut illud. Excellit etiam alia ſacramẽta ratione poteſtatis cõſecrantis. Nã poteſtas cõſecrandi fundatur in charactere ſacerdotali qui eſt indelebilis. Et ſic etiã in patria remanebit character ille conſecrandi corpus Chriſti: licet ibi non remaneat vſus conſecrationis: quia viatico non indigemus niſi dum ſumus in via. Non autem ſic eſt de omnibus aliis ſacramentis: quia non omnia in agente requirunt characterem. Sequitur. *Facta in veritate & æquitate*. Dicuntur enim iſta mandata facta in veritate: quia realiter veritatem continẽt quam ſignificant. Non autem ſic de aliis ſacramentis. vt patet de baptiſmo qui ſignificat ablutionem animę per gratiam. quod realiter quandoque non continet, vt puta in fictè accedentę. Hoc autem ſacramentum rite à ſacerdote celebratum bono vel malo, alteri datum bono vel peccatori ſemper in ſe realiter continet quod figurat, ſcilicet, verũ Chriſti corpus & ſanguinem. Et hic potes notare quòd in iſto ſacramento aliqua continentur virtute verborum: aliqua vero ratione naturalis concomitantię. Et ſic dicuntur facta in veritate: quia ibi realiter Chriſtus continetur: qui eſt veritas. Ioannes 14. Dicuntur etiam facta in æquitate: quia iſtud ſacramentum æquat ſe & conformat recipienti, ac etiam conſecranti quo ad effectum: quia bonis bonum eſt; & malis malum. bonis



*Matth. vlt.*
*Euchariſtia mandata.*
*Euchariſtia dicitur confirmata.*
*Euchariſtia ſemper cõtinet quod figurat.*



proficit ad vitam: malis eſt ad iudicium. Vel aliter ſecundum gl. Huius ſacramenti mandata dicũtur fidelia: quia ſeruant ſeruantes ſe: non ſunt mendacia. Sunt confirmata in ſeculum ſeculi: quia non in caſſum miſſa ſunt vt verba humana. Sunt facta in veritate & æquitate, id eſt, data à Chriſto veritate qui non mentitur, & qui ęquitas eſt: quia nihil niſi æquum mandat.

## 1983 Redemptionem miſit dominus populo ſuo: mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Hic oſtenditur huius ſacramenti inſtitutio. Et diuiditur in partes tres. quia ponitur primò conſecrantis dignitas. ſecundò communicantis puritas: ibi, *Sanctum & terribile*. tertio dignè ſumentis vtilitas: ibi, *Intellectus bonus*. Quantum ad primum ſciendum quòd non ſolum Chriſtus fuit huius ſacramenti inſtitutor: ſed etiam ipſe eſt principalis cõſecrator: quia licet ſacerdotis ore verba proferantur: Chriſtus tamen eſt ille ſacerdos inuiſibilis qui propoſita, ſcilicet, panem & vinum in ſuum corpus conuertit & ſanguinem: vt dicit textus de cõſecra. diſt. 2. Sed iſtud ſacramentum Chriſtus inſtituit tẽpore ſuæ paſſionis. quia in cena vltima. Ipſa autem Chriſti paſſio humani generis fuit redemptio. Et ſic tempore noſtræ redemptionis Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit. Si ergo quæras quando Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit. Reſpondet pſal. quando redemptionem miſit populo ſuo. Populum ſuum vocat populum Iudæorũ: qui ſingulari cultu dei populus erat. Ad quem ſpecialiter Chriſtus fuit miſſus. ipſo dicẽte, Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Sed quia hoc aduentu iſtius redemptionis Iudæi ſe fecerunt indignos: ideo hæc redemptio ad gentium populũ eſt tranſlata. vt nõ ſolum ad vnam gentem Chriſti redemptio ſpectet: ſed ad omnes indifferẽter. ſicut dicitur Pſal. 129. Quia apud dominum eſt miſericordia: & copioſa apud eum redemptio. Sequitur, *Mandauit in æternum teſtamentum ſuum*. Hoc dicit ad differentiam ſacramentorum legis antiquæ: quæ non erant ſemper duratura: ſed quia ſolum erant figura, adueniente figurato, debebant ceſſare. Hic enim per teſtamentum intellige euchariſtiæ ſacramentum; quod inſtituendo Chriſtus vocauit teſtamentum dicens, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti. Quod meritò dicitur teſtamentum; quia per iſtud ſacramentum nobis Chriſtus hæreditatẽ legauit æternam. Mandauit ergo in æternum teſtamentum ſuũ: quia huic ſacramento aliud non ſuccedit: ſed vſq; ad finem ſeculi durabit. ſed ſibi ſuccedet clara viſio Chriſti: cuius diuinitate beatificamur interius, & humanitate exterius. Vel per teſtamentum intelligere potes nouum teſtamentum, ſcilicet, legem euangelicam: quæ terminauit legem antiquam, ſiue vetus teſtamentum. Mandauit ergo Chriſtus in æternum teſtamentum ſuum nouum, ſcilicet, duraturũ: quia nulla alia lex huic ſuccedet.

*Euchariſtia conſecratio.*
*De conſec. di. 2. quia corpus capit. ex panis.*
*Math. 15.*
*Euchariſtia dicitur teſtamentum.*
*Math. 26.*

## 1984 Sanctum & terribile nomen eius: initium ſapientiæ timor domini.

Hic oſtenditur quanta in recipiente debet eſſe puritas. Vbi aduertendum quòd iſtud ſacramentũ ſicut dignè ſumentibus vitam præſtat æternam: ſic & indignis ad iudicium æternũ prouenit. Propter primum dicit Chriſtus. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternum. Et ſic dignè ſumentibus ampliorem gratiam confert. Vnde & per excellentiam euchariſtia dicitur (vt ait magiſter,) bona gratia: quia hic non ſolum augmentum gratiæ recipitur: ſed hic ſumitur ille qui eſt fons & origo omnis gratiæ. Tales ergo ſanctificat. et ſic bonis eſt ſanctum nomen eius. Leuit. 20. Ego dominus qui ſanctifico vos. Malis autem eſt terribilis: quibus ad iudicium cedit. quia qui manducat & bibit indigne: iudicium ſibi manducat & bibit. vide verſic. 1979. Et hoc eſt quod ait. *Et terribile nomen eius*, ſcilicet, malis eſt timẽdus. Sed dices. Quod eſt iſtud nomẽ: quod ſic bonis eſt ſanctum: & terribile malis? Hoc eſt nomen iudicis: quia Chriſtus qui in hoc ſacramento continetur realiter: iudex eſt omnium viuorum & mortuorum, id eſt, omnium bonorũ & malorum. Sed bonis erit ſanctus ſententiam dans pro ipſis: malis erit terribilis ſententiam dans contra illos. Quid ergo agendum eſt hoc ſacramẽtum ſumere volenti? Certe hoc quòd omnia peccata deponat & mũdiciam ſeruet. Et hoc eſt quod ſubditur. *Initium ſapientiæ timor domini*. quia per timorẽ domini declinat omnis homo a malo. Hoc eſt ergo principium ſapientiæ quod debet habere communicans, ſcilicet, timere Deum: per quem timorẽ iuſtus efficietur & mundus. Sed nota quòd dicit timor domini. quia aliud eſt timor Dei: alius timor mundi. vide verſi. 17. Timor Dei multa bona facit. verſicul. 359. 358. 897. 1728. Item nota quòd ſolus Deus terribilis eſt verſi. 1680.

*Euchariſtia ſanctis bona.*
*Ioan. 8.*
*4. Sen. d. 8.*
*1. Cor. 11.*
*Prouerb. 15.*

## Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. 1985

Hic oſtenditur iſtud ſacramentum dignè ſumentibus quantæ ſit vtilitatis. Vbi aduertendum. quòd ſcientia cæteris paribus aggrauat peccatum: ſicut & ignorantia inuoluntaria minuit. Propter quod dicitur, Seruus qui ſcit voluntatem domini ſui, & nõ facit: vapulabit plagis multis. qui autem non cognouit voluntatem domini ſui & nõ facit, vapulabit plagis paucis. Et hoc eſt quod hic ait. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, id eſt, intelligere quæ de iſto ſacramento ſunt dicta: illud intelligere eſt bonum & vtile: ſed quibus? *Omnibus faciẽtibus eum*. quia intelligere bonum & nõ facere: peccatum eſt illi. Vel intellectus diuini timoris, de quo ſtatim dictum eſt: Initium ſapientię timor domini. hoc, ſcilicet, intelligere & operibus adimplere, ſcilicet, vt ſic timeatur dominus, vt per timorem eius ab omni declinetur peccato: talis intellectus eſt bonus. ſicut intelligere & non facere, damnoſum eſt & peccatum. Sed quæ vtilitas eſt intelligentibus quid ſit faciendum & facientibus? ſubditur, *Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi*, ſcilicet, quia talis habebit præmium æternaliter dignum laude. quia ſi virtus eſt laudabilis: multo amplius virtutis præmium quod eſt ipſe Deus. Præmium ergo æternũ, quod intelligenti & faciẽti dabitur in futuro: oſtẽdet æternaliter illum fore laude dignum & honore. ſicut ſupplicium damnatis datum: oſtẽdet illos omnes vituperio dignos. De quolibet ergo bonum intelligenti & facienti dicitur: *Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi*. quia illius laus erit perpetua. quod dicit ad differentiam laudis vitę præſentis. Quamuis



*Scientia auget peccatum & meritum.*
*Luc. 12.*
*Laus præſentis vitæ nõ eſt tuta ſed futuræ.*

enim quis hic virtuoſus iuſtè laudari poſſit: nō tamen tute.quia finis eius eſt incertus. Et ideo dicitur Eccl.11.Ante mortē ne laudes hominū quemquam.Vnde Ambro.in ſermone,Lauda nauigātis fœlicitatem:ſed cum peruenerit ad portum. Lauda ducis exercitus virtutem:ſed cū peruenerit ad triūphum. Quis autem viuēs poſſit tute ac ſine trepidatione laudari:qui & de præterito meminit ſe habere quod doleat:& de futuro videlicet ſibi imminere quod timeat? Sed in futuro laudatio bonorū erit in ſeculum ſeculi,id eſt,ſine fine.quia in gloria & gratia confirmati amplius a virtute deficere nō poterunt: & per cōſequens nec à cōdignitate laudis cadere. Vnde nota quòd laudatio in vita præſenti laudato multipliciter nocet. Primo quia eius virtutem debilitat.Quoniam vt ait Grego.Per Salomonem dicitur. Quomodo probatur in conflatorio argentum & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis. Laus quippe ſua iuſtos cruciat:iniquos exhilarat. Sed iuſtos dū cruciat, purgat:iniquos dum lætificat,reprobos monſtrat. Iſti enim ſua laude paſcūtur: quia auctoris ſui laudem non requirunt.Illi autem qui auctoris ſui gloriam quærūt,ſua laude cruciātur:ne non ſit intus quod foris dicitur: ne ſi eſt etiā quod dicitur:ante oculos dei ipſis fauoribus euacuetur. Et ſequitur ad propoſitum.Ne humana laus robur mentis emolliat: eamq; in ſua delectatione proſternat: & quæ adiumentum debet eſſe augendi operis,iam retributio fiat laboris.Dicit Philoſophus:quòd cū ventus fuerit meridionalis:illud quod naſcitur de ouibus,erit fœmina.Ventus meridionalis placidus eſt: quia temperatus.& ſignificat linguam blandā quę ſuo flatu,id eſt,loquela,fętus qui futurus erat maſculus, id eſt, opus quod quis eliceret fortiter & virtuosè,efficitur fœmineum,id eſt,debile,vel ſimpliciter nullius virtutis: quia propoſitū boni operis quod inchoatur exiſteret in bono fine: niſi ipſum lingua adulatoris peremiſſet: quæ partum efficit inutilem & mōſtruoſum. Vnde dicit Philoſophus:quòd quandoq; generatur vitulus habēs caput hominis:quod quandoq; accidit ex parētibus occaſionatis in corpore,id eſt,patientibus defectū naturalem.Sic & opus extrinſecæ bonum quādoque rationabiliter inchoatur:quia bona intentione.ſed poſtmodū irrationabiliter conſumatur propter defectum in parentibus,ſcilicet, in intellectu & voluntate:in quibus eſt defectus notabilis,quādo praua intentione corrumpitur opus: quod deberet ordinari ad laudem diuinam, ordinatur ab ipſis ad oſtentationem vanam:& mutant gloriam ſuam,qua:ſcilicet,deberent in domino gloriari: in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Ideo dicitur,Ne laudes hominem in ſpecie ſua. Secundo ipſum excæcat. Vnde Auguſt. Blāditor omnis virtutis inimicus,ei cum quo ſermonē conſerit:quaſi clauum in oculo figit. Nulla enim videtur maior cæcitas,quàm vt ſeipſum homo qualis ſit & opera propria non cognoſcat.Sed hoc facit ſuauitas laudis humanæ. Vnde videtur eſſe de ſermone adulatorio:ſicut de melle venenato:de quo dicit Auice. quòd eſt quoddā mel naturaliter venenatū: quod ſi homo concedat auſert rationem ſubito,& affert ſudorem frigidum: & odor eius facit ſitire. Sic & blanda locutio adulantis,aufert vſum rationis qua deberet homo ſeipſum cognoſcere.& cauſat ſudorem frigidum:quia quæ prius latebāt in corde frigeſcente:extra prodeunt per iactantiam ſermonis.

*Laus nocet laudato multipliciter.*
*Greg. lib.29. moral.cap.30*
*Prouerb. 27.*
*Adulatio multis nocet.*
*Nota bene vſque ad finem.*
*Philoſophus 18.de naturalibus.*
*Philoſophus 18.de animalibus.*
*Eccleſ.11.*
*Auicena.ſecundo Can.*

Odor etiam eius ſitim cauſat:quia qui flatum habent peſtiferum, ſibi intrinſecus attrahunt inæſtimabilem ſitim inanis gloriæ. Vnde Seneca in Prouerb.dicit. Habet ſuum venenum blanda oratio. Et Ouidius. Impia ſub dulci melle venena latent. Tertiò finaliter necat.vnde ſuper,Pſal.9.ait Hiero. Ab adulatoribus, non à iuſtis laudatur peccator. Et quando peccator peccatorem laudat,alius aliū occidit & necat.Et propter hoc cōſulitur Eccl.11. Ante mortem ne laudes hominē. Ex quibus omnibus patet quàm periculoſa ſit laus vitæ præſentis & caduca: ſed vitæ futuræ erit glorioſa.de qua nunc ait,*Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.*

*Ouidius in epiſtolis.*

## PSALM. CXI.

Beatus vir qui timet dominum: in 1966
mandatis eius volet nimis.

Huius pſalmi titulus eſt iſte. Alleluia reuerſionis Aggei & Zachariæ. Ad cuius intelligentiam ſciendum quòd hic ponuntur iſti duo prophetæ, ſcilicet,Aggeus & Zacharias,qui fuerunt completa captiuitate Babyloniæ: quæ.70.annis durauit: & tunc prophetauerunt. Ponuntur ergo in titulo iſto:non quòd ipſi hunc pſal.fecerint: ſed quia inter alios prophetas prophetauerunt reædificādum templum Hieruſalē, quod per Babylonios destructum fuerat:imo etiam ipſi ad ipſum reædificādum perſonaliter laborauerūt. Iſte autem pſalmus agit de ædificatione templi:non quidem materialis,ſed ſpiritualis ſignificati per illud templum materiale. de quo templo ſpirituali ait Apoſtolus 1.Cor.3. Templum ſanctum Dei quod eſtis vos.vnde quia reædificatio illius templi materialis quam illi prophetæ prædixerunt:& quam propriis etiam manibus fecerunt: ſignificat ſpiritualis templi ædificationē.De quo templo ſpirituali hic pſal. Agit.Ideo ipſi ſpecialiter in hoc ponūtur titulo. Iſtud autem templum ſpirituale hic per peccatum deſtruitur: ſed cōpletis ſeptuaginta captiuitatis annis reædificabitur immortale. Quid enim per ſeptuaginta annos:niſi totum tempus præſentis vitæ intelligitur:quod ſeptenario dierū numero voluitur? quo tempore hic captiuamur à peccatis & diabolo.ſed illo completo, reædificabitur de fidelibus templū ſpirituale & incorruptibile,ſcilicet, beata immortalitate æternaliter permanſurum. Quid autem ſit alleluia:vide in titulo Pſal.104. Eſt ergo tituli ſenſus iſte.Alleluia,id eſt, laus Dei. Sed ex quo ſit iſta laus,ſubditur,reuerſionis Aggei & Zachariæ,quia ſcilicet,illi reuertentes de captiuitate:laudauerunt Deum pro reædificatione templi materialis quo ſignificabatur templum ſpirituale in patria ex fidelibus reædificādum immortale.de quo agit iſte pſalmus:oſtēdens poſt liberationem peccatorum; quanta ſint bona fidelium:& quæ ſit retributio reproborum.Quibus viſis accedo ad pſal.diuiſionē. Ad cuius euidētiam ſciendū,quòd quamuis æterna beatitudo reddatur pro omni opere meritorio: tamen per quandam appropriationem & excellētiam pro operibus miſericordiæ dari videtur. Sic & quamuis pro omni mortali peccato detur æternum ſupplicium:tamen maximè pro operibus impietatis & immiſericordiæ dari videtur. Sic enim Chriſtus in iudicio pro præmio dando bonis, ſolū allegabit opera miſericordiæ:& pro ſupplicio malorum, ſolum opera immiſericordiæ. vt habetur Matth.25.

*Templū duplex materiale & ſpirituale.*



Matth.25.Et ſecundū hoc pſalmus iſte habet duas partes.quia primò agit de miſericordibus & eorū præmio.ſecundò de immiſericordibus & eorum ſupplicio: ibi, *Peccator videbit.*Prima in duas: quia primò agit de beatitudine miſericordiū in via.ſecundò de ipſorum beatitudine in patria: ibi, *In memoria.* Prima diuiditur in duas partes: quia primò ponit beatitudinis miſericordium præmium: ſecundò ponit meritum:ibi. *Iucundus homo qui miſeretur.* Ad euidentiam primæ partis eſt ſciendum, quòd beatitudo vitæ: licet principalius cōſiſtat in bonis interioribus animæ: tamen etiam accidētaliter cōſiſtit in bonis exterioribus:prout ſunt ipſis virtuoſis quædam adiuuamenta virtutis: & maximè miſericordibus qui tenent vitam actiuā.vnde ſicut diuitiæ impedimenta ſunt reprobis:ita bonis proficiunt ad executionem actus exterioris miſericordiæ. Et ſecundum hoc duo facit.quia primò agit de bonis interioribus in quibus beatitudo vitæ conſiſtit. ſecundò de bonis exterioribus, ibi, *Potens in terra erit.* Quantum ergo ad primum ſciēdū quòd beatitudo vitæ præſentis interior,in duobus præcipuè conſiſtit, ſcilicet, in declinatione à peccato:& in operatione boni.iuxta illud Pſal.23.. Quis eſt homo qui vult vitam & diligit dies videre bonos? Sequitur.diuerte à malo & fac bonum. Timor autem domini facit declinare à malo. Per timorem domini declinat omnis homo à malo.ſed per amorem Dei bonum operamur:dicente Chriſto, Si quis diligit me:ſermonem meum ſeruabit. Sic igitur timor Dei & amor: hominē in vita præſenti beatum faciunt. Et hoc declarās hic pſalmus dicit, *Beatus vir qui timet dominum:*quantum ad primum:timore,ſcilicet, filiali.*in mandatis eius volet nimis:*quo ad ſecundum.nam amor in voluntate cōſiſtit. Quanto enim quis alium plus diligit: tanto amplius eius mandata ſatagit cuſtodire. Et aduerte,quòd non ait mandata eius faciet: ſed in mādatis eius volet nimis.quoniam apud Deum voluntas pro facto reputatur tam in bonis quàm in malis. Et ſic in malis volūtas punitur nō opus:vt notatur diſt.50.Sic & apud Deum in bonis:nō opus ſed voluntas præmiatur.Non enim opus extrinſecum de ſe meritorium eſt, vel demeritoriū.ſed ratione voluntatis interioris.quoniam peccatum eſt in voluntate non in cenſu:ſic & meritum,vt oſtēdit Greg.10.lib.moral.Sunt nonnulli,quos cenſus per tumorē non alleuat:ſed interior voluntas exaltat. Et ſunt nonnulli qui dum ſe opibus exterioribus abūdare conſpiciunt: veras diuitias nō requirunt:atque æternam patriam non amant.quia hoc ſibi ſufficere quòd rebus temporalibus abundant, putant.Nō eſt ergo cenſus in crimine ſed effectus. cuncta enim quæ Deus cōdidit,bona ſunt:ſed qui bonis male vtitur,profecto agit vt quaſi per edacitatis ingluuiē: eo de quo pane viuere debuit moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat:ſuperbum vero diuitem tormenta cruciabant, ſed tamē diues Abraham fuerat, qui in ſinu Lazarum tenebat.Qui tamen auctori ſuo colloquens:dicit, Loquar ad dominum meum,cum ſim puluis & cinis. Quid itaq; iſte æſtimare diuitias nouerat: qui ſemetipſum puluerem cineremq; penſabat.Aut quo modo hunc res poſſeſſæ extollerēt, qui de ſe quoque earum poſſeſſore tam abiecta ſentiret? Atque iterum ſunt nonnulli,quibus res terrenę non ſuppetunt: & tamen apud ſe per faſtum tumoris eriguntur.hos & cenſus ad oſtēſionem potentiæ mi-

*Prouerb.15.*
*Ioan.19.*
*Voluntas ſine opere meretur & peccat.*
*Philo. cap. ... animi, ... ſunt impater & ... quantum ...*
*Greg.lib.10. moral.ca.18.*
*Geneſ.18.*

nime ſubuehit: & tamen morum proteruia inter reprobos adiicit. Quoſcunq; ergo ſequentis vitæ amor non humiliat: ſacer ſermo hic diuites appellat: quia apud Deum nihil diſcrepat,vtrum rebus aut ſolum moribus intumeſcāt,&c. Ex quibus apparet quòd peccatum non ſtat in cenſu: ſed in voluntate.ſic & conformiter non ſtat in opere exteriori:ſed ſolum in voluntate a qua illud opus procedit. Sic & conformiter de merito eſt dicendum. quia Deus prius voluntatem aſpicit:non extrinſecum opus. Et ideo hoc notans pſalm.hic non ait, *Beatus vir qui mandata Dei facit:ſed qui mandatis eius volet nimis,*id eſt,multū & efficaciter.vnde hic ait glo. Et nota quòd non ait faciet:ſed nolet nimis,id eſt, multū.quia ſufficit velle, ſi perficiendi deſit facultas:quia pax eſt hominibus bonæ voluntatis, & ſi non adeo proficiat homo in eis implēdis: quia tētatio eſt vita iſta hominis ſuper terram. Sed tamen hic reſtat dubium vtrum tātum mereatur quis ſola bona voluntate ſine operibus: cæteris paribus ſicut cum opere:& ſimiliter de peccare.

*Quæſtio.*

Potens in terra erit ſemen eius:ge- 1897
neratio rectorum benedicetur.

Hic conſequenter ponit illa in quibus beatitudo vitæ præſentis conſiſtit extrinſeca. Quod intelligendum eſt,de beatitudine non contemplatiuorum ſed actiuorum, qui circa opera miſericordiæ magis inſiſtunt. Et diuiditur in tres partes ſecundum quòd tria ad illam requiruntur.Primū eſt poteſtas iuris præſidentis.ſecundum eſt facultas cenſus abundantis.ibi, *Gloria:*tertium eſt honeſtas famæ rutilantis.ibi. *Exortum.* Quantum ad primum ſciendū,quòd vir miſericors volens ſubuenire miſeris indiget etiam temporali poteſtate: vt oppreſſores innocentium deprimere poſſit. Et hinc eſt quòd lex volens inter improbos tutam eſſe innocentiam; principi concedit gladium:ſine quo improbos reprimere non poſſet. quo ſi vtatur vt debet,non modicum hic beatus exiſtit. Quid enim valeret princeps ſine poteſtate?quem effectum miſericordiæ erga oppreſſos oſtendere poſſet?Sed homo miſericors quanto potentior eſt; tanto opera miſericordiæ abundantius præbet. Propter quod de deo dicitur. Omnium miſereris domine: quia omnia potes,vnde & cuilibet miſericordi dicitur. Noli fieri iudex: niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Et hāc conditionem beatitudini actiuorum annexam ponit pſal.de miſericordibus dicēs. *Potens in terra erit ſemen eius.*quia miſericordia patrū meretur filiis poteſtatem. Sic enim Dauid ſuis miſericordiis meruit Salomoni filio ſuo poteſtatē ſuper alios altam.Et hoc ſi ſint imitatores miſericordiarum patrum. propter quod ſubditur. *Generatio rectorum benedicetur.*quia tales,meritis patrum exaltantur à populo.Vel aliter magis myſticè.Per ſemē miſericordium: intellige opera miſericordiæ,quæ procedunt & generantur ab eis. Tale ſemen ſiue opera miſericordiæ erit potens: quia in operibus ſuis ſtabiles erunt.vt nec morte, nec vita,nec præſentibus, nec futuris ſeparari poſſint à charitate Dei. Vel potens erit in terra ſemen eorum, id eſt, opera miſericordiæ ipſorum:potēs inquam erit ad merendum æternam mercedem: quæ meretur hic in terra vitæ præſentis. quia ſicut ſemen paruum multum fructum affert iactatum in terra: ſic opere etiam paruo miſericordiæ potenter magna merces acquiritur: quia ipſo regnum emitur cælorum.vt

puta

*Poteſtate indigent boni actiui.*
*Sapient.11.*
*Eccleſ.7.*
*Semen dicūtur opera noſtra.*

puta calice aquæ frigidæ: duobus minutis viduæ: ita meruit iſtis regnum cœlorum: ſicut Zacheus dãs dimidium bonorum ſuorum. Et hoc aliis verbis aperit dicens, *Generatio rectorum benedicetur.* Per generationem rectorum: intellige idem quod per ſemẽ eorum, ſcilicet, opera miſericordiæ. Et ſic eſt ſenſus: generatio rectorum, id eſt, opera rectorum benedicentur æterna retributione. Et ne intelligas quòd cuiuſcunq; opus miſericordiæ benedictionẽ cœleſtem acquirat, determinat quorum generatio benedicetur dicens: generatio rectorum, non curuorum. Qui autem recti dicantur, & qui curui: vide verſic. 480. Aliter tamen gl. hic diſtinguit inter rectos & curuos dicens, Recti ſunt qui nõ reſiſtũt patri emendanti: qui credunt deo promittenti: qui non credunt periiſſe opera ſua cum eis temporaliter nõ tribuitur. Sunt vero curui qui de bonis quę agunt, hic à deo ſperant mercedem: vel qui hominibus placere volunt. Quod non faciunt recti: qui nec gloriam hominum: nec terrenas concupiſcũt diuitias. Generatio ergo rectorum benedicetur: quia ſolum operibus iuſtorum merces redditur æterna.

*Qui dicantur recti & qui curui.*

## 1988 Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Hic ponitur ſecũdum requiſitum ad opera miſericordiæ: quod eſt facultas cenſus abundantis. Quamuis enim pauper poſſit eſſe miſericors: non tamen poteſt eſſe miſerator: quia miſericors dicitur ab habitu: ſed miſerator ab actu. Poteſt autem pauper habitum miſericordiæ habere intrinſecus: ſed actum miſerendi ſine diuitiis habere non poteſt. Et hinc eſt quòd viris miſericordibus vt actũ miſerendi poſſint habere: multas Deus tribuit diuitias: ſicut Abrahæ, cuius tota intẽtio actibus miſericordiæ dedita erat. cui tamen deus contulit diuitiarum copiam. Si enim vt ait ſaluator Matth. 5. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiã cõſequentur: conſequẽs eſt quòd miſericordibus qui ſua libenter impendunt indigẽtibus; Deus illorum etiam tẽporalia multiplicat bona. Et hoc eſt quod ait pſal. *Gloria & diuitiæ in domo eius*, ſcilicet, in familia miſericordis. Sed ne credas quòd in iſtis temporalibus ſolum ſit miſericordibus retributio: ideo addit. *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Nomine enim iuſtitiæ: ipſa eleemoſyna intelligitur: qua iuſtè ſubuenitur egeno. Iuſtitia ergo miſericordis manet in ſeculum ſeculi: quia ſcilicet, eius miſericordiæ correſpondet etiam æternum præmium. Per iſta enim vult pſal. oſtendere, quia deus nõ damnat diuitias: ſed diuitum cupiditatem vt dictũ eſt verſi. 1986. Veruntamen notandum quòd diuites ſunt duplices: quia aliqui poſſident diuitias: & aliqui poſſidentur, ſcilicet, à diuitiis. Primi deo ſunt accepti: ſed ſecundi reprobati: vnde Greg. 15. moral. capit. 21. ait ſuper illo verbo, Iob. 21. Nõ ſunt in manu eorũ bona. Bona in manu ſua habet: qui deſpiciendo temporalia, illa ſub dominio mentis premit. Nam quiſquis ea nimiè diligit: ſe magis illis quàm ſibi ipſa ſupponit. Multi enim iuſtorum in hoc mundo diuites fuerunt, rebus & honoribus fulti: habere multa videbantur: quorum mentem, quia eorum quæ aderant, delectatio nimia nõ poſſidebat: bona illorum in ipſorum manu erant: quia poteſtate animi ſubiecta tenebãtur. At contrà iniqui ita ſe totis deſideriis in exteriorum rerum appetitionibus fundunt: vt non magis ipſi habita teneant: ſed ab his quæ habẽt, captiua mente teneatur, &c. Vel aliter. vt hic pſal. loquatur de diuitiis: non quidem exterioribus, ſed interioribus: quæ violenter amitti nõ poſſunt, vt ſunt virtutes. Vnde narrat Valerius, lib. 7. capit. 2. quòd quidam Philoſophus nomine Bias, cùm patriam eius inuaſiſſent hoſtes; & capta ciuitate permiſiſſent omnes incolumes cum illis diuitiis quas aſportare poterãt, fugere. aliis ergo precioſarum rerum onuſtis põdere fugiẽtibus: & ipſe Bias de ſuis diuitiis nihil aſportaret: ſuper hoc interrogatus: ipſe Bias reſpondit. Ego omnes diuitias meas porto mecum. Pectore illas enim geſtabat non humeris: nec oculis viſenda, ſed æſtimanda animo: quæ domicilio mẽtis incluſa, nec mortalium nec deorum manibus labefieri queunt: & vt manentibus præſto ſunt, ita fugientes non deſerunt. De iſtis ergo diuitiis, id eſt, virtutibus: de miſericordibus ait pſal. *Gloria & diuitiæ in domo eius*, id eſt, virtutes tales in domo conſcientiæ habẽt. pro quibus eis gloria debetur ęterna. Et de iſtis diuitiis ait Apoſtolus. Mihi autẽ minimo datũ eſt euangelizare in gentibus inæſtimabiles diuitias gratiæ Chriſti. Et quia iſte diuitiæ ſunt immortales & perpetuæ: ideo ſubdit, *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Nomine enim iuſtitiæ, omnis virtus ſignificatur: quia iuſtitia legalis, dicitur omnis virtus: vt ait Philoſophus 5. Ethicorũ.

*Miſericors & miſerator differunt.*

*Diuitiæ non dãnatur, ſed cupiditas diuitiarum. Diuitias aliqui habẽt, aliqui habentur ab eis. Grego. lib. 5. moral. ca. 21.*

*Valerius. Bias diuitias geſtabat in pectore.*

*Epheſ. 3.*

## Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors & miſerator & iuſtus. 1989

Hic ponitur tertium requiſitum ad opera miſericordiæ. quod eſt honeſtas famæ rutilãtis. Vbi notandum quòd mũdus iſte tenebris peccatorum inuolutus: tenebrarum nomine ſignificatur. vnde de Chriſto vero lumine in iſto mundo ſanctitate vitæ & exemplis rutilante dicitur, Lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Et luminis nomine intelligũtur iuſti: qui alios tenebroſos illuminare dicuntur. Quibus dicebat Apoſtolus. Eſtis in medio nationis prauæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Lucent ergo in mũdo miſericordes: quia nulla virtus magis hominem firmat: quàm pietas & miſericordia. Nec mirum: quia Deus qui eſt verum lumen: in mentibus iſtorum oritur. Et hoc eſt quod ait, *Rectis*, id eſt, miſericordibus exortum eſt lumen, ſcilicet, Chriſtus in mentibus ipſorum rutilãs. Et hoc *in tenebris*, id eſt, in hac vita tenebroſa. Et quòd ſit illud lumen ortum: declarat cũ ſubdit, quòd eſt miſericors & miſerator dominus, ſcilicet, Chriſtus qui dicitur miſericors habitu, ſed miſerator actu. Vel aliter. Hic agit Pſal. de operibus miſericordiæ ſpiritualibus: inter quæ præcipuum eſt, docere ignorantes. Circa quod notandum quòd miſericordiæ opera ſunt duplicia, ſcilicet, corporalia & ſpiritualia. Corporalia iſto verſu continẽtur. viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Sed ſpiritualia ſunt iſta: docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, ſupportare oneroſos & graues: & orare pro omnibus. Quæ omnia iſto verſu continentur. Doce, conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora. Ad opera autem miſericordiæ corporalis requirũtur duo in duobus præmiſſis verſiculis poſita, ſcilicet, poteſtas & facultas. Ad opera autẽ miſericordiæ ſpiritualis ſpecialiter requiritur ſcientię lumẽ: quo alios obſcuros poſſit illuminare. Et hoc maximè ſpectat ad prælatos & doctores: quos deus illuminat, vt & ipſi alios illuminare poſſint. De quibus nunc dicitur, quòd *rectis exortum eſt lumen*, ſcilicet, gratiæ & doctrinæ. & hoc *in tenebris*, id eſt, ad illuminandum tenebroſos & ignorantes. Si autem quæras à quo tale lumen oritur in cordibus doctorum & prælatorum, reſpõdet, quòd illud lumen eis dat Chriſtus, qui eſt miſerator & miſericors dominus. Vel aliter. Iſte verſus de natiuitate Chriſti exponitur, qui cauſa & exordium eſt omnis noſtrę beatitudinis. Vnde hic ait gl. Hoc de aduentu domini ait: per quem homines ex peccatoribus iuſtificati, in æternum beatificantur. Quaſi dicat, Hæc omnia inde ſunt: quia *exortum eſt lumen in tenebris*, id eſt, Chriſtus ſol iuſtitiæ exortus eſt, vt pellat tenebras, & rectos faciat. Et quod eſt illud lumen ortum? Certè eſt *dominus miſericors & miſerator*, ſcilicet, miſericors natura, dum expectat: miſerator exhibitione, dum iuſtificat: & iuſtus remunerando, dum beatificat.

*Ioan. 1.*

*Philip. 2.*

*Miſericordiæ opera corporalia & ſpiritualia.*

*Verſus.*

*Chriſti natiuitas.*



## 1990 Iucundus homo qui miſeretur & commodat: diſponit ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.

Hic conſequenter ponit beatitudinis meritum. quod meritum poteſt conſiſtere in actibus miſericordiæ liberaliter exhibitis. Vbi notandũ quòd cũ omnia noſtra bona opera debeãt fieri cũ lætitia, vt dictũ eſt verſic. 1922. maximè hoc cõuenit in operibus miſericordiæ: vt miſericors ſubueniat indigentibus liberaliter & læto animo non proteruis verbis vel ſuperbè. vt oſtendit Greg. 21. moral. ca. 13. dicens, Nã ſunt nonnulli, qui mox vt ab egenis fratribus fuerint neceſſaria poſtulati, pòſt dona largituri, in eos prius contumelioſa verba iaculãtur. Quare etſi rebus miniſterium pietatis perficiunt: verbis tamẽ gratiã humilitatis perdunt. Ita vt plerunq; videãtur, quia illatæ iam iniuriæ ſatisfactionẽ ſoluunt: cũ poſt cõtumelias dona largiãtur. Nec magni eſt operis quòd poſtulata tribuũt. quia ipſo dationis ſuæ munere vix eundẽ exceſſum ſermonẽ tegũt. Quibus bene per eccleſiaſticũ librũ dicitur. Omni dato non des triſtitiã verbi mali, & rurſum. Ecce verbũ ſuper datũ bonum, & vtraq; cũ homine iuſtificato: videlicet vt datũ exhiberi debeat per pietatẽ, & bonum verbũ tribui per humilitatẽ. At contrà alij egenos fratres nõ ſtudent rebus fulcire, cùm poſſint: ſed blandis tantũ ſermonibus fouere. quos vehementer Iacobus reprehendit, dicens, Si frater aut ſoror nudi ſint, & indigent victu quotidiano: dicat autẽ vnus ex vobis, Ite in pace, & calefacimini: non dederitis autẽ illis quæ ſunt neceſſaria corpori, quid vobis proderit? Quos Ioannes quoq; Apoſtolus admonet dicens, Filioli mei non diligamus verbo nec lingua: ſed opere & veritate. Dilectio namq; noſtra ſemper exhibenda eſt & veneratione ſermonis & miniſterio largitatis. Multũ verò ad edomandã dantis ſuperbiã valet, ſi cũ terrena tribuit, verba ſolicitè cœleſtis magiſtri penſet qui ait, Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis: vt cũ defeceritis, recipiãt vos in ęterna tabernacula. Si enim eorũ amicitiis ęterna tabernacula acquirimus: dantes proculdubio penſare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Hinc per Paulũ dicitur, Veſtra abundantia illorũ inopiã ſuppleat: vt & illorũ abũdãtia veſtrę inopię ſit ſupplementũ. vt videlicet ſolicitè perpẽdamus, quia eos quos nũc inopes cernimus, abundãtes quãdoq; videbimus. Et qui abũdãtes aſpicimur, ſi largiri negligimus, quãdoq; inopes erimus. Qui itaq; nũc tẽporale ſubſidiũ pauperi tribuit: ab eo poſtmodũ perpetua recepturus (vt ita dicã) quaſi frugẽ terrã excolit, quæ quod acceperit vberius reddit. Reſtat ergo vt nunquã elatio ſurgat ex munere: quando ſcilicet, diues ex eo quod pauperi tribuit, id agit, vt in perpetuum pauper nõ ſit. Hæc omnia Greg. Ex quibus verbis duo apparẽt. Primùm quòd opera miſericordiæ debent fieri humiliter & iucũdè. Secundũ quòd dare pauperibus eſt quoddã mutuare pro maiori lucro recipiẽdo. Et hæc duo hic notat Pſal. dicens, *Iucundus homo qui miſeretur*, quo ad primum: & *commodat*, quo ad ſecundum. iucũdus inquã homo qui miſeretur. quia nõ cum verbis iniurioſis, ſed hilariter & humiliter alteri miſericordiam facere debes. Aliter enim miſeratio nõ procedit à te ex habitu miſericordiæ. quoniã omnis actus procedẽs ex habitu fit delectabiliter. vt dicitur 2. Ethicorum. Et ideo ſequitur. *Diſponit ſermones ſuos in iudicio*: quia ſecundũ iudiciũ rectæ rationis verba, quæ pauperi loquitur, diſponere debet: vt nõ ſuperbè reſpondeat, ſed affabiliter & promptè. Quòd ſi ſic faciat, ſcilicet, quòd diſponat ſermones ſuos in iudicio, ſcilicet, rectę rationis: talis non cõmouebitur inæternum, ſcilicet, per ſuperbiã vel irã contra pauperes iniurioſa verba proferẽdo. Vel hoc exponitur de operibus miſericordiæ ſpiritualis. vnde hic ait gl. *Iucũdus homo*, id eſt, ille homo eſt ſuauis Deo gratúſque: *qui miſeretur*, ſcilicet, animo aliis iniurias cõdonando, quo ſibi meretur veniã. *Et cõmodat*, ſcilicet, aliis dando ſub ſpe futuræ mercedis, qui dat vel ſumptũ pecuniæ vel laboris induſtriã. Hæc ſunt duo officia miſericordiæ ſpiritualis, ſcilicet, ignoſcere: & ſeipſum ad aliorum ſeruitium cõmodare. vt docẽdo, cõſulendo, corrigendo, &c. Et de tali ſequitur, *Diſponit ſermones ſuos in iudicio*: quia ſcilicet, hæc opera eius ſunt ſermones quibus in iudicio vltimo defendetur: quia ſcilicet, tũc ei fiet miſericordia: quia ipſe aliis miſericordiã fecit. Et dicitur hoc à ſimili alicuius præmeditãtis cauſam ſuam, vt eam firmis allegationibus in iudicio muniat. Sic iſte opera ſua diſponit: ſic & ordinat vt ipſis cauſa ſua in iudicio defendatur. Iſte autẽ qui ſic diſponit opera ſua, vt in iudicio ipſis defendatur: erit cũ bonis ad dexteram: & aſſumetur ad gloriam æternaliter duraturã. Et ideo de tali ſubditur, *quòd inæternum nõ commouebitur*, id eſt, à gloria domini nũquam ſeparabitur.

*Eleemoſyna debet fieri humiliter & iucunde.*

*Eccleſ. 18.*

*Iacobi 2.*

*1. Ioan. 3.*

*Luca 16.*

*1. Cor. 8.*

*Philoſophus.*

*Sermones quandoque dicuntur opera.*

## In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit. 1991

Hic cõſequenter agitur de beatitudine patriæ, quæ reſpõdet operibus miſericordiæ. Et de iſta gloria danda miſericordibus tria oſtẽdit. Primò quòd ibi erit vera ſecuritas. ſecũdò æterna ſtabilitas. ibi, *Paratum*. tertiò alta ſublimitas. ibi, *Diſperſit, dedit.* Quantum ad primum, ſciendum quòd in iudicio à Chriſto iudice dabitur duplex ſententia, ſcilicet, vna pro bonis: alia contra malos. Primam audire bonis erit delectabile, quando eis dicet, Venite benedicti, &c. alia malis erit immenſæ triſtitiæ: qua illis dicet, Ite maledicti, &c. Et iſta vocatur auditio mala: quia maledictione plena. Ne ergo iuſti illam audiendo aliqualiter terreantur, dabitur primò ſententia pro iuſtis qua in requie ponentur

æterna:& conſequenter cõtra malos : qua æternaliter cruciabuntur. Et hoc eſt qđ hic ait Pſal. dicẽs, *In memoria æterna erit iuſtus*, ſcilicet, in gloria collocatus : antequam ſententia detur cõtra damnatos. Et ideo iam ſecurus ab auditione mala non timebit. Et aduerte, quòd quamuis Deus æqualiter videat bonos & malos: tamen boni in memoria Dei æterna eſſe dicuntur, & non mali. Cuius rationem aſſignat Greg. 17. lib. moral. cap. 1. dicẽs, In memoria vel recordatione conditoris nõ reducitur quiſquis vſq; ad finem vitæ vitiis ſubiugatur. Sciẽdum enim eſt quòd recordari vel memorari nequaquã propriè Deus dicitur. Qui enim obliuiſci non poteſt, quo pacto recordari poteſt? Sed quia eos quorum recordamur, amplectimur: ab iis autem quorum obliuiſcimur, elongamur: humano vſu recordari Deus dicitur, cum bona tribuit: & obliuiſci, cum in culpa derelinquit. Sed quia cuncta penſat, & ſine intermiſſionis alteratione conſiderat: & recordatur bonorum, quorum tamen nũquam obliuiſcitur: & nullatenus recordatur malorum : quos tamen per iudicium ſemper intuetur. Quaſi enim redit ad beatorum memoriam, quam tamen nunquam deſeruit : & quaſi nequaquã malos reſpicit, quorum tamen facta conſiderat. Sed ſuper hoc dãnationis iudiciũ in vltimis ſeruat. Hinc enim ſcriptum eſt. Oculi domini contemplantur bonos & malos. Hinc per Pſal. dicitur. Oculi domini ſuper faciẽtes mala, vt perdat de terra memoriam eorũ. Cõſiderat ergo quos puniat: ſed eoſdem ipſos antè non vidit, quos neſcit. Nam quibuſdam in fine dicturus eſt. Neſcio vos vnde ſitis. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Miro igitur modo & prauorum vitã intuetur & obliuiſcitur. quia quos per diſtrictionem ſententiæ iudicat, quãtum eſt ad memoriam miſericordiæ ignorat. Et ſic per conſequens iuſtorum memoratur, quos inæternũ beatificat. Ecce ergo quanta differẽtia bonorum & malorum. quia mali ſui memoriam ſolùm in præſenti vita fabricare contendunt, & non in æterna: boni autem econtrario. Quod oſtendens Greg. introducens præſentem textum lib. 11. moral. capit. 17. ſic ait ſuper illo verbo Iob 13. Memoria veſtra cõparabitur cineri. Omnes qui cogitatione terrena huic ſeculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere ſui memoriam conantur. Alij bellorum titulis : alij altis ędificiorum mœnibus: alij diſertis doctrinarum ſecularium libris inſtanter elaborant : ſibimet memoriam vel nomen memoriæ ædificãt. Sed cum ipſa ad finem celerius vita percurrat, quid in ea fixum ſtabit, quando & ipſa celeriter mobilis tranſit? Aura enim cinerem rapit. ſicut ſcriptum eſt Pſal. 1. Nõ ſic impij nõ ſic: ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Rectè ergo ſtultorum memoria cineri comparatur : quia illic ponitur vbi ab aura rapiatur. Quantumlibet enim quiſq; pro perficienda gloria ſui nominis elaboret: memoriam ſuam quaſi cinerem poſuit. quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. Quod contra de iuſto ſcriptum eſt. *In memoria æterna erit iuſtus, &c.* Eo enim quo facta ſua ſolius Dei oculis imprimit, nomen ſuæ memoriæ in æternitatem figit.

*Memoriã bonorum Deus habet, nõ malorum.*

*Prouerb. 15.*
*Pſal. 33.*
*Matth. 25.*

*Memoria bonorum durat: nõ malorum.*

1992 Paratũ cor eius ſperare in domino. confirmatum eſt cor eius: nõ cõmouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

Hic oſtenditur quòd in gloria erit æterna ſtabilitas. Quanto enim res de ſe mobilis rei ſtabiliori adhæret, & vnitur: tãto illa ſtabilius permanet. Cũ ergo ſolùm Deus ſit ipſa ſtabilitas, & fortitudo per eſſentiam: omnis autem creatura mutabilis : vt deducit Magiſter. lib. 1. diſt. 8. Et inter omnes creaturas homo ſit magis mutabilis, qui nũquam in eodem ſtatu permanet: ſequitur quòd de ſe nulla ſtabilitate fulcitur, niſi inquantum ipſi Deo firmiter adhæret. Quod hic fit per ſpẽ: ſed in futuro per cõſummatam charitatem. Et hoc notat Pſal. dicẽs de iuſto, quòd *paratum eſt cor eius ſperare in domino*, ſcilicet, quandiu eſt hic in via. quia ſpes non manet in patria, ſicut nec fides. Sed in patria cõfirmatum eſt cor eius, ſcilicet, per charitatem conſummatã: quæ inſolubiliter Deo coniungit cor beatorum vt confirmatum eſt, vt cadere non poſſit. Quandiu enim eſt in vita præſenti : mutabile eſt cor hominis : donec deſpiciat inimicos ſuos. In patria enim iuſtus ſtabilis effectus, deſpiciet tentationes dæmonum, perſecutiones malorum hominum. quia in nullo amplius ipſum lædere poſſunt. Et aduerte quòd hic ly donec, non ſtat pro certo tempore : ſed pro æterno, vt dictum eſt verſic. 1969. Tunc ergo beati deſpicient inimicos ſuos. quod ideo erit, quia beati in patria videbunt dæmones & damnatos deorſum poſitos. Nã ſpecio, cis, quod eſt videre vel cõſiderare, componitur cũ de: & fit deſpicio, cis, quod eſt deorſum videre, vel contemnere. Vnde quilibet ſanctorum tunc dicet illud Pſalm. 53. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me : & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Nota tamẽ quòd multiplex eſt commotio, & bona & mala. Aliqua beati commouentur: & aliqua non.

Diſperſit, dedit pauperibus. iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: cornu eius exaltabitur in gloria. 1993

Hic conſequenter oſtendit quòd in gloria erit alta ſublimitas. Secũdum enim proportionem meritorum datur altitudo præmiorum. Cũ ergo opera miſericordiæ tam corporalis quàm ſpiritualis ſint alti meriti debitè exhibita : ſequitur quòd pro ipſis altum datur præmium. Hic ergo primo ponit altitudinem operum miſericordiæ dicens, *Diſperſit, dedit pauperibus*. Si enim in pauperibus Chriſtus recipitur: ipſo dicente Matth. 25. Quod vni ex his minimis feciſtis, & mihi feciſtis. quãtum altũ eſt meritũ vni pauperi opera miſericordiæ Dei tribuere: ſed multo altius multis pauperibus ſubuenire. Ideo notans operum miſericordię meritum ait, *Diſperſit, dedit pauperibus*. Frumentum enim inſimul in horreum congregatũ non multiplicaretur: ſed diſperſum in terra & ſeminatum. Sic & diuitiæ cuſtoditę perduntur: ſed pauperibus diſperſæ multiplicãtur. vt oſtendit Greg. Et nota quòd diſpergere eſt multiplex. Quoddam diſcordiæ, vt cum quis vnitos in charitate diſpergit per diſcordiam. ſicut mali domini & prælati vt fortius damnari poſſint in ſubditis generant lites & diſcordias: vt ipſorum fortitudinem diminuant. ſcientes quòd omnis virtus vnita, fortior eſt ſeipſa diſperſa. Et de talibus ſuperioribus loquitur dominus. Hiere. 23. Væ paſtoribus qui diſpergunt & lacerant gregem meũ. Iſtius generis fuerũt ſacerdotum principes: qui vt Chriſti gregem diſpergerent : ipſorũ caput percuſſerũt, Zacha. dicente. Percutiam paſtorẽ, & diſpergentur oues

*Greg. 18. moral. cap. 9.*
*Diſperſio multiplex.*
*Zachar. 13.*



oues gregis. Secundò eſt quoddam diſpergere pœnæ. Sicut bonus paſtor & prælatus malos ad malũ congregatos, puniẽdo diſpergit : vt in malo minus poſſint. ſic enim Deus per mundum diſperſit Iudæos: ipſos puniẽdo. ſicut Pſal. prædixerat Pſal. 58. Diſperge illos in virtute tua : & depone eos protector meus. Et Hiere. 9. Diſpergam eos in gentibus quas non nouerunt. Tertiò eſt quoddam diſpergere gratiæ & meritorum: ſicut boni diuites congregatas diuitias diſpergunt inter pauperes. vt fecit Laurẽtius. Et de iſto diſpergere hic de homine miſericorde dicitur, *Diſperſit, dedit pauperibus*. Et quia iſtud diſpergere vitam meretur ęternã. quoniam vt dicitur Tobiæ 4. Si multum tibi fuerit, abundãter tribue ſiue diſperge. ſi exiguum, etiam libẽter illud partiri ſtude. quoniam eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat. & infra cap. 12. Eleemoſyna vitam æternam facit inuenire. Ideo ſubditur. *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*, id eſt, in æternum manet præmiũ quod diuina iuſtitia operibus miſericordiæ reddit. Et ad iſtud propoſitum iſtum textum inducit Apoſtolus 2. Cor. 9. dicens, Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, &c. ſicut ſcriptum eſt, *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Vbi gl. cõditiones quas eleemoſynas faciens debet habere notat dicens, *Diſperſit*, quia non vni tantùm conferens, ſed pluribus diuidens, dedit, ſcilicet, gratis. nõ vendidit: nõ ex prius accepto ſeruitio contulit. *pauperibus*, non diuitibus qui ſibi reddere poſſent. Et ideo *Iuſtitia eius*, id eſt, merces iuſtitiæ eius: *manet in ſeculum ſeculi*, id eſt, in æternum ſine fine. Iuſtus eſt enim qui bona mũdi, fine æterni præmij communia reputat. Et ſubdit glo. dicens. Et nota quòd Apoſtolus hoc exemplo ad largiẽdum ſanctis, omnes inuitat. Si enim illius qui pauperibus largitur merces magna eſt : quãto magis eius qui miniſtrat ſanctis? Pauperes enim poſſunt dici qui etiam ſunt mali. Conſequẽter ergo poſt altitudinem meriti miſericordiæ ponit altitudinem præmij dicens, *Cornu eius exaltabitur in gloria*. Vbi aduerte, quòd per cornu virtutes ſignificantur: quia velut cornua defendũt animalia : ſic & virtutes iuſtos defendũt homines. Et nota: quòd maximè triplex virtus per cornu ſignificatur, ſcilicet, humilitatis, caſtitatis & pietatis. Exaltatur ergo cornu iuſti in gloria : quando ratione virtutis hic habitę: ſibi in ſupremo regno æterna confertur gloria. Sicut & cornua ſuperbię peccatorum confringũtur in pœna æterna. Pſal. 74. Omnia cornua peccatorum confringam : & exaltabuntur cornua iuſti.

*Eleemoſyna meretur eſt æterna.*

*Nota conditiones quas quis debet habere in faciẽdan eleemoſynam.*

1994 Peccator videbit & iraſcetur : dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſideriũ peccatorum peribit.

Hic conſequenter agit de immiſericordibus & ipſorum ſupplicio. Et nota quòd ſicut in præſenti pſal. actum eſt de beatitudine miſericordiũ in præſenti & in futuro : ſic & iſte verſus poteſt intelligi de pœna & ſupplicio immiſericordium in præſenti & in futuro. Si de ipſa pœna in præſenti intelligitur, tunc notandum quòd vt dictum eſt, Deus in præſenti miſericordibus ( vt opera miſericordiæ adimplere poſſint) concedit quandoq; potentiam, diuitias, & honores. Quæ videns homo crudelis & immiſericors ſtimulo accenſus inuidiæ ; infra ſe ipſum turbatur & tabeſcit: non ſolùm in corde, ſed in verbis exterioribus & actibus. Sic enim multi videntes magnos epiſcopos & prælatos miſericordes ex officio (quia pauperum patres) habere altam potentiam, diuitiarum abũdantiam, honorẽ magnum & gloriam: inuidiæ facibus accenſi, iraſcuntur interius: ipſis detrahunt exterius : ipſis dẽtibus minantur: qui ſi poſſent, ad nihilum redigerent illos. Quid enim excitauit ſacerdotũ principes contra Chriſtum: niſi inuidia ex Chriſti clara poteſtate & gloria? & ſimiliter contra eius apoſtolos. Et de quolibet tituli dicitur. *Peccator videbit & iraſcetur, &c.* ſcilicet, hic in præſenti. Poteſt etiam intelligi de futuro: quia damnati, ſcilicet, inuidia agitati: non ſolùm dolebũt de ſuis ſuppliciis : ſed etiam cruciabuntur de beatorum gloria. ſicut & pœna damnatorum à beatis viſa: auget & declarat ipſorũ gloriam. Sed qualiter damnati videbunt beatos: ſaltem poſt diem iudicij? Dicitur quòd quamuis damnati intuitiuè non videant ſanctos: ſicut ſancti vident damnatos : tamen ipſos vident abſtractiuè. quia in iudicio ſimul boni & mali erũt ante iudicem : & ſe mutuò videbunt. Et primo quia ſancti aſſumpti erunt ad gloriam ante ſententiam damnatorum: videbunt tunc, ſcilicet, in iudicio. Et huius viſionis memoria perpetuò remanebit in eis. Propter quorum memoriam ipſi cruciabuntur & blaſphemabũt Deum cum cæteris beatis: vt habetur Apocal. 16. deſiderantes Deum cum omnibus ſanctis ſecum natos eſſe: ſed deſiderium peccatorum peribit. Vel aliter: damnati tunc videntes beatorum gloriam, & cruciatus proprios : iraſcentur contra ſeipſos: & diſplicebit eis ſe peccaſſe : ſed eorum pœnitentia tunc erit infructuoſa: quia erũt extra ſtatum vitæ. Et iſtam intentionem hic ponit gl. dicens. *Peccator videbit & iraſcetur* cõtra ſe ipſum: quoniam vt habetur Sapientiæ 5. Videntes, turbabuntur timore horribili. gementes præ anguſtia: ſpiritus dicentes intra ſe pœnitentiam agentes. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum : & in ſimilitudinẽ improperij. Nos inſenſati extimabamus vitam illorum inſaniam : & finẽ illorum ſine honore. Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei, &c. Quid ergo nobis profuit ſuperbia? quid diuitiarum iactantia? *Dentibus ſuis fremet & tabeſcet*: quia malum inuidiæ quod apud ſe retinet: nulli tamen nociturus. *Et ſic tabeſcet*, quia non poterit reuiuiſcere per pœnitentiam. Et ſic deſiderium peccatorum peribit, quia ipſorum pœnitentia nõ erit eis vtilis vel fructuoſa : ſed maioris anxietatis cauſatiua.

*Dãnati pœnitẽt: ſed inutiliter.*

## PSALM. CXII.

Laudate pueri dominum : laudate nomen domini. 1995

Iſte pſalmus habet hũc titulum, Alleluia. Quid ſit alleluia vide in titulo Pſalm. 104. quia idem eſt quod Laudate dominũ. Vnde iſtum titulũ exponit iſte pſalmus in principio dicens, *Laudate pueri dominum*. Tota enim pſalmiſtæ intentio in hoc pſalmo eſt, inducere nos ad laudandũ Deum, ex cõſideratione ſuæ profundiſſimæ prouidẽtiæ quę aliquãdo & in pręſenti vita oppreſſos & abiectos iniuſtè, ineffabili modo ſuæ prouidẽtię exaltat. Sic enim exaltauit Moyſen fugitiuũ: vt ipſum faceret ducem totius populi Iſrael. Sic exaltauit Ioſeph venditum & in

*Exod. 4.*
*Geneſ. 41.*

& incarceratum,vt ipſum faceret poſt Pharaonem Ægypti dominum. Sic exaltauit Dauid profugũ, vt ipſum totius populi ſui faceret regem. Et ſic de multis aliis. Quibus conſideratis ad laudem Dei prouocari debemus. Quibus viſis, venio ad diuiſionem pſal. qui diuiditur in partes duas: quia pſal. docet laudare Deum, ſecundo ipſe facit quod docet: ibi. *Excelſus.* Circa primum tria oſtendit circa laudem Dei: quia primo oſtẽdit a quibus deus debet laudari: ſecundo quando debet laudari, quia ſemper: ibi. *Sit nomen.* tertio vbi debet laudari, quia vbiq;. ibi. *A ſolis ortu.* Quãtum ad primum ſciendũ, quòd proprie peccator Deum laudare non poteſt: qui moribus & vita ſibi contradicit, ſed ſolũ iuſtus Deum debitè laudat. vide ver. 480. Quod ſatis hic pſal. innuit dicẽs. *Laudate pueri dominum.* Et in figuram huius, dicitur Apoc. 14. quia ſancti cantabant cãticum nouum ante ſedem Dei: & nemo poterat dicere canticum, niſi illi qui cum mulieribus non ſunt coinquinari: virgines, &c. Cui cõcordans pſal. pueros ad Dei laudem inuitat dicens, *Laudate pueri dominum.* Ad cuius euidentiam ſciẽdum, quòd puer quandoq; dicitur ab ætate, quandoq; ab iniquitate, quandoq; ab humilitate: quandoq; a ſanctitate. Primo puer dicitur ab ætate. & ſic pueritia dicitur à ſeptimo anno vſq; ad decimum quartum. Et iſto modo de Chriſto dicitur: quòd cum eſſet Ieſus annorum duodecim: remanſit puer Ieſus in Hieruſalem: & non cognouerunt parentes eius, &c. Et talis ætas multas habet conditiones laudabiles: & alias non laudabiles. Secundo dicitur puer ab iniquitate: & ſic quilibet peccator puer dicitur. Eſa. 65. Puer centum annorum morietur: & peccator centum annorum maledicetur. Quod exponens Grego. moral. cap. 3. ait, Eſaias ait: puer centum annorum morietur, &c. Ac ſic apertè nos deterreat dicens, Vita quidem pueri in longum trahitur: vt à factis puerilibus corrigatur. Sed ſi à peccati perpetratione nec temporis lõginquitate compeſcitur: hæc ipſa longinquitas vitæ quam per miſericordiam accipit: ei ad cumulũ maledictionis creſcit, &c. Iſto modo puerum accipiebat Apoſtolus, primæ Cor. 14. dicẽs, Nolite pueri effici ſenſibus: ſed malitia pueri eſtote. Puer enim dicitur peccator: & maximè prælatus vel prædicator: quia puer loquitur quæ nõ intelligit: & malus prælatus vel prædicator loquitur quæ non facit. Tertiò dicitur puer ab humilitate & ſubiectione. Iſto modo Achimelech dixit ipſi Dauid quando panes ab ipſo poſtulabat: de ſeruis ſuis & ſubditis. Si mundi ſunt pueri & maximè à mulieribus: mãducent. Sic & cum inter apoſtolos eſſet quæſtio: quis eorũ eſſet maior. accepit Ieſus puerum: & ſtatuit eum in medio eorũ: & dixit eis, Qui nõ humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte: non intrabit in regnum cœlorum. Sic & Chriſtus apoſtolos ſuos humiles, & ſibi ſubditos, poſt reſurrectionem vocabat pueros dicens, Pueri nũquid pulmẽtum habetis? Quarto dicitur puer à puritate & ſanctitate. Iſto modo dicitur Dañ. 1. quòd rex Nabuchodonoſor præcepit vt introducerent pueros de filiis Iſrael & de ſemine regio: in quibus nulla eſſet macula: decoros forma: & eruditos in omni ſapientia. Nec mirum ſi ſancti & puri dicantur pueri: cum ipſi in multis cõditionibus aſſimilẽtur pueris. Ad propoſitum ergo cum pſal. ait. *Laudate pueri dominum:* accipit pueros tertio & quarto modo. Laudamus autem dominum dupliciter, ſcilicet, ore ipſi confitendo. & opere: quando ex operibus noſtris ad Dei laudẽ alios inducimus. Vnde gl. *Laudate pueri dominum,* id eſt, ita operamini vt alij videntes opera veſtra bona, glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Sequitur, *Laudate nomen domini.* Vbi ait glo. Nomen domini laudat: qui virtutes eius prædicat. Et hoc ſolum faciunt pueri, id eſt, humiles & puri qui intrant per anguſtam portam. Et ideo nemo niſi puer intrat in regnum cœlorum. Tales dignè laudant quibus non obuiat ſuperbia. quia ex ore infantium & lactantium Dei perficitur laus. Indigne autem cantant iſta: qui ſe magnos putant: qui cognoſcentes Deum, nõ ſicut Deum glorificant aut gratias agunt. Et quia ſolum dignè laudãt qui pueri ſunt: quaſi puri. ideo in horis in fine a pueris cãtatur Benedicamus domino. De laude puerorum, vide verſi. 84.

*2. Reg. 2.*

*Laudat Deũ iuſtus & puer.*

*Puer accipitur multipliciter.*

*Lucæ 2.*

*1. Reg. 21.*

*Matth. 19.*

*Ioan. 21. Pueri dicuntur ſancti & boni.*

*Laudare nomen domini quid eſt.*

## Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſeculum. 1996

Hic conſequenter oſtendit, quãdo Deus ſit laudandus: quia ſemper. Quamdiu enim quis ab alio beneficium recipit: ipſe tamdiu ad gratiarũ actionem obligatur. Cum igitur Dei beneficia in nobis ſint non ſolum quotidiana ſed etiam cõtinua: nos ſemper ad ipſius laudem obligamur. Propter quod dicitur, Benedicam dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. Quomodo autẽ Deus a nobis ſemper ſit laudandus & benedicendus: vide verſi. 502. Hic autem per hoc quod ait, *Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſeculum:* intelligit extẽſionem omnis durationis. Aduerte autem quòd dicitur ex hoc nunc. Nũc enim idem eſt quòd inſtans temporis. De tempore autem nõ habemus, niſi nunc. quia præteritum tempus tranſiuit & non eſt: futurum autem nondũ adeſt. 4. Phyſicorum. Deliberatio autem vel conſilium non eſt de præteritis: ſed ſolum eſt præſens de futuris. Ideo per hoc vult pſal. intelligere, quòd quamuis Deus fuerit benedicendus & laudandus: tamen quia de præterito nõ poſſumus deliberare: ideo in præſenti ſemper nunc debemus ipſum laudare & deliberare nunc: hoc in futurum nos ſemper eſſe facturos. Vel per nunc intelligit totum tempus vitæ præſentis. quia ſicut inſtans nihil eſt reſpectu totius temporis: ſic & totum præſens tempus nihil eſt reſpectu æternitatis. Vnde totum tempus præſens, nũc eſſe dicebat Apoſtolus 2. Cor. 6. dicẽs, Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis, &c. Eſt ergo ſenſus. *Ex hoc nunc & vſque in ſeculum,* id eſt, ex tempore præſenti vſque in æternum.

*Laudare deũ ſemper debemus.*

*Pſal. 33.*

## A ſolis ortu vſque ad occaſum: laudabile nomen domini. 1997

Hic oſtendit vbi Deus ſit laudandus: quia vbique. quia ſecundum omnem extenſionem diſtãtiæ localis. Per hoc iam intelligebat pſal. quòd nomen Chriſti per totum orbem prędicaretur per apoſtolos. quia alibi de ipſis prædixerat. In omnem terrã exiuit ſonus eorum, &c. Vel per hoc vult oſtendere pſal. quòd in omni ſtatu & in omni ætate Chriſtum laudare debemus, ſcilicet, in principio vitæ noſtræ: quod per oriens ſignificatur. in fine & in morte: quod per occidens, &c. Vide ver. 1883. Vel per hoc vult oſtendere quòd Chriſtus in omnibus quæ hic fecit: eſt laudandus à nobis: Nam Chriſtus ſolis nomine deſignatur: quia eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde de ipſo dicitur Apoc. primo. quòd facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua. Per ſolis ergo ortum intellige Chriſti natiuitatẽ. Malach. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ. Per occaſum verò iſtius ſolis intellige Chriſti mortem & paſſionem: quam ipſe per ſuam reſurrectionem ſuperauit, Pſalm. 67. Qui aſcendit ſuper occaſum: dominus nomen illi. Eſt ergo laudabile nomen domini: id eſt, Ieſu Chriſti. & hoc: *A ſolis ortu vſque ad occaſum,* id eſt, in omnibus operibus ſuis quę operatus eſt à natiuitate ſua vſque ad mortẽ. Vel per occaſum ſignificãtur tria, ſcilicet, mors, peccatum, & cœlum. Ex quibus omnibus Chriſti nomen eſt laudabile. vide verſiculũ 1051. Vel per oriens ſignificantur boni, quos Deus glorificat: per occidens verò mali, quos Chriſtus iuſtè damnat. Et in omnibus iſtis laudabile eſt nomen domini. quia ab oriente laudatur eius miſericordia: ſed ab occidente eius iuſtitia. vide verſiculũ. 1241. Vel oriens ſignificat gratiam: & occidens culpam. verſic. 1743.

*Pſal. 18.*

*Sol dicitur Chriſtus qui habuit ortum & occaſum.*



## 1998 Excelſus ſuper omnes gẽtes dominus: & ſuper cœlos gloria eius.

Hic Pſalm. facit quod facere docuit, ſcilicet, laudat Deum. Laudat autem Deum multiplici ratione, ſcilicet, primò ratione ſuæ excellentię. ſecundò ratione ſuæ prouidentiæ, ibi, *Quis ſicut.* tertiò ratione ſuæ miſericordiæ, ibi, *Suſcitans.* Primò ergo ipſum laudat ratione ſuæ excellentiæ, dicens: quòd excelſus eſt ſuper omnes gentes dominus. Quantum ad primum, ſciendum, quòd excelſus dicitur idem quod altus. Nam dicitur celſus à cœlo: cœlum autem altum eſt & eleuatum. Et ideo celſus à cœlo dictus: idem eſt quòd altus. Et componitur celſus cum ex. & dicitur excelſus. a. um. idem quòd valde altus & cœleſtis. Volens ergo oſtendere pſal. Deum eſſe laudandum ratione ſuæ excellentiæ dicit, *Excelſus ſuper omnes gentes dominus.* Quaſi dicat, Quanto quis eſt altior vel dignior: tanto amplius honorandus & laudandus. Sed Deus excellit omnem creaturam cœleſtem & terreſtrem: igitur Minorem probat: primo quòd excellat omnem creaturam terreſtrem dicens. *Excelſus ſuper omnes gentes dominus.* Vbi notandum, quòd gens dicitur à generatione & propriè hominum. Et ſic per gentes intelliguntur homines omnes qui generant & generantur. Pſalm. 9. Sciant gentes quoniam homines ſunt. Homo autem excellit omnem creaturam terreſtrem: quia omnis creatura terreſtris ſub hominis imperio fuit à Deo ordinata. Pſal. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius &c. Deus autem excelſior eſt homine: quia excelſus ſuper omnes gentes dominus. Vt ſic arguat. Quicquid in dignitate & poteſtate excellit hominem: excellit omnem creaturam terreſtrem. patet: quia homo eſt excelſior omni creatura terreſtri. ſed Deus excelſior eſt homine: quia excelſus ſuper omnes gentes dominus. Conſequẽter probat quòd ſit excelſior omni creatura ſpirituali & cœleſti, dicens, *Et ſuper cœlos gloria eius.* Vbi ſciendum quòd cœlorum nomine in ſcriptura intelliguntur ipſi angelici ſpiritus cœleſtes, teſte Chriſto dicẽte. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. vt deducit Gregorius libro 27. mor. capitulo 25. Certum eſt autem quòd angeli celſiores ſunt omni natura ſpirituali. ſed Deus excelſior eſt omnibus angelis. Quod hic ponit dicens. *Et ſuper cœlos gloria eius,* id eſt, ſuper omnes angelos. Vnde ad Hæbræ. 1. dicitur de Chriſto, quòd tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, &c. Et iſtum intellectum hic ponit Gloſa. dicens, *Excelſus ſuper omnes gentes dominus.* Quaſi dicat, Ideo laudate, quia dominus excelſus eſt, &c. Per gentes enim, omnia terrena: per cœlos verò, omnia cœleſtia notat. vt per hæc duo omnes creaturas indicet Deo ſubiectas. Vel aliter: vt per gentes intelligantur gentiles & idolatræ qui per mundum erant diſperſi: per cœlos verò intellige apoſtolos, & alios ſanctos prædicatores. Mediante autem prædicatione apoſtolorum, gentes ad Chriſti fidem ſunt conuerſæ: & in ipſis regnat Chriſtus. Et ex hoc ad Dei laudem nos inuitat Pſal. dicens, *Excelſus ſuper omnes gentes dominus.* Quaſi dicat, Ideo omnes ad Dei laudem inuito: quia Chriſtus ſuper omnes gentes eſt regnaturus, & excelſus. Ratio, quia ſuper cœlos, id eſt, ſuper apoſtolos gloria eius. Super apoſtolos enim fuit gloria Dei: quãdo ipſorum prædicatione & miraculis per totum mundum fuit oſtenſa.

*Excelſus eſt aliquid altum & cœleſte.*

*Excelſus eſt Deus ſuper omnem creaturam.*

*Gen. 2.*

*Cœli dicuntur angeli.*

*Matth. 6.*

*Cœlum dicuntur Apoſtoli.*

## Quis ſicut dominus Deus noſter: qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? 1999

Hîc oſtendit Deum laudãdum ratione ſuæ prouidentiæ: quia, ſcilicet, quamuis ſit excelſus ſuper omnem creaturam, & habitet in altis per ſuæ gloriæ refulgentiam: omnia tamen gubernat in cœlo & in terra per ſuam prouidentiam: quia, ſcilicet, in cœlo & in terra humilia reſpicit & approbat: & ſuperba deponit & damnat. Quamuis enim Deus ſit ratione ſuæ immenſitatis vbique, non tamen vbique habitat: ſed ſolùm in ſanctis, in quibus eſt per gratiam: qui alti à terra & terrenis deſideriis ſunt eleuati. vide ver. 11. 101. 136. 293. Et quamuis ſolùm in ſanctis habitet, tamẽ hîc inferius ac etiam in cœleſtibus ſua prouidentia gubernat & diſponit. vt puta, humilia reſpicit in cœlo, quia bonos angelos humiliter ſibi ſubiectos reſpexit, in gratia & gloria ipſos confirmando: ſuperbos verò angelos & apoſtatas deiecit. Conſimiliter humilia reſpicit in terra: quia humilibus hominibus dat gratiam: ſed ſuperbis reſiſtit. Sic enim reſpexit humilem matrem ſuam: ipſa dicente, Quia reſpexit humilitatem ancillę ſuæ &c. Reſpicere enim Dei creaturam ſuam, eſt ſibi miſericorditer dare gratiam, & illam gratam habere. vide verſiculum 150. 360. 363. 493. 873. 1385. 1439. Dicat ergo pſal. *Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat.* Et verè in altis habitat Deus: cuius altitudo noſtram mentem tantum excedit, vt ad ipſam comprehendendam nullo modo ſufficiat fragilitas noſtra. Vnde hanc Dei altitudinem admirans Apoſtolus exclamat, Rom. 11. dicens, O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c. Et attende quòd Deus multipliciter dicitur altus, ſcilicet, cognitione, prælatione, miſeratione, operatione, expectatione, & habitatione.

*Luc. 1.*

*Altus multipliciter dicitur Deus.*

## Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem. 2000

Hîc oſtendit Deum laudandũ ratione ſuæ miſericordiæ. Sua enim miſericordia maximè in tribus

apparet in nobis: ſecundùm quæ præſens pars diuiditur. Primò homines reſuſcitat à vitiis: ſecundò humiles honorificat in ſoliis: ibi, *Vt collocet eum*. tertiò ſteriles multiplicat in gratiis: ibi, *Qui habitare*. Quantum ad primum, notandum quòd per terram ſignificantur peccata terrena: vt ſunt auaritia, gula, & ſimilia: in quibus peccatores mortui iacent. vide verſi. 208. 931. 1026. 1056. Sed per ſtercus, peccatum luxuriæ. Propter quod dicitur Iohel. 1, Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Quod exponens Grego. 24. mor. ait, Qui carnali affectu ſuccumbunt, iam nõ homines, ſed iumenta nominantur: ſicut de quibuſdam in peccato ſuo morientibus per prophetam dicitur, Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumenta quippe in ſtercore ſuo computreſcere, eſt carnales homines in peccato luxuriæ vitam finire, &c. Iſta enim duo peccata ſunt quæ cum ſuperbia magis homines alliciendo inficiunt. A quibus tamen Deus multoties hominem reſuſcitando reuocat. Sic enim Matthæum ſedentem in teloneo ſuſcitauit à terra: quando ipſum vocando ad apoſtolatum, omnia pro Chriſto contempſit. Et aduerte quòd terræ, id eſt, auaritiæ deditum inopem vocat: quia talis voluntas nunquã ſatiatur. Et de talibus ait Pſal. *Suſcitans à terra inopẽ*. Quandoque verò de peccato luxuriæ ſuſcitat hominem, & erigit ad continentiam: ſicut in Magdalena patuit, & in muliere in adulterio deprehenſa: cui impoſuit Dominus, Neque ego te condemnabo: vade in pace, & amplius noli peccare. Et de talibus dicit, quòd Deus ſua miſericordia eſt de ſtercore erigens pauperem. Et nota quòd deditum luxuriæ non inopem, ſed pauperem vocat: quoniam inops dicitur qui nihil habet: pauper autem, qui parũ habet. Auarus ergo dicitur inops: quia quanto plura habet: plura ſibi deficere exiſtimat. Sed luxurioſus dicitur habere parum, quia ſemper peccatũ illud eſt cum pœnitudine: quæ pœnitudo dicitur eſſe parum: quia videlicet ad peccati deteſtationem, ſed non ſufficit de ſe ad veniam.

*Gre 24. mor. cap. 8.* — *Iohel. 1.* — *Matth. 9.* — *Ioan. 8.*

2001 Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Hîc ſecundò oſtenditur quòd Deus ſua miſericordia humiles exaltat & ſubleuat. Vbi nota quòd tam in præſenti vita quàm in futura Deus exaltat humiles. In præſenti enim vita ſecundum gradum humilitatis datur gradus exaltationis ſpiritualis. vt puta quia Chriſtus præ omnibus fuit humilior, ſupra omnes fuit exaltatus: vt oſtendit Apoſtolus ad Phili. 2. Sic & poſt Chriſtum virgo Maria, quia fuit maioris humilitatis, ſupra cæteros exaltatur, Lucæ primo, Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ &c. Sic & Ioannes Baptiſta conſequenter. Et hoc eſt quod ait, quòd ſuſcitat de puluere egenum, &c, id eſt, humilem exaltat: ad hoc vt collocet eum cum principibus &c. Vel magis ſequendo literam præcedentem: Deus peccatores quos quandoque de peccatis ſuſcitat, eos cõſequenter aliorum principes fecit, vt puta ſuſcitauit Petrum, qui negauerat Chriſtum: Paulum, qui perſecutus eum fuerat. Nonne iſtos principes Chriſtianorum collocauit? De quibus pſal. 44. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Suſcitauit de puluere auariciæ Matthæum: nõne conſtituit eum principem, quem fecit euangeliſtam, & Apoſtolum? Quos de peccatis ſuſcitat: facit principes. Vel aliter, vt intelligatur de exaltare gloriæ. Vbi ſciendum quòd angeli beati dicuntur

*Humiles Deus exaltat.* — *Angeli ſancti dicuntur principes.*

A principes, quia ipſorum miniſterio Deus mundum gubernat & regit: & etiam quia inter ſe principatum habent: ſic quòd vnus alteri principatur. Vnde & Michael angelorum princeps dicitur, Dã. 11. Conſurget Michael princeps magnus &c. Angeli enim diuiduntur per tres hierarchias, ſcilicet, ſuperiorem, mediam, & inferiorem. Hierarchia autem idem eſt, quod ſacer principatus. Cum iſtis ergo principibus, ſcilicet, beatis angelis, Deus collocat in gloria, quos ſuſcitat de puluere, vel de ſtercore erigit. quia beati aſſumuntur ad ordines angelorũ, ſecundum qualitatem ſuorum meritorum: vt patet verſic. 1752. Suſcitat ergo Deus peccatores, vt collocet eos cum principibus, id eſt, in ordinibus ſanctorum angelorum ipſos reponat & collocet:
B & ſic cum ipſis angelis beatis ſolium gloriæ teneant. Solium enim meritò dicitur collocatio gloriæ, ſiue in gloria: quia ſolium dicitur quaſi ſedes ſolida. Iſte textus prophetizatus primò fuit ab illa muliere Anna, matre Samuelis dicentis, Dominus ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſoliũ gloriæ teneat. Et nota quòd angeli beati meritò dicũtur principes: quia boni principis conditiones habent.

*Angeli in ordinibus collocantur homines.* — *1. Reg. 2.*

Qui habitare facit ſterilẽ in domo, matrem filiorum lætantem. 2002

Hîc oſtẽdit quòd Deus ſua miſericordia ſteriles multiplicat in gratiis. Ex his autem ſenſibus apparet quòd Pſalm. nos ad ſpiritualia ducere conatur.
C Docet enim experientia, & ſacra ſcriptura teſtatur, quòd mulier naturaliter ſterilis, virtute Dei concipit & parit: & tales partus ſunt mirabiliores, & cauſa maioris lætitiæ: ſicut patuit de Sara, vxore Abrahæ ſterili: quæ dum nonagenaria eſſet, angelo nunciante, concepit filium, & genuit Iſaac, ex quo totus populus Iſrael ſucceſſit. Gen. 17. Sic & gratia diuina vxor Manuæ ſterilis, angelo nunciante, virtutem concipiendi accepit, & genuit Sanſonem, virum fortiſſimũ. Iudic. 13. Sic & Anna vxor Helchanæ ſterilis, gratia Dei concepit, & peperit Samuelem, virum ſanctiſſimum. 1. Reg. 2. Et breuiter ſic Anna vxor Ioachim ſterilis, virtute diuina angelo nũciante, concepit, & peperit Mariam, ſan-
D ctarum ſanctiſſimam, Sic & Elizabeth vxor Zachariæ, ſterilis, virtute diuina cõcepit, & peperit Ioannem Baptiſtam: quo inter natos mulierum nemo ſurrexit maior. Ex quibus apparet quòd conceptus ſterilium nati virtute diuina cæteris fuerunt mirabiliores, & cauſa intentioris lætitiæ. Hoc ergo exemplum nobis proponit pſal. dicens. *Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem*. Per hoc autem Pſalm. vult oſtendere quòd Deus ſua miſericordia gentilem populum olim ſterilem & idolatram, ex quo nullus electus generabatur, Deus fœcũdaret per aduentum Chriſti: vt ex eo filij naſcerentur fideles: & non ſolùm filij carnaliter geniti, ſed ſpirituales: quia opera meritoria faceret Deo accepta. Nam opera noſtra dicuntur filij noſtri. vt
E patet ver. 1748. vt puta, conſidera Dionyſium, aliquando ſterilem & gentilem, gratia Dei fœcundatum, quot filios in eccleſia Deo generauit. Sic Auguſt. ſic Ambro. ſic Greg. ſic Hiero. Sic ergo eccleſiam gentilium olim ſterilem Deus fœcũdauit, generatione filiorum fidelium, & bonorum operum ac meritorum: & ad magnam Dei laudem cedit. Propter quod Pſal. ait, *Laudate pueri dominum*. Ratio: quia

*Multæ ſteriles mirabiliter fœcundatæ fuerunt.* — *Luc. 1.* — *Gẽtes ſteriles fœcũdatæ fuerunt.*



quia ipſe eſt, qui habitare facit ſterilẽ in domo &c. A
Et hoc eſt quod de eccleſia gentium præuidens Eſaias, cap. 54. ſibi dicebat, Lætare ſterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ nõ parturis: quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Virum enim habebat ſynagoga Iudæorum, ſcilicet, legem cui copulata per obſeruantiam poterat & filios Deo generare, & opera facere meritoria. Sed eccleſia gentium ſterilis erat ſine viro, id eſt, ſine lege ipſam erudiente. Et tamen per aduentum Chriſti factum eſt, vt quia illa quæ prius erat ſterilis & ſine viro: Chriſto ſponſo ſociata multo plures Deo parit filios numero & merito, quàm Iudæorum ſynagoga fecerit. Et hæc in domo eccleſia habitat, ſynagoga expulſa & per mundum effecta vagabũda. B
Et hoc eſt quod intelligit Pſal. dicens: quòd Chriſtus habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem.

## PSALMVS CXIII.

1003 IN exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.

Iſte Pſal. titulum habet vt præcedens: ſcilicet, alleluia. Quia iſte Pſal. nos ad laudem Dei inuitat, vt præcedens: ſed ex aliis cauſis, ſcilicet, ex quibuſdã beneficiis populo Iſrael in exitu de Ægypto colla- C
tis & oſtẽſis miraculis. Vbi aduertendum quòd illa beneficia illi populo collata & oſtenſa, miracula erant quædam, figuræ prædicentes aduentũ Chriſti, & beneficia quæ ſuæ contulit eccleſiæ catholicæ: vt in expoſitione Pſal. patebit. Vnde Pſal. hic nõ narrat omnia beneficia illi populo collata, ſed ſolũ illa quæ Chriſti myſteria figurabant. Narrat ergo Pſal. ſolùm præterita. vt ex præteritis prædicat futura, per quæ ad laudem nos inducat. Quo viſo, venio ad diuiſionem Pſal. Diuiditur ergo Pſal. iſte in partes duas: quia primò Dei beneficia illis data narrantur. ſecundò ex illis laus à nobis Deo debita cõcluditur: ibi, *Non nobis domine*. Prima in duas: quia primò Dei beneficia narrantur: ſecundò, quare ſint facta interrogatur: ibi, *Quid eſt tibi mare*. Quantum ad primum, ſciendum quòd beneficia hîc narrata D
non ponuntur eodem ordine quo fuerunt exhibita: quia aliqua facta prius ponuntur, hîc poſterius: & econtrario. ſicut fit etiam in ordine Pſalmorum. Prima pars diuiditur in duas: quia ponitur primò tempus in quo dicta beneficia facta narrantur: ſecundò ipſa beneficia explicantur: ibi, *Facta eſt Iudæa*. Quantum ad primum, ſciẽdum quòd per domum Iacob, & per Iſrael idem ſignificatur, ſcilicet, populus Iſrael. Nã Iacob fuit binomius. Primò enim vocatus eſt Iacob. Gen. 25. poſtea ab angelo cum quo luctauit, vocatus fuit Iſrael. vt patet Gẽ. 32. Ab iſto enim deſcenderũt duodecim patriarchæ: ex quibus duodecim tribus populi Dei ſunt generatæ. Iſti er- E
go propter patrem binomiũ aliquando in ſcriptura dicuntur domus Iſrael: aliquando domus Iacob. Ex quo apparet quòd plus in ſe habet domus Iacob vel populus Iſrael quàm populus Iudæorum: quia populus Iſrael comprehendit totum populũ duodecim tribuum: populus verò Iudæorum propriè ſolùm vnam tribum comprehẽdit, ſcilicet, natos ex Iuda. Quandoque tamen, licet impropriè, accipitur populus Iudæorum pro toto populo duodecim tribuum. Item notandum quòd omnis lin-

*Populus Iſrael & Iudæorum quomodo differunt.*

gua, tribus exceptis, ſcilicet, Hæbraica, Græca, & Latina, dicitur lingua barbara. Et ſic omnis natio, excepta Latina, Græca, & Hæbraica, barbara vocatur. Cum ergo lingua Ægyptiaca alia eſſet ab iſtis tribus, ille Ægyptiorũ populus dicitur populus barbarus. Secundum enim grammaticos à barba dicitur barbarus, ra, rum. quod eſt idem quòd crudelis, incultus, auſterus, ſquallidus. Vnde olim omnes gentes dictę ſunt barbaræ, exceptis Græcis, Hæbraicis, & Latinis. Volens ergo Pſal. oſtendere quando iſta miracula de quibus vult loqui, fuerũt acta: dixit *In exitu Iſrael de Aegypto*. quod aliis verbis replicat, dicens, *In exitu domus Iacob de populo barbaro*. Et ſic hîc ly Iſrael & domus Iacob ſunt caſus genitiui. Sed per iſta quæ in tali exitu facta literaliter narrat, alia ſpiritualia vult intelligere. Ideo cõſimiliter per exitum Iſrael de Ægypto alium ſpiritualẽ exitum intelligit. Primò ergo per Ægyptum intelligit mũdum. Ægyptus namque tenebra interpretatur. Sic & mundus totus eſt tenebroſus, diuerſis peccatis inuolutus. Ad quem illuminandum Chriſtus venit: ipſo dicente, Ego lux veni in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, &c. In iſta ergo Ægypto quãdoque populus Iſrael habitabat: quia multoties prędeſtinati diuerſis peccatis in mundo mẽte ſunt inuoluti. In Ægypto habitabat Matthæus: quãdo lucris mundi intẽtus ſedebat in theloneo. Magdalena, quando voluptati carnis erat ſubdita. Samaritana, quãdo cum Samaritanis erat poſita. Sed quãdo Chriſtus ſua gratia tales de ſtatu culpæ vocat ad gratiam: tũc facit eos Iſrael, id eſt, videre Deum per fidem: & Iacob, qui ſupplantator interpretatur: quia facit eos ſupplantare mundum, & cũcta calcare vitia. Exit ergo anima de Aegypto, quãdo depoſito amore mũdi conuertitur ad Deum. Exit de populo barbaro, ſcilicet, crudeli & auſtero: quãdo viciis depoſitis de poteſtate liberatur dæmonum. Et nota hîc quòd triplex eſt exitus electorum. Primus eſt oriẽtium ad laborem: quando ſcilicet, exeunt de corpore matris in hãc vallẽ miſeriæ. Eccl. 40, Occupatio magna creata eſt hominibus à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ. Secundus eſt exitus pœnitentium: quo ſcilicet ad purgandum peccata, lacrymarum deducunt abundãtiam. Pſal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c. Tertius eſt exitus morientiũ: quãdo ſcilicet, de mundo exeuntes ad patriam pergunt. Pſalm. 145. Exibit ſpiritus eius: & reuertetur in terram ſuam. Hîc agitur de ſecũdo exitu cum dicitur: *In exitu Iſrael de Aegypto &c.*

*Barbarus dicitur omnis nõ Latinus, Græcus vel Hæbraicus.* — *Exit de Ægypto peccator per pœnitentiam.* — *Ioan. 8.* — *Exitus multiplex.*

Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas eius. 2004

Hinc incipit narrare mirabilia & beneficia facta. Et inter cætera tria narrat magnalia facta beneficia, Primum fuit ſanctificationis: ſecundum fuit deductionis: ibi, *Mare vidit*. tertium fuit exultationis: ibi, *Montes*. Quantum ad primum, ſciendum primò, quòd hîc accipitur exitus de Aegypto pro toto tempore ſequente vſquequo populus Iſrael intrauit terram promiſſionis: quod patet, quia hîc ponitur miraculum factum in Iordane: quod fuit quãdo filij Iſrael intrauerũt terram promiſſionis. Poſtquam ergo exiuit populus de Aegypto, tunc facta eſt Iudæa ſanctificatio eius. Quod dupliciter exponitur. primò vt accipiatur Iudæa nõ ſolùm pro tribu Iuda, ſed pro toto populo Iſrael. quia quandiu fuit populus Iſrael in Aegypto, non poterat inter

Aegyptios colere publicè Deũ:quia Aegyptij idolatræ erant.Et quia conuerſari cũ malis, magna eſt occaſio ad malum. Pſal.17. Cũ ſancto ſanctus eris: & cum peruerſo peruertêris.Ideo multoties populus Iſrael cum illis idolatrauit.in cuius ſignum ſtatim etiã poſt trãſitum maris ad idololatriã reuerſi, adorauerunt vitulum conflatilem.vt habetur Exo. 32.Sed poſtea per Moyſen ipſorum peccatum fuit punitũ:& reliquus populus ſanctificatus eſt in occiſione idolatrarum. Vnde illis dixit Moyſes, poſtquam occiderãt in vna die quaſi viginti tria milia, Conſecraſtis hodie manus veſtras domino : vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo,vt detur vobis bene dictio. Sic ergo facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: quia iſti occidendo idolatras,Deo fuerunt cõſecrati,zelantes cultum veri Dei. Vel aliter exponitur:vt Iudæa accipiatur propriè pro tribu Iuda.Nã vt dictum eſt, ver.1841. poſtquam perueniſſet Moyſes cum populo ad mare rubrũ,& virtute diuina mare fuiſſet diuiſum,nullus eorum ad præceptũ domini audebat intrare mare : & quodammodo Deo videbantur repugnare,& de diuina poteſtate diffidere. Sed tribus Iuda præ aliis de Deo cõfidens,audacter mare intrauit,ſcilicet,Aminadab,qui erat princeps in tribu Iuda cũ ſuis.Et ſic Iudęa,id eſt,tribus Iuda, facta eſt ſanctificatio domini:quia primi fuerunt in hoc Deo obedientes, & aliorũ rebellionẽ ſedari faciẽtes.Et iſta videtur proprior expoſitio. In cuius probationem in Hæbræo nõ dicitur, *Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius*:ſed dicitur,*factus eſt Iuda* : quia in iſto facto tribus Iuda:ex obedientia fuit Deo magis accepta:etiã quia in iſto facto declarauit Dei ſanctitatẽ:cuius cuſtodia tribus Iuda audacter mare intrauit.Sequitur,*Iſrael poteſtas eius*,id eſt,tũc in illo tranſitu poteſtas Dei apparuit in Iſrael, id eſt, in toto populo:quia tũc Deus pugnauit cum eis, ſubmergẽdo omnes perſecutores eius.vt habetur Exo.14. Vnde tũc Aegyptij videntes poteſtatem domini ad defenſionem populi Iſrael contra ipſos Aegyptios: dixerũt,Fugiamus Iſraelem:dominus enim pugnat pro eis contra nos. Per hoc autem vult oſtendere Pſal.beneficium quod ſuis pręſtat,qui de Aegypto peccati exeunt:quia,ſcilicet,illos ſanctificat & fortificat.Sanctificat:quia facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.Fortificat : quia factus eſt Iſrael poteſtas eius. Primò ergo ſanctificat:quia facta eſt Iudæa ſanctificatio eius. Quid enim Iudæa ſanctificat,niſi ſacramentũ pœnitentiæ & confeſſionis?Nam Iuda confeſſio interpretatur.Iudæa ergo exeuntes de Aegypto ſanctificat : quia criminis debita confeſſio & culpatus delet,& infundit gratiam. Pſal. 95. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius,ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius. Vbi ait Gloſ. Confitendo , fit homo de fœdo pulcher. Si igitur amas pulchritudinem, confitere, vt ſis pulcher , id eſt,iuſtus.Ideo dixit, cõfeſſio prius:& pòſt ſubiunxit,& pulchritudo &c.Secũdò illos fortificat. propter quod ſubdit,*Iſrael poteſtas eius.* Quid enim tantum fortificat pœnitentem contra vicia, quantum conſiderare Chriſtum iudicem iuſtum:à quo nihil celari poteſt,quia omnia nuda & aperta ſunt oculis eius? Et iſta ſpeculatio Chriſti per Iſrael ſignificatur.Nã Iſrael interpretatur vidẽs Deũ.Iſrael ergo poteſtas eius, quia Chriſtũ mẽte videre, fortificat pœnitẽtem,Pſal.17. Diligam te domine,fortitudo mea:dominus firmamentum meum.

*Sãctificati fuerunt occiſores idolatrarum.*

*Tribus Iudæ primò mare intrauit, & ſic ſanctificata fuit.*

*Cõfeſſio ſanctificat.*

*Chriſti cõſideratio fortificat.*

*Heb.4.*

2004 Mare vidit,& fugit:Iordanis cõuerſus es retrorſum.

Hîc ponitur beneficiũ deductionis : quãdo ſcilicet,Deus parãs viam populo ſuo,mare diuiſit : & quãdo Ioſue Iordanem in ſiccũ redegit. Primũ ponit dicens,*Mare vidit,& fugit.*Loquitur enim modo humano:cũ tamẽ mare nec oculos habeat,quibus videre poſſit:nec aures, quibus audire : nec pedes, quibus fugere poſſit.Sed quædã locutio metaphorica:ſicut cũ dicimus,pratũ ridet : & tẽpus eſt pulchrũ:nõ quia tẽpus,ſed quia aër eſt pulcher. Vidit ergo mare & fugit:ac ſi haberet intellectũ, Deo obediẽs:ſe in duodecim partes diuiſit : ſecũdũ quòd erãt duodecim tribus:vt quælibet tribus viã ſuã per quã trãſiret,haberet. Fugit ergo mare : quia partes eius à loco vbi erãt receſſerũt:vt ſiccã viã præſtarẽt Iſrael.vt dictũ eſt verſi.1843.*Iordanis conuerſus eſt retrorſum.*hoc fuit tempore Ioſue. vide ver.1831.Sed quomodo dicitur quòd Iordanis conuerſus fuerit retrorſum:cũ ibi,ſcilicet,Ioſue.3. ſolùm dicatur,ꝙ aquę inferiores decurrerũt ad mare:quæ verò ſuperiores erãt, ſteterũt : & ad inſtar mõtis creſcebãt in altũ? Reſpõdeo , quòd quãdo aquæ deſcẽdẽtes vſq; ad locũ trãſitus populi:in tãtũ inaltatę fuerũt,quòd altiores erãt origine fluminis:tũc retrocedebãt verſus Iordanis exordiũ.Per hoc autẽ vult Pſal.oſtẽdere quòd Deus prædicationibus & miraculis crudelitatẽ mundi cõtra eccleſiã ſuam ſæuientẽ pacificauit, & gentes cõuertit ad Deum. Quod notans dicit, *Mare vidit , & fugit.* Quid enim per mare niſi mundi crudelitas & tyrannorum rabies contra ſanctos ſignificatur ? Et tamen iſtud mare videns Chriſti & Apoſtolorum miracula fugit : quia à ſua perſecutione ceſſauit. vt deducit Grego. 9. moral. dicens,Quid enim maris nomine,niſi in bonos ſæuiens mundi huius amaritudo ſignificatur? &c.vide ver.1909.Et hoc eſt quod de mari huius mundi priùs crudeli, ſed pòſt quietato dicitur , *Stetit ſpiritus procellæ : & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos &c.* Et ſequitur , *Et ſtatuit procellam eius in auram : & ſiluerunt fluctus eius.* Et hoc eſt quod dicitur Matth.8.quòd cùm tempeſtas magna eſſet in mari, Ieſus imperauit ventis & mari:& facta eſt tranquillitas magna.Sed qualiter hoc factum ſit,ſubdit.*Iordanis conuerſus eſt retrorſum.* Iordanis enim nomine, baptiſmus intelligitur : quia in ipſo Iordane baptiſmus à Chriſto fuit inſtitutus. Et ſic per Iordanem quilibet baptizatus intelligitur. Gentes autem ante baptiſmum decurrebant ad mundum, ſicut aqua Iordanis ad mare : ſed baptizatæ conuertuntur retrorſum : quia primò à Deo recedebant per peccata : & ſic dorſum Deo vertebant : ſed faciem ad mare mundi. Sed baptizatæ conuerſæ ſunt retrorſum : quia redeunt ad Deum , à quo habuerunt originem. vnde nunc dorſum vertunt ad mare , faciem autem ad Deum. vide ver.669.Sic enim de Magdalena dicitur,quòd ipſa conuerſa retrorſum,vidit Ieſum.

*Exo.14. Ioſue.3.*

*Iordanis qualiter conuerſus fuit retrorſũ.*

*Mare mũdi, id eſt,perſecutiones Chriſtus ſedauit.*

*Pſal.106.*

*Baptizatus cõuertitur retrorſum.*

*Ioan.20.*

Montes exultauerunt vt arietes : & colles ſicut agni ouium. 2005

Hîc agitur de beneficio exultationis. Vbi ſciendum , quòd dum Dei populus per deſertum pergeret , & perueniſſet ad torrentem Arnon: qui torrens eſt terminus Moabitarum , diuidens Moabitas & montes : & cùm populus Iſrael illum torrentem vellet tranſire, montes qui erant ab alia ripa torrentis , ſe miraculoſe inclinauerunt vſque ad aliam partem torrentis , in qua erat populus:& hoc vt liberum tranſitum præberent filiis Iſrael. Quod videns populus Iſrael, inde magnam lætitiam & exultationem aſſumpſit. Et hoc eſt quod dicitur Num.21, Si quidem Arnon terminus eſt Moabitarum , diuidens Moabitas & montes. Vnde dicitur in li. bellorum domini,Sicut fecit in mari rubro: ſic faciet in torrentibus Arnõ. Scopuli torrentium inclinati ſunt , vt requieſcerẽt in Arnon:& recumberent in finibus Moabitarum: quia,ſcilicet, illi montes ſe inclinauerunt ex tranſuerſo torrentis : & erant ita alti quòd ſummitas montium tranſibat torrentes , & requieſcebat ſupra ripam quæ erat ex parte Moabitarum. Et ſic ad modum cuiuſdam montis ſtabant ex aduerſo torrentis,præbentes iter populo. Et hoc eſt quod notans hic Pſal. ait. *Montes exultauerunt vt arietes.* Non quòd illi montes propriè exultarent : ſed quia cauſa exultationis fuerunt populo. ſicut exultant arietes & agni quando lata paſcua reperiunt. Per hoc vult Pſalm. oſtendere lætitiam in eccleſia cauſatam ex prædicatione fidei Chriſti. Vbi ſciendum, quòd per montes ſignificantur prædicatores Apoſtoli. teſte Greg. ſuper illo verbo Iob 9. Qui trãſtulit montes:dicente, In ſcriptura ſacra, ſæpè monitũ nomine prædicantium altitudo ſignificatur. De quibus per Pſal.dicitur. Suſcipiant montes pacem populo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immeritò montes vocantur:quia per vitæ ſuæ celſitudinem ima terrarum deſerunt, & cœlo propinqui fiunt. Sed montes iſtos veritas tranſtulit, cum prædicatores ſanctos à Iudææ obduratione ſubtraxit.vnde rectè per Pſal.dicitur, Transferẽtur montes in cor maris.In corde enim maris montes tranſlati ſunt, quando ad gẽtes venerunt.Iſti enim primitiui prædicatores,id eſt, Apoſtoli, non ſolùm montes ſunt dicti,ſed etiam arietes : quia ductores dominici gregis fuerunt. vide ver.411. Per colles verò minus montibus altos , intellige alios minores doctores vel prædicatores : in quibus doctrina deſcendit à montibus, id eſt,à ſuperioribus prædicatoribus.Hierc.50.A monte in colle tranſierunt. Per agnos autem ouium intellige fideles reliquos ab illis in fide genitos. de quibus dominus dixit Petro, Paſce agnos meos.Ex omnibus ergo præmiſſis vult Pſal. oſtẽdere quòd omnis gradus eccleſiæ,ſcilicet, Apoſtoli,qui ſunt montes per ſanctitatem,arietes:quia ductores gregis,& colles,ſcilicet, cæteri minores doctores:& agni ouium,id eſt,reliqui fideles ſimplices:omnes exultauerunt ex prædicatione verbi Dei, Chriſti fide ſuſcepta. De ipſis enim Apoſtolis & prædicatoribus dicitur, Diſſeminabũt autẽ verbum Dei per vniuerſam regionẽ: diſcipuli quoque replebãtur gaudio & ſpirituſancto, De reliquis autem dicitur ibi, Audiẽtes autem gentes gauiſæ ſunt: & glorificabant verbum domini.Iſta ergo præuidens Pſalm.dicit.*Montes exultauerunt,&c.*

*Montes ſe inclinauerũt, dãtes iter populo Dei.*

*Montes dicuntur prædicatores.*

*Pſal.71.*

*Pſal.45.*

*Ioan.21.*

*Act.13.*



2006 Quid eſt tibi mare, quod fugiſti : & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?

Hic de prædictis cauſam interrogat : vt cognita virtute nos magis ad Dei laudem inducat. Et primò de hoc ponit quæſtionem : ſecundò ſubinfert reſponſionem:ibi, *A facie domini.* Et primò interrogat de fuga maris & conuerſione Iordanis:ſecundò de exultatione montium & omnium fidelium:ibi, *Montes exultaſtis.* Quantum ad primum , ſciendum quod in magnam mentis admirationem inducitur: conſiderare volẽs qualiter mare mundi, quod erat tantæ poteſtatis tantæque contra eccleſiam & nomen Chriſti crudelitatis, ad prædicationem Apoſtolorum, qui erant pauperes & deſpecti, nulla fulti poteſtate terrena, tam citò à ſua rabie fugit : & ſe ad fidem conuertit. Hoc ergo mirantur multi , dicentes, *Quid eſt tibi mare quòd fugiſti.* Quaſi dicat, O principes mundi quis à veſtra rabie & perſecutione vos impediuit : vt à perſecutione Apoſtolorum & eccleſiæ deſtiteritis? immò quod plus eſt, quia tu Iordanis conuerſus es retrorſum : quia non ſolum ceſſaſtis perſecutioni; ſed humiliter baptizati conuerſi eſtis ad fidem , & mundo renunciaſtis , fidei iugo colla veſtra ſubmittentes.

*Poteſtas mũdi ſe ſubdidit Chriſto.*

Montes exultaſtis ſicut arietes : & colles ſicut agni ouium. 2007

Hic interrogat de ſecundo. Videntes enim multi Apoſtolos verbis laceratos, verberibus flagellatos, incarceratos , ac etiam martyrizatos propter prædicationem nominis Chriſti: quæ omnia naturaliter inducunt triſtitiam, & ipſos in omnibus exultare mirabantur. ſimiliter & de aliis prædicatoribus & fidelibus qui ardenti deſiderio pro Chriſti fide mortem amplexabantur. Vnde de Apoſtolis dicitur , quòd ibant gaudentes à conſpectu concilij , quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. In hoc admirantes, quærũt ab eis cauſam tantæ lætitiæ, dicentis, Montes, ſcilicet, quare exultaſtis, &c. Quaſi dicat, quod ſcribitur Eſa.29. Quando addent mites in domino lætitiam , & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.

*Exultabant fideles in pœnis.*

*Act.5.*

A facie domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob. 2008

Hic reſpondet prædictis quæſtionibus. Et duabus prædictis quæſtionibus vna datur reſponſio, ſcilicet, quòd illa non fuerunt facta virtute humana vel naturali : ſed virtute diuina & ſupernaturali: quæ ad libitum mouit terrã & petras, inde aquas educens. Et primò hoc probat exemplo commotionis: ſecundò exemplo aquæ de petra eductæ: ibi, *Qui conuertit petram.* Quantum ad primam quæſtionem qua quæſiuit *quid eſt tibi mare quòd fugiſti*, Ipſemet ſibi reſpondet : dicens, quòd hoc non fuit virtute naturali, ſed diuina: quia ille fecit mare fugere, mundum à ſua crudelitate ceſſare : & ſic de aliis quæſitis, qui terram mouit in deſerto. Quod fuit quando aperta fuit terra, & deglutiuit Chore, Dathan, & Abiron, cum omnibus ſuis : vt dictum eſt ſuperius. ver.1851. quod ſingulare Dei miraculum fuit. Iſte eſt ille qui etiam commouit terram à perſecutione fidelium: quia, ſcilicet, *A facie domini mota eſt terra.* Vbi notandum quòd per faciem Dei Chriſtus intelligitur: quia per ipſum ſicut per faciem, ipſum Deum cognoſcimus. vide ver.15.1374.689.844. Per terram verò ſignificantur homines terreni & peccatores. ver.208.809.1029.1056. Quid eſt ergo , *à facie domini mota eſt terra* : niſi à præſentia Chriſti vel pręedicationis fidei eius: terra, id eſt, peccatores & idolatræ eccleſiæ perſecutores moti ſunt, ſcilicet, à ſtatu crudelitatis ceſſauerunt : & moti ſunt à cultura idolorum ad Chriſti fidem?

*Chriſtus mũdum cõuertit.*

Terra

Terra enim vt bene ſit fructifera, ſæpe mouetur aratro, ligonibus & huiuſmodi. Sic & Chriſtus ſua virtute illos mouit, conuertendo eos ad fidem. Et ſimiliter dum quærebatur, *quare montes exultaſtis ſicut arietes*, &c. Hoc etiam modo reſpondet: quòd homo in perſecutionibus exultet, & flagellis & martyrio. hoc non fuit virtute naturali ipſorũ Apoſtolorum, doctorum & martyrum: ſed hoc in eis fuit à facie domini, ſcilicet, ab ipſo Chriſto: qui terram illorum, id eſt, ſenſualitatem commouit: vt ex toto non affectionem naturalem ſequeretur, ſed rationalem: vt mundi gaudia ſpernerent & gloriã, & triſtitiã, pœnam, & mortem lætanter acceptarẽt pro Chriſto: verè hæc fuit magna commotio terræ, id eſt, affectionis terrenæ atque mirabilis, quã fecit facies domini. Ne autem dubites de qua facie domini loquatur, declarauit ſeipſum: dicens, *A facie Dei Iacob*, ſcilicet, Chriſti: qui vocatur Deus Iacob: quia & illum Iacob credidit eſſe venturum: ac ipſum de ſe naſciturum eſſe prædixit. Gen. 49. Non auferetur ſceptrũ de Iuda, &c. Vel ex alio Chriſtus dicitur Deus Iacob, quoniã Iacob interpretatur ſupplãtator: & Chriſtus eſt ille qui docet ſuos ſupplãtare mũdum cũ ſuis proſperitatibus, carnem cũ ſuis delectationibus, dæmonem cum ſuis tentationibus, quia docet nos non in requie hic ſtare: ſed ſemper contra mundum pugnare, contra carnem & diabolum.

*Chriſtus dicitur Deus Iacob.*

2009 Qui conuertit petrã in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

*Petram Chriſtus conuertit in aquam dupliciter.*

Hîc adducit aliud exemplum, ſcilicet, de mollificatione petræ quam cõuertit in ſtagna aquarum. Vbi nota quòd bis Deus eduxit populo ſuo in deſerto aquam de petra, ſcilicet, Exo. 17. & Num. 20. De prima eductione, vide ver. 1295. De ſecũda verò 1296. Iſtemet ergo Deus qui conuertit petram in ſtagna aquarum, &c. eſt ille qui fecit mare mundi fugere, & retrorſum infideles conuerti: & ſuos in aduerſitatibus facit exultare. Quod dupliciter exponitur. Primò quòd Deus petram conuertit in ſtagna aquarum. primò quando cor peccatoris lapideum conuertit ad ſtatum pœnitẽtiæ, vt per cõtritionem veram aquam lacrymarum abundãter emittat. vide ver. 1296. Vel aliter. Chriſtus conuertit petram in ſtagna aquarum, quando de ſeipſo ſeu petra aquam gratiarum nobis abundanter eduxit. De hoc vide ver. 1295. Si ergo quęras quare mare fugit, & Iordanis ęſt cõuerſus, reſpõdetur, quòd hoc fecit Chriſtus qui conuertit petram in ſtagna aquarum, &c.

2010 Non nobis domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.

Hîc ex præmiſſis Chriſti beneficiis laus diuina concluditur. Et diuiditur in tres partes: quia primò laus Deo debita cõcluditur. ſecundò idolatria excluditur: ibi, *Simulacra*. tertiò à quibus Deus ſit laudandus oſtenditur: ibi, *Non mortui*. Quantum ad primum, concluditur hic laus diuina ex tribus, ſcilicet, primò ratione ſuæ mirabilis operationis: ſecundò ratione ſuæ multæ miſerationis: ibi, *Super miſericordia*: tertiò ratione ſuæ omnipotentis volitionis: ibi, *Deus autem noſter*. Quãtum ad primũ, ſciendum quòd differentia multa eſt inter illa quæ producuntur naturaliter, & illa quæ ſupernaturaliter, vel miraculoſé. quoniam in his quæ naturaliter producuntur, non ſolùm concurrit potentia

*Agere naturaliter requirit diſpoſitionem patientis, non ſupernaturaliter.*

A principij actiui, ſed etiam diſpoſitio principij materialis. Sonus enim nunquam lapidem immutaret: quia licet ſonus de ſe ſit aptus ad immutandum rem aliam: lapis tamen ad hoc non habet de ſe diſpoſitionem. Similiter quòd ſol de ligno produceret aurum, ſicut facit de terra, eſſet impoſſibile: non propter impotentiam ſolis: ſed propter indiſpoſitionem materiæ. Sed in his quę fiunt ſupernaturaliter & miraculosè, nulla diſpoſitio requiritur in materia: ſed tota ratio eſt potentia faciẽtis: vt quòd mare diuidatur, quòd aqua fluuialis retrocedat: de ſe ad hoc nullam habent diſpoſitionem: ſed ſi hoc fiat, totum erit ratione potentiæ agentis. Similiter B in rebus ſpiritualibus, quòd infideles contra Chriſtum furibundi ſint conuerſi ad Chriſtum: quòd appetant aduerſa portare propter Chriſtũ, & proſpera fugiant de ſe: ad hoc nullam diſpoſitionem habebant: ſed magis ad oppoſitum. quòd ergo talia in ipſis ſint facta, totum agenti principali, ſcilicet ipſi Deo eſt attribuẽdum, & nullatenus nobis: quia hoc non fuit propter merita noſtra, ſed ſola gratia Dei. Ergo tota gloria talium Deo debetur, & nullatenus nobis. Et hoc eſt quod conſiderans hic Pſal. ait, *Non nobis domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam*. Bis ait, *non nobis*, vt nullum excludat, Iudęum vel gentilem. vt ſit ſenſus, *Non nobis*: ſcilicet, Iudæis: *non nobis*, ſcilicet, gentilibus, id eſt, non meC ritis noſtris, ſed ſolùm nomini tuo da gloriam, ſcilicet, iſta faciendo. Quod ideo dicit, quia pro bonis nobis gratis & ſine meritis noſtris à Deo datis Deus glorioſus apparet: quia idem eſt Deum gratis bona nobis dare, & ſe glorioſum oſtendere. Curialius ergo à Deo bona petimus, dicẽdo, *Non nobis domine*, &c. & quaſi dicendo, da nobis bona. Sed fortè dices: Ex hoc ſequitur quòd actus noſtri meritorij nullo modo ſint à nobis: ſed ſolùm à Deo operãte. Cum tamen Magiſter dicat li. 2. di. 25. quòd omnia merita ſunt à Dei gratia & à libero arbitrio noſtro. Reſpõdeo, quòd omnem diſpoſitionem quam habet voluntas ad merendum, non habet à ſe, ſed ab agente: non tamẽ ſequitur, quòd voluntas ad actũ meritorium non concurrat: ſed ſolũ ſequitur hoc quòd ille actus ſit meritorius, non habet à voluntate, ſed à Deo, ſcilicet, à Dei gratia producente & D acceptante: ſicut inſtrumentum concurrit effectiuè cum pictore ad pingendum: nunquid ergo aliquo modo attribues picturam inſtrumento?

*Merita noſtra attribuũtur nõ nobis, ſed Deo.*

*2. ſenten.*

Super miſericordia tua & veritate tua: ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? 2011

Hîc oſtendit conſequenter quòd laus tota debetur Deo ratione ſuæ miſerationis per exemplũ: quia ſicut illa beneficia prædicta quæ Deus fecit populo ſuo, quòd aperuit ſibi mare, quòd Iordanis conuerſus eſt retrorſum, quòd mõtes & colles exultauerunt: non fuerunt eis collata ratione bonitatis ipſorum, ſed propter gloriam Dei. Sic & beneficia ſpiritualia ſignificata per illa nobis gentiE bus collata: non ſunt propter noſtram bonitatem, ſed ſolum propter gloriam nominis Dei. Quod patet ex hoc. Nam Deus promiſerat multoties ipſis ſanctis patribus Abrahæ, Iſaac, & Iacob: quòd ſemini eorum daret terram promiſſionis in hæreditatem. Iſta per Deum implenda non meruerunt Iudæi. quinimo oppoſitum, quia multoties in deſerto Deum ad iracundiam concitauerunt idolatrando,

*Deus ex ſua miſericordia bona nobis tribuit: non meritis noſtris.*



do, murmurando, Deo detrahendo. Vnde non propter eorum merita, ſed ſolùm propter gloriam nominis ſui, Deus eis promiſſa adimpleuit: quia ſi non adimpleſſet promiſſa, gentes non reſpicientes ad eorum peccata, ſed ſolùm ad Dei factã promiſſionem, nomini Dei detraherent: dicentes, *Vbi eſt Deus Iudæorum*, id eſt, vbi eſt virtus eius? quia aut nõ poteſt facere quæ promiſit, & ſic eſt impotens: aut poteſt, & non vult: & ſic eſt mutabilis, & non verax in promiſſis. Conſimili ratione alibi petebant filij Iſrael à Deo adiuuari: dicentes, Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui, &c. ne fortè dicãt in gẽtibus, *vbi eſt Deus eorum*? Cõſimili & nunc in ſpiritualibus beneficiis: eccleſia recognoſcit ſę à Deo illa habere propter gloriam nominis ipſius Dei: nõ propter merita propria, dicẽs, *Super miſericordia tua & veritate tua*, id eſt, ſecũdũ Glo. de miſericordia tua eſt, qua vocas impios, & peccatoribus parcis: & de veritate tua eſt, qua non venientes iudicas: & bonis præmia promiſſa reſtituis. Hoc ideo in miſericordia ſua Deus vocat impios: & peccatoribus parcit in veritate ſua, id eſt, iuſtitia ſua, Deus impios & non venientes iudicat & punit: & iuſtis promiſſa præmia concedit. Omnia ergo iſta dant gloriam nomini tuo: non nobis ſunt aſcribenda: quia ſi ſecus fieret, fortè dicerent in gentibus, id eſt, aliqui gentiles, *vbi eſt Deus eorum*? Hoc enim infideles & mali Chriſtiani inſultare ſolent iuſtis: quando vident eos aduerſitatibus expoſitos: dicẽtes, Modò apparet quid prodeſt tibi benefacere: qualem curam Deus habet de bonis. Ad quid ergo volo ieiuniis vacare, carnem meam affligere, & ſimilia? Vbi eſt ergo Deus veſter, pro quo facitis talia? Sic enim inſultabant mali ipſi Iob afflicto: ſic & Tobiæ excęcato. vnde Tob. 2. Cũ ſemel Tobias fatigatus à ſepultura interfectorum iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet: & ex nido hirundinum ſtercora calida ſuper eius oculos ceciſſent: ex quibus cæcus factus fuiſſet, multi inſultabant ei. Vnde ibi dicitur, Nam ſicut beato Iob inſultabant reges: ita iſti parentes & cognati eius irridebant: dicentes, Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua: & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt. Quaſi dicat, Vbi modò eſt Deus tuus? Certè talia non dicit, niſi qui eſt idolatra, & viſibilem Deum ſibi facit. Sed noſter Deus modò per fidem videtur: videbitur autem per omnes in iudicio, quando cõgregabuntur ante eum omnes gentes, &c.

*Pſal. 78.*

1012 Deus autem noſter in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit.

Hic oſtendit laudem Deo debitam ratione ſuæ omnipotentis voluntatis. Et primò ſoluit propoſitam quæſtionem qua inſultantes dixerunt, *Vbi eſt Deus eorum*, dicẽs, *Deus autem noſter in cœlo*. Quamuis enim ſit vbique per eſſentiam, potentiam & præſentiam: tamen ſpiritualiter in cœlo dicitur eſſe, quia res ibi eſſe dicitur, vbi videtur. Deus autem ſolùm à ſanctis videtur in cœlo per gloriam. Quaſi dicat, Aliæ nationes habent deos ſuos prope ſe, ſcilicet, idola ſua quæ ſibi fabricant: & illos deos in ciſta ſua claudunt, quando volunt, & educunt: noſter autem Deus manibus non tractatur, ſed mẽte, manens in cœlo. Sed hic oſtenditur dubium: quia cùm cœlum multum diſtet à nobis: ſi Deus noſter habitat in cœlo, ſequitur quòd plus diſtet à nobis quàm dij gentium familiares, quos apud ſe retinẽt. Cuius oppoſitum dicitur Deut. 4. vbi dicitur, Nõ

*Deus quomodo dicitur eſſe in cœlo cum ſit vbique.*

*Quæſtio.*

A eſt aliqua natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter cunctis obſecrationibus noſtris facilè ſoluitur. Primò quia Deus noſter, licet ſolùm videatur in cœlo empyreo à beatis per lumen gloriæ: tamen eſſentialiter eſt intimior cuilibet rei, quàm res ipſa ſibi. Secundò proximior eſt nobis Deus noſter per auxiliũ, quia adiuuat ſuos. Alij autem dij nec ſeipſos nec ſuos poſſunt adiuuare. Quomodo autem Deus noſter dicatur eſſe in cœlo, vide ver. 11. 293. 101. 517. 1183. Item qualiter dicatur Deus noſter, vide ver. 755. Conſequenter autem propoſitum, ſcilicet, diuinæ voluntatis omnipotẽtiam: quia omnia quęcunq; voluit fecit. Cùm enim voluntas Dei ſit idẽ quod potentia Dei: ſequitur quòd omnia quæcunB que vult, facere poteſt. Et hoc eſt quod Deo dicitur Sapiẽ. 12. Tu autem es dominator virtutis: ſubẽſt enim tibi, cùm volueris poſſe. Sed hic inſurgit dubium: quia multa legimus Deum voluiſſe quæ impleta non ſunt. Nam voluit ſaluare Iudæos: ſed ipſi reſiſtentes ſaluati nõ ſunt. quibus ait Chriſtus, Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos ſub alis, & noluiſti, &c. Item ait Apoſtolus, Vult omnes homines ſaluos fieri: & ad agnitionem ſui nominis peruenire. quod indubiè non impletur. Præterea autem voluntas Dei vult mala culpæ fieri: aut non. ſi ſic: non eſſet iuſtus. ſi non: cum mala culpæ fiant, ſequitur quòd eius voluntas non ſemper impletur. & per conſequens, quòd non omnia quæ voluit fecit. Ad oppoſitum C autem dicit, *Omnia quæcunque voluit fecit*. Reſpõdeo, primò ſciendum quòd voluntas Dei multipliciter accipitur, ſcilicet, propriè & impropriè. Vnde Magiſter li. 1. diſt. 45. Sciendum eſt quòd ſcriptura de voluntate Dei multipliciter loquitur: & tamen nõ eſt voluntas Dei diuerſa: quamuis locutio ſit diuerſa. Voluntas enim Dei verè & propriè dicitur, quæ in ipſo eſt, & ipſius eſſentia eſt. Et hæc eſt vna, nec multiplicitatem capit, nec mutabilitatem: quæ inexpleta eſſe non poteſt. de qua propheta ait, *Omnia quæcunque voluit fecit*. Aliquãdo tamen ſecũdum quandam dicendi figuram, voluntas Dei appellatur, quæ ſecundum proprietatem non eſt verè voluntas eius: vt præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, & operatio. Et ideo quandoque ſcriptuD ra pluraliter voluntates Dei pronũciat. Vnde Propheta, Magna opera domini exquiſita in omnes voluntates eius: cum tamen non ſit niſi vna Dei voluntas. Pluraliter tamen dicitur voluntates, quia pluribus ac variis modis accipitur. Pręceptũ enim, prohibitio atque conſilium, dicuntur ideo voluntates Dei, quia ſunt ſigna diuinę voluntatis. quemadmodum ſigna iræ quæ foris oſtenduntur: quibus iratus dicitur Deus, ira Dei dicũtur. Et eſt quędam figura loquendi, ſecundum quam non eſt falſum quod dicitur: ſed verum ſub nubilo obumbrãs. Hæc ergo tria, præceptum, prohibitio, & cõſilium dicuntur ſigna diuinæ voluntatis: non tamen intelligẽdum eſt Deum velle fieri omne quod præcipit: vel non fieri omne quod prohibet. PræE cepit enim Abrahæ immolare filium: non tamen voluit: ſed vt Abrahæ fides oſtenderetur. Præcepit in euangelio ſanato, ne cui diceret, ille autem prædicauit vbique: intelligens Deum non prohibuiſſe quin vellet opus ſuum prædicari: ſed vt daret formam homini humanam laudem declinandi. Iſta ergo ſigna diuinæ voluntatis, quæ Dei voluntates dicuntur: non ſemper implentur: ſed voluntas Dei

propriè

*Quæſtio.*

*Voluntas dei an ſemper impleatur.*

*Matth. 23.*

*1. Tim. 2.*

*Voluntas dei accipitur multipliciter.*

*Pſal. 110.*

*Gene. 22.*

*Matth. 8.*

propriè quæ eſt efficax & beneplacitum Dei, inexpleta eſſe non poteſt. Et ſecundum iſtum ſenſum ſeu iſtam voluntatem, dicit Pſal. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Ad argumenta ergo. Ad primũ de Chriſto dicit, Hieruſalem quoties volui, &c. Ad hoc reſpondens Aug. in Enchiridion dicit, Non enim eſt intelligendũ quòd dominus voluerit cõgregare filios Hieruſalẽ, & nõ ſit factũ quia ipſa noluerit: ſed potius illa quidem filios ſuos ab illo colligi noluit: qua tamen nolente, filios eius collegit ipſe omnes quos voluit: quia in cœlo & in terra nõ quædã voluit & fecit: & quædam voluit & non fecit: ſed omnia quæcunque voluit fecit: vt ſit ſenſus, Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti, id eſt, quotquot congregaui voluntate mea efficaci, te nolente feci. Ad ſecũdum, ſcilicet, dictum Apoſtoli, vult omnes homines ſaluos fieri: eodem modo reſpondendum eſt. Non enim intelligendum eſt quòd ſit aliquis homo quem Deus non velit ſaluũ fieri: ſed quòd nullus fiat ſaluus, niſi quem velit ſaluari. Ideo rogandus eſt vt velit: quia neceſſe eſt fieri ſi velit. Vel aliter, ſcilicet, quòd hic ly omne accipitur pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum. Vel aliter ad duo prædicta: quòd intelliguntur dictæ auctoritates de voluntate ſigni, non beneplaciti. Ad tertium dicẽdum quòd Deus voluntate ſigni vult mala non fieri: voluntate verò efficaci, nec vult mala fieri, nec vult: ſed non vult.

## 2013 Simulacra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

*Idolorum vanitas.*

Hic idolatria excluditur. Et duo facit, quia primò excludit idolatriam: ſecundò latrię oſtendit efficaciam: ibi, *Domus Iſrael.* Oſtendens autem vanitatem idolatriæ, oſtendit vanitatẽ idolorum ex quatuor. primò rationę cauſæ materialis: ſecundò ratione cauſæ efficientis: ibi, *Opera manuum hominum:* tertiò ratione cauſæ formalis: ibi, *Os habent:* quartò ratione cauſæ finalis: ibi, *Similes illis.* Quantum ergo ad primum, oſtẽdit idola eſſe vana, ratione cauſæ materialis: quia facta ſunt ex argento & auro, lapide vel ligno. Sed omnia iſta ſunt vana & corruptibilia: quia omnis res includens intrinſecè materiam, eſt corruptibilis. Et vide quòd quamuis idola fiant quandoque ex viliori materia: vtputa ex lapidibus vel lignis: tamen Pſal. poſuit nobiliorem materiam, ſcilicet, argentum & aurum, vt qui in iſtis erubeſcit, facilius erubeſcat in cęteris. Qualiter autem ſimulacra inceperint, vel idolatria, vide ver. 1861. Et aduerte quòd iſtam duplicem materiam idolorum, ſcilicet, argentum & aurum, ſpecialiter voluit ponere: quia per iſta maximè idolatria ſignatur. Certum eſt enim primò quòd argẽtum ſignificat cupiditatis auariciam. Vnde auaricia in ſcriptura ſæpius per aurum & argentum ſignificatur. Vnde Baruch 3. dicitur de auaris, quòd aurum & argentum theſaurizant: in quo confidũt homines, & non eſt finis poſſeſſionis eorum. Et quia auaritia eſt idolorum ſeruitus: ſecũdum Apoſtolum ad Col. 3. hinc eſt quòd aurum & argẽtum maximè idolis dedicãtur. propter quod nunc Pſal. ait, *Simulacra gentium, argentum & aurum.* Eſt & alia ratio de auro: quoniam aurum propriè ſignificat auaritiam: quia ſicut inter omnia metalla aurum ſua grauitate inclinatur ad terram: ſic & auaritia ſolùm petit terrena. Vnde de cupidis auaris dicitur Iob 3. quòd poſſident aurũ, & replent domos ſuas argento. Et verè aurum auaritiam ſignificat: vt deducit Petrus Rab. ſuper illo verbo Mat. 9. Vidit hominem ſedentem in, &c. dicens, Vidit Ieſus Matthæum ſedentem: quia ille ſtare non poterat cupiditatis põdere preſſus. Aurum enim natura graue eſt: ſed grauior auaritia nimis. Hinc eſt quòd aurum plus habentem deprimit quàm ferentem: & vehementius aggrauat corda quàm corpora. Naſcitur enim aurum in terra profunda: ſcrutatur ipſa montium fundamenta, & certis venarum diſcurrit anfractibus. ideo ſemper ſuam repetit naturam. Vnde & cœleſtes animos ad inferna deponit. Auri fulgor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totis igneſcat incendiis. Et citius aurum homines diſſoluit in terra, quàm à calore flammarũ ipſum ſoluatur. Et ideo dicitur Eccl. 31, Qui diligit aurum, non iuſtificabitur. Ecce ergo quòd aurum ſignificat auaritiam, ſed (vt dictũ eſt) auaritia eſt idolorum ſeruitus: ergo & ipſum aurũ ſignificat idolatriam. Sequitur, *Opera manuum hominum.* Vbi oſtenditur idolorum vanitas ratione cauſæ efficientis. Nullum enim operatum eſt nobilius vel perfectius in natura, quàm ſit operans illud, vel cauſans: non quidem in cauſis vniuocis, quia illæ ſunt eiuſdẽ rationis cum operato: vt homo producens hominem: & canis canem. Nec in cauſis ęquiuocis quę non ſunt eiuſdem rationis cũ cauſato: quia illæ ſemper ſunt maioris perfectionis cauſato: vt habetur 2. Phyſ. Homo autem facit idolum vel ſimulacrum. Cùm ergo non ſint eiuſdem rationis, homo & ſimulacrum: ſequitur quòd homo in perfectione ſimulacrum excedit. Cũ ergo homo quilibet de ſe ſit quædam vanitas. Pſalm. 38. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens: multo fortius ſequitur quòd ipſa idola vana ſunt. Et iſtã rationẽ facit Pſal. dicens, quòd idola vel ſimulacra ſunt opera manuum hominum. Vnde ratione cauſæ efficientis, ſimulacrorum vanitatem oſtendit Sapiens dicens, Inter infelices & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, ſimilitudinem animalium, facit illi habitationem in pariete, ponens idolum, & confirmãs ferro, ne fortè cadat: ſciens quoniam non poteſt ſe adiuuare: imago enim eſt, & opus eſt illi adiutoriũ. Non erubeſcit homo loqui cum illo qui ſine anima eſt: & pro ſanitate infirmum deprecatur: & pro vita mortuum rogat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non poteſt, &c. Et propter hoc dicitur Mich. 5, Non adorabis vltra opera manuum tuarum.

*Philo. 1. Phyſicorum.*

*Argentum cõpetit idolis.*

*Aurum & argentum ſignificat auaritiã & idolatriam.*

*Col. 3.*

*Homo perfectior eſt idolo & poteſt adiuuare idola: & non econtrario.*

*Sapien. 13.*

## 2014 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

*Cauſa formalis multiplex.*

Hic oſtendit idolorum vanitatem ratione cauſæ formalis. Vbi ſciendum quòd cauſa formalis rei dicitur illa qua res eſt talis ſubſtantialiter: vel quæ intrinſecè dat eſſe rei: ſicut anima rationalis dicitur cauſa formalis hominis; quia eſt quædam forma ſubſtantialis; quæ quamdiu eſt in homine, homo habet eſſe hominis, ipſa autem ſeparata, homo deſinit eſſe homo. Omnis autem cauſa formalis ſubſtantialis, eſt perfectior omni cauſa formali accidentali; quo ad eſſe naturæ. Et inter formales cauſas ſubſtantiales, omnis cauſa formalis viua eſt perfectior non viua: ſicut eſt perfectior forma hominis qua eſt homo, quàm forma lapidis qua eſt lapis. Et per conſequens omne formatum forma ſubſtantiali animata, perfectius eſt quàm formatum forma inanimata. Vnde canis in eſſentia naturali, perfectior eſt omni lapide. Inter formas verò ſubſtantiales viuas, eſt triplex differentia: ſecundum quòd eſt triplex vita: ſcilicet vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua. & vltima continet duas primas: & nõ econuerſo, &c. Volẽs ergo probare idolorum vanitatem, oſtendit quòd ipſa carẽt forma ſubſtantiali viua, quia non habẽt vitam: quia ſunt aurum & argentum, quæ ſunt inſenſibilia. Et hoc oſtendit per carentiam ſenſuum corporalium. Et primò hoc oſtendit de loquela & viſu: dicẽs, *Os habent, & non loquentur,* os, id eſt, ſimilitudinem oris. Et quòd inter omnes actus ſenſibiles, ſolũ loquela competit homini: alij autem actus, vt videre, audire, odorare, ambulare: & huiuſmodi, etiam brutis animalibus competunt. Volẽs ergo probare quòd homo melior & perfectior eſt illis, arguit per loquelam, quæ propriè competit homini: dicens de illis, *Os habent, & non loquentur.* Quaſi dicat, ſecundũ Glo. Homo illis melior eſt qui loquitur. hoc enim proprium eſt homini loqui: cætera verò quæ ſequuntur, communia ſunt homini cum beſtiis. Et tamen de aliis proſequitur, vt ſcias non ſolùm hominem ſimulacris præponendum: ſed etiam cæteras beſtias quæ vident, audiunt, &c. ſimulacris eſſe perfectiores. Sequitur, *Oculos habent, & non videbunt.* Homo enim ſolùm oculos habet duplices quibus videt, ſcilicet interiores mentis, & exteriores corporis. Simulacrum autem quando habet figuram hominis, habet quidem ſpeciem oculorum corporalium: ſed non ſunt oculi. Similiter inquantũ habet effigiem hominis, videtur habere oculos corporales: quos tamen non habet. Et nota quòd inter omnes ſenſus corporales, viſus eſt maioris perfectionis: quia plures nobis differentias rerũ oſtendit, & de anima. Et quando eſt oculus bene diſpoſitus, verius & certius iudicat de obiecto ſuo, quã aliquis aliorũ ſenſuum. Cuius ratio eſt, quia oculi per ſolã lineã rectã mouentur à viſibili: alij autem ſenſus per lineam indirectam: vt patet de odoratu, auditu, &c. Et ideo per indiſpoſitionem eorũ, ſunt principium malè iudicandi. Vnde dicit Phil. in lib. de problematibus, quòd inebriatis omnia vidẽtur moueri in circuitu à fortitudine vini. Differt autẽ nihil ad faciendum apparentiam prædictam, quòd viſus moueatur, vel quòd res viſa. Sic ſpiritualiter hi qui inebriati ſunt vino amoris vel odij, reſpectu alicuius, non rectè de illo poſſunt iudicare: ſed ſemper in circuitu cogitant ad defendendum per fas vel nefas quem diligunt: conſimiliter ad nocẽdum ei quem odiunt: ad modum ebriorum habentes iudicium oculorum interiorum in continuo circuitu. Et ſic de nullo habent certum iudicium. De quibus dicitur Pſal. 13. Nõ eſt timor Dei ante oculos eorum. Et Pſal. 16. Statuerunt oculos declinare in terram. Alia autem cauſa redditur, quare malè iudicant: quæ eſt ex parte medij. Nam quando medium eſt diuerſum, & primum rarius, & ſecundum denſius, non videt rectè ſibi obiecta. Sicut patet de baculo recto, qui in aqua videtur fractus vel curuus. Et hoc ideo quia oculus videt primò mediante aëre: pòſt mediante aqua, quæ eſt denſior. Cauſa autem aſſignatur à proſpectiuis: quia radij viſuales refranguntur ad medium denſius. Sic eſt de eo qui à paſſionibus carnis vincitur. Nam ſecundum Phil. 7. ethic. Incontinentes ſyllogizando de agibilibus, vtuntur duabus propoſitionibus: quarum vna, ſcilicet prima pertinet ad rationem: puta quòd nihil nociuum eſt guſtandum. ſecunda verò pertinet ad concupiſcentiam: vt puta, omne dulce eſt guſtandum. Et omiſſa prima, ſub iſta ſecunda accipiunt minorem: puta quòd hoc eſt dulce. Et ſic cõcludunt: ergo hoc dulce eſt guſtandum. Prima ergo vniuerſalis eſt medium ſubtilius: ſecunda verò medium groſſius. Et ideo non rectè vident, nec iudicant. Ad propoſitum: apparet quòd habens oculos debitè diſpoſitos cum requiſitis circũſtantiis, rectè videt & iudicat: & ſic rectè poteſt adiuuare alium. Habens autem malè diſpoſitos, poteſt (quãuis indebitè) iuuare aliũ: nullo autem modo vidẽs, nullo modo poteſt iuuare aliũ. Quæ ergo fatuitas, inuocare ſimulacrũ quod non videt pro ſubſidio? quia nec directè nec indirectè inuocantem inuocare poteſt. Et hoc notans Pſal. dicit, *Oculos habent, & non videbunt.*

*Omne viuum perfectius non viuo.*

*Homo perfectior eſt idolo.*

*Oculus bene diſpoſitus verius iudicat quã alii ſenſus.*

*Oculus qualiter decipitur in videndo.*

*Iudiciũ qualiter decipitur in iudicando.*

## Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. 2015

Hic agit de ſenſu auditus & odoratus. Vbi ſciẽdum quòd iſta quæ hic notat Pſalm. omnibus ſunt manifeſta, ſcilicet quòd ſimulacra argentea, aurea, lignea, vel alterius materiæ non habent ſenſus aliquos, quia ſunt res inanimatæ. Et tamen ſpiritusſanctus in multis ſcripturæ locis iſta multoties replicat. Et ideo multi admirantur cur facta tam manifeſta toties per ſpiritum ſanctum replicata nobis reducuntur ad memoriam. Ad hoc reſpondet Glo. dicens, Manifeſtiſſima ſunt hæc. Quis enim etiam puer interrogatus non hoc certum reſponderet, quòd ſimulacra os habent, ſed non loquutur: oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt, &c. quæ diuinus ſermo contexit? Ad quid ergo ſpiritusſanctus iſta inculcat in multis ſcripturæ locis, quæ ſunt omnibus nota? Et reſpondet, quia effigies viuenti ſimilis homines ſtultos inducit, vt putent in ſimulacro eſſe occultum numẽ: & non eſſe ſine viuo habitatore. Vnde & dæmonia ad poſſidenda ſimulacra inuitant: quorum præſidentium varia fallacia mortiferi ſeminantur & multiplicantur errores. Hoc autem alibi damnat Propheta: dicens, Omnes dij gentium, dæmonia. Prudentiores verò dicunt ſe, nec idola, nec in eis dæmonia colere: ſed quæ per idola ſignificantur, vt per hoc aërem, per illud terram: & cætera huiuſmodi. Hos & alij tranſeunt, dicentes, ſe non colere ipſa corpora, ſed quæ illis regendis præſident numina: vt Iouem, Mercurium, & huiuſmodi. Quæ omnia damnat Apoſtolus: dicens quòd commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & ſeruierũt creaturæ potius quàm creatori. Vel magis myſticè per ipſa ſimulacra intellige idolatras ſimulacrorum cultores. De quibus dici poteſt, *Aures habent, & non audient.* Tales enim habent aures obſtinatas, quibus mandata Dei nolunt audire: de quibus Pſal. 57. dicitur, Furor illis ſecũdum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, &c. Similiter tales nares habent, & nõ odorabunt. Nam omnis virtus magnum de ſe odorem reddit animæ purgatæ & iuſtæ: ſimiliter omne vitium magnum fœtorem. Sed mali iſtum odorem virtutum non recipiunt: ſed magis æſtimant eſſe fœtorem, & fœtorem vitiorum æſtimant eſſe odorem. Et hoc eſt quod dicebat Apoſtolus, 2. Corinth. 2. Chriſti bonus odor ſumus his qui

*Idola coluntur à diuerſis, diuerſis reſpectibus.*

*Auris obſtinationis malorum.*

*Odorem virtutum & fœtorem vitiorũ mali non percipiunt.*

qui ſalui fiunt, & his qui pereunt: & aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Quod ibidem Glo. exponens, ait, Miro modo fit vt bono odore boni viuãt: & mali moriãtur. Verbi gra. Apoſtolus bene agens & bene viuens iuſtitiam Dei prædicabat, & opere demonſtrabat: ac bonam famam vbique diſſeminabat: imitans doctorem veritatis Chriſtum. Sed hoc quidam diligebant, quidam verò inuidebant. Illi qui inuidebant famæ Pauli vel Chriſti: bono odore peribant. qui verò eam diligebant, viuebãt. Mali ergo nares habent, ſed non odorant: quia odorem non recipiunt ad vitam, ſed ad mortem. Similiter fœtorem vitiorum infectiuum non reſpuunt vt viuant, ſed ad mortem ipſum recipiunt.

*Gloſa.*

2016 **Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: nõ clamabunt in gutture ſuo.**

Hic conſequenter agit de tactu & greſſu. Iſta enim tam manifeſta Pſal. tam prolixè dicit & diſtinctè, vt per omnes ſenſus vitæ inferat, omne genus beſtiarum maioris eſſe perfectionis quàm ſit aliquod ſimulacrum. Nam ſimia manus habet, & palpat: ſed ſimulacra habent quidem effigiem manuum, ſed nequaquam palpare poſſunt. Formica pedes habet, & ambulat, ſed ſimulacra effigiem quidem pedum habent, ſed nequaquam ambulare poſſunt. Canes, leones & cæteræ feræ, etſi loqui non poſſunt, clamare tamen & mugire poſſunt: ſimulacra autẽ in gutture ſuo clamare nõ poſſũt. Ex quibus ſequitur quòd non ſolùm homo, ſed etiam omnis auis & omnis beſtia perfectior eſt ſimulacro. Quod ideo inducit, vt ſi pudet te adorare formicas vel pulices: multo fortius confundaris adorare ſimulacra quæ ſunt imperfectiora. Vel iſta de peccatoribus intelligi poſſunt: quoniam peccatores habẽt manus, & nõ palpãt, quia quãdoq; habẽt bona opera de genere: ſed illis nõ palpant. Palpare enim eſt actus vitalis. Et mali per opera bona de genere quæ agunt, nullũ actũ vitæ conſequuntur. Pedes habent, ſed non ambulant: quia multoties affectiones bonas habent, quæ per pedes ſignificantur: ſed illis non proficiunt, quia non perſeuerant. Guttur habent, ſed clamare non poſſunt: quia voces quæ in gutture formantur, quandoque habent dum aliquando orant Deum: ſed ipſorum oratione ad Deum non clamant. In auribus enim Dei quandoque tacens clamat: & quandoque clamãs tacet. Et iſta dilatare ad libitum potes.

*Animal quod libet perfectius eſt ſimulacro.*

*Peccator non palpat, nõ ambulat, nõ clamat.*

2017 **Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.**

Hic oſtendit idolorum vanitatem ex parte cauſæ finalis: quia ſcilicet eorum finis & vanus & ſine vtilitate: quia ſcilicet ipſorum factores & cultores faciunt eſſe ſine vita ſpirituali: ſicut illa ſunt etiam ſine vita naturali. Et nota quòd de ſimulacris vel idolis ſeptem dixit, in quæ deficiunt, ſcilicet, quia non loquuntur, non vident, non audiunt, nõ odorant, non palpant, non ambulant, & non clamant. In quibus omnibus prædicit vel optat factores & cultores ſimiles illis fieri. Et ſic duobus modis poteſt legi, ſcilicet prædictiuè & optatiuè. Primo modo prædictiuè, quòd omnia prædicta malis eueniẽt in iudicio. Primò, *Os habent, & non loquentur*: quia hic ora habent aperta ad iniurias, ad detractiones & mendacia: ſed in iudicio manifeſtante veritate tacebunt, & non poterunt loqui: quia in iudicio (vt habetur 1. Reg. 2.) dominus pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit: ſed impij in tenebris conticeſcẽt. Vnde cuilibet damnato tunc dicetur illud Eſa. 47. Denuda turpitudinem tuam, reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. Vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo: tace & intra tenebras. Secundò, *oculos habent, & non videbunt.* Hic enim habent oculos apertos ad temporalia & malicias: quia prudentes ſunt vt faciant malum: bene autem facere neſciunt. Sed in iudicio oculi eorum excæcabuntur ne videant diuinitatem quam omnes videre deſiderant: dicente Propheta, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Tertiò, *aures habent, & non audient*: quia aures habebunt ad audiendam vocem maledictionis: ſed non audient vocem benedictionis ſibi dicentem, Venite benedicti patris mei, &c. vnde de damnatis dicitur, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè oculis ſuis videat, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Quartò, *nares habent, & non odorabunt.* Per odorare autem diſcretio intelligitur: quia ibi à tormentis preſſi in ipſis ceſſabit diſcretio. Vnde Eccl. 30. Quid proderit libatio idoli? nec enim manducabit, nec odorabit: ſic qui effugatur à domino, & portans mercedem iniquitatis. Quintò, *manus habent, ſed non palpabunt*, quia corpus Chriſti non amplexabuntur, nec eius erũt participes. Iob 12. Palpabunt quaſi in tenebris, ſed non in luce. Sextò, *pedes habent, & non ambulabunt*, ſcilicet poſt Chriſtum ad gloriam. ſed vt dicitur Iob 6. Ambulabunt in vacuum, & peribunt. Septimò, *non clamabunt in gutture ſuo*: quia eorum vota non intrabunt in aures domini vt audiantur: quia vt habetur Iob 36, Simulatores & callidi prouocant iram Dei, nec clamabunt cum vincti fuerint. Ex quibus omnibus apparet quòd omnes peccatores in iudicio ſimiles erunt ſimulacris quæ coluerunt. Quod prædicens Pſalm. ait, *Similes illis fiant qui faciunt ea*, &c. Et quia idola vana ſunt, vt probatum eſt ſupra, ideo de colentibus & facientibus ea dicitur, Homo vanitati ſimilis factus eſt. Et nota quòd non ſolum ſimiles illis fient qui cõfidunt in eis, ſed etiam qui faciunt ea: quia non licet illa facere, quibus vti non licet. Et per conſequens non licet facere taxillos, non ſcribere ſortilegia, non facere inter aliquos pacta vſurarum, neque ſcribere cartas falſas in fraudem vſurarum, & conſimilia. Secundò poteſt legi iſte verſus optatiuè. Et tunc eſt ſenſus, *Similes illis fiant*, id eſt, ſimiles illis ſe eſſe intelligant: ad hoc ſcilicet vt fiant diſſimiles.

*Peccatores & dãnati ſimiles erunt idolis & ſimulacris.*

*Hier. 4.*

*Matth. 25.*

*Eſa. 6.*

*Pſal. 143.*

**Domus Iſrael ſperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.** 2018

Hic oſtenditur latriæ efficacia. Et hoc in duobus, ſcilicet, primò in euaſione mali: ſecundò in adeptione boni: ibi, *Dominus memor fuit noſtri.* Quãtum ad primum, oſtendit quòd colentes verè Deũ, ab ipſo proteguntur. Et primò hoc oſtendit de Iudæis: ſecundò de gentibus conuerſis; ibi, *Qui timet dominum.* Prima pars diuiditur in duas: quia primò hoc oſtendit de Iudæis omnibus generaliter: ſecũdò de Leuitis ſpiritualiter: ibi, *Domus Aaron.* Quantũ ad primũ, ſciendum ꝙ domus Iſrael vel domus Iacob,



Iacob, dicuntur omnes qui deſcenderunt de ipſo Iacob, ſcilicet, omnes duodecim tribus. Et ſic domus Iacob non ſolùm comprehendit Iudæos, ſed etiam omnes duodecim tribus: de quibus ait, *Domus Iſrael ſperauit*, &c. Pro cuius euidentia ſciẽdum quòd ſpes eſt virtus theologica, quam ſic deſcribit Magiſter. dicens, quòd ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus. Sine meritis enim aliquid ſperare, non eſt ſpes, ſed præſumptio. Vnde ſicut fides eſt de his quæ non videntur: ſic & ſpes eſt de iis quæ non videntur, nec habentur. Nullus enim credit quod videt: nec ſperat quod habet. Et ideo ponimus quòd in beatis non remanet fides, nec ſpes. Non fides, quia vident clarè ipſum Deum, qui eſt obiectum fidei. non ſpes: quia æternam beatitudinem de facto poſſident. Similiter ponimus quòd nec in Chriſto fuit fides, neque ſpes. Quid eſt ergo ſperare in domino? Confidentiam habere in Deo cum operibus bonis: vnde ait Pſal. Spera in domino, & fac bonitatem. Quandiu autem domus Iſrael ſperauit in domino, adiutor & protector eorũ fuit. vt patuit quando pro eis pugnauit contra Pharaonem, & exercitum eius: contra Amalech, & exercitum eius, &c. Nota ergo quòd nullus in ſeipſo ſperare debet, ſed ſolùm in domino: ſi ſolidè perſiſtere cupit in aduerſis mũdi huius. Spes enim eſt noſtra anchora, dũ ſumus in huius mari mundi. vnde Chryſoſt. in de reparatione lapſi ait, Spes eſt anchora noſtræ ſalutis, & vitæ noſtræ firmamentum. Accedamus ergo ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus. Ad anchorã autem ſpectat ſtabilire & firmare nauem, ne à fluctibus rapiatur. Quod ſimiliter facit ſpes, ne à tentationibus & aduerſitatibus mundi quis ſuperetur. Dicit Ambr. homil. 5. in hexahemeron: quòd echinus, animal marinum exiguum & vile, cum procellam tempeſtuoſam præſenſerit: calculum validum arripit, eumque tanquam anchoram tenet, ne excutiatur fluctibus. Itaque non ſuis ſtabiliter viribus in ſeipſo ſperans, ſed alieno pondere fulcitur. Sic & nos imminente tempeſtate tentationis vel alterius aduerſitatis, accipiamus calculum illum, de quo Apocal. 2. Dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen meum ſcriptum. Et huic calculo adhæreamus fortiter, in ipſo ſperantes, & nõ in viribus noſtris: ne inundatione fluctuum ſuperemur. Pſal. 124. Qui confidit in domino, ſicut mõs Sion, non commouebitur in æternum. Et quãtum ad hoc, nota quòd ſpes multa bona facit. vide ver. 133. 443. 559. 694. Item nota quòd ſperare in domino quis dicitur dupliciter. ver. 458. Item nota quòd Deus nos adiuuat multipliciter. ver. 673. 957. 1137. Item nota quòd aliud eſt adiuuare, & aliud protegere. ver. 407. Item quomodo Deus nos protegit, ver. 438. 1140. 1570.

*Spes quid eſt.*

*3. ſen. di. 26.*

*Pſal. 36.*

*Exod. 14.*

*Exod. 17.*

*Spes dicitur anchora.*

*Chryſoſt.*

*Spes multa bona facit.*

2019 **Domus Aaron ſperauit in domino, adiutor eorum & protector eorum eſt.**

Hic conſequenter oſtendit hoc idem de Leuitis, qui per Aaron ſignificantur, qui erat ſummus ſacerdos, & de tribu Leui. Sed fortè dices, Cũ domus Aaron contineretur in domo Iſrael, ſicut pars in toto: quia erat vna tribus de duodecim, quæ omnes ſimul dicuntur domus Iſrael, & per conſequẽs cum dixit quòd domus Iſrael ſperauit in domino, &c. etiam per hoc incluſit domum Aarõ: quare ergo hoc idem replicat? dicens, *Domus Aaron*, &c. Ad hoc reſpondetur, Pſal. enim hic ſpiritualiter vult oſtendere vtilitatem cultus latriæ, qui maximè ſacerdotibus pertinet: vt ipſum ſuis exemplis & verbis ſeculares doceant. Idcirco de ordine ſacerdotali hic facit mentionem ſpiritualem. Etiam quia Deus ſingulari modo fuit adiutor & protector ipſius Aaron in ipſo ſperantis: vt patuit in ſeditione Chore, Dathan, & Abiron: qui contra ſacerdotium ipſius Aaron inſurrexerãt: vt patet Num. 16. vide ver. 1852. Vel per hoc vult oſtendere qualiter Deus ſingulariter adiuuat Chriſti corpus myſticũ, & ab omni ſpirituali protegit periculo. Et hoc ſignificat per domum Aaron, qui ſignificat Chriſti figuram. vide ver. 1277.

*Queſtio.*

**Qui timent dominum, ſperauerunt in domino: adiutor eorũ & protector eorum eſt.** 2020

Hic oſtẽdit illud idem de gentibus ad fidẽ conuerſis. Nam ſecũdum rei veritatem etiam antiquo tempore multi de gentilitate conuertebantur ad Iudaiſmum: quos Deus pariter adiuuabat vt filios Iſrael. Vnde dixit Ra. Sal. quòd ad literã Pſal. hunc verſum ponit propter eos qui de gentilitate conuertebantur ad Iudaiſmum: qui à Deo protegebantur vt filij Iſrael. Multi enim ex talibus conuerſi cum filiis Iſrael exierunt de Ægypto: qui æqualiter cum filiis Iſrael à Deo adiuti & protecti fuerũt in mari rubro, & in deſerto manna cibati. Quos tãgit, dicens, *Qui timent dominum*, &c. Tales enim Deũ verè timere dicuntur, qui relinquentes idolorum cultum, ad fidem Dei veri ſe conuertunt, & iuſtificantur. quoniam, vt dicitur Eccl. 1, Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Hoc manifeſtè patuit in Achior, qui cum eſſet gentilis, conuerſus ad Iudaiſmum, ipſi Holoferni prædicauit virtutem Dei cœli: dicens, Nunc domine vide, & perquire ſi aliqua iniquitas eſt in Iudæis in conſpectu Dei ipſorum: & tunc aſcende ad illos, quia tradet eos Deus in manibus tuis. Si verò non eſt offenſio populi huius corã Deo ſuo, non poteris reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & eris in opprobrium vniuerſæ terrę. Ad cuius verba iratus Holofernes, ait, Quis eſt iſte qui dicit filios Iſrael poſſe reſiſtere Nabuchodonoſor regi? Vt ergo ſciat Achior quoniam fallit nos, cũ capti per nos fuerint Iudæi: tunc cum eis gladio noſtro tranſuerberabitur. Et tunc captum Achior miſit ad partẽ Iudæorum: vt cùm capti fuiſſent Iudæi, ipſe cum illis interficeretur. Et quia ſperauit in domino, adiuuit illum dominus: quoniam ipſe Holofernes manu fœminæ fuit interfectus, & exercitus ſuus fugatus & diſperſus: ipſe autẽ Achior à Deo liberatus & protectus. Sic & in nouo teſtamento, ipſe Cornelius centurio, qui erat timẽs Deum. vt habetur Act. 10. Sed nota quòd timoris multę ſunt ſpecies. ver. 261. 999. Et quòd timor multa bona facit, 356. 358. 1747. Item quòd timere mundum non debet ſperans in Deo. ver. 904.

*Timẽtes Deũ adiuuãtur & proteguntur à Deo.*

*Iudith 5.*

**Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis.** 2021

Hic conſequenter ponitur vtilitas latriæ in boni aſſecutione. Et primò hoc oſtendit de bonis tẽporalibus: ſecũdò de bonis ſpiritualibus: ibi, *Adiiciat dominus.* Et in prima parte primò vtilitatẽ dictã propo-

*Memoratur nostri Deus, quando bona tribuit nobis.*

proponit:ſecundò ipſam exponit : ibi, *Benedixit domui Iſrael.* Quantum ad primum, notandum quòd ſicut obliuio in Deo cadere non poteſt, ita propriè nec recordatio. Sed loquitur ſcriptura more humano; quo dicimus illi qui quandoque bona faciebat, & modò non facit; Tu oblitus es mei. & quando bona tribuit, dicimus, Nunc tu recordaris mei. Sic Deum dicimus noſtri recordari, quando bona nobis concedit : vel conceſſa multiplicat. Et hoc eſt quod ait, *Dominus memor fuit noſtri.* Qualiter autem memoria vel recordatio cadat in Deo, vide ver. 270. 1234. 1324. 1363. Vnde quòd memorari Deum de nobis, ſit idem quod nobis benefacere oſtendit ſubdens, *Et benedixit nobis,* ſcilicet, temporalia largiendo & multiplicando. Benedictio enim Dei valet ad multa. vide ver. 1964.

2022 Benedixit domui Iſrael : benedixit domui Aaron.

*Benedictio temporalium datur bonis.*

Hic ſuum declarat propoſitum. Et primò in populo Iudæorum: ſecundò in populo gentilium: ibi, *Benedixit omnibus.* Quantum ad primum, ait, *Benedixit domui Iſrael.* Quod maximè fuit tempore Ioſue: quando dedit eis poſſeſſionem terræ promiſſionis. tunc enim habuerunt plenum dominium, & rerum temporalium copiam. Et illam benedictionem habuerunt, quandiu domino ſeruierunt : ſed quando Dei cultum deſeruerunt, benedictionem mutauerunt in maledictionem : ſicut eis prædixerat Moyſes Deut. 28. dicens, Si audieris vocem domini Dei tui, vt facias mandata eius: venient ſuper te benedictiones iſtæ. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & terræ tuæ; fructuſq; iumentorum tuorum. Benedicta horrea tua: & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens: abundare te faciet dominus omnibus bonis, benedicetq; te operibus manuum tuarum. Si autem non cuſtodieris mandata domini Dei tui, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ. Maledictus eris in ciuitate : maledictus in agro, &c. Quæ omnia hodie realiter in populo Iſrael adimpleta videmus. Sed fortè dices, quòd hodie totũ oppoſitum videmus: (vt multoties dictum eſt ſuperius.) quoniam iuſti egent, mali abundant; iuſti premuntur aduerſis, mali proſperitatibus florent, &c. Dicendum quòd omnia promiſſa & acta in antiquo teſtamento erãt quædam figuræ illorum quæ in nouo teſtamento erant promittenda & agenda. Nam ibi promittebantur terrena, quibus cœleſtia figurabantur : ibi agebantur ſacrificia animalium, quibus verum ſacrificium euchariſtiæ figurabatur. Et ideo ſicut terminata eſt lex antiqua, & noua regnat: debitum eſt vt figuris ceſſantibus, figurata prædicarentur. Vt ergo Deus ſua benedictione cœleſti plenius ac dignius conferat: hic ſuis vt communiter non temporalia, non proſpera, ſed ſpiritualia bona & pro ipſorum cuſtodia aduerſitates concedit. & ſic benedictionem temporalem in cœleſtem mutauit.

*Maledictio temporalium datur malis.*

*Benedictio in maledictionẽ eſt Iudæis cõuerſa.*

Illi autem populo Iſraelitico aduerſo, benedictionem temporalium in maledictionẽ mutauit æternam. Quod bene præuiderat Iacob pater ipſorum: cùm dixit, non pro ſe, ſed pro ſuis malis ſucceſſoribus: Timeo ne inducat ſuper me maledictionem pro benedictione. *Gene. 27.* Benedixit autem temporaliter domui Aaron: quando ſacerdotium ſibi confirmauit, & impugnatores partim igne conſumpſit: reliquos abſorbuit terra, vt habetur Num. 16. Nobis autẽ ſacerdotium illud Aaron in ſacerdotiũ æternũ Chriſti commutauit : vt dictum fuit Pſal. 109.

Benedixit omnibus qui timent dominum, puſillis cum maioribus. 2023

Hic agit de benedictione gentium conuerſarũ; quæ multo amplior eſt quàm benedictio in antiqua lege populo Iſrael data. Hæc enim benedictio fuit verbi incarnatio, per quam omnibus volentibus benedicitur indifferenter, cuiuſcunque ſtatus, ſexus, vel conditionis exiſtant. Vnde ad Epheſ. 1, Benedictus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti: qui benedixit nobis in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. Quid autem ſit iſta benedictio oſtendit Magiſter ibidem Glo. dicens, Hic ponit Apoſtolus benedictiones ſiue beneficia quæ toti humano generi per Chriſtum ſunt facta. Diſtinguit autem duas benedictiones ſiue prædeſtinationes, & earũ effectus : quarum vna eſt de præſenti ad iuſtitiam : alia de futuro ad coronam. Nec dicuntur duæ prædeſtinationes in ſe, cùm vna ſit Dei prædeſtinatio, quæ eſt eſſentia ſua: ſed quia de duobus eſt ipſa Dei prædeſtinatio, ſcilicet, de iuſtitia in præſenti, & de gloria in futuro. Deus enim ante mundi cõſtitutionem, cùm nullus quicquam mereretur, præordinauit quòd in tempore gratiæ aliquos à perditis ſepararet, & iuſtos & immaculatos faceret. Præordinauit etiam quòd illos iuſtificatos ad æternam beatitudinem perduceret. Harũ benedictionum alteram hic implet quæ iuſtos facit: alteram in futuro impleuit, quæ erit omnium perfectio. Et hoc eſt quod ait, quòd benedixit nobis in omni ſpirituali benedictione in cœleſtibus. Quod bene præuiderat Pſal. dicens, *Benedixit omnibus qui timent dominum,* ſcilicet, timore filiali: *puſillis cum maioribus.* Et iſta benedictio refertur ad primam prædeſtinationem, quæ ſuos hic iuſtificat. Per puſillos intellige humiles: per magnos autẽ, non quidem mole corporis, vel poteſtate terrena altos, ſed virtutibus claros.

*Benedictio duplex eſt, duplex prædeſtinatio.*

Adiiciat dominus ſuper vos : ſuper vos & ſuper filios veſtros. 2024

Hic oſtendit vtilitatem latriæ in bonis ſpiritualibus & æternis. Et tria facit : quia primò oſtendit æternorum bonorum retributionem: ſecundò retributionis datorem: ibi, *Benedicti vos* : tertiò ex hoc differentiam inter antiquam & nouam legem aſſignat; ibi, *Cœlum cœli.* Quantum ad primum, ſciẽdum quòd antiqua lex promittebat pro munere illi populo carnali bona carnalia & temporalia: ſub quibus tamen figurabãtur bona ſpiritualia & æterna. Sic enim promiſſum eſt illi populo Iſrael, Ego dabo vobis omnia bona terræ, vt comedatis medullam terræ. *Gen. 45.* Quid autem eſt bonum vltra omnia bona mundi : niſi bonum æternum quod eſt ſupra omnia bona terrena? Et ideo hoc bonum quod excedit omnia bona, prædicit Pſalm. fidelibus dandum, dicens, *Adiiciat dominus ſuper vos,* &c. ſcilicet, adiiciat aliud bonum, quod eſt alterius generis. Sed quibus iſtud bonum æternum ſit adiiciendum adiungit dicens, *Super vos & ſuper filios veſtros.* Vbi ſciendum quòd in eccleſia ſunt duo genera fideliũ, ſcilicet, patrum & filiorum. Patres ſunt doctores & magiſtri, qui alios in fide Chriſto generant doctrina & exemplo : ſed filij vocãtur per illos in fide generati. Et vtriſque debetur hoc præmium : ſed tamen principalius patribus: ſicut maioris eſt meriti erudire

*Patres ſunt doctores: filii ſunt diſcipuli*



quàm erudiri, docere quã doceri. Et patres præmittit filiis, dicens ipſis patribus, *Super vos.* Et conſequẽter, *Et ſuper filios veſtros,* ſcilicet adiiciat bona &c. Vnde hic ait Glo. Hîc diſtinguit inter patres & filios, ſcilicet, inter magiſtros & diſcipulos. Vel aliter exponitur, vt iſta adiectio ſit numeralis & perſonalis : vt ſit ſenſus, O vos patres, ô magiſtri, adiiciat dominus ſuper vos, id eſt, numero veſtro. Et ſic factum eſt, quia numerus magiſtrorum multiplicatus eſt. Adiiciat etiam ſuper filios veſtros: quod ita factum eſt, quia creuit numerus ſequentium. Acceſſit enim fides gentium & creuit numerus, non ſolùm ſapientum antiſtitum, ſed etiam obedientium ſubditorum. Et nota quòd ad hoc vt quis in eccleſia verus dicatur filius, maximè tria debet habere. Primò obedientiæ promptitudinem, vt mandata patris perficiat. Vnde ad Epheſ. 6, Filij obedite parentibus veſtris in domino. Hoc enim iuſtum eſt: honora patrẽ tuũ & matrem tuã. quod eſt primum mandatum in promiſſione : vt bene ſit tibi, Non enim debet filius præcepta diſcutere patris, ſed ſemper credere quòd pater filio ſolùm ſalutaria mandat. Vnde ſi filius patris mandata diſcutiat, videtur an ille ſit pater diſcutere. Vnde Pet. Ra. ſuper illo verbo Luc. 11, Quis ex vobis patrem petit panem, ait, Caritas dolum neſcit. Si pater eſt, non poteſt non amare: ſi amat, non niſi quod bonũ eſt dare vel præcipere reſtat. Negat patrem, qui de patris ſuſpectus eſt largitate. Patris præcepta diſcutere non licet: patris monita retractare non conuenit. Etſi paterni mandati ſpecies triſtior videatur, res tamen ipſa ſalutifera & vtilis eſt. Sic & Abrahã vbi patrem Deum credidit, mandatorum formas non attendit aſperas & acerbas, circuncifionem recipit : & quæ pater cœleſtis iubet, non diſcutit: ſed circuncifionem verecũdam iudicat glorioſam. Filicidium conſiderat perſceleſtum: ſed quia Deus imperat, totum pietati committit. Hinc Iſaac patris gladium cùm videret, vnde dolere poterat, eſt gauiſus. Hinc Iephthe filia patris vota ſua morte tota gratulatione perſoluit. Panis autem quem pater Chriſtus Iudæis dedit, verſus eſt in lapidem: nõ dantis vicio, ſed infidelitate capiẽtis. Secũdò, debet habere fidei rectitudinem, vt credenda non diſcutiat, ſed illis adhæreat fideliter. Ioã. 1, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt &c. Vbi Auguſt. Credentes filij Dei fiunt, & fratres Chriſti naſcuntur. Nam ſi non naſcuntur fratres Chriſti, quomodo filij Dei eſſe poſſunt? Tertiò, debet habere affectionis tranquillitatem, vt paci & vnitati ſit intentus. Matth. 5, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Vbi Aug. Pacifici dicuntur qui omnes animi ſui motus componentes & ſubiicientes rationi, carnaléſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei : in quo ordinata ita ſunt omnia, vt illud quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt beſtiis nobiſque communia. Atque ipſum quod excellit in homine, id eſt, mẽs & ratio, ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas vnigenitus Dei filius. Neque enim imperare inferioribus poteſt quis, niſi ſe ſuperiori ſubiiciat. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis; quæ ipſos filios Dei facit. Quia igitur per tria prædicta quis efficitur filius Dei, ideo conſequens eſt vt per illa hæres ſit Dei. Rom. 8, Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chriſti. Hæreditas autem Dei excellit omnia temporalia bona.

*Filius patri obedire debet.*

*Gen. 22.*

*Filium Dei facit fides.*

*Filium Dei facit pax mentis.*

Et ideo iſtam hæreditatem talis filij dandam præuidit Pſal. doctoribus eccleſiæ: dicens, *Adiiciat dominus ſuper vos, & ſuper filios veſtros.*

Benedicti vos à domino, qui fecit cœlum & terram. 2025

Conſequenter hîc oſtendit huius additionis vel hæreditatis datorem. Quaſi dicat, Ille qui dedit terrena in antiqua lege, Deus fuit qui illa dare potuit: quia dominus omnium terrenorum, quia fecit terram. Conſimiliter dare poteſt cœleſtia, quia dominus cœleſtium, quia fecit cœlum. Sic ergo vos benedicti eſtis à domino in terrenis & in cœleſtibus: quia ipſe fecit cœlun & terram. Vel per iſta verba vult oſtendere quòd Deus poteſt beatificare & corpus & animam : corpus in præſenti per bona temporalia, eo modo quo hæc beatitudo in temporalibus poteſt conſiſtere: & animam, in futuro, veram conferendo gloriam. Quod probat, quia Deus fecit cœlum & terram, id eſt, animam & corpus : ergo vtrũque quietare poteſt. Quid enim per terram niſi corpus de terra creatum intelligitur? vide ver. 1444. 1552. Per ipſum verò cœlum animas de cœlo à Deo creatas, id eſt, cœleſtes : quia cœleſtia capere poſſunt, in quibus Deus vt in ſede habitat. Pſal. 10, Dominus in templo ſancto eius: dominus in cœlo ſedes eius. Nec immeritò anima maximè iuſta cœlum dicitur: vt oſtendit Bernard. ſuper illud pſal. Pſallite Deo qui aſcẽdit ſuper cœlũ cœli ad oriẽtem: dicẽs, Eſt enim cœlum quælibet ſancta anima : nec immeritò ſibi cœli nomen vſurpat vnde originem ducit. *Pſal. 67.* Si enim propter corpus quod eſt de terra homo terra dicitur: cur nõ propter animã quæ de cœlo eſt, cœlum eſſe glorietur : præſertim cùm teſtetur cœleſti vita naturæ dignitatem & patriæ? Vnum Deum adorat & colit, quomodo angeli: Chriſtũ ſuper omnia amat, quomodo angeli: caſta eſt, quomodo angeli, ídque in carne fragili, quòd non angeli, ſapit quæ in cœlis ſunt, non quæ ſuper terram. Quid euidentius cœleſtis originis inſigne quàm hominem in regione diſſimilitudinis, ſimilitudinem retinere vitæ cœleſtis: & in terra atque corpore pene beſtiali, cœleſtẽ ducere vitam? Cœleſtis ſunt iſta potentiæ, non terrenæ. Et quòd verè cœlum ac de cœlo ſit anima quæ hæc poteſt cognoſcere. Eſt itaque cœlũ anima ſancta, habens ſolem intellectum, lunam fidem, ſtellas virtutes. Stellas ideo virtutes dixerim, quia quomodo ſtellæ in nocte lucent, ſed latent in die; ſic vera virtus quæ in proſperis non apparet, micat in aduerſis. Illud ſanè cautelæ eſt, hoc neceſſitatis. Ideo ſidus virtus eſt, & homo virtutum eſt cœlum vita & opinione conſpicuum, fide putum, ſpe firmum, latum caritate, ſpecioſum contemplatione, pluens verbi diuini pluuiam ſalutarem, tonans increpationibus, coruſcans miraculis. Ad maiorem autem huius cœli euidentiam, ſciendum quòd animæ ſanctæ vel ipſi ſancti multipliciter cœlis aſſimilantur: quoniam ſicut cœli cæteris corporibus ſunt altiores, puriores, clariores, & aptiores: ſic & animæ ſanctæ. vide deductionem ver. 815.

Cœlum cœli domino, terram autẽ dedit filiis hominum. 2026

Hîc ex prædictis ponit differentiã inter antiquã legẽ & nouã. Vbi notandũ ꝙ dominus noſter Ieſus

*Cœlum dat Chriſtus dominus.*

Chriſtus primitus cœlum ſuis fidelibus in lege noua promiſit: dicens Matth. 3. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. Et tales in lege noua per Chriſtum geniti non ſunt filij hominum, ſed ex Deo nati: nõ ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis &c. ſed ex Deo nati ſunt. Filiis autem hominum, id eſt, ſub antiqua lege ſeruientibus, terra promittebatur: id eſt, temporalia bona, quibus bona promittebantur. Quantum ergo diſtat cœlum à terra, tantum lex noua ab antiqua. Et hoc inſinuans ait, *Cœlum cœli domino*, id eſt, promittere cœlum cœli, id eſt, bona cœleſtia dare: domino fuit reſeruatum. Terram autem dare, fuit conceſſum filiis hominum: vt puta, ipſi Moyſi & Ioſue, qui diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Dicitur enim cœlum cœli ſummum cœlorum, ſcilicet, cœlum empyreum in quo animæ beatificantur. Vel aliter: per cœlum intellige gloriam cœleſtem: per terram verò, ipſum infernum qui in medio terræ ſituatur. vide verſic. 108. Vnde infernus terra dicitur. Iob. 10. Terra tenebroſa & operta mortis caligine: vbi nullus ordo &c. Itẽ nota quòd inter homines aliqui dicuntur domini & non ſerui: & aliqui ſerui & non domini. Nam ſeruus dicitur omnis peccator. Ioan. 8. Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Domini autem dicuntur qui ſoli Deo ſe ſubiiciunt: cui ſeruire, regnare eſt. Tales enim ſunt domini ſuorum actuum: quibus dicitur Gen. 4, Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Peccatores autem & ſerui dicuntur filij hominum, quia imitantur homines nõ domini. Nam hominis nomine culpa intelligitur: vt oſtendit Grego. li. 4. moral. cap. 17. Quid eſt ergo, *Cœlum cœli domino*: niſi gloria æterna iuſto datur: terra autem filiis hominũ, id eſt, infernus peccatoribus deputatur?

*Terrã promiſſionis dedit Ioſue.* *Pſal. 77.* *Terra dicitur infernus: cœlũ gloria æterna.* *Dominus dicitur quilibet iuſtus: filius hominũ, quilibet peccator.*

2027 Non mortui laudabunt te domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Hîc oſtendit à quibus dignè Deus laudatur. Et primò negatiuè, ſecundò affirmatiuè: ibi, *Sed nos*. Quantũ ad primum, ſciendum quòd mors eſt multiplex: ſcilicet, bona & mala, & indifferẽs. Mors indifferẽs eſt mors naturalis, quę dicitur indifferẽs ad bonum & ad malũ: quia de ſe nec eſt meritoria nec demeritoria: de qua Pſal. 88, Quis eſt homo qui viuit, & nõ videbit mortem? Secundò eſt mors bona: qua ſcilicet quis moritur mundo & viciis: de qua Rom. 6, Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Sed hic nota quòd aliquis mortuus eſt mundo, & ſibi mortuus eſt mundus: ſicut renuncians mundo iuſtus quem aduerſitas mũdi perſequitur. Aliquis eſt mortuus mundo, ſed ſibi viuit mundus: ſicut iuſtus renuncians mundo: cui tamen proſpera mundi ſuccedunt: ſicut fuit Abraham, & magni reges & principes iuſti. Aliquis nec eſt mortuus mundo, nec ſibi moritur mundus: ſicut ſunt peccatores mundum amantes, quibus proſpera mundi ſuccedunt. Aliquis non eſt mortuus mundo: cui tamen moritur mundus: ſicut miſer & pauper, qui mente diligit mundum & ea quæ ſunt in mundo: cui tamen non arrident proſpera mundi, ſed ipſum perſequuntur aduerſa. Tertiò eſt mors mala. Et hæc eſt triplex: ſcilicet, naturæ, culpæ, & gehennæ. vide verſic. 520. Ad propoſitum ergo. hic loquitur de morte culpæ & gehennæ. Mortem culpæ tangit: dicens, *Non mortui laudabunt te domine*: ſcilicet dignè: quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. De talibus enim qui in peccato laudant Deum conqueritur Chriſtus, dicens, Hic populus labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Conſequenter ſubinfert mortem gehennæ: dicens, *Neque omnes qui deſcendunt in infernum*. Exiſtentes enim in inferno, Deum non laudant, ſed præ doloribus linguas ſuas mordentes ipſum blaſphemant. De quibus dicitur Apocal. 16, quòd manducauerunt linguas ſuas præ dolore: & blaſphemauerunt Deum cœli, nec egerunt pœnitentiam. Tales ergo mortui & in infernum deſcendentes, non laudant dominum. Et aduerte quòd non dicit generaliter quòd nullus deſcendens in infernum laudet Deum: ſed particulariter dicit, *neque omnes*. quòd æquipollet huic, quidam non. Quod ideo dicit, quia tempore ſuo ante Chriſti paſſionem, omnes quantumcunque iuſti morientes ad infernum deſcendebant: & tamen certum eſt quòd illi Deum laudabant: quia erant in ſtatu gratiæ expectantes apertionem cœleſtis ianuæ per Chriſti paſſionem fiendam. Ideo non de omnibus deſcendentibus in infernum ait, ſed de quibuſdam: dicens, *neque omnes &c.* Et iſtum intellectum hic ponit glo. quare hoc nõ dixit vniuerſaliter, ſed ſolùm particulariter.

*Mors multiplex.* *Moritur quis mundo, ſed nõ ecõtrario. Moritur quis mũdo, & ecõtrario.* *Viuit quis mũdo, & ecõtrario.* *Viuit quis mũdo, & non econtrario.* *Eccl. 15.* *Matth. 15.* *Blaſphemant dãnati Dũ.*

Sed nos qui viuimus, benedicimus domino, ex hoc nunc & vſque in ſæculum. 2028

Hîc oſtendit affirmatiuè à quibus benedicitur Deus, ſcilicet, à viuentibus. Et potes de vita diſtinguere, ſicut ſtatim diſtinctum eſt de morte: ſcilicet, quòd eſt quædam vita bona, quædam mala, quædam indifferens. Vita indifferens eſt vita naturalis: de qua Gen. 1, In ſpirauit in faciem eius, ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem. Secundò eſt vita mala: ſcilicet, criminalis & vicioſa. De qua cuilibet peccatori dicitur, Nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Alia eſt vita bona. Et hæc eſt duplex: ſcilicet, gratiæ & gloriæ. De quibus omnibus vide diffuſè in poſtillis ſuper Ioan. cap. 9. Ad propoſitum autem. hic loquitur de illis qui viuunt vita gratiæ ac vita gloriæ: quia à talibus dignè laudatur Deus. vide verſi. 1995. 480. 502. 1636. 1721. 1838. Et nota quòd idem eſt laudare Deum, quod benedicere Deum. Benedicere autem Deum eſt bene viuere. vide ver. 378. Itẽ nota quòd Deum benediximus multipliciter. ver. 502.

*Vita multiplex: bona & mala, & indifferens.*

## PSALMVS CXIIII.

DIlexi quoniam exaudiet dominus vocem orationis meæ. 2029

Pſalmus iſte talem habet titulum, Alleluia. Idem eſt quod laudate Deum. vide in titulo Pſalm. 104. Iſtum autem Pſalmum fecit Dauid ad laudandum Deum qui ipſum liberauerat à perſecutione Saulis: maximè quando (vt habetur 1. Reg. 23.) Dauid fugiens à facie Saulis ſe cum ſuis abſconderat in deſerto Maon. Ziphæi autem qui iuxta illud deſertum habitabant, qui erant de genere Dauid, prodiderunt eum Sauli, promittentes ipſum Dauid tradere in manus Saulis, ſi illuc aſcenderet. Venit ergo Saul cum exercitu magno: & circundedit locum in quo erat Dauid, in modum coronæ, vt nullo modo euadere poſſet. Et tunc Dauid deſperauit poſſe euadere manus Saulis. Et ſtatim venit nuncius ad Saulẽ, dicẽs, Feſtina & veni: quoniam infuderunt ſe Philiſthæi ſuper terram. Tunc Saul coactus, inde receſſit, & dimiſit Dauid perſequi. Et tunc Dauid inde receſſit, & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi. Ad propoſitum ergo: videns ſe tunc Dauid liberatum de manibus Saulis, à quibus deſperabat poſſe euadere: pro gratiarum actione ipſi Deo & pro laude Dei fecit iſtum Pſalmum, etiam alios ad laudem Dei inuitans. Et hoc ſonat Pſal. titulus, qui eſt, alleluia, id eſt, laudate Deum. Quantum ergo ad ſenſum literalem, dic vt Nicolaus. Quãtum verò ad ſenſum propheticum, ſciendum quòd omnes naſcimur filij iræ: & poſt natiuitatem multoties peccantes, per deſerta huius mundi errando vagamur: ſed pietate Chriſti, mediantibus ſuis ſacramentis, reducimur ad ipſum, tãquam ad paſtorem proprium, & ad eius ouile. Quod alibi præuidens Pſal. ait Chriſto, Pſal. 118. Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum domine. Quod & Chriſtus fecit ſua præſentia, ſuis monitis & exemplis per ſe & per prædicatores ſuos. Quod cõſiderãs Pſal. in hoc Pſal. de hoc gratias Deo agit. Et tota intentio pſal. eſt, ex hoc nos ad Dei laudem inducere. Quibus viſis, ad diuiſionem Pſal. accedo. Diuiditur ergo Pſal. iſte in partes tres: quia primò Pſal. in perſona peccatoris conuerſi ponit ſuam liberationem: ſecundò petit ſuam beatificationem: ibi, *O domine*: tertiò conſurgit ad gratiarum actionem: ibi, *Conuertere*. Prima pars diuiditur in partes quatuor: quia pſal. primò ponit ſuam orationem: ſecundò Dei miſerationem: ibi, *Quia inclinauit*: tertiò ſtatus in quo priùs erat declarationem: ibi, *Circũdederunt*: quartò ſuam pręteritam tribulationem: ibi, *Tribulationem*. Quantum ad primum, ſciendum quòd differentia eſt inter bonos & malos: in hoc quòd mali plus diligũt temporalia quàm ſpiritualia: & ideo plus accenduntur ad dilectionem benefactoris temporalis quàm ſpiritualis. boni autem econtrario. Vnde iſte iam conuerſus ad Deum in perſona iuſtorum clamat, dicens, *Dilexi*, ſcilicet, Deum. Et cauſam ſubdit, *Quoniam exaudiuit vocem orationis meæ*. Vera enim oratio non petit temporalia principaliter, ſed ſolùm ſpiritualia: dicẽte Chriſto, Quærite primùm regnum Dei &c. Et ideo in hoc quod dicit orationem ſuam exauditam: oſtendit ſe Deum diligere propter ſpiritualia bona, non propter temporalia. Et hoc hîc notans Glo. dicit, Non parum differt dilectio iſtius à dilectione infidelium. Diligitur enim Deus etiam ab infidelibus vel peccatoribus: quia bona tẽporalia eis tribuit. Vnde alibi ſcriptum eſt, Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. Diligitur autem perfectè, cum animus aduerſis nõ mouetur: ſed ſpe futurorum bonorum magis in caritate accenditur: quemadmodum iſte de ſe exponit: dicens, *Dilexi*, ſcilicet Deum: nõ quia me regem vel diuitem fecit, vel quia proſpera dedit: ſed quia vocem orationis meæ exaudiet, id eſt, exaudiuit: ſpiritualia, ſcilicet, conferendo: quæ ſtatim exponit inferius. Sed hic cadit dubium, ſcilicet, an propter beneficium temporale ſiue ſpirituale quis plus Deum teneatur diligere quàm ſine beneficio. Et videtur quòd non: quia nullus tenetur plus Deum diligere quàm poſſit: quia nullus ad impoſſibile poteſt obligari. Sed quilibet etiam ſine beneficio tenetur Deum diligere quantum poteſt: quia ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus: vt habetur Matth. 22, & Mar. 12. Quod exponens Auguſtinus primo de doctrina Chriſtiana, ait, Deum ex toto corde diligere præciperis, vt omnes cogitationes tuas, ex tota anima tua, vt omnẽ vitam tuam, & ex tota mente tua, vt omnem intellectum tuum in illum conferas à quo habes ea quę confers. Nullam ergo vitæ noſtræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui: ſed quicquid ad diligendum venerit in animam, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit. Tunc eſt enim optimus homo, cùm tota vita ſua pergit in incommutabile bonum. Ex quibus apparet quòd quilibet Deum tenetur diligere quantum poteſt. Præterea, bonitas diuina eſt ratio immenſa, mouens nos ad dilectionem Dei: ergo non plus mouere debemus ad Dei dilectionem ratione beneficiorum, quæ ratio eſt finita: ſicut & beneficia collata ſunt bonitatis finitæ. Aliter enim finitum additum finito faceret ipſum minus: quod eſt contra Philoſophum 3, Phyſicorum. Ad oppoſitum, videtur hîc Pſal. qui dicit Deum ſe diligere propter beneficium exauditionis, dicens, *Dilexi, quoniam exaudiuit dominus &c.* Reſpõdeo quòd iſta quęſtio eſt ſimilis illi, qua quęritur, vtrũ Chriſtus noſtram ſalutẽ magis meruerit per actum ſuæ paſſionis, quàm per actum ſuæ incarnationis fecerat. Et reſpõdent doctores, quòd Chriſtus per plura merita vel actus meritorios noſtram ſalutem potuit mereri: ſed non per maius meritum quàm fecerit in principio per actũ ſuæ incarnationis: quia quilibet actus ſuus erat infiniti meriti. Sic in propoſito, dico quòd tenemur ad dilectionem Dei toto corde, tota anima &c. & hoc ratione ſuæ infinitæ bonitatis: nec ad hoc magis obligari poſſumus, ſed bene pluribus rationibus: non tamen magis. Ratione ergo beneficij à Deo recepti teneris Deũ diligere, id eſt, noua ratione obligaris ad dilectionem Dei quàm ante, ſed non magis: quia ante etiã infinitè obligabaris. Et hæc eſt intentio Grego. in homil. dicens, Cùm enim augentur dona, rationes creſcunt donorum. Et magis ex donis obligaris: & ſic hoc extenſiuè, ſcilicet, pluribus rationibus.

*Matth. 6.* *...Deus ... diligen... plus pro... beneficiũ. Diligere Deum ex toto corde, ex to... anima &c.*

Quia inclinauit aurem ſuam mihi: & in diebus meis inuocabo. 2030

Hîc conſequenter oſtendit Dei miſerationem. Vbi notandum quòd cùm Deus non ſit corpus, & per conſequens nec membra corporalia habeat: ideo oportet hîc aurem Dei aliud intelligere quàm ſit auris inſtrumentum corporale auditus. Notandum ergo quòd auris in nobis dicitur inſtrumentum corporis, quo aliorum percipimus voces. Sic ſpiritualiter auris Dei dicitur illud per quod noſtra percipit vota, & orationes exaudit. Orationes autem noſtræ exaudiuntur per Dei filium. Et hinc eſt quòd eccleſia ſuas orationes per Dei filium terminat: dicens, Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ. vide ver. 1439. Et ideo ipſe Dei filius auris Dei dicitur. Sola enim Dei ſapientia, cordis noſtri vota intelligere & audire poteſt: quia ſolus Deus corda ſcrutatur. Cùm ergo filius Dei ſit ſapientia Dei, & ſapientia Dei ſit auris Dei: conſequens eſt vt filius Dei ſit auris Dei. Et iſtam aurem ſibi per incarnationem inclinari poſtulabat Pſal. dicens, Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea, id eſt, inclina & mitte filium tuum ad ſuſceptionem noſtræ humanitatis. Et iſtam aurem nobis iam inclinatam

*Auris Dei eſt filius Dei.* *Pſal. 16.*

nunc oſtendit Pſal. dicẽs, *Quia inclinauit aurem ſuam mihi.* Quaſi dicat, Ideo Deum dilexi: ideo me deus exaudiuit, quia filium ſuum inclinauit in terris. Et hæc eſt intentio Gloſæ: dicentis hîc, Inclinauit aurem ſuam mihi, dum humano generi filium ſuum dedit: inclinauit deus aurem ſuam in incarnatione filij & in paſſione. Et quia beneficiũ gratis datum, animat recipientem ad alia poſtulanda: ideo Pſal. conſiderato tanto beneficio gratis nobis dato, ad alia poſtulanda confidens aſſurgit, dicens, *Et in diebus meis inuocabo.* Et nota quòd dicit *In diebus meis*: quia dies noſtri ſunt dies quos fecimus nobis, ſcilicet, dies pœnę, tribulationis, & miſerię: in quibus maximè compellimur ad inuocandum dominum. Vnde Gloſa, *In diebus meis*, id eſt, meæ miſeriæ: quos mihi feci peccando, qui ſunt pleni laboris & doloris. Et nota quòd inclinatio in ſcriptura multa ſignificat. quia eſt inclinatio humiliationis, qui enim ſe inclinat, ex magno paruus efficitur. Iſto modo inclinauit ſe Berſabe, ſe humiliando regi Dauid. 3. Reg. 1. Inclinauit ſe Berſabe, & adorauit regẽ. Iſto modo inclinauit ſe Chriſtus quando exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens &c. Pſal. 17, Inclinauit cœlos, & deſcendit. Secundò eſt inclinatio eruditionis: ſicut magiſter docere volens diſcipulum ſe inclinat ad illum. Et iſto modo videns Ieſus Phariſęos & Scribas ad peccata aliorum ſine miſericordia puniẽda paratos; vt eos doceret miſericorditer alios iudicare, ſe inclinauit. Ioan. 8, Ieſus autem inclinans ſe, ſcribebat in terra. Scribebat enim quaſdam figuras, in quibus illorum quilibet peccata ſua legebat. Tertiò eſt inclinatio exauditionis: ſicut alium exaudire volens, ſe ad ſupplicantem inclinat. Et iſto modo ſe Chriſtus inclinauit, quando preces cęcorum exaudiuit. Et iſtam inclinationem poſtulabat Daniel, dicens, Deus meus inclina aurem tuã, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram. Quartò eſt inclinatio ſatisfactionis: ſicut diues non obligatus ſe inclinat ad ſatisfaciẽdum pro alio obligato. Et ſic ſe inclinauit Ieſus pro nobis in morte ſatisfaciendo. Ioann. 19, Inclinato capite, tradidit ſpiritum. Quas omnes Chriſti inclinationes notans Pſal. ſub nomine auris quæ Dei filium ſignificat, ait, *Et inclinauit aurem ſuam mihi.*

*Inclinatio multiplex.*

*Inclinauit ſe Chriſtus pro nobis multipliciter.*

*Phili. 2.*

*Luca 21.*

*Dan. 9.*

## 2031 Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.

Hîc vt maiorem Dei oſtendat gratiam, declarat ſtatum in quo prius erat. Vbi nota quòd dolores mortis dicuntur illi ex quibus mors ſequitur & cauſatur; ſic & dolores mortis ſpiritualis ſunt illa, ex quibus mors ſpiritualis inducitur. Mors autem ſpiritualis eſt duplex, ſcilicet culpæ & gehennæ. Peccata autem inducunt mortem culpæ & animæ. Ezech. 18, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Inducũt etiam mortem pœnæ æternæ. Sic enim de illo peccatore epulone dicitur, Mortuus eſt diues: & ſepultus eſt in inferno. Quid ſunt ergo dolores mortis, niſi peccata quibus mors ſpiritualis animę & infernalis pœnæ cauſatur? Et ſic dicere, *Circundederunt me dolores mortis*, nihil aliud eſt, niſi circundederunt me peccata. Et quia quilibet continuè in præſenti vita ſtat in periculo mortis, quia mors vbique & ſemper expectat: ideo omnis qui eſt peccato circumdatus, ſemper manet in periculo pœnæ infernalis. Et hoc notans, ait, *Et pericula inferni inuenerunt me.* Et aduerte quòd licet malum culpæ quandoque inueniat hominem: vt puta cum quis peccat, & non à propoſito: quandoque verò inueniatur ab homine: vt puta cum quis ex deliberatione & à propoſito peccata committit: ſic conſimiliter quandoque homo tenet peccatum, quandoque tenetur à peccato. vide verſicul. 1189. Tamen pœnam infernalem nunquam aliquis inuenit: quia illam nullus appetit, nec appetere poteſt: quia affectio commodi inſeparabilis eſt à voluntate: ſed inuenitur ab ea. Et ideo non ait Pſalm. Pericula inferni ego inueni: ſed ait, *Pericula inferni inuenerunt me.*

*Dolores mortis ſunt peccata.*

*Luc. 16.*

*Pœnã nõ inuenimus, ſed inuenit nos.*

## Tribulationem & dolorem inueni: & nomen domini inuocaui. 2032

Hîc exponit ſuam tribulationem. Sed fortè dices, Videtur quòd iſte textus contrarietur præcedenti, quo dicitur, *Pericula inferni inuenerunt me*, modò autem dicitur quòd ipſe illa inuenit. Ideo notãdum quòd inuenire quãdoque eſt terminus inquiſitionis: vt quando quis aliquid inquirendo illud inuenit. Et ſic dicebat ſaluator, Quærite & inuenietis. Quandoque verò eſt terminus cognitionis: vt quando ad cognitionẽ alicuius quod ante ignorauerat, deuenit. Et ſic dicitur Sapien. 9, Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inueniemus cum labore &c. Modò ad propoſitum: ſi inuenire ſit terminus inquiſitionis, tunc pericula inferni nos inueniunt, & non econtrario. Si autem ſit terminus cognitionis: nos illa inuenimus, & non econtrario. Primo modo loquebatur in præcedenti verſiculo: ſecundo modo loquitur in iſto. Vnde hîc Gloſa, *Tribulationem & dolorem inueni*: hæc ſunt mala quæ prius dixerat, pericula inferni: quæ prius ipſum inuenerant: ſed poſtmodum ipſe illa inuenit: id eſt, cognouit. Et ideo ne in illis incideret, nomen domini inuocauit. Vel aliter: quando quis conſiderat ſtatum peccati in quo iacuit, Dei offenſam & pœnam futuram: multoties dolet & turbatur de tali ſtatu, & ad ſtatum pœnitentiæ ſe præparat: & Deum vt ſibi parcat, inuocat corde. Et ſic iſte ait, cognoſcendo periculum inferni in quo eram, peccata me circundantia: verti me ad ſtatum pœnitentiæ: per tribulationem habendo contritionem, per dolorem meipſum puniendo. Et ſic tribulationem & dolorem inueni, quia ſtudioſe illa quæſiui, per quæ nomen domini inuocaui: & hoc poſtulando veniam. Et attende quòd talis ex commiſſis offenſis pœnitere volens, duplicem tribulationem & dolorem inuenire debet. Primò quòd non fecit bonum quod debuit. Secundò quia fecit malum quod non debuit. Quod notans Gregor. ait, Omnis peccator in pœnitentia duplicem gemitum habere debet. Quia nimirum & bonum quod oportuit non fecit: & malum quod non oportuit fecit. Hinc eſt enim quòd per Moyſen de eo qui iuramentum protulit vt vel malè quid vel bene faceret, atque ipſum obliuione tranſcendit: dicitur, Offerat agnam de gregibus ſuis, ſiue capram: orabítque pro eo ſacerdos & pro peccato eius. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarũ. vnũ pro peccato, & alterũ in holocauſtum. Iuramentũ nãque proferre eſt, voce nos diuinæ ſeruitutis obligare. Et cum bona opera facere promittimus, bene nos facere ſpondemus: cùm verò abſtinentiam cruciatumq; carnis noſtræ vouemus, malè ad præſens nos nobis facere iuramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus eſt, vt quãtumlibet Deo deuotus ſit, inter ipſa quantumcunque pia vota non peccet: pro peccato agnus offerri de gregibus ſiue capra præcipitur. Quid enim per agnam, niſi actiuæ vitæ innocentia? Quid per capram, quæ in ſummis ſæpe extremiſq; pendens rupibus paſcitur, niſi cõtemplatiua vita ſignificatur? Qui ergo conſpicit ſe promiſſa atq; propoſita non impleſſe, ad ſacrificium Dei ſeſe ſtudioſius debet, vel innocentia boni operis, vel ſublimi paſtu contemplationis attingere. Et bene agna de gregibus: capra verò de gregibus offerri non iubetur. quia actiua vita multorum eſt: contemplatiua verò paucorum. Et cũ hæc agimus quæ multos agere & egiſſe conſpicimus: quaſi agnam de gregibus damus. Sed cùm offerentis virtus ad agnam caprãque non ſufficit, in remedio pœnitentis adiungitur, vt duo columbarũ pulli vel turtures quæ pro cantu gemitum habent offerantur. Quid ergo per duos columbarum pullos vel turtures, niſi duplex pœnitentiæ noſtræ gemitus vel dolor deſignatur? vt cùm ad offerenda bona opera nõ conſurgimus, noſmetipſos dupliciter defleamus: quia & recta nõ fecimus, & praua operati ſumus. Vnde & vnus turtur pro peccato, & alter in holocauſtum offerri iubetur. Holocauſtum namq; totum incenſum dicitur. Vnum ergo turturem pro peccato offerimus, cùm pro culpa gemitum damus: de altero verò holocauſtum proferimus, cũ pro culpa eo quòd bona neglexímus, noſmetipſos funditus ſuccẽdẽtes igne doloris ardemus. Hæc Greg. Iſta ergo duo notans Pſal. ait in perſona pœnitentis, *Tribulationẽ & dolorem inueni.* vt tribulatio referatur ad malum commiſſum, & dolor ad bonum omiſſum.

*Inuenit quãdoque quis dolorẽ, quandoque inuenitur à dolore.*

*Luc. 11.*

*Dolor in pœnitentia duplex debet eſſe.*

*Gre 32. mor. cap. 2.*

*Leuiti. 5.*



## 2033 O domine libera animam meam, miſericors dominus & iuſtus: & Deus noſter miſeretur.

Hîc conſequenter Pſal. petit beatificari à Deo. Et primò petit præmium: ſecũdò allegat meritum: ibi, *Cuſtodiens.* Quantum ad primum, ſciendũ quòd præſens vita tota miſeriis eſt plena: ita vt ipſa proſperitas mundi multis aduerſitatibus ſit reſperſa: ipſa lætitia multis tribulationibus, ipſa corporis ſanitas multis laboribus indigeat. Vnde præſens vita tota eſt moleſtiis plena. Quod oſtẽdens Gaulfred. ſuper illo verbo Eccl. 40, Graue iugum ſuper filios Adam, &c. dicit, Quem non humiliet conceptus impurus, &c. Ex quibus ſequitur quòd nullus beatificari poteſt, niſi primò ab iſta vita liberetur. Et hoc eſt quod poſtulabat Apoſtolus, dicens, Infelix homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Conformiter & nunc Pſal. à præſenti miſeria liberari à Deo poſtulat: dicens, *O domine libera animam meam*, ſcilicet, vt ad tuam gloriam poſſim peruenire. Sic liberari Iob à Deo poſtulabat dicẽs, Libera me domine, & pone me iuxta te. Sed quis poteſt iſtam liberationem facere, niſi Deus? ideo ſubdit, *Miſericors dominus & iuſtus.* Sic & Apoſtolus cùm dixiſſet, Quis me liberabit de corpore mortis huius: ſtatim ſubiunxit, Gratia Dei per Chriſtum. Sic & Pſalm. dicit, *Miſericors dominus.* Quaſi dicat, Liberari nullus dubitet, quia miſericors eſt dominus & iuſtus. miſericors, quia primò per gratiam ſuam me vocauit à vitiis: iuſtus, quia hic me caſtigat & punit pro vitiis, ne flagellet in perpetuũ. Et omnibus iſtis modis miſericordiam ſuam nobis oſtendit, ſcilicet, vocando nos ad gratiam, hic puniendo mala commiſſa. Et totum ad iſtum finẽ miſericors dominus facit, vt nos coronet in gloria. Et hoc eſt quod ſubdit, *Et Deus noſter miſeretur.* Miſeretur namq; quia per flagella recipit ad beatitudinẽ: nec tam amarum eſt quod hic flagellat, quàm dulce quod in beatitudine donat. Flagellat Deus nos hic, vt per pœnas ad gloriã trahat: vt oſtendit Gregor. dicens, Diu quippe Deus tolerat, quem in perpetuum damnat, & furorem ſuum non inferre diſſimulat, quia effundendum ſine fine in poſterum ſeruat. Electorum autem eſt hic conteri, vt in æternum ad præmia debeant æternæ beatitudinis erudiri. Noſtrum eſt hic flagella percipere, quibus ſeruatur de æternitate gaudere. Hinc enim ſcriptum eſt, Flagellat Deus omnem filiũ quem recipit, &c. Et ſic patet quòd dominus nobis miſeretur, dum pro peccatis hic punit & flagellat; dum de miſeria huius vitæ nos tollit, dum ad gloriam nos eleuat. Et in omnibus iſtis dicit Pſal. *Et Deus noſter miſeretur.*

*Vita præſens miſeriis eſt plena.*

*Rom. 7.*

*Iob 10.*

*Miſericors & Deus multipliciter.*

*Pœnæ & aduerſa nos ad gloriam trahunt.*

*Greg. 16. moral. cap. 18.*

*Hebr. 12.*

## Cuſtodiens paruulos dominus, humiliatus ſum, & liberauit me. 2034

Hic allegat meritum quo Deus liberat animam & beatificat. Vbi ſciendum quòd inter omnes virtutes humilitas maximè exaltat hominem in gloria: ſicut ecõtrario ſuperbia maximè ad inferna deponit. Lucæ 18, Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Iſta virtute virgo Maria meruit exaltari. Lucę 1, Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, &c. Iſta virtute Chriſtus ſuper omnem creaturã fuit exaltatus. Philipp. 2, Humiliauit ſemetipſum, &c. propter quod Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen, &c. vide verſic. 227. 479. 1762. Propter quod dicitur Iob 22, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Vnde humilitatem noſtræ liberationis à peccati miſeria & glorificationis oſtendit Pſal. dicens, *Humiliatus ſum, & liberauit me.* Sed ne credas tantam virtutem à te habere, ſed Dei donum eſſe: ideo præmittit, *Cuſtodiens paruulos dominus.* Quaſi dicat, Dominus eſt ille qui paruulos facit, id eſt, humiles, & ipſos cuſtodit. Vel aliter, vt hic humiliari non accipiatur pro virtute, ſed pro pœna: vt dictum eſt verſic. 616. Et tunc eſt ſenſus, *Dominus cuſtodit paruulos*, id eſt, humiles. Et per quẽ modum cuſtodit? certè per aduerſitates & pœnas. Et hoc eſt quod ſubdit, *Humiliatus ſum, & liberauit me.* Et iſtum ſenſum hic ponit Gloſa, dicens, *Cuſtodiens paruulos dominus*, id eſt, dominus vt paſtor cuſtodit humiles, quos grandes quærit in gloria. Et experto credite, quia ego humiliatus ſum, & ipſe liberauit me. Quaſi dicat, Dolor iſte quo hic me cuſtodit, non eſt mortalis, ſed ſalutaris: quem ſecãdo medicus facit. Et hic nota quòd dominus cuſtodit multa perſonarum genera: vt dictum eſt 1665. Ibi dictum eſt de primo membro, hic proſequere.

*Humilitas gloriam meretur.*

*Cuſtodit dominus multa perſonarũ genera.*

## Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. 2035

Hic conſurgit ad gratiarum actionẽ. Hic enim Pſal. loquitur animæ ſuæ. vt hic ly anima ſit caſus vocatiui, & non accuſatiui. Et primò gratias agit: ſecũdò beneficia recolit: ibi, *Quia eripuit*: tertiò patriam æternam ſperando quærit: ibi, *Placebo.* Quantum ad primum, ſciendum quòd in vita præſenti requies

*Aduerſa hic patimur, ſed in Deo requieſcimus & conſolamur.*

requies eſſe non poteſt,quia multis laboribus plena:vt dictum eſt verſic.2033. Et quanto quis plus in mundo conuerſatur, tanto pluribus ſubiicitur laboribus. Quanto autem quis plus mente mundũ deſerit, tanto amplius quieſcit interius. Et hoc eſt *Ioan.16.* quod dicebat ſaluator, In me pacem habebitis: in mundo autem, preſſuram. Quia quamuis mundus preſſuris premitur exterius, anima tamẽ per cõtẽplationẽ à mũdo ſeparata, quieſcit interius. Quod *Iob 35.* bene conſiderans ſcriptura dicit, quòd Deus dedit *Greg.26.moral.cap.11.* carmina in nocte, id eſt, requiem in preſſura & tribulatione. Vnde Greg. prædicta verba exponẽs, ait, Carmẽ in nocte eſt lętitia in tribulatione: quia etſi preſſuris temporalibus affligimur: ſæpe iam tamen de æternitate erigimur vel gaudemus. Carmina in *Rom.12.* nocte Paulus prædicabat, dicens, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmen in nocte Dauid *Pſal.31.* aſſumpſerat qui dicebat, Tu es mihi refugiũ à preſſura quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me. Ecce de nocte preſſuram nominat: & tamen liberatorem ſuum inter anguſtias exultationem vocat. Foris quidem nox erat in circundatione preſſuræ: ſed intus carmina reſonabãt de conſolatione lætitiæ. Quia enim ad æterna gaudia redire non poſſumus niſi per temporalia detrimenta, tota ſcripturæ ſacræ intentio eſt, vt ſpe manentis lætitiæ nos inter hęc aduerſa trãſitoria corroboret. *Ezech.2.* Vnde Ezechiel propheta librum ſe accepiſſe teſtatur, in quo ſcriptæ erant lamentationes, carmẽ, & væ. Quid enim libro hoc, niſi diuina eloquia figurantur? Quæ quia nobis lacrymas luctúſque præcipiunt, lamentationes in eo ſcriptæ referuntur. Carmen quoq; & væ continẽt, quia ſic de ſpe gaudium prædicant, vt in præſenti tamen preſſuras atq; anguſtias indicent. Carmen & vę continẽt, quia ſi illuc dulcia appetimus, primùm neceſſe eſt vt hic amara toleremus. Carmen & væ domi- *Ioan.16.* nus diſcipulis prædicabat, dicẽs, Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo autem preſſuram habebitis. Ac ſi apertè diceret, Sit vobis de me interius, quod conſolãdo reficit: quia erit de mundo exterius, quod ſæuiendo grauiter premat. Ex quibus apparet quòd à laboribus mundi requieſcere non valemus, niſi nos ad requieſcẽdum in Chriſto per cõtemplationem vertamus. Et hoc eſt quod Pſal. ſuæ animæ conſulit: dicens, *O anima mea conuertere in requiem tuam.* quæ requies Chriſtus *Matth.11.* eſt: ipſo dicẽte, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. ſequitur, & inuenietis requiem animabus veſtris. Et quomodo in hanc requiem debeat cõuerti, niſi per gratiarum actionem, cogitando & confitẽdo gratias à Deo receptas? Et hoc eſt quod ſubdit, *Quia dominus benefecit tibi.* Quaſi dicat, Hoc confitere corde & ore, ſcilicet, quòd dominus benefecit tibi, vocando te à vicijs, iuſtificando per gratiam, & eleuando per ſpem.

1036 Quia eripuit animã de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Hic beneficia recepta recolit. Vbi nota, quòd potiſſima ſunt tria Dei beneficia: quorum vnum cõfert in præſenti: & duo in futuro. Primum quod confert in præſenti, eſt quando nos iuſtificat, & de peccato ducit ad gratiam. Et iſtud notans Pſal. dicit, *Quia eripuit animam meam de morte.* ſcilicet peccati. Et quamuis omne peccatum mortale mortem inferat animæ, hoc tamen maximè facit peccatum infidelitatis. Eripit ergo Deus animam de morte, *Mors eſt infidelitas.* quando infideles vocant ad fidem. Et hoc eſt quod hic Gl. Auguſt. dicit, Mors eſt infidelitas. Vnde dominus in euangelio dicit, Dimitte mortuos ſepeli- *Luc.9.* re mortuos ſuos. Et alibi, Non mortui laudabũt te *Pſal.113.* domine. Iam ergo iſte ab infidelitate habet animã ereptam à morte, eo ipſo quòd ex infideli factus eſt fidelis. Quia ſicut dominus ait, Qui credit in me, *Ioan.5.* tranſit de morte ad vitam. Poteſt etiam intelligi de erepto à quocunq; peccato mortali, & ad vitã gratiæ reducto: vt talis dicat agendo gratias Deo, *Quia eripuit animam meam de morte.* Quod ideo dicit, quia ſolus Deus animam iuſtificare poteſt ad vitã gratiæ. Alia autem duo beneficia nõ ſunt in vita præſenti, ſed in vita futura. Quorum primum eſt omnis miſeriæ ceſſatio. Quãuis enim in præſenti ſemper ſit miſeria & tribulatio, in beatitudine tamen erit ſine omni miſeria conſolatio. Quod notatur Apoc.7, vbi de ſanctis dicitur, Non eſurient neque ſitient amplius. Et hoc quo ad miſerias naturales: cuiuſmodi ſunt fames & ſitis. Neq; cadet ſuper illos ſol, neq; vllus. Et hoc quo ad miſerias accidentales: cuiuſmodi ſunt ardores febrium, & æſtus cõcupiſcentiarum. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum. Et hoc quo ad miſerias ſpirituales: ſicut eſt plangere peccata præterita, timere futura: quia quamuis in patria beati recordentur de malis & peccatis eorum, tamen ex hoc ibi non recipient dolorem. quia ſolùm in eis conſiderabunt Dei miſericordiam, quæ eos de tantis malis liberauit. Sicut quis cùm fuit in periculo mortis, & ſe liberatum conſiderans: non dolet, ſed gaudet de ſanitate recepta. Sic ſancti conſiderabũt tam intensè miſericordiam Dei in ipſorum iuſtificatione, quòd non ad lacrymas ex ipſorum peccatis inducentur: ſed ad gaudium & gratiarum actionem. Et iſtud beneficium notans Pſal. ait, *Eripuit oculos meos à lacrymis.* Et hic accipitur præteritũ pro futuro propter certitudinem prophetiæ. Vnde de beatis dicitur, Auferet Deus omnem lacrymam ab *Eſa.25.* omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra. Secũdum beneficium de futuro eſt in bono confirmatio: quia beati ita in bono erunt cõfirmati, vt amplius per aliquod peccatũ nõ poſſint cadere: quia ſi cadere poſſent, ſemper de caſu ſuo haberent timere & dubitare: quæ ſine pœna in eis eſſe nõ poſſent, quæ felicitati patriæ repugnãt. Et hoc notans Pſal. hic ait, *Eripuit*, id eſt eripiet pedes meos à lapſu: per pedes intelligẽs intellectum & voluntatem quibus totus homo interior circũfertur & agitatur. Vnde in perſona cuiuſlibet beati, Pſal. loquitur, dicens, Reddam laudationes tibi, *Pſal.55.* quoniam eripuiſti animam meam de morte, pedes meos de lapſu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Placebo domino in regione viuorũ. 2037

Hic vltimò ſpe beatum ſe futurũ prædicit. Vbi *Regio quadruplex.* notãdum quòd multiplex eſt regio, ſcilicet duplex in iſta vita, & duplex in alia. In iſta vita eſt regio peccatorum, & regio deuotorũ. In alia vita eſt regio damnatorum, & regio beatorũ. Primò hic eſt regio peccatorum. Mundus enim iſte quædam regio lata eſt & ſpacioſa: quam mente inhabitantes, *Luc.15.* diſſimiles & longinqui fiunt à patre cœleſti. In cuius figura dicitur de filio prodigo, quòd filius prodigus congregatis omnibus, abiit in regionem longinquã: ibíq; diſſipauit omnia ſua, &c. Quæ enim eſt regio longinqua, niſi mundus iſte cum ſuis cõcupiſcentiis & voluptatibus? quæ regio in ipſa mẽte manentes elongat à Deo: non quidem loco, ſed ſimilitudine. Vnde verba prædicta exponẽs Gualfred. ait, Prodigus filius abiit in regionem longinquam: non eſt localis iſtius regionis elongatio. ſiquidem cũ non ſit locus, vbi non ſit Deus: ſed per noxiam diſſimilitudinem in longinquam deuenimus regionem. Cùm enim nullus ſit vnquam vel tenuiſſimus motus à ratione quantulumcunq; extraneus, qui diuinam poſſit attingere mentẽ: quãto magis & grauiora peccata elongant regionem noſtram à Deo, &c. Vnde iſte mundus eſt regio deſerti, à qua ventus vehemens irruit, & domum cõſcientiæ funditus deſtruit. de qua dicitur Iob 1, Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. Regio deſerti eſt mundus iſte: qui cùm à Deo deſeritur, à nullo inhabitatore colitur. Domus eſt conſciẽtia noſtra, quæ in quatuor angulis, id eſt in quatuor virtutibus ſuſtentatur, ſcilicet iuſtitia, prudentia, fortitudine, & temperantia. Sed ventus à mundo irruens, ſcilicet tentationis, validè concutit quatuor angulos domus: dum amore mundi iuſtitia deſeritur, & conuertitur in fraudem; prudẽtia deſeritur & cõuertitur in aſtutiam vel malitiam: fortitudo deſeritur & conuertitur in molliciem carnis & voluptatem: temperantia deſeritur & conuertitur in ventris ingluuiem. Quibus angulis ſic concuſſis, liberi moriuntur: quia omnia bona meritoria mortificantur. Secunda eſt regio deuotorum, ſcilicet Deo ſeruientium. De qua dicitur Iohel 1, quòd flamma ſuccẽdit omnia ligna regionis. Ligna iſtius regionis ſunt ſancti, de quibus dicitur Pſal.1, Et erit tãquam lignum quod plantatum eſt, &c. quæ ligna ſuccenduntur à flamma diuini amoris. Tertia regio eſt damnatorum, de qua Hierem.31, Circuibit vniuerſam regionẽ mortis. Dicitur enim infernus regio mortis, quia ibi mors perpetuò regnat. Quarta eſt regio beatorum, in qua omnes beati gaudẽt & regnant cum Chriſto: ad quam aſcendit Chri- *Luc.19.* ſtus, vt regnum ad dexteram patris ſibi reciperet. De quo dicitur, Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum. Et iſta dicitur regio viuentium, quia ibi eſt perpetua vita. Et de iſta nũc ait Pſal. *Placebo domino in regione viuorum.* Quod ideo dicit, quia in præſenti vita nullus Deo plenè placere poteſt, quia nec ſine peccato permanere: ſed ibi omni peccato extincto, perficietur charitas, quæ nos Deo placere facit. Hic enim multa Deo placent: vt dictum eſt verſic.1124. ſed non plenè: ſed in patria ſummè quilibet Deo placebit. Sapient.4, Deo placens dilectus factus eſt.



## PSALM. CXV.

1038 Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Hic Pſal.115. ſecundum multos doctores, nullum habet titulum, nec in Hæbræo nec in Latino. ſed ſecundum magiſtrum in gl. habet titulum, qui talis eſt, Alleluia. Qui titulus multoties ſuperius expoſitus eſt: & maximè in titulo Pſalm.104. Idem enim eſt quod Laudate Deũ. Qui meritò huic pſalmo præponitur, quem fecit Dauid liberatus à perſecutione Abſalonis filij ſui, cõfitens peccata ſua, & Deo gratias agendo de ſua liberatione. Et ideo, quantum ad ſenſum hiſtorialem, eſt ſciendũ, quòd in illa perſecutione tria maximè leguntur de Dauid, ſcilicet primò quia peccauit decipiendo, ſcilicet ipſum Miphiboſeth: quẽ iniuſtè hæreditate ſua priuauit: ſecundò humilis fuit patiẽter tolerando: tertiò deuotus fuit gratias agendo. Et ſecundũ iſta Pſalmus iſte diuiditur in tres partes. quia primò ponitur primum: ſecũdò ſecundum: ibi, *Quid retribuam?* tertiò tertium: ibi, *Vota mea, &c.* dic vt Nicolaus. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notandum quòd iſte Pſal. eſt vox ſanctorum martyrũ pro Chriſto & eius fide paſſorũ. Ipſum enim martyrium aliqua præcedũt per modum diſpoſitionis, aliqua concomitantur per modum expoſitionis, & aliqua cõſequuntur per modũ vtilitatis & præmiationis. Et ſecũdum hoc Pſalmus iſte diuiditur in tres partes: quia primò ponitur martyrũ diſpoſitio: ſecundò martyrum expoſitio: ibi, *Quid retribuã?* tertiò martyrij vtilitas & perfectio: ibi, *Dirupiſti.* Quantum ad primum, ſciendum eſt quòd tres virtutes maximè ad martyrium pro Chriſto diſponũt hominem: ſine quibus quis paſſus, etiã martyr, nõ diceretur. Et ſecundum hoc prima pars diuiditur *Martyr ſine fide nullus poteſt eſſe.* in tres: primum eſt fidelis credulitas: ſecundum eſt virtutis humilitas: ibi, *Ego autem.* tertium eſt, cõfeſſionis ſynceritas: ibi, *Ego dixi.* Quãtum ad primum, *Martyr extra eccleſiam nullus poteſt eſſe.* ſciendum quòd ſine fide & credulitate, quantumcunq; quis ab infidelibus patiatur, martyr non eſt cenſendus. Vnde etiamſi quis extra eccleſiam exiſtens pro Chriſti nomine patiatur, vt puta hæreticus, martyr non cenſetur. vt habet textus, diſt.90. neq;. Et hoc eſt quod ait Gregor. ſuper illo verbo *Gregor.18. moral. ca.14.* Iob 28, Eſt locus auro, in quo conflatur. Nam ſæpe pro Ieſu domini ac redemptoris noſtri nomine multa patiũtur hæretici, ſeſeq; eiſdem paſſionibus eius fieri martyres ſperant. Quibus nũc voce ſancti viri dicitur, Auro locus eſt, in quo cõflatur. Nã quicunq; extra vnitatem eccleſiæ patitur, pœnam quippe pati poteſt, ſed martyr fieri non poteſt: quia locus eſt auro, in quo conflatur. Quid itaq; ad hoc hæretici dicitis? cõflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis: ſed locum in quo cõflari debeatis neſcitis. Audite quod ſancti prędicatoris voce dicitur, Eſt auro locus, in quo cõflatur. Hunc ergo conflationis locum quærite: hanc fornacem qua aurũ aptè purgari valeat inuenite. Vna eſt eccleſia, in qua quiſq; conflari voluerit, ab omni poterit peccatorum ſorde purgari. Siquid pro Deo amaritudinis, ſiquid tribulationis extra hanc poſiti ſuſtinetis, incendi poteritis: non tamen pur- *Hierem.6.* gari. Dicat Hieremias, dicat quomodo conflationis veſtrę ignis omni virtute ſit vacuus. Fruſtra cõflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt cõſumptæ. Ecce ignis exterius conflans & duræ paſſionis admouet pœnam: & tamen erroris non excoquit culpam. Tormenta crudelium dat pœnarũ: & bonorum non facit incremẽta meritorum. Huius etiam conflationis ignis qui extra catholicam toleratur eccleſiam, quàm nullius omnino virtutis *1.Cor.13.* ſit, Paulus inſinuat Apoſtolus dicens, Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodeſt. Alij quidem praua de Deo ſentiũt, alij recta de auctore retinent: ſed vnitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei,

iſti

iſti verò ſchiſmatis perpetratione diuiſi ſunt, &c. Ex quibus apparet quòd ad verum martyriũ primò fidei rectitudo, vt recta de Deo cũ eccleſia credat: & cum hoc requiritur etiam vnitas cũ proximo, vt recta quæ credit proximum doceat. Et iſta duo notat Pſal. in perſona martyrum, dicens, *Credidi*, propter primum: *propter quod locutus ſum*, quo ad ſecundum. Et hæc eſt intentio Gl. hic dicẽtis, *Credidi*, ſcilicet verè & perfectè, quod credit eccleſia. *Propter quod locutus ſum*, quia credenti neceſſe eſt loqui. Non enim perfectè credit qui quod credit nõ loquitur. Piger eſt ille ſeruus & inuidus: ſed fidelis ſeruus, quod accipit, impendit, & lucratur alios. Hic verus & cõgruus ordo: prius credere, & poſtea loqui: ne nondum credens audeat loqui, ſed fidem ſequatur confeſſio. Et notandũ quòd non ait, Credidi, & locutus ſum: ſed *Credidi, propter quod locutus ſum*. qui non tantùm credidit cætera quæ fides exigit, ſed ſimul cum illis credidit quòd præmium loquendo ſperare, & quòd pœnam tacendo timere deberet. Vnde loquendo quidam amor ex præmio innuitur: & neceſſitas ex pœna inducitur. propter quod ait, *Credidi, propter quod locutus ſum*. Sed attende quòd multi credũt, & tamen tacẽt ex diuerſis cauſis. quandoq; timore temporalium rerum, ne illas perdat. Et talis eſt ſimilis ſeruo qui abſcondit pecuniam domini ſui. quandoq; timore voluptatis carnalis, ne illa priuetur. Et eſt ſimilis ſeruo qui repoſuit pecuniam domini ſui in ſudario. quandoq; timore infamiæ & enormitatis: quia ſcilicet ſcit ſe indignũ. vnde Pſal. 49, Peccatori autẽ dixit Deus, Quare enarraſti, &c. quandoq; timore ignorantiæ: quia non intelligit quæ credit. vnde Eſa. Principes veſtri omnes cæci ſunt: canes muti, non valẽtes latrare. quandoq; ratione humilitatis & ſimplicitatis bonæ. vt Hierem. 1, Et dixi, a. a. a. domine Deus. ecce neſcio loqui, &c. quandoq; ratione indiſpoſitionis auditoris incapacitate. vnde dominus Ioan. 16, Adhuc habeo multa vobis loqui: ſed non poteſtis portare modò. Item notãdum quòd illa quæ ſunt fidei diuerſimodè credi poſſunt. vide verſic. 776. Sequitur ſecundum requiſitum ad martyriũ, ſcilicet virtus humilitatis. Vnde ſequitur, *Ego autem humiliatus ſum nimis*. quia niſi quis paruulus ſit per humilitatem, animam nõ poteſt dare pro Chriſto. Vel aliter: vt hic humilitas ſtet pro pœna: ſicut Pſalm. 43, dixit, Humiliaſti nos in loco afflictionis. Et ſic eſt ſenſus: vt verus martyr dicat, *Ego autem humiliatus ſum nimis*, id eſt paſſus ſum multas tribulationes propter verbum Dei quod fideliter impendebam.

*Credẽs loqui debet quæ credit.*

*Matth. 25.*

*Eſa. 36.*

*Humiliari idem eſt quod pati.*

### 2039 Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax.

Hic ponitur tertium requiſitum, quod eſt confeſſionis ſynceritas. Vbi notandum quòd mendacium non ſolum ſtat in verbis: quando quis ſcilicet vnum dicit, & aliud habet in corde: ſed etiam in factis. immò quãto facta ſunt maiora quàm verba, ſic & mẽdacia rerum ſunt maiora quàm verborum. Realiter enim omnis res dicitur mendax quæ vnum prætendit exterius, & aliud exiſtit interius. Sic aurum ſophiſticum, eſt aurum mendax. Sic hypocrita quilibet eſt mendax: ſic quilibet peccator dicitur mendax, quia imaginem Dei prætendit. & quia peccator, imago dæmonis exiſtit. Cùm ergo omnis homo, ratione ſaltem corporis, tendat ad ima & terrena, & exteriori figura prætendat ſe tendere ad ſuperiora: quia inter cætera animalia corpus erectum habet, quo prætendit ſolùm diuina ſe quærere. hinc eſt quòd omnis homo dicitur mendax. Et hanc veritatis confeſſionem oſtendit Pſal. dicens, *Ego dixi in exceſſu meo, &c.* Vbi notãdum quòd exceſſus mentis idem dicitur quòd extaſis, quãdo quis ſcilicet ponitur extra ſtatum ſuæ mẽtis. Quod duobus cõtingit modis. aut ſcilicet cum mens ingenti pauore mortis vel alicuius grauis periculi concutitur: & cõcuſſa, quaſi extra ſeipſam ponitur. Et ſic dicitur Pſal. 30, Ego dixi in exceſſu mentis meæ, Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Fit ſecundò ex contemplatione ſupernorum: quando ſcilicet mens rapitur ad ſuperna contemplanda: vel ex aliqua inſpiratione ſibi ſuperna reuelante. Sic in exceſſu mentis fuit Paulus, quando vſq; ad tertium cœlum fuit raptus: vt neſciret an anima eius vnita eſſet corpori, vel extra corpus. Hic ergo accipitur exceſſus, non pro pauore quo mens alienatur: ſed pro mente rapta. quando ſcilicet aliqua inſpiratione reuelationis ſurſum aſſumitur. vt cum homo ſic ſeipſum cognoſcit, vt ſciat nihil boni proprium habere à ſeipſo. Et ſic confitetur Pſal. in exceſſu, quòd omnis homo mendax: quia ſcilicet aliquid eſſe ſeipſum oſtendit, cum tamen à ſeipſo ſit nihil. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus ad Galat. 6, Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit: & per conſequens mendax eſt. Sed ex iſto textu Gregor. facit vnum ſophiſma contra Pſalmiſtam. lib. 22. moral. dicens, Pſalm. ait, *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax*. Cui reſpõderi poteſt, id eſt contra quam ſic argui poteſt, Si omnis homo mẽdax, ergo & tu. falſa ergo erit ſententia, quam ipſe mendax protulit: dicens, *Omnis homo mendax*. Si verò ipſe ſit non mendax: vera iam ſententia non erit: quia dum tu verax es, non omnis homo cognoſcitur mendax. Et reſpondet: Sed notandum quòd præmittitur, *Ego dixi in exceſſu mẽtis meæ*. Per exceſſum ergo mentis, etiam ſeipſum tranſiit, cum de hominis qualitate diffiniuit. Ac ſi apertè dicat, De falſitate omnium hominum inde veram ſententiam protuli: vnde ego ipſe ſuper hominem fui. Intantum ergo & ipſe mendax, inquãtum homo: intantum autem omnino non mẽdax, inquantum per exceſſum mentis ſuper hominem, &c. Et nota quòd aliud eſt mentiri, aliud falſum dicere: verſic. 44.

*Exceſſus quid ſit: qui dupliciter ſit.*

*Gregor. 22. moral. cap. 15. Sophiſma quòd omnis homo non ſit mendax.*

### Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? 2040

Hæc eſt ſecũda pars in qua ponitur martyrum expoſitio, ſcilicet quando mente ſe diſponunt ad martyrium pro Chriſto. Vult ergo hic Pſal. oſtendere quòd multipliciter quilibet ſe martyrio exponere debet pro Chriſto. Et primò ratione: ſecũdò affectione: ibi, *Calicem ſalutaris*: tertiò operatione: ibi, *Vota mea*: quartò obligatione: ibi, *O domine*. Quãtum ergo ad primum, vult Pſal. per rationem oſtendere nos promptos debere eſſe ad patiendum pro Chriſto: quia aliter peccatum ingratitudinis non poſſumus euadere. Recompenſatio enim beneficij recepti debet eſſe iuxta proportionem beneficij & beneficiati. Nos autem propter peccata noſtra eramus ſubditi diaboli, æternæ pœnæ deputati, & infectione culpæ maculati: ſed Chriſtus hoc totum quod perierat redemit, & bonum pro malo nobis retribuit. Quæ ergo recompenſatio



poteſt eſſe ſufficiens, niſi vt nos totos ſibi debitores cognoſcamus? Quicquid enim minus teipſo dares, non debitè recompenſares. Et hoc eſt quod ait, *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* quaſi dicat, niſi meipſum. Et aduerte quòd non ait, Quid tribuam domino pro omnibus quæ tribuit mihi: nec, Quid retribuam pro omnibus quæ tribuit. ſed ait, *Quid retribuã pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vbi nota quòd differentia eſt inter retribuere & tribuere. Nam tribuitio eſt vbi ex parte recipientis nullum præceſſit meritum, ad hoc nec demeritum. Et ſic Deus tribuit nobis eſſe per creationem, electionem per æternam prædeſtinationẽ. Sed retributio præſupponit aliquid in recipiente bonum vel malũ, pro quo aliquid reddatur. vt puta præmium vel pœna. Dicens ergo, *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ſolum notat quę dominus bona pro operibus noſtris nobis reddit. Conſidera quid in nobis præceſſerit: certè non niſi peccata & mala, quibus homines mala reddunt: quinimmo ſæpe mala pro bonis. Deus autem non ſic, ſed pro malis bona nobis retribuit: quia pro nobis factus homo, humiliatus vſq; ad mortẽ crucis, mortuus. Si ergo bona pro malis tibi retribuit, quãto amplius tu ei bona pro bonis retribuere debes, vt te pro ipſo exponas martyrio: ſicut ipſe pro te ſe expoſuit? quinimmo ſibi teipſum retribuens, non tuum, ſed ſuum ſibi reddis: non ſibi proficis, ſed tibi. Et nota quòd multæ ſunt ſpecies retributionis, ſiue redditionis. vide verſic. 67. 535. Iſtũ verſiculum pertractans Bern. non tamen ſeruans diſtinctionem prædictam inter retribuere & tribuere, dicit, *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* quòd me fecit de nihilo: quòd gratis, ꝙ me in tanta dignitate cõdidit: quòd debitum magnum dilectionis oſtendit. Cæterum quãtum putamus adiectum beneficij, & cùm homines & iumenta ſaluauit? Nos dico qui peccando comparati iumentis inſipientibus, mutauimus gloriam noſtram in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. quòd ſi totum me debeo pro me facto, quid addã pro me refecto, & ſic refecto? Nec enim tam facilè refectus quàm factus. Dixit enim, & facta ſunt omnia. At verò qui me ſemel dicendo fecit, in reficiẽdo profectò & fecit multa, & geſſit mira, & pertulit dura: nec tãtùm dura, ſed etiam indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecũdo, ſe. Et vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid ergo Deo retribuam pro ſe? Nam etſi me milies repẽdere poſſem, quid ſum ego ad Deum? Quid ergo retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

*Tribuere & retribuere quomodo differunt.*

*Retribuere Deo pro beneficiis ſuis non poſſumus.*

### 1041 Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo.

Hic ſe Deo exhibet per affectionem & volũtatem. Cùm enim quæreret ſuperius, dicens, *Quid retribuam domino* &c. non inuenit quòd aliquid retribuere poſſit ex his quæ gratis recepit à domino. Et nota quòd calix eſt triplex quem Deo debemus reddere: ſcilicet calix conſecrationis Chriſti ſanguinis: calix paſſionis Chriſti hominis: calix pœnitentiæ contriti hominis. Primum calicem accipimus cùm dignè Chriſti corpus & ſanguinem ſumimus, & Chriſto per fidem copulamur. Secundum calicem accipimus quando mortem quam pro nobis Chriſtus tulit, pro gloria nominis ſui patiendo, ſibi reddimus. Sed tertium calicem accipimus, quãdo noſmetipſos pro eius nomine affligimus. Sed quantum ad literam ſpectat, maximè de calice paſſionis Chriſti intelligitur: vt eius paſſionẽ & mortẽ in corde ſemper accipiamus: & pro ipſo mori ſi articulus requirat, parati voto ſimus. Et attende quòd ait, *Calicem ſalutaris*. ſalutare enim dicitur Chriſtus. Lucæ 2. quia viderũt oculi mei ſalutare tuũ. Et ſic calix ſalutaris eſt calix Chriſti. Vnde Auguſt. iſtum locum exponens ait, Quærit iſte quid retribuat domino: & non inuenit niſi ex his quæ dominus retribuit ſibi. Vnde ait, *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo*. O homo peccato tuo mendax, ſed dono dei verax, & ideo iam non homo: quis dedit tibi calicem ſalutaris, quem accipiens & inuocans nomen domini, retribues ei pro omnibus quæ retribuit tibi? Quis niſi ille qui ait, Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Quis dedit tibi imitari paſſiones ſuas, niſi qui pro te paſſus eſt prior? &c. Iſte calix eſt via ſine quã nemo venit ad patriam: vt oſtẽdit Gregor. ſuper illo verbo Iob 24. Oculi eius in viis eius: dicẽs, Vias gloriæ ſequentium oculis monſtrabat veritas, dicens, Siquis mihi miniſtrat, me ſequatur. Ad has vias tumentia diſcipulorum corda reuocabat, cum locum iam gloriæ quærerent, ſed eiuſdem gloriæ iter ignorarent: dicẽs, Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibiturus ſum? Confeſſionis quippe illius celſitudinem à dextris ſiniſtríſq; quæſierant: ſed quãta ad hanc itineris eſſet anguſtia non videbant. Vnde & eorum oculis imitandus calix paſſionis mox obiicitur: vt videlicet ſi ad ſublimitatis gaudia intenderent, priùs vias humilitatis & paſſionis Chriſti inuenirent. Et ſic voto dicerent, *Calicem ſalutaris accipiam* &c. Et attende quòd ſine iſto calice martyrij & imitationis Chriſti, nullus poteſt ſaluari: non quidem intelligendum ſine martyrio morte corporis conſumato, ſed voto, ſi expediens fuerit. Verus enim martyr dicitur qui voluntate paratus eſt pati pro Chriſto, etiamſi paſſio non ſequatur in opere. quoniam aliud eſt, martyrium deeſſe voluntati, & aliud, voluntatem deeſſe martyrio: vt oſtenditur de pe. diſt. 1. nunquid Caim. In iſto ergo verſiculo agitur de voluntate martyrij, & in ſequenti agitur de opere martyrij conſumati.

*Calix multiplex.*

*Calix paſſionis Chriſti.*

*Calix paſſionis eſt via ad gloriam.*

*Gregor. lib. 17. moral. c. 4.*

*Ioan. 12.*

*Matth. 20.*

*Martyr quis eſt, dicit & voto & facto.*

### Vota mea domino reddam coram omni populo eius: precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius. 2042

Hic conſequẽter agitur de martyrio operis recepto pro confeſſione nominis Chriſti. Vbi notãdum quòd confeſſio nominis Chriſti non ſufficit in corde vbi perſecutionis articulus inſtat, niſi etiam ſit publica & in voce. Et hoc notans hic Pſalm. ait, *Vota mea reddam domino coram omni populo eius*: non ſolùm in corde. Vel votum quod habebat quis martyrij in corde: quando articulus exigit, publicè mortem tolerando debet implere. Vnde hic ait Gloſa, *Vota mea domino reddam*, id eſt calicem quem priùs habebam in deſiderio reddam ipſo actu: & hoc publicè coram omni populo eius, vt exemplum capiant vniuerſi. Et cur hoc ita faciat, ſubdit cauſam. *Quia precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius*. Et verè precioſa, quia emit eam ſanguine ſuo, quem primò fudit pro ſalute ſeruorum: ne pro domini nomine ſerui ſuum fundere

*Confeſſio nominis Chriſti debet eſſe publica.*

ſanguinem dubitarent.quod tamen ad eorum vtilitatem,non domini,proficeret. Et verè precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius,quia ipſi de morte tranſeũt ad vitam,de labore ad requiem, de mœrore ad lętitiam,de ſpe ad rei poſſeſſionem, de fide ad claram Dei viſionem. Et hinc eſt quòd martyres plus honorantur poſt mortem quàm ante. Vnde Gualfred.ſuper Apoc.ait. Felix martyrum victoria:per quã mors corporis vincitur: nec modò vt nõ ſit noxia,ſed magis ſit precioſa in cõſpectu domini mors ſanctorum eius. quia ſicut dum viuunt qui rectè ſapiunt,ad diẽ noctis ſemper oculos cordis intendũt: ſic memoria ſanctorum in die mortis eorum celebrior feſtiuatur. Celebratur eorum memoria, cùm præſentia tollitur: nec modò ipſos quos mortis cauſa,non pœna martyres facit, illuſtrat:ſed & omnes qui perſeuerãt vſq; in finem operum Dei,cuſtodia victorioſa coronat. Beati ſiquidem mortui qui non ſolùm pro domino, ſed etiam qui in domino moriuntur.

2043 O domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.

Hîc oſtendit ſe debitorem Chriſto, vt ſeipſum pro ipſo morti exponat. Si enim ſeruus ab aliquo emptus pro domino ſuo ſe exponere debet, quãto magis nos pro Chriſto debemus exponere, qui nos emit ſanguine proprio,non auro vel argento?

*1.Cor.6.*

Et hanc rationem facit Apoſtolus,dicens,Nõ eſtis veſtri,id eſt veſtræ poteſtatis,ſed Dei qui vos redemit à diabolo. Empti enim eſtis pretio magno, id eſt ſanguine Chriſti.Portate ergo Deum in corpore veſtro, id eſt omnem pœnam & moleſtiam corporis etiam vſq; ad mortem pro ipſo ſuſtinere debetis.Et hanc eandem rationem facit Pſal.dicens, Non mirum ſi reddam vota mea domino corã omni populo.ratio:quia domine ego ſum ſeruus tuus &c.id eſt à te tuo ſanguine emptus. Vnde Auguſt. Confiteatur ergo conditionem ſuam mancipium rãto precio comparatum:& dicat, *O domine,ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Veriſſimo autem domino veriſſimum famulatum debemus: vt ei non neceſſitate,ſed volũtate ſeruiamus.Et bis dicit, *ego ſeruus tuus:* quia duplici ratione ſerui ſumus Chriſti:& quia ab eo creati, & quia ab eo redempti. Sed quia nullus animam ſuam poteſt dare pro Chriſto,vt ſit verus Chriſti martyr:niſi in vnitate maneat eccleſiæ: vt dictũ eſt verſic.2038.ideo ſubdit,*Et filius ancillæ tuæ*,id eſt eccleſiæ:quæ ancilla dicitur dum ſeruit:ſed ſponſa,dum iungitur ſponſo.Aliter enim non eſſet martyr niſi filius eſſet ancillæ.Qui enim ſunt extra eccleſiam,etſi ſe dicunt ſeruos Chriſti & martyres,vt hæretici:non tamen verè ſunt ſerui neq; martyres. Dicat ergo Deo ſeruus iſte; Multi ſe martyres dicunt, multi ſeruos tuos,quia nomen tuum habent in variis erroribus exiſtentes:ſed quia præter eccleſiam tuam ſunt,nõ ſunt filij ancillæ tuæ:ego autem ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.

*Ancilla dicitur eccleſia.*

Et nota quòd eccleſia meritò dicitur ancilla Dei.Nã vera ancilla dicit nomen perſonæ ſeruientis:quoniã ancilla dicitur ab an,quod eſt circum,& cillo cillas,quod eſt mouere.inde ancilla:quia circumquaq; ſeruiendo mouetur ad nutum dominantis.

*Ancilla ſex cõditiones debet habere.*

Et quantum ad hoc, notandum quòd ancilla in ſuo ſeruitio ſex conditiones debet habere,quas habet eccleſia Deo ſeruiẽdo:propter quas ancilla domini dicitur. Debet enim ancilla eſſe in conuerſando humilis,in operando agilis,in patiendo ſtabilis, in ſeruiendo agilis, in lucrando fertilis,in ſeruãdo habilis.Iſta omnia ad eccleſiam faciliter applicari poſſunt:propter quæ ancilla domini dicitur 1.Macch.2. Quæ erat libera,facta eſt ancilla.quod exponitur de gentilitate, quæ primò erat libera,ſcilicet peccatis,nullo legis iugo ſubdita: quæ modò facta eſt ancilla, id eſt eccleſia Deo obediens & ſubiecta.

Dirupiſti domine vincula mea:tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen domini inuocabo. 2044

Hic oſtenditur martyrij vtilitas & perfectio. Et duo facit: quia primò oſtẽditur martyrij vtilitas & perfectio:ſecũdò ex hoc redditur gratiarum actio, ibi,*Vota mea.*

*Martyriũ habet vicẽ baptiſmi.*

Quantum ad primum, ſciẽdum quòd martyrium tantam habet efficaciam,quòd omnia peccatorũ vincula diſrumpat: ſicut & baptiſmus. vnde & vicem baptiſmi gerit: quia martyr in ſanguine ſuo baptizatur.De conſecr.diſt.4.vicem baptiſmi.& cap.catechumenum.Et hoc eſt quod dicit martyr quilibet Deo, *Dirupiſti vincula mea*,ſcilicet virtute martyrij vincula peccatorum.quinimmo etiam martyriũ omnia vincula diſrumpit.

*Vinculũ multiplex ſoluit martyrium.*

Vbi notandum quòd multa ſunt vinculorum genera, ſcilicet vincula culpæ,pœnæ, & gratiæ.de quibus vide verſic.1894.duo prima vincula ſoluit martyrium,ſed tertiũ confirmat. Vnde hic notabile verbũ dicit Magiſter in gl.quòd iſte verſus tantæ virtutis creditur,vt peccata homini dimittantur,ſi in fine vitæ trina cõfeſſione dicatur.Nec mirum ſi de tanta efficacia Deo quilibet gratus exiſtat. Ideóq; ſubdit, *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Quid eſt hoſtia laudis,niſi ſeipſum recognoſcendo,beneficiũ Deo immolare?Idem enim eſt hoſtia laudis,quod ſacrificiũ laudis. Et ideo ſicut ſacrificiũ erat multiplex in antiqua lege,ſic & in noua multiplex eſt hoſtia. vide verſic.817. Et maximè hoſtia laudis eſt hoſtia viua, qua quis ſeipſum viuum Deo immolat.vide verſic.411.

*Gregor.lib.9. moral.c.44.*

Iſtum verſiculũ aliter deducit Gregor. oſtendens quòd tunc Deus vincula noſtra diſrumpit,quando nos ad patiẽtiam inducit,peccata noſtra nobis faciendo cognita.

*Peccatorũ cognitio ipſorũ vincula diſrumpi facit.*

Vnde ſic ait,Sæpe nãque peccator iniquitatis ſuæ vinculis ita conſtringitur, vt pondus quidem peccatorum toleret: ſed tamen quia toleret,ignoret. Sæpe etiam ſi cogitet quanto reatu premitur,erumpere conatur:& hinc in ſe mente libera, conuerſione integra perſequatur, & non poteſt. Flere ergo dolorem ſuum non valet,qui & iniquitatis ſuæ dolorem conſiderat:& tamen præ terrenæ occupationis pondere, hanc ei gemere nequaquam vacat.Flere dolorem ſuum nõ valet qui prauæ quidem conſuetudini contrariè nititur; ſed tamen adhuc ſuccreſcentibus deſideriis carnis grauatur. Huius doloris præſentia prophetæ mentem cruciauerat, cum dicebat, Dolor meus contra me eſt ſemper:quoniam iniquitatem meam ego pronuncio, & cogitabo pro peccato meo.

*Pſal.37.*

Sed ſolutis iniquitatis vinculis, dimiſſum ſe nouerat,qui exultabat,dicens,*Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*.tunc ergo ad plangendũ dolorẽ dominus nos admittit,cùm & mala quæ fecimus nobis demonſtrat: atq; ad hæc eadem flẽda quæ cognoſcimus adiuuat.Culpas oculis obiicit, & pia manu gratiæ vincula noſtri cordis diſrũpit, vt ad vacationẽ pœnitentiæ mens noſtra ſe erigat: & car



& carnis cura ſoluta, cum pedibus in auctorem ſuum libera greſſum amoris tendat,&c.

2045 Vota mea domino reddam in conſpectu omnis populi eius:in atriis domus domini in medio tui,Hieruſalem.

*Vota noſtra perfectè reddenda Deo in patria.*

Hic ponitur gratiarum actio quæ plena erit in patria. Quæ enim ſunt vota quæ promiſimus domino in baptiſmo?Certè diligere Deum,& mãdata eius cuſtodire: renuntiare mundo & pompis eius: diabolum fugere cum vitiis eius. Iſta autem vota licet ex parte hic Deo ſoluantur,non tamen perfectè:quia mens noſtra põdere carnis fatigata in Dei amorem tendere perfectè non valet.vt oſtẽdit Magiſter lib.3,diſt.37, ſed in vita beata anima à pondere carnis libera, tota ac totaliter in Dei amorem rapietur.

*Sentent.*

Et hoc eſt quod ait, *Vota mea.*ſcilicet quæ in baptiſmo Deo voui:*Domino reddam.*ſcilicet in patria. Quod notat per hoc quod ſubditur,*In conſpectu omnis populi eius.*

*In conſpectu omnis populi reddam in patria.*

Populus enim Dei hic diſperſus manet,& mixtus cum malis:ſic vt nullus quantũcuq; iuſtus coram omni populo Dei Deo vota ſua reddere poſſit:quia nec in omni loco vbi eſt populus Dei aliquis poteſt eſſe. Sed in patria quilibet beatus erit in conſpectu omnis populi Dei: quia omnes beati tam angeli quàm homines ſe adinuicem apertè videbunt & nudè:ſic quòd iuſtitia cuiuſlibet cæteris omnibus erit manifeſta. Vnde non hic, ſed in patria in conſpectu omnis populi Dei, Deo reddemus vota noſtra.

*Atriũ ſignificat æternam gloriam.*

Et ad hoc magis declarandum,ſubdit, *In atriis domus domini.* In ſacra enim ſcriptura ipſa gloria æterna,atrium dicitur,quoniã atrium idem eſt quòd ampla domus & ſpacioſa. Et quæ domus poteſt eſſe ſpacioſior ipſa gloria, de qua dicitur,O Iſrael,quàm magna eſt domus Dei, ingens locus poſſeſſionis eius:& non habet finem excelſus & immenſus?

*Baruch.3.*

Vnde iſta atria gloriæ deſiderabat Pſal.dicens,Quàm dilecta tabernacula tua domine:concupiſcit & deficit anima mea in atria domini.

*Pſal.83.*

Vnde gl.cõcupiſcit & defecit anima mea, à ſe vel à ſtatu ſuo tendens in atria domini æterna. Defecit anima mea in atriis tendẽs,quaſi ſicut vua preſſa deficit in vinum: ſic iſte in requiẽ cœleſtem tendere appetens,deſiderio languet & amore:quia nondum habet atria quæ deſiderat. In iſtis atriis gloriæ eſt æternitas ſine fine. Pſalm.83,Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper milia. Vbi gl.Immutabilis dies in atriis domini ſine ortu,ſine occaſu:cui non cedit heſternus,quẽ non vrget craſtinus. Hæc æternitas fuit figurata in atrio Salomonis: de quo 3,Regum 7,dicitur,quòd fecit Salomon atriũ maius rotundum.Figura enim ſphærica principio caret & fine.Ibi eſt obumbratio ab omni iniquitatis ardore.Exod.40.Circundabis atriũ tentoriis:quia ibi ſub vmbra alarum Dei ſancti proteguntur.propter quod dicitur, Nubes impleuit atriũ interius. Ibi eſt clarus ſplendor gloriæ. Ezech.10, Atrium repletum eſt ſplendore gloriæ domini. Vel vis ex tribus prædictis dicere, quòd in atrio gloriæ ſunt tria in quibus plenè beatitudo perfecta cõſiſtit:ſcilicet firma tentio, ratione æternitatis: grata vnio, ratione charitatis, quæ per nubem deſignatur, & clara viſio,ratione ſplẽdoris.Ad propoſitum: cum dicit,quòd vota ſua reddet in atriis domus domini, per hoc ſignificat quòd in cœleſti gloria vota noſtra perfectè ſoluentur. Ad quod magis confirmandum,ſubdit,*In medio tui,Hieruſalem:* quid enim per Hieruſalem intelligit,niſi cœleſtem patriam,in qua clarè Chriſtus videtur,qui eſt pax noſtra?nam Hieruſalem viſio pacis interpretatur. Vnde hic ait gl.*In medio tui,Hieruſalem:*vbi ſcilicet pax eſt,& ſancti Dei viſione lætantur.Et ad hanc perueniunt filij ancillæ ſcilicet eccleſiæ catholicæ.Qui autẽ filij huius ancillæ nõ ſunt,bellum potius quàm pacem amauerunt. & ideo ad viſionem pacis peruenire non poſſunt.

## PSALM. CXVI.

LAudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. 2046

Iſte Pſalmus hũc habet titulum,Alleluia.quod idem eſt quòd Laudate Deum: vt patet in principio Pſal.104.Qui titulus meritò huic Pſal.competit:quia iſte Pſal.omnes ad laudem Dei inuitat tam Iudæos quàm gentiles:quia enim in fine præcedẽtis Pſalmi dixerat Pſalmiſta,*Vota mea domino reddam in conſpectu omnis populi eius*, &c.*in medio tui,Hieruſalẽ.* Et ideo nequis extimaret atria domus domini, & omnem populum eius ſolum Iudæos ſignificare: quem Pſalmum ita clauſit, vt diceret *in medio tui, Hieruſalem:* cuius nomine carnales Iſraelitæ gloriãtur.Ideo vt oſtendat quòd ſuperna Hieruſalem nõ ſolùm Iudæos, ſed etiam gentiles continet ciues: ideo ſtatim poſt illum Pſalmum præſens adiungitur:in quo omnes indifferenter,id eſt vniuerſalem eccleſiam ad Dei laudem inducit:quæ quidem cõſiſtit ex Iudæis & gentibus. Vnde tota huius Pſal. intentio eſt ad Dei laudem & honorem ex Chriſti incarnatione inducere. Diuiditur autem Pſal.iſte in duas partes: quia primò omnes ad laudem Dei inducit:ſecundò rationem laudis adducit,ibi,*Quoniam confirmata.* Quantum ad primum, ſciendum quòd per populum in antiqua lege propriè ſolum Iſraelitæ intelligebantur: quoniam illi ſoli verum Deum colebant.Sine cultu autem Dei vera iuſtitia haberi non poteſt: quia omnis non colens Deum, eſt idolatra & ſceleratus.Iuſtitia autem cum ſcelerato homine conſortium habere non poteſt:vt dicitur extra.de verborum ſignificatione cap.forus.

*Extra.de verbor.ſignificatione in cap.forus.*

Nulla autem cõgregatio ſine iuſtitia populum poteſt facere, cũ populus ſit cœtus multitudinis, iuris conſenſio, & communionis vtilitate ſociatus: vt declaratum fuit verſi.816.Cæterę autem nationes ab Iſraelitis gentes appellabantur. Sic ergo in iſto verſiculo omnes ad laudem Dei prouocat. Et primò gentiles,quia vbi maior eſt morbus, citius eſt ſuccurrendum. Vnde ait,*Laudate dominum omnes gentes*,id eſt omnes idolatræ & gentiles.Conſequẽter prouocat Iſraelitas,dicens,*Laudate eum omnes populi.*Et nota quòd mali laudant dominũ in proſperitate, ſed non in aduerſis.verſic.250. Item quòd laudare dominũ eſt laudare opera Dei,non noſtra. verſi.250.Item quòd ſolum iuſti Deum dignè laudant,& non peccatores.verſic.880. Et quòd Deus laudatur multipliciter.verſic.1127.1152.

*Laudare Deũ debent gẽtes.*

Dicat ergo primò,*Laudate dominum omnes gentes.*Vbi nota ꝙ iſtum textũ adducit Apoſtolus Rom.15.oſtendere volens quando gentes per Chriſtũ ad fidẽ vocatæ Deũ laudare tenentur,dicens,Gentes autem ſuper miſericordia laudate Deũ: ſicut ſcriptum eſt. Propterea cõfitebor tibi in gẽtibus domine, & nomini tuo Pſalmũ dicam.Et iterũ dicit,Lętamini gentes cum plebe eius.& iterum,Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi.

*Pſal.17.*

*Eſa.11.*

*Veritas per Christũ exhibita est Iudæis, ſed gentibus miſericordia.*

Ex quibus vult Apoſtolus oſtendere, quòd gentiles tenentur laudare Deum ex hoc, quia primò erãt alienæ à cognitione & cultu veri Dei, ſed per Christum vocatæ ſunt: & ex gentibus & Iudæis facta eſt vna eccleſia, cognoſcens & colens verum Deum. Nam vt ibidem ait glo. ex Chriſti incarnatione Iudæis facta eſt veritas, ſed gentibus miſericordia. Iudæis namque facta eſt veritas, quia completa promiſſa patribus Iudæorum. Promiſit enim Abrahæ, dicens, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Et ipſi Dauid, De fructu tuo ponam ſuper ſedem tuam. Ex quibus patet quòd non repulit Deus Iudæos: quibus propriè veritas facta eſt. Gentibus verò miſericordia eſt præſtita: quibus nulla promiſſio erat. Impleta eſt ergo veritas in Iſraelitis qui crediderunt. Venit vnus paries ex circuncisione applicãs ſe ad lapidem angularem: ſed ille lapis angulum non faceret, niſi in ſe alium parietem ſuſciperet. Ille enim primus paries propriè pertinet ad veritatem: ſecũdus verò, ſcilicet ex gentibus, ad miſericordiam: de quo ſubdit Apoſtolus, Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. quaſi dicat, Non modò aſſumpſit Chriſtus Iudæos propter veritatem: ſed etiam gentes aſſumpſit propter miſericordiam: ideo dico gentes honorare debere Deum. de miſericordia: quia gentes ſuſcepit, eis non promiſit, nec ad eas miſſus eſt. Veréque ergo laudare debent dominum Iudæi, quia eis veritatem exhibuit: gentes, quia eas miſericorditer ſuſcepit. Et hoc confirmat auctoritate huius Pſalmi. Vnde ſubdit Apoſtolus, ſicut ſcriptum eſt, *Laudate omnes gentes dominum*, id eſt, omnes gentiles, *& magnificate eum omnes populi*, id eſt, omnes duodecim tribus Iſrael. Sed nota quòd in ſcriptura multiplex reperitur populus, qui etſi non omnis laudat Deũ, in quolibet tamen Deus laudatur. Eſt enim populus deuotorum viatorũ, populus defunctorũ purgãdorũ, & populus beatorũ comprehenſorũ. Et iſte triplex populus Deũ propriè laudat, & in ipſo laudatur Deus: quia Dei miſericordia. Eſt etiã populus peccatorũ viatorũ, populus hominũ dãnatorũ, popul⁹ dæmonũ ſuperborũ. Et iſte triplex populus nõ laudat Deum, ſed magis blaſphemat: tamẽ in ipſo laudatur Deus, quia Dei iuſtitia in ipſis relucet.

*Gen. 22.* *Pſal. 131.* *Rom. 15.* *Populus multiplex qui laudat Deum: Populus multiplex in quo laudatur Deus.*

2047 Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas domini manet in æternum.

Hîc redditur ratio prædictæ laudis, & primò laudis gentium, cum dicit, *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius*: ſecundò Iudæorum, cum dicit, *Et veritas domini manet in æternum.* Primò ergo in perſona gentium loquitur, dicens, Ideo nos gentiles cõuerſi Deum laudemus. ratio, quia confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: quia vt dictum eſt, gentibus nulla facta fuit promiſſio de Chriſto. Et ideo quòd per Chriſtum fuerint vocatæ, ex mera miſericordia fuit. Quo autem ad Iudæos, ſubdit, *Et veritas domini manet in æternum*: quia ſcilicet, Iudęis facta fuit promiſſio; & in eo quòd fuit completa, apparuit in eis veritas Dei. Confirmata eſt ergo miſericordia ſuper gentes: & veritas ſupra Iſraelitas. Et hîc nota quòd Dei miſericordia ſuper nos multipliciter dicitur confirmata. Eſt enim confirmatio quædam paſtoralis eminentiæ, quædam ſalutaris pœnitentiæ, & quædam ſpiritualis ſanctimoniæ: quibus omnibus nos confirmat Deus &c.

*Confirmatio multiplex.*

Sed eſt quædam confirmatio diuinalis iracundiæ, quæ confirmatur ſuper damnatos.

## PSALMVS CXVII.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. 2048

Pſalmus iſte habet titulum iſtum, Alleluia. Cuius expoſitio patet in titulo Pſal. 104. Qui titulus meritò iſti Pſal. competit, quia hic Pſal. omnes ad Dei laudem inuitat. De materia verò Pſalmi notandum quòd Dauid fecit iſtum Pſalmum, & ſecundum quod aliqui dicunt, propter duo voluit hîc excitare alios ad Deum laudandum ex duobus. Primò pro beneficio ſuæ liberationis: qua fuit liberatus à perſecutione Saulis, & à perturbatione gentium, quæ circa regnum Iſrael erant, quas Dauid tempore ſuo ſubiugauit & tributarias fecit: vt patet 2. Regũ. Et hoc facit à principio huius Pſalmi vſque ad illum locum, *Aperite mihi portas*. Secundò vult omnes inducere ad laudem Dei pro ædificatione templi: quod præuidit Dauid ædificãdum tempore Salomonis filij ſui. Cuius etiam impenſas ipſe Dauid præparauit. Et hoc facit ab illo loco, *Aperite mihi portas*: vſque ad finem Pſalmi. Et quòd ibi agat de ædificatione templi, probatur per illud quod ibi dicitur, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quod exponit magiſter in hiſtoriis ſcholaſticis ſuper tertium librum Regum, dicens, quòd cùm templum ædificabatur, ibi fuit quidam lapis notabilis, qui ſæpius oblatus fuit magiſtris ædificantibus templum à latomis: & tamen ſemper reprobatus eſt ab eis, quia ſemper videbatur modò nimis longus, vel nimis breuis. ſed finaliter in conſummatione muri, in coniunctione duorum parietum aptiſſimus fuit inuentus: quod pro magiſtro mirabili fuit reputatum. Et hoc in ſpiritu præuidens Dauid de illo lapide dicit, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli &c.* Sed hoc ſtare non poteſt. quamuis enim fuerit poſſibile, vel fortè verum, quod de illo lapide dicitur, tamen Pſalmiſta in hoc Pſal. ad literam non agit de ædificatione illius templi, ſed de ædificatione eccleſiæ factæ per Chriſtum: oſtendẽs quòd in Chriſto angulari lapide duo parietes ſunt coniuncti ad ædificationem eccleſiæ, ſcilicet, populus Iudaicus & gentilis. Et hinc eſt quòd literam illã allegat Chriſtus de ſe dictã, dicens, Nunquam legiſtis in ſcripturis, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*: à domino factum eſt iſtud &c. Quod idem habetur Lucæ 20. Similiter & hoc de Chriſto dictũ adducit Petrus Apoſtolus, dicẽs, Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificãtibus, qui factus eſt in caput anguli; & non eſt in aliquo alio ſalus. Ex quibus patet quòd pſal. iſte ad literam de Chriſto loquitur. Item * Ra. Sal. magnus doctor Hæbræus ſuper illo verbo Mich. 5. Et tu Bethleem terra Ephrata &c. dicit. Ex te enim exibit dux &c. exponit, id eſt, Meſſias: ſicut ipſe Dauid dicit Pſal. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Ex cuius verbis tria apparent: primum quòd Dauid fecit iſtum Pſalmum: ſecundum, quòd iſte Pſal. de Chriſto loquitur ad literam: tertiũ, quòd Chriſtus primò erat reprobandus, ſed poſtmodum glorificandus. Iſtis ergo præmiſſis accedo ad Pſalmi diuiſionem. Qui diuiditur in partes duas: quia primò Dauid generaliter omnes inducit ad Dei laudem: ſecundò ad hoc multiplicem inducit rationem, ibi, *De tribulatione.* Prima pars diuiditur in duas: quia ad Dei laudem primò omnes inducit generaliter: ſecũdò gradatim & ſpiritualiter, ibi, *Dicat nunc Iſrael.* Quantum ad primum, inducens omnes generaliter, ait, *Confitemini domino quoniam bonus &c.* Conſimilis verſus habetur in principio Pſal. 105. & 106. vide ibi, ſcilicet, verſic. 1834. & 1881. Tamen hîc notat Auguſt. quòd iſte Pſal. agit de confeſſione laudis, non de confeſſione criminis, dicens, Confeſſio autem duplex eſt, vel laudis Dei, vel peccatorum noſtrorum. Et illa quidem confeſſio qua peccata Deo confitentur, omnibus quidem nota eſt. ita vt hanc ſolam dici confeſſionem in ſcripturis ſanctis minus erudita æſtimet multitudo. Nam vbi hoc verbum lectoris ore ſonuerit, continuò ſtrepitus pius pectora tundentium conſequitur. Sed aduertant quod ſcriptum eſt, Benedicite domino ſuper omnia opera eius: date nomini eius magnificentiam: & confitemini in laudem ipſius. & ſic dicite in confeſſione, quoniam omnia opera domini bona nimis. Hîc certè nullus vel tardiſſimus ambigit, confeſſionem in Dei laudibus poni: niſi fortè tanta eſſet alicuius mentis peruerſitas, vt dicere audeat ipſum dominum Ieſum peccata ſua patri fuiſſe confeſſum: dicens, Cõfiteor tibi domine cœli & terræ: ſed faciliter conuincitur: quia ait, Confiteor tibi domine &c. quia abſcondiſti hæc à ſapientibus &c. Quis non intelligat in laudem patris dicere hoc? Quis non intelligat iſtam confeſſionem non ad dolorem cordis, ſed ad gaudium pertinere: cum etiam euangeliſta præmiſerit, dicẽs, In ipſa hora exultauit in ſpiritu ſancto, & dixit, Cõfiteor tibi pater? &c. Ex quibus patet non tantùm in peccatis, ſed etiam in Dei laudibus cõfeſſionem nominari. Quod in hoc Pſal. clarè cognoſcim⁹: cui pręmittitur alleluia: quod eſt Laudate Deũ: ſic incipitur, *Confitemini domino, quoniam bonus &c.* Vbi nota ꝙ ſolus Deus dicitur bonus. & quomodo, vide verſ. 351. Quomodo autem miſericordia cadat in Deo, vide verſ. 55. & 484. Et quãta ſit miſericordia Dei erga nos, verſ. 782. 833. 838. 1363. 1500. 1739.

*Lapis reprobatus factus eſt in caput anguli.* *Matth. 21.* *Act. 4.*

*Hui⁹ Rabbi Salomonis verba ſunt hæc. Et tu Bethleem Ephrata vſque egreſſus eſt Dauid, ſicut ſcriptum eſt 1. Reg. ca. 17. Fili⁹ iam ſerui tui Iſai Bethleemitis. & Bethleem vocatur Ephrata: ſicut dicitur Gen. cap. 45. In via Ephrata ipſa eſt Bethleem. paruus ad eſſendum in milibus Iuda propter maculam & crimen Tacha Ruth Moabitidis quæ fuit in te. Ex te mihi egredietur Meſſias filius Dauid. pro quo dixit Pſalmiſta Pſal. 117.* Lapidem quem reprobauerunt ædificantes fuit in caput anguli. *Et egreſſus eius ante diem ſeculi ſicut dicitur Pſal. 71. Ante ſolem Hynon, id eſt, filiarum nomen eius. Et ſic tranſtulit Ionatham. Huc vſque ſunt verba Rabbi Salomonis, nec plus nec minus.*

*[...]ſſio du[...] ſcilicet [...] & cri[...]* *Eccl. 39.* *Matth. 11.* *Luc. 10.*

2049 Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Hîc ad laudem Dei inuitat in ſpeciali. Et primò inuitat beatos comprehenſores: ſecundò homines viatores, ibi, *Dicat nunc domus Aaron.* Per Iſrael namque quod interpretatur videns Deum, omnes beati facie tenus Deum videntes intelliguntur, quos ad laudem Dei inuitat, non ex neceſſitate, ſed ex quadam lætitia & mutua charitate. Sic enim Pſal. 102. & ipſos beatos angelos ad Dei laudem conuocabat, dicens, Benedicite dominum omnes angeli eius, miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. Et quid in laudem Dei debeamus proferre, oſtendit dicẽs, *Dicat quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Nihil enim maius in Dei laudem, dici poteſt. Breue verbum eſt, ſed perfectum. Vnde hîc ait Auguſt. Non potuit laus Dei breuius explicari, quàm vt diceretur, *Quoniam bonus eſt.* Quid ſit grandius iſta breuitate non dico, cùm hoc ſit proprium Dei, quòd bonus eſt. Vnde à quodam compellabatur ipſe filius Dei, cùm audiret, Magiſter bone: ab eo ſcilicet qui carnem eius intuens, & diuinitatis plenitudinem non intelligens: ſolum hominem arbitrabatur, reſpõderit, Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, niſi vnus Deus. Quid eſt aliud dicere, quàm ſi me bonum vis appellare, intelligere & Deum? Deus enim ſolus multipliciter dicitur bonus: vide verſic. 351. *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*: quia in æternum miſericordiæ dona concedit, ſcilicet præmians vltra condignum bonos, & malos puniens citra condignum.

*Matth. 19.*

Dicat nũc domus Aaron, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 2050

Hîc conſequẽter inuitat viatores. Et primò clericos & ſacerdotes: ſecundò laicos & ſeculares, ibi, *Dicant nunc qui timent.* Quantum ad primum, ſciendum, quòd per Aaron intelliguntur ſacerdotes & clerici: eo quòd ipſe Aaron non ſolùm de tribu Leũi fuit: ſed etiam pontifex, ac etiam ſummus ſacerdos, & omnium ſacerdotum figura: vt dictum fuit verſic. 1850. Et ideo nõ immeritò per domum Aaron intellige omnium ſacerdotum & clericorum ordinem, qui maximè Deum laudare tenẽtur: quia ſicut cæteros dignitate præcedunt, ita & ſanctitate præcedere debent. Ad clericos enim maximè ſpectat miſericordiam Dei prædicando commendare, & miſericorditer ſuos tractare ſubditos: quia ſcilicet ipſos debẽt miſericorditer informare, ipſis miſericorditer indulgere, ipſos miſericorditer corrigere.

*Miſericordia maximè ſpectat ad clericos.*

Dicant nunc qui timent dominum, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 2051

Hîc conſequẽter inuitat ſeculares & laicos. Vbi notandum quòd timor magis ſpectat ad debiles & infirmos, quàm ad fortes. Et ideo cùm ſeculares ſint in fide clericis debiliores, ipſi per timentes dominum ſignificãtur. Vel aliter: Vbi plus eſt de præſumptione & ſuperbia, ibi minus eſt de timore domini: & vbi minus de ſuperbia, ibi plus de timore. Cũ igitur ſuperbia magis in clerico dominetur: vt dictum fuit, verſic. 1188. ſequitur quòd minus habent de timore diuino, quàm ſeculares. Et ideo per timentes Deum, hîc ſtatus laicorum intelligitur. Vel per timentes dominum intellige omnes humiles. Et nota quòd tanto amplius Deus eſt timendus à nobis, quanto clarius ipſe nos & omnia noſtra videt: nos autem ipſum non valemus videre: vt oſtẽdit Gregor. ſuper illo verbo Iob, 23: Ipſe verò ſcit viam: dicens, Ac ſi apertè dicat, Videre non valeo vidẽtem me, & eum qui me ſubtiliter intuetur, intueri non poſſum: vt videlicet oſtẽdat quòd tanto cautius formidandus eſt, quanto conſpicabilis non eſt. Qui enim nos aſpicit vt à nobis aſpici nequeat, eo magis timendus eſt, quo cuncta videns minimè videtur. Cum enim contra nos latere quempiam inſidiis credimus, eo illum amplius metuimus, quo minimè videmus; quúmque eius inſidias nequaquã deprehendimus vbi ſunt, & ibi

*Timentes dominũ dicũtur ſeculares.* *Timere debemus Deum, quia nos videt; & non videmus eũ. Greg. lib. 16. mor. ca. 15.*

eas metuimus etiam vbi non ſunt. Creator autem noſter qui vbique totus eſt & concernens cuncta, tanto magis metuendus eſt, quanto inuiſibilis permanens de noſtris actibus quando & quid decernat ignoratur.

2052 De tribulatione inuocaui dominum : & exaudiuit me in latitudine dominus.

Hic aſſignat rationes laudis diuinæ. Et diuiditur in partes duas, quia ad hoc adducit primò rationes proprias & ſpeciales: ſecundò communes & generales. ibi, *Aperite mihi portas*. Quantum ad primum, ſciendum quòd ad laudem Dei rationes ſpeciales aſſignat Dauid : oſtendens liberationem ſuã de manu Saulis perſequentis eum: ex quo vult innuere quòd modo ſimili omnes qui Deum deuoto corde in aduerſitatibus inuocant, ab ipſo Deo adiuuantur. Et circa hoc duo facit : quia primò oſtendit ſuam liberationem : ſecundò ſurgit ad gratiarum actionem, ibi, *Vox lætitiæ*. Narrando autem ſuam liberationem, tria facit: quia primò oſtendit ſe à Deo liberatum: ſecundò hominem, dæmonẽ, vel mundum non timendum, ibi, *Dominus mihi adiutor*. tertiò in ſolo Deo eſſe confidendum, ibi, *Bonum eſt confidere*. Quantum ergo ad primum, ſciendũ quòd Dauid in magna perſecutione Saulis exiſtens, multoties pro ſua liberatione inuocauit dominum: ſimiliter & in perſecutione Abſalon filij ſui. Et quãuis Deus non ſtatim exaudiat iuſtos orãtes ad votum, finaliter tamen eos exaudit ad ipſorum vtilitatem: vt dictum eſt ſupra, ver. 514. 516. Tamen finaliter dilatat petitionem, quia plus concedit, & melius quàm petatur. Et hoc eſt quod dicitur Pſal. 4, Cum inuocarẽ exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ &c. Conſimiliter & nunc ait, *De tribulatione inuocaui dominum: & exaudiuit me in latitudine dominus*: quia ſcilicet Dauid ſemel petebat ab iniuſta perſecutione liberari. Deus autem dilatauit petitionem ſuam, quia non ſolum ipſum liberauit à perſecutione, ſed ipſum etiam regem conſtituit & conſeruauit. Et hoc eſt quod ait, *Et exaudiuit me in latitudine dominus*. Per hoc enim vult Pſalmiſta oſtendere quòd etiam dum perſecutiones & aduerſa patimur, ad Dei laudem conſurgere debemus: quia etſi pro illa homo exterius anguſtatur, interius tamẽ dilatatur. Quod oſtendens Greg. ſuper illo verbo Iob. 38. Nunquid conſideraſti latitudinem terræ? ſic ait, Latitudo nãque bonorum interior eſt: quæ nequaquam apprehenditur, niſi cautè conſideretur. Nãque plerumq; quos exterius inopia humiliat, vel pœnę cruciatus anguſtat: interior fortitudo vſque ad ſperanda cœleſtia dilatat. Anguſtati namque exterius fuerant Apoſtoli qui flagella ſuſtinebant, ſed in magna ſtabant interius fortitudine liberi : quia apud ſe hæc eadem flagella in gaudium vertebant. Scriptũ nãque eſt, Ibant Apoſtoli gaudentes à cõſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Hanc latitudinem inter anguſtias Paulus inuenerat, qui dicebat, Scire autẽ volo vos fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in omni prætorio. Hanc latitudinem Dauid inter anguſtias obtinebat, dicens, In tribulatione dilataſti me. Tunc iuſtorum cõſcientia dilatatur, cum mundi huius aduerſitatibus premitur exterius. Nam cũ à præſentis vitæ ſecuritate repellitur, intus ad ſe impingitur, vt ad ſperanda ſuperna tendatur. Cúmque euagari exterius nõ permittitur, quaſi in ſinum ſuum reuocata dilatatur. Nos autem quæ boni viri aduerſa tolerant cernimus, ſed intus quantum gaudent, non videmus: mentis eorum latitudinem modò in verbis, modò in operibus conſiderando cognoſcimus : ſed tamen quãta in eis amplitudo ſit eiuſdem latitudinis ignoramus. vt meritò ipſorum quilibet dicat, *De tribulatione inuocaui dominum: & exaudiuit me in latitudine dominus*. Vel aliter, De tribulatione in latitudinẽ dominus nos exaudit: quia parua & anguſta ſunt illa aduerſa quæ hîc toleramus: quæ tamen in latitudinem terminantur, quia per illa meremur præmia cœleſtia, quæ non terminantur. Et hanc expoſitionem ponit Auguſt. dicẽs, *De tribulatione inuocaui dominũ: & exaudiuit me in latitudine dominus*: quia anguſtia noſtra & tribulatio finitur: latitudo autem quò tranſimus, non habet terminum.

*Dilatat nos Deus interius dum aduerſa patimur.*

*Gre. 29 mor. cap. 8.*

*Act. 5.*

*Philip. 1.*

*Pſal. 4*

Dominus mihi adiutor : non timebo quid faciat mihi homo. 2053

Hîc conſequenter deducit, præter Deum nihil timendum. Et primò oſtendit quòd timere non debemus homines: ſecundò quòd nec dæmones, ibi, *Dominus mihi adiutor*. Quantum ad primum, oſtendit, quòd ille qui adiuuatur à Deo, nullum hominem debet timere : quia homines non habent poteſtatem auferendi à nobis, niſi illa quæ etiam ſine perſecutoribus nos oportet relinquere. Et hoc eſt conſilium Chriſti, dicentis, Nolite timere eos qui occidunt corpus &c. Quæ verba ad propoſitum pertractãs Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthęũ, ait, Nolite timere eos qui occidunt corpus : quoniam etſi corpus ab impiis occiſum nõ fuerit propter Deum, à ſeipſo poſt modicum morietur propter naturam. Ergo occiſi ſecũdum corpus ab impiis, nihil perditis, niſi mortis dilationem : vt corpus quod poſt modicum fuerat moriturum, antè moriatur : magis autem nec ipſam mortis dilationem. Si enim verum eſt quòd nec folium quidem cadet de arbore ſine præcepto patris, quia numerati dies ad vitã nobis ſunt dati : credere debemus, quòd nec moriemur ante diem, nec tranſire poſſumus diem. Nunc ponamus quòd ante diem moriamur propter Deum. Si ergo & neceſſitate poſt modicum morituri ſumus, nulla Dei cauſa propoſita: quare non ante modicum in cauſa Dei cum gloria morimur: vt fiat volũtarium quod eſt neceſſarium, vt offeramus pro munere quod reddetur à te pro debito? Ideo ait Chriſtus, Nolite timere eos qui occidunt corpus : ſubſtantia enim hominis non eſt corpus, ſed anima, Hanc enim ſolum Deus ad imaginem ſuam fecit, & hanc diligit : propter hanc fecit & mundum, & hãc zelat & perſequitur inimicus. & propter hanc ipſe filius Dei venit in mundum: corpus autem veſtimentum eſt animæ. Sicut ergo veſtimentum ſuper homines poſitum ſiquis furibundus ſcindat, dolorem quidem iniuriæ ſentit homo : damnum autem non patitur in natura. Sic corpus ſuper animam poſitum ſi occidatur ab impiis, anima quidem occiſionis illius ſentit dolorem : damnum autem ſuæ naturæ non patitur. Aut (quòd ſentio verius) non ſolum ad veſtimentum animæ caro creata eſt : ſed magis ad tentationem eius: quaſi domeſtica & naturalis inimica copulata: vt dum expugnatur à carne, nec vincitur, coronetur à Deo. Si ergo caro inimica animæ tentatio eſt: quis ſapiens non intelligit, quia occiſio corporis optanda eſt magis quã timenda ? Ideo enim tibi corporalis natura creata eſt corruptibilis: ideo deponendi corpus tempus eſt numeratum: vt dũ homo moritur, corpori illi non parcas : ſed commercio perituro compares tibi vitam manſuram. Ecce ſi mutuo aliud acceperis, vt puta equum aut bouẽ: nónne aſſiduè opus tuum operaris in eum ? Dicis enim apud te, Hodie vel cras tollẽdus eſt à me, quia nõ eſt meus. Et in corpore corruptibili natus: quare ad vtilitatem animę tuæ non vteris tẽporali corpore tuo: ſciens quòd poſt modicum tollẽdum eſt à te quia non eſt tuũ? Quæ eſt iſta inſipientia noſtra, odire quod noſtrum eſt, & amare quod noſtrum nõ eſt: ſtudere quod ſaluare nõ poſſumus, & negligere quod in æternum habebimus? Hęc Chryſoſtomus. Si ergo vltimum quod homines malũ nobis facere poſſunt, eſt mors corporis, & in hoc timendi nõ ſunt: ſequitur quòd in domino ſperantes nullũ hominẽ timere debemus. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta, *Dominus mihi adiutor &c*. Et nota quòd De[9] multarum perſonarum eſt adiutor : quoniam adiuuat contritos pœnitentes. vide ver. 957. Adiuuat iniuſtè patientes. vide ver. 1921. Adiuuat cũ hoſte præliantes. vide ver. 983. Adiuuat egenos mendicãtes. vide ver. 96. Adiuuat in domino confidentes. Adiuuat deuotè exorantes. vide ver. 672.

*Matth. 10. Homines timere nõ debemus.*

*Corporis mors non eſt timenda.*

2054 Dominus mihi adiutor : & ego deſpiciam inimicos meos.

Hîc oſtendit quòd in domino ſperãtes nõ debemus timere dæmones. Vbi aduertẽdũ quòd nomine inimici diabolus intelligitur, quia ſemper inſidiatur nobis, & pugnat cõtra nos. 1. Pet. 5, Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiẽs circuit, quęrẽs quẽ deuoret. vide ver. 234. Et ideo inimicus noſter meritò dicitur. vide ver. 389. Et de iſto inimico & omnibus angelis eius hîc loquitur Pſalmiſta, dicẽs, *Dominus mihi adiutor &c*. quaſi dicat, Quid dæmones timebo, domino me protegente? Non enim pl[9] tẽtare poſſunt, quàm ſibi permiſerit Deus. Quis enim tantorum inſidias euadere poſſet, niſi illum Deus adiuuaret? Certè nullus. ſed Deus non deſerit quos miſericorditer creauit: vt oſtendit Greg. ſuper illo verbo Iob. 10. Et conſiliũ impiorũ adiuues, dicẽs, Quos nãque inimicos vel impios hoc loco vocat, niſi malignos ſpiritus: qui cùm redire ad vitam ipſi nequeãt, crudeliter ſocios ad mortẽ quærunt? Hoc indeſinenter cõſilium contra bonos maligni ſpiritus ineũt, vt ij quos ſeruire Deo innocuè in trãquillitate conſpiciũt, vexati aduerſitatibus ad voraginem culpæ rapiãtur. Sed eorum conſilij acumẽ deſtruitur, quia pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutẽ pœna trãſeat, & per aſtutiã fortiũ humana infirmitas cadat. Vnde & bene per Paulũ dicitur, Fidelis autẽ Deus qui non patietur vos tẽtari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cũ tentatione prouentũ, vt poſſitis ſuſtinere. Niſi enim miſericors Deus cũ viribus tentamẽta modificet, nullus profectò eſt qui malignorum ſpirituũ inſidias non corruẽs, portet: quia ſi menſurã tentationibus iudex non præbet, eo ipſo protinus ſtantẽ deiicit, quo vltra vires onera imponit. Sic igitur nos adiuuat Deus: quia tentationibus inimicorum menſuram imponit: vt nullus niſi volens ſuperetur. Vnde meritò clamat Pſalmiſta, dicẽs, *Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciã inimicos meos*. Vel aliter, hoc poteſt intelligi non ſolùm de dæmonibus, ſed etiam de hominibus, quos inimicos toleramus. Vnde hunc locum exponens Aug. ait, Sed nunquid ſolos homines inimicos habet eccleſia ? Quid eſt homo carni & ſanguini deditus, niſi caro & ſanguis ? Sed Apoſtolus ait, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & rectores mundi tenebrarũ harum, id eſt, rectores iniquorũ mundum iſtũ diligentium, & propterea tenebrarũ: quia & nos aliquãdo tenebræ fuimus, nunc autem lux in domino : aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, id eſt, diabolũ & angelos eius. Audi ergo quod ſequitur, *Dominus mihi adiutor &c*. Ex quolibet genere inimici exurgant, ſiue ex numero malorum hominum, ſiue ex numero malorũ angelorum, in Dei adiutorio deſpicientur, quia ſi conſiſtãt aduerſum me caſtra, nõ timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ſperabo. Vel adhuc generalius hoc poteſt intelligi de omni genere inimicorũ, ſcilicet, mundi, carnis, & diaboli: cõtra quos De[9] nos adiuuat, ne inuiti vincamur. vide ver. 983.

*Inimicus noſter dicitur diabolus.*

*Greg. 9. mor. c. 14. Diabolus vincere non poteſt niſi volentem. Tentatio diaboli non ſuperat vires noſtras.*

*1. Cor. 10.*

*Homines & dæmones dicũtur inimici noſtri.*

*Epheſ. 6.*

*Eph. 5.*

*Eph. 2.*

*Pſal. 26.*

Bonũ eſt cõfidere in domino, quàm confidere in homine. 2055

Hîc oſtendit ſolum in Deo ſpem eſſe ponẽdam, non in hominibus, non in dæmonibus. Et primò oſtendit primum: ſecundò ſecundum, ibi, *Bonum eſt ſperare*. Quantum ad primum, confidentiam in Deo oſtendit eſſe ponendam, non in hominibus. Et hîc nota quòd multa ſunt, in quibus confidunt homines, & decepti reperiuntur, ſi non principalius cõfidunt in domino. Nam aliqui confidunt in terrenorum abundantia : aliqui in perſonali ſanctimonia : aliqui in temporali vana gloria: aliqui in mundiali eminentia : aliqui in ſeculari ſapientia: aliqui verò in diuina miſericordia. Et ſolùm vltimi bene & tutè confidunt. Quibus omnibus conſideratis, ait Pſal. *Bonum eſt cõfidere in domino* &c. Et eſt ſenſus, Bonum eſt confidere in domino, cùm fuerimus ab inimicis prædictis perſecuti, qui ſolus adiuuare poteſt: quàm cõfidere in homine, quia illud eſt bonum, ſed iſtud malum. quia, vt dicitur, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

*Cõfidũt homines in multis.*

*Cõfidẽdũ eſt in ſolo Deo.*

Bonũ eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus. 2056

Hîc oſtẽdit quòd nõ eſt ponẽda ſpes in angelis vel dęmonibus. Nõ quidẽ in angelis bonis, quia illi etſi adiuuãt nos, hoc tamẽ nõ faciũt à ſe: ſed ſolũ vt miniſtri Dei. ergo in Deo ſperãdũ eſt, nõ in illis. Nõ etiã in dęmonibus: quia quicquid agũt, ad hoc intẽdunt, vt nos decipiãt. Vbi notãdũ, ꝙ principes in ſcriptura dicũtur angeli tã boni quã mali: quoniã inter angelos tã bonos quã malos eſt prælatio: ſic ꝙ ſuperiores aliorũ principes dicũtur. Vel etiã quia principãtur hominibus, ſcilicet, bonis boni angeli, & malis mali. Quòd enim boni angeli dicantur principes, oſtenditur Dan. 10. Vbi angelus domini Danieli de angelo beato cuſtode regni Perſarum, ait, Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meũ. de hoc vide verſ. 1751. Mali etiam angeli dicuntur principes. Vnde de diabolo ait Chriſtus, Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras &c. In iſtis ergo principibus, ſcilicet, angelis bonis vel malis, non eſt ſperandum : quia creaturæ ſunt. Secundum autẽ quòd ait Greg. ſpem in creatura ponere,

*Principes dicũtur angeli tã boni quã mali.*

*Ioan. 12. Sperãdũ non eſt in angelis etiam bonis.*

*Gre.22.mor. cap.2.* nere,& eſt de Deo deſperare.Et ideo ait nunc Pſal. *Bonum eſt ſperare in domino &c.* Vnde iſtũ paſſum exponens Aug.ait, Nullus enim rectè dicere poteſt, Angelus bonus ſic à me cogitetur, vt in eo ſpẽ ponere debeam:nemo enim bonus, niſi ſolus Deus. *Mar.10.* Et cum videntur adiuuare homo vel angelus,cùm hoc vera dilectione faciũt:ille per eos facit,qui eos pro modo eorum bonos fecit.Bonum eſt ergo ſperare in domino,quàm ſperare in principibus.Nam & angeli dicti ſunt principes:ſicut in Daniele legimus,Michael princeps noſter.

2057 Omnes gentes circuerunt me:& in nomine domini,quia vltus ſum in eos.

Hîc oſtendit Dauid in perſona iuſtorum ſe grauiter fuiſſe perſecutum.oſtendit autem grauitatem perſecutionis, vt ex hoc oſtendat ampliorem gratiam liberationis. Vbi notandum quòd à malis & perſecutionibus Deus ſuos liberat dupliciter. primò reſeruando ne cadant:ſecundò lapſos adiuuando, vt ſurgant. Sic & in grauibus perſecutionibus Dauid dupliciter ſe dicit à Deo liberatũ. Et primo modo primò:ſecundo modo ſecundò,ibi, *Impulſus.* Circa primam partem tria oſtendit:primò perſecutionis iuſtorum grauitatem:ſecundò perſecutionis Chriſti crudelitatẽ,ibi, *Circundantes*:tertiò perſecutionis noſtræ vtilitatem,ibi,*Circundederunt me ſicut.* *A gentibus in principio eccleſia paſſa fuit.* Quantum ad primum,ſciendum,quòd hic Pſal.loquitur in perſona eccleſiæ, quæ à principio grauibus perſecutionibus à gẽtibus fuit circũdata. Cõtra enim eccleſiam ſtatim inſurrexerunt principes mundi, ipſam exterminare volentes : ſed dominus ipſam adiuuans de perſecutoribus fecit vltionem. *Gregor.lib.9. mor.ca 5.* vnde Greg. ſuper illo verbo Iob. 9. Graditur ſupra fluctibus maris,ait, Quid enim maris nomine,niſi in bonos ſæuiens mũdi huius amaritudo ſignatur? *Pſal.32.* De quo per Pſal. dicitur, Congregans ſicut in vtre aquas maris.Aquas enim maris dominus quaſi in vtre cõgregat, cum miro moderamine cuncta diſponens, in ſuis clauſas cordibus carnalium minas frenat.Super fluctus ergo maris dominus graditur, quia cum ſe procellæ perſecutionis erigunt, miraculorũ eius obſtupefactione franguntur.Qui enim tumores humanę inſanię mitigat, quaſi erectas in cumulo vndas calcat. Et ſequitur ad propoſitum. Nam cùm morem ſuũ gentilitas deſtrui nouę conuerſationis prædicatione cõſpiceret:cũ mundi huius diuites elationi ſuæ contraire viderẽt facta pauperum:cum ſapiẽtes ſęculi aduerſari ſibi imperitorũ verba penſarent:in perſecutionis protinus tempeſtate tumuerunt. Sed qui verborum aduerſitate cõmoti ad perſecutionis procellas inſiliunt:ſignorum( vt diximus ) admiratione temperãtur.Tot ergo in huius maris fluctibus dominus greſſus poſuit,quot ſuperbis perſecutoribus miracula oſtendit. *Pſal.92.* Vnde bene rurſum per Pſal. dicitur. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus. quia contra electorũ vitã ad perſecutionis vndas mundus ſe mirabiliter extulit:ſed has ſupernorum conditor ſubleuata virtute prædicantium mirabilius ſtrauit.Miniſtros etenim ſuos plus oſtẽdit poſſe per miracula, quã poteſtates terrenas timere per vim. *Vita eſt eccleſia de gentibus, illas conuertendo.* Ex quibus verbis duo patent.Primũ quomodo eccleſia à principio gentiũ perſecutionibus vndique fuit circundata. Et quantũ ad hoc, eccleſia dicit, *Omnes gentes circuerunt me.*Secundũ quomodo gentilitas viſis miraculis & auditis prædicationibus ad Chriſti fidem fuit conuerſa.Et quantum ad hoc dicit, *Et in nomine domini : quia vltus ſum in eos.* Quæ enim maior vltio de perſecutore poteſt fieri, quàm ipſum facere defenſorem, de inimico amicum, de infideli fidelem? Vnde hîc ait glo. *In nomine domini vltus ſum in eos* : quia perſecutores modò pro nomine domini ad fidem conuerſi pœnitendo pœnas tolerant, quas aliis inferebant. & Auguſt. hîc ait, Quod ait, *Omnes gentes circuerunt me* &c. ſignificat eccleſię labores atque victoriam.Et nota hic quòd vltio domini eſt multiplex:ſecundum quòd diuerſimodè vlciſcitur de peccatoribus. *Vltio domini multiplex.* Vlciſcitur enim primò,peccatum commiſſum puniendo æternaliter.Hierẽ.51,Nolite tacere ſuper iniquitatem eius: quoniam tempus vltionis eſt domino. Secundò, peccatum continuatum puniendo æternaliter. Exod. 32, Ego autem in die vltionis viſitabo peccatum eorum. Tertiò, peccatum committendum impediẽdo paternaliter. 2.Macchab.6.Etenim non ſinere multo tempore peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. Quartò, inimicum ad ſuum amorem conuertendo. Et hoc eſt ſummum genus vltionis,& nobiliſſimum. ſicut hic,*Et in nomine domini;quia vltus ſum in eos.*

Circundantes circundederunt me : & in nomine domini, quia vltus ſum in eos. 2058

Hîc oſtẽdit perſecutionis Chriſti crudelitatem. Vnde notandum,quòd hic Pſalmiſta mutat perſonam:quia in præcedẽti verſu loquebatur in perſona corporis Chriſti, ſcilicet eccleſiæ:hic autem loquitur in perſona capitis,ſcilicet, Chriſti.Hic enim adducit Chriſti paſſionẽ & perſecutionem Chriſti:vt oſtendat, quòd eccleſia exemplo Chriſti paſſionis fortificata fuit in ſuis paſſionibus,vt eas ferret patienter. *Circundatus fuit Chriſtus à Iudæis.* Ipſe enim multoties à Iudæis fuit circundatus qui ſibi inſidiabãtur. Vnde dicitur Ioan. 10,Circundederunt ergo eum Iudæi : & dixerunt, ſi tu es Chriſtus,dic nobis palã.Vnde de ipſis conqueritur Chriſtus Pſal.21.dicens,Circundederunt me vituli multi:tauri pingues &c.Et infra,Circundederunt me canes multi &c. Et vide quòd hic nõ ponit gentes:ſicut ſtatim fecit in perſecutione eccleſiæ,dicẽs,*Omnes gentes circundederunt me* &c. quia non gentes, ſed Iudæi cauſa principaliter Chriſti paſſionis fuerũt.Et aduerte quòd de ipſis Chriſtus fuit vltus:aliquos ad fidem cõuertendo:alios temporaliter per Titum & Veſpaſianum puniendo:aliquos obſtinatos æternaliter damnando. *Vltus fuit Chriſtus à Iudæis diuerſimodè.* Et ideo ſequitur, Chriſto dicente, *Et in nomine domini:quia vltus ſum in eos.*Vnde iſtum ſenſum hic habet Auguſt. dicens, Si quæratur vnde tanta mala ſuperare potuit eccleſia,certè exemplo paſſionis Chriſti.cuius exemplum hic ponit, dicens primò quid fuerit paſſa : quia omnes gentes &c. & nunc ſequitur, quid in ſuo capite Chriſto fuerit paſſa. vnde ſequitur, *Circundantes circundederunt me.* Et bene hic non eſt repetitum, *omnes gentes* : quia à Iudæis ſolum factum eſt.Hæc eſt ergo circundatio pœnalitatis & miſeriæ. *Circundatur quilibet homo in hac vita miſeria.* Vnde notandum, quòd multiplici miſeria in hac vita circundamur & pœna : vt ab hac circundatione nullus hominum gradus, nulla ætas, nullus ſexus excipiatur.Deus enim peccata impunita dimittere neſcit. Et ideo in perſona omniũ clamat ſcriptura,dicẽs,Circũdederũt me mala, *Pſal.39.* quo



rum non eſt numerus.Et rationem ſubdit, dicens,Comprehenderunt me iniquitates meæ, &c.

1059 Circundederunt me ſicut apes : & exarſerunt me ſicut ignis in ſpinis : & in nomine domini, quia vltus ſum in eos.

Hic ponitur perſecutionis vtilitas. Vbi notandum quòd circundatio paſſionis quam Iudæi fecerunt Chriſto,directè fuit ſicut apes,& ſicut ignis in ſpinis. *Iudæus paſſione Chriſti.* *Paſſio Chriſti fecit nobis dulciorẽ.* Apes enim producunt mel in fauis, ſed aliis,non ſibi. Sic Iudæi Chriſtum occidentes,mel nobis protulerunt, non ſibi : quia Chriſtum nobis gentibus fecerunt dulciſſimum & miſericordem, non autem ſibi:quinimo ipſum fecerunt ſibi vltorem, mediantibus Tito & Veſpaſiano. Et hoc eſt quod ait Chriſtus, *Circũdederunt me ſicut apes.* vbi Auguſtinus ait,Nam ipſum dominum Ieſum Chriſtum caput eccleſiæ rectè accipimus circundatum à perſecutoribus : ſicut circundant apes fauum. Quid enim ab ignorantibus geſtum ſit, myſtica ſubtilitate ſpiritusſanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in fauis.Neſcientes autem perſecutores domini, fecerunt eum nobis ipſa paſſione dulciorem,vt guſtemus & videamus quàm ſuauis & dulcis eſt dominus,qui mortuus eſt propter delicta noſtra:& reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram.Et quantum ad hoc dicit, Circundederunt me ſicut apes. *Paſſio Chriſti peccata nobis ſtrauit.* Item ex alio vtilitas huius oſtenditur, quia per charitatem Chriſti paſſionis peccata noſtra ſunt nobis dimiſſa : quæ charitas per ignem denotatur, *Lucæ 12.* Chriſto dicente,Ignem veni mittere in terram:& quid volo niſi vt ardeat? Hic enim ignis charitatis Chriſti, ſpinas peccatorum comburit. Quid enim ſpinæ pungentes,niſi peccata ſuis aculeis conſcientiam pungentia deſignant? Prouer.15. Iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum. Ignis ergo ardens ſpinas, eſt charitas paſſionis Chriſti, vitia noſtra conſumens.Et quantum ad hoc ait, *Et exarſerunt me ſicut ignis in ſpinis*, id eſt, ſicut ignis ſpinas conſumit; Et hoc eſt quod ait Glo. Et exarſerunt me ſicut ignis in ſpinis : quia ea peccata quæ infideli populo erãt,igne perſecutionis cremauerunt: *Vlciſcitur Chriſtus dupliciter.* cui volentes officere, profuerũt.Et vide aliam vtilitatem:quia etiam paſſio Chriſti multos perſecutorum ſuis fidelibus ſociauit : faciens eos de infidelibus fideles, & de inimicis amicos : obſtinatos autem æternaliter puniens.Et hoc notans dicit, *Et in nomine domini*, &c. Quod exponitur vt in ver. 2057.Vnde hic ait Auguſt. *Et in nomine domini*, &c. ſiue quia malicia quæ in perſecutoribus erat extincta,Chriſtiano populo ſunt ſociati : ſiue quia cæteri eorum qui contempſerunt hoc tempore vocantis miſericordiam, veritatem iudicantis in fine ſenſuri ſunt.

1060 Impulſus euerſus ſum vt caderem, & dominus ſuſcepit me.

Hîc oſtendit ſe iam lapſum,à Deo liberatũ. Dominus enim non ſolùm iuuat hominem in tentatione ne cadat, ſed & poſt caſum ipſum ſuſcipit & facit ſurgere.Impulſus fuit Petrus ab ancilla vt caderet, ſcilicet vt ſi confiteretur ſe Chriſti diſcipulum,& periret cum Chriſto.Ipſe autem fortius cecidit,quia ne corpus caderet,in animam prælegit cadere,Chriſtum negando.Similiter & omnes diſcipuli timore mortis corporum impulſi,in anima ceciderunt.Sed nũquid lapſos Deus deſeruit? Certè non:immò ſuſcepit eos ad gratiam reſuſcitando, & eos fecit fortiores quã eſſent ante caſum. Quod oſtendit Gregor.dicens, Scimus enim Apoſtolorũ primum, ſcilicet Petrum,ante acceptã ſpiritusſancti gratiam quoties dum mori timuit, vitam negauit,&c.ver.1008. *Greg.17. mor.cap.16.* Et iſtum intellectum habuit ſupra,Pſal.36.dicens de quolibet Dei electo, Cũ ceciderit, non collidetur : quia dominus ſupponit manum ſuam. vide ver. 590. Et hic potes notare, quòd quamuis intentio dæmonis impellentis homines ad caſum,ſit vt à caſu non reſurgant:tamen magna eſt differẽtia inter electos & reprobos.quia electi etſi quandoq; cadunt,finaliter tamen à Deo ſuſcepti reſurgunt. *Cadunt boni, & reſurgunt finaliter. Cadunt mali, & non reſurgũt finaliter.* Sic enim irreparabiliter cecidit Lucifer, Lucæ 10, Videbant ſathan quaſi fulgur de cœlo cadentem. Et de omnibus reprobis dicitur Pſal.35.Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulſi ſunt,nec potuerunt ſtare. Quod ideo dicit, quia etſi in reprobis quandoque bona vita præceſſerit, finaliter tamen ſtare non poſſunt : ſed impulſi æternaliter cadunt. Quod notans ſapiens oſtẽdit,& dicit,Si ceciderit lignum ad auſtrum vel ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. *Eccleſ.11.* Per auſtrum enim intelligit ſtatum gratiæ & felicitatis:ſed per aquilonem, ſtatum culpæ & dãnationis æternæ. Vnde dicta verba exponens Bernard. ad propoſitum dicit, Auſtri calor & claritas in ſcriptura ſacra bonam ſolet habere ſignificationem. *Bernard.* Ab aquilone verò pandetur omne malũ.Porro hominem vidit aliquis. Cadit arbor in morte, & quocũque ceciderit,ibi erit.quia in ſtatu in quo te Deus inuenerit, in eo te iudicabit. Videat ergo quò caſura ſit arbor,antequam cadat:quia poſtquã ceciderit,iam non adiiciet vltra vt reſurgat,ſed nec vt ſeipſum per pœnitentiam vertat. Qua parte autem caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos eius attende.Inde enim vnde maior eſt copia & ponderoſior,inde caſuram non dubites.Rami noſtri deſideria noſtra ſunt,quibus ad auſtrum vertimur, ſi ſpiritualia fuerint: ſi verò carnalia, ad aquilonem, &c. Vnde de cadentibus ad aquilonem in morte, dicitur Hiere.8,Qui cadit,nõ reſurget,& qui auerſus eſt, non reuertetur. *Caſus pœnæ æternalis multa mala continet.* Et attende quòd in iſto caſu ſunt multa mala.Primò ibi eſt pœna ignis cõbuſtiua. *Pſal.139.* Pſal.139, Cadent ſuper eos carbones : in ignem deiicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent. Ibi eſt pœna obſtinationis irretiua. Pſal.140, Cadent in retinaculo eius peccatores. Ibi eſt pœna omnis bonæ operationis excluſiua. Iob 31, Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meũ cum oſſibus ſuis conteratur.Per brachium enim & humerum virtus operandi deſignatur,quæ in iſto caſu ceſſat omnino. Ibi eſt pœna timoris, & ſtatus mẽtis percuſſiua. Pſal.54. Formido mortis cecidit ſuper me: timor & tremor venerunt ſuper me : & contexerunt me tenebræ. Et ideo de quolibet ibi cadẽte,dicitur Eſa.22, Frangetur,cadet & peribit, ſcilicet, æternaliter. Econtra autem de quolibet electo dicitur Prouerb.24, Septies in die cadet iuſtus,& reſurget. Hoc ideo, quia dominus ſuſcipit eum. Hoc ergo notans Pſalmiſta in perſonam cuiuſlibet iuſti,ait,*Impulſus,euerſus ſum vt caderem,*id eſt impulſus, ſcilicet à dæmone & tentatione : ad hoc vt caderem. & euerſus ſum : quia ſcilicet cecidi à ſtatu gratiæ,ſed dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea & laus mea dominus: 2061

nus:& factus eſt mihi in ſalutem.

*Fortior ſurgit homo poſt peccatum quandoque, quàm erat antè. Greg. 18. moral. cap. 15.*

Hic oſtendit ſe à Deo fortificatum. Nam vt dictum eſt ſtatim, multoties peccator poſt caſum ſuſceptus à Deo, fortior reſurgit quàm eſſet ante caſum: vt exemplo militis oſtendit Gregor. dicens, Penſandum eſt quòd Deus omnipotens occulto conſilio quoſdam ab ipſis exordiis ſuis innocentes cuſtodiens, vſque ad virtutum ſumma prouehit: vt ſimul in eis proficiat, & annorum numeroſitas & celſitudo meritorũ. Alios verò in exordiis ſuis deſerens, ſcaturiẽtibus vitiis ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos conſpicit, & ad ſequendum ſe ſancti amoris igne ſuccendit: atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum vertit in feruorem virtutum: & eo magis igneſcunt ad deſiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubeſcunt memoriam iniquitatis ſuæ. Sicut ſæpe contingit, vt in pugnæ certamine miles ante ducis ſui oculos conſtitutus, hoſtili virtuti turpiter cedat, & eneruiter præbens terga, feriatur: qui tamen hoc ipſum quòd turpiter ceſſit erubeſcẽs, ante ducis ſui oculos maiores ex ipſa verecundia vires ſumit: tantoque pòſt fortia exercet, quanto & præſentem gloriam virtutis peragat, & pręteritã ignominiam debilitatis tegat. Sic ergo nonnunquam quædam in Dei ſeruitio ex anteacta debilitate, acrius in Dei ſeruitio roborantur: eóque ad cuſtodienda mandata & futurorum tribuit deſiderium, & impellit memoria præteritorum: vt hinc ad ventura amor prouocet, illic de præteritis verecundia inſtiget &c. Tales enim ex anteactis culpis infirmitatem ſuam cognoſcunt: & ſi quid poſſunt boni, totam ſuam fortitudinem Deo attribuunt: dicentes Deo illud Pſal. 30, Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me &c. Sic & nunc in perſona iuſtorũ qui per pœnitentiam à peccatis ſurrexerunt, à Deo ſuſcepti, ait, *Fortitudo mea & laus mea dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.* Nec mirum. Illi enim ſoli in certamine cadũt, quorum fortitudo cadit, quorum laus deficit. Qui ergo Deum ponit fortitudinem ſuam & laudem, ſicut Deus deficere non poteſt: ſic nec ipſi cadere. Vnde hic ait Auguſt. Qui ergo cadunt cum impelluntur? Certè nulli, niſi illi qui ſua ſibi fortitudo, & ſibi ſua laus volunt eſſe. Nullus quippe in certamine cadit, niſi cuius fortitudo & laus cadit. quapropter cuius fortitudo & laus eſt dominus, tam non cadit, quàm non cadit dominus. Et nota quòd fortitudo noſtra dicitur Deus. verſ. 439. *Et factus eſt mihi in ſalutem.* Non tamen ex hoc habetur, quòd Deus aliquo modo ſit factus. ſicut cùm dicimus, Verbum caro factum eſt: non ſequitur ex hoc quòd verbum aliquo modo ſit factum vel mutatum: ſed ſolum quòd actione Dei factum eſt vt aliquid ſit vnitum verbo quod antè non erat vnitum. Sicut homo qui eſt tibi à dextris, poteſt tibi fieri à ſiniſtris, ſine ſui mutatione: ſic & dominus ſuis ſit in ſalutem ſine ſui mutatione: de hoc vide verſic. 438. 755. 655. Vnde hic Auguſtinus ait, Factus ideo nobis dicitur dominus in ſalutem, non quia ipſe aliquid factus eſt quod antè non erat: ſed quia ipſi cum in eum crederent, quod non erant facti ſunt. Etiam ipſe non ſibi, ſed illis, quod auerſis à ſe non erat, ſalus cœpit eſſe conuerſis.

*Fortitudo iuſtorum Deus.*

*Factus quomodo dicitur Deus ſalus.*

2062 Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

Hic Pſalmiſta pro ſe cæteriſque iuſtis conſurgit ad gratiarum actionem ex prædictis. Circa autem gratiarum actionem Dauid multa oſtendit: quia oſtenditur primò modus, ſecundò laus, ibi, *Dextera domini*: tertiò tẽpus, ibi, *Non moriar*: quartò fructus, ibi, *Caſtigans.* Quantum ad primum, ſciẽdum quòd in ſcriptura tabernaculum quãdoque ſumitur pro conſcientia, quandoque ipſum corpus noſtrum, quandoque verò ipſa iuſtorum congregatio, ſiue eccleſia. Primò namque tabernaculum dicitur mẽs noſtra, ſiue conſcientia: quia in ipſa ſancti viri, vt in tabernaculo abſconduntur, & habitant: ibi pax eorũ & requies: foris autem niſi bella. Iob 5. Scies quòd pacem habebit tabernaculum tuum: ibi habitat tecum dominus. Iob 29, Erat ſecretò Deus in tabernaculo meo. Quod exponens Gregor. dicit, Quid hoc loco tabernaculum, niſi habitationem mentis accipimus? quia per omne quod cogitando agimus, in conſilio cordis noſtri habitamus. Quiſquis autem mandata Dei tacitus cogitat, ſecretò Deus illi in tabernaculo eſt. Habitationem enim cordis ſui ante oculos Dei viderat qui dicebat, Et meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemper, &c. Ad propoſitum ergo: ſancti etſi exterius patiuntur in corpore, interius tamen exultant in mente: immò quanto exterius corpus perſecutionibus & aduerſis atteritur, tanto amplius in mente gaudent, & Deo gratias agunt. Quid cogitas quòd Laurentium tam lætanter tormenta perferre fecerat, niſi lætitia interior cordis? In iſto ergo tabernaculo conſcientiæ ſancti viri Deo gratias agunt, lætantur & gaudent, dum corpus atteritur exterius. Et hoc eſt quòd dicit Apoſtolus, Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti: nam virtus in infirmitate perficitur. Et hoc eſt quod nunc de iuſtis aduerſitatibus preſſis, ait Pſalmiſta, *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis*, id eſt, in conſcientiis iuſtorum. Oppoſitum autem accidit peccatoribus: quia exterius gloriantur & exultant, ſed verme conſcientiæ corroduntur interius. Et hanc expoſitionem ponit Auguſt. hic dicens. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Vbi vocem mœroris putabant eſſe qui in eorum corpora ſæuiebant: non enim ſentiebãt interiora gaudia ſanctorum de ſpe futuræ gloriæ. Vnde Apoſtolus dicit, Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Et iterum, Non ſolum autem, ſed etiam gloriamur in tribulatione. Secundò per tabernaculum intelligitur eccleſia militans. vide ver. 691. 758. In iſto ergo tabernaculo iuſti exultant, & Deo gratias agũt: quia inſimul charitate cõgregati, ſua opera & orationes Deo reddunt. di. Pſal. 110. Cõfitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iuſtorum & congregatione. Quanto enim orationes & opera bona à pluribus bonis ſimul congregatis ſunt facta, tanto ſunt amplius Deo accepta. Sic enim dicitur Pſal. 67, In eccleſiis benedicite domino. Et hoc modò notans Pſalmiſta dicit, quòd vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iuſtorum, id eſt, in congregatione iuſtorum.

*Tabernaculũ dicitur conſcientia.*

*Greg. 19. moral. cap. 10.*

*Pſal. 18.*

*2. Cor. 12. Exultãt ſancti interius, dum patiũtur exterius.*

*2. Cor. 6.*

Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit virtutem. 2063

Hic ponitur ipſa laus ſiue gratiarum actio. Vbi notandum quòd per dexteram Dei in ſcripturis intelligitur ipſe Chriſtus, qui ſedet à dextris Dei. vide ver. 23. 235. 713. 1967. Hæc autem dextera primò facit virtutem, dum peccata dimittit: quod virtutem infinitam exigit. vt dictum eſt ver. 1835. Dimiſſis autẽ peccatis, nos exaltat: quia per gratiam nos filios Dei & hæredes efficit. Et conſequenter facit virtutem, dum nos fortificat in aduerſis. Vel hæc dextera facit virtutem, nos iuſtificando, exaltat nos glorificando, facit virtutem, in gloria confirmando. Vnde hunc paſſum exponens Aug. dicit, *Dextera domini fecit virtutem.* quam virtutem inquit? *Dextera domini exaltauit me.* Magna virtus, exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de ſubiectione, gloriam, de paſſione, victoriam: dare auxilium de tribulatione, vt afflictis vera Dei ſalus pateſceret: affligentibus autem vana ſalus hominis remaneret: magna hęc. Sed quid miraris? ſi aliquid reptat, non homo vicit: non homo ſibi ſalus fuit, ſed Deus homini: quia dextera domini fecit virtutem. Vel aliter: vbi notandum quòd exempla virtutum ab aliis nobis data, nos ad virtutes inducũt: ſicut Abraham exẽplo ſuo quo Deo obediuit, volẽs immolare filium, nos ad obedientiam Dei trahit: Iſaac ad patiẽtiam: Iacob ad tolerantiam: Ioſeph ad caſtitatem, &c. vt deducit Gregor. Et infrà. vide ver. 1394. Chriſtus autem virtutes omnes in cæteris ſanctis diſperſas, in ſeipſo omnes ſolus ſimul habuit & perfectius: quia ſi præcepto Dei Abraham voluit immolare filium, & Chriſtus obediens patri, immolauit ſeipſum. Si Iſaac ſeruauit patientiam, quid patientius Chriſto? qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt: & non aperuit os ſuum, &c. Quibus conſideratis, de Chriſto ſub nomine dexteræ Dei dicit Pſalmiſta, *Dextera domini fecit virtutem*: quia ſcilicet actum omnis virtutis in ſeipſo habuit, quod de nullo alio dici poteſt: vt oſtendit Gregorius, dicens, Nullus hominum virtutes & operationes ſpiritusſancti omnes ſimul habuit, niſi mediator Dei & hominũ: cuius eſt idem ſpiritus, qui de patre ante ſæcula procedit. Alius namque ſanctorum prophetiam, alius virtutes, alius ſcientiam habuit: alius genera linguarum, alius interpretationẽ ſermonum iuxta diſtributionem ſpiritusſancti accepit. Ad habenda verò cuncta eiuſdem ſpiritusſancti munera aliorum nullus pertingit. At verò conditor noſter infirma noſtra ſuſcipiens, per diuinitatis ſuæ potentiam ſimul ſe habere omnes ſpiritusſancti virtutes edocuit. Quia ergo hæc dextera domini, ſcilicet, Chriſtus, omnes virtutes ſpiritusſancti quas alij diuiſim habuerunt, ipſe inſimul quaſi vnitas habuit: ideo de ipſo non in plurali, ſed in ſingulari dicitur, *Dextera domini fecit virtutem.* Et quia per exẽpla ſuarum virtutum nos fecit virtuoſos, ideo ſubditur, *Dextera domini exaltauit me.* Quæ enim maior poteſt eſſe hominis exaltatio, quã ipſum de vitioſo facere virtuoſum: de filio diaboli filium Dei, & huiuſmodi? Et ideo quòd iſta exaltatio hominis fuerit per virtutem nobis datam per ipſum, ſubditur, *Dextera domini fecit virtutem*, id eſt, hominem fecit virtuoſum. Ita quòd hoc quod primò dicitur, *Dextera domini fecit virtutem*, ad Chriſti virtutes referatur. Quod autem dicitur ſecundò, *Dextera domini fecit virtutem*, ad noſtras virtutes, per ipſum in nobis genitas, deputetur. Et nota quòd eccleſia iuſtorum à Chriſto exaltatur multipliciter. vide ver. 249. & 389.

*Dextera Dei eſt Chriſtus. Matth. 26.*

*Greg. 27. moral. cap. 6. &*

*Chriſtus omnes virtutes habuit & amplius ...*

*Greg. 29. moral. cap. 14.*



2064 Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera domini.

Hic ponitur tempus gratiarum actionis: quia ſcilicet, ſemper. Vbi notandum, quòd hoc & de morte corporis, ac de morte animæ accipi poteſt. Si de morte corporis: ſciendum quòd iuſti nõ quęrunt laudare Deum, vt temporaliter viuãt: ſed magis econtrario quærunt viuere, vt benefaciendo, Deum laudare poſſint. Et hoc eſt quod ait hic, *Non moriar, ſed viuam*, id eſt, placet mihi hic temporaliter viuere, vt merendo & præcepta Dei adimplendo, poſſim narrare aliis opera domini: quia quamdiu viuam, benedicam dominum: ſemper laus eius in ore meo. Sed quæ ſunt illa opera domini quæ narrare debemus? oſtendit Pſal. 77, dicens, Narrantes laudes Dei, & virtutes eius & mirabilia quæ fecit. in quo oſtenditur tria opera Chriſti maximè aliis narranda, vt conuertantur ad Chriſtum. vide ver. 1281. Vel de morte corporali eccleſia iſta verba dicit, *Non moriar*, &c. Perſecutores enim eccleſiæ primitiuæ, crediderunt ſuis perſecutionibus eccleſiã penitus annullare, martyres perſequendo & trucidando: ſed quanto plures occidebantur, eccleſia meritò & numero magis multiplicabatur. vt patet ver. 335. 220. 221. Sed perſecutores ſtragem funerum vbique facientes, eccleſiam Chriſti mori arbitrabantur: & ecce nunc viuit & creuit, & narrat opera domini. Vbique Chriſtus gloria beatorũ martyrum eſt: vicit vapulando ferientes, patiendo facientes, diligendo ſæuiẽtes. Vel hoc poteſt intelligi de morte animæ, quæ fit per peccatum: quia peccato mortuus, domini opera dignè narrare non poteſt: quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Vnde Pſal. 49. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. vide ver. 825. Et hoc eſt quod dicitur Pſal. 113, Non mortui laudabunt te domine, &c. vide ver. 2027. Conſimiliter & iſte nunc ait, *Non moriar, ſed viuam.* quaſi dicat. Ego narrabo opera Dei: quòd vt dignè facere valeam, mortem peccati cauebo: quia nõ moriar, ſed viuam.

*Pſal. 33.*

*Eccleſia perſecutionibus non moritur, ſed creſcit.*

*Eccl. 15.*

Caſtigans caſtigauit me dominus: & morti non tradidit me. 2065

Hic oſtẽdit fructum aduerſitatis. Aduerſa enim permittit Deus ſuis euenire electis: non vt eos perdat, ſed vt corrigat: non vt moriantur, ſed vt ſpiritualiter viuant. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus ad Hebr. 12, Quem diligit dominus, caſtigat, id eſt, caſtum facit corrigendo. Vnde Apocal. 3, Ego quos amo, hos corrigo & caſtigo. Et ideo vt eius caſtigatione non grauemur, ſed ipſam patienter pro noſtra emẽdatione toleremus: etiam proprium ſuum filium ſine peccato flagellis ſubiecit. Si ergo exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum: quia flagellat Deus omnem filium quem recepit. Vnicus enim filius de patris ſubſtantia natus, æqualis patri, in forma Dei verbum quo facta ſunt omnia, non habebat vbi flagellaretur. Ad hoc autem carne indutus eſt, vt ſine flagello nõ eſſet. Qui ergo flagellat vnicum ſine peccato, relinquet adoptatum qui eſt cum peccato? Vnicus ſine peccato, non tamẽ ſine flagello, exemplum nobis propoſuit in paſſionibus ſuis. Non ergo turbari debemus, cùm aliquis noſtrum grauia & indigna patitur: ſi obliti non ſumus quæ pertulit iuſtus iuſtorum, ſanctus ſanctorum. Et attende in hoc iuſtitiam & miſericordiã Dei. Iuſtitia eſt in hoc

*Caſtigat nos Deus per aduerſa, & corrigit.*

*Caſtigat deus omnẽ iuſtum.*

hoc quòd flagellat: miſericordia in eo quòd flagellis recipit & corrigit. Et attende quòd nó ait, Omnis qui flagellatur, eſt filius Dei: ſed omnis filius flagellatur. Non ergo intendit dominus flagellis ſuos occidere, ſed ſeruare: non repellere, ſed recipere: non corrumpere, ſed caſtigare & corrigere. Quod bene hic nouerat Pſalmiſta dicens, *Caſtigans caſtigauit me dominus: & morti non,* &c. Vnde hic Auguſt. dicit, *Caſtigans caſtigauit,* &c. Cur tanta indigna pertulit corpus Chriſti, ſcilicet, eccleſia: Pſalmiſta in perſona populi in adoptioné filiorū recepti indicat, dicēs, *Caſtigans caſtigauit me dominus,* &c. Non ergo quicquam viribus ſuis licuiſſe arbitretur fremitus impiorum: non haberet iſtam poteſtatem, niſi ſibi data deſuper eſſet. Sæpe enim filios paterfamilias per nequiſſimos ſeruos emendat, &c. Per hoc ergo vult nobis Pſalmiſta oſtendere, quòd Deus per aduerſa nos caſtigat & corrigit. vide ver. 19.236.329.73.185.113.138.448.578. Quibus cōſideratis, dicat Pſalmiſta, *Caſtigans caſtigauit me dominus: & morti non tradidit me.* Morti enim nó traditur, cuius vita purgatur. Hác caſtigationem bene Tobias nouerat, dicēns, Benedico te Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & ſaluaſti me. Caſtigatum enim ſe dicit in eo quòd cęcitatem incurrit. & ibidem Tobias dicit, Confitemini domino filij Iſrael: ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras: & ipſe ſaluauit nos propter miſericordiam ſuam. Nulli enim dubiū quòd talis caſtigatio facta per aduerſa, oculos mentis aperit, quos clauſerat culpa. Cognitio autem proprij defectus, eſt magnum principium ſalutis peccatoris. Et ideo de caſtigatione per flagella & aduerſitatis facta, dicitur Hier. 31, Caſtigaſti me, & eruditus ſum.

*Nocere non poſſunt mali bonis, niſi quā tum Deus permittit.*

*Tobiæ 11.*

*Tobiæ 13.*

## 2066 Aperite mihi portas iuſtitiæ: & ingreſſus in eas, confitebor domino, hæc porta domini, iuſti intrabunt in eam.

Hic Pſalmiſta pro laude Dei adducit rationes generales. Hic enim prædicit redemptionem generis humani factam per Chriſtum, quæ in multis conſiſtit. Et primò prædicit beneficia redemptionis: ſecundò exoluit debitum gratiarum actionis, ibi, *Conſtituite diem.* Quantum ad primum, multa beneficia noſtrę redemptionis enumerat per Chriſtum incarnatum nobis collata: quorum primum eſt nouæ legis inſtitutio: ſecundum, eccleſiæ ex gétibus & Iudæis conſtructio, ibi, *Lapidem quem.* tertiū eſt, Chriſti paſſi reſurrectio, ibi, *Hæc dies.* quartum eſt totius hominis beatificatio, ibi, *O domine.* Quantum ad primum ergo, primò ponitur Chriſti aduētus & incarnatio. Secundò ex hoc concluditur deſiderij ſanctorum patrū adimpletio: ibi, *Confitebor.* Quantum ad primum, ſciendum quòd ante Chriſti incarnationem paradiſi nullus patebat ingreſſus, quia quicunque quantumcunque iuſti ad inferos deſcendebant: ſed Chriſtus per ſuam incarnationem factus eſt porta cœli inſimul & via: per quā iuſti in cœlum ambulant. Et hoc eſt quod ipſe ait, Ioan. 10, Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit ſaluabitur. Iſta autem porta fuit quaſi occulta, quouſque ipſe ſacramenta eccleſiæ incepit inſtituere: quæ ab ipſo Chriſto etiam portæ cœleſtes dicuntur, quia iuſtificant hominem: quod non faciebant ſacramenta legis veteris. Propter quod dicitur Rom. 3, Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro: iuſtitia autem Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti. Et hinc eſt quòd ipſe Chriſtus qui eſt oſtiū vitæ, dum ſacramenta nouæ legis inſtituit quæ hominem iuſtificant: portas iuſtitiæ aperuit. Hoc prædicens Pſalmiſta per modum cuiuſdam poſtulationis, ait ſanctis angelis, *Aperite mihi portas iuſtitiæ,* id eſt, aperietis: & hoc annunciando Chriſti incarnationem: qui incarnatus portas iuſtitiæ aperiet, dum ſacramenta nouæ legis inſtituet. Et ſequitur, *Ingreſſus in eas, confitebor domino:* quia recipiētes nouę legis ſacramenta, primò cōfitentur ipſum Deum per ſeipſos, ſi ſunt adulti, vel per alios, vt paruuli. Et quia ſolum per Chriſtum talia ſacramēta ſunt inſtituta, vt baptiſmus, pœnitentia, & huiuſmodi. Ideo ſubdit, *Hæc porta domini.* id eſt, per dominum inſtituta, *iuſti intrabunt in eam.* Quod ideo dicit, quia omnes qui recipiunt deuotè nouæ legis ſacramenta, iuſtificantur. Et aduerte quòd iſta ſacramenta per Chriſtum inſtituta, primò vocat portas in plurali, quia plura ſunt ſacramenta: ſecūdò ipſa vocat portam in ſingulari: ratione inſtituētis Chriſti, qui ex duabus naturis in vna perſona conſiſtit. Vel quia aliquando ipſa ſacramenta inſtituta dicuntur portæ: quia per illa intramus ad vitam: & ſic dicuntur in plurali portæ: quandoque verò ipſe Chriſtus inſtituens, porta dicitur: & ſic in ſingulari. Portæ ergo cœleſtes, id eſt, ſacramenta nouæ legis, per Chriſtum portam nobis omnibus ſunt apertæ: quibus quilibet ad vitam æternam poteſt intrare, ſi iuſtitiam velit imitari. aliter ſibi portas clauſas inueniet. Vnde bene dicit, *Hæc porta domini, iuſti intrabunt in eam.* quoniam vt dicitur Apoc. 21. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitę & agni. Hic autem nota quòd ſcriptura duplices portas nominat: ſcilicet, portas mortis, quæ ſunt vitia: & portas vitæ, quæ ſunt virtutes. Pſal. 9, Qui exaltas me de portis mortis: vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. De iſtis portis & illarum viis, vide ver. 104. Vel per portas iuſtitiæ quibus intramus ad vitam, intellige duodecim virtutes: quas nobis per exempla vitæ aperuit Chriſtus, de quibus dicitur Apoc. 21, quòd ciuitas cœleſtis Hieruſalem habebat portas duodecim: tres ab oriente, tres ab occidente, tres ab auſtro, & tres ab aquilone, &c.

*Porta cœli dicitur Chriſtus.*

*Portæ cœli ſunt ſacramenta.*

*Rom. 3. & ad Gal. 2.*

*Porta duplex mortis & vitæ.*

*Portæ cœleſtes ſunt virtutes, portæ mortis ſunt vitia.*

## Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me & factus es mihi in ſalutem. 2067

Hic ex incarnatione Chriſti concluditur deſiderij ſanctorum patrum exauditio. Quanto enim deſiderio ſancti patres ſcientes verbum incarnandum, ipſum expectabant: oſtendit ipſe Simeon: qui Chriſto recepto, ſtatim pacem mentis habuit, quā antè habere non poterat, Ideo dixit Lucæ 2, Nunc dimittis domine ſeruum tuum, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderūt oculi mei ſalutare tuū. Vnde & Chriſtus ſuis dicebat Apoſtolis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Multi enim reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, &c. Vnde de ſanctorum patrum Chriſti aduentum deſiderantium expectatione, ait Gregor. ſuper illo verbo Iob 18, Vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea? Quia electi ante aduentum domini, & in labore vitæ præſentis ſe eſſe cernebant: & tamē poſt præſentem necdum cœleſtia bona percipere, multis cogitationibus vrebātur. Expectabāt enim gratiā redemptoris ſui: nec tamen ad eam poterant in carne viuendo peruenire. Vnde & quilibet ipſorum dicebat, Vbi eſt nunc præſtolatio mea? Quæ enim potuit eſſe præſtolatio iuſtorum, niſi iuſtus & iuſtificans Deus: qui ad pœnas humani generis ſponte deſcenderet, & captiuos mortis iuſtitiæ ſuæ virtute liberaret? Huius enim præſentiam minimè ceſſabant intenta cogitatione præſtolari, quam quandoque eſſe venturam nouerant: ſed venire citius quærebant. Vnde non ſimpliciter ait, Vbi eſt præſtolatia mea? ſed, Vbi eſt nunc præſtolatio mea? Dum enim addit nunc, oſtendit quia quod quandoque venturum erat, venire citius deſiderabat. Ex quibus apparet, quòd quando Chriſtus venit in carnem, deſiderium ſanctorum impleuit, ipſos exaudiendo. Et hoc eſt quod in perſona illorum omnium Pſalmiſta Deum laudans dicit, *Confitebor tibi quoniam exaudiſti me,* ſcilicet confeſſione laudis: quando exaudiſti me. Si autem quæras, quare exaudire orationem iuſtorum quandoque tantum differt Deus: de hoc vide ver. 56. 516. 650. 1495. Sequitur, *Et factus eſt mihi in ſalutem.* Et hoc quia Chriſtus incarnatus, ſaluator noſter eſt factus. Vis autem videre quomodo non meritis noſtris, ſed ſola Chriſti gratia ſaluati ſumus? quia ipſe ſua gratia nobis factus eſt in ſalutem: audi Gregor. dicentem ſuper illo verbo Iob 28, Neſcit homo precium eius. Quid autem nos dedimus vt hanc ſapientiam, quæ Chriſtus eſt, accipere mereremur? Gratia namque redempti ſumus: ipſa namque ſola opera malè viuendo dedimus: quibus ſi iuſta retributio ſeruaretur, non Chriſtus, ſed ſupplicia redderētur. Sed aliud homo per iuſtitiam meruit, aliud per gratiam accepit. Teſtatur Paulus dicens, Cum (inquit) adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis impiis mortuus eſt. Vnde quiſquis à brutis animalibus rationis intellectu diſcretus eſt: quoniā quòd non ſuis meritis ſit ſaluatus, intelligit, nihil ſe dediſſe boni operis vt ad fidem veniret, agnoſcit. Hinc ſcriptum eſt, Gratia ſalui facti eſtis per fidem Chriſti, ſed non ex nobis. Dei enim donum eſt: nó ex operibus, vt ne quis glorietur. Sed ſunt nonnulli, qui ſaluos ſe ſuis viribus exultant: ſuiſq; præcedentibus meritis ſe redēptos eſſe gloriantur. Quorum profectò aſſertio inuenitur ſibiipſis contraria: quia & dum ſe innocentes aſſerunt, & redemptos: hoc in ſe iuſti nomen, per nomen redēptionis euacuant. Omnis namq; qui redimitur, ex aliqua proculdubio captiuitate liberatur. Vnde ergo quilibet iſte redemptus eſt, ſi prius non fuit ſub culpa captiuus? Liquet itaq; quia multum deſipit quiſquis hoc ſapit. Hominis quippe meritum, ſuperna gratia vt veniat, non inuenit: ſed poſtquam venerit, facit: atque ad indignam mentem veniēs Deus, dignam ſibi exhibet veniendo. & facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc ſolùm inuenerat quod puniret. Libet inter hæc mentis oculum ad illum latronem reducere, qui de fauce leonis aſcēdit crucem, de cruce paradiſum. Intuemur qualis & ad patibulum venerit, & à patibulo qualis abſceſſerit. Venit enim fraterno ſanguine cruentus: ſed ſuperna gratia eſt in cruce mutatus, &c. vſque ibi. Sed hi qui ſaluari hominem propriis viribus aſtruunt, eandem confeſſionem hominis ab ipſius virtute hominis eſſe ſuſpicantur. Quod ſi ita eſſet, in Dei laudem Pſalmiſta non diceret, *Confeſſio & magnificentia opus eius.* Nec quod alibi ait, *Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.*

*Chriſti aduentum ſancti patres deſiderabant.*

*Lucæ 10.*

*Greg. lib. 15. moral. cap. 11.*

*...lui noſtra Chriſtus eſt.*

*...luamur per Chriſtum: non ex operibus no...*

*Greg. 18. moral. cap. 24.*

*Rom. 11.*

*Rom. 5.*

*Epheſ. 2.*



## Lapidē quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. 2068

Hic ponitur ſecundum: ſcilicet, ex Iudæis & gētilibus eccleſiæ conſtructio. Et primò ponitur eccleſiæ conſtructio: ſecūdò conſtructionis admiratio, ibi, *A domino.* Quantum ad primum, ſciendum quòd ad literam iſtum paſſum dixit Dauid de Chriſto, qui eſt verus lapis angularis. Vnde iſtum verſum de ſe dictum Chriſtus allegat, dicens, Nunquā legiſtis in ſcripturis, Lapidem quem reprobauerūt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vocatur enim Chriſtus ideo lapis angularis, quia lapis angularis duos parietes in vnum coniungit. Sic & Chriſtus duos diſtinctos populos, ſcilicet Iudaicum & gentilem in vnam fidem & eccleſiam coniunxit. Qui populi ante Chriſtum in cultu multum erāt diuiſi: quia vnus colebat Deum, alius diabolum: vnus fidelis, alius idolatra: vnus prope Deum, ſcilicet per fidem, alius longè à Deo, per infidelitatem. Vnde Apoſtolus ſic iſtum textum ad iſtud propoſitum adducit ad Epheſ. 2. dicens, Nūc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: qui veniens euangelizauit pacem, & vobis qui longè fuiſtis, & pacem his qui erant prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, &c. Et hæc omnia præuidens Pſalmiſta de Chriſto, ait, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,* &c. Et loquitur de futuris per modum præteriti, propter certitudinem prophetiæ. Hic enim ſecūdum Origenem lapidem Chriſtum vocat: ædificatores autem, doctores Iudæorum, qui Chriſtum lapidem reprobauerunt, dicentes, Non eſt hic à Deo: ſed illis nolentibus, lapis iſte caput anguli firmauit: quia de vtroque populo, quotquot voluit, in vna fide firmauit. Et ſic factus eſt caput anguli, quia ipſe eſt inter legem & gentes, lateris vtriuſque coniunctio. Et ad iſtum intellectum beatus Gregor. inducit iſtum textum, & exponit, dicens ſuper illo verbo Iob 38, Quis dimiſit lapidem angularem? dicens, Iam diuina gratia omnibus liquet, quem ſcriptura ſacra angularem lapidem vocat: illum profectò qui dum in ſe hinc Iudaicum, illinc gentilem populum ſuſcepit: in vna eccleſiæ fabrica quaſi duos parietes iungit: illum de quo ſcriptum eſt, Fecit vtraque vnum: quia angularem lapidem non ſolùm in inferioribus, ſed in ſupernis ſeipſum exhibuit: quia etiam in terra plebi Iſraeliticæ nationes gētium & vtraſque ſimul angelis ſpiritibus ſociauit in cœlo. Eo quippe nato clamauerunt angeli, In terra pax hominibus bonæ voluntatis. In ortu namque regis nequaquam pro magno offerrēt hominibus gaudia pacis, ſi antè diſcordiam non haberent. De hoc lapide per Prophetam dicitur, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Huius lapidis typum Iechonias tenuit: quem Matthæus, dū quaterdenas generationes deſcriberet, ſecundò numerauit. Quē enim in fine ſecūdę, ipſum rurſum in principio tertiæ generationis inſeruit. Ipſe namque in Babyloniam cum Iſraelitica plebe migratus

*Lapis angularis dicitur Chriſtus.*

*Matth. 21.*

*Eccleſia conſtat ex Iudæis & gentilibus.*

*Greg. 28. moral. cap. 9.*

*Epheſ. 2.*

*Lucæ 2.*

*Matth. 1.*

eſt:qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro vtriuſque parietis latere non immeritò ſecundus numeratur. Cuius numerationis flexu, angularem lapidem ſignat. Vbi enim ordo à rectitudine flectitur, vt eat in diuerſum, tanquam angulum facit. Rectè ergo numerari bis potuit, quia per vtrumque parietem quaſi duo latera in ſe oſtendit. Vnde & eius bene imaginem tenuit, qui in Iudæa ortus, gentilitatem colligens, quaſi à Hieroſolymis Babyloniam venit: atque hanc in ſemetipſo fidei fabricam priùs diſcordię ſtudio ſciſſam, arte charitatis intexuit. Et in ſententia eandem expoſitionem ponit Auguſtinus, Chryſoſtomus, & cæteri doctores. Et ſic nota quòd Chriſtus directè dicitur factus in caput anguli, quia ipſe eſt caput totius eccleſiæ: quæ ex duobus populis cōſiſtit. de quo ait Apoſtolus, Ipſe eſt caput corporis eccleſiæ, qui eſt primogenitus ex mortuis: vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens, &c.

*Coloſ.1.*

2069 A domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hic ponitur conſtructionis eccleſiæ admiratio. Hoc exponitur dupliciter, ſcilicet de Chriſti incarnatione, & de eccleſiæ ædificatione. Quantum ad primum, ſciendum quòd fundamentum conſtructionis eccleſiæ fuit Chriſti incarnatio: quando ſcilicet verbum caro factum eſt. Non quidem quòd filius Dei ſit factus homo operatione humana: quia non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine: quia ſolùm Dei operatione. Hoc ergo quòd iſte lapis angularis ſit Deus & homo, non ab homine, ſed à Deo factū eſt. *Et eſt mirabile in oculis noſtris.* Quis enim non miretur Deum factum hominem, æternum temporalem, immortalem mortalem, inuiſibilem viſibilem, dominum angelorum hominum ſeruum, & ſimilia? etiam matrē virginem matrem, fœminam parere ſuum creatorem? Hoc eſt ergo factum mirabile: de quo dicitur quòd paſtores loquebantur adinuicem, Tranſeamus vſque Bethlehem: & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod dominus fecit & oſtendit nobis. & venerunt feſtinanter: & inuenerunt Mariam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio. Sequitur, Et omnes qui audierunt mirati ſunt. Secūdò poteſt exponi de fabrica eccleſiæ, quam dominus fecit. Nónne mirabile fuit, gentiles cultus Dei contemptores ad fidem ducere: diſparis cultus Iudæos & gentiles in Dei cultum vnire: lapidem reprobatum caput anguli facere? Et hoc eſt quod ait, *A domino factum eſt iſtud,* ſcilicet quòd iſte lapis reprobatus, caput eſſet anguli: in vna fide Iudæos & gentiles copulans: quod tamen Deus fecit virtute Chriſti paſſionis. Et tamen iſtorum coniunctio licet ſit facta virtute Chriſti paſſionis, non tamen hoc factum eſt ab illis à quibus paſſus eſt: ſed à domino, qui per Chriſti paſſionem hoc faciebat, vt gratiam ſuam ita gētibus vt Iudæis daret. Hoc eſt quod mirabantur Iudæi videntes gratiam Dei gentibus datam: quoniam, vt habetur Actuum 10, Fideles qui ex Iudęis in Chriſtum crediderant, admirati ſunt, quādo viderunt ſpiritum ſanctum in ſigno viſibili Cornelio, & aliis gentilibus dari. Vnde Actuum 10, dicitur, Et obſtupuerunt ex circunciſione fideles qui venerant cum Petro, quòd & in nationes ſpiritusſancti gratia diffuſa eſt. Et hoc eſt quod præuidens Pſalmiſta ait, *A domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.* Vnde meritò dominus dicit, Ioan.7, Vnū opus feci, & omnes miramini. Et nota, quòd iſta eccleſiæ conſtructio facta per Chriſtum, multiplici ratione redditur mirabilis. Si enim effectus inſolitus inducit admirationem, quanto magis eccleſiæ ædificatio erit admirabilis: in qua exiſtentes de terra creati, nihil terrenum amant, ſed animas habent in cœleſtibus? &c.

*Mirabilia in carnationis.*

*Luce 2.*

*Mirabilia in gentibus conuerſis.*

Hæc eſt dies quam fecit dominus: exultemus & lætemur in ea. 2070

Hic ponitur tertium: ſcilicet Chriſti paſſi reſurrectio. Quamuis enim Chriſti natiuitas, conuerſatio & prædicatio ad noſtram ſalutem facerent, tamen ſalus noſtra in morte & in reſurrectione eius eſt conſummata. Quid enim naſci nobis profuit, niſi redimi profuiſſet? Et ideo ſicut ſummum beneficium ſummam exultationem inducere debet: ſic & nobis dies Chriſti reſurrectionis inducit. Hāc ergo diem pręuidens Pſal. ait, *Hæc eſt dies quā fecit dominus: exultemus,* &c. Ideo hanc diem reſurrectionis Chriſti dominus feciſſe ſingulariter dicitur: quia etſi omnes dies fecerit, hanc tamen ſingulariter fecit: non quia iſtam diem plus aliis fecerit, ſed quia in iſta die plus quàm in aliis nobis fecit: in qua dominus mortuus reſurrexit, & diabolus de mundo fuit eiectus: & homo ſpiritualiter reuixit. Hæc eſt dies in qua dominus ſalutem nobis dedit: de qua Apoſtolus dicit, Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. Hæc dies eſt annus iubilæus ſub lege figuraliter obſeruatus: in quo ſerui manumittebantur, debita laxabātur, poſſeſſiones dominis reſtituebantur. Et nos hac die à ſeruitute peccati redempti ſumus, & nobis reſtituta eſt hæreditas æterna. Et ideo exultemus & lætemur in ea. Et hinc eſt quòd in feſto reſurrectionis domini, ſancta mater eccleſia multoties cantat & repetit, dicens, *Hæc dies.* &c. Vel aliter: Pſalmiſta hic per diē intelligit totum tempus noui teſtamenti: ſcilicet ab incarnatione Chriſti vſque ad finem: qui meritò dies dicitur, ratione veritatis reuelatæ: quę in veteri teſtamēto latebat ſub figurarū obſcuritate. Sic enim Paulus tempus legis noctem appellat: & tempus gratiæ diem, dicens Rom.13, Nox præceſſit: dies autem appropinquauit. Hæc ergo eſt dies quam fecit dominus: quia licet omnia tempora generaliter fecerit, dicitur tamen facere aliquod tempus ſpecialiter, propter aliquod bonum quod in illo tempore contingit, ſecundum vſitatum modum loquendi: vt dicimus danti nobis aliquod bonum in aliqua die, Tu dediſti mihi bonam diem. In tempore autem gratiæ Deus multa bona nobis fecit: quia filium dedit mundo, legem euangelicam publicauit, miracula multa oſtēdit, nos redemit & iuſtificauit. Quæ omnia ſunt cauſa lætitiæ. Et ideo ſubditur, *Exultemus & lætemur in ea.* Lætemur intus mente, ſed opere foris. Qualiter autem exultatio & lætitia differant, vide verſic.92. Item nota quòd omnis creatura exultauit ad præſentiam Chriſti. ver.1652. Item quomodo & nos exultare debemus in Chriſto. ver.1631.

*Dies reſurrectionis domini eſt magnæ lætitiæ & exultationis. Auguſtinus in ſermone reſurrectionis dominicæ, Hæc eſt dies quam fecit dominus, vt audiſtis, excelſior cunctis, dulcior vniuerſis, in qua dominus reſurrexit, in qua nouam ſibi plebem, vt videtis, generationis ſpiritu acquiſiuit: in qua ſingulorum mentes gaudio & exultatione perfudit. Sic ergo dies reſurrectionis Chriſti defunctis vita, peccatoribus venia, ſanctis eſt gloria. Si quidem operationis virtutum [illegible] de imo, ſuſcitat de terra, [illegible] in excelſis, [illegible] infideles, firmat dubios, damnat incredulos. Ad hoc enim dominus reſurrexit, vt imaginem futuræ reſurrectionis oſtēderet. Et poſt pauca, Et diē ſancti diei paſchæ ſolennitatem colimus, futuræ reſurrectionis ſpeciem induimus. Reſurrectionis enim eſt humani generis in illa conſummatione poſt mortem: nam ſurgit in baptiſmo, &c. vide per totum ibi.*

O domine ſaluum me fac, ô domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine domini. 2071

Hic ponitur quartū quod habemus ex Chriſti incarnatione: q̄ eſt totius hominis beatificatio. Ante enim Chriſti reſurrectionem, ſancti patres quantumcunque iuſti detinebantur in limbo: ſed Chriſto reſurgente, illos ſecum ex limbo eduxit, & in aſcenſione ſecum ad cœlos attraxit: & tunc multos cum eo reſuſcitatos, in corpore & anima beatificauit: reliquos autem poſt iudicium reſuſcitatos, ſecum in gloria collocabit. Quę omnia præuidens Pſalmiſta ait Chriſto, *O domine ſaluum me fac.* & loquitur in perſona omnium electorum. Et hoc nō ſolùm dicit optatiuè: ſed à ſpiritu ſancto illuminatus, dicit hoc prædictiuè, *O domine ſaluum me fac.* id eſt, ſaluum me facies, educendo de limbo ad gloriā. Pſal.27. Saluum fac populum tuum domine, &c. *ô domine bene proſperare.* vbi inſinuat duplicem proſperitatem, ſcilicet bonam & malam, ſpiritualium & terrenorum. Ille ergo bene proſperatur, qui in ſpiritualibus creſcit: ille malè (ſaltē vt in pluribus) qui in temporalibus. Iſte ergo dicens, *O domine bene proſperare,* id eſt, in ſpiritualibus gratiis fac me creſcere. ſciebat enim quòd præmia æterna proportionaliter dantur ſecundum proportionem meritorum. Et ideo poſtquam ſalutem poſtulauerat, dicens, *O domine ſaluum me fac*: vt potioribus fruatur præmiis, proſperitatē petit meritorū, dicēs, *O domine bene proſperare.* Vel per hoc petit vt eccleſia vniuerſaliter creſcat merito & numero fidelium. Hāc proſperitatem per verbum incarnatum in eccleſia faciendam prædixerat Deus pater. Eſa.55, dicens, Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud: quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Et Pſal.1, Omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Nota ergo quòd proſperitas eſt triplex, ſcilicet, malorum. Prouerb.1, Proſperitas ſtultorū, perdet illos. Et Hier.12, Quare via impiorum proſperatur, &c. Et Pſal.36, Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, & in homine faciente iniuſtitias. Secundò eſt proſperitas bonorum. Pſal.1, Omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Tertiò eſt proſperitas beatorum. Pſal.44, Intende proſperè, procede & regna. Hier.46, Proſperabitur, & non erit qui exterreat. Sequitur, *Benedictus qui venit in nomine domini.* Et nota hic quòd loquitur de duplici aduētu Chriſti, ſcilicet, in mundum & ad iudicium. De aduentu in mundum hoc dicit ad differentiam Antichriſti. Ille enim venit in nomine domini, qui domini gloriam quærit: ille autem venit in ſuo nomine proprio, qui gloriam quærit propriam. Antichriſtus enim in ſuo aduentu gloriam propriam quæret, quia extolletur ſupra omne quod colitur aut dicitur Deus. Ideo non erit benedictus, ſed maledictus. Chriſtus non propriam ſed patris quærebat gloriam: ideo benedictus. Vnde hic ait Auguſt. *Benedictus qui venit in nomine domini*: maledictus ergo ille qui venit in nomine ſuo. ſicut dominus in euāgelio ait, Ego veni in nomine patris mei, & nō recepiſtis me: ſi alius venerit in nomino ſuo, illum recipietis. Si autem intelligatur de aduentu ad iudicium, tunc Chriſtus erit benedictus, ab illis ſiquidem qui viui reperientur in fine: quia omnes conuertentur ad Chriſtum. Et hoc notabat Chriſtus Iudæis, dicens, Non me videbitis à modò, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini. Quaſi dicat, ſecundum Hieronymum, Niſi pœnitentiam egeritis, & confeſſi fueritis meipſum eſſe filium, ſcilicet omnipotētis patris, de quo prophetæ cecinerunt: meam faciem non videbitis.

*Saluat nos Chriſtus.*

*Proſperitas triplex.*

*Chriſtus venit in nomine domini.*

*Ioan.15.*

*Matth.23.*



Habent ergo Iudæi datum ſibi tempus pœnitentię vſque ad aduentum Chriſti ad iudicium, &c.

Benedixmus vobis de domo domini: Deus dominus, & illuxit nobis. 2072

Hic oſtenditur ad quid nobis profuerit aduentus Chriſti, quia ſcilicet nos Deo gratificauit: & nos de credendis illuminauit. Quantum ad primū, ait, *Benediximus vobis de domo domini.* Vbi aduertendū quòd prælati in eccleſia locum Dei tenent: & ſic ſubditos ex parte Dei benedicunt, id eſt, miniſterialiter abſoluunt à peccatis, & gratiam impetrāt. Sic enim (vt habetur 3. Regum 8,) Salomon conſecrato templo, benedixit omni eccleſiæ: quia Rex vices Dei gerebat. Sed quia nullus ab eccleſia præciſus vices Dei gerit, nec aliis benedicere poteſt: ideo hic dicitur, *Benediximus vobis: & hoc de domo domini,* id eſt de eccleſia quæ domus Dei dicitur. Ioā. 2, Domus mea domus orationis vocabitur. Et ad quid proficiat iſta benedictio quæ fit de domo domini: vide ver.1964. Sequitur quo ad ſecundū, *Deus dominus, & illuxit nobis,* i. Chriſtus, qui eſt Deus, & eſt dominus noſter: quia nos redemit, illuminauit nos: iuxta illud Lucæ 1, Viſitauit nos oriens ex alto, illuminare hos qui in tenebris & vmbra mortis ſedent. Propter quod de Chriſto dicitur Ioan.1, quòd erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniētem, &c. Et vide quàm propriè Chriſtus dicitur lux, quæ illuxit nobis: quoniam omnes lucis habet proprietates.

Conſtituite diem ſolennem in condenſis, vſque ad cornu altaris. 2073

Hic concluditur ex prædictis gratiarum actio. Et diuiditur in partes tres: quia oſtendit primò quòd gratiarum actio Deo debet fieri generaliter ab omnibus. Secundò quòd debet fieri ſpecialiter cum laudibus: ibi, *Deus meus es tu.* Tertiò quòd debet fieri pro adimpletis orationibus: ibi, *Confitebor tibi.* Quartò concludit principium Pſalmi ex prædictis omnibus: ibi, *Confitemini.* Quantum ad primum, notandum quòd Pſalmiſta præuidit feſtiuitates ſolennes agendas in eccleſia de ipſo Chriſto: vt diem natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis eius in cœlum. In quibus diebus fideles copioſè congregantur in eccleſia ad Deo gratias agendū. Et hoc eſt quòd Pſalmiſta præuidens quod futurum erat, ait, *Conſtituite,* id eſt, cōſtituetis diem ſolennem, id eſt dies ſolennes: vtputa diem natiuitatis, reſurrectionis, &c. *Et hoc in condenſis.* Vbi nota quòd cōdenſa res vocatur, vbi eſt multum de ſubſtantia. Et ſic condenſum diſtinguitur contra rarū. Vocatur enim arbor cōdenſa, quæ abundat in ramis. Iſto enim modo dicitur, 2. Regum 18, quòd cum Abſalon fugeret in prælio ſedens in mulo, ingreſſus mulus ſubter condenſam quercum, quæ ſcilicet multos ramos habebat: & adhæſit caput eius quercui. & illo ſuſpenſo inter cœlum & terrā, mulus in quo ſedebat, tranſiuit. Conſimiliter feſtū condenſum dicitur, quando ibi multa preſſura cōcurrit hominum. Vult ergo Pſal. dicere, Conſtituite diem ſolennem in condenſis, id eſt, ad gratias agendum Deo pro beneficiis in iſto Pſal. expreſſis: eccleſia ordinabit dies ſolēnes in cōdenſis, id eſt, in quib⁹ cōdenſus & multus populus cōfluet ad eccleſiam. Et hoc vſq; ad cornu altaris. Quaſi dicat, Erit

*Condenſum dicitur aliquid, & qualiter.*

*Condenſus dicitur dies, vbi multus concurrit populus.*

populus ita condenſus, quòd eccleſia implebitur vſque ad altare. Et ſic de facto eſt conſtitutum: vt patet in feſtiuitatibus Chriſti. Vel per cornu altaris accipe ipſum ſacramentum euchariſtiæ. Chriſtus enim verè dicitur cornu altaris. vide ver.1993. Et tunc eſt ſenſus, quòd in illis diebus ſolẽnibus Chriſti fideles ibunt in condenſis, id eſt, in multitudine copioſa vſque ad cornu altaris, id eſt, vſque ad ſacramentum corporis Chriſti recipiendum: quia in illis feſtiuitatibus maximè fideles communicant. *Greg. lib. 9. moral. ca. 21.* Iſtum autem verſum magis myſticè exponit Greg. dicens, Deo quaſi quoddam gaudium ex pœnitentia noſtra facimus: cum per ſancta deſideria pro eius nos amore caſtigamus. Hinc Pſal. ait, *Conſtituite diem ſolennem in condenſis*, &c. Solennem namque diem domino in condenſis cõſtituit quiſquis aſſiduè in eius deſiderio ſe affligit. Qui nimirũ dies ſolennitatis vſque ad cornu altaris prætendi præcipitur: quia tam diu neceſſe eſt vt quiſquam ſe afficiat, quouſque ad ſuperni ſacrificij altitudinem, id eſt, ad gaudia æterna pertingat. Sic ergo agere domino diem feſtum in condenſis vſque ad cornu altaris, nihil aliud eſt, quàm quòd homo, quamdiu eſt in præſenti vita pro amore cœleſtis patriæ continuè ſe affligere debet: quouſque perueniat ad altare cœleſtis patriæ. Ipſa enim gloria cœleſtis altare dicitur.

2074 Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Hic oſtendit quòd gratiarum actio debet fieri ſpecialiter cum laudibus. Confiteri enim domino, nihil aliud eſt, quàm Deum laudare. vide ver.2048. Similiter exaltare Deũ, nihil aliud eſt, quàm ipſum laudando altum & ſummum eſſe bonum oſtendere. Qualiter autem Deus exaltatur à nobis, vide ver.69.421. Vel exaltare Chriſtum eſt paſſionem *Phil. 2.* ſuam propter quam fuit exaltatus, memoriter retinendo, de ipſa ſibi gratias agere. vide ver.1664. Et nota quòd quamuis Deus ſit omnium Deus & dominus, tamẽ illorum ſingulariter dicitur Deus, qui ipſum colunt, qui per votum ipſum ſibi Deum elegerunt.

2075 Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Hic oſtendit quòd gratiarum actio debet fieri pro exauditis orationibus. Iſte verſiculus in forma eſt ver.2067. Et ideo in nullo mutatur ſententia. Ideo expone vt ibi.

2076 Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Hic ex prædictis omnibus concluditur gratiarum actio; ſic quòd finis Pſal. concordat principio, & quia nõ variat ſententia iſtius verſiculi à primo, ideo ibi vide, ſcilicet, ver.2048. Iſte verſiculus etiã in forma eſt prĩcipij Pſalmi 105, 106. Ideo vide ibi.

## PSALMVS CXVIII.

2077 BEati immaculati in via: qui ambulant in lege domini.

*Aleph.* Titulus iſtius Pſal. eſt, Alleluia. Expoſitus fuit ſuperius in titulo Pſal. 104. Circa iſtum Pſalmum primò, quantum ad cauſam efficientem, ſciendum quòd non reperitur in ſingulari quis hunc fecerit Pſalmum. Sed nulli dubium eſſe debet quòd aliquis ſanctus Propheta hunc fecerit: maximè conſiderata iſtius Pſalmi excellentia: quæ cęteros Pſalmos excellit non ſolùm in longitudine, ſed multo fortius in ſentẽtiæ profunditate. Vnde de iſto Pſal. ait Auguſt. in hoc loco, Poſtquam cæteros Pſalmos expoſueram, iſtum Pſalmum nõ tam propter eius notiſſimam longitudinem, quàm propter altitudinem paucis cognoſcibilem differebam. quãto enim in ſententia videtur apertior, tanto mihi profundior videri ſolet: ita vt quàm ſit profundus, demõſtrare non poſſim. Aliorum quippe Pſalmorum obſcuritas, etſi in profunditate ſenſus latet: ipſa tamen apparet obſcuritas. Huius autem obſcuritas non apparet, quoniam talem præbet ſuperficiem, vt lectorem atque auditorem non credatur expoſitorem neceſſarium habere. Et magiſter in Glo. ordinaria hic dicit, Pſal. iſte inſtitutor eſt fidelium, paradiſus omnium pomorum, apotheca ſpiritusſancti: qui quanto in ſuperficie verborum videtur apertior, tanto myſteriorum altitudine eſt profundior. Hic Pſal. totus eſt morali doctrina inſignis. Omnis autem doctrina moralis, ſuauis eſt; in qua hic Pſal. eminet cæteris. Alij enim Pſalmi tanquam minores ſtellæ aliquatenus lucent: iſte verò Pſal. quaſi ſol pleni luminis meridiano calore feruens, totus morali dulcedine ſplendet. Ad intelligentiam ergo iſtius Pſalmi tam profundam ſciẽdum quòd tota intentio Pſalmiſtæ eſt nos ad vltimum finem creaturæ rationalis dirigere: qui vltimus finis eſt beatitudo: ad quam peruenire poſſumus per virtutes, & non aliter. Sic quòd ille qui eſt virtuoſus, vocatur beatus in ſpe, quia per virtutes peruenit ad veram rei beatitudinem. Conſimiliter enim loquitur Phil. 1. ethicorum, de beatitudine politica, quæ conſiſtit in vſu virtutũ, dicens, quòd pueros beatificamus in ſpe: non quia adhuc operentur virtuosè, ſed quia videntur bonæ indolis ad habendum virtutes politicas tempore procedente. Sic & fideles homines hic virtuoſos dicunt in ſpe beatos: non quia de facto ſint beati, ſed quia virtutes quas habent, ad habendum realem beatitudinem ſunt apti & diſpoſiti. Item notandum eſt, quòd iſte Pſal. mirabiliter præ omnibus aliis eſt alphabeticus: quia ſecundum literas alphabeti Hæbræorum procedit: incipiẽdo à prima litera alphabeti, & ordinatè ſecundum alias literas procedendo. Et ideo ſecundum quòd ſunt literæ alphabeti Iudæorum viginti & duę: ſic iſte Pſal. habet viginti & duas partes. Sic quòd prima pars incipit à prima litera Hæbræorum quæ eſt aleph: ſecunda à ſecunda quæ eſt beth: tertia à tertia quæ eſt gimel: & ſic de aliis. Sic tamen quòd quælibet pars continet octo verſus per eandem literam incipientes: qua primus verſus incipit. Et primus octonarius in Hæbræo incipit per aleph: & habet octo verſus per eandem literam incipientes, ſcilicet, *Beati immaculati*, vſque ad ſecundum octonarium, ibi, *In quo corrigit*. Secundus octonarius, ſcilicet, *In quo corrigit*, incipit per ſecũdam literam, quæ eſt beth. & ſic omnes verſus illius octonarij: & ſic de ſingulis. Et ideo iſtum Pſalmum diuidam ſecundum literas alphabeti Hæbræorum. Et ſic iſte Pſal. habet viginti duas partes: quarum quælibet octo verſus continet. ſecunda pars eſt ibi, *In quo corrigit*: tertia ibi, *Retribue*: quarta ibi, *Adhæſit*: quinta, ibi, *Legem*: & ſic de



ſingulis octonariis. Et ſi dicas, Quomodo dicis quòd omnes verſus primi octonarij incipiunt à prima litera, cum nullus incipiat ab a: ſed aduerſis aliis literis incipiant? Dico quòd in Hæbræo, ſic omnes verſus primi octonarij incipiunt per aleph. Sed qui tranſtulit pſalterium de Hæbraico in Græcum, & de Græco in Latinum, eaſdem literas in capite verſuum ſeruare non potuit. Sicut verbi gratia, Chriſtus in cruce Hæbraicè loquens, dixit, Heli heli lama ſabachthani. Tãſlator autẽ reducẽs in *Marc. 15.* Latinum, dixit, Deus meus, deus meus, vt quid me dereliquiſti? Certum eſt enim quòd eadem eſt ſententia: ſed eædem non ſunt principiantes literæ. Sic eſt in propoſito. Sic ergo diuiditur iſte Pſal. ſecundum numerum literarum alphabeti. Et hoc eſt quod hic ait Gloſa, Quot enim ſunt literæ, tot in iſto Pſal. ſunt partitiones: vt in ſingulis octonariis ſint partitionum diſtinctiones. Octonarius verò ipſe in ſingulis diſtinctionibus innuit quòd vnaquæque pars perfecta eſt. Et ſufficit, vt ſi quis eam ſeruet in vita ſeptem dierum, vt perueniat ad octauam reſurrectionis. Conſimilis modus alphabeticus habetur in illo hymno natiuitatis domini, A ſolis ortu cardine: in quo verſus incipiunt ſecundum literas alphabeti: vſque ad g. vt patet intuenti. Quibus viſis, accedo ad primum octonarium. Primus enim iſte octonarius eſt quaſi quidam prologus totius Pſal. Ideo iſti octonario pręmittitur prima litera Hębręorum, ſcilicet aleph. Quę litera interpretatur doctrina: quia iſte primus octonarius eſt quaſi doctrina & prologus totius Pſal. vt dictum eſt. Agit autem iſte primus octonarius de via actiua & cõtemplatiua: quæ ſunt via ad veram beatitudinem obtinendam. Diuiditur autem in partes duas: quia primò oſtendit beatitudinis meritum: ſecundò oſtendit eius deſiderium: ibi, *Vtinam dirigantur*. Prima in duas: quia primò oſtendit beatitudinis meritum: ſecundò eius meriti impedimentũ: ibi, *Non enim qui operantur*. Quãtum ad primam partem, primò agit de vita actiua: ſecundò de vita contemplatiua: ibi, *Beati qui ſcrutantur*. *Actiua vita præcedit contemplatiuam.* Circa primam partem, ſciendum, quòd vita actiua ſtat in exercitio virtutum moralium: vita autem cõtemplatiua, magis in ſtudio vel doctrina. Certum eſt autẽ quòd vita bona præcedere debet ſtudium & doctrinam. Sic enim de Chriſto ſcribitur Actuũ 1, quòd cœpit Ieſus facere & docere. Non enim poteſt mẽs eleuari liberè ad cõtemplationis ſtudium, niſi priùs paſſiones appetitus ſenſitiui per excercitium moraliũ virtutum fuerint moderatæ: ſecundum quòd docet *Greg. libr. 6. mora. 26.* Greg. dicens, Priùs ergo mens ab appetitu gloriæ temporalis atque ab omni carnalis concupiſcẽtiæ delectatione tergenda eſt: & tunc ad aciem contẽ*Exod. 18.*plationis eſt erigenda. Vnde & cum lex accipitur, populus à monte prohibetur. vt videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena deſiderant, conſiderare ſublimia non pręſumant. Vbi & rectè dicitur, *Num. 5.* Si beſtia tetigerit mõtem, lapidabitur. Beſtia enim montem tangit, cum mens irrationabilibus deſideriis ſubdita, ad contemplationis alta ſe erigit. Sed lapidibus percutitur, quia ſumma non ſuſtinens, ipſis ſuperni ponderis ictibus necatur. Qui ergo contẽplationis arcem tenere deſiderant, priùs ſe in campo operis per exercitum probent: vt ſollicitè ſciant, ſi nulla iam mala proximis irrogant, ſi irrogata à proximis æquanimiter portant, ſi obiectis bonis temporalibus, nequaquam mens lętitia ſoluitur, ſi ſubtractis etiam nimio mœrore ſauciatur. Ac deinde perpendant cùm ad ſeipſos introrſus redeunt in eo quòd ſpiritualia rimantur: nequaquam ſecum rerum temporalium vmbras trahant, aut fortaſſe tractas, manu diſcretionis abigant. vt incircunſcriptum lumen videre cupientes, cunctas circunſcriptionis ſuæ imagines deprimant: vt in eo quod ſuper ſe eſt contingere appetunt, vincant quod ſunt. Et ideo Pſal. primò præmittit vitam actiuam: dicens, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.* *Beatitudinẽ omnes volũt, nec aliquis poteſt eã nolle.* Et vide quòd iſte Pſal. incipit à beatitudine: non quòd ad beatitudinem nos velit exhortari: quia non eſt opus, cum omnes hanc naturaliter deſiderent, & nullus poſſit eam nolle: ſed vt viam doceat ipſam adipiſcendi. Vnde ait Auguſt. Ab exordio ſuo Pſal. iſte magnus exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo eſt qui non expetat. Quis enim vnquam poteſt, vel potuit, vel poterit inueniri qui nolit eſſe beatus? Quid igitur exhortatione opus eſt ad eam rem, quam ſuus ſponte animus appetit humanus? Nam profectò qui exhortatur, id agit, vt excitetur voluntas eius cum quo agit, ad id propter quod exhortationis adhibetur colloquium. Vt quid igitur nobiſcum agitur, vt velimus quod nolle non poſſumus? Et reſpondet, Niſi quia omnes quidem beatitudinem concupiſcunt: ſed quãdo ad id perueniatur, plurimi neſciunt. Ideóque hoc docet iſte qui dicit, *Beati immaculati qui ambulant* &c. Tanquam ſi diceret, Scio quid velis: beatitudinem quæris. Si ergo vis eſſe beatus, eſto immaculatus. Illud quidem omnes, hoc pauci volunt: ſine quo non peruenitur ad illud quod omnes volunt. Et vide quòd vitam immaculatam præponit ſtudio legis: dicens, *Beati immaculati in via*. & conſequenter, *Qui ambulant in lege domini*. Vnde Ambroſ. hæc litera primò dicit. Non enim prius dixit, qui ſcrutantur teſtimonia eius: ſed prius, *Beati immaculati in via*. Ante enim vita quàm doctrina quærenda eſt. Vita enim bona & ſine doctrina gratiam habet. Doctrina verò ſine vita, integritatem non habet: quia in prauitate cæcatur oculus mẽtis. Hunc etiam ordinem & in primo Pſalm. tenuit: vt in via ambulandum eſſe doceret prius, & tunc in lege meditandum. Sic & hic ait, *Beati immaculati*. Et ſi quæras qui ſunt illi qui ſunt immaculati: reſpondet, *Qui ambulant in via*, ſcilicet, in lege domini, id eſt, qui faciunt quæ præcepta ſunt in lege domini, & cauent quæ ibi ſunt prohibita. *Beati volunt eſſe etiã mali.* Sed mirandum eſt de multis qui volunt ad beatitudinem peruenire, & nolunt ire per viam beatitudinis: ſed magis per oppoſitam. Vnde hoc hîc admiratur Auguſtin. dicens, Beatum quippe eſſe tam magnum bonum eſt, vt hoc velint boni, velint & mali. Nec mirum eſt quòd boni propterea ſunt boni: ſed illud eſt mirum, quòd etiam mali propterea ſunt mali, vt ſint beati. *Beatitudinẽ quærunt mali in peccatis.* Nam quiſquis libidinibus deditus luxuria ſtupríſque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit: & ſe miſerum putat cùm ad ſuæ concupiſcentiæ voluptatem lætitiámque non peruenit: beatum verò non dubitat iactare, dum ad illa mala peruenit. Et quiſquis auariciæ facibus inardeſcit, ad hoc congregat quocunque modo diuitias, vt beatus ſit. Inimicorum ſanguinem fundere quicunque deſiderat: dominationem quiſquis affectus: crudelitatem ſuam quiſquis alienis cladibus paſcit: in omnibus ſceleribus beatitudinem quærit. Hos igitur errantes,

& vera miſeria falſa beatitudine requirentes, reuocat ad viam, ſi audiatur vox iſta diuina, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.* Quaſi dicat, Quò itis? Peritis & neſcitis. Via qua pergitis non ducit ad illa quò peruenire deſideratis. Nam vtique beati eſſe cupitis: ſed miſera ſunt, & ad maiorē miſeriam ducūt itinera iſta quibus curritis. Tam magnum bonum quærere, per tam mala nolite. Si ad illud peruenire vultis, huc venite: hac ite via, Peruerſam relinquite malignitatem: quia non poteſtis relinquere beatitudinis voluntatem, fruſtra tendendo fatigamini: quò perueniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in peruerſitate ſæculi: ſed beati immaculati in via qui ambulant in lege domini. Hæc Auguſt.

## 2078 Beati qui ſcrutātur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Hîc conſequenter agit de vita contemplatiua. Vbi notandum quòd teſtimonia Dei dicuntur eloquia ſacræ ſcripturæ per prophetas nobis tradita, & miraculis tanquam diuinis confirmata teſtimoniis. Et vide quàm ordinatè poſt vitam immaculatam inducit ſacræ ſcripturæ ſtudium: ſciens quòd in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Vnde hic ait Gloſa, Nota quòd priùs dixit, *Beati immaculati in via:* pòſt, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius.* quàm pulcher ordo plenus doctrina & gratia. Ante enim eſt vita quàm doctrina. Ideóq; de Chriſto dicitur, Cepit facere Ieſus & docere. Et Apoſtolus deſcribens pontificem eligendum, priùs dicit de vita, Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, pudicum: quæ pertinét ad bonam vitam. Deinde adiungit de doctrina, ſcilicet doctorem. vt ſcilicet, prius conſueſcat bona agere, quę præſumat docere. Item etiam legalis ſacerdos priùs induebat ſuperhumerale, & deinde rationale. Bona enim vita etiam ſola, gratiam habet: doctrina autem ſine vita non eſt integra. Et ſumuntur hæc verba à beato Ambroſio ſuper iſtum Pſalmum, litera prima, Præmiſſa ergo vita immaculata, ſequitur Pſal. de doctrina, dicens, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius.* Sacrę enim ſcripturæ teſtimonia Chriſti vocantur; quia de ipſo teſtimonium perhibent. de quibus dixit Chriſtus huic verbo cōcordans, Ioan. 5. Scrutamini ſcripturas, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Quod verbum exponens Alcuinus, ait, Omnis ſcriptura teſtimoniū perhibet de Chriſto: ſiue per figuras, ſiue per prophetas, ſiue per angelorum myſteria. Et attende quòd notanter dicit, *Beati qui ſcrutantur.* Scrutari enim ſecundum grammaticos eſt diligenter inueſtigare, ſcripturam ſubtiliter inſpicere, & non ſolùm ſuperficialiter. Per hoc ergo quòd Pſal. ait, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius,* nos mittit nō ad lectionem ſimplicem ſcripturarum & ſuperficialem: ſed ad ſcrutationem exquiſitam, quia ea quæ de Chriſto dicebantur in ſcripturis, deſuper obumbrabantur: nec in ſuperficie aperiebantur. Et hinc eſt quòd Iudæi Chriſtum non receperunt, quia ſcripturas non ſcrutabantur: ſed ſolum ſuperficialiter illas legebant. Sequitur, *In toto corde exquirunt eum.* Hîc oſtendit quo fine ſcripturæ vel teſtimonia Dei debent ſcrutari: ſcilicet, ad hoc ſolum vt in illis Deus toto corde exquiratur, id eſt, plenè & deuotè quæratur. Quod ideo dicit, quia multi exquirunt ſcripturas, vt in illis Deū intelligant: ſed non in toto corde, qui ſcilicet cor habent in illis diuiſum: quia volunt eſſe docti, non iuſti: volunt dicere, ſed non facere. Quia igitur ſcriptura docet facere & dicere, intelligere & operari: illi in toto corde Deum in ſcripturis exquirūt, qui ipſum benefaciendo & bene docendo Deum quærunt: illi autem ſolùm in parte cordis, qui doctrinā quærunt, non vitam: hominibus apparere, non realiter exiſtere. Notandum ergo quòd in toto corde in ſcripturis debemus exquirere Deum: vt ſcilicet nihil aliud quæramus propter ſe, niſi Deum, & reliqua propter Deum. Ille enim non in toto corde exquirit Deum, qui aliquid aliud diligit cum Deo, & nō propter Deum. De hoc vide verſic. 1208. Poſſumus etiam hic notare, quòd qui toto corde Deū exquirit, meritò dicitur beatus. Nam beatus ſecundū Iſidor. & Remigium dicitur quaſi bene auctus. Qui enim eſt beatus, peruenit ad ſuum debitū augmentum &c. Vide in abſtractionibus, c. 9.

*Vita præcedere debet doctrinam.* — *Actuū. 1.* — *1. Tim. 1.* — *Scripturæ ſūt teſtimonia Chriſti.* — *Perſcrutari quid eſt.* — *Toto corde quærendus eſt Deus.*

## Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt. 2079

Poſtquam oſtendit Pſal. beatitudinis meritum, quod in duobus conſiſtit: ſcilicet, in vita actiua, in primo verſu: & in vita contemplatiua, in ſecundo: hic conſequenter oſtendit beatitudinis impedimentum: quod ſimiliter in duobus conſiſtit, ſcilicet, primò in mali operatione: ſecundò in cordis diuiſione: ibi, *Tu mandaſti.* Quantum ad primum, ſciendum quòd principalis pars beatitudinis eſt fruitio, qua Deus per ſe & propter ſe diligitur ſuper omnia. Omnis autem qui peccat, aliquid aliud plus diligit quàm Deum: ergo beatus eſſe non poteſt, quia nec etiam talis à Deo diligitur. Propter quod dicitur Pſal. 5, Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Et attende quòd ait, *Non enim qui operantur iniquitatem* &c. Viæ namque domini ſunt ſacræ ſcripturæ per prophetas vel ab ipſo domino nobis deſcriptæ, quæ omnem iniquitatem & maliciam deteſtantur. Et ideo qui operantur iniquitatem & maliciam diligit, non in eis ambulat: ſed magis contra illas incedit. Vt verbi gratia: Scriptura docet te non eſſe ſuperbum: dicens, Superbiam in tuo ſenſu vel animo nūquam dominari permittas: ſed magis te docet ſequi humilitatem. Matth. 11, Diſcite à me, quia mitis ſum. Ideo qui operantur iniquitatem ſuperbiæ, in viis eius non ambulauerunt. Similiter docet declinare auariciam: dicente Chriſto, Cauete ab omni auaricia. Docet ſeruare caſtitatem, dicens, Sint lumbi veſtri præcincti &c, & ſic de aliis peccatis. Qui autem committit quæ illa fugere docet, non ambulat in viis domini: ſed magis contra illas. Bene ergo dicit, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerūt.* Sed hic Auguſt. magnam facit difficultatem; quia cùm omnis homo peccatum habeat, ſequeretur quòd nullus in viis domini ambularet. quod tamen nō eſt concedendum. Vnde hic ait Auguſt. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Elaborandum eſt, opitulāte Deo (in cuius manus ſunt & nos & ſermones noſtri) ne rectè dictum, non rectè intellectum, lectorem auditorémve perturbet. Cauēdum eſt enim ne omnes ſancti quorum illa vox eſt, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus: & veritas in nobis nō eſt. Aut non putentur ambulare in viis domini, quoniam peccatum iniquitas eſt: & qui operatur peccatum, iniquitatem operatur: & qui operantur iniquitatem, in viis eius non ambulauerunt. Aut quia dubium non eſt eos ambulare in viis domini, credatur eos non habere peccatum: quod proculdubio falſum eſt. Et finaliter ſoluens quæſtionem, oſtendit quòd ſancti non ſunt ſine peccato: & tamen in viis domini ambulant. & tamen verum hic dicit Pſal. quia etſi ſancti ſint in peccato, non tamen illud operantur. Vnde ſic infra per magnum proceſſum reſpondet Auguſt. dicens, Exurge in adiutorium meum domine Ieſu: & per Apoſtolum tuum in hac quæſtione mihi opitulare. Ipſum ergo Apoſtolum de iſta queſtione audiamus. Dic ergo nobis Paule beatiſſime, an ambulaueris in viis domini cū adhuc in carne viueres. Et reſpondet, Quādiu enim ſumus in corpore, peregrinamur à domino: per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. Quæ autem certior via domini, quàm ſit fides, ex qua iuſtus viuit? In alia etiam via domini tendebam ad ſuperna quando dicebam, quæ retro ſunt oblitus, in ea quę ante ſunt extentus: ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Poſtremò in qua alia via cucurrerā quando dicebam, Bonū certamen certaui: curſum conſumaui? Satis ſunt iſta reſponſa quibus Apoſtolum Paulum in viis domini ambulaſſe didicimus. Sed ab illo etiam aliud inquiramus. Dic obſecro Apoſtole, quando in carne viuēs in viis domini ambulabas, habebas peccatum, an ſine peccato eras? Et ipſe reſpondet, Nónne legitis vbi confiteor, dicēs, Non enim quod volo facio bonum: ſed quod nolo malum hoc ago? Et hoc audiuimus. Iam itaque illud interrogemus. Quomodo in viis domini ambulabas, ſi malum quod nolebas hoc agebas: cum Pſal. ſanctus intonet, dicens, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Audi ipſum continuò reſpondentem per ſententiam ſequentem, Si quod nolo inquit hoc facio, iam non ego operor illud: ſed quod inhabitat in me peccatum. Ecce ergo quomodo qui ambulant in viis domini non operantur peccatum, tamen non ſunt ſine peccato: quia iam non ipſi operantur illud, ſed quod inhabitat in eis peccatum. Hæc Auguſt. In ſententia vult dicere, quòd illi peccatum operantur, qui à propoſito & ex certa malicia peccant. & quòd hoc tale eſt mortale, & qui ſic peccant, non ambulant in viis domini. Illi autem qui peccāt ex carnis fragilitate, vel ex fomite concupiſcentiæ, non à propoſito in voluntate, non operantur talia peccata: ſed ex fomite procedunt: & talia ſunt venialia, quæ non tollunt caritatem. Et talia peccata ſancti habentes, etiam in viis domini ambulant.

*Peccantes in viis domini nō ambulant.* — *Tob. 4.* — *Luc. 11.* — *Luc. 11.* — *1. Ioan. 1.* — *1. Ioan. 3.* — *1. Cor. 5.* — *1. Tim. 4.* — *Rom. 7.* — *Rom. 7.*



## 1080 Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis.

Hîc oſtendit ſecundum impedimentum beatitudinis, quod eſt cordis diuiſio. Vbi notandū quòd hoc quod dicitur *nimis,* ſecundum gloſam quandoque accipitur pro plus quàm oportet. Et ſic dicitur 1. Reg. 25, Cor Nabal erat iocūdum: erat enim ebrius nimis: quia ſcilicet potauerat pluſquam oportebat. Quandoque verò accipitur Nimis pro valde. ſic enim de Dauid dicitur, quòd celebre factum eſt nomen eius nimis, id eſt, valde. Hic autem accipitur pro valde. Et eſt ſenſus, *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis,* id eſt, valde: vt ſcilicet, toto corde cuſtodiantur. Qui enim diuidit cor ſuum in cuſtodiendo præcepta domini, non eſt aptus ad beatitudinem: quia illa non ſeruat nimis: id eſt, toto corde. Ille cuſtodit nimis mandata Dei qui in illis habet totam diligentiam & ſolicitudinem, qua carent negligentes vel rebus tranſitoriis intenti. Vnde hoc verbum exponens Ambroſ. ſuper beati &c. litera prima, ait, *Tu mandaſti, mādata tua* &c. Non ſolum (inquit) mandaſti cuſtodire mandata tua: ſed etiam cuſtodire nimis. Quando hoc mandauit? In paradiſo quippe mandauit Adæ vt cuſtodiret mandata ſua: ſed fortè non mandauerat nimis cuſtodire. & ideo lapſus eſt Adam, & flexus in voce mulieris ſuæ. ideo deceptus eſt à ſerpente: putans quòd ſi in parte aliqua recederet à mandato, non penitus erraret. Sed quia ſemel à ſemita mādatorum receſſit, totam deſeruit viam. Inuenit eum ſerpens extra viam: & exſpolians omnibus, ipſum nudum reliquit. Et ideo dominus, quia lapſus fuerat qui in paradiſo poſitus fuerat, poſtea te per legem, per prophetas, per euangelium, per Apoſtolos monuit vt nimium cuſtodias mandata domini Dei tui. Omne (inquit) verbum ocioſum quod locutus fueris, reddes pro eo rationem. Noli ergo diſſimulare ab aliquo mandato. nam iota vnum aut apex non præteribit. Noli recedere de via: ſi in via ambulans vix tutus es à latrone, quid ergo facies ſi te extra viam vagantem inuenerit? Sic ergo mandauit mandata ſua nimis cuſtodiri, quia vult illa ex omni parte & omni diligentia obſeruari. Et eandem ſententiam ſub aliis tamen verbis hic ponit Auguſt. dicens, Nimis quippe dicitur quicquid plus fuerit quàm oportet. Nam parum & nimium duo ſunt inter ſe contraria. quoniam parū eſt quod minus eſt quàm oportet: nimium autem, quod plus eſt quàm oportet. Horum in medio modus eſt, quòd dicitur ſatis eſt. Cum itaque vtile ſit in vita & moribus, vt amplius quàm oportet, nihil omnino faciamus: quomodo dicit Pſal. *Tu mandaſti* &c. Sed aliquando Latina lingua hoc verbo ſic abutitur, vt nimis pro eo quod eſt valde & poſitum inueniamus in literis ſacris, & ponamus in ſermonibus noſtris. Nam & hic dicitur, Tu præcepiſti mandata tua cuſtodiri nimis: non niſi valde intelligimus ſi rectè intelligamus. Et, Nimis te diligo, alicui chariſſimo dicimus: non vtique pluſquam oportet: ſed valde nos diligere intelligi volumus. Vnde & nonnulli codices non habent, *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis:* ſed *valde.* Valde itaque hoc præcepit Deus: & valde oportet cuſtodire Dei mādata. Item aduerte quòd hic gloſa differentiam facit inter teſtimonia & mādata. Quia ſuperius poſuit teſtimonia, dicens, Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: hic autem ponit mandata, dicens, *Tu mandaſti mandata tua* &c. Et differentia eſt hæc, quia teſtimonia accipit in prohibendo: mandata verò in iubendo. Et ſic teſtimonia erunt præcepta negatiua: ſed mandata, affirmatiua.

*Nimis accipitur dupliciter.* — *Nimis cuſtodire debemus mādata Dei.* — *Matth. 12.* — *Matth. 5.* — *Nimis quid eſt, & quid parum.* — *Mandata & teſtimonia Dei quomodo differunt.*

## Vtinam dirigantur viæ meę, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. 2081

Hæc eſt ſecunda pars principalis primi octonarij, in qua oſtēdit beatitudinis deſiderium. Et quatuor facit, vt ad finem beatitudinis peruenire valeat. Primò diuinum poſtulat adiutorium: ſecundò Deo ſuum diſponit ingenium: ibi, *Tunc non confundar:* tertiò recognoſcit acceptum beneficium: ibi, *Confitebor tibi:* quartò Deo firmum promittit obſequium: ibi, *Iuſtificationes.* Quantū ad primum, ſciendum quòd liberum arbitrium ſine adiutorio diuinæ gratiæ, non ſufficit ad merēdum æternum præmium. vt oſtendit Magiſt. li. 2. diſt. 25. quia aliter

quis ſine gratia Deo eſſet gratus. Si ergo non ſufficit per ſe ad merendum, ergo nec ad mandata Dei adimplenda: quia omnis qui mandata Dei ſeruat, vitam meretur æternam: dicẽte Chriſto, Matth. 19, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Videns ergo propheta quòd Dei mandata ſine Dei adiutorio implere non poteſt, quæ tamen Deus mandauit cuſtodiri nimis: ſe ad Deum erigit: vt ab ipſo adiuuetur & dirigatur: dicens, *Vtinam dirigantur viæ meæ*. &c. Vbi aduerte quòd viæ noſtræ dicuntur actiones præſentis vitę, quibus ad terminum tendimus. Per has vias tendunt boni ad vitã: ſed mali ad mortem. Vnde Gregor. dicit, Viator quippe dicitur qui præſentem vitam, viam ſibi eſſe & non patriam attendit: qui in dilectione prætereuntis ſæculi cor figere deſpicit: qui non remanere in tranſeuntibus, B ſed ad æterna peruenire concupiſcit &c. Iſtas ergo vias, id eſt actiones vitæ præſentis Pſal. à Deo dirigi petit. Dirigere enim eſt indirectum regere. Et ſic Deus vias noſtras dirigit quando opera noſtra ſic regit, vt in directum tendant: ſcilicet, ad ipſum vltimum finem terminentur, & diuino placeãt conſpectui. Sic alibi Pſal. orabat, dicens, Pſal. 5, Dirige in conſpectu tuo viam meam: quæ via tunc dirigitur quando Dei mandata cuſtodiuntur. Et hoc eſt ergo quod ait, *Vtinam dirigantur viæ meæ* &c. vbi Auguſt. Quaſi orando Pſal. dicat, Tu quidem pręcepiſti mandata tua cuſtodiri nimis: ſed vtinam quod præcepiſti fiat mihi. Vbi audis Vtinam, vocem optantis agnoſce: & agnita voce optantis, depone ſuperbiam præſumentis. Quis enim ſe dicat optare C quod ſic habet in arbitrij poteſtate, vt nullo indigens adiutorio illud poſſit efficere? Ergo ſi optat homo quod præcipit Deus, vt det ipſe quod præcipit, rogandus eſt Deus. A quo enim hoc optãdum eſt, niſi ab illo patre luminum, à quo omne donum optimum & omne datum perfectum (ſacra ſcriptura teſte) deſcendit? Et Ambr. hic ait, Dirigantur greſſus tui; & ne infirmus ſis ad ipſos dirigendum, precare vt dominus dirigat vias tuas: quia ſi rogaueris, obtinebis. Sic enim optat iſte, dicens, *Vtinam dirigantur viæ meæ*. & ſic obtinuit. Vnde & alibi dicit, Expectans expectaui dominum: & exaudiuit me, & ſtatuit ſupra petram pedes meos: & direxit greſſus meos. Roga ergo & tu vt dominus dirigat veſtigia mentis tuæ, quò poſſis domini cuD ſtodire iuſtificationes. Vel per iuſtificationes Dei intellige illa per quæ homo iuſtificatur apud Deũ: ſcilicet aduerſitas & proſperitas. Iuſtificat aduerſitas per patientiam tolerata: iuſtificat proſperitas humiliter in Deum relata. Vnde Auguſt. ſuper illo verbo Pſal. 104, vt iuſtificationes eius exquirant: dicit, Audite ſerui Dei. Si tentationes ſunt duræ in iſto ſæculo: Ioſeph in carcere, Ieſum in cruce cogitate. Ioſeph humiliatus & exaltatus eſt: Ieſus humiliatus & exaltatus in cruce; propter quod regnat in cœlis. Si autem temporalium rerum proſperitas adiacet, non propter ipſam Deo, ſed ipſa vtimini propter Deum. Quæcunque enim bona dat Deus, referẽda ſunt ad gratuitum cultum eius; E ipſe autem cultus eius non eſt referendus ad alia bona. quia ſcilicet nõ debemus colere Deum propter iſta: ſed iſtis vti propter Dei cultum.

*Viæ noſtræ ſunt actiones.*

*Greg. 15. mor. cap. 27.*

*Vtinã ſignificat indigentiam alterius adiutorij.*

*Pſal. 39.*

*Iuſtificationes Dei quid ſint.*

2082 Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.

A Hîc poſtquam ſuam diſpoſuit voluntatem ad obſeruationem mandatorum Dei: hic conſequenter ſuum diſponit ingenium, vt ſcilicet perſpiciat & intelligat omnia Dei mandata. Vbi nota quòd ex hoc loco Pelagius occaſionem ſumpſit erroris: dicens, quòd ad complenda mandata Dei indigemus diuino adiutorio: ad hoc ſcilicet, vt nobis per Dei adiutorium cognita fiant: illis autem cognitis, per ſolam voluntatem noſtram ſine alio adiutorio gratiæ poſſimus illa adimplere. Quod probauit per hoc quod hic Pſalmiſta dicit, quia proſpiciens in omnibus mandatis Dei non confunditur: quia ſcilicet poſtea in poteſtate ſua eſt illa adimplere. Quapropter hic videtur à Deo ſolùm petere gratiam, vt illa cognoſcat. Et vbi eſt quod ſtatim ſuperius poſtulauit, dicens Deo, *Vtinam dirigantur viæ meæ*? Ad quid? Certè non ſolum ad cognoſcendum, ſed multo fortius ad perficiendum. Vnde hoc hic notans Auguſt. dicit, Propter eos autem qui ponunt, hoc ſolò nos ad faciendam iuſtitiam diuinitus adiuuari, quòd Dei præcepta nobis in noticiam proferuntur, vt ea cognita iam ſine vlla Dei gratia ſolis voluntatis noſtræ viribus impleantur. Hic non optauit dirigi vias ſuas ad cuſtodiendas iuſtificationes Dei, niſi iam ipſo præcipiente acceptis mandatis eius. Ad hoc enim pertinet quod præmiſit, *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis*: tanquam diceret, Iam legem acceptam noui: tu enim præcepiſti mandata tua cuſtodiri nimis, & C mandata tua iuſta & ſancta & bona ſunt: ſed peccatum meum per bonum mihi operatur mortem, niſi adiuuetur gratia. Vult ergo dicere quòd lex data qua cognoſcimus Dei mandata, bona quidem eſt: ſed per iſtud bonum legis quo peccata cognoſcimus, ſi illa non facimus, peccatum generatur in nobis. Indigemus ergo adiutorio gratiæ, ne per legem peccatum dominetur in nobis. lex ergo non iuuat, ſed gratia. Lex autem occaſio eſt peccati ipſam ſic obſeruantibus: quia vt dicitur Rom. 4, Vbi non eſt lex, ibi non eſt præuaricatio. Non ergo indigemus gratiæ adiutorio ſolùm ad cognoſcendum mandata, ſed etiam ad perficiendum. Et hoc notans dicit, *Tunc non confundar, cum proſpexero in omnibus mandatis tuis*. Notan- D dum eſt ergo quòd ſecundum grammaticos ſpecio, cis, idem eſt quod videre vel conſiderare: & componitur cum per, & fit perſpicio, cis. quod eſt perfectè conſiderare. Ille mandata Dei imperfectè conſiderat, qui illa cognoſcere vult, ſed non facere: ille autem perfectè illa conſiderat, qui ideo illa vult cognoſcere, vt perficiat. Vnde hanc differentiam inter conſiderare mandata Dei, & perſpicere, notans Apoſtolus, dicit, Si quis auditor eſt verbi, & non factor: hic cõparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Cõſiderauit enim ſe, & abiit: & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autẽ perſpexerit in lege perfectę libertatis, nõ auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit. Vides ergo quod hic E Iacobus per ly Perſpicere, intelligit conſiderationem legis cum operatione. Et ſic ad iſtum intellectum hic Pſalmiſta accipit ly perſpicere: dicens, *Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*. Et aduerte quòd dixit *in omnibus mandatis*. Quid enim proficit ad vitam, omnia mandata perſpicere, ſi vnum tranſgrediaris? Certè nihil.

*Mãdata Dei ſine gratia perficere non valemus.*

*Rom. 7.*

*Lex ſine gratia peccatum generat.*

*Iacob. 1.*

*Omnia mandata oportet cuſtodire.*



nihil. Vnde hic ait Ambroſ. Ait Pſal. *Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis*. Ergo ne confundamur, cuſtodiamus mãdata Dei: & cuſtodiamus omnia. Nam ſi quis vnum mandatum cuſtodiat, & aliud prȩuaricetur, nil ei prodeſt. Cuſtodiuit ſe quis à ſanguine, non cuſtodiuit ſe ab adulterio: vtiq; in vno cõuictus, punitur etiam legibus ſecularibus: nec prodeſt ei alterius criminis abſtinentia, ſi in altero fuerit deprehẽſus. Et Gl. hic ait, Addit autem *in omnibus mandatis*. hoc ideo dicit, vt peccãdo circa vnum, ſit omnium reus. vnius namque mandati reus, punitur æternaliter. Vnde Iacobus ait, Si quis autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno: factus eſt omniũ reus. Quod euitat qui perſpicit in mandatis: qui autem in eis non perſpicit, in quo erret neſcit. Et ſi dicas, Nunquid aliquid proficit ſeruare multa mandata, etiam ſi tranſgrediatur vnum? Iudicabuntúrne pariter ille qui omnia mandata trangreſſus eſt, & ille qui omnia ſeruauit præter vnum? Reſpõdeo, quòd nihil proficit omnia ſeruare, ſi vnum tranſgrediatur, quo ad meritum vitæ æternæ, vel quo ad vitationem æternæ damnationis: ſed bene proficit quo ad minus iudicium tolerandum. Et ſic quo ad priuationem regni & intenſionem damnationis, iudicabuntur æqualiter: ſed non quo ad gradum pœnæ. Vt ergo non confundamur damnatione æterna, oportet ſeruare omnia præcepta. Quod deducit Gregor. ſuper illo verbo Iob, Iuſtitia veſtiui me ſicut veſtimento: dicens, Veſtimẽto: namq; cùm veſtimur, ex omni parte circundamur. Ille ergo iuſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe vndique bono opere protegit: & nullam partem actionis ſuæ nudam peccato relinquit. Nã qui in aliis actionibus iuſtus eſt, in aliis iniuſtus: quaſi hoc latus cooperuit, & illud nudauit: nec iã bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis prauis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur, Qui in vno offenderit, multa bona perdit. Hinc Iacobus dicit, Qui totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno: factus eſt omnium reus. Quam videlicet ſententiam ipſe diligẽter explicat cum ſubdit, Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit, non occides. quòd ſi non mœchatus fuerit, occidat autem: factus eſt transgreſſor legis. Cordis ergo oculis circũquaq; porrectis, vndiq; nobis adhibenda eſt cuſtodia. Vnde quoq; rectè per Salomonem dicitur, Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit. Dicturus enim Cuſtodia, præmiſit Omni: vt videlicet vnuſquiſq; hincinde ſe diligenter inſpiciat: & quandiu in hac vita eſt, cõtra ſpirituales inimicos in acie ſe poſitum ſciat: ne mercedes quas per has actiones colligit, per alias amittat: ne hinc hoſti fores obſtruat, & aliunde aditum pandat. Si qua enim ciuitas contra inſidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, omni muniatur cuſtodia: dum verò in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur: inde proculdubio hoſtis ingreditur, qui vndique excluſus videbatur. Phariſæus namque ille qui in templo oraturus aſcenderat, ciuitatẽ mentis quanta munitione vallauerit, audiamus. Ieiuno (inquit) bis in ſabbatho: decimas do omniũ quæ poſſideo. Qui præmiſit, Gratiâs tibi ago: magna certè munimina adhibuit. Sed videamus vbi immunitum foramen hoſti reliquit, quia non ſum (inquit) quaſi publicanus iſte. Ecce, ciuitatem cordis ſui inſidiãtibus hoſtibus per elationem aperuit, quã fruſtra

*Quæſtio.*

*Gregor. 19. ... cap. 16. Iob 19.*

*Eccl. 9.*

*Iacob. 2.*

*Prouerb. 4.*

*Lucæ 18.*

A per ieiuniũ & eleemoſynas clauſit. Incaſſum munita ſunt cætera, cum locus vnus de quo hoſti pateret aditus, munitus non eſt. Gratias rectè agit: ſed peruersè ſuper publicanũ ſe extulit. Ciuitatẽ cordis ſui extollendo ſe prodidit, quam abſtinendo & largiendo ſeruauit. Victa eſt per abſtinentiam gula, deſtructa ventris ingluuies: ſuperata eſt largitate tenacia, repulſa auaritia. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores vno vitio ceciderunt? quãta bona vnius culpæ gladio ſunt perempta? Vnde & magnopere oportet & bona ſemper agere, & ab ipſis nos ſemper bonis operibus cautè in cogitatione cuſtodire. ne ſi mentem eleuent, bona non ſint: quæ non auctori militant, ſed elationi. De qua re non inordinatè agimus: ſi de liB bris Macchabæorum ad ædificationẽ eccleſiæ editis, proferamus. Eleazar namq; in prælio elephantem feriens ſtrauit: ſed ſub ipſo quem extinxit, occubuit. Quos ergo iſte ſignificat, quem ſua victoria oppreſſit, niſi eos qui vitia ſuperant, ſed in ipſis quæ ſubigunt, ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub hoſte quem proſternit moritur, qui de culpa quam ſuperat eleuatur. Penſandum namque magno opere eſt, quia bona prodeſſe nequeunt, ſi mala quæ ſubrepunt nõ cauẽtur. Perit omne quod agitur, ſi non ſolicitè in humilitate cuſtodiatur. Ex quibus omnibus clarè deducitur, quòd ſimul omnia mandata debent cuſtodiri, ne confundamur: quia vnius ſolius tranſgreſſio confuſionem parit damnationis æternæ. Quod bene notans hic Pſal. C ait, *Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*.

*Macchab. 6.*

*Sine humilitate omnia bona & virtutes perdũtur.*

Confitebor tibi in directione cordis in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ. 2083

Hic recognoſcit acceptum beneficium: ſcilicet quia habet intellectus illuminationem ad mandata percipienda, & gratiæ adiutorium ad ipſa cuſtodienda. Et hoc eſt, *Confitebor tibi in directione cordis*. Hic enim loquitur de confeſſione laudis, non de confeſſione criminis. Vnde hic ait Auguſt. Non eſt confeſſio criminis iſta, ſed laudis. ſicut etiam ait ille in quo peccatum nullum erat, Cõfiteor tibi paD ter & domine, pater cœli & terræ. Et attende quòd de duobus ſupradictis hic gratias agit. Primò quia per gratiam habuit cor directum ad Deum, & adiutum ad cuſtodiam mandatorum. quod ſuperius optabat, dicens, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiẽdas iuſtificationes tuas*. Et hoc hic notans ait, *Confitebor tibi in directione cordis*, id eſt in hoc quòd cor meũ direxiſti. Secũdò gratias agit, quia illuminatus fuit intellectus ad cognitionem mandatorũ. quod ſtatim præmiſerat, dicens, *Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis*. Perſpicere enim principaliter ad intellectum pertinet. Et hoc hic notat, dicens, *Cõfitebor tibi in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ*. Et attẽde quòd vnum iſtorum ſine alio perfectum eſſe non poteſt: quia non potes cor habere directũ E ad cuſtodiam mãdatorum Dei, niſi illa cognoſcas. Cognitio autem illorum ſine obſeruantia nõ proficit: ſed magis auget peccatum. Vnde hic ait Auguſt. *Confitebor tibi in directione cordis*. Quaſi dicat, Vtiq; ſi dirigatur cor meum, confitebor tibi: quia tu feciſti, & tua laus eſt iſta, non mea. Tunc enim cõfitebor tibi, quòd didicerim iudicia iuſtitiæ tuę: ſi videlicet cor directum habebo: ſcilicet directis

vijs

*Cõfeſſio laudis.*

*Matth. 11.*

*Boni cognitio non proficit ſine operatione.*

viis meis ad cuſtodiēdas iuſtificationes tuas. Nam quid mihi proderit quòd ea didicerim, ſi corde peruerſo vias hominum abibo prauas? Non enim lętabor in eis, ſed accuſabor ab eis. Et attēde quòd iudicia iuſtitiæ appellat diuina mandata: quæ dicuntur iudicia, quia per illa iudicantur tranſgreſſores. Dicuntur etiam iuſtitiæ, quia per illa iuſtificantur obſeruatores. Et nota quòd hic rectè Pſal. Deo gratias agit in directione cordis: quia cor noſtrum de ſe multis culpis inclinatur, ſiue incuruatur, & maculatur. vt patet verſic. 1288. Et ſolùm per ipſum Deum dirigitur & mundatur. vt patet ſuprà, verſic. 1976.

*Iudicia iuſtitiæ ſunt mādata Dei.*

## 2084 Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas vſquequaque.

Hîc Pſal. ex prædictis obligatus, Deo firmū promittit obſequiū. Qui à Deo illuminatus cognoſcit mandata Dei, & per gratiam à Deo eſt adiutus ad faciendum bona quæ cognoſcit: meritò omni excuſatione poſtpoſita, ſe totum Deo offerre debet: dicens, *Iuſtificationes tuas cuſtodiam.* Vel aliter: nō cōtentus Pſalm. de iuſtificationibus veteris legis, de quibus omnia prædicta propoſuit: dicens, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendum* &c. Nunc ad iuſtificationes nouæ legis accedit: illas cupiens intelligere & obſeruare. Vnde iſta eſt intentio Ambroſ. hic litera prima: dicens, *Iuſtificationes tuas cuſtodiam.* Hoc loco myſtica ſe plenius cognoſcere velle teſtatur: vt ingrediatur penetralia myſteriorum cœleſtium: & aperiantur ſibi theſauri ſapiētiæ & ſciētiæ in Chriſto abſcōditi: ſcilicet paſſionis tempus, lateris compunctio declaratur, ſanguinis effuſio, ſepulturæ vnguentum, reſurrectionis myſteriū. Hę ſunt iuſtificationes quas eccleſia Chriſti ſponſa ſe cuſtodire promittit. Quæ etiā iuſtificationes ſunt ſacramenta nouæ legis: vt ſacramentum baptiſmi, in quo omnis iuſtitia impletur. Vnde veniēti Chriſto ad baptiſmum, cum Ioannes prohiberet eum: dicēs, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Chriſtus reſpondit, Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Sed quia quanto quis perfectior eſt, tāto maiora patitur tentamēta: vnde nullus poteſt eſſe perfectus neq; tutus ſine diuino fauore: ideo quilibet ad ſumma prouectus, rogare debet ne ipſum penitus Deus derelinquat. Vnde ſubdit, *Nō me derelinquas vſquequaque,* id eſt nimis vel valde. Vbi notandum quòd Deus quandoq; derelinquit ſanctos ſuos: & hoc ad tempus, vel vt ipſi per ſe ipſos ſtare nō poſſe cognoſcentes, humiliētur: vel vt ipſi in certamine dignius coronētur. Primo modo dereliquit Dauid. Vnde hic ait Auguſt. *Non me derelinquas vſquequaque.* poteſt hoc intelligi, vt eius iſta ſit vox: qui cum dixiſſet, In abūdantia mea nō mouebor in æternum: velut ſua virtute confidens, vt oſtenderet ei Deus, quòd nō merito eius, ſed in volūtate ſua præſtiterat decori eius virtutem: auertit ab eo faciem ſuā, & factus eſt cōturbatus. Inueniens ergo ſe, nec iam præſumēs de ſe, clamat, *Non me derelinquas vſquequaque.* Si enim me dereliquiſti vt ſine adiutorio tuo infirmus apparerem, noli me derelinquere vſq; valde, ne peream. Alios autem derelinquit vt probati coronentur: alios autem vt reprobati damnētur. Vnde hic ait Ambroſ. *Non me derelinquas vſquequaque.* hoc eſt multum. Supra fortè quaſi adhuc imperfectus & in magnis perturbationibus poſitus, ne derelinqueretur timebat: hic autem iam fortior nō timet derelinqui vt tentetur: ſed rogat ne penitus derelinquatur. Plerūque enim derelinquit Deus quos vult probari: penitus autem derelinquit quos deſerit. Dereliquit penitus Iudam: nō dereliquit autem ſanctum Iob: in cuius patrimoniū in cuiúſq; corpus poteſtatem diabolo dedit. Nam ſi dediſſet in animam, penitus dereliquiſſet eum. Nūquid nō ideo derelictus eſt Iob, vt relictus probaretur: probatus coronaretur? Dereliquit igitur Iudam: cui ait, Quod facis, fac citius. dereliquit enim eum penitus, quem ſceleris ſui permiſit effectui. Alios autē apoſtolos cùm vidiſſet eſſe turbatos, quia dixerat, Quò ego vado vos nō poteſtis venire: addidit, Non turbetur cor veſtrum: quia iterum venio, & accipiam vos ad meipſum: vt vbi ego ſum, & vos ſitis &c. Et ſubdit, Nemo autē debet inflari, quòd nunquam derelinquatur: neq; dolere quia aliquādo derelinquatur. Siquidem ipſe Dei filius dicit ſe derelictum: ſicut habes, Deus deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti? Et ille quidem nūquam derelictus eſt à patre, cum quo pater ſemper eſt. ſed ſecundum corpus quo traditus fuit paſſioni, vox illa derelictionis proceſſit. quoniā derelinqui nobis videmur, quando ſumus in periculo conſtituti &c. Sic ergo derelinquit Deus quandoque ſanctos ſuos: ſed ad modicum, non vſquequaq;. Vnde Vlricus exponēs iſta verba, ait, *Non me derelinquas* &c. Acſi diceret, Scio quòd derelinquere ſoleas vtiliter ſanctos tuos, vt eos probes. aliter enim ab aduerſario tentari nō poſſunt, niſi à te pauliſper fuerint derelicti. Et ideo non rogo vt nunquam me derelinquas: quia non expedit mihi, vt non vel meam infirmitatem ſentiens: dicam, Bonum mihi quòd humiliaſti me: vel exercitium non habeam præliandi. Sed magis peto ne me vſquequaq; deſeras: id eſt ne me deſeras vſq; ad nimietatem. Nulla enim virtus humana, ſi diutius in tentatione tuo deſeratur auxilio, ſua poterit cōſtantia perdurare. Vnde oportet vt tu qui humanarum virtutum es conſcius, ſis etiam luctaminum moderator.

*Iuſtificationes ſunt ſacramenta nouæ legis.*

*Matth. 3.*

*Derelinquit Deus aliquos multipliciter.*

*Pſal. 29.*

*Ioan. 13.*

*Ioan. 14.*

*Derelictus fuit Chriſtus à patre.*

*Pſal. 21.*

## In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiēdo ſermones tuos. 2085

Beth.

Hic incipit ſecunda litera, ſiue ſecundus octonarius: cui præmittitur ſecunda litera alphebeti Hæbraici, ſcilicet beth. Vbi notandum, quòd ſecūdum Ambroſ. in iſto Pſalmo, litera ſecunda beth: quæ interpretatur confuſio, declaratur. Dignè ergo huic octonario præponitur, in quo de correctione peccatorum agitur. Cōfuſio autem duplex eſt, ſcilicet damnationis & contritionis. Qui enim iam ſeipſum corrigit, non confundetur damnatione: ſed qui conteritur & ſeipſum corrigit, in ſeipſo confunditur de diuina offenſione. Præmittitur ergo huic octonario ſecunda litera beth, quæ interpretatur confuſio: ad denotandum quòd per correctionem peccati æterna confuſio vitatur, & interius mens erubeſcens de Dei offenſa dolens cōfunditur. Vnde Ambroſ. Sed qui viam ſuam corrigit, non confundetur: verum quia is qui corrigit, antè in errore fuit: quomodo enim corrigitur, niſi quòd antè deflexit à vero? Vtiq; in lapſum ſitus, & adoleſcentiæ luxu ac laſciuiæ ætatis captus illecebris: vbi ad iuuentutis prouectus confinia ſobria mente reſpuit, tanquam confuſus animo, quomodo erubeſcenda deponat, & plena probitatis aſſumat, diu ſecum voluit: & diuerſis fluctuans cogitationibus librat quemadmodum viam ſuam corrigat: offenſionémq; adoleſcētioris ætatis, ſeria iuuentutis fronte prætexat. Iſte ergo octonarius qui intitulatur à beth, quod eſt confuſio, docet æternā confuſionem vitare. Ad quod octo requirūtur: ſecundum quæ Pſalmus diuiditur. Qui enim æternā confuſionem vult vitare, iſta octo per ordinem debet facere. Primò, errata mala debet corrigere: in principio: ſecundò in ſolo Deo ſpem debet ponere: ibi, *In toto corde*: tertiò gloriam extrà non debet quærere: ibi, *In corde meo*: quartò agenda quæ neſcit debet diſcere: ibi, *Benedictus*: quintò bona cognita aliis debet pandere: ibi, *In labiis*: ſextò delectabiliter bona debet facere: ibi, *In via*: ſeptimò ocium debet fugere: ibi, *In mandatis*: octauò monita memoriæ debet tradere: ibi, *In iuſtificationibus*. Primū ergo quod requiritur ad euadendum confuſionem æternam, eſt, errata mala corrigere. Et circa iſtam correctionem in iſto primo verſiculo Pſal. primò proponit quæſtionem: dicens, *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam?* Et conſequenter reſpondet: dicens, *In cuſtodiēdo ſermones tuos.* Sermones enim principaliter docēt emendare peccata. Vnde Ezechiæ 18, Cōuertimini & agite pœnitētiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Qui ergo ſermones Dei ſeruat, errata corrigit & emendat. Et aduerte quòd hic loquitur de cuſtodia ſermonum Dei, qua cuſtodiuntur, non memoria ſolùm, ſed operibus bonis. Vnde hic Auguſt. Hoc loco cuſtodia ſermonum Dei, intelligenda eſt operatio præceptorum. Fruſtra enim cuſtodiuntur memoria, ſi non cuſtodiantur & vita. Nam quidā verba Dei tenendo agunt ne obliuiſcantur, nec agunt viuendo vt corrigantur. Vnde non ait iſte, In quo exercet iunior memoriam ſuam? ſed *In quo corrigit viam ſuam?* Atq; ad hoc reſpondet, *In cuſtodiendo ſermones tuos.* Neq; enim vllo modo dicēda eſt via correcta, quandiu eſt vita peruerſa. Sed fortè dices. Quare ad corrigēda errata hic ſolùm ætatem adoleſcentiæ notat? Nunquid non fructuosè ſenes ſe corrigere poſſunt? Reſpondeo, quòd quamuis vſq; ad vltimum articulum vitæ quiſquis fructuosè ſe corrigere poſſit: illam tamen ętate ſpiritualiter hic ponere voluit: in qua correctio vtilioris eſt fructus, actúſq, facilioris, firmioríſque ſtatus. Quod enim quis à iuuentute capit, illud pòſt difficiliter mutat. cum ſcriptum ſit, Quod noua teſta capit, inueterata ſapit. Et hanc rationē adducit Ambroſ. dicēs, Quia Iudæi iugū domini in iuuentute ſuſcipere recuſarant, ideo captiui ducti ſunt. Flens ergo mortem perpetuam Iudæorum Hierem. dicit. Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Non enim ſolum tollere iugum verbi diuini, ſed etiā in adoleſcētia debemus tollere. Si enim ſerò tollamus, incipimus ſapientiam ſuperiorum magis habere, quàm tenere gratiam. Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione cōgrua, vt magis dicamus ſinguli, Deus qui paſcis me à iuuētute mea: quam recordationem habentes, lapſum defleamus, dicentes, Delicta iuuentutis meę, & ignorantias meas ne memineris. Hoc debilitatis eſt remediū: illud, robur ſalutis. Medicina vulneri quæritur, gratia ſanitati. Ideóq; ait, Bonum eſt viro cū portauerit iugum ab adoleſcētia ſua. Ei autem qui poſt decurſæ iuuentutis annos iugum tulerit, non eſt ſtatim perfectum bonum. ſtimulant enim eum peccata ſua, exagitat conſcientiam cōſuetudo peccandi, & vſus erroris inſtabilem facit. Luctandum eſt diu huiuſmodi viro, vt abolere faciat inueterata atq; diuturna &c. Ad hoc ergo denotādū quòd tempus magis aptum correctioni eſt tempus iuuentutis: ideo hoc principalius expreſſit: dicens, *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam?* Et propter hoc dicitur, Eccl. 6, Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſq; ad canos inuenies ſapientiam. Vel per adoleſcentiorem filium intelligit gentilem populum, qui viam ſuam per aduētum Chriſti correxit. Qui ideo dicitur adoleſcētior, quia priùs fuit cultus Dei quàm idolorum. Vult ergo per iſta verba, *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam?* &c. prædicere correctionem & conuerſionem gentilis populi, & damnationem antiquioris: ſcilicet Iudæorum. Et hoc idem figuratiuè etiā dixit Chriſtus Lucæ 15. in parabola filij prodigi. Et hoc ponit hic Auguſt. dicens, Eſt & alius hic intellectus: vt ille hic agnoſcatur filius euāgelicus iunior, qui profectus à patre in regionem longinquam effudit ſubſtantiam, viuens cum meretricibus prodigé. Et poſtquam porcos pauit, famen egeſtatémq; perpeſſus, reuerſus eſt ad ſemetipſum: & dixit, Surgam, & ibo ad patrem meum. In quo enim correxit viam ſuam? in cuſtodiendo verba Dei: quæ tanquam panem paternum eſuriens concupiuit. Neq; enim corrigeret viam ſuā frater ille ſenior, qui patri ſuo dixit, Ecce, tot annis ſeruio tibi: & nunquam mādatum tuum præteriui. Iunior ergo ille correxit viam ſuā, quia ita ſe deprauaſſe peruersámq; habuiſſe cōfeſſus eſt, vt patri diceret, Iam non ſum dignus vocari filius tuus. Vel aliter, ideo dixit, *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam?* &c. vt per hoc differentiam daret inter hominem nouum & veterem: quia nouus corrigit, non vetus. Et iſtum hic præponderat Auguſt. aliis duobus ſupradictis: dicens, Tertius quoque mihi intellectus occurrit: quem ſuperioribus antepono: vt ſenior agnoſcatur vetus homo: & nouus, iunior. Senior, qui portat imaginem terreni hominis: iunior, qui cœleſtis. Quia non primum quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: poſtea quod ſpirituale. Sic ergo, licet quilibet, quantum ad ætatē pertinet corporis, annoſa vetuſtate decrepitus, iunior erit ad Deum percepta gratiæ nouitate cōuerſus. Et in hoc corrigit viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones eius. Hoc eſt verbum Dei quod prædicamus: & ipſa eſt fides quæ per dilectionem operatur. Sed iſte iunior populus, gratiæ filius, homo nouus, cantator cantici noui, hæres teſtamēti noui, iſte iunior eſt non Caim, ſed Abel: non Hiſmael, ſed Iſaac: non Eſau, ſed Iſrael: non Manaſſes, ſed Ephraim: non Heli, ſed Samuel: non Saul, ſed Dauid. quia ſcilicet iſti iuniores à Deo electi mandata Dei cuſtodierunt, aliis reprobatis.

*Confuſio duplex.*

*Cuſtodia ſermonum Dei, eſt operatio mandatorum.*

*Quæſtio*

*Thren. 3.*

*Pſal. 24.*

*Iunior filius eſt populus gētilis.*

*Iunior filius dicitur homo nouus.*

*1. Cor. 15.*

*Galat. 5.*

## In toto corde meo exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis. 2085

Hic ponitur ſecūdum: ſcilicet quòd in ſolo Deo homo ſpem debet ponere. Vbi notandum quòd quæro, ris, componitur cum ex, & fit exquiro, ris. quod eſt diligenter aliquid quærere & inueſtigare. Ille ergo Deum in toto corde ſuo exquirit, qui cor ſuum alteri rei nō inclinat: ſed ad ipſum Deum diligenter quærendum eleuat. Sed quia hoc nullus per ſe facere poteſt, niſi adiutus gratia Dei: ideo illius adiutorium inuocat Pſalmiſta, dicens, *Ne repellas me à mandatis tuis.* Retinet apud ſe illum Deus, cui adiutricem gratiam confert: illum autem repellit,

*Repellit Deus quos non iuuat.*

pellit,cui ipſius peccatis exigentibus gratiam non inſpirat. Vnde hic ait gl. A mandatis Dei repellitur qui à Deo non adiuuatur. Mandatis quippe eius rectis ac arduis humana non comparatur infirmitas: niſi ipſam præueniens Dei adiuuet charitas. Sed dices, Nũquid crudelitatis eſt,aliquem à ſe repellere,ne mandata ſancta & iuſta perficere poſſit? Iſtam materiã hic diffuſè tractat Ambroſius: oſtẽdens quòd negligentes mandatorum Dei operatores à ſe Deum repellere,non crudelitatis, ſed ſummæ eſt pietatis:dicens,Bonus Deus nõ repellit ſequẽtem ſe,niſi ipſe mereatur repelli. Sicut ipſe dominus ait,Omni habenti dabitur:non habenti autem etiam quod videtur habere auferetur ab eo. Cui addit,niſi illi qui ex toto corde exquirit eum: vt quod deeſt naturæ humanæ, id Dei operatione acquiratur & gratia. Qui autem nõ habet in corde ſuo vt exquirat Deũ, & facit quidem opus Dei, ſed negligenter facit: meritò repellitur, quia polluit magis & impedit opus quod negligenter putauerit exequendum. Conſideremus igitur vtrum bonitas ſit repellere ab opere negligentem,an verò retinere. Et huius rei veritatem ex aliis ſumamus artibus. Curat medicus ægrotum, & nullum leuamen ſentit ex medicina illius æger. Igitur melius eſt remoueri huiuſmodi medicum qui tempus perdit,cùm profectum nullum ſentiat vulneratus: vt curandi officium ad eum medicum transferatur,qui maturius poſſit ægroto ſua diligentia ſubuenire. Nónne clementior eſt qui repellit minus proficientem,quàm qui retinet ad diſcrimẽ ægroti? Conſtitue aliquem præpoſitum ædificantibus, vel etiam texentibus, qui debeat ſummam operis explicare:vtrum is tibi probabilior videtur ſi in id diligenter inſiſtat,ac ſi quem fortè incurioſum aduerterit,de his qui operantur in domo aliqua conſtruenda,repellat eum: melius credens non ædificare,quàm hiantibus ruinis,ædificata diſſolui:atq; aliquem in eius ſubſtituat locum,qui cum diligẽtia ædificet? Similiter etiam textrini præpoſitum repulſorem negligentium, vt ſubſtituat, ne longa textrinum corrumpat incuria: non magis probabis quàm illum qui deſidem in ſua negligentia patiatur perſeuerare? Conſequenter iſta applicat ad propoſitum:& maximè ad prelatos,dicens,Videamus tandem ſi non pertineant hæc ad eos qui mãdata ædificant,& legem intexũt:& animam vniuſcuiuſq; receperunt ſanandam. Nónne ſi quis eorum ædificet domum Dei cum iuſtitia,texat indumentum cum diligentia, ſanet animam cum gratia,bonum opus facit?Si verò incurioſus ac remiſſus aliquis,fabri,textoris,medici ſpiritualis locum occupet:vt ſacerdos ſummus,vt preſbyter, vt miniſter altaris ſacri: nónne commodius eſt non ſubire vnumquemq; id muneris quod implere non queat,quàm ſubeuntem neq; ipſum ſtrenuè ſuſcepto fungi munere:& eripere locum alteri,qui poſſit eum tueri?Sic enim remiſſior repellitur,ne plus offenſionis contrahat. Hęc ille. Ad propoſitum ergo.Pſalmiſta,ne tanquam minus idoneus repellatur à Deo,primò toto corde Deum exquirit: nihil aliud præter Deum quærens. Vnde ait, *Ne repellas me à mandatis tuis*,Ratio;quia in toto corde meo exquiſiui te; & ſic nullam partem cordis mei alteri rei applicaui. Sed fortè dices:Quis eſt amplius repellendus, vel Iudæus non exquirens toto corde ſuo Deum, vel gentilis? Ad iſtam quæſtionem hic reſpondet Ambroſius:inducens illud Apocalyp.3.

*Quæſtio.*

*Repellere malos pietatis eſt, non crudelitatis.*

*Matth.25.*

*Repellendus eſt prælatus negligens.*

*Quæſtio.*

Vtinam frigidus eſſes aut calidus:ſed quia tepidus es,incipiam te euomere ex ore meo. Hic apertè negligentiam grauiori damnat iudicio, quàm imprudentiam. Frigidus eſt enim qui fidem neſcit:calidus,qui ſpirituſſancti feruore ſuccenſus eſt: tepidus,qui negligens eſt. Qui ergo calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepiſſe, quàm neglexiſſe. Eſt enim tepidus peior frigido: vt Iudæus qui ſibi videtur fidem habere quam non habet. Quanto tolerabiliorem cauſam gentilis habet,qui vt pote dicere poteſt,Non cognoui legem, non audiui prophetas:ideo non credidi:quàm ille qui legem & omnia ex quibus venturum Ieſum credere habuit, & non credidit? Neuter quidem excuſatur:nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit: ſed plus deliquit qui negauit quæ legerat, quàm qui opera non fecit quæ facienda non cognouit &c. Ex quibus etiam ſequitur,quòd Chriſtianus negligens peior eſt infideli. Nota etiam quòd multipliciter nos Deus repellit. verſic.705. & 718.

*Iudæus peior eſt gentili, ſi non credat.*

*Chriſtianus malus peior eſt infideli.*

## In corde meo abſcõdi eloquia tua, vt non peccem tibi. 2086

Hic ponit tertium: ſcilicet quòd gloriam extrà non debet quærere: ſed ſolum in conſcientia, dicente Apoſtolo, Gloria noſtra hęc eſt,teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quid enim eſt, in corde eloquia Dei abſcondere,niſi eloquia Dei non ad oſtẽtationem exteriorem facere: ſed ſolùm per illa intus Deo velle placere? Qui enim de bonis quæ facit,exterius gloriam quærit,Deo peccat,& mercede priuatur æterna. vt in fatuis virginibus patet. Semen enim niſi priùs abſconſum fuerit in terra, fructum non producit. Sic & eloquia Dei, niſi intus abſconſa fuerint in corde,fructificare non poſſunt. Per hoc enim vult oſtendere, quòd eloquia Dei indignis non ſunt manifeſtanda. Et hoc eſt quod Chriſtus dicebat Matthęi 7,Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas ſpargere ante porcos:quia ſcilicet myſteria fidei,ſacramentorum & aliorum ſecretorum indignis non ſunt aperienda: quia illa magis venerãtur occultata, quàm eis publicata. Si enim ſecretum tuum tibi abſconditum conſeruare debes,quanto magis diuina ſecreta?ne ſcilicet prodantur, maximè nocere cupientibus. Vnde iſtum verſum hic exponens Ambroſius ait, Peccat Deo qui commiſſa ſibi ſecreta myſteria putauerit indignis eſſe vulganda. Periculum itaque eſt,non ſolùm falſa dicere,ſed etiam vera, ſiquis ea inſinuet quibus non oportet. Quod quidem vitium quadripartitum eſt:vel adulationis, vel auaritiæ,vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ: quia dum adulari vult aliquis,ei cui loquitur, oſtendit myſterium,vt placeat ei cui vulgat. Nõnulli etiam ſtudio lucri mercedem proditionis ſequuntur: vt tegenda ſilentio vendant loquendo. Alij vt plura noſſe videantur, & ſcientiam ſuam iactitent, aperiunt quod celare deberent. Pleriq; autem dum ſine præiudicio loquuntur,verbum emittunt,quod reuocare non poſſunt. Ideo Salomon ait, Tempus loquendi,& tempus tacendi. Et ideo bene facit qui abſcondit verba Dei in corde ſuo. Sic abſcondebat Pſalmiſta:dicens,*In corde meo abſcondi eloquia tua.* Sic & Maria, quæ conſeruabat omnia verba domini Ieſu in corde ſuo. Etenim ſi bonum eſt viro ſermones

*2.Cor.1.*

*Matth.25.*

*Loquẽdo peccat quis quadrupliciter.*

*Eccl.3.*



mones ſuos abſcondere, quanto magis ſermones Dei noſtri cordis gremio debemus operire? Conformiter etiam & ſancti prædicatores,quando ſuis prædicationibus vident auditores non proficere & vilipendi verbum Dei:in corde ſuo abſcondunt verbum ſiue eloquia Dei tacẽtes: vt oſtendit Gregorius,dicens,Sancti etenim viri cùm auditoribus prodeſſe nequeunt,deſpici tacentes volunt: ne de ſapientiæ ſuæ oſtentatione gloriẽtur. Cúmq; quid prudenter dicunt,non quærunt ſuam gloriam,ſed auditorum vitam. Cùm verò conſpiciũt quòd auditorum vitam prædicando lucrari non poſſunt, tacendo abſcondunt in corde ſuo eloquia Dei. Ad imitandum quippe vitam domini,quaſi ad propoſitum quoddam nobis ſignum &c. Ipſe enim quia vidit Herodem non profectum quærere,ſed ſigna, vel ſcientiam velle mirari: requiſitus ab eo tacuit. Et quia conſtanter tacuit,ab eo irriſus exiit. Scriptum namq; eſt,Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt:erat enim ex multo tempore cupiens videre eũ, eo quòd audierat multa de illo:& ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Vnde & ſubditur,Interrogabat autem eum multis ſermonibus:& ipſe nihil reſpondebat. Tacens verò dominus quàm ſit deſpectus oſtenditur,cum illic protinus ſubinfertur, Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo,& illuſit. Quod videlicet factum oportet nos audientes dicere,vt quoties auditores noſtri volũt quaſi illudendo cognoſcere, non autem ſua peruerſa mutare,omnino tacendo abſcondamus eloquium domini:ne ſi oſtentationis ſtudio verbum Dei loquamur,& illorum culpa quæ erat,eſſe non deſinat, & noſtra quæ non erat fiat. Vnde & Pſalmiſta ait,*In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.*

*Prædicator non debet verba non proficientibus audientibus.* [partly illegible]

*Gregor.22. moral.c.16.*

*Luca 23.*

## 2087 Benedictus es domine:doce me iuſtificationes tuas.

Hic ponitur quartum:quia ſcilicet agenda quę neſcit,debet diſcere,& à ſcientibus velle doceri. Et ſi dicas:Quomodo iſte petit hic doceri iuſtificationes Dei,cum iam ſuprà ad plenum in his ſe oſtenderit doctum:dicens, *Confitebor tibi in directione cordis,in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Reſpõdet,quòd eſt duplex addiſcere. Vnũ quo prius ignorata cognoſcuntur per intellectum: & hoc eſt addiſcere ſpeculatiuum. Aliud quo cognita priùs exercentur per effectum. Multi enim bona cognoſcunt, quæ negligunt operari. Et iſtud ſecundum dicitur ſcire practicum, vel addiſcere. Superius igitur locutus eſt primo modo didiciſſe:nunc autem ſecũdo modo poſtulat edoceri. Sic ergo iſte iuſtificationem Dei poſtulat quæ per gratiã datur:vt priùs cognita opere perficere poſſit,dicens, *Benedictus es domine*:ſcilicet in tuis, quos per gratiam tuam benedicis. *Doce me* &c. Sic enim iſtum locum exponit hic Auguſtinus,dicens,*Benedictus es domine: doce me iuſtificationes tuas.* Doce dixit, eo modo quo eas diſcunt qui faciunt: non quomodo hi qui vt habeant quòd loquantur,tantummodo meminerũt. Iam enim vtiq; dixerat, *In corde meo abſcondi eloquia tua,vt non peccem tibi.* Quid ergo adhuc quærit diſcere quæ abſcondita iam cuſtodit in corde? quod vtiq; non feciſſet, niſi ea didiciſſet. Ad quid ergo addit & dicit,*Doce me iuſtificationes tuas*?niſi quòd ea vult faciendo diſcere: non loquendo vel memoria retinendo. Quoniam ergo in alio Pſal. legitur, Benedictionem dabit qui legem dedit: ideo benedictus es domine: doce me (inquit) iuſtificationes tuas. Quia enim in corde meo abſcondi eloquia tua ne peccem tibi,legem dediſti:da tuam benedictionem gratiæ,vt faciendo diſcam, quod intimãdo iuſſiſti. Et nota quòd prædicta duplici ſcientia ſolus Deus hominem docere poteſt: quia & ipſe ſolus animam poteſt illuminare,quo ad ſcientiam ſpeculatiuam. vide verſic. 1155. & ipſe ſolus ad operandum cognita gratiam poteſt inſpirare,quo ad ſcientiam practicam: vt dicit Magiſter lib.4. diſtinct.20.

*Duplex, ſpeculatiuum & practicũ.*

*Pſal.83.*

## In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. 2088

Hic ponitur quintum: ſcilicet quòd bona cognita aliis debet pandere. Hæc enim eſt lex prædicatoribus data,vt bona quæ nouerunt priùs agãt: & quod agunt,alios doceant. Sic enim ſuis prædicatoribus Chriſtus præcepit, Ite, docete omnes gentes &c. Vnde Gregorius,dicit, Lex quippe eſt ipſis prædicatoribus poſita, vt viuendo impleant quod loquendo ſuadere feſtinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. Iſte ergo qui omnia Dei mandata ſeruabat, meritò officiũ prædicationis aſſumpſit. Iſte enim ait ſuperius, *In mandatis tuis exercebor.* Nunc autem ait, *In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* Et vide quàm bene in perſona prædicatoris loquitur ordinaté. Non enim dicit, Labiis meis docui, ſed pronunciaui:quia prædicator verba exterius pronuntiare, ſed audientis mentem docere non poteſt:vt docet Gregorius,dicens,Quilibet prædicator verba auribus dare poteſt: corda verò aperire non poteſt. Et niſi per internam gratiam,ſolus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium aditum præſtet,incaſſum prædicatio aure audientis percipitur: quia peruenire ad intima ſurdo corde prohibetur &c. Hoc ergo hic notans Pſalmiſta,non ait,Docui:ſed pronuntiaui. Sed hic non parua inſurgit difficultas: quia cum tot & talia ſint iudicia Dei, quòd humana mente perſcrutari non poſſint. Propter quod & Apoſtolus Paulus clamare cogitur,dicens,O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei:quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c. Et Pſalmiſta dicat, Iudicia Dei abyſſus multa. Quomodo ergo iſte dicit ſe pronuntiaſſe omnia iudicia Dei, cùm nullus poſſit illa perſcrutari? Enuntiauit ergo quæ nõ intelligebat:aut ſi omnia iudicia Dei intelligebat,quomodo illa dicuntur incomprehẽſibilia,quæ ab intellectu humano intelligi poſſunt? Hanc quæſtionẽ hic faciunt Auguſt.& Ambroſius. Vnde hãc ſic proponit Auguſt.dicens, Quid eſt hoc chariſſimi: quid eſt hoc? Quis omnia iudicia Dei enunciare poſſit, cum inueſtigare non poſſit? An verò cum Apoſtolo exclamare dubitamus, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius? Quomodo ergo iſte dicit, *In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.* Quomodo ergo ſe dixerit omnia iudicia oris Dei labiis ſuis pronũtiaſſe,cùm dicta ſint inſcrutabilia:& de quorũ profunditate alibi ſcriptũ eſt,Iudicia tua abyſſus multa?quãtũ deus donat tractare ſuſcipimus. Quid ergo hic intelligamus attẽdite. Nũquid iudicia Dei neſcit eccleſia?

*Prædicator docere debet, ſed primò facere.*

*Matth.vlt.*

*Gregor.19. moral.cap.6.*

*Prædicator verba formare poteſt, ſed non intus docere.*

*Gregor.29. moral.c.16.*

*Quæſtio.*

*Rom.11.*

*Pſal.35.*

*Omnia iudicia oris Dei quomodo quis poſſit pronũciare.*

*Pſal.35.*

Scit planè. Nā ſcit qualiter dicturus ſit iudex omniū, Venite benedicti patris mei, percipite regnū.
*Matth.25.*
Et qualiter dicturus ſit, Ite maledicti in ignē æternum. Scit inquam, nec fornicatores, nec idolis ſeruientes, nec alios quos Apoſtolus connumerat, regnum Dei poſſeſſuros.
*Galat.5.*
Hæc autem & huiuſmodi iudicia Dei euidenter expreſſa nouit eccleſia. Sed iſta non ſunt omnia, cùm ſint quædam inſcrutabilia: & ſicut abyſſus profunda & occulta: ſed inſcrutabilia fortaſſe dicta ſunt homini, quia viribus ſuis ea non poteſt perſcrutari. Sed cur non poſſit dono ſpiritusſancti, cuicunq; hoc dominus conferre dignatur? Sic enim & illud dictum eſt, Deus habitat lucem inacceſſibilem. Et tamen audimus, Accedite ad eum, & illuminamini.
*1.Tim.6. Pſal.33.*
*Deus habitat lucē inacceſſibilem per naturam, nō per gratiam.*
Quę vtique ita ſoluitur quæſtio, vt inacceſſibilis ſit viribus noſtris: accedatur autem ad eum muneribus ſuis. Quanquam etſi nemini omnino ſanctorum, quandiu corpus quod corrumpitur aggrauat animam, omnia iudicia Dei ſcire conceditur: re enim vera multum eſt ab homine ſciri iudicia Dei: vt exempli gratia. Scire quare quis tardus eſt in animo, vel claudus in corpore: habet tamen vnde dicat Pſalmiſta & eccleſia, *In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.* id eſt, nihil iudiciorum tuorum tacui, quæ mihi per eloquia tua innoteſcere voluiſti: ſed omnia prorſus in labiis meis enuntiaui. Hoc enim mihi videtur ſignificare voluiſſe quòd non ait, Omnia iudicia tua, ſed *omnia iudicia oris tui*, id eſt quæ mihi dixiſti. vt per os eius eloquium eius intelligimus, quod fecit ad nos in reuelationibus ſanctorū pluribus, & teſtamentis duobus. quæ omnia iudicia vſquequaque in labiis ſuis pronuntiare non ceſſat eccleſia. Hęc Auguſtinus. Ambroſius autem in iſta vltima reſponſione Auguſtini concordat, dicens, Conſideremus quia non dixit Pſalmiſta, Iudicia oris eius, abyſſus multa: ſed dixit, iudicia tua abyſſus multa. Nec Apoſtolus dixit, Inſcrutabilia iudicia oris eius: ſed inſcrutabilia iudicia eius. Poſſumus enim iudicia Dei inſcrutabilia æſtimare, quæ occulta nobis non patefecit. Iudicia autem oris eius illa quæ nobis annūciauit, & per os prophetarum locutus eſt. Os enim domini propheta intelligitur.

## 2089 In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.

Hic ponit ſextum: quia ſcilicet bona delectabiliter debet facere. Cum enim nec Deo nec hominibus inuita placeant ſeruitia, ſequitur quòd qui mandata Dei cupit adimplere vt Deo placeat, illa liberè & voluntariè perficere debet. Sed omne voluntarium eſt delectabile: ſicut per oppoſitū omne inuolūtarium eſt triſtabile: vt dicit Philoſophus 3. Ethicorum. Et ideo Pſalmiſta ad demonſtrandum quòd volūtariè in præceptis Dei delectabatur, ait, *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum.* Sed quid eſt delectari in via teſtimoniorum Dei, niſi delectari in Chriſto: qui eſt vera via, in qua ſunt vera ſigna & teſtimonia Dei, oſtendentia ipſius ad nos dilectionem? Delectabatur ergo in via teſtimoniorum Dei, quia cum ingenti amore expectabat Chriſti incarnationem: quam fideliter affuturam eſſe credebat. Et ad iſtum intellectum hūc paſſum hic exponit Auguſt. dicens, Viam teſtimoniorū Dei, nihil citius, nihil certius, nihil breuius, nihilq; grandius intelligimus eſſe quàm Chriſtum: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.
*Via teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt.*
*Coloſſ.2.*
Inde iſte ait ſe iocundatum in hac via, quaſi in omnibus diuitiis. Teſtimonia quippe Dei ſunt, quibus quantum nos diligit, probare nobis dignatur. Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis: quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.
*Rom.5.*
Cùm ergo ipſe dicat, Ego ſum via: & humilitas eius carnalis natiuitatis atq; paſſionis euidētia ſint teſtimonia diuinæ erga nos dilectionis: proculdubio via teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt.
*Ioan.14.*
Per hæc quippe teſtimonia quæ in illo videmus impleta, etiā futura erga nos quæ ſempiterna promiſſa ſunt, expectamus & ſperamus implenda. Qui enim filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo & non cum illo omnia nobis donabit?
*Rom.8.*
Ambroſius autem accipit viam teſtimoniorum pro intelligentia ſacræ ſcripturæ & perfectione mandatorum: in quibus delectari debemus, ſicut in omnibus diuitiis, quia Dei ſapientiam debemus præponere omnibus regnis & ſedibus, & diuitias dicere nihil eſſe in cōparatione illius. vt dicitur Sapiēt. 7.
*Via teſtimoniorū Dei eſt cognitio ſcripturæ ſacræ.*
Vnde in iſto paſſu ſic ait Ambroſius, *In via teſtimoniorum tuorū delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.* Alij in auro, alij in argento, alij in veſtibus, alij in poſſeſſionibus, vinetis, oliuetis, ſegetibus: alij in operibus picturæ vel ſculpturæ marmorū: in diuerſis deniq; ſinguli ſuas delectationes habent: ſed ſpiritualis homo in via teſtimoniorum cœleſtium delectatur, tanquam omne poſſidens patrimonium, in omnibus diues: ſicut Apoſtolus dicit, Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei noſtri, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia.
*1.Cor.1.*
Delectabatur ergo Pſalmiſta in diuitiis cognitionis ſapientiæ & ſcientiæ, in omni actu bonorum operum. Vel aliter, vt via teſtimoniorum Dei ſit quælibet actio Chriſti, qua nobis viuendi dedit exemplum: quę Chriſti exempla vocantur viæ teſtimoniorum Dei: quia nobis Chriſti vitæ ſanctitatem teſtantur.
*Via teſtimoniorum Dei ſunt exempla viuendi quæ nobis Chriſtus dedit.*
In iſtis viis delectantur qui illas intelligere, & intellectas imitari conātur: illas autem ſpernunt qui illas nec intelligere nec imitari cupiunt. De quibus dicit Gregorius, ſuper illo verbo Iob 34, Et omnes vias eius intelligere noluerunt: ſic, Non enim ait, Infirmitate nō intelligunt: ſed intelligere noluerunt: quia ſæpe quæ facere deſpiciunt, ſcire contemnunt.
*Gregor.25. moral.c.16.*
Quia ſcriptum eſt, Seruus neſciens voluntatem domini, & non faciens digna, plagis vapulabit paucis: & ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens iuxta eam, plagis vapulabit multis.
*Luca 12.*
*Scientia quomodo aggrauat peccatū, & quomodo non.*
*Ignorātia affectiua aggrauat peccatū.*
Impunitatem peccādi extimant remedium neſciendi, qui nimirum ſola ſuperbiæ caligine tenebreſcunt. Atque ideo non diſcernunt, quia aliud eſt neſciuiſſe, aliud ſcire noluiſſe. Neſcire enim, ignorantia eſt: ſcire autem noluiſſe, ſuperbia. Et tanto magis excuſationem non poſſunt habere quia neſciunt, quanto magis eis etiam nolentibus oppoſitum quòd cognoſcant. Et infra ad propoſitum. Via quippe incarnatæ ſapientiæ eſt omnis actio, quam temporaliter geſſit. Viæ eius ſunt viuendi ordines, quos ad ſe venientibus reliquit. Tot itaque ad ſe venientibus nobis vias præbuit, quot bene viuendi exempla monſtrauit. Humilitatis eius vias propheta aſpexerat cùm dicebat, *In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.* Hinc rurſum de vno quoque iuſto dicitur, qui currit vt per dominicæ humilitatis exempla gradiatur. A domino greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet. Quia ergo ſuperbi humilitatis dominicæ exempla cōtemnunt, rectè dicitur, Vias eius intelligere noluerūt. Iuſti autem illas delectabiliter imitantur: in quorum perſona ait Pſalm. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.*



## 1090 In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.

Hic ponitur ſeptimum: quia ſcilicet ocium debet fugere, & in bonis operibus exercitari. Scientia enim & cognitio boni ordinatur ad opus. Quid enim prodeſt bonum cognoſcere, & non operari? malum cognoſcere, & ipſum nō fugere? Sic & nūc Pſal. conſiderare vias domini dicit ſe velle ad hunc finem, vt mandata Dei operetur. Et hoc eſt quod ait, *In mandatis tuis exercebor*: quod ſcilicet vt melius facere poſſim conſiderabo, id eſt ad conſiderādum intellectum applicabo: *vias tuas*: ſcilicet præcepta tua, per quæ vt per vias ad te poſſim peruenire. Ad quod clarius intelligendum, eſt ſciendū quòd mādata Dei ſunt multiplicia, & inter ſe differentia: vt oſtēdit Bernardus ſuper illo verbo Lucæ 17, Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus. Sunt mandata quædam, quæ conſtat non poſſe fieri ſine gloria: poſſe tamen non fieri ſine culpa. Ideóq; digna eſſe præmiis ſi fiant: nec tamen ſuppliciis digna, ſi non fiant. Nam non tangere mulierem, meriti eſt nō mediocris: & nullius tamen delicti propriam amplexari coniugem. Et iſtiuſmodi ſunt quæcunq; in illo capitulo euāgelico cōgruere poſſunt: Qui poteſt capere capiat. Et rurſum quædam ſunt per contrarium, quæ quidem neglecta culpam contrahunt: impleta verò, gloriam non merentur: damnant contemptorem, & actorem non glorificant. Talia enim ſunt quæcunq; naturali lege & publica imponūtur hominibus: ſine quibus nec ſaluari queunt. Hinc eſt illud apud gentiles, Non facere furtum, non paſcere in cruce coruos. Et in euāgelio, Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne ethnici hoc faciunt? Et vniuerſaliter, Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus &c.
*Math.5.*
*Luca 17.*
Acſi dicat, Si ſolis contēti eſtis præceptis, & traditionibus impoſitæ legis, & non ſponte etiam vos perfectionis cōſiliis & ſuaſionibus mancipatis: liberi quidē eſtis à debito, ſed non pro merito glorioſi: euaſiſtis pœnam, ſed non acquiſiſtis coronā. Eapropter in talibus hæc regula generalis teneatur: vt in difficilioribus quidē agēdis, obeditio gratior quàm grauior præuaricatio iudicetur: & in facilioribus minúſq; oneroſis contemptus pernicioſior quàm actus glorioſior iudicetur. Iſtas ergo differentias mandatorū dicit Pſalmiſta ſe velle conſiderare: ſcilicet vt coronam mereatur in primis exerceri, & vt pœnam euadat occupari in ſecundis. Vnde dicit, *In mandatis tuis*: tam primis quàm ſecundis exercebor. *Et conſiderabo vias tuas*: quia ſcilicet per exercitationem in primis gloriam donas, & à pœna liberas per exercitationem in ſecundis. Vel aliter ſecundum Auguſt. Vbi ſciēdum quòd alius textus ſecundum Auguſt. habet ſic, *In mandatis tuis garriam: & conſiderabo vias tuas.* vbi Garrire accipitur pro Diſputare. Et tunc ſic exponit Auguſt. In Græco habetur adoleſcheſo: quod Latini quidam interpretantur Garriam, & quidam Exercebor interpretati ſunt. Quæ duo inter ſe videntur eſſe diuerſa: ſed ſi exercitatio intelligatur ingenij cum quadam delectatione diſputationis, vtrumq; coniungitur, & quaſi ex vtroque vnum aliud temperatur: vt ſit aliena ab huiuſmodi exercitatione garrulitas. ſolent enim garruli vocari loquaces. Si autem ſe in mandatis Dei exercet eccleſia aduerſus omnes inimicos fidei Chriſtianæ atq; catholicæ, copioſis doctorum diſputationibus eſt garrula: quæ tunc fructuoſæ ſunt diſputantibus, ſi non ibi conſiderentur, niſi viæ domini. Vniuerſæ autem viæ domini ſunt (ſicut ſcriptum eſt) miſericordia & veritas: quorum duorum plenitudo inuenitur in Chriſto. Et ſic vult Auguſtinus, quòd iſta talis exercitatio vel garrulitas, ſit copioſa doctorum diſputatio: quam in intellectu ſuo primò differentes, conſequenter ſcriptis tradiderunt cōtra infideles, ſolicitè conſiderantes vias domini: id eſt miſericordiam & veritatem Chriſti declarātes.

## In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos. 2091

Hic ponitur octauum: quia ſcilicet monita memoriæ debet tradere. Vnde in toto iſto verſiculo nihil aliud intendit, niſi vt ſermones Dei meditando, ipſos memoriæ commendemus, & operando perficiamus.
*Memoriæ ſacrā ſcripturā tradere debemus.*
Nam meditatio ſpectat ad operationem: ſed non obliuiſci, ad memoriæ commendationem. Vnde hic ait Ambroſius, Admonet hic locus memores ſcripturarum nos eſſe debere: & iuſtitias eius non ſolum ſermone, ſed operis imitatione meditari. Non enim qui diſputant de lege, & non faciunt quæ legis ſunt: ſed factores legis iuſtificantur. Et quòd contra obliuionem ponit meditationem: quoniam, vt ait gl. obliuioni, quæ ex infirmitate originalis peccati euenit, oppoſita eſt meditatio. Nouerat ergo iſte vitium humanitatis: & cōtra illud auxilium reperit meditationis. Sed notandum quòd quanquam ſuprà ſit dictum quòd iuſtificationes Dei ſunt eius mādata quibus iuſtificamur: tamen hic ex modo loquendi Pſalmiſta differentiam videtur ponere inter iuſtificationes & mandata: ſicut aliud eſt exerceri, & aliud meditari. Exercitium enim ſpectat ad operationem, ſed meditatio ad cogitationem. Mandatis autem tribuit exercitium. vnde ſtatim ſuprà dixit, *In mandatis tuis exercebor.* Iuſtificationibus autem attribuit meditationem, hic dicens, *In iuſtificationibus tuis meditabor.* Quæ ergo differentia eſt inter mandata & iuſtificationes? Reſpondeo, quòd licet omne mandatum Dei generaliter poſſit dici iuſtificatio, quia obſeruantem iuſtificat: & iuſtificatio talis ſit mandatum, quia nos obligat: tamen propriè loquendo differunt abinuicem.
*Iuſtificationes & mādata quomodo differunt.*
Vbi notandum quòd mandatorum quædam ſunt moralia & apertè tradita. vt puta, Non occides, non mœchaberis: honora patrē tuum & matrem. Et talia non requirunt meditationem, quia de ſe ſunt clara: ſed requirunt operis exercitationem.
*Nota.*
Quædā verò ſunt mandata magis figuratiua. vt puta, mandauit Deus quòd Aarō & filij eius deberent habere fœminalia, quādo introibant in tabernaculū ad miniſtrandum ante altare. Hoc enim erat myſticū: quia per hoc percipiebatur quòd quando debebant in tēplo miniſtrare, quòd ipſi etiam ab vxoribus debebant abſtinere & ſeruare caſtitatē. Conſimiliter mandatur Deut. 15.
*Exod.28.*

*Exercitium debetur mandatis: ſed meditatio iuſtificationibus.*

Si vēditus fuerit tibi frater tuus Hæbræus aut Hæbræa, ſex annis ſeruiet tibi : & in ſeptimo dimittes eum liberum. Per hoc enim figurabatur, quòd fideles in mundo iſto qui per ſex ætates diſtinguitur, ſeruire oportet neceſſitatibus carnis: ſed in ſeptimo anno, ſcilicet in ſeptima ætate, quæ erit reſurrectionis, à tali ſeruitute plenè liberi erunt. Et talia mandata ænigmatica propriè dicuntur iuſtificationes: & in iſtis requiritur meditatio. Et iſtam ſententiam hic apertè ponit gl. dicens, Iuſtificationes ſunt, ſicut quòd Hæbræus venditus in lege, nō pluſquā ſex annis ſeruit : & in ſeptimo liber emittitur: quia fidelis in mūdo, qui ſex ætatibus diſtinguitur, tātum ſeruit: ſed in reſurrectione liber erit. Et his & huiuſmodi quæ in ænigmate dicta ſunt, conuenit meditatio: mandatis verò moralibus cōuenit operatio. Congruè ergo diſtinxit verba : dicens, *In mādatis tuis exercebor: & in iuſtificationibus tuis meditabor.* Et nota quia dicit, *Non obliuiſcar ſermones tuos.* quòd multiplex eſt obliuio tā bona quàm mala. Prima eſt obliuio quam facit charitas, ſcilicet fraternæ iniuriæ. Sicut enim beneficia nunquam debemus obliuiſci, ſic nec iniurias recordari. Si enim volumus Deū obliuiſci iniuriarū quas peccando ſibi intulimus, ſibi dicentes illud Pſalm. 78, Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarū &c. & nos iniuriarum nobis illatarum obliuiſci debemus : aliter enim quomodo dicere poſſemus Deo, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus &c. Quoniam & fratres Ioſeph ipſi ſupplicabant. Geneſ. 50. dicētes, Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum. Propter quod præcipitur Eccl. 10, Omnis iniuriæ proximi ne memineris. Secunda eſt obliuio quam facit voluntaria paupertas: ſcilicet terrenæ opulētiæ. Pſal. 44, Obliuiſcere populum tuum, & domū patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum. Tertia eſt obliuio quā facit prauitas: ſcilicet exercendæ iuſtitiæ: vt faciūt ebrij. Prouerb. 31, Noli dare regibus vinū, ne fortè bibant, & obliuiſcātur iudiciorum iuſtorū. Quarta eſt obliuio quam facit iniquitas: ſcilicet diuinæ legis obſeruantiæ. ſic enim de Hieruſalem dicitur Oſeę 4, Oblita es legis Dei tui. Et contra iſtam nūc ait Pſalmus, *Non obliuiſcar &c.*

*Obliuio multiplex.*

2092 Gimel. Retribue ſeruo tuo, viuifica me : & cuſtodiam ſermones tuos.

Hic incipit tertius octonarius : in quo præmittitur tertia Hæbræorum litera, ſcilicet Gimel: quæ interpretatur retributio. Hic enim Pſalmiſta conſiderat humanam multiplicem indigentiam: vt eſt, infirmitas carnis, ignorantia mentis, pronitas ad malum, exilium à patria, hoſtium multiplicitas. Et propter iſta hic Pſalmiſta gratiam Dei, quærit, ſine qua anima non viuit: vt per gratiam viuificata, cuſtodire poſſit omnia mandata. Gratiam ergo viuificantem poſtulat, dicens, *Retribue* (ſcilicet gratiam) *ſeruo tuo: viuifica me* &c. Et ideo in iſto octonario cōtra diuerſos defectus humanæ naturæ, ſibi à Deo diuerſa auxilia retribui petit : ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur in octo partes. Quia primò contra culpam, fidei petit gratiam: ſecundò contra ignorantiam, arcanorum petit notitiam, ibi, *Reuela*: tertiò contra exilium, ſupernam petit patriam, ibi, *Incola*: quartò contra vanitates mentis, petit iuſtitiam, ibi, *Concupiuit*: quintò contra infirmitatē carnis, ſpiritus petit conſtantiam, ibi, *Increpaſti* : ſextò contra opprobria, diuinam petit clementiam, ibi, *Aufer à me*: ſeptimò cōtra hoſtes, in bono petit perſeuerantiam, ibi, *Etenim ſederunt* : octauò contra labores, habere petit patientiam, ibi, *Nam & teſtimonia.* Quantum ergo ad primum, ſciendum quòd ſicut corporaliter mortuus opera corporalia operari non poteſt : ſic nec ſpiritualiter mortuus opera ſpiritualia (vt puta Dei mandata) cuſtodire non poteſt, ſaltem quo ad intētionem legiſlatoris. Et ideo vt illa poſſit obſeruare, primò poſtulat à Deo viuificari : quæ ſpiritualis vita datur per gratiam fidei: quia vt dicitur ad Hæbr. 10, Iuſtus ex fide viuit. Hanc gratiam fidei poſtulans dicit, *Retribue ſeruo tuo, viuifica me* &c. Vnde hic ait Auguſt. *Retribue* &c. Quid eſt aliud quàm dicere, Scio mortuos mandata tua cuſtodire non poſſe: mortuos, ſcilicet infideles. de quibus dicitur, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quapropter, ſi mortuos intelligimus infideles, viuos autem fideles: quoniam iuſtus ex fide viuit, nec poſſunt cuſtodiri mandata Dei, niſi fide, quæ per dilectionem operatur. Hanc ſibi poſtulat qui dicit, *Retribue ſeruo tuo, & cuſtodiam* &c. Sed fortè dices: Si iſte qui petit ſeruus Dei eſt: ergo fidelis eſt. ſi fidelis : ergo gratiam fidei habet. quòd ſi illam habet, ad quid ſibi illā dari poſtulat? Reſpōdeo, quòd hic Pſalmiſta loquitur in perſona eccleſiæ, quæ pro infidelibus orat, vt conuertantur ad fidem. Vel aliter, ſecundum Auguſtinum: iſte qui iam orat, & dicit, *Retribue* &c. ſi penitus eſſet mortuus, non oraret : ſed ab illo accepit initium bonæ cōcupiſcentiæ, à quo vitam poſtulat obedientiæ. Habebant enim aliquam fidem illi qui dicebant, Domine auge nobis fidem. Ille verò & incredulitatem ſuam confitebatur, nec fidem diffitebatur, qui cùm eſſet interrogatus vtrū crederet, ait, Credo domine: adiuua incredulitatem meam. Iam itaque viuere incipiens, poſtulat vitam, qui credens, poſtulat obedientiam: non pro ea ſeruata præmiū, ſed vt ſeruetur auxiliū poſtulat. Vita quippe creſcente, viuiſcit per omnem diem, qui renouatur de die in diem. Vult dicere, quòd fides (ſicut & cæterę virtutes) habet gradus diſtinctos, quibus incipit, creſcit, roboratur & perficitur. Iſte ergo ſic orans erat incipiens in fide, & proficere deſiderabat. Sed fortè dices : Cum ante fidē nobis non debeantur niſi mala pro malis noſtris, propter quod & ſuperius orauerat Pſalmiſta, Nō ſecundum peccata noſtra reddas nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis: quomodo ergo hic orat, dicens, *Retribue* &c? Ad hoc hic reſpondet Auguſt. dicēs, Retribuit Deus per indebitam gratiam bona pro malis. Et hanc retributionem rogat qui dicit, *Retribue* &c. Quatuor enim ſunt retributionis differentiæ. Aut enim mala pro malis retribuūtur : ſicut Deus ignem æternum retributurus eſt impiis. Aut bona pro bonis : ſicut regnum æternum retributurus eſt iuſtis. Aut bona pro malis: ſicut Chriſtus per gratiam iuſtificat impium. Aut mala pro bonis : ſicut Iudæus per malitiam perſecutus eſt Chriſtum. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad iuſtitiam, vt retribuantur mala pro malis, & bona pro bonis : tertia pertinet ad miſericordiam, vt retribuantur bona pro malis: quartam Deus neſcit. nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco poſui, primitus neceſſaria eſt. Niſi enim deus retribueret bona pro malis, nullo modo eſſent qui retribuerent bona pro bonis. Audi illum Saulum, poſtea

*Fides eſt vita animæ.* *Matth. 8.* *Quæſtio.* *Fides habet gradus, quibus incipit & creſcit.* *Lucæ 17.* *Marc. 9.* *1. Cor. 4.* *Retributionis multæ ſunt differentiæ.*



*Ad Tit. 3.*

poſtea Paulum: Non ex operibus (inquit) iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis. & iterum, Qui prius fui blaſphemus & perſecutor, ſed miſericordiam conſecutus ſum. Mortuus ergo erat prius per ſuam iniuſtitiam, antequam viueret per Dei gratiam. Retribuit ergo illi Deus bonum pro malo: ſcilicet vitam pro morte. Et talis eſt retributio, quam iſte hic poſtulat, dicens, *Retribue ſeruo tuo: viuifica me* &c. Sed fortè dices : nōnne præſumptionis eſt, ſic à Deo petere, qui nobis non debet niſi pœnam? Ad hoc hic reſpondet Ambroſius dicens, Hoc enim ſic à Deo petere, non eſt à virtute alienum, nec arrogantis. Prærogantia namque fidei eſt atque iuſtitiæ, de domini fauore mercedem vſurpare. Denique reprehenditur Petrus, quia ſuper fluctus ambulans, humano magis dubitauit affectu, quàm Apoſtolica auctoritate præſumpſit. In euangelio quippe docemur habere fidem, & non hæſitare de his quæ ſupra hominem ſunt gerendis. Denique non inſolentis eſt arrogantiæ, ſed innocentis conſcientiæ, ab ipſo cui ſeruieris, petere mercedem: quoniam deſperare, ſegniciei eſt materia: ſperare autem, incentiuum eſt laboris. Pete igitur confidenter, ſi merita ſuffragantur, vt talia petendo, ſtudioſius elabores, quò ea petitione ſis dignior. Quis enim athleta, ſi deſperet coronam, deſcendet in ſtadium, aut ſi eam poſtulet victor offendat? Probatio enim ſpem facit, ſpes confidentiam. Et infrá. Si quis ergo Dei ſeruus eſt, & bene ſeruit domino, & nihil facit quaſi ſeruus peccati: is cōfidenter Deo dicat, *Retribue ſeruo tuo.* Glorioſa ſeruitus qua pro nobis ſeruiuit & Chriſtus : ſed ita ſi nihil poſſit aduerſarius ſibi de tuo ſeruitio vendicare.

*Quæſtio.* *[...]e à Deo [...] bona [...]ſidenter.*

2093 Reuela oculos meos : & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Hîc poſtulat ſecundum : ſcilicet, contra ignorantiam diuinæ legis notitiam : hoc ideo, quia Dei mandata non poſſunt cuſtodiri, niſi per intelligentiam videantur. Vbi aduertendum, quòd velo, velas, idem eſt quod tergere, cooperire, obumbrare. Vnde illa quæ figuratiuè dicuntur & non apertè, dicuntur velata, id eſt obumbrata & obſcurè dicta. Sic enim legimus Lucæ 9, quòd Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, Futurū eſt vt filius hominis tradatur in manus peccatorum. Et ſequitur, At illi ignorabant verbum iſtud: erat enim velatum ante illos. Sic ergo velatum dicitur illud quod obſcurè, ænigmaticè, vel figuratiuè eſt dictum. Cùm tota ſeries antiqui teſtamenti ſit figuratiua, ideo dicitur velata. Illa autem velamina per Chriſtum ſunt remota : quoniam per ipſum veritas eſt manifeſtata. Velare autem componitur cum re, & fit reuelo, as, idem quòd velum remouere, obſcura declarare. Et ſic per Chriſtum velum antiquæ legis eſt remotū. Vnde ait Apoſtolus, Vſque enim in hodiernum diem ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet : quod in Chriſto euacuatur. Nam vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamem poſitum eſt ſuper cor eorum : cùm autem conuerſus fuerit ad dominum, auferetur velamen. Iſtud ergo velamen legis antiquæ remoueri ab eo poſtulat Pſal. dicens, *Reuela oculos meos.* Oculi enim dicuntur velati, quando propoſita vident obſcurè: ſed reuelantur, quando obſcura declarantur. Homo ergo in figuratis per legem velo ignorantiæ tegitur, ſed Deus velamen tollit : vt videas & conſideres mirabilia vmbraticè propoſita. Et hoc multis exemplis ait hic Ambroſius, dicens, Habes quomodo auferas velamen, quod manet ſuper oculos cordis tui. Conuertere ad dominum Ieſum Chriſtum, & velamen cadet. Et primò ponit exemplum de Paulo, dicens, Conuerſus Paulus ad benedictionem Ananiæ, velut ſquammæ ceciderunt ab oculis eius, & vidit, quia per triduum antè non viderat: ſimul oculis corporis animæque ſanatus : quia medicamentum ei medicus demonſtrauerat ille de cœlo: de quo ſcriptum eſt, Miſit etiam verbum ſuum, & ſanauit eos: & ex omnibus infirmitatibus eorum liberauit eos. Mitte ergo pater medicum iſtum, veniat verbū tuum, & reuelet oculos meos. Aliud exemplum ponit de Apoſtolis, dicens, Et Apoſtolorum oculi clauſi erant, niſi Ieſus aperuiſſet eos. Denique duobus ex illis euntibus in caſtellum, cui nomen erat Emaus, cum interpretaretur eīs ſcripturas, & benediceret eos, aperti ſunt oculi eorum : & cognouerunt eum. Ergo niſi Ieſus aperuiſſet nobis oculos, ipſum nemo cognouiſſet. Niſi ab oculis noſtris velamen tuliſſet, nulli gratia euangelij refulſiſſet. Aliud exemplum de Apoſtolis ponit, dicens, Et Petrus quidem, Iacobus & Ioannes, clauſos habebāt oculos. Denique in monte grauati erant ſomno, ſed excitati fulgore maieſtatis diuinæ, oculos ſuos aperuerunt. Et ſubdit, Quis igitur tantus vt aperiat oculos, & legis videat ſacramenta, niſi Chriſtus ei demōſtraret? Non Moyſes tantus. Denique iubente domino, Moyſes proiecit virgam in terram, & facta eſt ſerpens : & fugit ab eo. Apprehendit caudam ſerpentis : & facta eſt virga. Et adhuc non cognoſcebat myſterium quod declarabat, deſcenſurum in terram dominum Ieſum. Qui cum ſe exinaniſſet, & in cruce poni & proiici pateretur in tumulum : in gloriam Dei diuinæque ſedis regale conſortium, de ſerpente remearet. Apprehendamus ergo & nos caudam illius ſerpentis crucifixi, vt poteſtatem eius regiam poſſimus agnoſcere. Sic igitur Pſalmiſta vt ab oculis ſuis velamen tolleretur, conuerſus ad dominum precabatur, dicens, *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Quis enim de terrenis ad cœleſtia, de vmbra ad claritatem humano gradu ſine diuino ductu poſſit aſcēdere? Certè nullus. Et conſequenter multa alia adducit exempla. Sic ergo Pſalm. dicens, *Reuela oculos meos* &c. rogat vt in figuris antiquæ legis mirabilia nouæ legis figurata cognoſcat per Chriſtum : de quo ait Symeon, Lucæ 2, Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium &c. Nemo enim ſecreta & occulta ſcripturarum ſcire poteſt, niſi Chriſtus reuelet oculos ſuos : ipſo dicente, Nemo nouit filium niſi pater : nec patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ad ipſum accedamus ſupplices, dicentes, *Reuela oculos meos* &c.

*Reuelare quid eſt.* *1. Cor. 3.* *Reuelat oculos noſtros Chriſtus ad intelligēdum ſcripturam.* *Actuū 9.* *Pſal. 106.* *Luc. 24.* *Matth. 26.* *Exod. 3.* *Matth. 11.*

Incola ego ſum in terra: nō abſcondas à me mandata tua. 2094

Hîc petit tertium : ſcilicet, contra exilium patriam. Iſte textus variatur, quia aliqui codices habent, *Inquilinus ego ſum in terra.* Aliqui habent, *Incola ego ſum in terra.* Aliqui habent, *Aduena ego ſum* in

*Incola. Accola. Aduena. Inquilinus.*

in terra. Quæ quamuis aliqualiter differant, tamen ad propoſitum eandem ſententiam ſignificãt. Nam ſecundum Auguſtinum hic, Inquilini dicuntur nõ habentes propriam domum: ſed habitantes in aliena: incolæ autem vel aduenæ dicuntur, non ciues, ſed aduẽtitij. Vocantur itaque incolæ in terra, ſiue inquilini, vel aduenæ, qui in terra domum non habent, nec ciues ſunt terræ, ſed magis cœleſtes. Et ſi quæras: quomodo aliquis hominum incola in terra poſſit dici, cum de terra corpus originem ducat. Sed hic propriè incola vel inquilinus dicitur in terra, qui mente hîc non poſſidet terrena: etſi corpore habitat in terris, ſpiritu tamen habitat in cœlis. Quod hic declarans Ambroſ. dicit, *Incola ego ſum in terra*. Non cuiuſcunque vox iſta eſt, ſed eius qui terrenis renunciat voluptatibus, & omni ſe mundanæ cupiditatis exuerit affectu. Ille eſt in hac terra aduena, qui poteſt dicere, Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: qui ſuam in domino habet portionem: qui poteſt dolere quòd diutius viuat in terris: qui vitæ huius longitudine laſſatur. Cui prolixitas habitationis huius faſtidio eſt: qui diſſolui non timet: & ſi diſſoluatur, præſumat ſe cũ Chriſto futurum. Hic verè peregrinus in terra eſt, qui ſanctorum eſt ciuis & domeſticus Dei: & theſaurum ſibi condit in cœlum. Non vtique is exiens de Ægypto, in hãc intelligibilem Ægyptum remeaſſe deſiderat: nec depoſitæ ſenectutis & mortis paueſcit confinia: nec horrea ſtruit meſſibus recondendis, iam alienis victuris ætatibus: ſed ſola diues virtutum fœcunditate ea congregat quæ ſibi mors non poſſit auferre. Et eandem ſententiam hic ponit Auguſt. dicens, Ideo nos incolas vel inquilinos in terra eſſe dicamus, quia ſupernam patriam vnde pignus accepimus, & quò peruenientes, nũquam inde migremus, inuenimus. Nam & ille qui in alio Pſal. dicit, Aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei: non ait, ſicut omnes homines: ſed dicendo, ſicut omnes patres mei, iuſtos proculdubio vult intelligi: qui eum tempore præceſſerũt, & in hac peregrinatione gemitu pio ad ſupernam patriam ſuſpirant: de quibus ſcriptum eſt, ad Hæbræos, Secundum fidem mortui ſunt hi omnes, cùm non accepiſſent promiſſiones: ſed longè eas videntes, & ſalutantes, & confitentes: quia hoſpites & peregrini ſunt ſuper terram. Qui enim talia dicunt, oſtendunt quia patriam quærunt. Et ſiquidem eius memores eſſent à qua diſceſſerãt, habuiſſent tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cœleſtem. Ideo de his Deus non confunditur vocari Deus eorum. Præparauit enim eis ciuitatem. Et illud quod legimus, Quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à domino: poteſt intelligi hoc non eſſe omnium, ſed fidelium: nõ enim omniũ eſt fides. Et videamus quid his verbis Apoſtolus iungat. Cùm enim dixiſſet, Quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à domino, ait, Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. vt intelligeremus eorum eſſe iſtam peregrinationem, qui ambulant per fidem. Infideles autem quos Deus non præſciuit, nec prædeſtinauit fieri conformes imaginis filij ſui, non poſſunt veraciter ſe dicere in terra peregrinos, quando ibi ſunt, vbi ſecundũ carnẽ nati ſunt. Non enim habent alibi ciuitatẽ. Ac per hoc non ſunt in terra alienigenę, ſed terrigenę. ſunt tamen & hi accolæ & peregrini, ſed non huic terræ: ſed populo Dei, à quo ſunt alienigenæ. Vnde credentibus, & ſanctam ciuitatem quæ non eſt de hoc mundo, habere incipientibus, Apoſtolus dicit, Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Ipſi ergo ſunt ciues terreni, qui ſunt in Dei populo peregrini: qui verò ciues ſunt in Dei populo, ipſi ſunt in terra peregrini. Dicat itaque quilibet fidelis, ſiue cœleſtis & ſpiritualis homo, *Incola ego ſum in terra*. Sed hic aliud reſtat dubium: quomodo talis peregrinus in terra Deo dicat, *Non abſcondas à me mandata tua*, cùm Dei mandata etiam infidelibus ſint publicata: quæ vbique Deus voluit prædicari. Et vtinam quàm multis ſunt clara, ſic & cara ſint. Nam quid eſt mundo clarius quàm, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & proximum tuum ſicut te ipſum? In quibus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Et quis eſt quem lateant iſta mãdata? Nempe omnibus fidelibus & plurimis infidelibus ſunt nota. Cur ergo iſte fidelis poſtulat, dicens, *Non abſcondas à me mandata tua*? Ad hoc reſpõdet hic Auguſtinus, quia quamuis omnes ſciant hoc mandatum, Diliges dominum Deum tuum, tamen quia difficile eſt Deum noſſe: conſequens eſt vtique vt diligas dominum Deum tuum: difficile intelligatur, interrogatur ne aliud pro alio diligatur. Sic quia difficile eſt vt homo cognoſcat ſeipſum: quapropter vt ſciamus diligere Deum, ſciendus eſt Deus. Et vt ſciat homo diligere proximum ſicut ſeipſum, prius debet diligendo Deum, diligere ſeipſum: quod facere nõ poterit, ſi neſcit Deum, & ſi neſcit ſeipſum. Rectè itaque dicitur Deo, *Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua*. Hæc namque meritò illis abſconduntur, qui non ſunt incolæ in terra: quia illi etſi hæc mandata audiunt, non ſapiunt, quia terrena ſapiunt. Petunt ergo iuſti ne abſcondantur ab eis mandata Dei, per quæ ab hoc incolatu liberentur diligendo Deum, cum quo in æternum erunt: & diligendo proximum, vt ibi ſit, vbi ipſi erunt. Vult ergo dicere Auguſtinus, quòd dicendo, *Non abſcondas à me mandata tua*, petit vt Deus manifeſtet ſibi ſeipſum, vt cognoſcat ipſum Deum, ſeipſum, & proximum.

*Quæſtio.* — *Sãcti incolæ ſunt in terris.* — *Phil. 3.* — *Pſal. 38.* — *Hæbr. 11.* — *2. Cor. 5.* — *2. Theſſ. 3.* — *Epheſ. 2.* — *Diligere Deũ nõ poteſt qui Deũ nõ cognouit, nec proximum.* — *Dilectio præſupponit cognitionem.*

## Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. 2095

Hîc petit quartũ, ſcilicet contra vanitates mentis iuſtitiam: quia concupiſcentiam habet iuſtificationum Dei. Vbi notãdum, quòd duplex eſt concupiſcentia: ſcilicet, bona & mala. mala, vt cum dicitur, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: bona, vt cum dicitur, ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem. Quandocunque autem ponitur concupiſcentia in ſcriptura, non dicendo quid concupiſcatur: tunc mala notatur concupiſcentia. ſi autem declaretur quid concupiſcatur, tunc ſi illud eſt malum, concupiſcentia eſt mala: ſi bonum, bona. Vnde hic ait Auguſt. Hoc ſanè intereſt inter bonam concupiſcentiam & malam, quia non tacetur quod concupiſcitur, quando bona commemoratur concupiſcentia. Cum autem non additur quid concupiſcitur, ſed ſola ponitur: non niſi mala intelligitur. ſicut cum dicitur, Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum. Si non adderetur ſapientiæ, nullo modo diceret, concupiſcentia deducit ad regnum &c. Sed dices: quid eſt dicere, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes*, cum idem ſit concupiſcere & deſiderare? Ad hoc reſpondet Ambroſ. hic dicẽs,



Non dixit, concupiui iudicia: ſed concupiui deſiderare. Sicut enim vita viuere, plus eſt quàm viuere (viuere namque commune eſt etiam huius vitæ: vita autem viuere beatorum eſt) ſic cõcupiſcere vt deſideremus iudicia Dei, plus eſt quàm deſiderare iudicia. Concupiſcimus enim deſiderare, quaſi nõ ſit in poteſtate noſtra deſiderium, ſed gratiæ Dei. Cùm enim dominus oblectari nos viderit cupidine iudiciorum ſuorum, ſobrium auget affectum: cùm autem peccamus, non concupiſcimus deſiderare iudicia Dei. Neque enim ægrotus vri deſiderat, vel incidi, vt recipere poſſit ſanitatem. Refugit qui grauius ægrotat, ne vratur, ne incidatur, ne ligetur, ne abſtineat à cibo: qui autem ſalutarem habet valetudinem, medico ſecurius occurrit. Vnde & dominus non ocioſè ait, Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum: non ſolùm deſiderans, ſed etiam geminato deſiderio concupiſcens remiſſionem tribuere peccatorum. Concupiſcamus ergo & nos deſiderare iudicia Dei. Bona conſcientia cum examinatur, probatur: & concupiſcamus deſiderare in omni tempore, vt nullum momentum prætereat vacuum bonæ cupiditatis. Auguſtinus autem hic aliter reſpondet, quòd aliud eſt cõcupiſcere deſiderare, & aliud deſiderare. Vnde ait, Nam & ægrotus qui faſtidio laborat, & vult euadere hoc malum, concupiſcit vtique deſiderare cibum, hoc eſt carere faſtidio. Et infrà dat aliud exemplum: dicens, Diligenda eſt dilectio qua diligitur quod diligi oportet: ſicut odio habenda eſt dilectio qua diligitur quod diligi non oportet. Odio quippe habemus concupiſcentiam noſtram, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Et quid eſt iſta concupiſcentia, niſi mala dilectio? Et diligimus concupiſcentiam noſtram, qua ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem. Et quid eſt iſta concupiſcentia, niſi bona dilectio? Cùm autem dicitur diligenda eſt, quid dicitur, quàm concupiſcentia eſt? Quocirca, quoniam rectè concupiſcuntur iuſtificationes Dei, rectè concupiſcitur cõcupiſcentia iuſtificationum Dei. Hoc enim & alio modo dici poteſt. Nam ſi rectè diliguntur iuſtificationes Dei, rectè diligitur dilectio iuſtificationum Dei. An aliud eſt concupiſcere, aliud deſiderare? Non quòd non ſit concupiſcentia deſiderium, quia non omnis concupiſcentia deſiderium eſt. Concupiſcuntur enim & quæ habentur, & quæ non habentur. Nam concupiſcendo fruitur homo rebus quas habet: deſiderando autem, abſentia concupiſcit. Deſiderium ergo quid eſt, niſi rerum abſentium concupiſcentia? Sed Dei iuſtificationes quomodo abſentes eſſe poſſunt, niſi quando neſciuntur? An & quando ſciuntur & non fiunt, abſentes habendæ ſunt? Nam quid ſunt iuſtificationes, niſi opera iuſta, & non verba? Ac per hoc poſſunt infirmitate animæ non deſiderari, & per rationem mentis vti. Videtur quippe quàm ſint vtiles atque ſalubres: & ideo poteſt earum deſideriũ concupiſci. Sæpe enim quid agendum ſit videmus, nec agimus: quia non delectat vt agamus, & cupimus vt delectet. Præualet intellectus, & tardè ſequitur infirmus animus humanus. Ideo ergo deſiderare cõcupiſcebat, quia bona eſſe cernebat: cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem. Ad hoc poteſt dari familiare exemplum. Nam quis peccato aliquo implicatus, voluntariè concupiſcit vt Deus det ſibi deſiderium, vt illud peccatum relinquat.

*Concupiſcẽtia duplex: bona, & mala.* — *Sap. 6.* — *Quæſtio. Concupiſcẽtia & deſideriũ quomodo differunt.* — *Luc. 22.* — *Dilectio diligenda & odienda.* — *Gal. 5.*

## Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis. 2096

Hîc petit quintum: ſcilicet mentis conſtantiam: ſciens quòd nemo mittens manum ſuam ad aratrũ, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei: & quòd omnes qui à mandatis Dei declinant, ſunt maledicti. Vbi notandum quòd ſuperbos primos: ſcilicet, parentes qui in ſcientia Dei æquari voluerunt, dupliciter Deus increpauit: ſcilicet, verbis & flagellis. Verbis, cùm ipſi Adæ poſt peccatũ dixit, Adam vbi es? flagellis autem, cùm ſententiam mortis contra ipſum & poſteritatem ſuam protulit, & ipſum multiplici miſeriæ & laboribus ſubiugauit. Quem enim dominus ad ſalutem vult reducere exterius, increpat pœnis & aduerſitatibus, vt ipſius mentem ſanet interius. vt oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 5, Increpationem domini ne reprobes: dicens, Deus enim increpando ſuperbos, aliquando carnem percutit exterius, & mentis duriciam ſuo pauore tabefacit. Vnde vulnerando ad ſalutem reuocat, cum electos affligit exterius, vt interius viuãt. Vnde bene per Moyſen loquitur: dicens, Ego occidã, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo. Occidit enim vt viuificet: percutit vt ſanet. quia idcirco foris verbera admouet, vt interius vulnera delictorum curet &c. Iſto ergo modo increpauit ſuperbos primos parentes, dum propter tranſgreſſionem diuinorum mandatorum, ipſos & ex ipſis deſcendentes multis ſubiecit miſeriis: vt mens quę ſuperbiendo ſeipſam non cognoſcebat, duris miſeriis ſauciata, ſeipſam cognoſcat. Et attende quòd dicit, *qui declinant à mandatis tuis*: quia aliud eſt mandata Dei per infirmitatem vel ignorantiam non implere: aliud per ſuperbiam voluntariè ab illis declinare: quia primi aliqualem excuſationem habẽt, vt non tam grauiter offendant: ſed nullã ſecundi. Et in iſto ſecundo modo primi parentes tranſgreſſi ſunt diuina mandata. Quod Pſal. notans dicit, *qui declinant*. Vnde hic Auguſt. ait, Declinauerunt enim primi parentes à mandatis Dei: quia delectauit eos, quòd audierunt promiſſum, Eritis ſicut dij. Ac ſic eos à mandato Dei quod ſibi mandaſſe eum ſciebant, & quod facillimè nulla infirmitate reuocante vel impediente implere poterant: per hanc ergo ſuperbiam declinauerunt. Et ecce quàm dura increpatio: quia tota iſta dura & infelix ęrumna mortalium, quodammodo hæreditaria eſt increpatio ſuperborum. Quando enim dixit Deus, Adam vbi es? non vbi eſſet ignorabat, ſed ſuperbum increpabat. Et vbi tunc eſſet, & ad quam miſeriam perueniſſet, non ſcire cupiebat: ſed interrogando increpans admonebat. Ex hoc enim apparet quantũ malum ſit ſuperbiæ crimen, quod omnia bona diſſipat: omnium exiſtit cauſa malorum. Vnde hic Ambroſ. ait, *Increpaſti ſuperbos* &c. Cum dominus Ieſus per obedientiam genus humanum redemerit, iuſtitiam reformauerit: ſerpens autem per inobedientiam peccatum introduxerit: quid vitij habeat ſuperbia hinc æſtimare poſſumus, cuius auctor diabolus eſt. Itaque volens Chriſtus à tanto crimine vindicare genus humanum, introduxit Phariſæum & publicanum orantes in templo: & docuit etiamſi bona cætera habeat, quòd magis ſuperbus offendat quàm humilis qui nulla dote virtutum ſubnixus eſt. Studet enim ſupplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laborauit Phariſæus ille ne raperet aliena, ne iniu-

*Luc. 9.* — *Increpatio duplex, ſcilicet, verbis & pœnis.* — *Greg. lib. 6 mor. 17.* — *Deut. 32.* — *Declinare à mãdatis quid eſt.* — *Gen. 3.* — *Superbia quãtũ malum ſit.* — *Phariſæus ſuperbus multa perdidit bona.*

ſtus eſſet, ne adulteraret? Quantũ laborauit ne peccaret: ſicut peccauit publicanus? Quantum laborauit vt bis in ſabbatho ieiunaret? Quantum laborauit vt decimas daret omnium quæ acquireret? Quis noſtrum hæc facit? Quanti habent poſſeſſiones, & ſoli incumbunt fructibus, & ſoli ſibi meſſes recõdunt? Aduertit hoc diabolus, & perfodit eum vlcere graui: vt non teneret caput mente carnis inflatus, & in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehenſibilior iudicaretur. Agebat enim gratias Deo, quòd nõ eſſet raptor, adulter, iniuſtus. Quàm noxiè ei luctatus eſt ſerpens, & grauibus eum ſpiris ligauit. Superiorem fecit, vt de altiori gradu deiiceret eum: inferiorem ſe præbuit, vt ſuperiorem caſu grauiore proſterneret. Mala ruina eſt arrogantiæ: ſuperiores obruit. mala hæc lucta ſerpentis, quæ in plurimos torquet anfractus. Inflare volebat & Paulum. Quem Paulum? Illum vtique Apoſtolum, non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum. Et penè deceperat: ita vt ſtimulum carnis ſuæ qui ſe humiliabat rogaret auferri. Sed bonus dominus qui Paulum in infirmitatibus vellet facere fortiorem, adhibuit ei & angelum ſathanæ, vt ſuis diabolus artibus vinceretur. Non mentiebatur Phariſæus: immò etiam vera dicebat. Sed omnis qui ſe exaltat, etiamſi vera dicat, offendit. Denique Phariſæus probabilior ingreſſus eſt in templum quàm publicanus: & condemnatus exiuit. O quantum crimen eſt ſuperbiæ: vt ei etiam adulteria præferantur? Denique dominus qui aliis donat, ſuperbis reſiſtit, & tanquam congreditur his qui ſe exaltant, ſibíque hoc certamen vendicat. Et qui aliis compatitur, arrogantes increpat: quia nihil grauius, quàm vt fratres noſtros pauperes ſuperbo oculo deſpiciamus: conformes nobis intolerabili repellamus faſtidio: noſtra indignos gratia iudicantes quia ſunt inopes, cum paupertas proximior ſit Deo, quàm theſaurus acceptior. Sequitur, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Non dicit qui declinauerunt: ſed *qui declinant*: vt locum reſeruet veniæ. Quoniam à mandatis Dei declinauit Petrus: ſed quia pœnituit, nõ inter maledictos, ſed inter benedictos locatur. Sic & Paulus, & cæteri Apoſtoli. Sic & alibi dicit Chriſtus, Deſcendite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et non dixit, qui operati eſtis iniquitatem.

*Paulus rogabat vt ſtimulus carnis auferretur ab eo inductus à diabolo.*

*Pſal.6.*

## 2097 Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui.

Hîc petit ſextum: ſcilicet, contra opprobria diuinam clemẽtiam. Iſta litera dupliciter exponitur. Vbi ſciendum quòd opprobrium eſt duplex: ſimiliter & contemptus. Vnus apud mundum: alius apud Deum. Et illud quod eſt opprobrium apud mundum, eſt glorioſum apud Deum, & econtrario. vt puta diuitem eſſe, poteſtatem multam habere, & huiuſmodi: glorioſum eſt mundo, ſed apud Deum opprobrium. Et econtra; mendicare, aduerſa pati pro fide, opprobrium eſt mundo, ſed apud Deum, glorioſum. Hic ergo loquitur de opprobrio & contemptu qui eſt apud Deum, non de illo qui eſt apud mundum. Non enim timet iuſtus à mundo deſpici, ſed à Deo. Vnde de Apoſtolis dicitur, Act.5, quòd ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et iſtam expoſitionem hic ponit Ambr. dicens, *Aufer à me opprobrium* &c. Si contemptus loco opprobrij ducitur: quomodo ſcriptum eſt, Contemptibilia mundi elegit Deus? Sed conſidera, quia mundi contemptibilia dixit, non Dei. quod enim in hoc mundo eſt contemptibile, hoc precioſum eſt apud Deum. Denique humilitas in hoc mundo contemnitur, ſed Dei iudicio approbatur. Audi quem opprobrio & pro nihilo habeat Deus. Quicunque ſanctus eſt, qui ſine macula viuit, veritatem cuſtodit, non offendit proximum, ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus. Omnia quæ maliciæ ſunt, apud Deum pro nihilo æſtimantur & cotemnuntur. Caue ergo Chriſto opprobrio ſis, non contemptus à Chriſto. Maledicat homo mihi, opprobria inferat, contemnat me, iſtis coronam mihi fabricat. Sed quàm graue eſt, ſi Chriſtus dignum opprobrio, dignum contemptu ducat. Opprobrio ſunt Chriſto & ab ipſo contemnuntur qui peccatorum ſuorum pœnitentiam non egerunt. Nos ergo agamus pœnitentiam, ne ſimus opprobrium Chriſto. Et hoc orat Pſal. dicens, *Aufer à me opprobrium & contemptum*, id eſt, ne ſim tibi opprobrio: da mihi veram pœnitentiam peccatorum. Aliter exponitur: vbi ſciendum quòd martyr idem eſt quod teſtis. Nam martyr Græcè, Latinè dicitur teſtis: quia martyres teſtes ſunt fidei. Et ſic teſtimonia Dei idem ſunt quòd martyria. Perſecutores autem fidei, opprobrio habent martyres, & ipſos contemnunt. Rogat ergo eccleſia vt iſtud opprobrium auferatur. vt ſcilicet qui opprobrio habent martyria, conuertantur ad fidem, & ipſa martyria venerentur. Et hanc expoſitionem hic ponit Auguſt. dicens, Teſtimonia Græcè martyria nuncupantur. Quo verbo iam vtimur pro Latino. Vnde illos qui pro teſtimonio Chriſti diuerſis paſſionibus humiliati ſunt, & vſque ad mortem pro veritate cõcertant: non teſtes (quod vtique Latinè poſſemus) ſed Græcè martyres appellamus. Sic ergo accipiamus hæc verba, *Aufer à me opprobrium &c.* tanquam dictum ſit, Aufer à me opprobrium & contemptum, quoniam martyria tua exquiſiui. Chriſti enim corpus cùm iſta dicit, nunquid ab impiis & ſuperbis aufert opprobrium & contemptum? nullam deputat pœnam, cum potius inde perueniat ad coronam. Cur ergo quaſi graue aliquid & intolerabile à ſe poſtulat auferri, niſi quia orat pro inimicis ſuis: quibus eſſe perſpicit noxiũ obiicere ſanctum nomen Chriſti tanquam opprobrium Chriſtianis: & eius à Iudęis irriſam crucem, totámque humilitatis Chriſtianæ medicinam (qua ſola tumor ille ſanatur quo inflati cecidimus, & iacẽtes amplius intumuimus, eadem ſuperbia manẽte & creſcẽte) cõtẽnere? Dicat itaque corpus Chriſti, quod iã nouit diligere inimicos ſuos, dicat Deo ſuo, *Aufer à me opprobrium & contẽptum, quia martyria tua exquiſiui.* id eſt opprobrium quod ideo audio, quia martyria tua exquiſiui, aufer à me: inimici enim mei, quos à me pręcipis diligi, qui magis magíſque moriuntur & pereunt, cũ martyria tua contemnunt & criminantur in me: profectò reuiuiſcẽt & inuenientur, ſi martyria tua venerentur in me. Et ita factum eſſe hoc videmus. Ecce martyrium Chriſti & apud homines in hoc mundo non ſolùm non eſt opprobrium, ſed magnum eſt ornamẽtum. Ecce non ſolùm in conſpectu domini, verũetiam in cõſpectu hominum, precioſa mors ſanctorũ eius. Ecce nõ ſolùm non contẽnuntur, verũetiam magis honoribus præferũtur martyres eius. Sed

*Opprobrium duplex: ſcilicet, apud mũdũ & apud Deum. Contẽptus duplex.*

*1.Cor.1.*

*Pſal.14.*

*Martyr idem eſt quod teſtis*

*Opprobrium & cõtẽptus ablata ſunt à eccleſia.*

*Pſal.115.*



Sed quãdo eccleſia hoc precabatur, martyria Chriſti opprobrium erãt illis à quibus perſequebatur.

## 2098 Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Hic poſtulat ſeptimum: ſcilicet contra hoſtes in bono perſeuerantiam. Quis enim poſſet in perſecutionibus firmus exiſtere, niſi à Deo eſſet fortificatus? Vnde vehementiam perſecutionis & ſtabilitatem perſeuerantiæ inſimul complectitur: dicẽs, *Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur*: vbi notat perſecutionis grauitatem. *Seruus autẽ tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis*: vbi notat perſeuerantiæ ſtabilitatem. Hic autem verſus multipliciter exponitur à ſanctis. Et primò de Chriſto capite: vt ſint verba Chriſti, dicentis, *Etenim ſederunt principes*, &c. Et ad iſtum ſenſum iſtum verſum exponit Ambroſ. dicẽs, Eſt vox iſta domini noſtri Ieſu Chriſti. Cùm enim conueniſſet presbyterium plebis, & principes ſacerdotum & ſcribæ: & ad concilium Iudæorum ductus eſſet Ieſus dicentium, Quid adhuc deſideramus teſtes? audiuimus enim de ore ipſius. Et cùm ſtaret ante præſidem, & duceretur ad crucem: quid pulchrius diceret, quàm Sederunt principes, & aduerſum me loquebantur? Hoc eſt, me ſtante, ſederunt principes. Et quia tribunalium ſedibus ſublimes erant, dominum non videbant. ſedebant ergo elati faſtigio principatus, nec principem principum cogitabant. Et ideo imitatores mei, diſcipuli mei, nolite iniuriam erubeſcere, ſi ſteteritis ante principes pro nomine meo: cùm ego ſteterim pro veſtra ſalute. Secundò hic verſus exponitur de Chriſti corpore. vt iſta ſit vox martyrum, dicens, *Etenim ſederunt principes*, &c. Et hoc hic deducit Auguſt. dicens, Refer hoc ad corpus Chriſti, id eſt, eccleſiam: & inuenies reges terræ excogitaſſe atq; inueniſſe quomodo Chriſtianos quæſiſſent. Conſimiliter & Ambroſ. ad iſtum ſenſum hic exponit: dicens, Vox iſta martyris eſt, qui perductus ad iudicium perſecutorum, cùm cogeretur idolis immolare, & conſtanter reſiſteret, iudices autem ſedentes in tribunalibus ſtipati officiis: indignantes quòd ſuis nõ obſecundaretur imperiis: conferentes quo dignum ſupplicio cenſerent, ſtabat intrepidus: dicens, Etenim ſederunt principes, & aduerſum me decertabant. Sed quid tunc martyr agebat? Audi quod ſequitur, *Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.* Hic adducuntur arma iuſti, quibus omnes aduerſorum impetus repellantur. Alibi autem ait, Circunuenerunt me & expugnauerunt me gratis: pro eo, Vt me diligerẽt, detrahebant mihi: ego autem orabam. Hic autem ait quòd ſtudium ei erat, non exercendi ad bellum artes iuuentutis: non decipiẽdi aduerſantes: aſtutia nulla cordis, vt illum vinceret quem videbat: ſed aduerſus eos præliabatur quos non videbat: maiorq; in eo pietas quàm virtus corporis militabat. Itaque in Dei exercebatur iuſtificationibus, vt contrario ictu diabolũ vulneraret. Ille enim ab intentione iuſtitiæ & ſtudio deuotionis occupationibus bellicis conabatur abducere: hic magis ſe diuini operis & cultus meditationibus occupabat. Tertiò exponitur de pugna ſpirituali, qua diabolus ſanctos impugnat. Vnde & hic Ambroſ. ait, Sunt & alij principes, qui aduerſus nos decertant: de quibus dicitur, Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates mundi huius, rectores tenebrarum harum: aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Iſti ſedent & explorant qui iuſtus ſit in hoc ſæculo, qui Chriſtianus intẽtè Deo ſeruiat, ſtudioſus boni operis & facti: decertant de eo, dicẽtes, Inſidiemur illi, impediamus eum, prohibeamus eum efficere quæ deſiderat: conteramus eius mentem: frangamus eius animum aduerſitatibus frequentibus & repentinis. Et ſi Deo probatus eſt propter iuſtitiam, rogemus dari nobis tentationes eius, &c. Sed contra hos remedium eſt exerceri in iuſtificationibus Dei, vt ſtatim eſt dictum.

*Chriſtus ante principes fuit ...*

*Matt.14.*

*Martyres ante principes ... fuerũt.*

*Diabolus iuſtis ĩpugnat.*

*Epheſ.6.*

## Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ. 2099

Hic petit octauum: ſcilicet contra labores patientiam. Dum enim perſecutores ſæuiebant in martyres, & iſti patienter tolerantes orabant pro ipſis, ſequentes conſilium Chriſti dicentis, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Iſti enim meditabantur teſtimonia Chriſti: id eſt martyria ipſi illata, & Chriſti conſilium quo iuſtificari poſſent, ſcilicet orando pro inimicis, conſeruabant. Et hoc eſt quod ait, *Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt.* Vnde Auguſt. hunc locum exponens ait, Recole teſtimonia eſſe martyria. In iuſtificationibus autem domini recole nullam eſſe difficiliorem & mirabiliorẽ, quàm vt ſuos quiſque diligat inimicos. Sic ergo exercebatur corpus Chriſti: ſc. eccleſia, vt martyria eius meditaretur & diligeret eos à quibus perſequebatur: & propter ipſa martyria patiebantur perſecutiones. Non enim pro ſe, ſed potius pro perſecutoribus orabat: dicens, *Aufer à me opprobrium & contemptum.* propter quod & dicit, *Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meũ iuſtificationes tuæ.* Vide conſilium contra conſilium. Nam conſilium ſedentium principum, fuit inuẽtos martyres perdere: conſilium patientium martyrum, fuit inimicos perditos inuenire. Reddebãt illi mala pro bonis: iſti, bona pro malis. Quid ergo mirum ſi illi occidendo defecerunt, & iſti moriẽdo vicerunt? Quid (inquam) mirum ſi martyres ſæuientibus gentibus temporalem mortem patientiſſimè pertulerunt, & gentes martyribus orantibus ad æternam vitam peruenire potuerunt, dum corpus Chriſti ſic exercetur, vt & martyria meditetur, & malis martyrum perſecutionibus bona precetur? Aliter autem iſtum textum deducit Ambroſ. vt ſcilicet per hoc oſtendatur, quòd cõſilium iuſti, eſt pręcepta Dei meditari, & operibus Deum oſtendere iuſtum. Vnde hic dicit Ambroſius, *Etenim teſtimonia tua.* Aduerte quid doceat: quòd hæc debeant eſſe conſilia iuſti, vt meditetur mandata Dei, & exerceatur in Dei laudibus & oraculis, vt iuſtificet Deum ſemper. Qui facit quæ Deus mandat, qui Deo credit placere, iuſtificat Deum. Quod ex euangelio poſſumus colligere, quia Phariſæi ſpreuerunt conſilium Dei: non baptizati baptiſmo Ioannis. In alio verò loco habes, Non iuſtificauerunt Deum qui baptizari noluerunt. Ideo dominus ad Ioannem dicẽtem, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondit, Sine modò: ſic decet nos implere omnem iuſtitiam. Qui ergo facit mandata Dei, iuſtificat Deum, quia facit eius iuſtitiam.

*Teſtimonia Chriſti ſunt martyria.*

*Matth.5.*

*Deus iuſtificatur à nobis, dum facimus quæ ipſe mãdat.*

*Matth.3.*

*Conſiliū Dei certū manet, noſtrum autē incertum.*

tiam. Et bonum eſt vt conſilium Dei ſequantur hominum conſilia, quia Dei conſilium eſt certum ſemper, noſtra autem, plerumque incerta conſilia: quod rerū probat euētus. Et ideo ſcribitur Pſal. 32, Dominus diſſipat conſilia gentium: conſilium autem domini inæternum manet.

2100 ADhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundum verbum tuum.

Daleth

Hic incipit quartus octonarius, cui præmittitur pro titulo quarta litera alphabeti Hæbraici: ſcilicet daleth. Vbi aduertendum, quòd quamuis quis in hac vita diſponatur ad Deum, vt Dei mandata cuſtodiat, & ab omni offenſa Dei caueat: tamen quamdiu eſt in præſenti vita, ſemper manet in dubio, quia anima coniuncta cum carne, ſemper impugnatur à carne. Et niſi gratia Dei adiuuetur, meritò caſum à gratia debet timere. Et de iſto timore hic agit Pſalmiſta in iſto octonario: petēs vt per Dei gratiam ſic roboretur, vt pondus carnis portet ſine culpa. Iſtud autem carnis pondus dupliciter auferri poteſt: ſcilicet per ſeparationem animæ à corpore: & hoc hic non poſtulat. alio modo, per augmentationem virtutis. ſicut ſi quis magnum pondus ferret, ſub quo ſic premeretur quòd meritò de caſu dubitaret. pondus enim ſibi poteſt dupliciter mitigari: ſcilicet vel ipſum pōdus ſe diminuendo, vel virtutem portantis augendo. Sic enim poteſt augeri virtus portantis, quòd leuiter illud onus in ſe non diminutum portaret. Et ſic de pondere carnis ipſi animæ, quoniam, vt dicitur Sapiē. 9, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Quę ponderis grauitas alleuiatur, fortificando ipſam animam: licet pondus in ſe non diminuatur. Et hoc fit per augmētum gratiæ, qua ipſa anima fortificatur. Et hoc eſt quod dicebat Apoſtolus ad Rom. 7, Infelix homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? id eſt, à grauitate ponderis eius. Et reſpondet, Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Sic ergo in toto iſto octonario quarto timens huius oneris grauitatem ne ſuccumbat, petit gratiam Dei ipſum fortificantem. Et ideo huic octonario præmittitur quarta litera: ſcilicet daleth, quę timor interpretatur. Vel ſecūdum alios interpretatur natiuitas, quod etiā timori cōpetit. Natiuitas hic intelligitur nō ſpiritualis, ſed temporalis: quæ ſcilicet eſt eorū quæ in hoc ſæculo grauātur, quę ſunt corporalia & caduca: ex qua natiuitate timor generatur. Et hoc hic Pſal. deplorat. In iſto ergo octonario cōtra periculū & timorē cadēdi ex onere carnis, diuinę gratię auxilium petit. Et diuiditur iſte octonarius in octo partes, ſecundum quòd circa iſtam materiam Pſal. octo facit: quoniam ab ipſo primò periculum quare timet explicatur, in principio: ſecundò peccatum ne impugnet confitetur: ibi, *Vias meas*: tertiò agendorum cognitio poſtulatur: ibi, *Viam iuſtifica*: quartò ne cadat confirmatio imploratur: ibi, *Dormitauit*: quintò gratia qua confirmetur peroptatur: ibi, *Viam iniquitatis*: ſextò Chriſtus, vt omnis boni fundamentum ſituatur: ibi, *Viam veritatis*: ſeptimò omnia vana mundi abnegantur: ibi, *Adhæſi*: octauò omne bonum Chriſti gratiæ imputatur: ibi, *Viam mandatorum*. Primò ergo Pſal. periculum quare timet explicat: dicens, *Adhæſit pauimento anima mea*. Vbi nota quòd periculum quo iuſtus in vita iſta timet cadere, eſt maximè carnis vel mundi

*Corpus aggrauat animam.*

impugnatio: quia concupiſcētia carnis contra ſpiritum nos impingit ad lapſum, & ſimiliter amor rerum temporalium. Vnde ſecundum iſta iſte verſus exponitur dupliciter: ſecundum quòd per pauimentum duo intelligūtur: ſcilicet corpus noſtrum, & ipſe mundus. Primò ergo per pauimentum corpus noſtrum, quia pauimentum domus dicitur terra. Cùm ergo corpus noſtrum ſit de terra, rectè pauimentum dicitur: cui adhæret anima quamdiu manet in hac mortali vita. & inde contrahit periculum caſus. Vnde iſtum paſſum exponēs hic Auguſt. dicit, Corpus ipſum quia de terra eſt, non abſurdè pauimentum intelligitur: quod ad hoc quia corruptibile eſt aggrauat animam. Vnde rectè in illo ingemiſcitur & dicitur Deo, *Adhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundum verbum tuum*. Neque enim ſemper cum corporibus noſtris, ſed cum domino erimus. Sed tunc quia non erunt corruptibilia corpora, non aggrauabunt animas. Et ſi diligenter conſideramus, tunc non corporibus nos, ſed potius ipſa nobis adhærebunt: nos autem Deo. Vnde adhæſio iſta de qua dictum eſt, *Adhæſit pauimento anima mea*, non eſt cōiunctionis carnis & animæ: licet carnalem magis animæ affectum quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum ſanctificare videtur. Et ideo qui dicit, *Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me*, &c. non illud orat, vt de corpore mortis huius, corporis morte interueniēte ſoluatur: quod dies vltimus huius vitæ facturus eſt: ſed orat vt cōcupiſcentia carnis qua concupiſcit aduerſus ſpiritum, magis magiſque minuatur: & concupiſcentia qua concupiſcit aduerſus carnem, magis ac magis augeatur, donec iſta conſumatur in nobis, & illa conſumetur per ſpiritum, qui datus eſt nobis. Vnde & bene ait, *Viuifica me ſecundum verbum tuum*: & non dixit, ſecundum meritum tuum. Quid enim eſt aliud dicere, viuifica me ſecundum verbum, niſi ſecundum promiſſum, id eſt, viuifica me per Chriſtum promiſſum, qui eſſet verbum tuum: ſecundū illud quod habetur ad Hæbr. 1. quia eſt portās omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorū faciens. Vel aliter: vt per pauimentum, quod eſt terra, ipſe mundus intelligatur, vel omnia temporalia. Et tunc adhæret pauimento anima, quando per amorem in iſtis rebus temporalibus delectatur. Et tunc vocatur mortua, quia vt hic dicit Auguſt. adhærere terrenis, mors animæ eſt. Contra quod malum orat: dicens, *Viuifica me*. Et hanc expoſitionem ponit Ambroſ. dicens, Per pauimentum intelligimus terram: per terram, materialia. Peccatori enim dictum eſt, Terra es, & in terram ibis: eo quòd diuinis mandatis inhærendum non putauerit, ſed in rebus materialibus temporalibus deflexerit: cui impreſſa fuit vitæ huius ſecularis delectatio. Denique eiectus à paradiſo, homo eſt exilio ſubiectus. Ex illo ergo eminenti loco deiectus in terram deplorat Adam: dicēs, *Adhæſit pauimento anima mea*. Sicut & alibi ait, Humiliata eſt in puluere anima mea: & adhæſit in terra venter meus. Hæc ergo vox eſt agentis pœnitentiam: qui meminit ſe adhærentem Deo, nec potuiſſe diſcernere. Quod non ſentiebat & Paulus, vtrum in corpore vel extra corpus eſſet. Itaque infirmitatem pigritiamq; corporis minimè ſentiebat, cui domini adhærebat præſentia. Loquatur ergo Adam: dicens, *Adhæſit pauimento anima mea*: quia antè beatiſſimus auram carpebat æthereā: nunc curas vitæ huius, luxuriæ ſtudio, pecuniæ cupiditate curuatus, vt vulpium foueis

*Pauimentum dicitur corpus noſtrum.*

*Sapien. 9.*

*1. Cor. 15.*

*Gala. 5.*

*Viuifica me ſecundum verbum Dei, nō per meritum noſtrum.*

*Pauimentum dicuntur omnia temporalia.*

*Adhæret mundo peccator.*

*Pſal. 43.*

*Mundus & caro noſtri pit vt matrix.*



ueis ſe inferat, latibuliſq; terreſtribus. Meritò adhærebat pulueri qui ſe leuare nō poterat: niſi eum ſupra crucem ſuam leuaſſet Chriſtus. Meritò adhęrebat pauimento qui ſe abſcondebat à Chriſto. Non adhæret pauimento cui dixit Ieſus, Sequere me. Non adhæret pauimento qui audit & ſequitur legem dicentem, Qui adhæret meretrici, vnū corpus eſt cum ea: & qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. Terra iſta quam gerimus meretriciis quibuſdam illecebris nos capit, & quaſi vultus quoſdam voluptatum corporaliūmq; delectationum fucis illinit: vt lateat in his veritas, & forenſi quadam ſpecie decipiat appropinquātes. Sed cùm interiorem oculum mentis ad tempus abduxerint, poſtea tamen depulſo velut quodam puluere voluptatum huiuſmodi de corpore, quàm ſit inanis gloria ſæculi huius aut corporis, facilè deprehenditur. Bonum eſt igitur adhærere Deo, nec inflexā ceruicem habere ad iugum mundi: dicēte ſcriptura, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo ſpem meam.

*1. Cor. 6.*

*Pſal. 72.*

1101 Vias meas enunciaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.

Hic facit ſecundum: ſcilicet peccatum ſuum confitetur, ne impugnetur ab ipſo. Vbi ſciendum, quòd adhærenti pauimento ſuæ carnis vel mundi, ſi ab hoc pauimento ſe vult excludere, & Deo adhærere, duo habet facere: primum cōmiſſa peccata per confeſſionem delere: ſecundum, omiſſa bona per exercitationem bonorum operum perficere. Quæ duo hic ponit Pſal. primum dicens, *Vias meas enunciaui*: ſecundum, dicēs, *Doce me iuſtificationes tuas*. Primò ergo confeſſionem peccatorum commiſſorum præmittit: dicēs, *Vias meas enunciaui*. Quid enim ſunt viæ hominum, niſi propriam voluntatem facere, ſecundum carnem viuere, voluptatibus mundi inhærere? Has ergo vias confitetur, dicens, *Vias meas enunciaui*. Vnde hoc exponens hic Auguſt. dicit, Nam multi codices habent, *Vias tuas enunciaui*: ſed plures, & maximè Græci habent, *Vias meas enunciaui*. Hoc ergo videtur mihi dicere: Vias meas, ſcilicet malas, enunciaui. Hoc eſt peccata mea cōfeſſus ſum. *Et exaudiſti me*: hoc eſt dimiſiſti ea. Primò ergo peccata confitetur: ſecundò iuſtificationes Dei facere optat. Vnde hic Ambroſ. ait, *Vias meas enūciaui*, &c. Pulchro ordine ad iuſtificationes Dei Pſal. perueniendum eſſe putat: vt primùm ſua peccata fateatur. Sic etenim alibi docemur, Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Itaque ſcire debemus quid ſit vias ambulare hominum, & quid, vias Dei. Qui facit voluntates carnis, & viuit ſecundum cōcupiſcentiam huius mūdi, vias ſuas ambulat, quibus delectatur & gaudet: qui autem venit voluntatem facere patris ſui qui in cœlis eſt, cuius cibus eſt vt mandata Dei compleat, qui nō quærit quod ſibi voluptatis ſit, ſed quod placeat Deo: ille vias domini pergit, illam viam quæ ait, Ego ſum via, veritas & vita. Vides ergo quòd ille viuit ſecūdum verbum Dei, qui viam ambulat Chriſti. Ipſe etiam dominus in Deuteronomio docet quomodo ambules vias eius, dicens, Et nunc Iſrael, quid dominus Deus petit à te, niſi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & ſeruias ei ex toto corde tuo, & cuſtodias mandata & iuſtitias eius? Liquet ergo alias vias eſſe carnis, & alias Dei. Et ſi quis cupit ambulare vias Dei: ei priùs vias carnis & corporis & ſæcularis ſapientiæ

*Viæ hominū peccata.*

*Viæ hominis quæ ſint, & quæ Dei.*

*Ioan. 14.*

*Deut. 10.*

eſſe deſerendas. Et has relinquens Pſal. pronunciat & apud dominum non tacet: confitetur errores, non negat lapſus. Cuius ſimile alibi dicitur, Annunciabo aduerſum me iniquitatem meam domino. Si enim accuſauerit ſe iuſtus, vocem parati accuſatoris exaudit: qui ſolet coaceruare peccata, & vniuſcuiuſque exaggerare flagitia. Obſtruit ergo os eius ipſe qui de ſe fuerit ante confeſſus, & præſtirit veniam confitentis verecundia: excuſat reum pudor ſuus, accuſat auctorem. Qui enim delicta ſua non tacuit, videtur in ſe doluiſſe quod fecit: in diabolo prodidiſſe quod ſuaſit. ideo ait ſcriptura, Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Qui ſe accuſat, etſi peccator ſit, iuſtus eſſe incipit, quia nec ſibi parcit: & Dei iuſtitias cōfitetur, quem putat nihil latere poſſe. Vtinam Adam ſe priùs accuſare quàm celare voluiſſet. Sed non ſatis eſt vt confiteamur errare, verumetiam ſi corrigi volumus à domino, poſtulemus vt doceat nos iuſtificationes ſuas, ne poſtea errare poſſimus. Vnde ſequitur, *Doce me iuſtificationes tuas*. Et hoc eſt ſecundum: quia poſt peccatoris confeſſionem bona opera debet facere. vnde dicit Deo, *Doce me iuſtificationes tuas*. Quaſi dicat, Confeſſus ſum vias meas, deleſtieas: doce me tuas. ſic doce vt agam, non tantummodo vt ſciam quid agere debeam. Vt enim dictum fuit ver. 2097. ſcire eſt duplex, ſcilicet, ſpeculatiuum & practicum. Hic ergo petit doceri practicè, non tātùm ſpeculatiuè. Vnde hic Auguſt. Doce me vt agā, non ſolùm vt ſciam quid agere debeam. Sic enim dictum eſt de domino, quòd peccatum non nouit, id eſt non fecit: & iuſtitiam ille verè dicendus eſt noſſe qui facit.

*Confeſſionis vtilitas.*

*Pſal 31.*

*Prouer. 18.*

*Scire quādoque idem eſt quod facere, & neſcire idē quod non facere.*

Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. 2102

Hic poſtulat tertium, ſcilicet cognitionem mandatorum. Et attende quòd differt hoc quod hic dicit, *Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me*, ab eo quod ſtatim dixerat, *Doce me iuſtificationes tuas*. Nam aliud eſt ſcire quod quis debet agere: & aliud eſt ſcire ordinem quo illud agere debet. Ordo enim in qualibet re neceſſarius eſt: & bona agere præpoſterè vicioſum eſt. vt poſito quòd noueris quòd oportet de peccatis conteri, & confiteri, & ſatisfacere: ſic quòd cōtritio præcedere debet vt ſequatur cōfeſſio: & poſt confeſſionem ſatisfactio. Si autem velis agere præpoſterè: vt primò confiteri, & poſtea pœnitere: iam bonum feciſti, ſed non bene. Sic & in propoſito: aliud eſt ſcire iuſtificationes Dei quas agere debes, & aliud ſcire ordinem quo illas debes facere. In præcedenti ergo verſiculo quæſiuit primum: dicens, *Doce me iuſtificationes tuas*. Hic verò petit ſecundum: dicens, *Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me*. Et ad iſtum intellectum hic loquitur Ambroſ. dicēs, *Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me*, &c. vide ordinem. Prius enim eſt vt diſcamus domini iuſtificationes, deinde vt gradus quoſdam iuſtificationum & ordinem nouerimus: ſcilicet quid priùs, quid ſequens eſſe debeat. Nam ſcire quid facias, & ordinem neſcire faciendi, non eſt perfectæ cognitionis: offendunt plerunque præpoſtera. Vt denique iuſtus eſt qui ſe in exordio ſermonis accuſat: iniuſtus autem quid quod prius negauerat, poſtea confitetur. Ille verecūdiæ inuenit gratiam: hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorantia

*Aliud eſt ſcire bona quæ debes facere: aliud ſcire ordinē quo facere debemus.*

rantia conturbat negociationem formámque meritorum. Ille autem qui didicerat primò myſteria Dei, deinde ordinem myſteriorum: exercetur in mirabilibus Dei. Aliter autem iſtum verſum cum pręcedente diſtinguit Auguſt. hic: dicens, Suprà dixit Pſal. *Seruus autē tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.* non ergo illas in quibus exercebatur à domino diſcere cupit, ſed ab iſtis ad alias proficiendo: velut creſcendo deſiderat peruenire: cùm dixit, *Doce me iuſtificationes tuas.* Nunc quoque adiungit: dicens, *Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis*: ipſas iuſtificationes ampliores quas proficiendo cupit apprehendere, mirabilia Dei vocat. Sunt enim quædam iuſtificationes Dei ita mirabiles, vt humana infirmitas ab eis qui experti non ſunt, non ad eas poſſe peruenire credant. Iſte autem vt ad eas peruenire poſſit, in eis exerceri cupit, vt per exercitium ad illas paulatim aſſueſcat. Sicut iuſtificatio Dei eſt, mūdum totaliter deſerere, carnem totaliter ſpiritui ſubdere, inimicos plenè diligere. Ad iſtas enim mirabiles iuſtificationes homo non ſubitò, ſed paulatim ſe in illis exercendo aſſueſcit & proficit. Sicut ille qui cum aliquo luctari debet, primò exercet membra ſua diutius, vt aſſueſcat & roboretur. Vel per mirabilia Dei intellige ſecreta myſteria, quæ latent in figuris ſanctarum ſcripturarum: quæ quaſi tot ſacramenta continent quot verba.

## 2103 Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Hic quærit quartum: ſcilicet in bono confirmationem. Vbi notandum quòd homo componitur ex duabus ſubſtantiis contrariis: ſcilicet corpore & anima: quæ ſibi inuicem repugnant, dum ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem: & econtrario. Et ſic in dormitione & vigilia ſibi opponuntur, quia quando anima vigilat ad Deum, tunc dormit mundo: & econtrario. Tunc autem anima vigilat Deo, quando verè eſt memor Dei & mandatorum eius. Tunc autem dormit Deo, quādo obliuiſcitur eius. Similiter anima tunc dormit mundo, quando obliuiſcitur mūdi: tunc autem vigilat mundo, quando mundum diligit, & ea quæ ſunt mundi. Ad propoſitum ergo: ille qui vult diſcere iuſtificationes Dei, & cognoſcere cœleſtia, intendere debet ne ipſius anima in mundo delectata vigilet mundo: ſed magis vt in Deo delectata vigilet ad Deum. Multoties autem quis contemplatione diuinorum, vel exercitio fatigatus atque faſtidio, dormitat ipſis diuinis. Et hoc in ſeipſo Pſal. ſentiens, dicit, *Dormitauit anima mea præ tædio.* Et attende quòd non dicit dormiuit: quia dormiens anima Deo, totaliter vigilat mundo: ſed dicit, *dormitauit.* Dormitare enim eſt quidam leuis ſopor ſomnum præcedens. Tunc ergo anima dicitur dormitare, quando fatigatione vel tædio inducitur ad mundum diligendum: ſed tunc dormit, quando diligit. Vnde hic ait Ambroſ. Perfectus non dormitat, cuius animus diuinis intendit myſteriis. Denique alibi Pſal. dicit, Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, ſed vigilat ſemper: & ſi caro dormit, cor vigilat. Non ergo dormiebat qui templum condere cogitabat, exędificatione verborum cœleſtium, nō lapidum. Verbum enim Dei, repulſiuum eſt tædiorum: quo ſomnus animæ ſopor mentis expellitur. Ex triſtitia enim & ſolicitudine ſęculariū ſomnus irrepit. Qui autem adhæret Deo, curarum fugiens voluptatem, voluptatem capit cognitionis æternæ, nullam ſibi mutationem rerum ſicut ſæcularium pertimeſcens. Qui facilioribus igitur laborum vtuntur compendiis dormitari dicuntur: qui autem grauioribus, dormire. Et ideo Pſal. ne de dormitatione ad dormitionem deſcendat, in bono confirmari à Deo poſtulat: dicens, *Confirma me in verbis tuis.* Vbi Auguſt. ſic dicit, *Confirma me in verbis tuis*, ne ab eis quoque ad quæ iam me perueniſſe ſentio, decidam dormitando. Confirma itaque me in eis verbis tuis quæ iam teneo, quæ iam facio, vt ex illis ad alia poſſim proficiendo protendere. Et nota quòd confirmat Deus iuſtos multipliciter. vide ver. 1078.

*Dormit corpus anima vigilante: & econtrario.* — *Pſal. 131.* — *Confirmat Deus iuſtos multipliciter.*

## 2104 Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miſerere mei.

Hic poſtulat quintum: ſcilicet gratiam qua in in bono cōfirmetur. Vbi nota quòd duplex eſt lex: ſcilicet, lex factorū: vt lex vetus quæ præcipiebat fienda & cauenda: ſed illa non iuſtificabat. Et eſt lex fidei, quę iuſtificat credentes. Et iſta eſt lex euāgelica, quæ miſericordiam reo præbet: dicens, Vade, & amplius noli peccare. Hanc ergo gratiam fidei, quæ commiſſa delet peccata, & adiuuat vt futura vitentur: hic Pſal. inuocat: dicens, *Viam iniquitatis amoue à me*: quo ad primum: & quo ad ſecundum, *in lege tua miſerere mei.* Dicit ergo primò, *Viam iniquitatis amoue à me*, id eſt, peccata amoue à me. Quid enim impedit ambulare in via iudiciorum Dei, niſi peccata? Non enim in ſimul poteſt quis viā iniquitatis ambulare & veritatis. Ideo vt in via ambulet veritatis, viam abnegat iniquitatis: dicens, *Viam iniquitatis amoue à me.* Et aduerte quòd non dixit, Amoueam me à via iniquitatis: ſed *viam iniquitatis amoue à me*: quaſi via iniquitatis in nobis ſit, & non ineſſe videatur. Quamdiu enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interius manet & non recedit à nobis: vt hic ait Ambroſ. Ideo ſtudioſè agamus vt eam à nobis ſeparemus. Sed quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæſit humanis, opus eſt liberantis auxilio. Precare ergo tu & dicito, Infelix homo: quis amouebit à me viam iniquitatis? Gratia Dei per Chriſtum dominum noſtrum. Et pulchrè dixit, *viam iniquitatis*, non iniquitatem: eo quòd non quaſi naturalis ſit iniquitas in nobis, ſed quia malorum poſt peccata currentium ſit attrita veſtigiis. Sequitur, *Et de lege tua miſerere mei.* Sed de qua lege miſericordiam ſibi poſtulat? Certè non de lege factorum, quæ ſubintrauit vt abundaret delictum: ſed de lege fidei. In lege enim factorum eſt Dei iubentis iuſtitia: in lege autem fidei eſt Dei ſubuenientis miſericordia. Et notat hic Ambroſ. quòd ſola illa vocatur miſericordia, quæ de lege procedit. vt puta, quando miſeretur cui miſerendum eſt: & non miſeretur cui non eſt miſerendum. Quando dimittitur quod dimittendum eſt: & quod dimittendum non eſt, non dimittitur. Vnde hic ait Ambroſ. Lege miſeretur qui cum iuſtitia ſapientiáque miſeretur: vt ſcilicet dimittat quæ ſcit iure poſſe dimitti; ne cum alterius miſeretur, ſeipſum faciat legis obnoxium. Agag poſtquam miſerationi donatus eſt, fecit peccare Saul. Peccauit enim in ipſa miſericordia: & non peccauit poſt miſericordiam. Conſideremus etiam ne & ipſum deteriorem faciamus, cui miſeremur iniuſtè. Plerumque enim non coercere delinquentes, maioris auctoritatis eſt, quàm ſi vlciſcaris.

*Ioan. 8.* — *Rom. 7.* — *Miſericordia quid ſit.* — *1. Reg. 15.*



caris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, cū qui aliquid inhoneſtum commiſerint, nullū culpæ precium ferunt. Denique eos qui cognitorem Deum ſuorum ſcelerum non putabant, & quaſi ſine lege & ſine iudice viuebant: tradidit eos Deus in reprobum ſenſum: quia elegerunt viam iniquitatis. Ex quibus vult habere Ambroſ. quòd nō omnibus eſt miſerendum, ſed de lege, id eſt, ſecundum dictamen legis, & rectæ rationis.

*Rom. 1.*

## 2105 Viam veritatis elegi: & iudicia tua non ſum oblitus.

Hic ponitur ſextum, quia Chriſtus vt omnium bonorum fundamentum ſituatur. Chriſtus enim ſpiritualis hominis eſt fundamentum, præter quod aliud nemo ponere poteſt: dicēte Apoſtolo 1. Cor. 3, Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus. Ipſe autem Chriſtus via veritatis dicitur: quinimo via & veritas. Quid eſt ergo viam veritatis eligere, niſi fundamentum omnium ſuarum cogitationum, voluntatum & operum Chriſtum ſibi ſtatuere? In hac via veritatis ſine offendiculo currere potes: nō autem in via mundi quæ laqueis eſt plena. Et ſic dicere, *Viam veritatis elegi*: nihil aliud eſt dicere, quàm elegi mihi Chriſtum, qui eſt via, veritas & vita. O quàm pauci hoc poſſunt dicere: quia plures viam vanitatis, viam voluptatis vel ſuperbiæ ſibi eligūt, quàm viam veritatis. Vnde hic Ambroſ. ait, *Viam veritatis elegi*: hoc auarus dicere non poteſt, qui ſecularia & materialia concupiſcit. Non poteſt hoc dicere qui negociatur. Non eſt enim via veritatis, habendi ſtudium, cupiditas poſſidendi. Quomodo eſt via veritatis, cum ille diues in ſæculo nequeat ſecum ſuas transferre diuitias: & incipiat mēdico illo Lazaro egentior eſſe poſt mortem? Non eſt via veritatis, honor ſæculi, ſollicitudo mundi. Deniq; qui viam veritatis elegit, paulo pòſt dicit, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Vanitas temporalium eſt veritas æternorum. Si volumus ergo ambulare viam veritatis, peregrinemur ſæculo magis quàm Deo: & ambulemus per fidē. Qui enim per fidem ambulat, Deo præſens eſt: qui ambulat per ſpeciem, adeſt ſæculo, & peregrinatur à domino: ſed hic citò confunditur. Quid autem ſic per viam veritatis ambulare nos faciat, maximè eſt memoria iudiciorum Dei: quæ ſemper in Dei timore faciunt hominem eſſe, ſiue proſpera ipſum ſequātur, vel aduerſa. quia quandoque occulto iudicio proſpera hic dantur bonis, quandoque malis: ſimiliter & aduerſa quandoque malis, quandoque bonis. Et aduerſa quādoque feriunt bonos, & proſpera eleuant malos. Econtra autem quandoque proſpera bonos ſequuntur, & aduerſa feriunt malos. Quis enim iſta cogitando, à timore Dei recedat, ſiue in proſperitate ſit, ſiue aduerſis feriatur? Qui autem timori diuino ſubditur, viam ambulat veritatis. Et hoc notans Pſal. dicit, *Viam veritatis elegi.* Et motiuū adiungit: dicens, *Et* (pro quia) *iudicia tua non ſum oblitus.* Et aduerte mirabilia iudiciorū Dei, quæ per viam veritatis nos ambulare faciunt. Nam vt dicit Gregor. 5. li. moral. c. 1. Cum valde occulta ſint diuina iudicia, cur in hac vita nonnunquam bonis malè ſit, & malis bene: tunc tamē occultiora ſunt, cum hic bonis bene eſt, & malis malè. Nam cum bonis malè eſt, & malis bene, hoc fortaſſe facilè deprehenditur; quia & boni ſiqua deliquerūt, hic recipiunt mala, vt ab æterna damnatione plenius liberentur: & mali bona quæ pro hac vita faciunt, inueniunt, vt ad ſola in poſterum tormēta pertrahantur. Vnde & cadenti in inferno diuiti dicitur, Memento fili quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris. At cum bonis bene eſt, & malis malè, incertum valde fit vtrum boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius creſcant, an iuſto latentiq; iudicio hic ſuorum operum remunerationem percipiant, vt à præmiis vitæ ſequētis inaneſcāt. Et vtrum malos idcirco aduerſa feriant, vt ab æternis ſuppliciis corrigentia defendant, an hic eorum pœna incipiat, vt quandoque complenda eos ad vltima gehennæ tormenta perducat.

*Iniquitatem ... [viam] ... eſt.* — *Iudiciorum Dei conſideratio nos dirigit ad Deum.* — *Iudicia Dei ... cultio ... quādo bonis bene eſt, malis malè, ... quando bonis malè, malis bene.* — *Luca 16.*

## 2106 Adhæſi teſtimoniis tuis domine: noli me confundere.

Hic ponitur ſeptimum, vbi omnia vana abnegantur. Quid enim eſt adhærere teſtimoniis Dei, niſi fideliter Deo credere: & credendo mandata Dei cuſtodire, & omnibus ſpretis tēporalibus etiā corpus ſuum pro Deo morti tradere? Nam (vt dictū eſt ſuprà ver. 2097.) teſtimonia Dei ſunt martyria. Adhæret ergo teſtimoniis Dei qui martyrium acceptat pro Chriſti nomine. Et talis non confunditur finaliter, ſed exaltatur ad regnum. Vnde notandum quòd ſicut arbor adhærens terræ à qua trahit humorem, viuit, roboratur & creſcit: ſi autem adhærere terræ deſinat, & ſeparetur à terra, ſtatim vigor eius deficit & moritur: ſic ſpiritualiter eſt de nobis. quoniam quilibet homo Deo per fidem adhærere debet, ipſi credere, ipſi obedire. & hæc adhærentia vitam ſpiritualem tribuit: à qua ſiquis recedat, ſtatim mortificatur & cōfunditur. Et hoc eſt quod Deut. 4. dicitur, Vos qui adhæretis domino Deo veſtro, viuitis vniuerſi. Et aduerte mirabile, quòd in hac adhæſione fortiores ſunt viris mulieres, & peritis ſimpliciores, quod maximè tempore Chriſti paſſionis patuit. Quod pulchrè deducit Greg. exponens illud Iob 19, Pelli meæ cōſumptis carnibus adhęſit os meū. dicēs, In oſſe fortitudo, in carnib[9] verò infirmitas corporis deſignatur. Quia igitur Chriſtus & eccleſia vna perſona eſt, quid per os niſi ipſe dominus deſignatur? Quid per carnem, niſi diſcipuli, qui paſſionis tempore infirma ſapuerunt? Per pellem verò quæ exterior carne manet in corpore, quid niſi illę ſanctæ fœminæ deſignantur, quæ ad pręparanda ſubſidia corporis, exterioribus domino miniſteriis ſeruiebant? Nam cùm eius diſcipuli, quāuis needū firmæ veritatis fidem populis prædicarent, oſſi ſuo adhærebāt carnes. Et cū ſanctæ mulieres ea quæ neceſſaria erāt exteriora præpararent, quaſi pelles extrinſecus manebāt in corpore. Sed cū ad crucis horam ventum eſt, eius diſcipulos grauis ex perſecutione Iudæorū timor inuaſit: fugerunt ſinguli, mulieres adhęſerunt. Quaſi ergo cōſumpta carne, os domini pelli adhæſit: quia fortitudo eius paſſionis tempore fugiētibus diſcipulis iuxta ſe mulieres inuenit. Stetit equidem aliquādiu Petrus: ſed tamē pòſt territus negauit. Stetit etiam & Ioannes cum ipſo: cui crucis tempore dictum eſt, Ecce mater tua: ſed perſeuerare minimè potuit, quia de ipſo ſcriptū eſt q̄ adoleſcēs quidam ſequebatur eū amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerūt eū: at ille reiecta ſindone, nudus profugit ab eis. Quia etſi poſt, vt verba ſui redemptoris audiret, ad horā crucis rediit, prius tamē territus fugit. Mulieres autē nō ſolū nō timuiſſe nec fugiſſe, ſed etiā

*Adhærere Deo per fidē.* — *Adhæſerunt fortius mulieres Chriſto quā eius diſcipuli.* — *Greg. l. 4. mor. cap. 25.* — *Io. 19.* — *Mar. 14.*

*Iob 19.* vſque ad ſepulcrum ſtetiſſe memorantur. Dicit ergo, Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meũ. Hoc eſt, illi qui meæ fortitudini propinquius adhærere debuerunt, paſſionis meæ tempore conſumpti ſunt. Et eas quas ad exteriora miniſteria poſui, in paſſione mea ſine formidine adhærere mihi fideliter inueni. Pſalmiſta ergo in perſona fidelis eccleſiæ fideliter adhærentis Deo, dixit, *Adhæſi teſtimoniis tuis domine: noli me confundere.* Quaſi dicat, Cæteris omnibus ſpretis, tibi fideliter credidi: & per amorem tibi fideliter adhæſi. Vnde Ambroſ. iſta verba pertractans, dicit, *Adhæſi teſtimoniis tuis domine,* &c. Adhæret teſtimoniis domini, qui eius mandata non reſpuit, iudicia non obliuiſcitur, nec ſuis indulget voluptatibus. Qui adhæret domini teſtimoniis, renũciat mundo, poſteriora obliuiſcitur, ad priora contendit, vt perueniat ad brauium, quod eſt inſigne victoriæ. Non ergo confunditur, quem mundi huius illecebroſa non ceperint. Non confunditur, etiamſi erubeſcenda commiſerit, qui veniam delictorum poſcit à Chriſto. Ideóque reſpondetur ei, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua: vade in pace. Sed ita non confunditur, ſi fuerit in eo operata peccatorum remiſſio; vt non ſolũ peccata, ſed etiam affectum peccandi auferat, iuſtitia remittat iniquitates, fortitudo timores, temperantia impuritates: vt non ſolum temporalis, ſed etiam perpetua fiat peccatorum remiſſio. Intret ergo in animã tuam Chriſtus: habitet in tuis Ieſus mentibus: vt in tabernaculo virtutis peccato locus eſſe nõ poſſit. Iſtum etiam paſſum ad idem Glo. exponit: dicens, *Adhæſi teſtimoniis* &c. Adheret teſtimoniis Dei, qui mundo renunciat, qui curam huius vitæ & tędia ſpernit, qui luxuriæ ſtudio ac pecuniæ cupiditate non curuatur. Et talis Deo liberè dicit, *Noli me confundere.* Quaſi dicat, Sed fac vt quò curro pertẽdam: quò tendo perueniam. Et aſſecuratus dicit, Non confundar domine, quoniam inuocaui te.

*Adhærens Deo omnia vana relinquit.*

*Adhærens Deo non confunditur.*

*Lucæ 7.*

2107 Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.

Hic ponitur octauum: quia ſcilicet omne bonũ à Chriſti gratia recognoſcit: ſciens quòd per ſe viã diuinorum mandatorum currere non poteſt, niſi gratia Dei cor ſuum dilataſſet. Vbi ſciendum, quòd cor noſtrum dilatatur per lætitiam & aperitur: etiã per triſtitiam, ſecundum naturales conſtringitur. Cor enim ſecundum Auicen. 3, canon. nutritur cũ ſuis virtutibus naturalibus ex ſua dilatatione. quia quando dilatatur, attrahit ad ſe ſanguinem: & quãdo conſtringitur, ipſum expellit. Sanguis autem eſt cordis nutrimentum. Et ideo ex dilatatione nutritur & viuit, ſed ex conſtrictione deficit. Illa igitur quæ inducunt in nobis cordis lætitiam, ipſum cor habent dilatare. Sed quæ maior lætitia poteſt eſſe iuſtis, quàm videre ſeipſos ſic gratia Dei roboratos, vt pro Chriſto ſint parati omnia mundi delectabilia ſpernere: & mundi aſpera etiam & mortem ardenter appetere, patienterque ſuſtinere? Et ideò aduerſis cor dilatatur interius, quia exterius vagari non permittitur; ſed per proſpera exterius fuſus conſtringitur interius. Quod oſtendẽs Greg. ait, Latitudo namq; bonorum interiorum nequaquàm comprehenditur, niſi cautè conſideretur. Nam quos exterius inopia humiliat, pœnæ cruciatus anguſtat huius; interior fortitudo vſque ad ſperandã cœleſtia dilatat. Anguſtati fuerũt Apoſtoli exterius, qui flagella ſuſtinebãt, ſed in magna ſtabant intus latitudine liberi: quia apud ſe hæc eadem flagella in gaudium vertebant. Scriptum namq; eſt, Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu cõtumeliam pati. Hanc latitudinem inter anguſtias Paulus inuenerat, qui dicebat, Scire autem volo vos fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad perfectum venerunt euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in omni prætorio. Hanc latitudinem Dauid inter anguſtias obtinebat: dicẽs, In tribulatione dilataſti me. Tunc itaq; conſcientia ſanctorum dilatatur, cum mundi huius aduerſitatibus exterius premuntur. Nã cum à præſentis vitæ ſecuritate repellitur: intus ad ſe impingitur vt ad ſperanda ſuperna tẽdatur. Cúmq; euagari exterius non permittitur, quaſi in ſinum ſuum reuocata dilatatur, &c. Hanc ergo dilatationem facit Dei gratia, vt nulla aduerſa timentes, Dei ſeruemus mãdata. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Cùm dilataſti cor meũ, tũc ego cucurri viam mandatorum tuorum.* Auguſt. cõſimiliter hic iſtum paſſum exponens dicit, Cordis dilatatio iuſtitiæ eſt delectatio. Hoc munus eſt Dei: vt in pręceptis eius nõ timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione & delectatione dilatemur. Hãc latitudinẽ nobis Deus promittit: dicẽs, Habitabo in eis & deãbulabo. O quã latũ eſt vbi deambulat Deus. In hac latitudine diffunditur caritas in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ex iſto ergo verſu Pſal. dicens, *Viam mandatorum,* &c. vult totum bonum quod habet gratiæ diuinæ attribuere. Quod declarans hic Ambroſ. dicit, *Viam mandatorum,* &c. Neq; enim poterat viam currere, ſi cor eius coarctaretur anguſtiis. Denique currentibus viã domini, ait Apoſtolus, Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Et de ſeipſo ait, Os meum patet ad vos ô Corinthij: cor noſtrum dilatatum eſt. Et vide diſtantiam, vt via mandatorum ſit anguſtior, & cor latius, vt patris & filij & ſpiritusſancti ſuſtineat manſionem: ne veniat verbum Dei & pulſet: & videns cordis eius anguſtias, dedignetur habitare. In hoc ergo campo interioris hominis, non in anguſtiis mentis nobis currendum eſt vt comprehendamus. Scriptum enim eſt, Sic currite vt comprehendatis. Quid eſt ergo viam mandatorum Dei currere, niſi mandata Dei lętanter & velociter ſine tarditate complere? Quod facit caritas, cùm per ipſam cor noſtrum dilatatur.

*Dilatatio cordis cauſatur ex lætitia.*

*Cor dilatatur aduerſis: ſed proſperis conſtringitur.*

*Greg. 29. moral. cap. 8.*

*Act. 5.*

*Phil. 1.*

*Pſal. 4.*

*Rom. 5.*

*2. Cor. 6.*

*1. Cor. 9.*

LEgem pone mihi domine, viam iuſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper. 2108

Hic incipit quintus octonarius: cui pro titulo præmittitur quinta litera alphabeti Hæbraici, quę eſt he. Hæc enim litera huic octonario cõgruè præmittitur: quia duas habet interpretationes, quibus materia huius octonarij declaratur. Hæc enim litera interpretatur eſſe: interpretatur & viuo. In iſto autem octonario tractatur de lege noua data per Chriſtum, quę nobis dat verum eſſe, & veram gratiæ vitam. Cùm enim ſolus Deus ſit eſſe per eſſentiam (vt habetur lib. 1. ſententiarum, di. 8.) cætera non habent eſſe, niſi in quantum participant eſſe diuinum. Vnde quanto quis elongatur à Deo per peccati diſſimilitudinem, tanto minus eſſe Dei participat, & habet minus de vero eſſe, imò tẽdit ad nihil, vt oſtẽdit Aug. ſuper illo verbo Ioã. 1, Sine ipſo factum

*He.*

*Eſſe per eſſentiã ſolus Deus habet & vitã: cætera per participationem.*



factum eſt nihil. Sic & per oppoſitum quanto quis magis accedit ad Deum per aſſimilationem & cõformitatem, quam in nobis Dei gratia facit: tanto amplius diuinum participat eſſe & verius exiſtit. Et conſimiliter cum Deus ſolus ſit vita per eſſentiam, nihil propriè viuit niſi participatione diuinæ vitæ. Sic quòd quanto quis magis Deo appropinquat modo prædicto, verius viuit. Cum igitur lex euangelica nos maximè conformes Deo faciat per gratiam: hinc eſt quòd per ipſum participamus verum eſſe & verum viuere. Et ideo quia iſte octonarius agit de lege euangelica quæ nobis dat verum eſſe & verum viuere: ſibi meritò præmittitur quinta litera, quæ eſt he: quæ eſſe interpretatur, & viuo. Sic igitur in iſto octonario Pſal. petit legem euangelicam per Chriſtum mũdo dari: vt per ipſam verum eſſe acquiramus & verum viuere. Et circa hoc octo facit: ſecundum quæ iſte octonarius habet octo partes. Pſal. ergo primò agit de legis euangelicę inſtitutione, in principio: ſecũdò de eius obſeruatione: ibi, *Da mihi*: tertiò de ipſius volitione: ibi, *Deduc me*: quartò de ipſius perfectione: ibi, *Inclina*: quintò de ipſius directione: ibi, *Auerte oculos*: ſextò de ipſius veneratione: ibi, *Statue*: ſeptimò de ipſius delectatione vel iocundatione: ibi, *Amputa*: octauò de ipſius iuſtificatione: ibi, *Ecce, concupiui.* Primò ergo agit de legis euãgelicæ inſtitutione: petens exẽplo illam dari & inſtitui: dicens, *Legem pone mihi domine.* Sed quærit Auguſt. Apoſtolus dicit, 1. Tim. 1, Iuſto lex non eſt poſita: iniuſtis autem & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, &c. Nunquid ergo talis erat iſte qui hic dicit, *Legem pone mihi domine,* qualibus beatus Paulus dicit poſitam eſſe legem? Reſpondet, Abſit. Si enim talis eſſet, non ſuperius dixiſſet, *Viam mandatorum tuorum cucurri,* &c. Quid eſt ergo quòd orat vt ſibi lex à domino ponatur, ſi lex non ponitur iuſto? Annon eo modo ponitur iuſto, quo modo poſita eſt populo contumaci in tabulis lapideis: non in tabulis cordis, ſicut vetus teſtamentum? Lex autem noui teſtamenti in tabulis cordis noſtri per ſpiritum ſanctum ſcribitur: ſicut per Hieremiam Prophetam dictum eſt, Ecce, dies veniunt, dicit dominus: & conſumabo domui Iuda, & domui Iſrael teſtamentum nouum: non ſecundum teſtamẽtum quod diſpoſui patribus eorum, cũ educerẽ eos de terra Ægypti: ſed dabo leges meas in mẽtibus eorũ & in cordibus eorũ ſcribã eas. Ecce ergo quomodo vult iſte legẽ ſibi poni à Deo: nõ ſicut iniuſtis ad vetus teſtamentũ pertinentibus, ſed ſicut ſanctis & fidelibus: quibus lex ſpiritu ſancto tãquam digito Dei in mente datur, & in cordibus ſcribitur: non quam memoria teneant & vita negligãt, ſed quam ſciant intelligendo, & faciant diligendo in latitudine amoris, non in anguſtiis timoris. Nam qui timore pœnæ, non amore iuſtitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Qui autem inuitus facit, ſi poſſet fieri, mallet vtique non iuberi. Ac per hoc legis quam vellet non eſſe non eſt amicus, ſed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt voluntate. Ad maiorem autem huius legis quã Pſal. ſibi poni poſtulat notitiam, eſt ſciẽdum quòd Pſal. ſciens legem teſtamenti veteris eſſe timoris, in cuius ſignum in eius datione (vt habetur Exod. 19.) cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, clãgeréque clangor buccinæ. Vnde & populus perterritus dixit Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. Erat itaque lex timoris, quia timore pœnarum ſeruabatur communiter, non amore iuſtitiæ. Et ideo obſeruatores non iuſtificabat. Vnde & Pſal. præuidit legis nouæ latorem, qui legem daret euangelicam, quæ amoris eſſet & non timoris: & ſic obſeruantes iuſtificare poſſet. Et hunc legiſlatorem incarnãdum, vt nouam legẽ condat amoris, quam ſuis ponat fidelibus, humiliter poſtulat vt veniat, & legem nouam inſtituat: dicens, *Legem pone mihi domine, viam iuſtificationum tuarum:* quæ ſcilicet, eſt lex iuſtificationis ſiue iuſtificans, quia per gratiam iuſtificat. Vnde magiſter dans differẽtiam inter legem antiquã & euangelicã: dicit lib. 3. diſt. 40, Litera occidens dicitur lex antiqua; non quia mala ſit lex, ſed quia prohibens peccata, auget cõcupiſcentiam, & addit præuaricationẽ, niſi liberet gratia: quæ gratia non ſic abũdat in lege vt in euãgelio. Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſine gratia. Diſtat autem lex antiqua à lege euãgelica, quia diuerſa ſunt promiſſa. Ibi enim terrena, hic cœleſtia. Diuerſa etiam ſacramenta: quia illa figurabãt, hæc autem conferunt gratiam. Et ideo illa occidẽs dicitur, hæc autem iuſtificans. Illa enim etſi gratiam quandoque conferebat, hoc erat, non ratione operis operati, ſed ſolùm ratione operis operantis. Hæc autem vtroque modo iuſtificat: & ideo lex iuſtificationum Dei nuncupatur. Sequitur, *Et exquirã eam ſemper.* Vbi aduerte, quòd per ly ſemper intelligitur totũ tempus vitæ præſentis, non futuræ. Hic enim exquiritur lex Dei, vt in ea proficiatur: ibi autem erit perfecta. Exquirere enim eſt aliquid toto corde inueſtigare & quærere. Quis autem inueſtigat quod habet? quis quærit quod poſſidet? Lex autem diuina hic exquiritur: ibi autem perfectè poſſidetur. Nunc ergo quæritur lex vt teneatur: tunc autem tenetur vt non amittatur.

*Quæſtio. In quomodo ponitur peccatoribus: & quomodo iuſto.*

*Exod. 31.*

*Hierem. 31.*

*1. Tim. 1.*

*Faciens bonũ timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, peccat.*

*Lex euangelica dicitur iuſtificans.*

*Lex antiqua dicitur litera occidens.*

*Exquiritur lex in præſenti, ſed tenetur in futuro.*

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo. 2109

Hic agit de ſecũdo: ſcilicet de legis obſeruatione. Orat enim hic Pſal. ſciens quòd litera occidit, ſpiritus autem viuificat. vt per ſpiritum ſanctum illud facit, quod per literam faciendum ſciebat: ne per ſcientiam mandati non obſeruati, etiam præuaricationis crimẽ accedat. Et aduerte quòd prius poſtulat intellectum ſibi dari, vt legem Dei poſſit cuſtodire. quia quicunque perfectè legem intelligit, ipſam perfectè cuſtodit. Voluntas enim nõ poteſt ferri, niſi in cognitum & per intellectum ſibi oſtenſum. Et quandocunque voluntas vult vel facit quod non debet, velle vel facere: vel non facit quod facere debet, oportet quòd per intellectum decipiatur, vel quòd ipſe intellectus ſit deceptus. Propter quod dicit Phil. 3, ethic. quòd omnis malus eſt ignorans. Et hoc hic videtur Auguſt. innuere: dicens, *Da mihi intellectum, &c.* Cum enim legem quiſque ſcrutatus fuerit, & ad eius alta peruenerit, in quibus tota lex pendet & prophetæ: debet Deũ diligere ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum. In his enim duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Et hoc iſte ſe facturum promittit, habito intellectu: cum dicit, *Scrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Et hoc idem Ambroſ. hic notat; dicens, Si intellexeris legẽ, ſeruabis eam in toto corde tuo. Quis autem poteſt cuſtodire legem domini, niſi intellectum acceperit? Qui autem

*Omnis malus eſt ignorans. Error intellectus facit maliciam voluntatis.*

tem intelligit & ſcrutatur, ſcrutando in ſemitam mandatorũ deducitur. Et notat hic Ambroſ. quomodo lex eſt via iuſtitiarum: vt in præcedenti habetur verſiculo. Et eſt via mandatorum, vt habetur in iſto verſiculo. Et iſtas vias oportet ſcrutari, ſi ad Chriſtum cupimus peruenire. Vnde ſic dicit, Hic quoque aduertendum eſt, quòd lex eſt iuſtitia, mandatum & iudicium. Eſt enim lex via iuſtitiarum, ſicut dictũ eſt, *Legem pone mihi domine, viam iuſtificationum tuarum.* Eſt etiam & via mandatorum: vnde ſcriptum eſt, *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Interrogemus ergo has vias, & ambulemus in eis: quia cum ambulauerimus vias iſtas, veniemus in omnium finem viarum, ſcilicet, Chriſtum: qui ait, Ego ſum via, &c. Chriſtus ergo eſt finis viarũ. Ipſe eſt enim finis legis ad iuſtitiam omni credẽti. Hinc audeo dicere, quia finis iuſtitiarum Chriſtus, qui eſt iuſtitia: finis teſtimoniorum Chriſtus. De quo ſcriptum eſt, Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dixit dominus: & puer meus quem elegi. Aduertamus ergo quantum ambulãdum nobis ſit, vt veniamus ad Chriſtum. Ambulandum in lege, quia finis legis Chriſtus eſt. Sine lege ergo non peruenitur ad Chriſtum. Oportet igitur vt ambulemus ſecũdum legem ſpiritualem, vt veniamus ad legis finem dominum Ieſum. Oportet vt ſequamur teſtimonia, vt perueniamus ad magnum legis teſtimonium, dominum Ieſum. Oportet vt in præceptis domini ambulemus, vt perueniamus ad magnũ legis præceptum: de quo legitur, Dictum eſt antiquis, Non occides: ego autem dico vobis: hoc eſt ſuper omne præceptum dico. Itaque non vſurpatoriè dixerim, ſed verè: quia ſicut ſunt ſancta ſanctorum, ſic eſt præceptum præceptorum. Sed vt iſta ſeruare poſſimus, intellectum petamus à domino. Intelligamus quæ ſit circũciſio. Circuncidit Ieſus petrinis gladiis: & abſtulit opprobrium Ægypti à filiis Iſrael. Petra Chriſtus eſt. Circuncidat te verbũ Dei, & gladius oris eius: & ſic Ægypti carebis opprobrio. Non ergo corporis, ſed cordis intelligenda eſt circunciſio. Si intellexeris legem, ſeruabis eam in corde tuo. Iudæus in corde legem non ſeruat, ſed in labiis legem recitat: & legem ignorat. Denique populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Quomodo poteſt legem tenere, qui longè eſt à legis auctore? Sed quia hæc facere nullus valet viribus propriis, niſi adiuuetur ab eo qui iubet vt faciamus quod iubet: ideo ab ipſo adiuuari petit Pſalmiſta in ſequẽti verſiculo: dicẽs,

*Lex eſt via iuſtitiæ, & via mandatorum.*

*Ioan. 14.*

*Ambulare qualiter debemus vt perueniamus ad Chriſtum.*

*Circũciſio ſpiritualis.*

*Matth. 15.*

2110 Deduc me in ſemitã mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Hic agit de tertio: ſcilicet de legis volitione. Cũ enim nihil ſit meritorium, niſi ſit voluntarium directè vel interpretatiuè: ſic nihil eſt demeritorium, niſi voluntarium: quia ſicut ſola voluntate peccatur, ſic ſine voluntate nullus meretur: vt habetur à Magiſtro, li. 2. diſt. 25. Ideo ad hoc quòd mandatorum obſeruatio ac nouæ legis cuſtodia ſit meritoria, requiritur neceſſariò quòd ſit voluntaria. Et hoc notans hic Pſal. dicit, *quia ipſam volui.* Sed quærendum eſt: quia legem euangelicam, quam prius in primo verſiculo dixit eſſe viam iuſtificationum Dei, quomodo hic illam dicit eſſe ſemitam: cum ſemita multum diſtet à via: quia via dicitur iter latum, ſed ſemita eſt iter ſtrictum & arctum? Ad hoc dicendum, quòd lex diuina poteſt conſiderari vel ratione obſeruationis: & ſic dicitur ſemita, quia arcta eſt via quæ ducit ad vitam: vel ratione præmiationis: & ſic dicitur via lata, quia ad magna præmia perducit. Superius ergo quando ipſam dicit viam Pſal. oculum mentis habuit ad præmium. Nunc autem dicens illam ſemitam, mentem dirigit ad obſeruationis meritum. Et ſatis habetur ex dictis Greg. dicentis, Arcta quippe eſt via quæ ducit ad vitam. Eos ergo lex aſtringit, qui per mundi lata deſideria euagando non incedunt. Arcta enim bene viuendi cenſura eſt: non ampla via, ſed ſemita, in qua quiſque aſtringitur: quia ſub præceptorum cuſtodia ſollicitè coanguſtatur. Annon quaſi quædam anguſtia eſt itineris in hoc quidem mundo viuere: ſed de huius mundi concupiſcentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi deſpicere: & pro Deo opprobria amare, gloriam fugere, deſpectum ſequi, adulantes deſpicere, deſpicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, & erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quæ videlicet omnia ſemitæ ſunt: ſed etiam viæ magnæ. quia quanto in præſenti vita pro ipſa viuendi cuſtodia anguſtæ ſunt: tanto amplius in æterna retributione dilatãtur, &c. Quis per tales ſecretas ſemitas legis incedere poſſet, niſi deductorem haberet, qui præcedẽtium viam ſibi dilataret? Et ideo Chriſtum deductorem petit Pſal. dicens, *Deduc me in ſemitam,* &c. Quaſi dicat, ſecundum Auguſt. Parum eſt mihi voluntas, niſi in eo quod volui, tu ipſe me deducas. Vnde ad iſtum intellectum hunc verſum etiam hic exponit Ambroſ. dicens, *Deduc me in ſemitam,* &c. Quis hoc dixit, niſi qui ſequitur Chriſtum? Non poteſt hoc dicere alius, niſi qui exequitur illud quod ſcriptum eſt, Poſt dominum tuum ambulabis, & ipſi adhærebis: quia ipſe te deducet. Quomodo autem deducat te Chriſtus, audi. Niſi quis tulerit crucem ſuam, & poſt me ſecutus fuerit: non eſt me dignus. Præcedit ergo Chriſtus vt nos ſequamur: præcedit verbum: principiũ Chriſtus eſt. Ideo Sapientia dicit, Dominus creauit me principium viarũ ſuarũ. Aduertimus quòd & principiũ Chriſtus eſt, & finis viarũ ſuarũ. Nõ vereor ne quis dicat, Creatũ ergo Chriſtũ aſſeris? Reſpõdebo, Ita creatum Chriſtum dico, quemadmodum ipſum factum lego. Hoc eſt, factum de muliere, factum ſub lege: hoc eſt ſecũdum ſuſceptionem carnis creatũ: ſecundum quòd natus eſt de virgine, creatus eſt vt redimeret creaturas. Homo factus eſt, vt homines à morte perpetua liberaret. Creatus eſt, vt vias mihi demonſtraret æternas: quibus homo ad Dei regnum poſſit redire. Ergo quia Chriſtus principiũ eſt viarum Dei, hoc principium ſequamur. Priùs ipſe viam ingreſſus eſt noui teſtamẽti, vt viam nobis deuotionis oſtenderet: & oſtendendo nos duceret. Quoniam ſi nos ieiunamus, ante nos ille ieiunauit. Si pro nomine Dei ſuſtinemus iniurias, priùs ille ſuſtinuit pro noſtra redemptione. Ceruices ſuas poſuit in flagella, maxillas in palmas. Aſcẽdit crucem, vt doceret mortem non eſſe timendam. Denique quaſi præcedens ait Petro, Tu me ſequere. Et ideo Petrus curſum conſumauit, quia ſecutus eſt Chriſtum. Et aduerte quòd Chriſtus directè deducit nos, & eſt ductor noſter: ideo ipſum indefeſsè ſequi debemus, exemplo formicę certantis. vide ſupra, ver. 1467.

*Quæſtio.*

*Lex euangelica dicitur via & ſemita.*

*Matth. 7.*

*Greg. 17. moral. cap. 14*

*Deducit nos Chriſtus.*

*Deut. 10.*

*Luca 14.*

*Prouer. 8.*

*Ioan. 21.*

Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. 2111



Hic conſequenter agit de quarto: ſcilicet de legis perfectione. Tanta eſt enim perfectio nouæ legis, quòd omnem amorem pecuniarum excludit, & omnem auariciam. Et hoc eſt quod dixit Chriſtus Lucæ 14, Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Vnde & in lege noua præcipit Chriſtus: dicens, Cauete ab omni auaritia. Iſte ergo meritò legem euãgelicam cuſtodire volens, auaritiam deteſtatur: dicens, *Inclina cor meum* &c. Et vide quàm ſubtiliter omnia bona attribuit gratiæ Dei: vt etiam nec bonum poſſit velle, niſi Dei gratia ipſum faciat velle. vnde vt velit rogat Deũ, vt ipſum faciat velle. Quod hic deducit Auguſt. dicens, Denique & quia ipſum velle Deus operatur in nobis (præparatur enim voluntas à domino) ideo orat Pſal. dicens, *Inclina cor meum in teſtimonia tua* &c. Quid enim eſt inclinatum cor ad aliquid habere, niſi hoc velle: Et voluit ergo, & orat vt velit. Voluit cùm dicit, *Deduc me in ſemitam mandatorum* &c. Orat autem vt velit, dicens, *Inclina cor meum in teſtimonia tua.* Hoc itaque orat, vt ipſa voluntate proficiat. Orat ergo vt vtiliter teſtimonia Dei velit. Sed quid hic ſunt Dei teſtimonia, niſi Chriſti exempla, quibus nobis atteſtatur & ſuadet vt legem euangelicam obſeruemus? Vnde hic ait Auguſt. Quid autem ſunt teſtimonia Dei, niſi quibus ipſe Chriſtus ſibi atteſtatur? Teſtimoniis enim Dei aliquid probatur: ac per hoc iuſtificationes Dei & mandata, teſtimoniis Dei (id eſt, exemplis Chriſti) probantur. Et quicquid vult nobis Chriſtus perſuadere, ſuis teſtimoniis, id eſt exemplis perſuadet. quia quicquid faciendum docuit, ipſe primò exemplis ſuis nobis oſtendit. Quid eſt ergo Chriſto orando dicere, *Inclina cor meum in teſtimonia tua:* niſi fac me velle vtiliter ſequi exempla tua. Et quia auaricia teſtimoniis Chriſti repugnat & contradicit: ideo ſequitur, *Et non in auariciam.* Et meritò hoc dicit. Quis enim poteſt colere Deum, & ſequi auariciam? Certè nullus: cum auaricia ſit idolorum ſeruitus. Vnde hic ait Auguſt. Omnis autem à nobis circunciditur auaricia, vt gratis colatur Deus. Ad quod ſanctum Iob in agone poſitum tentationis, ipſum prouocat inimicus, cum de illo Deo dicit, Nunquid Iob gratis colit Deum? Putabat enim diabolus quòd vir iuſtus in colendo Deum, cor inclinatum haberet in auariciam: & cauſa emolumenti vel vtilitatis rerum temporalium quibus eum ditauerat Deus, velut mercenarius ei pro tali mercede deſeruiret. Sed quàm gratis Deum coleret, tentatus apparuit. Si ergo cor non habemus inclinatum in auariciam, Deum non colimus, niſi propter Deum: ſi autem in auariciam, Deum colimus propter lucrum. Et nota quòd inter omnia alia vicia, auaricia impedit obſeruationem legis euangelicæ, & cultum diuinum. Et ideo euangelicam legem volens obſeruare, à corde ſuo auariciam expellere debet. Si enim (vt ait ſaluator noſter) nemo poteſt duobus dominis, ſcilicet contrariis ſeruire: & auaricia facit hominem diaboli ſeruum, qui contrarius eſt Deo: conſequens eſt quòd auarus Deo ſeruire non poteſt. immò magis diabolum vel idola colit. Vnde ait Apoſtolus, quòd auaricia eſt idolorum ſeruitus. Quod verbum exponens Gloſa ait, Id eſt, tam fugienda eſt auaricia, ſicut idolatria. Cui ſimile eſt, & par vicium, quia rebus pro Deo ſeruit. Vnde Apoſtolus ſub vno verbo duo peſſima & impiiſſima vicia prohibet: auariciam ſcilicet, & idolatriã: quæ auaricia non eſt diſpar malicia, quia radix eſt omnium malorum. Et penè vno explentur operè: quia ſicut idolatria Deo nititur auferre gloriam, ne ſolus nomen habeat diuinitatis: ita auaricia in Dei rebus ſe extendit, vt ſola vſurpet res quas Deus pro omnibus fecit. Vtraque ergo Deo eſt inimica, quia negant Deo quæ Dei ſunt. Propter quod dicit Apoſtolus, quòd auaricia eſt idolorum ſeruitus. Et nota quòd iſtud auariciæ vitium in omnibus generaliter impedit obſeruantiam euangelicæ legis, & cultum diuinum: quaſi in omnibus regnans & imperans gradibus hominum. Hæc enim hodie regnat & dominatur in clericis & laicis, in prælatis & ſubditis, in regibus & popularibus. Vnde Hierem. 6, dicitur, A maiore vſque ad minorem omnes auariciæ ſtudent: à propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciũt dolum. Vnde Gualfred. declarans qualiter auaricia eſt idolorum ſeruitus, & diuinum impedit cultum: exponens prædicta verba Apoſtoli, dicens, Auaricia eſt idolorum ſeruitus: ſic ait, Verè quidem auarus idolatra eſt, & auaricia eſt idolatria: omnium quidem malorum finis & cauſa &c.

*Luc. 12.*

*Teſtimonia Dei ſunt exẽpla Chriſti.*

*Auarus Deum non colit.*

*Iob. 1.*

*Auaritia par peccatum eſt cum idolatria.*

*Matth. 6.*

*Coloſſ. 3.*

Auerte oculos meos, ne videãt vanitatem: in via tua viuifica me. 2112

Hîc agit de quinto: ſcilicet de legis euangelicæ directione. Lex enim euangelica omnes actus noſtros dirigit, ne vanis intenti Deum offendamus. Dirigit enim pedes, ne affectiones animæ ad vanitatẽ dilabantur: dicens, Matth. 18, Si pes tuus ſcandalizat te &c. Dirigit manus, vt in noſtris operibus vanam gloriam non quæramus: dicens, Matth. 6, Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua &c. Dirigit linguam, ne in vanum nomen dei aſſumamus: dicens Matth. 6, Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non. Dirigit oculos, ne vanitates inquiramus: dicens Matth. 18, Si oculus tuus ſcandalizat te &c. Et ſic de omnibus aliis membris vel ſenſibus noſtris. Et quia inter omnes ſenſus, viſus eſt nobilior: 1. de anima, quia plures rerum differentias nobis oſtendit: ideo ſub illo ſenſu omnes alios Pſal. à deo petit dirigendos: dicens, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Sed hic quærit Auguſt. quid orat iſte: dicens, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem?* Nunquid quandiu ſumus in hoc mundo, poſſumus nõ videre vanitatem? Omnia enim quæ in iſto mundo ſunt vanitati ſunt ſubdita. Omnis enim creatura (ait Apoſtolus) vanitati ſubiecta eſt. Et omnia quæ ſunt ſub ſole vana ſunt. Et ſpecialius de homine dicitur, Vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Fortaſſe ergo quærit iſte vt vita eius non ſit ſub ſole: ſub quo omnia ſunt vana? Et reſpondet Auguſtin. quòd per iſta verba *Auerte oculos meos* &c. Pſal. orat vt intentio interior ſic in omnibus operibus dirigatur ad dominum, vt omnia opera faciat propter dominum: & in nullo quærat aliquam vanam gloriam ſibi. Vnde ſic ait Auguſt. Sic ergo intelligendum eſt quod dicitur, *Auerte oculos meos* &c. Magni enim intereſt, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione illud faciamus. Officium quippe noſtrum, non officio ſed fide penſandum eſt: vt ſcilicet non tantum, ſi bonum eſt quod faciamus: ſed præcipuè ſi bonum eſt, propter quod illud faciamus cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, auerti poſtulat ne videant vanitatem, id eſt, ne hanc attendat propter quam faciat, cum bonum aliquid facit. In

*Dirigit nos lex euãgelica.*

*Quæſtio.*

*Rom. 8.*

*Pſal. 38.*

*Vanitas in omni opere eſt fugienda.*

qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ: propter quam multa magna fecerūt, qui magni in hoc ſæculo nominati fuerunt: quærētes non apud Deum, ſed apud homines gloriam.

*Ioan. 5.*

Et propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter iuſtéque viuentes: ad quam peruenientes, receperunt mercedem ſuam: vani vanam. Ab hac vanitate volens dominus auertere oculos ſuorum,

*Matth. 6.*

dixit, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus: vt videamini ab eis. Alioquin non habebitis mercedem apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Deinde cum ipſius iuſtitiæ quaſdam partes exequeretur, præcipiens de eleemoſyna, de oratione, de ieiunio, vbique illud admonet, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat. Non quia ipſa laus humana culpanda ſit, ſed propter ipſam laudem bene operari: hoc eſt vanitatē in ſuis operibus intueri. Quandoquidem & ipſa laus homini iuſto quantacunque præuenerit: nō ibi eiuſdem eſt finis boni, ſed etiam ipſa referenda eſt ad laudem Dei: propter quam bona faciunt verè boni. quoniam non à ſeipſis, ſed ab illo fiunt boni. Porro ſi bonum non eſt, propter laudes hominum bona facere, quanto magis propter augendam pecuniam vel retinendam? Et ſi quid huiuſmodi eſt commodi temporalis quod nobis accedit extrinſecus, quia omnia vanitas: propter ipſam denique temporalem ſalutem, non debemus facere bona: ſed potius propter illam quam ſperamus æternam.

*Oculi auertēdi ſunt à vanis.*

*Oculorū habēda eſt cuſtodia.*

Iſte etiam verſus de oculis corporalibus intelligi poteſt: quia per vanam oculorum viſionem concupiſcentia intrat mentem. Et ſic oculi ſunt quaſi quædam feneſtræ per quas intrat mors ad animam. Et iſtum ſenſum hic tangit Ambroſ. dicens, Qui in via eſt Dei, vanitatem non aſpicit: via perfecta Chriſtus eſt. Qui ergo in Chriſto eſt, quomodo poteſt vanitatem aſpicere, cum Chriſtus in carne ſua omnes mūdi huius crucifixerit vanitates? Auertamus igitur oculos noſtros à vanitatibus: ne quod oculus viderit, anima concupiſcat. Luctatores aſpicis: vanitas eſt, quia cernis eos de vilibus frondibus luctantes habere coronam. Equos currentes aſpicis: vanitas eſt, quia vanè currunt: quia aſcendentem ſaluare non poſſunt. Ante nos eſt Chriſtus: ante nos brauium eſt, ad quod peruenit qui non in incertum cucurrerit. Ad hunc dirige oculos tuos: auerte à ſpectaculis, auerte à ſeculari pompa. Sicubi ſeculares agnoueris plauſus,

*Nota.*

auerte ab his oculos tuos: deprime, & ſerua eos vt erigas melioribus. erige oculos ad cœlum, vel nocte ſtellarum monilia, orbem lunæ decorum: vel die ſolem aſpice. Specta mare, terram circunſpice, vt opere facta diuino: omnis creatura te paſcat. Quæ formarum gratia in ipſis beſtiis: quantus decor in hominibus, quanta in auibus pulchritudo. Hæc intuere: & nō videbis iniquitatem, nec contradictionem in ciuitate. Hæc vide: & non introibit mors per feneſtras oculorum tuorum. Si videris mulierem ad concupiſcendum eam, intrauit mors per feneſtras: intrat

*Matth. 5.*

mors, ſi loquaris. Si videris poſſeſſionem minoris vel viduæ, & cōcupieris dirimere eam: intrat mors per feneſtras. Si videris aliena monilia, argentum & aurum, & concupieris vt extorqueas: intrauit mors per feneſtras. Claude ergo has feneſtras, quibus vides alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors poſſit intrare. Oculi tui ne videant aliena, nec lingua peruerſa loquatur &c. hæc moralia ſunt. Et ſubdit, Eſt etiam & vanitas ſenſuum, quam oculi animæ tuæ videre non debeant: quia illi ea vident quæ Chriſtus damnat &c. Et quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi etiam quis faciat bonum: ideo ſubdit Pſal. *In via tua viuifica me.* Quid eſt via viuificans, niſi Chriſtus qui ait, Ego ſum via, veritas & vita? Qui enim oculos ſuæ mentis à vanitate auerterit: conuerterit autem in viām Chriſtum, viuificatur. Et hoc eſt quod petit Pſal. dicens, *In via tua,* (quæ ſcilicet eſt Chriſtus) *viuifica me.* Ipſe eſt enim qui dicit, Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ. *Ioan. 8.*

## Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo. 2111

Hîc agit de ſexto: ſcilicet, de legis euangelicæ veneratione. In magna etenim reuerentia verba legis euangelicæ debent haberi à fidelibus & venerari: vt oſtendit Auguſt. & habetur 1. q. 1. interrogo &c. Iſtam autem reuerentiam cauſat timor: nō quidem ſeruilis quo pœna timetur, & ſic generat deſpectum & odium illius quod timetur: ſed timor filialis, quo timetur offenſa: & iſte generat deuotionem & amorem illius qui timetur.

*Timor duplex.*

Optans igitur talem reuerentiam habere legi diuinæ: in perſona omnium fidelium ait, *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Vbi Auguſt. hic ait, Quid eſt hoc aliud quàm dicere, Da mihi vt faciam quod eloqueris? Neque enim ſtatutum eſt eloquium Dei illis qui illud in ſe mouent contrà faciendo. Illis autem ſtatutum eſt, in quibus immobile eſt. Statuit itaque Deus eloquium ſuum in timore ſuo, eis quibus dat ſpiritum timoris ſui. Timoris inquam, nō illius de quo dicit Apoſtolus, Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. *Rom. 8.* Hunc enim conſumata caritas foras eiicit timorem: ſed illius timoris quem dicit propheta ſpiritum timoris Dei: *Eſa. 11.* timoris itaque caſti permanentis in ſæculum ſæculi: timoris quo timetur offendi qui amatur. Aliter enim timet adultera virum ſuum: & aliter caſta. Adultera, ne veniat: caſta, ne diſcedat. Aduerte autem quòd etiam timor filialis quo timetur offenſa, niſi ſapientia & diſcretione condiatur, vertit in malum.

*Timor filialis diſcretionē requirit & ſcientiam.*

Vt puta, quis timore tactus cupiens ſeruire Deo, affligit carnem ſuam vltra debitum, non parcens naturæ. Iſte timor non eſt cum diſcretione & ſcientia: & ideo peccatum inducit. Timor autem Dei qui eſt cum ſcientia & diſcretione, ſemper vertit ad bonum. Vnde hic ait Ambroſ. *Statue ſeruo tuo* &c. Initium ſapientiæ timorem domini dicit propheta. *Pſal. 110.* Quid eſt autem initium ſapientiæ, niſi ſæculo renūciare? quia ſapere ſecularia, ſtultitia eſt. *1. Cor. 1.* Denique ſapientiam huius mundi ſtultitiam apud Deum Apoſtolus dicit. ſed & ipſe timor domini niſi ſecundum ſcientiam ſit, nihil prodeſt: immò obeſt plurimum. Siquidem Iudæi habent zelum Dei. *Rom. 10.* Sed quia non habent ſecundum ſcientiam, in ipſo zelo & timore maiorem contrahunt diuinitatis offenſam: quòd circuncidunt infantulos ſuos, quòd ſabbatha cuſtodiunt, timorem Dei habent: ſed quia neſciunt legem ſpiritualem eſſe, circuncidunt corpus, non cor ſuum. Ignem ſabbatho adolere formidant, cum lex ſanctificationis die libidinum ignem prohibeat accendi. Et quid de Iudæis dicam? Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: ſtatuētes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere. Sed inſcitia in eo



in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem. Non ſit ergo irrationabilis timor. Etenim vera ſapientia à timore Dei incipit. Nec eſt ſapientia ſpiritualis ſine timore Dei: ita timor ſine ſapientia eſſe non debet. Baſis enim quædam verbi Dei eſt timor ſanctus. Verbū enim Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, fortius radicatur: hoc eſt in pectore timentis Deum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniāt volucres, & aufferant illud de incurioſi & diſſimulantis affectu. Et ideo tāquam ſuper baſim bonam timoris, verbum Dei fundari poſtulat: dicēs, *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Plena diſciplinæ oratio: per quam docemur quemadmodum debeamus orare. Vel per iſta verba Pſal. petit ſpiritu ſancto firmari: quò immobiliter in timore Dei perſeueret. Nam eloquium Dei dicitur ſpiritusſanctus. vide ſuprà, verſ. 1808. Item nota quòd eloquia Dei multipliciter ſunt vtilia, ver. 147.

## 2113 Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iocunda.

Hîc agit de ſeptimo: ſcilicet, de diuinæ legis iucunditate.

*...antiqua ...ttebat ...a: ſed ...aduer-*

Vbi ſciendum quòd inter alias differentias nouæ legis & antiquæ, hæc eſt vna: quia in lege antiqua obſeruantibus eam conferebat Deus temporalia bona, & promittebat: vt patet Deuter. 28, Si audieris vocem domini tui vt facias mandata eius: venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ. Benedictus eris tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui & iumētorum tuorum, benedicta horrea tua &c. In lege autem euangelica econtra, ſuis obſeruatoribus in præſenti promittit & confert aduerſa: vt puta flagella, perſecutiones & crucem. Matth. 16. Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me &c. Et iſta ſunt mirabilia nouæ legis iudicia. Quæ & ſancti ſi quo ad ſenſualitatem perhorreſcant, ſecundum tamen interiorem hominem iocundantur in eis. vnde Actuum 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et hoc eſt quod de talibus nunc ait Pſalm. *Iudicia tua iocunda.* Verum quia talia pati iocundè in ſapientibus mundi imputatur ad opprobrium ſanctis, orat Pſal. quòd tale opprobrium auferatur ab eo. vt illi ſcilicet, qui iſta ad opprobrium imputant, conuertantur: & pati pro Chriſto reputent glorioſum: dicens, *Aufer à me opprobrium* &c. id eſt, tolle opprobrium, quod alij de me reputant, de cordibus eorum. Vel aliter.

*Peccata occulta ... in no... la, quæ tamē ...*

homo enim multoties aliqua habet peccata, de quibus conſcientiam in particulari non habet: ſed quia ſcit ſe fragilem eſſe, in vniuerſali ſuſpicatur ſe peccatorem eſſe. Et de talibus ſibi peccatis occultis, Deo autem manifeſtis, quæ ſunt opprobria, petit à Deo liberari: dicens, Aufer à me opprobrium &c. Et ad iſtum ſenſum hunc locum exponit Ambroſ. dicens, *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.* Hoc obſcurè dictum videtur: ſed hoc explanauit Apoſtolus, quod obſcurè dictum videtur: vbi ait,

*1. Cor. 4.*

Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc iuſtificatus nō ſum. Sciebat enim ſe hominem eſſe: & ſe cauebat vt poterat, ne poſt ſuſcepta baptiſmi ſacramenta peccaret: ideo delicti ſibi conſcius non erat. Sed quia homo erat, peccatorem ſe fatebatur: ſciens vnum eſſe Ieſum lumen ſuum, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: ipſum ſolum iuſtificari, qui alienus eſt à lapſu. *1. Petr. 4.*

*Opprobriū duplex, ſcilicet, peccati, & pro Chriſto.*

Similiter ergo & propheta, etſi peccatum declinare cupiebat: tamen quaſi Deum repulſorem peccati cupiebat eſſe ſui. volebat auferri opprobrium quod ſuſpicatus eſt. Et ideo deprecabatur Deum, vt illud auferret, qui ſolus nouerat, quòd neſciebat etiam ipſe qui fecit. Denique alibi ipſe dicit propheta, Deus, tu ſcis opprobrium meum. *Pſal. 68.* Quanquam & aliud opprobrium Chriſti ſit, quod non eſt verum opprobrium, ſed gloria Dei. Et iſtud à ſe amputari nō quærit. Crux enim Chriſti Iudæis ſcandalum, Græcis ſtultitia. *1. Cor. 1.* Illis ergo opprobrium, mihi, virtus eſt: per quam aduerſarium repello, ſæculum vinco. Mihi ſapientia, per quam inſipientiæ laqueos euado. *Hebr. 11.* Hoc opprobrium theſauris Ægypti Moyſes prætulit: maius æſtimans Ægypti theſauris opprobriū Chriſti. Si opprobrium tuum gloria eſt ô domine Ieſu, quanta erit gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius ſumus opprobrio glorioſi?

*Opprobrium Chriſti vtile eſt, & glorioſum.*

Dorſum meum poſui in flagella, maxillas verò meas in palmas: os meum non auerti à confuſione ſputorum. Ecce opprobrium tuum domine, in quo eſt ſalus vniuerſorum, in quo mundi redemptio: per quod opprobrium cepimus non erubeſcere qui erubeſcebamus, non confundi qui confundebamur. Denique ſcriptum eſt, Accedite ad Deum, & illuminamini: & facies veſtræ nō confundentur. *Pſal. 33.* Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium crucis domini Ieſu, quo noſtra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictus factus eſt, vt noſtra maledicta deleret: homo factus eſt, vt leuaret hominis infirmitates: ita opprobriū factus eſt, vt leuaret omnium opprobria. Hæc Ambroſius. Vel aliter.

*Iudicat & ſuſpicatur quis alios ſicut ipſe eſt.*

Vbi ſciendum, quòd quaſi naturaliter quilibet ſecundum ſeipſum iudicat proximum ſuum: vt bonus omnes ſuſpicatur bonos, caſtus omnes caſtos, proditor omnes proditores: & huiuſmodi. Vnde Eccl. 31. dicitur, Intellige rem proximi tui ex teipſo. Et ſic qui colit Deum pro aliquo temporali, neſcit opprobrium ſuum: & ſic ſuſpicatur alios facere. Si enim & videt alios bona operari, ſuſpicatur tamen non bona intentione: & hoc ex ſeipſo. Et hoc eſt opprobrium ſuum, quod de aliis ſuſpicatur: quod Pſalm. amputari ab ipſo orat: ne ſcilicet alios temerè iudicare de occultis præſumat. Et hunc ſenſum hic innuit Auguſt. dicēs, Quid eſt quòd ait, *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum*: cum propria facta quis ſciat, ſed ſuſpicetur aliena? Et reſpondet, Quandiu enim homo nō auertit oculos ſuos ne videant vanitatem: quod in ſeipſo agitur, hoc de aliis ſuſpicatur. vt propter quod ipſe colit Deū, vel propter quod bona opera facit: propter hoc credat & alterum facere. Poſſunt enim homines videre quod agimus: cuius autem rei contemplatione agimus, occultum eſt. Et ideo datur ſuſpicionibus locus: vt audeat homo iudicare de occultis hominum, & falſa plerumque. Et ſi vera, tamē ei incognita temerè ſuſpicari.

*Suſpicari vel iudicare de occultis aliorum nō debemus.*

*Matth. 7.*

Propterea dominus cum de ipſo fine loqueretur propter quē bona facere deberemus, vt oculos noſtros à contēplatione vanitatis auerteremus: monuit ne propter laudes hominum bona faceremus: dicens, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Monuit ne propter pecuniam: dicens, Nolite vobis theſaurizare in terra. Monuit ne propter ipſum neceſſarium victum atque veſtitum: dicens, Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ

quid mãducetis:nec corpori veſtro quid induamini. Et cùm hæc omnia monuiſſet, quia poſſumus ſuſpicari eos quos iuſtè viuere videmus,& quo fine faciãt non videmus: propter aliquid huiuſmodi benefacere,cõtinuò ſubiunxit, Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Matth.7.* Vnde & hic Pſalm.cum dixiſſet, *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum*: addidit, *quia iudicia tua iocunda*,id eſt,vera. hominum autem iudicia de occultis aliorum non iocunda: quia temeraria. Et ideo ſuum dixit opprobrium, quia de aliis ſuſpicatus eſt. Hoc itaq; opprobrium amputari petebat, quod in ſe ſenſerat, & in aliis fuerat ſuſpicatus, Hæc omnia Auguſt.

## 2114 Ecce, concupiui mandata tua:in æquitate tua viuifica me.

Hîc agit de octauo:ſcilicet de ipſius legis iuſtificatione.Ipſa enim lex euangelica, quia iuſtificat obſeruantes, quia gratiam cõfert:ideo ſpiritualem tribuit vitam.Et hoc eſt quod petit Pſal.dicens, *In æquitate tua*(ſcilicet,in lege tua quæ eſt æquitas) *viuifica me*. Vel per æquitatem & iuſtitiam Chriſtum intellige:in quo credentes viuificantur ſpiritualiter,& obſeruatores mandatorum ſuorum. Vbi aduertendum,quòd duo ſunt præcipuè diuina mandata:in quibus tota lex pendet & prophetæ: ſcilicet dilectio Dei & proximi. Et qui iſta toto corde obſeruat,in iuſtitia viuit,id eſt,in Chriſto viuificatur.Et hoc notans hic Pſal.ait,*Ecce,concupiui mandata* &c. Vnde iſtum paſſum exponens Auguſt. hic ait, Duo ſunt mandata dilectionis Dei & proximi: in quibus tota lex pendet & prophetæ. *Viuificamur in Chriſto, mortificamur in nobis.* Vnde iſtæ contra ſuæ ſuſpicionis opprobrium quod deſiderat amputari:dicit,*Ecce, concupiui mãdata tua:in æquitate tua viuifica me*.Ecce(inquit) concupiui ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere te, & proximum ſicut me. Non in mea, ſed in tua iuſtitia viuifica me. hoc eſt, iſtam quam concupiui caritatem imple in me. Adiuua vt faciã quod præcipis:dona ipſe quod mandas.In tua iuſtitia viuifica me,quia in me vnde morerer habui:vnde autem viuam non inuenio niſi in te. *1.Cor.1.* Iuſtitia tua Chriſtus eſt:qui factus eſt nobis iuſtitia à Deo, ſanctificatio & redemptio.vt (quemadmodum ſcriptũ eſt) Qui gloriatur,in domino glorietur. *2.Cor.10.* In illo inuenio duo mãdata quæ concupiui: vt in tua iuſtitia (id eſt in Chriſto) viuifices me. Vel aliter:vbi ſciẽdum, quòd aliqui viuendo ſunt mortui, & aliqui viuunt moriendo. *Viuẽs mũdo, moritur Deo: & ecõtrario.* qui enim viuunt mundo,Deo ſunt mortui: qui autem mundo moriuntur, Deo viuunt. Moritur autem mundo & Deo viuit qui Dei mandata cuſtodit, qui Deum diligit & proximum.Et iſtam vitam ex obſeruatione mandatorum Dei hic poſtulat Pſal.dicens, *Ecce, concupiui mandata* &c. Et ad iſtum intellectum hunc verſum hic exponit Ambroſ.dicens,*Ecce, concupiui mandata tua* &c.Diligi ſe gaudet Ieſus, qui ideo venit in hunc mundum, quia Ieſus mundum dilexit. Amari exigit qui omnes amat,quia caritas eſt.Cõcupiuit mandata Dei vt bonus ſeruus,vt cultor ſedulus.Concupiuit, nõ vt amator copulam meretricis, non vt auarus pecuniam,non vt luxurioſus laſciuiam. *Exod.20* De illis enim lex dicit,Non concupiſces. *Mors duplex: ſcilicet,corporis & animæ.* Dominũ autem Deum præcipit diligendum, & tenaci quodam atque interno amandum cupiditatis affectu. Et quia amicus eſt qui diligit, ſeruus qui timet: quaſi amicus, qui omnia fecerit quæ præcipit ei dominus, ſecurè poſtulat:dicẽs,*In æquitate tua viuifica me*.Audacter hoc dicit eo quòd illa vera ſit via, qui viuit ſecundum Dei iuſtitiam, qua viuebant Apoſtoli: immò qua viuunt. Sunt enim qui viuentes mortui ſunt, & qui mortui, viuunt. Denique alij deſcenderunt in infernum viuẽtes, alij autem ſunt corpore mortui,ſed meritis ſuis viuunt &c.

## 2115 ET veniat ſuper me miſericordia tua domine, & ſalutare tuum, ſecundum eloquium tuum.

Vau.

Hîc incipit ſextus octonarius. Cui præmittitur ſexta litera Hæbræorum: ſcilicet vau. Quæ litera meritò huic octonario præmittitur. Interpretatur enim ipſe vel ille: & Chriſtum ſignificat, qui ſingulariter demonſtratur ipſe vel ille. Chriſtum enim Ioannes Baptiſta demonſtrauit hoc pronomine ipſe:dicens, Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt: qui ante me factus eſt &c. *Ioan.1.& 3.* Ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Iſte autem octonarius de Chriſti agit aduentu: & ipſum poſtulat hic Pſal. in carne venturum:vt filium Dei quem in maieſtate ſua videre non poterat, videat incarnatum. Hunc ergo poſtulat:dicens,*Et veniat ſuper me miſericordia tua domine*. Incarnatio autem Chriſti plurima bona nobis contulit:propter quæ auidè Pſal. ipſam poſtulat.Bona autem ex Chriſti incarnatione nobis collata maximè ſunt octo:quæ hic oſtẽdit Pſal.ſecundum quæ iſte octonarius octo partes continet. Oſtẽdit namque hic Pſal. primò quòd per Chriſtum perditus mundus reparatur,in principio: ſecundò quòd impugnans hoſtis ſuperatur:ibi,*Et reſpondebo*: tertiò quòd verba factis conformantur:ibi,*Et ne auferas*: quartò quòd in bono voluntas radicatur:ibi, *Et cuſtodiam*: quintò quòd in nobis Dei caritas dilatatur:ibi, *Et ambulabam*: ſextò quòd illata opprobria non timentur:ibi, *Et loquebar*: ſeptimò quòd meditatio cordis perluſtratur: ibi, *Et meditabar*: octauò quòd noſtra operatio in Deum eleuatur: ibi,*Et leuaui*.Quantum ergo ad primum:primò petit Chriſti incarnationem, quia per ipſam perditus mundus reparatur: dicens, *Et veniat ſuper me miſericordia tua domine*. *Chriſtus dicitur miſericordia Dei & ſalutare.* Quid enim nomine miſericordia, niſi Chriſtus, per quem miſericordia facta eſt mundo, intelligitur? Quid nomine Salutaris, niſi ſaluator intelligitur Chriſtus?Et ideo Pſal. dicens, *Et veniat ſuper me miſericordia tua* &c. nõ niſi Chriſti petit aduentum.quem alibi expreſſius poſtulabat: dicens, Deus tu conuerſus viuificabis nos: oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. *Pſal.84.* Vnde iſtum paſſum ſic exponit hic Ambr. dicens,Nam cum propheta poſtulet, *Et veniat ſuper me miſericordia tua domine:veniat ſalutare tuum*:non eſt dubium quòd eum videre depoſcat vt veniat, in quo eſt fructus miſericordiæ & ſalutis. Quod ſuperius Pſal.84,euidentius popoſcit: dicens, Benedixiſti domine terram tuam &c. id eſt, benedic.In quo euidentius domini Ieſu prophetauit aduentũ. Nam terram quam benedici poſtulat, ſatis eſt notum,illam videlicet eſſe terram quę peccatum contraxit in Adam:cui dicitur,Terra es,& in terrã ibis. *Gen.3.* Maledixerat autem Deus,non elemẽto naturæ carnis,ſed carnem præuaricantium. *Terra ſignificat peccatorẽ.* Benedicitur ergo caro in Chriſto,vt à maledicto priore ſoluatur.Benedicitur caro,quã benedict[9] filius Dei aſſũpta hominis cõditione ſuſcepit. *Pſal.84.* Et ideo ſubdit, Oſtẽde nobis domine miſericordiã tuã,& ſalutare tuũ da nobis.Hic autẽ ait,*Et veniat ſuper me miſericordia tua* &c. Totus enim iſte locus dominum Ieſum ſonat: qui viuificat mortuos, Lazarum ante paſſionem, ſed plurimos tempore paſſionis proprię. Ipſe enim eſt miſericordia: vt pote remiſſio peccatorum. Ideo dicit,*oſtende*, quem videre poſſit in corpore. Nam dominum in maieſtate ſua videre nõ poterat,quia Deum nemo vidit vnquam. *Ioan.1.* Auidius propheta deſiderat videre,quem ſperat tenere:quem,ſi viderit, deſiderat propriis manibus comprehendere.Ideóque ait,*Et ſalutare tuum da nobis*. *Salutare Dei Chriſtus eſt.* Hic autem, *Veniat ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.* Salutare Dei virtus eſt:ſalutare Dei Chriſtus eſt. Et ideo prope timentes hoc ſalutare. Longè ante Chriſtus erat à nobis,longè à nationibus: deſcendit ad terram:factus eſt propè:cœpimus non timere. Nã qui Chriſtum timet,non timori eſt ſubditus, ſed deuotioni pietatis. Hic timor virtutis, non infirmitatis eſt. Quomodo autem factus ſit propè,audi,vt inhabitat gloria in terra noſtra. Venit enim de cœlo in virginem,de vtero virginis in præſepe, de Iordane in crucem,de cruce in tumulum, de tumulo in ſepulcrum,de ſepulcro in cœlum. Vnde bene exauditus eſt propheta,qui orans dixit,*Et veniat ſuper me miſericordia tua domine* &c.Et aduerte quòd iſte octonarius incipit per dictionem copulatiuam,dicens, *Et veniat* &c.quia notat quòd illam miſericordiam & illud ſalutare cupiuit euenire:quod ſuprà,æquitatẽ ſiue iuſtitiam dixerat,dicens,*In æquitate tua viuifica me*.Per iſta ergo verba,*Et veniat ſuper me miſericordia tua domine* &c.nihil aliud Pſal.petit,niſi vt filius Dei in carnem veniat:per cuius gratiam adiuti,Dei mandata ſeruare poſſimus. Vnde hunc paſſum hic exponens Auguſt.dicit, *Et veniat ſuper me miſericordia tua* &c.quid hic poſtulat Pſalmiſta,niſi vt mandata quæ concupiuit,per eius miſericordiã faciat qui mandat? Exponit enim quodammodo quid dixerit, *In æquitate tua viuifica*:cum ſubiungit, *Et veniat ſuper me miſericordia tua domine, & ſalutare tuum* &c. hoc eſt ſecundum promiſſionem tuam. *Rom.9.* Vnde vult nos filios promiſſionis intelligi:ne arbitremur noſtrum eſſe quod ſumus, ſed totum gratiæ Dei attribuamus. Quod ergo ait,*In æquitate tua viuifica me*,in Chriſto vtiq; viuificari cupit. Et ipſa eſt miſericordia quam ſuper ſe poſtulat venire:ipſe Chriſtus eſt & ſalutare Dei. Quo verbo expoſuit quam miſericordiam diceret:vbi ait, *Et veniat ſuper me miſericordia tua domine*.Si ergo quærimus quæ ſit iſta miſericordia:audiamus quod ſequitur,*Salutare tuum ſecũdum eloquium tuum*.Ab eo quippe hoc promiſſum eſt, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. Nondum enim erant quibus promitteretur, ne quiſquam de ſuis meritis glorietur: & quibus promiſſum eſt, etiam ipſi promiſſi ſunt: vt totum corpus Chriſti dicat,Gratia Dei ſum id quod ſum. *1.Cor.15.* Ex quibus omnibus patet,quòd in iſto primo verſiculo Pſalmiſta poſtulat Chriſti incarnationem:vt per ipſum perditus mundus reparetur: quia ſaluatus fuit mundus per miſericordiã & ſalutare,quod Chriſtus eſt.

## 2116 Et reſpondebo exprobrãtibus mihi verbum: quia ſperaui in ſermonibus tuis.

*Reſpondere diabolo tẽtãti nos docuit Chriſtus.*

Hic oſtendit ſecundum:ſcilicet quòd per Chriſti incarnationem impugnans hoſtis ſuperatur. Chriſtus enim incarnatus, à diaboloq; tentatus, nos docuit quibus reſpõſis hoſtem diabolum impugnantem, cæteráq; eius membra reſpondendo ſuperare poſſimus:quia tẽtatus de gula, hoſti verbum reſpondit,dicens, Non in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo &c. *Matth.4.* Tentatus de ſuperbia, reſpondit ſibi verbum,Non tentabis dominũ Deũ tuum.Tentatus de auaritia, reſpõdit ſibi verbum, Dominum Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Iſtis Chriſti reſponſionibus electa eccleſia confidenter exprobrantibus vel tentantibus malignis ſpiritibus ſiue hæreticis & malis hominibus confidentiam aſſumpſit reſpondendi,dicens,Et (ſcilicet quando)miſericordia & ſalutare tuum venerit, ego per ipſum edocta, reſpondebo exprobrãtibus mihi verbum. Et rationem aſſignat,dicens, *Quia ſperaui in ſermonibus tuis*,id eſt, reſponſionibus tuis. Et nota quòd iſta litera duobus modis poteſt legi. primo modo vt ſit ſenſus,*Exprobrantibus mihi reſpondebo verbum*.vt puta martyribus exprobratur, quia nudi,quia flagellati,quia crucifixi. Talibus autem exprobrantibus ipſi reſpondent verbum, id eſt reſpondent per Chriſtum:quaſi dicat, Verbum caro factum eſt,id eſt, Chriſtus nudus fuit, irriſus fuit, crucifixus fuit:propter quod & Deus exaltauit illum &c. *Ioan.1.* Quid ergo exprobrabor, qui magiſtri ſequor veſtigia, doctoris diſciplinam? Alius ſenſus poteſt eſſe, *Exprobrantibus mihi verbum ego reſpondebo*: vt ſit ſenſus, Exprobrant mihi hæretici myſteria verbi incarnati,dicentes,Dicis verbum incarnatũ, crucifixum, & paſſum: nunquid ergo & Deus eſt incarnatus,crucifixus,paſſus,& mortuus? *Exprobrant nobis verbum hæretici & infideles.* Talibus ergo ſic exprobrantibus mihi verbum, ego reſpõdebo.Et quid reſpondebo? Quoniam propter noſtram ſalutem deſcẽdit de cœlis, & incarnatus eſt, & homo factus,paſſus, crucifixus & mortuus,inquantum homo, non vt deus. Et ſic reſpondebo, *Lucæ vlt.* quia ſperaui in ſermonibus tuis:quibus ſcilicet ſic me docuiſti reſpondere,dicens,Filius hominis venit ſaluare quod perierat, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. *Matth.18.* Vnde iſtum duplicem intellectum hic notat Auguſt.dicens, *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*. Vtrum, verbum exprobrantibus:an,verbum reſpondebo exprobrãtibus: ambiguum eſt:ſed quodlibet eorum Chriſtum ſonat. Ipſum enim verbũ nobis exprobrant illi quibus Chriſtus crucifixus ſcãdalum eſt vel ſtultitia: *1.Cor.1.* ignorantes quod verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis. *Ioan.1.* Sed & ſi ipſum verbum exprobrent, quod eos latet, quia diuinitas ab eis non cognoſcitur, à quibus eius infirmitas in cruce contemnitur:nos tamen verbum reſpõdeamus,nec exprobratione terreamur vel confundamur.Verbũ enim ſi cognoſcerent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. *1.Cor.2.* Ille autem reſpondet verbum exprobrãtibus, ſuper quem venit miſericordia Dei: hoc eſt ipſum ſalutare eius.Nos ergo opprobria eorum ne timeamus,ſed reſpondeamus eis verbum: hoc eſt verbũ Dei quod prædicamus: vt quod corde credimus, verbo prædicemus. *Confiteri debemus Chriſtum publicè, quẽ credimus corde.* Parum eſt ergo in corde habere Chriſtum, & ore nolle confiteri, dum timemus opprobrium; ſed exprobrantibus reſpõdendum eſt verbum. Vt autem martyres hoc poſſent, promiſſum eſt eis,& dictum, Non enim vos eſtis qui loquimini,ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. *Matth.10.* Et ideo iſte cum dixiſſet, *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*, continuò ſequitur, *Quia ſperaui in ſermonibus tuis*.

## Et ne auferas de ore meo verbum 2117

veritatis

veritatis vſquequaque:quia in iudiciis tuis ſuperſperaui. A

Hic oſtendit tertium : ſcilicet quòd per Chriſti incarnationem verba factis conformantur. Veritas enim eſt adæquatio ad intellectum. Intellectus autem per verba exprimitur : tunc ergo eſt veritas in ore,quãdo bonum quod intellectus dictat, lingua loquitur : & quod lingua loquitur, exterius operibus adimpletur. Quando autem quis verum loquitur,ſed quod loquitur non operatur:tũc verbum veritatis de ore ſuo cadit.Et tales lex euangelica reprehendit Matth.23. Dicunt enim & nõ faciunt &c. quia & ipſe legiſlator Chriſtus, primò facere cœpit,& poſtea docere. Et iſtud eſt verbum veritatis quod de ore ſuo Pſalmiſta orat non auferri:ſed magis per Chriſtum confirmari,dicens,*Et ne auferas de ore meo verbum veritatis* &c. Hoc autẽ ideo orat Pſalmiſta,quia prçuidebat multos in lege noua pondere paſſionis vel timore preſſos,Chriſtum, cuius fidem corde credebãt,verbis negaturos : ſed poſtea ſpirituſancto reſumpto Chriſtum publicè confeſſuros:ſicut fecit Petrus, & quàmplures alij. Ideo hoc prædicẽs Pſalmiſta in perſona taliũ orat, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque* : id eſt valde. Quaſi dicat, Et ſi ad horã permittis verbum veritatis de ore meo cadere, oro vt ad veram fidei cõfeſſionem me reducas. Et hoc eſt quod hic ait Auguſt. Quoniam plurimi pondere graui perſecutionis ſurgente non valuerũt ſuſtinere exprobrationem, & Chriſtum deficiendo negauerunt: C ideo iſte in eorum perſona orat,dicens,*Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.* Multi enim defecerunt ad horam negãdo,ſed pœnitendo poſtea reuixerunt:vel etiam martyrij quam perdiderãt palmam,reparata confeſſione ſumpſerunt. Nõ ergo vſquequaq;:hoc eſt,non omnimodo verbũ cecidit veritatis. Ex ore enim Petri verbum veritatis ablatum eſt:qui etſi ad horam negauit,timore turbatus:tamen flendo eſt reparatus:& confitendo eſt poſtea coronatus. Vel ergo loquitur in perſona illorum qui negantibus plurimis remanſerunt fortes : qui vſq; ad mortem pro veritate certauerunt. Vel in perſona eorum qui ad tempus negauerunt, ſed poſtea confitendo ſunt reparati:ex quorum ore verbum veritatis eſt ablatum:ſed non vſquequaq;. D Quod autem dicit,*Ne auferas*,intelligendum eſt,ne auferri ſinas.Sequitur,*Quia in iudiciis tuis ſuperſperaui.* Quid ſibi vult,*in verbis tuis ſuperſperaui*:vel *in iudiciis tuis ſuperſperaui*?Reſpondebo (inquit) exprobrantibus mihi verbũ,quia ſperaui in ſermonibus tuis, id eſt,quoniam mihi hoc ipſe promiſiſti. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis,quia in iudiciis tuis ſuperſperaui*, id eſt quoniam iudicia tua quibus me corripis & flagellas,non ſolum nõ auferunt ſpem, verumetiam augent:quoniam quẽ Deus diligit,corripit:flagellat autem omnem filium quem recipit. Vel aliter (iuxta primum ſenſum) hic orat Pſalmiſta vt in doctore verbis opera concordent, ne verum ſermonem opera mala confundant. Et ad hũc ſenſum exponit hunc verſum hic Ambroſius,dicens, E *Et ne auferas de ore* &c. Nõ auferatur ex ore tuo verbum,ne fortè verbis facta non cõgruant:& deforment iniquitatis opera magiſterii diſciplinæ. Tollitur ex ore verbum,cùm dicitur peccatori,Quare tu enarras iuſtitias meas? Et ipſa obmuteſcit facũdia,ſi ægra ſit conſcientia. Orat ergo Pſalmiſta ne auferatur ex ore ſuo verbum : & ſi auferatur, non A vſquequaq;,id eſt non penitus auferatur. Quis tãtus eſt, qui in poteſtate ſua gratiam diſputationis eſſe cõmemoret : præſertim ſi vita redarguat quod docere præſumat, & iudicio Dei damnanda committat? Is enim qui in iudiciis Dei ſperat, ſeruare poteſt verbum veritatis : quia dum veretur pœnã, cuſtodit gratiam. Et ad hũc ſenſum loquitur Gregor.iſtum verſum inducendo ſuper illo verbo Iob 12,Commutat labium veracium:dicens, Cum ſacerdos nõ agit bona quæ loquitur,ei etiam ſermo ſubtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur. ſicut per prophetam dicitur, Peccatori autẽ dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas : & aſſumis teſtamentum per os tuũ?Vnde & precatur,dicens, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.* B Perpendit namq;, quòd omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit : & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore ſuo non auferri petit, quid aliud quàm gratiam bonæ operationis quæſiuit? Acſi apertè diceret, A bono opere errare me non ſinas:ne dum amitto ordinem bene viuendi, rectitudinẽ perdam loquendi. Et plerũque doctor qui docere audet quod negligit agere, cum deſierit bona loqui quæ operari contempſit,docere incipit ſubditos praua quæ agit:vt iuſto omnipotentis Dei iudicio in bono nec iam linguam habeat, qui habere bonam vitam recuſat: quatenus cum mens eius terrenarum rerum amori intendit, de æternis rebus non ſemper loquatur &c.

*Veritas oris quid eſt.*

*Negantium Chriſti aliqui ſunt reparati.*

*Hebr.12.*

*Verbis opera cõcordare debent in doctore.*

*Prædicator loquendi audaciã perdit, qui non facit quod dicit.*

*Gregor.11. moral.c.9.*

*Pſal.49.*

C Et cuſtodiam legem tuam ſemper, 2118
in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Hic oſtendit quartum : ſcilicet quòd voluntas noſtra per Chriſti incarnationem in bono radicatur. Vbi notandum, quòd plenitudo legis eſt ipſa charitas & dilectio:vt dicit Apoſtolus.Et ideo nomine legis intelligitur mandatum charitatis : quo ſcilicet Deus diligitur & proximus. Quia igitur cæteris virtutibus theologicis deſinentibus in patria,ſola virtus charitatis manebit in beatis:immò ipſa tunc in beatis erit perfecta : quia ſine impedimẽto corporis corruptibilis,toto corde,tota mẽte ferentur in Deum:& vt in ſeipſos in proximũ.Ideo de iſta lege charitatis, hic dicit Pſalmiſta, *Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum* (id eſt in præſenti D vita) *& in ſæculum ſæculi*, id eſt, in æternũ in vita futura. Sic enim iſtum verſum hic exponit Auguſt. dicens,*Et cuſtodiam legem tuam* &c.id eſt,ſi nõ abſtuleris ex ore meo verbum veritatis : cuſtodiam legẽ tuam ſemper, & in ſæculum ſæculi. Ex hoc enim oſtendit quid dixerit ſemper. Semper enim aliquãdo intelligitur quandiu hic viuitur : ſed hoc nõ eſt in ſæculum & in ſæculum ſæculi. Melius itaq; interpretatum eſt quàm vt quidam codices habent, in æternum,& in ſæculum ſæculi : quia non potuit dicere in æternum æterni. Lex itaq; iſta intelligẽda eſt,de qua dicit Apoſtolus,Plenitudo legis,charitas.Hæc enim à ſanctis, quorum ex ore non auferetur verbum veritatis:hoc eſt ab ipſa Chriſti eccleſia,cuſtodietur non ſolum in hoc ſæculo, id eſt E donec finiatur hoc ſæculum : ſed etiam in alterum, quod appellatur ſæculum ſæculi.Nec enim præcepta legis ſicut hic,ibi etiam accepturi ſumus vt cuſtodiamus:ſed ipſam (vt dixi) legis plenitudinẽ ſine vllo peccãdi timore ſeruabimus : quia & Deum plenius cũ ipſum viderimus amabimus,quia Deus erit omnia in omnibus.Nec falſæ cuiquam de proximo ſuſpicionis erit locus, vbi nullus nulli erit occultus. A Iſtum intellectum etiam hic confirmat Ambroſius,dicens,*Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum & in ſæculum ſæculi.* Duo dixit, cum vnũ ſatis eſſe poſſet:ſi vnũ ſignificare voluiſſet : ſed quia non ſolum in prçſenti vitæ huius tempore,ſed etiã in futuro poſt huius vitæ circulum cuſtodiẽda lex promittitur : ideo arbitror quia & ſecundum eos qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cœleſtium : & ſecundum eos qui in cœleſtibus ſiti,ſecundum veram legem cultus Deo ferunt : pollicetur ſibi eſſe viuendum,vt & hic & ibi legem cuſtodiãt.Hic, in exemplari,in ſpeculo,in ænigmate:ibi,in ipſa facie veritatis.Vel aliter : quoniã hoc quod hic dicitur, *ſemper & in ſæculum ſæculi* : in Græco,vnde trãſlatum eſt:non ſolum ſignificat ſemper,ſed etiam eſt idem B quod per omnia.vt ſit ſenſus,*Cuſtodiam legem tuam ſemper* &c.id eſt,Per omnia, id eſt per omnem ætatem tam corporis quàm animç.Et iſtum intellectũ hic ponit Ambroſ.dicens,Poſſumus etiam & illud intelligere : quia illud quod hic dicitur, in Græco nõ ſolùm ſignificat hoc quod dicitur Semper : ſed etiam hoc quod eſt Per omnia.Quia per omnia legem cuſtodit qui cùm ſit eruditus in lege,ſub lege natus,& ſupra legem gradum ſuæ deuotionis promouens,liberatur à lege. Chriſtus enim nos redemit à maledicto legis:non ſine lege Dei,ſed in lege factus eſt Chriſti. Aut certè ſic per omnia legẽ cuſtodiemus,ſi per legitimã pueritiæ atq; adoleſcentiæ diſciplinam,iuuẽtutis conuerſationẽ, ſenectutiſq; maturitatem, ſingulis præſcriptum ætatibus nequaquam vitæ noſtrç vſus excedat.ſimiliter etiã C & animæ noſtræ quædam videntur eſſe ætates,per quas percurrit & tranſit:vt poſſit dicere, Curſum conſumaui. Deniq; animæ noſtræ ætas eſt illa, de qua dicitur, Et ætas ſenectutis vita immaculata. Per omnia ergo legem cuſtodit qui in illis corporis ætatibus, & in illis animæ noſtræ proceſſibus, non declinat à lege.

*Lex Dei eſt charitas. Rom.13.*

*Sæculũ ſæculi ſignificat æternitatem.*

*Semper ſignificat totũ tempus vitæ præſentis.*

*Rom.13.*

*...in græ... ſignificat ...omnia.*

*...ſtates ha... ...num ſolum ...pus, ſed e... ...us animæ.*

*Sap.4.*

2119 Et ambulabam in latitudine : quia
mandata tua exquiſiui.

Hîc oſtendit quintum : ſcilicet quòd per Chriſtũ Dei charitas in nobis dilatatur. Chriſtus enim per ſuam incarnationem,maximam nobis charitatem oſtendit, vt ſe pro nobis tradere vellet. Cuius exemplo in nobis excitatur charitas ac dilatatur. D Vnde de dilectione,quaſi de ſingulari mandato ait, Hoc eſt præceptum meum. Sancta igitur mater eccleſia ſeruans charitatis præcepta in quibus tota lex pendet & prophetæ,dicit, *Et ambulabam in latitudine &c.* Et vide quòd hic Pſalmiſta mutat modũ loquendi.Nam in toto iſto octonario vſque ad iſtũ locum locutus eſt optatiuè per modum orantis, dicens, *Et veniat ſuper me miſericordia tua &c.* Nunc autem incipit loqui narratiuè : quaſi oſtendens in omnibus prædictis ſe à Deo fore exauditum. Et ideo hic narrat prçdictæ exauditionis effectũ. Quaſi dicat,Poſtquam fui à Deo exauditus, quia venit ſuper me miſericordia ſua & ſalutare ſuum : tunc ego eius amore inflammatus, ambulabam in latitudine,id eſt,in charitate, per quam cor dilatatur: E ſicut per iram & inuidiam,charitati oppoſita,conſtringitur.Sic enim iſtum paſſum exponit Auguſt. dicens,Petebat homo Dei ſuperius adiutoriũ gratiæ,cũ dicebat,*Et veniat ſuper me miſericordia tua domine*:& alia ſimilia.Nunc autem dicit,*Et ambulabam in latitudine*,vbi narrantis verba ſunt,non petentis:velut impetratis quæ petierat, confitetur in Dei lau- A dibus qualem illum fecerat miſericordia domini, quam ſupra ſe venire popoſcerat. Quid eſt igitur, *Et ambulabam in latitudine*,niſi ambulabam in charitate? quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctum,qui datus eſt nobis.In hac latitudine ambulabat Paulus,qui dicebat, Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij:cor noſtrum dilatatum eſt.Vel aliter hoc deducitur.Vbi notandum, quòd quamuis Deus ſit ſpiritus ſimpliciſſimus omni corporali carens dimenſione, tamen figuratiuè in ſcriptura dicitur habere corporũ dimenſiones:vt latitudinem, longitudinem,ſublimitatem & profundum:dicente Apoſtolo Paulo, Vt poſſitis comprehẽdere cum omnibus ſanctis,quæ ſit Dei latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum. Quod declarans Greg. B dicit.Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem ſuam vſque ad collectionem perſequentium tendit.Habet longitudinem,quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerãdo perducit. Habet ſublimitatem, quia ipſorũ quoque intelligentiam, qui recepti in ſuperna fuerint cognitione trãſcendit.Habet profunditatem, quia damnatis inferius diſtrictionis ſuæ iudicium incomprehenſibiliter exerit. Quæ ſcilicet quatuor nobis in hac vita poſitis ſingulis exercet:quia & latitudinem amando, longitudinem tolerando, ſublimitatẽ, non ſolum noſtram intelligentiam,ſed etiam vota ſuperando; & profunditatem ſuam exhibet, occultos & illicitos cogitationum motus diſtrictè iudicando. Sed eius excelſitudo & profunditas quàm ſit inueſti- C gabilis,nullus agnoſcit:niſi qui vel contemplatione ad ſumma prouehi,vel occultis motibus tentationum reſiſtens cœperit importunitate turbari. Ad propoſitum ergo:quid eſt dicere, *Et ambulabam in latitudine* : niſi Continuè cogitabam dilectionem Dei,qua nos ſcilicet ſic dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret? Qui enim in hac latitudine ambulat,Deum offendere non poteſt. Vel aliter : vt latitudo ſpiritualis ſit altitudo corporalis : ſic ſcilicet quòd qui ambulat per viam innocentiæ quæ eſt arcta,ambulat ſpiritualiter per viã latã : quia quod eſt ſtrictum corpori,latum eſt menti.Et ſic per oppoſitum, quod amplum & latum eſt corpori, ſtrictum eſt menti.Vt patet de auaro, qui quanto amplius diuitiis dilatatur exterius, tanto amplius cor D eius interius coanguſtatur.Quid eſt ergo ambulare in latitudine,niſi innocenter viuere?Et iſtum intellectum hic Ambroſius ſentire videtur, dicens, *Et ambulabam in latitudine &c.* Qui ſecundum mandata anguſtam & arctã graditur viã,ambulat in latitudine. Vnde legimus, In tribulatione dilataſti mihi.Et alibi,In tribulatione inuocaui dominum: & exaudiuit me in latitudine dominus.Sapiẽs enim in cordis ſui ambulat innocentia: qui mentẽ ſuam non intra corporalia & terrena concludit,ſed dirigit ad cœleſtia:vt conuerſatio eius ſit in cœlis. Audi multas anguſtias patientem Paulum. Preſſuram (inquit) patimur,ſed nõ anguſtamur.Et quomodo anguſtari poterat,cuius os ſemper patebat,ne cre- E dentes coarctarentur? Ipſe exponit quid ſit ambulare in latitudine.Dicit enim,Etſi corpus anguſtatum eſt, cor meum dilatatum eſt. Sed qui improbus in ſeipſo coarctatur,malitiæ ſuæ laqueis ſtrangulatur. Conſtitue mihi auarum, villarum quotidie terminos proferentem, & excludentem vicinos : vtrum is tibi dilatari an coanguſtari videtur, quem terra ipſa non capit? Quantacunque ſpacia domus ſuæ porrexerit, clauditur anguſtis opinionis

*Latitudo dilectio charitas.*

*Ioan.15.*

*Rom.5.*

*2.Corin.6.*

*Epheſ.3.*

*Greg.10. mor.cap.11. Latitudinẽ, lõgitudinem, altitudinem & profunditatem Deus habet. Latitudo Dei eſt eius dilectio.*

*Latitudo dicitur vita ſancta & innocens.*

*Pſal.4.*

*Pſal.117.*

*2.Cor.4.*

*Arcta via eſt vita peccatoris.*

nis ſuæ finibus,cui quod habet, non ſatis eſt. Non eſt talis qui dicere poſſit, *Et ambulabam in latitudine,* Sequitur, *Quia mandata tua exquiſiui.* Hic huius ambulationis cauſam reddit:qui enim debitè exquirit diuina mãdata,profectò habet quod cupit. Vnde hic Auguſt. dicit, Si ſcire volueris quomodo hæc mandata quærenda ſint,illud audi quod dicit magiſter bonus,Petite,& accipietis:quærite,& inuenietis:pulſate, & aperietur vobis. Et paulo pòſt inquit,Si ergo vos cùm ſitis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris:quanto magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Vbi euidenter oſtendit quod dixerat, Quærite, petite, & pulſate: non niſi ad poſtulandi, hoc eſt ad orandi inſtantiam pertinere.Hic eſt ille ſpiritus,per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris: vt Deum proximúmque diligendo, Dei mandata faciamus. Hic eſt ille ſpiritus qui nos facit petere,quem deſideramus accipere.Ipſe nos facit quęrere,quem cupimus inuenire.Ipſe nos facit pulſare,ad quem nitimur peruenire.

*Qui petit accipit,quiquæſiit inuenit. Matth.7. Lucæ.11. Rom.8.*

## 2120 Et loquebar de teſtimoniis tuis in cõſpectu regum, & non confundebar.

Hic oſtẽdit ſextum: ſcilicet quòd per Chriſtum incarnatum illata opprobria non timẽtur. Si enim omnis Chriſti actio, noſtra eſt informatio: & ipſe ante reges & præſides opprobrioſe ductus, increpatus ſtetit: ſequitur quòd ipſum boni ſequentes, opprobria & irriſiones, nec etiam verbera timent. vt ipſorũ quilibet dicat, *Et loquebar &c.* Iſte textus dupliciter exponitur: ſcilicet de malis regibus & tyrannis, ante quorum cõſpectum ducti martyres, vt Chriſtum negantes ſacrificarent idolis: in quorum tamen præſentia ſancti martyres conſtanter Chriſti fidem loquebãtur & ſine timore. Sic enim exponit iſtum locum Auguſt.dicẽs, *Et loquebar &c.* tanquam ille qui petierat & acceperat, vt reſponderet exprobrantibus ſibi verbum:& non auferretur de ore eius verbum veritatis. Itaque pro illa vſque ad mortem certans,nec in conſpectu regum confundebatur eam loqui. Teſtimonia quippe de quibus dicit quòd loquebatur, Græcè martyria dicũtur: quo verbo iam ſcriptura loquitur pro Latino.Vnde dictum eſt, ſcilicet vocabulũ martyrum, quibus antè prædixerat Chriſtus quòd ante reges & præſides ipſum fuerant confeſſuri. Vel hæc verba ſpecialiter poſſunt eſſe cuiuſlibet martyris, qui conſtanter Chriſti fidem ante reges & pręſides ductus confitebatur. Cuius exemplum habemus in Petro:qui licet ante ſpirituſſancti miſſionem timẽs, Chriſtum negauerit:pòſt tamen omni pulſo timore Chriſtum confitebatur.vt deducit Gregor. vide ſuprà verſ. 1008. Secundò exponitur iſte verſus de bonis regibus, ſcilicet de prælatis eccleſiæ & paſtoribus:ante quorum conſpectum loquuntur ſine confuſione de teſtimoniis Dei, qui rectam fidem ſapiunt & confitentur, & quod verbis prædicant, operibus implent. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum hic exponit Ambroſius,dicens, Poſſumus hic & illos reges intelligere, quibus dicitur à Petro, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Sunt enim reges qui offerunt in Hieruſalem ſapientiæ ſuæ munera:quibus data eſt gratia verbum loqui, & quadam poteſtate regali flectere populos, & animas mulcere ſanctorum: non erubeſcentes in eo, quia nihil alienum ab honeſtate loquerentur:quos nemo redarguet,& repellet quaſi nõ ſint digni. Quos idoneos miniſtros Chriſtus fecit noui teſtamenti: etiam in nullo erubeſcentes:eo quòd non metuerent ne confunderentur,diſceptantium certa aſſertione ſuperati.Rex igitur eſt,qui non erubeſcat ne reprehẽdatur in actu, redarguatur in ſermonibus, eo quòd vita debeat eſſe fundatus,& verbo.Itaque quamuis perfectus eſſet propheta vt non erubeſceret in conſpectu regum,tamen meditabatur in pręceptis Dei omni vitæ ſuæ tempore: & opera ſua eleuans, nihil agens quod terrenis cupiditatibus adhæreret.

*Martyrum conſtantia. Matth.10. Gregor.17. mor.cap.16. Reges prælati dicuntur. 1.Petr.2.*

## Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. 2121

Hic oſtendit ſeptimum:ſcilicet quòd per Chriſtũ meditatio cordis perluſtratur. Cum enim Chriſtus ſit lux vera quæ illuminat omnem hominem, quia nullus ſine ipſo illuminatur interius:hinc eſt, quòd ipſe eſt qui intellectum noſtrum illuſtrando, eleuat ad meditationem mandatorum Dei atque dilectionem. Et vide rectum ordinem verborum. Nam cognitio rei eius dilectionẽ præcedit, ſaltem ordine naturæ. Nihil enim poteſt voluntas diligere,niſi prius illud per intellectum fuerit cognitum. Poteſt autem cognoſcere aliquid,& ipſum non diligere.Ideo hunc ordinem ſeruat hic Pſal. meditationem præponens dilectioni. Meditatio enim ad intellectum pertinet. Et ſicut finis meditationis eſt illius rei memoria:ſic & finis dilectionis eſt operatio.Et hoc hic notãs Ambroſ.dicit, Pulcherrimus ordo iſte: vt primò meditemur, & eorum præceptorum quæ diligimus,ſit in nobis aſſueta meditatio. Meditatio enim mandatorum cœleſtium operis boni vſus inoleſcit.Nam ſicut meditationi verborum finis memoria eſt, vt quæ meditamur verba teneamus:ſic meditationis præceptorum cœleſtium intentio vel finis,operatio eſt, actúſque directus ad implenda præcepta diuina: quæ niſi quis diligat,implere non poteſt. Et nota quòd iſto verſiculo & ſequenti Pſal. oſtendit quibus modis circa diuina mandata nos habere debemus,& ipſa diligere.Quod pertractans Bernard.dicit, Tribus modis oſtendit Pſal. mandata Dei à nobis eſſe diligenda:ſcilicet,meditatione, manuũ eleuatione (id eſt, operatione)necnon exercitatione. In meditatione enim dulceſcunt mandata Dei, conſiderantibus quàm ſalubria ſunt,quàm honeſta: ſed aliis dulcia ſunt & ſuauia in meditatione: ſed in operatione grauia videntur & amara, quia ipſi pigri ſunt ad operandum.Quam pigritiã à ſe remouet Pſal.dum dicit, *Et leuaui manus meas &c.* Sunt item nonnulli qui meditatione & actione videntur amare Dei mandata & in his delectari:ſed in exercitatione puſillanimes inueniũtur,minúſque conſtãtes. Quod à ſe remouet Pſalmus,dum dicit,*Et exercebor in iuſtificationibus tuis.* Amor itaque mãdatorum Dei conſumatur.Alioquin ingratus reputabitur, cum diſcuſſio venerit & actionis & exercitationis.Et ideo actioni & exercitationi meditationis præponit amorem,dicens, *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.*Et attende quòd ſignum quo quis Dei mandata diligat,duplex maximè reperitur.Primum ſignum eſt doloris magnitudo ex illorum omiſſione: ſecundum eſt, voluntatis promptitudo in ipſorum obſeruatione. Primum igitur declarat quantitatem

*Mãdatorum Dei dilectio cõſiſtit in tribus. Dilectionis præceptorum Dei duplex eſt ſignum.*



tem amoris.quanto enim aliquid intenſius diligitur,tanto eius abſtinentia moleſtius portatur. Dicit enim Iſidorus 12.etym.quòd aliqui ſunt equi, qui ſic dominos ſuos cognoſcunt & diligũt,quòd alios dominos portare recuſant. Immò ſi alius eos velit aſcendere, ſtatim obliti omnis mãſuetudinis, ipſos non ſolum non ſuſtinent,ſed ipſos ad terram proiicere conantur totis viribus. Tales equos habuerunt aliqui magni imperatores: vt Alexander magnus,& Caius Cęſar:vt dicit Solinus.Sic & cõformiter ſancti & electi homines, qui ſunt quaſi equi Chriſti,quos ipſe Chriſtus in nundinis huius mundi ſanguine proprio emit,vt ipſum in ſuo corde portarẽt, 1.Cor.6,Empti enim eſtis precio magno: glorificate & portate Deum in corde veſtro. Iſti dominum ſuum Ieſum Chriſtum non ſolum verbo recognoſcunt, ſed etiam opere eius adimplentes mandata. Et ſi contingat eos mutare dominum ſuum, ſicut accidit per peccatum, ſtatim obliti omnis manſuetudinis,continuò ipſum alienum dominum nituntur excutere. Multi autem alium dominum dorſo ſuo non recipiunt, nolentes portare diabolum: quia ad ſe emptos recognoſcunt,vt Chriſtum portent dominum ſuum. Et in hoc oſtendunt ſe Chriſti mandata diligere.Ioã.14, Si diligitis me,mandata mea ſeruate. Secũdum ſignum eſt voluntaria præceptorum dilectio. Dicit enim Ambroſ.ſuper iſtum Pſalm. Ille verò diligit, qui ſine triſtitia,ſine timore:ſed potius voluntario ſtudio quàm coactè obſeruat præcepta. Dicitur enim in libro De vita philoſophorum, quòd Ariſtotel.interrogatus, quid ſibi ex philoſophia acquiſiuiſſet:Reſpondit, Ex philoſophia didici non coactè facere,quod aliqui faciunt propter legis timorem. Ariſtippus etiam Philoſophus interrogatus, quid Philoſophus quàm cæteri homines haberet:Reſpondit,Si leges perditæ eſſent,omnes ſimiliter viueremus,vt viuimus legibus manẽtibus. Hoc enim facere philoſophia,docet. Et eodẽ modo eſt de veris philoſophis, ſcilicet de veris Chriſtianis amatoribus veræ ſapientiæ, quæ Chriſtus eſt. Hoc enim habent ex vera philoſophia, quòd omnia quæ lex diuina præcipit,non timore pœnæ vel coacti,ſed amore voluntatis perficiũt.Et ſi nulla lex eſſet etiam ſcripta,hoc idem facerẽt. Propter quod dicit Apoſtolus, quòd iuſtis non eſt lex impoſita.Et ideo voluntariè illam implere arguit philoſophiam:ſcilicet verum Chriſti amorẽ. Ioan.14, Si quis diligit me,ſermonem meũ ſeruabit. Et hoc eſt quod Pſalmiſta in perſona cuiuſlibet iuſti dicit, *Et meditabor in mandatis tuis quæ dilexi.*

*Iſidorus. Equi amor ad dominos ſuos. 1.Cor.1.*

## 2121 Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iuſtificationibus tuis.

Hic oſtendit octauum:ſcilicet quòd per Chriſtum noſtra operatio in Deum eleuatur. Docuit Chriſtus nos non propter temporalia bona opera facere,ſed contẽplatione cœleſtiũ,dicens Matth.5, Attendite ne faciatis iuſtitiam veſtram coram hominibus &c. Cum aliquid propter terrena operamur,manus deponimus ad terram: cũ ſolum propter Deum, tunc manus leuamus ad cœlum. Hac ergo lege doctus Pſalmiſta dicit,*Et leuaui manus* &c. Leuat ergo manus ſuas ad mãdata Dei,qui illa cuſtodit operibus: non propter aliquod temporale præmium, vel vanam laudem: ſed ſolum propter ipſum Deum & amorem cœleſtium. Sicut ecõtra, ille deponit manus ad mãdata Dei,qui illa propter aliquod terrenum obſeruat pręmium.Vnde hic ait Auguſt. Dilexit iſte mandata Dei & cogitando & operãdo.Nam quòd ad cogitationem pertinet,ait, Et meditabar in mãdatis tuis.quòd autem ad operationem,*Et leuaui manus meas ad mandata tua.* Vtriq; autem ſententiæ addidit,*quæ dilexi.*Finis enim præcepti charitas eſt de corde puro. Quando iſto fine, id eſt huius rei contemplatione fit mãdatum Dei, tunc fit verè opus bonum:& tunc leuãtur manus, quia ſupernum eſt quò leuantur.Propterea de ipſa charitate loquens Apoſtolus,ait, Supereminẽtem viam vobis demonſtro.Nam ſi de opere mandatorũ Dei merces terrenæ felicitatis expetitur: deponuntur manus potius quàm leuantur,quia terrena emolumenta quæ nõ ſurſum,ſed deorſum ſunt,illo opere requiruntur.Ad vtrunq; autẽ pertinet quod ſequitur, *Et exercebor in iuſtificationibus tuis.* Exercetur quippe in iuſtificationibus Dei lætus:qui mãdata eius quæ diligit,& cogitandi & operandi delectatione cuſtodit.Vel aliter:Ad mandata Dei manus leuare, eſt Deum orando manus ad Deum in modum crucis explicare corde. Vnde gl.ſuper illud Pſalm.62, Sic benedicam te in vita mea:& ſic nomine tuo leuabo manus meas. dicit ſic,Leuabo manus meas ad opera bona: vt Chriſtus ſuas manus leuauit in cruce pro nobis:vt manus noſtræ tã corporis quàm bonæ actionis extendãtur ad Deũ. In nomine domini nẽpe manus ſuas leuat qui bonis operibus inſiſtẽdo, tenſis manibus in modum crucis Deum orat. Vnde Apoſtolus ait, Leuantes manus puras in oratione ſine ira & diſceptatione. In huius rei figura præceſſit quod Moyſes in Exodo legitur feciſſe. Qui dum in oratione manus ad Deum leuabat,populus Dei vincebat Amalech:dũ verò manus deponebat, ſuperabatur Iſrael. Quia dum aliquis bona operatur pro cœleſtibus, vincit Amalech:id eſt domum,turbam,ſanguinem perditionis noſtræ lingentem:dum autem deponit manus,id eſt pro terrenis operatur,vincitur ab Amalech.Et nota quòd multa ad Deũ leuare debemus. vide verſic.993.

*Leuare manus eſt pro cœlum opera[illegible] pro terre[illegible]. 1.Cor.13. 1.Tim.2. Exod.17. Leuare multa debemus ad Deum.*

## MEmor eſto verbi tui ſeruo tuo,in quo mihi ſpem dediſti. 2122

Hic incipit ſeptimus octonarius: cui præmittitur ſeptima litera alphabeti Hębraici:quę eſt Zain. Quæ litera meritò huic octonario præmittitur: quæ dupliciter interpretatur. primò Zain: id eſt duc te.ſecundò interpretatur huc. Et ſic hæc litera Zain tantum valet, ſicut duc te huc. In iſto autem octonario vult cuilibet noſtrũ oſtendere Pſalmiſta, quibus virtutibus ſeipſum poſſit ducere huc,ſcilicet de præſentibus ad futura:de temporalibus ad æterna: de terrenis ad cœleſtia: de labore ad requiem. Quoniam in hoc octonario ſeptimo agit de ſpe promiſſionum, quæ facit omnia pacificè tolerari:per quam mens bona eleuatur de temporalibus & viſibilibus ad cœleſtia & inuiſibilia: in quibus eſt vera mentis requies & tranquillitas. Et ideo meritò iſte octonarius ſeptimo loco ponitur:quia per ſeptimum numerum requies denotatur. Septimo enim die requieuit Deus ab operibus ſuis. Præmittitur igitur litera zain: id eſt duc te huc,à labore ad requiem. Quod fit per ſpem in verbo diuino habitam:de qua hic agit octonarius.

*Zain.*

Quod patet ſi conſideres quòd ſpes in verbo Dei habita octo facit in nobis,ſecũdum quæ iſte octonarius octo habet partes.Nam ſpes primò de temporalibus ad æterna ducit animã:in principio : ſecundò humilitate reprimit ſuperbiam,ibi, *Hæc me:* tertiò legis plenam inducit obſeruantiam,ibi, *Superbi:* quartò iudiciorum Dei acuit memoriam,ibi, *Memor fui:* quintò compaſſionem efficit & clementiam,ibi,*Defectio:* ſextò conſolationem ſpiritus efficit & lætitiam,ibi,*Cantabiles:* ſeptimò mandatorum Dei firmat cuſtodiam,ibi,*Memor:* octauò ſolicitudinẽ præſtat & diligentiã,ibi,*Hæc facta eſt mihi.* Quantum ergo ad primum, notandum quòd nullus inſimul ſpem in Deo habere poteſt & in creatura. Vnde qui ſperat in Deo, deſperat de creatura: & qui in creatura ſperat,deſperat de Deo:ſicut nemo duobus dominis ſeruire poteſt. Et hoc eſt quod dicit Gregor.quòd in creatura ſperare,eſt deſperare de Deo.Ex quo conſequẽter ſequitur,quòd ſpes in Chriſtum(qui Deus eſt)ponere : eſt mẽtem à tẽporalibus ad æterna ſubleuare. Quod conſiderans Pſalm.ſolum in verbo Dei ſpem poſuit,dicens, *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo &c.* Sed hic primò dubitatur quomodo Pſalm.dicit Deo,*Memor eſto* &c. cum in Deo nulla cadat nec cadere poſſit obliuio, nec mutabilis dici poſſit.Qui tamen in ſcriptura quãdoque oratur vt memoretur,vt Memento domine Dauid &c.& hic:quãdoq; verò rogatur vt nõ memoretur:ſicut ibi, Ne memineris iniquitatum noſtrarum:Pſal.78.Ad hoc hic reſpondet Auguſt.dicens,Non vt hominibus iſta contingunt,ita intelliguntur in Deo. Nam ſicut Deum pœnitere dicimus,quando præter hominũ ſpem res mutat,conſilio non mutato,quia conſilium domini manet in æternum:ita dicitur obliuiſci, quando tardare videtur adiutorium vel promiſſum,vel nõ retribuere digna peccantibus : tanquam eius memoriæ ſit elapſum,quod ſperatur ſiue timetur,& non fit. Sic ergo Pſalm.quia ſibi videbatur domini adiutoriũ tardare quod ardenter ſperabat, Deum exorãs ait, *Memor eſto verbi tui* &c.Deus enim per antiquos prophetas promiſerat verbum ſuum ad nos per carnis ſuſceptionem mittere. Ideo vt hoc citò fiat orabat Pſalm.dicens, *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo* &c. Vbi Auguſt.Cùm enim dicitur,*Memor eſto*,orantis deſiderium quo promiſſum poſtulat, oſtenditur : non Deus admonetur, quaſi de eius mente exciderit. Quaſi dicat Deo, Imple promiſſum ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.hoc eſt,in quo verbo:quoniam promiſiſti,me ſperare feciſti. Vel aliter:vt per verbum non intelligatur Dei filius,ſed verba ſacræ ſcripturæ:quæ verba Dei dicuntur, quia à Deo reuelata.Et omnia vnum verbum dicuntur, quia ab vno Deo & ad vnũ finem intendunt:vt ſcilicet malum fugiendo, bona faciamus.Et ad iſtum ſenſum exponit hic Ambroſ.iſtum verſum,dicens, *Memor eſto verbi tui* &c. Verbum Dei deiectos nos atque depreſſos ad cœleſtem patriam prouocauit : vt deſideremus æternitatem,deſpiciamus præſentia tẽporalium:futura & inuiſibilia requiramus. Vocat nos ad ſe Dei verbum:ſicut habes ſcriptum,Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Ideóq; ſequamur vocantem dominum Ieſum,vt à ſecularibus ad perpetua trãſeamus:nóſque ipſos regere nouerimus. Et infrá. Ex iſtis enim attractus Pſal.ſperare nõ deſinit : & propheticæ fidei auctoritate conuenit dominum, vt meminerit promiſſorum ſuorum, quorum immemor eſſe non ſoleat. Sanctis enim quæcunq; ſpoponderit,implere conſueuit:noſtrarum immemor iniquitatum,ſuarum non immemor ſponſionum. Ideóq; admonet Pſal.dicẽs Vt meminerit dominus verbi ſui:quo ad ſperandum nos prouocat, vt terrenis renunciemus,& inhæreamus cœleſtibus.Dicit ergo,*Memor eſto* &c.Quaſi dicat, Certaui : brauium peto verbi tui quod promiſiſti mihi : memor eſto ſpõſionum tuarum,quas promiſiſti ſeruo tuo. Non vſurpatoriè ſperaui, quia tu ipſe me ſperare feciſti.Seruus ſum : expecto alimentum à domino. miles ſum:exigo ab imperatore ſtipendium.vocatus ſum:poſtulo ab inuitãte promiſſum &c.Et nota, quòd hic Pſalm.conſidẽter petit æternam retributionem propter tria, quæ in iſto verſiculo continẽtur.Primò propter promiſſionem:quod notatur,cum dicitur,*Memor eſto verbi tui.* Secundò propter obediẽtiam & humilitatẽ:quod notatur cùm dicitur,*Seruo tuo.* Tertiò propter firmitatem : quod notatur dum dicit,*In quo mihi ſpem dediſti.*

*Spes in Deo eleuat animã à tẽporalibus.* — *Gregor.21. moral.cap.2.* — *Quæſtio.* — *Memoratur Deus & obliuiſcitur, & quomodo.* — *Verbi diuini vtilitas.* — *Matth.11.*

## Hæc me conſolata eſt in humilitate mea : quia eloquiũ tuũ viuificauit me. 2123

Hîc oſtẽdit ſecundũ:ſcilicet quòd ſpes in Chriſtum dat humilitatem & reprimit ſuperbiam. Vera enim ſpes non ſtat cum ſuperbia,cum qua nullum ſtat verum meritum. Ipſa autem ſpes non eſt ſine merito vero,quoniam ſperare ſine meritis, non eſt ſpes, ſed præſumptio : vt ait Magiſter lib.3. Et ſic conſequẽs eſt,quòd ſpes humilitatem exigit,& reprimit ſuperbiam. Ideo dicitur,Spera in Deo. Et conſequenter addit quomodo ſperandum ſit, dicens, Et fac bonitatem. Et hoc notans hic Pſalm. ait,*Hæc*(ſcilicet ſpẽs)*conſolata eſt me in humilitate mea.* Notandũ tamẽ quòd multiplex eſt humilitas : ſcilicet virtutis,& pœnalitatis exterioris, & pœnalitatis interioris. Et de omni iſta humilitate poteſt iſte verſus intelligi. Primò ergo eſt humilitas virtutis, qua quis recognoſcens ſeipſum & defectus ſuos,ſe ſponte Deo ſubiicit & humiliat:& peccata ſua confitetur contritus. Et in iſta humilitate ſpes habita in Chriſtum,ſcilicet ſpes veniæ, ſic humilẽ conſolatur : ſine qua peccata remitti non poſſunt. Et de iſta vera humilitate virtutis, hic ait Auguſt. *Hæc me cõſolata eſt in humilitate mea.*hæc(ſcilicet ſpes) quæ data eſt verè humilibus : dicente ſcriptura, Deus ſuperbis reſiſtit : humilibus autem dat gratiam. Vnde ore proprio etiam ipſe dominus, ait, Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur : & qui ſe humiliat exaltabitur. Secundò eſt humilitas pœnalitatis exterioris : vt puta quando quis perſequitur, flagellatur & affligitur:de qua Pſalm.43,Humiliaſti nos in loco afflictionis:& cooperuit nos vmbra mortis. Et ſic humiles ſpes in Chriſtum conſolatur : dum patientes ſperant talem humilitatem eis ad præmium æternum proficere:dicentes cũ Paulo, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam &c. Et de iſta humilitate hũc paſſum exponit hic Ambroſ.dicens,*Hæc me conſolata eſt* &c. id eſt hæc ſpes quæ verbo tuo obuenit mihi,conſolata eſt me vt tolerarem acerba præſentium, dum facit vt ſim fidelis futurus. Quomodo conſolatur,accipe.Quis nos(inquit Apoſtolus)ſeparabit à charitate Chriſti?tribulatio, an anguſtia, an perſecutio,an fames,an nuditas, an gladius?ſicut ſcriptum eſt, Quoniam propter te mortificamur tota die,æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Et

*Spes humilitatẽ dat ſuæ cauſat.* — *Pſal.36.* — *Humilitas multiplex.* — *Luce 14.* — *Spes dat patiẽtiã in aduerſis.* — *Rom.8.* — *Rom.8.* — *Pſal.43.*



Et qua ratione illa patienter tolerari poſſint addidit,Sed in his omnibus ſuperamus propter eũ qui dilexit nos.Ergo ſi quis vult aduerſa ſuperare,ſi eſt perſecutio,ſi eſt periculũ,ſi mors,ſi ægritudo grauis,ſi incurſus latronum,ſi facultatũ proſcriptio,ſi quicquid eorum quæ putantur aduerſa in iſto ſæculo,facilè ſuperantur, ſi ſit ſpes quæ conſoletur. Nam & ſi illa acciderint : tam grauia eſſe non poſſunt dicenti, Exiſtimo enim quòd indignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Quiſquis enim meliora ſperat,nunquam leuioribus frãgitur. In tempore igitur humilitatis noſtræ ſpes eſt cõſolatoria,quæ nõ confundit. Conſimiliter de hac humilitate aduerſitatis hunc locum hic exponit Auguſt.dicẽs, Bene etiã hoc intelligi poteſt de humilitate qua quis humiliatur aliqua tribulatione vel deiectione,quã meruit eius ſuperbia:de qua dicit Sapiens, In dolore ſuſtine,& in infirmitate patientiã habe:quoniã in igne probatur aurum & argentum:homines verò acceptabiles in camino humilitatis. Quòd ait Acceptabiles, ibi ſpem dedit quæ conſolaretur in humilitate.Et dominus hãc humilitatem cum diſcipulis prædicauit eſſe vẽturam à perſecutoribus: non eos ſine ſpe reliquit, ſed hanc qua conſolarẽtur dedit:dicẽs, In patiẽtia veſtra poſſidebitis animas veſtras. De ipſo quoq; corpore, quod ab inimicis poſſet occidi & quaſi penitus interire, Capillus(inquit)capitis veſtri nõ peribit. Et hæc ſpes data eſt corpori Chriſti,quod eſt eccleſia : qua cõſolaretur in humilitate ſua.Propter quam ſpẽ dicit Apoſtolus, Si autem quod nõ videmus ſperamus, per patientiam expectamus.Sed æternorum eſt iſta ſpes præmiorum.hęc Auguſt.Tertiò eſt humilitas tentationis interioris:qua ſcilicet continuè impugnamur à mũdo,à carne,& à diabolo.Et in iſta nos conſolatur ſpes diuini adiutorij:de qua humilitate hic ait Ambroſ. Tempus autem tẽtationis,tempus humilitatis animę noſtrę arbitror eſſe. Humiliatur enim anima noſtra,dũ traditur tentatori,duris examinari laboribus,vt luctetur & certet:congreſſum contrariæ experiens poteſtatis.Sed in hac humilitate tentationis nos cõſolatur ſpes verbi diuini.Quod hic oſtendit Auguſt.dicens, Eſt & alia ſpes,quæ in humilitate tentationis plurimum nos conſolatur:quæ ſanctis data eſt in verbo Dei,ſcilicet adiutorium gratiæ pollicentis ne quis deficiat: de qua re ait Apoſtolus,Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:ſed faciet cum tentatione etiam prouẽtum, vt poſſitis ſuſtinere.Hanc etiam ſpem dedit ſaluator ore ſuo:quãdo ait, Hac nocte poſtulauit Sathanas vexare vos ſicut triticũ.Et ego rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua. Hanc etiam ſpem dedit orantibus: quãdo docuit vt dicamus,Et ne nos inducas in tẽtationem.Quodammodo enim promiſit ſe daturũ ſuis periclitantibus,quod dici voluit ab orãtibus. Et nimirum de hac ſpe quæ eſt auxiliũ gratiæ,magis iſte verſus eſt intelligendus dicere,*Hæc me conſolata eſt in humilitate mea.*hæc Aug.Sequitur,*Quia eloquium tuum viuificauit me.* Eloquium enim Dei nos viuificat, quia verbum Dei vita eſt interioris hominis:dicente Chriſto, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quod hic exponens Ambroſ.ait, Viuificatur anima eloquio Dei.hoc eſt enim animæ noſtræ vitalis ſubſtantia,qua alitur,paſcitur & gubernatur. Nec quicquam eſt aliud quod viuere faciat rationalem animam,quàm eloquium Dei.Sicut enim augetur eloquium Dei in anima noſtra,dum ſuſcipitur, dũ intelligitur,dum comprehenditur:ita etiam & vita eius augetur.Et quemadmodum ecõtrario eloquium Dei deficit in anima noſtra : ita & incurrit eius vitæ defectus.Itaq; vt connexio iſta animæ & corporis noſtri,ſpirituali vita animatur atq; alitur & tenetur : ita verbo Dei & ſpeciali gratia anima noſtra viuificatur. Vnde omni genere ſtudere debemus vt reliqua omnia poſthabentes,congregemus nobis eloquia Dei : & congeramus in principale noſtrum,in ſenſus,in ſollicitudines, conſiderationes,actúſq; noſtros:vt eloquiis ſcripturarum facta noſtra conueniant : nec à ſerie præceptorum diuinorum actus noſter diſcordare videatur : quò poſſimus & nos dicere,*Quia eloquium tuum viuificauit me.*hæc Ambroſ.Et hoc eſt quod dicit ſaluator, Qui verbum meum audit & credit, habet vitam æternam.

*Rom.8.* — *Eccl.2.* — *Luce 21.* — *Spes conſolatur in tentationibus.* — *1.Cor.10.* — *Luce 22.* — *Matth.5.* — *Eloquiũ Dei & verbũ eſt animæ vita.* — *Matth.4.* — *Nota bene totum.* — *Ioan.6.*

## Superbi iniquè agebant vſquequaque:à lege autem tua non declinaui. 2124

Hic oſtendit tertium:ſcilicet quòd ſpes plenam inducit legis obſeruãtiam.Quoniam, vt ſtatim dictum eſt,quiſquis meliora ſperat,nunquam leuioribus fatigatur.Cum igitur multo maiora ſpes nobis conferat pręmia,quàm ſint labores quibus lex adimpletur,ſequitur propoſitum : illi autẽ quibus ſpes deficit,laborem præceptorũ recuſant. Et hoc eſt quod hic ait Pſalm. *Superbi iniquè agebant vſquequaque:*ſuperbi,id eſt ſpem nõ habentes &c.Iſta litera duobus modis exponitur. Primò de ſuperbis perſecutoribus eccleſiæ.qui in martyres ſæuiebãt. Qui quãto plus iniquè agebãt, tanto fortius martyres ſpe retributionis æternæ conſolati,ad obſeruationem diuinæ legis animabantur. Vnde ad iſtũ ſenſum hunc paſſum exponit Auguſt.dicens hic, Superbos intelligi voluit perſecutores humilium: hoc eſt ipſos perſecutores piorũ. Et ideo ſubiecit, *A lege autem tua non declinaui.* Illos iniquè dicit egiſſe,quia non ſolum impij erant:verumetiã pios impios eſſe cogitabant.In hac humilitate & tribulatione ſpes conſolata eſt martyres, quæ data eſt in verbo.Det ergo verbum pollicẽtis adiutorium,ne deficiat martyrum fides : & præſentia ſpiritus ſui, vires impartientis laborãtibus:vt euadẽtes de muſcipula venantiũ dicerent,Niſi quia dominus erat in nobis,fortaſſe viuos deglutiſſent nos. Vel aliter exponitur de quibuſcũq; ſuperbis. Et primò oſtẽdit quàm graue ſit peccatũ ſuperbiæ:& conſequẽter ſpei vtilitatem,quæ legem Dei conſeruat.Quãtum ad primum,dicit,*Superbi iniquè agebãt vſquequaque.*Quod declarans hic Ambroſ.dicit, Maximum peccatum in homine ſuperbia eſt:quoniam quidẽ inde manauit noſtri origo delicti. Hoc telo nos primùm diabolus vulnerauit & perculit. Nam niſi homo ſerpentis ſuaſione deceptus, ſicut Deus eſſe voluiſſet,& verum falſúmq; cognoſcere, quod penitus diſcernere humana fragilitas non poterat: ideóque quod ſequeretur acceperat, ne temeraria vſurpatione de illa paradiſi felicitate decideret. Niſi inquam homo ſuis non contentus finibus interdicta temeraſſet,nunquam feralis culpæ ad nos tranſiſſet hęreditas.Et quid de homine dicam?Ipſe diabolus per ſuperbiam, naturæ ſuæ amiſit gratiã. Deniq; cùm dixit, Ponam thronum meum ſuper altitudinem nubium:& ero ſimilis altiſſimo : cum cõſortiis cecidit angelorum. Cuius criminis digna

*Superbi ſunt perſecutores martyrum.* — *Pſal.123.* — *Superbia quàm graue ſit peccatum.* — *Eſa.14.*

mercede damnatus,hominem ſibi participẽ requiſiuit; in quem conſortium ſuæ tráſfunderet offenſæ. Quid igitur hoc peccato poteſt eſſe deterius, quod à Dei incepit iniuria? Ideóq; & ſcriptura dicit, Superbis Deus reſiſtit:tanquam ſuæ cõtumeliꝫ propulſator:veluti quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen,tanquam dicat, Meus iſte aduerſarius eſt qui me laceſſit: mihi debetur iſta congreſſio. Vnde Pſalmiſta commendare volẽs humilitatem ſuam nulla ſuperborũ iniquitate attentatus,ait, *Superbi iniquè agebant nimis.* Vnde non ſolum iniquitatem ſuperborum, ſed etiam nimiã iniquitatem pariter declarauit, quæ euenit ſuperbis. Quorum ne aliquo tentaretur contagio: alibi dicit, Superbo oculo & inſatiabili corde: cum hoc non edebam. Quid autem remedij contra ſuperbiã ſpes conferat:adiungit dicens, *A lege autem tua non declinaui.* Vbi Ambroſ.ſequitur dicẽs, Itaq; quoniã quanta vis mali eſſet in ſuperbia,expreſſerat, ideo quemadmodum vinceretur, docere nobis debuit. Meritóq; Pſalmus, quaſi bonus doctor oſtẽdit remedium quo exaggeratur venenũ. Audi ergo quomodo virus excludas ſuperbiꝫ, *A lege autem*(inquit) *tua non declinaui.* Sola igitur lex Dei poteſt hebetare ſuperbiæ virus: quæ informauit virum deuotioni deditum, quali ſe regere debeat cautione. Multi enim non ſolum alieni à fide,ſed etiam qui vidẽtur non mediocria ſcripturarum præcepta guſtaſſe:tẽtari ſolent proſperis ſuperborum proceſſibus. Videntes eos qui præuaricãtur legem, impietatis arbitros,arrogantes,contemptores fidelium: extollentes ſe aduerſus eos qui humiliantur & cœleſtia meditantur præcepta: in hoc ſæculo abundare diuitiis,præconio, honoribus,poteſtatibus: eíſque quò grauiora commiſerint, eo affluẽtiores ſucceſſus commodorum ſecularium ſecundare. Econtra autem iuſtos viros plerunq; laborare inopia,amiſſione filiorum, ſterilitatibus coniugum; quibus viſis exagitati atq; turbati,ſenſum mentis inclinãt: vt putent Dei in hoc errare iudicium; non tenẽtes caput veritatis. Quo euidentiſſimè comprehenditur,non in hoc ſæculo,ſed in futuro repoſitam noſtrorum remunerationem eſſe meritorũ. Sed paucorum eſt iſtud aduertere. hæc Ambroſ. Hoc ergo aduertere nos ſuo exemplo docet Pſalmiſta, dicẽs, *A lege autem tua non declinaui.* Quaſi dicat, Etſi ſuperbi proſperos hic habeant ſucceſſus,iuſti autem & humiles aduerſos: tamen quia ſpe doctus quòd non hic dantur malorum ſupplicia, præmiáq; bonorum:ſed in futuro danda reſeruantur. Ideo à lege Dei non declinaui:in futuro præmiari cupiens, non in præſenti. Et hoc eſt quod ſubdit:

*Iacob.4.*

*Pſal.100.*

*Lex Dei deponit ſuperbiam.*

2125 Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo domine:& conſolatus ſum.

Hic oſtendit quartum: ſcilicet quòd ſpes iudiciorum Dei renouat memoriam. Spe enim ſperamus,nõ in præſenti,ſed in futuro veram & finalem eſſe omnium retributionem. Quod dũ intentè cogitamus, recordamur iudiciorum Dei mirabiliũ: quia ſcilicet hic boni premuntur aduerſitatibus, & mali proſperitatibus exaltantur. quod ideo faciunt Dei iudicia,vt mali ſi quid boni fecerunt,hic præmium accipiant,ſed in futuro ſuppliciũ. Et boni ſi quid hic puniendum commiſerint,hic puniãtur,vt in futuro plenius præmientur. Et hæc iudiciorum recordatio magnam conſolationem iuſtis miniſtrat. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta dicens, *Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo domine: & conſolatus ſum.* Quis enim iuſtorum non cõſoletur, hæc iudicia cernens? Quod hic declarans Ambroſ. ait, Niſi enim vnuſquiſque legis inſtructus & informatus exemplis credat ſemper vera Dei eſſe iudicia: citò declinat à lege. Qui autem præterita repetit, ex ſemetipſo colligit ſeriem veritatis: cognoſcit quòd peccator nequaquam ſuæ impietatis euadat: neq; iuſtus æquitatis ſuæ præmiis defraudetur. Retexit enim animo,quòd ab initio Adam propter mãdati cœleſtis præuaricationem de paradiſi eiectus eſt incolatu. Et Caim parricidalis ſceleris precium, diuinæ ſententiæ auctoritate damnatus exoluerit. Quòd Enoch propter deuotionem raptus ad cœlũ terrenæ maliciæ virus euaſerit. Quòd Noe propter iuſtitiam diluuij victor, generis factus ſuperſtes humani ſit. Quòd Abraham propter fidem,ſeminarium poſteritatis ſuꝫ toto orbe diffuderit. Quòd Iſrael propter laborum tolerantiam,populum credentium proprij nominis ſignaculo cõſecrauerit. Quòd Dauid propter manſuetudinẽ regali honore donatus, ſenioribus fratribus antelatus ſit. Quòd Helias propter zelum Dei curru eleuatus in aërem cœleſtis ſedis hoſpitium noui generis acquiſierit incolatũ. Hæc qui nouit retexere,habet vnde gratiam ſuæ conſolationis acquirat. Et aduertit quòd iudicia Dei vera, iuſtificata in ſemetipſa deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauũ. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea. Cuſtodienti igitur dulcia ſunt diuina iudicia:negligenti autem illa, eſſe amara dubiũ nõ eſt:quia nõ aduertit in opprobrij turpitudine peccatorum,propoſitum ſibi diuinæ euẽtum eſſe ſententiæ. Qui autem ſibi bene conſcius eſt,non turbatur vtiq; dicens, Hæredes ſumus Dei:cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur vt glorificemur. Sed quis noſtrum huiuſmodi, vt mãdatorum diuinorum ſerie conſoletur? Et addit probans hæc per exemplum:dicẽs, Terribilia etiam ſunt peccatoribus humana iudicia;quanto magis diuina formidini ſunt? Deniq; vt ex iſtis illa quæ diuina & terrena ſunt colligamus exemplo:videmus in hoc ſꝫculo innocẽtes lætos ad iudicium feſtinare,odiſſe moras,celeriter affectare iudicium:reos autẽ refugere & pauere,differre,vitare,mœſtificari. Denique cum diuini iudicij audierint conſtitutum,trepidant,tabeſcunt, labefactantur. Beatus itaq; ille, qui illud cœleſte iudiciũ lætus expectat. Scit enim ſibi regnum cœlorum,angelorum cõſortium, coronam quoq; bonorum repoſitam eſſe meritorũ. Ex quibus omnibus patet quòd memoria iudiciorum Dei iuſtos conſolatur. Vnde & Gregor. dicit quòd iuſti diem iudicij lætanter expectãt:vide ibi. Quod nunc exprimẽs Pſalmiſta dicit, *Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo domine:& conſolatus ſum.*

*Iudicia Dei iuſtos cõſolãtur: peccatores autẽ terrent.*

*Iudicia Dei ſunt iuſta.*

*Pſal.18.*

*Iudicia Dei peccatoribus terribilia:iuſtis ſunt dulcia.*

*Rom.8.*

*Gregor.31. moral.c.18.*

Defectio tenuit me,pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. 2126

Hic oſtendit quintũ:ſcilicet quòd ſpes in verbo habita in nobis cauſat,reſpectu proximorũ,cõpaſſionẽ & clemẽtiã. Cuius ratio eſt,quia ſpes vera includit amorẽ illius in quo ſperatur. Amor autẽ aſſimilat amãtẽ amato. Ex quo ſequitur quòd ſperãs in Dei verbo ſimilis illi exiſtit. Sed Dei verbum fuit ſummæ cõpaſſionis erga nos peccatores & clemẽtiæ,intantũ quòd plus doluit noſtra peccata quàm ſuas pœnas: quia pro noſtris peccatis delendis in corpore ſuo pœnas ac etiã mortem recepit. Et hoc eſt quod hic Pſal. in perſona martyrum ac aliorum iuſtorum qui perſequebantur à malis, plus dolens pro ipſorũ peccatis quàm pro propriis pœnis ait, *Defectio tenuit me,pro peccatoribus* &c. defectio, id eſt, tædium vel dolor. Iſto modo hic exponit hunc verſum Amb. dicẽs, *Defectio tenuit me pro peccatoribus* &c. Non eſt hoc cõmune cũ multis: nam plurimorum eſt contriſtari,ſi quam ab aliquo patiantur iniuriã, ſi læſi,ſi decolorati ſunt. Noſtra enim cauſa eſt,nos infirmiores,fraudi nobis aliquos dolemus fuiſſe. At verò qui fortior eſt,non propriã contumeliã dolet, ſed aliena peccata: & in ſua iniuria lapſum alterius ingemiſcit,& cauſam ſe fuiſſe deplorat lꝫdendi erroris. Exemplũ accipe apoſtolicum. Paulus enim peccata flebat aliena,ſicut ipſe ait, Nã ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas. Et cum ipſe contriſtaretur, eos ipſos quos arguebat,cõtriſtari nolebat. Deniq; addidit, Vt non contriſtemini:ſed vt ſciatis quã charitatem habeo in vobis abũdantius. Cõtriſtari enim volebat vſq; ad pœnitentiam lapſos: non vſq; ad mœſtitiam profundiorem:tantũ vt eorũ qui arguebantur mœſticia,gaudium fieret arguenti. Vnde ait, Si enim ego cõtriſtor vos,& quis eſt qui me lꝫtificet, niſi qui cõtriſtatur ex me? Arguit itaque vt alleuiet diuturnitatẽ mœſticiæ, quò præſentia fieret in ſalutem. Dãnat vt abſoluat:excludit vt recipiat: non ignoſcit vt liberet. Ideo talis Paulus,quia bene peritus in lege,cognouerat præceptum dicentis, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuã.* Dolebat Pſal. non quia contẽnebatur,non quia appetebatur ipſe:ſed quia lex Dei derelinquebatur. Et eorũ qui hoc faciebant dãnum dolebat,quòd perirẽt Deo. Sicut enim bonus pater filij in freneſi cõſtituti,cum ab eo maledicitur,verberatur, afficitur iniuriis:non ſuã,ſed ægroti deflet ærũnã,& contumeliam dolet: non ꝙ ſibi ſit irrogata, ſed quia per furorẽ, quid facit æger ignorat. Ita vir bonus cum videt peccatorem non reuereri, non honorare etiã canos ſenioris, quo præſente aliud faciat indignũ, nõ agnoſcere quadam peccati inſania, quàm indecora & inhoneſta cõmittat: quaſi moriturũ dolet, quaſi deſperatũ à medicis ingemiſcit. Et vt bonus medicus primò monet, deinde etiãſi grauia patiatur,tamen tanquã ille ꝫgrum & ſi cꝫdatur ſuſtinet, & ſi maledicatur non derelinquit:& quicquid poteſt medicinæ adhibere non denegat. nec tanquam contumacem deſerit:ſed tanquã bene de ſe meritũ, omni ſtudio ſanare contendit,exercẽs nõ ſolũ artis peritiam, ſed etiam mentis benignitatẽ. Ita ergo & iuſtus cũ contẽnitur à peccatoribus, nõ auertitur: & cum læditur,furoris illud putat eſſe,non improbitatis:magíſque vulneri eius medicinã afferre deſiderat:& compatitur & dolet,non propter ſe, ſed propter illũ qui deſperato laborat incommodo: & dicit, Hunc vnum ex fratribus ſic laborare, ſic affici video,vt faciat mihi iniuriã. Qui ſi cognoſceret, me honoraret vtiq;:nõ læderet. Ergo ſi iuſtus ſum, afficior propter dilectionẽ,propter charitatẽ, propter eccleſiæ dãnum, propter corporis Chriſti detrimentum. Hoc eſt ergo quod dolet Pſal. Et ideo dolet, quia cum vnum membrum patitur, cætera membra compatiuntur. Et hoc eſt quod ait, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

*Peccata proximorũ plus diſplicere debent nobis quàm propriæ pœnæ.*

*1.Cor.2.*

*Dolere debemus plus peccata aliena quàm pœnas noſtras.*

2127 Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ,in loco peregrinationis meæ.



Hic oſtendit ſextum:ſcilicet quòd ſpes conſolationem ſpiritus efficit & læticiam. Si enim ſpes lucri temporalis lætificat temporales homines, multo fortius ſpes ſpiritualis (quæ eſt certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia prouenient & meritis) ſpirituales homines lætificat. Et ideo gratias læti agunt Deo qui ipſos iuſtificauit & in ſpe conſtituit. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ* &c. Vbi notandum eſt quòd Dei iuſtificationes in hoc loco peregrinationis ſedulè Deo cantare debemus propter multa. Primò propter gratiarum actionem. Ideo enim cantus fuit inuentus: primò vt voce ſonora alicuius laus exprimeretur. Sic & eccleſia cantando Deum laudat. Laudare autem Deum eſt ſibi gratias de acceptis reddere beneficiis. Et ideo ne Deo ſimus ingrati, hic cõtinuè iuſtificationes ſuas quibus nos iuſtificat, & beneficia cantando corde reſonare debemus. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Bernardus dicens, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes* &c. Quoties tentatio ſuperatur, aut vicium ſubiugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus inſidiantis deprehenditur, aut vicioſa aut inueterata quæcunque animæ paſſio ſemel perfectéque ſanatur, aut multum cupita & petita virtus tãdem aliquando Dei munere obtinetur. toties iuxta Pſalmiſtam perſonet gratiarũ actio & vox laudis, & ad ſingula quæq; beneficia benedicatur Deus in donis ſuis. Alioquin ingratus reputabitur cum diſcuſſio aduenerit: qui non poterit Deo dicere, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ* &c. Secundò propter memoriæ commendationem. Quod enim alta voce cantatur,magis memoriæ commendatur. Et ad iſtum ſenſum hũc verſum hic exponit Amb. dicens, Quæ enim bene memoriæ tenemus, cantare conſueuimus:& quæ melius cantantur,melius noſtris adhærent ſenſibus. Dicit ergo, *Cantabiles mihi erant* &c. Quia non perfunctoriè tranſire debemus quando legimus:vt tunc tantum cum legerimus, in memoriã eorum redire videamur:ſed etiã cum abeſt codex manibus,non tãquam animalia quæ probantur immunda in lege: ſed tanquam animalia munda,quæ etiam canendo paſcuntur, quæ ruminare conſueuerunt,ex ſemetipſis alimenta ſibi recondita proferentes. Ita & nos de noſtræ memoriæ theſauro, de interioribus noſtris ruminandum nobis pabulum ſpirituale promamus:hymni nobis,cantica nobis, pſalmi nobis, iuſtificationes domini ſint:pſallamus ſpiritu, pſallamus & mente. Ne ſi obliti fuerimus in tempore neceſſitatis,dicatur vnicuique, Abieciſti ſermones meos retrorſum. Et ideo vt expelleret & eliminaret obliuia à domo ſancta ſua,cantores ſibi fecit vetus Salomon:qui toto ſpiritu conquirendꝫ cognitioni diuinitatis intenderent. Ex quibus apparet ꝙ hoc quod dicitur, *Cantabiles mihi erant* &c. idem eſt, Memoriter retinebam iuſtificationes tuas. Tertiò propter ſpiritus ſancti inuocationem. Prophetæ enim quando ſpiritum propheticum in ſeipſis excitare volebant,pſallendi peritum iubebant pſallere,quò ſuaui inuitata dulcedine ſpiritualis infunderetur gratia. Sic enim de Heliſeo dicitur 4. Reg.3, quòd cum in ſeipſo ſpiritum propheticum excitare vellet, ait, Adducite mihi pſaltem. Cúmque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus domini, & prophetauit. O quàm ergo dulcis cantilena, quæ non corpus effœminat, ſed mentem animúmque confirmat. Sic ergo iſto modo

*Cãtare Deo eſt ſibi gratias agere.*

*Cantare memoriã fortificat.*

*1.Cor.14.*

*Cãtare excitat ſpiritum propheticum.*

*Cãtus dæmonem fugat.*

quid eſt dicere, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ*: niſi Iuſtificationes corde cantando quærebam? Quartò propter ſpiritus mali expulſionem. Spiritus enim maligni melodiam cantus maximè ſpiritualis odiunt, propter concordiam vocum, & ipſa audita fugiũt. Sic enim habemus 1. Reg. 16, quandocumque ſpiritus m alus arripiebat Saul: tollebat Dauid citharam & percutiebat manu ſua: & Saul leuius habebat, & recedebat ab eo ſpiritus malus. Si igitur ſpiritus malus per cantum fugatur, quanto magis abſens impeditur ne accedat? Dicat ergo Pſal. *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ*: ſcilicet, ad prohibendum ſpiritum malignum, qui mihi inſidiari conatur quandiu ſum in præſenti vita. Quod notat dicens, *In loco peregrinationis meæ*. Et notanter dicit in loco peregrinationis meæ, ad denotandum quòd qui vult cantum ſuum prædictas habere virtutes, mundum iſtum pro peregrinatione habere debet, non pro patria ciuitate. quia ſcilicet mente in cœlis debet conuerſari, non in mundo. Vnde iſtũ paſſum ſic Ambroſ. hic exponit: dicens, Sed quia non ſatis eſt vt quis cantabiles habeat iuſtificationes Dei, niſi terrenarum exuatur ſeruitio ſolicitudinum, ideo ſubdit dicens, In loco peregrinationis meæ. Vnde & Apoſtolus non vult nos in domo Dei fidei vocatione aduenas eſſe atque peregrinos, ſed ciues ſanctorum & domeſticos Dei. Qui enim domeſticus Dei eſt, exul eſt in mũdo. Qui conuerſatur in cœleſtibus, peregrinus eſt in terris. Qui ergo cantat iuſtificationes Dei, hic in loco peregrinationis debet eſſe. Qui enim cantat, vacuus eſt: & diuerſarum cogitationum curas abiicit: ſequeſtrat auaritiam: non ſolum corporis voce, ſed etiam mẽtis viuaciter ſe mulcet. Non enim tanquam mœſtus inopiæ ſolicitudine, ſed tanquam liber ab omnibus affectibus corporalium paſſionum eſſe debet. Sic enim & alibi cantabat Pſal. dicens, Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti.

*4. Reg. 3.* — *Sãcti peregrini ſunt in mũdo, & ciues cœli.* — *1. Petr. 2.* — *Pſal. 70.*

2128 Memor fui nocte nominis tui domine: & cuſtodiui legem tuam.

Hîc oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd ſpes mandatorum Dei firmat cuſtodiam. Cum enim ſpes ſit certa expectatio futuræ beatitudinis, quæ haberi non poteſt ſine finali perſeuerantia in diuinis mandatis: conſequens eſt quòd ſpes illam perſeuerantiam finalem concernit: vt habens verã ſpem quandiu eſt in nocte præſentis exilij, diuina mãdata meditetur & ſeruet. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Memor fui nocte nominis tui domine* &c. Dicitur ergo nox præſens vita, vel præſentis vitæ miſeria. Dicit ergo, *Memor fui nocte nominis tui*: quia in miſeria & aduerſitate poſiti, nomen domini magis inuocare coguntur, quàm proſperitate florentes. Et ideo ait, *Memor fui nocte nominis tui*. Vnde hic ait Ambroſ. Nõ eſt magnum ſi tunc nominis Dei ſis memor, & domino gratias agas, quando in proſperis & ſecundis es: ſed ſi tunc adhæres Chriſto quando perſecutor te exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amiſiſti filium in illo dolore, in illa nocte, in illa deſtitutione memẽto domini Dei tui: ne quaſi non exauditus, ingratus ſis, & in tua præuariceris ærũna. Pulſus es in exilium: memento domini Dei tui: ne patriæ interdictæ tibi caritatem Deo præferas. Alicuius diuitis oppreſſus es potẽtia: amiſiſti proprias facultates; indiges ſumptu: memento domini Dei tui: ne nox te egeſtatis abducat à deuotionis affectu. Hoc eſt enim mandatum legis, vt in nocte magis quæras quando magis exaudiaris à domino: & poſſis dicere, In tribulatione inuocaui dominũ, & exaudiuit me in latitudine. Sic ergo in nocte memor eſt nominis Dei, qui in aduerſitate Deo gratias agit, Deum laudat. Et qui in hac mortalitate poſitus, totam virtutem & gratiam ſuam Deo, non ſibi attribuit. Et ad hunc intellectum hunc locum exponit Auguſt. dicẽs, *Memor fui nocte nominis tui domine*. Nox eſt præſens vita, vbi eſt mortalitatis ærũna: nox eſt in ſuperbis iniquè agentibus: nox eſt in tædio à peccatoribus relinquẽtibus legem: nox eſt in loco peregrinationis huius, donec veniat dominus & illuminet abſcõdita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis. In hac ergo nocte memor debet eſſe homo nominis Dei: vt qui gloriatur, in domino glorietur. Sic enim quiſque non in ſua ſed in dei iuſtitia à deo ſibi donata, cuſtodit legem Dei. Sicut iſte ait, *Memor fui nocte nominis tui domine, & cuſtodiui legem tuam*. Quam non cuſtodiſſet, ſi in ſua virtute confidens, nominis Dei memor nõ fuiſſet. Adiutorium enim noſtrum in nomine domini. Vel aliter: vt nox accipiatur magis ad literã, ſcilicet pro tempore noctis, vt diſtinguitur contra diem: quia ſicut illo potiſſimum tempore vigent tentationes carnis & dæmonis: ſic & deuotionis feruor maior inſurgat. Et ad hunc intellectum hic exponit Ambroſ. hunc verſum, dicens, *Memor fui nocte nominis tui*. Hoc nomen inuocetur noctibus & diebus: vt nullum tempus precandi vacuum ſinat ſancta deuotio præterire. Si ſtudẽtes igitur doctrinis ſecularibus perparum ſomno indulgent: quanto magis qui Deum cupiunt cognoſcere non debent ſomno corporis impediri, niſi quantum naturæ opus eſt? Dauid per ſingulas noctes lectum ſuum lacrymis lauabat: ſurgebat etiam noctis medio, vt domino confiteretur. Et tu totam noctem ſopori exiſtimas deputandam? Tunc magis tibi orandus eſt dominus: & tunc præſidia poſtulanda: tunc culpa cauenda, quando videtur habere ſecretum: quando maximè in circuitu meo, & parietes me operiunt. Cõſiderandum quia Deus omnia intuetur abſcondita. Ne dixeris ergo, Circunfuſus ſum tenebris, quis me videt: & quem vereor ſeptus parietibus & incluſus? Quia vultus domini ſuper facientes mala. Deinde ſi arbitrum non vides: temetipſum non vides? conſciẽtiæ tuæ teſtimonium non vereris? Neſcis illam caliginem noctis non opertorium ſed incẽtiuum eſſe peccati? Cum ſomno & cibo feruent corpora, tunc etiam mentis vigor ſopore laxatur & ſomno reſoluitur. Tunc irrepit impuri libido cõcubitus: tunc perturbatur cor, ſqualorem immunditiæ non veretur: caſtitatis puritas non cõſideratur: pudicitiæ gloria non recenſetur, quia nox erat quando Iudas dominum prodidit: quando Petrus negauit. Illo igitur potiſſimum tempore iuſtificationes Dei animo recõdendæ ſunt: relegenda mandata hortatoria: illa caſtitatis præcepta non abſint: vt illis occupata mens, flagrantiam libidinis, carnis reſtringat ardorem &c. Ex quibus patet quòd ille legem Dei cuſtodit, qui ſic eſt nocte memor nominis domini: cuius voluntas eſt in lege domini, & in lege eius meditatur die ac nocte. Et hoc eſt quod nunc ait Pſal. *Memor fui nocte nominis tui* &c.

*Aduerſitas dominũ inuocare facit.* — *Nox aduerſitatẽ ſignificat.* — *Pſal. 117.* — *1. Cor. 4.* — *1. Cor. 10.* — *Pſal. 113.* — *Nocte eſt orãdum.* — *Pſal. 6.* — *Eccl. 13.* — *Pſal. 33.*

2129 Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.



Hîc oſtendit octauum: ſcilicet quòd ſpes ſolicitudinem præſtat & diligentiam. Illam rem ſolicitè quærimus quam inuenire ſperamus. Circa autem illius inquiſitionem non occupamur multum, quã reperire dubitamus: ſed circa illam nihil de qua deſperamus. Quia ergo ſperabat notitiam legis habere: ideo circa illam exquirendo ſolicitus erat: dicens, *Hæc facta eſt mihi* &c. Iſte verſus multipliciter exponitur, ſecundum quòd hoc pronomen Hæc, diuerſa ſupradicta poteſt referre vel demonſtrare. Primò ergo ly Hæc poteſt demonſtrare aduerſitatem iuſtorum & perſecutionem: de qua dictum eſt ſuprà, Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Et iterum, Memor fui nocte &c. Certũ eſt enim quòd ideo martyres perſequebantur, quia legem Dei & iuſtificationes exquirebãt. Et tunc eſt vox cuiuſlibet martyris dicentis, *Hæc* (ſcilicet perſecutio & aduerſitas) *facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui*, ſcilicet te verum Deum confitendo, & idolorum culturam abnegando. Vel poteſt ly Hęc referre aduerſitatem & miſeriam vitæ præſentis, in quam cecidimus propter primorum parentum ſuperbiam. Quæ quidem miſeria ſicut malis & impatientibus eſt occaſio peccati: ſic bonis & Deum colentibus proficit ad ſalutem: quia eſt materia merendi. Et tunc eſt ſenſus, *Hæc* (ſcilicet miſeria præſentis vitæ) *facta eſt mihi*: id eſt, ad vtilitatẽ mihi venit, quia &c. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Hæc facta eſt mihi*. Tota namque ſententia ſuperior ſic ſe habet, *Memor fui nocte nominis tui domine: & cuſtodiui legem tuam*. Et ſequitur, *Hæc facta eſt mihi* &c. Hæc: ſcilicet nox, facta eſt mihi. Acſi diceret, Hæc nox pro me facta eſt: ſcilicet vt prodeſſet mihi. Si enim humilitas illa mortalitatis non abſurdè intelligitur nox: vbi inuicem latent corda mortalium, & talibus tenebris innumerabiles & graues tentationes oriantur: ita vt in eadem nocte pertranſeant etiam beſtiæ ſiluæ: vt etiam de illo leone rugiente & quærẽte quem deuoret dominus ait, Hac nocte Sathanas poſtulauit vt cribraret vos ſicut triticũ: profectò hæc ipſa humilitas in loco peregrinationis huius, quæ nox rectè intelligitur, prodeſt eis qui ſalubriter exercentur in ea, vt diſcant non ſuperbire. propter quod malum (id eſt iſtam noctem) pulſus eſt homo: ſed gratis iuſtificatus. Atque vt in iſta humilitate proficiat, variis tentationibus huius noctis oppoſitus, iam intelligens dicat, Bonum mihi quòd humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Nam quid aliud eſt, Bonum mihi quòd humiliaſti me: niſi, hæc humilitas quæ nox vocatur, facta eſt mihi: id eſt factum eſt vt prodeſſet mihi? Sed quare hoc? ſcilicet quia iuſtificationes tuas, non meas, exquiſiui. Vel aliter ly Hæc poteſt referri ad illud quòd ſuprà dictum eſt, *Memor fui nocte nominis tui*, vt demonſtret memoriam nominis Dei. Et tunc eſt ſenſus, *Hæc* (ſcilicet memoria nominis tui) *facta eſt mihi: quia iuſtificationes tuas exquiſiui*, id eſt, quia ſæpius meditatus ſum iuſtificationes tuas, ideo memoriam habeo nominis tui. Frequens enim meditatio rei ipſam in noſtra memoria firmat. Et iſtum ſenſum hic ponit Amb. dicens, *Hæc facta eſt mihi* &c. id eſt, hæc memoria facta eſt mihi: vt ſcilicet eſſem in nocte memor nominis tui: ne ebrietate ſopitus, ne epulis reſolutus in ſomnũ, ne curis ſecularibus occupatus, obliuio mihi tuæ venerationis irreperet. Sed quotidiana meditatione membra caſtigãs, & intentionem mentis exercẽs, aſſiduitate fiat nobis curſus iſte ſolennis: vt dominum Ieſum etiam in noctibus toto veneremur affectu. Vel aliter: vt per ly Hæc demonſtretur gloria Dei æterna: de qua dicitur, Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem &c. Et tunc eſt ſenſus, Hæc, ſcilicet gloria æterna, facta eſt mihi: id eſt hanc merui: quia iuſtificationes tuas exquiſiui. Et iſtum intellectũ hic ponit Aug. dicens, Poſſumus autem & aliter hoc intelligere, *Hæc facta eſt mihi*, vt hoc pronomen Hæc non aliter accipiatur quàm ſe habet in alio loco vbi legitur, Vnam petij à domino, hanc requiram.

*Aduerſa proſũt patiẽtibus.* — *Pſal. 103.* — *Luc. 22.* — *Pſal. 26.*

2130 Portio mea domine, dixi cuſtodire legem tuam.

**Heth.**

Hîc incipit octauus octonarius: cui pro titulo præmittitur octaua litera alphabeti Hæbraici, quæ eſt Heth. quę congruè huic octonario pręmittitur, quia interpretatur pauor. In iſto enim octonario Pſal. optat videre faciem domini, cuius mãdata eſt obſecutus: ideo pro labore expetit mercedem: pro merito præmium quærit, ſcilicet beatitudinem æternam. Ad illam maximè inducit timor domini, non quidam ſeruilis vel mundanus, ſed filialis & caſtus, quo non pœna ſed offenſa timetur. Vnde Amb. hic ait, Litera octaua eſt heth, quod interpretatione Latina dicitur pauor. Sanctorum pauor eſſe conſueuit. Denique pauor cecidit ſuper Abrahã dum ſacrificationem offerret plenã myſteriis ſpiritualibus. Ipſe quoq; Dauid ait, Ego dixi in pauore meo, Omnis homo mendax. Pauor etiam reuerentiam religionis ſignificat magis quàm infirmitatem timoris. Licet etiam ipſe timor ſecundum Deum ſanctus ſit. Initium enim ſapientiæ, timor domini. Ergo qui timent Deum, ſapientes ſunt: qui autem ſapientes ſunt, beati ſunt. Beatus enim quẽ tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Hi quoque qui timent Deum beati ſunt: ſicut exempli extat autoritas. quia beati omnes qui timẽt dominum. Ex quibus colligitur quòd timentes Deum ſapientes ſunt, & beati ſunt. Sanctus igitur timor domini, quia verè ſanctorum eſt pauor. Sic igitur hic de pauore ſanctorum qui nos facit beatos: quia nos facit ſollicitos ad inquirendum illud bonum quod ſperamus. quod quia in octaua reſurrectionis præſtabitur, ideo octauus iſte octonarius ponitur. Sic igitur in octonario agitur de timore domini, quo mediante beatificamur. Et ideo ſecundum diuerſos timoris effectus ipſe Pſal. diuiditur. Hic enim oſtenditur quòd timor domini ſanctus primò legem Dei facit obſeruare: in principio. Secũdò miſericordiam Dei facit implorare: ibi, *Deprecatus ſum*. Tertiò de peccatis facit pœnitere: ibi, *Cogitaui*. Quartò mortem pro Chriſto facit non timere: ibi, *Paratus ſum*. Quintò ſpiritui carnem facit ſubiugare: ibi, *Funes*. Sextò pro beneficiis Deum facit laudare: ibi, *Media nocte*. Septimò ſingulorũ merita facit communicare: ibi, *Particeps*. Octauò intellectum ad Deum vidẽdum facit eleuare: ibi, *Miſericordia tua*. Quantum ergo ad primum, timor domini legem obſeruare facit. Cum enim timor domini differat in hoc à timore ſeruili: quia timor ſeruilis non timet offenſam illius quem timet, ſed ſolùm pœnam quam tranſgreſſio infert: timor autem filialis non principaliter timet pœnam, ſed ne illum quem timet offendat. Hinc eſt quòd cum omnis tranſgreſſor diuinæ legis Deum offendat: quòd timor domini facit legẽ domini plenè obſeruare, &

*Gen. 15.* — *Pſal. 115.* — *Eccl. 1.* — *Timor domini beatificat.* — *Pſal. 127.* — *Timor filialis quomodo differt à ſeruili.*

illa bona facere quæ Deus mandat. Vnde Eccl. 15. Qui timet Deum, faciet bona. Et iſto timore tactus Pſal. ait, *Portio mea domine dixi cuſtodire legem tuam*. Primò eligit ſibi dominum: conſequẽter deliberat electi domini implere mandatũ. Quãtum ergo ad primum, dicit, *Portio mea domine*. Et ſecundum aliã literam, dicitur *portio mea Deus*. quod nõ eſt intelligendum quòd Deus ſit pars alicuius integrãs aliquod totũ, quia tunc eſſet aliquid maius Deo: cum omne totum ſit maius ſua parte. Sed ideo Deus pars vel portio ſanctorum dicitur, quia ſancti Deũ pro fine ſibi eligunt. Vbi aduertendum, quòd quamuis naturaliter omnes homines velint eſſe beati & beatitudinem quærant: tamen in rebus diuerſis diuerſi beatitudinem eſſe æſtimant. Et ſic diuerſi diuerſas res pro beatitudine & parte ſua quærunt, vt puta ſuperbi, honores: auari, diuitias: voluptuoſi, delicias & huiuſmodi. Et ſic diuiditur mundus, vt vnus pro ſua beatitudine accipiat vnam partem, & alius aliã. vt dicat ſuperbus, Portio mea ſunt honores & potentiæ. Auarus autẽ, Portio mea ſunt diuitiæ: & ſic de aliis. Sed timẽtes Deũ & iuſti non aliquod temporale vel trãſitorium pro beatitudine ſibi eligũt, ſed ſolum ipſum dominum: ſibi dicẽtes, Portio mea domine, vel pars mea dominus. Vnde hic ait Aug. Portio mea domine, vel pars mea dominus. Hoc vtrum Deo dicatur quia particeps Dei ſit quiſquis ei adhæret: ſicut ſcriptum eſt, Mihi autẽ adhærere Deo bonum eſt. Non enim exiſtẽdo ſunt homines partes Dei: ſed fiunt participãdo filius vnius qui eſt verus Deus. An quia partes ſibi eligunt homines in hoc mundo, ſiue ſortiũtur: alius hoc, alius aliud, vnde quiſque viuat: quodãmodo portio iuſtorum Deus eſt, vnde ſemper viuant? Vnde quod ſequitur audiamus, *Dixi cuſtodire legem tuã*. Quid eſt *Portio mea domine, dixi cuſtodire legem tuã*: niſi quia ita erit portio cuiuſq; dominus cum legẽ ipſius cuſtodierit? Sed quomodo cuſtodiet niſi ad hoc adiuuet ſpiritus viuificans ne litera occidat? O quàm altum verbum eſt iſtud, *Portio mea domine*: & maximè pertinens ad clericos. Nã cleros idẽ eſt quòd ſors: quia illi mundum relinquentes portionem ſuã Deum elegerũt. O quàm pauci realiter hoc verbũ poſſunt dicere, *Portio mea domine*. Audi hic Amb. dicentẽ, *Portio mea dominus*. O quàm rarus in terris qui dicere poſſit, *Portio mea dominus*. Quã alienus à vitiis, quàm ſegregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum ſæculo, nihil mundi huius ſibi vẽdicet: nõ ſit corporalium poſſeſſor cupiditatũ. Quẽ non inflãmet libido, non ſtimulet auaricia, non laſciuia effœminet, non luxuria decoloret, non ſternat ambitio, nõ maceret inuidia, nõ aliqua negociorũ ſecularium cura ſollicitet: verus miniſter altaris Dei, Deo, nõ ſibi natus. Leui enim (vt habet interpretatio) ſignificat Ipſe mihi aſſũptus, & ipſe meus. Idẽ ergo Leui, & mihi & Deo eſt. Quomodo mihi idẽ ſacerdos & Deo? Eſt mihi aduocat⁹, & Deo deprecator: pro me offerẽs ſacrificiũ, & idẽ offerẽs Deo. Deniq; cũ Moyſi dictũ eſt, vt populo Iſrael per ſingulas tribus diuideret terram, & tribueret ſingulis tribubus portionem: tribũ Leuiticã excepit Deus: dicẽs, Filiis Leui nõ erit ſors, nec portio in medio fratrũ ſuorũ: quia dominus Deus pars eorum eſt. Et alibi, Ego dominus portio eorũ. Negatur his terrena diuiſio: vt ipſi ſibi dum non vendicant ſecularem portionem, fiant cœleſtis poſſeſſio. vel hoc ſolum nouerint poſſidere: hoc eſt fidei & deuotionis obſequiũ; multo ditiores quàm qui poſſeſſionum ſuarum ſpacia ampla diffundunt. Quantumlibet enim ſuos fines extendant, & terra deficit, & mare, includit inſanas cupiditates: & impendunt tributa maiora quàm fructus ſint. At verò iſte nihil ſibi poſſidens nulli niſi Deo militat: ſupra terram eius eſt portio: non cum terra deficit, non mari clauditur. Cui portio Deus eſt, poſſeſſor eſt totius naturæ. Pro agris igitur ipſe ſibi ſatis eſt, habens bonum fructum qui nunquam poſſit perire. Pro domibus ſatis eſt ſibi, vt ſit habitatio domini & Dei tẽplum: quo nihil poteſt eſſe precioſius. Quid enim precioſius Deo? Aut quid deeſt ei viro qui poteſt dicere, Abſit mihi gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo? Tibi ergo Chriſtus portio, tibi Chriſtus poſſeſſio eſt: illius nomen tibi munificum; illius nomen eſt fructuoſum. Portio tua non ariditate ſiccatur: non imbre diluitur: non frigore vritur: non tempeſtate caſſatur. Serua ergo poſſeſſionem quam elegiſti. Et infrà, Habes ergo ô homo multa tibi propoſita, vt eligas tibi portionem. Propoſuit tibi dominus in portione poſſeſſiones, aurum, argentum, honores, nobilitatem. Propoſuit etiã portionem ſeipſum. Habes ergo plurimas portiones: elige quam putas meliorem. Non te numerus perturbet, ſed excitet gratia: non te labor auertat, ſed fructus inuitet &c. Sed proh, dolẽdum quòd multi tantũ excæcati portionẽ ſuã nõ ipſum Deum, ſed libidinem ponũt. De quibus dicitur Pſal. 49, Si videbas furem, currebas cum eo: & cũ adulteris portionem tuam ponebas. Nos autem non ſic, ſed orando dicamus illud Pſal. 141, Clamaui ad te domine: dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

*Beatitudinẽ diuerſi in diuerſis rebus quærunt.*

*Deus eſt portio & pars iuſtorum.*

*Pſal. 72.*

*Clerici quales eſſe debent.*

*Habẽs Deũ poſſidet omnia.*

## Deprecatus ſum faciẽ tuam in toto corde meo: miſerere mei ſecũdum eloquium tuum. 2131

Hîc oſtendit ſecundum: ſcilicet quòd timor domini miſericordiam eius facit poſtulare. Cũ enim offenſam Dei & peccata per ſe nullus ſine gratia & miſericordia eius vitare poſſit: & timor domini ſingulariter fugiat Dei offenſam, ſequitur quòd hominem miſericordiã Dei & gratiã facit poſtulare. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Deprecatus ſum &c. miſerere mei*. Et aduerte quod ait, *Deprecatus ſum faciem tuã in toto corde meo*: ſupple videre faciem tuam. Et ſic declarat quam portionẽ ſibi elegit, ſcilicet faciem Dei videre. Quid enim per faciem Dei, niſi Chriſtus intelligitur, vt ſuprà verſic. 150. 1374. 459. Et per conſequens iſtis verbis precabatur Chriſtum in carnem mitti, vt à nobis videri poſſet. Vnde gloſa, *Deprecatus ſum faciem tuã in toto corde meo*: id eſt videre Chriſtum, quem deſiderabat aſpicere. Vel per faciem Dei intellige apertam Dei noticiam, qua à beatis videtur facie ad faciem: ſicut dicitur Matthæi 18, quòd angeli ſemper vident faciem patris. Sed cum iſta Dei facies in præſenti vita mortali videri non poſſit: dicente domino, Exod. 33, Non videbit me homo, & viuet. quomodo ergo Pſalmiſta ipſam videre poſtulat; dicẽs, *Deprecatus ſum faciẽ tuam in toto corde meo*, ſcilicet videre? Sic etenim Moyſes hanc cupiens videre Deo dicit, Si inueni gratiam in cõſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam. Iſtam materiam tractat hic Ambroſius dicens, Moyſes rogauit dominum vt ſe ei demonſtraret dominus, & vt facie ad faciem ipſum videret. Nouerat

*Facies Dei eſt eius claꝛa viſio.*





vtique ſanctus vates domini, quòd inuiſibilem Dei faciem ad faciem videre non poſſet: ſed menſuram ſupergreditur ſancta deuotione. Et putauit Deo & hoc eſſe poſſibile, vt corporis oculis faceret id quod eſt incorporeum comprehendi. Non eſt reprehenſibilis hic error, ſed etiam grata cupiditas. Vel etiam quia nouerat in ipſo homine aliam poſt mortem futuram gloriam & claritatẽ. Sicut enim ſtella in claritate eſt: ita & reſurrectio mortuorum. & quod ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptionem: & quod ſeminatur corporale, ſurget ſpirituale. Qui igitur ſcire poterat hoc, meritò præſumebat vt vultum Dei videre cuperet: quem eſſet obita corporis morte viſurus. Talem certè ſe iam formare cœperat: talem iam dominus probabat, vt non diſtaret ab angelis cœleſtis miniſter & executor oraculi. Et ideo cum ſciret quòd angeli puſillorum ſemper vident faciem patris qui in cœlis eſt: putauit quòd eum iam videre deberet, tanquã oblitus corporis, & depoſita carne. Sicut ille qui adhuc in corpore poſitus, raptus in paradiſo: vtrum in corpore vel extra corpus raptus eſſet ad tertium cœlum, neſcire ſe dixit. Sancti enim etiam cum gerunt corpus, non ſunt tamẽ in carne, ſed in ſpiritu. quoniam qui conuerſantur in carne, Deo placere non poſſunt. Sanctorum enim conuerſatio non in carne eſt, ſed in cœlo, ſicut Paulus oſtẽdit. Et quid dicamus de probabili deſiderio vultus domini? Homines ſunt. Et ſiquem nobilem, ſiquem fortem, ſiquem ſapientem eſſe audiunt: tanquã ſupra hominem arbitrantes cupiunt videre. Procedit imperator, cuius regiæ poteſtati commiſſa eſt pars orbis terrarum: concurrunt omnes: & in tanta multitudine illum ſolum aſpicere geſtiunt: & de fulgore purpuræ plus eſſe in vultu imperatoris æſtimant. Miraris ergo ſi Dei vultus deſiderabilis eſt: cu hominem ſui conformem humanus eius animus miretur aſpectum: vt meritò Pſal. dicat, *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo*. Sed quia homo ex ſuis naturalibus ad iſtam faciem Dei vidẽdam conſurgere non poteſt ſine auxilio Dei ſpirituali: ideo ad poſtulandum pro hoc Dei gratiam ſe Pſal. conuertit Deo dicens, *Miſerere mei ſecundum eloquium tuum*. Vbi notandum eſt quòd nullus peccato pollutus Deum videre poteſt, quem ſolum corde mundi cõſpicere poſſunt: Chriſto dicente, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Cum igitur non meritis noſtris, ſed ſola Dei miſericordia à peccatis mundemur, conſequens eſt vt omnis qui Deũ habet videre, prius miſericordiam Dei poſcat, qua oculus mentis purificetur. Et ideo Dei miſericordiam petit: dicens, *Miſerere mei ſecundum eloquium tuum*. Quaſi dicat, Vt faciem tuã quã videre deprecor cernere poſſim: ſecundũ miſericordiã tuã dele iniquitatem meã. Sed aduerte quòd duplex eſt miſericordia: ſcilicet quędã iuſta & quædã iniuſta. Miſericordia autem Dei qua per lignum crucis noſtra delet peccata, iuſta eſt, & iſtam petit. Et hoc deducit hic Amb. dicens, Donare peccata & miſericordia eſt, & iuſtitia eſt. Denique iuſtitiæ aſcribit diuina ſcriptura veniam peccatorum. ſecundum illud, Benedictum lignum quod fit per iuſtitiã; maledictum autem lignum quod fit per manus hominum. Primum ad crucem domini retulit: ſecundum verò ad errorem gentilium qui ligna venerãtur. Iuſtitia autem quæ eſt crucis? niſi quòd aſcendens illud patibulum dominus noſter Ieſus Chriſtus peccatorum noſtrorum chirographum crucifixit ibi: & ſuo cruore totius orbis terrarum peccata deleuit. In quo ergo iuſtus eſt Deus, niſi in eo quod ſciuit, quòd de limo terræ hominem figurauit? (quę terra vtiq; corruptelæ obnoxia eſt à vicio lubricæ paſſionis) propterea ergo dominus, qui ſecũdum animam te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, hoc eſt rationabilem, iuſtum, pudicum. In eo enim ad imaginem Dei es, ſi ſis iuſtus, ſi ſis caſtus: vt immaculata in te figura perfulgeat. Sciẽs ergo Deus corporis fragilitatem, corruptelæ patere hominem, quaſi iuſtus, fragili naturę delicta cõceſſit. Et ſic fuit iſta miſericordia iuſta. Et ſubdit Amb. de miſericordia iniuſta, dicens, Eſt etiam iniuſta miſericordia. Denique in libris Regũ dicitur, quia Saul poſtea contraxit offenſam: quia miſeratus eſt Agag hoſtium regem: quem prohibebat ſententia diuina ſeruari. vt ſi quis latronem, filiis deprecantibus motus, & lacrymis coniugis eius inflexus, ab ſoluendum putet: cui adhuc latrocinandi aſpiret affectus. Nónne innocentem tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certè ſi gladiũ reprimit, vincula diſſoluuntur, laxat exilio. Cur latrocinandi qua poteſt clementiore via non eripit facultatem qui voluntatem extorquere non potuit? Non poteſt ergo hæc dici iuſta miſericordia in ipſa eccleſia: vbi maximè miſereri decet, & tueri quàmmaximè debet forma iuſtitię, ne quis à conſortio criminis abſtentus, breui lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus communionem quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate ſacerdotis extorqueat. Nónne cum vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſus contagium prouocari? Facilitas huius veniæ incentiuum tribuit delinquẽdi. Conſequẽter adducit exemplum: qui miſericordia motus tribuit infirmo nociua quæ petit, vel qui non ſecat membrum ſecandum, motus prece infirmantis: quoniam talis miſericordia crudelitas eſt. Ad propoſitum ergo Pſal. petens à Deo, *Miſerere mei ſecundum eloquium tuum*. Miſericordiam quam petit diſcernit ab iniuſta miſericordia, dicens *ſecundum verbum tuum*. Verbum enim Dei iuſtitia eſt. Petit ergo miſericordiam iuſtam ſecũdum verbum Dei, quia verbi Dei ſententia eſt, vt conuerſis venia donetur, ſi legitimè eſt facta conuerſio. Vnde ſequitur,

*1. Cor. 15.*

*1. Cor. 12.*

*Videre Deũ deſiderare decens.*

*Matth. 5.*

*Miſericordia quędã iuſta, quędã iniuſta.*

*Sapien. 14.*

*1. Reg. 14.*

## Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. 2132

Hic oſtendit tertium: ſcilicet quòd timor Dei de peccatis facit pœnitere. Si enim timor domini expellit peccatum, & ſine pœnitentia peccatum ſaltem ab adulto non expellitur: conſequens eſt, vt Dei timor hominem ad pœnitentiam ducat vt cõuertatur ad dominũ. Et hoc eſt quod Pſal. timore tactus diuino ait, *Cogitaui vias meas, & conuerti &c.* Et aduerte quòd iſte textus in pluribus codicibus diuerſificatur. Nam ſecundum Auguſt. & Ambroſ. ſic ponitur, *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos*. Et alij habent, *Et auertiſti pedes meos*. Si dicat, *Et conuerti pedes meos*, tũc eſt ſenſus, Cogitaui vias meas, & cõuerti pedes meos: ſcilicet à viis meis quæ diſplicẽt mihi, vt ſcilicet irent in teſtimonia tua, & ibi viam haberent. Si autem dicatur, *Et auertiſti pedes meos*. Quod ſic dicit ſecundum Auguſt. vt hoc potius Dei gratiæ tribuatur, ſecundum illud quod Apoſtolus ait, Deus eſt qui operatur in nobis. Cui etiã dicitur, Auerte oculos meos ne videãt vanitatem. Si oculos, ne videant vanitatem: cur & non pedes,

*Eccle. 1.*

*Phil. 2.*

vt non ſectentur errorem:Sed ſiue dicat,*& conuerti pedes meos:*ſiue,*& conuertiſti pedes:*ſiue,*& auertiſti pedes meos:* ab illo totum fit vt ſciamus cuius faciem precatus eſt in corde ſuo. Dicat ergo, *Cogitaui vias meas*, &c. Iſte verſus dupliciter exponitur: primò ſcilicet, vt loquatur de viis ſuis præteritis:ſecundò vt loquatur de viis ſuis futuris. Primò exponitur de viis præteritis:vt ſit ſenſus,*Cogitaui vias meas præteritas*,id eſt,actiones meas & affectiones, & inueni illas plenas peccatis. Ideo pœnitendo de illis, conuerti pedes meos, id eſt affectiones, in teſtimonia tua, id eſt, in vias mandatorum tuorum. Et iſtum ſenſum hic ponit Ambroſ.dicens, Diuiſus eſt ſenſus:aut quia dicit,*vias meas*,ſcilicet ſuperiores cogitaui plenas peccatis. & ideo vt remiſſionem peccatorum poſſem promereri morum conuerſione ſtudióque virtutum:auerti vel cóuerti pedes meos in teſtimonia tua: vt nó iam meis greſſibus quibus antè ſum lapſus,ſed teſtimoniorum tuorum itineribus ambularem.quæ tuorum ſemitæ mandatorũ me errare non ſinerent, nec veſtigium in tortuoſa & deuia deflecterem. Frequenter ignorantes iter,ſi ſtrata viarum ſequantur, perueniunt quò deſiderant,& carent erroris confractu.Si autem vſurpent ſcire quæ neſciunt, & putent aliqua ſequenda cópendia:à publici tractus itinere recedentes,erroris labyrinthos incurrunt: vt eos de itinere deflexiſſe pœniteat. Et ideo poſt multa laborum diſpendia, ad iter quod reliquerint redire contendunt. Sic & peccator cogitans vias ſuas præteritas, in quibus Deum offendit:ad iter rectum reuertens dicit, *Cogitaui vias meas,& conuerti pedes meos in teſtimonia tua.*

*Cogitare præterita mala debemus, & pœnitere.*

Secundò hic verſus exponitur de viis & actionibus de futuro. Quia homo antè quàm faciat aliquid, debet cogitando deliberare an hoc ſit faciendum, & quo ordine.Et habita ſana deliberatione, ad illã partem proſequendum ſe debet conuertere,quam ſecundum mandata Dei viderit faciẽdam.Et iſtum ſenſum hic ponit Ambroſ. dicẽs, *Cogitaui vias meas*, &c.ſcilicet futuras. vt actus meos cogitationibus ante præuenirem: ne inconſulta operatione progreſſus aliquid in ipſis cogitationibus offenſionis inciderem.Vt ſi aliquid agere velim, antè cogitem vtrum agendum ſit illud quod deſidero, aut quo agendum ſit modo. Similiter ſi alloquendum eſt, vtrum loqui debeam:deinde vtrum publicè vel ſecretè.Omnia igitur cum cogitatione facito:vt non te pœniteat operis tui. At verò ſi viam ingreſſus, cum venis ad compitum aliquod (ita enim appellatur plurimarũ congreſſus viarum) ſi neſcis quod iter ingredi debeas:ſtas & cogitas ipſe tecum, vtrũ primam viam vel ſecundam vel tertiam viam eligas quam ſequaris: nec putas prius arripiendum iter,quàm animo diffinieris. Quanto igitur magis animo debes ac mente conſiſtere, qui ad regnum cœleſte conſcendis iter, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit: non omnis via illò dirigit ad Hieruſalem illam quæ in cœlo eſt. Sũt enim viæ quæ malos exitus habent.Eſt autem anguſtior via illa quæ ducit ad regnum. Volens igitur illam ingredi viam quæ ad Deum ducit, non circunſpicies,non ipſe tecum tractabis,non conſiderabis:ne de facili capiaris affectu,ſiue latitudine prouocatus ingrediaris iter quod te ad inferna deducat. vt puta:Hic cogitauit vt videret mulierem,vt videret ad concupiſcendum: ſed mala hæc cogitatio. Relinquat vias ſuas.Alius quidem non cogitauit:ſed ſubitò aſpexit & captus eſt: vidit & concupiuit: & ideo lapſus eſt.Quòd ſi fragilem ſuum conſideraſſet aſpectum,& eum tenuiſſet,ne cum videret mulierem, mente caperetur:vtique nó proſpexiſſet ad mulierẽ ne concupiſceret eam. Vidẽs,ergo mulierem,non direxit pedem ſuum in teſtimonia domini:qui ſi ante lapſum ſuum cogitaſſet, forſitan dixiſſet, *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua*. Cogitet ergo primum quemadmodum videat,quemadmodum loquatur. Bene ſic cogitauit qui dicebat, Pone domine cuſtodiam ori meo, ne fortè dum mẽs inflammatur ardore, lingua ſermone labatur:aut multiloquio incauto etiã quod mens non cogitauit, incurrat loquendi facilitatẽ. Cogitet quemadmodum pedem ſuum dirigat,manum afferat,ne impetu indignationis impulſus cũ repellere debeat iniuriam, ipſe alteri iactum cædis illidat. Cogitandum eſt igitur quid geramus. Vbi enim præcedit cogitatio: maturitas operationis adhibetur. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta, Cogitaui vias meas, ſcilicet omnia quæ agere debeo: & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.

*Agenda præcogitare debemus.*

*Cogitanda ſunt agenda antè quã ſiãt.*

*Matth.7.*

*Pſal.140.*

## Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. 2133

Hic oſtendit quartum: ſcilicet quòd timor domini facit mortem pro Chriſto nó timere. Si enim timor domini fugit offenſam Dei, ſequitur quòd paratum facit hominem ad omnia quæ Deus mandat.Mandat autem mortem corporis pro ſaluanda vita animæ, non timere. Matth.10. Nolite timere eos qui occidunt corpus,&c.Et hoc eſt quòd Pſal. timore domini fretus, pro mandatis Dei adimplẽdis,etiam mortem non timet,dicens, Paratus ſum & non ſum turbatus,&c.Ex hoc enim perpendere poteris quantum valeat ſolita præmeditatio futurorum.Si quis enim mente cogitare velit ad quem finem ducat via lata mundi,quia ad æternum ſupplicium:ad quem finem ducat arcta via mandatorum Dei,quia ad regnum cœleſte: nũquam ingredietur viam latã,ſed arctam intrabit. Et ideo poſtquam Pſal.præcogitauit vias ſuas,ſtatim viam quę ad vitam ducit elegit,dicens,*Paratus ſum,& non ſum turbatus*, &c. quaſi dicat, Etſi in via mandatorum tuorum aduerſa premant, maledicta obiiciantur, mors immineat:tamen omnia iſta contemno quia tranſitoria ſunt:& ad viam mandatorum paratum me offero;quia illa breuis eſt,& ad vitam ducit æternam. Ad iſtum intellectum Ambroſ. hunc verſum exponit hic dicens,Vbi cogitatione quis pręuenit quod acturus eſt, ſemper paratus ad agendũ eſt,ſemper fixus & validus:vt non queat ſubita aliqua accidentium offenſione turbari.Nulla eũ ambitioſa extollunt:nulla eum tempeſtas iniuſtæ inuaſionis exagitat:non petulantis oculus meretricis illaqueat.Si perſecutio vel mors ingruit, inuenit iam ſe paratum,vt ibi poſſit eſſe perturbatio ſalutis incertæ: vbi ſperat a ſacri corona certaminis prouida futura meditatione prouidit. Si à maledictis obtrectatoribus frequenter obroditur:cogitet quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: neque ſeruus ſupra dominum.Si ſupra filium Dei opprobria exprobrantium nefanda ceciderunt:quemadmodum ſeruus exortem eorum ſperare ſe poterit? ideóque mentem ſuam præparare debet,vt cũ iſta acciderint,turbare ſe nequeat. Præparet animum, & meditatione componat, vt poſſit dicere, Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia,an fames? &c. Quare autem non ſeparetur, adiecit

*Agẽda præcogitans non turbatur.*

*Rom.8.*



adiecit Apoſtolus:Sed in omnibus his (inquit) ſuperamus propter eum qui dilexit nos.Inter omnia autem aduerſa tentamenta, ad quæ ſufferenda paratos & nó turbatos præcogitare oportet:nos reddere duo maximè ſanctus Salomon oratione propria declarauit, quæ rogat vt poſſit excludere dicens:Diuitias,& paupertates ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria,&c. Potes ergo & tu iſta tentamenta contemnere, quæ formidauit Salomon:qui ſapientiam poſtulauit, & meruit.Diues erat,timuit extolli: pauper fieri formidauit,ne paupertatis neceſſitate, abſtinentiæ gratiam non teneret. Quàm multi qui videbãtur ſancti eſſe,ceciderunt ab altitudine cordis ſui. Quàm multi aliqua neceſſitate deiecti non potuerunt cótenti eſſe iniuria, qui fuerant virtutum exercitio roborati. Rarus Iob inuenitur in terris, qui & diuitias amiſit & filios, & vulneribus corporis exaratur cum vermes toto corpore fluerent, à Chriſti caritate non potuit ſeparari. Paremus igitur affectum noſtrum, ne imparatum vis repẽtina perturbet.Veniens igitur in certamen aliquod magnũ & graue dic priùs,*paratus ſum,& non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua*.Eſto paratus non ſolũ aduerſus ea quæ vides, ſed etiam aduerſus ea quæ nondum vides. Foris pugnæ, intus timores, in teipſo tibi bellum eſt. Bonum eſt vt in tranquillitate ſit animus tuus, & in quadam ſerenitate. Sed gubernator ille melior eſt qui in tempeſtate nauem gubernat. Rege ergo teipſum quando turbatur animus,mens fluctuat.Laudamus virtutem gubernatoris, qui nullas procellas ſenſerit,& curſum direxit nulla tempeſtate iactatus.Sed & illũ laudamus, qui aduerſus ventos renititur, inſurgit aduerſus fluctus: non timet cum eleuatur vndis nauigium, vel cum ad profundi ima deponitur.Ita & ille laudandus eſt gubernator ſui,qui ea quæ aduerſa ſunt vincit patientia, virtute ſuperat: ſecundis non extollitur,aduerſis non frangitur. Aduertis igitur cũ quantis eſt tibi prælium. Et ideo meditare: ſtatue animo,vt procedens ad prælia dicas,*Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua*. Sic & ſupra dixit Pſal.107. Paratum cor meum Deus:paratum cor meum,&c.

*Aduerſa præcogitando timere nó debemus.*

*Prouer.30.*

*1.Cor.7.*

## 2134 Funes peccatorum circumplexi ſunt me: & legem tuam non ſum oblitus.

Hic oſtendit quintum: ſcilicet quòd timor Dei carnem ſpiritui facit ſubiugare. Sicut enim timor domini animã ſubiicit Deo, quia hoc ratio dictat: ſic & conſequenter carnem ſubiicit ſpiritui: quia implicat animam ſubiici Deo per veram humilitatem: & carnem ſibi non ſubiicere, quia in quo caro non ſubiicitur ſpiritui, in illo eſt peccatum. In peccato autem exiſtens, à Dei ſubiectione eſt alienus,quia diabolo ſubiectus.Et hoc notãs Pſal. dicit,*Funes peccatorum circumplexi ſunt me*,&c.Vbi notandum, quòd ſecundũ Gregor. funes in ſcriptura myſticè multa ſignificant. Vnde ait ſic, Scriptura enim fune aliquando dimenſionum ſortes,aliquãdo fidem,aliquando peccatum conſueuit deſignare. Nam propter hæreditarias dimẽſionum ſortes dicitur Pſal.15. Funes ceciderunt mihi in præclaris:etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.Funes quippe in præclaris cadunt:dum per humilitatem vitæ ſortes nos patriæ meliores excipiunt.Rurſum fune fides exprimitur: Salomone atteſtãte,qui ait, Funiculus triplex difficilè rumpitur. quia ſcilicet fides quæ de cognitione trinitatis eſt, ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens: in ſolo reproborum corde diſſipatur. Rurſum quia fune peccata ſignificantur,per Prophetam dicitur, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Vnde per Pſal.dicitur, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*. Quia enim funis torquetur vt creſcat,non immeritò peccata in fune ſignificantur: quia peccatum quod ſæpe peruerſo ore dum defenditur, multiplicatur.Sic ergo hic Pſal. funes accipit,non propriè pro ipſis peccatis,ſed pro occaſionibus & tentationibus peccatorum,dicens, *Funes peccatorũ*, &c.Vtputa,quando caro,mũdus,vel diabolus ſuis minis vel terroribus,ſuis concupiſcentiis,vel delectationibus illaqueare cupiunt iuſtos, vt diſcedant à lege diuina. Sed iuſtus illis pulſantibus, in lege Dei cor ſuum confirmat. Ideo ſubdit, *Et legem tuam non ſum oblitus*.Iſto modo iſtum verſum hic exponit Auguſt. dicens, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*,&c. Funes peccatorum impedimenta ſunt inimicorum, ſiue ſpiritualium, ſicut diaboli & angelorum eius:ſiue carnalium, in quibus diabolus operatur.Non enim hoc nomen quod dictum eſt peccatorum ab eo quòd ſunt peccata declinatũ eſt:ſed ab eo quòd ſunt peccatores.Cum itaq; peccatores minantur mala quibus terreant iuſtos, ne pro lege Dei patiantur: quodammodo funes implicãt,veluti validas & robuſtas reſtes ſuas. Sed etſi iuſtorum implicant corpus, animam non implicant. Propter quod Pſal.ait, *Et legem tuam non ſum oblitus*. Ambroſius autem hoc exponit de vinculis peccatorum, quibus per diabolum implicamur: ſed per Chriſtum liberamur:dicens, Iſti ſunt funes delictorum noſtrorum quibus inuoluimur & alligamur.Et ideo ſaluator qui habet poteſtatem peccata dimittere, dicit illis qui ſunt in vinculis iſtis, Exite.Vtinam & mihi dicat,Exi de vinculis peccatorum tuorum:ſolue funes erroris tui, quibus circũdatus & alligatus es.Etenim ſi nequiſſimus ſum omnium, & deteſtabilis vſu peccatorum:illo tamẽ iubente,liber ero,qui ſub vno momento latronem damnatum reum ſupplicio eripuit, & conſtituit in regno ſuo.Sunt ergo peccata vincula quibus conſtringimur,etiamſi videamur liberi.Vinculis enim peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Ligat nos vinculis,carnis illecebra: vinculum noſtrum auaricia eſt: vinculum noſtrum ebrietas eſt: vinculum noſtrum concupiſcentia eſt: vinculum noſtrum ſuperbia eſt.Sunt & diaboli vincula. Denique ſcriptum eſt, Hãc autem filiam Abrahæ quã alligauit Sathanas decem & octo annis. Ligat etiã diabolus nos criminum nexu, vinculo fornicationis,vinculo adulterij,vinculo perfidiæ, qua Chriſtus negatur:vinculo inuidiæ, qua frequenter frater appetitur: vinculo crudelitatis, qua ſocius & frater occiditur. Hæc ſunt vincula quibus ligatus vnuſquiſque inclinatur,vt animam ſuam leuare nó poſſit:nec ad cœlum obtuitus mentis erigere: niſi dicat ei dominus,Dimiſſa es ab infirmitate tua, & munere eam ſuæ benedictionis erexerit. Hæc ſunt ſceleratorum vincula, quæ dirum peccatorem ligant:hoc eſt diabolus & miniſtri eius:vel certè Nẽroth,hoc eſt amaritudo: vel Eſau, hoc eſt terrenus vel callidus.Iſti enim venatores erant,qui feras laqueis

*Greg.33.moral.cap.12. Funes ſignificant multa.*

*Eccle.4.*

*Eſa.5.*

*Funes peccatorum ſunt inductiua ad peccatum.*

*Eſa.5.*

*Funes ſunt peccata.*

*Vincula ſunt peccata.*

*Luca 13.*

queis captare conſueuerant, & muta animantia vinculis alligare: inutiles venatores, qui capiunt beſtias, quę pompam ſpectaculo populari prębeāt, miniſterium crudelitati.

*Venator nullus iuſtus inuenitur in ſcriptura.*

Denique nullum inuenimus in ſerie diuinę ſcripturę de venatoribus iuſtū, &c. Eſt ergo ſecundum Ambroſ. ſententia, vt iſta ſint verba illius qui multis vinculis peccatorum ligatur: tamen recordatus legis diuinę, qua ſcilicet

*Ezech. 18.*

dicitur, Quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor: confiſus de pietate domini, ad Deū recurrit, vt ipſum à funibus peccatorum abſoluat. Et ideo primò ſe peccatorem confitetur, dicens, Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et conſequenter ſpem abſolutionis allegat dicens, *Et legem tuam non ſum oblitus*: qua ſcilicet contritos abſoluis.

## 2135 Media nocte ſurgebam ad confitēdum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.

Hic oſtendit ſextum: ſcilicet quòd timor domini pro acceptis beneficiis Deum facit laudare. Timor domini iuſtitiam timentibus Deum præſtat: ſic quòd qui ſine timore eſt, iuſtificari non poterit.

*Eccl. 1.*

vt dicitur Eccleſiaſtici 1, Iuſtitia autem requirit vt vnicuique tribuatur quod ſuum eſt. Cū ergo omnia bona noſtra ſint Dei, & nos Chriſti, quos fecit & refecit: conſequens eſt, quòd timor domini nos docet, nos & omnia noſtra à Deo recognoſcere & ipſum laudare. Quod ſuo exemplo Pſal. nos facere docet dicens, *Media nocte ſurgebam*. Vbi notandum quòd nox dupliciter accipitur, vt ſuperius dictum eſt, ver. 2128. ſcilicet, & pro tempore nocturno (vt nox diſtinguitur contra diem) & pro ſtatu aduerſitatis & tribulationis. Et de vtraque nocte intelligitur iſte verſus. ad quem poſſunt deduci omnia ſuperius dicta in illo verſiculo, *Memor fui nocte nominis tui domine*. quamuis hic plura addantur. Primò ergo intelligitur de hora noctis ſecundum literam.

*Nocte eſt orandum.*

Tunc enim quia maiora vigent dæmonis tentamenta, carnis feruor & ſollicitudo, maximè ſurgendum eſt ad orandum, ad gratias agendum, & ad confitendum domino. Et ad iſtum intellectum hunc verſum hic exponit Ambroſ. dicēs, *Media nocte ſurgebam*, &c. Non ſatis eſt dies ad precandum, ſurgendum eſt etiam nocte, & media nocte. Ipſe dominus pernoctauit in oratione, vt te nocte proprio ad orandum prouocaret exemplo. Et vtique peccatis tuis ille indulgentiam poſtulabat à patre, operabatur propria poteſtate. Non tibi dicit Propheta, vt tantummodo ſurgas, ſed vt & nocte ſurgas: & maximè nocte media. Nocte enim ſurgendū ante præmiſit, dicens, Memor fui nocte nominis tui domine. Poteſt vnuſquiſque memor eſſe, & poteſt quiſque ſurgere: & cum ſurrexit, ea quæ proprio arbitrio ſederint poſtulare. Addidit ergo hic Pſal. dicens, *Media nocte ſurgebam*: docens ſurgendum eſſe media nocte ad orandum. Hoc eſt, vt illo maximè tempore deprecari dominum, & propria debeamus peccata deflere: nec ſolum præteritis veniam poſtulare, ſed etiam præſentia declinare peccata, & cauere futura. Multa enim illo tempore tētamenta proſerpūt. Tunc feruet carnalis illecebra: tunc tentator illudit: coquitur cibus: potúſq; digeritur. Stomachus æger, mens ſomnolenta, animus occupatus eſt. Itaque quieſcenti aut calor ſoporis augetur: aut vigilanti nondū plenior refuſus vigor eſt, qui errorum cauere poſſit incurſus. Tūc igitur tentator aſſiſtit: tūc retia iacit, quibus turbare mētem poſſit improuidā: tūc ſpirituales nequitiæ tenebras oſtendunt: tunc omne nefas ſuadere contēdunt: quando nullus culpę arbiter, nullus criminis conſcius, nullus poteſt eſſe teſtis erroris. Inſerit cordi vanas diſceptationes, vt dicat ſibi,

*Eccle. 23.*

Quis me videt? Et tenebræ & parietes circundāt me. Quem vereor? Surge igitur ad precandū media nocte. Hęc hora eſt qua tentator & nocere conſueuit & irruere. Hæc hora eſt, qua ſolet aduerſus tētationes graues cœleſte venire remedium. Surgendum ergo eſt tibi, ne qua fraude vincaris. Prouidendum eſt tibi, eo tempore quo potes vincere: nequaquā tempus vincendi amittas. Surge ergo ad confitendum domino, vt gratias agas. Confitere domino etiā æterna iudicia eius: vt quicquid boni accidat: eius iuſtitiæ deputemus: quia iuſtus eſt, vt opus ſuum tueatur & conſeruet. Si aduerſa premunt, vtrique iuſtitiæ ſuæ aſcribamus, quia illa & ampliora meruimus. Hęc Ambroſius. Sic enim cōfiteri iudicia iuſtitiæ domini, docet ſcriptura: vt noſtrum quilibet dicat illud Iob 33, Verè peccaui, & vt dignus eram non recepi.

*Nocte aduerſitatis eſt orādum.*

Secundò iſte textus exponitur de nocte aduerſitatis & tribulationis: quæ quanto grauior eſt, eo ipſo nobis ſurgēdum amplius ad Deum deprecandum. Grauitas enim aduerſitatis per mediā noctem figuratur. Et ſic exponit Auguſt. iſtum paſſum dicens, *Media nocte ſurgebam*, &c. Quia & hoc ipſum quòd funes peccatorum circumplectuntur iuſtum, iudicia ſunt iuſtitiæ Dei. Hoc enim ait de perſecutionibus quas patiebatur eccleſia, cū funes peccatorum circumplecterētur eam. Proinde mediam noctem grauiora tribulationis intelligenda æſtimo: in qua dixit, *ſurgebam*: quia non ſic eum affligebat, vt deiiceret: ſed & ſurgebat, vt in ipſa tribulatione ad fortius confitendum proficeret, & orandum. Vel per mediam noctē iudicium vltimum intellige. Quod ideo media nox dicitur, quia illius horā ignoramus. Surgit ergo media nocte qui extremū iudiciū meditatur. Confitetur Deū ſuper iudicia iuſtitię, qui credit tunc iuſtè damnatos puniri æternaliter, & electos æternaliter præmiari. Sic

*Tob. 3.*

enim Tobias confitebatur domino iudicia iuſtitiæ ſuæ, dicens, Iuſtus es domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt: & omnes viæ tuæ miſericordia & veritas & iudicium.

## Particeps ego ſum omnium timētium te, & cuſtodientiū mandata tua. 2136

Hic ponit ſeptimum: ſcilicet quòd timor domini ſingulorū merita communicat.

*Participatio meritorū per gratiam.*

Timor enim domini cū iuſtificet timentem, nō eſt ſine gratia & caritate. Gratia autem & caritas nō quærit quæ ſua ſunt, ſed propria cōmunia facit. Quod maximè verum eſt de meritis & ſpiritualibus bonis. Et hoc oſtendit Pſal. dicens, *Particeps ego ſum*, &c. Notādum ergo quòd iſte verſus dupliciter exponitur. Primò vt ſint verba cuiuſlibet iuſti in ſtatu gratiæ exiſtētis: qui participat omnia ſpiritualia bona aliorum iuſtorum ſecundū gradum ſuæ iuſtitiæ & caritatis: quia in maiori gratia exiſtens, magis aliorum merita participat. Vnde talis quilibet dicere Deo poteſt, *Particeps ego ſum omnium timentium te*, &c. Qualiter autē merita & bona iuſtorū ab omnibus iuſtis participātur, vide ſuprà, ver. 400.

*Particeps eſt Chriſtus omnium iuſtorū.*

Aliter exponitur, vt ſint verba Chriſti, qui per carnis aſſumptionē, omnium iuſtorū particeps eſt effectus: vel nos cū





ipſo quaſi in omnibus participamus myſteriis. Primū ſenſum hic ponit Aug. dicēs, Ad ipſum enim caput noſtrū, ſcilicet Chriſtū, propriè arbitror pertinere quod dicitur, *Particeps ego ſum omniū*, &c. Sicut

*Hebr. 2.*

enim in epiſtola ad Hebr. legitur, Qui enim ſanctificat & qui ſanctificatur, ex vno omnis: propter quam cauſam non confunditur eos fratres vocare. Et paulò poſt, Spiritu ergo (inquit) pueri communicauerūt carni & ſanguini: & ipſe propemodum eorum participauit. Quod quid eſt aliud quā Eorum particeps factus eſt? Neq; enim efficeremur participes diuinitatis eius, niſi ipſe mortalitatis noſtræ particeps fieret. Nam in euangelio, quòd nos diuinitatis eius participes facti ſumus, ita dicitur,

*Ioan. 1.*

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, &c. ſed ex Deo nati ſunt. Vt autē hoc fieret, quia & ipſe particeps factus eſt mortalitatis noſtræ: ita ibi ſequitur, Et verbum caro factū eſt: & habitauit in nobis. Per hāc enim eius participationem, nobis gratia ſubminiſtratur: vt caſtè teneamus Deum, & cuſtodiamus mandata eius. Secundum autem ſenſum: ſcilicet quòd nos cum Chriſto & ipſe nobiſcum in omnibus myſteriis

*Participes ſunt Chriſti omnibus.*

participat, hic ponit Ambroſ. dicens, *Particeps ego ſum omnium*, &c. Habet & Chriſtus participes atq; conformes ſui. Quod oſtendit Pſal. dicens, Vnxit te

*Pſal. 44.*

Deus Deus tuus oleo lætitiæ pręconſortibus tuis. Habet participes carnis, quia carnem ſuſcepit. Habet participes prophetiæ, quia & ipſe propheta.

*Deutero. 18.*

Prophetam (inquit Moyſes) ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris: & omnis qui non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Ideóque populus Iudæorum, quia non audiuit hunc prophetam, exterminatus eſt, vt populus Dei eſſe deſineret, qui antè populus Dei dicebatur. Habet Chriſtus & participes veritatis, quia & ipſe veritas eſt, & nos veritatem tenere voluit. Habet & participes iuſtitiæ, quia ipſe iuſtitia eſt: & nobis de ſuo dedit ſui habere conſortium. Habet conſortes reſurrectionis, quia & ipſe reſurrectio eſt. Habet conſortes immaculatę vitę, quia ipſe immaculatus eſt. Et quicunque in nouitate vitæ ambulauerit: quicunque tramitem iuſtitiæ tenuerit, particeps Chriſti eſt. Habet & tribulationis ſuæ participes. Ideóq; Apoſtolus particeps tribulationis eſſe cupiebat,

*Coloſſ. 1.*

qui dicit, Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis: & adimpleo ea quæ deſunt tribulationum Chriſti in carne mea pro corpore eius: quod eſt eccleſia.

*Hebr. 3.*

Ideo Apoſtolus oſtendens quam gratiam dederit nobis Ieſus ait, Participes enim Chriſti facti ſumus. Sed ille particeps Chriſti eſt, qui lugentē mœſto conſolatur affectu: qui in carcere conſtitutum, proprio non defraudat officio: qui lectum ęgrotātis aſſidet, non vt capiendæ hæreditatis tendat aucupium, ſed vt morbi vim ſollicito miniſterio mitiget. Beatus ergo qui hoc dicere poteſt, *Particeps ego ſum omnium timentium*: vt ſcilicet alteri nō dicat, Non es de corpore meo: hoc eſt, non dicat pauperi diues, non ignobili nobilis, non ægro ſanus, non debili fortis, non imperito ſapiens dicat, nō es mihi neceſſarius, ſed magis compatiatur infirmis: vt ſciat quòd vnum corpus ſumus omnis: & mēbris membra connexa, vt alterum ſine altero eſſe non poſſit: & cùm alterum dolet, compatiatur alterum. Iſte eſt qui rectè dicere poteſt, *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*. Hæc ille.

## Miſericordia tua domine plena eſt terra: iuſtificationes tuas doce me. 2137

Hic oſtendit octauum: ſcilicet quòd timor domini ad Deum videndum eleuat. Cùm enim timor domini humilitati ſocietur, & omnis qui ſe humiliauerit exaltabitur: conſequens eſt vt intellectus timētis Deum per miſericordiam eleuetur ad Deū cognoſcendum & ipſius iuſtificationes. Et hoc eſt quod petit Pſal. dicens, *Miſericordia tua domine plena eſt terra*, &c.

*Miſericordia eſt fructus incarnationis.*

Iſte verſus primò exponitur vt quaſi ſit declaratiuus vtilitatis quam homines ſunt conſecuti ex hoc quòd Chriſtus particeps noſtri factus eſt. Sic enim ipſum hic exponit Auguſt. dicens, Et propter hoc quòd Chriſtus particeps factus eſt fratrum ſuorum, Deus hominum, immortalis mortalium: ideo granum cecidit in terram, vt mortificatum multum faceret fructum. Vnde de ipſo fructu adiunxit Pſal. dicens, *Miſericordia domini plena eſt terra*. Et vnde hoc, niſi cum iuſtificatur impius? In cuius gratiæ ſcientia vt proficiatur, adiungit, *Iuſtificationes tuas doce me*.

*Miſericordia eſt fructus paſſionis Chriſti.*

Aliter hunc verſiculum exponit Ambroſ. oſtendens quòd miſericordia Dei quandoq; plena dicitur terra, & nō cœlū. Vnde hic dicit, *Miſericordia domini plena eſt terra*. Quomodo plena eſt terra miſericordia domini, niſi per paſſionem domini noſtri Ieſu Chriſti? quam futuram præuidens quaſi promiſſam propheta concelebrat?

*Futura per modum præteriti dicūt prophetæ.*

Prophetis enim ea quæ futura ſunt præuidentibus moris eſt vt iam quaſi decurſa memorentur, quæ poſterioris ętatis ſunt. Plena eſt ergo terra miſericordia domini, quia omnibus data eſt remiſſio peccatorum. Super omnes ſol oriri iubetur. Et hic quidem ſol ſuper omnes quotidie oritur.

*Miſericordia domini plena eſt terra.*

Myſticus autem ſol ille iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Ideo autem paſſus eſt, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autē non credit in Chriſtum: generali benedictione ipſe ſe fraudat: vt ſiquis clauſis feneſtris, radios ſolis excludat, nō ideo ſol non eſt ortus omnibus, quia calore eius ipſe ſe fraudat. ſed quod ſolis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat: quod impedientis eſt, cōmunis à ſe gratia lucis excludit. Et hoc diuinæ miſericordiæ deputatur, quia pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

*Matth. 5.*

Aut certè ſic interpretandum eſt, quòd miſericordia domini plena ſit terra. Quia domini eſt terra & plenitudo eius: ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina pręparauit illam.

*Pſal. 23.*

Etenim per eccleſiā in omnes gētes diffuſa eſt domini miſericordia atq; fides.

*Quæſtio.*

Sed fortaſſe dicet aliquis: Quare non dictū eſt, Miſericordia domini plenū eſt cœlū: quia ſunt etiā ſpirituales nequitię in cœleſtib[9]? Sed non illę ad cōmune ius indulgentiæ Dei remiſſionēq; pertinēt peccatorū, quib[9] ignis ſeruatur æternus. Illa autē cœleſtiū ſpirituū agmina ſic auxilio domini fulciūtur, vt nō tanta eius indigeāt miſericordia, quāta quæ ſunt inferiora atq; terrena. Non enim illa carnis inuolucro veſtiūtur, in qua frequēs eſt illecebra.

*Chriſtus ſolus eſt verus magiſter & doctor.*

Sequitur, *Iuſtificationes tuas doce me*. Ideo enim iuſtificationes Dei ab ipſo domino petit doceri, quia difficile eſt in terra huiuſmodi magiſtrū reperire, qui ea doceat quæ ipſe nō videt. Ad illum ergo doctorē intimo propheta cōſcēdit affectu, qui ſolus magiſter eſt verus. Docet ergo Deus, & mentes illuminat ſingulorum, & claritatē cognitionis infundit: ſi tu aperias oſtia cordis tui, & cœleſtis gratiæ recipias claritatē: quando dubitas, diligēter inquiras.

*Matth. 7.*

Qui enim quærit, inuenit: & ei aperitur

*Docetur qui ſtudet.*

qui pulſat. Multa enim obſcuritas eſt in ſcripturis propheticis. Sed ſi manu quadam mentis tuæ ſcripturarum ianuam pulſes, & ea quæ ſunt occulta diligenter examines: paulatim incipis rationem colligere dictorum: & aperietur tibi non ab alio, ſed à Dei verbo. de quo in Apoc. ſcribitur, quòd agnus librum ſignatum aperuerit: quem nullus antè poterat aperire: quia ſolus dominus Ieſus in Euangelio ſuorum prophetarum ęnigmata & legis myſteria reuelauit: ſolus ſcientiæ clauem detulit, & dedit aperire nobis. Et ideo ad ipſum cõuerſus dicit Pſal. *Tu me* (inquit) *doce iuſtificationes tuas*: quia tu es vera iuſtitia. Tu doce me quæ ſapienter dicta ſunt: quia tu ipſe es vera ſapientia. Tu aperi cor meum qui aperuiſti librum. Tu aperi illud oſtium quod in cœlo eſt: quia tu ipſe es ianua. Per te ſi quis intrauerit, regnum illud poſſidebit æternum. Per te ſi quis intrauerit non decipietur: quia falli non poteſt quicunque veritatis domicilium fuerit ingreſſus. Aliter autem oſtẽdit Ricardus de ſancto Victore: quomodo miſericordia domini plena eſt terra atq; cœlum, dicẽs, *Miſericordia domini implet cœlum & terram*, &c. vide ver. 484.

*Apoc. 5. Gratiæ inuocatio prædicatoris.*

2138 Teth. BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecũdum verbum tuum.

Hic incipit octonarius nonus: cui pro titulo pręmittitur nona litera alphabeti Hæbraici, quæ eſt teth: quæ huic octonario meritò pręmittitur, ſiue pręponitur. nam teth interpretatur excluſio. Hic autem agitur de patientia ſanctorum, quæ pœnarum excludit triſtitiam, & facit bonum & iocundum, martyres pati pro Chriſto. Martyres amore ſui regis omnia aſpera per virtutem patientiæ dulcia reputabant: omnia crudelia iocundè perferebant, foras ſeruilem mittentes timorem. Vt miles qui imperatorem diligit, bella pro imperatore ſuſcepta non metuit. Vt ſeruus amãs dominum, quãuis per deuia & prærupta mittatur: tamen omnia pericula amore domini contemnit: at ſiquis dominum petat, ſeipſum offerre non trepidat. Vt qui trans mare poſitos filios videre deſiderat, non metuit naufragia liberorum amore. Ingreditur maris fluctus, ſubit incerta nauigiis, & metum diſcriminis filiorum deſideria leuant. Quàm pulchrè hoc de martyribus dicitur, qui verè militant Chriſto: qui perſecutiones, vngulas, gladios, incendia non timẽtes, infeſtis regibus vltimò ſe obtulerunt? Timorem etenim quem poterant habere pœnarum, excluſerunt amore martyrij. Hæc ergo eſt ſanctorum patientia, quæ omnem ſeruilem excludit timorem, de qua iſte octonarius agit. Et ideo pro titulo ſibi præmittitur teth: id eſt, excluſio. Agitur ergo in iſto octonario de martyrum patientia: & ſecundum varios effectus patientiæ quos fecit in martyribus iſte octonarius diuiditur. Virtus enim patientiæ in martyribus hæc faciebat. In pœnis primò animam lætificat: in principio. Secundò dubia clarificat: ibi, *Bonitatem & diſciplinam.* Tertiò crimina exterminat: ibi, *Priuſquam humiliarer.* Quartò aſpera dulcificat: ibi, *Bonus es tu.* Quintò præcordia fortificat: ibi, *Multiplicata.* Sextò, maliciam non approbat: ibi, *Coagulatum.* Septimò merita multiplicat: ibi, *Bonũ mihi quòd humiliaſti me.* Octauò præmia magnificat: ibi, *Bonum mihi lex oris tui.* Quantum ergo ad primum: virtus patientiæ in aduerſis excludit triſtitiam, & lætificat animam patientis. Secũdum enim Philoſophum, omne inuoluntarium eſt triſte: & quanto magis inuoluntarium, tanto amplius triſte eſt. Et per conſequens ex oppoſito, omne voluntarium, delectabile, & quanto amplius voluntarium, tanto magis iocundum. Cum ergo martyres virtute patientiæ, ardenti deſiderio martyrium ſitirent pro Chriſto: ſequitur quòd pœna in illis non triſtitiam, ſed iocunditatem inducebat. Propter quod de Apoſtolis dicitur, quòd ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt, &c. Et hoc notans Pſal. hic dicit, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine.* Vnde bonitatem hic accipit pro mentis lætitia & iocunditate. Vnde & alius textus Ambr. habet, *Iocunditatem feciſti cum ſeruo tuo domine.* Quaſi dicat martyr virtute roboratus patientiæ: Alia temporalia bona videntur & iocunda ſecularibus hominibus: mihi autẽ iocunda ſunt aduerſa pro fide Chriſti ſuſtinere. Et ad hunc ſenſum hic paſſum iſtum exponit Ambr. dicens, *Bonitatem* (id eſt iocunditatem) *feciſti cum ſeruo tuo domine.* Multa in hoc ſęculo videntur eſſe iocũda, vel bona ac ſuauia. Luxuries videtur eſſe iocunda: ſed exhauſto fit amara patrimonio. Dulcis libido cum feruet: ſed eadem horrida & fœtida cũ producitur. Suaues epulæ: ſed fœtidæ cum digerũtur. Bona in hoc ſæculo multa videntur dum viuimus, quia vſui nobis ſunt: vt pecunia, honor, aurum, argentum, poſſeſſiones: eadem nihil poſſunt prodeſſe defunctis: hic omnia relinquũtur. Quinetiam maiori cum dolore quis moritur, cum ſe his fraudari copiis ingemiſcit. Non eſt ergo iocunditas vel bonitas vera, niſi illa quæ ſecũdum verbum Dei eſt: vt bonorum meritorum atque virtutum ſubſidiis, homo gaudeat ſe eſſe munitum. Dicat ergo Pſal. *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine ſecundum verbum tuum.* Hoc eſt, etſi mihi ad tempus amara viſa eſt caſtigatio ſecundum carnem, ſecundum mœſticiã corporis: tamẽ ſecundum verbum tuum caſtigatio illa fructus attulit bonitatis. Illam mihi caſtigationem intelligo profuiſſe: illa caſtigatione me à vitiis eſſe reuocatum: illa non diu aliquid in me licuiſſe flagitiis: per illam caſtigationem domini nihil in me licuiſſe aduerſario, nihil morti. Quoniam caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me. Caſtigatur enim qui recipitur. qui enim non recipiuntur, non flagellantur. In labore enim hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Sic ergo dicat martyr: dicat quilibet iuſtus aduerſa patiens, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine.* Vel aliter exponitur: vt tunc Deum nobiſcum bonitatem dicamus facere, quando ſic nobiſcum agit, vt bonum nobis placeat, diſpliceat malum: vt bonum agamus amore, non timore. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, Propter hoc dictum arbitror, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine*: niſi hoc feciſti, vt me delectaret bonum. Quando enim placet & delectat bonum, magnum Dei donum eſt: quando autem bonum opus quod lex imperat, fit timore pœnæ, non delectatione iuſtitiæ: cùm Deus timetur, non amatur: ſeruiliter fit, non liberaliter. Bonitatem itaque feciſti cum ſeruo tuo, faciendo filium, qui ſeruus fuit. Et hoc ſecundum verbum tuum. hoc eſt ſecundum promiſſum tuum. vt ſecundum fidem firma ſit omni ſemini.

*Patientiæ magna eſt virtus.*

*Inuoluntariũ triſte, & voluntarium lætum.*

*Act. 5.*

*Delectabilia & dulcia ſunt peccata, ſed ſunt amara.*

*Caſtigatio Dei vtilis eſt nobis.*

*Pſal. 117.*

*Pſal. 72.*

*Bonum facere timore eſt ſeruorum, ſed filiorũ, amore.*

Bonitatem & diſciplinam & ſcientiã doce me, quia mãdatis tuis credidi. 2139

Hic oſtendit ſecundũ, quòd patiẽtia dubia clarificat. Hoc enĩ impatiẽs auſcultare nõ poteſt, & ideo



nec intelligere. Econtrario autem qui patienter audit, quę dicuntur intelligit. Et ideo Pſal. vt informetur, ſe patientem ad audiendum exhibet. dicẽs, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me.* Aduertendum autem quòd hic Pſal. tria petit edoceri à Deo: ſcilicet bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam. Primò petit bonitatem, dicens, *Bonitatem doce me.* Sed cùm prius dixerit, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine*: quomodo hic petit, dicens, *Bonitatẽ doce me*? Hoc enim petere, non eſt niſi poſtulare, vt bonitas data, ſcilicet boni complacentia & delectatio augeatur. Vnde hic ait Auguſt. Nam vtique iam dixerat, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo.* quid ergo nunc dicit, *Bonitatem doce me*: niſi vt ei gratia Dei magis ac magis abundet, vel innoteſcat dulcedine bonitas? Habebant enim fidem qui dixerunt, Domine auge nobis fidem. Et quamdiu viuitur in hoc mundo, proficientium eſt iſta cantatio. Secundò petit doceri diſciplinam: dicens, *Et diſciplinam.* Docere enim diſciplinam nihil aliud eſt, quàm per moleſtias & aduerſa aliũ erudire. Diſciplina enim idem eſt quod flagellatio, vel aduerſorum immiſſio. Ille ergo docetur diſciplinam, qui per aduerſa addiſcit patientiam. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicẽs, Poſtquam Deus docuerit bonitatem, ſcilicet inſpirauerit vt bona delectent, & mala diſpliceant, inſtanter orandum eſt, quò tantum ſibi augeatur hoc bonũ, vt non ſolũ pro illo cõtemnat delectationes cæteras, ſed etiã pro illo quaſlibet perferat paſſiones. & ita bonitati ſalubriter additur diſciplina. Non enim quantulæcunque bonitati vel caritati optanda eſt diſciplina, ſed tam magnæ vt ſub eius preſſura non poſſit extingui, ſed ſicut ingens flamma ſub impetu venti quanto magis reprimitur, tãto ardentius excitatur. Et ideo parũ fuit dicere *bonitatem doce me*: niſi adderet, *& diſciplinam*: ſcilicet vt tanta ſit bonitas, vt & diſciplinam poſſit patientiſſimè ſuſtinere. Tertiò petit ſcientiam. quia caritati addita ſcientia ædificat, quæ ſine caritate vel bonitate inflat. Vnde hic ait Auguſt. Tertio loco poſtulat ſci ẽtiam: quoniam ſi magnitudine ſua pręcedit ſcientia magnitudinem bonitatis: non ædificat, ſed inflat. Cum ergo in homine tanta fuerit caritatis bonitas, vt in tribulationibus non poſſit extingui, quas adhibet diſciplina: tunc vtilis eſt ſcientia qua innoteſcit ſibi homo quid ipſe meruerat: & quæ à Deo donata ſunt ei, per quæ poſſe ſe ſciat, quæ ſe poſſe neſciebat, & per ſeipſum omnino non poterat. Dicat ergo, Doce me bonitatem augendo caritatem: doce me diſciplinam, temperando tribulationem: doce me ſcientiam, illuminando intelligẽtiam. Sequitur, *Quia mandatis tuis credidi.* Sed cur nõ dixit, quia mandatis tuis obediui, ſed credidi. cùm mandatis potius ſit obediendũ quàm credendum? quia mandatis credere, & non facere, nullius eſt meriti. Hãc quæſtionem hic mouet Auguſt. & ſoluit: dicens, Non immeritò quæri poteſt cur nõ dixit, mandatis obediui, ſed credidi: cum alia ſint mãdata & alia promiſſa. Mandata faciẽda ſuſcipimus, vt accipere promiſſa mereamur. Promiſſis ergo credimus: mandatis obtemperamus. Et reſpondet, Quid eſt ergo *mandatis tuis credidi*, niſi credidi quòd tu illa mandaueris: non aliquis homo, quamuis per homines hominibus miniſtrata ſint? Quia itaque credidi tua eſſe mandata, ipſa fides mea qua id credidi, impetret à te gratiam, qua faciam id quod mandaſti. Quaſi dicat, Te illa credidi mandaſſe, qui Deus es: & homini donas vnde facias eum facere quod mandas. Aliter exponitur iſte verſus. vt per ipſum oſtendat Pſal. qualiter in diſciplina & paſſione eſt procedendum. Vnde Bernard. dicit, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me*: Compaſſionis affectus multis quidem prodeſt: quia animus liberalis quem pro ſe viderit anxium, erubeſcit. Sed nonnulli dura ceruice & attrita ſunt fronte adeo vt quanto magis eis prælatus compatitur, tanto magis eius compaſſione & patientia abutuntur. Igitur ſi cõpatimur fratri, ita ipſi iuſtitię compatiendum eſt, quam videmus ita impudenter abiici. Et hoc eſt zelus iuſtitię, quo aduerſus delinquentes accendimur. Sed cum vtrunque affuerit: ſcilicet compaſſionis affectus & zelus iuſtitiæ, neceſſe eſt vt aſſit ſpiritus diſcretionis: ne fortè cum oportuerit hunc exhiberi, ille præcedat, & indiſcretio ipſa confundat vniuerſa. Hoc mihi videtur poſtulaſſe propheta cùm dicit, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me.* Sed vnde hoc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis noſtri, ſed magis ſpinas & tribulos germinant nobis. Bonitas ergo reſpicit compaſſionem, diſciplina zelum iuſtitiæ: ſed ſciẽtia diſcretionis virtutem.

*Bonitates creditio nobis.*

*Luca 17.*

*Non quallibet bonitas optat diſciplinam.*

*Scientia ſequi debet caritatem.*

*Quæſtio.*

*Correctio debet habere cõpaſſionem, zelum & diſcretionem.*

Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui. 2140

Hic oſtendit tertium: ſcilicet quòd vera patientia crimina exterminat: patientia autem veram humilitatem includit: vera autem humilitas peccata ſua recognoſcendo confitetur: cõfeſſio autem peccata exterminat. & per conſequens, ipſa patientia peccata delet. Sic & in propoſito Pſal. vera fretus patientia ſe peccaſſe confitetur, dicens, *Priuſquam humiliarer ego deliqui.* Pro huius verſus declaratione notandum quòd, vt dictum eſt ver. 2123. duplex eſt humilitas: ſcilicet quædam virtus & quædam pœna. Hic autem verſus intelligitur de humilitate miſeriæ & afflictionis: qua humanũ genus in Adã fuit humiliatum in pœnam peccati primorum parentum. Cum enim omnis pœna ſi iuſta eſt ſit pœna peccati: ſequitur quòd peccatum pœnam præceſſit, & pœna fuit ſubſecuta. Vnde in perſona generis humani ſe prius peccaſſe Pſal. confitetur: & conſequenter humiliatum fuiſſe: dicens, *Priuſquam humiliarer*, (id eſt, punirer,) *ego deliqui.* Vnde ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Auguſt. dicens, *Priuſquam humiliarer ego deliqui.* Hoc ad illam melius refertur humiliationem quæ facta eſt in Adam: in quo omnis creatura tanquam in radice vitiata, quoniã veritati ſubiecta eſſe noluit, ſubiecta facta eſt vanitati. Quod tamẽ vaſis miſericordiæ profuit experiri, vt deiecta ſuperbia, diligatur obedientia, & pereat non radicata miſericordia. Et ideo expertus miſeriam, vt illã euadat, dicit, *Propterea eloquium tuum cuſtodiui.* Quia ſi Adam cuſtodiſſet, non fuiſſet humiliatus. Poteſt etiam hoc intelligi non ſolum de humiliatione totius humani generis facta in Adam: ſed etiam de miſeria cuiuſlibet particularis. vt ſunt tentationes & pœnæ quas ſuſtinemus, vt dictum fuit, ver. 2123. quæ proceſſerunt ex culpa, & ſunt etiam occaſio virtutis: vt clarius hic deducit Amb. dicens, *Priuſquam humiliarer*, &c. Ita accipiamus humiliari dictum, eo quòd per peccatũ videatur humiliatus. Propter peccatum enim tentationes ſæpe naſcuntur. Denique Adam & Eua poſt peccatum deiecti ſunt. Ergo humiliationis noſtræ cauſa peccatum eſt. Poteſt enim de aduerſis

*Peccatũ præcedit pœnam.*

*Pœna inducit obedientiã.*

pleruṁque intelligi humilitas:vt eſt illud, Bonum mihi quòd humiliaſti me : vt dicam iuſtificationes tuas. Et illud, Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, fortè periſſem in humilitate mea. Hic ergo oſtẽdit humilitatẽ ortam eſſe de culpa. Et quia culpa præceſſit, ideo ſe humiliatum oſtẽdit;hoc eſt attritum tẽtationibus & aduerſis,& traditum anxietatibus. Sed quamuis humilitas iſta ſit quædam deiectio perturbationis , non virtutis : generat tamen ſæpe virtutem,& fit non pœna, ſed remediũ delinquentis. Nam ſi peccatis tuis tribuas quòd humiliatus es,quicquid acciderit in te retorques : ex reo incipis eſſe iuſtus qui te ipſum cõdemnas:iuſtus enim accuſator eſt ſui in exordio ſermonis. Nec potes indignum te iudicare humilitate,qui propria errata cognoſcis : in quibus erubeſcendo non vtique extolleris,ſed humiliaris. Vides ergo quia ideo humiliatus es,quia deliquiſti, & non ſeruaſti eloquia domini. Vnde ſerua diligentius,ne pecces, ne iterũ quia deiectus es,etiam abſorbearis : & fiat tibi deiectio tua incrementum iniquitatis,quę debet eſſe ereptionis occaſio. Etenim tentationibus homo ſicut aurũ in conflatorio probatur. Vides ergo propheta quid dicat, *Priuſquàm humiliarer ego deliqui.* Iure ergo tentationibus traditus eſt, quoniam deliquerat. Delinquebat autem, quia Dei eloquiũ non tenebat. Verùm inde ordinem emendationis inuenit,vnde culpa proceſſerat. Cepit eſſe ſubditus eloquio diuino,& culpa deſiuit.

*Aduerſa quandoque ſunt cauſa virtutis.*

*Prouer.18.*

2141 Bonus es tu:& in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.

Hic oſtendit quartum:ſcilicet quòd vera patiẽtia aſpera & dura reddit dulciſſima. Ad hoc enim Chriſtus paſſus eſt, vt nobis exemplum patientiæ daret in paſſionibus ; vt ipſa patientia paſſionis aſperas gratas redderet. Nihil enim tã durum quòd ſi paſſio domini ad memoriam reducitur,nõ æquo animo toleretur. Præuidens ergo Pſal. quòd exemplo ſuæ patientiæ noſtras paſſiones mitigauit:dicit Deo, *Bonus es tu* (qui ſcilicet pro me voluiſti pati) *& in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.* Dicat ergo Deo, *Bonus es tu.* Via enim naturali multoties effectus cognoſcitur per cauſam. vt dicitur 1 Phyſic. Sic & diuina ſcientia cauſa multoties per effectum cognoſcitur:Chriſto dicente, Arbor bona fructus bonos facit,&c. Sequitur, Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Vis ergo cognoſcere bonitatẽ Dei, quia per cauſam cognoſci non poteſt,quia cauſam non habet: oportet quòd cognoſcatur per fructus ſuos & effectus,quia inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta cõſpiciuntur. Conſidera ergo quàm boni ſunt fructus Dei,& intelliges quàm bonus ſit Deus. Sic enim bonitatem Dei cognoſcendam hic oſtendit Ambroſ. dicens, Laudantur pleruṁque homines in quibus frequẽter aliena laudantur:vt ſcilicet eſſe boni admoneãtur,qui forſitan non ſunt:& bonitatis prædicatione miteſcant:& vt errorem ſuum immitis deponat affectus. quanto magis laus ſua Deo deferenda eſt? qui niſi bonus eſſet,ſtare ſupra terram quis poſſet? Proprium eſt autem Dei,vt bonus ſit. Denique in euangelio habes, Arbor bona fructus bonos facit. Qui autem ſunt fructus Dei? Certè fructus Dei angeli ſunt. Fructus eius homines ſunt:hoc eſt rationabiles ſancti,ſi domini pręcepta cuſtodierint,fructus eius ſunt hi qui naſcuntur in terris ; fructus eius ſunt virtutes hominum. Meritò ergo arbor bona dicitur,quia fructus bonos facit. Prius igitur radix laudetur, vt fructus eius poſſit probari. Sed & alibi ait dominus Ieſus, Et pater veſter qui bonus eſt,dabit bona petẽtibus ſe. Sed quãuis bonus Deus ſit,cuius etiam amara plus proſunt:& nõ ab hoc inferuntur vt noceant, ſed vt corrigant. Rogatur à Pſal. vt in bonitate ſua doceat nos iuſtificationes ſuas. Conſidera medicum vtilia apponẽtem medicamenta vulneribus : ea tamen quæ mordeãt vlceris virus, aut certè ferro putrefacta reſecãtem. Cũ in eo ipſo ſit bonus medicus,quia vtiliter operatur ęgroto:& faciat quod prodeſſe nouerit:tamẽ quia æger aut non vult,aut nõ poteſt dolorem ſuſtinere, propter infirmitatem affectus ſui rogat vt medicus quadam bonitate & ſuauitate : non aſperitatem adhibeat medicamentorum:non ferro incídat vulnerum fibras. aut ſi aliter non poteſt,vt cũ moderatione faciat;vt mitiget vim doloris. Et ideo in euangelij bonitate melius docẽtur iuſtificationes Dei,quàm in legis ſeueritate. Opus autẽ iuſtitiæ iuſtificatio eſt. In eo enim iuſtificationes Dei facimus quia agimus pœnitentiã peccatorũ. Quapropter Propheta in bonitate vult doceri:vt ei fiat peccatorum remiſſio ſine atrocitate damnationis, cum remiſſionis gratia. Quid igitur eſt dicere, *In bonitate tua doce me iuſtificationes tuas* : niſi doce me ſic facere pœnitentiam,vel in aduerſis habere patientiã,vt illa tibi ſint accepta. vt ſcilicet nõ mecũ agas rigore iuſtitiæ,ſed in bonitate miſericordiæ tuæ.

*Nota bene.*

*Matth.7.*

*Rom.1.*

*Bonus probatur Deus per effectus ſuos.*

*Matth.7.*

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum:ego autem in toto corde ſcrutabor mandata tua. 2142

Hic oſtendit quintum:ſcilicet quòd vera patiẽtia præcordia fortificat. Quãto enim crudelitas tyrannorũ amplius ſæuiebat in martyres, tãto Chriſti virtute patientiæ fortiores efficiebantur. Vnde & Daciano dixit beatus Vincentius , Videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor,quàm tu ipſe qui torques. Cuius ratio eſt,quia cum acriora pro Chriſto paterentur,ipſi magis merebantur. In maiori autem merito caritas magis dilatatur. Caritas autem dilatata fortificat patientes. Et hoc notans hic Pſal. dicit, *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum.* Et quanto amplius multiplicatur , amplius fortificatur. Vnde ſubdit, *Ego autem in toto corde ſcrutabor mandata tua.* Vbi notãdum quòd vitia ſemper virtutibus ſunt oppoſita:& per conſequens vitioſi homines virtuoſos odiũt, perſequuntur & lacerãt. etſi aliquid aduerſitatis iuſtis accidat , vitioſi hoc eorum vitiis aſcribere conantur , & eis detrahunt, vt eos à virtutibus ſecum ad vitia trahãt. Sic enim fecerũt tres amici Iob,qui malũ quod ei acciderat, ſuis iniquitatibus aſcribebãt. ſed ille ex hoc fortior in diuinis mandatis effectus dixit, Dominus dedit, dominus abſtulit ; ſicut domino placuit ita factũ eſt:ſit nomẽ domini benedictũ. Sic & ſancto Tobię cui aduerſitas cæcitatis accidit, inſultabant parẽtes,vt eũ à bono propoſito reuocarent. Quoniã,vt ſcribitur Tobiæ 2, Nam ſicut beato Iob inſultabãt reges:ita Tobiæ parentes & cognati irridebãt vitam eius,dicẽtes, Vbi eſt ſpes tua pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas ? Sed in iſtis Tobias magis fortificabatur. Vnde & reſpondit, Nolite ita loqui ; quoniam filij ſanctorum ſumus , & expectamus beatam vitam, &c. Sic & tunc Pſal. loquẽs in perſona cuiuſlibet iuſti, ſic deriſi , ſic perſecuti à multis dicit, *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum* &c. Et ad iſtum intellectum hunc verſum hic exponit Amb. dicens, Multiplicata eſt &c. Quanto magis quis Deo ſeruire deſiderat,tanto magis in ſe excitat aduerſarios : & tanquam athleta fortis coronam iuſtitiæ reportare deſiderans , irritat in ſe plurimos & laceſſit,qui inuident noſtro profectui. Quod etiam in poſterioribus euidenter oſtendit Pſal. dicens, Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus : nihil tamen tranquillitas eius proficiebat, eos vt qui pacem oderant ſua tranquillitate componeret. Cum loquebar illis (inquit) impugnabant me gratis. hoc eſt , cum cauſam impugnandi non haberent , tamen impugnandi ſtudium non deponebant. Iſta ergo multiplicãtur ſiue nequiciæ ſpirituales,ſiue hominis, & multiplicatur eorum iniquitas ſuper iuſtum. Verbi gratia. Si filium iuſtus amittat,quod ſęculi vſu ſępe cõtingit:ſi amittat patrimonium,vel diuerſis afficiatur incommodis rerum,vel corporis infirmitatibus:tunc dicũt ſuperbi, Vbi eſt iuſtitia eius? vbi miſericordia? Ecce quia humiliatus eſt : ecce quia innocentia ei nihil prodeſt,à virtute ipſum trahere cupientes. Sic enim illius ſancti Iob amici quidem ſpecie,obtrectatione autem iniqui,probitatis atque iuſtitiæ eius inuidi: exprobrantes grauia opprobria ingerebant:& qui venerant ad conſolandum inſultare cœperunt. Sed iuſtus his non mouetur. Ideóque nec Iob frangebatur. Denique in amiſſionibus filiorum vel patrimonij dicebat, Dominus dedit, dominus abſtulit: ſit nomen domini benedictum. Ergo & nos in aduerſis poſiti dicamus, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo.* Nunquid Deo eſt difficile meliora donare ? Poteſt etiamſi nihil donet, hoc tamen ipſo iuſto eſſe profectum. Sed fortè futuri improbi rapti ſunt, ne immutaret malitia cor eorũ. Similiter & de patrimonio, quaſi nõ videamus plurimos propter opes patrimonij in periculum ſalutis eſſe deductos : plurimis ex diuitiarum abundantia cauſam ortam eſſe peccandi. Qui enim non habet quod donet,aſcribi ei culpa non poteſt quia nõ donauerit. Qui autem habet quod donet,& non dat:obnoxius incipit eſſe peccato. Iſtis ergo meditationibus & ſi ſuperbi ſuper nos multiplicẽtur,& percurrãt aduerſa:cõſolemur patiẽtia,pro iſtis meliora ſperãtes,vel pro meliori factũ ſic eſſe credẽtes. Et Deo dicamus , *Multiplicata eſt ſuper me* &c. Et nota ſecundum quod dicit hic Auguſtin. quòd hic Pſalm. vocat ſuperbos quibus humiliatio pœnalitatis non proficit vt humilientur.

*Iuſtus inſultatur à malis*

*Iob 1.*

*Qui magis ... & pa... aduer...*

*Pſal.119.*

*Iob.1.*



2143 Coagulatũ eſt ſicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus ſum.

Hic oſtendit ſextum : ſcilicet quòd vera patiẽtia malitiã aliorũ nõ approbat. Cum enim peccatum principalius ſit in actu interioris voluntatis quàm in exteriori: conſequẽs eſt vt qui alterius malitiam approbat, eadẽ & ipſe reprobus efficiatur. Et hinc eſt quòd ſancti martyres ne malitiã tyrannorũ approbarẽt,patienter omnia tormẽta tolerabãt. Nam quanto plus perſecutores in malo indurabãtur, tãto plus martyres legẽ Dei meditabãtur. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Coagulatũ eſt ſicut lac* &c. Et nota quòd coagulatio lactis , idẽ eſt quod cõſtrictio vel lactis cõſolidatio:quæ quãdoq; ſonat in bono , quãdoq; in malo. In bono,ſicut dicitur Pſal.67. Mõs coagulatus &c. Ibi enim ſignificat ſcripturã planã & leuẽ datã ſimplicibus. vide ibi,ver.1063. Quãdoq; verò coagulatio in malo accipitur. vt hic:ſignificat enim mentis obſtinationẽ. Lac enim in ſua natura purũ eſt,dulce & tractabile:ſed per coagulũ aceſcit & induratur. Sic eſt de corde ſuperborum. Vnde hic ait Amb. Subtile cor ſanctorũ eſt:ſed coagulatũ cor ſuperborũ. Vt enim lac natura ſui purũ,ſpecioſum ac ſyncerũ eſt:ſed corruptione coaceſcit:ſic mentis & cordis humani natura pura , ſyncera & perſpicua eſt priuſquã vitiorũ admixtione coaceſcat. Coagulato enim lacte fit quædã cõcretio,nec ſuauitatẽ habẽs eãdẽ, nec gratiã. Sic & homines,qui antè ſuauitate gratię & ſuauitate verborũ lactis ſpeciẽ pręferebãt, nulla inuidia corruptã:hi ſi ceperint inuidere,coagulatur in viciũ cor eorũ : & fit de ſuauitate amiciciæ amaritudo maleuolẽtiæ,& inſuauis quidã horror inuidiæ. Ergo coagulatũ eſt cor per ſuperbiã,per inuidiã, quæ lenitatẽ naturæ fluẽtẽ beneuolẽtia, malitiæ cõcretione viciãt. Iniquorũ ergo cor coagulatur. Iuſtus autẽ humiliatur,legis pręcepta meditãdo:qui habet humilitatis magiſteriũ. Sic ergo per cor coagulatũ ſicut lac,intellige cor à teneritudine humilitatis ad duriciã obſtinationis mutatũ. cui opponi debet meditatio legis diuinæ: vt hic ait Aug. *Coagulatũ eſt ſicut lac cor eorũ.* Quorũ eorũ,niſi ſuperborũ? Obduratũ autem per hoc cor eorũ vult intelligi. Sed vide qualiter ſe opponat duriciæ cordis eorũ: *Egò vero* (inquit) *legẽ tuam meditatus ſum.* Superbis enim Deus reſiſtit vt obdurẽtur:humilibus autẽ dat gratiã, vt diligãt obediẽtiã,& recipiãt excellẽtiã. Meditatione quippe legis huius volũtaria ſeruatur humilitas:vt pœnalis humilitas euadatur. Et nota quòd lac in ſcriptura multa ſignificat. Primò gratiæ nouitatẽ. Iob 10, Nõne ſicut lac mulſiſti me,& ſicut caſeũ me coagulaſti? Quod exponẽs Greg. dicit, Mẽs etenim noſtra cũ per ſancti ſpiritus gratiã ab vſu vetuſtæ cõuerſationis abſtrahitur, ſicut lac mulgetur: quia in quadam coagulationis noua teneritudine & ſubtilitate formatur: ſicut caſeus coagulatur:quia in conſtipatione pingueſcentis cogitationis aſtringitur,vt nequaquam iam per deſideria diffluat:ſed in vno amore ſe colligens ad ſolidam reformationem ſurgat. Secundò ſignificat mentis caſtitatem. Thr. 4, Nazaræi eius nitidiores lacte , candidiores niue. Tertiò ſignificat doctrinæ facilitatem. 1. Cor. 3, Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi , non eſcam. Et 1. Petr. 2 , Sicut modò geniti infantes rationabiles ſine dolo,lac concupiſcite.

*Lac ſignificat prauitatẽ bonorum.*

*Lac coagulatũ ſignificat obſtinationẽ ſuperborum.*

*Iacob.4.*

*Lac multa ſignificat.*

*Gregor. 9. mor.37.*

Bonum mihi quia humiliaſti me:vt diſcam iuſtificationes tuas. 2144

Hic oſtendit ſeptimum : ſcilicet quòd vera patientia merita multiplicat. Status enim meritorius & gratiæ facit animas noſtras à diabolo liberas. Sed quid hoc facit,niſi vera patientia quæ poſſeſſionem animarum de manu diaboli eripiens nobis ipſis ipſam concedit ? Chriſto dicente , In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et ideo conſequens eſt , quòd patientia merita auget. Et hoc eſt quod dicit Chriſtus, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã &c. Et hoc eſt quod Pſalm. conſiderãs ex humilitate pœnarum & miſeriarum virtute patiẽtię ſe in meritis profeciſſe, Deo dicit, *Bonũ mihi quia humiliaſti me.* Aduerſitas enim & humiliatio multum proficit,ſi per patientiã toleretur. Sic & proſpera frequentius nocent. Quoniam per humiliationem aduerſitatum & miſeriarum

*Humiliatio & aduerſitas proficiunt.*

*Luc.21.*

*Matth.5.*

A peccata vitantur, aperiuntur oculi mentis & inſeruntur virtutes ; vt meritò ſic humiliatus clamet, dicens, *Bonum mihi quia humiliaſti me.* Quod oſtendens Gregor. ait, Electus quiſque vt æterna ſupplicia euadat, & vt ad perennem gloriã pauper aſcendat, debet aſſiduis flagellis hic humiliari: quatenus in iudicio valeat purgatus inueniri. Ipſo namque infirmitatis noſtræ pondere deorſum quotidie ducimur, niſi mira manu artificis per ſubuenientia flagella releuemur. Vnde bene dicitur, Beatus vir qui corrigitur à domino. Plerunque enim culpas non ſolum imminentes minimè vitamus: verum etiam nec cõmiſſas agnoſcimus. Et peccatoris mẽs tantum altius tenebreſcit, quantum nec damnum ſuæ cæcitatis intelligit. Vnde fit plerumque diuini muneris largitate vt culpam pœna ſequatur: & B flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vicia ſecuritas cæcabat. Torpens quippe animus percuſſione tangitur, vt excitetur: quatenus qui ſtatum ſuæ rectitudinis ſecurus perdidit; afflictus conſideret quò iacet. Hic namque ipſa aſperitas humiliationis origo fit luminis. Vnde per Paulum dicitur, Omne quod arguitur à lumine manifeſtatur: argumẽtum ergo ſalutis eſt vis doloris. Hinc eſt quod Salomon ait, Curatio ceſſare facit peccata maxima. Hinc Paulus ait, Omnis autem diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimũ exercitatis per eam reddit iuſticiæ. Et ſubdit Gregor. Quamuis ergo conuenire ſimul nequeant dolor C & beatitudo, rectè tamen nunc dicitur, Beatus homo qui corrigitur à domino: quia per hoc quòd peccator dolore humiliationis premitur, quandoque ad beatitudinem, quæ ſine interuentu eſt doloris, eruditur. Quid ergo ſi tanta humilitate humiliationis conſiderata Deo dicat Pſalm. *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas?* Quaſi dicat, Humiliatio pœnarum mihi prouenit ad vtilitatem: quia per illam addiſco iuſtitiam tuam & ſeruo. Vnde Ambroſ. hic iſtum exponẽs verſum dicit, Bonum mihi quòd humiliaſti me. Hoc aperiens Apoſtolus dicit, Placeo mihi in infirmitatibus meis, in iniuriis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis. Cùm enim complacet in infirmitatibus, & non frangitur animo, nec cedit iniuriæ; diſcere iuſtificationes Dei & meruit & impleuit. D Dicit ergo hic *humiliaſti me*: hoc eſt diuerſis tentationibus & incommodis exercuiſti. Quaſi dicat, Profuit mihi quòd afflictus ſum vt diſcerem iuſtitias tuas. Ergo qui humiliatur, non deiiciat animum, nec frangat; ſed magis humiliando proficiat, vt ſuperbum humilitate ſua mitiget: inſolentes morum ſeueritate confundat; contumelioſos patientia ſua frangat: auaros nonnunquam æquanimitate diſpendij à iurgij intentione deducat. Sic enim dicitur, Iuſtificata eſt ſapientia à filiis hominum: dum ſcilicet Chriſtus ſe offert ſupplicio, dat iniuriis, non ſubducit opprobriis, nec à confuſione ſputorum auertit faciem ſuam. Et ideo omnes patientia ſua inſtruxit, & liuore ſanauit. Quid eſt igitur, *Bonum mihi quia humiliaſti me*: niſi Vtile eſt E mihi quòd pœnam mihi illatam mihi vertiſti in eruditionem? Sic enim dicitur Threnorum tertio, Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.

*Greg. 6 mor. cap. 15. & 16.*

*Eph. 5.*

*Eccl. 10.*

*Hæb. 12.*

*Gregor. 6. moral. 17.*

*Iuſtificationes Dei diſcere quid eſt.*

*2. Cor. 12.*

2145 Bonum mihi lex oris tui, ſuper milia auri & argenti.

A Hîc oſtendit octauum: ſcilicet quòd vera patientia præmia communicat: dicente Chriſto, Lucæ 21, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: quia non coronatur niſi qui legitimè certauerit. Sed nullus in bello ſpirituali ſine patientia legitimè certat. Si ergo certando coronamur, & ſolum patientia certamus: conſequens eſt vt per patientiam perueniamus ad palmam. Propter quod dicit Apoſtolus, Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen &c. Hæc autem corona omnia temporalia bona ſuperat. Et hoc conſiderans Pſal. dicit, Bonum mihi lex oris tui ſuper milia &c. Per legem enim oris Dei patientiam intellige: quia hoc docuit habere: dicens, In patientia veſtra &c. Hanc nobis exhibet continuè: ad Rom. B 2, Patientia Dei ad pœnitentiam te expectat: & hãc opere & exemplo in ſua paſſione oſtendit: qui cum malè tractaretur, non aperuit os ſuum. De hac ergo lege patientiæ ait, *Bonum mihi lex oris tui* &c. Vel per legem oris Dei accipe legem euãgelicam: quia illam Chriſtus verus Deus non per ora aliorum, vt legem antiquam: ſed ore ſuo proprio docuit & prædicauit: vt dicitur Matth. 5, quia cum Chriſtus ſediſſet in monte, acceſſerũt ad eum diſcipuli eius: & aperiens os ſuum docebat eos dicẽs &c. Iſta autem lex tota eſt humiliationis in præſenti, quæ in patientia fundatur. Hæc enim docet fugere diuitias, & ſequi paupertatem; dicens, Beati pauperes &c. Hęc docet receptis iniuriis, malum non reddere, ſed ferre patienter: dicens, Beati mites. Hæc doC cet peccata plangere, & delectationes declinare vitæ præſentis: dicens, Beati qui lugent. Hæc docet perſecutiones patienter portare: dicens, Beati qui perſecutionem patiũtur &c. Ex quibus patet quòd tota lex oris Dei eſt humiliari & in humilitate habere patientiam. Quis ergo poteſt dicere *Bonum mihi lex oris tui?* &c. Certè non niſi ille qui plus hic amat humiliari & corrigi, quàm temporalibus ditari diuitiis & attolli proſperitatibus mundi: qui magis ſibi vtilem legem Chriſti cognoſcit, quàm diuitias mundi. Et certè tales ſunt pauci: quinimmo pro paruo lucro temporali lex Chriſti abnegatur. Vnde Ambroſius iſtum paſſum exponens ait, *Bonum mihi lex oris tui* &c. Non quicunque hoc dicere poteſt: immò rarus hoc dicit. Id eſt qui legem D Dei auro & argento præferat. Qui poteſt propter legẽ Dei omnia relinquere. Sed nec Chriſtus hunc reperit, niſi de his quos ipſe docere dignatus eſt. Petrus hoc dicit, & probauit affectu, quia pluris legem oris Dei quàm aurum habuit. Ideo ait, Aurum & argẽtum non eſt mihi. Non auarus hoc dicit, qui defoſſo auro incumbit. Non pecunioſus, qui quotidiana emolumenta ſollicito rimatur affectu: qui opes quotidie aggregat: qui hæreditatis tendit aucupia: qui circa ægrotantis lectulum indefeſſas exercet excubias. Sed hoc proprium erat Apoſtolorum, qui Chriſto dicebant, Ecce, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Hanc legem omnibus diuitiis meliorem Sapiens nouit: de ipſa (Sapient. 7.) dicens, Præpoſui illam regnis & ſedibus: & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione ilE lius: nec comparaui illi lapidem precioſum. Quoniam omne aurum in comparatione illius, arena exigua eſt; & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Quid eſt ergo dicere Deo, *Bonum mihi lex oris tui*, niſi amplius in me charitas legem Dei diligit quàm diligat cupiditas milia auri & argenti.

*Hæb. 12.*

*Lex oris Dei eſt lex euãgelica.*

*Tota lex Dei eſt humiliari & patiẽtiam habere in humilitate.*

*Auarus dicere nõ poteſt, Bonum mihi lex oris tui.*

*Actuũ 3.*

*Matth. 19.*

Manus



2146 MAnus tuæ fecerunt me, & plaſmauerũt me: da mihi intellectũ vt diſcam mandata tua.

*Iod.*

Hîc incipit decimus octonarius. Cui pro titulo præmittitur decima litera alphabeti Hæbræorum: quę eſt Iod. Quę litera meritò huic octonario pręmittitur. Nam Iod interpretatur Confeſſio vel Deſolatio: quæ inuicem pulchrè conueniunt: quia deſolatio confeſſionem inducit. Vt enim hic dicit Amb. & experientia docet, deſolati citius confitentur. Magis enim ſecundis rebus animus extolli ſolet: cùm autem vrgetur aduerſis, tũc diuinum implorat auxilium. Nam & in his quæ humana ſunt, hunc vſum eſſe cognoſcimus, vt cui ſuccedũt proſpera, animus elatior ſit: cui autem mũdi huius infeſta ſunt, & potentia alicuius aduerſa: tunc confugit, tunc opem quærit: vt vel rogando ſuperioris mitiget poteſtatem: vel ſe viribus armet adiunctis: ne quaſi inferior potentioris viribus ſuperetur. Ad propoſitum ergo: iſte propheta in ſpiritu videns deſolationem futuram populi Iſrael per captiuitatẽ regis Babyloniæ: in perſona dicti populi domino confitetur, vt ab ipſo imploret auxilium in iſto octonario. Qui in octo partes diuiditur, ſecundum quod in perſona populi octo Deo confitetur. Primò confitetur Dei bonitatem in hominis creatione: in principio: ſecundò Dei dignitatem per hominis venerationé: ibi, *Qui timent*: tertiò Dei æquitatem in delictorum correctione: ibi, *Cognoui domine*: quartò Dei caritatem in bonorum conſolatione: ibi, *Fiat miſericordia*: quintò Dei pietatem in peccatorum remiſſione: ibi, *Veniat*: ſextò Dei veritatem in obſtinatorum damnatione: ibi, *Confundantur*: ſeptimò Dei largitatem in gentium conuerſione: ibi, *Conuertantur*: octauò Dei bonitatẽ in iuſtorum conſeruatione: ibi, *Fiat cor.* Confitendo enim Deo confeſſione laudis: id eſt gratias agendo, omnia prædicta à Deo poſtulat. Quãtum ergo ad primum, confitetur Dei bonitatem ex hominis creatione, dicẽs, *Manus tuæ fecerũt me.* Sed occurrit dubium: cum prima creatione hominis non dicatur quòd Deus hominem manibus fecerit: cur eius creationem Pſal. commemorans manus Dei apponit, dicens, *Manus tuæ fecerunt me?* &c. Hanc quæſtionem hic mouet Aug. & ſoluit, dicens, Quando Deus hominem fecit ex puluere, & animauit flatu: non ibi commemoratum eſt quòd manibus fecerit. Cur ergo quibuſdam viſum eſt, verbo Deum feciſſe cætera: hominem verò, velut aliquod præcipuum, feciſſe manibus ſuis? Reſpõdet, Manus Dei ſunt poteſtas Dei. Si autem pluralis numerus mouet, quia non eſt dictum Manus tua, ſed Manus tuæ; accipiant manus Dei virtutem & ſapientiam Dei. quod vtrumque vnus dictus eſt Chriſtus. Aut accipiant manus Dei filium & ſpiritumſanctum: quia & ſpirituſſanctus cooperator eſt patris & filij. Sed quare dixit, *Fecerũt & plaſmauerũt.* Ad hoc dixerũt aliqui, quòd iſta duo verba, ſcilicet, *fecerunt* & *plaſmauerũt*, ſic ſunt diſtinguenda: vt animam Deum feciſſe, ſed corpus plaſmaſſe dicerent. Sed ad hoc dicit Aug. quòd Deus corpus fecit & plaſmauit: ſimiliter & ſpiritum. Sed notat, quòd quãdo vtrumque hoc verbum de homine in vno loco ponitur: tunc non incongruè diſtribuunt ſingulis ſingula; vt anima facta, corpus autem plaſmatum intelligatur. Sed oppoſito modo diſtribuit illa verba Greg. ponens animã plaſmatã,

*...ſpera ſu... ...ã indu... ...t: aduerſa ...militatem.*

*Quæſtio. Manus domi... quomodo ...runt hominem.*

*Manus Dei ſunt poteſtas & ſapientia.*

*Greg. 9. mor. cap. 35.*

A ſed corpus factũ: licet vtrũque de vtroq; dici poſſit. Vnde exponens verba Iob 10, dicẽs, Manus tuæ plaſmauerunt me & fecerunt me totum in circuitu: ſic dicit, Qui enim plaſmatũ ſe & factum totum in circuitu à Deo aſſerit, tenebrarum genti, nec in ſpiritu ſuo, nec in carne aliquid dereliquit. Nã plaſmatum ſe propter internam imaginem retulit: factum verò totum in circuitu, in eo quòd ex carnis conſtat indumento memorauit. Ex iſtis autem verbis magna hominis demonſtratur dignitas. Vnde ibidem ſubdit Greg. dicens, Notandum autem eſt hoc, quòd ſe plaſmatum manibus aſſerit: quia miſericordiæ iudicis dignitatem ſuæ conditionis opponit. Quamuis enim per coæternum patri verbũ B cuncta creata ſint: in ipſa tamen creationis relatione oſtenditur quantũ cunctis animantibus, quantum rebus vel cœleſtibus, ſed tamẽ inſenſibilibus, homo præferatur. Cũcta quippe dixit, & facta ſunt. Cum vero facere hominem decreuit: hoc quod reuerentur pẽſandum eſt: pręmiſit dicens, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Neque enim de eo ſicut de rebus cæteris ſcriptum eſt, Fiat, & factum eſt: neq; vt aquæ volatilia, ſic terra hominem protulit: ſed priuſquã fieret, faciamus dicitur: vt videlicet quia rationalis creatio cõdebatur, quaſi cum conſilio facta videretur: quaſi per ſtudiũ de terra plaſmatur, & inſpiratione cõditoris in virtute ſpiritus vitalis erigitur: vt ſcilicet nõ per iuſſionis vocem, ſed per dignitatẽ operationis exiſteret, quæ ad cõditoris imaginẽ per manus condiC toris fiebat. Hanc autẽ hominis dignitatem ex ſua creatione clarius hic exponẽs Amb. dicit, *Manus tuæ fecerũt me* &c. Magnæ cõmendationis vſus exordio eſt: vt opus Dei ſe eſſe diceret, quo facilius circa operis ſui gratiã fauor inclinaretur autoris. Grandis etiã pręrogatiua eſt in rebus humanis: vt aliquis operibus & beneficiis faueat ſuis, ne meritũ ſpectet alienũ: ſed in ſuę gratię munus intẽdat: ne videatur abrogare quod ipſe donauit. Itaq; etſi de luto noſtri corporis ſubſtantia eſt, carnem induamur, corpus oſſibus intexatur & neruis: tamen quòd ſimus precioſiſſimũ opus Dei nemo dubitauerit. Nã etſi fabricam ipſam humani corporis quis conſiderare voluerit: nil poterit in terra precioſius iudicare. Eſt enim homo ſtatu celſus, vultu decorus, cęſarie graD tus, non cæterorum more curuatus animantiũ: ſed ipſo naturæ iure ſublimis, qui cœlum libero ſpectet obtutu: nulla captiuæ ſeruitute ceruicis depreſſus in terram: ſed tanquã propriæ conſcius libertatis & locuples ſui teſtis auctoris. Verũtamen in cæteris animantibus membrorum forma laudatur: in quibus præter gratiã corporis nihil eſt aliud quod requiratur. Homo in eo eſt pulchrior quod non videtur: nõ in corpore quod videtur: in ſe habens æternitatis gratiam & præſentium venuſtatẽ. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna. In hoc terreſtri hoſpitio indutus habitatione cœleſti: cui ſimul cõpetit & in terris videri & Deo iũgi. Magnũ ſanè munus, ſi ſeipſum cognoſcat, & quadã forma iuſtitię mundo magis quã E ſibi naſci. Vnde Salomõ ait, Grãdis homo & precioſus vir miſericors. Virũ autẽ fidelẽ opus eſt inuenire. Et verè magnus eſt, qui diuini operis eſt interpres imitator Dei. Homo enim eſt qui potuit dicere, Imitatores mei eſtote: ſicut & ego Chriſti. Terrã excolit, mari tãquã poſſeſſione vtitur, cœli ornamẽta gratus miratur. Aſſertor euanuerat rerũ natura: niſi qui ea vteretur, diuina prouidẽtia eſſet adiectus.

*Hominis dignitas ex modo creationis apparet.*

*Gen. 1.*

*Corporis hominis dignitas.*

*Prou. 20.*

*1. Cor. 11.*

dd 4 Deni

Denique poſtquam fecit Deus cœlũ & terram, maria: poſtquam omnia reptilia, volatilia, animantia, poſtea hominem fecit, quem animantibus viuẽtibus anteferret. De quo non immeritò cœleſtis ſentẽtia reſultauit. *Gen.1.* Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram. Cætera dixit, & facta ſunt: mãdauit, & creata ſunt. Vt homo fiat ſpecialis, quidã Dei accedit ornatus: & tanquam laborãtis Dei in huius munere creaturæ ſignificatur operatio. Deus quidem expers laboris eſt: ſed tamẽ ſcripturæ verba, quid aliud niſi ſtudioſam Dei operationẽ oſtẽdunt? Ergo ſi Deus maiore quodã te ſtudio creauit: cur ipſe tui ſtudiũ derelinquis? Si Deus in te laborauit qui laborare non nouit: cur ipſe fugitãs ſis laboris? *Iob.10.* *Manus tuæ* (inquit) *fecerunt me & plaſmauerunt me.* Clamat ad dominũ propheta: B *Opera manuũ tuarum ne deſpicias.* Te autorem conuenio: te teneo conditorẽ: præſidia aliena non quęro in adiuuamentũ. Accingere, qui accinctus es, vt creares. Dic ipſe Pſalmiſta quid ſenſeris: cur dixeris, *Manus tuæ fecerũt me.* Et inferius dixiſti, *Opera manuũ tuarũ ne deſpicias.* Hoc eſt dicere, Beſtias non fecerũt manus tuæ: ſed dixiſti, Producant aquæ reptilia animarũ viuentiũ. Et produxit terra te iubente ſecundum genus quadrupedia & reptilia & beſtias terræ. Me autem feciſti: me tuis manibus figuraſti. hoc eſt: non figuraſti beſtias manibus tuis, non reptilia, nõ volatilia: me autem fecerunt manus tuæ & plaſmauerũt me. Noſce ergo teipſum homo, cognoſce te anima: C quia nõ de luto, non de terra es: quia ſufflauit in te Deus & fecit animã viuentẽ. Opus es magnificum Dei generatione inſpiratum. Secularia te & mũdana nõ teneãt. Ad illum tota intẽtione feſtina, ex cuius inſpiratione conſiſtis &c. Poſtquam ergo Pſalmiſta cõfeſſus eſt Dei bonitatem in hominis creatione: conſequẽter petit interioris hominis illuminationẽ, dicẽs, Da mihi intellectum, vt diſcã mandata tua. Sed fortè dices: Pſalmiſta iã confeſſus fuerat ſe manibus Dei factũ hominẽ: cæteras creaturas nõ rationales per imaginem Dei excellẽtẽ, quæ ſine intellectu nõ exiſtit: & ſic factus fuerat habens intellectũ. quomodo ergo nũc petit ſibi dari quod iam acceperat? Ad hoc reſpõdeo, quòd aliud eſt intellectus hominis eſſentialis ipſi homini, ſcilicet potentia intellectiua: & aliud actus eius, qui eſt in- D telligere: qui etiam actus intellectus vocatur: ſicut & actus volũtatis dicitur volũtas. Et iſte actus augetur, ſecundum quòd intellectus ad intelligendũ à Deo magis eleuatur. Et iſtum intellectũ ſibi dari petit: vt ſcilicet actus intelligendi in ipſo ſit magis eleuatus. Vnde Ambroſ. hic ait, Da mihi intellectũ, ait Pſalm. Intellectũ petit, vt ipſe ſeipſum nouerit, & naturæ ſuæ poſſit ſcire rationem. At illi qui de rerum natura diſputant, cœli ſcrutantur plagas: ſi ſeipſos ſcire non poſſunt, putant intellectiuam ſine Dei dono poſſe concedi. Nos autem humiliter debemus aſſumere, ne extollamur: ſi fortè vnã aliquã de ſcripturis parabolã cogitauerimus: aut quia interdũ ſecundũ literã, planè legimus: ſi fortè ſecũdũ literã aliquid intellexerimus: doctrinæ nobis aſſumamus ſciẽtiã. Vnde & propheta hic Pſal. qui iam acceperat ſpiritũſanctũ: ſcies quia niſi à Deo acceperit gratiã, intelligere ſe eius mandata non poſſe: ideo vt ipſa intelligat humiliter poſtulat, dicẽs, Da mihi intellectum vt diſcam mãdata tua. Et aduerte quòd perfectè intelligere mãdata Dei, nõ eſt cuiuſcunq;, ſed ſolũ ſapientis: ſapiens autem ſolum ille eſt, qui bonum quod intelligit facit. Vnde hic ait

*Quæſtio. Intellectus datur vt homo cognoſcat ſeipſum.*

*Facere debemus bonũ quæ intelligimus.*

A Amb. Ait in euãgelio dominus, Omnis qui audierit verba mea hæc, & fecerit ea, aſſimilabitur viro ſapiẽti. Non ergo qui audit tantũmodo ſimilis erit ſapiẽti: ſed qui facit quæ audit. *Matth.7.* Ergo nec factũ ſine auditu, nec auditio ſine facto poteſt eſſe ſapientis: ſed qui audit & facit. Audiamus igitur vt intelligamus: intelligamus vt faciamus: vt intellexiſſe nos quod audiuimus cõprobemus. Aug. autem hunc locũ ſic exponit, dicẽs, *Da mihi intellectũ vt diſcã* &c. Etſi hominibus intellectus eſt per naturã quo diſcernitur homo à pecore: tamẽ peccãdo deformatus eſt, & quotidie renouatur. propter quod Apoſtolus ait, Renouamini ſpiritu mẽtis veſtræ. *Eph.4.* Dari ergo intellectum ſibi petit, vt magis ſeruentur oculi mentis: quod fit per fidem, qua corda mundantur, quia licet nemo B poſſit credere in Deum niſi aliquid intelligat: cũ fides ſit ex auditu: tamẽ fides ſanatur vt ampliora intelligat. Alia enim ſunt, quæ niſi intelligamus, non credimus: alia quæ niſi credimus, nõ intelligimus. Ideo ſubdit Pſalmiſta, *Vt diſcã*: Quaſi dicat, Ad hoc da mihi intellectum, vt diſcã mãdata tua. Si nõ poſſum diuinitatem videre, ſaltẽ mãdata diſcam. Vide quàm altè intelligẽda ſint mãdata: ad quæ petit iſte intellectum, dicẽs, *Vt diſcã mãdata tua*: qui iam cuſtodiuit ea: cuius non omnimodo iſte expers eſt, dũ à Deo petit. Ipſe enim ſolus dat intellectum: & ſi aliquãdo miniſtrat angelus, vt Danieli angelus qui dixit, Veni intellectum tibi dare: Deus tamen per ſeipſum qui lux eſt, illuminat pias mentes: etſi C quando vtitur angeli miniſterio. Ita enim dicitur angelus intellectum dare hominibus: vt quidam dicitur dare lumen domui, cum feneſtram facit: cum tamen domum ſua luce non penetret & illuſtret: ſed ſolus Deus, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem. *Ioan.1.*

*Intellectũ & cognitionem dat ſolus Deus qui ſolus docet.*

## Qui timent te, videbunt me & lætabuntur, quia in verbo tuo ſuperſperaui. 2147

Hìc confitetur ſecundum: ſcilicet Dei dignitatem per hominis venerationem. Qui enim veneratur iuſtũ, Deum veneratur: cuius imago eſt iuſtus. ſicut qui iuſtum ſpernit, Deum ſpernit. In hoc er- D go quòd timentes Deum iuſtum venerantur, Dei demonſtratur dignitas quæ veneratur in iuſtis. Et hoc notans Pſalmiſta ait, *Qui timent te, videbunt me & lætabũtur* &c. Magna virtus eſt in viſu etiam corporali: quanto magis in oculis ſpiritualibus, quibus iuſtus videtur à iuſtis. Vnde hic ait Ambroſius, *Qui timent te, videbunt* &c. Fortaſſe aliquibus videtur eſſe contrarium, quod iuſtus dicit, *Qui timent te* &c. *Luc.8.* Multis enim iuſtus grauis eſt cùm videtur. Denique in euangelio plerique dominum videre non poterant: ſicut Geraſeni rogabant eum, vt abiret de regionibus eorum. Alij ei tranſitum denegabãt, quando volebat tranſire per eos. Vnde puto quòd ſicut illic Iudaicæ forma impietatis exprimitur: ita hic eccleſiæ gratia reuelatur. prophetauit enim E Pſalmiſta totum orbem implendum eſſe timore diuino. Et ideo quaſi timentes Deum, ſanctorum dicit congregatione lætari. Qui enim videt iuſtum & gaudet, etiam ipſe vult eſſe iuſtus. Pulchrum eſt enim quod in aliis delectatur, quod vult ipſe in ſe ſeruare ſi poſſet. Eſt enim inſitum bonis, vt caſtum pudicus, prudentem ſapiens, affectu pio diligat, miſericors liberalem: & virtutes ſuas in aliis amet. Pleriſque enim iuſti aſpe

*Videt libẽter iuſtus iuſtum, bonus bonum.*



aſpectus admonitio correctionis eſt: perfectioribus verò lætitia eſt. Quàm pulchrum igitur, ſi videris & proſis. Nam ſicut eſt tanta vis in naturalibus, vt animal viſum proſit ictericis. Ipſi enim oculorum radij virtutem quandam videntur infundere his qui fideliter iuſtum videre deſiderant. Sed quemadmodum iuſtus lętificat cor innocentum cum videtur: ita improbi iuſtorum cognitione torquentur: quia vel tacitis iuſtorũ moribus arguuntur. Torquet caſtitas incontinentem, auaritiam liberalitas, impietatem fides. De hoc quoq; parile in animãtibus ſumamus exemplum. Nam ſicut prodeſſe dicitur mutum animal cum videtur: ita obeſſe percipimus lupum, ſi aliquem vidẽdum præuenerit. Vocem enim feruntur amittere, quos prius lupus viderit. Baſiliſcus quoq; ſi quodcunq; viderit prior animal, fertur occidere. Ipſe quoq; ſerpẽs mori dicitur, ſi fuerit hominis præuentus aſpectu. Ergo ſi tanta virtus eſt in oculis ſerpentis vel hominis, vt ſi alter alterum prior viderit, poſſit occidere; non erit virtus in oculis iuſti, qui repletus eſt virtutis gratia? *Matth.9.* cum præſertim totum operetur fides: vt & illa quæ fimbriam domini tetigit ſanaretur, & ille cui intẽdit dominus Ieſus, ſtatim ex eius oculis gratiam ſanitatis hauriret. Sed qui videt iuſtum, debet ſcire quid videat. Non illum videlicet in corpore, non in veſtimento, non in patrimonio, non in vultu: ſed intus videt. Non (inquam) illum videt, niſi eius viderit virtutem, niſi eius ſermonẽ intenderit, niſi ſenſus eius potuerit comprehendere, ſapientiam de tactu eius aſſumere. Tunc igitur lætabitur cum iſta proſpexerit, cũm iſta cognouerit. Et ſubdit Ambroſ. Ita & nos ſicubi iuſtum audimus, feſtinemus videre: ſicut illa mulier quæ cũ audiuit diſcumbere in domo Phariſæi dominũ Ieſum, ſtatim ingreſſa eſt, & pedes eius perfudit vnguento. Sic & nos vbi iuſtus ſederit, ſicubi accumbat, feſtinemus videre eum: precioſum eſt videre virum iuſtũ. Dicat ergo Chriſtus, dicat vir iuſtus, *Qui timent te, videbunt me & lætabuntur.* Et aduerte, quòd de præſenti dicit, *Qui timẽt te*: de futuro autem dicit, *Videbunt me & lætabuntur.* Quod ideo ſic dixit ſecũdum Auguſtinum, quia in præſenti timor eſt: *Iob 7.* quandiu tẽtatio eſt vita hominis ſuper terram. Iocunditas autem quam voluit hic intelligi tũc erit, quando fulgebunt iuſti in regno patris eorum ſicut ſol. *Matth.13.* Hinc etenim in alio Pſalm. dicitur, *Pſal.30.* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. Nunc ergo quandiu timent, nõ dum vident: ſed videbunt & lætabuntur. Vndę & ibi ſubiungitur, Perfeciſti autem ſperantibus in te. Sequitur, *Quia in verbo ſuperſperaui.* Hoc eſt dicere, ſecundum Ambroſ. Intus me viderunt, intus me tetigerunt, intus me aſpexerunt: vbi ſpem aſſumpſi de verbis tuis, vbi verba tua percepi. Et dicit, *Superſperaui.* Quia enim potẽs eſt Deus facere ſupra quã intelligimus & petimus; parum videtur ea tantùm ſperare quæ intelligimus & petimus: ſed etiam ſupra, id eſt ampliora ſperare debemus.

*In virtus … [marginal note partly cut off at gutter]*

## 2148 Cognoui domine quia æquitas iudicia tua; & in veritate tua humiliaſti me.

Hic confitetur tertium: ſcilicet Dei æquitatem in delictorum correctione. Deus enim cũ ſit ſumma iuſtitia, peccata impunita dimittere nõ poteſt. Cum ergo aliquis electorũ deficit, hic ipſum cor- A rigendo & caſtigando punit. Quod notans Pſalm. in perſona omnium electorum dicit, *Cognoui domine quia æquitas* &c. Quomodo enim iniuſta poſſunt eſſe diuina iudicia quorum omnium cauſa eſt diuina voluntas: quæ nec fallere nec falli poteſt? Si quando ergo aduerſis humiliamur & percutimur, & ſi cauſam ignoremus: tamen cognoſcamus quia iudicia Dei ſuper nos ſunt iuſta. Et tunc humiliamur in veritate: quia virtutem tenebimus humilitatis. Vnde hic Ambroſ. dicit, *Cognoui domine, quia æquitas iudicia tua.* Qui poteſt intelligere quomodo omnia iudicia Dei fiant, dicat cum Pſalm. *Cognoui domine* &c. quia omnia iudicio Dei fiunt: vt ægrum corpus quis habeat, vt ſalubre, vt diues, vt pauper ſit, vt moriatur iuuenis vel ſenex. B Si quis intendat diuinis ſcripturis, hæc omnia intelligit Dei iudicio fieri: nihil enim præter Dei ſcientiam fit. Exemplũ quærimus: non eſt abſcõditum. Siquidem Iob nũquam amiſiſſet proprias facultates, niſi à Deo fuiſſet traditus aduerſarię poteſtati. Dedit enim dominus poteſtatem diabolo in facultates eius: vt tentaret qualem amiſſo patrimonio haberet affectum. Dedit in filios, dedit in corpus eius, vt oſtenderet ſi dolore defunctorum filiorum aut cruciatu corporis à conſtantia mentis anima deficeret. Dominus quidem nouerat fortem: ſed in illo docere nos voluit, vt eius imitatores eſſe poſſemus. Deniq; & Abraham ſic tentauit, quando filium ſenis ſibi petiit immolari. *Geneſ.22.* Sciebat vtiq; Deus mẽtem Abrahæ, ſed ſciens tentat dominus. Vnde in euangelio dici- *Ioan.6.* C tur, Hoc autem dicebat, tẽtans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Quod ergo iuſtus eſt, quòd iuſta ſint Dei iudicia credit. Iuſta enim iudicia Dei ſunt: quia per labores & tribulationes ad cœleſte præmiũ peruenitur. Sicut enim certantibus athletis corona hominũ iudicio iuſto: ita legitimè certãtibus Chriſtianis, diuino iudicio decernitur palma. Vita ergo noſtra examinatur igne, ſicut ſplendor argenti: vt virtus certaminibus approbetur. Tráſiuimus (inquit) per ignẽ & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium. *Pſal.65.* Si autem intellectu deficientes, intelligere non poſſumus iudiciorum Dei æquitatem: ſaltem in illis humiliari debemus: vt illa ſemper eſſe iuſta credamus. Exempla in multis ponit Gregor, oſtendens iudicia Dei nobis occulta: ſed *Gregor.29. moral.c.9.* D tamen fide iuſta eſſe credenda. Vnde ait, Quis diuina diſcernat iudicia? Multos enim videmus quotidie, quia iuſtitia reſplendent: & tamen ante finem ſuum nequitię obſcuritate tenebrantur. Et multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos: & inde iuxta vitæ ſuæ terminum repentè reddi luci iuſtitiæ. Multos nouimus, ſemel inuentam viam iuſtitiæ illibatæ vſq; ad obitum tenuiſſe: & pleroſque conſpeximus vſq; ad exitum, cœpta ſemel crimina ſine ceſſatione cumulaſſe &c. vide ibi. Iſta ergo debemus credere iuſta, vt per credulitatem fidei perueniamus ad cognitionem veritatis. In omnibus ergo tam ſecundis quàm aduerſis confitere, lauda & crede iuſta eſſe diuina iudicia. Vnde hic ait Ambroſ. Hic Pſalmiſta dicens, *Cognoui domine quia æqui-* E *tas iudicia tua*; laudandus eſt, quia cum iſta cognoſceret, humiliabatur: vt humilitate ſua vel proſperorum excluderet tentamenta: vel aduerſorum ſubiret conſtantiam æquanimitate tolerantiæ. Non ergo magnopere laudabilis eſſet propheta, ſi laudaret iudicia Dei vſus affluentia ſecũdorum. Quid enim magnum facimus, ſi quando in ſecundis ſumus, Deum laudamus? ſi quando nullis vexamur iniuriis?

*Omnia iudicia Dei ſunt iuſta: omnis pœna à Deo eſt iuſta.*

*Iudicia Dei omnia ſunt laudanda.*

*In aduerſis maximè iudicia Dei laudare debemus.*

A iniuriis?Illud eſt magnificum, ſi ſubiectus iniuriis & contumeliis, iudiciũ Dei laudas: ſi vexatus ægritudine, iudicia Dei prædices: ſi te inopia nõ reuocet, quo minus laudes iudicia Dei. Ergo ſemper laudanda ſunt iudicia Dei: ſicut ſcriptum eſt, Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine. Quæ ſunt filiæ Iudæ, niſi animæ religioſæ & deuotæ, quæ Ieſum Chriſtum dominum confitentur?

*Pſal.96.*

## 2149 Fiat miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

Hîc cõfitetur quartum: ſcilicet Dei charitatem in bonorum conſolatione. Cum enim affligimur, cum premimur aduerſis: tunc amplius miſericordia Dei nos conſolatur ſpe præmiorum. B Vnde 2. Cor.1. Benedictus Deus pater totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Et vide perfectionem Pſalmiſtæ in iſta poſtulatione. Nam ipſe in laboribus & aduerſis poſitus & humiliatus, non quærit vt illa tollantur: ſicut fecit Apoſtolus humiliatus ſtimulo carnis, quem tribus vicibus amoueri rogauit. Iſte autem non quærit vt ab aduerſis liberetur: ſed ſolum quærit Dei miſericordiam: quæ in illis ſic conſoletur, vt in certamine poſſit conſtanter perſeuerare, ſciens quòd cum augentur certamina, etiam amplior corona debetur. Vnde iſtum textum hic Ambroſ. exponit, dicens, Magna eſt miſericordia Dei, quæ nõ ſolum remiſſionem tribuit peccatorum: ſed etiam certantibus adhibet cõſolationem: ne ſuſcepti certaminis paſſiones in belli certamine derelinquant. Non ergo Pſal. hic miſericordiam quærit, quaſi is qui victus cedit, aut vt veniæ peccatorum miſericordiam implorat: ſed miſericordiam petit, vt Dei miſeratione ſuccinctus, maiora viribus tãto munere fultus expediat, egregiam & ſingularem expectat virtutem. Alius enim humiliatus ęrumnis poſceret vt circa eum tentamenta deſinerent: & ſedare aduerſa dominus dignaretur: ne tribulationum in eum procella ſæuiret. Iſte autem Pſalmiſta tanquam athleta fortis, qui exerceri & vrgeri animam ſuam tribulationibus noſcit, non triſtia demouere, nõ impugnantia declinare deſiderat. non illud omne deſinere, quod impugnantiam laboris & fatigationis afferret, expoſcit: ſed magis tempore laboris ſui aduerſus tentationum procellas dari ſibi verbũ conſolationis expoſcit: vt poſſit forti mente quæ ingruunt tolerare: ne aliqua mœſticiæ perturbatione laſſetur. Quid autem eſt iſta conſolatio quæ pugnantibus datur, niſi quia tunc fide peccata purgantur, ſpe præmia præſtolantur, charitate animus fortificatur? Sed tamen nota quòd non omnis paſſio diuinam conſolationem meretur: ſed quæ pro Chriſto eſt paſſio, hæc Chriſti conſolationem meretur. Pulchrè autem, ſecundum Ambroſium, addidit, *Secundum eloquium tuum ſeruo tuo*, id eſt ſecundum promiſſionẽ tuam. Ipſe enim pro nomine ſuo præliantibus auxilium pollicetur, dicens, Cùm ergo tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Ergo ne impares ſimus certamini, diuinum ſemper oremus auxilium, vt nobis tribuat conſolationem. Si enim habemus qui nos exhortetur, non facilè cedimus.

*Miſericordia Dei magna.*

*Patientia in aduerſis debet poſtulari.*

*Matth.10.*

## Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea eſt. 2150

Hic confitetur quintum: ſcilicet Dei pietatem in peccatorum remiſſione. Solũ enim diuinis miſerationibus noſtra peccata delentur. Quod attendens Pſalmiſta, dicit Deo, Pſal.50, Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Miſeratio enim differt à miſericordia: quia miſericordia dicit habitum interiorem animi miſerẽtis: ſed miſeratio dicit actum exteriorem à miſericordia elicitum. Et ſic multoties homo habet miſericordiã ſine miſeratione. Sed miſeratio propriè, quia procedit ab habitu, non eſt ſine miſericordia. Petit ergo Pſalmiſta miſerationes: ſcilicet vt per actum miſericordiæ ſibi peccata remittantur, quò ſpirituali vita poſſit viuere. Qui enim eſt in peccato, mortuus eſt. Ezechiel 18, Anima quę peccauerit, ipſa morietur. Poteſt autem hoc dupliciter intelligi. Primò de peccatis præexiſtentibus vt remittantur: quibus remiſſis ſpiritualiter viuat. Vel de peccatis poſſibilibus & futuris, quæ Pſalmiſta timebat, ne Deum offendens moreretur. Et tũc petit miſerationes Dei, quibus à peccatis præſeruetur, vt in vita gratiæ perſeueret. Et tunc eſt ſenſus, *Veniant mihi miſerationes tuæ*: me ſcilicet à peccatis præſeruantes: & tunc viuam, ſcilicet perſeuerãter. Et quare hoc quærit, ſubdit, *Quia lex tua meditatio mea eſt*: quaſi dicat, Voluntas mea eſt legem tuã obſeruare: quod non poſſum ſine miſerationibus tuis C me à peccatis præſeruantibus. Meditatio enim legis eſt cuſtodire mandata. Vel aliter: vt hic per ly viuere abſolutè poſitum intelligatur ſolum vita gloriæ: quæ non meritis noſtris, ſed ſola gratia acquiritur. vt ſit ſenſus: Tunc viuam, ſcilicet vera vita gloriæ, ſi veniant mihi miſerationes tuę, quibus illa acquiritur: & non meritis noſtris. Vnde quãdo in ſcriptura ponitur vita abſolutè, ſignificatur vita æterna propriè, quæ ſola vera dicitur vita: vt hic oſtendit Auguſt. dicẽs, *Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam.* Tunc enim verè viuam, quando nihil potero timere ne moriar. Ipſa enim & ſine vllo additamento dicitur vita: nec intelligitur niſi ęterna & beata: tanquam ſola dicẽda ſit vita. In cuius comparatione iſta quam ducimus, mors ſit potius appellanda D quàm vita: quale illud eſt in euangelio, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Nunquid æternam addidit vel beatam? Itẽ de reſurrectione carnis cum loqueretur, Qui bona fecerũt (inquit) ibũt in reſurrectionẽ vitæ: neq; hic ait, æternæ ſiue beatæ. Sic & hic, *Veniant* (inquit) *mihi miſerationes tuæ, & viuam*: neq; hic ait, In æternum viuam: quaſi illud non ſit viuere: quàm ſine vllo fine, ſine vlla miſeria viuere. Et ad iſtum etiam intellectum hic ait Ambroſ. Quod autem Pſal. hic poſcit vt viuat, frequẽter oſtendimus huius corporis vitã veræ vitæ gratiam non habere: ſed illam vitam veram fore: cuius bona vnuſquiſq; ſanctorum credit ſe videre in terra viuentium. Quod credimus nos viſuros, nõ pręſens vtiq;, ſed futurum eſt. Sed vnde habeat Pſalm. E ſpem huius vitæ beatæ, ſubdit, *Quia lex tua meditatio mea eſt.* Vbi oſtendit quòd frequens ſtudium legis diuinæ deuotè habitum, vitam beatã facit habere. Vnde hic ait Ambroſ. *Veniant mihi miſerationes* &c. Cui lex Dei meditatio eſt, huic pręſtò ſunt miſericordiæ domini, vt viuat in æternum. Quomodo enim quis beatus poteſt eſſe ſine miſeratione diuina? Beatus autẽ qui in lege domini die ac nocte medita-

*Miſericordia & miſeratio differunt.*

*Vita abſolutè poſita ſignificat vitã beatam.*

*Matth.19.*

*Ioan.5.*

*Legis meditatio vitã meretur æternam.*

*Pſal.1.*



A tur. Sed qui meditatur in lege, eruditur in lege: & quem lex erudierit, dominus erudit qui locutus eſt legem. Ideo ſcriptũ eſt, Beatus homo quẽ tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Diſcamus ergo & nos in lege meditari. Non auocemur ſecularibus illecebris, non occupemur impedimentis: ſed ſemper ad legem Dei meditandam ſimus intenti. Scriptum eſt enim, Os iuſti meditabitur ſapiẽtiam: & lingua eius loquetur iudicium: Lex Dei eſt in corde ipſius &c. Sed aduerte quòd non ſufficit meditari, niſi aſſit & ſecundum legem viuere & operari. Quod hic aperiens Auguſt. dicit, Ait Pſalmiſta, *Quia lex tua meditatio mea eſt.* Hęc enim meditatio, niſi eſſet in fide quæ per dilectiõnẽ operatur, nunquam propter eam poſſet quis ad illam vitam beatam peruenire. Hoc ideo dicendum B putaui, ne quiſquam cùm totam legẽ memoriæ mãdauerit, eámq; creberrima recordatione cantauerit: non tacens quod præcepit, nec tamen viuens vt præcepit, arbitretur ſe feciſſe quod legit, *Quia lex tua meditatio mea eſt.* Et hinc ſe adepturum exiſtimet quod verbis ſuperioribus propter hoc meritum poſtulauit, dicens, *Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam* &c. Hæc enim meditatio amantis eſt cogitatio: & tantum amantis, vt charitas nõ frigeſcat huius meditationis ſuæ, quantalibet abundantia cõſtipetur iniquitatis alienę. Sic enim meditationem pro coniuncta operatione accipiebat ſuprà Pſalm. dicens, *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi: & leuaui manus meas &c.*

*Pſal.93.*

*Pſal.36.*

*Meditatio legis requirit vitam ſecũdum eam.*

*Matth.24.*

*Matth.24.*

## 1151 Confundãtur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerũt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Hîc confitetur ſextum: ſcilicet Dei veritatem in obſtinatorum damnatione. Iſta litera duobus modis legitur: ſcilicet prædictiuè & optatiué. Si prædictiuè, tunc prædicit æternam confuſionem obſtinatis futurã: vt ſit ſenſus, *Confundantur*, id eſt confundentur. Sic enim de damnãdis Pſalm.6. dicitur, Erubeſcant & conturbentur in ſæculũ ſæculi: cõfundantur & pereant. Et Iob 8, Qui oderunt te induentur confuſione. Quod exponẽs Gregor. dicit, Malos in extremo iudicio cõfuſio induit, quia cùm tranſacta mala redundare ſibi ante oculos conſpexerint: ſuus vndiq; eos reatus deprimens vertit. Ad pœnam tũc quippe factorum ſuorum memoriam tolerant: qui nunc quaſi à ſenſu rationis extranei gaudentes peccant, ibi vident quantum debebant fugere quod amauerunt. Ibi conſpiciunt quàm lugubre fuerit, quod nunc in culpa gratulantur. Tũc animum reatus obnubilat: & recordationis ſuæ iaculis ipſa ſe conſcientia impugnat. Quis igitur dignè penſet, quanta tunc erit iniquorum confuſio: quando & foris æternus iudex cernitur, & intus ante oculos culpa verſatur? Qui ad hoc icciрco perueniunt, quia ſolum hæc tranſitoria dilexerũt. Vnde Pſal.108, Operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Alio modo exponitur optatiuè, & tunc orat vt mali confundantur & erubeſcãt de peccatis ſuis: & ſic conuertantur. Et iſtum intellectũ hic ponit Ambroſ. dicens, *Confundantur ſuperbi* &c. Superius ait Pſalmiſta, Si reddidi retribuẽtibus mihi mala. Nũquid ergo hic maledicit illis qui in ſe iniquitatem geſſerunt? Non vtiq;. Videbãt enim charitatem etiam inimicis deferendã, cũ veniſſet euãgelij prędicator. Vnde arbitror, quia quaſi medicus A velit ipſos ſanare vt iniquitatis ſuæ contemplatione conuenti, de propriis flagitiis erubeſcãt. In quo non ſolùm propheticam incipiunt probare patiẽtiam, verumetiam emendare inſolẽtiam ſuam. Pudor enim plerũq; correctio vera eſt. Et dum incipit nos pudere commiſſi, ne diutius pudeat: deſerere quæ erubeſcenda ſunt admonemur. Non ergo maledicit propheta, ſed quaſi bonus medicus vult illos cognoſcere quid fecerint: vt cùm in ſuam conſcientiam recipiunt quanta ſuorum ſit colluuies delictorum, incipiant erubeſcere: erubeſcẽtes autem poſſint prioribus renuntiare peccatis. Cõſidera nunc aliquos fornicantes, viduis ac pupillis aliena rapientes, & in his non ſolùm nõ erubeſcere, ſed etiam gloriari ſolere: tãquam vel pulchritu- B dinis vel potentiæ ſuæ titulos deferẽtes (de quibus bene dicit Apoſtolus, quòd eorum gloria in confuſione erit ipſorum) eo deteſtabiliores ipſis criminibus ſuis: quòd cum tanta committant, non confundãtur. Verumetiam ſi quis veniat poſtea in eccleſia, credat in dominum Ieſum, audiat euangeliũ, compungatur corde: tunc demum incipiet quàm atrocia & grauia deliquerit agnoſcere: & quæ agnouerit erubeſcere. Sed quid ſit hoc quod ait, *Iniuſtè iniquitatem fecerunt in me*: cùm omnis qui facit iniquitatem, iniuſtè faciat: ſufficiebat dicere, *iniquitatem fecerunt*, abſq; eo quod adderet *iniuſté*. Reſpõdeo, quòd iniquitas accipitur quandoq; prd culpa: Pſal.50, Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. quãdoq; pro pœ- C na: ſic de Chriſto dicitur, Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. Hic autem accipitur iniquitas pro pœna. Et loquitur Pſalm. de perſequentibus iniuſtè ſanctos & iuſtos: qui ſcilicet iniuſtè pœnas illis inferebant. Facit iniquitatem iuſtè, qui iuſtè aliquem punit. Facit iniquitatẽ iniuſtè, qui iniuſtè alium punit. *Ego autem exercebor in mandatis tuis*: id eſt operabor ſecundũ mandata tua: quia iuſti iniuſtè ab aliis læſi, non reddunt malum pro malo, ſed bonum pro malo: ſecundum Chriſti præceptum, dicentis, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.

*Confuſio damnatorum.*

*Gregor.8.moral.cap.41.*

*Confuſio conuerſionis ad bonum.*

*Pſal.7.*

*Iniquitas duplex: ſcilicet culpæ & pœnæ.*

*Eſa.53.*

*Matth.5.*

## Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua. 2152

D Hic confitetur ſeptimum: ſcilicet Dei benignitatem in conuerſione gentium. Iſta litera dupliciter legitur. Secundum enim Ambroſium, iſta ſunt verba Pſalmiſtæ, *Conuertantur mihi* &c. Et eſt ſenſus, de commiſſis erubeſcant: vel certè luant ſupplicia delictorum, & conuertãtur ad Dei ſeruulum propheticámq; doctrinam: vt dediſcant pudenda committere: & tanti eruditione doctoris exuant mores ſuos: delictorúmq; labe deterſa, virtutũ induant diſciplinam. Aliter legitur ſecũdum Auguſtinum: vt Pſalmiſta hic mutet modum loquendi. Hactenus enim locutus eſt in perſona corporis Chriſti, quod eſt eccleſia vel omnes iuſti: nunc autem loquitur in perſona capitis, id eſt ipſius Chriſti: vt ipſe Chriſtus de gentibus dicat, *Conuertantur* E *mihi* &c. id eſt conuertentur & cognoſcẽt teſtimonia tua Deus, & timebunt te. Vnde ſic ait Auguſt. *Cõuertantur mihi* &c. Sed quis eſt iſte qui hoc dicit? Nõ enim quiſquã hominũ hoc dicere audebit: aut ſi dicat, audiendus non eſt. Nimirum ille eſt, qui etiam ſuperius interpoſuit proprietatẽ vocis ſuæ, dicens, Particeps ego ſum omnium timentium te: quia factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, vt & nos

nos participes diuinitatis illius fieremus. Nos vnius participes ad vitam: ad mortẽ verò particeps ille multorum. Ipſe eſt enim ad quem conuertuntur timentes Deum, & qui nouerunt Dei teſtimonia. Notandum autem quòd cõuerſio peccatorum ad Deum ſecũdum varietatem peccatorum à quibus conuertuntur, in ſcriptura ſacra multis rebus & conuerſionibus figuratur. Conuertuntur enim aliqui, de guloſitate ad ſobrietatis abſtinentiam: de cupiditate ad libertatis abundãtiam: de detractione ad ſuæ mentis conſcientiam: de iniquitate ad charitatis amicitiã: de voluptate ad aſperitatis pœnitentiam: de vanitate ad humilitatis innocẽtiam.

*Cõuerſio peccatorũ multiplex.*

Primò conuertũtur aliqui de guloſitate ad ſobrietatis abſtinentiam. Et hæc conuerſio figuratur per conuerſionem maris in aridæ ſiccitatem: Pſal. 65, Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede &c. Quid per mare aquã habens amaram, niſi vitium gulæ denotatur: per quod multiplex amaritudo & quaſi omnis infirmitas conſurgit corporalis? Vnde de vitio gulæ quod nunquam ſatietur, ſub nomine maris dicitur, Omnia flumina intrant in mare: & mare non redundat. *Eccleſ. 1.* Per aridam verò quæ ſitit & deſiderat aquam: ipſam virtutem abſtinentiæ & ſobrietatis accipe, quæ corpus aridum & famelicum & ſitibundum tenet. Sic enim filij Iſrael fameſcentes dicebant, Anima noſtra arida eſt. *Numer. 11.* Sic ergo mare conuertitur in aridam, cum quis vitio gulæ deditus ad abſtinentiam conuertitur & ſobrietatem &c. De talibus ergo vitioſis, à Deo tamen electis, prędictiuè dicit Chriſtus, *Conuertantur mihi* &c. id eſt conuertentur.

2153 Fiat cor meum immaculatũ in iuſtificationibus tuis, vt non confundar.

Hîc confitetur octauum: ſcilicet Dei bonitatem in iuſtorum conſeruatione: quos niſi domini conſeruaret gratia, ſtatim caderẽt à iuſtitia. Vnde Chriſtus hic orat pro corpore ſuo, quod eſt eccleſia, vt cor eccleſiæ immaculatum cõſeruetur à Deo.

*Oratio Chriſti pro eccleſia.*

Vnde hic ait Auguſtinus, *Fiat cor meum* &c. Hic redit Chriſtus ad vocem corporis ſui ſancti, ſcilicet populi ſui: & immaculatum fieri cor ſuum precatur, id eſt cor membrorum ſuorum in iuſtificationibus Dei, non in viribus eorum. Fit ergo cor immaculatum membrorũ & corporis Chriſti, gratia Dei per ipſum corporis caput: hoc eſt per ipſum Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, per regenerationis lauacrum: vbi abolita ſunt omnia præterita peccata per ſpiritus adiutorium: per quod concupiſcimus aduerſus carnem, ne vincamur in pugna noſtra: per dominicæ orationis effectum. *Galat. 5.* Vnde hic Pſalmiſta prę uidit orationem Chriſti, quam facturus erat Chriſtus pro ſuis membris, vt à patre conſeruarentur: quam ſcilicet fecit in nocte ſuæ paſſionis, quando orans ad patrem dixit, Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. *Ioan. 17.* Et infrà, Non pro eis rogo tãtum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Virtute enim huius orationis Chriſti vſq; in finem ſancti immaculati ſeruantur à Deo. Iſtam ergo orationem præuidens Pſalmiſta in perſona Chriſti pro ſuis orans, dicit, *Fiat cor meum immaculatum* &c. Vel ſecundum Ambroſium, hic loquitur vir iuſtus, pœnitens per pœnitentiam cor ſuum mundum ſeruari. Vnde hic ait Ambro. *Fiat cor meum immaculatum* &c. Hic propheta humilitatem ſequitur, & docet quid nos debeamus imitari: eo quòd propheta tãtus immaculatum cor ſibi fieri depoſcit. Grande enim eſt cor à domino creatum, quod recipiat verbum de cœleſtibus virtutibus ac poteſtatibus. Grãde cor quod recipiat ipſum dominum dicentem, Inhabitabo in illis, & deambulabo in ipſis. *2. Cor. 6.* Vt igitur recipiat creatorem ſui cordis, cor mũdum ſibi fieri, non per angelum, ſed per ipſum dominũ deprecatur, qui cœlum creauit & terram, dicens, Cor mundum crea in me Deus. Hic autem dicit, *Fiat cor meum immaculatum.* Et bene immaculatũ: quia cor hominis veluti indecentium cogitationum colluuione maculatur. Si cogitatio ipſa cor polluit, quantum etiam facta ipſa contaminant?

*Cor mundãdum eſt.*

Noli cor tuum extraordinariis cogitationibus contaminare: ne illud inquinamento graui polluas, quod putas habere te mũdum. Manus lauas, quaſi poſſis crimina euellere: cum mentem tuã vel nudis cogitationibus inquinatum lauare non poſſis. Et Pilatus manus ſuas lauit, ſed cor ſuum lauare non potuit. Manſit ſcelere pollutus, quamuis manus ſuas aquæ infuſione lauiſſet. Si ergo intus coinquinaris, munda prius quod intus eſt. Si quod intus eſt mũdaueris, & exteriora mũdaſti: vt ſi aqua turbida influat, fruſtrà lotum putas eſſe mũdandum: ſi fons profluat cœnolentus, receptacula terſiſſe nihil proderit, cùm in fonte ſit vitium. Ipſe tibi antè purgandus eſt, vt fluat omne quod purum eſt. Cor tuum cogitationum tuarum eſt ſcaturigo. De illo fonte vel turbida aqua impuritatis euomitur, vel ſyncera pietatis vnda prorumpit. Didiciſti cor eſſe mundandum: diſce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem iuſtificatio legitima: hoc eſt confeſſio peccatorum. Deniq; publicanus ille qui peccata propria confitebatur: iuſtificatus magis de templo quàm Phariſæus exiuit: quia ieiunia ſua & munera Phariſæus atq; innocentiam præferebat.

*Cor confeſſione iuſtificatur.*

Sed quis gloriabitur ſe mũdum cor habere? Sed qui gloriatur, in domino glorietur: qui ſanctis ſuis cor mundum creare dignatus eſt: & conſeruare immaculatum in iuſtificationibus ſuis. *2. Cor. 10.* Quę autem ſunt iuſtificationes quibus cor immaculatum ſeruatur? Audi dicẽtem, Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. *Eſa. 43.* Ergo qui iniquitates dicit, iuſtificatur. Qui autem iuſtificatur, non confundetur: quia pudorem peccatorum matura confeſſione præuenit. Et nota quòd cor mundatur multipliciter. vide verſic. 1976.

DEfecit in ſalutare tuũ anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui. 2154

*Caph.*

Hic incipit vndecimus octonarius. Cui pro titulo præmittitur vndecima litera Hębraici alphabeti: quæ eſt caph. Quæ litera huic octonario meritò pręmittitur. Interpretatur enim Curuati ſunt. Incuruatur autem qui humiliatur. Qui enim inclinatur in terram, curuari videtur. Curuatur autem qui agit pœnitẽtiam: eo quòd ceruicem ſuam curuet dum humiliatur ad dominum: & interiorẽ magis ceruicem, ſcilicet ceruicem mentis & cordis curuandam intellige. Qui enim cor ſuum non flectit, fruſtrà ceruicem corporis curuat. Docet enim Hieremias ſub hac litera cordis humilitatem ſignari, dicens, Omnis populus eius gemens & quęrens panem: vide domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis. *Thren. 1.* Hæc ergo litera caph, quæ humilitatem ſignificat, meritò huic octonario præmittitur: quia in iſto octonario agit Pſalmiſta de humilitatis



litatis virtute, qua Dei miſericordia promeretur: vt qui Dei miſericordiam quærit, humilitate curuetur, qua peruenire poſſit ad Deum. Iſte ergo octonarius in octo partes diuiditur: quia ad humilitatẽ nos inducit per octo effect⁹ humilitatis, quos hic oſtẽdit. oſtẽdit enim ſuo exemplo, quòd humilitas primò per charitatem mentem in Deum eleuat: in principio: ſecundò per puritatem mentem à mundo ſegregat, ibi, *Defecerunt oculi*: tertiò per caſtitatem motus carnis regulat, ibi, *Quia factus*: quintò per ſanctitatem mortem carnis poſtulat, ibi, *Quot ſunt*: quartò per veritatem vana & falſa fugitat, ibi, *Narrauerunt*: ſextò per bonitatem gratiam Dei impetrat, ibi, *Omnia mandata*: ſeptimò per firmitatẽ aduerſa dura tolerat, ibi, *Paulo minus.* Octauò per operoſitatem agit quod Deus imperat, ibi, *Secundum miſericordiam tuam.* Quantum ad primum, oſtendit primò quòd virtus humilitatis mentem in Deum eleuat: Chriſto dicente, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: ſcilicet in Deum. *Luce 18.* Hoc oſtendens ſuo exemplo Pſalmiſta dicit Deo, *Defecit in ſalutare tuum anima mea*: quia quanto anima per humilitatem plus eleuatur in Deum, tanto amplius in virtute propria deficiens, in virtute Dei creſcit.

*Deficere bonũ & malum.*

Vbi notandum eſt, quòd hoc verbum Deficere quamuis abſolutè ſumptum communiter ſonet in malum: tamen ſumptum cum articulo, quandoq; ſonat in bonum, quandoque in malum: ſecundum conditionem articuli ſibi appoſiti. Quod hic oſtẽdit Auguſt. dicens, Non omnis defectus, vel culpæ putandus eſt eſſe vel pœnæ. Eſt etiam defectus laudabilis. Nam cum ſint inter ſe duo iſta contraria: ſcilicet proficere & deficere: vſitatus profectus in bono accipitur: & defectus in malo: quando non additur vel ſubintelligitur in quid proficiatur vel deficiatur. Cum verò additur, poteſt & malum eſſe proficere, bonúmque deficere. Apertè namque ait Apoſtolus, Profanas verborum nouitates deuita: multum enim proficiunt ad impietatem. *1. Tim. 6.* Ita & defectus à bono in malum, malus eſt: & à malo in bonum, bonus eſt. Bonum quippe defectum dictum eſt, Deſiderat & deficit anima mea in atria domini. *Pſal. 83.* Sic & hic non ait, Defecit à ſalutari tuo: ſed *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Bonus eſt ergo iſte defectus. Indicat enim deſiderium boni: nondum quidem adepti, ſed auidiſſimè cõcupiti.

*Anima qualiter deficit in Deum.*

Qualiter ergo anima cupiens habere Deum, quem nõdum habet, in Deum deficiat, oſtẽdit hic Ambroſ. dicens, *Defecit in ſalutare tuum* &c. Non vſitatus ſermo nos capiat: vt tanquam corporeæ fatigatione defectionis huiuſmodi iudicemus. Neque enim hoc ſolum dixit, *Defecit anima mea*: ſed *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Itaque vt de vſu capiamus exemplum: ſi verbi gratia dicimus, Defecit ille in illam: oſtenditur hoc verbo quòd totum mulieris deſiderium cupiditate tranſierit. Et quicquid eſt quod vehementer expectemus, vt eius maturiorem habeamus effectum: id nos videtur lõga quadam intentione laſſare. Amor impatiens die noctúque meretricias fores pulſans, ſi diutius potiendi deſideria differantur: ipſa deficit expectatio dum ſperat. In quo vtique non finis amoris eſt, ſed incrementum. Et quicquid eſt deſiderabile, ſi non cõtingat deſideranti, deficit in illud: & quaſi ipſam deponit animam qui deſiderat. Si tamen ſpes prorior aſſurgat, dat vires ſpes proxima.

*Amor deficere animam facit.*

Si autem abſentia ſit dilecti, eo ipſo quòd abſentem deſiderat, quem concupiuit, animæ ſuę patitur defectionem. Itaque quanto longius eſt illud quod deſideratur, tanto magis deficit qui deſiderat. Illud cogitat, illi adhæret, illud perſonat quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur. Sed quo magis laſſatur affectus, eo amplius amor creſcit: & quo diutius abeſt quod deſideratur, eo amplius expectantis deſideria maiori quadam vi amoris langueſcunt. Hinc ergo colligere poſſumus quid ſit, *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Etenim ſpiritui adhærẽs anima deficit ab eo quod eſt anima: & fit vnus ſpiritus. Quoniam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. *1. Cor. 6.* Itaque ſanctus Pſalmiſta timens dominum, neſcit aliud deſiderare, niſi ſalutare Dei, quod eſt Chriſtus Ieſus. Ieſum concupiſcit, illum deſiderat, in illum totis viribus tendit, illum gremio mentis fouet, illi ſe aperit & effundit. Et hoc ſolùm veretur, ne illũ poſſit amittere. Itaque quanto maiori deſiderio accenſa fuerit anima cupiens adhærere ſaluatori ſuo: tanto magis deficit. Ergo iſta defectio imminutio quidem eſt fragilitatis: ſed aſſumptionem virtutis operatur. Et ſubdit Ambroſius infrà, Et nos igitur illud concupiſcamus æternum ſalutare Dei: non concupiſcamus pecuniam quam auari concupiſcunt: non concupiſcamus alienæ vxoris decorem: non ambitionis exagitemur deſiderio: non ſeculari intendamus gloriæ: non fallacis circumſcriptionis ſtudiis occupemur: non proximum circumuenire iniquitate cupiamus: non poſtremò partes vulpium ſimus, in terrenæ voluptatis inferiora demerſi, tanquam exules æternorum: & de illa ſupernæ ſpei præſumptione deiecti. Attollatur igitur anima noſtra deficiens ſuis viribus, vt adhæreat ſalutari Dei, quod eſt Chriſtus dominus Ieſus. Ipſe eſt ſalus, veritas, virtus, atque ſapientia. Qui igitur deficit ſibi vt virtuti adhæreat, amittit quod ſuum eſt: & quod eſt æternum acquirit. Hæc Ambroſius. Sequitur, *Et in verbum tuum ſuperſperaui*: hoc eſt, in promiſſum tuum: ſcilicet in Chriſtum: quæ ſpes facit vt per patientiam expectetur quod à credentibus non videtur.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando conſolaberis me? 2155

Hîc oſtendit ſecundum: ſcilicet quòd humilitas mentem à mundo ſegregat. Cũ humilitas nos Dei ſeruos faciat, & nemo Deo ſeruire poſſit & mũdo: ſequitur quòd ipſa noſtram mentem à mũdo ſeparat, & ſolùm Dei expectat cõſolationem. Quod hic oſtendit Pſalmiſta dicẽs, *Defecerunt oculi mei* &c. (ſcilicet à mundo ſe ſemel dirigentes) *in eloquium tuum.*

*Oculi quomodo deficiunt.*

Hic verſus primò exponitur de oculis exterioribus: ex eo quòd dicit in plurali *oculi.* Oculus autem interior vnicus eſt. Certum eſt enim quòd quando homo verè humiliatur, tunc oculos à vanitatibus reuocat: & ipſos ad terram gerit inclinatos. ſicut Pſal. ſuperius ſe optabat facere, dicẽs, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: quia per oculos mors ad animam intrat. vide ſuprà verſic. 2112. vbi de iſta materia ſatis. Aliter autẽ exponitur de oculis interioribus: qui eodem modo deficiunt conſiderantes diuina promiſſa, ſicut & anima in Dei ſalutare. Vnde Auguſt. hic ait, *Defecerunt oculi mei* &c. Ecce rurſus in oculis, ſed vtique interioribus laudabilis defectio: laudabilis & felix ille defectus, non veniens ex infirmitate animi: ſed ex for-

titudine deſiderij in promiſſis Dei. Hoc enim ait, *In eloquium tuum.* Quomodo autem tales oculi dicunt, *Quando conſolaberis me*, niſi cum tali intentione & expectatione oratur & gemitur? Lingua enim loqui, non oculi ſolēt: ſed oculorum quodammodo vox eſt deſiderium orationis. Quod ergo ait, *Quando conſolaberis me*? Iſte enim modus loquendi eſt deſiderantium: cum in ſpatio temporis, etiam quod ſubuenienti breue eſt, longum eſt amanti. Nouit autem dominus quid quando faciat, qui in menſura, numero & pondere cuncta diſponit. Sed propriè quid eſt oculos mentis deficere? hoc declarat hic Ambroſ. exemplo oculorum corporalium, dicens, Sed quid eſt oculos deficere? De corporalibus oculis dicamus, vt intelligamus de ſpiritualibus. Nónne quando aliquem deſideramus & ſperamus affore, & dirigimus oculos vnde ſperamus eum venturum? Itaque intenti diu quotidiana expectatione deficimus. Sic Anna circumſpiciens vias, ſollicitis aduentum filij expectabat excubiis. Sic Dauid propheta, currente de prælio: poſitis in turre exploratoribus interrogabat de ſalute filij. Sic teneræ vxor ætatis de ſpecula littorali indefeſſa expectatione mariti præſtolatur aduentum: vt quamcunque nauem viderit, illic putet coniugem nauigare: metuátque ne videndi gratia dilecti, alius antè veniat: ne ipſa poſſit prima dicere, Video te marite. Sic Anna dicebat ad filiū, Video te fili: amodò libenter moriar. mortis videlicet dolorem exoptati aſpectus ſuauitate non ſentiens. Ergo vt illa quæ adueniente viro ſe optat offerre, alligatis omnibus domeſticis occupationibus, ſemitas viantis aut pedum veſtigia legit. Sic propheta curis exutus ſecularibus, interiorum oculorum in verbum Dei peruigil cuſtos vſque ad defectionem ſui intendebat obtutus: corpus ſuum redigens ſeruituti: & animam ſuam ad humilitatis patientiam, araneæ modo tabeſcentis erudiens. Deſiderabat enim ſicut ceruus fontes aquarum, & ſitiebat in dominum ſuum: cupiens eius videre præſentiam, & apparere ante faciem Dei: nimio deſiderio & vehementi cupiditate deficiens. Aliter exponitur, vt hic loquatur de oculis tam mentis quàm corporis: qui conſenſu vnus oculus fiunt, quando caro ſubdita ſpiritui, idem deſiderat, idem quęrit, & in idem tendit. Sunt ergo plures realiter, ſed vnum cōſenſu. Ideo pluraliter dicit, *Defecerunt oculi mei* &c. Poſtea in ſingulari ſubdit, dicens, *Quando conſolaberis me*? Et hoc vult hic Ambroſius, dicens, Si oculi iſti ſignificati ſunt quibus cernimus & videmus: dicere debuerunt, Quando conſolaberis nos? hoc eſt non ſingulariter, ſed pluraliter. Sed quia oculus mentis & oculus carnis vnus oculus ſunt: & tunc homo conſolatione fulcitur, cùm caro & mens diuerſa non cupiunt, ſed vnum deſiderant, vnum requirunt. Ideo tendunt ad eum qui ait, Ego & pater vnum ſumus. Iſti quoque oculi vnum eſſe ſe confitentur, quia vno eodémq; deſiderio officióque funguntur. Et aduerte quòd in hoc quod Pſalmiſta dicit, *Defecerunt oculi mei* &c. oſtendit Pſalmiſta, quàm altum negotium ſit ſtudium ſacræ ſcripturæ cæteris præferendum, quod hic deducit Ambroſius, dicens, Deficiebant ergo oculi prophetæ in verbum Dei. Nos autem ocioſos nos putamus, ſi verbum tantummodo ſtudere videamur. Et pluris æſtimamus eos qui operantur, quàm eos qui ſtudium cognoſcendæ veritatis exercent. Dicunt enim plerique, Ecce homo & opera eius: quaſi qui verbo ſtudeat, non operetur: cùm maius opus ſit iſtud, quàm cætera ſint. Si enim opus iuſtitia eſt, ſi opus temperantia, ſi opus fortitudo: vtique & opus eſt ſapientia. Iſtę enim quatuor principales virtutes habentur. Nam ſi operatur Chriſtus ſecundum quòd iuſtitia eſt: vtique operatur ſecundum quòd verbum eſt. Denique omnia per ipſum facta ſunt: vt ſcias operatorem omnium eſſe, & opus noſtrum eſſe Chriſtum Ieſum. Etenim ſecundum quòd verbum eſt, verbum inquirentibus gratia Dei opus eſt. Vnde cum Martha miniſtraret circa miniſterium, Maria autem verbum domini audiret: ea quæ audiebat, ei quæ miniſtrabat meruit anteferri. Dicenti enim Marthæ, Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Reſpondens dixit dominus, Martha Martha ſollicita es: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Itaque verbum cognoſcere maius opus eſt quàm miniſtrare, quod diuinæ autoritate ſententiæ diffinitur.

*Oculi quomodo loquuntur.* *Sapient. 11.* *Ioan. 10.* *Studiū ſcripturæ excellit alia opera.* *Ioan. 1.* *Lucæ 10.*

## 2156 Quia factus ſum ſicut vter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Hîc oſtendit tertium: ſcilicet quòd humilitas per caſtitatem motus carnis regulat. Cum enim vera humilitas in obediētia virtuoſa fundetur, rebellionem inferioris ad ſuum ſuperius excludit. Et per conſequens ſic carnem ſubiicit menti, vt motus ſuos contra mentem non erigat: ſed calore voluptatis perdito, ſub ſpiritu frigida quieſcat. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Quia factus ſum ſicut vter in pruina* &c. Ardentibus enim ſpiritualibus deſideriis, carnalia deſideria ſine dubio frigeſcūt. Caro enim & ſpiritus cōtrariantur: ſic quòd dum ſpiritus fortificatur, caro efficitur infirmior: & carnis fortitudo mortificat ſpiritum. Dū ergo ſpiritus in verbū Dei deficit deſiderio (qui defectus eſt incremētum ſpiritualis amoris) caro frigeſcit & cōgelatur: quia eius deſideria mortificantur. Et ad hunc intellectū hunc paſſum exponit Auguſt. per vtrem intelligēs carnem, ſic dicens, *Quia factus ſum ſicut vter* &c. Nimirum enim per vtrem carnem mortis huius: per pruinā verò, cœleſte beneficiū vult intelligi. Quo carnis concupiſcentiæ, velut frigore cohibēte, torpeſcūt. Et fit hinc vt iuſtificationes Dei de memoria non labantur, dum nō cogitatur aliunde. Quoniam tunc fit quod ait Apoſtolus, Curam carnis ne feceritis in concupiſcentiis. Ideo cum dixiſſet, *Factus ſum ſicut vter in pruina*: ſubiecit, *Iuſtificationes tuas non ſum oblitus.* Hoc eſt, ideo non ſum oblitus, quia talis factus ſum. Feruor enim cupiditatis obtorpuit, vt ferueret memoria charitatis. Vel per vtrem intelligitur iuſtus carne mortificatus: quoniam vter ex pellibus animalium mortuorum exiſtit. Per pruinam verò frigidam intellige carnis caſtitatem, qua omnis libido carnalis frigeſcit. Et quia ſicut inter omnia vicia libido contrariatur intellectui: ſic per oppoſitum caſtitas intellectum illuminat, & notitiam diuinorum confert. Propter quod dicit Pſalm. *Factus ſum ſicut vter in pruina*, ſcilicet per carnis caſtitatem: & ideo iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Vnde iſtum verſum exponens Ambroſ. dicit, *Factus ſum ſicut vter* &c. Rectè enim vter dicitur iuſtus. vter namque de exuuiis fit mortui animalis. Igitur & nos ſi peccato moriamur, vt viuamus Deo, repleti ſpiritus iocunditate: erimus exuuiæ ſpirituales carentes infirmitate corporea: & integro mentis ſinu infuſam nobis diuinorum myſteriorum gratiam reſeruantes. Non effluat igitur vter tuus, vt rimoſus ſit: nō terreno inuetereſcat ſitu, ne vinū nouū veteres vtres rumpat, ſcindantur vtres, fundatur gratia. Nō iterū ſole iniquitatis & nimia vi caloris areſcat: ſed feruentium viſcerum cupiditates diuerſæ niuali quodam frigore temperentur: frigeſcat æſtus libidinis: & quodam continentiæ gelu ieiuniorúmq; reſtrictus, matutina oratione perfletur. quādo ſicut ros, ita ſuper terram noſtram Dei verba deſcendunt, ſicut imber ſuper gramen, & ſicut nix ſuper fœnum. Et ſubdit Ambroſ. Nec abſurdè intelligendum eſt quòd ita ſe dicat Pſal. factum ſicut vtrem in pruina vel in gelido: eo quòd in aſperitate poſitus glaciali, mortificauerit corpus ſuum: ne ſentiret hyemis illius aſperitatem, quam ſaluator dicit grauem eſſe futuram fugientibus. Sicut enim glaciem nō ſentit vter quia pellis eſt mortui animalis: ita mortuus peccato propheta frigus peccati ſentire non poterat: vel certè quòd non frangatur neceſſitatibus, nec reſiſtat caro menti: ſed molliori ductu animæ ſe inflectat imperiis: & in hoc mundi gelicidio non areſcat: vel quia corpus afflictionis ſumus, & mortem domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper in noſtro corpore circumferre debemus. Hic eſt vter qui caſtigat corpus ſuum. Hic eſt vter qui inebriatur, nō vino, ſed ſpiritu. In hoc ergo gloriatur Pſal. quia factus eſt ſicut vter in pruina, operationem peccati non ſentiens.

*Vter ſignificat carnem.* *Spiritu creſcēte, deficit caro.* *Rom. 13.* *Vter dicitur quilibet iuſtus.*



## 1157 Quot ſunt dies ſerui tui: quando facies de perſequentibus me iudicium?

Hic oſtendit quartum: ſcilicet quòd humilitas ſanctitate mortē carnis poſtulat. Humilitas enim ſpiritum ſemper ad Deum aſcendere deſiderio facit: vt ipſum habeat, ipſum poſſideat, ipſo fruatur. Sed quia ipſum non poteſt iuſtus quis habere, niſi primò corpus mortale deponatur per mortē: ideo ipſa humilitas iuſtum mortem corporis facit optare: more Apoſtoli dicentis, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Tunc enim ceſſabit à iuſtis omnis infeſtatio: tunc iudicium fiet vnicuique ſecundum opera ſua. Et hoc eſt quod hic deſiderat Pſal. Deo dicens, *Quot ſunt dies ſerui tui* &c. Quaſi dicat, Quādo finientur iſti dies vitæ præſentis: quibus finitis facies de perſequentibus me iudicium? Hic verſus multipliciter exponitur. Primò vt iſta ſint verba martyrum, qui vindictam ſui ſanguinis poſtulant: quæ maximè erit in fine mundi. Interim autem eccleſia manet ſub preſſuris. Vnde hunc verſum hic exponit Auguſt. dicens, *Quot ſunt dies* &c. In Apocalypſi eſt iſta vox martyrum: & eis imperatur patientia: donec numerus fratrum ſuorum impleatur. De diebus ergo ſuis interrogat corpus Chriſti, qui futuri ſunt in hoc ſęculo. Et ne quiſquam putaret antè hic eccleſiam non futuram quàm finis ſæculi venerit: & aliquid temporis futurum in hoc ſæculo, quo eccleſia iam non ſit in terris: propterea cum quæſiuiſſet de diebus ſuis, adiunxit etiam de iudicio: profectò demonſtrans vſq; ad iudicium, in quo de perſecutoribus eius eſt futura vindicta, ipſam quoque in terris futuram. Vel per iſta verba vult Pſal. oſtendere breuitatem vitæ pręſentis: ne eius amore detenti, vitiis implicemur. Vnde vitam præſentem dies vocat, non annos. Vnde hic ait Ambroſ. *Quot ſunt dies* &c. Hoc ſic accipi poteſt, quaſi dicat, Quanti ſunt dies humani, quantum tempus, quantum ſpatium? Cur inuidetur tam breui vitæ, ne tranquillo curſu huius ſæculi perfruamur? Cur in tam breui ſpacio vitæ tam multi perſequentium nobis laquei tenduntur? Aſſit iam iudicium, in quo pœna perfidorum, in quo perſecutoribus digna impietatis ſuæ precia redduntur. Vel ſic. Quouſque inſultare poterunt qui nos diuerſis modis quærunt affligere? Non ſerus erit terminus. Etenim quaſi propheta celeritatem tranſcurrendæ iſtius vitæ, non annorum, ſed dierum æſtimatione ſubiecit: dicens, *Quot ſunt dies ſerui tui.* Alia etiam cauſa vitam præſentem, quo ad iuſtos, diem vocat: vt non ſolùm vitę breuitatem, ſed etiam ſplendidum vitæ huius curriculum ſibi virtutum lumine declararet. Vel aliter: vt per hoc etiam intelligatur, quòd in huius vitæ ſpacio breui, ētiam dominus de perſequētibus nos iudicium facit: dum poteſtatem nobis tribuit, qua perſecutores noſtros ſuperare valemus. Et hunc intellectū ponit Ambroſ. dicens, Non abſurdum eſt etiam illud intelligere, vt quia breues dies & pauci ſunt iſtius vitæ: non diutius gratiam ſuam dominus circa prophetam ſuum differat, ſed ipſi de perſequentibus facit iudicium. Nam hic quoque iudicium eſt de perſecutoribus. Siquidem qui nō credit in Chriſtum, iam iudicatus eſt. Iudicium autem quod dedit dominus ſeruulis ſuis, hoc eſt, Habebitis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſuper omnem virtutem inimici. Et verum eſt iudicium quo torquetur inimicus: ſicut ipſe confeſſus eſt, dicēs, Quid veniſti ante tempus torquere nos? Hoc ergo depoſcit virtutum ſtabilitate fundatus propheta: vt ſubiiciatur ſibi, non homo, ſed ille qui ſibi locum in homine vendicauit. Vnde & Apoſtolus ipſum magis in hominis peccato optauit eſſe damnandum: de quo ait, Conterat Deus Sathan ſub pedibus veſtris, opto. Ex hoc ergo perſecutore iudicium ſibi fieri geſtit, vt fidei prophetice veſtigiis aduerſarius conteratur: & comminuat eum ſub pedibus ſuis propheta, ſicut puluerem in hac militia ſui corporis conſtitutus: quamuis breues dies vitæ ſint, triumphum tamen de aduerſario adipiſcatur. Subiectus eſt igitur aduerſarius ſecundum domini ſententiam. Etenim dominus Ieſus veniens in hunc mundum per virginis partum, ſubiecit animæ noſtræ omnes contrarias poteſtates: vt fide tua, verbo tuo, cogitatione tua, conuerſatione tua, & operibus tuis conteratur. Si ergo non conteris aduerſarium, tua culpa eſt: qui data non vteris poteſtate. In nobis eſt ergo vt aut ſubiiciatur aduerſarius, aut reſultet. Si enim actus noſter Deo diſpliceat, incipit aduerſarius ſuperbire: ſi autem bonis inhæreamus operibus: vt exerceamus ſtudia caſtitatis, iuſtitiæ, continentiæ: calcamus ſerpentem. Calcamus enim illum pedibus caſtitatis, ne poſſit exurgere: calcamus veſtigiis cōtinentiæ, verecundiæ iuſtitiæque greſſibus. Vt ſic meritò iuſto homini dicatur illud Pſalmi, 90. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis &c. Sed fortè dices: Quomodo Pſalmiſta fuit auſus à Deo quærere quot eſſent dies ſui: cum de ſimili interrogatione Apoſtoli à Chriſto fuerint reprehenſi? Ad hoc hic reſpondet Auguſt. dicens,

*Philip. 1.* *Apoc. 6.* *Eccleſia durabit vſque ad finē ſæculorum.* *Vitæ huius breuitas.* *Dies ſignificat virtutem.* *Lucæ 10.* *Matth. 8.* *Diabolū vincere poſſumus.* *Rom. 16.* *Quæſtio.*

A Si autem aliquem moueat cur hoc quærat, quod cùm diſcipuli quærerent, magiſter reſpondit, Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Cur non credamus iſto loco eſſe prophetatum, hoc ipſum illos fuiſſe quæſituros: & eccleſiæ vocem quæ hic tanto tempore antè prædicta eſt illorũ interrogatione completã?

*Act.1.*

## 2158 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua.

Hic oſtendit quintum: ſcilicet quòd vera humilitas veritatẽ ſequẽs, vana fugit & declinat. Si enim humilitas gratia fulcitur, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: gratia autem cũ veritate coniungitur. Ioan. 1, Gratia & veritas per B Ieſum Chriſtum facta eſt: conſequens eſt, vt humilitas fabulas fugiens, veritati iungatur. Ille ergo in quo eſt humilitas, veritatem diligit, quam Dei lex continet, & fabulas fugit, quæ veritate carent. Et ideo talium narratores Pſal. deteſtatur: dicens, *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes* &c. Et nota quòd ſecundum grammaticos, fabula dicitur à for, faris. Et eſt fabula narratio quę nec vera eſt, nec veriſimilis. Et eſt diſtinctio, quia aliqua fabula dicitur fabula vera, & aliqua, fabula falſa. Fabula vera dicitur illa quę nihil in ſe habet veritatis. Sicut dicimus, quòd modus amoris eſt in amando nõ habere modum. Fabula autem falſa dicitur, quæ aliquid veritatis in ſe habet, & aliquid falſitatis admixtum. Per fabulationes ergo intelligit falſa hæreticorum dogmata, quæ legi Dei contradicunt: & fidem per illa diſ- C ſipare conantur. Vnde Ambroſ. hic dicit, Hæretici enim non ſolum opera, verumetiam fidem ſuperflua narratione impedire conati ſunt. fabulas enim dicit, ſuperfluas loquacitates. Superflua enim loquitur hæreticus, qui non loquitur veritatem, non loquitur ſecundum legem. Auguſtinus autem has fabulationes non ſolum dicit hæreticorum eſſe dogmata, ſed etiam ſeculares ſcientias, quæ conſiſtunt in ſuauitate locutionis exterioris veritate carentes. Vnde ſic dicit, Fabulationes non immeritò accipiũtur eſſe exercitationes: ſed in ſermone cum quadam delectatione. Has autem habent in diuerſis ſectis profeſſores & literæ ſeculares: habet etiã has fabulationes, hæreticorum vana atq; execran- D da loquacitas. Hos omnes iniquos voluit intelligi, à quibus has fabulationes ſibi dicit narratas. Sed nõ ſunt (inquit) ſicut lex tua, quia, me in ea veritas, non verba, delectant. Tales autẽ fabulationes ſummè ſacræ ſcripturæ doctores & fidei prædicatores fugere debent, ne fabulas poetarum vel hæreticorum dogmata proponant: ſed omnia verba ſua in lege diuina fundare debent: vt oſtendit Gregor. dicens, Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt vt cauſarum origines à ſacris paginis ſumat: vt omne quod loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet; atq; in eo ædificium ſuæ locutionis firmet. Sæpe enim hæretici dum ſua ſtudent peruerſa aſtruere, ea proferunt, quæ profectò in ſacrorum librorum paginis non E tenentur. Vnde & diſcipulum prędicator egregius admonet, dicens, O Timothee depoſitum cuſtodi: deuita profanas nouitates. quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quaſi noua quædam proferunt quæ in antiquorum patrum libris veteribus nõ tenentur. Sicq; fit vt dum videri ſapientes deſiderant, miſeris ſuis auditoribus ſtultitiæ ſemina aſpergant. Sed hodie contrarium multi faciunt, quia auditores in fabulationibus delectari concupiſcunt. Quod præuidit Apoſtolus, dicens, Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt &c. A veritate quidem auditum auertent: ad fabulas autem conuertẽtur.

*Fabula duplex: & quid ſit.*

*Fabulationes dicuntur ſciẽtiæ ſeculares.*

*Prædicator fabulas non debet dicere.*

*Gregor. 18. moral. c. 14.*

*1. Tim. 6.*

*2. Tim. 4.*

## Omnia mandata tua veritas: iniqui perſecuti ſunt me: adiuua me. 2159

Hic oſtendit ſextum: ſcilicet quòd humilitas gratiam Dei impetrat. vt enim dicitur Iacob. 4, Superbis Deus reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Inter omnes autem gratias nobis conceſſas à Deo, eſt fides, ad quam à Deo ſumus electi de gentibus B mundi. Nullus enim habet gratiam fidei, niſi præordinati æternaliter à Deo. Propter quod dicitur Act. 13, Et crediderũt quotquot præordinati erãt. Sed quibus dat iſtam gratiam niſi humilibus, quibus fidei ſecreta reuelat? Matth. 11, Abſcõdiſti hæc à ſapientibus & prudẽtibus: & reuelaſti ea paruulis. Et per hanc gratiam quilibet fidelis relinquens mundi fabulationes & diuerſas ſectas errorum, cõfitetur & credit legis veritatẽ. Propter quod multi vſque ad mortẽ perſecuti fuerunt. Et hoc eſt quod dicit Pſalm. hic, *Omnia mandata tua veritas*. Quaſi dicat, ſecundum Auguſt. Iniqui narrauerunt mihi fabulationes: ego autem propoſui eis legem tuam, quæ plus me delectat: quia omnia mandata tua veritas, non ſicut in illorum ſermonibus abũdat va- C nitas. Ac per hoc iniuſtè perſecuti ſunt me. Et quia nõ in me perſequuntur niſi veritatem: ergo tu adiuua me, vt certem pro veritate vſque ad mortem. Et nota quòd ait, *Omnia mandata tua veritas*: quia tota lex Dei & fides in veritate continetur: quod de nulla alia ſecta vel lege dici poteſt. Hic enim eſt veritas omnis: ſcilicet loquelæ, doctrinæ, ac vitæ. Veritas loquelæ: quia ſpirituſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines, qui nec falli nec fallere poteſt. Pſal. 118, Principium verborum tuorum veritas. Hic eſt veritas doctrinæ: quia lex Dei nullum falſum nec fictum admittit: vt faciunt fabulæ poetarum. Hic eſt veritas vitæ: quia nihil vanum vel inhoneſtum, nihil bonis moribus diſſonum lex diuina continet: ſed in ipſa omnia iuſta, ſancta & ho- D neſta. propter quod Chriſtus ait, Qui audit verba hæc & facit ea, aſſimilabitur viro ſapiẽti &c. Et tamen quia iniqui vana diligunt & lubricum, ideo iſtam legem odiunt, & fideles perſequuntur: quod ad ipſorum peccatum faciunt, & ad vtilitatem fideliũ. Vnde Ambroſ. hic ait, *Omnia mandata tua* &c. Hic Pſal. quaſi bonus bellator bella domini non refugit nec conflictus; ſed fidelis & prouidus aſpirare ſibi diuinitus orat auxilia: & piæ deuotionis fidelia ſibi adiumenta depoſcit. Ideóque non petit vt perſecutiones quieſcant: ſed in perſecutionibus poſtulat ſe iuuari. Sciebat enim quòd omnes qui piè in Chriſto volunt viuere, perſecutionem patiuntur. Maluit ergo perſecutiones pati, vt piè in Chriſto viuere poſſet. Nec expreſſit vocabula per- E ſequentium: quia multi perſecutores, non ſolum quos videmus, ſed etiam quos non videmus. Perſequuntur nequitiæ ſpirituales: perſequitur hæreticus, Iudæus, gentilis. Omnes ergo ſunt ſub perſecutoribus, qui piè in Chriſto viuere volunt. Et fortaſſe cum perſecutiones non patimur, tanquam condemnati habemur, quaſi nequaquam piè viuere velimus in Chriſto. Nam vtiq; etiam ſic diffinita ſenten

*Humilibus datur fides.*

*Veritas omnis eſt in lege dei.*

*1. Petr. 1.*

*Matth. 7.*

*Perſecutio & aduerſitas ſigna ſunt electorum.*

*2. Tim. 3.*

*Bonis omnibus aſſunt perſecutiones & aduerſa.*



ſententia, quòd omnes qui piè viuere volunt in A Chriſto, perſecutionem patiuntur: is qui perſecutionem non patitur, abdicatur, quòd non ſit piæ intentionis in Chriſto. Deuotione enim fidei prælia perſequuntur. Si deſint certamina, vereor ne deeſſe videatur qui certare deſideret. *Omnia* (inquit) *mandata tua veritas*. Quę mãdata, niſi illa: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequẽtur? Hæc mandata Pſalm. licet anterior incarnationis ſacramento, iam tamẽ audiebat in ſpiritu: & quaſi Chriſti diſcipulus non ſubtrahebat ſe paſſionibus, ſed ſe certaminibus offerebat. Sciebat hoc ſibi ad gloriam fructuoſum: hoc ad cuſtodiam ſalutis tutum, vt frequentibus exercitiis iuſti pietatis confirmaretur. Citò enim fides inexercitata langueſcit: & crebris ocioſa ten- B tatur incommodis. Remiſſas excubias callidus inſidiator irrumpit: aſſuetum autem bello virum externa fraus inſtruit, & glorioſæ prouehit palma victorię. Pax ergo fideli, corruptelę materia eſt. Quoniam autem amiſimus exercitiũ, tentant ocia quos bella non frangunt. Periculoſa ſunt igitur pacis ocia. In pace prælij perſecutiones eſſe cœperunt. Nullus erat tempore perſecutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat animo corporis delectatione diſſolui: & huiuſmodi quæ ſecundis rebus exercitati ſolent admittere paſſiones. Ideo Apoſtoli cum cæderentur, includerentur, exultabant quòd illis iniuriis meritum æternæ gloriæ lucrabãtur: quòd digni fuerunt pro C Chriſti nomine iniurias ſuſtinere. Non illis erat curare de patrimonio, ſtudium de poteſtatibus & honoribus: non de prælatione, quæ etiam iuſtos agitare conſueuit: ſed ille ſe præferri putabat, qui eſſet pluribus verberibus flagellatus. Meritò ergo Pſalm. occaſiones expetit triumphandi, & certandi copiam pro deuotionis eruditione non metuit, qui nouerit perſecutiones iniquorum proficere ad incrementa virtutis. Attende tamen quòd non de omni perſecutione prædictá intelligi debent; ſed de perſecutione quam quis propter Chriſtum ſuſtinet. Quod notans Ambroſius, ait, Non dixit Pſalmiſta, Quia perſecutiones patior, adiuua me: ſed *Iniuſtè* (inquit) *perſecuti ſunt me, adiuua me*. Poteſt enim quis & perſecutiones pati, ſed non iniuſtè: quia perſecutio eſt iuſta, ſi oderimus obſcœ- D nos, ſi infeſti fuerimus iniuſtis, ſi iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant: ſi auarum fraudis ſuæ compendiis exuamus: ſi execremur inſolentiam ſuperborum. Qui autem pro fide, pro iuſtitia, pro caſtitate perſecutionem patiatur, bene is dicit, *Iniuſtè perſecuti ſunt me, adiuua me*.

*Pax & ociũ periculoſa.*

*Ioan. 15.*

*Perſecutio vtilis eſt.*

*Perſecutio iuſta non metuitur, ſed iniuſta.*

## 2160 Paulo minus conſumauerunt me in terra: ego autem nõ dereliqui mandata tua.

Hic oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd humilitas aduerſa patienter facit tolerare. Humilitas enim recalcitrare neſcit, iraſci non nouit: omnia ſuffert. Et quanto magis premitur, tanto plus diuinis mandatis inhæret. Vnde & Pſalm. perſecutus vſque ad mortem, Dei mandata fortius obſeruabat. Et hoc eſt quod hic dicit, *Paulo minus conſumauerunt me in terra* &c. Iſte verſus dupliciter exponitur. Primò vt iſta ſit vox martyrum pro Chriſto in terra perſecu- A torum: qui paulo minus conſumati dicuntur, quia vſque ad mortem perſecuti, ſicut deſinerent homines eſſe per mortem: non tamen ex toto conſumpti, quia anima ipſorum integra virtutibus manſit. Ideo ait *Paulo minus*: quia non in totum, ſed in parte conſumpti ſunt. Et ſic videtur Auguſtinus intelligere: dicens, *Paulo minus conſumauerunt me in terra* &c. Hoc dicit eccleſia, multa ſtrage martyrum facta, dum confitentur & prædicant veritatem. Non tamen ex toto defecit, quia anima integra manſit. Ideo ſubditur, *Ego autem non dereliqui mandata tua*. Aliter exponitur, de illis qui piè in Chriſto viuere volunt: qui tot tentamina in terra ſui corporis ſuſtinent, vt difficulter reſiſtere poſſint: tamen ad- B iuti à Deo perſeuerant, & vincunt. Et hæc eſt intentio Ambroſij hic dicentis, *Paulo minus conſumauerunt me* &c. Non fruſtra diuinum quæſiuit auxilium, qui ſciebat ſibi aduerſus fortes eſſe certamen, pluráque ſibi prælia præparata dimicaturo: nunc aduerſus nequitias ſpirituales quæ ſunt in cœleſtibus: nunc aduerſus calorem ſanguinis, & innumeras corporis huius illecebras: quorum nexu vario & diuturna colluctatione laſſatus pudendo corruiſſet certamine, niſi fidei ſe radice tenuiſſet. Diſcamus cauere quem gerimus. Hic nobis hoſtis domeſticus: hic inimicus grauis noſtri ipſius corporis inflammatur libidine, ardet decore mulieris occurſantis, accenditur ſpecie aliena, deſpe- C ratione frangitur, illecebris exuritur, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, laſciuia diſſoluitur, labore afficitur, ſolicitudine fatigatur, paſſione conteritur. Miraris ſi inter tot aduerſarias paſſionum vices, ſe etiam iuſtus tenere vix poſſit: cùm impares ſumus etiam ſingularium certamini paſſionum. Quem enim ſola libido non iudicet? quem non ſubiuget auaricia? quem formido non quatiat? quem luxuria non eneruet? quem laſciuia non emolliat? quem non ſupplantet ebrietas? Quaſi conſcius ergo carnalis infirmitatis & explorator perſecutionis hoſtilis dicit, *Paulo minus conſumauerunt me in terra*. In hac terra in qua Adam priùs corruit, & pudenda prolapſione deiectus ingreſſum futuræ poſteritatis inflexit. In hac terra in qua Caim munera fraterna dolens ſuis eſſe prælata, rui- D na eſt ſtratus inuidiæ. Denique vox fraterni ſanguinis clamauit de terra. In hac terra Noe ſanctus, quem totius orbis diluuia in tãtis procellis & fluctibus peruigilem probauerunt: vbi tamen ocioſo curas laxauit corpore, ſomnum ebrietatis offendit, contumeliam paternæ pietatis incurrit, docens periculoſa ocia eſſe ſecura virtuti. In hac terra Loth reuerendi parentis imitator, quem non luxurię decolorauit impuritas: veniabilis quidem ignorantiæ, pudendæ tamen commixtionis non euaſit inceſtum. In hac terra Dauid conſumatum propemodum eſſe ſe dixit: ſiquidem penè motos pedes ſuos & greſſus ſuos paulo minus ſenſit ef- E fuſos: quia diuitias ſeculares & ſucceſſus corporalium proſperorum loco beatitudinis æſtimauit peccatoribus abundare. Propter quod & flagellatus eſt: ſed flagella iuſto remedia ſalutis ſunt. Magna igitur virtus, quæ ſub tantis perſecutionibus conſtituta & penè oppreſſa, tamen ſuum non eſt oblita præſidium, nec mandata Dei dereliquit. Ideóque ait, *Paulo minus conſumauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua*.

*Martyrũ perſona.*

*Bellum graue patimur.*

*Bellum carnis.*

*Corporis defectus.*

*Terra corporis noſtri periculis eſt plena.*

2161 **Secundum miſericordiam tuam viuifica me : & cuſtodiam teſtimonia oris tui.**

Hîc oſtendit octauum : ſcilicet quòd humilitas implere facit quod Deus imperat, & cuſtodire facit Dei præcepta. Cum enim omnis præceptorum Dei violatio procedat ex ſuperbia:conſequens eſt, vt humilitas omnem excludat ſuperbiam:nullus diuini mãdati violationem admittat. Vnde humilis per miſericordiam Dei iuſtificatus, ſe omnia præcepta cuſtoditurum promittit : dicens, *Secundum miſericordiam tuam viuifica me* &c. Nec mirandum eſt ſi Pſal. hoc verbo *viuifica me* in hoc Pſalm. multoties ſit vſus : loquitur enim de vita gratiæ, qua tamen hæc orans non carebat:ſed eiuſdem vitę ſpiritualis qua viuebat orat augmentum & perſeuerantiam:vt in cuſtodia præceptorum Dei poſſit perſeuerare finaliter. Vbi notandum quòd omnia creata ex ſe nullam ſtabilitatem habent:niſi inquantum ſeruantur in eſſe à Deo. vnde continua indigent conſeruatione, vt in eſſe perdurent, ſi ad momentum deſineret conſeruatio Dei, & ipſa in nihil verterentur. Ex quo patet, quòd ſicut vitam continuè in nobis conſeruat:ſic & continuè nobis vitam tribuit:& per conſequens, continuè nos viuificat. Dicit ergo, *Secundum miſericordiam tuam viuifica me*:id eſt in me conſerua & auge gratię vitam. Iſte autem textus exponitur dupliciter. Primò de martyribus : qui vt tormenta patienter poſſint tolerare, augmentum gratiæ petunt. Vnde & dicit, *Et cuſtodiam teſtimonia* &c. Teſtimonia enim idem ſunt quòd martyria:vt patet verſic. 2099. Et iſtam expoſitionem hic ponit Auguſt. dicens, *Secundum miſericordiam tuam viuifica me* &c. Teſtimonia Græcè ſunt martyria. Quod tacẽdum non fuit propter dulciſſimum martyrum nomen : qui proculdubio quando tanta perſequentium crudelitas ſæuiebat: vt eccleſia Dei paulo minus cõſumaretur in terra, nullo modo Dei martyria cuſtodirent,niſi fieret eis quod hic oratum eſt, *Secundum miſericordiam tuam viuifica me*.Viuificati ſunt enim, ne amando vitam, negarent vitam : & ne negando vitam, amitterent vitam. Ac ſic qui in vita veritatem deſerere voluerunt,moriendo pro veritate vixerunt.Vel aliter:vt hic Pſalm. non poſtulet vitam gratiæ qua viuebat: ſed vitam gloriæ quam non habebat. in qua ſola Dei præcepta cuſtodiuntur perfectiſſimè, quæ in hac mortali vita, propter pondus carnis ad perfectum cuſtodiri non poſſunt. Et hunc intellectum hic ponit Ambroſ. dicens, *Secundum miſericordiam tuam viuifica me*. Non illud precatus eſt Pſal. quod habebat:ſcilicet vt viueret in hac vita : ſed vt viueret inæternum : intelligens vitæ beatitudinem in hoc fluctuanti, & infido corpore nos habere non poſſe: cuius imbecillitas propoſitum animæ derelinquit. Opus eſt ergo Dei miſericordia, vt continua & perpetua ſit in hoc corpore viuificatio : vt continuè iuſtus Deo viuat, peccatóque moriatur. Si enim culpa moriatur in nobis, erit vita Deo viuens, & in cuſtodia præceptorũ cœleſtium perſeuerans ; quæ vtique ille cuſtodit qui viuificatur à Deo. Denique viuificari ſe antè poſtulat à domino ; & pòſt cuſtodiam teſtimoniorum cœleſtium pollicetur.Non enim communis hæc vita cuſtodit cœleſte mandatum, ſed illa quæ viuere fulcitur æterno, per operationem gratiæ ſpiritualis. Vel aliter. Vera enim cuſtodia mandatorum Dei non ſolùm ſtat in opere exteriori,ſed principalius in opere interiori voluntatis. Vnde vera caſtitas non ſtat in non adulterari,ſed etiam requirit non concupiſcere.Iſtam autem perfectam obſeruationem mandatorũ docuit Chriſtus, qui nos in lege noua docuit non ſolùm opere non eſſe mœchandum, ſed neque concupiſcendum. Hic ergo Pſalm. poſtulat miſericordiam diuinæ incarnationis : qua perfectè doceatur mandata Dei ſeruare. Et iſtum intellectum hic ponit Ambroſius dicens, *Secundum miſericordiam tuam* &c. Poſſumus etiam hoc ſic intelligere. Quia iam propheta quæ legis erant nouerat: optat autem hic aduentus Dei miſericordiam, vt accipiat præcepta quibus lex adimpleatur : vt non ſolùm adulterum ſciret eſſe vitandum, ſed etiam concupiſcentiam eſſe vitandam. Hoc autem nos docuit os patris Ieſus, dicens in euangelio, Eum qui viderit mulierem ad concupiſcendum, in corde ſuo adulterium perpetraſſe. Quantum ergo in euangelio profecerunt ſtudia caſtitatis, quæ non ſolùm turpioris facti,ſed etiam ſtudij degeneris allegatur opprobrium? Hoc ergo notans Pſal. dicit, *Secundum miſericordiam tuam* &c.

*Vita continuè indiget cõſeruatione Dei.*

*Martyrii cõſtantia.*

*Præcepta Dei hic cuſtodiri non poſſunt.*

*Matth.5.*

**IN æternum domine verbum tuum permanet in cœlo.** 2162

Lamed.

Hîc incipit duodecimus octonarius:cui pro titulo præmittitur duodecima litera alphabeti Hæbræorum : quæ eſt lamed. Quæ interpretatur cor ſeruitutis.Cor enim noſtrum, cor ſeruitutis debet eſſe,vt totaliter ſeruire ſit promptum, nõn ſecularibus & temporalibus rebus implicari : quia vana ſunt, & vanum faciunt diligentem. Ab omnibus igitur temporalibus circuncidamus cor noſtrum, vt Dei mãdata plenè poſſit cuſtodire.Nil vile quæramus : vile autem eſt omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil ſeculare, nil corporeum, nil leue atque mutabile in noſtro corde ponamus : ſed Dei verbum in noſtro corde ſeruemus.Ait enim Chriſtus, Nolite theſaurizare vobis in terra,vbi ærugo & tinea demolitur:ſed theſaurizate vobis in cœlo. Vbi eſt enim theſaurus tuus,ibi eſt cor tuum.Theſaurus tuus ſit fides,pietas, miſericordia:theſaurus tuus ſit Chriſtus:theſaurus noſter precioſus intellectus eſt. Si terrenus intellectus fuerit, ſi fragilis, hæretica ipſum tinea & impietatis ærugo conſumit. Leuemus ergo & erigamus cor noſtrum : nec impoſſibile iudicemus vt hic humana corporis infirmitas ad cognitionem cœleſtium myſteriorum prouehatur:cùm iam ad nos dominus Ieſus,in quo abſconditi erant ſcientiæ ſapientiæque theſauri, diuina miſeratione deſcenderit vt clauſa reſeraret, aperiret latentia,reuelaret occulta.Ad propoſitum ergo;meritò huic octonario præmittitur litera lamed, quæ interpretatur cor ſeruitutis : quia in iſto octonario docemur quomodo cor noſtrum diſponatur, vt debitè ſeruiat Deo. Ad hoc enim vt quis debitè corde Deo ſeruiat,octo debet facere;ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur. Primò cor in cœlum debet tendere:in principio ; ſecundò eccleſiam à Chriſto fundatam debet credere:ibi,*In generatione*:tertiò ſeruitio Dei ſe totum debet ſubiicere: ibi,*Ordinatione tua:* quartò legem Dei ſtudendò ſæpe debet legere:ibi, *Niſi quòd lex tua*:quintò memoriæ quæ ſtudet debet tradere:ibi, *Inæternum* : ſextò corde miſericordiam Dei debet petere:ibi, *Tuus ſum ego*:ſeptimò vt fortis aduerſis non debet cedere:ibi, *Me exſpectauerunt*:octauò Chriſtum finem omnium debet credere:ibi,*Omnis conſumationis*. Oſtendit ergo primò quòd quilibet noſtrum Deo volens corde ſeruire, non debet cor ſuum in iſtis temporalibus ponere, ſed ſolùm in cœleſtibus. Cum enim verbum Dei ſit theſaurus iuſtorum,& verbum Dei permaneat ſemper apud patrem in cœlis:ibi in cœlis corde debemus aſcendere,Chriſto dicente, Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Iſtius ergo rationis ponit minorẽ:dicens,*Inæternum domine verbũ tuũ permanet in cœlo*. Iſte verſus exponitur de cœlo materiali, & de cœlo ſpirituali. Primò exponitur de cœlo materiali:ſcilicet de cœlo in quo poſita ſunt luminaria magna,ſol,luna, cæteráque ſidera. Vbi ſciendum quòd ibi dicitur verbum alicuius eſſe,vbi verbum obſeruatur,vbi obediẽtia verbo exhibetur:ſicut & ille verbum alicuius repellere dicitur,qui illi obedire contradicit.In cœlo ergo materiali ſemper verbum Dei permanet : quia ibi plena obediẽtia ſibi exhibetur,plena ſeruitus,quia corpora cœleſtia plenè verbum Dei obſeruant: quia ordinem à verbo Dei datum obſeruant integraliter.Et per iſtius cœli exemplum Pſalm.nos inducere vult ad verbi diuini ſeruitutem & obedientiam.Iſtam expoſitionem planè ponit Ambroſ.hic dicens, *Inæternum domine verbum tuum permanet* &c. Vides in te debere manere quod in cœlo permanet ac perſeuerat ? Serua ergo verbũ Dei in corde tuo. Si verbum Dei in cœlo permanet, imitemur cœlum vbi permanet verbum Dei : vbi permanet ordo ſolennis cœleſtium ſtatutorum, & beneficiorum domini. Crebræ vices ſolennibus muneribus perſeuerant. Supernis nempe vel pluuiis, vel calore,vel fotu aëris huius infunditur terris, atque alitur larga fœcunditas è cœlo. Annus labitur per dies ac menſes:& tempora autumni atque hyemis, veris quoque & æſtatis : de cœlo vitæ tuæ imaginem cerne, vt imitatores ſimus etiam ipſius cœleſtis elementi. Non ſemper cœlum ſole feruet ardẽti,frequenter nubibus tegitur,pluuiis vehementibus inhæreſcit, iactis niuibus tegit terram. Non ergo ſit in te diuturna laſciuia, ſuccedant mœſta, vtilior ſæpe triſticia eſt quæ comitem ſolet habere grauitatem. Nunquid vlla in ipſo eſt ſole præuaricatio? Nónne quotidianos curſus ſuos ſeruat? Nunquid continuos nouit luna defectus, & commiſſi muneris deſerit myſterium? Hiſdem nempe vicibus annus redit,eodem ſtatu reparantur tempora, hiſdem obſequiis reformantur. Sol diem illuminat, temporum ſtatuta cuſtodiens:fulget ſplendoribus luna nocturnis, & lux eius in tenebris micat. Stellarum nitentium rutilat globus. Lex vna diuerſis conſtitutorum ſemel vices curſuum cuſtodire, nec fines tranſire præſcriptos.Manet ipſa immutabilis mutatio, quæ vertere ordinem ſuum neſcit. Vna omnium obedientia,diſcretis muneribus indiſcretam prædictæ conſtitutionis tenere concordiam. In cœlo ergo Dei permanet verbum : quia ſecundum verbi diſpoſitionem regitur & gubernatur. Ex hoc ergo vult Pſalm.concludere,quòd ſi in cœlo quod eſt inanimatum, ſic permanet Dei verbum,vt obedientiam plenam cœlum exhibeat verbo:quanto magis in nobis debet permanere, vt ſibi obediamus per omnia ? Secundò exponitur de cœlo ſpirituali, quod eſt angelica noſtra & humana:ſcilicet ſanctorum angelorum & hominum, in quibus verbum Dei ſemper permanet ; quia eius verbo ſemper obediunt. Vnde beatis angelis dicitur,Fiat voluntas tua,ſicut in cœlo(id eſt in ſanctis angelis) & in terra (id eſt in hominibus.) Vnde & hic ait Auguſt. *Inæternum domine verbum tuum permanet in cœlo*,id eſt in ſanctis angelis cuſtodientibus ſine deſertione æternam militiam.Intelligitur etiam non ſolùm de angelis,ſed etiam de hominibus cœleſtibus,qui verbum Dei cuſtodiunt & obſeruant. Vnde hic ait Ambroſ. *Inæternum domine* &c. Sunt cœli & in terris,qui enarrãt gloriam Dei. Qui ſunt iſti cœli,audi dicentem Apoſtolum,Sicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem huius cœleſtis. Iſti igitur cœli ſunt in quibus fides, grauitas,continentia,doctrina,vita cœleſtis eſt.Nã quemadmodum terra dictus eſt primus homo,qui lapſus ex illa præuaricatione cœleſtis gratiæ, & in hac vita terrena deiectus &c.Ita econtrario cœlum dicitur qui vitam angelorum cuſtodia integritatis exercitat : corpus ſuum continenti ſobrietate moderatur ; mentem quoque ſuam miti tranquillitate componit:pecuniam pauperibus miſericordi liberalitate diſpẽſat.Eſt ergo & in terris cœlum in quo eſſe poſſint virtutes cœleſtes : in quo Dei verbum permanet ſemper. Exemplo ergo iuſtorum in quibus verbum Dei permanet ſemper,vult Pſalm.omnes ad idem, vt Dei verbum in ſe retinentes, illud ſemper obſeruent,illi obedientes.

*Matth.6.*

*Verbũ obedit...*

*Cœlum ordinem ſibi datũ ſeruat.*

*Cœli ſunt angeli beati.*

*Matth.6.*

*Cœlũ ſunt homines iuſti.*

*1.Cor.15.*

**In generatione & generationem veritas tua : fundaſti terram, & permanet.** 2163

Hîc oſtendit ſecundum:ſcilicet quòd debemus credere eccleſiam à Chriſto fuiſſe fundatam : qui ſcilicet plures generationes(ſcilicet Iudęos & gentiles)in vnam eccleſiam cõgregauit. Propter quod & lapis angularis eſt dictus : quæ eccleſia ſtabiliter fundata permanet inæternum. Et hoc eſt quod ait Pſalm. *In generatione & generationem veritas tua* &c. Nomine enim terræ,quæ ſtabilitatem habet & generat fructus,quid intelligitur,niſi eccleſia ſemper duratura:in qua fructus meritorum operatur ? Vnde Gregor. ſuper illo verbo Iob 26, Appendit terram ſuper nihilum : ait, Quid enim terræ nomine niſi ſancta eccleſia deſignatur? quæ dum verba prędicationis ſuſcipit,fructum boni operis reddit. De qua terra per Moyſen dicitur, Audiat terra verba ex ore meo.Fundauit ergo Chriſtus terram & permanet : quia eccleſiã formauit ſemper duraturam. Et hoc notans Pſalm. dicit, *In generatione & generationem veritas tua* &c. Quod exponens Auguſt. ait, *In generatione & generationem* &c.Omnes generationes iſta repetitione ſignificat : à quibus nunquam defuit veritas Dei in ſanctis eius:ex quibus conſtat eccleſia, modò pluribus, modò paucioribus:vt ſe temporum varietas habuit vel habebit.Vel iſta replicatione duas generationes intellexit:vnam ſcilicet, ad legem & prophetas, alteram verò ad euangelium pertinentem.Cur autem ab iſtis generationibus nunquam veritas deſit, cauſam oſtendit:dicens,*Fundaſti terram, & permanet*:eos ſcilicet,qui in eccleſia hic in terra ſunt, terram nuncupans:quorum fundamentum eſt Chriſtus. Neque enim primæ generationis ad legem pertinentis fundamentum non erat Chriſtus,teſtimonium habens à lege & prophetis.In duobus ergo populis:ſcilicet legis & euangelij permanet veritas tua:id eſt Chriſtus. Priùs enim Chriſtus fuit in fidelibus veteris teſtamenti : poſtea in fidelibus noui. Et hoc ideo, quia

*Terra ſignificat eccleſiam.*

*Gre.17.mor. cap.11.*

*Deut.32.*

*Generatio duplex : ſcilicet legis & euangelij.*

*1.Cor.3.*

*Rom.3.*

fundaſti terram:id eſt eccleſiam: ſcilicet ſanctos in fide:quæ permanet in æternum. Vel per terram accipe cuiuſlibet iuſti animam, quam Deus virtutibus fundat. Non enim hic accipit terram materialem, ſed ſpiritualem. Vnde dicit hic Amb. Non eſt curæ ſanctis, axem cœli & elemētorum ſpacia philoſophico more numeróſq; deſcribere. Quid enim hoc prodeſt ſaluti? Quia ſancti ſpiritualibus ſemper intendunt:& vitæ æternæ profutura vel cognoſcere geſtiunt, vel docere. Denique hunc locum pulchrè nobis aperuit Eccleſiaſtes, ſpiritualem hanc terram eſſe, non materialem: dicens, Generatio vadit, & generatio venit: terra autem ſtat in ęternum. Hoc eſt, quæ abundantia homini in omni labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Et dicit, Generatio vadit, & generatio venit. Vadit generatio, quia diuites eguerūt & eſurierūt. Qui enim antè abundabāt gratia: ſcilicet Iudæi, propter infidelitatem ſuam egere cœperūt. Generatio venit, quia qui antè pauperes erant populi: ſcilicet nationū, iam per fidem Chriſti ſatiantur & abundant: ſicut ſcriptum eſt, Edent pauperes & ſaturabuntur. Audierūt enim Apoſtolū dicentem, Abundetis in omni bono. Non in pecuniis vtique, non in auro & argento: ſed in omni verbo & cogitatione, hæ diuitiæ ſunt ſalubres. Nā diuitiæ ſeculares, ſalutem afferre non poſſunt. Qui autem habuerit abundantiam ſpiritualem, huius terra ſtat in ſæculū ſæculi bene fundata radice virtutum. Talis inquam terra: ſcilicet anima, bonos generat fructus. De hac ergo terra: ſcilicet de anima iuſti dicat, *Fundaſti terram & permanet*. Qualiter autē iſta terra: ſcilicet anima ſpiritualis fundetur vt ſtabilis poſſit permanere, oſtendit Greg. ſuper illo verbo Iob 38, Vbi eras quādo ponebam fundamenta terræ: dicens, Hic enim nomine terræ, anima iuſti ſignificatur, de qua ſcriptum eſt, Terra enim ſuper ſe ſæpe bibens imbrem, & generans optimam herbam: illis à quibus colitur accipit benedictionem. Sed huius terræ fundamentum fides eſt: huius terræ fundamentum iacitur quando in occultis cordis prima ſoliditatis cauſa, diuinus timor inſpiratur. Iſte nondum credit æterna quæ audit. Huic cū fides datur ad ædificium ſubſequentis operis, iam credit: nec tamen metuit, diuini iudicij timorem deſpicit: peccatis ſe carnis & ſpiritus audacter inſerit. Huic cum repentè timor futurorum infunditur, vt bonę vitæ ſurgat ædificium: iā fundamenta conſtruuntur. Poſito itaque proſperè formidinis fundamento, cùm virtutum fabrica in altum demonſtratur: neceſſe eſt vt vnuſquiſque proficiens vires ſuas cautè metiatur: vt cum diuina conſtructione magnus eſſe iā ceperit, ſeipſum reſpiciat ſine ceſſatione quod fuit, quatenus attendens humiliter quòd per meritum inuentus eſt: nequaquā ſibi arroget, quòd per gratiam factus eſt. Vt meritò de tali anima per Deū ſic ſtabiliter fundata à Deo, dicamus, Tu autem domine in principio terram fundaſti.

*Terra dicitur anima ſpiritualis.* — *Eccl.1.* — *Pſal.21.* — *2.Cor.9.* — *Pſal.33.* — *Anima qualiter in bono fundatur.* — *Greg 28. cap. 9. & 10.* — *Hæb.6.* — *Pſal.101.*

2164 Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.

Hìc ponit tertium: ſcilicet quòd homo Dei ſeruitio ſe totum debet mancipare. Si enim creaturæ irrationales diuino ſeruitio ſe totaliter ſubiiciunt, ſibi plenè obedientes, quid facere debet homo ratione vtens? Et hanc rationem hic inducit Pſal. dicens, *Ordinatione tua perſeuerat* &c. Iſte verſus multipliciter exponitur: ſecundum quòd dies in ſcriptura diuerſa ſignificat. Primò ergo dies in ſcriptura ſignificat Chriſtum incarnatum. Et hoc propter ſcientiæ claritatem, cui omnia nuda ſunt & aperta. Vnde fidelibus qui ſunt filij Chriſti per adoptionē, dicit Apoſtolus 1. Theſſal. 5, Vos filij lucis eſtis & filij Dei: non ſumus filij noctis. Qui in hoc die ambulat: ſcilicet exempla eius imitando, non peccat. Ioan. 11, Qui ambulat in die, non offendit. Iſte eſt dies qui duodecim habet horas: quia duodecim Chriſtus habuit Apoſtolos. Ioan. 11, Nónne duodecim horæ ſunt diei? De iſto ergo die, ait Pſal. *Ordinatione tua perſeuerat dies*. Hic enim dies ex duabus naturis cōſiſtit: humana ſcilicet & diuina: quia verbum aſſumpſit veram animam & verum corpus humanum. Perſeuerat igitur iſte dies: quia quod verbum ſemel admiſit, nūquam dimiſit: ſed nec dimittit, ſed illa vnio durabit inæternum. Et hoc eſt quod dicitur Heb. 13, Chriſtus heri & hodie: Chriſtus & in ſæcula. Quod idem aliis verbis dicit Pſal. *Ordinatione tua perſeuerat dies*. Secūdò dies ſignificat quemlibet iuſtum & virtuoſum, qui virtutum lumine ſplendet, & continuè creſcit: donec ad perfectum perueniat. Vnde de iuſtis dicitur, Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem. Iſte autem dies perſeuerare non poteſt ex ſe: ſed ſolo adiutorio Dei. Ideo de ipſo dicitur, *Ordinatione tua perſeuerat dies*. Tertiò dies ſignificat eccleſiā: quia lumine veritatis & fidei ſplēdet. Vnde Apoſtolus vidēs ſynagogā terminatā & eccleſiam inchoatam per Chriſtum dicit, Nox præceſſit, dies autē appropinquauit &c. Quomodo autē hæc dies eccleſiæ perſeueraſſet tot perſecutionibus preſſa, niſi omnipotēs ſua ordinatione, ipſe perſeuerantiam tribuiſſet? Vnde de ipſa dicit, *Ordinatione tua perſeuerat dies*. Quartò dies ſignificat æternam gloriam, in qua vt in die omnia erūt vero ſole perluſtrata. Vnde de ipſa dicitur, Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper milia. Vnde hic ait Gloſa, *Ordinatione tua perſeuerat dies*. Dies ſingulariter ille vnus & æternus dies intelligitur, qui noctē non habet. Ille verus dies eſt, cuius verus ſol Chriſtus nunquam occidit. Noſter enim dies nocte clauditur. Vnde quòd de die gloriæ iſte locus debeat intelligi ſubditur, *Quoniam omnia ſeruiunt tibi*: quod ſolùm ibi verificatur. Vnde Ambroſ. hic ait, Videtur enim ſignificare diem illum gloriæ: quando nox non erit amplius, non indigebit lucernæ vel ſolis lumine, quoniam dominus illuminabit eos. Vnde ſubdit, *Quoniam omnia ſeruiunt tibi*: hoc eſt, Dei faciunt voluntatem. Nūc enim non omnes ſeruiūt. Cùm autem tradiderit regnum Deo & patri, tunc erunt ſubiecta omnia ei qui ſibi vniuerſa ſubiecit, acquirēs omnium fidē per vnigeniti paſſionem. Subiectio ergo mentium facit ſedulam ſeruitutem. Ergo cùm omnes crediderint in dominū Ieſum, tūc vniuerſa Deo ſeruiēt: vt ſit Deus omnia in omnibus. Nunc autem nō omnes ſunt ſerui Dei, quia plerique ſerui ſunt peccati. Qui enim peccatum facit, ſeruus eſt peccati. Dominus autem non vult cum aliis conſortium habere dominatus. Permanet ergo dies immutabilis. Potuit dicere *permanebit*: ſed prophetis futura pro præſentibus præſto eſſe videbantur in ſpiritu.

*Dies dicitur Chriſtus.* — *Dies dicitur quilibet iuſt'.* — *Prou.4.* — *Dies dicitur eccleſia.* — *Rom.13.* — *Dies dicitur gloria æterna.* — *Pſal.83.* — *1.Cor.15.* — *Sociū in dominio Deus non vult habere.*

Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tūc fortè periſſem in humilitate mea. 2165

Hìc oſtēdit quartum: ſcilicet quòd legē Dei ſtudēdo ſæpe debet legere. Scripturę enim ſacrę ſtudiū inter



inter omnia aduerſa, dum ſanctorum patrum certamina & eorum victorias narrat, mentem noſtram ad patientiam prouocat. Vnde Gregor. ait, Scriptura ſacra mentis noſtræ oculis quaſi quoddam ſpeculum opponitur, vt interna facies noſtra in ipſa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus. Ibi ſentimus quantum proficimus: ibi à profectu, quātum longè diſtamus. Narrat fortia geſta virorum: & ad imitationem corda prouocat infirmorum. Dúmque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia corda noſtra confirmat. Fitque verbis illius, vt eo minus mens inter certamina trepidet, quo antè ſe poſitos tot virorum triumphos videt. Nonnunquam verò non ſolum nobis eorum virtutes aſſerit, ſed etiam caſus innoteſcit: vt & in victoria fortiū quid imitando arripere: & rurſum videmus in lapſibus quid debeamus timere, &c. Ex quibus patet quòd ſtudium ſcripturæ inter aduerſa mentem noſtram roborat ne deficiat. Et hoc expertus hic Pſal. dicit, *Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt*, &c. Per humilitatē enim hic accipit afflictionem & aduerſitatem. Et ad iſtum intellectum hūc verſum hic exponit Ambroſ. dicens, Humilitas non ſemper virtutis eſt, ſed etiam eſt afflictionis. Et hæc eſt non ſemper volūtaria, ſed etiam neceſſitate ſuſcipitur, quando afflictione aliqua tentamur. Alioquin nemo perit in humilitate, quæ magis ſeruare conſueuit. Ergo quādo in afflictionis tempore ſumus, & quatimur aduerſis: meditatio nobis in lege ſit, ne imparatos procella tentationis affligat. Athleta niſi officio palæſtræ priùs fuerit aſſuefactus, non audet ſubire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis noſtræ mentis lacertos: ſit nobis tota die & nocte exercitij vſus in quadam cœleſtium ſcripturarum palæſtra: artúſque animorum noſtrorum ſalubris ſpiritualium ferculorum eſca confirmet: vt cum aduerſarius aſſiſtere ceperit, & puluere nos ſuæ tentationis aſperſerit, ſtemus intrepidi. Melius percutimus verberati, ſi percutienti maxillam, alteram præbeamus: ſi vindictam nō requiramus, ſed ei qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam, cauſam vindictę reſeruemus. Cędimus aërias poteſtates, ſi noſipſos caſtigare nouerimus. Exerceamus certamen, vt ſiamus certamini ſemper parati. Et cum frequētior aduerſarij ictus ingruerit, nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis ægritudine, nunc mœrore animi, nunc terrore mortis & acerbitate pœnarum: dicat vnuſquiſque noſtrum qui potuerint ſuſtinere, *Niſi quia lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea*. Et conſequēter ponit exempla ſcripturæ: quibus lectis fortificamur. Et primò de beato Iob: dicens, Quanta ſimul coaceruata ſunt, vt in illa afflictione Iob ſanctus periret. Sed quia patriarcharum moribus informatus: oraculorúmq; cœleſtiū & naturalis legis erat inſtitutione formatus: ideo tentationibus mentis perire non potuit. Denique cùm amiſiſſet tam amplas ſubitò facultates, chariſſimos filios: quaſi is cui meditatio quotidiana eſſet in lege diuina, ait, Nudus ęgreſſus ſum de vtero matris meæ, &c. Sit nomen domini benedictum. Perfuſus etiam totius corporis vlceribus, cùm tentaretur vxoris alloquiis, qui cum meminiſſet Adam ſic eſſe deiectum, dum propriæ credidit vxori, reſpondit, Sicut vna ex inſipiētibus mulieribus locuta es. Tentatus etiam diuerſis amicorum alloquiis, cum fide ſtabilis immobiliſque patientia præmia meruiſſet à domino, nōne dicebat, *Niſi quia lex tua meditatio mea eſt: tunc fortè periſſem in humilitate mea?* Quam gratè hoc dicit hodie qui martyrio plura flagella ſuſtinuit: eculeo & vngulis, plumbo, laminis ardētibus, gladio approbatus: potuit enim perire niſi meditatus in lege, grauiora præſentibus futura ſupplicia crediſſet. Cōſequenter idem probat exemplo Ioſeph: dicens, Quanta ſanctus Ioſeph pertulit, quàm acerba, quā dura: primum fratrum odia, degeneris ſeruitutis ærumnas, parētibus defraudatus, ablegatus exilio, & Ægyptij ignobilis vile mancipium. Quæ potuit nobilis proſapiæ puero grauior eſſe tētatio, quàm vt tanto familiæ ſplendore deiectus, ſeruiret apud Ægyptios? Eſt conſolabilis ſeruitus ſeruire iuſtis. Æquitate domini leuatur iniuria ſeruitutis. Nec hoc ſatis quidem fuit ad tentationis acerbitatem. Rediit aduerſarius ad ſuas artes. Cōcitauit in eum libidinis ſtimulus vxorem domini ſui, quæ adulterinos à ſeruulo concubitus flagitaret: vt ſi acquieſceret, crimē impleret: ſi recuſaret, incideret in offenſam, & calumniā non euaderet. Denique truſus in carcerem, & innocens inter noxios æſtimatur. Sed quia contumeliæ eum frangere non potuerūt, tentatio mutata eſt longè aſperior ſpecie proſperorum. Plurimos enim ſupplantauerunt ſecundæ res, quos non fregerunt acerba ſupplicia. Educitur de carcere, omnibus Ægyptiis præponitur: vt omnibus Ægyptiis diuideret alimenta. Obiiciuntur ei & fratres, qui eum ad ſeruitutis iniuriam vendiderant inuidia moti: vt iniuriæ recordatus, excluderet germanitatis affectū. Sed vir iuſtus oblitus eſt contumeliam, cumulauit gratiam: & fratres pia fraude quæſiuit. Quid igitur in omnibus iſtis aliud melius dicere poterat Ioſeph domino, *Niſi quia lex tua meditatio mea eſt: tūc fortè periſſem in humilitate mea?* Et conſequenter aliud induxit exemplum: dicens, Fertur prophetæ cuidam: & plerique ferunt quòd Eſaiā in carcere poſito cum mole imminentis pœnæ vrgeretur exitu, dixiſſe diabolū, Dic quia non à Deo locutus es quæ dixiſti, & omnium in te mētes affectúſque mutabo: vt qui indignantur iniuria, abſolutionem conferant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate ſupplicium, quàm pro adulatione beneficium. Quod vtique non feciſſet, niſi meditatione legis fuiſſet exercitatus. Sit nobis ergò quotidiana lectio pro exercitio: vt quæ legimus, meditemur imitari. In hac deſudemus virtutū palæſtra: vt cum increbuerint tentamenta, nō tanquam inexercitatos, non tanquam inexpertes ciborum ſpiritualium, & attenuatos ieiunio lectionis tentationum tempus inueniat. Quia ſi frequēti meditatione memoria tenax præceptorum cœleſtium parata ad tempus exempla depróпſerit: nulla tentationum turbare nos poterit congreſſio. Auguſt. autem hic ſic intelligit: quia per meditationē legis acquiritur gratia, quæ animam fortificat. Vnde ſic dicit, *Niſi quia lex tua*, &c. Iſta eſt lex fidei, quæ per dilectionem operatur. Per hanc impetratur gratia, quæ fortes facit in tribulatione temporali: ne pereant in humilitate mortali.

*Scriptura vtilitas.* — *Gregor. 2. moral. cap. 1.* — *Humilitas duplex.* — *Scriptura in aduerſis robo rat.* — *Deut.32.* — *Rom.12.* — *Iob patiētia.* — *Iob 1.* — *Iob 2.* — *Ioſeph patiētia.* — *Seruitus mitigatur æquitate domini.* — *Mendacium pro pœna euadenda non licet dicere.*

In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis viuificaſti me. 2166

Hic oſtendit quintum: ſcilicet quòd quæ ſtudet memorię debet tradere. Sicut enim cibus in ſtomacho receptus & ſtatim reiectus, nihil homini proficit,

ficit,ſed magis lædit ſtomachum:ſic & lex Dei audita vel lecta,ſi memoriæ tradita non fuerit. Quod conſiderans hic dicit Pſal. *In æternum non obliuiſcar*, &c. Iſtum verſum inducit Auguſt. quaſi per recognitionem beneficij habiti ex meditatione legis. Quaſi dicat,Quia per meditationem legis non perij in humilitate mea, ſed magis fui iuſtificatus: ideo huius nunquam obliuiſcar. Vnde ſic ait Aug. *In æternum nõ obliuiſcar*,&c. Ecce vnde factum eſt vt non periret in humilitate ſua. Nam Deo non viuificante,quid eſt homo : qui ſe occidere potuit, viuificare non poteſt. Notandum eſt ergo, quòd lex antiqua tota figura erat nouæ legis. Et quicquid virtutis habebat,hoc totum erat ratione legis euãgelicæ quam figurabat. Vnde lex antiqua dicebatur iuſtificare & viuificare obſeruantes:non quidẽ veritate,ſed figuratione. Vnde ſancti patres cognoſcẽres nouam legem in antiqua figurari:antiquam operibus obſeruabant, ſed illa opera ſemper mente ad legem nouam referebant:cuius virtute iuſtificabantur veritate, ſed antiqua lege, ſpecie vel figuratione. Sic igitur Pſal.mandata legis hic vocat iuſtificationes : in quibus ſe viuificatum dicit: & hoc ratione legis euangelicæ in ipſa contentæ. Et ne tanti beneficij ſit ingratus, illa firmiter ſuæ impreſſit memoriæ:dicens, In æternum non obliuiſcar,&c. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit hic Ambroſ.dicens, Mandata legis iuſtificationes dicuntur:ſed quia in lege nemo iuſtificatur, intellige quia iuſtificatio legis ſpecies eſt & imago, non veritas. Secundum veritatẽ ergo & perfectionem nemo iuſtificatur in lege: ſecundum autẽ ſpeciem,iuſtificatur. Sanctus ergo iſte propheta Pſal. qui adhuc in legis iuſtificatione viuebat: videbat autem fulgorem euangelij, quaſi memor veteris diſciplinæ,legi,tanquam pædagogo vtili, gratiam reſeruabat. Conſidera aliquem excellentem in diuitiis & honoribus conſtitutum, pædagogo ſuo honorificentiam reſeruantem: cuius officiis informatum ſe eſſe cognoſceret, vt maturiorem regere poſſet ętatem. Monet etiam ipſa lex vt his quæ nobis aliquando profuerint,nequaquã debemus eſſe ingrati. Nam ſicut habemus in veteri teſtamento, paſcha celebratum eſt in Ægypto, cum adhuc patres ſub Pharaonis eſſent ſeruitute : & poſtea rurſum in terra promiſſionis fuit celebratum. Primũ ad commonitionem, poſterius autem ad recordationem. Si quis enim interroget Hæbræum, quare paſcha in Ægypto celebratum eſt;reſpondet, quia adhuc ſub ſeruitute Pharaonis tenebamur. Ille agnus patrum populum liberauit; ille agnus vocauit ad libertatem:ille agnus maris profundum ſolidauit, vt Ægyptum tranſire poſſemus. Quoties ergo paſcha celebramus, meminiſſe debemus priſtinæ ſeruitutis & nouæ libertatis : quid fuerimus & quid acceperimus. Non enim plenè quis intelligere poteſt quod accepit,niſi meminerit quid antè fuerit. Non ergo obliuiſcamur quia dominus Ieſus agnus Dei, munda hoſtia, ſoluit nos grauibus nexibus delictorum, quibus Pharao ille, teterrimus non vnius Ægypti,ſed ſæculi huius princeps, vinculo ſeruitij grauis nos tenebat aſtrictos. Non obliuiſcamur in æternũ,vt cum venerimus in illam, veræ terram repromiſſionis, vbi eſt regio viuorum: & meminerimus quanta nobis hic Pharao dirus intulerit:quæ perpeſſi in hoc ſumus ſæculo: à quibus tandem ereptis malis:agamus gratias eripienti nos domino Ieſu, qui perturbatorem omnium feciteſſe captiuum. Eſt ergo ſenſus verſiculi iſte, *In æternum non obliuiſcar*,&c:id eſt per totam vitam: vel *in æternum*:id eſt ſi in ęternum viuerẽ:vel *in æternum*, id eſt in gloria æterna. Quia etiam beati recordantur de malis quæ hic ſunt perpeſſi, & quomodo per gratiam Chriſti liberati fuerũt : quod ad ipſorum maiorem gloriam cedit.

*Lex vetus quomodo iuſtificat.*

*Memoria bonorum eſt habenda.*

## 2167 Tuus ſum ego,ſaluum me fac:quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Hic oſtendit ſextum : ſcilicet quòd Dei miſericordiam corde, vt præcepta implere poſſit, debet poſtulare : ſine qua nec Dei iuſtificationes intelligere valemus,nec commendare memoriæ. Et quia orationem facit exaudiri humilitas : ideo primò ſe totaliter Deo ſubiiciens:dicit, *Tuus ſum ego*. Quamuis poteſtatiuè omnia ſint Dei:tamen imitatiuè nõ omnia ſua ſunt. Superbus non Dei,ſed ſuus vult eſſe:ideo perdit quod eſt. ſed humilis Dei vult eſſe, & ideo conſeruatur in eſſe. Vnde Auguſt. hic ait, Non leuiter tranſeundum eſt,quod ait, *Tuus ſum ego*. Quid enim non eſt Dei?An fortè quia in cœlis dicitur eſſe Deus,ideo putandum aliquid in terra nõ eſſe eius? cum alibi Pſal.dicat, Domini eſt terra, & plenitudo eius, &c. Quid eſt ergo quòd iſte ita quodammodo familiari ſe Deo commendandum putauit:vt diceret, *Tuus ſum ego,ſaluum me fac*:niſi intelligi volens quòd malo ſuo ſuus eſſe voluerit: quod eſt inobedientiæ primum & maximum malum. Et tanquam dicens,Meus eſſe volui : & perditum me feci? *Tuus ſum* (inquit) *ſaluum me fac : quia iuſtificationes tuas exquiſiui*:non voluntates meas quibus fui meus,ſed iuſtificationes tuas,vt eſſem iam tuus. O quàm pauci verè Deo poſſunt dicere, *Tuus ſum ego*. Quod hic oſtendit Ambroſ.dicens, Facilis vox & cõmunis hæc videtur, *tuus ſum ego* : ſed paucorũ eſt. Satis rarus eſt, qui Deo dicere poſſit, *tuus ſum ego*. Ille enim hoc dicit qui adhæret Deo totis ſenſibus:qui aliud cogitare non nouit. Ille hac voce vtitur,qui poteſt dicere, Domine oſtende nobis patrem,& ſufficit nobis. Nunquid hac voce vtitur auidus pecuniæ,honoris,poteſtatis?Multis non eſt ſatis Deum ſcire. Et quid pluribus,tanti populi, tãtæ nationes,tanti diuites paupertatem putant domino ſeruire : & qui ſupra omnes eſt illis exiguus & anguſtus eſt. Illis non eſt ſatis Dei filius, in quo ſunt omnia. Ille denique diues in euangelio cui dictum eſt,Si vis perfectus eſſe:vade & vende omnia, &c.Deum ſibi ſufficere non iudicauit. Denique & contriſtatus eſt : quaſi plus eſſet quod relinquere iuberetur,& quod minus eſſet,eligere. Ille ergo ſolum dicere poteſt, *Tuus ſum ego*, qui dicere poteſt, Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Apoſtolorum itaque vox iſta eſt:non tamẽ omnium Apoſtolorum. Nam & Iudas Apoſtolus fuit : & in conuiuio inter Apoſtolos Chriſti recumbebat. Dicebat & ipſe, *Tuus ſum*:ſed voce,non corde. Venit,& intrauit in eum Sathanas:& cœpit dicere, Non eſt tuus Ieſu:ſed eſt meus. Denique ea quæ mea ſunt cogitat:quæ mea ſunt, in pectore ſuo voluit. Tecũ epulatur:mecum paſcitur. A te panem accipit; à me pecuniam. Tecum bibit:& mihi tuum ſanguinem vendit. Tuus eſt Apoſtolus : & meus eſt mercenarius. Non poteſt dicere ſecularis, *Tuus ſum*. Plures enim dominos habet. Venit libido & dicit meus es:quia ea quæ ſunt corporis,concupiſcis. In illius adoleſcẽtulæ amore te mihi vẽdidiſti:In illius concubitu meretricis, precium pro te enumeraui. Venit auaritia,& dicit, Argentum & aurum quod habes, ſeruitutis tuæ precium eſt:poſſeſſio quam tenes,iuris tui emptio, venditio libertatis tuæ eſt. Venit gula,& dicit,Meus es. Vnius diei cõuiuium, precium vitæ tuę eſt. Ille ſumptus epularum,tui eſt ſumma contractus. Et quod peius eſt,caro emptus es,vilior cibo es tuo,precioſior eſt vnius diei mẽſa tua,quàm totius temporis vita:inter calices te redemi,inter epulas acquiſiui. Venit ambitio, & dicit tibi, Planè meus es. Neſcis quòd imperare te aliis feci, vt mihi ipſe ſeruires? Neſcis quòd poteſtatem ideo tibi contuli,vt te meæ ſubiicerem poteſtati? An ignoras domino noſtro dictum eſſe, Hęc omnia tibi dabo,ſi cadens adoraueris me? Antè ergo ſubiicitur qui alios vult habere ſubiectos. Veniunt omnia vicia, & ſingula ei dicunt, Meus es. Quem tãti repetunt,vile mancipium eſt. Quomodo ergo tu qui huiuſmodi es,potes Chriſto dicere, *Tuus ſum*? Reſpondet tibi ille, Nolo habere ſeruum pluribus dominis ſeruientẽ. Nam quomodo Meus es,ſi verbis mihi dicas,Tuus ſum, & operibus neges? Non eſt meus quem libido ſuccẽdit, quia mea caſtitas eſt. Non eſt meus quem cura ſpoliandi minores exagitat:quia mea eſt largitio. Non eſt meus quem aura mobilis inquietat, quia mea eſt tranquillitas. Non eſt meus vini crapula temulentus, gloriæ ſecularis ebrius. Pax ſum ego : litigare non noui. Non eſt Chriſti,niſi qui alienus eſt à crimine. Qui enim plures dominos habet,non poteſt Chriſto dicere, *Tuus ſum ego*. Et ideo Pſal. vt demonſtraret qua ratione quis dicere poteſt Chriſto, *tuus ſum ego*:adiunxit, *Iuſtificationes tuas exquiſiui*. Quaſi dicat, Ille verè tuus eſt,qui nihil aliud extra te quærit,ſolum quærit iuſtificationes tuas:id eſt mandata tua perficere.

*Tuus ſum ego quis dicere poteſt.*

*Pſal.23.*

*Superbia maximum mali.*

*Ioan.14.*

*Matth.19.*

*Matth.4.*

## 2168 Me expectauerunt peccatores vt perderent me:teſtimonia tua intellexi.

Hic oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd vt fortis athleta aduerſis non debet cedere. Ars hominis probatur ex eius operatione : fortitudo in pugna, ſeruitus in obedientia. Arbor quæ omni vento cedit, oſtendit ſe non bene radicatam:homo qui omni aduerſitate flectitur,in Dei ſeruitio non eſt bene fundatus. Et ideo nunc ait Pſal. *Me expectauerunt peccatores vt perderent me*:tamen firmus in Dei ſeruitio permãſi. Vnde ſubdit, *Teſtimonia tua intellexi*. Ita vox quamuis conuenire poſſit omnibus iuſtis diuerſis temporibus oppreſſis,qui teſtimoniis Dei inhęrentes aduerſitatibus & tentationibus nõ cedunt: tamen propriè cõuenit martyribus, quod propriè oſtẽdit quod hic dicitur, *Teſtimonia tua intellexi*. Teſtimonia enim idem ſunt quòd martyria : vt dictũ eſt ver.2099. Vnde hic ait Ambroſ. *Me expectauerunt peccatores*,&c. Vox iſta martyribus cõuenit;vt quilibet in martyrio poſitus ſanctus, iam de iudicio perſecutoris egreſſus dicat, *Me expectauerunt peccatores*,&c. Hoc eſt,perſecutores peccatores adhibuerunt omnia genera pœnarum,omnes artes perſuaſionum;ſed me de propoſito fidei abducere nõ potuerunt. Vicit fides huius vitæ illecebram corporiſque cruciatum. Expectauerunt peccatores, vt de me triumphum referrent : ſed gratias Chriſto, qui mihi dedit de peccatoribus triumphare. Redite victi, qui ſperabatis vos eſſe victores : redite deiecti,qui veneratis ſuperbi. Dicat & martyr, *Me expectauerunt peccatores vt perderent me*: ſed me expectauit Chriſtus, vt me coronaret. Poteſt etiam iſte verſus intelligi de quolibet iuſto, quacunque tentatione peccati pulſato : qui tentationibus reſiſtit, Dei mandata intelligit:non nudo conſpectu,ſed operibus impleto. Vnde Ambr. *Me expectauerunt*,&c. quaſi dicat, Multi peccatores peccata perſuadere & ex pectore meo fidem extorquere conati ſunt. Alius adulterium,alius hominis necem, alius oppreſſionem viduæ vel pupilli, alius aliud : & putabant me ſuis retibus capiendum. Expectauerunt me,vt perderẽt contagione peccati:ſed ego nõ illecebris peccatorum mentem à ſtudio diuinæ cognitionis auerti:nec intentionem meam à mandatorum tuorum ſerie declinaui : ſed intellexi teſtimonia tua. Si enim non intellexiſſem, peccatores illi vtique me perdidiſſent. Quæ intellexi vtique ſenſu & operibus ſecutus ſum. Neque enim nudus intellectus eſt,ſed quem etiam facta teſtantur. Denique beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem:ille vtiq; intelligit ſuper pauperem qui largitur pauperi. Nam quid prodeſt miſereri inopis, niſi alimoniam eidem largiaris? Intellectus enim bonorum ſine operatione, non ad meritum, ſed imputatur ad culpam.

*Martyrum conſtantia.*

*Intelligere ſignificat etiã operationem.*

*Pſal.40.*

## Omnis conſumationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. 2169

Hic oſtendit octauum : ſcilicet quòd Chriſtum omnium iuſtorũ finem eſſe debet credere. Vbi notandum eſt, quòd conſumatio quandoque accipitur pro pœna vel martyrio, quo quis per mortẽ terminatur & finitur. Sic enim de Chriſto dicit Apoſtolus, Hebr.2,Decebat eum per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam,per paſſionem conſumari. Sic & Chriſtus in cruce dixit,Cõſumatum eſt:& inclinato capite tradidit ſpiritum. Et directè paſſio martyris dicitur cõſumatio, quia finem habet. Finis autem huius conſumationis dicitur illud propter quod iſta conſumatio toleratur. Et quia ſancti martyria pro Chriſto tolerabant:ideo Chriſtus huius conſumationis dicitur finis. Pſal. ergo ſpiritu prophetico eleuatus vidit ſanctos martyres pro nomine Chriſti conſumandos:& Chriſtum ipſorum finem & præmiũ. Quod exprimens dicit, *Omnis conſumationis*, &c. Vnde hic ait Auguſt. Intrauerat Pſal.in ſanctuarium Dei, & viderat nouiſſima. Vnde ait, *Omnis conſumationis vidi finem*. Conſumatio mihi videtur hoc loco intelligenda,vſque ad mortem pro veritate certare,& pro vero ac ſummo bono omnia mala tolerare. Cuius conſumationis finis eſt excellere in regno Chriſti, quod non habet finem:& habere ibi ſine morte,ſine dolore & cum magno honore vitã. Vel aliter : *Omnis conſumationis vidi finem* : id eſt omnis paſſio vitæ præſentis citò terminatur & trãſit. Vel aliter:vbi ſciendum, quòd cõſumatio dicitur perfectio rei:quando ſcilicet res peruenit ad complementum,ſiue in bono,ſiue in malo. Dicitur enim conſumatio in bono,ſicut cũ dicitur liber eſt conſumatus:id eſt perfectus:& ille habet conſumatam caſtitatem:id eſt perfectam. Et ſic dicitur etiam cõſumatio in malo:vt conſumata malicia dicitur :id eſt perfecta:cui nihil deſit ad ſtudium & artem nocendi. Et vtriuſque conſumationis tam in bono quàm in malo finis eſt Chriſtus. Conſumationis bonæ finis eſt Chriſtus, quia eius præmiator:conſumationis malæ finis eſt Chriſtus,quia eius deletor & terminator. Et iſtum ſenſum ponit hic Ambroſ.dicens, Conſumauerat maliciam ſuam mundus.

*Conſumatio multiplex.*

*Ioan.19.*

*Finis omnis cõſomationis Chriſtus.*

dus: dicente Ioanne, Totus mundus in maligno poſitus eſt. Eſt ergo conſumatio maliciæ, eſt cõſumatio peccatorum. Sed conſumationis finis fuit Chriſtus, quia venit agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui eſt Chriſtus Ieſus, finis & remiſſio peccatorum. Hunc finem conſumationis propheta vidit in ſpiritu qui conſumatum ſæculi aboleret errorem. Vidit ſanguine eius diuerſa omnium peccata mundari. Bene ergo dixit, *Omnis conſumationis vidi finem.* Hoc eſt, Vidi conſumati adulterij remiſſionem: vidi conſumatæ luxuriæ atque laſciuiæ: conſumatæ crudelitatis atque ſæuitiæ: omnis poſtremò flagitij, per crucem ſuam delicta donãtem. Eſt etiam & conſumatio virtutis. Eſt enim conſumata ſapientia, cõſumata iuſtitia, ſed habet finem. Finis enim omnium virtutum eſt Chriſtus: qui finis eſt legis ad iuſtitiam omni credenti. Vides quia Chriſtus finis eſt fidei. Bene ergo dicit, *Omnis conſumationis vidi finem.* Vel aliter, ſecundum Gloſam: *Omnis conſumationis vidi finem,* id eſt, intellexi in quo debeat conſiſtere finis omnis bonę actionis: vt nemo in ſe, ſed in domino glorietur. Sequitur, *Latum mandatum tuum nimis.* Vbi notandum, quòd mandatum Dei dicitur caritas, ad quam omnia mandata terminantur. Et hoc mandatum via eſt qua pergimus ad vitam. Matth. 19, Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. Cùm igitur, teſte Chriſto, via vitæ ſit arcta & non lata: & mandatum Dei ſit via vitæ: ergo arctum eſt mandatum Dei, & non latum. Quomodo igitur dicit Pſal. *Latum mandatum tuum nimis?* Reſpondeo quòd mandatum aliquod poteſt dici latũ comprehenſione vel executione. Similiter & arctũ comprehenſione vel executione. Caritatis autem mandatum eſt latum comprehenſione: quia omnia alia mandata comprehẽdit, quia in his duobus mãdatis tota lex pendet. Sed eſt arctum executione: quia ſcilicet arcta comprehendit: vtputa diligere inimicos, perſecutoribus benefacere. Immò generaliter quanto aliquod mandatum eſt magis latum comprehenſione, tanto eſt magis arctum executione. Et quamuis illa quæ mandat caritas, de ſe ſint arcta & difficilia: tamen quia amanti nihil eſt difficile, ipſa caritas diligenti ardua leuia facit & lata. Vnde hic ait Ambroſ. *Latum mandatum tuum nimis:* id eſt valdé. Legimus quòd arcta ſit via per quã ingrediantur qui vitam æternam adipiſcuntur. Rara enim virtus, difficilis paſſio eſt tolerãtibus: plures ſunt qui ſæculi huius ſpacioſa ſectantur. Quomodo ergo dicit Pſal. *Latum mandatum Dei?* Hic idẽ propheta alibi dicit, In tribulatione dilataſti mihi. Hæc latitudo præceptorum cœleſtiũ cor prophetæ dilatabat. O homo quàm latus es, ſi ad plenitudinem præceptorum cœleſtium ſinum tuæ mentis expandas: quàm latum mandatum eſt caritas. Diligite (inquit) inimicos veſtros. Omnes itaq; affectu caritatis incluſit, qui non excluſit inimicos. Vnde & Apoſtolus ait, Si fieri poteſt, pacem cum omnibus habentes. Non poteſt hoc Iudæis dici, vt cum omnibus hominibus pacem habeant. Illi vix ſuos diligunt. Chriſtiano etiam inimicos non licet non amare. Chriſtianum cum dico, perfectũ intelligo. In Chriſto enim plenitudo diuinitatis eſt: cuius nomen vſurpas, qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionémque cur refugis? Audi latum mandatum: Benedicite eos qui perſequũtur vos: & nolite maledicere. Iſte qui latum ſalutis dicit eſſe mandatum, probauit cum aliàs dicit, Illi detrahebant: ego autem orabam.

*Latum mandatũ Dei quo modo dicitur.*

*Caritas lata dicitur & arcta.*

*Matth. 7.*

*Pſal. 4.*

*Matth. 5.*

*Rom. 12.*

*Chriſtianus quis dicitur.*

*Rom. 12.*

*Pſal. 108.*

Quomodo dilexi legem tuã domine: tota die meditatio mea eſt. 2170

Mem

Hic incipit decimuſtertius octonarius: cui pro titulo præponitur ſiue præmittitur decimatertia litera alphabeti Hæbraici: ſcilicet mem. Quæ congruè huic octonario præmittitur. Nam interpretatur dupliciter: interpretatur ſcilicet viſcera. Quid autẽ per viſcera ſignificatur in ſcriptura, niſi charitas, quæ in viſceribus præcordiorũ habitat: iuxta modũ loquendi Apoſtoli, dicentis, Teſtis mihi eſt Deus, quomodo vos cupiã in viſceribus caritatis. Et Lucæ 1, Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriẽs ex alto. Vnde & Hier. ſub iſta litera, ignẽ caritatis de cœlo ſibi miſſum oſtendit: dicens, Ex alto ſuo miſit ignẽ in oſſibus meis. Quis autem ſit ignis iſte, niſi caritas & dilectio: de quo Chriſtus ait Lucæ 12, Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt ardeat? Rectè ergo iſta litera quæ ſignificat ignem caritatis, huic octonario præmittitur: quia in toto iſto octonario Pſal. igne caritatis accenſus, ardenter tendit in Deum. Vnde de virtute caritatis hic octo oſtendit: ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur. Oſtendit enim quòd caritas primò in Deum corde ſemper facit tendere: in principio: ſecundò quòd inimicos mẽte facit ſtringere: ibi, *Super inimicos:* tertiò quòd incarnatum verbum facit credere: ibi, *Super omnes:* quartò legem nouam in antiqua eſſe facit noſcere: ibi, *Super ſenes:* quintò quòd culpam omnem facit fugere: ibi, *Ab omni:* ſextò quòd Dei vota oſtẽdit facere: ibi, *A iudiciis:* ſeptimò quòd in dulcorem ardua facit vertere: ibi, *Quàm dulcia:* octauò quòd iniquitatem omnem odioſam habet facere: ibi, *A mãdatis.* Primò ergo oſtendit quòd caritas in Deum ſemper nos facit tendere. Cùm caritas ſit amor Dei, & amor ſemper tendat in amatum: conſequens eſt, quòd caritas mentem rurſum ad Deum eleuat. Et hoc notans Pſal. hic dicit, *Quomodo dilexi legem tuam,* &c. Nouit Pſal. primum legis eſſe mandatum, vt Deum toto corde & tota anima diligamus. Nos quoque quos erudire ſtudet, vult eſſe perfectos. *Quomodo dilexi legem tuam domine.* Per hoc enim Pſal. excluſum oſtendit timorem. Vnde hic ait Ambroſ. Qui diligit, ex voluntate facit quæ ſibi ſunt imperata: qui autem timet, ex neceſſitate. Itaque dominus operationes ſeruulorum ſuorum ſpontaneas probat potius, quàm coactas: ideo ex ſeruis liberos facit, vt magis voluntatum noſtrarum munera quã neceſſitatem obſequij proferamus. Nõ poteſt hoc dicere Marchionita, *Quomodo dilexi legem tuam:* qui legem non ſuſcipit. Non poteſt dicere Iudæus: qui legem ſpiritualem ignorat, & literam legis nudam, non ſenſum legis intellectúmque meditatur. Solus ergo hoc dicat Chriſtianus, qui multum iam legis cognitione profecerit. Qui non pœnam legis prouido corde formidet: ſed diuina myſteria impigro miretur affectu. Verè ergo diligit, qui ſine triſtitia, ſine timore: voluntario potius ſtudio quàm coacto ſeruat præcepta. Et aduerte quòd hic accipit legem Dei pro lege æterna: quæ eſt idem quod ipſe Deus. Et ſic dicere, *Quomodo dilexi legem tuam domine:* idẽ eſt, quòd Quomodo dilexi te domine. Quamuis enim modus diligendi Deum ſit ipſum diligere ſine modo, quia tantum debes quantum potes: tamen forma dilectionis Dei nobis ab ipſo traditur: cum

*Phil. 1.*

*Thren. 1.*

*Coacta ſeruitia Deus non acceptat, ſed libera.*

*Diligẽdus eſt Deus multipliciter.*



cum dicitur Deut. 6, Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Quod ad propoſitum exponens Bald. ait, Diligendus eſt Deus in beneficiis ſuis toto corde: in promiſſis, tota anima: in iudiciis ſuis, ex omnibus viribus: in præceptis ſuis, ex omni mente. Sunt autem beneficia Dei, alia conditionis, alia reparationis, alia quotidianæ conſolationis. Ecce quomodo magnificauit Deus facere nobiſcum. Multitudine beneficiorum nos obruit, & amorem molitur beneficiis extorquere. Pro his autem beneficiis tantis & tam magnis, toto corde diligendus eſt Deus. Et meritò dandum eſt ei, ſi quid ipſe poſtulare dignetur. Sed dignatur cum ad hominem dicit, Da mihi cor tuum. Ex corde vult amari, qui cor ſibi dari petit. Anima tota diligendus eſt Deus in promiſſis ſuis, qui magna nobis dedit, & maiora promittit. Promittit enim nobis à labore requiem, à timore ſecuritatem, à mœrore conſolationem, à morte reſurrectionem, & in reſurrectione plenum gaudium & indeficiens. Pro his meritò debet amari à nobis ſine modo amoris. Nam promiſſiones Dei omne deſiderium ſuperant. Cùm ergo in cæteris rebus impatientia ſoleat inculpari, in expectatione tantæ promiſſionis vehemens impatientia laudabilis eſt dilectionis. Cùm enim qui plus amat & plus deſiderat, illum dilationis præmia plus cruciant: hæc autem affectio ſignificatur nomine animæ: cum dicitur, Diliges ex tota anima tua. Nec immeritò: anima enim ſpiritus eſt, & ſpirituſancto afflata ſemper deſiderat & ſuſpirat, donec in illo reſpiret ad quem aſpirat. Ex omnibus viribus in ſuis iudiciis eſt diligendus Deus. Boni enim cùm à Deo flagellantur, in flagellis Deum amant, in flagellis Deum glorificant, in tribulationibus gaudentes, Dei flagella pro magnis acceptant beneficiis. De quibus dicitur, Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua, domine. Tota mente diligendus eſt in præceptis ſuis. Mens enim eſt quæ in homine principatur, ſummum & præcipuum locum tenens. Sed ſicut omnibus quæ ſub ea ſunt, ſe noſcit eſſe prælatam: ita meminiſſe ſe debet neceſſitate obediendi Deo fore aſtrictam. Obedientiam ſanè quam ab inferiori exigit, ſuo ſuperiori æquiſſimo iure impendit. Væ autem homini qui Deo non obedierit. Pœna enim inobedientiæ erit illi præualens ipſa mors. Mors autem ſicut terribilis eſt, ita & odibilis: per inobedientiam enim mors in hunc mundum intrauit. Cur ergo obedientia præceptorum non eſt diligenda, à qua vita noſtra procedit? Sic autem Pſal. ſe dilexiſſe teſtatur: dicens, *Quomodo dilexi legem tuam domine:* quomodo, id eſt, toto corde: tota anima, &c. Vnde ſequitur, *Tota die meditatio mea eſt.* Tota enim die in lege domini eſt meditandum: non perfunctoriè ipſam diſcurrere. Quod hic oſtendit Ambroſ. dicens, Si agrum emere velis, ſi mercari domum, prudentiores adhibes, & quid iuris ſit diligenter conſideras: & ne in aliquo fortè fallaris, ipſe tibi non credis. At nunc tuipſe emendus es tibi, ſit de tuo precio tractatus. Conſidera quid ſis, quod nomen habes, quid acquiras tibi: non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia, ſed Chriſtum Ieſum: cui nulla poſſunt precia, nulla ornamenta conferri. Adhibe ergo tibi conſiliarios, Moyſen, Eſaiam, Hieremiam, Petrum, Paulum, Ioannem: ipſum magnum conſiliarium Ieſum Dei filium. Cum iſtis tractandum, cum iſtis tota die conferendum eſt tibi, tota die meditandum: ſicut meditabatur Pſalmiſta. Et hæc erat illi ſola meditatio: non ſecularibus animus traducebatur illecebris, non pecuniaria coaceruandi patrimonij cupiditate flagrabat, non proferendi limitis, extendendi funiculi anxio curarum æſtu, ſtudio meditationis intentum reflectebat affectum. Quicquid poterat temporis dies habere, hoc totum ſola ſibi meditatio in lege domini vendicabat. Et ſi dicas, Quare Pſalmiſta dicit, *tota die,* cùm in principio Pſalmorum dicatur, *Beatus vir, & in lege eius meditabitur die ac nocte?* Ad hoc reſpondet ipſe Ambroſius dicens, Per diem hoc hic ſignificare videtur, quòd ei qui in lege meditatur domini, ſemper dies eſt, & lumen ſine defectu, quod nullæ tenebræ noctis interpellent. Alioquin in proceſſu negligentiorem operis ſeipſum declararet, qui diligentior in ipſius operis principio extiterat. In die ergo meditatur legis & euangelij ipſe dictator. Et fortaſſe illi qui nouum teſtimonium non recipiunt, in nocte legerunt: & ideo neſcierunt, neque intellexerunt. Vnde & ſaluator, ne nos etiam legeremus in tenebris admonet: dicens, Ambulandum in die, quia non offendit qui in die ambulat: qui autem ambulat in tenebris, ſcrupulum offenſionis incurrit.

*Prouer. 23.*

*Obedientiam debet ſuperiori qui eam ab inferiori exigit.*

*Pſal. 96.*

*Meditãdum eſt continuè nobis.*

*Pſal. 1.*

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia inæternum mihi eſt. 2171

Hic ponit ſecundum: quod eſt inimicorum dilectio, quam facit caritas, quæ omnes aſtringit generaliter. Iſte verſus duplicem habet ſenſum. Primus eſt, vt propheta mandato Dei edoctus & prudens effectus, amorem ſuum etiam ad inimicos protelauerit. Hæc enim dictio *ſuper,* quandoque ſignificat inclinationem animi ad rem ſupra quam eſt. Sicut dicitur Pſalmo 40, Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Quandoque verò ſignificat aſcenſum & exceſſum rei ſupra quam eſt: ſicut Pſalmo 53, Super inimicos meos deſpexit oculus meus. Quantum ergo ad primum intellectum, *Super inimicos,* &c. id eſt, mandato tuo ſic me feciſti prudentem: quòd ſuper inimicos meos animus meus inclinatur ad ipſos diligendos. Præuidebat enim Pſalmiſta mandatum Chriſti præcipientis Matth. 5, Diligite inimicos veſtros, &c. Sed tunc dices, Pſalmiſta qui erat in tanto ſtatu perfectionis, quos inimicos habebat, qui cum omnibus pacificus erat? Statim reſpondetur, quòd aliud eſt inimicos habere, & aliud inimicum alterius eſſe. Chriſtus nullius erat inimicus: quàm plures tamen inimicos habebat. Iſte ergo inimicos ſuos dicit, non dicit ſe alterius inimicum. Inimicos autem ſuos dicit inimicos Chriſti, cuius membrum ipſe erat. Vnde hic ait Ambroſ. Sed quos inimicos habebat propheta, qui aut ſui populi viros legitima debet caritate complecti, aut alienigenas euangelica prædicatione inuitare ad Dei gratiam? ferè naturæ ſuæ conformem diligunt: quomodo dilectionem conformis ſui propheta reſpuerat? Eſſe ergo iuſtam cauſam aliquam oportet, qua hi quos ſignificat, iure videantur inimici. Et quæ ſit poſſumus

*Inimici Dei ſunt noſtri inimici.*



inueſti-

*Pſal. 138.* inueſtigare, ſi meminerimus quod alibi Pſal. dixit, Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam: iuſto odio oderam illos. Iſtos ergo euangelica auctoritate ſuos dicit inimicos qui inimici ſunt Dei. Nam ſi is qui non reliquerit parentes propter nomen Dei, non eſt Deo dignus: quanto magis qui diligit Dei inimicos, Deo acceptus eſſe non poterit? Secundus ſenſus poteſt eſſe: vt ſcilicet ſuper inimicos ſuos mandato factus fuerit prudens: id eſt melius & prudentius mādatum Dei intellexerit & legem, quàm fecerint inimici eius. Et tūc inimicos dicit Iudæos, qui mandata legis intelligebant carnaliter, temporaliter præmium expectantes in illis. Pſal. autem prudentius Dei mandata intellexit, vt in ipſis præmium expectaret æternum, quod inæternum ſibi proficiet. Et hoc eſt quod ait, *Quia inæternum mihi eſt*. Et ad iſtum intellectum exponit Auguſt. hunc locum: dicens, Iudæi quidem zelum habent Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere: iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Iſte verò qui ſuper inimicos *Phil. 3.* ſuos ſapit in mandato Dei, inueniri vult cum Apoſtolo, non habens iuſtitiam ſuam quæ ex lege eſt: ſed iuſtitiam per fidem Chriſti, quæ ex Deo eſt. Iudæi quippe huius inimici in omni Dei mandato temporalia præmia quæſierunt. Et ideo in illis non fuerunt inæternum, ſicut huic: quia erit præmium cuſtodiendi mandati huius: ſcilicet legis ſpiritualiter intellectæ ipſe mandator, & præmium delectionis ipſe dilectus: quando erit Deus omnia in omnibus. Quid eſt ergo *ſuper inimicos*, &c. niſi Prudentius & melius intellexi mandatum tuum quo præcipis te diligi ac proximum, quàm fecerit inimicus meus: ſcilicet Iudæus, qui Chriſto & eius euangelio inimicatur.

2172 Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

Hic oſtendit tertium: ſcilicet quòd charitas incarnatum verbum facit credere. Quis enim hominum talia charitatis ſigna potuiſſet oſtendere, vt Chriſtus oſtendit? Quis tanta in pueritia cognoſcere, vt ipſe cognouit, qui puer inter doctores ſedebat, audiens illos & interrogans? D Vnde & Pſal. hoc præuidens, ait, *Super omnes docentes me intellexi*, &c. Iſte verſus dupliciter exponitur: ſcilicet vt ſint verba capitis Chriſti: & etiam vt ſint verba Pſalmiſtæ vel membrorum corporis: ſcilicet eccleſiæ. Primò in perſona capitis Chriſti intelligitur, vt ipſe Chriſtus vel propheta in perſona Chriſti dicat, *Super omnes docentes*, &c. id eſt ſuper omnes homines qui me vel corpus meum (quod eſt eccleſia) docere putabāt, intellexi: id eſt clariorem omnium habui ſcientiam. Et iſtum intellectum hic habet Auguſt. dicens, Quis eſt iſte qui ſuper omnes ſe docentes intellexit? Quis eſt (inquam) qui ſuper omnes prophetas, qui non ſolum loquendo eos qui ſecum vixerunt, verumetiam ſcribendo, poſteros E tam excellenti auctoritate docuerunt, audet ſe extollendo præponere? *3. Reg. 3.* Salomoni quippe tanta donata eſt ſapientia, vt etiam omnibus qui fuerunt ante illum videatur eſſe prælatus. *Chriſtus ſuper omnes docentes ſe intellexit, & quomodo.* Sed non eſt credendum de ipſo hoc dictum fuiſſe, maximè quia dici nō poteſt ex perſona Salomonis, quod hic dicitur, *Ab omni via mala prohibui pedes meos*. Porro, ſi quod eſt acceptabilius, Chriſtum pronuncians iſte A propheta, nunc à capite, quod eſt ipſe ſaluator: nūc ab eius corpore, quod eſt eccleſia: verba prophetica dirigens, & tanquam vnum loquentem faciens propter magnum illud ſacramentum; vbi dictum eſt, Erunt duo in carne vna. *1. Cor. 6.* Agnoſco planè eum, qui ſuper omnes docentes ſe intellexit: quando cū eſſet duodecim annorum remanſit puer Ieſus in *Lucæ 2.* Hieruſalem: & quærentibus ſuis poſt triduum inuentus eſt in templo ſedens inter doctores, audiens illos & interrogans: vbi ſtupebant omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Nec immeritò: qui per iſtam prophetiam tanto antè dixerat, *Super omnes docentes me intellexi*. Omnes homi- B nes vult intelligi, non Deum patrem, de quo dicit ipſe filius, Sicut docuit me pater, hæc loquor. *Ioan. 8.* Quod difficillimè ex perſona verbi intelligitur: niſi quis capere valeat idem eſſe filio à patre doctum eſſe quod eſt à patre genitum eſſe. Cui nō eſt aliud eſſe, aliud doctum eſſe: profectò à quo eſt illi eſſe, ab eo eſt illi doctum eſſe. Ex perſona verò hominis *Phil. 2.* vbi formam ſerui accepit, facilius intelligitur à patre didiciſſe quæ dixit. In qua forma conſtitutum maximè puerum potuerunt homines maioris ætatis docendum putare. Sed ille quem pater docuit, ſuper omnes intellexit. Sequitur, *Quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*. Vbi ſequitur Auguſt. Ideo Chriſtus ſuper omnes ſe docentes intellexit, quia teſti- C monia Dei meditabatur. Quæ melius quàm illa de *Ioan. 5.* ſe ipſo nouerat qui dicebat, Vos miſiſtis Ioannem, & teſtimonia perhibuit veritati? Ego autem nō ab homine teſtimonium accipio, quia habeo teſtimonium maius Ioanne. Secundò iſte verſus intelligitur de corpore Chriſti: vt ſit ſenſus, quòd fidelis Chriſtianus ſuper omnes ſe docentes intelligit: id eſt ſupra Scribas & Phariſæos, (qui aliorum doctores dicebantur) melius legem intelligit: quia illi literam accipiunt, iſte literam ſpiritualiter intelligit. Vnde hic docentes appellat Scribas & Phariſæos, & generaliter omnes qui quod non intelligunt, alios arbitrantur docere. Et ſic hunc locum exponit Ambroſ. dicens, *Super omnes docentes*, &c. Doctrinam profitentur Scribæ Iudæorum, quia ipſi legem & prophetas priùs habuerunt: ſed illi profitentur docere, ſed non docent. Ei autem populo qui ex gentibus credidit, competit dicere, *ſuper omnes docentes me intellexi*: ſcilicet quod illi non intellexerunt. Intellexi à Chriſto, quod illi non *Matth. 16.* intellexerunt in lege. Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Matth. 5.* Intellexi, Diligite inimicos veſtros, &c.

Super ſenes intellexi, quia mandata tua exquiſiui. 1273

Hic oſtendit quartum: ſcilicet quòd caritas facit cognoſcere legem nouam in antiqua figurari. Caritas enim obſeruationem mandatorum inducit: Chriſto dicente Ioan. 14, Si quis diligit me, ſermonē meum ſeruabit. Obſeruatio autē mandatorū tribuit intellectū: ſcilicet quomodo lex noua in E veteri tāquam figura continetur in figura. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Super ſenes intellexi*, &c. Hic verſus duobus modis exponitur: vt primus modus ſit ſenſus prædictus. vbi ſenes accipit legem antiquā: quam ſcilicet ſenes & antiqui patres habuerunt. Et ſic *ſuper ſenes intellexi*; ſcilicet ſuper antiquam legem cognoui fundari mādata tua (ſcilicet legis nouæ) quæ exquiſiui. Vel aliter: vbi ſciendū quòd hic non accipitur ſenectus ætate, ſed magis fatuitate &



& intellectus debilitate. Et ſic per ſenes intellige populum Iudæorum. de quibus in perſona gentilium conuerſorum, qui vt iuuenes pòſt legem receperunt, loquitur Pſal. dicens, *Super ſenes intellexi*, quia gentes conuerſæ melius legem intelligunt quàm antiquus populus Iudæorum. Et iſtum in- *Senes dicuntur peccatores.* tellectum oſtendit Ambroſ. hic dicens, Mihi non videtur ſeipſum propheta laudare, & ſe ſenioribus præferre, cùm nouerit ſcriptum, Non te prætereat *Eccle. 8.* narratio ſeniorum: & ipſi enim didicerunt à patribus. Nam & alibi ait ſapiens, Vbi ſunt ſenes, non *Eccl. 32.* multum loquaris. Sed nouit quibus ſe præferat ſenioribus: ſcilicet inueteratis in peccato & veterano impietatis atque ſenio perfidiæ delirantibus. *Mat. 14.* Iſti ſunt ſeniores plebis (vt dictum eſt) qui dominū Ieſum Pilato præſidi tradiderunt. Conuenerunt B enim ſacerdotes & ſeniores & ſcribæ aduerſus Ieſum. Ergo ſenili derogauit ætati: ſed voce populi minoris indocilem Dei vetuſtum illum populum Iudæorum prophetauit. Qui quod in iuuentute ſua non acquiſiuit, in ſenectute inuenire non potuit. Namque à principio frequentibus dominum exaſperauit offenſis. Cuius igitur gratiam cùm eſſet iuuenis non potuerat emereri, huius aduentum ſenex non meruit noſcere: quia Dei mandata non exquiſiuit in iuuentute: intellectus enim maturitate, non vitæ longæuitate profertur. Exquiramus ergo & nos mandata Dei, vt ſuper ſenes intelligamus. Fugiamus viā lubricam peccatorum, vt poſſimus pręcepta cœleſtia cuſtodire. Super ſeniorem Eſau intellexit Iacob iunior frater. Quia cū ſenior C Eſau ſibi benedictionis priuilegium prærogatiua ætatis expoſcit, reliquit epulas mitiores dum quærit agreſtes. Profectò illo in venationem directo, iunior frater veſtimenta eius accepit, & mihi tradidit populo nationum: materno vſus conſilio. Illam igitur ſapientiæ ſtolam quam antè habuerat populus Iudæorum, induit me Rebecca. Stola eius bona, lex & prophetæ. Hac ſtola ille populus antiquior eſt nudatus, & nos induti ſumus. Induit nos mater illa Hieruſalem quæ in cœlo eſt. Accedamus ergo ad patrem: offeramus illi epulas mitiores patientiæ cibos, miſericordiæ lenitatem, ſuauitatem intellectus. Accipio benedictionem: præripio fratris ſenioris gratiam ſpiritualem. Vel aliter: vt iſte verſus competat capiti: ſcilicet Chriſto, ſicut præ- D cedens, vt dictum fuit. Et tunc eſt repetitio eiuſdē ſententiæ cum verſiculo præcedente. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Super ſenes intellexi*, &c. Illi qui antè dicti ſunt docētes, non abſur- *Lucæ 2.* dè intelligūtur etiam ipſi eſſe ſeniores. Quod ideo mihi eodem modo repetitum videtur, vt nobis hęc legentibus, illa ætas eius quem nobis innotuit ex euangelio, qua ætate puerili inter ætate maiores: hoc eſt iunior inter ſeniores ſedebat, & ſuper omnes docentes ſe intelligebat. Solent enim iunior & ſenior ad ſe inuicem dici: minor & maior: & ſi neuter eorum ſenili appropinquauit ætati: quanquam & ſi expreſſum nomen ſeniorum in euangelio velimus inquirere, ſupra quos intellexit, inuenimus *Matth. 15.* quando ei dixerunt Scribæ & Phariſæi, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? E Non enim lauant manus cùm panem manducant. Et ecce obiecta eſt ei tranſgreſſio traditionis ſeniorum. Sed qui ſupra ſenes intellexit, quid eis reſponderit audiamus: Quare & vos tranſgredimini mādatum Dei propter traditionem veſtram? Et paulò *Matth. 15.* pòſt, Non quod intrat in os coinquinat hominem: A ſed quod procedit ex corde, hoc coinquinat hominem. Hoc ſeniores illi non intelligebant, qui de lauandis manibus ſua velut magna mandata tradiderant. Audito ergo tali magiſtro, capite noſtro, poteſt vnuſquiſque noſtrum dicere, *Super ſenes intellexi, quia mandata tua exquiſiui*: ſcilicet non hominum.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua. 2174

Hic ponit quintum: ſcilicet quòd caritas ocij culpam facit fugere. Cùm enim contraria ſimul in eodem eſſe non poſſint, vnum aliud expellit. Et B ideo quia caritas culpæ opponitur, ipſa culpam fugat & docet fugere: propter quod Pſal. inflammatus ait, *Ab omni via mala prohibui pedes*, &c. *Prona eſt natura ad malum.* Intantū enim per peccatū natura noſtra corrupta fuit, quòd ad malū pronior eſt, quàm ad bonū. Vnde & cuncta cogitatio hominis ad malum prona eſt omni *Gen. 8.* tempore. Niſi ergo hæc pronitas prohibeatur, niſi refrænetur, ſemper tendit ad lapſum. Et hoc notans Pſal. dicit, *Ab omni via mala prohibui pedes meos*. Prohibere enim aliquid eſt ipſum ab eo quod intendit abducere vel retinere: vtputa, prohibetur quis à cupiditate ad quam inclinatur per frænum liberalitatis, à voluptate quam affectat per fręnum caſtitatis: & ſic de aliis. Ex quo ſequitur, quòd iſta *Chriſtus non prohibuit pedes ſuos à malo.* verba Chriſto capiti conuenire non poſſunt: quia C pedes ſuæ mentis nunquam inclinati fuerunt ad malum. Et ideo illos non prohibuit. Et hoc hic notans Auguſt. ait, *Ab omni via mala*, &c. Hoc non capiti videtur conuenire: ſed corpori. Neque enim caput noſtrum ipſe ſaluator corporis in aliquam malignam viam carnali cupiditate ferebatur: vt ei neceſſe eſſet pedes ſuos inde prohibere, quaſi illuc euntes motibus ſuis: quod nos facimus quando ea quæ ille non habuit, ne vias malignas teneāt, *Eccleſ. 18.* deſideria noſtra praua cohibemus. Sic enim verba Dei poſſumus cuſtodire, ſi poſt malas concupiſcē- *Galat. 5.* tias non eamus, vt ad mala concupita perueniant: ſed eas potius aduerſus carnem ſpiritu concupiſcente frænemus: ne nos raptos atque ſubuerſos, per malignas vias pertrahant. Et hoc eſt quod di- D citur Pſal. 33, Prohibe linguam tuam à malo: quia niſi prohibeatur, faciliter labitur. Sic ergo iſtis verbis Pſal. nos hortatur deſideria mala reprimere, ne *Dubium omne eſt malignum.* nos ducant ad peccatum. Vnde hic ait Ambroſ. Itaque cùm fragilitas humana pronis affectibus feratur ad vicia, docet quemadmodum viæ iſtius lubricum viantem implicare non poſſit: ſapientia dicente, Prohibe pedem tuum à ſemitis eius: *Prouer. 1.* hoc eſt, ab iſtius ſæculi vanitate: quia ſæculum in maligno poſitum eſt. Quicquid enim dubium eſt, quicquid ancipitis effectus, malignum eſt: quicquid admiſcetur malicię, quicquid veritati contrariatur. Prohibe ergo ab iſtius mundi lubrico pedem animi tui & mentis inceſſum. Prohibe, in- *Pedes duplices.* quam: reſiſte cupiditatibus: obſiſte motibus qui E videntur irruere ſicut beſtiæ atque iumenta, vt teneros fructus & noua virgulta depaſcant. *Prohibui* (inquit) *pedes meos*: non vtique pedes corporis prohibuit, qui mentis ſuæ plerumque obſequuntur arbitrio. Nec enim prohibendi ſunt cū perducunt ad Dei tēplum, viduæ opē ferre feſtināt. Alius igitur eſt pes, qui iure prohibetur. Quis ille ſit, propheta nos docet: dicens, Non mihi veniat pes *Pſal. 35.*

 ſuper-

ſuperbię. Eſt etiam pes iniquitatis qui citò labitur, ſtare non poteſt: ſicut perfidorum eſt, de quibus ſcriptum eſt, Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Prohibe ergo pedes tuos ne cadas. Sunt enim nō ſolùm criminum, ſed etiam infirmitatis pedes. Et videndum ne cadas, qui videris tibi forſitan bene ſtare. Sed tibi dicit Paulus, Et tu qui ſtas, videas ne cadas. Eruet dominus pedes tuos ab omni lapſu, ſi cognouerit quòd tu prohibeas pedes tuos à lapſu. Ideo hoc meruit propheta, vt Deus pedes eius ab omni lapſu erueret: quoniam pedes ſuos ipſe prohibebat, ne præcipiti aut incauto peccatorum laberentur veſtigio. Vnde & potuit verba cuſtodire diuina, quæ cuſtodire non poterit qui nō poterit prius ſtare. Prohibitos pedes ſuos à via mala bene dixit, qui Chriſtum nouit eſſe viam, & imitatur. Hoc Salomon dicere nō poterat, qui fecerat contrarium. Vnde dicit, Non prohibui cor meum quin frueretur omni voluptate ſua, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram.

*1. Cor. 10.* — *Eccl. 2.*

## 2175 A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.

*Nota differētiam inter legem antiquā & legem nouam.* — *Matth. 5.*

Hic oſtendit ſextum: ſcilicet quòd caritas Dei vota oſtendit facere. Vbi notandum quòd lex euāgelica in multis diſtat ab antiqua. Primò quia illa timoris, iſta amoris. Illa temporalia promittebat: iſta ęterna promittit. Illa per angelos fuit ipſi Moyſi data: iſta per ipſum verbum Dei incarnatum immediatè prædicata: quando ſcilicet aperiens os ſuū docebat eos. De iſta ergo lege caritatis dicit Pſal. Chriſto, præuidens futura, *Tu legem poſuiſti.* Quaſi dicat, Tu legem nouam, non per angelos, non per prophetas nobis dediſti: ſed tu perſonaliter legem poſuiſti mihi. Quæ quidem lex quia eſt amoris, ideo cauet ne offendatur lator legis. Et ideo per hanc legem impoſitam mihi, non declinaui à iudiciis tuis: id eſt à mandatis tuis: quæ iudicia dicuntur, quia iudicat quid faciendum & quid vitādum. Vel aliter. Iudicia enim Dei vocantur ſuæ diſpoſitiones, quibus mundum regit, quibus in præſenti vita vnum proſperis attollit, alterum deprimit aduerſis: vnum iuſtificat, alium obſtinatum condemnat: & ſimilia. Ille autem ab iſtis iudiciis declinat, qui ipſa non approbat iuſta: ille verò declinat, qui in ipſo eſſe credit iniuſta: vt ille qui ſe dicit iniuſtè à Deo flagellari, paupertate premi. Et generaliter omnis percuſſus vel in aduerſis murmurans, quia omnis talis Deum dicit iniuſtū, & Deum accuſat. vt dicit Gregor. Eſt ergo ſenſus Pſalmiſtæ, Quia tu legem poſuiſti mihi: ſcilicet humilitatis, dicēs, Diſcite à me, quia mitis ſum, &c. ideo iudicia tua non reprobaui; ſed flagellatus dixi, Cognoui domine quia æquitas iudicia tua: in veritate, &c. Vel aliter: vt iſte verſus ſit quaſi replicatio præcedentis ſub aliis verbis: vt idem ſit dicere, Ab omni via mala prohibui pedes meos, &c. & quod hic dicitur, *A iudiciis tuis non declinaui.* Quia qui à iudiciis Dei non declinat, ab omni via mala pedes ſuos prohibet. Vnde hic ait Auguſt. Quid enim eſt aliud, *A iudiciis tuis non declinaui*: niſi quod alio loco dicit, à iudiciis tuis timui: perſeueranter eis credidi? Et ſtatim ſubdit cauſam: dicens, *Quia tu legem poſuiſti mihi.* Quaſi dicat, ſecundum Auguſt. Tu interior intimis meis: tu intus in corde legem poſuiſti mihi ſpiritu tuo tanquam digito tuo: vt eam non tanquam ſeruus ſine amore metuerem: ſed caſto timore diligerem, & dilectione caſta timerem. Sic cauſa quare non declinauit à iudiciis domini fuit, quia legem in corde ſuo dedit Chriſtus. Vnde hic ait Ambroſ. Meritò ergo dicit, *A iudiciis tuis non declinaui*, qui dici poteſt, *Tu legem poſuiſti mihi.* Non per Moyſen, nō per Ioſue, non per Prophetas: ſed tu ipſe per te Ieſu legem poſuiſti mihi: hoc eſt euangelium. Ideo non declinaui à via, quia te aſpexi, & cognoui itinera tua, & te ſum ſecutus, & cognoſco viam tuam. Sic ergo hoc ſolum poteſt dicere, *A iudiciis tuis non declinaui*, qui itinera ſequitur Chriſti. Non poteſt hoc dicere ſuperbus, qui viam humilitatis Chriſti non imitatur. non auarus, qui viam Chriſti paupertatis abhorret. non guloſus, qui viam abſtinentię Chriſti non amat, &c.

*Iudicia Dei declinare, quid eſt.* — *Gregor. 32. moral. cap. 6.* — *Matth. 11.* — *Chriſtus per ſeipſum legē dedit.*

## Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: ſuper mel ori meo. 2176

*Amor omnia dulcia & leuia facit.* — *Gregor. 9. moral. ca. 32.*

Hic oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd caritas ardua facit leuia & dulcia. Amanti enim omnia grauia leuia videntur: & dulcia eſſe quæ ſunt amara. Vnde Gregor. dicit, Cùm menti noſtræ amor Dei immittitur, omne pondus præſentis vitæ leuigatur. Et ideo amanti dulcia ſunt eloquia Dei: quamuis in ſeipſis aſpera ſint & grauia. Nónne graue eſt illud eloquium Chriſti, Diligite inimicos veſtros? &c. Nónne graue eſt audire, Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nónne graue eſt illud Chriſti eloquiū, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Tamen amanti omnia iſta ſuauia ſunt atque dulcia: quia amor difficultatem neſcit. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Quàm dulcia faucibus meis*, &c. *ori*, ſcilicet cordis, nō carnis. Vnde hic ait Auguſt. *Quàm dulcia*, &c. quaſi dicat, Legem tu poſuiſti mihi, vt te caſto timore diligerē. Et ideo dulcia ſunt faucibus meis eloquia tua. Hæc eſt illa amoris ſuauitas, quam dominus dat, vt terra noſtra daret fructum ſuum, vt bonum verè bene: id eſt non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritualis delectatione faciamus. Eſt autem ſimilis aperta ſapientiæ doctrina fauo, ſiue melli, quæ de altioribus ſacramentis, tanquam de cellulis cereis ore differentis velut mandentis exprimitur: verum ori cordis, non carnis eſt dulcis. Vel aliter: Dulcia dicuntur eloquia Dei, quia dulces fructus nobis proferunt, & ſpiritualia bona miniſtrant. Vnde hic Ambroſius ait, *Quàm dulcia*, &c. Et bene dulcia ſunt eloquia Dei, quibus prædicatur remiſſio peccatorum, vitæ perennitas, reſurrectio etiam defunctorum: quæ perpetuæ mortis & acerbæ tēperant amaritudinem. Per hæc cepimus mortem non timere, qui cepimus dicere, Vbi eſt mors victoria tua? Et bene faucibus dulcia, eo quòd intimis viſceribus diffuſa ſit gratia ſpiritualis. Et ideo, quia dulcia verba tua nobis eſſe cœperunt, ad eccleſiam dicis, Fauum diſtillant labia tua ſponſa. Fauus mellis ſermones boni. Et verè fauus bonus, quem manducat eccleſia, multorum prophetarum velut apum ſpirituali vbertate congeſta mella redolente. Myſticus enim ſermo cœleſtium ſcripturarum ſicut panis eſt: qui confirmat cor hominis, velut fortior cibus verbi. Suaſorius autem ethicus ſermo dulcis & mollior: eo quòd ethica prædicatione mentis interna mulcētur. Amara namque pœnitentia peccatorum, corda miti ſermone dulceſcunt. Stillant mel labia prędicantis, quādo colliſa duris caſibus vel ruinis lapſæ animæ membra refouentur. Os iuſti diſtillat ſapiētiam, de ore iuſti ſuauitatis & miſericordię mella procedūt. In ore iuſti nullus dolus, nulla fallacia, nulla amaritudo peccati. Audit eccleſia verba iuſti: audit plebs Dei pręcepta ſapiētis: delectatur eloquij ſuauitate moralis: diſputatione iocūditatis mulcetur. Et aduerte quòd non dicit, Quàm dulcia ſicut mel: ſed *ſuper mel*: quia dulcedo eloquiorum Dei, excedit dulcedinem mellis. Vnde hic Amb. dicit, Super mel dicit, quia mel apum ad horā delectat, ſed citò ſapor eius euaneſcit, & plerumque viſcera vitioſa læduntur: verborum autem moralium etſi pungūt mella, nō lædunt. Cognoſce tamen cui illa creduntur. Scriptum eſt enim, In aurem inſipientis nihil dicas, nequādo derideat prudentes ſermones tuos. Euomet enim & reiiciet ſermones tuos ſtultus, qui eorum nō poteſt ſuauitatem ſentire. Et nota quòd cōgruè cibo corporali mellis, ſpiritualem ſcripturæ cibum Pſal. comparat, dicens, *Quàm dulcia faucibus meis* &c. Quod ſuper iſto verſiculo deducit Hugo de ſancto Victore, dicens, Cibus corporis in ſe tria habet: ſcilicet ſaporem, nutrimentū, & maſſam. ſapor delectat, nutrimentum ſuſtētat, maſſa onerat. Gula percipit ſaporem, ſtomachus nutrimentū, & maſſam: alterū ad nutritionē, vt id ad corpus traiiciat: alterum ad grauamen, vt illud eiiciat. Sapor quodammodo ſpiritualis eſt: & ideo ſolummodo delectat, non grauat. Inde eſt quòd fames in faucibus nunquam ſatiari poteſt, quia ibi nec appetitus maſſam habet, nec delectatio finem. Noli ergo cum manducas, fauces interrogare ſi ſatis eſt: quia ſi iudicium illarum ſequeris, priuſquam eas delectatione repleas, ſtomachum tuū onere ſuffocabis. Ventrem potius de menſura edendi conſule: poſtquam illum dolere incipias, fauces ab auiditate compeſce. Hoc tamen de cibo corporali dictum intellige. Nā de refectione ſpiritualis cibi, fauces priuſquam venter ſunt conſulendæ. Fauces dico ſpirituales, & ventrem ſpiritualem. Fauces ſpirituales dicuntur palatum cordis. Sapor verbi Dei eſt guſtus internæ dulcedinis. Anima autem ipſa eſt ſubſtātia ſpiritualis. Nutrimentum verbi Dei eſt exercitium veritatis: maſſa verò pondus laboris. Quia ergo ſapor ille internę dulcedinis ſine faſtidio ſumitur, fauces cordis delectationem percipiunt, ſed ſatiari non poſſunt. Quia ergo exercitium virtutis quo anima paſcitur, non ſumitur ſine pondere laboris quo caro grauatur: quaſi quidam ſenſualitatis noſtræ ſtomachus dū cibum boni operis exercendo percipit, nę virtutem qua reficitur vltra modum appetat, labor quo premitur caſtigat. Ait ergo, *Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo*: nō ſtomacho. Et attende quàm rectè ſacra ſcriptura vel Dei verbum cibo corporali comparatur, cum dicitur, *Quā dulcia* &c. Nam eloquia Dei verè ſunt noſter cibus ſpiritualis & potus: vt deducit Greg. dicēs, Stulti populi Iudæorum meſſis fuerat ſeges ſacri eloquij, Quędam nāque grana ſpicarum ſunt verba prophetarū quæ Iudæus habuit, ſed non comedit: quia Iudaicus populus legem quidem verbotenus tenuit, ſed per faſtidium ab eius intellectu ieiunauit. Huius verò ſtulti populi meſſem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligēdo edit, ad quę plebs Iudaica ſine intellectu laborauit. Hos famelicos fidei dominus prędidit cū dixit, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniā ipſi ſaturabuntur. Huius etiam ſtulti populi diuitias ſitientes bibunt, quia fluentis ſacri eloquij quæ Iudaicus populus in ſuperbiæ oſtētatione poſſedit, conuerſæ gentilium mentes irrigantur. Vnde eis per prophetā dicitur, Omnes ſitiētes venite ad aquas: & qui non habetis argentū, properate. Quia enim argenti vocabulo eloquia diuina ſignificātur, Pſalmiſta teſtatur qui ait, Eloquia domini eloquia caſta, argētum igne examinatū. Qui ergo argentū nō habent, ad aquas vocantur: quia nimirū gentilitas, quæ ſcripturæ ſacræ præcepta non receperat, ſacri eloquij inundatione ſatiatur, quā tanto nunc auidius potat, quanto hanc diutius ſicca ſitiebat. Eadem ergo diuina eloquia & meſſis & diuitiæ vocātur: Meſſis, quia ieiunā mentē reficiūt: diuitię, quia magna nos morum maturitate componūt. Eadem etiam comedi dicuntur & bibi, quia nimirū dum quædam in eis obſcura ſunt, quæ nō niſi interpretata intelligimus, hæc quaſi vel mandendo glutimus: dum quædam verò ad intelligendū facilia ita ſumimus vt inuenimus, ea quaſi nō māſa bibimus, quia non infracta ſorbemus.

*Scriptura fauo mellis comparatur.* — *1. Cor. 15.* — *Can. 4.* — *Moralis ſciētia mel dicitur.* — *Prou. 23.* — *Cibus corporalis tria habet.* — *Cibus ſpiritualis ſcripturæ.* — *Scriptura ſacra cibus eſt & potus.* — *Greg. 6. mor. cap. 2.* — *Matth. 5.* — *Eſa. 55.*



## A mādatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis. 2177

Hîc oſtendit octauū: ſcilicet quòd charitas omnem iniquitatem nobis facit odioſam. Cum enim charitas ſit ipſa dilectio qua nos diligimus Deum: & qui diligit Deum, à Deo diligitur: conſequēs eſt quòd ipſa charitas omnem iniquitatem nobis facit odioſam: quia nullus iniquitatem diligens diligitur à Deo, ſed oditur. Pſalm. 5, Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Et hoc notans Pſal. dicit, *A mandatis tuis intellexi* &c. Vbi aduerte, q̀ eſt quoddam intelligere merè ſpeculatiuum, quod opus nō includit: & iſtud intelligere, peccatum inducit. Iacob. 4, Scienti bonum facere, & non faciēti, peccatum eſt illi. Aliud eſt intelligere practicum, quod opus includit: & iſtud meritum habet. Pſal. 40, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Et iſtud intelligere practicū mandatorum Dei omnē iniquitatē excludit. Et de iſto intelligere practico nunc dicit Pſal. *A mandatis tuis* &c. Vnde hic Amb. ait, Huic verſiculo concordat quod alibi dicitur, Concupiſcens ſapientiam ſerua mēdata. Sed nemo poteſt ſeruare niſi qui intelligit. Denique quotidie redduntur omnia verba legis à quibuſdam ſenioribus Iudæorum, & nemo eorum poteſt cuſtodire. Neque enim arborem dixerim cuſtodire fœcunditatem naturæ, quæ luxuriat in foliis, & euaneſcit in fructu. Neque terram illā dixerim cuſtodire fructus ſuos, quæ ſilicem inuiſam paſcit, quæ agricolis edere frumēta non ſolet. Nec paſtor cuſtodire videtur pecus, qui legere pabula pro futuro non nouerit, lupos cauere, canibus vallare ouilia ſua; neſciat potum cum opus ſit miniſtrare. Nam producere tantummodo ſine vlla cura mutum pecus, tantundem eſt quantum ſcripturas legere populum Iudæorum, vbi ſunt ſpiritualis pabuli ſacramenta, vbi litera occidit, vbi intelligibiles incurrāt lupi, vbi ſit requies refectionis, vbi reſurrectionis ſpes. Qui ſunt canes, qui pro gregis poſſūnt latrare cuſtodia: populus & ipſū gregē magis mutus ignorat. Itaque ſi dicat, Seruo mādata. Reſpondetur ei, Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum: ſi videbas furem &c. Non eſt hoc cuſtodire mandata, ſed præuaricari,

*Intelligere duplex: practicū, & ſpeculatiuum.* — *Cuſtodia mādatorū qualis eſſe debet.* — *Prædicator ſit cere debet quod dicit.* — *Pſal. 49.*



ſtatu

ſtatutis facere cõtraria;nõ eſt intelligere, ſed ignorare. Quomodo poſſunt eſſe verba Dei dulcia in faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ? Quomodo mel & lac ſub lingua tua, cum dolum lingua tua concipiat:vt aliud pectore concipias,& aliud forenſi ſermone prætẽdas,vt decipias incautum? Cum tibi Petrus Apoſtolus dicat vt deponas omnem malitiam, & fucum ſimulationis abiicias, dicens,Sicut modò geniti infantes,rationabiles ſine dolo, lac concupiſcite. Oſtendens nobis quid ſit lac & mel habere ſub lingua: vt non maledicere maledicentibus, ſed benedictionem referre nouerimus. Neſciamus odiſſe niſi viam iniquitatis, vt facere quod execramur reluctanti caueamus affectu.Eſt ergo in nobis vt aliquid bene oderimus,& bene aliquid diligamus. Sicut enim bene amare poſſumus ſeruos Dei, & bene diligere poſſumus inimicos noſtros ſecũdum verbum domini:ita bene odiſſe poſſumus inimicos Dei, odiſſe iniquitatem,odiſſe perfidiam, odiſſe mũdi iſtius vanitates. Odio igitur debent eſſe quæ ſæculi ſunt,ne ſecuris affectibus nos voluptatis capiat illecebra. Facilè capit oculos petulantis forma meretricis, niſi eos premant odia iuſta, & impuritatem indignatus auertat affectus. Inflat plerumque homines nobilitatis iactantia & rerum affluentia ſecularium, niſi pudeat in te aliena magis quàm propria laudari. Chriſtus cum diues eſſet pauper factus eſt: in paupere non in diuite te redemit &c. Vel aliter: vbi notandum, quòd non ait Mandata tua intellexi: ſed *A mandatis tuis intellexi*: oſtendere volens quòd mandatorum Dei obſeruatio, via eſt ad ſapientiam. Et ſic iſtum paſſum exponit Auguſtinus dicens, *A mandatis tuis intellexi* &c. Sed quid eſt quod ait,*A mandatis tuis intellexi*? Aliud eſt *mandata tua intellexi*: & aliud *A mãdatis*.Hoc eſt enim quod vult ſignificare: ſcilicet quòd faciendo mandata Dei, peruenit ad earum rerum intelligentiam quæ concupierat ſcire:propter quod ſcriptum eſt,Concupiſcens ſapientiam,ſerua mandata: & dominus præbebit tibi illam.Ne quiſquã præpoſterus antequam habeat humilitatem obedientiæ,velit ad altitudinem ſapientiæ peruenire: quam capere non poteſt,niſi ordine venerit.Audiat ergo,altiora te ne quæſieris,ſed quæ præcepit tibi dominus, illa cogita ſemper. Sic homo ad occultorum ſapientiam peruenit per obedientiam mandatorum. Cum autem dixiſſet, quæ tibi præcepit Deus, illa cogita: ideo addidit, ſemper: quia & cuſtodienda eſt obedientia vt percipiatur ſapientia: & percepta ſapientia, non eſt deſerenda obedientia. Spiritualium itaque membrorum Chriſti vox hæc eſt, *A mandatis tuis intellexi*. Hoc enim rectè dicit Chriſti corpus in eis, quibus mandata ſeruantibus, propter ipſam cuſtodiam mandatorum præbetur vberior doctrina ſapientiæ. Propterea (inquit) omnem viam iniquitatis odio habui. Neceſſe eſt enim vt oderit omnem iniquitatem amor iuſtitiæ: qui tanto maior eſt, quanto eum magis inflammat dulcedo ſapientiæ, quæ præbetur ei qui obtemperat Deo,& à mandatis eius intelligit.

*1.Petr.2.* — *Odio mala debemus habere* — *Eccl.1.* — *Scientia acquiritur per humilitatem & obediẽtiã præceptorum.*

2178 Lvcerna pedibus meis verbũ tuũ, & lumen ſemitis meis.

Nun,

Hîc incipit decimuſquartus octonarius. Cui pro titulo præmittitur decimaquarta litera alphabeti Hebræorum, quæ eſt nun: quæ directè huic octonario præmittitur meritò. Quoniam hęc litera interpretatur Vnicus vel Paſcua eorum:quæ directè competunt ipſi Chriſto,qui eſt patris vnicus, quem Deus pater æternaliter genuit: qui demum incarnatus,factus eſt non ſolum paſtor bonus,animam pro ouibus ſuis ponens: ſed etiam factus eſt paſcua eorum: ſcilicet fidelium ſuorum, quibus ſeipſum dat in cibum, & ſanguinem ſuum in potum per ſacramentum altaris. Præmittitur ergo hæc litera nun huic octonario, quia hic agitur de ipſo Chriſto vnico patris, qui & paſtor noſter eſt, atque paſcua animarum. Vnde iſte octonarius diuiditur ſecundum illa quæ hic de iſto vnico patris agit Pſalm. De iſto ergo patris vnico oſtendit nobis octo,quæ in nobis efficit.oſtendit enim primò, quòd greſſus mentis ſua claritate dirigit:in principio:ſecundò quòd mores noſtros ſua firmitate erigit:ibi, *Iuraui*:tertiò quòd mentes noſtras ſua mititate ſubiicit:ibi,*Humiliatus*: quartò quòd votis noſtris ſua pietate annuit:ibi,*Voluntaria*:quintò quòd vitam noſtram in laboribus cõſtitit:ibi,*Anima mea*: ſextò quòd fideles ſuos in omni aduerſitate protegit:ibi, *Poſuerunt*: ſeptimò quòd electos probos ſibi cohæredes efficit: ibi, *Hæreditate*: octauò quòd probatos æternis bonis reficit:ibi,*Inclinaui*.Quantum ergo ad primum, oſtendit quòd patris vnicus greſſus mentis ſua claritate dirigit, dicens, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Vbi notandum quòd Dei verbum capitur dupliciter: ſcilicet pro ipſo verbo Dei filio à patre genito æternaliter, quod erat in principio apud Deum. Et pro verbo ſacræ ſcripturæ à prophetis & prædicatoribus prolato. Et iſtud quãdoque ponitur pluraliter:vt cum dicitur, Cœlum & terra tranſibunt:verba autem mea nõ tranſibunt. Quandoque in ſingulari:vt Actuum 6, Dixerunt Apoſtoli, Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei(ſcilicet verbum prædicationis) & miniſtrare menſis.Primo autem modo ſumptum verbum,pluraliter nunquam dicitur,quia vnicum ſolum eſt verbum. Et ſecundum iſtas duas verbi acceptiones, iſte verſus dupliciter exponitur: ſcilicet primò de verbo Dei, quod eſt Dei filius;quod quidem verbum dicitur lucerna & lumen, ſed diuerſimodè:quoniam aliquibus dicitur lucerna, aliquibus lumen.Lucerna enim & lumen differunt,quia lucerna dicitur minus lumen:ſcilicet lumen incluſum in teſta;vnde lucerna quaſi lumen arcens.Lumen magis abſolutum & non arctatum dicitur.Eſt ergo verbum Dei lumen quibus magis & clarius lucet:illis verò lucerna quibus minus lucet. Et ad iſtum ſenſum hunc locum exponit hic Ambroſ. dicens,*Lucerna pedibus meis* &c.Verè paſcitur oculus noſter interior lucernæ ſpiritualis lumine,quę nobis in hoc mundo prælucet: ne ſicut in tenebris ambulantes, incertis turbemur veſtigiis, & viam veram inuenire nequeamus.Intelligibilis igitur pedum greſſus,intelligibilis & lucerna;quia verbum Dei lucerna eſt. Nónne hoc erat in principio apud Deum? Quomodo ergo verbum æternum lucerna eſt? Nónne hoc eſt verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Quomodo igitur dicitur lucerna?Sed videamus ne fortè idem verbum Dei aliis magna ſit lux,aliis autem lucerna. Mihi lucerna eſt: angelis autem lux eſt.Petro lux erat, quando aſtitit ei angelus in carcere,& lumen circunfulſit eũ.Paulo lux erat:quando eundem ad perſequendum populum Chriſtianum euntem circunfulſit eum lux de cœlo: & audiuit vocem de cœlo dicentem ſibi, Saule Saule, quid me perſequeris? Vera lucerna nobis eſt Chriſtus,quando in iſto ore corporis noſtri cenſetur:& lucet in limo, fulget in vaſe fictili. Theſaurus ille quem habemus in vaſis fictilibus, lumen lucernæ eſt.Mitte oleum,ne deficiat tibi lumen lucernæ.Et oleum non oliuę terreſtris,ſed illud oleum cœleſtis miſericordiæ & gratiæ,quo vngebantur prophetę. Oleum tuũ humilitas eſt, quo ceruicis noſtrę dura molleſcũt.Oleum tuum, miſericordia eſt,quo colliſa ſcopulis peccatorum corpora fouentur. Hoc oleum curat ægrotos.Miſericordia enim à peccato liberat. Hoc oleum lucet in tenebris. Sic luceant opera veſtra bona coram hominibus &c.Et aduerte quòd licet verbum Dei propriè lumen & lucerna dicatur, tamen etiam ſancti participatione eius & lucerna dicũtur & lumen. Vnde idem Amb.ait, Lucernæ ergo & nos ſumus toto operti corpore, vix aliquid exiguum habentes, vnde lucere poſſimus.Sed iſtis lucernis dedit vt eſſent & lux:ad Apoſtolos dicens, Vos eſtis lux mundi. Ergo ſi gloria ſanctorum nunc ſicut lucernæ,nũc ſicut lux mundi fulgebat in hoc ſæculo, quid dicimus de verbo Dei,quod lucerna eſt pedibus meis & lumẽ ſemitis meis? Vel aliter: vt verbum Dei dicatur lucerna in lege,ſed lumen in euangelio.Vnde Amb.Et fortaſſe ſecũdum legem lucerna eſt verbum Dei:ſecundum autem euangelium, lux magna eſt.Iudæis lucerna eſt, & lucerna ſub modio:populo autem nationum lux eſt. Denique populo qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux orta eſt. Et nota ꝙ Chriſtus dicitur lucerna pedibus noſtris,dum nos illuminat ad impletionem præceptorum:ſed lumẽ eſt, quando nos illuminat ad obſeruandũ ſemitas conſiliorum. quia enim ſemita ſtrictior eſt via, maiori lumine indiget ad ambulandum quàm via:& ideo ait Pſal.de via præceptorum,*Lucerna pedibus meis verbum tuum*. De ſemita autem mandatorum ſequitur, *Et lumẽ ſemitis meis*. Aliter exponitur textus iſte,non de verbo Dei ęterno & vnico patris:ſed verbo Dei: id eſt de ſcriptura ſacra, quæ in omnibus agendis vel fugiendis nos illuminat.Et ſic iſtum paſſum exponit hic Aug.dicens,*Lucerna pedibus* &c.Quod eſt lucerna,hoc eſt repetitũ lumẽ:& quod *pedibus meis*, hoc idẽ quod ſemitis meis. Quid eſt ergo verbum tuum?Nunquid hoc eſt illud verbum quod erat in principio apud Deum, per quod facta ſunt omnia? Reſpondet,Non eſt ita. Nam illud verbum lumen eſt,lucerna nõ eſt. Lucerna quippe creatura eſt,nõ creator:quæ participatione incommutabilis lucis accenditur.Hoc erat Ioannes,de quo Chriſtus ait, Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed lumen eſt & lucerna.Et tamẽ in comparatione verbi de quo dictum eſt,Deus erat verbum: nõ erat ille lumen,ſed miſſum eſt, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat enim verbum lumẽ verum: non quod illuminatur,vt homo, ſed quod illuminat omnẽ hominẽ. Niſi autem & homo lucerna eſſet & lumen, nõ diceret Apoſtolis,Vos eſtis lux mundi.Nulla quippe creatura quãuis intellectualis & rationalis,à ſeipſa illuminatur,ſed participatione ſempiternæ veritatis accẽditur:propter quã participationem inquãtũ homo eſt ipſe mediator, ipſe illuminatur:& lucerna in Apocalypſi nuncupatur.Cum ergo verbũ æquale gignenti,lumẽ dicatur,& homo ab illo verbo illuminatus qui dicitur & lucerna:ſicut Ioãnes, ſicut Apoſtoli;nec vllus eorũ hoc ſit verbũ,& illud verbũ à quo illuminati ſũt,lucerna non ſit:quid eſt ergo hoc verbũ ꝙ ita lumẽ dicitur & lucerna? Ait enim,*Lucerna pedibus meis* &c.niſi verbum intelligamus quod factũ eſt ad prophetas, quod prædicatũ eſt per Apoſtolos:non verbum Chriſtũ, ſed verbũ Chriſti:de quo ſcriptũ eſt,Fides ex auditu, auditus autem per verbũ Dei. Nam verbũ propheticũ lucernæ comparans Apoſtolus Petrus,Habemus(inquit)certiorem propheticum ſermonem cui benefacitis,intendentes velut lucernę lucenti in obſcuro loco. Quod ergo hic ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*: verbum eſt quod in ſcripturis ſanctis omnibus continetur.

*Verbũ Dei duplex.* — *Verbũ Dei dicitur lucerna.* — *Ioan.1.* — *Actuũ 12.* — *Actuum 9.* — *1.Cor.4.* — *Olẽũ multiplex ſpirituale.* — *Matth.5.* — *Matth.5.* — *Eſa.9.* — *Ioan.1.* — *Ioan.5.* — *Matth.5.* — *Ioan.1.* — *1.Tim.2.* — *Rom.10.* — *2.Petr.1.*

## Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. 2179

Hîc oſtendit ſecundum:ſcilicet quòd mores noſtros ſua firmitate erigit.Vbi ſciendum quòd ſicut voluntas per votum ſtabilitur & magis firmatur ad illud quod vouet implendum, quod ante votũ implere non obligabatur:ſic & per iuramentum.Vnde iſtud hic iurare Pſal. non eſt niſi mente firmare ſe ad cuſtodiendum diuina præcepta. Et ſic voluntas per verbum firmatur in bono propoſito, iuramento mediante. Vnde hic ait Aug. *Iuraui & ſtatui* &c.Hoc enim appellatur iuramẽtum,quod ſtatuit per ſacramentum: quia ita debet eſſe mens fixa in cuſtodiẽdis iudiciis iuſtitiæ Dei, vt ſit omnino pro iuratione quod ſtatuit. Fide autem cuſtodiuntur iudicia iuſtitiæ Dei,cum ſub Deo recto iudice,nec rectè factum,infructuoſum,nec peccatum creditur impunitum.Quid eſt ergo Iurare & ſtatuere cuſtodire &c.hoc ſcilicet, firmo propoſito & firma fide credere,quòd nullum bonum irremuneratũ à Deo manet,nec aliquod peccatum impunitum.Vel aliter. Iudicia iuſtitiæ Dei ſunt flagella quæ immittit filiis ad correctionem & altiorem coronam percipiendam. Et ſic Iurare & ſtatuere illa cuſtodire,eſt firmo & ſtabili propoſito ſe diſponere ad patienter tolerandam ac libenter omnem aduerſitatem:ſicut ſi ad hoc votum feciſſet vel iuramẽtum,quia Deus aduerſa ſuis ad ipſorum vtilitatem immittit. Et ad iſtum intellectum hunc locũ exponit Amb.dicens, *Iuraui & ſtatui* &c.Qui ſtatuit,non mouetur: nõ timet vt cadat,quia ampli⁹ eſt ſtatuere quã ſtare.Stabat igitur Pſal.mentis ſtatione fundatus:nec timet ne in his mũdi huius tenebris poſſit errare. ſi enim metueret,non iuraret.Nemo enim bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur indicium ſciẽtiæ,teſtimonium conſciẽtiæ eſt.Sed qui firmus eſt, non mouetur aduerſis. Et his magis intelligit Dei iuſtitiam eſſe prædicandã,quia corripit dominus quẽ diligit. Nunquid nõ frequẽtius corripitur filius quã ſeruus? Iniuſta ergo eſt pietas patris,magis quàm domini ſeueritas. Aſperitate exercet pater filium, magis quã dominus ſeruũ.Sed dura patris non æſtimantur imperia, quia vult meliorẽ eſſe filium quàm ſeruum: eruditio plena iuſtitiæ eſt. Orbatus eſt ſanctus Iob liberis ſuis, in quos dominus poteſtatem diabolo dedit. Nunquid iniquus Deus? Abſit:immò iuſtus, quia probat iuſtũ ſuum per huiuſmodi exercitia;quib⁹ eius probata eſt patientia,magis dignum qui probaretur efficit. Quo enim clarius meritum coronati,hoc vberior iuſtitia coronãtis. Nudatus eſt facultatibus, cum diues eſſet, & hæc Deo permittente ſubiit diſpendia. Non erant pecuniæ iam damna,ſed vitæ:cum deeſſet alimonia omnibus deprędatis.Quis accuſet iuſtitiam domini? Quòd ſi non omnem Iob amiſiſ-

*Iudicia iuſtitiæ Dei ſunt, quia omne bonũ præmiat, peccatũ punit.* — *Iudicia iuſtitiæ Dei ſunt aduerſa à Deo immiſſa vel permiſſa.*

ſet pecuniam,non tantam inueniſſet gratiam. Athletam ſuum nudum vngere voluit Deus oleo pœnitentiæ: vt in certando faceret fortiorem & præmio digniorem &c. Nemo ergo putet dura eſſe quę iuſta ſunt. Non videbantur dura ei qui poterat [*Iob 1.*] dicere, Nudus natus ſum, nudus exibo: dominus dedit,dominus abſtulit:ſit nomen domini benedictum. Benedicit dominum iuſtus cum laborat;peccator,cum luxuriatur. Non ergo ex infirmitate noſtra vis eſt æſtimanda iuſtitiæ: quia durum putamus eſſe quicquid per imbecillitatem animi ferre non poſſumus. Tolle perſecutiones, & martyres deſunt. Sed quis hodie neget beatiores eſſe illos qui paſſi ſunt, quàm illos quos nulla vexarũt ſupplicia perſecutorum? Iuſtus ergo optat probari,tentari non timet. Qui enim ſtatuit cuſtodire iudicia domini, non timet tentationes. Sed vbi ſtatuit,niſi in corde? Illic enim radicati & fundati eſſe debemus, non fluctuantes omni vento doctrinæ.

2180 Humiliatus ſum vſquequaq; domine:viuifica me ſecundum verbũ tuum.

Hîc oſtendit tertium:ſcilicet quòd exemplo ſuę humilitatis nos humiliat. Duplex eſt humilitas:ſcilicet virtutis,qua quis ſeipſum Deo ſubiicit: & humilitas pœnalitatis, qua quis ab alio affligitur & humiliatur. Et vtramque humilitatem ſuo exemplo nos docuit Chriſtus. Primam Matthæi 11, Diſcite à me &c. ſecundam quando (ad Phil. 2,) humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortẽ crucis. Et de iſta humilitate pœnalitatis hic loquitur Pſal. in perſona corporis Chriſti, dicens, [*Aduerſis iuſti magis humiliantur.*] *Humiliatus ſum vſquequaque*. Quanto enim quis plus Deo ſe humiliat,eius obſeruãdo præcepta,tãto plures perſecutiones patitur,tãto pluribus tribulationibus preſſus humiliatur. Et ideo poſtquam iſte ſeipſum ad Dei ſeruitium totaliter dedit,amplius tribulationibus fuit humiliatus. Vnde ſtatim poſtquã dixit, *Iuraui & ſtatui cuſtodire* &c. ſtatim adiũxit, *Humiliatus ſum vſquequaq; domine*. Vnde hic ait Auguſt. Quia pro fide Chriſti multa mala & grauiſſima pertulit corpus Chriſti:ideo inquit, *Humiliatus ſum vſquequaque domine*. Non enim ait, Humiliaui me:vt humilitatem quæ eſt in præceptis intelligi ſit neceſſe:ſed ait, *Humiliatus ſum vſquequaque*:maximã ſcilicet paſſus perſecutionem,pro eo quod iurauit & ſtatuit cuſtodire iudicia iuſtitiæ Dei. Et ne in tanta humilitate fides ipſa deficeret:addidit, *Viuifica me ſecundum verbũ tuum*:id eſt ſecundũ promiſſum tuum. Sic & ſuperius vt ipſum Deus viuificaret orauit in tribulatione perſecutionis:vbi ait, *Paulo minus conſumauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua:ſecundum miſericordiã tuam viuifica me, & cuſtodiam teſtimonia tua*:id eſt martyria tua: vbi intelligitur ꝙ ſi ipſe non viuificet donãdo patiẽtiã, quòd teſtimonia (id eſt martyria) cuſtodiri nõ poſſunt. Vel aliter: [*Humilitas eſt virtus maxima.*] vt de humilitate virtutis accipiatur qua caput noſtrum ſummè fuit humiliatum,& nos ad humilitatem direxit. Et ſic iſtum paſſum exponit Ambroſ. dicens, *Humiliatus ſum vſquequaque* (ait Pſal.) Non ſolum humiliatum, ſed nimis humiliatum Pſal. ſe gaudet. Beatus qui gloriatur humilitate magis quã poteſtate. Poteſtas decipit,humilitas non deſtituit: bona humilitas,quæ etiam in Chriſto laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror quàm creationem:quia creati ad laborem ſumus, ſed redempti ad quietem. Poteſt & hoc ex ſua perſona per os Pſalm. Chriſtus dixiſſe, *Humiliatus ſum nimis*:qui in euãgelio dixit,Diſcite à me,quia mitis ſum &c. [*Matth. 11.*] Diſcamus ergo ab eo qui docere nos voluit quod proficeret ad ſalutem. Et nobis dicit, Diſcite à me. Non eſt mediocre ꝙ dicit Diſcite:& addit,à me diſcite. Non facilè poteſt quiſquam humilitatem docere inflatus,quamuis ſit humana prędítus ſapientia:mens tamen inflatur, quam ſuperbia carnis extollet. Et qui paupertate cõtentus eſt,non eſt contentus iniuria: & qui poteſt ferre verberum pœnas,exagitatur verborum contumeliis: & qui poteſt adminiſtrationem contemnere, dolet ſibi aliquem honorificentia eſſe prælatum. Grande eſt in omnibus humilitatis tenere menſuram. Superbia primum hominem deiecit, dum plus volumus: & quod minus eſt,ſolemus amittere. Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum quod contemnit adipiſcitur. Ipſe dominus Ieſus ſe humiliauit vt nos leuaret, & ſe humiliauit vſque ad crucem: propter quod exaltauit (inquit) illum Deus, vt in nomine eius omne genu flectatur. [*Phil. 2.*] Quanta fecit dominus audeo dicere:& non flexi ei genu, ſed flexi poſtquã ſe humiliauit. Sic enim, hoc eſt per humilitatem, per crucem ſibi eccleſiam congregauit. Et conſequenter oſtendit quantum humilitas & ſtatus ſubiectionis præualet prælationi, dicens, [*Prælationi præualet humilitas.*] Quid fuiſſet Ioſeph,ſi humilis non fuiſſet? Sciuit ſibi obfuiſſe quòd prælatus erat fratribus, etiam pius amor miſeriam prælationis inuenerat. Prælatio armauit fratres: humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos: humilitas regem ſubditum fecit, vt verè quaſi ex perſona Ioſeph dictum putemus quod ſupra Pſal. dixit, *Humiliatus ſum & ſaluum me fecit*. Dauid Golia ſuperato occurrerunt iuuenculæ pſallentes,Saul in milibus, Dauid in decẽ milibus. Commotum eſt fel regis, & quærebat eum [*1. Reg. 18.*] occidere. Et humiliauit ſe Dauid ante Ionathan filium regis,& cõuertit eius affectum: vt quem ſucceſſorẽ patri regni potuerat habere ſuſpectũ, eundem aduerſus ſtudia paterna ſeruaret:dicens patri, Quid peccas in ſanguinem innocentis? & vocẽ extorquet inuito, quòd non meretur occidi Dauid. [*1. Reg. 19.*] Rectè ergo ait, *Humiliatus ſum, & ſaluũ me fecit*. Bona igitur humilitas,quę regẽ Dauid populúmque ſeruauit. Bona humilitas: præſertim ſi adiungatur ei deuotio voluntaria. Ideóque viuificari ſe ſecũdum verbum domini petit,vt ſecundum verbũ viuat,& omnia cum ratione faciat:non ſecundũ carnis voluntatem. Et tu ergo ſi vitam ſecundũ verbum Dei cupis habere, imitator eſto Dei: quomodo imitator? Nunquid cœlum potes facere,vt verbum, aut terram,aut mare? Non vtique:ſed vt omnia per verbum facias,nihil facias ſine verbo. Omnia cum ratione,nihil ſine ratione: quia non es irrationalis ô homo,ſed rationalis.

Volũtaria oris mei beneplacita fac domine:& iudicia tua doce me. 2181

Hîc oſtendit quartum:ſcilicet quòd verbum ſua pietate votis noſtris annuit, dum vota noſtra ſibi facit beneplacita. Quòd oſtendit Pſalm. hoc à Deo petens,dicens, *Voluntaria oris mei* &c. Vbi notãdum quòd ſacrificium laudis Deo dupliciter offertur: ſcilicet in tempore tribulationis & miſeriæ: & in tempore proſperitatis & abundantiæ. Illud autem magis voluntarium videtur quod tempore tribulationis offertur: quia tunc naturæ fragilitas magis ex aduerſis ad tribulationem incitatur quàm ad laudem. [*Laus in aduerſitate magis dicitur voluntaria.*] Et per conſequens quãdo in aduer



ſitate Deus laudatur, hoc magis à voluntate videtur procedere:& ſic magis videtur voluntariũ eſſe ſacrificium. Sed quia aduerſitas quandoq; turbat rationem,ſaltem in parte ſenſitiua: non ita diſcernere poteſt homo quæ facit, ſicut in quiete. ideo rogat Pſalm. vt Deus laudem quam ſibi offert humiliatus, ipſam ſibi beneplacitam dignetur habere. Vnde hic ait Auguſtinus, *Voluntaria oris mei* &c. Hoc eſt,placeãt tibi:noli reprobare,ſed approba. Bene autem intelliguntur oris volũtaria ſacrificio laudis,confeſſione charitatis,non timore neceſſitatis oblata. Vnde dictum eſt, Volũtariè ſacrificabo tibi. [*Pſal. 53.*] Vel aliter:per iſta verba vult oſtendere Pſal. quòd Deus nullum opus acceptat meritum, [*Voluntaria ſeruitia Deo placent.*] niſi ſit voluntariè factum, non neceſſitate naturæ. Non enim coacta ſeruitia Deo placent. Vnde hoc inducẽs Ambroſ. hic ait, *Voluntaria oris mei* &c. Qui viuificatur ſpiritu Dei,volũtarius eſt Dei miniſter. Plurimum enim refert vtrum ex volũtate quid facias,an ex neceſſitate quod placeat Deo. Denique voluntarius miniſter habet præmium:coactus,diſpenſat obſequium. Rectè ergo ait Pſalm. *Voluntaria oris mei* &c. oris ſui offerens Deo volũtarium ſacrificium: eo quòd vt apes illa prophetica bonos flores colligere ore conſueuerit, fauos ore fingere, mella ore cõponere, & ex herbis ſuauibus ore flores legere: quæ cum ſit robore infirma, ſapientiæ prædicatione ſubſtantiæ ſuæ producit æternum. Quid ſit iſtud voluntarium oris ſacrificium recognoſce. [*Pſal. 49.*] Immola Deo ſacrificium laudis. Expectat dominus voluntarios miniſtros. Denique in libro [*Eſa. 6.*] Eſaiæ dicit dominus, Quem mittã? Vtique ſeruulo ſuo poterat imperare;quem dignum vt mitteret nouerat: ſed maluit illum ſpontaneæ obligationis nõ fraudare mercede, qui vt ipſe ſe offerret poſtulatus eſt. Et quamuis eius ſciret affectum,expectauit tamẽ vocem vt gratiam cumularet. Vnde ſe offerens Eſaias,ait, Ecce ego:mitte me. Et ſic poſtea eſt miſſus ad populũ. Ideo de eo dictum eſt, Quia Eſaias audit & dicit. Etenim quaſi volũtarium organũ vberiore ſpiritus ſui gratia Chriſtus impleuit. Nec ocioſè hoc puto poſitum:quia voluntaria oris ſui cupit placere Deo. Multi prophetę, ſed nõ in omnibus oris voluntaria placent. Excuſabat ſe Hieremias,dicẽs, Ecce neſcio loqui,quia puer ego [*Hierem. 1.*] ſum. Et dixit ei dominus, Noli dicere, Quia puer ego ſum:quia ad omnes ad quos miſero te,ibis: & ſecundũ omnia quæ mandauero tibi loquéris. Verendi propheta ætatem corporis prætendebat, ne in exequendis cœleſtibus impar eſſe adoleſcentia deprehẽderetur. Sed Deus qui morũ magis quàm annorum conſiderandam iudicaret ætatem, & iuuenili corpore maturitatem robuſtæ patientiæ in ſuo ſeruulo præuideret:ait, Noli dicere, Quia puer ego ſum. Hoc eſt, Prohibet eũ iuuenilis ætatis contemplatione vires ſuas perpendere, cui fides caniciem ſapientiæ miniſtraret. Et iterum in poſterioribus [*Hierem. 20.*] cũ dixiſſet idem propheta, Seduxiſti me domine,& ſeductus ſum:& dixi, Non nominabo nomen eius,& non loquar in nomine eius vltrà:addidit, Et factus eſt in corde meo vt ignis ardens flammas in oſſibus meis: & diſſolutus ſum vndique,& ferre nõ poſſum. Aduertamus igitur quòd his etiã qui excuſandum aut officium ſuũ certa cauſa aliqua denegandum putauerint:dominus autem noſter aut rationem perſuadeat,aut cupiditatem propheticæ reuelationis inſpiret:vt ad ſubeundum officium voluntate concurrente,non neceſſitate cõtendãt,quò merces ad eos integræ deuotionis poſſit plenior peruenire. Prophetauit etiam Caiphas, [*Ioan. 11.*] quia expedit vnum hominẽ mori pro populo. Sed voluntarium oris miniſterium non erat, quia loquebatur inuitus. Deniq; quod diceret neſciebat. Et infrà ait Ambroſ. Quæ ergo ſunt volũtaria oris ſui quæ Pſal. Deo placere cupiebat? Certè iſta:Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei &c. [*Pſal. 83.*] Audiã quid loquatur in me dominus Deus. [*Pſal. 84.*] Aperiã in parabolis os meũ:loquar propoſitiones ab initio. [*Pſal. 77.*] Et parauí lucernã Chriſto meo. [*Pſal. 131.*] Sequitur, *Et iudicia tua doce me*. Sed quid eſt quòd iam ſuperius iudicia Dei didicerat? Vnde & dicebat, *Iudicia tua non ſum oblitus*. Et iterum, *à iudiciis enim tuis timui*. Cur igitur toties verba inculcat:iterum dicens, *Et iudicia tua doce me*? [*Iuſti cogitant bonũ quod eis deficit: non quod fecerũt. Mali autem econtrario.*] Ad hoc dicitur,quòd differentia hæc eſt inter bonos & malos.quia malus ſemper attendit ad bonũ quod habet,& non ad illud quod ſibi deficit: bonus autem nõ ad illud in quo profecit,ſed ad illud quod ſibi deficit:quia ſemper vult vlterius proficere. Sic & in propoſito Pſalm. ſciens quòd dum hic viuificamur,ſemper in cognitione diuinorum iudiciorum amplius poſſumus proficere:ſimiliter & in operatione,reſpiciens ad illud quod ſibi deficit: in illo à Deo doceri poſtulat,dicẽs, *Et iudicia tua doce me*. Vnde hic ait Auguſt. Nónne ipſe in verſibus ſuperioribus dixerat, *A iudiciis tuis nõ declinaui*? Quomodo iſtud dicebat ſi non nouerat? Porro ſi nouerat,quomodo hic dicit, *Et iudicia tua doce me*. An ſicut illud eſt, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo*: & poſtea dicit, *Bonitatem doce me*? Quod ita expoſuimus vt intelligamus verba proficiẽtis, & amplius quàm acceperat poſtulantis. Si autem quæras quæ ſunt iudicia Dei quæ iſte poſtulabat à Deo doceri: reſpõdet hic Ambroſ. dicẽs, Quia iudicia Dei ſunt abyſſus multa & inſcrutabilia:vt dicit Apoſtolus. [*Iudicia Dei quæ ſunt.*] Ideo non poterat illa, niſi Chriſto docente cognoſcere: quia vnus Magiſter omniũ eſt Chriſtus. [*Rom. 11.*] Hæc autẽ Chriſti iudicia ſunt, vt his qui inſidiati nobis fuerint,nouerimus non vicem iniuriæ repẽdendã,ſed pro iniuria magis referendam gratiam. Denique [*1. Petr. 2.*] Chriſtus maledicentibus non maledixit:percutiẽtes non repercuſſit: ſed magis pro perſequentibus ſe piæ interceſſionis apud patrem auxilium deferebat, dicens, Pater dimitte illis:non enim ſciunt [*Lucæ 23.*] quid faciunt. Hæc igitur quiſquis fecerit legis iudicia,remuneratio donatur à Chriſto.

Anima mea in manibus meis ſemper:& legem tuam non ſum oblitus. 2182

Hîc oſtendit quintum:ſcilicet quòd vita noſtra in laboribus & operibus eſt conſtituta. [*Anima in manibus cõſiſtit.*] quia ſcilicet anima noſtra (id eſt vita) efficitur bona vel mala ſecundum diuerſitatem operum quæ procedũt ab illa. Vnde dicit, *Anima mea in manibus* &c. Vel animã ſuam in manibus ſuis habent iuſti,quia bonitatem conſcientiæ quã interius habent,pro vtilitate proximorũ operibus exterioribus oſtendunt. Sic enim [*Anima noſtra in manibus noſtris eſt.*] dicitur Iob 13, Animam meam porto in manibus meis. Quod exponens Gregor. ait, [*Gregor. 11. moral. c. 19.*] Animam portare in manibus eſt intentionem cordis in operatione oſtendere. Habent namque iuſti hoc proprium, vt omne quod dicunt atque omne quod agunt,nõ ſolum profectum ſuum, ſed etiam ædificationem proximorum quærant. Et aliquando in ſemetipſis aliqua diiudicant, vt pigros auditores ad conſiderandos ſemetipſos reuocent. Aliquãdo bona opera oſtendunt, vt ſpectatores eorum erubeſcant non imitari

*Matth.5.* imitari quod vident. Nam ſcriptum eſt, Vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Qui igitur intentionem ſuam per opera inſinuat, animam ſuam in manibus portat. Notandum quòd iſte textus variatur, ſecundum Auguſt. & Ambroſ. Nam aliqui textus habẽt, *Animam meam in manibus meis.* Et alij habent, *Anima mea in manibus tuis.* Et iſtum ſecundum textum, ſcilicet *in manibus tuis* plus acceptant Auguſt. & Ambroſ. quàm primum. Vnde hic ait Auguſt. Nonnulli codices habent *in manibus meis:* ſed plures habent, *in manibus tuis.* Et hoc quidem planum eſt. Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt: in cuius manibus ſumus nos & ſermones noſtri. *Et legem tuam nõ ſum oblitus;* tanquam ad non obliuiſcendum Dei legem manibus Dei adiuuetur eius memoria, vbi eius eſt anima. *Anima mea verò in manibus meis* (dicit Auguſt.) quomodo intelligitur, ignoro. Iuſti quippe iſta verba ſunt, non iniuſti: redeuntis ad patrem, non recedentis à patre. An fortè ita dictum intelligitur, *Anima mea in manibus meis*: tanquam eam per Deum viuificandam manibus ſuis offerret Deo? Vnde alibi dicitur, Ad te leuaui animam meam. Ambroſ. autem vtrunque textum exponit: ſed diffuſius illũ, *Anima mea in manibus tuis:* breuius autem iſtum, *Anima mea in manibus meis.* Vnde quãtum ad iſtũ textũ, ſic ait, *Anima mea in manibus meis ſemper:* hoc eſt, in actibus & operibus meis. Quamuis in periculo poſitus dicit iuſtus ad dominum, Propter te quotidie morior: propter te quotidie periclitor. Periclitor ab inſidiatore: periclitor à detractore: periclitor ab his quos arguo, quos reuinco: periclitor pro veritate atque iuſtitia. Propterea in manibus meis anima mea. Ego tamen nec periculis territus, tuæ legis oblitus ſum. Quantum ad alium textum qui habet, *Anima mea in manibus tuis ſemper*, ſubdit Ambroſ. Sed tamen quia plerique textus habent, *Anima mea in manibus tuis ſemper:* hoc latius explanandũ arbitror. Scit propheta vbi animæ ſuæ præſidium locet, vnde opem ſperet: in manibus Dei cõſtituere vult animam ſuam, quia cor regis in manu Dei eſt. Quicunque proprium corpus ſubegerit, nec eius paſſionibus turbari animam ſuam cõgrua viuacitate permiſerit: is bene regia quadam poteſtate ſe cohibens, rex dicitur, quòd regere ſe nouit, quòd arbiter ſui iure ſit: non captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Huius anima non perit in æternum, nec rapit eam quiſquam de manu patris omnipotẽtis aut filij. Manus enim Dei quæ ſolidauit cœlum, quos tenuerit, nõ amittit. Quæ ſunt igitur iſtæ manus, conſideremus. In canticis habes, Lęua eius ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me. Hæc ſponſa loquitur de Chriſto: anima de verbo Dei atque ſapientia. Magna eſt ſapientiæ manus; magna dextera totam cõplectitur animã. Anima enim tota munita eſt, quæ deſponſata eſt verbo Dei: plenitudo enim ſapiẽtiæ timere Deum. Quæ ergo Deum timet anima, plenè ſe munit ipſa præſidio. Mittit ſapientia læuam ſuam ſub collo eius: dexteram autem in complexu eius. Vtrunq; quidem brachium eius ad vtilia extenditur: habent tamen propria ſua ſingulę manus ſapientiæ. In dextera longitudo vitæ eſt: in ſiniſtra autem, diuitiæ & gloria. Bonis itaque vtraque manus dotata eſt dotibus. In eo tamen habent varietatem ſui muneris, quia præſentia & futura tẽpora comprehendũt: vt læua præſentium remuneratrix ſit dextera futurorum. Poſſumus etiã hæc de prophetia ſancti patriarchæ Iacob cognoſcere. Nam cum dexteram ſuam poſuiſſet ſuper Ephraim, ſiniſtram autem ſuper Manaſſem: & cõuertere eos Ioſeph voluiſſet, ætatibus conſideratis: noluit pater, ſed dixit, Scio fili: & hic erit in populis & exaltabitur: ſed frater iunior maior illo erit. In quo maior? In eo vtique, quia benedictione prælatus eſt. Vel quia ſemen eius multitudo gentium, quæ in hoc ſæculo laborem elegerint credentes in dominum Ieſum: vt conſolationem habeant futurorum. Manaſſes autẽ ſemen eſt populus obliuionis: qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in ſæculo, eſt daturus reliquo pœnas graues: quia dominum ſuum & Deum negauit. Hæc dixerim vt probarem ea eſſe potiora quæ futura ſunt &c.

*Anima noſtra in manibus Dei eſt.* — *Pſal.24.* — *Manus Dei quæ ſunt.* — *Cantic.8.* — *Ephraim ſignificat bonos: Manaſſes malos.* — *Geneſ.48.*

2183 Poſuerũt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.

Hîc ponit ſextum: ſcilicet quòd verbum fideles ſuos in omni aduerſitate protegit: ne aduerſis fracti, mandata Dei deſerant. Vnde hoc de ſe Pſal. profitetur, dicens, *Poſuerunt peccatores* &c. Hoc idẽ aliis verbis ſuperius expreſſerat, dicens, *Paulo minus conſumauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.* Dicat ergo, *Poſuerunt peccatores* &c. quaſi dicat, Vnde hoc ex tot aduerſitatibus & tentationibus preſſus, mandata tua non deſerui, in illis vel ab illis errando? Vnde hoc, niſi quia anima eius in manibus Dei, vel in ſuis manibus viuificanda Deo offertur? vt ait Auguſt. Iſta autem verba maximè ad beatos martyres ſpectant: quibus peccatores & tyranni mundi diuerſos laqueos parauerunt diuerſarum pœnarum: vt eos peccato caperẽt, quò fidem Chriſti negarent. Sed ipſi conſtanter fidem tenentes non errauerunt. Vnde Ambroſ. hic dicit, *Poſuerunt peccatores laqueum mihi* &c. Digna vox hæc eſt relinquentis hoc ſæculũ, eo quòd retia perſequentium & inſidiatorum laqueos euaſerit. Vox digna martyribus: quibus multa ſupplicia proponebantur, multa etiam offerebantur præmia, vt à martyrij ſtudio vel timore pœnarũ & ſæuę mortis horrore, vel præmiorum reuocarentur illecebra. Grauis laqueus proſcriptionis qui ſæpe frãgit ſanctos inopiæ deformitate, quos mortis formido nõ fregerit. Laqueus alius intẽdit: laqueus carceris, diuturníque ſupplicij. Grandis laqueus cum diuitiæ promittuntur, cum honores, cum amicitiæ tyrannorum. Qui ergo euaſerit, & ad martyrium poterit peruenire, & rectè dicit, *Poſuerunt peccatores laqueum mihi*: ſed à mandatorum tuorum ſemitis non errani. Cui deſpicienti præſentia, futura quærenti regnum cœleſte diuinitatis ſuæ promiſſione reſeruatũ eſt. Qui ſunt peccatores, qui poſuerunt laqueos iſtos? aperuit tibi Apoſtolus, dicens, Qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Aduertis laqueũ diaboli eſſe diuitias, quẽ tetendit etiam ſaluatori. Sed ille qui nihil habuit quod poſſet princeps huius mũdi ſuum dicere, laqueorum eius vincula diſſoluit. At ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam Apoſtolum ſtrangulauit: qui miſer cum eſſet illaqueatus vt proderet dominum, vbi aduertit quãtum ſcelerũ eſſet admiſſum, laqueo ſe ſuſpendit. Dedit enim tibi ſcriptura, vt nõ ſolum caueas laqueos: ſed etiã per pœnitentiam eius vincula diſſoluas, cum fueris crimine illaqueatus. Quid tibi ô homo cum deliciis ac voluptatibus? Non capit laqueus, niſi eſca te ceperit. Dum prędam petis, laqueo ipſe te necas.

*Martyrum conſtantia.* — *Laqueus multiplex martyrum.* — *Auaritia laqueus eſt. 1.Tim.6.* — *Matth.27.*



Eſca laquei, auaritia eſt: eſca diaboli luxuria eſt: quibus nos vult ineſcare, non paſcere. Quid tibi poſtremò cum terra, qui cum Chriſto reſurrexiſti? Quæ ſurſum ſunt quærito, vbi Chriſtus eſt: quæ ſurſum ſunt, ſapito, non quæ ſuper terram. Mortui ſumus terris: vita noſtra abſcõdita eſt cũ Chriſto Deo noſtro. Non iam nos viui ſumus, ſed viuit Chriſtus in nobis. Si iſtos laqueos times, ad dominum clama, & liberabit te: vt dicas, Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium & à verbo aſpero. Si laqueum tui cordis euadas, liber eris: vt dicas, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

*Coloſſ.3.* — *Galat.2.* — *Pſal.90.* — *Pſal.122.*

2184 Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua inæternum: quia exultatio cordis mei ſunt.

Hîc oſtẽdit ſeptimum: ſ. quòd verbum nos ſuos cohæredes efficit. Si enim ſecundum Apoſtolum ſocij ſumus Chriſti paſſionum, erimus & conſolationum. Qui ergo teſtimonia Chriſti (id eſt martyria) cupit hæreditare, ibi hæreditabit & præmia. Et ideo Pſalm. ſe hæredem teſtimoniorum Chriſti lætanter facit, dicens, *Hæreditate acquiſiui* &c. Attende quòd iſte textus diuerſificatur, quia aliqui dicũt, *Hæreditaui teſtimonia tua:* & aliqui, *Hæreditate acquiſiui.* Sed iſte ſecundus præferendus eſt primo, ſecundum Auguſt. vbi ſic ait, *Hæreditate acquiſiui* &c. Nonnulli vno verbo volẽtes dicere quòd vno verbo Græco poſitum eſt, *hæreditaui* interpretati ſunt. Quod & ſi in Latinum eſſet, poſſet magis ſignificare eum qui dedit hæreditatẽ, quàm eum qui acceperat: vt ſic eſſet, *hæreditaui*, quomodo ditaui. Melius ergo duobus verbis inſinuatur integer ſenſus: vt dicatur, *Hæreditate acquiſiui.* Si autem quæratur quid acquiſiuit hæreditate: Teſtimonia inquit tua. Quid per hoc vult intelligi, niſi vt teſtis Dei fieret, eiúſq; teſtimonia confiteretur: id eſt vt martyr Dei fieret, eiúſque martyria diceret. Multi quippe voluerunt, ſed non potuerunt: nulli tamen potuerunt niſi qui voluerunt: quia nõ potuiſſent, ſi Dei teſtimonia negare voluiſſent. Sed etiam ipſorum præparata eſt voluntas à domino: ideo hæreditate ſe hoc acquiſiuiſſe iſte teſtatur, quia à patre ſibi collatum eſt, cuius hæres eſt. Et hoc inæternum, quia non eſt in eis gloria temporalis hominum quærẽtium vana, ſed æterna gloria eſt breui tempore patientium, & ſine fine regnantium. Sequitur, *Quoniã exultatio cordis mei ſunt.* Martyribus enim etſi afflictio eſt corporis, exultatio tamẽ eſt cordis. Vel aliter: vt per teſtimonia Dei intelligantur diuina mãdata, quia ſuper illis Deus teſtis eſt: & teſtes cœlũ, terram ac homines requirit. Illa ergo acquiruntur hæreditate, ſcilicet morum Chriſti: qui eſt hæres morum Chriſti, Dei ſeruat mãdata. Vnde hic Ambroſ. ait, Dicit Pſal. *Hæreditate acquiſiui* &c. id eſt, hæres ſum mandatorum Dei tuorum: ſucceſſionẽ tuã fidei pietatíſque iure quæſiui. Non poteſt hoc dicere, niſi qui Dei mandata cuſtodit: cœlo & terra teſtibus acquiſita. Dixit enim dominus, Audi cœlum: & auribus percipe terra. Terram teſtatur dominus & elementa ad redarguendum illos qui noluerunt præcepta diuina ſeruare, vt refugia omnis excuſationis obſepiat. Teſtatur & homines, dicẽs, Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dicit dominus. Mãdata ergo domini plena ſunt teſtimoniis. Et ipſa ſunt quorum ſatis idoneus teſtis eſt, qui non mentitur Deus: apud quem & conſcientia tua teſtis eſt cogitationibus accuſantibus & etiam defendentibus. Satis fidelis etiam in infido pectore, quem arbitrum omnium quæcunque commiſſa ſunt, latere non poſſunt. Nam ſi in iudicio terreſtri etiam is qui ad mentiendum venerit ſubornatus, tamen ſi teſtimonio alterius fuerit conuictus, ſolet prodere veritatem: quanto magis in iudicio cœleſti apud dominum Ieſum neceſſe habet quæ vera ſunt cõfiteri, quem nouit ſcire quæ vera ſunt & quod factũ eſt? Sed qualem hæreditatem conſequitur, qui hic Dei teſtimonia quærit obſeruare? Acquirit enim hæreditatem, non temporalem, ſed æternam: non terreſtrem, ſed cœleſtẽ. Quod hic deducit Ambroſ. dicens, Et bene ait, *Hæreditate acquiſiui* &c. Quoniã ſicut antè hæredes fuimus peccatoris Adæ, ita nũc Chriſti ſumus hæredes. Illa fuit criminũ: hæc virtutum hæreditas eſt. Illa nos obligauit: hæc ſoluit. Illa à fœnore delictorum obligauit inimico: hęc redemptionis dominicæ titulo paſſionis Chriſto acquiſiuit. Malæ viæ ſucceſſio totum hominem deuorabat: præclara Chriſti hæreditas totum hominem liberat. Non ad vnũ quidem, non ad paucos, ſed ad omnes teſtamentũ ſuum ſcripſit Ieſus. Omnes ſcripti hæredes ſumus: teſtamentum commune eſt & ius omnium, hæreditas vniuerſorũ & ſoliditas ſingulorũ. Nouum tamen teſtamentum ſinguli adeunt, & omnes poſſidẽt. Nec minuitur hæreditas, quicquid ab hæredibus vẽdicatur. Manet emolumentum integrum: & eo magis ſingulis creſcit, quo pluribus fuerit acquiſitum. Alia conditio eſt hæreditatis humanæ: ſi diuiſa fuerint emolumenta, diminuuntur, & hæredis eſt damnum. Indiuiſum regnũ Chriſti eſt, indiuiſa hæreditas. Quo modo fieri poterit, vt hæreditatis ſit fructus indiuiſus, quod eſt regnum cœlorum? Aurum, argentum, prædium ab homine pluribus derelictum, diſtribuitur ac ſecatur: ſolida ad ſingulos dona Chriſti perueniunt, omnes habent, & nemo fraudatur. Sed audiamus cõmoda hæreditaria. Remiſſio peccatorum, hęreditas Chriſti eſt. Certè ſolida per ſingulos & in commune eſt lucratiua. Quibuſcunq; enim collata fuerit, & nulli decidit, & accedit omnibus. Corpori eccleſiæ acquiritur quicquid vnicuique relaxatur. Nam ſi angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente lætantur, quia lucrum ſuum putant hominis redemptionem: quanto magis lucrum eſt generis humani, quod lucrum eſt naturæ: hæreditas Chriſti eſt reſurrectio? Hãc quiſque damnum ſuum dixerit, quæ in vno communis gratiæ nomine inuenit. Chriſtus enim reſurgens, omnibus factus eſt reſurrectio mortuorum. Quomodo igitur poteſt ſingulorum eſſe diſpendiũ, quę eſt totius corporis & humani generis reformatio? Et infrà: Dicat ergo fidelis, *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua* &c. quia exultatio cordis mei ſunt. Quis non exultet qui cœlum & terram hæreditate acquiſiuit? exultabant Apoſtoli ſpe iſtius hæreditatis cũ verberarentur, cùm in carcerẽ truderentur. Huius hæreditatis deſiderio, cõſequẽter ait Pſalmiſta,

*Martyr qui vt eſſe, licet ... poteſt.* — *Teſtimonia Dei dicuntur ... pta.* — *Eſa.1.* — *... deus ... conſcientia ...* — *Hæreditas duplex: ſcilicet Adæ & Chriſti.*

2185 Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas inæternum, propter retributionem.

Hic ponitur octauum: ſcilicet quòd verbũ ſuos inæternum reficit. Duo enim maximè faciunt cauere Dei offenſam, & ex conſequẽti præcepta eius facere: ſcilicet timor pœnæ, & amor gloriæ. quæ

duo

*Timore ſolo bonũ faciens peccat.*

duo quiſque conſiderans, non peccabit. Sed tamẽ aduerte quòd bonum faciẽs præcisè vt pœnã euadat, talis Deum non diligit: & vellet peccare, ſi peccatum eſſet impunitum. Faciens autem bonum & timore pœnæ & amore glorię, ſi præferat timorem amori, etiam peccat: ſi autem amorem timori præferat, meretur. vide ſupra verſi. 2108. Iſte ergo oſtẽdens ſe propter amorem æterni præmij, quod præmiũ Deus eſt, quæ retributio Deus eſt: & ſic propter amorem Dei & iuſtitiæ ſe ad mãdata Dei exequenda cor ſuum inclinaſſe: dicit, *Inclinaui cor meum* &c. Et aduerte quòd talis inclinatio cordis ad diuina obſeruanda mandata, duo exigit. Primò diuinam gratiam, qua ipſum cor diſponitur: ſecundò ipſam arbitrij libertatẽ, qua quis non coactè ſed liberè ſe diuinæ gratiæ cõformat. Primũ ſuprà tetigit Pſalm. cum dixit, *Inclina cor meũ in teſtimonia tua* &c. Secundum autem hic tangit, dicens, *Inclinaui cor meum* &c. Vnde iſta verba hic Auguſt. exponens, ait, *Inclinaui cor meum* &c. Qui dicit, *inclinaui cor meum*: ipſe iam dixerat, *Inclina cor meum in teſtimonia tua*: vt intelligamus ſimul hoc eſſe & diuini muneris & propriæ voluntatis. Si autem quæras, Retributio nobis à Deo data, duo includit: ſcilicet commodum proprium, & amorẽ iuſtitiæ ſiue Dei. Nunquid faciendo Dei mandata, non quidẽ timore pœnæ, ſed amore retributionis: ſic quòd ſi non eſſet retributio, illa non facerem: nũquid mereor? Reſpondeo quòd ſi quis amore ſolùm retributionis, & nõ iuſtitiæ bonum operatur: iam bonũ agit, ſed non benè: ideo non meretur. Si agit bonũ amore retributionis, quæ retributio ipſe Deus eſt: ſic quòd præferat bonum iuſti bono cõmodi: ſic meritorium eſt. Et iſta eſt intentio Pſalmiſtæ dicentis, *Inclinaui cor meum* &c. *propter retributionem*, id eſt propter te & amorem tuũ: qui es vera retributio bonorũ & nõ ſolùm retributor. Sic enim dixit Deus ad Abraham Geneſ. 15, Ego ſum Deus protector tuus: ego ſum merces tua magna nimis. quãuis & bonum commodi in tali retributione conſequenter inducat ad mandatorum obſeruationem. Vnde hic Ambroſ. ait, *Inclinaui cor meum* &c. Qui retributionem bonorum operum ſperat à Chriſto, & ad eum feſtinat: inclinat cor ſuum vt faciat Chriſti iuſtitias. Quæ eſt iuſtitia Chriſti? Audi ipſum dicentem, Sine nos implere omnem iuſtitiã: ſcilicet humilitatem qua peccatum minuitur, culpa laxatur. Et bene inclinauit & humiliauit ſe Chriſtus: vt nõ ſit arduum atque difficile tibi, cùm mentem tuam ad humilia & plana conuertis. Aut certè quoniam ſapientia carnis legi Dei non eſt ſubiecta, videtur inclinare cor ſuum, qui legi eũ facit eſſe ſubiectũ: extollente corporis ſenſu, & cõtuitu religionis inflectit; atque ille dum extollens ſe fruſtrà & inflatus mẽte carnis ſuæ, cùm ſe humiliat, inclinat. Humiliauit enim & ipſe ſe Chriſtus, vt nouum cõderet teſtamentum. Cùm lego euangelium, audio filium Dei carnem aſſumpſiſſe de Maria. Videor mihi cum Chriſto ipſe deſcendere. Lego enim eum quòd cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit vt formã ſerui acciperet, & habitu eſſet vt homo. Inclinauit ſe vſq; ad mortem. Lego ipſum dicentem, Qui ſe humiliat, exaltabitur. Lego ipſum dicentẽ, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos: & diſcite quia humilis ſum corde. Non dixit, Diſcite à me quia potens ſum. Non dixit, Diſcite à me, quia glorioſus ſum. Sed dixit, Diſcite à me, quia mitis ſum: quod imitari poteſtis. Nolite ergo vos extollere. Docuit me dominus humiliari & inclinare cor meum ad faciendas iuſtitias, nõ ad iniquitatem, ſed ad charitatem propter retributionem. Retributio regni cœlorum & paradiſi eſt incolatus. Sed aduerte quòd dicit, *Ad faciẽdas iuſtificationes tuas inæternum*. Nunquid enim inæternum facturi ſumus iuſtificationes Dei? Ad hoc reſpondet Auguſt. dicens, Opera quidem illa quæ operamur circa proximorũ neceſſitates, æternæ eſſe non poſſunt, ſicut nec neceſſitates: ſed ſi non diligẽdo iſta faciamus, nulla eſt iuſtificatio. Si autem diligendo æterna, eſt ipſa dilectio, eíque æterna parata eſt retributio: propter quam retributionem dicit ſe inclinaſſe cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Dei: vt inæternum diligens, inæternum mereatur habere quod diligit.

*Gratia Dei & libertas requiritur ad actũ meritorium.*

*Queſtio.*

*Iuſtitia Chriſti eſt humilitas.*

*Matth. 3.*

*Humiliauit ſe Chriſtus.*

*Philip. 2.*

*Luce 14. Inclinare cor noſtrũ docuit Chriſtus.*

*Matth. 11.*

*Queſtio.*

## INiquos odio habui, & legem tuam dilexi. 2186

*Samach.*

Hîc incipit decimuſquintus octonarius. Cui pro titulo præmittitur decimaquinta litera Hæbraici alphabeti: quę eſt Samach. Quę meritò huic octonario præmittitur: quoniam hæc litera interpretatur Audi vel Firmamẽtum. Vbi aduerte quòd duplex eſt auditus: ſcilicet corporis exterior, & mentis interior. Auditus exterior ſine interiori nihil ad ſalutem proficit: ſed interior auditus requiritur. Et quod aure corporis auditur, ad hoc audiri debet, vt aure cordis percipiatur. Vnde quãdo dominus aliqua myſtica demõſtrare volebat, præmittebat, Qui habet aures audiendi, audiat. Nã ſecundum quòd ait Beda in homil. quoties hæc admonitio: ſcilicet, Qui habet aures audiendi, audiat, in euãgel. vel in Apocal. Ioan. præmittitur, myſticum eſſe quod ſequitur: quęrendúmq; à nobis eſſe intẽtius oſtenditur. Sic ergo hic præmittitur litera ſamach, quæ ſignificat Audi vel Firmamẽtum: ad denotandum quòd verba in iſto octonario contenta, debent audiri non ſolùm ſono exteriori qui ab aure exteriori faciliter trãſit: ſed ſono & aure interiori, in quo ſono vel auditu maius eſt firmamentum. Quid enim valet auditus exterior, ſi quod dicitur, aure cordis non percipiatur? Nam & quãdoq; etiã inuiti audire ſolemus, & oppoſitũ illius quod auditur agere. Sed hoc tale audire non ſolùm cõpetit officio naturæ: ſed etiã illud quod maius eſt, vt audias non tam aure corporis quàm aure mẽtis. Ideo huic octonario hæc litera ſamach pręmittitur: quę ſignificat Audi & Firmamentum: vt noueris quòd myſteria hic tradita, & aure corporis audire, & mẽte firmiter capere debes. Vnde iſte octonarius diuiditur in partes octo: ſecũdum octo quę agit, quæ nobis ad ſalutem audire ſunt & mente percipere. Debes ergo in iſto octonario audire primò legem Dei mente eſſe diligendam: ſecundò ſpem in ſolo Deo eſſe ponẽdam: ibi, *Adiutor*: tertiò malorum ſocietatem eſſe relinquendam: ibi, *Declinate*: quartò incarnationem Chriſti eſſe meditandam: ibi, *Suſcipe*: quintò iuſtitiam operibus eſſe faciendã: ibi, *Adiuua*: ſextò malitiam hominum eſſe puniẽdam: ibi, *Spreuiſti*: ſeptimò præuaricationẽ legis eſſe deteſtãdam: ibi, *Præuaricantes*: octauò iuſtitiam Dei eſſe formidandam: ibi, *Confige timore tuo*. Quantum ad primum: primò oſtendit legẽ Dei mente fore diligendam: quæ quidẽ diligitur, cùm iniquitas & peccatũ habetur odio. Et hoc in ſe oſtendit Pſalm. dicens, *Iniquos odio habui* &c. Vbi notandũ quòd in homine iniquo

*Odio vitia debent haberi, non natura.*



iniquo ſunt duo: ſcilicet malitia & natura. Malitia, quia diuinæ legi contraria eſt, odio debet haberi: natura autem, quia à Deo facta eſt, diligi debet. Nã de Deo dicitur, Diligis omnia, & nihil odiſti eorũ quæ feciſti. Ideo nõ ait, Iniquos odio habui, & iuſtos dilexi: quia ſicut in iuſtis diligitur virtus & natura, ſic per oppoſitum videtur quòd in iniuſtis odio debet haberi & iniquitas & natura. Et hoc deducit hic Auguſt. dicens, Non ait, Iniquos odio habui, & iuſtos dilexi. Sed cùm dixiſſet, *Iniquos odio habui*: expoſuit quare, addendo, *Et legem tuam dilexi*: vt demonſtraret non ſe in hominibus iniquis odiſſe naturam qua homines ſunt: ſed iniquitatem qua legi quam diligit inimicantur. Sed quomodo Pſalmiſta dicit, *Iniquos odio habui*: cùm ipſe Dauid inimicos perſecutus nõ fuerit vt poterat: quinimmo iniquos defendebat, & pro ipſis ne occiderentur populum deprecabatur? Iſtud dubiũ mouet hic Ambroſ. dicẽs, Ait Pſalmiſta, *Iniquos odio habui*. Sed quomodo iniquos homines oderat Dauid, qui parricidam filium commendauit præliatoribus, ne eum aliquis occideret? Qui Saul regis etiam mortẽ vindicauit in eum qui nunciauit occiſum? Ergo non iniquos homines, ſed iniquos oderat mores. Vnde & dixit, *Iniquos odio habui*: nõ addidit viros. Deinde cùm dicat Ieſus in euãgelio, Diligite inimicos veſtros, Dicat & Apoſtolus, Benedicite eis qui perſequũtur vos: & nolite maledicere. Quomodo excuſaretur iſte vir euangelica viuens diſciplina, ſi iniquos odiſſet homines: niſi intelligas, quòd iniquitatem odio habuit, non eos? Sed fortè dices, In hoc odio ac dilectione videtur euãgelium ſibi ipſi contrarium eſſe: quod præcipit etiam inimicos diligere: & ex alia parte etiam parentes filiũ & vxorẽ odire. Hoc dubium hic mouet Ambroſ. & ſoluit dicens, Dominus Ieſus inimicorum noſtrorum dilectionem nobis imperat, dicens, Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos &c. Ex alia parte dicit, Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, vxorem, filios, fratres, ſorores, adhuc autem & animam ſuam: nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Quia ſi quis ocioſis auribus percipiens dicat, Tu domine legem dediſti, dicens, Dilige dominum Deum tuum: dilige proximum tuũ. Et vt impleres hanc legem veniſti, & dixiſti per legem: Patrem tuum honora & matrem tuã. Et nunc in euãgelio iubes vt parentes oderim, Quomodo ſibi cõueniunt iſta præcepta? Si mitis & humilis corde veniſti, non poſſum ſaluo iure pietatis odiſſe patrẽ, cui debeo quòd creatus ſum: nec matrẽ longo decem menſium faſtidio pij fœtus onera portantem: cui in abſolutione plus periculi, in delatione plus tædij eſt. Quid dulciſſimi merentur filij, vt paternũ excludãt amorem: cùm ſit impium mori nolle pro liberis? Quid vxor chariſſima, vitæ quædam cohæres & conſortium communis naturę? Quid fratres hiſdem concreti viſceribus, atq; formati eodẽ naturæ auſpicio in hunc vſum lucis emiſſi? Oderim ergo pignora charitatis. Ita euãgelij lenitate rigorẽ præduræ legis inflectis: vt quorum lex condemnat iniurias, eorum tu euangelij tui gratia non condẽnes? Et ſubdit Ambroſ. ſoluendo, dicẽs, Video huic quæſtioni me reſpondere non poſſe: ſed tu domine Ieſu reſponde. Et reſpondet Ieſus, Ego non cõdemno impietatem qui odi iniquitatẽ? Ego parentes præcipio non amandos, qui inimicos ſuadeo diligendos? Sed nunquid legiſti, quia tempus amãdi & tempus odiendi: tempus belli, & tempus pacis? De quo hoc dicit Eccleſiaſt: Nónne de eo quod ratione temporis fiat, vt aliquos piè & amare & odire poſſimus? & quos dilexeris odiſſe, & quos oderis amare conueniat? Non ego parentum infudi pectoribus odium filiorum: nullo coniugũ ſuaſi faſtidia mentibus maritorum. Naturam interroga quid exegerit, quę auctoris arbitrium genitali ſingularum neceſſitudinum teſtatur affectu amare parentibus filios. Lex maritis eſt amare coniuges. Lex diuina eſt, quæ coniugij charitatem in naturã vertit; vt fiat vna caro, vnus ſpiritus. Diligere fratribus fratres naturæ prærogatiua eſt, quæ eodem domicilio diu fotos aſſuefecit ad gratiam charitatis. Non ergo neceſſitudinum inteſtina bella mandaui: ſed illecebram ſuſpectam habui. At non iure ſuſpectam, cùm ſerpens ille callidus & aſtutus ad conſtruendas nequitiæ ſuæ artes, quòd incorruptę ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adæ labefaceret affectum: fœmineis magis illecebris quàm ſuis communiit venenis. Itaque fœmina virum, quem ſerpens tentare auſus non eſt, cibo oris & vi amoris inflexit, molli quadam & conciliatricula vxoriæ ſedulitatis affectione traduxit: & adhuc Eua liberos non habebat. Quorum gratia, vt dulcis ad amorem, ita eſſet facilis ad lapſum. Plurimos etiam à martyrij conſumatione ſæpe reuocauit. Denique ſæpe cognouimus, quem formidoloſa carnificum pompa non terruit, nec diuiſi lateris vlcus inflexit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis deducere rigore potuerunt: eum inter iam ſacra præmia conſtitutũ, vxor temerè iam, ſobolis oblatio miſerabilis, vnius lacrymę miſeratione decepit. Samſon captus eſt per vxorem: nũquid tu fortior? Salomon captus eſt in vxore: nunquid tu ſapientior? Ille ergo cuius ſapiẽtia totis celebratur ſæculis, factus eſt inſipiens, quia nimium amauit vxorem. Quid de fratribus dicam? Expertum eſt & nulla oſcula deteſtabiliora eſſe quàm odia fraterna. Sic ergo tempus eſt amandi, & tempus odio habendi: hoc eſt tempus martyrij, quando ea quæ data ſunt omni charitate neceſſitudinum ſunt prędferenda: tempus belli, quo etiam bellum pro Chriſti nomine perfidis pignoribus inferimus: tempus pacis, quia in pace locus eius. Denique in euangelio ipſe euidenter expoſuit qua ratione noſtros debeamus odiſſe: dicens, Qui diligit patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Non indignos eſſe qui parentes diligunt, ſed eos indignos ait, qui plus parentes ſuos quàm Chriſtum diligunt. Si ideo deferimus honorem parentibus, quia noſtræ generationis auctores ſunt: quanto magis Chriſtum amare debemus, qui ipſorum eſt auctor parentum? Iſti dederunt quod non poteſtatis eſt, ſed miniſterij ſui: Chriſtus donat ſalutem, quæ parentum beneficia conſeruat. Pulchrè ergo dixit, *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*. Quia ſi legem amamus, odiſſe debemus aduerſarios legis: qui operibus ſuis præcepta legis impugnant. Hęc omnia Ambroſ.

*Sapient. 11.*

*Queſtio.*

*Matth. 5.*

*Rom. 12.*

*Amari debet natura hominis, odiri vitia.*

*Matth. 5.*

*Luce 14.*

*Deut. 6.*

*Luce 10.*

*Exod. 20.*

*Amor parẽtũ, filiorum, vxoris, & fratrum.*

*Eccle. 3.*

*Geneſ. 3.*

*Mulieres & vxores multos deceperũt, & etiã à corona martyrij deieceruñt.*

*Iudic. 16.*

*Matth. 10.*

## Adiutor & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui. 2187

Hîc oſtendit ſecundum: ſcilicet in ſolo Deo ſpẽ eſſe ponendam. Cùm enim ſolus Deus ſit potens, qui deficere non poteſt; ſolus verax, qui decipere nõ poteſt; ſolus bonus, qui ſuos repellere nõ nouit: cõſequens eſt, vt nõ in hominibus qui deficiũt, qui deci

decipiunt,qui etiam quandoq; nõ annuunt:ſed in ſolo Deo ſit ſperandum.Vnde Pſal.117,Bonum eſt ſperare in domino quàm ſperare in principibus.Et hoc eſt quod hic dicit Pſal. *Adiutor & ſuſceptor* &c. Et aduerte quòd aliter dicitur Deus adiutor noſter,& aliter ſuſceptor.Adiutor enim dicitur, quia nos ad bona facienda iuuat: ſuſceptor, quia ne ad mala cadamus nos ſuſtinet.Et ideo in vtroq;:ſcilicet & in bonis agẽdis & in malis cauẽdis,in ipſum ſperare debemus.Quod declarãs hic Auguſt.dicit, Adiutor noſter eſt Deus ad bona faciẽda:ſuſceptor autem ad mala euadenda. Quod autem adiũgit, *Et in verbum tuum ſuperſperaui*,tanquã filius promiſſionis loquitur.Vel aliter adiuuat, & aliter nos ſuſcipit Chriſtus:quia per legem nos adiuuat, ſuis nos dirigendo præceptis:ſed per euangelium nos ſuſcipit,dum in corpore ſuo peccata noſtra portauit.Et hunc intellectum hic habet Ambroſ.dicẽs, Adiutor noſter eſt Deus per legẽ: ſed ſuſceptor per euãgelium.Quos enim lege adiuuit, incarnatione ſuſcepit.Et ſcriptum eſt,Hic peccata noſtra portauit in corpore ſuo ſuper lignum crucis:& ideo in verbum tuum ſuperſperaui.Quod ille Deo dicit, qui ſemper addit ad ſperandum: & cùm ſperauerit aliquid,iterum ſperat,& ſpe proficit:extẽdens ſe ſemper ad ſuperiora & ea quæ prætereunt obliuiſcens. Pulchrè autẽ ait,*Et in verbum tuum ſuperſperaui.* Hoc non in prophetas ſperaui,non in legem:ſed in verbum tuum,id eſt in filium tuum,in aduentum filij tui:vt venias & ſuſcipias peccatores,delicta cõdones, ouem errãtem & laſſam tuis cruce in humeris bonus paſtor imponas. Qualiter autem Deus adiutor noſter dicitur, vide verſic.267.301.499.631. 673.872.957.983.1135.1625.2020.

*Adiutor & ſuſcepto r noſter qualiter dicitur Deus.*

*1.Petr.2.*

## 2188 Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.

Hîc oſtendit tertium:ſcilicet malorum ſocietatem eſſe relinquendam.Scriptũ eſt enim,Cùm ſancto ſanctus eris:& cum peruerſo peruertêris.Quia ſicut boni ſuos cõſocios ad virtutes ſuis exemplis prouocant:ſic mali ad vitia. Et ideo quicunq; ſperat in Chriſtum, ſe à malorum conſortio ſeparare debet. Et hoc in ſe ſuo exemplo nobis oſtendens Pſalm.dicit, *Declinate à me maligni* &c. Vbi aduerte quòd per malignos hic intelligit litigatores: qui pro rebus temporalibus tempus quod diuinis rebus impendere debent,in litigando expendunt:& conſimiliter ſuos prælatos impediunt, ne Deo vacare poſſint.Vnde hic ait Auguſt.*Declinate à me maligni,& ſcrutabor* &c.Non enim ait,faciam, ſed *ſcrutabor*.Nam malignos exercent ad facienda mandata:à ſcrutandis autem auocant,nõ ſolùm cùm perſequuntur aut litigare volunt nobiſcum: verumetiam cùm obſequuntur & honorant.Et tamẽ ſuis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur,& eis noſtra tempora impẽdamus, efflagitãt:aut certè infirmos premunt,& cauſas ſuas ad nos deferre compellunt. Quibus dicere non audemus,Dic homo,quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos?Vnde propter eos qui inter ſe pertinaciter agunt,& quando bonos premũt, noſtra iudicata contemnunt,faciũtque nobis perire tempora rebus eroganda diuinis: certè & propter iſtos nobis liceat exclamare in hac voce corporis Chriſti:dicẽs,*Declinate à me maligni, & ſcrutabor mãdata Dei mei.*Ex hoc enim Auguſt.vult reprehendere prælatos,qui plus ſollicitantur circa temporalia quàm circa diuina:plus temporis exponũt in cauſis litigantium, quàm diuinis impendunt officiis. Et plus in illis gloriantur, quàm in ſpiritualibus rebus.Vel ideo hæc verba dicit Pſalm.vt ſatis apertè oſtendat malignos(id eſt dæmones) ſtudium ſacræ ſcripturæ pro poſſe, impedire velle: eo quòd ſcripturæ ſtudium maximè dæmonũ malitias detegit,peccatorum deteſtationem oſtẽdit, peccatores de peccato per pœnitẽtiam reducit ad gratiam. Vnde de beato Gregorio dicitur, quòd ſemper quando intrabat ſtudium ſuum ad lectionem ſcripturarum,hunc verſum contra dęmones,ipſos abiiciens dicebat, *Declinate à me maligni* &c. Vnde ad iſtum propoſitum idem Gregor.hunc verſum inducit: dicens, Quos magis alios hoſtes patimur, quàm malignos ſpiritus: qui in noſtris cogitationibus nos obſident, vt ciuitatem valeant noſtræ mentis irrumpere, eámq; ſub iugo dominij ſui captam ſubſternere? Argenti autem nomine eloquia ſacra deſignari teſtatur Pſalm.dicens,Eloquia domini eloquia caſta:argentum igne examinatũ. Sæpe enim cum eloquiis ſacris intendimus,malignorum ſpirituũ inſidias grauius toleramus:quia mẽti noſtrę cogitationum terrenorum puluerẽ aſpergunt, vt intentionis noſtræ oculos à luce intimæ viſionis obſcurent. Quod bene Pſalm.præuiderat: dicens,*Declinate à me maligni,& ſcrutabor mãdata Dei mei.*videlicet per hoc patenter inſinuans quia mãdata Dei perſcrutari nõ poterat,cùm malignorum ſpirituum inſidias in mente tolerabat. Vel aliter: per iſta verba vult oſtendere Pſalm.quòd nullus in ſtudio ſacræ ſcripturæ poteſt proficere,niſi ab omni peccato & malignitate fuerit ſegregatus.Et iſtũ intellectum oſtendit hic Ambroſ.dicens, *Declinate à me* &c. Huius verſiculi teſtimonio ſignificatur, quia vbi malignitas eſt,ibi cuſtodia cœleſtiũ mandatorum eſſe non poſſit. In maleuolam enim animam non introibit ſapientia. Et alibi, Quærẽt me mali,& non inuenient.Simplicem mẽtem, purum ac defæcatum animum dilexit Chriſtus:nec poteſt immaculatæ veritati vllum cum maculoſis cõtubernium eſſe.Flagitia odit, refugit & aſpernatur contagia qui dicit, Diſcite à me, quia mitis ſum. Malignos repellit, laborantes reuocat. Dicit illis, Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: iſtis ait,Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis. Non vtique qui onerati eſtis malignitate mentis,ſed infirmitate carnis. Onerati inquam alieni hæreditate peccati. Laborantibus ſubuenio: fraudulentis prodeſſe non debeo,ne pluribus noceant. hos pœna compeſcat:illos emendet gratia.Malitia enim fons peccati eſt:culpa, infirmitatis eſt lapſus. Illi ſubuenire debeo qui laborat: illum & odiſſe qui decipit. Malas igitur operationes repellit. Nam ſi ita accipias,videtur dicere,Diſcedite à me, quia mundus ſum, quia purus ſum. Hæc Phariſæus dicebat,& reprehenſus eſt à Chriſto. Non ergo propheta hic dicit, Mundus ſum, ſed Cor mundum crea in me Deus. Ideóque relegato conſortio malignorum, quaſi qui antè permixtus illis ſuſcipi non poſſit à domino:dicit, *Declinate à me* &c.

*Maligni dicuntur litigatores.*

*Lucæ 12.*

*Tẽporalibus*

*prælati intẽdere non debent.*

*Nota tibi.*

*Gregor.16. moral.cap.9.*

*Studiũ ſcripturæ dæmones impedire conantur.*

*Studens ſcripturæ ſacræ ab omni peccato debet eſſe ſeparatus.*

*Matth.11.*

*Pſalm.6. Matth.11.*

## Suſcipe me ſecundum eloquium tuum,& viuam: & non confundas me ab expectatione mea. 2189

Hic



Hîc oſtendit quartum: ſcilicet incarnationem corde meditãdam. Humanum genus peccato primi patẽtis mortuum culpa,ſolùm per fidem incarnationis Chriſti ad vitam ſpiritualem reduci poterat.Et ideo ſancti patres,illius incarnationis fidem habentes,ipſum cum ſummo expectabant deſiderio:vt ipſe noſtram naturam aſſumens,vitam ſpiritualem mundo tribueret. Et hoc Pſalm.in perſona corporis Chriſti,quod eſt eccleſia, deſiderans ipſi Dei filio ſupplicat: dicens, *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum* &c.Deus enim mundo promiſit filium ſuum pro ſalute mundi mittere, qui hominem aſſumeret ad hypoſtaticam vnionem, per quem vitã mũdo tribueret. Et hoc poſtulat hic Pſalm.dicẽs, *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum*:id eſt ſecũdũ promiſſum tuum &c.De iſta ſuſceptione,quæ Chriſti incarnationem ſignificat,vide verſic.23.1206.Vnde Pſal.3,Tu autẽ domine ſuſceptor meus es, gloria mea &c. Vel aliter legitur iſte textus de ſuſceptione qua Deus ſuos ſuſcipit per gratiam in ſua protectione ſingulari, modo quò ſummus põtifex religioſos ſub protectione ſedis Apoſtolicę aſſumpſit.Et ſic iuſtos hic ſuſcipit per gratiam, & in futuro per gloriam. Sic enim de ſuſceptione per gratiam dicitur Iob 42,Suſcepit dominus faciem Iob. De ſuſceptione verò gloriæ dicitur Act.7,Domine ſuſcipe ſpiritum meũ. Et ſic intelligitur quod hic dicitur, *Suſcipe me* &c. Et ſic exponitur dupliciter iſte verſus:ſcilicet de ſuſceptione qua homo ſuſcipitur ad vitam gratiæ, & qua ſuſcipitur ad vitam glorię.Primò de ſuſceptione per gratiam:vt ſit ſenſus,*Suſcipe me* &c.ſcilicet ad gratiam continuè ampliorem.*Et tunc viuam:* vita ſcilicet ſpirituali. Et ad iſtum intellectum exponit Ambroſ.hic dicens,*Suſcipe me ſecundum eloquium tuum,& viuam.*Si viuit qui eſt in ſinu Abrahæ, vt ille Lazarus pauper: quomodo poteſt non viuere,quem ſempiterna vita ſuſcepit: quem totũ ſibi Chriſtus aſſumpſit: qui totus verbi eſt: cuius vita abſcondita eſt in Chriſto Ieſu?Secundò exponitur de ſuſceptione per gloriã: vt ſit ſenſus, Suſcipe de mortalitate ad mortalitatem:de miſeria ad gloriam. Et ad iſtum ſenſum exponit hic Auguſt.dicens,*Suſcipe me ſecundum eloquiũ tuum,& viuam.*Sic enim de futuro dictum eſt,& viuam: tanquam hic in hoc corpore mortuo nõ viuatur.*Corpus enim* mortuum eſt propter peccatum: & exoptantes redemptionem corporis noſtri, ſpe ſalui facti ſumus:& quod non videmus,ſperantes, cum patiẽtia expectamus.Verùm ne videatur præſumptio ſic audacter poſtulare à Deo, *Suſcipe me,* ideo addit,*Secundum eloquium tuum*;id eſt ſecundum promiſſionem tuam.Vbi Ambroſ.ait,Quia intolerandæ præſumptionis videretur dicere Deo, *Suſcipe me*:ideo promiſſionem Dei adiunxit:dicens, *Secundum eloquium tuum.* Hoc eſt, vt nos hoc auderemus petere,tu feciſti. Tuo te chirographo conuenimus:qui noſtrum chirographum ſuſtuliſti. Nos fecimus chirographum mortis:tu ſcripſiſti chirographum vitæ. Ergo non confundas me ab expectatione mea,quia in te ſpero: ſpes enim non confundit.Quaſi dicat,Et ſi tribulamur,tu patientiam ſubminiſtra vt ferre poſſimus: vt quia te expecto, non me comprimas infirmitatibus: non ſuccumbam tentationibus:non affligar procellis, in quibus eſt probanda patientia,vt probatio conſequatur:quæ ſpem firmat & roborat,quæ non confundit.Hic enim frangimur frequenter, laboribus fatigamur:ſi ſpes deſit,confundimur. Sed eſto quòd aliqui ſunt dati ad labores, firmi ad iniurias perferendas:ſed ſi ſpem auferas,non poteſt perpetua eſſe patientia.Spera igitur ſemper,& nemo te ab expectatione confundet.Expectatio noſtra,vita ęterna eſt. Expectatio noſtra, regnum Dei eſt. Spera quotidie;iſta res finem non habet,neſcit inducias. Spera etiam in aduerſis poſitus. Si quis dicat tibi in aduerſis laborãti,Quid tibi prodeſt iuſtitia tua? tu tamen ſpera:non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi, Quid tibi quotidiana profuere ieiunia? quid caſtitas corporis? quid pudor mentis? Ecce ſicut iniuſtus & impius vulneratus es: non deficiat fides tua. Nam etiam ſi infirmus es: fidelis tamen: ſolicitus eſt pro te Chriſtus. Audi Pſalm.dicẽtem, Ego autem mendicus ſum & pauper: & dominus ſolicitus eſt mei.

*Suſcipit nos Deus per gratiam & per gloriam.*

*Rom.8.*

*Rom.5.*

*Spes patientiam ſouet.*

*Pſalm.39.*

## Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. 2190

Hiç oſtendit quintum: ſcilicet iuſtitiam operibus eſſe faciẽdam: ſcilicet vt adiuti gratia Dei,ſine qua malum per nos operari poſſumus,ſed non bona:ſemper mandatis Dei ſimus intẽti:quorum obſeruatione ſaluos nos futuros eſſe ſperemus. Et hoc eſt quod Deo hic ait Pſalm.*Adiuua me,& ſaluus ero* &c. Aduertẽdum autem quid hic per Dei iuſtificationes intelligat. Vbi ſciendum quòd iuſtificatio eſt duplex: quædã noſtra, qua nos ipſos iuſtificamus:vt puta publicãdo bona noſtra & occultãdo mala. Sic enim iuſtificationem noſtrã facimus, vt fecit ille Phariſæus in templo qui ſeipſum iuſtificans ait,Deus,gratias ago tibi,quia non ſum &c. Alia eſt iuſtificatio Dei,qua nos ſcilicet Deum iuſtificamus:id eſt, iuſtum oſtendimus: confitendo ſcilicet peccata noſtra, ipſius veniam poſtulantes. Sic enim nos peccatores, & ipſum iuſtũ eſſe prædicamus.Sic enim Deum iuſtificabat Pſalm.dicẽs, Tibi ſoli peccaui & malum &c.vt iuſtificeris &c. Qui ergo auxilio Dei vult ſaluari, in iuſtificationibus Dei ſemper debet meditari,ſcilicet ſemper Dei bonitatem & ſuam miſeriam confiteri. Quod iſte ſe facturum exhibet:dicens, *Adiuua me:* ſcilicet per gratiam delendo peccata:*& ſaluus ero*,per gloriam. *Et meditabor in iuſtificationibus*,&c.Sed dices,Iam iſte adiutus erat à Deo:vnde ſuperius dixit,*Adiutor meus es tu.* Ad quid igitur iterum petit, iterum verba conculcat,dicens,*Adiuua me*? Reſpondeo, quia ſicut adiutorio Dei continuè indigemus, ſic ipſum continuè orationibus poſtulare debemus: vt ſcilicet datum nobis adiutorium conſeruetur, & amplius augeatur. Vnde hic Ambroſius,ait,Superius dixit Pſalmiſta,*Adiutor & ſuſceptor meus es tu:*intellectum hic iuuari petit.Quaſi dicat, Sine ceſſatione me adiuua: non mihi ſatis eſt quod popoſci, iterum peto vt ſaluus fiam. Hic non magna, non vera eſt ſalus: tunc autem ſaluus ero cum fuero in paradiſo,cum viuere cœpero inter beatos angelos tuos, cum laqueos terræ huius euaſero. Sed ne fortè adiuti in neceſſitatibus, poſtea in proſperis poſiti negligamus: docet nos immemores beneficiorũ diuinorũ nequaquam eſſe debere,ſed ſemper meditari in iuſtificationibus domini.Et vt boni aliquid operis fecerimus,ſemper tamẽ ei peccata noſtra fateamur. Hæc eſt iuſtificatio domini. Deniq; Phariſæi non iuſtificauerunt Deum, qui baptizari

*Iuſtificatio duplex: ſcilicet Dei, & noſtra.*

*Lucæ 18.*

*Pſalm.10.*

*Quæſtio.*

gg 2 bap

baptiſmo pœnitentiæ noluerunt. Ergo ille ſe iuſtificat, qui ſuorum non pœnitet peccatorum. Qui enim pœnitet, confitetur, & Deum iuſtificat: vt eſt illud, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Ideo publicanus magis iuſtificatus exiuit de tẽplo, quàm Phariſæ⁹, qui ſe iuſtificabat, ſuas publicando iuſtitias. Publicanus autem iuſtificabat Deũ, proprias iniquitates confitẽdo. Ergo qui meditatur iuſtificationes Dei, ſemper humiliatur. Non hodie humiliatur, & cras exaltatur: ſed ſemper humilis corde, & mitis affectu eſt. Vnde ait, *Et meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper*. Plus autem eſt ſemper, quàm die ac nocte, vel tota die: hoc enim ſupra tempus eſt. Ergo etiã inter angelos annumeratus oportet vt dicas iuſtificationes Dei ſemper. Et illam quam adeptus es gloriam, non tuis meritis arroges, ſed diuinæ miſerationi ſemper aſcribas: ne tibi dicatur, Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Omnis enim creatura quæcunque habet, accepit à Chriſto, qui totius auctor eſt creaturæ.

*Pſal. 50.*

*Sẽper plus importat, quàm die ac nocte.*

## 2191 Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum eſt.

Hîc ponit ſextum: ſcilicet malitiam hominum oſtendit eſſe puniẽdam. Sicut enim apud diuinam iuſtitiam nullum bonum manet irremuneratum: ſic nec peccatum aliquod manet impunitum. Et ideo ſicut Deus iuſtos ſuſcipit ad gloriam: ſic peccatores ſpernit & deputat ad æternã pœnã. Quod hic notans Pſalm. dicit, *Spreuiſti omnes* &c. Spernere enim idem eſt quòd vilipendere vel contemnere: quod de dãnatis propriè dicitur. Vnde in Græco habetur, *Ad nihilum deduxiſti omnes diſcedentes* &c. Accedimus autem ad iudicia Dei, illa corde meditando meditatione efficaci: & diſcedimus ab illis, corde recedendo. Accedendo ad illa efficimur iuſti: diſcedẽdo ab illis, efficimur iniuſti. quod fit cogitationibus noſtris. Vnde Auguſt. hũc paſſum exponens, ait, *Spreuiſti omnes* &c. vel (quod de Græco diligentius videtur expreſſum) *Ad nihilum deduxiſti omnes diſcedentes* &c. Ideo enim iſte clamauit ad dominum, dicens, *Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper*: quia in nihilum redigit Deus omnes diſcedentes à iuſtificationibus ſuis. Quare autem diſcedunt, oſtendit dicens, *Quia iniuſta eſt cogitatio eorum*. Ibi enim acceditur, ibi diſceditur. Omnia opera bona vel mala à cogitatione procedunt. In cogitatione quilibet innocens, in cogitatione quilibet reus eſt. Propter quod ſcriptum eſt, Cogitatio ſancta ſeruabit te. Et alibi legitur, In cogitationibus impij interrogatio erit. Et Apoſtolus ait, Cogitationibus accuſantibus, aut excuſantibus. Ibi ergo infelix eſt qui in cogitatione miſer eſt. Aut quomodo ibi nõ miſer eſt, qui ad nihilum redactus eſt? Et attẽde quòd nullum ſpernit Deus, niſi eum qui primò Deum ſpernit. Spernit autem Deum ſuperbus, eius præceptis inobediens. Et vide quòd ait, *omnes diſcedentes à iudiciis tuis*: & non dicit quòd Deus diſcedat à nobis, quia nos elongamur à Deo per ſuperbiam: non ipſe elõgatur à nobis. Vnde hic ait Ambroſ. *Spreuiſti omnes* &c. Omnis ſuperbus immundus eſt in conſpectu domini, quia non poteſt per ſuperbiam ſua mundare peccata, qui arroganti ſpiritu coaceruat errorẽ. Ideóq; deſpicitur, quia deſpectui habet diuina mandata. Bene autem cœleſtis præſeruatur prærogatiua clementiæ, quia nullum Deus repellit: ſed quicunque noluerint peccata ſua confiteri, ipſi diſcedũt à domino Deo noſtro. Non enim interuallo locorum Deus derelinquitur, ſed prauitate morũ & deformitate geſtorum diſcedit à Deo, qui ſe elongat ab eo. Vnuſquiſq; enim ſuis ſtudiis ſeſe Deo aut iungit, aut ſeparat. Rectè autem ait, *Ad nihilum deduxiſti diſcedentes* &c. Quæ enim ſpes foret diſcedẽtibus à Deo, quando omnes ſumus ſub peccato? Et pulchrè omnes ad nihilum deduxiſti à te diſcedẽtes: ſiue ille ſit diues, nihil illæ diuitiæ ſibi proſunt: ſiue honoratus, nihil illi dignitas: ſiue potẽs, nihil illi potentia: ſiue ſapiens mundi, nihil illi proficit ſcientia. Qualiter autem peccatores per peccatum deducantur ad nihilum, & nihil efficiantur, vide verſic. 908. 970.

*A cogitatione procedunt omnia noſtra bona vel mala.*

*Sapient. 2.*

*Rom. 2.*

*Superbus ſpernitur à Deo.*

## 2192 Præuaricãtes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.

Hic ponit ſeptimum: ſcilicet præuaricationem legis eſſe deteſtandam. Si enim claudicatio corporis diſplicet homini, quanto magis claudicantem mẽte debet odire? Quid eſt præuaricatio, niſi quædam mẽtis claudiras? Nam varico, as, ſecundũ grãmaticos, idem eſt quod claudicare. Et componitur cum præ, & fit præuarico, as: id eſt præ aliis claudicare. Eſt autem præuaricator propriè legis vel præ cæteris in lege claudicator: vel præ cæteris legis tranſgreſſor. Vnde omnes tales ſunt præuaricatores: quorũ peccata Pſalm. odio habere docet, dicẽs, *Præuaricantes reputaui omnes* &c. Quòd autẽ præuaricatio ſit propriè in lege facta tranſgreſſio, hic oſtendit Auguſt. dicẽs, Dicit enim Apoſtolus, Lex iram operatur. Et huius dicti rationem reddẽs: ait, Vbi enim non eſt lex, neq; præuaricatio. Ex hoc oſtendens nõ omnes eſſe præuaricatores: nõ enim omnes legem habent. Ex quo ſequitur quòd infideles quibus lex data non eſt, peccatores quidem dici poſſunt: ſed non præuaricatores. Et hoc propriè accipiendo Præuaricatio: ſed iſtum terminum accipiendo communiter, omnis peccator dici poteſt tranſgreſſor. Et tunc ſunt duplices peccatores: ſcilicet peccatores cœli, & peccatores terræ: ſic etiam ſunt duplices tranſgreſſores: vt hic deducit Ambroſ. dicens, Aliud eſt præuaricatorem eſſe diſcedẽtem à iuſtificationibus Dei: aliud præuaricatorẽ eſſe terræ. Illud grauius, hoc leuius. Vnde ait, *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ* &c. Rectè autem præuaricator dicitur qui recedit à domino. Peccator enim Græcè à diſcedẽdo apoſtata nominatur. Vnde & dicitur, Vinum & mulieres faciunt apoſtatare, id eſt præuaricare & à domino diſcedere. Cauenda ſunt ergo incentiua & lenocinia delictorum, ne in ſcelus vergãt. Præuaricator autẽ Latinè tranſgreſſor vocatur: eo quòd à domini lege tranſeat ad errorẽ, & tranſgrediatur mãdata cœleſtia: cui dictũ eſt à domino Deo ſuo, vt ſibi adhæreat. Adhæreto igitur domino Deo tuo indiuiduo ſemper affectu, ne te ab illo vis vlla poſſit euellere. Si quid enim rarũ, ſi quos intermiſſos affectus aduerſarius viderit: ſtatim ſe immittit in pectus & in cor tuum: vt te laqueo teneat ſuæ fraudis, & vt hoſtilis vinculo poteſtatis innexus à deuotione retraharis. Et ſubdit Ambroſ. quòd omnis peccator dicitur præuaricator: & ꝙ ſecundum diuerſas præuarica-

*Præuaricator quid eſt.*

*Rom. 4.*

*Eccleſ. 19.*

*Diaboli contra nos diligentia.*





uaricationes diuerſitas eſt pœnarum. Vnde ait, Sed non ſolus ille præuaricator eſt qui à cultu Dei ad cultum tranſgreditur idolorum: ſed etiam quicunque legis mandata non ſeruat. Omnis ergo peccator præuaricator eſt. Nomẽ commune eſt: ſed ſicut diuerſa ſunt merita delictorum, ſic & diuerſa precia culparum. Sed dices, Si ergo omnis peccator præuaricator eſt, etiam ex eo quia licet non omnis homo habeat legem Moyſi vel exteriorem ſibi datam, habet tamen omnis homo legem naturæ intrinſecè ſibi inſignitam, contra quam facit omnis peccans: cur ergo dicit, *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*: & cur nõ ſimpliciter dicit *omnes peccatores*? Hanc dubitationem mouet Ambroſ. & eam diſſoluit, dicens, Quid ſibi vult, quòd ait *peccatores terræ*? Sed ſunt cœli peccatores, & peccatores terræ. Sunt enim cœli peccatores: ſicut ille qui ait, Pater peccaui in cœlũ & coram te. Sunt qui dicant, quia is qui cœleſtia non ſeruat oracula, præuaricator eſt cœli. Sed ſiue hoc, ſiue quia minuit gratiã quam accepit è cœlo, quam ſpiritusſanctus infundit: ſiue quia ciuis cœli factus, non debes in terram redire de cœlo. In cœlũ ergo peccas, ſi cœli incola factus cœlum relinquas. Diuerſitas igitur peccatorum eſt, quia alij peccatores cœli, alij peccatores terræ ſunt. Audi peccatores eſſe terræ: In matutinis (inquit) interficiebam omnes peccatores terræ. Quomodo autem poterat omnes peccatores terræ interficere? Sed ſi conſideres iuſtum cui nox præceſſit, dies autem appropinquauit: potes videre quomodo ex oriente ſole iuſtitiæ, de luce vigilãs interficias omnia fomenta delictorum. Peccat igitur in cœlum, qui cœleſtis ciuitatis iura contaminat, & immaculati corporis violat ſanctitatem ſuorũ colluuione vitiorum. Et vide ne fortè ſint qui cœli & terræ peccatores ſint. Nam vtique Adam cum in paradiſo eſſet, cœleſtis erat: poſt lapſum autem terrenus eſt factus. Nam primus homo de terra terrenus: ſecundus de cœlo cœleſtis. Abiiciamus ergo à nobis imaginem terreni: ſuſcipiamus imaginem cœleſtis, non fuco expreſſam, non ceris, non coloribus adumbratam: ſed moribus, in qua ſe Chriſtus agnoſcat. Sequitur, *Ideo dilexi teſtimonia tua*. Qua ſi dicat, Omnes peccatores ſunt præuaricatores: ego autem tua adiutus gratia, non ſum præuaricator. *Dilexi teſtimonia tua*: id eſt martyria tua. Quia deliberaui vt prius auferatur vita quàm fides. Vel aliter, ſecundum glo. *Ideo dilexi teſtimonia tua*. Quaſi dicat, Lex vel in paradiſo data, vel naturaliter inſita, vel literis iterata fecit omnes præuaricatores: ideo ne cum illis eſſem, dilexi teſtimonia tua: quæ ſcilicet ſunt in lege tua, de gratia tua: vt non ſit in me iuſtitia mea, ſed tua.

*Quæſtio.*

*Peccator quis dicitur cœli, & quis terræ.*

*Luc. 15.*

*Pſal. 100.*

*Peccatores omnes terræ quomodo interficiant.*

*1. Cor. 15.*

## 2193 Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.

Hîc oſtendit octauum: ſcilicet iuſtitiam Dei eſſe formidandam. Qui enim timet iudicari à domino, ſeipſum hic iudicat: crucifigendo carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, ne poſtmodum iudicetur à domino. Dicit enim Apoſtolus, quòd ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique à domino iudicaremur. Sed quia ſine ſpeciali Dei gratia non poteſt homo facere vt carnem ſuam maceret & affligat, quam naturaliter diligit: ideo hoc à Deo in ſeipſo fieri poſtulat, dicens, *Confige timore tuo carnes meas* &c. Iſte textus clarius in Græco habetur: vbi dicitur, *Confige clauis*. Ex quo Pſalmiſta præuidens myſterium Chriſti crucis, iam cum Chriſto cruci affligi deſiderabat. Vnde hic ait Auguſtinus, *Confige clauis timore tuo* &c. Vbi quid vult intelligi niſi quod ait Apoſtolus, Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo? Et iterum inquit, Chriſto crucifixus ſum cruci. Viuo autem iã non ego: viuit autem in me Chriſtus. Item alibi dicit, Qui autem Ieſu Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis. Cum autem in hoc dictum ſit quòd ipſi crucifixerunt carnem ſuam, in iſto tamen loco Deus rogatur vt id faciat: cui dicitur, *Confige clauis timore tuo carnes meas*: vt intelligas etiam id quod rectè facimus, gratiæ Dei eſſe tribuendum, qui in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate. Quid eſt ergo cõfigere clauis carnes ſuas à timore domini, niſi deponere omnes carnis voluptates, omnes illecebras, & omnia contraria Chriſto? Vnde Ambroſ. hic ait, Qui diligit domini teſtimonia, configit clauis carnes ſuas: ſciens quòd vetus homo ſuus cum Chriſto crucifixus eſt cruci. Luxuriam deſtruit carnis, ne cupiditates eius indomito feruore laſciuiant: ne radix auaritię ſerpentibus ſe radicibus fundat. Cõfige ergo te clauis, & deſtrue fomenta peccati. Moriatur in te illecebra omnis dilictorum: libertatem vagandi cupiditas voluptatum non habeat cruci affixam. Eſt enim quidam clauus Chriſti talis, qui patibulo dominicæ crucis affigat has carnes. Et fortaſſe ſunt quædam carnes animæ: ſicut & corpus eſt animæ. Carnes animæ, carnales cogitationes ſunt. Configat has carnes clauus timoris domini & iudiciorum eius, & ipſas redigat ſeruituti: quòd ſi carnes iſtæ reiiciunt clauos timoris domini, indubiè de ipſis dicitur, Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Niſi ergo affigantur hæ carnes cruci, & configantur clauis à timore domini, nõ permanebit in illis ſpiritus Dei. Vt ergo ſpiritus Dei in te permaneat, cõfige clauis diuini timoris carnes tuas cruci. Infige pectori tuo & cordi ſignaculũ crucifixi. Infige brachio tuo, vt opera tua mortua ſint peccato: nihil in his criminis reuiuiſcat, nil reſurgat erroris. Et nota quòd non ſolùm homo configit carnes ſuas cruci clauis timoris: ſed etiam clauis charitatis & amoris. Vnde conſequenter ait Ambr. Et fortaſſe non ſolùm claui timoris, ſed etiam charitatis te cruci affigãt: quia fortis eſt vt mors charitas, durus ſicut inferus zelus. Non ergo te offendat duritia clauorum, quia eſt duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida eſt etiam ſicut mors charitas. Charitas enim culpas & omnia peccata mortificat. Denique morimur peccatis dũ domini mãdata diligimus. Charitas Deus eſt: charitas verbum Dei eſt, quod eſt validum & acutius omni gladio acutiſſimo vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, artúſque & intima penetrans medullarum. Eſt durus ergo zelus charitatis qui nõ cedit infernis, cùm pro Dei zelo vnuſquiſque nec ſuis, ſed nec ſibi parcit. Tollamus ergo crucem domini quæ configat carnes noſtras, & peccatum deſtruat. Sed hic eſt dubium. Quomodo enim hic Pſalmiſta petit à Deo timorem ſibi dari quo configantur carnes ſuæ, dicens, *Confige timore tuo carnes meas*: cùm iam ipſum Dei timorem haberet: propter quod dicit, *A iudiciis enim tuis timui*? Quis enim ab alio petit ſibi dari quod habet? Ad hoc eſt duplex reſponſio. Prima vt petat timorem iam habitum de diuinis iudiciis ſic

*1. Cor. 11.*

*Configit carnes ſuas qui cum Chriſto crucifigitur.*

*Gal. 6.*

*Gal. 2.*

*Gal. 5.*

*Phil. 2.*

*Quid eſt crucifigi cũ Chriſto.*

*Carnes habet corpus & anima.*

*Claui timoris.*

*Gen. 6.*

*Claui charitatis.*

*Hab. 4.*

*Quæſtio.*

*Timor duplex.*

augeri & perfici, vt ſufficiat ad crucifigendum ſeipſum, & ad omnia peccata mortificãda. Non enim omnis timor ad hoc ſufficit, vt experientia docet. Secundò reſpondetur quòd duplex eſt timor: ſcilicet primus quo pœna timetur: & iſte non ſufficit ad mortificanda vitia. ſecundus eſt timor caſtus, quo amatur iuſtitia: & iſte vitia mortificat. Habuit ergo Pſalmiſta priùs timorem pœnæ: ſed poſtulabat timorem caſtum ſibi dari. Et iſta eſt intentio Auguſt. hic dicentis, Quid ſibi vult, quòd cùm dixiſſet, *Confige clauis à timore tuo carnes meas*: addidit, *A iudiciis enim tuis timui*? Si enim iam timebat, cur timorem petit? Caſtum enim timorẽ petit, qui priùs habebat timorem pœnæ. *Confige timore tuo carnes meas*: ſcilicet timore caſto, quo carnalia deſideria comprimuntur: *A iudiciis enim tuis timui*; cùm mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi dare non poterat iuſtitiam. Sed hunc timorem quo pœna metuitur, conſumata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ liberos reddit. Timor namque iſte quo timetur pœna, ſed non amatur iuſtitia, carnalis eſt: & ideo carnem non crucifigit. Viuit enim peccandi voluntas; quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cùm verò pœna creditur ſecutura, latẽter viuit. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non ſpiritualiter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem caſto peccare timet, etiamſi ſequatur impunitas. Tali timore carnes crucifiguntur: quoniam carnales delectationes quæ legis litera vetantur, ſpiritualium bonorum delectatione vincuntur. Dicit ergo, *Confige timore tuo* &c. hoc eſt, Da mihi timorem caſtum, ad quem petendum me timor ille legis perduxit: quo timore à iudiciis tuis timui.

*1. Ioan. 4.*

*Timore pœnæ vitãs peccatũ, peccat.*

2194 Hain

## Feci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.

Hîc incipit decimusſextus octonarius: cui pro titulo præmittitur decimaſexta litera alphabeti Hæbraici, quæ eſt hain: quæ Oculus interpretatur, & Fons. Vbi ſciendum quòd duplex eſt oculus: ſcilicet oculus mentis, & oculus corporis. Oculus corporis eſt quaſi quidam nuncius, qui ea quæ videt exterius, nunciat ac præſentat oculo mentis. Vnde in oculo exteriori non eſt propriè peccatum neque meritum: ſed eſt quaſi fons peccati & meriti. quia quæ præſentat oculus exterior, oculus interior ſi bene illa re præſentata vtatur: tũc oculus exterior dicitur fons meriti. Si autem oculus interior re tali ſibi præſentata malè vtatur, peccat: & ſic oculus exterior qui illam præſentat, dicitur fons peccatorum. Et de iſtis ait hic Ambroſius, Oculus vtitur videndi munere: ſed videmus ea quæ nobis placent: & ſæpe ea quæ diſplicent. Nec eſt in oculis culpa vel probitas pro qualitate eorum quæ vidẽtur: ſed in oculis interioribus. Oculus tamen fons generationis dicitur, quia ex oculi conſpectu aut bona aut mala generantur. Dat exempla. Vidiſti mulieris pulchritudinem: laudaſti artificis opus, venuſtatem naturæ: generatio fidei & deuotionis fuit oculus. Cõtemplatus es ſacram puellam: preſſit oculos tuos reuerentia auguſtæ caſtitatis: prædicaſti dominum Ieſum Chriſtum, qui ſenilem dediſſet adoleſcentulæ ætati grauitatem, immaculatámque vitam inter infirmas tam lubricæ huius carnis illecebras humanis infudiſſet affectibus: oculus fons tibi bonorum eſt. Vidiſti poſſeſſiones pupillorum non ad inuadẽdum, ſed ad defenſandum: oculus tibi fons fuit & origo iuſtitiæ. Vidiſti nudum, & miſertus induiſti eum: oculus tibi fons fuit miſericordiæ. Econtra. Vidiſti mulieris pulchritudinem, & concupiſti: oculus tibi fons fuit luxuriæ. Vidiſti agrum pupilli, & auaritia motus concupiſti: oculus tibi fuit fons auaritiæ. Vidiſti inopem ſuperbo & inſatiabili corde, & deſpexiſti: oculus tibi fons fuit ſuperbię. Ex quibus apparet quòd oculi exteriores rectè fontes dicuntur, tam bonorum quàm malorum. Ne ergo quem tibi dedit Deus ad naturæ perfectionem & decorem oculus exterior vtatur in malum, ipſius officio oculus interior licitè debet vti, vt non ſibi origo ſit peccatorum, ſed fons meritorum. Et per illa quę oculo interiori exterior oculus præſentia demonſtrat, ſciat oculus interior præuidere futura: maximè vltimum iudicium, in quo nullus innocens periclitabitur, & nemo ſceleratus euadet. Ad propoſitum ergo: quia in iſto octonario agitur de futuro iudicio, quod interiori oculo præuidere debemus: ideo huic octonario præmittitur hæc litera, hain: quæ Oculus & Fons interpretatur: vt ſemper apertis oculis interioribus illud aſpiciamus. Iſte autem aſpectus & conſideratio vltimi iudicij, multorum bonorum eſt, vt fons, generatiua: ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur. Quoniam intenta conſideratio diuini iudicij, primò iuſtis in domino præſtat cõfidentiam: in principio: ſecundò rectis in bono generat perſeuerantiam: ibi, *Suſcipe*: tertiò prauos inducit ad pœnitentiam: ibi, *Oculi mei*: quartò pœnitentibus concedit peccatorum veniam: ibi, *Fac cum ſeruo tuo*; quintò humilibus donat mandatorum ſapientiã: ibi, *Seruus tuus*: ſextò pręuaricatorum arguit malitiam: ibi, *Tempus faciendi*: ſeptimò rectis efficit mandatorum Dei complacentiam: ibi, *Ideo*: octauò vitiorum omnium inducit diſplicentiam: ibi, *Propterea*. Quantum ergo ad primum: oſtendit quòd intenta præmeditatio vltimi iudicij iuſtis præſtat in domino confidentiam: non quidem quòd confidant in ſeipſis vel in operibus ſuis, ſed in ipſo Deo, quia eos fecit iuſtos: conſiderant iuſtitiam eis datam à Deo, & in hoc confidentes, lætanter iudicij tempus expectant. Sed dum propriam naturam & fragilitatem conſiderant, timent, ſed confidentia ipſorum timorem ſuperat & reprimit. Vnde Greg. dicit, Omnis qui bene viuere incipit, audiẽs quòd per extremum iudicium iuſti ad regnum vocẽtur, hilareſcit. Sed quia quædam mala adhuc ex reliquo conſiderat, hoc ipſum iudicium de quo exultare inchoat, appropinquare formidat: vitámque ſuam bonis maliſque permixtam conſpicit, & cogitationes ſuas aliquo modo ſpe & timore cõfundit. Nam cum audit quæ ſint regni gaudia, mox mentem lętitia ſubleuat. Et rurſum cum reſpicit quæ ſint gehennę tormenta, mox mentem formido perturbat. Sed inter hæc ſollicitè ad mentem reuertitur, & procellas tantæ formidinis renuens, ſéque ita ſolius pacis tranquillitate diſponens, totis viribus à diſcreto iudice inueniri liber conatur. Seruile quippe æſtimat diuinam ſententiam formidare. At ne conſpectum patris metuat, illa agit per quæ ſe filium eſſe cognoſcat. Diſcit ergo iudicem tota expectatione diligere: atque vt ita dixerim, timendo renuit timere. Ex quibus apparet propoſitũ quòd conſideratio vltimi iudicij iuſtis dat confidentiam. Et hoc eſt quòd hic Pſalm. ſpiritu prophetico prę-

*Oculꝰ duplex. Oculus exterior dicitur fons peccati & meriti, ſed non peccat. Oculus interior peccat & meretur.*

*Iudiciũ vltimũ iuſti lætãter expectant*

*Gre. 31. mor. cap. 28.*

uidens



uidens iudicium Dei, in quo bonus nullus perit, malus non euadit: bona fretus conſcientia, dicit, *Feci iudicium & iuſtitiam*. Non eſt vox arrogantis, ſed humiliter Dei beneficium recognoſcentis, & gratias agentis. Vnde ſubdit, *Non tradas me*: id eſt non tradas me calumniantibus: ſcilicet dæmonibus. Et notandum quòd quamuis propriè iudicium & iuſtitia differant, quia iuſtitia dicit virtutem mentis, iudicium verò actum illius virtutis: tamen hic accipitur iuſtitia, non pro ipſa virtute mentis, ſed pro actu eius. Et ſic hic pro eodem accipitur iudicium & iuſtitia. Eſt etiam notandũ, quòd quamuis vſitato modo loquendi iudicium aliquando dicatur rectum: aliquando non rectũ: tamẽ propriè & ſtrictè loquẽdo, iudiciũ ſemper eſt rectũ, quia eſt actus iuſtitiæ: & ſi nõ ſit rectũ, iam non eſt iudiciũ, niſi nomine ſolo. Vnde hic ait Aug. Quamuis autem ſiue rectũ ſiue prauũ ſit, in noſtri ſermonis vſu iudiciũ nuncupetur: hoc tamen loco ita poſitum eſt iudicium, tanquam ſi rectum non fuerit, iudicium non debeat nominari. alioquin non ſufficeret dicere, *Feci iudicium*: ſed diceretur, *Feci iudicium rectum*. Hoc modo iudicium ſolum pro recto iudicio accipit Ieſus, dicẽs, Reliquiſtis grauiora legis, iudicium, miſericordiam & fidem. Iudicium enim hic ſic poſitum eſt, tanquam non ſit iudicium, ſi peruerſum eſt. Et in multis ſcripturarum locis ita ponitur vt ibi, Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Et illud Eſaiæ, Expectaui vt faceret iudicium, & fecit iniquitatem. Iuſtitia autem eſt virtus animi magna. Qui enim habet in ſe iuſtitiam, rectè iudicat. Iuſtitiæ ergo nomine hoc loco non ipſa virtus, ſed eius operatio ſignificata eſt. Eſt ergo ſenſus: *Feci iudicium*: ſcilicet de meipſo meipſum iudicãdo, carnes meas cõfigendo cruci per timorẽ Dei. Feci etiã iuſtitiam erga pauperes: ſcilicet eis ſubueniendo. Nam largitio eleemoſynarum in ſcriptura iuſtitia dicitur. Pſal. 111, Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſęculum ſęculi. Vel aliter: iſta verba non ſunt ambitioſi, ſed innocentiam ſuam allegantis: vt à Deo fortius defendatur, ne diabolicæ tradatur voluntati. & ſi corporaliter perſequitur à malis, perſecutio oſtendatur iniuſta. Et iſtum intellectum hic habet Ambroſius dicens, *Feci iudicium & iuſtitiam* &c. Non quaſi glorioſus inſolens ipſe ſe laudat, cũ vtique legiſperitus alterius potius quàm proprio ore vnumquemque ſciat eſſe laudandum. Non (inquam) prædicatorum iactantia eſt: ſed vitæ innocẽtis aſſertio, iure præſumpta, ne dignus æſtimaretur quòd propter grauia peccata relinqueretur à domino, & traderetur nocẽtum poteſtati. Defenſio eſt igitur, non arrogantia, quãdo non extollentia aliqua honoris aſſumitur, ſed formidabilis propulſatur ærumna. Denique Petrus hoc genere defenſionis vtitur, dicẽs, Ecce, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? In quo verbo ſi aliquid reprehenſibile fuiſſet: non tantum gratiæ de domini ſentẽtia retuliſſet. Aliud eſt enim ſe dignum præmio dicere: aliud, indignum iniuria. Vult dicere, quòd ſicut ſi quis pro homicidio condemnaretur ad mortem, quod tamẽ ipſe non commiſiſſet: ſibi licitum eſt Deum interpellando dicere, Domine Deus tu ſcis in hoc me fore innocentẽ: tamen etſi corpus in manus perſecutoris traditur, te rogo defende animam: ne tradas: id eſt ne tradi permittas calumniantibus me: ſcilicet ipſorum voluntati: vt ſi corpus perit, ſaluetur anima. Vnde ſubdit Ambroſius, Scit iſte principem mundi actorem eſſe omnium delictorum. Ipſe proximorum indiuiduos affectus irarum ſtimulis excitatos ſcindit: ipſe flammam libidinis accendit: ipſe auget auaritiæ cupiditates, vt quo plus rapuerimus, amplius requiramus: ipſe ſuggerit & miniſtrat fomenta luxuriæ: ipſe odium exaſperat: ipſe immodicæ ambitionis ſtudium inflammat, vt quod vicium blãdum eſt exordio, ſæuum ſit in proceſſu. Nec fraternę potuit germanitatis contemplatione reuocari, dum dolet ſibi gratiæ cœleſtis ambitor fratrem eſſe pręlatum: de ſacrificio proceſſit ad parricidiũ. Auctorem igitur incontinentiæ diabolum eſſe Apoſtolus docet, dicens, Ne tentet vos diabolus propter incontinentiam veſtram. Incentorem quoque auariciæ ipſum eſſe legimus: Paulo dicente, Qui volũt diuites fieri, incidũt in tentationem & in laqueum diaboli. In his enim voluntatem diaboli facimus, & exequimur poteſtatem: qui per carnis iſtius deſideria incentiuum ſuæ fraudis operamur. Quemcũque ergo in vitiorum ſuorum poſſeſſione repererit, tanquam obnoxium ſuo iuri vendicat. Adulterium qui facit, luxuriam qui exercet, aliena qui diripit, portio diaboli eſt. Pudicus autem, continens & miſericors, portio Chriſti eſt. Ideo Pſal. dicit, *Feci iudicium & iuſtitiam*: non vt arroget, ſed vt excuſet: ne quaſi peccator & diaboli portio, à Chriſto deſertus, rapiatur à diabolo. Ideo ſubdit, *Non tradas me calumniantibus me*: ſcilicet dæmonibus, quia non ipſorum portio, ſed tua ſum: non ipſorum voluntatem ſecutus ſum, ſed tuã, quia feci iudiciũ & iuſtitiam.

*Iudiciũ & iuſtitia quomodo differunt.*

*Matth. 23.*

*Pſal. 100.*

*Eſa. 5.*

*Iuſtꝰ & vitam ſuam quã licitè prædicare poteſt.*

*Matth. 19.*

*Diabolus incẽtor eſt omniũ malorum.*

*1. Cor. 7.*

*1. Tim. 6.*

## Suſcipe ſeruum tuum in bonum, vt non calumnientur me ſuperbi. 2195

Hîc oſtendit ſecundum: quòd conſideratio diuini iudicij rectis dat in bono perſeuerãtiam. Quis enim conſiderãs illam pro bonis dandã ſentẽtiam, Venite benedicti patris mei &c. & illam cõtra malos, Diſcedite à me maledicti &c. bonum quod incepit interrumpat? Certè nullus: teſte Chryſoſt. ſuper Matth. dicente, Si conſideres qualis quantáque erit ſanctorum gloria, miſeriáque dãnatorum: neceſſe eſt, quòd aut propter timorem pœnæ recedas à malo, aut propter amorem gloriæ feſtines ad bonum: ergo multo fortius quòd ſi ſis in bono, in illo perſeueres. Et hoc hic Pſal. notans dicit, *Suſcipe ſeruum tuum in bonũ* &c. ſcilicet in tua protectione me ſuſcipe, ne à bono cadere poſſim. Vbi notandum quòd calumniator dicitur à calumnia, niæ. Eſt autem calumnia accuſatio falſa, crimen falſè obiectũ. Et ſic calumniator vocatur propriè diabolus, qui tam in die quàm in nocte quos vitiis ſuperare non poteſt, ſaltem diffamare apud alios contendit: vt calũniis & infamationibus preſſi, ad impatiẽtiam perducantur. Ne ergo iſtorum calumniis à ſtatu perſeuerantiæ cadat: rogat dominum, dicens, *Suſcipe ſeruum* &c. Quaſi dicat, ſecundum Aug. Illi, ſcilicet calumniatores, mę impellunt, vt cadam in malum: tu me ſuſcipe in bonum, ne cadam. Calũniatur ergo nos diabolus per ſeipſum & per ſua membra multis calumniis, vt puta quòd crucifixum colimus, & huiuſmodi: quas omnes per auxiliũ Chriſti crucifixi ſuperamus. Vnde hic ait Auguſtinus, Multæ autem intelligi poſſunt calumniæ ſuperborum, à quibus humilitas Chriſtiana deſpicitur: ſed illa maxima eſt, quòd calumniatur, à nobis mortuum coli crucifixum. Sed ipſa humilitas Chriſtiana, Chriſti morte inſinuatur, commendatúrque diuinitus. Hæc autem calumnia vtriſque infidelibus

*Amor gloriæ & timor pœnæ inducũt ad bonum.*

*Calumniator quis dicitur.*

*Calũnias ſuperborũ per fidẽ crucifixi ſuperamus.*

 ſcilicet

ſcilicet Iudæis & gentibus,communis eſt.Qui ſcilicet in hoc nos diffamãt & accuſant, vt Chriſtum crucifixum,Dei filium eſſe negemus.Habent quoque calumnias ſuas hæretici & ſchiſmatici : quorum omnium calumniæ ſuperborum, tãquam colubrorũ venena vincuntur:cùm vigilantiſſima pietate Chriſtus crucifixus attenditur. Propter quod præfigurandum Deo miſerante ac iubente Moyſes exaltauit in deſerto ſimilitudinem ſerpentis in ligno,vt ſimilitudo carnis peccati crucifigenda prę figuraretur in Chriſto. Hanc intuendo ſalutiferam crucem, omnium calumniantium ſuperborum virus expellimus. Et aduerte quòd valde diligenter in iſtis calumniis contemplandus eſt Chriſtus crucifixus , quia calumniatores contra nos audaces ſunt & fortes:vt oſtendit hic Ambroſ.dicens,*Suſcipe ſeruum* &c.vt non calumnientur me ſuperbi. Cur autem iſte timeat calumniantibus tradi , aperit dicens,*Vt non calumnientur me ſuperbi.* Quaſi dicat,Calumniatores ſunt quia oderunt virtutem : impugnant innocẽtiam,quia ſuperbi ſunt. Qualis enim aduerſus ſeruulum Dei erit diabolus ſuperbus,qui aduerſus dominum ſe exaltat , & dicit , In cœlum cõſcendam:ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meũ: ſimilis ero altiſſimo? Quid mirum itaque ſi grauare homines poſſit,qui pertinaci ſpiritu nec Deo cedit?Ponit ſupra ſidera ſedem ſuam , quãdo electum decipit,quando iſtum circunuenit:cuius opera lucent,ſicut ſtellæ in cœlo. Nónne & Iudas proditor inter cæteros audiebat,Vos eſtis lux mundi? Nónne diabolus lumen eius extinxit? Quinetiam quos non potuerit circunuenire, calumniatur inuidens regni cœleſtis gloriæ,vt quos illecebris ſuis à Chriſto non potuit ſeparare , eos calumniis ſuis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatum operantur in nobis. Ecce manus domini parata eſt , quæ te fugientem ab aduerſariis tueatur ac protegat.Dic ergo cordialiter Deo , *Suſcipe ſeruum tuum iu bonum , vt non calumnientur me ſuperbi:*ne me decipiant.

*Num.21.* *Ioan.3.* *Iuſtis calumniatur diabolus.* *Eſa.14.* *Matth 5.*

2196 ## Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum,& in eloquium iuſtitiæ tuæ.

Hîc ponit tertium : ſcilicet quòd conſideratio diuini iudicij prauos & peccatores ducit ad pœnitentiam.Si enim quilibet naturaliter fugit pœnam & mortem corporalem , quanto magis pœnam & mortem æternam , quæ impœnitentibus dabitur immediatè?Ideo vt illam euadat,dum iudicium vltimum conſiderat:ſeipſum examinat, & per pœnitentiã errata corrigit & emẽdat. Vnde dicit Greg. Qui venturum iudicem cogitat,indeſinenter quotidie rationum ſuarum cauſas perorat &c.Hæc autem peroratio fit per pœnitentiam & lacrymas: quam hic in ſeipſo oſtendit Pſal.*Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum* &c. id eſt deſiderando videre ſalutare tuum : ſcilicet Chriſtum mihi ſaluatorem in iudicio:oculi mei defecerunt:& hoc præ copia lacrymarum. Vel aliter : propheta præuidens Chriſtum per myſterium crucis nos ſaluaturũ:ardenter ipſum conſiderabat,& cum Chriſto ſe crucifigens ipſius Chriſti deſiderat aduentum : cuius gratia erat ſaluandus.Vnde hic ait Auguſt.Hanc intuens Pſalmiſta ſalutiferam crucem , omnium calumniantium ſuperborum virus expellit. Quam valdè intentè intuens , dicit , *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum.* Ipſum Chriſtum Deus propter ſimilitudinem carnis , peccati ,peccatum pro nobis fecit:vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo.In huius igitur eloquium iuſtitiæ Dei defeciſſe dicit oculos ſuos, ardenter & ſitienter intuendo : dum memor infirmitatis humanæ , diuinam in Chriſto gratiam deſiderat.Vel dic eodem modo oculos Pſalmiſtæ defeciſſe , quo ſupra dictum eſt, verſic. 2155. Per iſta enim verba Pſalm, vult oſtendere , quàm ardenti deſiderio Chriſti expectabat aduentum , dicens, *Oculi mei defecerũt in ſalutare tuum.* Vnde hic ait Ambroſius, Oculi iſtius in Chriſtum deficiunt , dum eius prẹſtolantur aduentum.Animę videlicet oculi, non corporis , tota fidei deuotione defixi. In eo enim quem diligimus,totis oculis occupamur:nec quicquam aliud videre delectat. Non poteſt hoc dicere , niſi qui à mundanis ſolicitudinibus & ſecularibus voluptatibus intentionem omnem ſuæ mentis auertit. Ille ergo hoc dicere poteſt, qui ſuprà dixit,*Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Qui ſunt ergo oculi qui defecerunt in eloquiũ Dei, niſi oculi hominis interioris,qui tenduntur vt videant Dei verbum : & nimia intentione & expectatione deficiunt in ſalutare Dei,defectum ſui patientes,vt aſſumant quod verbi eſt? Vel aliter : duplices ſunt oculi interiores:ſcilicet oculi pœnæ , & oculi gratiæ:id eſt conſideratio ſuppliciorum,& conſideratio gratiarum. Primus oculus:ſcilicet ſuppliciorũ, deficit per pœnitentiam:qui ſcilicet præuidens futura ſupplicia peccatorum(ne ſit cum illis ) gerendam annunciat pœnitentiam, & agit. Demonſtrat hunc oculum Ioannes Baptiſta,dicens , Generatio viperarum , quis vobis oſtendit fugere ab ira futura?Facite ergo fructus dignos pœnitẽtiæ. Ad Ioannis ergo baptiſmum veniebant,qui habebant oculum ſuppliciorum : ad Chriſti autem baptiſmum veniunt qui habent oculum gratiarum. Hic enim oculus eſt quem dominicæ paſſionis vmbra tuetur & protegit. Et imperfectæ animæ eſt oculus ſuppliciorum;perfectæ autem , oculus gratiarũ. Quia imperfecta peccata tantummodo iudicium declinare deſiderat : perfecta verò meritum regni cœleſtis acquirere præſumit.

*Oculi quomodo deficiũt in Chriſtum.* *Gre.31. mor. cap.9.* *Rom.8.* *Oculus interior duplex.* *Luc.3.*

## Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam:& iuſtificationes tuas doce me. 2197

Hîc oſtendit quartum:ſcilicet quòd conſideratio iudicij nobis acquirit peccatorum veniam. Si enim(vt dictum eſt) conſideratio vltimi iudicij inducit homines ad pœnitentiam,& veræ pœnitentiæ non denegatur venia : vt habetur de pœn. diſtin. 1. minor,conſequens eſt quòd ipſa conſideratio pœnitenti acquirit veniam à Deo & miſericordiam.Et hoc eſt quòd Pſal. hic illud iudicium præuidens, à Deo veniam poſtulat & miſericordiã:dicens , *Fac cum ſeruo tuo* &c. vbi nullum ſuum meritum inducit, ſed ſolùm gratiam quærit:dicens , *Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiã tuã.* Non vtiq; ſecundũ iuſtitiam meã.*Et iuſtificationes tuas doce me.*Illas proculdubio : ſcilicet quibus Deus facit iuſtos: non ipſi ſe.Iuſtificationes ergo Dei appellat omnia illa quibus mediantibus Deus peccatores iuſtificat:ſicut ſunt ſacramenta,vt baptiſmus , pœnitentia,vel etiam mandata nouæ legis.Et aduerte,quòd hic iſte duo poſtulat:ſcilicet miſericordiam ſibi deferri,& iuſtitiã edoceri. Primò miſericordiã poſtulat:dicẽs, *Fac cum ſeruo tuo ſecũdum miſericordiã tuam.* Nõ iuſtitiam petit,ſed gratiam.Vnde hic ait Amb. Non enim iuſtitiam petit:ſed miſericordiam.Vnde alibi dicit, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur,&c.Etenim noſtrorum cõſcij peccatorum, miſericordiam magis petere Dei noſtri , quàm iuſtitiam implorare debemus. Alia veniam largitur,alia examen impertit. Quæ enim ſpes hominibus poteſt eſſe certandi apud eum quẽ occulta non fallunt,quem latere peccata non poſſunt? Et ideo ſciens eius potentiam qui hominem non timeret,ait,Tibi ſoli peccaui. Non poteſt hoc iuſtus negare,quia nemo ſine peccato. Non poteſt rex , quia etſi leges in poteſtate habet vt impune delinquat,Deo tamen ſubditus eſt : immò plus debet ipſe,cui plus commiſſum eſt. Hic ergo non iuſtitiam,ſed miſericordiam petit:dicens, *Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam.*quia etſi quid boni feci:tamen plura debeo,quaſi ſeruus.Nemo vno facto ſeruus abſoluitur.Ergo cum fecerimus quod nobis imperatum eſt , non ſtatim nos exaltare debemus:ſed magis humiliari, quia non ſtatim ſi aliquid fecimus, impleuimus omnia ſeruitutis obſequia. Quis tanta naturæ munera, vitæ ſalutíſque ſeruare:diuina beneficia digno poſſit æquari ſeruitio?Quis poteſt ſoluere totum quod accepit?Quæ omnia Pſal.conſiderans , non iuſtitiam à Deo ſibi fieri, ſed miſericordiam poſtulat humiliter:dicens, *Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam.*Secundò poſtulat iuſtificationes edoceri:dicens,*Et iuſtificationes tuas doce me.*Vbi aduertendum quòd duplex eſt doctrina:ſcilicet ſpeculatiua & practica.Speculatiua tẽdit ad ſcire:ſed practica ad operari bonum quod ſcitur. Speculatiua ſine practica nihil proficit ad ſalutem:quinimò culpam auget. Quis enim plura bona nouit quàm diabolus , qui ſubtilitate intellectus viget : & longam temporum experientiam habet?Et quia non ſecundum ſcientiam operatur,quid ſibi proficit ſcire ? Sed ſcire practicum; quod ſcilicet bonum quod nouit, operatur : apud Deum mercedem acquirit. Vnde dicit Apoſtolus Iac.4, Scienti bonum & non operanti, peccatum eſt illi.De hoc vide ver.839. Poſtulat ergo iſte doceri à Deo , non quidem ſolùm ſpeculatiuè , ſed practicè magis. Quod ſatis notat cum hic ſe ſeruũ nominat : quia ſeruus magis ordinatur ad opus, quàm ad ſcire.Vel aliter,illum Deus iuſtificationes ſuas docet, cùm in aduerſis tribuit patientiam veram, per quam patiens iuſtificatur. vide ſupra ver. 2145. Vel aliter : hic petit edoceri iuſtificationes Dei, quibus ſcilicet ipſe Deus iuſtificatur à nobis. De quibus vide ver.2190.

*Miſericordiã & gratiã petere debemus, nõ iuſtitiam.* *Pſal.141.* *Pſal.50.*

1198 ## Seruus tuus ſum ego : da mihi intellectum,vt ſciam teſtimonia tua.

Hic oſtendit quintum:ſcilicet quòd conſideratio diuini iudicij dat humilibus mandatorum ſapientiam. Cùm enim (vt dictum eſt) talis conſideratio ducat hominem ad veram pœnitentiam , in qua nullus poteſt eſſe,niſi à propoſito obſeruet diuina mandata quę nullus facere poteſt,niſi illa cognoſcat:ideo conſequens eſt vt etiam illorum nobis cõferat notitiam. Et hoc eſt quod hic Pſal.poſtulat:dicens,*Seruus tuus ego ſum,*&c,Quia enim vera ſcientia per humilitatem & obſeruationem pręceptorum acquiritur(vt dictum eſt ver.2177.)ideo vt facilius in hoc exaudiatur ſuam humilitatẽ pręmittit : dicens, *Seruus tuus ſum ego:da mihi intellectum,* &c.O petitio iteranda ſæpius:immò nunquam intermittenda , vt intellectum à Deo nobis dari poſtulemus. Vnde hic ait Auguſt. Nunquam intermittenda eſt iſta petitio.Non enim ſufficit accepiſſe intellectum & Dei mandata didiciſſe , niſi ſemper accipiatur, & quodammodo ſemper bibatur de fonte lucis æternę.Mandatorum enim Dei quãto quiſque fit intelligentior,tanto magis ſciuntur. Dicit ergo , *Seruus tuus ſum ego,* &c. O quàm felix, quàm rarus eſt ille qui Deo verè dicere poteſt, *Seruus tuus ſum ego,*&c.vide ver.2167. A Deo petit intellectum ſibi dari , quia intellectus donũ Dei eſt, quod ſolùm humilibus datur. Vnde hic ait Ambroſ.*Seruus tuus ſum,*&c, Intellectus, ſpirituale munus eſt.Et ideo quod Dei eſt,à domino poſtulatur. Nec quaſi extraneus poſcit,qui ſe ſeruum eſſe cõfitetur.Bene autem ait,*ſeruus tuus ſum.* Seruus enim voluntatem domini ſui facit. Seruus quærit ſeruitutis ſtipendia:remunerationem non quærit. Seruus domini non poteſt idem eſſe ſeruus peccati. Et ideo intellectum ſibi dari poſcit, vt poſſit cohibere peccatum. Habebat quidem intellectum : ſed vt redundare ſibi crederet,vberiorem requirit. Eſt autem intellectus naturæ:eſt etiam intellectus nõ bonus.Ideo Salomõ ait,Intellectus bonus dat gratiam.Nam ſi omnis intellectus bonus eſſet, non opus fuiſſet additamento.Iure ergo gratiam domini ſui quærit. Aliter homo ſcire non poteſt ſecreta domini, niſi intellectus ſpiritualis munus acceperit : quia niſi dominus notum fecerit hominibus myſterium ſuum,ſciri non poterit. Sed intellectus bonus, omnibus facientibus eum. Et attende hic mirabilia iudicia Dei.Nam ſæpe vni datur intellectus ad cognoſcendum diuina mandata , ſed volũtatem faciendi quod nouit nõ habet. Alteri autem econtrario : datur voluntas faciendi quod debet, ſed intellectum ad illud cognoſcendum non habet.Et cauſam huius atque caſum ponit Gregor. ſuper illo verbo Iob 5,Bibent ſitiẽtes diuitias eius: dicẽs, Sæpe ſtultus habet interni fontis liquorem: ſed non bibet, quia ingenium quippe intelligẽtiæ accepit:ſed tamen veritatis ſententias cognoſcere legendo contemnit.Scit quia intelligere ſtudendo præualeat,ſed ab omni doctrinæ ſtudio faſtidioſus ceſſat.Diuitiæ quoque mentis ſunt verba ſacræ lectionis.Sed has diuitias ſtultus oculis aſpicit, & in ornamenti ſui vſum minimè aſſumit : quia verba legis audiens,magna quidem conſiderat:ſed ad cõprehendenda hæc, nullo ſtudio amoris elaborat. At contra alius ſitim habet: ſed intellectum nõ habet.Amor ad meditandum pertrahit:ſed ſenſus hebetudo contradicit.Et infrà dicit , Sed his auditis, quæſtio noſtro cordi ſuboritur. cur vel negligenti intelligẽtiæ donum tribuitur, vel faſtidioſus quiſque ſenſus ſui tarditate præpeditur? Ad quam reſpondetur , Idcirco enim ſæpe & deſidioſus ingenium accipit, vt de negligentia iuſtius puniatur. quia quod ſine labore ſcire potuit,ſcire cõtempſit. Et idcirco nonnunquam ſtudioſus tarditate intellectus præmittitur , vt eo maiora præmia retributionis inueniat, quo magis in ſtudio inuentionis elaborat. Sic ergo ſtudioſo ad præmia tarditas intellectus proficit, & deſidioſo velocitas intellectus ad ſupplicium creſcit.

*Intellectus poſtulari debet ſemper à Deo.* *Seruus Dei quis eſt.* *Intellectus duplex,bonus & malus.* *Intellectus datur, quandoque ſine voluntate,& econtrario.* *Greg. 6. moral.cap.4.* *Ioan.5.* *Gregorius ibidem.* *Quæſtio.*

## Tempus faciendi domine : diſſipauerunt legem tuam. 2199

Hic oſtendit ſextum:ſcilicet quòd conſideratio iudicij , præuaricatorũ arguit maliciã:quia ſcilicet in iudicio omnia arguent & accuſabunt peccatores,

A res, quòd in tempore præſentis vitæ, quod ſcilicet eſt tempus faciendi, ſicut poſt iudicium erit tempus ſecundum facta recipiendi, ipſi noluerunt facere ſecundum legem Dei, ſed illam diſſipauerunt: id eſt, eam contempſerunt. Et hoc eſt quòd in iudicio ſancti de peccatoribus Deo dicent, *Tempus faciendi*: id eſt quando erat tempus faciendi, ipſi diſſipauerunt legem tuam. Vel aliter, vbi ſciendũ quòd ibi magis eſt ſuccurrẽdum, vbi maius cernitur periculum. Et ideo Chriſtus tunc venire voluit in mundum, quando dominium diaboli magis vidit dilatatum: vt oſtendit Petrus Rab. ſuper illo, Cùm natus eſſet Ieſus, &c. dicẽs, Quid eſt quòd tempore regis nefandi Deus deſcendit ad terras, miſcetur B diuinitas carni, fit terreno corpori cœleſte cõmercium? Quid eſt? Et quãdo rex verus expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, libertatem redditurus aduentat: Herodes alienæ gentis, gentis Iudæorum regnum inuaſit, libertatem ſuſtulit, prophetauit ſancta, quicquid erat cultus, quicquid erat ordinis aboleuit? Meritò ergo gẽti ſanctæ, quia humana defecerant, diuina ſuccurrunt. Et eo tempore adeſt Deus ipſi, cui homo deerat. Hoc ergo erat domino tempus faciendi: id eſt implendi promiſſum incarnationis: quando ſcilicet ex toto lex diuina erat diſſipata: quia quaſi ipſius obſeruator nullus erat. Et hoc eſt quòd Chriſti petens incarnationem, dicit, *Tempus faciendi domine*: id eſt, faciendi verbum incarnari. Et rationem ſubdit, *Quia diſſipauerunt legem tuam*. Iſtud eſt illud tempus Chriſti incarnationis, de quo dicitur Pſal. 101, Tu exurgẽs domine miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quoniam venit tempus. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, Hoc faciendi domino tẽpus quid eſt, niſi gratia quæ fuit in Chriſto ſuo tẽpore reuelata? De quo tẽpore ait Apoſtolus, Cùm autẽ venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Sed quid eſt, quòd tanquam volens oſtendere domino eſſe tempus faciendi, continuò ſubiunxit, *diſſipauerunt legem tuam*: velut propterea tempus eſſet faciendi domino, quia eius legem diſſipauerunt ſuperbi? Quid eſt ergo, *diſſipauerunt legem tuam*: niſi præuaricationis iniquitate, eius integritatẽ nõ cuſtodierunt? Oportebat ergo vt ſuperbis præuaricatoribus lex daretur, qua præuaricata, quicunque D compuncti humiliarentur: non tamen per legem, ſed per fidem ad ſubuenientem currerent gratiam. Diſſipata ergo lege, tempus fuit vt per vnigenitum filium Dei miſericordia mitteretur. Conſimilem expoſitionem hic ponit Ambroſ. dicens, *Tẽpus faciendi domine*, &c. Bene ait tempus faciẽdi eſſe. Eſt enim tempus faciendi & tempus loquendi. tẽpus loquendi & præcipiendi, eſt tempus legis: ſed tempus faciendi, tempus gratiæ. vt quia legis facta eſt præuaricatio, venit legis finis & conſumatio eius & plenitudo dominus Ieſus, qui donet hominibus omnia debita, & abolito chirographo debitorum abſoluat omnes & liberet peccatores. Tempus eſt ergo faciendi: vt ſi ingraueſcente ægritudine alicuius incommodi curras ad medicum, vt citius E veniat, ne poſtea ſubuenire non poſſit. Medicus enim tunc amplius deſideratur, cum grauius incubuerit ægritudo languenti. Ergo cum videret in ſpiritu ſancto propheta præuaricationes populi, luxuriã, delicias, dolos, fraudes, auariciam, temulentiam: quaſi pro nobis interueniens currit ad Chriſtum, quem ſolum ſciebat tantis ſubuenire poſſe peccatis: vrget vt veniat, nec patitur fieri mo

*Matth. 2.*

*Tempus faciendi fuit tẽpus incarnationis.*

*Gal. 4.*

*Rom. 10.*

A ras. *Tempus* (inquit) *faciendi domine*. Hoc eſt: tempus eſt tibi domine faciendi. Sed quid faciendi? vt pro nobis crucem aſcendas, mortem ſubeas: totus in periculum mũdus vrgetur. Veni ergo vt tollas peccata mundi: veni vita morientibus: veni reſurrectio iam ſepultis. Cęcus erat omnis populus, proprium non videbat auctorem. Claudus erat mundus, & titubante veſtigio fidei fluctuabat. Vidẽs ergo hæc propheta, dicit ad Chriſtum, *Tempus faciendi domine*: non iubendi, ſed faciendi: quia non legatus, non nuncius, ſed dominus ſaluaturus erat populum ſuum. Et ille quidem tempus ſciebat, & non differebat: ſed nos neſciebamus quo melius tempore B ſubueniret. An fortaſſe vult à nobis admoneri; vult rogari: immò ſi rogatus fuerit, & ante tempus venit. Omnia Deus tempora fecit. Quicquid facit, nõ eſt extra debitum tempus: ſed totum opportunum eſt quod fecerit: & in tempore ſuo aduenit. Omne enim tempus opportunum eſt ſaluti: nihil pręproperum pro ſalute periclitantiũ. Sed expectare volebat adhuc ſynagogæ correctionem. Iudæis citò venit, opportunè gentibus. Citò venit perituris, opportunè credituris.

## Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. 2200

C Hic ponit ſeptimum: ſcilicet quòd conſideratio vltimi iudicij dat nobis mandatorum Dei complacentiam. Si enim (vt dictum eſt) diſponit nos ad veram pœnitentiam: quæ non poteſt haberi ſine vera obedientia mandatorum, quæ ſolum tunc eſt Deo placens quando fit amore iuſtitiæ, non timore pœnæ: cõſequens eſt quòd nobis inducit dilectionem diuinorum mandatorum. Et hoc eſt quòd ex conſideratione vltimi iudicij, ad amorem diuinorum præceptorum inclinatus dicit, *Ideo dilexi mandata tua*, &c. Per hoc enim Pſal. præuidens legem nouam æterna promittere, non temporalia: amore eſſe facienda, non timore: vult dare differẽtiam inter legem Moſaicam & euangelicam: quia lex Moſaica timore ſeruabatur pœnarum: ſed lex noua, amore præmiorum. Quod fecit Chriſtus ſua incarnatione & paſſione: quia oſtenſa nobis tanta dile- D ctione, quòd pro nobis Deus factus eſt homo: dominus, ſeruus: immortalis, mortalis: & tandem pro nobis crucem ſuſtinuit & mortem. Et nos mouemur & ad eius amorem & ad mandata eius ſeruanda, non tam timore pœnarum quàm amore iuſtitiæ. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, Diligamus Deũ, quoniam ipſe prior dilexit nos. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Ideo dilexi*, &c. Et tunc ly *ideo* notat motiuũ dilectionis ex dilectione Chriſti. *Ideo dilexi mãdata tua ſuper aurũ*, &c. Quaſi dicat, In lege antiqua ſeruabãtur mãdata ſpe pręmiorũ temporaliũ: in noua autẽ ſpe æternorum: quæ excedunt omne aurum & lapidem precioſum. Et iſtum intellectum hic notat Auguſt. dicens, Id agit gratia Chriſti, vt per dilectionem impleantur mandata Dei, quæ timore nõ poterãt. Per gratiam enim Chriſti diffunditur ca- E ritas in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Propter quod Apoſtolus dicit, quòd plenitudo legis eſt caritas. Ideo autem dicit *ſuper aurum & topazion*. Et hoc in alio Pſal. legitur, Super aurum & lapidem precioſum multum. Topazion quippe lapidem perhibent precioſum eſſe multum. In teſtamẽto autem veteri latentem gratiam tanquam velo interpoſito, non intelligentes quod ſignificabatur: propter mercedem terrenam atque

*Lex noua eſt amoris: ſed antiqua timoris.*

*1. Ioan. 4.*

*Matth. 5.*

*Rom. 13.*

*Pſal. 18.*

*2. Cor. 3.*



A carnalem Dei mandata facere conabantur. Neque faciebant, quia non ipſa, ſed aliud diligebant. Vnde illa non erant opera volẽtium: ſed opera potius inuitorum. Cum verò ipſa mandata diligantur ſuper aurum & lapidem precioſum multũ, omnis pro ipſis mandatis terrena vilis eſt merces: nec vlla ex parte comparantur quæcũque alia hominis bona his bonis quibus ipſe homo fit bonus. Vel aliter: vt per mandata Dei intelligamus opera noſtræ redemptionis, quæ Deus Chriſto implenda mandauit: vt fuit Chriſti paſſio, crucifixio, reſurrectio, & huiuſmodi: quæ Chriſtus tanquã mãdata perficienda accepit à patre. De quibus dicit ipſe Chriſtus, Ipſe mandatum mihi dedit, & ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quod ideo ſic dicit, quia fuerunt nobis cauſa vitæ æternæ. Vnde B Chriſtus ait de his, Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio: quando ſcilicet factus eſt obediens patri vſque ad mortem crucis. Et de iſtis mandatis Chriſto datis & per ipſum adimpletis Chriſto hic ait Pſal. *Ideo dilexi mandata tua*. &c. Iſta eſt intentio Ambroſ. hic dicentis, Lex annunciatrix Chriſti eſt ſpem futurorum bonorum deferens. Exemplificat. Mandatum enim domini erat in lege. Attende tibi ne derelinquas Leuitem per omne tempus, quo vixeris ſuper terram. Quis eſt iſte Leuites? Intelliges, ſi conſideres quis ſit ille qui venit miniſtrare: qui eſt ſacerdos inæternum. Sic ergo mandata Dei habent redemptionis futurę indicia, reſurrectionis inſignia. Ideo ſuper aurum & topazion memorat dilecta ſibi eſſe mandata. Quid enim hac ſalute gra C tius? quid reſurrectione precioſius? Ideo ait, *ſuper aurum & topazion*: id eſt dilexi opera redemptionis ſuper ſapientiam operationis cœleſtis & mundanæ conſtitutionis: & ſuper ornamenta ſolis & lunę ſtellarúmque precioſa ornamenta dilexi obedientiam dominicæ paſſionis. Plus enim redimendo mihi contulit quàm creando. Tunc enim ſine ſenſu natus ſum, nunc cum voluntate ſeruatus. Sed nõ quicũque dicere poteſt Deo, *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion*. Non hoc dicere poteſt auarus, qui auro inhiat, ornamenta deſiderat. Sed ille hoc poteſt dicere, qui cum Petro dicere poteſt, Argentum & aurum non eſt mihi: quoniam illud nõ requiro: quoniam nihil mihi aurum prodeſt: præceptum autem & mandatum cœleſte me redemit. D De dilectione mandatorum Dei ſuper aurum, &c. vide ver. 262. Vel aliter: vt per aurum intelligatur ſapientia fidelis, quæ exemplum credendo cognoſcit. vide ver. 1178. Per topazion verò intellige eccleſiam: vide ver. 862. Et iſta duo nobis fluxerunt ex mandatis paſſionis Chriſti. Ab illa enim generatum eſt aurum fidei: & topazius, id eſt eccleſia, quæ fluxit de latere Chriſti dormientis in cruce. Quia igitur illa mandata Chriſto data habuerunt efficaciam ſuper aurum & topazion: id eſt ad formandam fidem & eccleſiam: ideo meritò ſunt diligenda. vt ſit ſenſus, *Dilexi mandata tua*, ſcilicet tuæ paſſionis. Et ſi quęras cauſam: reſpondet, Ideo, quia ſuper aurum & topazion ſuam habent efficaciam.

*Mandatum eſt paſſio Chriſti.*

*Ioan. 12.*

*Ioan. 14.*

*De Chriſto ipſo.*

*Act. 6.*

## 2201 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

Hic oſtendit octauum: ſcilicet quòd conſideratio vltimi iudicij, vitiorum omnium inducit diſplicentiam. Qui enim ſententiam contra malos in iu- A dicio dandam vitare deſiderat, ac ſententiam pro bonis dandam adipiſci: neceſſe eſt vt omnem viam iniquam fugiat, & hic ſecundum Dei mandata dirigatur. Quod conſiderans Pſal. dicit, *Propterea* (id eſt, vt euadam ſententiam contra malos, & in ſententia pro bonis ſim incluſus,) *ad omnia mandata tua dirigebar*, &c. Aduerte autem quòd iſte textus ſecũdum Auguſt. & Ambroſ. non dicit ad omnia mandata tua dirigebar: ſed dicit *ad omnia mandata tua corrigebar*: id eſt ad omnia mandata tua intentus corrigebar à vitiis. Vbi nota quòd timor non corrigit animum, ſed ſolùm actum extrinſecum reprimit. Amor autem actum interiorem ſtatim euellit: quia nõ pœnam timet, ſed offenſam. Vnde hic Ambroſ. dicit, Meritò corrigebatur vel dirigebatur, qui di- B ligebat. Caritas enim multitudinem operit peccatorum. Et qui diligit, corrigitur: qui autem non diligit, comprimitur ne faciat malum quod vult: ſed non dirigitur. Corrigitur autem ſolùm vel dirigitur, non qui ſic vnum vicium odit vt aliud diligat: ſed qui ſimul omnia vicia odit. Qui enim offenderit in vno, factus eſt omniũ reus. Qui ergo ad mãdata dirigitur, neceſſe eſt vt omnia vicia habeat odio. Sic enim dixit ſuperius, *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis*. Et hoc ideo dicit, quia multi aliqua vicia odiunt, ſed ad alia tendunt, vtputa, multi odiũt luxuriam, qui auariciam ſequuntur: & econtrario. Multi odiunt rapinam, qui vana gloria delectantur. Et ideo vt oſtendat Pſal. quòd ad veram directionem vel correctionem C requiritur omnium inſimul viciorum odium: dicit, *Omnem viam iniquam odio habui*. Vnde Ambroſ. hic ait, Ad omnia præcepta domini corrigitur qui omnem viam odit iniquitatis. Nam niſi omnem viam iniquitatis oderis, non poteris in omnibus mandatis Dei corrigi. Poteſt enim fieri vt aliquis temperetur à crudelitatis errore, lubrico tamẽ deceptus amore meretricis: & ſemitas iuuenilis incõtinentiæ ingreſſus, impreſſum ſemel nequeat reuocare veſtigium. Multos enim vicia blãdiora decipiunt, quos triſtis & ſeuera crudelitas peruertere non poteſt: ſed iuuentus ad amorem liberior, ad lapſum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior eſt. Alius ſe reſtringit à luxuria, ſed auariciæ cupiditate rotatur. Plerumq; enim D peccata huiuſmodi ſunt, vt ſi alterum declines, incurras alterum. Odiſti luxuriã quaſi frugi, ſed frugalitatis ſtudio habendi cupiditas frequenter irrepit. Sunt qui metuentes aliquid proprio minuere de cenſu, etiam inopi ſumptum negent, & miſericordiam putent detrimentum. Sunt qui degenerẽ vitãtes ignobilitatem, flabro ſecularis ambitionis agitentur. Et ſicut quaſſatæ arundines huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam qui dum malorũ ſuorum ſectam ſequuntur: vel indigna conuerſatione contenti, ne errores quidem patrios extimẽt declinandos, vt fide vitandam perfidiam non arbitrentur. Cùm in melius mutare propoſitum, nõ leuitas, ſed virtus, neque culpa, ſed gratia ſit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad vniuerſa corri- E gitur & emendatur. Et bene poſuit, *viam iniquitatis*. Ille enim facilius iniquitatem declinat, qui vias eius non fuerit ingreſſus. Quid autem propriè ſit dirigere, vide ſupra ver. 1047.

*Corrigit caritas: ſed timor comprimit.*

*Peccatũ vnũ fugiens in aliud incidit.*

*Iuuentutis conditiones.*

*Malum mutare propoſitum, virtus eſt.*

## MIrabilia teſtimonia tua domine: ideo ſcrutata eſt ea anima mea. 2202

Hic

Phe

Hic incipit decimuſſeptimus octonarius: cui pro titulo præponitur decimaſeptima litera alphabeti Hæbræorum: quæ eſt phe. Quæ meritò huic octonario præponitur, ſiue præmittitur. Nam phe interpretatur Errauit. Duplex autem populus errauit: ſcilicet populus Iudæorum, legem ſibi datam tranſgrediendo: & populus gentium, cultum Deo debitum, dæmonibus & idolis exhibendo. Vnde præuidebat propheta Chriſtum venturum pro emendatione vtriuſque dicti erroris. Sed quia expectanti omne tempus quantúcunque paruum, longum videtur: ideo hic Pſal. hanc tarditatem deplorat, accelerationem deſiderans. Ingratitudo enim populi Iudæorum hanc tarditatem exigebat: vt ſicut ipſi Deum audire nolebant, ita ipſi orantes non exaudirentur à Deo. Vnde Hieremias Thrē. 1. B ſub hac litera dicit, Expandit Sion manus ſuas: nō eſt qui conſoletur eam. Dignámque itaque remunerationem recipit, vt quæ Deum expandentem manus audire neglexit, & ſub alas eius ſuccedere: ipſa poſtea expanderet manus, & conſolantem inuenire non poſſet. Nam etſi ante aduentum domini Hieremias captiuitatem Iudæorum illatam à Babyloniis deflere videatur: tamē prophetico ſpiritu magis iſtam captiuitatem præuidens, qua Iudæi à fide Chriſti alienati, à diabolo captiui detinentur, deplorat. Nulla enim patria verior quàm fides, quæ eos qui longè erant, propè eſſe fecit. Et aduenas atque peregrinos ſupernæ ciuitatis ciues efficit: ſicut ſcriptum eſt, Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei. *Ephe. 2.* C Hanc ergo peregrinationem & captiuitatem qua Iudæi alieni à fide Chriſti ſunt effecti: & ipſorum errorem hic Pſal. plangit. Vnde lacrymabilis eſt ſeries huius octonarij. Vnde hic clamans Pſal. ait, Aſpice in me & miſerere mei: faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. Ad hoc ſcilicet vt populo qui errando erat in vmbra mortis, cœleſtis miſericordiæ lumen oriretur, quo ab infidelitatis errore reduceretur ad fidē. Ex quibus apparet quòd huic octonario pro titulo meritò præponitur litera phe, quæ errauit interpretatur: quia hic de errore vtriuſque populi agitur. In iſto ergo octonario Pſal. plangendo errorem vtriuſque populi, docet quomodo ab errore ad veritatem redire debet. Ad quod agendum octo requiruntur: ſecundum quæ D iſte octonarius diuiditur. Quilibet enim ab errore ad veritatem redire cupiens, octo debet facere: ſcilicet primò legem Dei attētè debet legere: in principio: ſecundò Chriſtum in lege promiſſum credere: ibi, *Declaratio*: tertiò Chriſti gratiam corde debet petere: ibi, *Os meum*: quartò Chriſto, non ſibi, ſe debet committere: ibi, *Aſpice*: quintò poſt Chriſtum ducem votis debet pergere: ibi, *Greſſus*: ſextò malis perſequentibus nō debet cedere: ibi, *Redime*: ſeptimò intellectum iugo fidei debet ſubdere: ibi, *Faciē tuam*: octauò errata cognita debet plangere: ibi, *Exitus*. Quantum ad primum: talis primò legē Dei aſſiduè debet legere. *Scriptura docet Dei voluntatem.* Fundamentum enim omnis bonæ noſtræ actionis eſt ſcriptura ſacra: quia omnis bona actio ſtat in conformando voluntatem E noſtram voluntati diuinæ: quod facere à propoſito nullus poteſt, niſi Dei cognoſcat voluntatem, quam ſacra ſcriptura nobis oſtendit. Vnde Greg. dicit, *Greg. 16. moral. cap. 17.* Sicut bene obſequentes famuli dominorum ſuorum vultibus ſemper intenti ſunt, vt ea quæ præceperint feſtinè audiant, & implere contendāt: ſic iuſtorum mentes per intentionem ſuam omnipotenti domino ſemper aſſiſtunt, atque in ſcriptura quaſi in os eius intuentur: vt quia per eam Deus loquitur omne quod vult, tanto à voluntate eius non diſcrepant, quanto eandem voluntatem illius in eius eloquio agnoſcunt. Volens ergo ab errore conuerti, primò ſcripturam ſacram meditetur, quæ Dei voluntatem oſtendit. Et hoc notans Pſal. dicit, *Mirabilia teſtimonia tua*, &c. Per teſtimonia ergo Dei accipe ſcripturas ſacras, quæ teſtimonium tibi de Deo reddunt: vtputa quòd Deus æternus, quòd Deus bonus, quòd Deus iuſtus, quòd Deus eſt miſericors, & huiuſmodi: quæ dicuntur mirabilia teſtimonia, quia miranda Dei nobis oſtendunt opera. Vel aliter: vt per teſtimonia Dei mirabilia intelligantur creaturæ à Deo factæ, quæ reddunt te- B ſtimonium bonitatis eius: quas ſcrutari & meditari debemus, vt per illas creatorem illarum cognoſcamus, & cognitum laudemus. Et iſtum intellectum ponit hic Auguſt. dicens, *Mirabilia teſtimonia tua*, &c. Quis enim enumerare poteſt teſtimonia Dei, cœlum, terram, & viſibilia & inuiſibilia opera eius: quæ omnia dicunt quodammodo teſtimonium bonitatis & magnitudinis eius? *Teſtimonium dat bonitatis Dei omnis creatura.* & ipſe curſus frequens vſitatúſque naturæ. Quamuis mortalibus conſuetudine viluerint, tamen ſi pius conſiderator aduertat, omnia teſtimonium perhibent creatori. Quid autem hoc eſt, quod non ſit mirabile, ſi vnumquodque non vſu ſed ratione metiatur? Si verò tanquam ſub vnius contemplationis aſpectu audeamus cuncta contueri, nónne C ſit in nobis quod ait propheta? Conſideraui opera tua, & expaui. *Abacuc 3.* Et tamen Pſal. non iſta rerum admiratione perterritus, ſed eam potius dixit eſſe cauſam cur ea debuerit ſcrutari: quia mira ſunt. Cùm enim dixiſſet, *Mirabilia teſtimonia tua*: ſecutus adiunxit, *Ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Quanto enim res eſt mirabilior, tanto maiori perſcrutatione indiget vt cognoſcatur. Sed hic Auguſt. mouet dubium. *Queſtio. Mirabilia Dei opera ſcrutari quomodo licet.* Cùm enim ſcriptura dicat, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quę tibi præcepit dominus, cogita ſemper: quomodo ergo iſte iſta mirabilia Dei ſcrutari eſt auſus? Et reſpondet, Nónne mandata Dei ſunt alta & mirabilia, tamen ſemper ſunt perſcrutanda? Vult ergo dicere quòd illa auctoritas, Altiora te ne quæſieris, D &c. intelligitur de illis qui talia ad vanitatem inueſtigare volunt, non de illis qui humiliter illa volunt contemplari, vt ex illis Dei bonitatem & poteſtatem cognoſcant. Aliter poteſt exponi iſte textus: vt per mirabilia Dei teſtimonia, illa opera Dei intelligantur, quæ nobis dant teſtimonium de Dei benignitate miranda erga peccatores: quibus faciliter veniam præbet. *Teſtimonia Dei ſunt opera, quibus veniam peccatoribus præbet.* Cum in hoc octonario errantes ad fidem velit inducere: ideo ante omnia præmittit ſcrutanda Dei opera, quæ teſtificantur miſericordiam ſuam. Et hunc intellectum hic habet Ambroſ. dicens, *Mirabilia teſtimonia tua*, &c. Moralis oratio: vt quoniā eum puderet erroris, Deum tamen propriæ miſerationis teſtimoniis conueniret. Hoc eſt ergo dicere, Non audeo leuare oculos E ad te Deum viuum: ſed tu domine me ad ſperandam veniam multis tuæ indulgentiæ teſtimoniis prouocaſti. Nónne mirabilia teſtimonia tuæ pietatis in Abraham cum ne lapſu incuriæ iuuenilis offenſus eſſet, vt Chaldæorum errores, patriam, cognationémque relinqueret, euocatum virtutis exercitiis erudiſti? Cum Iudæorum populum à paternæ nobilitatis ſtudio auerſum, & viles





eſcas Ægypti ſuper diuina munera præferentem: A non ſolum ſolidatis rubri maris fluctibus liberaſti, verumetiam triūphis plurimis euexiſti ad gloriam, & vberes terrę poſſeſſiones donaſti? Ad quietem deductus, ſecuritate te deſeruit: te bellorum acerbitate depreſſus inuocauit, & vt iniurias tuas obliuiſcereris emeruit. Te Ieſus naue ducem ſibi cœleſtis milicię veniſſe cognouit. Te populus triūphator, vt Madian ſibi dominaretur offenderat: ad te vt Madian vinceretur orauit. Dauid quoque in te malignum fecit, quando adulterium & homicidium perpetrauit: qui confeſſione peccati, veniam reportauit. Pulcherrimus itaque verſiculus iſte ad erroris veniam ſperandam inducens. Vel aliter: vt B per teſtimonia Dei ſint ipſa martyria intellecta: vt dictum eſt ver. 2099. quæ dicuntur mirabilia, vt pro teſtimonio fidei dando, homo ſponte pœnas, tormenta, & ipſam mortem libenter acceptet. Et quia quanto ſunt mirabiliora & fortiora, maius præmium merentur: ideo toto corde ſunt meditāda, tota mente quærenda. Et hoc eſt quod dicit, *Mirabilia teſtimonia tua*: i. martyria tua. Et ideo magni ſunt prę̄mij: *propter quod ſcrutata eſt ea anima mea.*

## 2203 Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

Hic oſtendit ſecundum: ſcilicet quòd talis debet credere Chriſtum in antiqua lege fuiſſe promiſſum. *Chriſtum declarat antiquum.* Si enim populus Iudæorum errore deceptus vellet attendere legem & prophetas, apertè cognoſceret omnes figuras & prophetias de Meſſia promiſſo loquentes, in Chriſto fuiſſe impletas, quo ad tempus, quo ad locum, quo ad modum, & huiuſmodi. Quod ſatis apertè humilibus lex euāgelica oſtendit. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Declaratio ſermonum tuorum*, &c. Et hoc eſt quod Chriſtus patri dicit, Matth. 11, Confiteor tibi domine pater, &c. & reuelaſti ea paruulis. Et ad iſtū intellectum exponit hic Gloſa dicens, *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*, &c. id eſt noua lex illuminat, declarās figuras veteris legis, & pellens tenebras noſtras. Sermones autem dicit quos ſancti prophetauerūt. *Eſa. 7.* vt, Ecce, virgo concipiet & pariet, &c. huiuſmodi quorum declaratio eſt aduētus Chriſti, & alia quæ manifeſtè completa ſunt in euāgelio ſicut prophetæ prædixerunt. Et hæc declaratio dat intellectum paruulis, id eſt, humilibus. Noli ergo præſumere de te; ſoli enim paruuli illuminantur. Vnde dominus in euangelio ait, Confiteor tibi domine pater, *Ioan. 9.* &c. Et alibi, Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant. Vel aliter: vt per ſermones domini intelligatur lex antiqua, quę inſpecta & declarata dat intellectum paruulis: id eſt, dat hominibus intellectum vt fiant paruuli, & de ſeipſis non præſumant. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Auguſt. hic dicens, Quid eſt paruulus, niſi humilis & infirmus? Noli ergo ſuperbire: noli de tua, quę nulla eſt, virtute præſumere. *Lex antiqua ducit humilitatem.* Et intelliges quare ſit à bono Deo bona lex data, quæ tamen viuificare non poſſet. Ad hoc enim data eſt lex, vt te de magno paruulum faceret: *Gal. 4.* vt te ad faciendam legem de tuo vires non habere monſtraret. Ac ſic opis indigens & egenus ad gratiam confugeres, & clamares, Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum. *Pſal. 6. Obligatur qui ad impoſſibile.* Hoc ergo ſcrutando intellexit hic paruulus, quod minimus Apoſtolorum Paulus (id eſt, paruulus) oſtendit: ideo datam legem quæ viuificare non poſſet. A Quia concluſit ſcriptura omnia ſub peccato: vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. *Gal. 3.* Ita domine, ita fac miſericors domine: impera quod non poſſit impleri: immò impera quod non niſi per tuam gratiam poſſit impleri. Vt cùm homines per ſuas vires id adimplere nequiuerint, omne os obſtruatur: & nemo ſibi magnus videatur, *Rom 3.* &c. Vel aliter: vt per ſermones Dei intelligas miracula Chriſti: ſolo enim ſermone mortuos ſuſcitabat, cęcos illuminabat. &c. Et declaratio iſtorū ſermonū. i. manifeſtatio iſtorum miraculorū deducit nobis intellectū: vt Ieſum verū Meſſiā in lege promiſſum cognoſceremus. Et hoc eſt quod ait, *Declaratio ſermonū tuorū*, &c. *Miraculis Chriſti illuminātur gētes.* B Et ad iſtū intellectū exponit Ambroſ. hic iſtum paſſum: dicens, *Declaratio ſermonum tuorum*, &c. In euangelio cum Ioannes mitteret diſcipulos ſuos ad Ieſum, dicebat, Tu es qui vēturus es? an alium expectamus? Reſpōdit Ieſus, cæcos videre, claudos ambulare, ſurdos audire. Hoc enim aduentus ſui teſtimonium fore per Eſaiā prophetam ſignificauerat. Hæc ergo quę annunciauit per prophetas, in euangelium manifeſtauit. Et quæ ipſe locutus eſt per prophetas, in euangelio ipſe compleuit. Ipſius ergo ſermo erat ſermo propheticus: ſicut ſcriptum habes, Audi cœlum, & auribus percipe terra: quoniam dominus locutus eſt. *Eſa. 1.* Intellectus ergo datus eſt etiam his qui perfectum in- C tellectum non habent, dum muti loquuntur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. His enim ſignis intellectum eſt ab his qui rudes erant, & adhuc quaſi in cunabulis fidei conſtituti (vt erat populus nationum) ipſum veniſſe qui expectabatur. Illuminat igitur fidei claritate, reſurrectionis ſuę gloria, diuinorum operum poteſtate: & intellectum dat paruulis. Quibus vtique paruulis, niſi de quibus in euangelio gratias agit patri: in eo quod ipſe operabatur filius, quòd miſteria ſua abſcondiſſet à ſapiētibus, & reuelaſſet paruulis? *Crediderunt facilius ſimplices quàm ſapientes.* Oſtendens citius plebem ex gentibus vel ſtatus inferioris viros, quàm Scribas & principes Iudæorum, & diuites huius ſæculi credituros. Ideo alibi dicitur, quòd diuites eguerunt, & eſurierunt: pauper autem clamauit, & exauditus eſt. *Pſal. 33.*

## D Os meum aperui, & attraxi ſpiritū: quia mandata tua deſiderabam. 2204

Hic ponit tertium: ſcilicet quòd talis Chriſti gratiam debet petere. *Gratia Dei præuenit nos.* Nullus enim de errore ad veritatem, de morte ad vitam, de malo ad bonum, ſine ſpirituali Chriſti gratia poteſt conuerti. Vnde ſicut quando quis de gratia cadit ad culpam, ſecundum noſtrum modum intelligendi: priùs eſt voluntatem deficere, quàm hominem Deus deſerat, quamuis ſimul ſint tempore. Sic per oppoſitum in conuerſione de culpa ad gratiam priùs, ſaltem ordine naturæ, eſt Deum conuerſionem eius facere, quàm ipſum conuerti. Sic enim dicitur Hierem. 31, Conuerte me domine, & conuertar. poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam. E Qui ergo ab errore ad veritatem conuerti deſiderat, prius gratiam Chriſti poſtulare debet. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*, &c. Os ſuum aperuit, gratiam poſtulando: attraxit ſpiritum, gratiam ſpiritus impetrando. *Deſiderio & oratione ſpiritus acquiritur.* Sed quia illius oratio nō exauditur, niſi qui iuſta poſtulat, qui Deo placita petit: ideo oſtēdit quòd ideo acquiſiuit gratiā, quia iuſta per illā facere volebat: dicēs, vt cuſtodiā mādata tua.

Et hunc intellectum hic ponit Glo. quæ finaliter *Matth.7.* eſt Auguſt.dicens, *Os meum aperui*,&c.Quaſi dicat, Cũ deſiderarẽ facere mandata, nõ erat mihi vnde poſſem:ideo aperui os meũ petẽdo, quærẽdo,pulſando. Aperui os meũ cõfitẽdo:rationẽ applicãdo, & ſitiens attraxi ſpiritũ : id eſt, exauditus, ſpiritus gratiam attraxi:ſcilicet auxi ſpiritum,quo Dei mãdata facere poſſem.Et hoc eſt dictum à ſimili illius qui in æſtu captat aurã. Vnde hic per os accipe os mentis , quod ſub ſilentio ad Deum clamat. Sicut Moyſes cùm taceret, nõ voce ſed ſpiritu clamabat: ab hominibus non audiebatur , apud Deum per*Os aperire eſt deſiderare.*ſonabat.Hoc ergo os,id eſt, mentis introitus,aperitur cùm dicere volumus.Attrahit quis ſpiritum, cùm Dei ſermo firmo deſiderio completur. Aperuit ergo os infirmus:ſcilicet orando,deſiderando: & attraxit ſpiritu validum,id eſt,virtutem faciendi mandata,quam per ſeipſum nõ habebat. Quid autem ſit os iſto modo aperire inſinuat: quia nihil aliud eſt quàm mente orare,quàm mente deſiderare perficere Dei mandata. Vnde quaſi ſeipſum exponendo quid ſit os aperire , ſubdit dicens, *Quia mandata tua deſideraui.* Hoc eſt ergo aperire os, quod deſiderare. Et ſic de ore cordis magis quàm de ore corporis iſta ſunt intelligenda. Et iſtum intellectum hic ponit Ambroſ.dicẽs, *Os meum aperui*, *Matth.5.* &c.Habemus in euangelio , quòd dominus Ieſus aperuit os ſuum, cum legem daret. Sed ille os ape*Ioan.20.*ruit, vt aliis ſpiritum daret.Pſal. autem iſte aperuit os ſuum, vt acciperet ſpiritum. Deniq; Ieſus dicit, *Pſal.80.* Accipite ſpiritum ſanctum. Ieſus dicit , Dilata os tuum,& implebo illud. Ieſus homini dicit, Plenitudo enim Chriſtus eſt.Qui implet omnia, implet os ſuum. Aperiatur ergo os tuum:clamet os tuum ad dominum : clamet os tuum etiam cùm taceat. Sicut & Moyſes cum taceret voce,clamabat ſpiritu:ab hominibus nõ audiebatur, apud Deum perſonabat. Eſt enim interioris clamor affectus qui auditur de cœlo.Anna quoque cum oraret , tacita *1.Reg.1.* clamabat;labia non mouebãtur,& interioris mentis pia voce excitabat Ieſum,Denique cum effectu rediit,quæ cum ſilentio precabatur:quia clamabat in ea ſpiritus Dei:qui & tacentibus nobis clamar, Abba pater. Intellige ergo quòd os ſit verum cor. Habet os anima , quæ habet & membra. Hoc os aperi non ſolùm Chriſto , ſed etiam Chriſti diſcipulo:qui os ſuum Chriſto implendum præbuit.Et *2.Cor.6.* ideo dicit , Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij: cor noſtrum dilatatum eſt. Ideo imitatores nos ſui eſſe debere admonet,ſicut ipſe Chriſti eſt.Qui ſanctior eſt, Chriſto aperuit os ſuum :qui inferior, Apoſtolo,&c.

2205 Aſpice in me,& miſerere mei,ſecũdum iudicium diligentium nomen tuum.

Hic ponit quartum:ſcilicet quòd talis ſeipſum Chriſto debet committere. Qui enim hominem perditum tanto labore redemit, redemptum nõ libenter amittit.Et ideo ſi te ſibi committas , curam *Pſal.54.* tui pleniſſimè geret. Audi Pſal.dicentem, Iacta curam tuam in domino,& ipſe te enutriet. Sic & nũc Pſal.ſeipſum Deo committẽs ait, *Aſpice in me, & miſerere mei*,&c. *Aſpectus Dei duplex.* Vbi nota quòd Deus aliquos diuerſimodè videt:aliquos reſpicit vt ſaluet, aliquos videt vt damnet:vt oſtendit Gregor.dicens, Duobus *Greg.22.moral.cap.6.* autẽ modis peccator à domino aſpicitur : aut cum à peccato cõuertitur,aut cum ex peccato punitur. De reſpectu enim conuerſionis dicitur , quòd re*Luce 22.*ſpexit dominus Petrum:& recordatus Petrus,&c. fleuit amarè. De aſpectu autem vltionis dicitur, *Pſal.33.* Vultus autem domini ſuper facientes mala,vt perdat de terra memoriam eorum.Hic autem Pſal.petit aſpectum non vltionis,ſed miſerationis:dicens, *Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.* Hic ly iudicium non refertur ad diligentes Deum,ſic quòd ſit eorum iudicium:ſed ad ipſum Deũ,vt ſit iudiciũ Dei,quo ſe habet ad illos qui ipſum diligũt.Quod clarè exponit hic Aug. dicens, *Reſpice*,&c. *diligentium nomen tuum* : id eſt,ſecundum iudicium quod in eos feciſti qui diligunt nomen tuum:quod iudicium fuit, quoniam vt diligerent te,prius tu dilexiſti eos. Sic enim Ioannes Apoſtolus ait,Nos(inquit)diligamus Deum. Et vt *1.Ioan.4.* velut cauſa quæreretur ab eo,quæ nos diligere facit:adiunxit,Quoniam ipſe prior dilexit nos.Accipit ergo hinc aſpectum Dei gratioſum , non rigoroſum quo aſpicit malos.Vnde hic ait Ambr. Pulchrè autem cũ dixiſſet, *Aſpice in me*:adiunxit, *& miſerere mei* : quia reſpicit Deus etiam aliquos iratus: vt quando aſpexit ſuper caſtra Ægyptiorum:& li*Exod.14.*gatis axibus curruũ, omnes eos deiecit in fluctus. Aſpexit etiam Sodomam & Gomorrham;quarum *Gen.19.* vtraque peccatorũ ſuorum luitur ad ſupplicium, diuinæ precium ſoluit offenſæ.Scriptum eſt etiam, Qui reſpicit terram,& facit eam tremere. Econtra *Pſal.103.* autem reſpexit dominus Abel & munera eius : ſu*Gene.4.*per Cain autem & munera eius non aſpexit. Quo exaſperatus Cain, parricidæ crimine cruorem fratris effudit. Quid ſit autem aſpicere Deum, euidẽtiſſimè illo teſtimonio declaratur : quia reſpexit *Pſal.101.* dominus ſuper filios pauperum : & non diſpexit preces eorum.Oculus enim domini nõ aſpernatur iuſtorũ munera. Deniq; ſic & nos oculos noſtros cũ in aliquẽ ira mouemur,auertimus : quaſi ipſum indignũ aſpectu iudicemus,quẽ oderimus affectu.

Greſſus meos dirige ſecundũ eloquium tuum , & non dominetur mei omnis iniuſticia. 2206

Hic ponit quintũ:ſcilicet quòd talis poſt Chriſtum ducem votis debet pergere. Chriſtus enim ſe nobis ducem tradidit omnium virtutum , in ſe oſtendens exempla , quæ ſequentes perueniremus ad vitam.vt oſtendit Gregor.1.dialogorum,dicẽs, Redemptor noſter per mortale corpus omne quod geſſit, &c. Ideo dicebat nobis ipſe, Ego ſum lux *Ioan.8.* mundi:qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Et ideo hunc ſequi , ab iſto dirigi & deduci optat nunc Pſal.dicẽs,*Greſſus meos dirige*,&c. *Caritate & dilectione greſſus mentis diriguntur.* In iſtis enim verbis Pſal.nihil aliud petit niſi quòd ſic dirigatur, ſic adiuuetur à domino , vt quod dominus verbo faciendum precepit,ipſe opere perficiat.Et hoc eſt quod dicit, *Greſſus meos dirige*. Quod exponens Auguſt. dicit , *Greſſus meos dirige* : vbi quid aliud petit, quàm Rectum & liberum me fac ſecundũ promiſſum tuũ? Quanto autẽ magis regnat in quocũque Dei gratia,tãto min⁹ ei dominatur iniquitas.Quid ergo aliud petit,quã vt dominãte Deo diligat Deũ? Diligendo enim Deum , diligit ſeipſum, vt & diligere ſalubriter poſſit & proximum ſicut ſeipſum. In quibus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Quid igitur orat dicens, *Greſſus meos dirige*, &c. niſi vt præcepta quæ Deus iubendo dedit , impleri faciat adiuuando.Vel aliter:ille greſſibus ſuæ mentis claudicat,nec greſſus habet mentis directos,qui in temporalibus veram pacem extimat eſſe : qui peccatores tranquillitatem mentis credit habere. Si*Pſal.72.*cut de quibuſdam alibi Pſal.dicit,Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. Sed talem claudicationem,talem mentis errorẽ amoueri, & greſſus eccleſiæ ad veram pacem dirigi Pſal. hic orat, dicens,*Greſſus meos dirige*:greſſus ſcilicet mẽtis, non corporis. Vnde hic ait Ambroſ. Greſſus pro affectibus animæ accipiendos frequentibus ſcripturarum teſtimoniis commonemur. Nam quis putet Pſalmiſtam de pedum ſuorum corporali greſſu eſſe ſolicitum? Ille verò vt ſanctus vitæ ſuæ curſum dirigi geſtiebat. Sicut alibi ſcriptura teſtatur dicens, *Peccator pacem quietem habere putat.* A domino diriguntur greſſus viri. Denique Pſalmiſtæ vtamur teſtimonio,qui alibi dicit,Paulominus effuſi ſunt greſſus mei , quia zelaui in peccatoribus,pacem peccatorum videns.Animíque itaque ſui oſtendit claudicaſſe veſtigium dum pacem peccatorum putauit eſſe mirandam:videntur quidem habere tranquillitatem, videntur quiete frui: ſed non eſt quies , vbi animus inquietus eſt : non eſt tranquillitas mẽtis, vbi animus exagitatur obnoxiæ ſtimulis conſcientiæ. Quomodo ſecuritas, vbi diuerſarum pugna eſt paſſionum, vbi cõflictus grauium cogitationum? Vnde dominus diffiniens quid ſit pacem habere, ait, Pacem meam relinquo *Ioan.14.* vobis:pacem meam do vobis. Non ſicut mundus ait ego do vobis : oſtendens pacem quam mundus dat , veræ pacis gratiam non habere. Idcóque volens docere non in homine eſſe pacem : addidit, pacem meam relinquo vobis. Et iterum , pacem *Hier.6.* meam do vobis. Denique propheta dicebat , Pax pax:& vbi eſt pax? Manifeſtũ eſt igitur Pſalmiſtam de titubatione dixiſſe ſuæ ſententiæ: in qua animus non corpus titubabat greſſu.Et ideo ſe à Deo nunc dirigi poſtulat,dicẽs, *Greſſus meos*,&c. Vel per *Greſſus ſunt opera noſtra, quæ caritate diriguntur.* greſſus intellige opera bona, quibus gradimur ad Deum:quæ tamen quandoque ſunt directa,quando propter Deum deuotè fiunt:ſed indirecta, quãdo propter aliud. In quibus tamen agendis multas patimur moleſtias & tentationes,vt dirigantur in Deum : ſicut patet de Abraham & de Dauid , & de multis aliis : de quibus hic loquitur Ambroſ. dicens, Rectè Pſal. petit greſſus ſuos dirigi ſecundum verbum Dei : vt fiant & ipſi ſpecioſi & à Dei non recedant amore,& non dominetur ei iniquitas,quam iure precauit.Sciebat enim & Abraham ſecundum præcepta domini greſſus ſuos dirigen*Gen.22.*tem,& appetitu ſpecioſæ vxoris pudore tentatum, ſed non confuſum : & vnici immolatione filij poſtulata paternæ mentis pietate luctatum,ſed coro*1.Reg.17.*natum. Dauid quoque Abſalon parricidio iniquitatis improbæ feralibus tentationibus appetitum *2.Reg.16.* hoc ſolo euaſiſſe,quòd dirigens greſſus ſuos ſecũ*2.Reg.18.*dum pietatem domini à paterno non receſſit affectu:intra ſe gemens crimen inceſtus , à ſe relegans *Filius vel puer quis dicatur.* odia parricidæ. Filius meus Abſalon , filius meus, inquit:quis dabit mihi mortem pro te?memor naturæ pietatis,offenſæ immemor:de quo antè quæſiuit,puérne viuit? Et fortaſſe quærendum ſit , cur antè puerum dixit,quem poſtea filium nominauit, Cur non in vtroque aut puerum dixit aut filium? Si viueret, puer erat , quia parricidio petebat patrem. Non igitur pietatis nomẽ accipere debebat, ſed infirmitatis:ideóque vir iuſtus quod religionis fuit tacuit:quod infirmitatis,aſperſit. Vbi verò eſt



mortuus:apud pium patrem perſonæ crimen defecit,naturæ nomeñ remanſit. Ex quibus apparet quòd hic Pſal.petit greſſus,id eſt,motus animæ dirigi ſecundum iuſſa Dei , ne viciis vel aduerſis aut tentationibus ſeducantur. Vel aliter : quia greſſus mentis proni ſunt ad ambulandum per viam peccatorum,niſi adiuuentur à domino:ideo Dei adiutorium poſtulans dicit, *Dirige greſſus meos*, &c. vide ver.589. Vel aliter : Chriſtus in præſenti vita in ſeipſo omnis virtutis nobis dedit exemplum : & imitandum ſe à nobis prædixit. Sic igitur quid eſt Chriſto dicere, *Greſſus meos dirige* , &c. niſi tu me tuorum exemplorum imitatorem fac eſſe? Et ad iſtum intellectum loquitur Gregor. ſuper illo ver*Greg.16.moral.16.*bo Iob 23. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus : dicens, Quaſi namque quidam greſſus Dei ſunt operationes eius,quibus bonus quiſque malúſque regitur, in quibus iuſti iniuſtíque ſuis ordinibus *Greſſus Dei dicuntur exẽpla virtutum nobis data.* diſponuntur: quibus quiſque ſubiectus, ad meliora quotidie ducitur , & auerſus, ad deteriora ruit, *Pſal.67.* De quibus nimirum greſſibus propheta dicebat, Viderunt ingreſſus tuos Deus.Itaq; cum virtutem lõganimitatis & pietatis Dei intuemur, & intuentes imitari cõtendimus:quid aliud quàm greſſuum eius veſtigia imitamur? Iam enim per fidem apertè videmus quòd mediator Dei & hominum benignus eſt ad tribuendum, humilis ad ſuſtinendum, patiens ad exemplum præbendum. Cuius exemplum Pſal.ſibi ad imitandũ proponit : vt quicquid in hac vita ageret, ad imitationis illius veſtigia ligaret.Ideo orans dicit,*Greſſus meos dirige*,&c.

Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiam mandata tua. 2207

Hic ponit ſextum:ſcilicet quòd talis debet malis perſequentibus non cedere. Hoſtes enim noſtri, qui ad malum nos conantur impingere , ſi eis reſiſtatur,ſuperantur faciliter:ſi autem non reſiſtatur,continuè fortificantur, & victores efficiuntur, Iſte ergo non petit ne calumniis hominum impugnetur : quia ſcit illas eſſe ad probationem , vt augeatur meritum : ſed hoc orat , ne illis ſuccumbat, ſed adiuuetur à Deo, dicẽs, *Redime me à calũniis*,&c. Quid ſit calumnia vel calumniator,vide ver.2195. *Calumnia quid ſit.* Sed mirandum, cùm calumnia ſit falſi criminis impoſitio, quod nullo modo nocere poteſt calũniato, ſed ſolum calumniatori , ſed magis proficit ad meritum:cur iſte ab illis,Deo ſuppliciter ſe redimi petat? Et quid eſt redimi à calumniis , niſi ſic illas *Detractio non nocet niſi detractori.* cum viribus noſtris modificare , ne ſuperando ad illicita trahant?Vnde hic ait Auguſt.*Redime me à calumniis hominum* , &c. Si vera illi homines crimina obiiciunt,non calumniantur:ſi falſa,quid eſt quòd ſe redimi deſiderat à calumniis:id eſt,à criminibus falſis,quæ illi nocere non poſſunt? Crimen quippe falſum,quod eſt calumnia,reũ non facit hominem, niſi apud iudicem hominem. Vbi autem Deus iudex eſt,nullus falſo crimine læditur : quia non cui obiicitur, ſed potius obiicienti imputatur. Et reſpondet dicens, An hic eccleſiæ præſignatur oratio , & vniuerſi populi Chriſtiani qui redemptus eſt à calumniis hominum , quibus exagitabantur vſquequaque Chriſtiani ? Sed adhuc reſtat difficultas pro eo quod ſubditur , *vt cuſtodiam mandata tua* : quaſi inter ipſas calumnias quando ſancti erant calumniati & perſecuti , non poſſent ſeruare Dei mandata: propter quod iſte deprecatur dicens,*Redime me*,&c.*vt cuſtodiam mandata tua*. Cùm

 tamen

tamen certum ſit quòd inter calumnias & tormẽta ſancti plenè cuſtodierint mandata Dei. Et hoc dubium mouet Auguſt. & ſoluit dicens, Sed nunquid propterea mandata Dei cuſtodit?Nónne inter ipſas calumnias quando ferueba nt, multo glorioſius populus ſanctus in tribulationibus Dei mandata ſeruabat, cum ad perpetrãdas impietates perſecutoribus non cedebat?Sed nimirum hoc eſt, *Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiam mandata tua*: id eſt, tu age infuſo ſpiritu tuo, ne me terroribus calumniæ hominum vincant,& à tuis mandatis ad ſua malefacta traducant. Si enim hoc modo me ab eorum calumniis,ne criminationes falſas quas obiiciunt pertimeſcam, patientia donata redemeris, inter ipſas calumnias cuſtodiam mandata tua. [*Calũnia grauior eſt tẽtatione.*] Vel aliter:vbi ſciendum, quòd differentia eſt inter calumniam & tentationem. Nam calumnia grauior eſt tentatione. Tentatio ſolum ad malum conatur inducere; ſed calumnia non ſolum ad malum trahit, verumetiam bene & virtuosè geſta in malum peruertit. vnde calumniatus aut triſtitia aut timore infamiæ difficiliter malo reſiſtit. Et ideo ab iſta neceſſitate ſe redimi Pſal. precatur, vt liberè mandata Dei poſſit cuſtodire,dicens, *Redime me*,&c. Et quantum ad hoc, hic ait Ambroſ. *Redime me*, &c. Non vnum genus eſt noſtræ afflictionis, tentatio & calumnia. Sed tentatio leuior,calumnia grauior eſt. Siquidem tentatio poteſt eſſe ſine calumnia:calumnia verò & in ſe tentationem habet. Eſt humana tentatio,quam ferre poſſumus:calumnia autem grauis eſt. Et ideo dominus quæ ſunt grauiora ſuſcepit, & calumniis appetitus, ſilentium detulit triumphale. Calumnia autem eo grauior eſt, quia non ſolum falſa componit: verumetiam quæ piè geſta ſunt decolorat. [*Gen.39.*] vt Ioſeph non ſolum adulterij obiectione tentatus eſt & incitamento herilis illecebræ: verumetiam tentatus calumniis, compoſito elogio,quòd ipſum adulterium dominæ ſuę inferre voluiſſet: comprehẽſúſque exuerit veſtem, ne fraudis indicium atque inſigne teneretur. Cùm vtique amictum ideo fugiens dereliquerit vt laqueos vim inferentis, & nexus illecebroſæ artis euaderet. [*1.Reg 17.*] Ipſe etiã Dauid ſenſit quod timebat. Quibus enim Saul regis calumniis laborauit, perterritis omnibus allophilis impetum iuſſit:& ſingulari certamine ſummam belli & totius certaminis põdus excepit,virtute ſua ſolus commune crimen refellens, & totius retorquens in hoſtem plebis opprobrium. [*1.Reg.18.*] Et tamen quia iuuenculę dixerunt, Saul triumphauit in milibus, & Dauid in decem milibus:gloria in inuidiam verſa cœpit odio vrgeri. Et [*Dan.13.*] vt de poſterioribus loquamur: Suſanna bene ſibi conſcia erat. Duo presbyteri ſenes falſum teſtimonium deferebant: numerus ſacerdotum neci eius vocem afferebat,puellæ ſola conſcientia erat apud Deum libera. Denique hominũ damnata iudicio, nutu abſoluta eſt diuino. Ideo ait Pſal. *Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiã mandata tua.* Qui enim opprimitur calumnia, non facilè poteſt cuſtodire mandata diuina. Triſtitiæ neceſſe eſt plerumq; aut timori cedat,& affligatur, vel metu calumniæ vel dolore. Ex quibus patet quòd plerumque calũnia vincitur, qui tentationem ſuperare poteſt. Et ſic calumnia tentatione grauior eſt.

2208 Faciem tuã illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.

Hic oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd talis debet intellectum ſuum iugo fidei ſubdere. Inuiſibilia enim fidei ratione naturali comprehendi non poſſunt:nec noſter intellectus per ſe ad illa conſurgere poteſt naturali lumine. Sed oportet captiuare intellectum per fidem:ſcilicet vt ſimpliciter credamus primæ veritati, quæ myſteria fidei nobis proponit eſſe credenda. Mentis enim humanæ acies inualida in tam excellenti luce non figitur,niſi per iuſtitiam fidei emundetur,vt dicit. Cùm igitur fides ſit quoddam lumen rationis à Deo nobis infuſum,ideo iſtud lumen fidei à Deo ſibi dari Pſal. poſtulat,dicens, *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*: id eſt, lumen fidei inſpira mihi. Vel aliter hic Pſal. poſtulat de lumine fidei peruenire ad lumen gloriæ. Diligenti enim alium, ſummam dilectionẽ generat aſpectus mutuus. Et ad iſtum ſenſum hic loquitur Auguſt. dicens, *Illumina faciem tuam*, &c. id eſt,manifeſta ſubueniendo præſentiam tuam. [*Facies Dei dicitur Chriſtus.*] *Et doce me iuſtificationes tuas.* Doce(inquit) me vt faciam. Quod alibi euidẽtius dicit, Doce me vt faciam voluntatem tuam. [*Pſal.142.*] Qui enim audiunt, licet memoria teneant quod audiunt:nequaquã didiciſſe putandi ſunt,ſi non faciunt. veritas namque verbum eſt, Omnis namque (inquit) qui audiuit à patre & didicit,venit ad me. [*Ioan.6.*] qui ergo non facit(id eſt non venit ad me)non didicit. Vel aliter:nam per faciẽ Dei Chriſtus intelligitur. vide ver.150.1374.689.844. [*Illuminat nos incarnatio Chriſti.*] Quid eſt ergo petere *faciem tuam illumina*, &c. niſi filium tuum in carnem viſibiliter mitte,cuius præſentia illuminemur?Nam tẽpore legis omnia erant velata figuris. [*1.Cor.10.*] Sed per aduentum Chriſti omnia illuminata fuerunt. Vnde ad iſtum ſenſum hunc locum exponit Ambroſ.dicens, *Faciem tuam illumina*, &c. Illuminat dominus ſanctos ſuos, & lucet in corde iuſtorum. Itaque cum ſapientem videris,cognoſce quòd deſcendit ſuper eum gloria Dei:illuminauit eius mentem ſcientiæ fulgore cognitioníſque diuinæ. Illuminauit etiam corporaliter faciem Moyſi, [*Exod.34.*] & traſfigurata eſt gloria vultus eius; quam videntes Iudæi trepidauerũt. Et ideo factum eſt vt Moyſes velamen poneret ſuper faciem ſuam, ne in eam filij Iſrael intenderent & perturbarẽtur. Simul declarabatur myſterium,quòd illud velamẽ quod in facie Moyſi corporaliter ponebatur, in cordibus Iudæorum myſticè poneretur: eo quòd veram claritatem legis videre non poſſent. Vultus enim Moyſi, fulgor eſt legis:fulgor verò legis non in litera,ſed in intellectu eſt ſpirituali. Itaq; quamdiu vixit Moyſes, & alloquebatur Iudæorum populum,velamen habebat in faciem ſuam. Mortuo autem Moyſę,Ieſus naue iam non per velamen,ſed facie reuelata presbyteros alloquebatur & populum,& nemo trepidabat. Cum itaque & ipſi dixerit Deus,quòd cum ipſo ita eſſet futurus vt fuerat cum Moyſe;& eum ſimiliter illuminare geſtorum vtique non vultus glorificat;hoc ſignificante ſpiritu ſancto, quòd futurus eſſet Ieſus verus:ad quem ſi quis conuerteretur,& eum vellet audire, de corde ſuo velamen auferret: & reuelata facie, verum ſaluatorem videret. Deus ergo pater qui in Moyſi facie excæcauit populum Iudæorum, non malicia, ſed æquitate. Ipſi enim ſibi poſuere velamen qui legem intelligere noluerunt. Hic itaque dominus illuminauit cor nationum in faciem Ieſu Chriſti per eius aduentum. Quod euidenter Apoſtolico declaratur exemplo: ſicut ſcriptum eſt, Quoniam Deus qui dixit lumen reſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem [*2.Cor.4.*]



tionem ſcientiæ claritatis Dei in faciem Ieſu Chriſti. Ideo ergo dicit Pſal. ad dominum Ieſum, *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*:quia faciem Chriſti videre cupiebat, vt mens eius illuminari poſſet. Et ſecundum incarnationem poteſt accipi. Multi iuſti & prophetæ hoc cupierunt:ſicut ipſe dominus declarauit. Nec immeritò faciẽ eius aduenientis ex virgine quærebat videre vt illuminaretur in corde:ſicut illuminabantur etiam illi qui dicebãt, [*Luc.24.*] Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis,cum aperiret nobis ſcripturas? [*Facies Dei dicitur effectus bonitatis.*] Vel aliter, per faciem Dei intellige effectus ſuæ bonitatis,quam ſuper nos illuminat, quando plenam ſui notitiam communicat nobis. Vnde iſtum verſum exponẽs Richardus ait, *Faciem tuam illumina ſuper* &c. In facie enim omnes ſenſus corporei abundant. Suam ergo faciem domino oſtendere, eſt plenam ſui noticiam mentis eius oculis infundere. Quid eſt ergo *Faciem tuam illumina* &c,niſi Oſtende mihi ſapientiam tuam, ne errem, miſericordiam:ne deſperem, doce iuſtitiam tuam, vt non præſumam:innoteſcat mihi bonitas tua,vt te amen in donis tuis:innoteſcat mihi paſſio tua,ne ſuccumbam in malis meis? [*Seruitus multiplex.*] Et attende quòd ait *ſuper ſeruum tuum*:ex hoc quòd dicit *tuũ*, innuens multa genera ſeruitutis. Quod oſtendens hic Richardus ait,Quoſdam ſeruos efficit ipſa eorum natiuitas:quoſdam belli neceſſitas. alios humilitatis magiſtra caritas. Seruiam ergo creatori meo iure conditionis:obſequar regi meo ex reuerentia maieſtatis: ſubiiciar ſaluatori meo ex debito caritatis. Quantum apud eum poſſit voluntaria ſeruitus,intelligo. Et idcirco magna petens, humilitatis meæ obſequium humiliter recolo, & dico, *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*. Patet quòd fortiter ſe vẽdicat à ſeruitute peccati,qui ſe non dubitat vocare ſeruum Dei. *Super ſeruum tuũ*,inquit. Indignũ ducit lucem hanc ponere ſub modio. Sed ad ſolis imaginem,qui melius lucet, ex alto ponere illis qui,non dicam ſe,ſed ſua huic lumini anteponunt,quandoque ſua ſéque perdituri & ſine fine perituri. *Doce me iuſtificationes tuas. Me*(inquit)nõ dico diabolũ,nõ angelũ,quia his ille ſemel reprobatus informari nõ debet:nec ille in bono cõfirmatus indiget iſtis doceri.

2209 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,quia non cuſtodierunt legẽ tuam.

Hic ponit octauũ: ſcilicet quòd talis errata cognita debet plangere. Pœnitentia peccata cõmiſſa delet,& gratiã diuinam acquirit: ſine qua adultus [*Luc.7.*] ſaluari nõ poteſt. Hoc bene nouit Magdalena,quæ maculas criminis lacrymis lauit. Hoc nouit Petrus,quia vt peccatum negationis Chriſti tergeret, [*Luc.22.*] egreſſus foras,fleuit amarè. Sic & Pſal. dicebat, [*Pſal.6.*] Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meũ rigabo. Sic & modò in perſona peccatoris, qui peccata dolore curauit dicit, *Exitus aquarum*(id eſt lacrymarum) *deduxerunt oculi* &c. [*Ploranda eſt culpa,nõ pœna.*] Et aduerte quòd magna eſt virtus lacrymarum, quæ non damno temporalium, ſed ſpiritualium emittuntur. Vnde cauſam harum lacrymarum inſinuãs hic Pſal. dicit, *Exitus aquarum* &c. *quia non cuſtodierũt legem tuam.* Iſtæ ſunt lacrymæ, quæ pro offenſa delenda funduntur. Vnde hic Ambr. ait, Cauſam ſui fletus oſtendit Pſal. dicens, *Quia non cuſtodierũt legem tuam.* Sancto viro plus culpa quàm ærumna defletur. [*2.Reg.12.*] Fleuit enim Dauid quando Nathan ei de Vrię morte indignationem nũciauit,& peccatum ſuum de præuaricatione legis agnouit. Denique filio in ægritudine conſtituto nec cibum ſumpſit, nec regium thronũ aut cubile aſcendit:ſed ſtratus in terra,ieiuna ora lacrymis diluebat:non tã filij ſui mortem,quàm peccati ſui pœnam in illo lauare deſiderans. Fleuit quando numerato populo, repẽte corde percuſſus eſt,dicens,Peccaui grauiter. [*2.Reg.24.*] Fleuit ergo primò, quia elatus regia poteſtate, quærendo numerum plebis, menſuram egreſſus eſt conditionis humanæ. Deinde quia ſui erroris precio vindicabatur in plebem: ſed à domino propoſita hæc pœna fuerat,non à rege eſt poſtulata:domini tamẽ ſe cõmittendo miſericordię,electionis cauſam probauit ſimul:quia propter eum populus laborabat: ipſe quoque ſe offerendo pro populo,elationis ſoluit iniuriam, pietatis probauit affectus. Et nota quòd lacrymæ ſunt duplices:vide ver.690. vbi dicitur, Fuerunt mihi lacrymæ meę panes die ac nocte &c. Quod hic confirmans ait, *Exitus aquarum deduxerunt* &c. [*Lacrymas ſemper debemus effundere.*] quia ſemper nunc pro vna,nunc pro alia culpa, nunc pro nobis, nunc pro proximis, nunc pro peccatis commiſſis,nunc pro deſiderio patriæ cœleſtis lacrymas debemus effundere. Vnde iſtum paſſum pertractãs Richardus dicit, *Exitus aquarum deduxerunt* &c. Solent agricolæ ſiccitatis tempore fontium riuulis terram rigare,ne ariditate nimia ſemina multiplicare nequeant terræ commendata. Ad horum imitationem Pſal. imbre gratiarum tardante deſcẽdere,operum ſuorum fructus lacrymarum vnda non negligit infundere. Denique tunc verè deducitur,quando alternis vicibus,nunc hęc, nunc illa fletu culpa diluitur: cùm viciſſim modò pro hac, modò pro illa gratia fletus effunditur. Deducit aquam qui nunc ſua, nunc aliena dolet delicta:vel qui nunc pro ſua,nunc pro aliena compungitur miſeria. Diuidit aquam qui quandoque luget mala quæ commiſit, quandoque bona quæ obmiſit. Diuiditur aqua quando viciſſim nunc pro metu infernalium tormentorum,nunc pro deſiderio lugetur cœleſtium gaudiorũ. Sciendũ tamẽ eſt, quòd aqua quæ in locis ſublimibus oritur, facilè iuxta deducẽtis votum ad humiliora quæque loca irriganda deriuatur. Quæ autem in imo defluit, ad infundenda eminentia nõ facilè aſſurgit. Sic nimirum deſideriorum vena quæ in infimis labitur, ad ſublimia appetenda non attollitur. Et qui non niſi terrena appetit, cœleſtia deſideria neſcit. Plus adhuc dico:cui hoc ſufficit tantum ne pereat, quãdo pro verbo vel cogitatu ſuperfluo gemẽs plorat. Vis & tu ad prophetæ ſimilitudinẽ aquã hanc ſalubrẽ deducere,memineris ſublimia cõcupiſcere, & humilia de te ſentire. Tunc facile eſt de deſideriorum tuorum collibus ad deuotionis tuæ vallẽ cõpunctionis fluẽta diſcurrere. Et ſubdit,Sed quæ eſt cauſa tanti fletus? *Quia*(inquit) *non cuſtodiui legem tuam.* Vę mihi miſero,cui quotidie dolere incũbit & flere, non ſolum pro eo domine quòd oculi mei non cuſtodierunt legẽ tuam:ſed ideo vel maximè quòd necdum cuſtodierunt legem tuã. Verumtamẽ hoc mirum eſt,cur non maluit dicere,quòd non cuſtodiui legem tuam; ſed *quia non cuſtodierũt legem tuam.* Attamẽ ſi Ego non cuſtodiui diceret: voluntatem vtique culparet. Oculorũ itaque culpa increpatur & ſolũmodo defletur. Quid eſt igitur culpã oculorum deflere, niſi quòd indiſcretione erraſſet, hæc gemendo deflere? Tunc enim oculus peccat quando diſcretionis iudiciũ errat. Oculum ergo offendere eſt ex intentione bona, ſed parum diſcreta,in aliquod malum incidere,

2210 **IVſtus es domine, & rectum iudiciũ tuum.**

Sadic

Hîc incipit decimuſoctauus octonarius. Cui pro titulo præmittitur decimaoctaua litera alphabeti Hebraici,quę eſt Sadic.Quę meritò huic octonario præmittitur.Nam Sa dic interpretaturConſolatio.Deus autem qui poſt tempeſtatem trãquillum facit, poſt lacrymas ſuos conſolari nouit, & poſt mortem eis dare beatam vitam. Poſtquam ergo ſuprà oſtendit Pſalm,multas ærumnas pro peccatis toleraſſe: vt puta, quia confixit carnes ſuas cruci, quòd pro ſuis peccatis exitum produxerat lacrymarum:nunc conſequenter oſtendit diuinam conſolationem quæ pro ſuis peccatis afflictos voluntariè conſequitur. Hæc autem conſolatio eſt triplex. Eſt miſericordiæ, qua afflicti liberantur à miſeria: ſecunda eſt veniæ, qua per pœnitentiam remittuntur crimina:tertia eſt gloriæ,qua lugentibus æterna dantur præmia.Prima igitur eſt conſolatio diuinæ miſericordiæ. Nam qui in doloribus ſunt & miſeriis,conſolatione indigent.Et iſtos Dei conſolatur miſericordia: dum recolunt illud Pſal, Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus?aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Secunda eſt conſolatio veniæ: quoniam omnibus verè pœnitentibus plena promittitur & datur venia. Sic enim dicitur Ezech,18, Quacũque hora ingemuerit peccator,omnium iniquitatum eius non recordabor. Qui enim ſeipſum pro peccato punit ſufficienter, amplius non punitur à Deo. Tertia eſt conſolatio glorię.Qui enim à peccato eſt abſolutus,& hic voluntariè per ſeipſum punitus, quem locum ſortiri debet niſi gloriæ?Matth.5, Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Omnis autem prædicta conſolatio datur ſeipſum pro peccato punienti. Vnde hic ait Ambroſ.Decurſis ſuppliciis quæ propter peccata noſtra toleramus, ad veniam pertinemus. Ipſa enim ſupplicia bonos emendant, & proficiũt malis. Vnde nonnulli philoſophi diſputauerũt obeſſe improbis abſolutionem, prodeſſe mortem: cum vita illis incentiuum ſit delinquendi: in mortem autem abſumptum eſſe de noſtris. Cui hoc dubium? cum Salomon dicat, Qui parcit virgæ odit filium. Caſtigat autem dominus quem diligit. Pœna enim corrigit & emendat errantem. Si talis ſit qui emendari nequeat, aufertur de medio ne grauiora committat. Mortuus enim errare neſcit. Et ideo Eccleſiaſtes dicit, Laudaui mortuos magis quàm viuentes.Mortuus præfertur viuenti, quia peccare neſcit. Qui ergo voluntariè pœnas ſcelerum ſuorum pertulerunt, conſolationem domini merentur. Quod apertè dominus in euangelio declarat,dicens per Abrahæ perſonam ad illum diuitem ſæculi huius,Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur:tu verò cruciaris.Ad propoſitum ergò poſtquam Pſal. ſuprà poſuit pœnitentiam & pœnam multiplicem toleratam pro peccatis, hic ponit pœnitẽtibus debitam abſolutionem. Et ideo huic octonario præmittitur litera Sadic; quæ Conſolatio interpretatur. Hic ergo agitur de conſolatione quam hic recipit pœnitens & quilibet iuſtus in aduerſis poſitus. Conſolationem autem talis recipit ab octo: ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur. Conſolatur enim primò ex conſideratione ſupernalis volũtatis & iuſtitiæ:in principio. Secundò ex euaſione infernalis calamitatis & miſeriæ:ibi,*Mandaſti.* Tertiò ex aſſumptione perſonalis aſperitatis & pœnitẽtię:ibi,*Tabeſcere.* Quartò ex inflammatione diuinalis charitatis & amicitiæ:ibi, *Ignitum.* Quintò ex obſeruatione ſalutaris humilitatis & obedientiæ:ibi, *Adoleſcentulus.* Sextò ex promiſſione regularis firmitatis &conſtantiæ: ibi,*Iuſtitia tua.* Septimò ex percuſſione medicinalis tribulationis & anguſtiæ:ibi, *Tribulatio.* Octauò ex deſiderio ſupernalis felicitatis & lætitiæ:ibi,*Aequitas.* Quantum ergo ad primum, ſciẽdum quòd magna conſolatio eſt in aduerſitate poſitis dum conſiderant diuinam voluntatem tantum eſſe iuſtam quòd à iuſtitia errare non poteſt: quia ex hoc concludunt quòd omnia quæ ſuſtinent aduerſa, non niſi ſanctè & iuſtè à Deo ſunt immiſſa vel permiſſa. Quod oſtendens Gregor.ait, Cum enim in hac vita ea quę nolumus patimur,neceſſe eſt vt ad eum qui nihil iniuſtè velle poteſt, ſtudium noſtræ voluntatis inclinemus. Magna quippe eſt conſolatio in eo quod diſplicet:ſi conſideramus quòd illo ordinante id erga nos agitur,cui non niſi iuſtum placere poteſt. Si igitur ſolùm iuſta ſcimus placere Deo;ſcimus autẽ pati nos mala, niſi quæ Deo placuerint, non poſſe: concludimus quòd iuſta ſunt cuncta quæ patimur. Valdè autem iniuſtum eſt, ſi de iuſta percuſſione murmuramus. Et hæc conſideratio Pſal.conſolabatur.vnde iuſtam eſſe Dei voluntatem conſiderans, ait,*Iuſtus es domine* &c. Vel aliter:Pſalm. hic vult reddere rationem quare peccata ſua ſupra ſe dixit multum fleuiſſe: quia exitus aquarum deduxerunt oculi mei. & ratio eſt, quia Deus eſt iuſtus, & non pœnitentem iuſtè damnat æternaliter. Timens ergo iuſtitiam Dei, flens peccata commiſſa puniui. Et hoc eſt quod hic dicit Auguſt.Pſalm.multum ſe fleuiſſe pręuaricationem ſuam teſtatus eſt: proinde velut rationem reddens cur multum flere debuerat,& ſuum multum dolere peccatũ:*Iuſtus*(inquit) *es domine,& rectum iudicium tuum.* Hęc itaque iuſtitia Dei rectúmque iudicium, omni eſt metuendũ peccanti.Hac enim damnatur quicunque damnatur. Nec eſt omnino qui de ſua damnatione contra Deum iuſtum rectè conqueri poſſit. Inde fletus rectus eſt pœnitentis; quoniam ſi cor eius impœnitens damnaretur,iuſtiſſimè vtiq; dãnaretur. Vel aliter.Ideo hoc dicit Pſal.*Iuſtus es domine* &c.vt quilibet in aduerſis poſitus,ad ſua conſiderãda peccata recurrat:vel vt iuſtitiã cogitando leuius ferat aduerſa:vel vt exẽplum omnibus detur diuinæ iuſtitiæ. Primũ ſcilicet vt quilibet peccata ſua cõſideret,oſtẽdit hic Amb.dicẽs, *Iuſtus es domine* &c. Verè iuſtus eſt vir qui lacrymis profluens, inuolutus ærũnis, graui ſupplicio delicta perſoluẽs, non tædio vincitur,non metu frangitur,non labore laſſatur,non ingratus aut triſtis eſt. Plerumque enim vulgus hominum ſua delicta non repetens, iniuſtè ſe putat tolerare quod patitur. At verò iuſtus,qui ſeipſum ſtatim in exordio ſui ſermonis accuſat,iuſtitiam domini prædicat,quòd meritis ſuis digna patiatur. Dicendo enim iuſtum Deum,dum ſuam iuſtitiam antè pronunciat,de iuſtitia domini ſperat & veniam. Iuſtus enim Deus non ſemper iraſcitur.Sicut enim eſt vltor culpæ, ita moderator eſt pœnæ. Sicut vindex eſt peccatorum, ita remunerator eſt virtutum. Qui vult dare præmium,debet expectare certamen;quia nemo ſine certamine coronatur.Sinit ergo nos ſæpe tentari,volens iuſtè præmia dare.Luctanti itaque,non dormienti datur corona.Nec molles deliciis, ſed labore exercitatos ornat

*Cõſolatio multiplex in pœnitentia.*

*Pſal.76.*

*Mors proficit malis, eiſque abſolutio nocet.*

*Eccl.4.*

*Luc.16.*

*Aduerſa patiẽtẽ cõſolatur conſideratio volũtatis diuinæ.*

*Greg.2.mor cap.18.*

*Dãnatus omnis iuſtè dãnatur.*

*Iuſtitia Dei in aduerſis oſtenditur.*



ornat victoria.Secundum ſcilicet quòd conſideratio diuinæ iuſtitiæ, leuius aduerſa tolerare faciat, oſtendit idem Amb.dicens,Iuſtus in aduerſis iuſtitiam Dei laudat. Per hanc enim non ſentit parens teneris amiſſis liberis, nõ æger in dolore,non naufragus in periculo,non reus in iudicio,non captus in laqueo. Clamant hanc iuſtitiam omnes ſancti preſſi aduerſitatibus. Clamat Hieremias, cũ futuræ captiuitatis populis annunciaret ærumnam,dicens, Iuſtus es domine. Clamat iterum cum victæ plebis miſerandis ſeruitiis angeretur, Iuſtus es domine: quia os eius ad iracundiam irritaui. Et ſub alia litera.Ita foris ſine filiis fecit & ab intus mors. Clamabant Hæbræi cum propter virtutem deuotionis & fidei gratiam fornacis ardentis ambirẽtur incendiis, dicentes, Iuſtus es domine in omnibus quæ feciſti.Et ideo meruerunt vt illæſi ignibus domini iuſtitias prędicarent.Daniel quoque propheta ſecundò in lacum miſſus,leonum & immanium ferarum ſæuitia atque horrore circundatus, iuſta eſſe omnia Dei iudicia clamabat.Ionas quoque incluſus vtero beſtiali,iuſta iniuſtorum ſorte damnatus, clamabat de vẽtre ceti in mari cum voce confeſſionis & laudis,Supplico tibi. Dauid quoque cũ fugeret à facie Abſalõ parricidalibus armis è regno egreſſus, cum pro totius populi ſe offerret excidio, dicebat,Iuſtus es domine,& rectum iudiciũ tuum. Grex iſte innocens quid fecit? Ego ſum qui peccaui. Ipſe pater fidei Abrahã cum ad immolãdum vnicus à ſene filius poſceretur,paternę pietatis affectu,diuinæ iuſtitiæ confeſſionem temperabat, dicens,Iuſtus es domine:non enim poſtulas alienum, ſed tuum repoſcis: ipſum tibi reſtituo quem dediſti.Hũc Iob imitatus,deſtitutis liberis,patrimonio nudatus amiſſo,amictum ſui corporis ſcindens ait, Nudus ſum natus,nudus & moriar: dominus dedit,dominus abſtulit:ſit nomen domini benedictũ. Omnes ergo iuſtum Deum prædicant. Qui moribunda ſepulcro ſua mẽbra componit, vt qui damno vulneratur aut funere filiorum, dicat, Iuſtus es domine. Quid enim noſtrum amittimus? Clamat Apoſtolus,Quid habes quod non accepiſti? Quid igitur amittimus?Nihil. Reddimus enim,nõ amittimus.Iuſtus ergo dominus in periculis, iuſtus in damnis, iuſtus in vltionibus eſt. Tertium: ſcilicet iuſtus eſt dominus & immittendo aduerſa, vt omnibus ſuæ iuſtitiæ det exemplum. Vnde ibidem ait Amb. Non ſolum autẽ vnuſquiſque iuſtè ſuæ culpæ precium luit: verumetiam dum vnus punitur, plurimi corrigũtur. Ananias in actibus Apoſtolorum fraudatus precij quod de agri ſui venditione perceperat,crimen admiſit:qui potuit nihil cõferre & crimen euadere. Verùm ne quis impunè circunſcribendos Apoſtolos arbitraretur, aut miſericordiæ ſuæ manus fraude contaminare perfidiæ, morti additos æternæ, vniuerſos ad fidei ſtudium iuſto terrore cõpoſuit. Pharao cũ ſuo populo fluctibus merſus mundanæ conuerſationis exẽplum eſt, ne quis Dei populũ perſequatur. Denique potuit eum voluntati ſuæ facere obedientem,ſed eius pœnæ exemplo omnes voluit emendari.Ideóq; dixit ad eum dominus,Quoniam ad hoc ipſum te ſuſcitaui,vt ponam in te virtutem meam,& annũcietur nomen meum in vniuerſa terra. Non vtiq; dominus ſuæ laudis,ſed noſtræ correctionis incremẽta quærebat.Et cõcludit Amb,dicens,Omnes igitur ſapientes dicunt,*Iuſtus es domine,& rectum iudiciũ tuum.* Nec enim tradimur aduerſariis ſine iudicio ipſius, neque ſine ipſius iudicio in tribulationes venimus.Denique hæc eſt iuſtorum cõſolatio:hoc eſt diuinum iudicium.Denique ſuprà habes,*Memor fui iudiciorum tuorum:& conſolatus ſum.* Aduertis ergo quòd domini iudicia iuſta conſolationes ſunt.

*Iuſtitia Dei in aduerſis nos fortificat.*

*Daniel.3.*

*Daniel.14.*

*Ionæ 3.*

*I.Reg.16.*

*Gen.22.*

*Iob 1.*

*Aduerſitatũ & filiorũ mortis conſolatio.*

*Punitio vnius corrigit multos exemplo.*

*Act.5.*

*Exod.14.*

**Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.** 2211

Hîc ponitur ſecundum:ſcilicet quòd iuſtorum conſolatio eſt ex euaſione infernalis pœnæ. Pœna enim hic volũtariè aſſumpta pro peccato, pro pœna ſatisfacit inferni.Teſtimonia enim ſacræ ſcripturæ oſtendunt quòd peccatorem pœnitentem Deus recipit ad gratiam.Quæ quidem teſtimonia in prima veritate fundantur, quæ falſa eſſe non poſſunt. Et ideo iuſtus hic afflictus, teſtimonio iuſtitiæ Dei iuſtructus gaudet ſe per pœnam temporalem pœnam euaſiſſe ęternam.Et hoc eſt quod hic ait,*Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua* &c.vt ſit ſenſus,Tu mandaſti iuſtitiam, ſcilicet fieri de peccato: & hoc per teſtimonia tua:id eſt per verba ſacræ ſcripturę,quæ dicuntur teſtimonia Dei,quia in illis atteſtatur nobis Deus ſuam voluntatem.Iuſtitia autem hæc quã mandaſti eſt, quòd aut homo hic punit peccatum ſuum per pœnitẽtiam, aut ipſum tu punis æternaliter. Quod ſi hic temporaliter punitur per pœnitẽtiam,tu ipſum æternaliter nõ punis,Per teſtimonia ergo tua tu mandaſti iuſtitiam, ſcilicet fieri de peccato. Et hoc idem aliis verbis replicat, dicens, *Et veritatem tuam nimis,* ſcilicet mandaſti. Nam veritas & iuſtitia pro eodem accipiuntur in ſcriptura. Sic ergo per teſtimonia tua tu mandaſti iuſtitiã & veritatem tuam nimis: nimis, id eſt valde, Et vide hic multa inculcata,qui peccatoribus terrorem incutiunt.Vnde hic ait gloſa, Multa hic inculcantur quæ peccatores terrere poſſunt. Rectum enim iudicium, iuſtitia,& veritas ſunt timenda omni peccanti:quia ſic dãnatur iuſtè quicunque damnatur, vt inde conqueri non poſſit contra Deum iuſtum.

*Ezech.18.*

*Pœna tẽporali redimitur æterna.*

**Tabeſcere me fecit zelus meus:quia obliti ſunt verba tua inimici mei.** 2212

Hîc ponit tertium:ſcilicet quòd iuſtorum conſolatio eſt ex aſſumptione perſonalis aſperitatis & pœnitentiæ. Sicut enim ægrotanti ſanitas recuperata magnam infert cõſolationem:ſic quòd quanto maior fuerit infirmitas, tanto amplius gaudet ſe ſanatum eſſe.Sic eſt de infirmitate ſpirituali peccati: quia quando quis ſe conſiderat in magnis fuiſſe peccatis,& illa per pœnitentiam euaſiſſe,gaudet ſe de illis egiſſe pœnitentiam.Sic & nunc Pſal.gaudet ſe amore iuſtitiæ egiſſe de peccatis pœnitentiam, dicens, *Tabeſcere me fecit Zelus meus:* id eſt zelus & amor quem habui iuſtitiæ tuæ fecit me tabeſcere: id eſt tabidum fieri & pœnitentem. Nam ſecũdum grammaticos, Tabeo, tabes, idem eſt quòd putreſcere,deficere,defluere.Et ſic actum pœnitentiæ ſignificat,quo caro macerata putreſcit,deficit & defluit, & ſpiritus refloret.Pœnitentia ergo,afflictus, & tabefactus Pſal,dicat, *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Vbi notandũ quòd zelus multa ſignificat.Eſt enim idem quod amor, quod inuidia, quod æmulatio,ſiue imitatio.De hoc vide ver.1186.Hic autem accipitur pro amore,vt ſit ſenſus, *Tabeſcere me fecit Zelus meus,* id eſt amor meus me de peccatis meis fecit agere pœnitentiam.Et ſecundum Auguſtinum iſte textus diuerſificatur: quia aliqui codices habent, *Zelus meus:* & aliqui, *zelus tuus.* Sed ad idem tendit,

*Tabeſcere quid ſit.*

*Zelus noſter eſt zelus Dei.*

quia amor quo diligo Deum, eſt amor meus, & A
amor Dei:amor(inquam)meus, quia in me & à me eſt:& amor Dei, quo ſcilicet amo Deum. Vnde hic ait Auguſt. *Zelus autem meus*, vel *tuus*, quod plures codices habent,nullam ingerit quęſtionem. Quod enim dicitur *zelus tuus,* ſignificat hominem non ſibi ſed Deo zelantem. quod non repugnat ſi etiam dicatur *zelus meus*.Nam quid aliud dicit Apoſtolus,

*2.Cor.11.*

Æmulor enim vos Dei ęmulatione? Nam dicendo, Æmulor vos, quid niſi æmulationem demonſtrat eſſe ſuam?Sed quia non ſibi ſed Deo zelabat, ideo addidit,æmulatione Dei.Hãc quippe dicimus Dei, quia ſuo ſpiritu fidelibus ſuis inſpirat Deus. Amoris enim eſt,non liuoris. Et alibi dicitur,

*Pſal.68.*

Zelus domus tuæ comedit me: quia domum Dei zelabat B
Chriſto,non ſibi.Sponſus enim ſibi zelat ſponſam ſuam:amicus autem ſponſi non eam ſibi debet zelare,ſed ſponſo. Bonus ergo huiuſmodi intelligendus eſt zelus. Vel per zelũ intellige quẽdam amoris feruorem,quo animus contra malos accẽditur. ſicut de Chriſto legitur,quòd vidẽs contra legem Dei vendentes & emẽtes in tẽplo:zelo domus Dei

*Ioan.2.*

accẽſus omnes eiecit.Et iſto modo videtur hic Pſal. zelũ accipere:propter illud quod ſequitur,ſcilicet, *quia obliti ſunt verba tua*.&c.Iſtum zelum habuerunt patres antiqui,vt Phinees,Helias, Mathathias &c.

*Zelus duplex: ſcilicet ad mortẽ & ad vitam.*

De quibus hic dicit Amb.Eſt zelus ad vitam,& eſt zelus ad mortem.Ad vitam zelus eſt,diuina pręcepta ſeruare, amore domini eius cuſtodire mandata: C

*Num.25.*

vt fecit Phinees, de quo in Numeris dixit dominus ad Moyſen,Phinees, filius Eleazar,filij Aarõ ſacerdotis,ſedauit furorem meũ à filiis Iſrael,in eo quòd æmulatus eſt zelum meum in illis,& non cõſumaui filios Iſrael in zelo meo. Cæſa iacebant viginti-quatuor milia populorum:tendebat pœna in omnes, nec vllus finis exitij. Arripuit gladiũ Phinees, duos occidit,interdicta ſibi conſuetudine copulatos:redemit omnes, indignationẽ domini mitigauit.Dedit victoriam quibus negabat ſalutẽ.Quàm ſalutaris igitur Dei zelus! Non vnius temporis illud vicium fuit: & nunc Madianitis miſcetur Iudæus. Madianitis eſt hæreticorum perfidia, cũ populum Dei tentat. Quàm multis populis meretrix iſta feralis irrepſit, quæ publico funere totum populum communi morte tumulauit? Veni ergo & D
nunc Phinees:corripe gladium verbi Dei:interfice perfidiam hæreticorum, ne propter eam populus vniuerſus intereat. Vrget ira cœleſtis: percute ipſã vuluam impietatis,generatoriúmque perfidiæ: ne partus formetur infelix, ne adulterina conceptio diffundat ſeminarium præuaricationis & ſceleris. Hunc zelum debet habere ſacerdos,qui ſtudet ſeruare eccleſiæ caſtitatem. Et ideo princeps ſacerdotũ dicit,

*Pſal.68.*

Zelus domus tuæ comedit me.Et Phinees ſacerdos erat,& nepos ſacerdotis, & filius ſacerdotis.Bonus zelus & vtilis in ſacerdote: præcipuè ne negligẽs ſit,ne remiſſus ſit. Meli⁹ eſt enim vt vnius aut duorum damnatione plurimi liberẽtur, quàm E
duorum abſolutione plures periclitentur. Zelum

*4.Reg.2.*
*1.Mach.2.*

Dei habuit Helias:& ideo rapt⁹ eſt ad cœlũ. Zelãs (inquit) zelaui dominum. Zelum Dei habuit Mathathias, qui aduerſus ſacrilegia Antiochi excitauit Dei plebem. Zelum iſtum Dei qui habent,omnes ſibi inimicos putãt qui ſunt hoſtes Dei:quamuis patrem,fratrem, ſorores, de omnibus dicit,hoſtes facti ſunt mihi &c. Et infrà concludens ait, *Beatus ergo qui zeli nouerit diſciplinam: & oderit eos qui domini gratiam relinquentes, ſalutem propriam deſerunt,* A
*fraudis errorem ſibi aſciſcunt*. Ideo ſubditur, *Quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Sed qui ſunt inimici iſti? Reſpondet Ambroſ. dicens,Illos Pſalm. ſuos dicit inimicos, qui inimici ſunt Dei, qui Deum in ſua propria venientem non erant recepturi. Hos graues hoſtes, hos inimicos ſuos propheta teſtatur: non qui ſibi eſſent,ſed qui Chriſto rebelles. Denique & alibi dicit, Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam:iuſto odio oderam illos.

*Inimici Dei ſunt etiã noſtri inimici.*
*Pſal.138.*

Grauiora ſunt arma perfidiæ quàm pugnæ. Nemo enim grauior hoſtis omnium,quàm qui omnium lædit auctorem.

*Hoſtis omniũ eſt peccator.*

Ideo ergo zelo magno acquiſitus eſt populus nationum,quoniam à ſuo populo Deus negabatur. Neque enim poterant aut fidei deuotionem aut diſciplinam tenere virtutis, qui memoriam præceptorum cœleſtium non tenebant. B
Sic Adam de paradiſo eiectus: ſic populus Iudæorum de prærogatiua electionis excluſus eſt.

## Ignitum eloquium tuũ vehementer:& ſeruus tuus dilexit illud. 2213

Hîc oſtendit quartum: ſcilicet quòd iuſti conſolentur ex inflammatione diuini amoris & caritatis. Inter omnia enim quæ mentem conſolantur, eſt amor:ſicut & inter omnia odium turbat. Amorem autem nobis tribuit verbum quod ignitũ dicitur, quia ad Dei amorem nos accendit. Et hoc eſt C
quod hic ait Pſal.*Ignitum eloquium tuum* &c.Vel per iſta verba vult oſtendere Pſalm. cauſam quare zelo tabeſcebat,quia inimici obliti erant verba Dei. Et cauſa eſt, quia inflammatus verbo Dei, ad Deum reducere volebat iniquos & ſuos perſecutores, quos peccatum diſiungebat à Deo. Ideo ait, *Ignitum eloquium tuum* &c. Vnde hic ait Auguſt. Volebat inimicos Deum amare, quos ipſe amando zelabat. Nõ ingratus enim gratiæ Dei,per quam fuerat ex inimicis Deo reconciliatus, etiam ipſe ſuos diligebat inimicos: quia flamma dilectionis ardebat.Ideo ait,*Ignitum eloquium tuum vehementer:& ſeruus* &c. Meritò zelabat in ſuis inimicis cor impœnitens, qui fuerant obliti verborum Dei. Ad hoc enim eos flagitabat adducere,quòd ipſe flagrantiſſimè diligebat.Vnde hic notat quòd verbum Chri- D
ſti ignis dicitur ignitiuus: quia inflammare mentem nouit, & omnia vitia conſumere. Vnde hic Ambroſ.dicit, *Ignitum eloquium tuum* &c. Ignis ergo hic,ſermo Chriſti eſt.

*Ignis dicitur verbum Dei.*

Et bonus ignis, qui calefacere nouit: exurere autem niſi ſola vitia neſcit. Hoc igne ſuper bonum fundamẽtum poſito apoſtolicum illud aurum probatur:hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne precioſi illi lapides illuminantur: fœnum autem & ſtipula conſumitur. Mundat ergo hic ignis animum:conſumit errorem. Vnde dominus ait, Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.

*Ioan.15.*

Hic eſt ignis qui ardet ante dominum. Niſi enim quis flagrantiam deuotionis aſſumpſe- E
rit,præſentiam domini habere non poterit.Accende ergo hunc ignem prius in mentibus tuis, vt Chriſti lumen tibi effulgeat. Ignem quidem hunc dominus miſit in terram: non vt eam Sodomitano rurſum(ſicut ſcriptum eſt)ardeat incendio: nec vt eam donato munere fœcunditatis, aut vſu vel flore viriditatis exueret.

*Ignis domini verbi humilitas.*

Opus enim ſuum probare dominus magis & augere, quàm imminuere aut damnare conſueuit. Neque verò dignum erat vt elementa innoxia noſtri luerent ſcele



ſceleris vltionem.Quid natura deliquerat,ſi adulta A
iam ſoboles errauit?Non erat partus in vitio,ſi deuio lapſa eſt errore progenies: ſed vſus in culpa. Quem ergo dominus ignem in nouo ſparſit teſtamento: qui ſecretus mentium diuinæ cognitionis ardore inflammaret affectus: qui vaporem fidei & deuotionis adoleret: qui cupiditatem virtutis accenderet?

*Hierem.20.*

Hoc igne Hieremias calefactus dicit, Et erat ignis flammigerans in oſſibus meis, Hoc igne

*Lucæ 24.*

ſermonum cœleſtium vaporati Cleophas & ille alius dicebant,Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis,cũ aperiret nobis ſcripturas? Hoc igne vre-

*Exod.3.*

batur rubus, & non exurebatur. Vrit ergo ſermo diuinus,vt corrigat conſcientiam peccatoris: non

*Daniel.3.*

vrit vt perdat.Denique hoc igne ſuccenſi Hebræi, fornacis ardentis vaporem nec timere nec ſentire B
potuerunt. Meritò ergo bonus ſeruus Dei diligit ignitum Dei eloquium:quo induitur charitas quę timorem excludit. Tripliciter igitur tibi deſcribe ignitum eloquium domini: quia ſcilicet mundat,

*Ignis dicitur charitas.*

quia accendit,quia illuminat audientes.Hic eſt ergo ignis diuinus qui ſuper Apoſtolos deſcendit in linguis igneis: quia hoc igne, ſcilicet charitatis, exardere debent qui enunciãt.vt hic ait gl. Quem in ſe habere debent qui alios incendere volunt dilectionis profeſſionẽ cura continet paſtoralis.Inde eſt quòd Romanus põtifex cappa rubea induitur, quia totus igne charitatis ardere debet, & omnia ex charitate facere,omnino quoque martyrio non deeſſe,Chriſti gerens perſonam:cuius veſtimentũ eſt,ſicut calcantium in torculari.

## 2214. Adoleſcentulus ſum ego & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Hîc ponit quintum:ſcilicet quòd iuſti conſolãtur ex obſeruatione humilitatis & obedientiæ.

*Adoleſcens accipitur & in bono & in malo.*

Sicut enim eſt ſenectus moralis duplex:quia ſenectute quandoq; ſignificatur morum grauitas. Iob 12, In antiquis eſt ſapientia:& eſt antiquitas peccatorum, Daniel 13.Inueterate dierum malorũ &c.Sic & ſuo modo duplex eſt iuuentus ſiue adoleſcentia: ſcilicet ſtoliditatis.Iob 20,Replebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ:& adoleſcentia virtutis & humilitatis: Thren.3, Portauit iugum ab adoleſcentia ſua, D
Pſalmiſta autem hic accipit adoleſcentiam pro humilitate.Et eſt ſenſus,*Adoleſcentulus ſum ego & cõtemptus*: id eſt in meipſo humilis & à malis vilipenſus: tamen ab humilitate contemptus non receſſi: ſed mãdatis tuis obediens fui,quia iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Et attende quòd ſecundum Auguſt.hic adoleſcentulus nõ ſtat abſolutè: vnde aliqui textus habẽt,*Iunior ſum ego*.& ſic omnis minor ætate alio,reſpectu illius, iunior & adoleſcentulus dici poteſt. Quaſi dicat, Inimici mei antiquiores obliti ſunt mandata tua,ſed non ego iunior. Per hoc enim duos populos vult exprimi; ſcilicet populum Iudæorum, & populum gẽtilium ad fidem cõuerſorum. Antiquior populus(ſcilicet Iudaicus) Dei mandata eſt oblitus:ſed iunior (ſcilicet Chri- E
ſtianus)illa obſeruat.Vnde hic ait Auguſt.*Adoleſcẽtulus ſum ego* &c. vel *Iunior*. Hic adoleſcentulus vel iunior in comparatione maioris accipitur. Hic er-

*Geneſ.25.*

go duos populos agnoſcamus qui luctabantur in vtero Rebeccæ. De quibus dictum eſt, Maior ſer-

*Rom.9.*

uiet minori.Iſte minor non eſt oblitus iuſtificationes Dei, cum inimici maiores ſint obliti. Iſte ver- A
ſus ſecundum Ambroſ.tripliciter exponitur: ſcilicet literaliter, & hoc de Dauid:allegoricè, & hoc de Chriſto:& moraliter,de populo Chriſtiano.Primò ergo hunc exponit literaliter de Dauid. Vnde ipſe Ambroſ.dicit, *Adoleſcentulus ſum ego* &c. Ipſe enim Dauid iunior fratribus,cum patris oues paſceret,tãquam vili alligatus obſequio,nõ eſt oblatus Samueli ſacerdoti quaſi indignus qui vngeretur in regnum.

*Dauid iunior ad regnũ fuit electus.*

Sed à ſacerdote quæſitus & accerſitus de paſcuis, prærogatiuam regiæ vnctionis accepit.Poſtea quoque progreſſus ad bellum,cũ Golias totum populum Iudæorum corporis ſui mole deſpiciens,ſingulari certamine prouocaret:timentibus cæteris, hic poſcit à rege vt congrediẽdi ſibi permitteret facultatem.Necdum quidẽ tanto cer- B
tamini habilis æſtimatus eſt:rege dicente, Nõ potes ire ad allophilum,& pugnare cum eo: quoniã tu puer es,& ille vir bellator à iuuentute ſua.

*1.Reg.17.*

Neq; fuiſſet admiſſus,niſi feciſſet fidẽ, quòd in ſua adoleſcentia leonem ſuis manibus ſtrãgulatum extractis raptæ ouis cruribus peremiſſet. Ipſe etiam deſpectus ab allophilo,quòd aduerſus armatum bellatorem cum virga & lapidibus proceſſiſſet,retulit non viribus ſe fretum eſſe,non armis:ſed in nomine domini confidentem ad ipſum eſſe progreſſum, vt laceſſitæ plebis auferret opprobrium. Hic ergo iuuenis atque deſpectus ſtrauit allophilum; potitúſque victoria,in decem milibus, iuuencularum pſallentium teſtimonio triumphauit. Conſequenter oſtendit Ambroſ.quòd iſta verba intelliguntur C
de Chriſto, cuius figura fuit ipſe Dauid. Vnde dicit,Gerebat autem Dauid typum Chriſti:qui quaſi deſpectus venturus eſſet in terra, totum populum mundi huius crucis ſuæ prælio liberare: qui applauderent animæ ſanctorum per baptiſmatis ſacramentum renouatæ.

*Chriſtus iuuenis mũdũ redemit deſpectus.*

Qui verum illum Goliam reuelatum nobis ac proditum verbi ſui gladio trucidaſſet. Licet igitur verus Golias humilitate filij Dei ſtratus amiſit caput,quod in multas artes vertebat & fraudes, pſallunt ſecurè iam animæ, quæ peccatorum ſuorum tormenta deflebant, dicunt, Saul triumphauit in milibus, ſed Dauid in decem milibus.Rex ille durus indignatur, & iraſcitur eo

*1.Reg.18.*

quòd canerent iuuenculæ:quia duritiæ filius paucos decepit: Chriſtus totum mũdum redemit.Di- D
cat ergo Chriſtus natus ex virgine, *Iuuenis ego ſum & deſpectus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.* Tertiò iſta ſunt verba populi Chriſtiani, qui antè deſpectus erat,modò autem electus.Vnde conſequenter dicit Ambroſ.Dicit etiam populus nationum in illa prima electione deſpectus, rudis adhuc fide & ſtudio primæuæ deuotionis adoleſcens: vel certè renouatus aquilę iuuentute per baptiſmi ſacramẽta: *Adoleſcentulus ego ſum & contemptus* &c. Ille ergo deſpectus antè,præferor:iam anteponor electis,Ille antè deſpectus populus peccatorum, habeo cœleſtium ſacramentorũ veneranda conſortia. Iam mẽſæ cœleſtis honore ſuſcipior; epulis meis non pluuia vndatur,non terræ partus laborat,non arborũ fructus:potui meo non flumina quærenda,nõ fon- E
tes:Chriſtus mihi cibus, Chriſtus mihi eſt potus. Caro Dei cibus mihi,& dei ſanguis eſt potus. Dicit ergo populus Chriſtianus,*Adoleſcentulus ſum ego & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.* Hoc verè dicit,ſi humilis corde, ſi mitis atque manſuetus.Dicat ergo,*Adoleſcentulus ſum ego* &c. Præmittat generalem ætatis iactantiam, quò plus commẽdet humilitatis ſuæ gratiam. Non mirabilis humilitas

*Humilitas in iuuene mirabilis eſt, non in ſene.*

in

in ſenectute. Quæ effœta viribus,fracta debilitatibus,triſtis doloribus,anxia ſuſpiriis, cocta curarũ æſtibus,& ipſo viuendi mœſta faſtidio,alacritatem eſt oblita iactantiámque. Rara ſanè in iuuenibus eſt humilitas: ideóque miranda. Dum ætas viget, dum vires ſolidæ,dum ſanguis æſtuat, dum ſolicitudo neſcitur,dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur:tunc feruet iactantia, tunc ſe iuuentutis ſuperbus extollit affectus,tunc humilitas quaſi vileſcit,abiecta contemnitur:tunc ſubiectio degeneris conſcientiæ extimatur infirmitas. Grandis igitur morum eſt aſſueſacienda maturitas,quæ vincat naturam.

## 2215 Iuſtitia tua iuſtitia inæternum: & lex tua veritas.

Hîc ponit ſextum:ſcilicet quòd iuſtus conſolatur ex firmitate promiſſionis diuinæ & iuſtitiæ.Iuſtitia enim virtus eſt: vnicuique proportionaliter ſecundum merita retribuẽs & bonis præmium, ac ſupplicium malis. Sed in hoc quandoque deficit iuſtitia noſtra ab actu exteriori:quãdoque,ſcilicet propter impotentiam:quandoque propter neſciẽtiam: quandoque propter accuſationem falſam & probationem: vt puta quia quãdoque iuſtus probatur reus,& reus iuſtus affirmatur.Iuſtitia autem diuina in nullo deficere poteſt. Et hoc multũ conſolatur iuſtos:quia ex hoc ſperant indubiè ſe à Deo præmiandos.Et hoc conſiderans Pſalm.dicit,*Iuſtitia tua iuſtitia inæternum:*vt ly iuſtitia primò ſtet pro virtute iuſtitiæ: ſecundo autem loco ſtet pro actu ipſius iuſtitiæ:ſcilicet pro præmiatione bonorum, vel malorum punitione. Vel aliter: vbi ſciendum quòd alia eſt iuſtitia Dei, alia eſt iuſtitia hominis. Nam iuſtitia Dei dicitur illud quod facimus ſolũ propter Deũ ſine admixtione alicuius peccati vel mali. Et ſic iuſtitia Dei eſt, quando bonum fit bene:ſcilicet in ſtatu gratiæ eo modo quo debet fieri. Et de iſta iuſtitia dicitur,Iuſtitiæ domini rectè lætificantes corda &c. De iſta etiam iuſtitia dicitur extra.de verborum ſignificatione.forus.quòd iuſtitia cum ſcelerato homine conſortium habere nõ poteſt. Dicitur igitur iſta iuſtitia Dei, quia Deum acquirit æternaliter pro præmio. Iuſtitia verò hominis dicitur,quæ aliquo peccato manet permixta:vt ſi quis aliquod bonum faciat, ſed non bene: vt ſi quis ieiunat nõ propter Deũ,ſed propter corporis ſanitatem:& huiuſmodi. Et dicitur iſta iuſtitia hominis,quia ſolùm in conſpectu hominis apparet iuſtitia,ſed non in conſpectu Dei.Et quia tales iuſtitiæ peccato ſunt admixtæ: ideo deturpatæ dicuntur.Eſa.64, Quaſi pannus menſtruatæ ſunt iuſtitiæ veſtræ.Et iſta iuſtitia non manet inæternũ, quia æternum præmium nõ meretur apud Deum. Iſtam ergo differentiam innuens Pſalm.dicit Deo, *Iuſtitia tua iuſtitia inæternum.* Et iſtum intellectũ hic habet Ambroſ.dicens,*Iuſtitia tua iuſtitia inæternum.* Poſſunt quidem ſinguli homines facere opera iuſtitiæ,ſed non inæternum manentia. Diues ille cui abundauerunt in hoc ſæculo diuitiæ,fortaſſe fecerat aliqua opera iuſtitiæ, quorum remunerationẽ in præſenti vita acceperat: non fuerunt illa iuſtitia inæternum, quia nec remuneratione perpetua digna. Plerique etiam non rapiunt aliena,quod eſt opus iuſtitiæ:ſed neſciunt de proprio largiri. Alij inuadẽtes indebitas facultates, quò ſpeciem iuſtitiæ ſibi quærant,ſolent offerre pauperibus. Nõ eſt iſta inæternum iuſtitia.Multi iuſti plerumque grauiter deliquerunt, non habentes æternæ fructum iuſtitiæ. Soli Deo ſuppetit in perpetuum per omnia poſſidere iuſtitiã, qui paſcit iuſtos & iniuſtos. De illo enim qui debito modo opera iuſtitiæ facit, dicitur,Diſperſit,dedit pauperibus:iuſtitia eius manet in ſeculum ſæculi.Sequitur, *Lex tua veritas.* Ex hoc enim vult Pſalm.dare differẽtiam inter legem antiquam & legem euangelicam:quia lex antiqua ſolum erat quædam figura ſiue vmbra nouæ legis: lex autem euangelica eſt veritas per ipſam antiquã legem figurata. Et hoc notans Pſal. Chriſto dicit, *Lex tua veritas:*ſcilicet nõ eſt figura. Et ad iſtum intellectum exponit Ambroſ.iſtum paſſum: dicens, Sed quomodo iſtud accipimus? An quia lex Dei veritas eſt, quia omne quod ſtatuit Deus verũ eſt: ſicut infrà dicitur,*Omnia mãdata tua veritas?* An quia veritas eſt lex Dei,quia non mentitur Deus? Apud eum igitur veritas lex eſt:fallacia,præuaricatio eſt. Sed & ſic poteſt veritas lex Dei eſſe. Apud Iudæos igitur non eſt lex Dei,quia non recipiunt legis veritatem.Lex Dei ſpiritualis eſt: ſicut dicit Apoſtolus,Non habent ergo veram legem, qui eam non accipiunt ſpiritualiter. Quod autem non verum, mendax eſt:quod mẽtitur,occidit.Litera ergo quæ occidit mentitur:ſpiritus autem qui viuificat veritas eſt. Accipiamus ergo euangelium quod eſt lex Dei,quæ veritas eſt, non typus, non vmbra, non exemplar cœleſtium, ſed ipſa cœleſtia. Vnde ſcriptum eſt,quia finis legis Chriſtus eſt:non defectus quippe,ſed plenitudo legis in Chriſto eſt.quia venit non legem ſoluere,ſed adimplere. Omnis ergo veritas eſt in nouo teſtamento: in antiquo autem, figura veritatis. Verè ergo illa antiqua lex veritatis exemplar eſt. In exemplari enim ſanguis agni funditur, ſed in veritate Chriſtus immolatur.Quid autẽ in hoc manifeſtius eſſe poteſt quàm quòd Ioannes euangeliſta dicit:ſcilicet quòd lex per Moyſen data eſt: gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.Si enim veritas fuiſſet in lege, non fuiſſet veritas facta per Chriſtum.

*Iuſtitia duplex: ſcilicet Dei & hominis.*

*Pſalm.18.*

*Extra de verborum ſignificat.c.forus.*

*Pſalm.111.*

*2.Corint.3.*

*Lex antiqua figura fuit legis euãgelicæ.*

*Matth.5.*

*Ioan.1.*

## Tribulatio & anguſtia inuenerunt me:mandata tua meditatio mea eſt. 2216

Hic ponit ſeptimum: ſcilicet quòd iuſti conſolantur in aduerſis.Sciens enim homo iuſtus quòd aduerſis culpa purgatur, & pœna peccato debita perſoluitur, lætatur cum illis premitur, & ex illis fiduciam ampliorem ſuæ ſalutis aſſumit. Sicut infirmus etſi guſtui potio ſit amara:mẽte tamẽ ipſam ſumẽdo lætatur,ſciens illam eſſe ſanatiuam. Sic & iuſti plus in tribulationibus & anguſtiis lætantur mente quàm in proſperis. Quod notãs Gregor.dicit,Iuſti proſpera huius vitæ ægrè ferũt, & moleſtè præſentis vitæ blandimenta tolerant:quia per hæc vtcunq; ſe tardari interno deſiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor quàm deſpectio occupat: & magis proſperitatis ſublimitas quàm neceſſitatis aduerſitas grauat. Per hanc namq; nõnunquam cum homo exterius premitur, ad concupiſcẽnda quæ intus ſunt liberior relaxatur. Per illam verò dum animus multis parere cogitur, à deſiderij ſui curſu retinetur. Vnde fit vt ſancti viri magis in hoc mundo proſpera quàm aduerſa formident &c.Sic igitur ad propoſitum, exultãt iuſti magis dum premũtur aduerſis,quàm cum proſperis extolluntur.Et per aduerſa amplius ad Dei mãdata meditanda & obſeruanda erigũtur,quàm per proſpera.Et hoc notans Pſalm.dicit hic, *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me* &c. Et nota quòd aliquando tribulatio & anguſtia inueniuntur ab homine:vt Pſal.114,Tribulationem & dolorem inueni,& nomen domini inuocaui. Quandoque verò inueniunt hominem. Sic enim & ibidem dicitur, Circundederũt me dolores mortis,& pericula inferni inuenerunt me. Sic & hic conformiter dicitur,*Tribulatio & anguſtia inuenerunt me.* Quæ autem inter iſta ſit differentia,vide verſic.2031.2032. Vel aliter: Tribulationes omnes generaliter quærunt: ſed aliquos inueniunt,aliquos non.Illos inueniũt: qui ſunt digni corona,qui per illas inueniũt Chriſtum:illos verò non inueniunt, qui coronari non ſunt digni,nec Chriſtum inuenire. Et ſic quamuis multi mali tribulationibus premantur,ipſos tamẽ tribulatio non inuenit,ſed premit. Quid eſt enim inuenire,niſi rem perditã recuperare? Et ſic ſolùm illos tribulatio inuenit quos recuperat,& ad ſtatũ perfectionis adducit.Et iſtum intellectum hic ponit Ambroſ.dicens, *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me* &c. Quærunt tribulationes & neceſſitates hominem,& quandoque inueniunt:& interdum non inueniunt eum.inuenitur ille cui corona debetur: non inuenitur qui idoneus certaminis nõ probatur.Tribulatio igitur,velut quędam gratia eſt.Denique ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. An non gratia eſt quæ operatur patientiam? Qui ergo inuenerat tribulationes profectum eſſe,quæſitus à tribulationibus inuentus eſt,nec refugit.Dicit Sapientia,Quærent me mali, & non inuenient.Non quia dominus nolebat inueniri ab omnibus, qui omnibus etiam non quærentibus ſe offerebat: ſed quia his operibus quærebatur, vt indigni eſſent, qui quærerent,inuenire. Cæterum Simeon qui eũ expectabat inuenit. Inuenit Andreas qui ait ad Simonem,Inuenimus Meſſiam qui dicitur Chriſtus. Philippus quoque dicit ad Nathanael,Quem ſcripſit Moyſes & prophetæ, inuenimus Ieſum à Nazareth filium Ioſeph.Et vt oſtenderet quemadmodum Chriſtus inueniretur,ait, Veni & vide. Qui ergo Chriſtum quærit,veniat: nõ corporis greſſu, ſed mentis veſtigio.Videat eum, non exterioribus oculis,ſed internis.Videat quòd Chriſtus morti ſe ſubdidit, vt à nobis iugum mortis excuteret. Ille ſuſcepit mortis ſeruitutem, vt tibi tribueret æternæ vitæ libertatem. Qui quærit ergo Chriſtum, quærit & tribulationem,nec refugit paſſionẽ. Denique Dauid dignus erat vt à tribulatione quæreretur,tribulationem & ipſe quęſiuit:quã niſi quæſiuiſſet,nõ inueniſſet.Quòd autem inuenerit, ipſe teſtatur dicens,Tribulationem & dolorem inueni: & nomen domini inuocaui.Et alibi,In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine.Bona igitur tribulatio,quæ dignos facit vt in latitudine exaudiãtur à domino. Gratia autem eſt exaudiri à domino Deo noſtro.Qui igitur tribulationem non refugit,inuenit:qui non refugit,inuenitur. Non enim refugit qui mandata ſenſu operibúſque meditatur. Nam vtiq; illum athletam certamina inueniunt,qui in vſu exercitij fuerit cõſtitutus:qui verò exercitium dereliquerit,ſine dubio nõ poterit reperiri:quia indignus eſt vt quæratur. Dicit ergo Pſalm. *Tribulatio & anguſtia inuenerũt me:* quia paratum cor ſemper habebat,nec tribulationem refugiebat,dum in diuinis mandatis meditabatur.Et hoc eſt quod ait,*Mandata tua meditatio mea eſt:* quæ ſcilicet mandata tribulationibus & preſſuris ſubiectos eſſe nos docent.

*Aduerſitas tribulationis cõſolationem dat iuſtis,non proſperitas.*

*Gregor.5.moral.cap.1.*

*Tribulatio & anguſtias aliquos inuenit, aliquos non.*

*Pſalm.50.*

*Luca 2.*

*Ioan.1.*

*Pſalm.114.*

*Pſalm.117.*



## Aequitas teſtimonia tua inæternũ: intellectum da mihi,& viuam. 2217

Hîc ponit octauum:ſcilicet quòd iuſti conſolãtur ex deſiderio ſupernæ gloriæ. Si enim conſolatur operantem præmium operis conſideratũ,prælianteṁ ſpes promiſſæ coronæ,mulierem in partu laborãtem filius natus:multo fortius iuſtos hic laborantes variis tribulationibus ſpes æternæ felicitatis cõſolatur.Sic etenim Pſalm.ſciens omnia hic aduerſa inflicta etiam martyria quæ corporis mortem inducunt, eſſe iuſta & collatiua vitæ æternæ, conſolatur in tribulationibus dicens,*Aequitas teſtimonia tua* &c. Per teſtimonia ergo Dei intellige martyria & tribulationes,vt ſuprà dictũ eſt verſic. 2099.Illa enim etſi vitam corporis interimunt,tamen vitam veram animæ donant. Et iſta iuſta & æqua dicuntur: quia ſi Chriſtus pro nobis vitam ſuam poſuit, & nos pro eius fide vitam ponere iuſtum eſt & æquum.Vnde hic ait Auguſt.Intellectũ poſtulat quo intelligere poſſit quàm ſit contemnendum quod ei poſſunt auferre perſequẽtes inimici,à quibus ſe dicit contemptum:ideo dixit, *Et viuam:* quia ſi eò vſque tribulatio neceſſitáſq; peruenerit vt per inimicorum perſequentium manus vita iſta finiatur, viuet inæternum:quia temporalibus proponit iuſtitiam quæ manet inæternum. Quæ iuſtitia in tribulatione & neceſſitate martyria ſunt Dei: hoc eſt teſtimonia pro quibus ſunt martyres coronati. Vel aliter:conſiderans Pſal.teſtimonia Dei in ſcriptura contenta, tam alta eſſe & profunda: in quibus tamen vera vita animæ cõtinetur,quòd ſine ſpeciali Dei gratia virtute noſtri intellectus penetrari non poſſunt. Ideo vt in ipſis viuere poſſit,in his poſtulat intellectum à Deo ſibi illuminari,dicens,*Aequitas teſtimonia tua,*&c.Vnde Ambroſ.ait,*Aequitas teſtimonia tua* &c.Quis tantus eſt qui poſſit intelligere Dei teſtimonia? Et ideo intellectus à Deo poſtulandus eſt:cuius tanta eſt vis,vt initium eius ſit plenitudo virtutis.Denique ſcriptum eſt, Pietas autem in Deum, initium intellectus.quæ virtutum omnium fundamentum eſt,iuxta humanarum rerum & cœleſtiũ diſciplinam,Pietas amica Deo,parẽtibus grata,dominum cõciliat,neceſſitudines fouet:Dei cultura eſt,merces parentum,filiorum ſtipẽdium.Pietas(inquam) iuſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorum ſuffragium,indulgẽtia peccatorum. Qui enim habet intellectum, ipſe verè eſt pius. Intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, & citò ignoſcit erratis. Intelligit cõmune nobis datũ naturæ vſúſq; conſortium: & ideo pauperibus tãquam debitum ſoluit,nec inficiatur tanquam indebitum. Intelligit vices eſſe calamitatum:& ideo tãquam naufrago mundi portu quodam ſuæ humanitatis occurrit.Hæc perfecta virtus in hominibus:hæc plena in Deo laus eſt.Meritò ergo Salomon intellectum ſibi etiam vt paternum ſecutus magiſterium, à domino poſtulat,dicens, Ego ſum puer humilis, & ignoro introitum meum & exitum:& ſeruus tuus in medio populi tui quem elegiſti,populum multũ ſicut arena maris, & dinumerari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor prudens, audire & iudicare cum iuſtitia populum tuum, & intelligere inter bonum & malum. Vnde placuit domino quòd ſibi non longæuitatem vitæ & regalium diuitiarum copias, ſed ſapientiam ad intelligendã domini iudicia & iuſtitias depoſcit. Ideo

tantum

*Aduerſa vitam æternam conferunt.*

*Intellectus eſt maximæ virtutis.*

*Pietas magna virtus eſt.*

*3.Regum 3.*

tantum populum regno pacifico gubernauit:quia non vſurpauit vt Adam boni & mali ſcire diſtantiam:ſed intelligere eius gratiam orauit à Chriſto. Quod enim ſcire diuinum eſt, hoc à domino Deo tuo vt poſſis cognoſcere promerendum eſt. Si petiſſet Adam ſicut petiuit Dauid: nequaquã in illos inextricabiles erroris laqueos incidiſſet, quibus omnis eius hæreditas ſtrangulatur. Ideóque mortuus eſt:&,quod grauius eſt,morte peccati:qui antè vſurparat ſcire,quàm intellectum quo viuificaretur acciperet. Viuificat ergo intellectus vt ſpiritus,quia ipſe intellectus gratia ſpecialis eſt. Ideóq; intellectum munere ſuo ſpiritus ſanctus operatur. Intellectus autem bonus eſt omnibus qui eum faciunt:quo docemur, quia non ſolùm ſenſu complecti,ſed etiam factis id quod intelligimus exequi debeamus.

*Pſalm.110.*

2218 CLamaui in toto corde meo,exaudi me domine:iuſtificationes tuas requiram.

Coph.

Hîc eſt decimuſnonus octonarius. Cui pro titulo præmittitur decimanona litera alphabeti Hebræorum,quæ eſt coph.Quæ meritò huic octonario præmittitur.Nam coph interpretatur Concluſio vel Aſpice. Vbi notandum quòd quanto quis amplius ſe diuino mancipat ſeruitio, quãto deuotior fuerit,quanto altioribus reuelationibus ſublimatus, quanto ſpirituali conſolatione recreatus: tanto amplius dæmon illum perſequitur,illum tẽtat,illum concludere innititur:vt dictum fuit verſic.56.877.620. Quando autem quis magis ſic à diabolo vrgetur & concluditur tentationibus:neceſſe eſt vt aſpiciat circunquaque modũ quo poſſit euadere:vt aſpiciat ad Deum orando pro ſua liberatione.Quæ omnia in iſto octonario nos docet Pſalm. Vndè iſtam literam coph ad iſtum octonarium applicans Ambroſ.hic dicit, Coph interpretatur Cõcluſio ſiue Aſpice.Quæ duo bene ſibi cõueniunt,Nam qui cõcluditur,circunſpicere ſe debet, & cauſam periculi non diſſimulare: maximè cùm tale diſcrimen ſit. Et conſequenter declarat quid hic ſit concluſio, per ſimile dicens, Cõcluditur vnuſquiſque tumeſcentibus viſceribus interníſve faucibus,cum intercluſo ſpiritus commeatu ſpirandi commercia coarctãtur.Ita etiam qui animo angitur,& quibuſdam aduerſis imminentibus perurgetur:concluditur non minoribus anguſtiis mẽtis quàm corporis.Maior eſt enim animæ æſtus quàm corporis.Concluſus igitur viſcerum tumore,medicum quærit,vt poſſit propulſare periculũ, & conſtricta laxare. Veniens medicus tentat omnia,explorat interna.Et tu ergo cõcluſus animi feruore aſpice temetipſum interiore oculo:morbi vis vrget,feruet tentatio,noxia conſcientia peccatorũ premit, intercipiunt ſenſum mentis anguſtiæ: cognoſce teipſum, & orationis quære medicinam. Poſce vt veniat medicus ille qui deſcendit de cœlo:qui maximè ægrotos requirit. Sicut ipſe ait,Nõ opus eſt ſanis medicus,ſed his qui malè habẽt.Habes vulnera,ne differas:habes vlcera,ne timeas:verbo,non ferro,curare conſueuit. Aſpice igitur illis oculis quibus Dauid auxiliũ quæſiuit, & meruit. Leuaui(inquit)oculos meos in mõtes vnde veniet auxilium mihi. Qui enim mundum condidit,tuetur accolas mundi. Hoc facere te monuit Hieremias in Trenis, ſub hac litera dicens ad Hieruſalem, Surge in nocte in principio vigiliarum tuarum, effunde ſicut aqua cor tuum ante cõſpectum domini:extolle ad dominum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum qui deficiũt fame.Ecce,demonſtrauit ſummam concluſionem,nec vllũ remedium niſi in aduẽtu domini noſtri Ieſu Chriſti; qui ſolus deſperatis poſſit afferre medicinam. Concluſus ergo clama ad dominum,& dic,*Clamaui in toto corde meo* &c. Ex quibus apparet, quòd concluſis preſſuris aduerſantium remedium opportunum eſt,per deuotam orationem clamare ad dominum.Quod facere docet iſte octonarius. Docet enim quòd aduerſitatibus vel tentationibus preſſus ſiue cõcluſus, vt in ſuis orationibus à Deo adiuuetur,octo debet facere: ſcilicet primò totum cor ad Deum debet eleuare:in principio. Secundò ſalutem animæ primò debet poſtulare:ibi,*Clamaui ad te.*Tertiò ſpem in ſolo Deo debet collocare: ibi, *Præueni.* Quartò periculum orando debet præuenire:ibi,*Præuenerunt.* Quintò miſericordiã Dei humiliter debet implorare:ibi,*Vocem meam.*Sextò pro malis & peccatoribus Deum debet inuocare: ibi, *Appropinquauerunt.*Septimò Deum in omnibus eſſe iuſtum debet affirmare:ibi,*Prope.* Octauò Deum in promiſſis fidelem debet prædicare:ibi,*Initio.* Quãtum ergo ad primum, oſtendit quòd orans volens exaudiri,totum cor ſuum ad Deum debet eleuare. Sicut enim toto corde Deum debemus diligere(vt patet verſ. 2029)ſic & orãdo toto corde ad ipſum clamare debemus.Ille orando non toto corde clamat,qui aliquid cum Deo petit: ille autẽ totò corde clamat, qui nihil aliud niſi Deũ quærit vt principalem, cætera propter ipſum Deum. Deus enim ſicut ſponſus ſuæ ſponſæ,ſic animæ noſtræ zelotypus eſt:nec alium ab anima noſtra vel corde vult poſtulari,nec amari permittit. Vnde totũ cor vult ſibi applicari:Deuter.6, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Sic enim populus Iſrael anguſtiis per Holofernem preſſus & cõcluſus vndique toto corde clamauit ad Deum, & fuit exauditus. Vnde Iudith 4, dicitur, Ex toto corde ſuo omnes orabant dominũ, vt viſitaret populũ ſuum Iſrael. Sic & ſuo exemplo Pſalm.nos docet facere, dicens, *Clamaui in toto corde* &c. Iſte autem clamor orationis fit principalius corde quàm corporis voce:& quando verè per ipſum Deus poſtulatur inuenitur.Quod declarat hic Auguſt.dicẽs, Clamor ad dominum qui fit ab orantibus, ſi ſonitu vocis corporalis fiat non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde etiam ſilente corporis voce,alium quemlibet hominẽ poteſt latere,non Deum. Siue ergo cum voce carnis, quando id opus eſt, ſiue cum ſilentio ad Deum cũ oramus, corde clamandum eſt. Eſt autem clamor cordis magna cogitationis intentio. Quæ cum eſt in oratione,magnum exprimit deſiderantis & petentis affectum,vt non deſperet effectũ.Tunc porro in toto corde clamatur quando aliunde nõ cogitatur.Tales orationes nõ ſunt multis:crebræ autem paucis.Sicut ergo cum inſtat neceſſitatis articulus,corde clamãdum eſt ad dominum: exemplo Dauid,qui multas preſſuras paſſus: non corpore, ſed principalius corde orabat: & ideo exauditus fuit. Corde mali non clamãt ad Deum,etſi corporis voce. Vnde hic ait Ambroſ. *Clamaui in toto corde,* &c.Cum impreſſiones patimur corporales,exclamare conſueuimus,vt alios ad præſidiũ nobis vocare poſſimus.Sic ſanctus propheta Dauid premebatur

*Concluditur quis preſſuris aduerſitatum & tentationibus.*

*Clamor orationis nobis neceſſarius.*

*Pſalm.120.*

*Tren.2.*

*Toto corde orandum eſt.*

*Clamor orationis fit corde,non voce.*

*Clamor cordis eſt deſideriũ magnum.*



batur appropinquãtibus ſibi perſecutoribus. Saul primò infeſtus armato eũ inſequebatur exercitu: poſtea parricida filius imminebat: non contentus fugiẽtis exilio,vitam patris quærebat arripere. Sed ab illis minus pati poterat quos videbat,quàm ab illis quos non videbat.Eſt enim colluctatio ſanctis non ſolùm aduerſus carnem & ſanguinem,ſed etiã aduerſus principatus & poteſtates iſtius mundi, rectoréſq; tenebrarum. Horum igitur ſanctus Dauid cùm graues aduerſum ſe fieri videret incurſus, exclamauit in toto corde ſuo.Etenim aduerſus diabolum non vocis magnitudine,ſed magnanimitate cordis vtendum eſt. Clamat ergo cor noſtrum non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate concentúque virtutum. Grandis fidei clamor,magna eſt vox iuſtitiæ,magna eſt caſtitatis:per quam & mortui clamant. Denique dominus dicit, Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. At verò iniuſti anima nec viuens clamat,quia Deo mortua eſt. Gracili voce loquebatur Moyſes, & plus omnibus audiebatur. Clamabat populus, & non audiebatur. Tacebat Moyſes, & audiebatur. Vnde dixit dominus ad Moyſen, Quid clamas ad me? Non populo dictum eſt, Quid clamas ad me? Non enim ad Deũ clamabat populus, qui iniuſta & iuris indigna clamabat: ſed Moyſi dictum eſt, Quid clamas ad me? Hoc eſt, Tu ſolus ad me clamas,qui virtutem meã excitas: tu ſolus ad me clamas, qui per vniuerſam terram nomen meum annunciari expectas. Clamabat ergo Moyſes in corde ſuo, & omnis ſapiens in corde ſuo clamat. Tu ergo cùm oras, magna ora:id eſt quæ æterna ſunt. Ora non caduca:ora quæ diuina ſunt atque cœleſtia: vt ſis ſicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo eſt: noli orare pro auro, quia metallum eſt:noli pro poſſeſſione,quia terrena eſt. Iſta oratio ad Deum non peruenit. Nõ audit Deus niſi quod dignũ ſuis ducit eſſe beneficiis: ſed audit piam vocem plenam deuotionis & gratiæ.Non ſolùm autem clamandum eſt corde,ſed etiam toto corde clamandum eſt.Sicut enim corporaliter tũc bene clamatur cum toto corde clamatur: ita ſpiritualiter toto corde eſt clamãdum ſi volumus à domino quę poſcimus impetrare.Sed quis huius clamoris effectus debet intendi?Sequitur, *Iuſtificationes tuas requiram.*Sed quid eſt iuſtificationes Dei requirere? Multi enim iuſtificationes Dei requirunt ſtudioſiſſimè:ſed vt illas ſciant,non vt faciant: ſed tales non quærunt iuſtificationes Dei,ſed per illas quærunt hominum laudes.Ille autem ſolus iuſtificationes Dei requirit,qui illas requirit nõ vt ſciat, ſed vt faciat,vt hic ait Auguſt.Vel aliter:ille iuſtificationes Dei requirit qui ab aliis creaturis recipit exempla bene viuẽdi:vt exemplum caſtitatis, exẽplum abſtinentiæ, exemplum ſolicitudinis mũdanæ non habẽdæ:quæ Deus aliis creaturis dedit, vt ab illis diſcamus iuſtè viuere. Vnde iſtum textum ad iſtum intellectum aptat Ambroſ.hic dicens,*Iuſtificationes tuas requiram.* Exquirit autẽ iuſtificationes Dei qui id quod eſt in omnibus creaturis & maximè in animantibus prouidentiæ aſcribit diuinæ: vt ab illis ſcilicet accipiat exemplum viuendi.Et manifeſtat,dicens,Turturi ſtudium eſt pudicitiæ:quæ compare amiſſo concubitum indulgere nõ nouit:quod homines ſeruare nõ poſſunt. Vnde pleriſq; animantibus tã ſobria cura partus ſeruandi,vt vbi conceptionis manus agnouerint,coitum non putent eſſe repetendum:ne receptorum ſeminum fiat adulterij permixtio. Phœnix coitus corporeos ignorat,libidines neſcit, illecebras horret: ſed de ſuo reſurgit rogo,ſibi auis ſuperſtes ipſa, & ſui hæres corporis & cineris ſui fœtus. Aquila ne degeneres partus nutriat, diligenti laborat examine,& adhuc teneros fœtus pio ſuſpẽdit vngue, ſolíſque offert radiis:vt ſi fortè oculos ſuos vi ſplendoris inflexerint,tãquam degeneres laxato in præceps vngue dimittat.Si verò naturæ vigore conſtãti aduerſum radios ſolis obtutum potuerint vẽdicare, dignę indolem ſobolis honore grato reportet.Volatilia cœli omnia non ſerunt,neque metũt, & Deus paſcit illa:quia iuſtitias domini cuſtodiũt, nihil proprium vendicando, ſed ligno fructifero, quod domini iudicio communem ad eſcam datũ eſt,famem leuare cõtenta.Ex iſtis igitur cognoſcimus, quòd diuinæ prouidentiæ ſubſidia hominibus non deeſſent,ſi Dei iuſtificationes ſeruare vellemus.Qui alit aues,non aleret homines: quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuã fecit? Nónne pluris ſumus illis?Naturæ prærogatiua pluris ſumus, ſed inferiores diminutione gratiæ & præuaricationis iniuſtitia.

*Epheſ.6.*

*Rom.8.*

*Geneſ.4.*

*Exod.14.*

*Animalia irrationabilia exẽpla virtutum nobis oſtendunt.*

*Turtur caſtitatis exemplũ.*

*Matth.6.*

Clamaui ad te,ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua. 2219

Hîc ponit ſecundum:ſcilicet quòd orans,ſalutẽ animæ primò debet poſtulare. Qui enim dat principale,dat conſequẽter acceſſorium. Cum ergo in nobis anima ſit principalior pars, illius ſalus primò debet orando poſtulari.Qua conceſſa,ſequuntur reliqua. Et hoc facere orãtes docebat ſaluator, dicens,Quærite primùm regnum Dei,& hæc omnia adiicientur vobis. Et hoc eſt quod oſtẽdit nos ſuo exemplo Pſalm.petere,dicens,*Clamaui ad te,ſaluum me fac vt* &c. Hic verſus multipliciter exponitur. Primò quòd ideo ſe ſaluũ fieri poſtulat vt Dei mandata poſſit cuſtodire. Nam præceptũ dilectionis Dei ſuper omnia quãdiu ſumus hic in via perfectè cuſtodiri non poteſt, propter molem corporis, quo anima retrahitur ad ſeipſam, ne totaliter feratur in Deum. Sed in patria vbi erit omnis corruptionis carentia, perfectiſſimè adimplebitur.vt oſtẽdit Magiſter,lib.3.ſent. Hic ergo ſaluum ſe fieri poſtulat Pſalm.non propter bonum ſuum commodi principaliter,ſed propter bonum iuſti,vt ſcilicet ſaluatus Dei mãdata poſſit cuſtodire perfectè. Et hoc eſt quod ait,*Clamaui ad te.* Et quid clamaui? *Saluum me fac.* Et cauſa principalis quare hoc petit eſt,*vt cuſtodiã mandata tua.*Ita quòd ly *vt* oſtendit cauſam motiuam orationis.Vel aliter:homo ſpiritualiter infirmus dicitur,quãdo tentationibus vel aduerſitatibus vt debilis cedit:quando autem fortiter reſiſtit & illas ſuperat,tunc dicitur ſanus. Videns ergo Pſalm.multa contra iuſtos aduerſa conſurgere tã per inimicos tẽporales & viſibiles,quàm per ſpirituales & inuiſibiles:à Deo petit ſanitatem animæ:ſcilicet virtutẽ cõſtãtiæ & fortitudinis,qua ſuperatis aduerſis,Dei mãdata poſſit cuſtodire,dicẽs,*Clamaui ad te,ſaluũ me fac* (id eſt ſanũ & robuſtũ tã mente quàm corpore)*vt cuſtodiã* &c.Et iſtũ intellectũ ponit Aug.hic dicẽs,*Clamaui ad te,& ſaluũ me* &c. Quid eſt *Clamaui ad te*, niſi clamando inuocaui te:*ſaluum me fac vt cuſtodiam* &c.id eſt da mihi fortitudinẽ,ne te per infirmitatem negẽ. Salus quippe animæ facit, vt fiat quod faciẽdũ eſſe cognoſcitur:& vſq; ad mortẽ corporis,ſi hoc flagitat extrema tẽtatio ꝓ mãdatorũ diuinorũ veritate certetur.

*Matth.18.*

*Præcepta Dei perfectè ſeruãtur in patria.*

*Saluatio idẽ quod fortitudo animæ & corporis.*

*Mādata cuſtodiūtur quo modo.*

Vbi autē nō eſt ſalus, ſuccūbit infirmitas, & deſeritur veritas. Vel aliter: ſuperius ſtatim dictum eſt, ꝙ etiā animalia bruta vel aues nobis virtutū præbēt exēpla, dum naturā & cōditiones à Deo ſibi datas cuſtodiūt. Petit ergo iſte ſic ſaluari, vt exēplo auiū & animaliū mādata Dei cuſtodiat. Et hāc intētionē hic oſtēdit Ambroſ. dicens, *Clamaui ad te, & ſaluū me fac* &c. Repetit quòd ad Deū clamauerat, & cuſtodē ſe promittit cœleſtiū ſtatutorū, quę cœlo terráq; teſtibus De⁹ ſanxit, vt præuaricatores elemētorū teſtimoniis arguantur. Quomodo enim cœlū aſpiciat præuaricationis ſuæ conſcium? quomodo fructus de terra expectet, quę nouit ingratos? Vide ergo quàm non parua promittat propheta. In clamādo fidelis & prōptus affectus exprimitur. In cuſtodiendo teſtimonia, continentiæ virtus obſequij ſedulitate declaratur.

2120 Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verbo tuo ſuperſperaui.

Hîc ponit tertiū: ſcilicet quòd orās ſpē ſuam in ſolo Deo debet ponere. Sicut enim docet experiētia, ſpes infirmi & cōfidētia habita in medicum ad optatā ſanitatē obtinēdā cōfert quamplurimū. Sic & cōfidētia orātis in Deū habita cōfert ad obtinēdū poſtulata. vnde Pſal. 90, dicitur, Quoniā in me ſperauit, & ego liberabo eū &c. exaudiā eū. Et hoc ſuo exēplo nos docet Pſalm. hic dicens, *Præueni* &c. *& clamaui: quia in verbo tuo ſuperſperaui.* Pro huius verſiculi expoſitione ſciēdū quòd iſte textus in diuerſis codicibus diuerſificatur. Nā aliqui codices habēt, *Præueni in tēpeſtate nocte, & clamaui.* Aliqui habēt, *Præueni in immaturitate, & clamaui.* Aliqui habēt, *Præueni in maturitate.* Sed pauci habent geminatā præpoſitionē, ſcilicet *Præueni in immaturitate.* Immaturitas autē hoc loco dicitur tēpus nocturnū, quod nō eſt maturū, id eſt opportunū; vt agatur aliquid vigilādo: quod etiā vulgò dici ſolet hora importuna. Nox quoq; intēpeſta (id eſt media, quādo quieſcēdū eſt) hinc proculdubio nūcupata eſt, quia inopportuna eſt actionibus vigilātium. Tēpeſtiuum enim dixerūt veteres opportunū: & intēpeſtiuum, inopportunum, à tēpore dicto vocabulo, nō ab illa tempeſtate quæ conſuetudine Latinæ linguæ cœli perturbatio iā vocatur: vt ait Auguſt. Sic ergo idē eſt immaturitate: id eſt in tēpore immaturo vel incongruo & intēpeſta nocte nato. Quid eſt ergo dictū, *Præueni in maturitate* ſiue *in tēpeſta nocte*? Ad hoc reſpōdet Aug. dicēs, Si hoc ad vnūquēq; fideliū referamus & ad proprietatē rei geſtæ, ſæpe cōtingit vt tali noctis tēpore vigilet amor Dei, & magno ſuggerēte orationis affectu, nō expectetur, ſed præueniatur: quod poſt galli cantū cōſueuit eſſe tempus orandi. Et ſic præuenire immaturitate clamando, nō eſt niſi præuenire tēpus conſuetū orationis. Vel aliter, vt tēpus immaturū, ſit totū tēpus vitæ præſentis. Vnde hic Auguſt. ait, Si autem accipiamus hoc totū ſęculū nocte, vtiq; intēpeſta nocte & immaturitate clamamus ad dominū, & præuenimus maturitatē tēporis, in quo nobis Deus redditurus eſt quod promiſit. ſicut alibi legitur, Præueniamus faciē eius in confeſſione. Vel aliter; vt immaturum tēpus ſit tēpus ante Chriſti incarnationem: in quo ſancti patres ſperantes, in verbo Dei clamabant, Chriſti incarnationē poſtulātes. Vnde hic ait Auguſt. Si velimus intelligere immaturū tempus noctis huius antequam veniſſet plenitudo tēporis (id eſt ipſa maturitas) quando Chriſtus manifeſtaretur in carne: nec tunc eccleſia tacuit, ſed præueniens iſtam maturitatem propherizando clamauit, & in verbis Dei ſperauit potētis facere quod promiſit, vt in ſemine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Vel aliter: vt immaturitas nō referatur ad tempus, ſed magis ad ætatem. vt ſcilicet ætas iuuenilis dicatur immaturitas: & ſenilis, dicatur maturitas. Præuenit ergo immaturitate, & orando clamat qui in iuuenili ætate orationibus aſſueſcit, quod eſt virtutis indicium. Et iſtum intellectū ponit hic Ambroſ. dicens, In iſto verſiculo actuum magis operúmq; arbitror, quàm rationis tempus intelligendum. Præcurrit enim ætatis maturitati quiſquis in adoleſcētia poſitus ſenilem grauitatem inducit, & iuueniles operationes veterana quadam continētia regit, feruorémq; virētis corporis in cana morum maturitate componit. Nā quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, etiā ſenectutis gelu frigidum, ad ſera deuotionis officia depoſito iam ſegnior vigore conuertat? Nō eſt corona, niſi vbi fuerit difficilioris lucta certaminis, ad quā rari attingere poſſunt: nec omnes qui ingreſſi fuerint ſtadium peruenire. Ille laudabilis eſt cui eſt in ſeipſo antè certamen: qui carnem ſuam reluctātem ſibi mentis coercet imperio, parca frugalitate caſtigat & ſeruituti redigit, ne effrænata libertate luxuriet, atq; indomita feruēs cupiditate, habenas animi regentes abrumpat in ore. Eſt ergo iuuenis ſenex, ſi ſe maturitate exerceat. Ante horā præcurrit iuuenis, ſi ſenili pondere incētiuam comprimat voluptatem, & feruentes illecebras cupiditatis extinguat. Dicat igitur iuuenis maturitatis ætatem præueniens deuotione, *Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verbo tuo ſuperſperaui.* Iuſtus ſemper ſperat in aduerſis poſitus, & frequentibus afflictus ærumnis, deſperare non nouit: ſed quo grauiora tolerauerit, magis ſperat, & ſperandi ſumit perfectum.

*Immaturitas dicitur tēpus importunū ad agendum.*

*Pſal. 94.*

*Iuuentus dicitur immaturitas.*

*Seniles mores melius ſedent in iuuene.*

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. 2221

Hic ponit quartum: ſcilicet quòd orans orando periculum debet præuenire. Facilius enim præcauetur morbus antequam veniat, quàm expellatur poſtquam venerit. Sic & hoſti facilius reſiſtitur ne ciuitatem accipiat, quàm poſtquam ipſam occupauerit expellatur. Sic conformiter pericula tam temporalia quàm ſpiritualia præuenire debemus orando; ne poſtquam increuerint, à meditatione verbi diuini animum noſtrum impediant. Et hoc eſt quod ait hic Pſalm. *Præuenerunt oculi mei ad* &c. Vel aliter: vt diluculum ſiue matutinum ſit tempus gratiæ, quo lux nobis effulſit per Chriſtum, qui venit illuminare his qui ſedebant in tenebris. Iſtud diluculum ſancti patres præuenerunt orando, oculos cordis erigendo ad Deum, vt ſaluatorem mitteret nobis. Vnde hic ait Auguſt. *Præuenerunt oculi mei* &c. Ponamus enim matutinum ſiue diluculū, quando his qui ſedebant in vmbra mortis, lux orta eſt eis. Nonne in ſanctis qui prius erāt in terra ad hoc matutinū oculi eccleſiæ præuenerūt? quia hoc futurū antea pręuiderūt, vt meditarētur eloquia Dei, quæ tūc erāt in lege ac prophetis, quæ hæc futura pronuntiabant. Vel per iſta verba Pſal. ſuo exemplo nos cupit docere vt matutinum vel diluculum præueniamus ad orandum. Sic enim ſupra dicebat, Memor fui nocte nominis tui: itērum, Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.

*Matutinum vel diluculū dicitur tēpus gloriæ.*

*Nocte orandum eſt.*



bi: vide ibi: ſcilicet verſic. 2128. 2135. Conſimiliter & hic dicit, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Et ad quid? ſcilicet ad orandum, ad ſacras ſcripturas meditandum: vt ſcilicet ſi de die in actibus actiuæ vitæ occupamur, ſaltem in nocte vitæ contemplatiuæ inſiſtamus. Et iſtum intellectū hic ponit Ambroſ. dicēs, *Præuenerunt oculi mei* &c. Scribitur, Præueni orientem ſolē. Graue eſt enim ſi te ocioſum in ſtratis radius ſolis orientis inuerecūdo pudore inueniat, & lux clara feriat oculos ſomnolentos adhuc torpore depreſſos. Arguit nos tanti temporis ſpacium ſine vllius deuotionis munere ac ſacrificij ſpiritualis oblatione feriata nocte tranſmiſſum. An neſcis ô homo quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus. Occurre ergo à ſolis ortu, vt te oriens inueniat iam paratum: ne lumina tua madido ſopore adhuc mergētia primus diei fulgor exagitet. Et infrà dicit, Præueni orando & meditando hunc ſolem quem vides, vt illuceſcat tibi Chriſtus. Si hūc ſolem præueneris antequam iſte ſurgat, accipies Chriſtum illuminantem. Diuide ſaltem Deo & ſæculo tempora tua. vel quando non potes agere in publico quæ ſunt iſtius mundi, & tenebræ prohibēt noctis: Deo vacato, indulge orationibus: & ne obdormiſcas pſallito, ſomnū tuum bona fraude fraudato: mane feſtina ad eccleſiam, defer primitias pij voti. Et poſtea ſi vacat ſecularis neceſſitas, non excluderis dicere, *Præuenerūt oculi mei mane meditari verba tua*, & ſic ſecurus procedis ad tuos actus. Quam iocundum inchoare ab hymnis & canticis, à beatitudinibus quas in euāgelio legis? Quam proſperum, vt te Chriſti ſermo benedicat? & dum recātas domini benedictiones, ſtudium alicuius virtutis aſſumas, vt etiā in te benedictionis diuinæ meritū recognoſcas. Hæc omnia Ambroſ. Vel aliter: vbi ſciendum, quòd per diluculum quod eſt finis noctis & principium diei, ſignificatur tranſitus à culpa ad gratiā. Quod oſtēdit Gregor. dicens, Quis noſtrum neſciat quòd diluculum dicitur, cum iam nocturna tēpora in claritatem lucis mutantur? Nos itaque noctis tenebris premimur, cum iam perpetratione iniquitatis obſcuramur, Sed nox in lucem vertitur, cum errores noſtri veritatis cognitione eradicantur. Nox in lucem vertitur cum corda noſtra iuſtitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ deprimebat. Sciēdum etiam quòd ad meditationem & ſtudium eloquiorum Dei requiritur mētis puritas præueniēs, quia in maleuolam animam nō introibit ſapientia: nec habitat in corpore ſubdito peccatis. Ille ergo qui ſacram ſcripturam vult ſtudendo meditari, diluculo debet præueniri: id eſt luce gratiæ prius radiari. Vt ſic ergo ſit ſenſus, *Oculi mei* (ſcilicet cordis) *ad te eloquiis tuis meditando præuenerunt*: & hoc *diluculo*: id eſt prius gratia informati fuerunt. Vel aliter: vt per diluculum intelligantur virtutes quibus præuenitur Deus, vt ſcilicet eſt præmium noſtrum. Et ſic eſt ſenſus, Oculi mei ad te meditandum & eloquia tua præuenerunt diluculo: id eſt virtutibus: quia merita præcedunt præmia, & virtutes coronam.

*Diluculū eſt tranſitus à culpa ad gratiā.*

*Gregor. 8. moral. cap. 20.*

*Sapient. 1.*

2222 Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam domine: & ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Hîc oſtendit quintum: ſcilicet quod orans miſericordiam Dei humiliter debet implorare. Beneficium enim exauditionis noſtris meritis nō debemus aſcribere, ſed ſolum diuinæ miſericordiæ & bonitati. Et hoc apertè docet Daniel propheta dicens, Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam: ſed in miſerationibus tuis multis. Et hoc idem facere nos ſuo exemplo docet Pſalm. dicens, *Vocem meam audi*, &c. Vel per iſta verba orans ſperat habere vitam: ſcilicet ſpiritualem & beatam per miſericordiam Dei & per iudicium: quamuis iudicium non ſit ſine miſericordia, nec miſericordia ſine iudicio. De⁹ enim nobis facit iudicium & miſericordiam: miſericordiam, quia non punit peccata quantum puniri meruerunt: iudicium autem, quia illa non dimittit impunita. Similiter dando iuſtis gloriam, facit miſericordiam & iudicium: miſericordiā, quia præmiat vltra cōdignum: iudicium verò, quia proportionaliter præmia reddit. Petit ergo Pſal. exaudiri ſecundum miſericordiam & iudicium: vt ſcilicet puniat per iudicium peccata, ſed miſericorditer. Sic igitur iſta duo ſimul cōcurrunt: ſcilicet miſericordia & iudicium: quibus à peccatis nos liberat Deus, & vitam ſpiritualem tribuit. Vnde Pſalm. 100. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine: vide verſic. 1693. Vel aliter: Pſal. petit exaudiri ſecundum miſericordiam, ſed viuificari ſecundum iudicium. Primum petit quia non confidit in propriis meritis: ſecūdum, quia ſcit quòd cum iudicamur à domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et maximè hoc poſtulare debemus, dum aduerſis premimur: ſcilicet vt illud iudicium quo Deus immittit aduerſa, ad animæ vitam proficiat nobis. Vnde hic Ambroſ. (ait) *Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam* &c. Semper homo, etiamſi ſanctus ſit & iuſtus, debet orare vt exaudiat eum dominus ſecundum miſericordiam ſuam, nō ſecundū merita virtutis alicuius: quia rara virtus, multa peccata. & ſecūdum iudiciū ſuū, vt infirmis opē ferat. Et maximè hoc debemus orare, cum aliquibus vrgemur aduerſis. Vel aliter. Primò Deus per miſericordiam ſuam aufert à nobis peccata, & poſtea ſecundū iudicium nobis vitā dabit æternā: quāuis & miſericordia non ſit ſine iudicio, nec iudiciū ſine miſericordia. Vnde hic ait Auguſt. *Vocem meam audi* &c. Prius enim per miſericordiam à peccatoribus aufert culpā & pœnā, & poſtea iuſtis ſecundū iudicium dabit vitā: vnde nō fruſtra hoc ordine dicitur, Miſericordiā & iudicium cātabo tibi domine: quamuis & ipſum tēpus miſericordiæ nō ſit ſine iudicio. De quo dicit Apoſtolus, Si nos iudicaremus, à domino nō iudicaremur: cùm autem iudicamur à domino, corripimur, ne cum hoc mūdo damnemur. Et vltimum tempus iudicij non erit ſine miſericordia; quia coronat te (ait Pſal.) in miſericordia & miſerationibus.

*Daniel. 9.*

*Miſericordia & iudicium Dei ſimul ſunt in punitione peccatorum.*

*1. Corint. 11.*

Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti ſunt. 2223

Hic oſtēdit ſextū: ſcilicet quòd orans debet pro malis & peccatoribus Deū inuocare. Hoc autē nos facere docuit Chriſtus Matth. 6, dicens, Orate pro perſequentibus & calūniantibus vos. hoc & factis ipſe nobis oſtendit dum in cruce pendens pro ſuis crucifixoribus, patrē exorauit: quæ omnium orationum eſt perſanctiſſima, Deóque acceptior: vt oſtendit Gregor. dicens, Chriſtus dolorem crucis

*Oratio pro inimicis Deo eſt gratiſſima.*

*Gregor. 13. moral. cap. 11.*

pro noſtra redemptione tolerauit: qui ſolus mundas ad Deum preces habuit. quia & in ipſo dolore paſſionis pro perſecutoribus orauit, dicens, Pater dimitte illis:non enim ſciunt quid faciunt. Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius poteſt quàm cùm & illis miſericordia interceſſionis tribuitur,à quibus dolor toleratur? Huiuſmodi exẽplo ergo Pſal.pro ſuis perſecutoribus orat,Deo exprimens peccatum ipſorum, vt ipſum prouocet ad miſericordiam: ſicut & ſorores Lazari orantes Chriſtum pro fratre ſuo qui infirmabatur, nihil in ſingulari poſtulauerunt:ſed ſolum eius infirmitatem Chriſto intimauerunt, dicẽtes, Domine ecce, quem amas infirmatur. Sic & conformiter nunc Pſal. pro ſuis inimicis orans ipſorum ſtatum Deo aperit,dicens, *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati*, &c. Talis enim eſt natura contrariorum, quòd quanto quis magis vni extremo appropinquat,tanto amplius recedit ab alio. Sicut patet de loco ſurſum & deorſum,de dulci & amaro,de albo & nigro. Et conformiter intelligendum eſt de viciis & virtutibus: quia quanto amplius quis de virtutibus participat, tanto magis elongatur à viciis:& econtrario. Quanto amplius appropinquat viciis, illa ſcilicet participando; tanto amplius à Deo elongatur & ab eius lege:non quidem localiter,ſed diſſimilitudine morum. Et hòc eſt quod dicit Pſal. *Perſequentes me appropinquauerunt iniquitati*: quia ſcilicet perſequi iuſtum iniquitas eſt. Et ideo ad hoc ſequitur quòd à lege tua longè facti ſunt: id eſt,à præceptis tuis,quibus omnis iniquitas opponitur. Vel aliter:aliqui enim codices habent, *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitate*, vel *iniquè*. Et tũc eſt ſenſus, quòd perſecutores iuſtorum, qui ipſos iniquitate vel iniquè perſequuntur, carnem quidem poſſunt lædere, ſed non animam interius, à qua Deum auferre non poſſunt. Appropinquat ergo iuſtis,quia carnem lacerant,quæ proxima eſt ipſi animæ. Vnde hunc ſenſum hic tangit Auguſt. dicens, *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitate*: vel(ſicut nonnulli codices habẽt)*iniqui*. Tunc enim appropinquant qui perſequuntur, quando vſque ad carnem cruciandam vel perimendã perueniunt. vnde Pſal.21,vbi paſſio domini prophetata eſt,Ne deſcendas(inquit)à me:quoniam tribulatio proxima eſt. cùm tamen illa dicantur ibi, quæ non expectabantur futura,ſed quæ iam præſente ipſa paſſione perpeſſus eſt:ſed proximam dixit tribulationẽ quæ fiebat in carne. Nihil enim eſt animæ propius carne quam geſtat. Appropinquauerunt ergo perſequentes,affligendo eorum carnem quos perſequebantur. Sed attende quod ſequitur, *A lege autem tua longè facti ſunt*:quia quãto magis appropinquauerunt perſequendis iuſtis, tanto longè facti ſunt à iuſtitia. Sed quid nocuerunt eis quibus perſequendis appropinquauerunt: quando interior eſt appropinquatio domini eorum, à quo nullatenus deſeruntur? Vel per hoc vult Pſal.oſtẽdere,quòd perſecutores martyrum & iuſtorum ipſos perſequendo eis non nocent: quia licet appropinquãt, non tamen lædunt, ſed ſeipſos offendunt:quia ſeipſos à iuſticia ſeparãt & à lege Dei,quæ proximum præcipit diligere,non perſequi. Et ad iſtum ſenſum exponit Ambroſ.hunc paſſum,dicens, Quãto magis perſequentes appropinquauerunt, tanto amplius à lege tua ſe ſeparauerunt. Quoniam qui fratrem ſuum perſequitur, à lege tua ſecernitur. Lex enim dicit,Diliges dominum Deum tuum, diliges proximum tuum. Nõ ergo oderim fratrem meum, ne dicatur mihi,Si fratrem tuum non diligis quem vides, quomodo potes Deum diligere quem non vides? Neſcis fratrem tuum eſſe mercedem ſanguinis Chriſti? Mercedem ergo non diligis Chriſti ſi fratrem tuum non diligis. Ergo perſecutor appropinquat mihi vt noceat:ſed is & à lege Dei ſe ſeparat & ab æterna vita. Lex enim Dei vita eſt. Quoniam qui facit quæ legis ſunt,viuit in eis,quod legi conuenit vtique ſpirituali. Dum autem ſeparatur à lege, ſeparatur à Chriſto:nec mihi appropinquat,quia etſi corporis mei habeat poteſtatẽ, animæ meæ tamen nocere non poterit. Denique perſecutores martyrum quàm longè ab eorum meritis ſeparati ſunt. Nota hic quòd nocere alteri eſt vitium contra naturam: vide ver.604. Item nota quòd mali bonis nocere non poſſunt:ver.997.

*Lucæ 23.* — *Ioan. 11.* — *Proxima vel propinqua iuſtis dicitur adverſa carnis.* — *Diligẽdus eſt proximus, quia merces eſt ſanguis Chriſti.*

## Propè es tu domine: & omnes viæ tuæ veritas. 2224

Hic ponit ſeptimum:ſcilicet quòd orans ſi vult exaudiri, debet credere Deum in omnibus eſſe iuſtum,imitando proſpera vel aduerſa, ſi exaudiatur vel non. Et hoc in orationibus præmittendũ oſtẽdit Chriſtus dicens,Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiã eius,&c. Tunc enim iuſtitia regni quæritur, quando Deus in omnibus ſuis operibus iuſtus eſſe creditur. Sic & Pſal. conformiter hic confitetur,dicens Deum propè eſſe omnibus qui eius iuſtitiam in omnibus eius operibus confitentur: dicẽs,*Propè es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas*:id eſt, iuſtitia. Quilibet enim tribulationibus preſſus & aduerſis confiteri debet & credere quòd à Deo iuſtè pro ſuis demeritis affligitur: vnde & dicere debet, *Omnes viæ tuæ veritas*. Vnde hic Auguſt.ait, *Propè es tu domine, & omnes viæ tuæ*, &c. etiam in tribulationibus ſuis quòd eas non immeritò patiuntur,tribuere veritatem Deo, ſanctorum eſt vſitata confeſſio. Ita regina Heſter:ita ſanctus Daniel: ita tres viri in camino ignis, & eorum ſanctitatis ſocij confitentur dicentes, Omnes viæ tuæ veritas: iuſtus es domine & rectum iudicium tuum: vide de hoc ver.2210. Et nota quòd Pſal.dicens,*Propè es tu domine*,per iſta verba vult oſtendere, Deum omnibus eſſe præſentem:vt ſaltem coram illo qui omnibus præſens eſt, qui omnia videt,peccare caueamus,vnde Deum præſentem omnibus eſſe,omniáque videre hic oſtendit Ambroſ.dicens, Propè eſt dominus omnibus,qui vbique eſt:nec fugere eum poſſumus ſi offendimus, nec fallere ſi deliquimus, nec amittimus ſi colamus eũ. Spectat omnia Deus, omnia videt: aſſiſtit ſingulis. Et quomodo poteſt deeſſe alicubi, cum de ſpiritu ſuo legeris, Spiritus domini repleuit orbem terrarum? Vbi enim eſt domini ſpiritus,ibi eſt dominus Deus. Denique Dauid illum vbique eſſe & implere cœlum,terram & maria oſtendit,dicens, Quò ibo à ſpiritu tuo? aut quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es:ſi deſcendero in infernum,ades: ſi ſumpſero,&c. Quàm citò ſignificat Deum vbique eſſe, & vbicunque eſt Dei ſpiritus, Deum eſſe: & vbi eſt Deus,ibi ſpiritum eius eſſe præſentem. An cum de ſole dubitare nequeamus quòd procedẽte die toto orbe radios ſuos diffundat, & omnibus lumen infundat: quem etiam illi qui videre non poſſunt, ſentiunt tamen aëris ipſius fotu eſſe præſentẽ? De ſole ergo non dubitas quòd vbiq; fulgeat,quomodo ergo de Deo ambigere potes? Nã ſplendor æternus

*Matth. 6.* — *Heſter 14.* — *Daniel 3.* — *Deus vbique præſens eſt,& propè omnibus eſt.* — *Sapien. 1.* — *Pſal. 138.*



nus Dei verbũ occulta etiam mẽtis illuminat,quæ ſol iſte penetrare non poteſt. Penetrat enim animã, & quaſi candor æternæ lucis illuſtrat. Sed quamuis diffuſè per omnes & in omnes & ſupra omnes poteſtates ſit,quia omnibus ex virgine eſt ortus,& bonis & malis: ſicut & ſolem ſuum oriri iubet ſuper bonos & malos: illum tamen fouet qui appropinquat ſibi. Sicut enim à ſe fulgorẽ ſolis excludit qui feneſtras domus ſuæ clauſerit,locúmque tenebroſum in quo cõuerſetur elegerit:ita qui ſe auerterit à ſole iuſtitiæ, non poteſt ſplendorẽ eius aſpicere:in tenebris ambulat:& in omniũ luce ipſe ſibi cauſa eſt cæcitatis. Aperi igitur feneſtras tuas,vt tota domus tua fulgore ſolis illuceat. Aperi oculos tuos, vt videas orientem ſolẽ iuſtitiæ. Sed caue ne eos vlla ſtipulæ feſtuca perturbet. Si quid ſordis in oculo mentis tuæ fuerit, non poteris eũ intueri: ſi quid ægritudinis, plus grauabit cũ confuſam oculorũ aciem lux ferit, maiorémq; dolorẽ excitabit. Potéſtne alicubi deeſſe ſapiẽtia Dei, alicubi deeſſe eius maieſtas? Sanè tamẽ fugientes nõ retinet, non cogit inuitos: ſed neq; faſtidit appropinquãtes. Et illius quidẽ virtus,illius verbũ,Deus omnibus propè eſt. Deniq; dictum eſt,Ecce qui elongant ſe à te, peribũt. Propter quod ſanctus ait, Mihi autem adhærere Deo,bonum eſt. Et Apoſtolus ait non lõgè eſſe Deũ ab vnoquoq; noſtrũ:in ipſo(inquit) viuimus,mouemur & ſumus. Vitalem enim omnibus gratiam ſuã miniſtrãs,omnibus præſto eſt bonitatis ſuę munere:ſed propior eſt illis qui cõtrito ſunt corde. Qui ergo Deo proximus eſt dicit, *Propè es tu domine,& omnes viæ tuæ veritas*. Iudæus hoc dicere nõ poteſt,quia nõ recipit dominũ Ieſum. Separauit enim ſe,nec in veritate, ſed in vmbra credit. Quomodo ergo dicet,*Omnes viæ tuæ veritas*:cùm gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt? Sed hic eſt dubiũ. Cùm enim omnes viæ domini ſint miſericordia & veritas æqualiter( dicente Pſal. Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas)quare hic ſolam veritatem,& nõ miſericordiã expreſſit, dicens,*Et omnes viæ tuæ veritas*? Sed vnum illorum exprimẽs aliud ſubintelligit: quia ſicut vera miſericordia nõ eſt,ſi à iuſtitia ſit deſtituta:ſic nec vera iuſtitia erit ſecluſa miſericordia. Nam vt ait Chryſoſtomus ſuper Matthæũ,Miſericordia ſine iuſtitia,quędam fatuitas eſt, non miſericordia: & iuſtitia ſine miſericordia, non eſt iuſtitia, ſed crudelitas. Vnde & Auguſtinus hic ait, Quæri autem poteſt, quomodo hic dictum ſit, *Et omnes viæ tuæ veritas*: cum in alio Pſalmo legatur, Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas. Sed erga ſanctos & vniuerſæ viæ domini miſericordia, & vniuerſæ viæ domini veritas:quia & in iudicando ſubuenit: atque ita non deeſt miſericordia, & miſerãdo id exhibet quod promiſit,ne veritas deſit. Erga omnes autem & quos liberat & quos dãnat,omnes vię domini, miſericordia & veritas:quia vbi non miſeretur,vindictę veritas exhibetur. Multos quippe immeritos liberat, in ęternum autem neminem damnat immeritum.

*Matth. 5.* — *Pſal. 72.* — *Aliunm 18.* — *Iob 1.* — *Quæſtio. Miſericordia ſemper cũ iuſtitia: & contrario.* — *Pſal. 24.*

## 2225 Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia inæternum fundaſti ea.

Hic oſtendit octauũ:ſcilicet quòd orans,Deum in promiſſis fidelẽ debet credere; quia ſcilicet non mutatur vt homo,ſed quod promittit, æternaliter ſeruat. Quod nunc ſuo exemplo oſtendens Pſalm. dicit, *Initio cognoui de teſtimoniis tuis: quia inæternum fundaſti ea*. Aduerte autem ſecundum Auguſt.quòd iſte textus multoties variatur: quia aliqui dicunt, *Ab initio*:aliqui *initio*:aliqui *in initiis*. Sed communius dicitur *Ab initio*.quod nos aduerbialiter exprimendo,dicimus *Initiis*. Dicimus ergo,*Initio cognoui de teſtimoniis tuis*. Sed quomodo promiſſiones vel teſtimonia Dei manent inæternum? Ad quid enim valebunt teſtimonia, cum res ipſa promiſſa plenè poſſidebitur? Sed dicit teſtimonia Dei inæternum fundata ex eo quòd illud quod per illa teſtimonia Deus promiſit,eſt æternũ, non illæ promiſſiones. Vnde hic Auguſt. Teſtimonia Dei in æternum ab illo dicit eſſe fundata: & hoc ſe initio cognouiſſe teſtatur:non aliunde cognouiſſe, quàm de ipſis teſtimoniis. Quæ ſunt ipſa teſtimonia, niſi in quibus teſtatus eſt Deus ſe regnũ daturum ſuis filiis ſempiternum? Et quia hoc in vnigenito ſe daturum eſſe teſtatur:de quo dictum eſt,Et regni eius non erit finis:ipſa teſtimonia dixit in ęternum fundata,quia id quod per ea Deus promiſit, æternum eſt. Nam ipſa per ſe tunc teſtimonia non erunt neceſſaria, quando res ipſa videbitur: propter quam credendam nunc teſtimonia requiruntur. Et ideo bene intelligitur dictum,*fundaſti ea*:quia in Chriſto vero monſtrantur. Fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt præter id quod poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus. Vnde hoc igitur iſte initio cognouit,niſi quia eccleſia loquitur: quæ terris non defuit ab initio generis humani:cuius primiciæ Abel ſanctus eſt immolatus, & ipſe teſtimonium futuri ſanguinis mediatoris ab impio fratre fundendi? Nam & illud ab initio dictum eſt,Erũt duo in carne vna. Quod magnum ſacramentum Apoſtolus Paulus exponẽs, inquit,in Chriſto & eccleſia. Vel aliter. Nã teſtimonia Dei dici poſſunt iudicia eius quæ ab initio dedit: puta quia ab initio malos puniuit,vt Cain:bonos pręmiauit,vt Abel:malos diluuio ſubmerſit: iuſtos autem, vt Noe cum filiis ſuis, ſaluauit. Iſta autem vocantur teſtimonia in æternum fundata:quia ſicut ab initio malos puniuit & bonos præmiauit, ſic & inæternum faciet. Vnde ad iſtum ſenſum hic ait Ambroſ.*Initio cognoui de teſtimoniis tuis* &c.id eſt de teſtimoniis tuis ab initio cognitionem & fidem aſſumpſi, quòd in æternum fundata ſunt. Ab initio data ſunt præcepta cautiora, ne primi parentes ſibi vſurparent ſcientiam boni & mali: qua recto diſcrimine diffinire non poſſent, paradiſi incolatum in perpetuum vendicare potuiſſent. Si conſiderent homines, quia ſanguis hominis ad Deum clamat, manus proprias à nece hominis abſtinebunt. Si cuſtodiant præcepta quæ dedit dominus coram cœlo & terra teſtibus, dicens, Audi cœlum, & auribus percipe terra: ſcientes quicquid flagitij commiſerint, aduerſus legem domini feciſſe: angelorum & poteſtatum ſanctorúmque hominum teſtimoniis arguantur: ſupra hæc teſtimonia fundata ſibi conſtituerent, quia æterna ſunt atque perpetua. Vel aliter, ſecundum Gloſſam, teſtimonia dicũtur præcepta Dei:quæ dicuntur fundata inæternum, quia pro eis neglectis vel ſeruatis merces æterna vel pœna æterna dabitur. Eſt ergo ſenſus: Ego cognoui de teſtimoniis tuis, quòd in æternum fundaſti ea: cognoui dico ab initio (vel initiò) ſcilicet in Adam, qui pro neglectis punitus eſt: vel per antiquos patres, qui ea tenendo ad æternitatem peruenerunt.

*Teſtimonia ſunt promiſſiones.* — *Quæſtio.* — *Luc. 1.* — *1. Cor. 3.* — *Gen. 4.* — *Gen. 2.* — *1. Cor. 6.* — *Eſa. 1.*

2226 **VIde humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.**

Res

Hîc incipit octonarius vigeſimus. Cui pro titulo præmittitur litera vigeſima alphabeti Hæbræorum: quę eſt Res: quę congruè huic octonario pręmittitur. Res enim interpretatur Caput ſiue Primatus. Et ſignificat humilitatem, quæ caput eſt omnium virtutum, & primatum tenet. Sicut enim in corpore hominis caput omnia membra fouet & dirigit, atque ſenſibus implet; inde ductus venarum, meatúſque ſpiritus, ſanguinis vires in totius corporis partes deriuantur, luſtrat omnia. Sublato capite, corpus ſine nomine eſt: non agnoſcitur, nec vllus ſupereſt vſus viuendi: propterea qui in aliquo damnatur crimine, ideo capite punitur: eo quòd caput ornamentum eſt totius corporis: quia qui turpi vel ſceleſto reatu beſtialis immanitatis horrorem commiſiſſe detecti ſunt, formam humanæ conditionis iubentur exuere. Reciſo enim capite, & reliqui corporis truncus beſtiarum corpori comparatur. Sic & conformiter inter virtutes humilitas caput eſt virtutum & ornamẽtum. Huic ergo octonario pro titulo præmittitur litera Res, quæ caput interpretatur: quia hic agitur de humilitate nobis neceſſaria, quæ caput eſt omnium virtutum. Vel myſticè caput dicitur Chriſtus: qui eſt caput, totius corpus eccleſię: & in ipſo omnia conſtant. Fertur quòd coluber cùm vrgetur periculo (vt hic ait Ambroſ.) caput ſemper abſcondit: & in orbem ſe colligens, obiecta reliqui corporis parte, caput ſolum tueri conatur: eo quòd ſaluo capitis vigore, læſa cætera membra fertur reparare. Sic enim & tu ſeruato capite Chriſto, ſaluato capite virtutum, (quod eſt humilitas) perire non potes: ſine quibus tibi viuere eſt impoſſibile. Vis videre de humilitate quòd omnium ſit caput virtutum, quæ totum corpus virtutum fouet? Quamuis enim aliquis infirmus ſit, pauper & ignobilis, tamen (vt hic ait Ambr.) ſi non ſe extollat & præferat, ipſa ſe humilitate commendat. Sit aliquis prædiues & nobilis: ſi nobilitatem ſui generis & diuitias iactet, inſolentia ſui vilis efficitur. Sit aliquis facundus & fortis, qui tumore facundiæ ac virtutis elatus plurimum ſibi arroget: nónne ei propter verecũdiam & inſipiens ei & infirmus antefertur? Exemplum accipe in euangelio de Phariſæo & publicano. Sic ergo hæc litera Res, quæ Caput interpretatur, humilitatem ſignificat; quia Chriſtus totius fons eſt humilitatis: etiã ipſum Chriſtum ſignificat. Interpretatur etiam litera Primatus: quod ad idem redit. quia ipſa humilitas inter omnes virtutes tenet primatum. Sic etiam Chriſtus inter omnes ſanctos primus dignitate prædicatur. Ad propoſitum ergo: huic octonario pręmittitur hæc litera Res, quę interpretatur Caput vel Primatus: quia hic agitur de humilitate Chriſti & iuſtorum: quæ inter omnes virtutes caput eſt, & tenet primatum. Hic enim oſtenditur quid agit humilitas, quid fugit, quid zelat, quid diligit, & quid docet vel oſtendit. Et ſecundum hæc iſte octonarius habet octo partes. Quia hic oſtẽditur quòd humilitas eſt primò mandatorum diuinorũ ſeruatiua: in principio. Secundò delictorum commiſſorum purgatiua: ibi, *Iudica.* Tertiò proximorum peccatorum correctiua: ibi, *Longè.* Quartò miſericordiarum diuinarum lucratiua: ibi, *Miſericordiæ.* Quintò aduerſorum & tribulationum lenitiua: ibi, *Multi.* Sextò errorũ proximorum zelatiua: ibi, *Vidi præuaricantes.* Septimò timoris per dilectionẽ expulſiua: ibi, *Vide quoniam.* Octauò veritatis ſcripturarum oſtenſiua: ibi, *Principium verborum.* Eſt ergo primò humilitas mandatorum diuinorum ſeruatiua. Sicut enim ſuperbia ſuperioribus obedire renuit, ſic per oppoſitum humilitas ſe ſubiiciẽs, mãdata Dei adimplere conatur. Exemplum habemus in Chriſto: qui per humilitatem mandatum patris impleuit, quia humiliauit ſemetipſum, factus obediens patri vſque ad mortem crucis: vt ait Apoſtolus ad Phil. 2. Et hoc in ſeipſo notans hic Pſal. Deo dicit, *Vide humilitatem meam* &c. *quia legem tuam non ſum oblitus.* Quid enim hoc loco lex Dei ſignificat, niſi humilitatem, quã Chriſtus verbo docuit & exemplo monſtrauit? Vnde hic ait Auguſt. Hoc loco nullam Dei legem cõuenientius accipimus, niſi qua inuiolabiliter fixum eſt, vt omnis qui ſe exaltat, humilietur: & omnis qui ſe humiliat, exaltetur. Superbus ergo malis vt humilietur innititur: humilis verò à malis vt exaltetur, eripitur. Iſtum verſum habet dicere omnis aduerſis preſſus, qui pro ſe vel alio humiliter Deum rogare conatur vt liberetur à preſſuris: vt hic oſtendit Ambroſ. dicens, *Vide humilitatem meam* &c. Gloriatur alius in diuitiis ſuis: alius in titulis nobilitatis ac proſapiæ ſuæ; alius in administrationibus & honoribus gloriatur: iuſtus autem in humilitate gloriatur. Bona enim gloria, Chriſto eſſe ſubiectum. Vt autem ſcias quia non ſe iactare hic Pſal. cupiat, ſed Dei in ſe gratiam prouocare: ipſe alibi dicit, Vide humilitatem meam & laborem meum. Ergo quaſi is qui humiliauerit cor ſuum, quaſi is qui plurimum laborauerit: ibi ſibi dimitti peccata deſiderat, hic erui ſe precatur. Et ſubdit ad propoſitum: Conſtitue aliquem ſacerdotem pro miniſtri ſalute ſollicitum quem probatum aduertat Deo: aliquem patrem pro filio in ægritudine graui conſtituto: aliquã fœminam pro viro vel pro filio mœſtam, orationibus incumbentem, fundentem vberes lacrymas noctibus ac diebus, humiliantem ſe ac ſternentem ſolo, multiplicantem ieiunia: & quod his grauius eſt, mentis dolore confectam, morbi ac periculi dilatione torpentem, dicere ad dominum, *Vide humilitatem meam, & eripe me.* Conſidera Chriſti athletam innumeris contentionibus fatigatum, ac propè iam laſſatum viribus reſiſtentem, periculi mole turbatum, cùm videat ſibi non ſolùm aduerſus carnem & ſanguinem, ſed etiam aduerſus ſpirituales nequitias quæ ſunt in cœleſtibus, eſſe luctamen: dicere, *Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem* &c. Contuere etiam aliquem in martyrio conſtitutum, frequentibus afflictum ſuppliciis, retruſum in tenebris, graui fractum põdere catenarum, euiſceratum eculeo, exaratum vngulis, aduſtum candentibus laminis, perſeuerantem fidei virum, ſed iam tædiantis animi quòd diutius differatur ſacræ mortis corona: dicẽtem, *Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem* &c. Et ſubdit Ambroſ. ex præmiſſis, Teneamus ergo hic poſiti humilitatem: vt cum vnuſquiſque noſtrũ venerit ad iudicium Dei, ad illos ignes quos tranſituri ſumus: dicat Chriſto, *Vide humilitatem meam, & eripe me.* Nam ſi ſuperbus fueris, ſi arrògans, ſi contumax & inobediens præceptis diuinis: hoc nõ poteris dicere. Nemo autem dicit, Vide ſuperbiam meam: ſed vide humilitatem meam: vt eius gratia ab illo igne erui mereatur. Audi iuſtum humiliantem ſe, Ego autẽ ſum minimus Apoſtolorum. Ille vas electionis diuinæ, ille gentium doctor, minimum eſſe ſe dicit: indignum eius officij nomine quod ſuis operibus præferebat. Nihil ſibi arrogat, ſed totum gratiæ Dei deputat. Hac humilitate Abraham pater fidei nuncupatus eſt: qui cùm diuinò participaret eloquio, terram ſe eſſe dicebat & humum. Ipſe quoque dominus ait, Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum &c. cum de ſui corporis paſſione loqueretur: qui non quæ ſua ſunt quæſiuit, ſed quæ aliorum. Cuius nos imitatores fieri voluit Apoſtolus: atque hortatur: dicens, Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo &c. formam ſerui accipiens. Non nos igitur nobilitatem generis, non diuitias requiramus, ſi volumus Chriſtum ſequi. Exinaniuit ſe cum eſſet in Dei forma: cùm diues eſſet, pauper factus eſt. Noli ergo tu contemnere plebeium, quia nobilis es: noli deſpicere ſeruum, quia potens es: noli pauperem faſtidire, quia diues. Nũquid tu nobilior: nunquid tu potentior Chriſto es? Ille pro te ſuſcepit illa quæ tu deſpicis. Ille pro te humiliauit ſe vſque ad mortem, & mortem crucis: vt tuę lapſum aboleret ſuperbię. Conſidera ô homo, quòd non laborauit Apoſtolus potentiam Chriſti probare: ſed obedientiam prædicare: ſed demonſtrare quanta ſit humilitatis gratia, quantúſque eius profectus. Si eius imitator fueris, tunc ſecurè in aduerſis poſitus, clama ad ipſum, dicens, *Vide humilitatem meam, & eripe me* &c. & liberaberis. Vel aliter. Nam, vt dictum fuit ver. 558. 559. 896. 1233. Humilitas eſt duplex: ſcilicet virtutis, & pœnalitatis. Hic etiam dicit Amb. Eſt ergo humilitas laboris & fatigationis: & eſt humilitas virtutis atque propoſiti: quam in ſecundis & proſperis iuſtus poſitus tenet. Poteſt ergo iſte verſus intelligi etiam de humilitate paſſionis & pœnæ: vt iuſtus afflictus & perſecutus, ſuã miſeriam proponens, Deo dicat, *Vide humilitatẽ meam, & eripe me.* Sic etenim alibi Pſal. dicebat, Vide humilitatẽ meam, & laborẽ meum. Iſto modo orabat Hierem. dicẽs, Vide domine quoniam tribulor &c. Sic orabat & Daniel, dicens, Exaudi domine orationem ſerui tui propter temetipſum: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram. Sic & nunc conformiter Pſal. docet nos orando afflictiones noſtras proponere Deo: dicens, *Vide humilitatem meam, & eripe me.* Sic enim ſtrenuus miles mẽbra ſua vulnerata oſtendit regi, vt ipſum eripiat è labore certaminis. Vnde hic Amb. dicit, Athleta bonus membra ſua monſtrat, vt conuerſationis ſuæ approbet diſciplinam. Monſtrat etiam tunc membra ſua, quando poſt aliqua certamina grauiora iterum certare compellitur: vt iudex videns feſſum corpus, nequaquam eum certare compellat. Et tu Chriſto oſtende labores tuos, dicens, *Vide humilitatem meam, & eripe me* &c.

*Humilitas caput eſt omnis virtutum & forma.* — *Luc. 18.* — *Humilitas dicitur lex Dei.* — *Luc. 14.* — *Humilitas orationis.* — *Humilitas Pauli.* — *1. Cor. 15.* — *Gen. 18.* — *Pſal. 21.* — *Phil. 2.* — *Humilitas afflictionis.* — *Thrẽ. 1.* — *Dan. 9.*



2227 **Iudica iudiciũ meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.**

Hîc oſtendit ſecundum: ſcilicet quòd humilitas eſt cõmiſſorum delictorum purgatiua. Cùm enim quis ſeipſum humiliando iudicat, non iudicatur à Deo: propter quod ait Apoſtolus, Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Et hoc eſt quod hic à Deo Pſal. poſtulat, dicens, *Iudica iudicium meum* &c. Vbi ſciendum quòd in nobis duplex eſt iudiciũ quo pro peccatis noſtris iudicamur. Vnum eſt iudicium noſtrum: aliud eſt, iudicium Dei. Iudicium noſtrum dicitur quo nos volũtariè noſipſos iudicamus, noſipſos pro peccatis noſtris mortificãtes, & carnẽ caſtigãtes: & hoc vel in ſatisfactionem pręteritorum peccatorum, vel ad cautelam futurorum. Sic enim ſeipſum iudicabat Apoſtolus, dicẽs, Caſtigo corpus meum &c. Aliud eſt iudicium Dei: ꝙ ſcilicet nos nõ aſſumimus, ſed immiſſum toleramus: ſicut ſunt flagella abextrinſeco pro peccatis noſtris immiſſa. Sic enim dicitur Pſal. 9, Cognoſcetur dominus iudicia faciens. Certum eſt autẽ quòd iudicium voluntarium quo quis ſeipſum iudicat, Deo eſt magis acceptum quàm iudicium ab extrà immiſſum. Sic enim contritio eſt iudiciũ noſtrum, quam ſummè Deus optat. Et de iſto iudicio hic loquitur Pſal. Deo dicens, *Iudica iudicium meum, & redime me.* Quaſi dicat, Quia Deus videt quòd meipſum iudico, ideo me redimit à peccato. Huius autem iudicij in præſenti ſolum eſt tempus: quia hic quiſque ſeipſum iudicare poteſt. quod in futuro locum non habebit. Vnde de hoc iudicio dicitur Iob 34, Nequaquam enim vltrà in hominis eſt poteſtate vt veniat ad iudiciũ. Vbi ad propoſitum ait Greg. Hic nimirum nõ illud iudicium deſignatur, quod per æternam retributionem punit: ſed quod mente conceptum per conuerſionem diluit. Et quod eſt illud iudicium, niſi de quo Apoſtolus dicit, Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur? Et de quo dicit Pſal. Honor regis iudicium diligit: vt videlicet qui iam dominum honorat ex fide, ſollicitè conſideret quid ei debeat in operatione. Et alibi dicitur, Iudicare coram domino, & expecta eum. Coram domino iudicatur qui corde dominum conſpicit, & actus ſuos ſub eius pœnitentia ſollicita inquiſitione diſcernit: quem tanto ſecurius quiſque expectat, quanto quotidie vitam ſuam ſollicitus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit, nec iam coram illo, ſed ab illo iudicatur. Debet ergo vniuſcuiuſque mẽs & cauſas ſuas apud dominũ, & cauſas domini cõtra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere. Debet cautè penſare, vel quæ bona ab eo percepit, vel quæ mala bonis illis peruerſè viuendo reſpondit. Quod electi facere quotidie omnino non ceſſant. Accedunt enim ad ſecretarium iudicis intra ſinum cordis. Conſiderant quàm diſtrictè quandoque feriat, qui diu patienter expectat. Metuunt in his quæ ſe egiſſe meminerunt: & puniunt flendo quod ſe perpetraſſe intelligunt. Vident enim videri diuinitus, quod ipſi per humanitatem nõ vident. Conſpiciũt diſtrictum iudicem: qui quo tardius venit, ſeuerius punit. Et ſic pœnitendo feriũt, quod ſuperbè commiſerunt: ibi tot patiuntur ſupplicia, quot pati timent. Nec deeſt in hoc iudicio mente concepto, omne miniſterium quod punire reos plenius debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio iudicat: timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius ſæuit. Vnuſquiſque enim cum cauſam huius examinis contra ſe aggredi cœperit, ipſe eſt actor qui exhibet, ipſe reus qui exhibetur. Odit qualem ſe fuiſſe inuenerit, & ipſe eſt qui ſemetipſum inſequitur illum qui fuit: atque ab ipſo homine aduerſus ſemetipſum fit quædam rixa in animo parturiens pacem cum domino. Et ſubdit, Quia ergo nunc in poteſtate noſtra eſt internum mentis noſtræ contra nos ſubire iudicium, recognoſcendo accuſemus noſmetipſos, & quales fuimus

*1. Cor. 11.* — *Iudicium duplex: ſcilicet Dei & noſtrum.* — *Iudicare nos ipſos debemus.* — *1. Cor. 9.* — *Gre. 25. mor. cap 6.* — *1. Cor. 11.* — *Pſal. 98.* — *Iudiciũ conſcientiæ quale eſt.*

mus pœnitendo torqueamus. Non ceſſemus dum licet iudicare quod fecimus &c. Sic ergo de hoc interiori noſtro iudicio loquitur Pſal. Deo, dicens, *Iudica iudicium meum, & redime me* &c. Quaſi dicat, Et ſi meipſum iudico, tu mihi parcere debes. Vel aliter: de iudicio quo per aduerſa iudicamur à domino, intelligitur verſus iſte. quia iuſti videntes ſe à Deo aduerſis eſſe caſtigatos, ſecurius ad Deum dicunt, *Iudica iudicium meum* &c. Immò in hoc caſtigari & iudicari deſiderant. Et iſtum intellectum hic ponit Amb. dicens, Feſtinant innoxij ad iudicium, & propriæ innocentiæ arbitros deſiderant citius cõprobari. Habet hoc vſus etiam in ſæculo, quod eſt commune cũ ſanctis. Verùm is qui apud Deum iuſtus eſt, habet aliam cauſam iudicij non timendi: quia apud miſericordem iudicem ſibi cauſa eſt: apud redemptorem ſuum vult citò & ſperat abſolui. Abſolutio enim matura ſanctorum eſt. Vnde & dominus per Ezechielem ad angelos dicit qui miniſtri ſunt vltionum, A ſanctis meis incipite iudicium. Non vult dominus commune ſanctis cum diaboli ſociis conſortium eſſe iudicij. Separata eſt pœna, vbi diſtat & culpa. Quibus enim miſeretur Deus, citò caſtigat, vt non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij. Differtur ergo diaboli iudicium, vt ſit ſemper in pœnis reus: ſemper improbitatis ſuæ innexus catenis, cõſcientiæ ſuæ ſuſtineat in perpetuum ipſe iudicium. Itaque Chriſtus ſuos caſtigat quos diligit: ſuos iudicat quos ſaluat. Et hoc iudicio ſaluari deſiderat iuſtus: dicens, *Iudica iudicium meum*: id eſt hic fac iudiciũ meum: hic puni peccata mea: hic vre, hic ſeca, hic percute, hic flagella, quia hic iudicatꝰ, liberabor à culpa, & ſaluabor in gloria. Et hoc eſt quod ſubdit, *Et redime me*: id eſt per talia iudicia redimes me à culpa: *ſecũdum eloquium tuum viuifica me*: quia per talia iudicia caſtigatus, æternaliter viuam. Sic enim dicit dominus, Deut. 32, Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo.

*Iudiciũ Dei quo nos hic punit, vt ſaluet.*

*Ezech. 9.*

2228 Lõgè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

Hîc oſtẽdit tertium: ſcilicet quòd humilitas eſt proximorum peccatorum correctiua. Sicut enim verè humilis tenetur ſeipſum corrigere, ſic & proximum, quem ſicut ſeipſum diligere debet. Sed alio modo ſe, & alio modo alios corrigere debet: quia ſe iudicando, ſeipſum & puniendo, vt ſtatim prædictum eſt: alios autem corrigere debet, eis annunciando ipſorum peccata & eis debitam pœnã. Sic enim pręcipitur Eſa. 40, Clama, nec ceſſes, & annuncia populo meo ſcelera ipſorum &c. Sic & nunc humilis Pſal. facit, oſtendens malorum pœnam & culpam: culpam, *quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt*: pœnam, *quia longè à peccatoribus ſalus.* Ideo enim à peccatoribus longè eſt ſalus, quia ipſi ſaluti appropinquare nolunt. Sicut enim anima nunquam deſerit corpus niſi ex defectu corporis: vt puta propter infirmitatem, ſeniũ, vel illationem paſſionis ab extra: ſic & Deus animam non deſerit, niſi propter defectũ animæ. Non Deus qui eſt ſalus, elongat ſe ab eis, ſed ipſi elõgantur à Deo: nõ quidem loco, ſed moribus. Quid eſt ergo lõgè eſſe à Deo, niſi Deum deſerere? Quid eſt Deũ deſerere, niſi mandata eius nõ cuſtodire? Quare ergo ſalus lõgè eſt à peccatoribus, niſi quia iuſtificationes (id eſt mãdata) Dei non cuſtodierunt? Idem eſt ergo longè eſſe à Deo, quod eius mandata nõ cuſtodire. Vnde hic ait Aug. Quis enim te diſcernit à malis, ô tu qui dixiſti, *Longè à peccatoribus ſalus*: vt non à te longè, ſed tecum ſit ſalus? Hoc nempe te diſcernit ab illis, quia id quod iſti non fecerunt, tu feciſti: hoc eſt, Dei iuſtificationes exquiſiuiſti. Vel hoc intelligitur ſpiritualiter de Iudæis. Vidit enim Pſal. in ſpiritu, Iudæos Chriſtum non recepturos, ad quos ipſe venit. ideo fide ſe elongauerunt à ſalute, quę Chriſtus eſt. Vnde dicit de ipſis, *Longè à peccatoribus ſalus*: id eſt à Iudæis Chriſtus. Iſtum intellectum habet hic Ambroſ. dicens, *Longè à peccatoribus* &c. Quorum ſerum eſt iudicium, eorum ſalus longè eſt: ſed ipſi ſunt ſui auctores periculi, quia domino non appropinquauerunt: ideo facti ſunt longè, quia voluntate ſua à ſalutis ſe gratia ſeparauerunt. Non refugit eos ſalus, ſed ipſi ſalutem qui ſe elongauerunt. Venit ad Iudæos ſalus: ſed ipſi ſalutem non receperunt. Quomodo non receperunt, audi, Ieſus ſalus eſt. Venit Ieſus quærere & ſaluum facere quod perierat. Sed Iudæi dimitti latronem poſtulauerunt: Ieſum verò repudiauerunt. Quis autem eſt qui longè ſe facit à domino, niſi qui non exquirit iuſtificationes eius? Qui verò iuſtitias eius exquirit, propè eſt, adhæret Deo. Et ideo iuſtitias Dei quærentibus dicit Apoſtolus, Vos qui eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Et attende quòd ait, *Longè à peccatoribus ſalus.* Quia peccator dupliciter accipitur, vel qui habilis eſt ad peccandum: & ſic omnis homo peccator dicitur in vita præſenti: ſicut ſcriptor dicitur non ab actu ſcribendi (quia etiam dormiens ſcriptor eſt) ſed ab habilitate. Secundò dicitur peccator ab actu peccandi, vel ab ipſo peccato in quo iacet. Et ſic accipitur hic peccator, cùm dicitur, *Longè à peccatoribus ſalus.* Vnde Gualfred. iſtum paſſum exponens, dicit, *Longè à peccatoribus ſalus*: verum eſt, ſi permanent in peccatis, dum diſſimulãt, dum excuſant, dum vel peccant in ſpe: vel deſperantes, in malorũ profundum decidunt contemnentes. Talia nimirum peccata ſeparãt nos & Deum, & murum interponunt.

*Longè à Iudæis Chriſtus.*

*Luc. 19.*

*Epheſ. 2.*

*Peccator quis dicitur dupliciter.*

Miſericordiæ tuæ multæ domine: ſecundum iudicium tuum viuifica me. 2229

Hîc ponit quartum: ſcilicet quòd humilitas eſt miſericordiarum diuinarum lucratiua. vt enim dicitur Iac. 4, Superbis Deus reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Quod etiam hic oſtendit Pſal. humilis, dicẽs, *Miſericordiæ tuæ multæ domine.* Et verè miſericordię domini multæ: quia ſunt vniuerſales, verſ. 484: & magnæ, verſic. 782: ſunt multæ, verſic. 833. 834. 1500. 1923. Dicat ergo Pſal. *Miſericordiæ tuæ multæ domine*: quia etiam hoc quòd exquiramus iuſtificationes tuas, pertinet ad miſerationes tuas. Et verè miſericordiæ domini multæ: quia etſi longè ſit à peccatoribus ſalus: tamen nemo peccator deſperet, quia multæ ſunt miſericordiæ domini. Vnde hic ait Ambroſ. Multæ miſericordiæ domini, quia qui ſuo peccato pereũt, miſericordia domini liberantur. Ipſe enim palam apparuit non quærẽtibus: vocauit fugientes, congregauit ignaros, pro omnibus ſe obtulit. Homo autem non multum miſericors. Miſericordia autem hominis in proximum ſuum; miſericordia verò domini in omnem carnem: vt omnis caro ad Deum accederet, illa domini miſeratione donata. Sed notabile eſt quod ſubditur, *Secundum iudicium tuum viuifica me.* Quid eſt quòd ſtatim allegauit miſericordias Dei eſſe

*Miſericordia domini multa.*



multas, & ſtatim illis dimiſſis, ad iudicium Dei recurrit: dicẽs, *Secundum iudicium tuum viuifica me*? Sed ſciendum quòd ſicut non eſt miſericordia ſine iuſtitia, ſic nec iuſtitia ſine miſericordia. ideo petens iudicari ſecundum iuſtitiam Dei, petit iudicari ſecũdum miſericordiam. Et hoc hic notat Ambroſ. dicens, Sed quomodo cùm dixerit multas eſſe Dei miſerationes, ſecundum iudicium eius viuificari poſtulat: maximè cum alibi dixerit, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo domine? Reſpondet, Sed aliud eſt iudicium illud beneficiorum Chriſti, cui reſpondere non poſſumus. Quis enim referre poteſt debitum naturę, debitũ ſalutis & gratiæ? Aliud eſt iudicium quo fragilitatis noſtræ naturæ cenſemur. In hoc tamen iudicio miſericordia cum iuſtitia copulata eſt: vt veritas iudicij miſeratione Dei temperetur. Vel aliter: Chriſtus multarum perſonarum ſumpſit officium: quibus officiis cõſideratis, ad Chriſtum ſecurè dicere poſſimus, *ſecundũ iudicium tuum viuifica me.* Nam aſſumpſit perſonã paſtoris, aduocati, rei & iudicis. Qui igitur habet iudicem, paſtorem & aduocatum, & pro reo reſpondẽtem, quid timere poteſt? Et hoc hic inducit Ambroſ. dicens, In euangelio reperio quòd dominus Ieſus multorum affectus & officia ſuſcepit: vt nos doceret quomodo in his officiis nos conuerſari oportet. Suſcepit perſonam paſtoris: vnde ait, Bonus paſtor animam ſuam dat pro &c. Ideóque pro rationali grege ſeipſum paſſioni corporis non negauit, vt ouem lapſam ſuis humeris ſuperponens recrearet. Suſcepit aduocati perſonam: ipſum enim aduocatum habemus apud patrem. Pernoctabat in oratione pro nobis, vt nos ſuo informaret exẽplo: quemadmodum veniam noſtris exorare debemus peccatis. Non enim ideo pernoctaret, quaſi qui aliter patrem nobis reconciliare non poſſet: ſed vt qualis aduocatus eſſe debeat, demonſtraret. Qualis ſacerdos, vt non ſolum diebus, ſed etiam noctibus pro grege Chriſti debeat precator aſſiſtere. An impetrandi indigebat auxilio, qui facere ipſe poterat quæ rogabat? Suſcepit etiam affectum rei, & ſtetit ante iudicem vt reus. Interrogatus tacebat: oſtendens non in clamore vocis nec in forenſi aſſertione patrocinij, ſed in conſcientiæ integritate eſſe innocentiæ defenſionem: nec ſalutem corporis ambiendam, ſed animi puritatem. Deniq; qui Suſannam abſoluit tacentem, ſe obtulit morti. In illa cauſam oſtendit vt nemo deſperaret: in hac, vt redimendæ vniuerſitatis ſacrificium non negaret. Suſcepit etiam iudicis perſonam, vt iudices informaret: dicens, Nõ poſſum à meipſo facere quicquam: ſed ſicut audio iudico. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis: ſed iuxta leges & iura pronunciat. Scitis viris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nihil paratum & præmeditatum à domo defert: ſed ſicut audit, ita iudicat: & ſicut ſe habet negotij natura diſcernit. Obſequitur legibus, nõ aduerſatur: examinat cauſas, nõ mutat merita. Diſcite iudices ſæculi quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam ſobrietatem, quam ſynceritatẽ dominus omnium docet: Non poſſum (inquit) à meipſo facere quicquam; ſed ſicut audio iudico. Et tamẽ Pilatus dicebat ad dominum, Poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te. Vſurpas ô homo poteſtatem quam non habes: cũ Deus neget ſe habere, qui habet ſuper omnia poteſtatem. Audite quid iuſtitia dicat, Nõ poſſum ego à meipſo facere quicquam. Audite quid iudex iniquitatis loquatur, Poteſtatem habeo dimittere te, & poteſtatem habeo crucifigere te. Qui enim iudicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere quod legũ eſt. Iuſtum igitur eſt iudicium filij Dei: quia ſecundum voluntatem Dei eſt, non ſecundum hominis affectum. Deus autem plenus eſt miſericordiarum, & miſericordia eius cũ iudicio, & iudicium cum miſericordia. Neque ſine iudicio miſeretur, neque ſine miſericordia iudicat. Hoc ergo Dei iudicio miſericordia temperato fretus Pſalm. dicit, *Secundum iudicium tuum viuifica me.*

*Pſal. 142.*

*Chriſtus paſtor, aduocatus, reus & iudex.*

*Ioan. 10.*

*1 Ioan. 2.*

*Ioan. 5. Iudicare debet iudex ſecundũ allegata & probata.*

*Ioan. 11.*

*Ioan. 19.*

Multi qui perſequuntur me & tribulant me: à teſtimoniis tuis non declinaui. 2230

Hic oſtendit quintum: ſcilicet quòd humilitas eſt aduerſitatum lenitiua. Docet experientia quòd patientia in aduerſis, pondus aduerſorum leuius portare facit. Cum autem humilitas patientiæ ſit cõnexa: conſequens eſt quòd humilitas etiam aduerſa leuigat. Et hoc eſt quod dicebat Chriſtus, Tollite iugum meũ ſuper vos: ſcilicet pondus pœnarum, & perſecutionum, & aduerſitatum. Quod ſi faciliter portare cupitis, diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Sic & Pſal. humilitate fundatus, perſecutiones faciliter portabat; vt nullo modo per eas à diuinis mãdatis declinaret. Et hoc eſt quod ait, *Multi qui perſequuntur me* &c. Et quamuis iſta ſit vox omnium iuſtorum in afflictionibus mũdi, carnis, vel dæmonis poſitorum; propriè tamen hæc eſt vox ſanctorum martyrum, qui aduerſis hominibus perſecuti, qui diuerſis tormentis afflicti, à mandatis Dei non declinabant: immò creſcente pugna, creſcebat in eis gratia: & per conſequens in mandatis Dei exequendis promptiores efficiebantur. Vnde meritò Deo dicunt, *Multi ſunt qui perſequuntur me & tribulant me: ſed ego in gratia tua poſitus, à teſtimoniis tuis non declinaui.* Iſta ergo eſt vox ſanctorum martyrum, quæ in eccleſia multos coronauit: ex qua multa miracula proceſſerunt, pro qua multæ ſolennitates celebrantur. Vnde hic ait Auguſt. *Multi qui perſequuntur me* &c. Factũ eſt, nouimus, recolimus: purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine martyrum, ornatæ ſunt eccleſiæ memoriis martyrum, inſignita ſunt tempora natalibus martyrum: crebreſcunt ſanitates meritis martyrũ. Vnde hoc, niſi quia completum eſt quod dictum eſt de homine iſto toto orbe terrarum diffuſo? *Multi qui perſequũtur me & tribulant me: à teſtimoniis tuis* &c. Agnoſcimus & gratias agimus domino Deo noſtro. Tu namque homo, tu ipſe in alio Pſal. dixiſti, Niſi quia dominus erat in nobis, fortaſſe viuos abſorbuiſſent nos. Ecce quare à teſtimoniis Dei non declinaſti, & ad palmam ſupernæ vocationis inter manus multorum perſequentium tribulantiúmq; veniſti. Per hoc enim notatur grauitas perſecutionis contra martyres, & ipſorum admirabilis patiẽtia. Non enim multum eſt admirabile, tempore pacis & proſperitatis diuina ſeruare mandata: ſed mirabile eſt tempore perſecutionis, quæ ceſſaret, ſi à mandatis declinaretur. Et hoc hic notãs Ambroſ. dicit, *Multi qui perſequuntur* &c. Non eſt (inquit) magnum, ſi tunc à Dei teſtimoniis non declines, cum te nullus affligit, nullus perſequitur. Quis enim inoffenſo ſibi proſperorum euentu ſecũdo ſucceſſui fieret ingratus? Quis diuitiis affluens, iugi ſalute robuſtus,

*Matth. 11.*

*Martyrum conſtantia.*

*Pſal. 123.*

*Patientia in proſperis non prædicatur: ſed in aduerſis bonitas.*

robuſtus, non ad Dei gratias referet quòd ſibi illa conceſſa ſint? Denique cùm ſanctum Iob dominus prædicaret, ait aduerſarius, Nunquid Iob gratis colit Deum? *Iob 1.* Nónne tu vallaſti eum? Sed mitte manum tuam in omnia quæ habet, ſi non in faciem te maledicet. Tunc igitur plus probatus eſt, quando amiſſis opibus & filiis, à domini cultu & gratia nõ receſſit. Sed non vnus perſecutor eſt, multos miniſtros habet: ſed non te terreat. *Act. 14.* Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnũ Dei. Sed multæ tribulationes, multę probationes. Vbi multæ coronæ, ibi multa certamina. Tibi ergo proficit quòd multi perſecutores ſint, vt per multas perſecutiones facilius inuenias quemadmodum coroneris. *Perſecutio multiplex vitiorum.* Sed quod amplius eſt: non ſolùm perſecutores ſunt qui videntur, ſed etiam qui non videntur: & multo plures. Audi quid de his perſecutionibus dictum eſt: *2 Tim. 3.* Omnes qui piè viuere volunt in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Omnes dixit, nullum excepit. Quis enim exceptus à perſecutionibus poteſt eſſe, cùm ipſe dominus perſecutionũ tentamenta tolerauerit? Perſequitur auaricia, perſequitur ambitio, perſequitur luxuria, perſequitur ſuperbia, perſequitur fornicatio. *1. Cor. 6.* Vnde Apoſtolus ait, Fugite fornicationem. Nam qua cauſa fugeres, niſi illa te perſequeretur? Eſt enim malus ſpiritus fornicationis, malus ſpiritus auariciæ, malus ſpiritus ſuperbiæ. Iſti ſunt perſecutores graues, qui ſine gladij terrore, mentẽ hominis frequentes allidunt: qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium. Hi ſunt hoſtes cauendi: hi grauiores tyranni, per quos Adam captus eſt. Multi in perſecutione publica coronati, in hac occulta perſecutione ceciderunt. Aduertis quàm graue certamen ſit quod eſt intra hominem, vt ſecum ipſe cõfligat, cum ſuis cupiditatibus ipſe prælietur. Verũtamen vt multæ ſunt perſecutiones, ita & multa martyria, & multi Chriſti teſtes. Tẽtatus fuiſti ſpiritu auariciæ, vt poſſeſſionem minoris inuaderes: indefenſæ viduę iura temerares: & tamen contemplatione cœleſtium præceptorum, opem magis ferendam quàm inferendam iniuriam iudicaſti: teſtis Chriſti es. Tentatus es ſpiritu ſuperbiæ: ſed vidẽs inopem & egenum, pia mente compaſſus, ex humilitate magis quàm ex arrogantia dilexiſti: teſtis Chriſti es. Quinimo non ſermonis ſed operis teſtimonium præbuiſti. Ille ergo teſtis eſt, qui aſtipulantibus factis domini Ieſu, pręcepta teſtatur. Cùm ergo audis, *Multi qui perſequuntur me & tribulant me:* noli timere, qui dicere potes, *Rom. 8.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? Verùm hoc ille dicit, qui à teſtimoniis domini nullo vitiorũ declinauit anfractu.

2231 Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Hic ponit ſextum: ſcilicet quòd humilitas eſt errantium proximorum zelatiua. Sicut enim vera humilitas in obſeruatione mandatorum delectatur: ita in ipſorum violatione triſtatur & tabeſcit. Vnde & Pſal. verè humilis dicit, *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam,* &c. Quid autem ſit præuaricatio, vide verſiculum 2192. Quid autem ſit tabeſcere, vide ver. 2212. Iſte etiam verſus multum concordat in ſententia cum illo verbo ſuperius poſito: ſcilicet Tabeſcere me fecit zelus meus, &c. vide ver. 2212. Iſte textus variatur ſecundum Auguſt. Nam multi codices habent, *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam.* *Pactum frangit qui legem non cuſtodit.* In ſententia tamen idem ſunt: quia præuaricantes dicuntur illi qui frangunt legem promiſſam ſeruare, & ſic frangunt pactum ſeruare promiſſum. Hos ergo videns Pſal. tabeſcebat zelo amoris accenſus erga eos, cupiens eos promiſſam legẽ ſeruare. Hoc ideo dicit, quia præuidebat multos timore perſecutionis & pœnarum, à fide promiſſa receſſuros. Vnde hic ait Auguſt. *Vidi non ſeruantes pactum:* & hoc plures codices habent. Sed qui ſunt qui pactum non ſeruauerunt, niſi qui declinauerunt à teſtimoniis Dei, tribulationes multorum perſequentium non ferentes? Hoc eſt autem pactum, vt qui vicerit coronetur. Hoc pactum non ſeruauerunt qui perſecutionem non tolerantes, à teſtimoniis Dei negando declinauerunt. Hos ergo iſte vidit, & tabeſcebat, quia diligebat. Zelus enim iſte eſt bonus, de amore veniens, nõ de liuore. In quo autem non ſeruauerunt pactum, ſecutus adiunxit, *quia eloquia tua nõ cuſtodierunt.* Ea quippe in tribulationibus negauerunt. Et nota quòd aliquis tabeſcit virtuosè: qui ſcilicet zelo caritatis accenditur: & aliquis vitioſe: qui ſcilicet vitiis vel vitiorum afficitur zelo. Vnde hic ait Ambroſ. *Vidi præuaricantes,* vel *non ſeruantes pactum, & tabeſcebam.* *Tabeſcit quis multipliciter.* Beatus qui in caritate Dei tabeſcit, qui videt nõ ſeruantes pactum. Alius propter vitioſos amores tabeſcit, qui diſtillat dum eſt dilatus amore dilecte, & dum proteſtatur flagrantis cupiditas effectu. Alius tabeſcit quia vires corporis quadam deformitate palloris feſſorúmq; artuum tabe minuuntur. Alius qui pecuniam concupiſcit, donec potiatur eam, auaro miſer tabeſcit affectu. Alius immodicè capeſcẽdi honoris impatiens: ſi deſideria longa ſuſpiret, nõ mediocris mẽtis tabe conficitur. Non talis qui dicit, Sitiuit in te *Pſal. 62.* anima mea, in terra deſerta inuia & inaquoſa. Hic enim caſtigabat carnem ſuam, & tabeſcere faciebat, dum indefeſſo deſiderio diuinæ cognitionis intentus, & lucem Dei ſollicitã expectatione præueniens, antelucanum ſollicitè domino canticis & in hymnis geſtabat obſequium. Tabeſcit ergo vir pacificus, quando alios videt pacta reſcindere, cõſenſuũ abolere concordiam, iurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia. Quod vtique nõ facit qui domini præcepta cuſtodit: non qui audit dicentem, Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis. *Ioan. 14.* Ergo qui pactum ſeruat, is Chriſti obedit imperiis: qui autem non ſeruat, ille Chriſti præcepta contemnit. & quod plus eſt, comperta faſtidit & negligit. Vel aliter: iſte Pſal. tabeſcebat propter Iudæos, quos multa Deo videbat promittere quæ non obſeruabãt: & ſic pacta frangebant. Vnde hic ait Gloſ. *Vidi non ſeruantes pactum.* Pactum dicitur à pace, quaſi pacis actum: id eſt inter deſidentes affectu gratiæ definita conditio: quod conuenit vtriq; legi, vt ſcilicet pactũ appelletur quæ ſtatuta eſt: vt homo in gratiam & pacem Dei reuocaretur. Quod pactum, (id eſt vtrãque legem) debiles non ſeruant cedentes perſecutionibus: pro quibus ſociis amiſſis, dolent ſancti. Vnde ſubdit, *Et tabeſcebam.* Vel pactum dicit, quod Iudęi pepigerunt: dicentes, Quęcunque dixerit dominus, faciemus: ſed poſtea coluerunt idola. Quos ciues & parentes ſuos lugent ſancti. Vnde ſubdit, *Et tabeſcebam,* ſcilicet zelo caritatis.

Vide quoniam mandata tua dilexi domine: in miſericordia tua viuifica me. 2232

Hic oſtendit ſeptimum: ſcilicet quòd vera humilitas eſt per amorem timoris expulſiua. Humilitas enim meretur caritatem & gratiam. Iacob. 4, Humilibus dat gratiam. Timor autem, ſcilicet ſeruilis, non eſt in caritate: ſed perfecta caritas foras mittit timorem: vt habetur 1. Ioan. 4. Et hoc eſt quod hic de ſe affirmat: ſcilicet quòd mandata Dei cuſtodiuit: ſcilicet non timore ſeruili, ſed dilectione: dicens, *Vide quoniam mandata tua dilexi domine.* Sed ſtatim quis dubitabit, dicens, *Quæſtio. Virtutes ſuas aliquis publicare debet.* Quomodo hic Pſal. virtutes ſuas publicat: dicens, *Vide quoniam mandata tua dilexi domine:* cum hoc facere ſit periculo illas perdendi ſe exponere? quia qui diuitias ſuas publicat in itinere, latrones prouocat. Vnde ad propoſitum ait Gregor. *Greg. 8. moral. cap. 37.* Qui virtutes ſuas patefaciunt, oſtendunt malignis ſpiritibus, quaſi inſidiantibus hoſtibus, quæ deprædentur. Quod notiſſimè figurauit illa cũctis notiſſima Ezechiæ culpa: qui poſtquam vna prece & ſub vnius noctis ſpacio centum octoginta quinque milia hoſtium angelo feriente proſtrauit: poſtquam occaſui proximum ad altiora cœli ſpacia ſolem reduxit: poſtquam propinquante iam termino vitam coarctandam in tempora lõgiora protelauit, ſuſceptis regis Babylonici nunciis, bona omnia quæ poſſidebat oſtendit. Sed propheta vocem protinus audiuit, *4. Reg. 20.* Ecce dies veniunt, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit dominus. Sic & multi, quia cauere malignorũ ſpirituum inſidias negligunt, ſubitò amittunt quicquid diutius ſtudentes operantur. Hinc enim per Pſal. dicitur, *Pſal. 77.* Et tradidit in captiuitatem virtutes eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Virtutes quippe & pulchritudo in manus inimici traduntur, quia omne bonum quod per concupiſcentiam laudis oſtenditur, occulti aduerſarij iuri mancipatur. Hoſtes namque ad rapinam prouocat qui ſuas eorum notitiæ diuitias denudat. Quouſque enim ab æternæ patriæ ſecuritate diſiungimur, in latronum inſidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abſcondat neceſſe eſt ipſa quæ portat. Quomodo ergo virtutes ſuas Pſal. non abſcondit, ſed publicat: dicens, *Vide quoniam mandata tua dilexi domine?* Ad hoc reſpondetur quòd non licet bona ſua publicare ad oſtentationem, ſed bene ad aliorum ędificationẽ: vt oſtendit Greg. *Greg. 18. moral. cap. 5.* dicens, Sciendum eſt quòd ſancti viri quoties de ſe aliquid ſequentibus innoteſcunt, morem ſui creatoris imitantur. Nam Deus qui nos prohibuit ne proprio ore laudemur, per ſcripturam ſacram laudes ſuas loquitur. Non quia ipſe eis indiget, qui proficere laudibus neſcit: ſed dum ſuam magnitudinem nobis narrat; noſtram ad ſe imperitiam ſubleuat. Et bona ſua loquendo nos edocet quæ omnino homo non cognoſceret, ſi de ſe tacere voluiſſet. Idcirco autem laudes ſuas indicat, vt valeamus eum ſtudendo cognoſcere: cognoſcẽtes, amare: amantes, ſequi: ſequentes, adipiſci: adipiſcentes verò, eius viſione frui. Vnde Pſal. ait, *Pſal. 110.* Virtutẽ operum ſuorum annũciabit populo ſuo, vt det illi hæreditatem gẽtium. Acſi apertè dicatur, idcirco fortitudinem ſuæ orationis inſinuat; vt hos qui audierit, donis diteſcat. Morẽ ergo ſui creatoris imitantes ſancti viri, nonnunquam quædam de ſe vt audientes inſtruant, non vt ipſi proficiant, manifeſtant. Et tamen in his alta ſe conſideratione cuſtodiunt, ne dum alios à terrena intentione erigunt, ipſi terrenæ laudis appetitu mergantur. Sed ad propoſitum: Pſal. ſuas virtutes hic manifeſtat: non vt inde laudibus proficiat, ſed vt ad hoc alios prouocet: dicens, *Vide quoniam mandata tua dilexi.* Eſt ergo ſenſus Pſalmiſtæ Deo dicẽtis, *Vide quoniam mandata tua dilexi:* id eſt alios fac videre, vt ſcilicet meo exemplo ad illorum dilectionem inducantur. Sicut enim dicitur cognoſcere, quando nos cognoſcere facit: ſicut dixit ad Abraham, Gen. 22, Nũc cognoui quòd timeas Deum: id eſt alios cognoſcere feci. Sic & videre dicitur quando alios videre facit. *Diligere mãdata Dei, plus eſt quã facere.* Et attende quòd non dicit, Vide quoniam mandata tua non negaui: neque, quoniam mandata tua feci: ſed *quoniam dilexi,* quod eſt perfectionis. Vnde hic ait Auguſt. Nõ ait, Vide quia eloquia vel teſtimonia tua non negaui: quod martyres facere quandoque cogebantur, & non facientes, nimis horribilia patiebantur. Sed dicit, *quoniam dilexi:* vbi fructus eſt omnium paſſionum, *1. Cor. 13.* quia ſi tradidero corpus meũ ita vt ardeam, caritatem autem non habeam: nihil mihi prodeſt. Hanc ergo iſte commendans ait, *Vide quoniam mandata tua dilexi.* Et ſecundum Gloſ. nota quòd ait *dilexi:* quod plus eſt quàm facere vel ſeruare: ſcilicet ne puniatur: quia hoc eſt caritatis, illud autem neceſſitatis. Nam & opera mãdatorum fieri poſſunt extra caritatem ex timore. Et hinc eſt quòd in Exodo illi ſoli præcipiuntur offerre ad cõſtructionem tabernaculi, qui ſpontanea voluntate & hilari animo accedunt. Et ex hoc Pſal. oſtendit ſe plenam confidentiam habere in domino Deo dicens, *vide.* Vnde hic ait Ambroſ. Hic quoq; Pſal. inuitat dominum, vt plenum caritatis ſuæ ſpectet affectum. Nemo enim alteri dicit *Vide,* niſi qui iudicat ſe ſi videatur eſſe placiturum. Sed quia non in meritis ſuis, ſed in Dei gratia confidit: adiungit, dicens, *In miſericordia tua viuifica me.* Vnde hic ait Ambroſ. Quia Pſal. mercedem perfectæ caritatis expectat, ideo miſerationis diuinæ ſuffragium poſcit: vt in ea viuificetur à domino. Non ergo eſt arrogans debitæ mercedis exactor: ſed eſt verecundus diuinæ miſericordiæ precator. Viuificari ergo petit per miſericordiam, qui iam viuus erat per gratiam: ſed vitam gloriæ ſibi dari per miſericordiam petit, vt in terra viuentium bona domini poſſit videre.

Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ. 2233

Hic oſtendit octauum: ſcilicet quòd humilitas eſt ſcripturarum diuinarum oſtenſiua. Sicut enim dicebat Chriſtus, Matth. 11, Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: id eſt humilibus. Et hoc virtute humilitatis ſibi Pſal. à Deo reuelatum oſtendit: dicẽs, *Principium verborum tuorum veritas,* &c. *Meremur præmiũ æternum de congruo, non de condigno.* Vel per hęc verba vult Pſal. oſtẽdere loquens in perſona iuſtorum, quòd etſi de condigno ſibi æternum non debeatur præmium: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: (vt ait Apoſt. ad Rom. 8.) ſibi tamen debetur de congruo: ſcilicet ratione promiſſi, quia ſcilicet ſicut Deus omnibus malis pœnam promiſit, ſic & omnibus bonis præmium promiſit æternum. Cùm ergo Deus nec fallere nec decipere aliquem poſſit, quia verba ſua ſunt veritatis principium: ideo fidenter ſibi dari æternum poſtulat præmium: dicens, *In miſericordia tua viuifica me.* Et nunc rationem ſuæ confidentiæ ſubdit: dicens,

çens, *Principium verborum tuorum veritas.* Vnde hic ait Auguſt. Sed ſi præmium poſcitur in miſericordia, ipſum etiam reddere debet & iuſtitia. Quanto magis cui impenſa eſt miſericordia vt obtineretur quòd præmium deberetur ex victoria: *principium* (inquit) *verborum tuorum veritas: inæternum omnia,* &c. Quaſi dicat, A veritate tua verba procedũt: & ideo veracia ſunt, & neminem fallunt: quibus prænunciatur vita iuſtis, & impiis pœna. Hæc quippe ſunt inæternum iudicia iuſticiæ Dei: quia iudicium Dei manebit inæternum. Vel aliter, ſecundum Gloſ. *Principium verborum tuorum veritas:* i. à principio verborum tuorum vera dixiſti. Principium verborum Dei eſt principium ſcripturarũ: vt Geneſis: à quo principio vera dixit Deus: & vſque in finem verba veritatis ſunt. Vnde in Luca dicitur, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et quia tetigit quòd in principio geſtum eſt, addidit quod poſt finem ſæculi fiet: dicens, *Inæternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ,* id eſt, inęternum durabunt iudicia iuſtitię tuæ, & perpetuò ſtabunt: quia ſententiam de bonis vel de malis datam, nec tempus nec vlla res ſubuertet: ſed iudiciũ Dei de omnibus inæternum manebit. Vel aliter: per principium verborum Dei intelligit fidem, quæ omniũ virtutum eſt fundamentum: cui falſitas ſubeſſe non poteſt. Et per hanc peruenimus ad cognitionẽ vnius Dei, incarnationis, & iudiciorum Dei: quæ timere debemus. Et ad hoc iſtũ textum hic inducit Ambroſ. dicẽs, *Principium verborũ tuorum veritas.* Cũ principiũ verborũ veritas ſit, veritas vtique fidei fundamentum eſt. Primùm quidem oportet vt credamus vera eſſe Dei ſummi quę in ſcripturis diuinis legimus oracula: ſecũdùm, vt virtutem eorum pleniore cognitione diſcamus. Sicut enim initium ſapientiæ timor domini: plenitudo animæ ſapiẽtiæ dilectio: ipſa autem dilectio, plenitudo legis: ita plenitudo verborum Dei ſapientia eſt cognitióque iuſtitiæ. Nam ſicut à timore domini proceſſus quidam eſt ad gratiam caritatis, ita à veritate ad iudicium iuſtitiæ diuinæ quidam videtur fieri proceſſus. Veniſti ad eccleſiam, audiſti vnum Deum dici: quod lex docet, dicẽs, Audi Iſrael; dominus Deus tuus vnus eſt. Crede vnum Deum eſſe, non plures deos. Cum autem cœperis legere dominum Ieſum Dei filium in carne veniſſe propter totius mundi redemptionem: diſtingue ſapienter vnum Deum patrem eſſe, ex quo omnia & nos in illo. Et vnum dominum Ieſum, per quem omnia, & nos per ipſum. Cognoſce quia ideo venit, vt virtutum ſemitis noſtros informaret affectus: vt morum manſuetudinem conuerſationis eius diſceremus exemplo, vt aboleretur culpa per gratiã. Et tũc à veritatis cõfeſſione ad cognitionẽ iuſtitiæ proceſſiſti. Fides principiũ eſt Chriſtiani: plenitudo autẽ Chriſtiani iuſtitia eſt. Fides in cõfeſſione populorũ, iuſtitia in martyrij paſſione. Sciẽtes igitur inæternũ manſura iudicia omnia iuſticiæ Dei: caueamus ne opera noſtra diſpliceãt, & inæternũ incipiamus ſubire iudiciũ: nec ſi aliquid boni fecimus, reſupino reſoluamur affectu. Cognoſcẽtes itaque iudicia Dei, opera noſtra examinemus omnia. In viro iuſto graue eſt detrimentum, graue operis alicuius incendium: in impio, pœna infernalis. Sint magis omnia iudicia plena gratiæ, plena florentium coronarum: ne fortè cùm trutinantur facta noſtra, culpa præponderet.

*Lucæ 21.* — *Principium verborũ Dei eſt fides.* — *Deut. 6.* — *Incarnationis fructus.*

2234 PRincipes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.

Hic incipit vigeſimuſprimus octonarius: cui pro titulo præponitur ſiue præmittitur vigeſimaprima litera alphabeti, quæ eſt Sin: quæ interpretatur ſuper vulnus. Quid autem ſuper vulnus ponitur, niſi medicamentum? Quid autem ſunt vulnera noſtra, niſi perſecutionum aduerſitates, quibus medicamentum ſuperponitur, dum verbis diuinis conſolamur, & ad patientiam ducimur? Iſta vulnera ſunt ſana: quia multo grandius eſt, vt in corpore ſit vulnus quod foueas atque cõſtringas, quàm ſine vulnere mors ſerpat interior. Sed vt hic ait Ambroſ. Eſt non ſolùm corporis vulnus, ſed etiam mentis: quod oleo quodam mollioris eloquij & pacifici ſermonis ſuauiter miteſcit. Sunt fomenta verborum, ſunt fomenta cœleſtium præceptorum, quibus omnis nequiciæ virus aboletur. Sunt legis vincula quæ non adurant, ſed magis liberent alligatos. Conſideremus igitur quid ſit vulnus, quid ſuper vulnus. Vulnus eſt, *Principes perſecuti ſunt me gratis.* Super vulnus eſt, *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.* Super vulnus eſt, quia verbis dominicis, vulneris dura curantur. Medicamentum igitur ſuper vulnus, verbum Dei eſt. Qui igitur vulneratur, currat ad illum Samaritanum cuſtodem operis ſui, cuſtodem legis & gratiæ: vt vulneri ſuo poſſit inuenire medicinam verborum cœleſtium. Ipſe medicinam ſuper vulnera noſtra apponit: dicens, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. Bona alligatura ſuper vulnus, quæ fracta animæ tuæ oſſa connectat: & ſoliditate reparata in priſtinas vires reformet, ac diſciſſos artus ſine vlla cicatricis offenſa reſtituat. Ex quibus patet quòd iſta litera huic octonario præpoſita, ſcilicet ſin (quæ interpretatur ſuper vulnus) ſignificat verbũ Dei: quod ſuper omnia vulnera noſtra poſitum, ipſa ſanat. Meritò ergo hæc litera huic octonario præponitur: quia hic oſtenditur vulnera noſtra, & hic oſtenditur verbum Dei, quod illa omnia ſanat. Vide vulnera, *Principes perſecuti ſunt me gratis.* Vide medicamentum vulnerum ſanatiuum, *Lætabor ego ſuper eloquia tua.* Agitur igitur in oſto octonario de verbo Dei, quod omnis vulneris tã corporalis quàm ſpiritualis eſt ſanatiuum. Et ſecundum virtutes huius medicaminis verbi Dei, iſte octonarius diuiditur in octo partes: quoniam ſecundum diuerſas infirmitates, verbum Dei diuerſa nobis offert remedia. Primò contra ſuperbiam humiliat, timorem Dei inſpirando: in principio. Secundò contra triſticiam lætificat, valorem mundi ſuperando: ibi, *Lætabor.* Tertiò contra maliciam purificat, vicia mala deteſtando: ibi, *Iniquitatem.* Quartò cõtra accidiam ſollicitat, laudem Dei frequentando: ibi, *Septies.* Quintò contra diſcordiam pacificat, ſupernam pacem condonando: ibi, *Pax multa.* Sextò contra laſciuiam fortificat, virtutem ſpei conferendo: ibi, *Expectabam.* Septimò contra miſeriam dignificat, amicos Dei generando: ibi, *Cuſtodiuit.* Octauò contra inuidiam iuſtificat, nos Deo præſentando: ibi, *Seruaui.* Quantum ad primum verbum Dei, primò contra ſuperbiam per timorem Dei nos humiliat. Quid enim ſacra ſcriptura clamat, niſi Timete dominum omnes ſancti eius: qui timor humilitatem inducit, dicente Petro, Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet, &c. Qui timor ſcilicet debet eſſe Dei, non hominum:

*Sin* — *Verbum Dei medicina eſt.* — *Matth. 3.* — *Pſal. 33.* — *1. Petri 5.* — *Timeri debet Deus, nõ homo.*



minum: vt ſcilicet offenſio Dei timeatur, omnino offendentes homines. Sic & Pſal. loquens in perſona eccleſiæ perſecutæ, dicit ſe non timuiſſe hominem, ſed Deum: dicens, *Principes perſecuti ſunt me gratis:* non tamen illos timui, ſed ſolum te: quia *à verbis tuis formidauit cor meum:* id eſt, inſtructus verbis tuis quibus dixiſti, Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. te, non illos timui. Formidaui à verbis tuis, non à verbis hominũ. Et aduerte quòd ait, *Principes perſecuti ſunt me gratis:* quia reges & principes mundi gratis perſecuti ſunt fideles, quia nullatenus ab eis offenſi. Quod hic declarans Auguſt. dicit, Quantas perſecutiones à regibus terræ & principibus corpus Chriſti (quod eſt eccleſia) pertulerit nouimus. Agnoſcamus etiam hic verba eccleſiæ dicentis, *Principes perſecuti ſunt me gratis.* Quid enim Chriſtiani reſerant regna terrena, quamuis regnum cœlorum eis promiſerit rex eorum? Nunquid rex Chriſtianorum prohibuit milites regum mundi eis impendere quæ debebãtur regibus terræ? Nónne de hoc ſibi calumniam molientibus Iudæis ait, Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Nónne tributum de ore piſcis etiam ipſe perſoluit? Nónne præcurſor eius militibus regni huius quid facere deberent pro æterna ſalute quęrentibus, non ait, Cingulum ſoluite, arma proiicite, regem veſtrum deſerite vt poſſitis domino militare: ſed ait, Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis: ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Nónne vnus militum eius & dilectiſſimus comes (ſcilicet Paulus) commilitonibus ſuis dixit, Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit? Et paulò pòſt ait, Reddite omnibus debita: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Nónne præcepit etiam vt pro ipſis regibus oraret eccleſia? Quid ergo eos Chriſtiani offenderant? quod debitum non reddiderant? in quo Chriſtiani non ſunt terrenis regibus obſecuti? Ergo terreni reges gratis ſunt Chriſtianos perſecuti. Sed quid ſubiecit, attende, *Et à verbis tuis formidauit cor meum.* Habuerunt quidem & reges terræ verba minãtia: expello, proſcribo, occido, vngulis torqueo, ignibus torreo, reum beſtiis ſubigo, mẽbra dilanio: ſed tua me potius verba terruerunt, quibus dixiſti, Nolite timere eos qui occidunt corpus, poſtea non habẽt quid faciant: ſed eum timete qui habet poteſtatem corpus & animam perdere in gehennam. Ab his verbis tuis formidauit cor meum, & contempſit hominem perſecutorem: & vicit diabolum ſeductorem meum. Vel aliter: vt iſta perſecutio nõ ſolum intelligatur de perſecutione corporali, ſed magis de ſpirituali, qua homines à dæmonibus impugnãtur: qui aliquos gratis perſequũtur, aliquos verò non gratis: vt deducit hic Ambroſ. dicens, Sũt & principes mundi, rectoréſque tenebrarum harum, qui te in tuo pectore conantur opprimere, & perſecutionum ſæua intus operantur: promittentes regna terrarum, honores atque diuitias, ſi fragili mente ſuccumbas, & obediendum eorum imperiis arbitreris. Iſti principes interdum gratis perſequuntur: interdum non gratis. Gratis perſequuntur apud quem nihil ſuum inueniunt, & eum ſubiugare contendunt. Non gratis perſequuntur eum qui ſe eorum dederit poteſtati: & poſſeſſionem ſæculi totus intrauerit. In ſuos enim iure ſibi dominatum vendicãt, atque ab his mercedem iniquitatis efflagitant. Vnde bene hic martyr dicit, quòd iniuſte tormenta perſecutionis ſuſtineat, qui nihil rapuerit, nullum violenter oppreſſerit, nullius ſanguinem fuderit, nullius thorum putauerit eſſe violandum: qui nihil legibus debeat, & grauiora latronum ſupplicia ſuſtinere cogatur: qui loquitur iuſta, & non audiatur: qui loquitur plena ſalutis, & impugnatur: vt poſſit dicere, Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur perſecutionem patitur qui impugnatur ſine crimine. Sed hic Ambroſ. mouet dubium: cùm ille qui gratis impugnatur debeat eſſe conſtans & ſine timore, quomodo ergo iſte gratis perſecutus, ſe dicit timere: *Et à verbis* (inquit) *tuis formidauit cor meum?* Et reſpondet, quòd eſt quidam timor infirmitatis ad damnationem: & quidã timor infirmitatis ad ſalutem. primus debilitat: ſecundus fortificat. Sicut poſitus inter duo mala, inter decapitationem & exilium: timor quo maius malum abhorret, facit ipſum magis conſtantem ad minus malum ſubeundum. Sic & de ſanctis martyribus qui erant poſiti inter mala pœnalia corporis, & abdicationẽ à Deo, & perpetuos ignes: videntes quòd vnum ex iſtis duobus oportet incurrere: quia ſi fugiunt in corpore pati pro Chriſto, odibiles efficiuntur Deo, & perpetuos ignes patiuntur: ſi autẽ eligunt pro Chriſto in corpore pati, amici Dei conſtituuntur: & non ſolum æternos ignes euadunt: ſed etiam gloriam merentur æternam. Ideo quanto amplius ignes formidãt æternos: fortiores efficiuntur ad cruciatus corporis tolerandos. Et de tali timore hic loquitur Pſalmiſta dicens, *Et à verbis tuis formidauit cor meum.*

*Matth. 10.* — *Chriſtiani gratis perſecuti fuerunt.* — *Lucæ 20. & Matth. 22.* — *Matth. 17.* — *Lucæ 3.* — *Rom. 13.* — *1. Tim. 2.* — *Matth. 10.* — *Perſequitur diabolus aliquos gratis, aliquos non gratis.* — *Perſequitur diabolus aliquos gratis, aliquos non gratis.* — *Pſal. 119.* — *Quæſtio.* — *Timor maioris mali fortificat ad minus ſubeundum.*

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. 2235

Hic oſtendit ſecundum: ſcilicet quòd verbum Dei contra triſtitiam lætificat. Si enim homo hominem in aduerſis poſitum ſermonibus bonis cõſolatur, quanto magis verbum Dei triſtes conſolatur? Propter quod dicitur, Spiritus domini ad annunciandum mãnſuetis miſit me, vt cõſolarer omnes gentes, &c. Et hoc eſt quod Pſal. gratis perſecutus, verbis domini conſolabatur, dicens, *Lætabor ego ſuper eloquia tua,* &c. Sic etiam dixit propheta, Angelus loquebatur in me verba conſolatoria. Et nota hic mirabilem proceſſum. Nam prius Pſalm. dixit, *A verbis tuis formidauit cor meum:* nũc autem dicit ſe in verbis domini lætari: quia lætabor ego, &c. Cum timor magis ſit triſtitiæ occaſio quàm letitiæ. Sed quia (vt dictum eſt in pręcedenti verſiculo) timor maioris mali vt euadatur, lætanter minus malum ſubire facit: hinc eſt quòd iuſtus eloquiis Dei informatus, nouit malo pœnæ tẽporalis ignes æternos euadere. Ideo hic perſecutus lætatur ſuper hoc eloquiis diuinis certificatus. Audit enim Chriſtum dicentem, Beati qui perſecutionem patiuntur, &c. gaudete & exultate: ecce enim, merces veſtra multa eſt in cœlis. Aliam etiam cauſam lætitiæ inſinuat in perſecutione, dicens, *Sicut qui inuenit ſpolia multa:* quia in hoc etiam verbum Dei patientes martyres lætificat: quia perſecutores acquirit: quia videntes perſecutores martyrum conſtantiam & pati lætanter, ad fidem ſunt conuerſi. Et ſic martyr de perſecutoribus ſpolia facit. Vnde hic Auguſt. ait, Per ea verba Dei vicit à quibus formidauit. Victis enim hoſtibus, ſpolia detrahuntur. Per martyres ſpolia multa inuenta ſunt, quando perſecutores patientiam

*Eſa. 61.* — *Zachar. 1.* — *Matth. 5.* — *Spolia martyrum fuerũt perſecutores.*

martyrum mirati crediderunt. Et qui regem noſtrum detrimento militum eius damnificare moliti ſunt, ab illo inſuper ſunt acquiſiti. Quiſquis ergo à verbis domini ne vincatur in certamine formidat, ſuper eadem verba victor exultat. Nam ne putaremus ex illa formidine odium Dei potuiſſe ſubrepere, dicit, *Exultaui ſuper eloquia tua.* Quòd vtique non dixiſſet, ſi odiſſet ea. Item notãdum quòd meritò formidans à verbis diuinis, lætatur in illis: quia illo timore timor turbatiuus excluditur, vt principum perſecutio non formidetur. Quod exemplo oſtendit hic Ambroſ. dicens, *Lætabor ego*, &c. Bona ergo trepidatio à verbis Dei, ſi exultationem generat. Qui enim formidat à verbis domini, poſtea in verbis eius exultat. Ergo qui habet in corde ſuo verba Dei, excludit ſermones principũ à corde ſuo: excludit timor timorẽ. Si enim quis ingreſſus balnea ſolis æſtũ deponit, & ſic calor calorem excludit: quanto magis diuini iudicij terror hunc terrorem excludit humanum: humanum feruorem gratiæ feruor æternæ? Et notanter ſubdit, *Sicut qui inuenit ſpolia multa.* Quoniã per formidinem & amorem eloquiorũ Dei, ſpolia ſumpſimus dæmonum, ſpolia gentium, ac etiam ſpolia Iudæorum, ſpoliáq; legis & ſanctarum ſcripturarũ: vt hic deducit Ambroſ. dicens, Habet eccleſia ſpolia multa, quæ Iudæis abſtulit. Sicut Dauid Goliæ gladium abſtulit, & ipſius gladio caput eius amputauit: ſic & verus noſter Dauid humilis & manſuetus dominus Ieſus, intelligibilis Goliæ caput armis ipſius amputauit. Arma enim diaboli gentes erant: fide autem gentium vulneratus, caput quod habebat amiſit: detracta ſunt ſpolia proſtrato: vaſa eius dirupta, quia alligatus eſt fortis. Caro hominis peccatoris erat diaboli: ſed poſtquã in Chriſtum credidimus, caro noſtra cœpit eſſe vas electionis. Spolia diaboli quæ in Adam inuaſerat, Chriſtus vendicauit, qui captiuam duxit captiuitatem. Ideo caput eius abſtulit, vt ipſe caput eſſet corporis interempti. Meritò ergo gentes nunc toto orbe caput regale circumferunt, quia membra ſunt Chriſti. Conſequẽter de ſpoliis Iudæorum dicit, Cognoſce etiam de Iudæis, quibus dominus Ieſus abſtulit ſpolia: hoc eſt, regnum cœlorum abſtulit & dedit genti faciẽti fructum eius. Ab illis abſtulit, nobis dedit. Meritò ergo exulto, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Sine labore meo inueni ſpolia quæ non habebam: inueni Pentateuchum, inueni libros Regũ, inueni Prophetarum ſcripta, Pſalmos, Prouerbia: inueni euãgelium. A Iudæis hæc ſpolia detracta ſunt, & mihi data. Lex quidem ſpiritualis eſt, illam habet qui illam intelligit. Illã non habet Iudæus, qui illam in ſpiritu non intelligit. Habent Iudęi libros, ſed ſenſum librorum non habent. Habent Prophetas, ſed non habent quod illi prophetarunt. Quomodo enim habent quem non receperũt? Ideo cum Moyſe & Helia mihi apparuit, quia ab illis receſſit. Multa habet ſpolia qui habet Dei verbum: habet reſurrectionem, habet iuſtitiam, habet ſapientiam, habet virtutẽ, habet omnia, quia omnia in ipſo conſtant. Hæbræi ſpoliauerunt Ægyptios, & vaſa ipſorum abſtulerunt. Nos aurum mẽtis accepimus, nos acquiſiuimus cœleſtis ſermonis argentum. Dicat ergo populus Chriſtianus, lætetur & dicat, *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.* Ad iſtum ſenſum inducit Gregor. hunc verſum, dicẽs, Eloquium domini ſpolia nominatur: quod Pſal. teſtatur, dicens, *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.* Quæ eloquia idcirco ſpolia vocata ſunt, quia ad fidem domini gentilitate tranſeunte, Iudæi ſacris eloquiis quibus induti fuerũt, ſpoliantur.

*Timor domini lætificat.*

*Spolia multa abſtulit Chriſtus à multis.*

*Eloquia Dei ſpolia multa habent.*

*Greg. 18. moral. cap. 8.*

## 2236 Iniquitatem odio habui & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

Hic oſtendit tertium: ſcilicet quòd verbum à vitiis mentem purificat. Audi Chriſtum dicentẽ ſuis Apoſtolis, Iam mundi eſtis propter ſermonẽ quem locutus ſum vobis. Si enim baptiſmus animam purificat, quanto magis verbum Dei? quia virtutem purgandi animam non habet baptiſmus, niſi per verbum Dei. Dicit ergo Chriſtus, Iam mundi eſtis propter ſermonem, &c. ſecundum Auguſt. quia in aquã verbum mũdat. Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Sic ergo quicunque verbum Dei diligit, ipſo mũdatur, quia omne peccatum & iniquitatem deteſtatur. Quod nunc declarans Pſalmiſta dicit, *Iniquitatem odio habui*, &c. ſubdit rationẽ, *quia legem tuam dilexi.* Ex iſtis verbis vult Pſalmiſta oſtẽdere quòd timor verborum Dei quem habuit, dicens: *A verbis tuis formidauit cor meum*, non odium, ſed charitatem fouet & amorẽ Dei ac legis. Quod hic deducit Auguſt. dicens, Nempe à verbis eius illa formido nõ fecit eorundem verborum odium, ſed integram charitatem. Quid enim lex Dei, niſi verba Dei? Abſit ergo vt in timore pereat amor, vbi caſtus eſt timor. Sic patres à filiis bonis & timentur & amantur: ſic & pudica coniunx virũ timet ne ab illo deſeratur: & amat vt fruatur. Si ergo & pater homo, & coniunx homo & timeri & amari debet: multo magis pater noſter qui eſt in cœlis. Et ille quidẽ ſpecioſus forma præ filiis hominum: non carne ſed formoſus virtute. A quibus enim diligitur lex Dei, niſi à quibus diligitur Deus? Quid habet bonis filiis triſte lex patris? An quoniã quem diligit corrigit? Flagellat enim omnẽ filium quem recipit. Paterna ergo iudicia laudentur & in flagello: ſed promiſſa diligantur in præmio. Vel per iſta verba vult Pſalmiſta oſtendere quòd nihil à nobis tam eſt fugiendum, ſicut iniquitas: nihil tantum abſurdum, vt lex diuina intellecta ſecundum ſpiritum. Et hoc hic deducit Ambroſ. dicẽs, *Iniquitatem odio habui*, &c. Meritò iniquitatem odit qui habet arma iuſtitiæ. Hæbræus cùm haberet hæc arma, hoc eſt legem & prophetas: murem vel hominem abominabatur mortuum. Quia lex dicit, Omnis qui tetigerit mortuum, immundus erit: & humanitatis ſumma negabat officia defunctis. ſed legi non eſt mortuus, niſi is qui iniuſtus eſt. Hæc immunditia iuſtis quæ iniquitas? Quid enim immũdius quàm immundus mente, qua nihil precioſius datum eſt homini? turpibus communicare criminibus, atrocibus efferare cõmentis: quid illis prodeſt quòd mortuum hominem viſere formidant? Vtinam vita eorum non pollueret appropinquantem, quorum mors contaminare neminem poteſt. Mors nemini nocet: vtinam vita non noceat. Contagium enim colluuionis, conſortium iniquitatis eſt. Quomodo ergo contaminare poteſt, qui iniquus iam eſſe non poteſt? cum etiamſi fuit, tamen eſſe deſinit. Fuge ergo iniquitatem, ne te comprehendat. Fuge iniuſtitiam, quæ viuentes adhuc mortuos facit. Sed nemo fugit, niſi qui diligit æquitatem. Ideo ſubdit, *Legem autem tuam dilexi.* Lex enim intellecta omnem æquitatem continet: non literaliter vel carnaliter ſumpta. Vnde hic conſequenter ait Ambroſ. In lege æquitas omnis eſt, ſi ſpiritualem accipias legem: ſi conſurgas cum Chriſto, & ibi altare ſacroſanctum illud cœleſte conſideres, non altare terrenum, quod hoſtili populatione deſtructum eſt. Si illam generalem legem ſpectes quæ in cœlo eſt, nõ iſtam quæ à populo Iudæorum frequentabatur in terris: quæ propter incolarum perfidiam à Romano exercitu iniecto flagrauit incendio. Si intuearis in illũ principem ſacerdotum, de quo ſcriptum eſt, Habentes itaque magnum ſacerdotem egreſſum de cœlis Ieſum filium Dei, teneamus confeſſionem fidelem: qui aduocatus quotidie pro nobis eſt apud patrẽ, vt pro quibus in diebus carnis ſuæ miſericordi eſt compaſſus affectu, pro his operetur remiſſionem quotidie peccatorum. Quæ enim ſpes alia generi humano, niſi omnium viuentium delicta donentur? Ille ergo princeps ſolus eſt ſacerdotum, cui aſtant pij ſacerdotes in cœleſtium ſacrarium illud altiſſimum proprij cruoris ingreſſi. Illa ergo lex diligenda, in qua verus Hæbræus liber eſt ab omni ſeruitute vitiorum. Eſt (inquam) magnum ſabbathum, & inoffenſa requies defunctorum: in qua mortui populi ſemen ſuſcitatur, non commixtione, ſed redemptione fraterna. Secundum hanc ergo legem odio habet ſanctus iniuſtitiam, non iniuſtum, qui poteſt ſæpe cõuerti: nec mortuorum reliquias, ſed mortuam iniquitatem execratur & refugit. Et cum hoc concordat textus Canonis, dicens, Quòd illa ſolùm mala dicuntur & fugienda ſunt, quæ mentem crimine implicant. Vnde paupertas, ægritudo, mors & huiuſmodi, mala non dicuntur: & ſic nec odio debent haberi. 15. quæſt. 1. Illa cauenda ſunt.

*Ioan. 15.*

*Timor caſtus generat amorem.*

*Pſal. 44.*

*Apocal. 3.*

*Mũditia & immũditia eſt iuſtitia & iniuſtitia.*

*Num. 19.*

*Iniquitas eſt immunditia.*

*Lex cœleſtis.*

*Hebr. 4.*

## 2237 Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Hic oſtendit quartum: ſcilicet quòd verbũ Dei nos ſollicitat ad Deum laudandum. Ad Deũ enim laudandum omnis ſcriptura nos prouocat, omniúmque creaturarum natura: quia quælibet creatura ſuo modo Deum laudat, dum Deo obediens indictum ſibi ordinem ſeruat. Vnde Pſal. 68, Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et non ſolùm ab omni creatura laudandus eſt Deus, ſed etiam omni tempore: quod ſeptenario numero ſignificatur. Quod hic notans Pſal. dicit, *Septies in die laudem dixi tibi*, &c. Septenario enim numero vniuerſitas deſignatur. Et ſic ſepties in die laudare dominum, idem eſt quod omni tempore laudare. Vnde iſtum paſſum exponens Auguſt. dicit, *Septies in die*, &c. Quod hic ait, *Septies in die*, ſignificat ſemper. Solet enim iſte numerus vniuerſitatis indicium eſſe: propter quod ſex diebus diuinæ operationis ſeptimus adiectus eſt quietis. Et per ſeptem dies currentes & recurrentes tempora vniuerſa voluuntur. Nec ob aliud dictum eſt, Septies in die cadit iuſtus & reſurgit: id eſt, non perit iuſtus modis omnibus humiliatus, quia nõ pręuaricatur: alioquin non erit iuſtus. Nam pro omni genere tribulationis qua in conſpectu hominum deiicitur, poſitum eſt, ſepties cadit: & pro eo quòd ex ipſis omnibus tribulationibus proficit, poſitũ eſt, reſurgit. Satis hoc manifeſtat, quod ibi ſequitur. Vnde ibi ſequitur, Impij autem infirmabuntur in malis: hoc eſt itaq; iuſto ſepties cadere & reſurgere, in omnibus malis nõ infirmari. Meritò ergo ſepties in die laudat eccleſia Deum ſuper iudicia iuſtitię ipſius: quia cum tempus eſſet vt iudicium inciperet à domo domini, in omnibus tribulationibus ſuis non infirmata, ſed coronis martyrum gloriata eſt. Quòd autem ſeptenario numero omne tempus deſignetur vel vniuerſitas, aliter oſtendit Gregor. oſtendens quòd per ſeptem multa ſignificantur: dicens, In ſcriptura ſacra ſeptenario numero aliquando requies æternitatis, aliquando vniuerſitas præſentis temporis, aliquando ſanctæ eccleſiæ vniuerſitas deſignatur. Septenario quippe numero perfectio æternitatis innititur, cùm dies ſeptimus in requiẽ domini ſanctificatus vocatur: cui iam ineſſe veſpera non dicitur, quia internæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur. Hinc eſt etiam quòd lege data dies ſeptimus terminatus eſſe præcipitur, vt æterna per illũ requies deſignetur. Hinc eſt quòd annorum circulo ſeptenarius numerus ſepties multiplicatus monade addito, ad quinquagenarium ducitur: vt perpetuam beatitudinem ſignans, iubilęi ſacratiſſima requies obſeruetur. Hinc eſt quòd reſurgens dominus & frequenter apparens, vltimo iam conuiuio cũ ſeptem diſcipulis comediſſe deſcribitur: quia hi qui iam in illo nunc perfecti ſunt, æterna perfectione ſatiantur. Quòd verò per ſeptenarium numerum præſentis vitæ vniuerſitas deſignatur, tunc magis oſtenditur cum poſt eum quoque octonarius numerus ſubinfertur. Septenarium quoq; numerum adhuc alius ſequitur: vt ex ipſo eius augmento exprimitur, quòd finienda temporalitas æternitate concludatur. Hinc eſt enim quòd Salomon admonet, dicens, Da partes ſeptem, necnon & octo. Per ſeptenarium quippe numerum hoc quod ſeptem diebus agitur, præſens tempus expreſſit: per octonarium verò vitam perpetuam deſignauit, quam ſua nobis dominus reſurrectione patefecit: cum ſcilicet dominico die reſurrexit: qui dum diem ſeptimum ſequitur, à conditione octauus inuenitur. Bene ergo dicitur, Da partes ſeptem, necnon octo: quia ignoras quid mali futuri ſit ſuper terram. Ac ſi apertè diceretur, Sic diſpenſa temporalia, vt appetere non obliuiſcaris æterna. Oportet namque vt in poſterum bene agẽdo prouideas, qui de venturo iudicio quanta tribulatio ſequatur ignoras. Rurſum per ſeptenarium numerum hæc vniuerſitas temporalitatis accipitur. Hinc eſt enim quòd per ſeptem dies hoc totum vitæ præſentis tempus euoluitur. Hinc eſt quòd in typo ſanctæ eccleſiæ, quæ omni hoc tempore mundo prædicando creuit, arca domini tubis clangentibus muros Hiericho diebus ſeptem circũacta confregit. Hinc Pſal. canit, *Septies in die laudem dixi tibi.* Ipſe rurſum pro toto atque vniuerſo deprecationis ſuæ tempore ſe dixiſſe ſignificans, ait, Semper laus eius in ore meo. hęc Gregor. Ad propoſitum ergo: ſi ſeptenario numero ſignificatur requies æterna, tunc eſt ſenſus: *Septies in die laudem dixi*: id eſt, in die æternitatis gloriæ laudabo te. Si autem ſeptem ſignificet vniuerſitatem vitæ præſentis, tũc eſt ſenſus: In omni gradu vitæ præſentis ætate vel ſtatu laudabo te. Si autem accipiatur pro vniuerſitate ipſius, tunc eſt ſenſus: Omni tempore laudabo te. vt ſic accipiatur *laudem dixi tibi*, pro futuro: id eſt, laudabo te. Vel aliter: vt per ſeptenarium numerum denotetur ſimplex & pura deuotio, quæ in oratione requiritur. Nam ſeptem perfectionem ſignificat: vt oſtendit Gregor. dicens, Quid in ſeptenario numero, niſi ſumma

*Laudat Deũ omnis creatura.*

*Septem ſignificat vniuerſitatem.*

*Gen. 2.*

*Septies in die cadit iuſtus, & qualiter.*

*1. Pet. 4.*

*Septem multa ſignificat.*

*Greg. 35. moral. c. 6. & 7.*

*Eccleſ. 11.*

*Ioſue 6.*

*Pſal. 33.*

*Septẽ ſignificat perfectionem.*

*Greg. 1. moral. cap. 11.*

ſumma perfectionis oſtenditur? Vt enim humanæ rationis cauſas de ſeptenario numero taceamus, quæ aſſerunt quòd idcirco perfectus ſit, quia ex primo pari conſtat,& primo impari.Ex primo qui diuidi poteſt: & ex primo qui diuidi non poteſt. Certiſſimè tamen ſcimus quòd ſeptenarium numerum ſcriptura ſacra pro perfectione ponere cóſueuit. Vnde & dominus ſeptimo die requieuit. Hinc eſt quòd ſeptimus dies in requiẽ hominibus datus eſt:id eſt, in ſabbathum. Sic ergo eſt ſenſus: *Septies in die laudem dixi tibi*:id eſt,perfectè oraui,perfectè te laudaui. Et hunc ſenſum ponit hic Ambr. dicens,*Septies*, &c. Ex iſto numero ſtudium ſanctæ deuotionis exprimitur. Sed puto magis quòd purus & quietus ac vacuus ab omni onere delictorũ declaretur affectus: vt ſine vllo iracundiæ imprecationis aut flagitioſæ cupiditatis incendio deferatur oratio; & nihil quod alio noceat poſtulemus, nihil quod nos ſecularibus petitionibus decoloret.Laudemus in hymnis & cãticis vera ſemper & iuſta,ea quæ de diuinis canimus laudibus confitẽtes.Non ſit anceps & dubia ſententia,non diſcolor mentis intentio, non materialibus negociis occupata; à propoſiti ſpiritualis executione deflectat: iuſtificetur ſemper iuſtitia Dei tranquillo animo, non ocio feriato. Vel aliter: *Septies in die laudem dixi tibi*:id eſt,ſeptiformi ſpiritu repletus:vel *ſepties*:id eſt ſeptem vicibus:ſecundum quòd clerici faciunt per ſeptem horas canonicas Deum laudantes. Et hoc ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ:id eſt, ſuper flagella quibus corrigis & caſtigas filios quos recipis.

*Gen.2.*

## 2238 Pax multa diligẽtibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.

Hic oſtendit quintum:ſcilicet quòd verbũ Dei mentem pacificat:quia verba Dei obſeruatoribus ſuis pacem confert corporis & animæ. Qui enim obſeruat Dei verba, iuſticiam facit,quia iuſticia eſt hominem Deo ſubditum eſſe:ſed iuſticia mater eſt pacis.Eſa.32, Opus iuſtitiæ pax. Propter quod ait dominus, Vtinam attendiſſes mandata mea, & facta fuiſſet ſicut flumẽ pax tua.Et hoc idem hic ponit Pſalmiſta dicẽs,*Pax multa diligentibus legem tuam*. Scandalum autem quid ſit, vide ver.829. Vbi notandum,quòd ille ſcandalizatur in lege, qui aliqua legens quæ nõ intelligit,illa credit falſa.Ille autem qui legem Dei diligit, non ſcãdalizatur:quia ſi aliqua legit quæ non intelligit,imputat ruditati ſuæ, nõ legi diuinæ.Et ſic quicquid in lege dicitur, credit verum eſſe:quia ſi illud intelligit, veritatẽ cognoſcit:ſi autẽ nõ intelligit, credit ibi aliquod magnum myſterium abſconditum eſſe. Et ſic ſemper in ſeipſo pacem habet:legi non contradicit. Vnde Auguſt. hic dicit, *Pax multa*, &c. Qui enim diligit Dei legem, etiam quod in ea non intelligit, honorat:& quod ei ſonare videtur abſurdè, ſe potius nõ intelligere, & aliquid ibi magnum latere iudicat. Ideo lex Dei non eſt illi ſcandalum. Vt autem nullum ſcandalum omnino patiatur,non ſic homines ſanctæ cuiuſcunque profeſſionis attendat,vt fides eius ex eorum moribus pendeat:ne aliquibus cadentibus quos pro magno habebat, ipſe ſcãdalum patiatur: ſed ipſam legem Dei diligat,& erit ei pax multa, nullúmque ſcandalum. Securus enim diligit eam, in qua etiam multi peccant, peccare ipſe non nouit. Vel aliter:per legem Dei intellige charitatem: quæ lex eſt omnium bonorum & forma. Qui hanc legem diligit, nullis turbatur aduerſis: omnia ſuſtinet, omnia tolerat patienter:ſcãdalum aliis neſcit inferre, aliorum factis compati nouit, non ſcandalizari. Et hæc eſt hic intentio Ambroſ. dicentis,Lex Dei eſt charitas,quæ omnem perturbationem excludit.Etenim ei qui Deũ diligit,profunda eſt confirmatæ mentis tranquillitas. Aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina nõ obruent eam. Multa aqua eſt diuerſarum paſſionum & fluminum ſecularium cupiditatum incitata:murum tamen charitatis ſubuertere non poſſunt. Ideóque charitate fundatus dicit, Torrentem pertranſiuit anima noſtra.Nunquid aqua maris excludere poteſt Moyſi charitatem? vt etiam ſecundum literam Pſalmorum tibi ſeries ſuffragetur. Nempe diligens Deũ,iter tutum ſibi credit eſſe per mare. Qui autem nõ dilexerunt Deum, hi demerſi fluctibus, dignũ ſacrilegiis ſuis exitum pertulerunt.Helias & Heliſęus Iordanẽ pede tranſierunt:& hæc fuit nimiæ merces & gratia charitatis. Hi igitur vt tranſirent aquam fluuij Iordanis, paſſionum fluenta noſtrarum mentis priùs veſtigio trãſierunt. Adeſt Deus ſemper ſuis iuſtis,cũ aliquibus terũtur aduerſis:ſi tamẽ trãſeunt mẽte cõſtãti, nõ dubitãti,nõ fidei turbãtur incerto. Tranſi ergo & tu fideli animo, ſi diuinam vis tibi adeſſe præſentiam: ſi non ſolùm pax, ſed & multa pax ſit in animo tuo. Nulla te prælia diuerſæ cupiditatis impugnent: non ira ſtimulet, non libido. Et ſi eſt pugna,tantum foris ſit,non intus. Præliare aduerſus perſequentes:licet & ipſis ſilentio ſæpe cedendum ſit, quia tibi vincunt, illorum potentia tua eſt victoria.Non ergo te impugnet auaritia,nõ cupiditas exagitet, non triſtitia deiiciat, non inflammet libido,non reſupinet ſuperbia,nõ curuet ambitio,non formido proſternat.Pax multa abundet, quæ ſuperet omnem mentem:quo nihil pulchrius dici potuit.Sũmus ſapientiæ finis eſt,vt ſimus mẽte trãquilli:ne commentitiis poëtarum fabulis lubricis turbetur affectus. Summus finis iuſtitiæ eſt vt iniquitas mentem iuſti mouere non poſſit. Virtutis totius hic finis eſt,vt corporea ipſius fortitudinis efficiat miles bella: vt confecto bello pacem reformet. Paci ergo & ipſa plerumque militat fortitudo bellandi. Nullis ergo iuſtus frangatur iniuriis,nullis moueatur periculis,nullis tentetur procellis. Siue mors ingruat,ſiue vita, ſiue cœli cœlorum, neque deiiciatur aduerſis, neque extollatur ſecundis. Nunquam ſit ei infirmus affectus: cauet ſcandalum,qui pacem habet, quæ omnem mẽtem ſuperat,&c.

*Eſa.48.* *Scandalũ nõ habet diligẽs legem Dei.* *Lex Dei eſt charitas.* *Charitas omnia aduerſa ſuperat.* *Cant.8.* *Pſal.123.* *4.Reg.2.* *Pax ſpiritualis.* *Phil.4.*

## Expectabam ſalutare tuum domine: & mandata tua dilexi. 2239

Hic ponit ſextum:ſcilicet quòd diuinum verbũ fortificat mentem per ſpem. Obſeſſus expectãs adiutorem, ſpe fortificatur:infirmus, ſpe medici:captiuus, ſpe redemptoris. Sic & flagellis huius mũdi oppreſſus,dum per hæc ſaluari expectat,patientia perſeuerat.Vnde dicit verbum Dei omni aduerſa patienti, Viriliter agite,& cõfortetur cor veſtrũ, omnes qui ſperatis in domino. Sic & Pſal.36, dicit, Expecta dominum & cuſtodi viam eius (ſcilicet humilitatis & patientię) & exaltabit te.His imbutus Pſal.hic à perſecutoribus preſſus dicit,*Expectabam ſalutare tuũ domine*.Iſta enim poſſunt eſſe verba ſynagogæ:iſta poſſunt eſſe verba eccleſiæ.Antiquis enim patrib⁹ nihil profuiſſet mãdata Dei ſeruare,niſi fidẽ Chriſti ſaluatoris venturi habuiſſent.

*Pſal.30.* *Spes aduẽtus Chriſti ſemper fuit & eſt neceſſaria.*

Similiter



Similiter nec nobis, niſi Chriſtum ſalutare ad iudicium omnium venturum crederemus. Dicat ergo ſynagoga de primo aduentu ſaluatoris:dicat eccleſia de ſecundo aduentu ad iudicium, *Expectabam ſalutare tuum domine* &c.Vnde ad iſtum intellectum exponit hunc paſſum Aug.dicens, Quid enim antiquis iuſtis patribus profuiſſet Dei dilexiſſe mandata, niſi Chriſtus qui eſt Dei ſalutare eos liberaſſet? Cuius etiam ſpiritu impertito,mandata Dei diligere potuerunt.Si ergo expectabant ſalutare Dei qui mandata eius dilexerunt:quanto magis neceſſarius erat Ieſus, hoc eſt ſalutare Dei,ſaluis faciendis eis qui mãdata eius nõ dilexerũt? Poſſunt etiam iſta ſanctis nouæ legis congruere. Expectant enim ſalutare Dei Chriſtum,qui mandata eius diligunt: vt cum Chriſtus apparuerit vita noſtra,tunc & nos cum illo appareamus in gloria. Vel aliter: per iſta verba vult Pſalmiſta oſtendere quòd meritum præcedit pręmium:quòd qui vult habere ſalutare Dei, primò mandata eius debet cuſtodire: vt ſit ſenſus, Ideo mandata tua dilexi,quia expectabam ſalutare tuum. Vnde hic ait Amb. *Expectabam ſalutare tuum domine* &c.Qui expectat,charitatẽ ſperat:ergo ſpes præcedit,ſalus ſequitur.Spes igitur præcurrit effectum. Ideo qui expectat ſalutem à domino, facit præcepta domini. Vnde dominus amicos appellat in euangelio non ſeruos,qui ſua præcepta fecerũt. Qui enim diligit,facit: & qui fecerit, meritò dilectionis remuneratione donatur. Si autem quæras vtrum ſit licitum mandata Dei diligere:id eſt operibus implere expectatione ſalutaris(id eſt præmij) ſic quòd ſi nõ eſſet ſpes præmij, non fierent:ſed ſpe præmij illa diligo, illa obſeruo:de hoc vide ſuprà, verſic.2185.

*Coloſſ.3.*

## 2240 Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua,& dilexit ea vehementer.

Hîc ponit ſeptimum:ſcilicet quòd verbum Dei nos dignificat,amicos Dei faciendo.Verbum enim Dei docet Dei mãdata cuſtodire:cuſtodia autẽ mãdatorũ Dei amicos Dei conſtituit, & à ſeruitute liberat:Chriſto dicẽte,Vos amici mei eſtis,ſi feceritis quę ego pręcipio vobis.Et hoc eſt ꝙ iſte oſtendens ex cuſtodia mandatorum ſe Dei amicum effectum, exultans dicit, *Cuſtodiuit anima mea* &c. Et aduerte quòd aliud eſt cuſtodire mandata, & aliud diligere mãdata vel Dei teſtimonia.Quis enim ſine charitate poteſt ieiunare, eleemoſynas facere, corpus ſuum affligere, antequam Chriſti nomen neget: ſe flammis exponere? vt dicit Apoſtolus, Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt: vt puta qui talia facit ex hypocriſi vel vt nomen ſibi acquirat: vt antiqui Romani pro nomine ſibi acquirendo ſponte ſe morti obiiciebant, Iſti tales obſeruant mandata,ſed illa non diligunt:ſed diligunt gloriam propriam,pro qua illa faciunt.Ille autem mandata Dei diligit, qui amore ſolo iuſtitiæ illa cuſtodit. Ideo poſtquam Pſalmiſta dixit,*Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua*:ſtatim ſubdidit,*Et dilexit* &c.Vnde hic Auguſt. ait, Cuſtodiũtur teſtimonia Dei dum non negantur: hoc eſt martyrum officium, quia teſtimonia Græcè martyria nuncupantur. Sed quia etiam pro teſtimoniis Dei flammis concremari ſine charitate nihil prodeſt:ideo addit quod perfectum eſt,*Et dilexit ea valde*. Hoc idem hic ponit Ambroſius,dicens,Plus eſt enim diligere quàm cuſtodire. Cuſtodire enim interdum eſt neceſſitatis vel timoris:diligere verò, charitatis. Ideo hic cùm dixiſſet,*Cuſtodiuit*:adiecit,*Et dilexit*:vt cuſtodia amantis fuerit, non timentis. Qui enim nimium diligit, nimium cuſtodit. Hic nota quòd à cuſtodia mandatorum vel teſtimoniorum Dei multa nos impediunt,ſi dilectio illorum non ſit ſollicita.Docet enim experientia quòd iter ſuum agere & perficere maximè tria impediũt: ſcilicet onus premẽs, æſtus ardens, & fames vrgens. Primò ne mandata Dei cuſtodiamus impedit onus premẽs. Qui enim onere nimio premitur, ab incepto itinere cogitur deficere: ſic & de via mandatorum Dei. Quod eſt autem in itinere vitę pręſentis grauius onus quàm ſit onus peccati? Pſalm. 37, Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.Qui ergo cupit viam mãdatorum Dei peragere, primò hoc peccatorum onus deponere debet.Dicit Auicen.primo can.loquens de regimine iter agentium, quòd non debet aliquis in vias ire repletus ſanguine,ſed corpus ſuum primò mundificet:& poſtmodũ iter arripiat. Sic & in propoſito: nã ille dicitur ſanguine repletus,cuius conſcientia peccatis abundat.Ideo dicitur,Libera me de ſanguinibus &c.Primò ergo mũdet ſe ab omni humore ſuperfluo (id eſt ab omni peccato) vt ad cuſtodiam teſtimoniorũ Dei habilis fiat. Et hoc eſt quod dicitur, Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam mandata tua. Secundò impedit æſtus ardens. Quid eſt ardens æſtus, niſi variæ concupiſcentiæ cor noſtrum inflammantes? Dicit Auic. vbi ſuprà, quòd iter agentes in calore vehementi caput ſuum tegant, ſi iter cuſtodire volunt.Sic & in hoc mundo iter agentes. cùm ſemper variis concupiſcentiis agitentur & inflammentur, ſi iter diuinorum mandatorum cupiunt cuſtodire, caput ſuum (id eſt mentem ſuam) ſollicitè debent cuſtodire & tegere virtutibus: ne ęſtu concupiſcentiarum capiantur,quicquid ſit de alio corpore. quia licet non ſit plenè in noſtra poteſtate ne concupiſcẽtiarum calor corpus noſtrum tangat:tamen in poteſtate noſtra eſt non aſſentire concupiſcentiis, ne talis calor aſcendat ſuper caput noſtræ mentis. Quod ſi facimus, de nobis verificabitur illud Pſalm. 120, Per diem ſol non vret te &c. Tertiò famis debilitas illos impedit qui ſibi cibum recuſant ſumere,aut ſaltem nimis deſerunt. Dicit Auicen.vbi ſuprà,quòd iter facturus, præcipuè debet eſſe ſollicitus de nutrimẽto. Nutrimentum autem iter agentis (ſecundum eum ibidem) debet eſſe bonæ ſubſtantiæ & paucæ, multi tamen nutrimenti: & dimittendum eſt quicquid humorem generat crudum. Similiter & medicus cœleſtis iter mandatorum ſuorum agentes ſimili modo voluit itinerare, prouidens de conuenientiſſimo nutrimento: quod quia viatoribus datur, viaticum appellatur, quod eſt optimæ ſubſtantiæ. Continet enim ſubſtantiam tam diuinam quàm humanam. Et licet Chriſtus qui in hoc cibo miniſtratur nobis ſit geminæ ſubſtantiæ: tamen ſub ſpecie modicæ ſubſtantiæ nobis miniſtratur. Eſt autem multi nutrimenti, quia non ſolùm corpus, ſed etiam animam nutrit. Ioannis 6, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Cæteri autem cibi corporales, præcipuè inordinatè ſumpti, generant crudos humores: id eſt motus illicitos. Et ideo magis cuſtodiam mandatorum impediunt, quàm promoueant. Qui ergo tria iſta prædicta obſeruauerit, mandata

*Ioan.14.* *Aliud eſt mãdata Dei ſeruare: aliud illa diligere.* *1.Cor.13.* *1.Cor.13.* *A cuſtodia mãdatorum tria impediũt* *Ambulãtes & itinerãtes tria obſeruare debent.* *Pſal.50.* *Pſal.118.*

Dei poterit cuſtodire:vt dicat illud Pſal.118, Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Et conſequēter, *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua,& dilexit ea vehementer.*

## 2241 Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Hîc ponit octauum: ſcilicet quòd verbum Dei nos iuſtificat, Deo præſentando. Verba enim Dei ſunt quaſi quoddam medium inter nos & Deum: quia nobis præſentant Deum, & nos Deo. Vnde vt dicitur ad Hæb.4, Non eſt aliqua creatura inuiſibilis in conſpectu eius,ad quem nobis eſt ſermo: quia omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Vnde cogitationes noſtræ ſunt in conſpectu ſuo. Pſalm. 18,Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Omnia opera noſtra ſunt in conſpectu ſuo, omnis oratio,& omnis pœnitentia. Pſalm. 118, Intret in conſpectu tuo oratio mea &c. Iob 13, In conſpectu eius arguã vias meas:& ipſe erit ſaluator meus. Quod nunc confitens Pſalm. ait, *Seruaui mandata* &c. *quia omnes viæ* &c. Vbi notandum eſt quòd hic ait,*Mandata & teſtimonia.*Per mandata enim intelligit præcepta affirmatiua: ſed per teſtimonia, præcepta negatiua. Vnde hic ait gloſa, *Seruaui mandata tua & teſtimonia tua:*mandata iubendo,ſed teſtimonia prohibendo accipe. Vel aliter: per mandata intellige præcepta tam affirmatiua quàm negatiua: ſed per teſtimonia, accipe martyria. Et tunc iſte verſus eſt quaſi declaratiuus prædictorũ. Nã priùs dixit,*Mandata tua dilexi.* Deinde ſubiunxit, *Teſtimonia tua cuſtodiui & dilexi.* Nunc autem oſtendit huius dilectionis & cuſtodiæ cauſam, dicens, *Ideo ſeruaui mandata & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Vnde Deo attribuit bonum quod facit, dicens; *Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Tanquam ſi diceret, Si auertiſſes faciem tuam à me:ſcilicet auxilium gratiæ tuæ:nec mandata tua nec teſtimonia cuſtodiſſem. Cuſtodiui ergo,quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Et nota quòd in conſpectu domini ſunt boni & mali, quia non eſt aliqua creatura inuiſibilis in conſpectu eius:ad Hæb. 4. Sed differenter:quia malos videt vt perdat. Pſal. 33, Vultus autem domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Sed bonos reſpicit vt ſaluet & protegat. Pſalm.67, Iuſti epulentur in cõſpectu Dei,& delectentur in lætitia. Quid eſt enim conſpectus Dei, niſi reſpicere Dei? Quid autem reſpicere Dei, niſi miſereri Dei? vide verſic. 150.360. Vnde hic ait Auguſt. Nam ſi Deus non adiuuaret gradientem iuſtum in cõſpectu ſuo, non diceret, *Ideo ſeruaui & cuſtodiui, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Quis enim poſſet ſeruare teſtimonia (id eſt martyria) niſi adiuuaretur à Dei gratia? Plerũque enim dum mandata Dei cuſtodiuntur, fiunt perſecutores & inimici illi,contra quorũ voluntatem cuſtodiũtur. Et tunc fortiter ſunt cuſtodienda teſtimonia,vt.ſ. martyria antè eligantur quàm Dei mãdata relinquãtur. Vel aliter. Sicut enim ait ſaluator,Omnis qui malè agit,odit lucẽ,& non venit ad lucẽ &c. Ideo omnis malè agens quantũ eſt ex ſe,ſi poſſet, occultaret mala ſua etiam à Deo. Quod ſi per effectum facere non poteſt,facit tamen affectu. Ille ergo ſolus à Deo videri deſiderat, qui bene agit. Et ideo ille ſolus poteſt dicere, *Omnes viæ meæ in conſpectu tuo*, qui affectu omnia vult videri à Deo. Ille autem ſolum cupit vias ſuas à Deo videri,qui bene agit. Et iſta videtur eſſe intentio Amb. hic dicentis, Beatus qui poteſt dicere, *Omnes viæ meæ in conſpectu tuo*:qui nolit abſcondere omnes cogitationes ſuas, & omnes actus ſuos. Abſcondebat Adã viam ſuam: abſcondebat etiam Eua poſt culpam. Abſcondebat Cain necem fratris. In affectu poſſumus vias noſtras abſcondere à Deo,non in effectu. Plena abſcondentis perfidia, etſi apud Deum nulla ſit latebra. Ideo eccleſia in canticis, ſua ei demonſtrabat ſecreta,dicens,Aſſumam te & ducam te in domum matris meæ, in ſecretum eius quæ concepit me. Nã etſi Deus omnia videat cordis occulta,bonum tamen eſt vt vnuſquiſque ei animam ſuam aperiat & expandat,& tanquam lumini vel calori eius occurrat. Nec immeritò gloriatur eccleſia, dicẽs,Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacẽ:quoniam vias ſuas perdere non timebat. Iuſti ergo eſt iſta vox, Oculi enim domini ſuper iuſtos. Itaq; domino Ieſu Chriſto, qui eſt via & veritas, bene hoc dicitur ab illis qui ad illam veram viam fide, moribus,actúque deſiderant peruenire: Omnes vię meæ coram te domine. Nulla enim via poteſt bona eſſe, niſi quam tu illuminandam tui viſitatione luminis inclinaueris.

*Conſpectus Dei eſt ſemper ſuper bonos & malos.*

*Ioan.3. Videri à Deo volũt boni, ſed non mali.*

*Gen.3. Gen.4.*

*Cant.8.*

*Cant.8.*

*Pſal.33.*

## 2242 Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine:iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Tau

Hîc incipit vigeſimuſſecundus octonarius. Cui pro titulo præmittitur vltima litera alphabeti Hæbræorum,quæ eſt Tau:quæ interpretatur Errauit. Errauit enim eſt temporis præteriti,& ſignificat illum qui aliquando fuit in errore,ſed non eſt: quia ſe emẽdauit. Quod hic ſatis clarè deducit Ambroſ. dicens, Vide quòd Tau interpretatur Errauit, non Errat. Erraſſe enim præteriti temporis eſt:ſed errare, præſentis. De eo autem dicitur Errauit, qui iam in errore fuit,ſed iam non eſt. Nam is qui in errore adhuc permanet,non erraſſe dicitur,ſed errare. Errare enim eſt permanentis in vitio: ſed erraſſe, eſt corrigentis lapſum. probat dicens, Denique emendator morum ait,Eramus enim aliquãdo inſipientes, increduli, errantes deſideriis & voluptatibus. Non dixiſſet vtique,Eramus aliquando inſipiẽtes, niſi qui adeptus eſt poſtea ſapientiæ diſciplinam. Nec dixiſſet Eramus errantes, niſi qui ſuperiorem depoſuiſſet errorem. Vides ergo quia errori renunciaſſe,non vitij ſed profectus eſt. Plus enim eſt à vitio ſe reuocaſſe quàm vitia ipſa neſciſſe. Imbutos enim vitiis animos exuere frænis cupiditatum atque emendaſſe,non ſolum perfectæ virtutis eſt,ſed etiam cœleſtis eſt gratiæ. Emendare enim futura, attentionis humanæ eſt: præterita donare, diuinæ eſt poteſtatis. Ad propoſitum ergo:hæc litera Tau quæ interpretatur Errauit, huic octonario meritò præmittitur:quia hic agit Pſalmiſta in perſona hominis qui aliquãdo errauit, ſed Dei gratia adiutus, ſe ab errore correxit, & errorem dimiſit. Ad corrigendos ſuos errores & peccata præterita multa requiruntur, ſecundum quæ iſte octonarius diuiditur. Primò enim requiritur erroris cognitio: in principio. Secundò adiutoris inuocatio: ibi, *Intret.* Tertiò gratiarum actio: ibi, *Eructabunt.* Quartò veritatis prædicatio: ibi, *Pronunciabit.* Quintò mandatorum obſeruatio:ibi,*Fiat*, Sextò legis meditatio:ibi, *Concupiui.* Septimò iudiciorum Dei commendatio: ibi,*Viuet.* Octauò peccati cõfeſſio:ibi,*Erraui.* Primò ergo ad ſe corrigendum requiritur cognitio ſui erroris. Quis enim poſſet deteſtari quod neſciret? Principiũ enim ſalutis peccatoris eſt ſua vitia cognoſcere: quia illis bene cognitis, ſtatim remedia quærit:vide verſic.836. Hoc ergo conſiderans Pſalmiſta in perſona ſe corrigere volentis,à Deo primò petit ſibi dari intellectum, quo ſcilicet peccata ſua cognoſcere poſſit, dicens, *Appropinquet* &c. *da mihi intellectum.* Et hoc confidenter petit à Deo Pſal. dicens,*Secundum eloquium tuum da mihi intellectũ.* Quod ideo ſic orat, quia promiſit Deus pœnitenti dare intellectum:quo ſcilicet cognoſceret mala fugienda,& bona facienda. Vnde Pſal.31, Cum peccator propoſuiſſet pœnitentiam agere dicens, Dixi, confitebor &c. ſtatim ſibi reſpondens dominus ait,Intellectum tibi dabo,& inſtruã te in via qua gradieris. Confidẽs ergo de iſta promiſſione,hoc primum quærit,dicens,*Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine.* Et quid petat ſubdit,dicẽs,*Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Vnde Auguſt. hic ait,*Appropinquet deprecatio mea* &c. id eſt oratio mea quæ fit in conſpectu tuo appropinquet tibi. Propè enim eſt dominus his qui obtriuerunt cor. Et quid petat oſtendit dicens,*Iuxta eloquium tuũ da mihi intellectum:* promiſſum petit. Propter quod ait, *Iuxta eloquium tuum:*tanquam diceret, ſecũdum promiſſum tuum. Hoc enim promiſit Deus, vbi ait, Intellectum tibi dabo &c. Vel aliter: iſta eſt oratio humilis & iuſti hominis. Oratio enim peccatoris ad Deum non aſcendit, ſed iuſti:quia iuſtitia & virtutes aliæ orationes ad Deum eleuant: peccata autem ipſam deponunt. Vnde hic Amb. ait,*Appropinquet* &c. Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus ſpirituales, quibus ſanctorum ad Deum eleuetur oratio. Sed & ſpiritus quo oramus, ſubleuat precem iuſti:maximè ſi corde contrito cõpatiens eam commendet affectus. Orationem ergo ſuam hic Pſal. dirigit in cœleſtia, mittit eam in conſpectum domini,dans illi flabra iuſtitiæ, ſapientiæ flamina, remigia deuotionis & fidei,innocẽtiæ puritatíſque ſubſidia. Peccato enim graueſcit oratio,& longè fit à Deo. Tanto autem plus grauatur,quanto improbabilior eſt vita deprecantis. Innocentum autem aſcendit oratio: & gemitus compatientis affectus ſi Ægyptium lutum oderint,& operari terrena declinent. Denique ſic legiſti, quòd Hæbræorum qui dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant: & vt grauia ità & lutulẽta opera indigna ſui nobilitate generis recuſabant, gemitus & vox aſcendit ad dominum. Aſcendit enim oratio, quia etſi operabantur,tamen inuiti. Deſcendebat ad illos Dei miſericordia, quia illorum ad Deum aſcendebat oratio. Aſcendebat itaque non corporaliter:neq; enim tantus propheta precationem ſuam petebat Deo corporaliter appropinquare. Nã qui ita putat, vtique is Deum certo in aliquo loco cõcludit, vt diffuſiorem locum in quo Deus non ſit arbitretur: cũ vtique inuiſibilis,ineffabilis, incomprehenſibilis impleat omnia, & diuinitatis in eo habitet plenitudo. Legi Moyſen appropinquaſſe Deo,cum legem acciperet. Sed ex vſu ſermonis conſideremus quid ſit appropinquare Deo. Conſtitue magiſtrum atque diſcipulum: ſi diſcipulus ſtudioſus magiſtri vel hauſit ingenium vel præceptum intendit:ita vt ad ſimilitudinem eius operis atque doctrinæ proximè videatur accedere: nónne dicimus quòd appropinquat magiſtro? Et tu ſi imitatorẽ te præbeas Chriſto, ſi dolum neſcias,ſi mendacium oderis, ſi veritatem ſequaris,iuſtitiam non fugias,diligas caſtimoniã:appropinquaſti Chriſto,& per Chriſtum Deo. Quid eſt ergo Deo appropinquare orationem noſtram, niſi actus noſtros eleuare ad Deũ? Si eleues actus tuos,eleuaſti orationem tuam. Qui nouit eleuare manus ſuas, dirigit orationẽ ſuam in conſpectu domini. Hæc enim eſt oratio ad vitam, Dirigatur (inquit Pſal.) oratio mea: ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eſt & oratio in peccatum. Vnde & alibi dicit, Et oratio eius fiat in peccatum. Fit oratio tua in peccatum, ſi ſecularia petas, ſi flagitioſa poſtules:tunc oratio tua ad Deũ non dirigetur, ſed in peccatum. Sequitur, *Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Quia ergo ſi volumus orationẽ noſtram ad Deum appropinquare, oportet primò intelligere quid petatur, qua vita, qua deuotione. Ideo vt hoc Pſal. cognoſcat, dicit, *Da mihi intellectum.* Vbi Amb. dicit, Aduerte quid poſtules: non intellectum generaliter dixit, ſed *da mihi intellectum ſecundum eloquium tuum.* Idem *da mihi intellectum*, non ſecundum philoſophos, qui cum ſeipſos neſciant, ſcrutantur cœli plagas: mundi ſpacia rimantur, quæ nihil ſibi prodeſſe poſſunt. Da ergo mihi intellectum, nõ ſecundum cauſidicos,non ſecũdum mercatores huius ſæculi: non ſecundum architectos domorum, qui circa honores, circa quæſtus & pecunias intẽdunt:ſed da mihi intellectum iuxta eloquiũ tuum. Quod eloquium tuum eſt veræ ſapientiæ bonorúmque operum fundamẽtum. Sic ergo iuxta eloquium Dei petit intellectum, vt ſapiat, ne per humanam prudentiam inaneſcat.

*Tit.3.*

*Pœnitentia præfertur innocentiæ.*

*...gnitio peccati neceſſaria eſt pœnitenti.*

*Pſal.31. ...tionẽ aſcẽ... facit bona vita orationem.*

*Exod.2.*

*Exod.20.*

*Pſal.140.*

*Pſal.108.*

*Intellectus bonus & malus ſcientia.*

## Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo:ſecũdum eloquium tuũ eripe me. 2243

Hîc ponit ſecundum:ſcilicet adiutoris inuocationem. Cùm enim homo ſit ſpiritus vadens per ſe in peccatum,ſed per ſe non valens reſurgere: indiget ad correctionem commiſſi erroris adiutorio Dei,qui ſua gratia illum de errore educat, vt illum de inimicis eripiat. Sic enim per auxilium Dei eripi ab inimicis Pſal. poſtulat, Pſal.58, dicens, Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus &c. Quod nunc conformiter Pſal. docet facere, dicens,*Intret poſtulatio mea* &c. *ſecundum eloquium tuum eripe me.* Secundum Auguſtinum hic non ponitur noua ſententia à verſiculo præcedenti:ſed eſt eiuſdem repetitio ſub aliis verbis. Vnde hic ait Auguſt. *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo* &c. Hic repetit quod dixerat priùs. Nam quod priùs dixerat, *Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo:* nunc ſimile eſt quod hic ait, *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo.* Et quod priùs dixit, *Secundum eloquium tuum da mihi intellectum:* huic congruit quod poſterius dicit, *Secundum eloquium tuum eripe me.* quia qui per ſeipſum non intelligendo decipitur, accipiẽdo intellectum eripitur. Secundum autem Gloſ. magna eſt differentia inter iſtum verſum & primum. Primò quia in primo petit orationem ſuam Deo appropinquare:nunc autem petit ad Deum intrare. Plus eſt autem intrare quàm appropinquare. Nã vt ait Gloſa, Iſte orans gradatim aſcendẽs dicit *intret*,quod plus eſt: quia illa oratio Deo appropinquare incipit, quæ mixto timore pœnæ porrigitur:illa autem intrat quæ ſolo amore iuſtitiæ dirigitur Deo. Etiam

*Deprecatio eſt pro bonis habẽdis: poſtulatio autẽ pro malis remouẽdis.*

in alio eſt differentia: quia in primo verſu dicitur deprecatio; hic autem dicitur poſtulatio. quia ſecundum Gloſam, deprecatio eſt de bonis habẽdis; poſtulatio verò de malis remouendis. Vnde poſtulabat bonum ſibi dari: dicẽs, *Da mihi intellectum*: hic autem poſtulat à malis liberari: dicens *eripe me*. Sic ergo primò poſtulauit ſecundum eloquium Dei ſibi dari intellectum, vt æterna videat & cognoſcat: hic autem per idem eloquium petit vt à labe concupiſcentiæ purgetur: vtrũque autẽ facit eloquium Dei. Vel aliter: hic Pſal. vult oſtendere modum deuotæ orationis: vt primò orans ſeipſum diſponat antequam intret, Quod inducit hic Ambroſ. exemplariter. Vnde dicit, Primum Pſal. dicit, *Appropinquet deprecatio mea.* Deinde ait, *Intret poſtulatio mea.* Nónne cum aliquem de primariis viris deſideras conuenire, nónne primò ad eius domum properas: poſtea quæris informari vt cognoſcas mentem patrisfamilias: deinde vt eius domum ingrediaris, implores ne quis te abiiciat & excludat. Pulſa ergo & tu regiam illam ianuam cœleſtem, non manu corporis, ſed quadam orationis dextera. Non ſolũ manus corporis pulſat, pulſat & vox, pulſat & oratio. Cum autem hanc ianuam pulſaueris, vide quomodo ingrediaris: ne fortè iã ingreſſus ſis extra regis aſpectum. Multi ingrediuntur palatia, & non ſtatim regem iſtum terræ vident: ſed frequenter obſeruant vt aliquando videre mereantur: nec præſumunt videndi copiam, ſed viſi repudiantur & preces fundunt, vt cum beneuolentia ſuſcipiantur. Primus ſui ſermonis ingreſſus eſt ne quid titubet, ne quid offendat. Quanto magis rogandus eſt Deus, vt oſtium ſuæ miſericordiæ ingrediatur oratio? Denique & Paulus rogat vt aperiatur ſibi oſtium verbi ad loquendum myſterium Chriſti. Sed nota quòd iſte verſus variatur. Nam codices Græci habent, *Intret in conſpectu tuo dignitas mea.* Et tunc eſt ſenſus quòd dignitatem hominis Deus attendat, & ratione dignitatis ad miſericordiã inclinetur: ſicut homo nobilis generis in miſeria poſitus, nobilitatem ſui generis oſtendit, vt facilius gratiam acquirat. Vnde iſtum intellectum ponit hic Ambroſ. dicens, Nempe cum hominem rogas regem, dicis vt eum tangat tuæ contemplationis dignitas: vt aut miſereatur, ſi venia poſtulanda eſt: aut deferat pro ordine dignitatis. Rectè ergo & deuotus Deo dicit, *Intret dignitas mea in cõſpectu tuo.* Habet enim Chriſtianus dignitatem ſuam, qui tãto imperatori militat. Sunt maximæ & veræ fidei dignitates: ſunt honorum diuerſi & apud Chriſtũ ordines. Poſuit enim Deus in eccleſia ſua primò Apoſtolos, ſecũdò prophetas, tertiò doctores. Sed iſtæ ſunt adminiſtrantium dignitates. Sunt & dignitates priuatorum: vt eſt iuſtitia, pietas, ſobrietas, caſtimonia, diſciplina. Sunt & orationis dignitates: ſi pro vidua roges, ſi roges pro pupillo, pro miſericordi, pro deuoto & fideli. Si roges in tribulatione, ſi roges cum dolore: ſi mœſto & ipſe qui rogas cõpatiaris affectu, intrat oratio tua in Dei gratiam: intrat domum eius, ſi tecum eccleſia deprecatur: ſi populus vniuerſus imploret vt Deo inclinet fauores. Quid rogat? vt eruatur, vt liberetur: quia iamdiu aduerſus nequitias ſpirituales, aduerſus tentationes huius ſæculi prelietur: eo quòd graue eſt ſatis lõgeuo curſu iſtius vitæ diuturnam ſuſtinere militiam.

*Dignitas Chriſtianorũ.*

*Dignitas virtutum.*

*Dignitas orationis.*

## 2244 Eructabunt labia mea hymnum cum docueris me iuſtificationes tuas.

Hîc oſtendit tertium: ſcilicet gratiarum actionem. Quomodo enim poſſet quis iuſtitiam ſeruare cum ingratitudine? etiamſi eſſet iam ab errore correctus, & efficeretur ingratus: incideret ex ingratudine maiorem errorem. Hoc ergo vitare nos oſtendens Pſalmiſta ſuo exemplo, liberatus à Deo, nos inducit ad gratiarum actionem: dicens, *Eructabunt labia mea hymnum* &c. Vbi notandum quòd eructare idem eſt quod ructum facere & emittere. Quod fit quando ſapor recepti cibi reducitur ad rumen, ſcilicet ad ſuperiorem partem gutturis. Tunc enim ructus emittitur: vnde ſicut venter cibo repletus eructat, ſic & venter pœnitentis (ſcilicet mens) cogitans gratiam à Deo ſibi factam vt de errore ad virtutem ſic reductus, ſpirituali lætitia repletus, laudes Dei eructare deſiderat. Et hoc eſt quod ait, *Eructabunt* &c. Vel eructare hymnum Deo eſt ipſum bonis operibus laudare. Vnde hic ait Auguſtinus, *Eructabunt labia mea hymnum cum docueris* &c. Nouimus quemadmodum doceat Deus eos qui ſunt dociles Deo: vt non ſolum memoria retinenda, verumetiam faciendo cuſtodiant iuſtificationes Dei. Sic enim qui gloriatur, non in ſemetipſo, ſed in domino gloriatur, hymnúſque ructatur. Vel aliter. Ille qui in operibus ſuis ſibi gloriam quærit, non Deo: ille hymnum (id eſt laudem) eructat exterius: ſed interius ſibiipſi retinet. Ille autem hymnum eructat, qui non ſibi interius, ſed Deo laudem quærit. Vel aliter. Eructat hymnum qui de ſeipſo exempla bene viuendi aliis tribuit. Et aliud eſt eructare hymnum, & aliud, eructare verbum. Vnde Ambroſius hic ait, Eructat hymnum qui poteſt dicere, Bonus odor ſumus Chriſti Deo. Et bene eructat qui plurima & ſuauia præcepta domini guſtauerit. Eructat hymnum, qui eructauerat verbum. Denique & Pſalm. antè eructauerat verbum bonum: nunc autem eructat hymnum. Habet verbum Dei epulas ſuas: alias fortiores, vt eſt lex & euangelium: alias ſuauiores, vt ſunt Pſalmi & cantica canticorum. Eructabat hymnum eccleſia vel anima pia: cui dicebat Dei verbum, Inſinua mihi vocem tuam: quia vox tua ſuauis eſt. Eructabat hymnum cui dicebat, Fauus diſtillans, labia tua ô ſponſa: mel & lac ſub lingua tua. Sequitur, *Cum docueris me iuſtificationes tuas.* Hoc ideo dicit quia verbum vel hymnum aliis eructare nullus poteſt, niſi primò fuerit doctus à Deo. ideo ait, *Eructabunt* &c. *cùm docueris* &c. Vnde hic Ambroſius ait, Non poteſt quis antè eructare hymnum, niſi prius didicerit iuſtitiam Dei: & didicerit ab ipſo domino Deo ſuo. Ideo hic ſpecialiter Pſalmiſta petit vt doceat eum Deus. Audierat enim & cognouerat in ſpiritu, quia vnus magiſter eſt. Et ideo vbique ipſum ſibi fieri doctorem poſtulabat, vt ab ipſo diſceret iuſtificationes eius. Quomodo autem cantare poteſt quis in metu grauium ſibi conſcius delictorum, niſi prius fiat de venia ſecurus? Denique in poſterioribus habes, Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena, in qua impugnetur: in qua captiuetur in lege peccati: in qua defleat atque deplorat ſuę captiuitatis ærumnas? Et tu ergo ede cœleſtiũ ſcripturarum cibos:

*Eructare quid eſt.*

*Eructare hymnum.*

*Cant. 2.*

*Cant. 4.*

*Pſal. 136.*



cibos: & ede vt permaneãt tibi in vitam æternam: & ede quotidie, vt non eſurias: & ede vt replearis, & verborum cœleſtium eructes ſaginã. Spirituales epulæ non obeſſe ſolẽt, ſed prodeſſe ſatiatis. Ideóq; repleri volebat propheta, qui dicebat, Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam. Qui cãtat Dei gloriam, hymnum cor eius Deo eructat.

*[...]e ſpiri[...] ſatia[...]*

## 2245 Pronũtiabit lingua mea eloquium tuũ: quia omnia mandata tua æquitas.

Hic ponit quartũ: ſcilicet veritatis prædicationem. Qui enim ab alio gratiam recipit, & ipſe aliis gratioſus exiſtere debet. Qui ab alio docetur, & ipſe alios debet illuminare. Sic enim docebat Chriſtus, dicẽs, Gratis accepiſtis, gratis date. Sic & Pſal. poſtquam dixit, *Cùm docueris me iuſtificationes tuas*: ſtatim ſubdidit ſe hoc aliis prædicaturum: dicens, *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum* &c. Quanuis enim ſolus Deus hominem doceat interius, & ſe ſolo poſſit mentem docere: tamẽ nos vult ſuos in hoc myſterio eſſe coadiutores. Sicut etſi ſolus De⁹ ſeminibus dat incrementum: vult tamen nos ſeminare, vineam putare: & huiuſmodi. Huius ergo officij, ſcilicet alios docendi, Pſalm. ſe Dei coadiutorem exhibet: dicens, *Pronuntiabit lingua meae loquium tuum* &c. Vbi Auguſt. ait, Cum eloquium Dei Pſal. ſe pronuntiaturum dicit, vtique miniſter fit verbi. Quamuis enim Deus doceat interius, tamen fides ex auditu eſt. Quomodo autem audient ſine prædicante? Neque enim quia Deus dat incremẽtum, ideo non eſt plantandum & rigandum. Vel aliter. Per hoc vult Pſalm. oſtendere quòd volens à peccatis corrigi verba ſacræ ſcripturæ meditari debet, illa loqui, audire illa, non verba mundi quæ vana ſunt, quæ caduca: de quibus rationem Deo reddere nos oportet. Et hoc eſt quod ait, *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum* &c. Vnde hic ait Ambroſ. Qui didicerit iuſtitias Dei, loquitur verba Dei: & qui verbum Dei loquitur, ocioſum verbum nõ loquitur. Ocioſum verbum eſt loqui opera hominũ. Et ideo poſtulat ſibi à Deo dari gratiam, vt non loquatur os ſuum opera hominũ, quia ocioſum verbum eſt: nec ſolùm ocioſum, ſed etiã periculoſum: pro quo rationẽ reddituri ſumus. Omne enim verbum quodcunque locuti fuerint homines, reddẽt pro eo rationem. Non enim mediocre periculum eſt, cùm habeas eloquia Dei tãta & opera quæ fecit in Geneſi, quæ fecit in Exodo, fecit in Leuitico, in Numeris, Deuteronomio, Ioſué, Iudicum libro, Regnorum atque Eſdræ libris fecit: in euangelio, vel in actibus Apoſtolorũ: ſi illis prætermiſſis, loquaris quæ ſæculi ſunt, audias quæ ſæculi ſunt. Vtinam ergo & linguã tuam ſpinis ſepias quę compungunt & vulnerant loquentem quæ mũdi ſunt. Ideo aduerſarius etiam orantibus frequenter ſeculares effundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena vel ſuperflua, quanto magis non debemus alloqui: cùm dicat vnicuique noſtrũ ſcriptura venerabilis, Argẽtum & aurum alliga, & ori tuo fac iugum: & pondus alliga ſenſum tuum: fida taciturnitate alliga ſermones tuos, & impone iugũ ori tuo, ne indomita verborũ ceruice ſe iactet? Impone pondus, vt cautè omnia quæ loquimur trutinemus examine. Quibus tamen ſpinis vt ſepias aures tuas ſcriptura dicit tibi, niſi contrito corde & timore iudicij? Salubriter iſta compungunt: ſtimulant iſta, non vulnerant: licet & vulnera vtilia ſint amici. Sed quæ ſunt verba quæ loqui & pronuntiare debes: ſubdit, ſcilicet quia dicere debes, *Omnia mandata tua æquitas.* Iuſtus enim iudex ſcienter nihil mandat iniuſtum. Et ſi iniuſtum aliquid mandare ipſum contingat, defectus non eſt in volũtate, ſed in intellectu. Cùm ergo iuſtus ſit Deus, & intellectus eius errore decipi non poſſit, ſequitur quòd nõ mandat niſi iuſta. Et hoc eſt quod hic dicit Ambroſ. *Omnia mandata tua æquitas.* Quia iuſtus eſt Deus, non poteſt niſi iuſta mandare. Mãdatum Dei eſt, vt diligas Deum & proximum. Mãdatum Dei eſt, non occides, non adulterabis, non furaberis, non concupiſces. Et ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc mandato inſtauratur, Diliges dominum & proximum tuum. Cum ergo hoc mandatum ſit iuſtitia, & in iſto omne mandatum inſtauretur: conſequens eſt quòd omnia mandata Dei ſunt æquitas. Quid enim tam iuſtum eſt, vt diligas Deum tuum, diligas & fratrem tuum? Vtique ergo omnia mandata Dei æquitas ſunt. Sicut enim qui occidere vult fratrem, vtique nõ diligit eum quem fraudare deſiderat: ita qui ſuperbè deſpicit fratrẽ, qui eum deformare conatur, qui paſcitur eius iniuriis, à cõſortio charitatis eſt alienus. Quæ omnia à diuinis prohibentur mandatis. Securè ergo hoc prædica, hoc pronũtia: hoc obſequium Dei eructa Deo, dicens, *Omnia mandata tua æquitas.*

*Math. 10.*

*Doctor eſt Dei miniſter.*

*[...] verba [...] quæ de [...] mundi [...]ntur.*

*[...] prædi[...] dicta [...]rum.*

*Math. 12.*

*Eccleſ. 28.*

*Mãdata Dei omnia ſunt æquitas.*

*Leuit. 19.*

*Matth. 5.*

*Deuter. 6.*

## Fiat manus tua vt ſaluet me: quoniam mandata tua elegi. 2246

Hic ponit quintum: ſcilicet mãdatorum obſeruationem. Obſeruatio autem mãdatorum Dei ſtat in ipſorum dilectione: teſte Chriſto, Ioan. 14, Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Illud autem quòd quis diligit, illud eligit. Et ſic electio rei, ſignum eſt dilectionis illius. Volens ergo Pſal. correctus oſtẽdere ſe ſeruaturum Dei mandata, oſtendit quòd illa diligit. Hoc autem oſtendit, quia illa ſibi eligit. Vnde ait, *Fiat manus tua* &c. *quoniam mandata tua elegi.* Notandum quòd per manum Dei in ſcriptura intelligitur ipſe Dei filius, per quem omnia facta ſunt: quia ſicut nos manibus operamur, ſic & De⁹ filio ſuo omnia fecit. Ioã. 1, Omnia per ipſum facta ſunt. vide verſic. 197. Et iſtam manum, ſcilicet Dei filium, ſancti deſiderabant: vt quæ omnia fecerat, ipſa fieret: id eſt vt Dei filius fieret homo, vt per ipſum genus humanum ſaluaretur. Hanc manũ quęrebat alibi Pſal. dicens, Emitte manum tuam de alto: eripe me & libera me. Conſimiliter & nunc, vt ipſa manus fiat pro noſtra ſalute implorat Pſal. dicẽs, *Fiat manus tua vt ſaluet me.* Et maximè hoc dicere competebat ſanctis martyribus, & prædicatoribus, contra quos inſultus mundi ſurgebat, quia fidem Chriſti prædicabant. Vnde hic ait Auguſt. Quia vidit Pſalm. quæ pericula ſecutura ſunt à cõtradicentibus & perſequentibus, cum fuerit pronuntiator eloquiorum Dei: ideo ſupplicat, dicens, *Fiat manus tua vt ſaluet me: quia mandata tua elegi.* vt nõ timerem: nec ſolum cor meum teneret, ſed etiã lingua pronuntiaret eloquia tua. Mandata enim tua elegi, timoremq; amore compreſſi. Fiat ergo manus tua vt ſaluet me de manu aliena. Sic autem ſaluos Deus martyres fecit, cum eos in anima nõ permiſit occidi. Nam ſecũdum carnem vana ſalus hominis. Et ſubdit magis ad propoſitum, dicens, Poteſt etiam accipi, vt manus Dei Chriſtus intelligatur, per quem facta ſunt omnia. Non enim erat factus vnigenitus, cum per eum facta ſunt omnia: ſed factus eſt ex ſemine Dauid, vt eſſet Ieſus, id eſt ſaluator,

*Pſalm. 143.*

*Pſal. 59.*

*Ioan. 1.*

uator,qui iam erat creator. Conſimiliter manum hic accipi pro filio Dei oſtendit Ambroſ.dicens, *Fiat manus tua vt ſaluet me.* Hic aduētum domini videtur orare: quia manus Dei Chriſtus eſt.ipſum legimus dexteram Dei, de qua ſuprà ait, Dextera domini fecit virtutem &c. Cur ergo hic manum dixit,niſi fortè non ſolum propter diuerſitatē gratiæ,quam ſcriptores prætermittere non ſolent, ſed propter quandam proprietatem manuum dictum eſt:vt ibi dextera dicatur, vbi ſcribitur quòd exaltauit cum virtute:& hic manus,vbi intelligi oportet quòd cum humilitate ſeruauit? Vel aliter: hic per manum intellige virtutem & poteſtatem Dei. vide verſic.125.466.1215.Et iſtum ſenſum hic etiā ponit Ambroſ.dicens, Potes etiam ſic intelligere manus domini,ſicut dicitur in Eſaia,Magna eſt manus illius regis:id eſt potentia:vt hic etiam intelligamus,*Fiat manus tua*:id eſt fiat adiuuamentum tuū atque ſubſidium: vt ſcilicet mittas angelos tuos, opem tuam, ſubſidia pœnæ tuæ ad liberādum populum tuum.Qui ergo eligit mandata Dei, vtitur confidentia vt cum auctoritate depoſcat ſibi domini ſubſidia:dicens,*Fiat manus tua vt ſaluet me.*

*Pſal.117.*

*Manus Dei ſignificat potentiam Dei.*

2247 **Concupiui ſalutare tuum domine: & lex tua meditatio mea eſt.**

Hîc ponit ſextum:ſcilicet legis meditationem. Vt enim prædictum eſt,qui corrigitur à domino vt tranſeat de errore ad veritatem, gratiam à Deo receptam aliis debet prædicare:ſicut iſte ait, *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum.*Prædicator autē omnia ſua verba in lege Dei fundare debet, non in fabulis poetarum.Et ideo neceſſe eſt vt legē Dei meditetur. Propter quod dicit Gregor. Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat,neceſſe eſt vt cauſarum origines à ſanctis ſcripturis ſumat:vt omne quod loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet; atque in eo ædificium ſuæ locutionis firmet.Certum eſt autem quòd iſtud facere nō poſſet,niſi meditationē legis haberet.Et ideo Pſal. qui promiſit ſe pronuntiaturū eloquium Dei,nūc legis meditationem ſe dicit habere,dicens, *Concupiui ſalutare tuum domine: & lex tua meditatio mea eſt.* Vbi notādum quòd ſalutare Dei dicitur Chriſtus: vnde quando Simeon Chriſtum ſuſcepit in vlnis, dixit,Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuū in pace:quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Iſtud ſalutare concupiſcit quilibet fidelis,non ſolùm ſibi,ſed aliis omnibus, qui vult omnes ſaluos fieri. Vnde hic ait Auguſt. *Concupiui ſalutare tuum domine:*etiam nolētibus omnibus inimicis ſalutare Dei nobis Chriſtus optat. Ipſum ſe concupiſſe iuſti antiqui veraciſſimè confitentur. Ipſum concupiuit eccleſia venturum de viſceribus matris. Ipſum concupiſcit eccleſia vēturum à dextera patris. Sed quia lex prædicebat Chriſtum eſſe venturum,ideo pro deſiderio Chriſti,legem meditabatur.Per hoc enim vult Pſalm. differentiam dare inter mundanos & iuſtos: quia mundani ſolùm quærunt ſalutare corporis,quod procurant medici cum diſpendio animæ,& ideo ipſis non eſt obediendum: ſed iuſti ſalutare animæ procurant, & à medicis mundi ſalutem non quærunt. Et hoc eſt quod hic ait Ambroſ.dicens, *Cōcupiui ſalutare tuum domine.*Alius longæuitate iſtius vitæ delectatur, & concupiſcit vſque ad depoſitæ ſenectutis tempora corporis huius vitam perducere. Alij franguntur ęgritudinis infirmitate,de quibus nemo poteſt dicere,Cum infirmor,tunc potēs ſum:beatos ſe putant,ſi inoffenſa valetudinis commoditate potiantur, quibus non eſt infirmitas ad ſalutem: horum nullus poteſt dicere,*Concupiui ſalutare tuum.* Suam enim ſalutem magis quàm ſalutem Dei quærunt: medicis potius quàm ſcripturis obedientes. Contraria autem ſunt ſtudio diuinæ cognitionis præcepta medicinæ.A ieiunio reuocant,lucubrare nō ſinunt,ab omni intentione meditationis abducūt. Itaq; qui ſe medicis dederit, ſeipſum ſibi abnegat. Qui autem quærit ſalutem Dei, Chriſtū ſequitur, qui dicitur ſalus Dei: non quæ corporis, ſed quæ æterna ſunt quærens:cum hoc corpore conſeruetur,quòd ſalus quæritur. Qui autem ſalutem Dei quærit,die vtique & nocte meditatur in lege.Iugis meditatio eſt illi diuinorū decretorum:neq; aliqua cura corporis huius auertitur à ſtudio diſciplinæ.

*Prædicator ſacrā ſcripturā pro fundamēto debet habere.*

*Gregor.18. moral.ca.14.*

*Salutare Dei dicitur Chriſtus.*

*Lucæ 2.*

*2.Corint.11.*

*Medici cum ſalutē animæ, ſalutē corporis quærunt.*

**Viuet anima mea,& laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.** 2248

Hic ponit ſeptimum: ſcilicet commēdationem iudiciorum Dei.Pœnitens enim ſe volens corrigere,omnem pœnam pro ſatisfactione erroris pręteriti libenter debet ſufferre, & in aduerſis Deū laudare, conſiderās quòd per Dei iudicia anima viuit vita gratiæ.Et hoc inſinuans Pſalm.dicit,*Viuet anima mea,& laudabit te* &c.Et quòd iudiciis Dei ad vitam ſpiritualem ſit reducta oſtendit,dicens,*Et iudicia tua adiuuabunt me.* Quid enim ſunt Dei iudicia, niſi aduerſa & flagella,quibus pro peccatis noſtris in præſenti Deus nos corrigit? dicente Apoſtolo, Dum autem iudicamur, à domino corrigimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Et hoc eſt quod hic ait Pſal.*Iudicia tua adiuuabunt me:*quia corrigent me: & ex hoc viuet anima mea & laudabit te. Vel aliter: vt iſta ſint verba eccleſiæ, quæ per iudicia Dei pœnas & perſecutiones martyrum,creuit toto orbe terrarum. Ex quo meritò ad laudem Dei cōſurgit,dicens, *Viuet anima mea,& laudabit te* &c. Et iſtam expoſitionem ponit hic Auguſt.dicēs, Iudicia quippe Dei ſunt illa de quibus dictum eſt, Tēpus eſt vt incipiat iudiciū à domo Dei:ſcilicet perſecutiones eccleſiæ & ſanctorum martyrū.Et quis non videat quantum adiuuerit eccleſiam ſanguis eccleſiæ ſparſus:quanta ex illo ſemine fidelium regum, principum & populorū multitudo ſurrexit? Vel aliter:vt hic textus nō intelligatur de vita præſentis ſæculi, ſed de vita gloriæ: quæ verè ac propriè vita dicitur:quia ibi nulla mors,nulla infirmitas,nullus dolor poteſt habere locum. Vnde de vita beata in perſona cuiuſlibet pœnitētis & afflicti vel propter Deum perſecuti dicit Pſalm. *Viuet anima mea,& laudabit te* &c. Et hunc ſenſum ponit hic Ambroſ.dicens,*Viuet anima mea,& laudabit te.*Futuræ itaque vitæ non præſentis remuneratione ſibi blanditur.Hæc enim quomodo vita dici poteſt,de qua ſcriptum eſt, Et in puluerem mortis deduxiſti me?Quàm multi viuētes in inferno ſunt!Ipſe Paulus cupiebat de morte corporis huius liberari,qui verè cupiebat ſalutare Dei:dicens, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.multo enim melius:permanere autem in carne magis neceſſarium quàm volūtariū.Quomodo ergo viuit hic anima operta mortis inuolucro?Aut quæ eſt vita quę in vmbra eſt?In regione vmbræ mortis ſumus. Hic abſcondita eſt vita noſtra non libera.Erit autem libera in regione viuorū.Ibi ergo viuit anima noſtra,vbi nihil mortale,nihil infirmum,nihil debitum pœnæ. Ibi verè laudabit dominum, vbi depoſito infirmitatis corpore cōformis eſſe cœperit gloriæ corporis Chriſti.Nam dum in peccato ſumus,laudare plenè non poſſumus. Peccatori enim dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas? In vmbra ſumus hic poſiti: in vmbra viuimus:in vmbra laudamus:in terra aliena ſumus.Audiſti in poſterioribus dicentes,Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Sic ergo iuſtus expectans vitam beatam dicit, *Viuet anima mea,& laudabit te.*Sequitur, *Et iudicia tua adiuuabunt me.* Quæ ſunt iudicia Dei, niſi quibus vnicuiq; retribuet ſecundum opera eius:bonis ſcilicet præmium:malis autem ſupplicium? Hæc iudicia iuſtos adiuuant, dum ſe vident gratia Dei de peccato ereptos, pro Chriſti nomine perſecutos, operibus mandatorum Dei fuiſſe intentos. Conſideratio enim iſtorum iudiciorum Dei iuſtos iuuat & erigit vt Dei gratia æterna præmia ſperent. Et hoc eſt quod iuſtus dicit,Et iudicia tua adiuuabūt me.Vnde hic Ambroſ.ait,Adiuuant autem Dei iudicia ſanctos,cum bonis operibus remuneratio vitæ cōfertur æternæ.Beatus qui dicit,*& iudicia tua adiuuabunt me.* Ego autem infirmus, ego peccator timeo iudicia Dei,propter conſcientiam delictorū quæ mihi terrorem afferunt,me agitāt,ſanctos adiuuant. Sed tamen iuuant etiam peccatorem: ſed modo diuerſo. Sanctus adiuuatur dum probatur: peccator adiuuatur dum humiliatur,dum caſtigatur vt peccata ſoluat duplicia,dum opus eius exuritur vt ipſe ſaluus fiat, ſic tamen quaſi per ignem. Vel aliter:in vltimo iudicio ſancti iudicabunt cum Chriſto:ipſo dicente,Vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me &c.iudicantes &c. Peccatores autē iudicabuntur,ſed non iudicabūt. Ille ergo iudicio dicitur dignus(ſcilicet actiuo) qui iuſtus eſt. Iudicia ergo Dei ſanctos adiuuāt:quia tunc iudicio digni reperientur,non vt iudicentur, ſed vt alios iudicent. Et iſtum ſenſum etiam hic approbat Ambroſ.dicens,*Et iudicia tua adiuuabūt me.* Fortaſſis etiā & hic conuenit ſenſus:ſi dignus fuero iudicio, dignus ero vt exuar à conſortio reproborū, ſiue impiorum:quoniam non reſurgunt impij in iudicio. *Et adiuuabunt me iudicia*: quoniam qui credit in domino, non iudicatur.Proderit illi fides & ſuffragabitur ad veniam, etiam ſiqua in operibus offenſa ſit.Vel hic potes notare quòd iudiciū Dei eſt multiplex:ſcilicet vltionis,diſcretionis,iuſtificationis, & remunerationis. Loquitur ergo hic de iudiciis iuſtificationis & remunerationis.

*1.Corint.11.*

*Pœnis creuit eccleſia.*

*Vita propriè non eſt in præſenti, ſed in patria.*

*Philip.1.*

*Pſal.49.*

*Pſal.136.*

*Iudicia Dei iuſtos adiuuant.*

*Math.19.*

2249 **Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum domine: quia mandata tua non ſum oblitus.**

Hîc ponit octauum: ſcilicet peccati cōfeſſionē. Confeſſio enim eſt neceſſaria omni volenti ab errore ad veritatem reduci. Quoniā(vt ſcribitur Prouerb.28)Qui abſcōdit ſcelera ſua, non iuſtificabitur:qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea,miſericordiam conſequetur. Sic & nunc Pſalm. hoc ſuo exemplo nos facere docet, dum proprium errorem confitetur,dicēs,*Erraui ſicut ouis* &c. Loquitur enim iſte in perſona totius humani generis, quod totum in Adam errāte perditum fuit: ſed per Chriſtum quæſitum fuit,& ex parte inuentum,ex parte non. Et adhuc per Chriſti membra, ſcilicet ſanctos doctores,quæritur, vt ad verum paſtorem reducatur.Vnde hic ait Auguſt. Ouis perdita quęritur vt viuificetur: propter quam paſtor eius nonaginta nouem dimiſſis in montibus,& eam quærēs,Iudaicis laceratus eſt vepribus:ſed adhuc quæritur.Ex parte enim inuenta eſt: pro qua parte dicit iſte,*mandata tua non ſum oblitus.* Sed per eos qui mandata Dei eligunt,colligunt,& deligunt,adhuc quæritur: & per ſui paſtoris ſanguinem fuſum in omnibus gentibus inuenitur. Vel aliter hic Pſalm. in perſona iuſtorum recognoſcēs errorem primorum parentum in omnes paſtores diffuſum,confitens illum, Chriſti deſiderat aduentum quo reuocetur ad paradiſum,quem primorum parentū peccato perdidimus. Et iſtum intellectum hic diffusè ponit Ambroſ.dicēs, *Erraui ſicut ouis* &c.Ouis quæ errauit,quærēda eſt à paſtore ne pereat.Ideo dicit, *Erraui.* Dic & tu iniquitates tuas vt iuſtificeris. Quòd lapſum feceris, in eo tibi cum omnibus cōmune conſortium eſt:quia nemo ſine peccato.Negare hoc ſacrilegiū eſt. Solus enim Deus ſine peccato eſt.Cōfiteri hoc Deo,impunitatis remedium eſt.*Erraui*,inquit.Sed qui errauit in via,poteſt redire in viam,reuocari poteſt.Et pulchrè addidit:*Sicut ouis quæ periit.* Non enim ex toto perit qui agnoſcit errorem. *Quære* (inquit) *ſeruum tuum: quia mandata tua non ſum oblitus.* Veni ergo domine Ieſu, quære ſeruum tuum:quære laſſam ouem tuā.Veni paſtor, quære ſicut ouem Ioſeph.Errauit ouis tua dum tu moraris in montibus. Dimitte nonaginta nouem oues tuas, & veni vnam ouem quærere quæ errauit.Veni ſine canibus:veni ſine malis operariis:veni ſine mercenario qui per ianuam introire non nouit:veni ſine adiutore,ſine nuncio: iamdudum te expecto venturum.Scio enim te vēturum, quia mandata tua non ſum oblitus. Veni non cum virga:ſed cum charitate ſpiritúſq; māſuetudine. Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta nouē oues tuas,quia in montibus conſtitutas lupi rapaces incurſare nō poſſunt.In paradiſo ſemel nocuit ſerpens:amiſit ibi eſcam poſtquam Adam inde depulſus eſt, illic iam nocere non poterit.Ad me veni,quem luporum grauis impugnat incurſus. Ad me veni, quem eiectum de paradiſo ſerpentis diu vlceris venena pertentāt:qui erraui è gregibus tuis illis ſuperioribus. Nā & me ibidem collocaueras: ſed ab ouilibus tuis lupus nocturnus me auertit. Quære me,quia te requiro:ſuſcipe me, porta me. Potes inuenire quem tu requiris.Dignare ſuſcipere quem inueneris, imponere humeris quē ſuſceperis.Non eſt piū onus faſtidio tibi. Non tibi oneri eſt vectura iuſtitiæ.Veni ergo domine: quia etſi erraui,mandata tua non ſum oblitus. Spem medicinę reſeruo.Veni domine:quia & erraticam ſolus es reuocare qui poſſis:& quos reliqueris,nō iuſtificabis.Et ipſi enim peccatoris reditu congratulabuntur.Veni vt facias ſalutē in terris,in cœlo gaudium.Veni ergo & quære ouem tuam, iam nō per ſeruulos,nō per mercenarios, ſed per temetipſum. Suſcipe me in carne,quæ in Adam lapſa eſt. Suſcipe me,non ex Sara, ſed ex Maria:vt incorrupta ſit mater & virgo. Porta me in cruce quæ errantibus ſalutaris eſt:in quā ſola eſt requies fatigatis:in qua ſola viuunt quicunq; moriuntur.Et aduerte quòd iſte textus variatur.Nam aliqui codices habent,*Erraui ſicut ouis quæ periit:viuifica ſeruum tuum.*Et tamen ſententia eadem eſt.Pulchrè enim *viuifica* poteſt dici,eo quòd mori nō poſſit quem humeris ſuis virtus portauerit. Et nota quòd in vltimo verſiculo iſtius magni Pſalmi, Pſalm.ſuum recolit errorem: qui

*Math.18.*

*Confeſſionis vtilitas.*

*Incarnationis deſideriū antiquorum.*

*Lucæ 15.*

*Geneſ.3.*

*Quærit Chriſtus nos & nos quærimus Chriſtum.*

*Crucis virtus.*

*Humilitas iuſtis eſt neceſſaria.*

A qui tamẽ tot ſpiritualibus donis à Deo in iſto Pſal. ſe dotatũ prædixit. Hoc ideo facit vt erroris recordatio humilitatem conſeruet:& omne bonũ quod habet,nõ ſibi ſed gratiæ Dei attribuat. Et hoc hic notat Gl.dicens,Congruè verò poſt prædictorum meritorum gradus veteris recolit erroris:vt de ſua perfectione nõ ſuperbiat, ſed humilis Deo tribuat totum:quia non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos,ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.Vt cum omnia bene fecerimus,dicamus,Serui inutiles ſumus. Hac humilitatis profeſſione liberari meremur. Vnde in Ezechiele, Illi ſoli liberantur,in quorum frontibus Thau ſignum reperitur. Quia aliter humana conditio lapſa non recreatur, niſi eradicatis veteris vię erroribus, frons innouata virtute humilitatis inſigniatur.

*Ad Titũ 3. Lucæ 17.*

*Ezech.9. Thau ſignum ſignificat humilitatem.*

# PSALM. CXIX.

2250 **AD dominum cum tribularer clamaui,& exaudiuit me.**

Iſte Pſalm.habet hunc titulum,Canticum graduum.Et conſimilem titulum habent omnes quatuordecim Pſalm.ſequentes. Vnde iſte Pſalm.cum quatuordecim ſequentibus dicuntur Pſalm. graduales.Cuius ratio eſt:nam templum per Salomonem ædificatum,erat in alto fundatũ: ſic quòd per quindecim gradus aſcendebatur ad illud.Qui gradus erant diſtincti per quinque ter:ſic quòd in capite quinque graduũ erat maius ſpacium.ſic quòd quintus gradus multo erat latior quàm forent primi quatuor. Et ſimiliter in ſecundo quinario: ſic quòd gradus decimus erat latior. Sic & vltimus, ſcilicet quintuſdecimus. Fuit autem ordinatũ per ſacerdotes tẽpli,quòd quando ipſi ſacerdotes aſcẽdebant in templũ ad ſacrificia offerenda & ad laudes Deo cantandas,quòd ipſi proceſſionaliter pergebant,cantando Dei laudes,& hoc maximè in ſolennibus diebus fiebat.Vnde ſicut Gregor.qui ordinauit officium diuinum, ordinauit quòd aliqui Pſalm.cantarentur in feſtis Apoſtolorum:alij in feſtis martyrum &c.Sic aſcendendo ad templum ordinauerunt quòd in iſtis quindecim gradibus iſti quindecim Pſalm.cantarentur. Sic quòd in primo gradu cantabant primum Pſalm.in ſecundo,ſecũdum:in tertio,tertiũ &c.Et quando erant in quinto gradu,aliqualem moram ibi faciẽdo poſt quintum Pſalmum,dicebant aliquas orationes: conſimiliter in decimo, & in decimoquinto. Sicut hodie facit eccleſia, quæ completo primo quinario, aliquas orationes dicit:ſimiliter completo ſecũdo quinario,conſimiliter & de tertio. Iſti ergo quindecim Pſalm.ad literam dicuntur Pſal. graduales, vel Canticum graduũ:quia in illis quindecim gradibus aſcenſus templi cantabantur à ſacerdotibus & Leuitis. Et ſic apparet titulus omnium iſtorum quindecim Pſalmorum,qui eſt,Canticum graduũ, quare ſic intitulentur.Quãtum verò magis ad ſenſum propheticum,notãdum eſt, quòd iſti quindecim Pſalm. ſignificant legem antiquam & legem euangelicam:quarum obſeruationibus quaſi quibuſdam gradibus aſcẽdimus ad cœleſtia. Nã quindecim conſtant ex ſeptem & octo. Septenarius autem numerus pertinet ad legem veterem, octonarius autem ad nouam.Cuius ratio eſt.Lex enim antiqua ſeptenario numero ſignificatur eo quòd

*Pſalmi graduales.*

*Septem ſignificat legẽ antiquam.*

A lex illa ſeptimum diem celebrabat(id eſt ſabbathũ) ſeptimam ſeptimanam, ſeptimum menſem, ſeptimum annum.Et quinquageſimum annum,ſcilicet iubilæum,qui immediatè ſequitur poſt ſepties ſeptem annos. Octonarius verò numerus ſignificat legem nouam,quæ octonario ſeruit:quia lex noua ſeruat octauum diem qui dominicus dicitur,& octauas martyrum, & octauam reſurrectionis expectat.Et ideo per octonarium & ſeptenariũ, quæ faciũt quindecim,gradus legis nouę & antiquę figurãtur,quibus aſcenditur ad Deum.Si autẽ quæras magis diſtinctè qui ſint iſti quindecim gradus per iſtos quindecim Pſal.figurati:eſt ſciendũ quòd tres ſunt gradus illorum qui ad patriam tendunt: ſcilicet gradus incipientium,gradus proficiẽtium, B & gradus perfectorum. Vnde primi quinque Pſal. ſpectant ad incipientes,ſecundi quinque ad proficientes,& tertij ad perfectos.Circa gradum autem incipientium eſt notandum quia incipiens aggredi ſtatum virtutum,multam patitur difficultatem & turbationem propter impugnationem tẽtationum & propter repreſſionem vitiorum: cui aſſuetus non erat.Similiter ſi incipit ieiunare vel orare, quod facere non conſueuerat, ſenſualitas reſiſtit, turbatur,& dolet,murmurat. Et ideo talis neceſſe habet primò recurrere in ſuis tribulationibus ad dominum vt conſoletur ab ipſo. Et hoc ſignificat primus Pſalm.dicens,*Ad dominum cum tribularer* &c. Secundò inuocato domino ex hoc concipit quandam fiduciam per Dei adiutorium de poſſibilitate C habendi victoriam. Et quantum ad hoc ſequitur Pſalm.dicens,Leuaui oculos meos in mõtes. Tertiò conſiderato ex ratione pręmiſſa concipit ſpem diuini adiutorij,ex quo exultare incipit mente: & hoc eſt quod ſequitur, Lætatus ſum. Quartò ex præmiſſis cõcipit ſpem perueniẽdi ad cœleſte præmium: vnde iam terrenis deſpectis cor ad cœleſtia leuat dicens,Ad te leuaui oculos meos &c. Quintò ex his humilitate concepta,nullum bonum ſibi tribuit:ſed totum recognoſcit à gratia Dei,dicens, Niſi quia dominus erat in nobis, dicat nũc &c.Et ſic iſte primus quinarius ſpectat ad incipiẽtes. Secundus autem quinarius magis ſpectat ad proficientes: qui quinque gradus habent. Primò quia iam ſedatis paſſionibus per virtutum exercitium, D confidit Dei adiutorio in bono ſtabiliri atque firmari,dicens, Qui confidunt in domino ſicut &c. Secundò iam liberatus à paſſionibus quæ ipſum prius captiuum tenebant, ad diuinas contemplationes aſſurgit conſolatus,dicens,In conuertendo dominus captiuitatem &c. Tertiò iam charitate proximi accenſus,perfectionem quam iam Dei adiutorio habet, in proximos effundere cupit. Sed quia ſcit ſine Deo ædificium ſpirituale cõſtrui vtiliter non poſſe, ad hoc Dei adiutorium implorat, dicẽs,Niſi dominus ædificauerit domũ &c. Quartò quòd ex ædificatione proximorum non quærit præmium terrenum, ſed gratis hoc facit, dicens, Beati omnes qui timent dominum:&c.Quintò ne à prædictis perfectionibus cadat, quærit aduerſis E exerceri,vt ſibi præſens mundus vileſcat:ibi, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,dicat &c. Et ſic ſecundus quinarius ſpectat ad proficiẽtes. Tertius quinarius ſpectat ad perfectos. Perfectorũ autem multiplex eſt gradus. Primus ſcilicet vt nõ ſolùm aduerſa patienter toleret & optet:ſed etiam vt pro perſecutoribus Deum oret, exemplo Chriſti, qui pro perſecutoribus patrem orauit in cruce. Et ad

*Octo ſignificat legem nouam.*

*Pſalmorũ gradualium diſtinctio.*

*Pſal.120. Pſal.121. Pſal.122. Pſal.123. Pſal.124. Pſal.125. Pſal.126. Pſal.127. Pſal.128.*



A hoc ſpectat primus Pſalm.iſtius quinarij: ſcilicet De profundis.Vnde orando pro inimicis dicit, Si iniquitates obſeruaueris domine &c. Secundus gradus eſt, quia ex tali perfectione qua homo pro inimicis orat,plerumque inſurgit: & faciliter omnes motus propriæ elationis inſtigante diabolo, qui perfectis hominibus maximè inſidiatur. Ideo ſecundus gradus perfectorum eſt, vt perfectione habita, omnis motus elationis reprimatur: ſic ꝙ nullum veſtigium vel ſignum etiam appareat exterius. Et hoc eſt quod dicitur in ſecundo Pſalm. Domine non eſt exaltatum cor meum,neque elati ſunt &c.Tertius gradus eſt vt quicquid habet homo perfectus,vel poteſt opere vel corde,totum diuinis applicet obſequiis. Ideo dicitur in tertio B Pſalm. Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius:ſicut iurauit domino votum vouit Deo Iacob. Quartus eſt, vt homo ſit in charitate perfectus,in dilectione Dei & proximi, ſecundum modum qui habetur Actuum 4, Multitudinis autem credentium erat cor vnum &c. Et hoc eſt quod quarto Pſalm.dicitur,Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnum.Quintus gradus eſt vt homo in charitate perfectus obliuiſcatur huius ſæculi quantum poſſibile eſt fragilitati noſtræ, & occupetur laudibus diuinis. Et hoc eſt quod in quinto Pſalm.dicitur, Ecce, nunc benedicite dominum omnes ſerui domini. Iſtam tamen diuiſionem Pſalmorum gradualium non ſequemur, ſed quemlibet per ſeipſum diuidam: C non ipſum ligando cum aliis,ſed ſeparatum per ſe quemlibet tractando, vt ſuperius feci. Iſtis ergo præmiſſis deſcendo ad Pſalm.cuius auctor ex titulo non apparet.vnde inter Pſalm.ignotos computatur. De materia Pſalm.literali dicunt doctores quòd iſte Pſalm.fuit quædam deuota oratio alicuius viri ſancti ſupplicantis pro liberatione populi Iudaici à captiuitate Babylonica, vel à captiuitate Romana,qua vſque hodie ſunt diſperſi per orbem. Multi enim Pſalm. & à diuerſis prophetis pro liberatione ab illis captiuitatibus facti fuerunt, vt patet ex præcedentibus: vt in pluribus autem iſte Pſalm. applicatur ad captiuitatem Babylonicam. Vnde, quantum ad literam, iſte Pſalm.in tres partes diuiditur: quia primò poſtulatur dicta libera- D tio. Secundò prædicitur Babyloniorum punitio: ibi,*Quid detur tibi*.Tertiò deploratur prædictæ liberationis dilatio &c. Dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum, ſciendum quòd intentio Pſalmiſtæ eſt vt mente à mundo aſcendamus ad Deum. Aſcendimus autem ad dominum per tribulationes & aduerſa à quibus liberamur,quando de præſenti ſæculo nequam eripimur.Et duo facit: quia Pſalm.primò ponit ſuam ab aduerſis tribulationem:ſecundò plangit liberationis prolongationem; ibi, *Heu mihi*. Prima pars diuiditur in partes tres: quia primò Pſalm. oſtendit ſuam tribulationem:ſecundò exprimit ſuam orationem:ibi,*Domine*:tertiò apponit ſuam exauditionem:ibi, *Quid detur*. Quantum ad primum, Pſalm.primò exprimit E ſuam tribulationem. Vbi ſciendum quòd iſta dicuntur eſſe verba pœnitentis, qui quando rediens ad cor & conſiderans Dei offenſam, incipit dolere,& cogitat de peccato exire:tunc duplicem patitur tribulationem:ſcilicet intrinſecam & extrinſecam.intrinſecã, quia in ſeipſo tribulatur pro peccatis commiſſis:extrinſecam verò,quia ſtatim ten-

*Pſal.129. Pſal.130. Pſal.131. Pſal.132. Pſal.133.*

*Multis tribulatur dupliciter.*

A tationes ampliores dæmonum ſuſtinet, ac etiam malorum hominum: & plura ei aduerſa accidunt, vt amplius mundum deſpiciat. Et tunc cogitur clamare & orare ad dominum, vt ab aduerſitate peccatorum liberetur, & in aduerſis exterioribus protegatur.Et hoc eſt quod in perſona pœnitentis hic ait Pſalm. *Ad dominum cum tribularer clamaui* &c. Et hoc eſt quod hic ait gloſ. Cum enim cogitat homo proficere contempto ſæculo, ſoli Deo hærens:incipit pati amplius incurſus dæmonum, incipit pati linguas aduerſantium, id eſt detrahentium.Et quòd grauius eſt, adulantium quaſi conſulendo à ſalute auertentium. Tribulatur peccatis interius: vnde intentione cordis clamat ad dominum,vt inde eruatur. Sed quia deuotè clamantes B Deus exaudiuit,vt dicitur Pſalm.90, Clamauit ad me & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione &c.Ideo ſubdit Pſalm.*Et exaudiuit me*: Pſal. 33, Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus &c. Et ſi dicas quòd multoties tentationibus vel aduerſis tribulationibus preſſus clamat toto corde, nec tamen exauditur: vt patuit in Apoſtolo,2.Corint.12,qui tribulationes carnis ſuſtinens, ter rogauit dominum vt ſtimulus ille ab eo diſcederet: nec tamen exauditus fuit. Reſpondeo quòd exaudit Deus homines clamantes, tripliciter: ſcilicet quandoque ad votum & vtilitatem;quandoque ad vtilitatem, & non ad votum:& quandoque ad votum,& non ad vtilitatem.De hoc vide, verſic.1310.Et per iſtam diſtin- C ctionem patet quid dicendum. Qualiter etiam Deus clamantes exaudiuit,vide verſic.1584. Vnde tribulatos clamantes exaudit Deus, dum ſecundum metam tribulationis menſura tribuitur conſolationis.De hoc vide verſic.1626. Poſſunt etiam iſta eſſe verba Chriſti, qui tribulationes paſſionis in cruce ſuſtinens, clamauit ad dominum, vt de manibus perſecutorum erueretur: & per reſurrectionem glorioſam fuit exauditus. Vnde de ipſo ait Apoſtolus ad Hæbræos 5,Quod in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum qui poſſet illum ſaluum facere à morte,cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia. Vel aliter:iuſtos tribulatos ad dominum clamantes exaudiuit dominus. Quia etſi in præ- D ſenti vita ipſos tribulari permittit, in fine tamen ab omni ipſos tribulatione liberabit. Quod notatur Iob 5, vbi dicitur, In ſex tribulationibus liberabit te:& in ſeptima non tanget te malum. Quod ad propoſitum exponens Gregorius, ait, Quid enim ſenario numero quem ſeptimus ſequitur, niſi præſentis vitæ operatio decurſúſque ſignatur? Sexto quippe die omnia perficiens, hominem condidit,& ſeptimo die Deus requieuit. Qui ſcilicet ſeptimus veſperam non habet, quia ſubſequentem requiem nullus iam terminus claudit. Perfectis ergo omnibus, requies ſequitur: quia poſt bona præſentis vitæ opera, retributio æternæ quietis inuenitur. In ſex itaque tribulationibus nos dominus liberat,ne nos in ſeptima malum E tangat:quia per paternę pietatis eruditionem præſentis vitæ labore nos atterit,ſed in aduẽtu iudicis à verbere abſcondit: vt tanto tunc ad ſalutem certiores exhibeat,quanto nunc flagella durius ſecãt. Vel aliter.Dominus in tribulationibus diuerſis clamantes exaudit:non quidem ne tribulationes carnem pungant & infeſtent,ſed ne animam ſuperẽt.

*Quæſtio.*

*Tribulatos clamantes exaudit deus.*

*Chriſtus clamans fuit exauditus.*

*Gregor.6.moral.cap.18.*

*Geneſ.1.*

11 Vnde

Vnde notat Bernardus, ſuper præallegato verbo Iob 5, In ſex tribulationibus liberabit te &c. quòd in præſenti ſeptem tribulationes patimur, quas iuſti gratia fulti ſuperant: dicens, In ſex tribulationibus liberabit te &c. Prima tribulatio & occupatio grauis eſt, ipſa neceſſitas huius corporis grauis, quod dum cibum, dum ſomnum, dummodo veſtimentum cæteráque ſimilia quærit, frequẽter tribulat nos & impedit ab exercitio ſpirituali. Secunda tribulatio, tribulant nos vitia cordis: vt eſt leuitas cordis, ſuſpicio impatientiæ & iracundię motus, inuidiæ morſus, laudis appetitus: & ſimilia quæ quotidie experimur in nobis. Tertia & quarta tribulatio eſt proſperitas & aduerſitas huius mundi. Nota me hic dicere tribulationem, quia impediat ab exercitio: in vtroque tamen cauendum eſt à laqueo tentationis, & quærenda ſunt arma à dextris & à ſiniſtris. Quinta tribulatio eſt ignorantia noſtra. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debemus: ita vt quid oremus ſicut oportet neſcimus. Sexta tribulatio eſt, aduerſarius noſter, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Atque vtinam in ſex iſtis tribulationibus liberaremur: vt vel in ſeptima non tangeret nos malum, periculum ſcilicet in falſis fratribus. Vtinam ſoli impugnarent nos maligni ſpiritus cum ſuggeſtionibus ſuis, & nihil nocerent homines pernicioſis exemplis, perſuaſionibus importunis, ſermonibus adulatoriis & detractoriis, atque aliis multis modis. Vides certè quàm neceſſarium ſit aduerſus has ſeptem tribulationes quibus impedimur: vt ſeptiformi ſpiritus ſancti auxilio ſubleuemur: vt ad dominum clamantes protegamur ab ipſo: ſperantes auxilium obtinere in tempore opportuno: exemplo Pſalmiſtæ dicentis, *Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.*

*Septẽ tribulationes ſunt præſentis vitæ.*

*1. Petr. 5.*

*2. Corint. 11.*

2251 ## Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

Hic exprimit formaliter ſuam orationem. Quãuis enim omnis prædictarum tribulatio hominem vexet & impediat: tamen ſeptima periculum in falſis fratribus maximè nos impugnat. Et ideo ab iſta ſingularius liberari affectat, ſperans quòd ſi iſtam ſuperet, quòd à nulla aliarum ſuperabitur. Vnde quanti periculi ſint labia iniqua & lingua doloſa, & quid ſint, hic oſtendit Auguſt. dicens, Quæ eſt lingua doloſa & ſubdola? quæ ſcilicet habet imaginem conſulendi, & perniciem nocendi. Ipſi ſunt qui dicunt, Et tu hoc facturus es quod nemo fecit? Et tu ſolus eris Chriſtianus? Et ſi oſtenderis hoc alios facere, & legeris euangelium vbi hoc fieri dominus præcipit, & legeris actus Apoſtolorum: illi quid dicunt in lingua ſubdola & labiis iniquis? Non potes fortè implere, multum eſt quod aggrederis. Alij prohibendo deterrent: alij laudando plus premunt. Quia enim talis vita eſt, quæ iam occupauerit mundum, tanta auctoritas Chriſti eſt, vt reprehendere iam Chriſtum nec paganus audeat. Legitur ille qui reprehendi non poteſt: quia dixit, Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & ſequere me. Chriſto contradici non poteſt. Conuertit ſe doloſa lingua ad laudem prohibentem. Sed ſi laudas, hortare. Quare laudando premis? Melius enim eſt me vituperare, quàm doloſè laudare. Quid enim diceres vituperando? Abſit. Fœda iſta vita eſt: mala iſta vita eſt. Sed quia noſti cum hoc dixeris, premi te poſſe auctoritate euangelica, conuertis te ad illud diffamando genus: vt laudando me falsò, à vera laude prohibeas, dicens, Quid eſt hoc? Ecce illi fecerunt: fortè tu non poteris. Incipis aſcendere, cadis. Monere videtur, ſerpens eſt: doloſa lingua eſt, venenum habet. Roga ergo contra illam ſi vis aſcendere: & dic Deo tuo, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Vel aliter: hic vir iuſtus ſe videns gratia Dei in bonis proficere, timens in illis vanam gloriam inſurgere, Deum rogat vt ab omni iactantia & gloriatione de bonis quæ per illum Deus agit, liberetur. Eſt enim lingua doloſa & iniqua quæ de meritis ſuis gloriam ſuam & non Dei quærit. Et ad iſtum ſenſum hunc paſſum exponit Richardus dicens, Lingua doloſa eſt tentatio fraudulenta, opinio falſa, gloriatio vana: quando de meritis tuis, vel aperto ſermone, vel tacita cogitatione gloriaris. Linguam doloſam audis & neſcis. Et hæc quidem gloriatio vana quandoque ſurgit ex opinione humana, quandoque ex ſuggeſtione diabolica: vtrobique quidem à lingua doloſa & à labiis iniquis. Certè ſi huiuſmodi linguam libenter audis, non tantummodo ſtultè, ſed etiam iniquè agis. Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Cogita ergo quàm ſit iniquum gratis largienti ingratum fore, inſuper & in ipſum rapinam exercere. Etenim conaris auferre quod ipſe ſibi ſoli vult reſeruare. Gloriam meam (inquit) alteri non dabo.

*Lingua doloſa quid ſit.*

*Leo Papa in ſermone de natiuit. domini, qui ĩcipit, Feſtiuitatis hod. Nõ deſinit hoſtis antiquus trãsfigurans ſe in angelum lucis deceptionũ laqueos vbique prætẽdere: & in quoquo modo fidẽ credẽtiũ corrũpat inſtare. & poſt pauca ſic inquit, Habet etenim multos ex eis quos tenacius obligauit aptos artibus ſuis: quorũ ad alios decipiẽdos, & ingeniis vtatur & linguis.*

*Gloriam de propriis bonis quærere eſt lingua doloſa.*

*Dicẽdũ enim eſt à nobis in operibus bonis, ſi quæ facimus aut dicimus cũ propheta: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo ſit gloria: quia tu illa facis in nobis.*

## Quid detur tibi aut quid apponatur ad linguam doloſam? 2252

Hic Pſalm. apponit & oſtendit ſuam exauditionem. Oſtendit enim hic ſe eſſe exauditum. Et diuiditur in partes duas, quia ſuam exauditionem oſtendit primò per modum interrogationis: ſecundò per modum reſponſionis: ibi, *Sagittæ potentis.* Primò ergo ponit exauditionem per modum interrogationis, dicens, *Quid detur:* id eſt, quid dabitur tibi, &c. Deus enim aliquando nos interrogat non ignarus, ſed vt docens. Sic hic interrogat quod remedium eſt opportunum contra labia iniqua & linguam doloſam: vt per ſuam interrogationem teipſum exerceat, & magis reſponſionem audire deſideres, quam ipſe Deus poſtea daturus eſt tibi. Vnde hic ait Auguſt. Tu enim oras dicens, Domine libera animam meam &c. Et dominus Deus dicet tibi, *Quid dabitur tibi, aut quid apponetur tibi ad linguam doloſam?* Interrogat exercens. Nam & ipſe interrogans, eſt ille qui reſpondet dicens, *Sagittæ potentis* &c. Et aduerte quòd duo verba hic poſuit: ſcilicet *dabitur* & *apponetur*, quia contra linguam doloſam dantur arma pro defenſione, ſed apponuntur conſolationes pro refectione, vt ait Gl. vt ſtatim patebit. Interrogat ergo tribulatum Deus dicens, *Quid detur tibi* &c. non vt addiſcat, ſed vt doceat. Vbi nota quòd ſecundum quod ait Gregorius, tribus modis interrogat nos Deus: ſcilicet flagellis, præceptis & iudiciis. vnde ſic dicit, Tribus modis interrogare nos conditor conſueuit. Aut cum flagelli diſtrictione nos percutit, & quanta in nobis ſit vel deſit patientia oſtendit. Aut quædam quæ nolumus præcipit, & noſtram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit. Aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abſcondit, & menſuram nobis noſtræ humilitatis innoteſcit. Et conſequenter declarat per exẽpla. Flagello namque interrogat cum mentem bene ſibi per trãquillitatem ſubditam afflictionibus pulſat. Sic enim Iob qui laudatur ore iudicis, ictibus concutitur percuſſoris: vt eius patientia tanto verius clareſceret, quanto inquiſita durius fuiſſet. Præcipiẽdo autem dominus nos interrogat. Sicut Abraham terrã iubetur egredi & pergere quò neſciebat: in montem vnicum filium ducere, & quem ad conſolationem ſenex acceperat immolare. Cui nimirum ad interrogationem bene reſpondenti: id eſt ad iuſſionem obedienti, dicitur, Nunc cognoui quia tu timeas Deum. Vel ſicut ſcriptum eſt, Tentat vos Deus vt ſciat ſi diligitis eum. Tẽtare quippe eſt magnis nos iuſſionibus interrogare. Scire autem eius eſt, noſtram obedientiam noſſe nos facere. Aperiendo verò nobis quædam atque quædã claudendo nos interrogat Deus: ſicut per Pſal. dicitur, Palpebræ eius interrogant filios hominum. Palpebris quippe apertis cernimus, clauſis nihil videmus. Quid ergo per palpebras Dei niſi eius iudicia accipimus, quæ iuxta aliquid clauduntur hominibus, & iuxta aliquid reſerãtur? vt homines qui ſe neſciunt, ſibimetipſis innoteſcant: quatenus dum quædam intelligendo comprehendere, quædam verò cognoſcere omnino non poſſunt, eorum corda ſeſe latenter inquirant, ſi illos diuina iudicia vel clauſa non fallant, vel aperta non inflant. Iſtis enim modis dominus tribulatos interrogat: vt de remedio opportuno exquirat, dicens, *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi* &c. Vel aliter: cum quis in tribulatione clamat ad dominum, dominus reſpõdens ſibi dicit, *Quid detur tibi* &c. Quaſi dicat, Conſidera quid tibi dabitur, ſcilicet præmij, ſi fueris patiens: aut quid apponatur tibi, ſcilicet ſupplicij, ſi impatiens fueris. In ſcriptura enim dare ſignificat præmiare. Matth. 19, Quid dabis nobis præmij? Apponere verò ſignificat punire. Apocal. 22, Apponet ſuper illum Deus plagas.

*Gregor. 28. moral. c. 7.*

*Interrogat Deus tripliciter.*

*Geneſ. 22.*

*Deuter. 13.*

*Pſal. 10.*



2253 ## Sagittæ potentis acutę cum carbonibus deſolatoriis.

Hîc oſtendit ſuam orationem per modum reſponſionis exauditam. Suprà enim iuſtũ perſecutum & lingua doloſa laceratum interrogauit dominus, dicens, *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi* &c. Nunc reſpondet dominus dicens, *Certè dabuntur & apponentur tibi ſagittæ potentis acutæ* &c. Vbi nota quòd per ſagittas acutas intelligũtur verba Dei, quæ corda auditorum vulnerant intrinſecus. Carbones autem vaſtatores vel deſolatorij ſunt exempla præteritorum hominum, quibus admonemur linguas doloſas non timere, nec illarum deceptionibus viam Dei dimittere. Verbi gratia: Quis vult aſcendere ad ſtatum perfectionis, mundo renuntiare, & arctam vitam pœnitendo ducere: ſtatim ſibi adeſt lingua doloſa ſub ſpecie conſiliationis à bono propoſito ipſum reuocãs, dicens, Vide quid agas: vide ſi poteris implere quæ cogitas. Antequàm incipias, delibera primò per magnum tempus, quia ſi inciperes & poſtea non perſeuerares, grauius offenderes Deum. Conſidera tuæ carnis fragilitatem: quàm grãde opus ſit paupertate premi, à mundo ſperni, carnis deſideria vincere: iſta excedunt vires tuas: & huiuſmodi. Sed cõtra iſtam linguam doloſam ſtatim dantur ſagittæ acutæ verborum Dei: quia dicit Chriſtus, Beati pauperes &c. Beati eritis cùm maledixerint vobis homines. Vigilate quia neſcitis diem neque horam &c. Sagittæ ergo ſunt verba Dei, quibus vulneratur cor ad amorem, non ad mortem. Conſequenter dantur carbones deſolatorij: qui ſunt exempla aliorum, qui ſimilia inceperunt & perfecerunt: qui quandoque mali fuerunt, nigri peccatis vt carbones, deinde amore diuino ſuccenſi. Qui enim ſe conuertunt ad dominum, quaſi carbones extincti de mortuis reuiuiſcunt. Hi bene poſt ſagittas apponuntur: quia poſt exhortationem verborum exemplis agendum eſt, vt quod lingua doloſa dicit non poſſe fieri, exemplis aliorum ſe poſſe facere credat. Cum multi etiam delicati non ſolum viri, ſed etiam fœminæ iſta fecerunt, vt Agnes, Lucia, Catherina &c. quæ Chriſti amore accenſæ præſentem mundum contempſerunt: vitam corporalem pro vita animæ tradiderunt in mortem. Quomodo ergo reputas impoſſibile fieri quod illę puellæ tam delicatæ fecerunt? Et ſi dicat lingua doloſa, Illæ erant Deo ſanctificatæ: tu autem peccaſti multipliciter, & Deum offendiſti. Alios carbones accipe. Accipe exempla Apoſtoli Pauli, Mariæ Magdalenæ: qui eo amplius poſtea amauerunt, quo antè grauius peccauerunt. Iſta exempla dicuntur carbones deſolatorij vel vaſtatores: quia ad deſolationem ducunt omnes carnales cogitationes, & vaſtant totum ædificium diaboli, quod erat in mente vt ibi conſtruatur domus Dei. Iſta ergo ſunt remedia contra linguam doloſam, *Sagittæ potentis* &c. Iſtam expoſitionem hic ponit Auguſt. dicens, Interrogauit Deus dicens, *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi* &c. Et ipſe reſpondet dicens, *Sagittæ potentis.* &c. Sagittæ potentis acutæ ſunt verba Dei quæ iaciuntur & transfigunt corda. Sed cum transfixa fuerint ſagittis verbis Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Nouit Deus ſagittare ad amorem. Et nemo ſagittat pulchrius ad amorem, quàm qui præuenit amando, vt faciat amantem. Sagittæ ergo ſunt cum agimus verbis. Sed quia parum videtur verbis agere contra linguam doloſam, etiam exemplis agendum eſt. Exempla, ſunt carbones deſolatorij, vel vaſtatores. Et primò quomodo exemplis agendum ſit, videte. Lingua enim doloſa nihil ſic nouit dicere, niſi Vide vt poſſis implere: multum eſt à te hoc aggredi. Accepiſti ad hoc agendum præceptum euangelicum quaſi ſagittam, ſed carbones nondum habes. Sed timendum eſt ne ſagitta ſola non valeat contra linguam doloſam: ſed carbones accipe: vt puta: incipit enim tibi dicere Deus, Tu non potes? quare ille poteſt? Quando alter potuit? Nunquid tu delicatiores illo ſenatore? Nunquid tu infirmior es illa aut illo in valetudine? Nunquid tu infirmior fœminis? Fœminæ potuerunt: viri non poſſunt? Delicati potuerũt & diuites: pauperes nõ poſſunt? Sed & ego (inquit) multũ peccaui & peccator ſum. Numerãtur etiam qui multũ peccauerunt: & eo plus amauerũt, quo plura eis dimiſſa ſunt. Quomodo dictũ eſt in euangelio, Cui modicũ dimittitur, modicũ diligit. Cũ ergo iſta enumerata & nominatim accepta fuerint,

*Sagittæ ſunt verba Dei. Carbones deſolatorij ſunt exempla ſanctorum.*

*Matth. 5.*

*Lucæ 7.*

 homi

homines qui potuerunt, ille accepta ſagitta in corde accedẽtibus etiam carbonibus deſolatoriis, deſolatur in illo terrena cogitatio. Quod enim deſolatur, ad deſolationem perducitur. Erant autem in illo multa: ſcilicet carnales multæ cogitationes, ſeculares multi amores. Ipſi vtuntur carbonibus deſolatoriis vt fiat purus locus deſolatus. In cuius loci puritate faciat Deus ædificium ſuum, quia facta erat ibi ruina diaboli, & ædificatur ibi Chriſtus. Nam quandiu manet ibi diabolus, non poteſt ædificari Chriſtus. Accendunt carbones deſolatorij, & deiiciũt quod malè fuerat ædificatum: & deſolato loco, accedit ſtructura fœlicitatis perpetuæ. Videte ergo quare dicti ſunt carbones, quia qui ſe conuertunt ad dominum, de mortuis reuiuiſcunt. Carbones autem antequam accenderentur, extincti erant. Nam extincti carbones, mortui dicũtur: ardentes autem, viui appellantur. Exempla ergo multorum iniquorum qui conuerſi ſunt ad dominum, carbones dicuntur. Audi homines mirari & dicere, Ego illum noui, quàm ebrioſus fuit, quàm ſceleratus, qualis fraudator: modò verò quomodo Deo ſeruit, quomodo innocẽs factus eſt? Noli mirari. Carbo eſt: viuum gaudes, quem extinctũ plangebas &c. Vel aliter: nec ſenſus variatur. Iſta poſſunt eſſe hominis iuſti, qui more nimis cogitantis hæſitat & quærit remedium, dicens, *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi?* &c. Deinde interrogationi ſuæ ipſe reſpondet dicens, *Sagittæ potentis* &c. Sagitta multa ſignificat: vide verſicul. 610. 741. 1006. 1274. 1575.

2254 Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Hîc Pſal. plangit ſuæ liberationis prolongationem. Et duo facit: quia primò oſtendit peregrinationem eſſe longam: ſecundò eſſe grauem: ibi, *Cum his*. Quantum ad primum, ſciendum quòd quælibet res naturaliter deſiderat eſſe in proprio loco, & nunquam ex ſe quieſcit, donec ad illum perueniat. vt graue appetit centrum terræ: leue autẽ, cœlum. Sic & homo cum ſit factus vt Deo fruatur in paradiſo: ideo nunquam quieſcit, donec ad illum perueniat locum. Vnde quandiu hic manet in corpore, ſe peregrinũ recognoſcit eſſe & extra patriã ſuã. Vnde plorat & ingemiſcit, teſte Apoſtolo, dicẽte, In hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt cupientes: ſcientes quoniam dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à domino &c. Et hoc eſt quod hic Pſal. deſiderans eſſe ſuperius cum Deo, incolatum ſuum & peregrinationẽ huius deplorans dicit, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*. Quod ideo ſic dicit, vt ait Gregor. Dauid æternam patriam contemplans, & hæc mala penſans in quibus erat, atque illa bona conſiderans in quibus adhuc non erat, ait, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*. Incolatus enim peregrinatio eſt. Incola enim dicitur, qui habitat in terra aliena, non in ciuitate ſua. Et verè in iſto incolatu multæ ſunt rationes quæ nos ad gemitum ducunt: vt hic deducit Auguſt. dicens, Cùm quis acceptis ſagittis acutis, & carbonibus deſolatoriis, incipit proficere, adhuc tamen viuit inter malos: nondum eſt area ventilata. Nunquid triticum factum ſtatim in horreum reponitur? Adhuc neceſſe eſt vt inter paleas prematur. Et quantum proficit, tanto maiora mala videt. Nam ſi non proficeret, non videret iniquitates. Si non ſit verus Chriſtianus, non cognoſcit fictos. Iam ergo iſte qui cœpit proficere, & cœpit videre malos, & multa mala quæ antè non nouerat, clamat ad Deum, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: peregrinatio mea facta eſt lõginqua. Nondum veni in patriam: ibi cum nullo malo victurus ſum. Nõdum veni ad illam ſocietatem angelorum, vbi ſcandala nõ timebo. Incolatus meus prolongatus eſt. Incolatus peregrinatio eſt. Incola enim dicitur, qui habitat in terra aliena, non in ciuitate ſua. Aliquando tamen fratres, cum peregrinatur homo, inter meliores viuit, quàm in patria ſua fortè viueret. Sed nõ ſic eſt quando ab illa cœleſti Hieruſalem peregrinamur. Mutat enim homo patriam, & quandoque in peregrinatione illi bene eſt. Inuenit amicos fideles peregrinando, quos in patria inuenire non potuit: inimicos habuit in patria, vt de patria pelleretur & peregrinaretur. Inuenit quod non habuit in patria. Non ſic eſt in illa Hieruſalem, vbi omnes boni ſunt. Quicunq; inde peregrinatur, inter malos eſt: nec recedere à malis poteſt, niſi cum redierit ad ſocietatem angelorum. Ibi omnes iuſti & ſancti, qui fruuntur verbo Dei ſine lectione, ſine literis. Quod enim per paginam nobis ſcriptum eſt, per faciem Dei illic erit. Qualis patria? magna patria. Et miſeri ſunt peregrini ab illa patria. Quod ergo ait iſte *incolatus meus prolongatus eſt*. Hæc eſt vox eccleſiæ quæ laborat in hac vita, & gemens dicit, *Heu mihi, quia incolatus* &c. Heu, vox eſt miſeriæ, calamitatis & infelicitatis. Sed tamẽ in ſpe gaudet, quia iam gemere didicit. Multi enim miſeri ſunt, & non gemunt: peregrinantur, & redire nolunt. Iſte autem volens redire cognoſcit infelicitatem peregrinationis ſuæ. Sed inter quos gemit & peregrinatur: ſubdit, *Habitaui cum habitantibus Cedar*. Sequitur, *Habitaui cum habitantibus Cedar* &c. Per Cedar enim ſignificantur mali. Vbi ſciendum quòd Cedar fuit filius Hiſmaelis filij Abrahę. (vt habetur Geneſ. 25.) à quo Sarraceni deſcenderunt: qui verius ab Agar dicerentur Agareni, quàm à Sarra Sarraceni. Sed à Sarra digniori & libera nomẽ ſibi vẽdicauerũt. Per Cedar ergo filiũ Hiſmaelis mali ſignificãtur, ſicut & ipſe Hiſmael malus fuit: ſicut per Iſaac boni ſignificantur. Quod etiam patet ex nominis interpretatione. nam Cedar tenebræ vel tenebroſus interpretatur. Quid ergo plangit Pſalm. dicens, *habitaui cum habitantibus Cedar*, niſi Habitaui cum tenebroſis & peccatoribus? Dolent enim iuſti ſe malis eſſe permixtos: quia illi ſunt lingua doloſa, illi ſunt labia iniqua. Nam iuſti volunt ſurſum aſcendere: iſti autem deorſum premere volunt. De malis ergo per Cedar filium Hiſmaelis figuratis plorat iuſtus, dicens, *Heu mihi* &c. quia habitaui cum habitãtibus Cedar &c. Multum incola fuit anima mea. Quod ideo dicit, vt intelligas iſtã peregrinationem non eſſe ſecundum corpus: vt dicit Auguſt. ſed ſecundum animam. Sicut enim corpus peregrinatur locis, ſic & anima peregrinatur affectibus. Si enim Deum amat anima, aſcendit ad Deum: ſi autem terrena amat, peregrinatur à Deo.

*2. Corint. 5* — *Incolatus eſt peregrinatio.* — *Gregor. 23. moral. c. 21.* — *Cedar filius Hiſmaelis pater Sarracenorum.*

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. 2255



Hîc oſtendit incolatum ſuum vel peregrinationem eſſe grauem, dicẽs, Heu mihi, non ſolùm quia incolatus meus longus eſt, ſed etiam quia grauis. Graue eſt enim pacifico inter diſcordes habitare: humili, cum perſecutoribus eſſe. Iſtum verſum exponit Auguſt. de eccleſia, quæ de hæreticis & ſchiſmaticis dicit, *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* &c. dicens, Quid enim aliud dicimus hæreticis, niſi Cognoſcite pacem, amate pacem? Iuſtos vos dicitis. Si iuſti eſſetis, inter paleam grana legeretis. Nam quia grana ſunt in eccleſia, & vera grana, ideo tolerant paleas, donec ventiletur area. Hæc enim loquimur hæreticis qui oderunt pacem. Qui ſunt enim qui oderunt pacem, niſi qui conſcindunt vnitatem eccleſiæ? &c. Vel iſta verba ſunt capitis noſtri Chriſti. Sic enim iſtum textum ad literam de ſe dictum contra Iudæos Chriſtus adducit, dicens, Nunc autem viderunt & oderunt me, & patrem meum. Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis. Odio enim aliquem gratis habere, eſt ipſum gratis impugnare. Quid eſt enim gratis aliquem odire vel impugnare, niſi ex ſola malitia aliquem perſequi, nulla recepta iniuria? Sic enim Iudæi non offenſi à Chriſto, ſed beneficiati, ipſum gratis impugnabant. Vnde Auguſt. ſuper Ioan. exponens illa verba prædicta, Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorũ ſcriptus eſt &c. dicit, Legis nomine aliquando omnia veteris teſtamenti ſanctarum ſcripturarum ſignificantur eloquia. Et ita dominus dicit in lege eorum ſcriptum hoc eſſe, cum legatur in Pſal. Gratis autem alium quis odit vel impugnat, qui nullum ex odio commodum quęrit, vel incommodum fugit? Sic oderunt Iudæi Chriſtum. Sic diligunt Chriſtum iuſti vt alia bona præter ipſum non quærant: quia ipſe Deus omnia in omnibus illis erit. Vnde & de Iudæis ad literam dicit Chriſtus, Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis. vide ibi, ſcilicet verſic, 1093. Vel aliter: iſta verba ſunt cuiuſlibet iuſti à malis hominibus perſecuti: qui ſuperius dicebat, Principes perſecuti ſunt me gratis. vide ibi, ſcilicet ver. 2234. O quàm rari ſunt hodie qui dicere poſſint, *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*. Audi quid eſt eſſe pacificum. Vnde Auguſtin. in de ſermone domini in monte, ſuper illo verbo, Beati pacifici: ait, Pacifici autem dicuntur, qui in ſemetipſis pacem habentes, omnes animi ſui motus componẽtes & ſubiicientes rationi, carnaléſque concupiſcentias habentes edomitas, regnum Dei fiunt, in quo ita ordinata ſunt omnia, vt quod eſt in homine præcipuum & excellens, imperet cæteris reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiíſque communia. Atque idipſum quod excellit in homine (id eſt, mens & ratio) ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas, filius Dei. Neq; enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſubiiciatur. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis. Et aduerte quòd bene ait, *Eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Quia quanto quis in ſeipſo magis eſt pacificus & Deo ſubditus, maiorem impugnationem ſuſtinet ab his qui pacem odiunt: ſcilicet à dæmonibus. vt oſtendit Gregorius ſuper illo verbo Iob 5, Et beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi: dicens, Notandum quòd non ait, Pacatæ erunt tibi: ſed, Pacificæ. quia non pacem nobiſcum habent, ſed pacem faciunt. Hoſtes quippe callidi inſidiantur nobis, & affligunt. Sed afflicta mens tanto magis ad æternam patriam reditum diligit, quanto in hoc ærumnoſo exilio laborioſius viuit. Et verius gratiæ ſui adiutoris ſe humiliat, cum contra ſe inſidias hoſtium acriores penſat. Beſtiæ ergo terræ pacificæ electis fiunt, quia maligni ſpiritus cùm bonorum corda aduerſantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem domini impellunt. Inde ergo cum Deo pax robuſtior oritur, vnde nobis ab aduerſariis durior pugna generatur.

*Hæretici pacem odiunt.* — *Ioan. 5.* — *Pſal. 68.* — *Gratis odire quid ſit.* — *Pſal. 68.* — *Pſal. 118.* — *Pacificus quis dicatur.* — *Luc. 2.* — *Greg. 6. mor. c. 10.*

## PSALM. CXX.

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. 2256

Hîc eſt ſecundus Pſalmus inter graduales: qui conſimilem titulum habet vt præcedens, ſcilicet Canticum graduum. Et exponitur eodem modo vt in præcedenti Pſal. expoſitum fuit. Materia etiam Pſalm. eſt eadem cum præcedenti, quo ad literam: quia ſcilicet iſte Pſalm. eſt quædam deuota oratio qua Pſal. Deum orat pro liberatione populi à captiuitate Babylonica. Quantum ergo ad literam, iſte Pſal. habet duas partes: quia Pſal. primò orationem ſuam ad Deum dirigit: ſecundò quid à Deo petat exprimit: ibi, *Non det in commotionem* &c. dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum, Pſal. hic ponit ſecundum gradum aſcenſionis ad Deum. Primus enim gradus, vt in præcedenti Pſalm. patuit, eſt aduerſitatum toleratio: ſecundus eſt diuinę defenſionis poſtulatio: de qua hic agitur. Et congruè hic gradus ſequitur primum: quia qui aduerſis premitur, non in ſuis viribus confidere debet, ſed ſolum in Dei protectione: quod hic facit Pſal. poſtulans à Deo defendi. Iſte ergo Pſalm. diuiditur in tres partes: quia Pſalm. primò Dei poſtulat adiutorium: ſecundò exprimit ſuum animum: ibi, *Non det in commotionem*: tertiò oſtendit ſe à Deo exauditum: ibi, *Dominus cuſtodit te*. Prima in duas: quia primò mentem ad Deum eleuat: ſecundò adiuuari à Deo poſtulat: ibi, *Auxilium meum*. Quantum ergo ad primum, aduertendum eſt quòd ſicut in rebus mundi auxilium principis habere cupiens ad aliquem familiarem principis recurſum primò habet, vt apud principem pro ipſo interceſſor exiſtat. Sic & in ſpiritualibus, ſi auxilium Dei cupimus habere, primò recurramus ad ſanctos Dei, vt pro nobis Deum interpellent. Propter quod dicitur Iob 5, Voca ſi eſt qui reſpondeat tibi, & ad aliquem ſanctorum conuertere. Conſimiliter & nunc Pſalmiſta admonet vt ad ſanctos leuemus oculos, vt ipſi pro nobis Deũ interpellent: dicens, *Leuaui oculos meos in montes*. Quid enim per montes in ſcriptura, niſi ſancti angeli & cæteri electi Dei ſignificantur? Ille ergo in montes oculos leuat, qui ſanctos Dei mente precatur, vt pro ipſo apud Deum intercedant. Vnde ad iſtum intellectum hunc verſum inducit Gregorius, dicens, Per montes enim Apoſtolorum, prophetarum atque ſanctorum celſitudo ſignificatur. Sicut ſcriptum eſt, Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Et voce Pauli dicitur, Vt nos efficiamur iuſtitia Dei in ipſo. Vel ſicut iterum voce ſperantis eccleſiæ Pſalmiſta ait, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*. Vocantur etenim ſancti Dei montes: quia

*Mõtes dicuntur ſancti.* — *Gregor. 33. mor. 1.* — *Pſal. 35.* — *1. Cor. 5.* — *Leuare oculos debemus ad ſanctos.*

quia prę cęteris cœlo ſunt proximiores: in aduerſis fuerunt firmiores, & lumine gratiæ ſplendidiores. Ad iſtos ergo mõtes leuemus oculos noſtros, non ſolum vt pro nobis intercedãt, ſed etiam vt eorum exemplis, ſcriptis & dictis dirigamur. Et hoc hic intendit Auguſtinus dicens, Leuent oculos ſuos in montes vnde veniat auxilium illis: Quid eſt, Iam illuminati ſunt montes? Iam in illis ortus eſt ſol iuſtitiæ. Iam ab Apoſtolis prędicatum eſt euãgelium: predicatæ ſunt ſcripturæ: patuerunt omnia ſacramenta: conſciſſum eſt velum: patuit ſecretum templi. Ad iſtos ergo montes oculos leuent, vnde veniat auxilium illis: non quidem ab illis, ſed à domino interceſſione ipſorum. Leuent oculos in montes, ſed non pręſumant de mõtibus. quia ipſi montes non à ſe, ſed ab alio lucẽt: ab illo ſcilicet de quo B *Ioan.1.* dictum eſt, Erat lux vera qui illuminat omnem hominem &c. Mõtes enim ſunt homines magni, homines virtutibus clari. Et quis maior mons Ioanne Baptiſta? Sed vides iſtum mõtem lucentem, audi etiam ipſum confitentem. Quid confitentem? De plenitudine (inquit) eius nos omnes accepimus. De cuius ergo plenitudine acceperunt montes, ab illo eſt tibi auxilium, non à montibus. *Sãcti ſuis exẽplis auxilium nobis præſtãt.* In omnibus enim aduerſitatibus ſancti iſti montes auxilium tibi oſtendunt, ſi ipſorum facta & exempla fueris contemplatus. *Tob.1.* Leua oculos ad ſanctum montem Tobiam, ſi in captiuitate teneris: quia & ipſe in captiuitate poſitus, viam veritatis non deſeruit. Si damna rerum pateris, ſi filiis orbaris, ſi corporis infirmitate premeris, leua oculos ad ſanctum mon- C tem Iob: qui omnibus temporalibus perditis, omnibus liberis eius extinctis, totus corpore plagatus, Deo gratias agebat, dicẽs, Dominus dedit, dominus abſtulit &c. *Iob 1.* Si iniuſtè criminaris, reſpice Suſannam. Si vita corporali priuaris, reſpice Laurentium & ſanctos martyres: quia iſti montes ſi ad ipſos cordis oculos leuaueris, ſuis exemplis à domino obtinebis auxilium. Sic in omni preſſura & aduerſitate confidenter clamans dicit, *Leuaui oculos* &c. *Auxilium Dei multiplex.* Nota ergo quòd auxilium quod à Deo habemus, dum oculos ad exempla ſanctorum leuamus, eſt confortatiuum militantium, eſt ſolidatiuum infirmitantium, etiam eſt exauditiuum deprecãtium. Primò hoc auxilium eſt confortatiuum militantium: vide verſic. 1936. Secundò eſt ſolidatiuum D infirmantium & debilium. Tertiò eſt exauditiuum deprecantiũ: quoniã ſcilicet deuotè orantibus dominum prę́ſtatur auxiliũ, dum exaudiuntur à Deo.

2257

## Auxilium meum à domino qui fecit cœlum & terram.

Hîc conſequenter oſtendit quòd non poſtulabat auxilium à ſanctis montibus principaliter, ſed ab ipſo Deo, dicẽs, *Auxilium meum à domino* &c. Vnde hic ait Gloſa, *Auxilium meum à domino* &c. Quaſi dicat, Auxilium meum non peto à montibus, ſed à domino. quia montes ſcilicet ſancti ſolum ſunt miniſtri: Deus autem auctor eſt. Sed fortè quærendo dices, *Quæſtio.* Quomodo auxilium iuſtorum eſt à domino, cum multoties in aduerſis ipſos ſine adiuto- E rio deſerat? vnde & Pſalm. dicebat in preſſuris derelictus, *Pſal.87.* Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos. Ad hoc reſpondet Gregor. *Gre.20. mor. cap.22.* ſuper illo verbo Iob 30, Non fuit qui ferret auxilium: dicẽs, *Auxiliũ ſuũ quãdoque ſubtrahit Deus à iuſtis.* Cum de diuino auxilio Pſalm. clamet, Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis

A quęrentes te domine. Qua itaque ratione nunc dicitur, Non fuit qui ferret auxilium, niſi quia omnipotens Deus eos quos inæternum diligit, aliquando ad tempus relinquit? Vnde ſcriptum eſt, Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſera- *Eſa.54.* tionibus magnis congregabo te: in momento indignationis meæ abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſeratus ſum tui. Sanctos enim ſuos dominus veniendo adiuuat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. Iuſtam quippe animam gratia reuocat, tentatio probat. Omnipotens enim Deus electorum ſuorum aduerſarios temporaliter permittit excreſcere, vt per malorum ſæuitiam purgetur vita bonorum. Nequaquam enim dominus ad- B uerſos bonis eſſe permitteret, niſi etiam quantum prodeſſent videret. Nam dum iniuſti ſæuiunt, iuſti purgantur: & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc in premendo humiliat, & humiliando, ſemper ad melius format. Vnde rectè per Salomonem dicitur, Qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. *Prou.11.* Et tamen ſæpe conſpicimus ſapientes ſubeſſe, ſtultos verò arcem domini tenere: ſapientes ſeruiliter obſequi, ſtultos tyrannidis elatione dominari. Quomodo ergo diffinitione diuinæ ſententię ſapiẽti ſtultus ſeruit, dum plerumque iure temporalis dominij hunc premit? Sed ſciendum eſt quòd contra ſapientis vitam dum ſtultus premens terrorem poteſtatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profectò hunc ab omni C vitiorum rubigine vrendo purgat. Stultus ergo etiam dominando ſapienti ſeruit, quem ad meliorem ſtatum premendo prouehit. Quia igitur mala reproborum, dum bonos cruciãt, purgant: vtilitati iuſtorum militat etiam poteſtas iniquorum. Item nota quòd auxilium multiplex à Deo iuſtis orantibus cõfertur. Quoniam auxilium domini eſt coronatiuum patientium, eſt illuſtratiuum contemplantium, & eſt quietatiuum laborantium.

## Non det in commotionem pedem tuum, neque dormiet qui cuſtodit te. 2258

Hîc ſuam intentionem exprimit orando. Et primò facit hoc: ſecundò ſuper hoc à Deo reſponſum D accipit: ibi, *Ecce, non dormitabit.* Quãtum ad primum: notandum quòd in ſcriptura pes accipitur pro af- *Pes ſignificat voluntatem.* fectione ſiue voluntate interiori. Et quia ſicut pedibus exterioribus totus homo exterior circunfertur & agitatur, ſic affectione & voluntate totus homo interior ducitur ad bonum vel ad malum: vide verſic. 378. Iſte autem pes (ſcilicet voluntas) duplici affectione ducitur: ſcilicet quandoque caritate, & ſic accendit & proficit: quandoque ſuperbia & vanitate, & ſic deficit & cadit. Commouetur ergo pes noſter, & cadit à perfectione, *Pes voluntatis mouetur ſuperbia.* cum regitur ſuperbia: ſed permanet & proficit, cum regitur caritate & humilitate. Orat ergo Pſalm. dicẽs, *Non det in commotionem pedem tuum:* id eſt non permittat Deus ſuperbiã in voluntate tua dominari. E Quod cõſimiliter Tobias ſuo filio optabat: dicens, Superbiam in corde tuo dominari non permittas. *Tob.4.* Iſte autem textus variè ponitur. Nam textus Auguſtini habet, *Ne des ad mouendum pedem meum:* id *Cadere facit ſuperbia.* eſt, non permittas voluntatem meam ſuperbia cadere. Et eadem eſt ſententia cum primo textu. Iſto enim modo Auguſtinus hunc textum exponit hic, dicens,



dicens, Vnde mouentur pedes, vnde motus eſt pes A illius qui erat in paradiſo? Motus enim eſt pes illius qui erat in paradiſo inter angelos: & moto pede cecidit, & de angelo factus eſt diabolus. Moto enim pede cecidit: ſuperbia vtique cecidit. Nõ ergo mouit pedem niſi ſuperbia ad ruinam. Ad ambulandum enim & proficiendum caritas pedem mouet. Ad cadendum autem, ſuperbia mouet pedem. Cadit à lumine qui ſibi non eſt lumen, & vult ſibiipſi eſſe lumen. Ideo ſciens Pſal. nullum cadere, niſi qui *Pſal.35.* ſibi vult lucere, cum ſit per ſe tenebrę, ait, Non mihi veniat pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me: id eſt, imitatio peccatorum nõ me moueat vt cadam à te. Rectè ergo Pſal. vt aſcẽdens non cadat, orat, *Non des ad mouendum pedem meum:* id eſt B ne ſuperbia dominetur in me. Vel hoc idem quaſi pro alio orans dicit, *Non det in commotionẽ pedẽ tuum.* De hoc vide verſic. 663. Et idem aliis verbis exprimit dicens, *Neque dormiet qui cuſtodit te.* *Dormit Chriſtus in nobis quãdo fides tepeſcit.* Quãuis enim Deus nunquam dormiat in ſe, tamen illi dormire dicitur, in quo fides tepeſcit. Quid eſt ergo orando dicere, *Non dormiet qui cuſtodit te*, niſi hoc orare vt fides in nobis non tepeſcat: quia ſi fides in nobis vigilat, vigilat Chriſtus. Vnde hic ait gloſa, *Neque dormiet qui cuſtodit te:* id eſt, non ſinat te peregrinare à fide, quia ſi dormit in te fides, dormit in te Chriſtus: fides enim in corde tuo, Chriſtus eſt in corde tuo. Et dicitur hoc ab humana conſuetudine, vt quando feſſus cuſtos dormit, furtum patitur. Dormit verò Chriſtus, quando in fide tepeſcimus. Talis enim nobis eſt Chriſtus, quales nos ei ſumus. C *Pedes (ſcilicet Apoſtoli) ſtabiles fuerunt.* Vel aliter: per pedes eccleſiæ intellige ſanctos Apoſtolos & primos prædicatores, qui fidem eccleſiæ per totum orbẽ portauerũt: vide verſic. 768. 1072. Stabilitas iſtorum pedum (dum ſcilicet conſtanter omni pulſo timore verbũ Dei mundo ſeminabant, & pro fide Chriſti morti tradebant ſeipſos) fundauit eccleſiam. Horum ergo ſtabilitatem in fide prę uidens Pſal. ipſi eccleſiæ dicit, *Non det in commotionem pedem tuum:* id eſt, non dabit in commotionem Apoſtolos, vt terroribus vel pœnis territi à fidei prædicatione deſiſtant: ſcilicet morte corporali vitam eccleſiæ præſeruabant. *Pſal.55.* Vnde de hoc eccleſia Deo gratias agens dicit, In me ſunt Deus vota mea quæ reddant laudationes tibi, quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos &c. D

2259

## Ecce, non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.

Hîc Pſal. ſuę orationis reſponſum à Deo accipit. Duo enim poſtulauerat, ad quę duo ſibi reſpondet Deus. Poſtulauit enim primò dicens, *Non det in commotionem pedem tuum:* ad hoc reſpondet, dicens, *Neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Poſtulauit ſecundò vt non dormitaret qui cuſtodit te: ad hoc reſpondet, *Chriſtus non dormit neque dormitat.* *Ecce non dormitabit.* Per hoc enim vult Pſal. oſtendere quòd qui vult habere cuſtodem ſollicitum & vigilem: nõ homines, ſed Deum pro ſua cuſtodia debet quærere, & ſe facere tali cuſtodia dignũ: vt ſcilicet ſe faciat Iſrael, quod interpretatur vidẽs Deũ: vt ſcilicet per fidẽ ſemper intẽdat in Deũ. Homines E enim non ſunt aliorũ ſufficiẽtes cuſtodes, quia nec ſeipſos poſſunt cuſtodire. Et iſtã ſentẽtiam hic deducit Aug. dicẽs, Fortè dicis, Nunquid in poteſtate mea eſt vt nõ dormitet qui cuſtodit me? Volo vtique vt non dormiat neque dormitet. Ergo illũ tibi elige cuſtodem qui non dormiet neque dormitabit: & non cõmouebitur pes tuus. Deus nunquam

A eſt dormiens: ſi ergo vis habere cuſtodem non dormientẽ, Deum tibi elige cuſtodẽ. *Omnis homo dormit & dormitat.* Tu fortè conuerſurus eras te ad homines cuſtodes, & dicturus, Quẽ ſum inuẽturus hominũ non dormientẽ: quis homo non dormitabit, quẽ inueniã? Certè ille tibi oſtendit, dicens, *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Chriſtus enim cuſtodit Iſrael: ergo & tu eſto Iſrael, vt cuſtodiaris à Chriſto. Quid eſt Iſrael? interpretatur enim videns Deũ. Et quis videt Deũ? primò per fidẽ, poſtea per ſpeciem. Si autẽ hic non potes per ſpeciem Deum videre, ſaltem vide per fidem. Cum ergo credideris quòd pro te verbũ caro factum eſt, quòd ſurrexit in carne, ne tu de tua carne deſperares, efficeris Iſrael. Factus autem Iſrael cum fueris, tunc non dormitabit, neque dormiet B qui cuſtodit te. Primò nanque Chriſtus per mortem dormiuit. Vnde dicit in Pſalm. Ego dormiui & *Pſal.3.* ſoporatus ſum, & exurrexi &c. Surrexit ergo vt amplius non dormiat, quia Chriſtus ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Noli ergo præſumere de quoquam homine. Omnis enim homo dormit & dormitabit. Dormitat enim cùm portat carnem infirmitatis: dormiet autem cum fuerit mortuus. Vel aliter: Chriſtus dormire dicitur quando homines tentationibus & aduerſitatibus exponit: ſed vigilat quando ipſos liberat. In cuius figurã Matth. 8, dicitur quòd cũ eſſet in naui cum diſcipulis ſuis, motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat. Sed ſtatim vt ſurrexit, imperauit ventis *Dormitare, dormire, obdormire, quid ſint ſpiritualiter.* C & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Moraliter autem notandum quòd aliud eſt dormitare, aliud dormire, aliud obdormire. Nam ille dormitat qui eſt quaſi medius inter ſomnum & vigiliam. Vnde non durat talis ſomnus, ſed quaſi per vices excitatur. Dormire verò eſt perfectum ſomnum capere. Sed obdormire, eſt profundius dormire. Moraliter ergo ille dormitat qui ſæpe peccat, tamen pœnitet & reſurgit: ſicut dicitur, Septies in die cadit iuſtus, *Prou.24.* & reſurgit. Et hoc eſt graue. Sed dormit ille qui diu manens in peccato, confeſſionem differt, & quaſi in conſuetudinem ducit peccatum. Vnde Seneca epiſtola 39, dicit quòd deſinit eſſe locus medij, vbi quæ fuerunt vicia, mores fiunt: id eſt ducuntur in conſuetudinem. Dicit Auicenna, 4. can. quòd ille D qui bibit venenum, nullo modo dormire debet: immò cuſtodes qui circa ipſum ſunt, debent ipſum ad vigiliam impellere clamando. Ratio eſt, quia venenum plus inualeſceret in dormitione quàm in vigilia. Sic & moraliter, qui in peccatum incidit, quia venenum bibit, dormire non debet: id eſt pœnitentiam differre, ſed accelerare: quia ſecundum Greg. peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo põdere ad aliud trahit: 1. Theſſ. 5, Non dormiamus ſicut cæteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Quantum verò ſit periculoſum in peccato *1.Reg.26.* dormire, patet figuraliter de Saule: qui cũ dormiret dixit Abiſai, Nunc perfodiam ipſum lancea in terra ſemel, & ſecundò opus non erit. Et dixit Dauid, Ne interficias eum. Sic ſpiritualiter Dauid ſi- E gnificat Chriſtum: Saul ipſum perſequens ſignificat peccatorem: Abiſai filius Saruię, diabolum. Vnde Bernard. huic hiſtoriæ alludens, dicit, Dormientem Saul Abiſai cõfodere voluit ſemel, ne ſecundò opus eſſet, niſi hũc Dauid prohibuiſſet. Quia peccatorem pigrum & dormientem niſi longanimis & patiens miſericordia ſuſtineret, gladius ſathanæ ſemel (id eſt inæternum) perimeret. vult enim im-

probus exactor vt qui dormit, non adiiciat vt reſurgat. Obdormire verò grauiſſimum eſt. Nam vt dicit Iſidorus, peccatũ admittere, eſt cadere in puteum. Conſuetudinem verò peccandi facere, eſt os putei coãguſtari: ne is qui cecidit, valeat exire. Eſa. 43, Obdormierunt neque reſurgent. Ad propoſitum ergo: ille qui ſe vult cuſtodire Iſrael (id eſt ſe in fide qua Deum videt conſeruare) non ſolùm non debet obdormire, immò nec dormire nec dormitare. Quod notans Pſal. ait, *Ecce non dormitabit* &c.

*Iſidorus 2. De ſummo bono.*

2260 Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Hîc Pſal. ſe exauditum oſtendit à Deo. Et diuiditur in quatuor partes, ſecundũ quòd in quatuor ſe à Deo exauditum oſtendit, & Deum habere cuſtodem: quia Deus ipſum cuſtodit, primò bonis ſpiritualibus: ſecundò ab omnibus erroribus: ibi, *Per diem*: tertiò animam à criminibus: ibi, *Dominus cuſtodit te*: quartò cuſtodit in omnibus tentationibus: ibi, *Dominus cuſtodiat introitum.* Quãtum ad primum, primò ſciendum quid ſit manus noſtra, & quid manus dextera. Manus enim ſignificat poteſtatem, quia per manum operamur: & ſic manus Dei eſt poteſtas Dei, & manus noſtra, eſt poteſtas noſtra. Quòd manus Dei ſit poteſtas Dei, patet Iob 1, vbi diabolus Deo dixit de Iob, Mitte manum tuam, & tange omnia quę habet. Et Pſal. Et eduxit Iſrael de medio eorum in manu potenti. Vbi per Dei manum nihil aliud niſi Dei intelligitur poteſtas. Conſimiliter & manus hominis eſt poteſtas hominis. Vnde dicitur Prou. 18, Mors & vita in manibus linguæ. Nouimus enim, vt hic ait Aug. linguas fruſta quædam carnis quæ in ore mouentur: quę percutiendo palatum & dentes, diſtingunt ſonos quibus loquimur. Oſtendatur ergo mihi manus linguæ: lingua quia manus non habet, ſed habet poteſtatem, quæ manus linguæ dicitur. Quid eſt ergo mors & vita in manibus linguę, niſi ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo cõdemnaberis? Sed quid dexteræ nomine intelligitur? In ſcriptura enim ſacra ſignificantur ſpiritualia bona, vt virtutes & merita per dexteram: ſed per ſiniſtram, temporalia bona. Vnde hic ait Auguſt. Interrogo vos, quomodo intelligitis quod ſcriptum eſt in euangelio, Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua? Hoc enim intelligendo cognoſcetis quid ſit dextera, & quid ſiniſtra. Siniſtra noſtra dicitur, quicquid temporaliter habemus: dextera dicitur quicquid nobis æternum & incommutabile dominus pollicetur. Abundare quis poterit & in dextris & in ſiniſtris, ſicut & Iob, qui in diuitiis & virtutibus fuit magnus. Sed diuitias Iob pro ſiniſtra habebat, non pro dextera. nam pro dextera non habebat, niſi apud Deum æternam & perpetuam fœlicitatem. Sed cuſtodiuit dominus dexteram eius & non ſiniſtram, quia conceſſa eſt diabolo poteſtas ſuper ſiniſtram eius: quia omnia exteriora & temporalia eius diabolus abſtulit ſubitò, corpus flagellauit: ſed eius interiora violare non potuit, quia non eſt paſſus damnum de interioribus diuitiis. Conſimiliter Deus & in nobis cuſtodit poteſtatem dexteræ, licet quandoque non ſiniſtrę: quia quamuis quis inuitus temporalibus bonis poſſit expoliari, tamen inuitè in ſpiritualibus damnificari nõ poteſt. Quid eſt ergo dicere, *Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua*: niſi dominus protegit te? Et in quibus te ſeruat illæſum? Reſpondet, *ſuper manum dexteram tuam.* Quaſi dicat, Poteſtatem in temporalibus tuã non ſemper cuſtodit te Deus: quia inuitus illis potes expoliari. Sed cuſtodia ſua eſt ſuper manum dexteram tuam: id eſt cuſtodit tibi poteſtatem ſpiritualium & internarũ diuitiarum, quæ nullus niſi volens perdere poteſt. Iſtam manum dexteram à Deo cuſtodiri ne interiora bona quis inuitus amittere poſſit, bene cognouit ille philoſophus Bias: de quo narrat Valerius lib. 7. c. 3, Quòd Bias, cum patriam eius inuaſiſſent hoſtes, & capta ciuitate permiſiſſent omnes incolumes cum illis bonis quæ aſportare poterãt, fugere. Aliis ergo precioſarum rerum pondere onuſtis fugientibus, ipſe Bias de ſuis diuitiis ſecum nihil aſportabat. Et ſuper hoc interrogatus ipſe Bias reſpõdit, Ego bona mea mecum porto. Pectore enim illa portabat, non humeris, nec exterioribus videnda oculis, ſed extimanda animo: quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium nec deorũ manibus labefactari poſſunt. Et vt manentibus præſtò ſunt, ita fugientes non deſerunt: quia domini cuſtodia eſt ſuper manum dexteram tuam. Et nota quòd dexteram iuſtorum cuſtodit dominus, maximè quando percutit ſiniſtram: quia ſcilicet aduerſitas rerum temporalium cuſtodit virtutes iuſtorum: vide verſic. 1498. Nota etiam quòd ſingulariter multa hominum genera dominus cuſtodit: ſcilicet humiles, patientes &c. Item qualiter Deus ſit protectio noſtra: vide verſic. 1140.

*Manus ſignificat poteſtatem.*

*Pſal. 135.*

*Dextera ſignificat bona ſpiritualia: ſiniſtra, bona temporalia.*

*Matth. 6.*

*Bona ſpiritualia inuitè perdi nõ poſſunt: ſed bene tẽporalia.*

Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem. 2261

Hîc oſtendit quòd Deus ſuos proficiẽtes cuſtodit ab erroribus. Vbi primò notãdum quid per ſolem, quid per lunam hic intelligatur. Solis enim nomine ipſa diuinitas intelligitur, quia ſicut ſol ſuo lumine omnia illuminat, ita & diuinitas ſua luce omnia illuſtrat. Ioan. 1, Erat lux vera quę illuminat &c. Sed luna ſignificatur Chriſti humanitas, vel ipſa eccleſia: quia ſicut luna prçeſt nocti, & illuminatur à ſole: ſic & humanitas Chriſti à verbo irradiata præeſt nocti vitæ præſentis, dum in omnibus agendis vel fugiendis nos ſuis dirigit exemplis. Similiter & eccleſia. Iſta ſunt illa duo magna luminaria in Chriſto vnita: ſcilicet luminare maius (ſcilicet diuinitas, quæ præeſt diei claritatis æternæ, in quo ſancti ſpiritus beatificantur) & luminare minus: ſcilicet luna, quæ præeſt nocti vitæ præſentis. Et ſicut circa iſta duo maximè noſtra fides conſiſtit (ſcilicet circa diuinitatem & humanitatem Chriſti) ſic circa iſta duo hæreticorum verſantur errores. Qui enim errat circa diuinitatem: vt puta, filium minorem eſſe patre, ſpiritum à patre & filio non procedere: iſte ſcandalizatur in die & vritur à ſole. Qui autem errat circa humanitatem Chriſti, vt credens non veram carnem & animam Chriſtum habuiſſe, ſed fantaſticam: iſte ſcandalizatur à luna per noctem. Et iſtam ſententiam ponit hic Auguſtinus, dicens, In Deo intelligitur figuratè dictus ſol: in eccleſia intelligitur figuratè dicta luna. Quiſquis ergo errat vt de Deo aliud credat quàm oportet, vt ſi non credat patrem & filium & ſpiritum ſanctum eſſe vnius ſubſtantiæ, deceptus eſt: ſi aliud minus credat in filio quàm in patre, ſcandalizatus eſt in Deo. Quiſquis verò putauerit eccleſiam eſſe in vna ſolum parte mundi, & non diffuſam toto orbe terrarum: iſte ſcandalizatur & vritur à luna. Quiſquis ergo errat in ipſa ſubſtantia veritatis, à ſolę vritur, per diem vritur: quia in ipſa ſapientia errat, de qua dictum eſt, Dies diei eructat verbum. Quiſquis autem errat in ipſa eccleſia, vel circa humanitatem Chriſti, qui eſt caput eccleſiæ: à luna vritur per noctem, de qua dictum eſt, Et nox nocti indicat ſcientiam: quia paruulis prædicatur humilitas Chriſti, caro Chriſti & crucifixio Chriſti. Quiſquis ergo ſcandalizatus non fuerit in illa veritate incommutabili diuinitatis, non vritur à ſole: nõ quidem à ſole iſto quem nobiſcum vident muſcæ & pecora, qui oritur ſuper bonos & malos: ſed ab illo qui ſolum iuſtis oritur: de quo in libro Sapientiæ impij dicunt, Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Quiſquis in eccleſia, in carne Chriſti, & in his quę pro nobis temporaliter geſta ſunt nõ errat: non vritur à luna. Quid eſt dictũ, *Per diem ſol non vret te, neque*, &c. niſi quia dominus cuſtodit te ſuper manum dexteram tuam, ideo non te permittet vri vel errare circa ſolem diuinitatis, neq; circa lunam Chriſti eccleſiæ vel humanitatis? Vnde per ſolem accipe diuinitatem: per diem verò, ſapientiam Dei. Sed per noctem accipe Chriſti humanitatem: per lunam, Chriſti eccleſiam. Vel aliter: vbi notandum quòd aliqui in bonis ſuis operibus illuminantur à ſole: & aliqui à luna. A ſole illuminãtur qui ad bonum opus concupiſcentia excitantur virtutis: ſed à luna illuminantur qui concupiſcentia non virtutis, ſed famæ: vt oſtendit Gregor. dicens, Infirmæ mentes quando bona aliorum audiunt, aliquando ſe ad operationem rectam non amore virtutis, ſed concupiſcentia laudis accẽdunt: & iſti illuſtantur à luna. Sed nonnunquam opus quod ab aliena opinione ſumitur minus mundo corde, in animo formatur. Qui autem ratione virtutis bonum facit, illuminatur à ſole. Quia ſicut natura ſolis eſt vt quęcunque attigerit accẽdat & ſiccet: ita lunaris ignis eſt proprium, vt quicquid cõtigerit exurat quidẽ, ſed exurendo humidum reddat. Sic igitur ad vitam bonam alios per amorem Dei affectus boni operis: alios verò amore laudis inflammat. Et cùm recti operis affectu accendimur, quaſi per ignem ſolis à vitiorũ humore ſiccamur. Cùm verò ad opus bonum amor laudis prouocat, concupita fama quaſi luna attingit: quia videlicet eius animum & accẽdit & reſoluit. Accendit quidem ad exercitium boni operis, ſed reſoluit ad concupiſcentiam fauoris. Ad propoſitum ergo: vruntur à luna per noctem hypocritæ qui amore laudis bona faciunt: vruntur à ſole per diem, qui ad bona quidem affectu virtutis mouentur, ſed finaliter laudati, fauoribus extolluntur: & ſic vri æternaliter vterque illorum meretur. Sed Deus ſuos cuſtodit: primò quidem ne appetitu laudis bona inchoent: ſecundò verò ne bona quæ amore virtutis inceperunt, in delectatione laudis terminentur.

*Sol ſignificat diuinitatem: luna humanitatem Chriſti & eccleſiam.*

*Pſal. 18.*

*Sapien. 5.*

*Sol illuminat bonos: luna illuminat hypocritas.*

*Greg. 22. mo. cap. 7.*

2262 Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam dominus.

Hic oſtendit quòd Deus ſuorum electorũ animas cuſtodit à criminibus, quę propriè malum dicuntur. Vbi notandum quòd ſicut aliqua dicuntur eſſe bona verè & realiter, & nõ ſolo nomine: ſicut ſunt virtutes quæ intrinſecus in anima manẽt, quę à nullo violenter poſſunt auferri, vt dictum eſt ver. 2260. Aliqua verò ſunt bona ſolo nomine: ſicut ſunt omnia exteriora quæ violẽter auferri poſſunt. Quamuis multi inſenſati iudicent oppoſitum, prçponentes bona exteriora interioribus: & per conſequens præponentes ipſum corpus corruptibile animæ immortali & incorruptibili contra ſententiam Chriſti dicentis, Nónne anima plus eſt quàm corpus? Conſimiliter dicendum eſt de malis, quòd quædam ſunt verè & realiter mala: quædam verò ſolo nomine mala. Realiter & verè ſunt mala, quæ animam interius dehoneſtant, ſicut ſunt vicia: ſed ſolum vocaliter ſunt mala illa quę ſunt extrà, & ſolum corpus, nõ animam attingere poſſunt: vt ſunt pœnæ corporales, fames, ſitis, verberatio. Quomodo enim mala dicentur quæ nobis inuitis inferri poſſunt: quia tunc quis malus eſſet inuitè, quod non capit ratio? Etiam cuius finis eſt bonus, ipſum quoque bonum eſt. Finis autem malorum exteriorum bonus eſt: vt patuit in martyribus, qui quãto acriora mala & tormenta patiebantur pro Chriſto, glorioſiorem finem reportauerunt. Sed vicia propriè mala dicuntur, quia ipſorum finis ſemper malus eſt. Et hæc eſt ſententia Ambroſ. in hexameron: tractatu primæ diei dicens, Illa cauenda ſunt quæ ex noſtra voluntate prodeunt delicta iuuẽtutis, & irrationabiles corporis paſſiones. Quorum igitur nos ſumus domini, eorum principia extrinſecus non requirimus: ſed agnoſcamus quæ noſtra ſunt. Quod poſſumus facere, ſi volumus. Huius electionem mali nobis debemus potius aſcribere, quàm aliis: ideo etiam in iudiciis iſtiuſmodi volũtarios reos non neceſſitate compulſos culpa conſtringit, pœna condemnat. Hoc igitur de eo quod propriè malum videtur dictũ ſit: quomodo autem mala erunt, quæ nec crimine mentem implicant, nec conſcientiam ligant? Vnde paupertatẽ & ignobilitatem, ægritudinem, mortem, nemo ſapiẽs mala dixit, nec malorum ſorte numerauit. Et habentur iſta 15. q. 1. illa. Ex quibus apparet quòd ſola vicia & peccata mali habent rationem: quia illa ſola abſolutè poſſunt mala dici. Et à tali malo in aduerſitatibus & corporalibus pœnis Deus ſuos electos cuſtodit, cuſtodiens animam, ne aliquo vicio maculetur. Et hoc eſt quod hic Pſal. ait, *Dominus cuſtodit te ab omni malo*: id eſt, ab omni peccato. Et quòd loquatur ſolum de malo quod eſt peccatum, quo ſolo malo maculatur anima, ſtatim expreſſit, dicens, *Cuſtodiat animam tuam dominus.* Acſi diceret, Ideo dominus cuſtodit te ab omni malo vt cuſtodiat animam tuam. Vnde iſtam ſententiam hic ponit Auguſt. dicens, *Cuſtodiat animam tuã dominus.* Nõ dicit, cuſtodiat corpus tuum: nam in corpore perempti ſunt martyres: ſed *cuſtodiat animam tuam dominus. Nam dominus eſt protectio tua ſuper manũ dexteram tuam*: non dixit, ſuper ſiniſtram. Dic ergo Pſal. *Cuſtodiat animam tuam dominus.* Anima enim martyrum non ceſſit, corpus peremptum eſt ad tempus: quia & ipſe qui dignatus eſt eſſe caput eccleſiæ, prçbuit corpus ſuum ad tempus percutiendum. nam in fine reſurrecturum eſt. Ideo enim ſuſcitatum eſt caput, quo aſcenderet corpus, & non deficeret. Cuſtodiat ergo animam tuam dominus: vt ipſa nõ cedat, non frangatur in ſcãdalis, in perſecutionibus, in tribulationibus: ipſa non cedat deficiendo, ſicut dominus dicit, Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed eum timete qui habet poteſtatem & animam & corpus perdere in gehẽnam. Hanc ergo animam tuam cuſtodiat dominus, ne cedas perſuaſori malo: ne cedas promittenti falſa: nec cedas minanti temporalia.

*Matth. 6.*

*Peccata propriè dicuntur mala: non pœnæ.*

*Matth. 10.*

lia. Sed quia non ſufficiat ad tempus præſeruari à malo,niſi & finaliter præſeruetur:ideo ſubdit,

2263 Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum,ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Hic oſtendit quòd dominus ſuos cuſtodit in omnibus tentationibus.Vbi notandum quòd tentatio ſiue ſit per ſuggeſtionem, ſiue per aduerſitatis & tormentorum immiſſionem,habet duas partes:ſcilicet principium & finem. Aliqui ante tentationem fortes ſunt: ſed ſtatim adueniente tentatione deficiũt.de quibus ait Chriſtus, Luc.8,quòd credunt,ſed in tempore tentationis recedunt. Aliqui autem intrant campũ certaminis viriliter, ſed ante finem preſſi deficiunt:nec iſti palmam merentur, quia non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Matth.24. Aliqui autem intrant viriliter,& quanto plus impugnantur, fortiores efficiuntur: quia per patientiam in ipſis continuæ charitatis virtus magis accenditur: vt patuit in martyribus. Et iſtis ſolis palma victoriæ debetur:quia & brauium nõ datur illi qui melius incepit currere:ſed perſeueranti. Sed quia iſta perſeuerantiæ virtus viribus noſtris non habetur, ſed donũ Dei eſt:à quo omnia noſtra bona inchoantur & perficiũtur:dicente Apoſtolo, Quòd Deus qui incepit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti.Ideo tam principium patientiæ in aduerſis quàm finem nunc Deo attribuit Pſalmiſta,dicens, *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*,&c.Per introitum intellige principium: per exitum verò, finem tentationis. Sic enim hunc locum exponit Aug.dicens, Quid eſt introitus tuus, & quid exitus?Quando tentamur intramus:quando vincimus tẽtationem,eximus. Audi introitum, audi & exitum. Vaſa figuli probat fornax (ait ſcriptura) & homines iuſtos tentatio tribulationis. Si ſic ſunt homines iuſti quomodo vaſa figuli:neceſſe eſt,vt vaſa figuli intrent fornacem.Et non quando intrant,iam ſecurus eſt figulus:ſed cum exierit. Dominus autem ſecurus eſt, quia nouit qui ſunt eius: & nouit qui in fornace non crepent. Illi non crepant qui non habent ventum ſuperbiæ. Humilitas ergo cuſtodit in omni tentatione. Cuſtodit ergo dominus introitum tuum, vt ſalui intremus, ſana fide ſimus:quando accedit tentatio. Cuſtodit & exitum,& hoc vſque in ſeculum. Cum enim exierimus ab omni tentatione, iam inæternum nulla tentatio nos terrebit:nulla concupiſcentia ſollicitabit. Vnde & Apoſtolus ait, Fidelis Deus qui non patietur vos tẽtari ſupra id quod poteſtis ferre. Ecce,introitus tuus cuſtoditur,quando non ſinit tibi Deus accedere tentationem quam non potes ferre:tunc introitum tuum cuſtodit. Vide ſi cuſtodit & exitum;quia(inquit)faciet cum tentatione prouentum,vt poſſitis ſuſtinere. Prouẽtum dicit, quia in tentatione virtus perficitur & roboratur.Sic ergo homo iuſtus cuſtoditus à Deo exibit ad opus ſuum,& ad operationem ſuam vſque ad veſperam, id eſt,vſque ad finem.

*Patientia & perſeuerantia à Deo eſt.*

*Phil.1.*

*Eccleſ.27.*

*2.Tim.2.*

*1.Cor.10.*

*Pſal.103.*

## PSALMVS CXXI.

2264 LAetatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi,In domum domini ibimus.

Hic Pſal.inter graduales tertius:eũdem titulum habet vt duo præcedentes:ſcilicet Canticum graduum. Et exponitur vt prius. Vbi tamẽ nota quòd tertius gradus aſcendendi eſt amor:non tamẽ quilibet amor, ſed amor Dei & proximi ordinatus: quo Deus propter ſe diligitur, & proximus propter Deum. Iſte enim amor animam aſcendere facit:ſed amor mundi & carnis ipſam compellit deſcendere. Amor enim quicunque eſt ille,nunquam ocioſus eſſe poteſt,nunquam vacare: vt hic oſtendit Auguſt.dicens, Sicut amor mundi inflammat animum, & ad terrena concupiſcenda & peritura vocat,ac in profundum demergit:ſic amor ſanctus ad ſuperna eleuat,& inflammat ad æterna, & ad ea quæ non tranſeunt,excitat animam, & de profundo inferni leuat ad cœlũ. Habet enim omnis amor vim ſuam:nec vacare poteſt amor in anima amantis. Neceſſe enim eſt vt animũ ſemper inducat. Vis ergo ſcire qualis amor in te ſit, vide quò te ducat. Obligata enim anima amore terreno,quaſi viſcum habet in pennis:ſurſum volare non poteſt. Mandata verò ab affectionibus impuriſſimis huius ſæculi,tanquam extẽtis pennis & duabus alis reſolutis, id eſt, duobus præceptis:ſcilicet dilectionis Dei & proximi volat. Quò autem niſi ad Deum aſcendit volando, qui aſcendit amando? Quod quis antequam liberè facere poſſit,hic gemit:& ex deſiderio volandi ſurſum,dicit, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ,& volabo,& requieſcam?Cùm autem iam amando volare cœperit vbi non iam patiatur cõmotionem & ſocietatem alicuius iniqui, ſed viuat in ſancta ſocietate ſanctorum angelorum in æterna Hieruſalem:tunc exultat,tunc mente lætatur. Sic ergo & in iſto Pſalmo,cum iam Pſalmiſta incipit aſcendere per gradus amoris, cantat canticum graduum:& in ſuperna Hieruſalem collocari deſiderans,ait,*Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi,In domum domini ibimus*. Vnde ſicut in peregrinatione ſuſpiramus, ita in ciuitate gaudemus. Inuenimus autem ſocios in iſta peregrinatione, qui iam viderunt ipſam ciuitatem, & inuitant nos vt curramus ad illã:ſcilicet ſanctos martyres & alios iuſtos nos præcedentes. Quãtum autem ad ſenſum literalem: hæc eſt quædam deuota oratio prophetæ Dauid exultantis in domino de ædificatione templi per Nathan ſibi dicta fienda per Salomonẽ filium ſuũ. Et diuiditur in partes duas:quia primò ponitur exultatio pro templi ædificatione: ſecundò ponitur oratio pro templi conſumatione & conſeruatione, ibi,*Rogate*,&c. Dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum:iſte Pſal.eſt quędam ſpiritualis exultatio de ſpe poſſeſſionis cœleſtis Hieruſalé. Et diuiditur iſte Pſal.in duas partes:quia primò cœleſtis Hieruſalem ponit proprietates:ſecũdò ipſius aſcẽſus ponit,gradus & conditiones,ibi,*Rogate*. Prima pars diuiditur in duas: quia primò ponit proprietates aſcendentis:ſecundò oſtendit proprietates ciuitatis,ibi, *Hieruſalem quæ ædificatur*. Prima in duas: quia duas conditiones debet habere ad cœleſtem Hieruſalem volens aſcendere: quia ſcilicet primò in ſcripturis debet habere credulitatem: ſecundò in præceptis Dei ſuam ſtabilire debet voluntatem, ibi,*Stantes erant*. Quantum igitur ad primum: notandum quòd ſacra ſcriptura per prophetas, per Apoſtolos & ſanctos prædicatores conatur nos ad amorem cœleſtis Hieruſalem accẽdere,ad domum Dei aſcendere. Vnde Eſa.2,Venite, aſcendamus ad montem domini:& ad domum Dei Iacob, &c. Et Apo-

*Amor duplex: ſilicet Dei & mundi.*

*Amor nunquam eſt ocioſus.*

*Pſal.54.*

*Hebr.13.*



Apoſtolus dicit, Non habemus hic manentem ciuitatem,ſed futuram inquirimus. Ad quorum verbum fidem credulam dare debemus, ſperantes firmiter nos illuc aſcenſuros gratia Dei. Et hoc eſt quòd ſcripturarum dicta quibus inuitamur ad patriam conſiderans hic Pſalmiſta, ait, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*. Et ſi quæras quæ ſunt illa quæ dicta ſunt tibi:reſpondet, hæc ſcilicet, *In domum domini ibimus*. Vnde hic ait Auguſt. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*:lætatus ſum in prophetis,lætatus ſum in Apoſtolis. Omnes enim mihi ſpem æternæ vitæ conferẽtes dixerunt mihi, *In domum domini ibimus*. Vel aliter:vt hoc dicere non ſit per verba, ſed per opera. Qui enim aliquid facit, ſuo exẽplo aliis loquitur & ipſos informat. Et iſto modo ſancti martyres ſuis exemplis nobis loquũtur, & nos inuitant ad cœleſtem patriam:non verbis, ſed factis, dicentes, *In domum domini ibimus*. Vnde ſicut feſtum vnius ſancti abſque verbis te admonet vt ad ipſius eccleſiam pergas:ſic feſta ſanctorum qui nos præceſſerunt nos excitant, non ſolum vt ad eccleſias eorum pergamus, ſed magis vt ad eorum ſocietatẽ in cœlis habendam curramus,dicentes, *In domum domini ibimus*. Et iſto modo hũc verſum hic exponit Auguſt.dicẽs *Lætatus ſum*,&c. Fratres,veniat in mẽtẽ charitatis veſtræ, ſi qua fortè feſtiuitas martyrũ vel locus ſanctus aliquis nominatur,quò certo die turbæ confluunt ad celebrandam ſolennitatem:illæ turbæ quomodo ſe excitãt,quomodo hortantur & dicunt,Eamus ad illum ſanctum locum: & tanquam incenſi ſigillatim faciunt flammam: & ipſa vna flamma facta ex collocutione ſeſe accendentium,rapit illos ad locũ ſanctum: & cogitatio ſancta ſanctificat eos. Si ergo ad locum corporalẽ ſic inuitat & rapit amor ſanctus, qualis amor debet eſſe qui concordes rapit in cœlum: dicẽtes ſibi inuicem,*In domum domini ibimus*? Ergo in domum domini curramus, & non fatigemur: quia illuc perueniemus vbi non laſſabimur. Lætetur anima noſtra in his qui ea nobis dicunt. Qui ea nobis dicunt,priores fuerunt:viderunt patriam de longinquo clamantes ad poſteriores, In domum domini ibimus. Viderunt illam Apoſtoli,& dixerũt nobis, Currite,ſequimini nos:in domum domini ibimus, &c. Sed aduerte quòd in iſtam domini domum nõ omnes intrant,ſed ſolum mundi corde:quia illa eſt domus ſanctitatis. Pſal.92, Domum tuam domine decet ſanctitudo. Narrat Solinus quòd Romæ erat domus Herculis ſacra, in qua cum Hercules ſacrificaret Deo ſuo,rogauit Deum ſuũ quòd nec muſcæ nec canes vnquam illuc ingredi poſſent: quod & ſic factum fuit. Ad propoſitum ergo,cum multo ſanctior & mundior ſit domus cœleſtis Dei, in illã nihil immundum vel pollutum intrare poteſt. Apocal.21, Non intrabit in illam aliquid coinquinatum,faciens abominationem,&c. Et non muſcæ neque canes. Muſcæ autem ſunt homines mundiales, qui importunè mundi huius negociis ſe ingerunt:canes verò ſunt homines carnales:de quibus Eſa.56,Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem.

*Sancti ſuis exemplis nos inuitãt ad gloriam.*

*Domum gloriæ peccatores nõ intrãt.*

2265 Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem.

Hic oſtẽdit ſecundum:ſcilicet quòd intrare volens domum domini, in præceptis Dei debet habere ſtabilitatem. Vbi nota quòd per pedes affectiones noſtræ & voluntates exprimũtur: vt ſuprà ver.378.2258. Itẽ nota quòd per atria intelligitur æterna gloria,vel ipſa Dei domus glorię:vide ſuprà ver.2045. Quamuis ergo hic dum peregrinamur à domino,habitemus in corpore:in cœlis tamen habitare debemus mente:ſicut dicit Apoſtolus, Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Eſt ergo ſenſus,*Stantes erant pedes noſtri in atriis*,&c.id eſt,hic habitãtes corpore,in cœlis eramus mente:quia pedes noſtri, (id eſt,affectiones & voluntates noſtræ)in atriis cœleſtis Hieruſalem perſiſtebant. Vnde hic ait Auguſt. *Stantes erant pedes*,&c. Ergo qui in domum domini intrare volunt, ſemper debent cogitare quaſi ibi iam ſint, & ibi mente ſtare. Magnum eſt enim ibi ſtare inter angelos & non deficere. qui enim inde lapſus eſt, in veritate non ſtetit: quicunque non ſunt lapſi, in veritate ibi ſtant. Ille ibi ſtat qui Deo fruitur:qui autem ſeipſo frui voluerit, cadit:qui autem ſeipſo frui vult,ſuperbus eſt. Ideo ille qui ſemper ſtare volebat in atriis Hieruſalem,orabat,Non mihi veniat pes ſuperbiæ. Si ergo illic non potuerunt ſtare qui ſuperbi fuerunt, tu humiliter aſcende,vt dicas,*Stantes erant pedes noſtri*,&c. Cogita qualis ibi futurus ſis. Et quamuis adhuc in via ſis, hoc tibi pone ante oculos quaſi ibi ſtes,quaſi inter angelos indeficiens gaudens: vt dicere poſſis, *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem*. Sed cuius Hieruſalem?Et quid magnum eſt ſtare in iſta terrena Hieruſalem:quando ipſa Hieruſalem ſtare non potuit,quæ ruit? Non eſt hæc illa Hieruſalem quæ prophetas occidit,& lapidauit ſibi miſſos. Quid ergo magnum iſte concupiſceret,ſtare inter illos qui interficiebant prophetas,&ad ſe miſſos lapidabãt? Abſit vt de iſta Hieruſalem ſic cogitet qui ſic ardet, ſic deſiderat introire in domini domum. Sed de illa Hieruſalem loquitur,vbi perfecta regnat viſio pacis. Vnde de qua Hieruſalem loquatur,ſtatim in ſequentibus manifeſtat,dicens,

*Phil.3.*

*Conuerſatio noſtra in cælis debet eſſe.*

*Pſal.35.*

*Hieruſalem eſt gloria cæleſtis.*

Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas,cuius participatio eius in idipſum. 2266

Hic oſtendens de qua Hieruſalem loquatur, oſtendit conditiones ciuitatis. Et ſecundum quòd tres conditiones ipſius Hieruſalem oſtendit, pars hæc habet tres partes. Oſtendit namque quòd ibi eſt, primò bonorum mutua communicatio. Secũdò gratiarum cõtinua redditio, ibi, *Illuc enim aſcenderunt*. Tertiò ciuiũ honorabilis exaltatio,ibi, *Quia illic*. Quantum ergo ad primum, primò oſtendens Pſal. quòd ipſe loquitur de ciuitate cœleſtis Hieruſalem, oſtendit quòd in ſuperiori Hieruſalem eſt omnium bonorum mutua communicatio: quia ibi vnus participat omnia alterius bona. Vbi ſciẽdum quòd cum charitas ſit radix dilectionis, & dilectio amantem in amatũ trãsferat: ſequitur quòd in cœleſti patria vbi eſt ſumma & perfecta adinuicem ſanctorum charitas,quòd ibi eſt perfecta dilectio & mutua omnium bonorũ cõmunicatio. Ibi enim tantũ quilibet diliget aliũ, vt ſeipſũm:& tantum gaudebit de bono alterius ſicut de proprio. Quod notans hic Pſal.ait, *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*:quaſi dicat,Loquor de illa cœleſti Hieruſalem,quæ realiter dicitur ciuitas, ſcilicet ciuium vnitas, quam vnitatem dilectio facit. Ex qua dilectione ibi omnia bona communicantur adinuicẽ. Quod notans ſubdit,*Cuius participatio eius in idipſum*. Vbi ait Gloſ.Hoc de nulla mundi ciuitate dici poteſt, quia hic habent homines diuiſa bona & deficientia:ibi verò bonum quod fuerit ſingulorũ, erit omnium

*Communicatio omniũ bonorum eſt in gloria.*

omniũ.Ideo ait, *Participatio eius in idipſum.* Quid eſt A *in idipſum*? Idipſum eſt,quod ſemper eodem modo eſt:id eſt,æternum. Non potuit expreſſius dicere, Stabilitatis ergo particeps eſt illa ciuitas quæ quidem non eſt hic in aliqua creatura. Dicat ergo de cœleſti Hieruſalem, *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*.Hęc enim ciuitas ædificatur nõ lapidibus mortuis, ſed viuis & rationabilibus:ad quam currũt in fide lapides viui:dicente Petro, Et vos tanquã lapides viui coædificamini in domum ſpiritualẽ:id eſt, tẽplum ſanctum Dei. Sed fortè dices, Quare dixit quòd Hieruſalem ædificatur vt ciuitas,& nõ dixit, ædificatur ciuitas? Ad hoc reſpondet Aug.dicens, Quare non dixit ciuitas,ſed *vt ciuitas*:niſi quia ſtru- B ctura parietum quæ erat in Hieruſalem viſibili,viſibilis ciuitas erat:ſicut propriè dicitur ab omnib⁹ ciuitas.Illa autem ædificatur tãquam ciuitas, quia & illi qui in ea intrant viui,tanquam lapides ſunt: non enim verè lapides ſunt. Ideo ſicut illi vt lapides ſunt,non lapides:ſic illa vt ciuitas, non ciuitas ædificatur. Et ideo quia ſimilitudinẽ habet ad ciuitatẽ corporalẽ, ideo dixit, quòd *ædificatur vt ciuitas*,& non ciuitas. Aliqui tamen dicere voluerunt quòd Dauid hic loquebatur directè de ciuitate terrena Hieruſalem:quã prophetico ſpiritu ruituram videbat per Babylonios, ſed poſtea tempore Cyri regis Perſarum ædificandam. Vnde hic ait Auguſt. Sed quid ſi quis dicat,Iam quidem cum iſta Dauid C diceret,erat ciuitas Hieruſalem perfecta:ſed ipſam videbat in ſpiritu ruituram,& iterum ædificãdam. Expugnata enim fuit illa ciuitas,& factus eſt tranſitus in Babyloniam populi captiuati: de qua prophetauit Hierem. poſt ſeptuaginta annos captiuitatis ædificari poſſe illam ciuitatem quæ deſtructa erat à debellantibus.Fortè ergo dicet aliquis,hanc videbat Dauid in ſpiritu ruiturã:ideo dixit, *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*.Noli ergo putare hic illam ciuitatẽ eſſe dictã, quæ conſtat ex ſanctis,tanquã lapidibus viuis.Sed hanc opinionem remouẽs Pſal.ait, *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*: quia illa terrena Hieruſalẽ ædificatur ciuitas, nõ vt ciuitas: illa autem cœleſtis ædificatur vt ciuitas,& non ciuitas. Vel aliter.Iſte verſus intelligitur de ædificatione eccleſiæ:quæ ideo Hieruſalẽ dicitur, quia in D ipſa per fidem videtur Deus,quę eccleſia dicitur vt ciuitas: vide ver.775.1128. Vel ſi vis exponere de ciuitate cœleſtis gloriæ,vide ver.1934.

*1 Pet.2.*

*Hieruſalem cœleſtis dicitur vt ciuitas & nõ ciuitas.*

*Hierem.25.*

2267 Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini,teſtimoniũ Iſrael,ad confitendum nomini domini.

Hic oſtẽdit quòd in illa cœleſti Hieruſalẽ eſt cõtinua gratiarũ actio:quia qui illuc aſcendunt,confitentur domino confeſſione laudis.Sed quid dicatur tribus,& vnde dicatur, vide ver.1802. Aliter tamen Aug.hoc declarat, dicẽs, Tribus alio nomine dicitur curia:ſed non propriè.Itaq; tribus vno nomine dicitur propriè, alio nomine propriè dici nõ poteſt:ſed vicino nomine dicuntur curiæ. Nam ſi E propriè dixerimus curias,non intelligũtur niſi curiæ quæ ſunt in ciuitatibus ſingulis ſingulæ. Vnde curiales & decuriones, id eſt, qui ſunt in curia vel de curia. Et tales curias ſingulas habent ſingulæ ciuitates. Sunt autẽ vel erant aliquando in iſtis ciuitatibus curiæ etiã populorũ, & vna ciuitas multas curias habet.ſicut Roma triginta quinq; curias habet populi. Hæ dicũtur trib⁹: has populus Iſrael duodecim habebat,ſecundum duodecim filios Iacob:duodecim erãt tribus populi Iſrael, in quibus erãt aliqui mali,& aliqui boni.Quã enim malę tribus quæ crucifixerunt dominũ: quã bonæ tribus, quæ cognouerunt dominum.Illæ ergo tribus quæ crucifixerũt dominum, tribus ſunt diaboli. Cùm ergo hic diceret Pſal.*Illuc enim aſcenderunt tribus*: ne hoc de omnibus intelligeres, ſubdit, *tribus domini.* Quæ autẽ ſunt tribus domini,niſi qui cognouerũt dominum:de quibus ait,*Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini*:ſcilicet illi qui in tribubus erant boni, aſcenderũt ad cœleſtem Hieruſalẽ? Sed dices,Quomodo hoc in veritate ſtare poteſt? quia tẽpore Dauid B quando iſta verba dixit,nullus adhuc aſcenderat: quia Chriſtus primus cœlos penetrauit. Ad quod dicitur quòd etſi nõdum aſcenderant in re,aſcenderant in certa ſpe,quia ſecuri erant ſe aſcẽſuros:quia omnes qui in libro ſanctorũ patrum collocabantur, erãt certi de ipſorum gloria futura. Et quod futurũ erat, tẽpore præterito expreſſit.Sicut & Pſal.21,paſſionem Chriſti futuram verbo pręterito expreſſit,dicens,Dederunt in eſcam meam fel: & diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,&c.Sequitur,*Teſtimonium Iſrael*.Per hoc enim amplius vult declarare quòd nõ omnes aſcẽdant cœleſtem Hieruſalem, ſed ſolum illi qui ſunt teſtimonium Iſrael.Iſrael autem interpretatur videns Deũ:& propriè Chriſtum C deſignat, qui præ omnibus Deũ facietenus ſpeculatur,& clarius contemplatur.Illi ergo dicũtur teſtimonium Iſrael,qui fide & operibus Chriſto teſtimonium reddunt.Vel illi dicuntur teſtimonium Iſrael, qui ſe teſtificantur videre Deum & cognoſcere per opera bona.Vel per hoc notantur humiles,qui in ſuis bonis operibus,ſeipſos nolunt videre:ſed ſolum Deum ſibi præponũt. Superbi autem ſeipſos, & non Deum attendunt. Et iſtum intellectum hic prætendit Aug.dicens,Iſrael namq; vidẽs Deum interpretatur. Homo autẽ in ſeipſo verè nõ eſt,ſed Iſrael tunc eſt,quãdo videt Deum qui eſt.Et videndo eum qui eſt,ſit & ipſe pro modo ſuo.vt ſit hoc,dico quia ſuperbus non Deum videre vult,ſed ſeipſum.Vult enim videri quod non eſt:vtinam ſic vellet ſuperbus videri quod non eſt.Superbus autẽ iuſtum ſe vult videri, cum non ſit:ideo nõ pertinet D ad Iſrael,qui eſt videns Deum. Quis ergo pertinet ad Iſrael? Ille ſcilicet qui confitetur ſe noſſe quòd Deus eſt:& ab illo habere quod bonum poteſt habere,à ſe autem non eſſe niſi peccatum: ab illo autem ſibi eſſe iuſtitiam. Sequitur, *Ad confitendum nomini domini.* Hic oſtendit ad quid aſcenditur ad cœleſtem Hieruſalẽ. Ad hoc ergo aſcendunt,vt Deum laudent,& laudando,ipſo fruantur. Confeſſio eſt, laudatio,ſiue gratiarum actio:vide ver.250.

*Tribus quid ſit.*

*Quæſtio.*

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. 2268

Hic oſtendit quòd in cœleſti Hieruſalem eſt ciuium honorabilis exaltatio. Tamẽ aduerte hic mirabilem ſtilum loquẽdi, & ſecundum Auguſt.magnum ænigma,ſi non intelligatur. Si enim dixiſſet E quòd tribus domini qui aſcenderunt ad confitendum nomini domini,ſederunt ſuper ſedes in iudicio, nulla eſſet obſcuritas:ſed dicit quòd illic ſederunt ſedes,&c.In ſede enim ſedetur,nõ ſedes ſedet. Vnde & Chriſtus Matth.19,ait ſuis diſcipulis, Vos qui ſecuti eſtis me,ſedebitis ſuper ſedes,&c. Nõ dixit, vos ſedes ſedebitis. Sed aduerte quòd illos iuſtos quos prius dixerat tribus domini, nunc ipſos Dei



Dei ſedes appellat. Ipſi enim iuſti dicuntur quan- A doque cœlum in quo habitat Deus, quandoque thronus in quo regnat,quandoque ſedes in qua ſedet & quieſcit. Vnde ait Magiſter libr.1,diſt.37, Quamuis enim vbique ſit Deus, nõ tamen vbique habitat. Habitat enim in illis qui ſunt tẽplum eius & cœlum: in malis autem non habitat, licet ſit in illis.In ſanctis autem habitat, in quibus eſt per gratiam. Non enim vbicunque eſt Deus, ibi habitat:ſed vbicunque habitat,ibi eſt.In ſolis ergo bonis habitat, qui ſunt templum eius & ſedes. Vnde per Eſa.dominus ait, Cœlum mihi ſedes eſt, terra autẽ ſcabellum pedũ meorum: quia in electis (qui ſunt cœlũ) habitat Deus & regnat,qui eius voluntati deuoti obtẽperant. Malos verò(qui ſunt terra) iudicij diſtrictione calcat.Vnde in lib.Sap.dicitur, B Thronus ſapiẽtiæ anima iuſti:quia in iuſtis ſpecialius eſt Deus quã in aliis rebus:in quib⁹ tamẽ omnibus eſt totus.Quemadmodũ ait Aug.ad Hieron. in epiſtola de origine animæ, Anima per omnes particulas corporis tota adeſt ſimul, nec minor in maiorib⁹, nec maior in minoribus:ſed tamẽ in aliis intenſius, in aliis remiſſius operatur:cũ in ſingulis particulis corporis tota eſſentialiter ſit.Sic & De⁹ cũ eſſentialiter ſit totus in omnibus rebus, in illis tamen plenius dicitur eſſe quos inhabitat.i.in illis in quibus ita habitat,vt illos ſibi ſedẽ & templũ faciat.Ad propoſitum ergo:hic accipiũtur ſedes pro ipſis iuſtis qui ſunt ſedes Dei,cũ dicitur, *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio*,&c. Et iſtã expoſitionem hic approbat Aug.dicens, Nõ eſt mirũ ſi ſedeãt homi- C nes in ſedibus. Vt autẽ ipſę ſedes ſedeãt, quomodo poſſumus intelligere? Nam in ſella ſedetur,nõ ipſæ ſedes ſedent.Et reſpondet, Nã ſoletis audire dominũ dicentẽ,Cœlũ mihi ſedes eſt:terra autẽ ſcabellũ pedum meorũ. qui ſunt iſti cœli, niſi iuſti? In ipſis autẽ ſedet Deus, & de illis iudicat Deus. Apoſtoli namq; cœlũ Dei dicti ſunt: vnde cœli enarrãt gloriã Dei.Si ergo cœlum ſedes Dei eſt, Apoſtoli autẽ cœlum,& ipſi facti ſunt ſedes Dei.Vnde dictũ eſt in lib.Sapien.Anima iuſti ſedes ſapientiæ.Erant ergo Apoſtoli ſedes Dei:& illi ſedebunt in iudicio, quibus dictũ eſt, Sedebitis ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.Ipſi ergo iuſti& ſunt ſedes,& habent ſedes.Et ſic in illa Hieruſalem ſedebunt ſedes.Et ad quid? Certè ad iudicandum. D Et hoc eſt quod ſubditur, *In iudicio*.Sed ſuper quos erit iudicium iſtarum ſedium, ſubdit dicens, *Super domum Dauid.* Vbi aduertendum quòd ſicut per Dauid Chriſtus intelligitur: ſic per domum Dauid intelligitur ipſa eccleſia, de qua ait Chriſtus, Ioann.2, Domus mea domus orationis vocabitur. In hac autem domo in præſenti ſimul mixti manent boni & mali,qui in futuro abinuicẽ erunt ſeparati. Iſtã ergo domũ Dauid (.i.bonos & malos in eccleſia nunc exiſtentes) iudicabunt Apoſtoli & alij iuſti cũ Chriſto.Iudicabunt nãque bonos, ſententiã dando pro eis:ſed malos iudicabunt, contra ipſos proferendo ſententiã.Et hoc eſt quod hic ait, *Sedes ſuper domũ Dauid.* Quod ideo dicit,quia illi qui non ſunt de eccleſia(ſcilicet qui nõ credunt)nõ iu- E dicabuntur: quia qui nõ credit,iã iudicatus eſt:vt dicitur Ioan.3, Pro iſtorum euidentia eſt notandum quòd in iudicio quatuor erunt perſonarum genera: vt oſtendit Greg. Quia aliqui iudicabuntur & peribunt, alij non iudicabuntur & peribũt, alij iudicantur & regnant,alij non iudicantur & regnant,&c.vide ver.6.

*Dei dicuntur iuſti.*

*Habitat in ſanctis, nõ in ma[lis]*

*Eſa.66.*

*Eſa.66.*

*Pſal.18.*

*Matth.19.*

*Iudicabũtur aliqui in iudicio,& aliqui nõ.*

*Ioan.3.*

*Greg.26.moral.cap.24.*

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te. 2269

Hic ponit aſcenſus ad cœleſtẽ Hieruſalem gradus & conditiones.Et diuiditur in quatuor partes, ſecundum quod quatuor gradus aſſignat. Primus eſt pietatis & miſericordiæ.Secundus,charitatis & concordiæ,ibi,*Fiat pax.* Tertius,veritatis eloquentiæ, ibi, *Propter fratres meos.* Quartus eſt dilectionis æternæ patriæ,ibi,*Propter domum domini.* Quantum ad primum: primò ſciendũ quòd ſicut aliqua ſunt nomina integra, & aliqua corrupta ſiue diminuta (vt Philippus eſt nomẽ integrum:lippus autem eſt nomen diminutum: ſic Bartholomæus & Bartholus (quæ tamen idem ſignificant) quia nomen di- B minutum accipitur pro integro. Sic eſt & in aliquibus verbis,vt interrogo, gas, verbum eſt integrum:ſed rogo, gas, quãdoque eſt pars eiuſdem verbi, & ſic eſt verbum eius diminutum: & idem ſignificat quod verbum integrum: & ſic rogare idem eſt quod interrogare. Et ſic accipitur hic, cum dicitur, *Rogate quæ ad pacem ſunt*,&c.id eſt, interrogate. Item ſciendum quòd per opera miſericordiæ maximè pax inter fideles conſeruatur:quia per illa fit quædam æqualitas & concordia. vtputa ſi tu das alteri temporalia, & ipſe tibi reddit & dat ſpiritualia rogando pro te: ſi tu alij ſeminas verbum Dei & ſpiritualia, & ille tibi reddit temporalia. Et ideo quia ex talibus operibus miſericordiæ inter homines ſit quædam æqualitas & concor- C dia inter dantem & recipientem: ideo ipſa opera miſericordiæ pacis nomine ſignificantur. Iſta autem miſericordiæ opera ducunt ad cœleſtem Hieruſalem. Vnde & Chriſtus in iudicio ſolum diſceptabit cum iudicandis de operibus miſericordiæ, dicens,Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare, &c. Illi ergo ducentur ad cœleſtem Hieruſalem, qui opera miſericordiæ fecerunt. Beati miſericordes, &c. Immiſericordes autẽ dãnabuntur, quia iudiciũ ſine miſericordia fiet illi qui nõ fecerit miſericordiã. Ad propoſitũ ergo:præuidẽs Pſalmiſta quòd in vltimo iudicio diſceptatio fiet de operib⁹ miſericordiæ,quæ homines ad cœleſtẽ Hieruſalẽ ducũt:hoc prænunciãs, dicit ipſis ſedibus.i.ſanctis, qui cum Chriſto iudicabunt:*Rogate quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalẽ.* D i.interrogate vel interrogabitis in iudicio illa quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalẽ.i.illa quæ ſpectant ad opera miſericordiæ, quæ ad cœleſtẽ Hieruſalẽ ducũt. Et iſtã ſententiã hic ponit Aug.dicens, Nã cũ Pſal.dixiſſet,*Ibi ſederũt ſedes in iudicio,ſedes ſuper domũ Dauid:* ſtatim ipſis ſedibus ait,*Rogate*(inquit.i.interrogate) *quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalẽ*.i. ô vos ſedes, quia iã ſedetis vt iudiceris,& facti eſtis ſedes domini iudicãtis: quoniã qui iudicant, interrogãt:qui iudicãtur, interrogantur. *Interrogate*(inquit) *quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalem*.ſ.interrogabitis de operibus miſericordiæ. Hæc enim eſt pax Hieruſalẽ,vt opera miſericordiæ corporalia iungãtur operibus ſpiritualibus: & fiat pax dãdo & accipiẽdo,ſicut ait Apoſt.Si nos vobis ſpiritualia ſeminauim⁹,magnũ eſt ſi veſtra carnalia E metam⁹? Interrogate ergo q̃ ad pacẽ ſunt Hieruſalẽ. Interrogãdo autẽ inuenietis alios feciſſe miſericordiã,alios nõ feciſſe. Quos inuenietis feciſſe miſericordiã,vocabitis ad Hieruſalẽ:quia ipſa opera miſericordię sũt ad pacẽ Hieruſalẽ.Sed fortè quis dicet, Quomodo ergo faciẽt pauperes,qui vnde opera miſericordię faciãt nõ habẽt? Huic obiectioni reſpõdet Pſal.dicẽs,*Et abũdãtia diligẽtibus te.* Vbi nota ꝙ De⁹ in

*Rogare idem eſt quod interrogare.*

*Miſericordiæ opera dicuntur pax.*

*Matth.25.*

*Matth.5.*

*Iacob.2.*

*1.Cor.9.*

*Quæſtio.*

omnibus plus attendit affectũ quàm cenſum, votũ A quã effectum. Vnde nõ habens exteriora quæ dare poſſit indigẽti, ſi indigenti voluntate compatiatur: ſic quòd libẽter daret ſi haberet, ſic dãdo votũ per dilectionẽ, tantũ meretur quãtum habẽs exteriora bona, & illa pauperib⁹ erogãs. Et hoc notat, dicẽs, *Et abundãtia diligẽtibus te:* quia. ſ. dilectio abundantiã facit in operibus miſericordiæ magis quã exterior cẽſus; quia bonũ quod vis facere & non potes, pro facto tibi imputatur. Similiter bonũ quòd in teipſo facere nõ potes, quod tamẽ in alio diligis, tibi imputatur: quia Deus votũ attẽdit, nõ cẽſum. Vnde hic, ait Aug. Vultis videre, fratres, quã fortis res ſit dilectio? Quiſquis per aliquã neceſſitatẽ non potuerit B implere quod iubet De⁹, amet illũ qui implet. Verbi gratia. Vxorẽ habes, quã dimittere nõ potes: oportet vt obtẽperes Apoſt. dicẽti, Vxori vir debitũ reddat: alligatus es vxori, ne quæſieris ſolutionem. Venit in mentẽ, quia melior eſt illa vita de qua dicit Apoſt. Vellẽ omnes eſſe ſicut & meipſum. Attẽdit eos qui hoc fecerũt, amat eos, & in ipſis implet quod in ſe implere nõ poteſt. Vnde ſi ſit ſola charitas quæ nõ inueniat quid diſtribuat pauperib⁹, diligat, ſolũ calicẽ det aquæ frigidæ: tantũ illi imputabitur quantũ Zacheo, qui dimidium patrimonij donauit pauperib⁹. Impar enim facultas eſt: ſed nõ impar charitas. Interroget ergo ſe vnuſquiſq; veſtrũ qualis eſt erga pauperẽ ſanctũ: quia de hoc in- C terrogare habẽt ſedes quæ ſedebũt in iudicio, &c. Et hoc eſt quod dicitur, *Rogate quæ ad pacẽ ſunt*, &c.

*Voluntas pro facto acceptatur à Deo.* — *1 Cor. 7.* — *Lucæ 19.*

2270 Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Hic ponit ſecundum gradum, qui eſt charitatis & cõcordię, ſiue pacis. Vbi notãdum ꝙ alia eſt pax peccatorũ, & alia pax iuſtorum: vel alia eſt pax Dei, & alia pax mundi. Propter quod dicebat Chriſtus, Ioã. 14, Pacẽ meã do vobis, &c. nõ quomodo mundus dat, ego do vobis. Quoniã pax mũdi ſiue peccatorũ ſtat in voluptatib⁹ & vitiis: de qua vide ver. 1186. Pax autẽ Dei & iuſtorũ ſtat in cõcordia morum: vt. ſ. quãdo ratio noſtra plenè ſubditur Deo, & voluptas rationi; per quæ fit vt caro etiã rationi ſubdatur. Quibus habitis, etiãſi mundus & hoſtis diabolus exterius cõcitet bella nobis, interius ta- D men pax firma manet: quinimò quãto magis exteriora bella cõcitantur, tanto pax interior creſcit & roboratur. Et de hac pace interiori loquitur Bern. ſuper illo verbo Matth. 5, Beati mites, quoniã ipſi poſſidebunt terrã: dicẽs, Hãc terrã corpus noſtrum intellige. Quod ſi pacificè poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſupra mẽbra ſua: neceſſe eſt vt ſit ipſa mitis & ſuperiori ſuo ſubdita. quoniã tale ſibi inuenit inferius ſuũ, qualẽ ſe exhibuerit ſuo ſuperiori. Armatur enim creatura ad vlciſcendum iniuriã ſui creatoris. Ideo nouerit anima quæ rebellem ſibi inuenit carnẽ ſuã, ſe quoq; minus debito ſuperiorib⁹ poteſtatibus eſſe ſubiectã. Manſueſcat ipſa & ſubdita ſit Deo, & his pariter quibus vice eius obedire habet prælatis: & cõtinuò corpus ſuũ ſibi E inueniet obediẽs & ſubiectũ, &c. Et Aug. in lib. de ſerm. domini in monte, de iſta ſpirituali pace dicit quòd pacifici in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus cõponentes & ſubiicientes rationi, carnaléſq; cõcupiſcentias habẽtes edomitas, fiunt regnũ Dei. In quo ita ordinata ſunt omnia, vt quod eſt in homine præcipuum & excellẽs, imperet cæteris reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſq; communia: atq; idipſũ quod excellit in homine (.ſ. mẽs & ratio) ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas filius Dei. Neq; enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſubiiciatur. Hęc ergo pax interior eſt ſecundus gradus neceſſarius ad gloriã obtinẽdam: quoniam per illã efficimur filij Dei. Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabũtur: ſi autẽ filij, & hæredes. Iſtã ergo pacẽ optans Pſal. ait, *Fiat pax in virtute tua*, &c. Sed quæ eſt hæc virtus quæ in nobis hanc pacem efficit, niſi vera dilectionis charitas: quæ tãtæ virtutis dicitur, vt ſibi nihil reſiſtere poſſit? Vnde iſtũ paſſum exponẽs Aug. dicit, *Fiat pax in virtute tua*: id eſt, in dilectione tua, quia virtus tua dilectio tua. B Audi dilectionẽ maximę eſſe virtutis. Ait enim Salomõ, Fortis eſt vt mors dilectio. Magnificẽtius enim exprimi nõ potuit fortitudo charitatis, quã vt diceret, valida eſt ſicut mors dilectio. Quis enim reſiſtit morti? Reſiſtitur ignib⁹, vndis, ferro: reſiſtitur poteſtatib⁹, reſiſtitur regibus. Venit vna mors, quis ei reſiſtit? Nihil eſt illa fortius. Propterea viribus mortis charitas cõparata eſt, cũ dicitur, Validã eſt ſicut mors dilectio. Et ipſa quidem charitas, mors quædã eſt, quia occidit in nobis quod fuimus, vt ſimus quod nõ eramus: & facit in nobis quandam mortẽ dilectio. Ipſa morte charitatis mortuus erat qui dicebat, Mũdus mihi crucifixus eſt, & ego mũdo. Si ergo ſic fortis & valida eſt dilectio, & ipſa cõ- C ſequẽter virtus eſt, quæ omnia inordinata occidẽs in nobis, pacẽ mẽtis reformat. Propter ꝙ & Pſal. ait eccleſiæ, *Fiat pax in virtute tua*. i. in charitate, & dilectione tua. Sequitur, *Et abundãtia in turribus tuis*. Hoc eſt, habita hic pace mẽtis: cõſequenter fiet abundãtia nobis in cœleſtib⁹ bonis. Nã ipſa gloria dicitur quãdoq; domus Dei. In domo patris mei mãſiones multæ ſunt. Quandoq; dicitur turris propter altitudinẽ gloriæ & ſecuritatem habitationis. Turris fortiſſima nomẽ domini: ad ipſam currit iuſtus & ſaluabitur. Et dicitur in plurali *in turribus*. propter diuerſitatẽ pręmiorũ. Erit ergo poſt pacẽ hic habitã abundantia in turribus eccleſiæ; quia in cœleſti patria ipſe Deus qui eſt in omnia bona, erit pręmiũ noſtrũ. Vel aliter: per turres noſtras intellige vires mentis noſtræ. ſ. intellectũ, voluntatẽ, & memoriã: quib⁹ omnibus virtus charitatis abũdantiã cõfert, D dũ illorum actus facit eſſe meritorios vitæ æternæ.

*Pax duplex: ſcilicet mundi & Dei, peccatoris & iuſti.* — *Pacificus quis dicatur.* — *Matth. 5.* — *Virtus dicitur charitas & dilectio.* — *Cant. 8.* — *Gal. 6.* — *Turris dicitur gloria æterna.* — *Ioan. 14.* — *Prouer. 18.*

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te. 2271

Hic ponitur tertius gradus, qui eſt veritatis eloquẽtia. Veritatẽ enim fidei quã quis à Deo didicit, aliis prædicare tenetur, vt ad fidẽ ipſos inducat. Sic enim pręcepit Chriſtus ſuis Apoſtolis, dicẽs, Eũtes docete omnes gẽtes ſeruare omnia quæcunq; mãdaui vobis. Et ideo Pſal. doctus de pace ſupernæ ciuitatis: quãta. ſ. ibi ſit trãquillitas mẽtis, quãta iocunditas, quãta mẽtis ſecuritas: vt alios ad ſtatum perfectionis perducat, illã pacẽ & ſempiternã requiẽ aliis prædicat, loquitur & manifeſtat. Vnde ſupernę ciuitati loquitur, dicẽs, *Loquebar pacem de te*. i. E loquebar pacẽ tuã, ipſam aliis prædicando: & hoc propter fratres meos & proximos meos. ſ. ad amorẽ tuũ cõuertendos. Illa enim pace ſupernæ ciuitatis audita quis nõ ſtatim ad ipſius cõuertatur amorẽ? Audi Greg. in ſerm. de mart. dicẽtem, Si conſideremus, fratres chariſſimi, quæ & quãta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt omnia animo quæ habẽtur in terris, &c. Et notanter dicit, *Propter fratres meos & proximos meos loquebar*, &c. quia quidam

*Matth. vlt.*



quidam ſpiritualia & ſuperna loquuntur & prædi- A cant, non propter proximos vel propter honorem Dei: ſed propter ſeipſos & honorẽ proprium. ſicut hypocritæ, qui gloriam propriã prædicando quærunt vel lucrum temporale. Et tales ordinẽ naturæ peruertunt, quia illa quæ ſunt ad finem, pro fine ſibi ſtatuunt, & finem aliis famulari faciunt. Contra quos iſte loquens, ait, *Propter fratres meos & proximos meos*. Quaſi dicat, ſecundum Aug. Non propter honorẽ meum, nõ propter lucrum meum, nõ propter pecuniam meã, non propter vitã meam loquebar pacem de te: ſed propter fratres meos & proximos meos, ſcilicet Chriſto lucrandos. Nam mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Ex quibus apparet, quòd nõ ſufficit homini vt bona loquatur, niſi etiã illa bene & ordinato modo dicat: vtputa hypocritę B bona loquũtur, ſed nõ bene. Vnde quatuor modos locutionis diſtinguit Greg. dicẽs, Omne ꝙ quis loquitur, quadripartita qualitate poteſt diſtigui: quia aut mala malè, aut bona bene, aut mala bene, aut bona malè dicuntur. Malè enim loquitur cum res peruerſa ſuadetur: ſicut ſcriptum eſt, Benedic Deo, & morere. Bene bonum dicitur cũ rectè recta prædicantur: ſicut Ioannes ait, Agite pœnitẽtiam: appropinquabit enim regnum cœlorum. Malum verò bene dicitur quando per os loquẽtis idcirco vitiũ exprimitur vt reprobetur: ſicut Paulus ait, Fœminæ eorum immutauerut naturalem vſum in eũ qui eſt contra naturam. Quo loco execranda quoque virorum facinora ſubdit: ſed honeſtè inhoneſta narrauit, vt multos ad honeſtatis formam reuo- C caret. Malè autem bonum dicitur cum rectum aliquid non recto ſtudio profertur: ſicut illuminato cæco dixiſſe Phariſæi perhibẽtur, Tu ſis diſcipulus eius. Quod maledictionis vtiq; ſtudio dixerũt, nõ orationis voto. Similiter & Caiphas ait, Oportet vnũ mori pro populo. Ad propoſitum ergo, Pſal. volens oſtendere ſe bonum bene locutum, ait, *Propter fratres meos*, &c.

*Phil. 1.* — *Loquitur qui quadrupliciter. Greg. 23. moral. cap. 3.* — *Iob 2.* — *Ioan. 1.* — *Rom. 1.* — *Ioan. 9.* — *Ioan. 11.*

1272 Propter domum domini Dei noſtri, quæſiui bona tibi.

Hic ponitur quartus gradus, qui eſt dilectionis æternæ patrię. Amor enim æternæ gloriæ debet eſſe motiuum omnis noſtræ bonæ operationis, vt quicquid facimus, amore illius faciamus: id eſt, vt D illam nobis acquiramus. Vbi notandum quòd duplex eſt domus Dei: ſcilicet militãs eccleſia, & triũphans patria. De domo militantis eccleſiæ dicit Chriſtus, Zelus domus tuæ comedit me. Quod ideo ſic dicit, quia tantus debet eſſe cuilibet amor eccleſiæ, vt eius accẽdatur animus ad omnia emẽdanda, quæ ibi cernit inordinata. Vnde Aug. ſuper Ioannem ait, Comedit zelus domus domini, (id eſt eccleſiæ) illũ qui omnia q̃ ibi videt peruerſa, cupit emendare: & ſi emendare non poteſt, gemens tolerat. Alia eſt domus triumphantis patriæ: de qua Ioan. 14, In domo patris mei mãſiones multę ſunt: quia ſecundũ diuerſitatẽ meritorum ibi multiplicitas eſt præmiorũ. Et de iſta domo hic ait, *Propter domum domini Dei noſtri*, &c. Quia ſolum ad iſtũ finẽ E bonum debemus loqui & aliis optare: vt illo mediante, ad cœleſtem perueniant hæreditatẽ. quaſi dicat, propter domũ domini Dei noſtri, ſcilicet mihi aliiſq; acquirendã, quæſiui bona tibi: id eſt, orãdo poſtulaui à Deo bona tibi conferri. Loquitur enim eccleſiæ militãti, cui optat bona domus triũphantis. Vel aliter: vbi notandũ quòd domus Dei A propriè dicitur conſcientia iuſta, in qua Deus vt in domo ſua habitat per ſpecialẽ gratiã: de qua domo dicitur Pſal. 62, Domum tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Hæc autẽ domus cõſcientię debet habere ſolidũ fundamentũ, floridũ ornamẽtum, decens tegumentũ, & frequẽs purgamentum. nihil autẽ domũ iſtã tantũ Deo ædificat, ſicut dilectionis charitas, quæ in dilectione Dei & proximi cõtinetur. Et ideo Pſal. per dilectionẽ proximi quã Dei dilectionẽ pręſupponit, hanc domum ſe fabricaſſe dicit, *Quæſiui bona tibi*: ſcilicet eccleſiæ militãti: & hic notatur charitas. Et hoc propter domũ domini Dei noſtri, id eſt, propter ædificandã cõſcientiam, domum domini Dei noſtri.

*Ioan. 2.* — *Domus conſcientiæ quomodo ædificatur Deo.*

## PSALMVS CXXII.

B AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. 2273

Huius Pſal. titulus eſt vt præcedentiũ. ſ. Canticũ graduum. Et exponitur vt ſuprà Pſal. 119. Vbi aduertendũ quòd, quantum ad expoſitionẽ literalẽ, iſte Pſal. videtur quædã deuota oratio Pſal. qui ſpiritu prophetico perluſtratus, prẽuidens futurã populi Dei ſubiugationẽ factã per Antiochũ illuſtrẽ tẽpore Machabæorũ pro auxilio opportuno habẽdo, oculos ſuæ mentis ad Deũ erigit: ipſum orãdo vt Dei populus ab illa tã crudeli ſubiectione liberetur. Et ſecundũ hoc, Pſal. iſte diuiditur in partes duas: quia primò oculos mentis ad Deũ erigit. Se- C cũdò ſcilicet populi ſubiugationẽ & miſeriam exprimit, ibi, *Miſerere noſtri*, &c. Dic vt N. Quantũ verò ad ſenſum propheticum, notandum quòd quartus gradus aſcenſionis quo iſti Pſal. graduales aſcẽdere cõtendunt, eſt vnitas eccleſiæ cum capite Chriſto, quam facit dilectio charitatis: quæ tanta eſt, quòd Chriſtus deſcendit nobis deſcẽdentibus, & ipſo aſcendẽte, nos aſcendimus cũ ipſo. Volens ergo gradatim ad Deum aſcendere, Chriſto capiti maneat vnitus, ſine quo nullus aſcendere poteſt. Quod hic declarans Aug. dicit, Omnis amor aut aſcendit, aut deſcẽdit. Deſiderio enim bono leuamur ad Deum, ſed malo ad ima præcipitamur. Sed quia malo deſiderio iã lapſi cecidimus, neceſſe eſt nos illi inhærere qui ad nos deſcendit, & qui ſolus aſcendere po- D teſt: quia nos viribus noſtris aſcendere nõ valemus. Ipſe enim dominus ait, Nemo aſcendit in cœlũ, niſi qui deſcẽdit de cœlo: filius hominis qui eſt in cœlo. Si enim vnũ fuerimus cũ ipſo, ipſe nobiſcũ manet in terra: & nos cũ ipſo aſcẽdimus cœlũ. Quòd autẽ ipſe nobiſcũ ſit in terra, patet, quoniã ipſe in cœlo iã poſitus eſt, & carne ſuſcitata immortalis, per q̃ fuit ad tẽpus mortalis: & nihil in cœlo perſecutionũ patiẽs, & nihil malitiarũ & opprobriorũ, ſicut hac in terra, quãdo omnia pro nobis ſuſtinere dignatus eſt: cõpaſſus tamẽ corpori ſuo in terra laborãti, dixit, Saule Saule quid me perſequeris? Iam ipſum nemo tãgebat, & ſe pati perſecutionẽ clamabat de cœlo. Nõ ergo præter ſpẽ eſſe debemus, imò cũ magna fiducia præſumere: quia ſi per charitatẽ E ipſe nobiſcũ eſt in terra, ita per charitatẽ & nos cũ illo ſumus in cœlo. Quomodo autem audiuimus quòd & nos cum illo ſumus in cœlo? audi Paulum dicentem, Si reſurrexiſtis cũ Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, &c. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cũ Chriſto in Deo. Ergo & ille adhuc deorſũ eſt, & nos iã ſurſum ſumus cu illo. Ille deorſum compaſſione charitatis, nos ſurſum ſumus ſpe

*Amor omnis aut aſcendit, aut deſcendit.* — *Ioan. 3.* — *Chriſtus nobiſcum eſt in terra, & nos in cœlo cum ipſo.* — *Coloſſ. 3.*

charitatis. Vnitus ergo Deo in perſona totius eccleſię mente aſcendit hic Pſal. & ait, *Ad te leuaui oculos meos*, &c. Ex quibus bene apparet quòd per charitatē cum Deo ſumus in cœlo, & ipſe eſt in terra nobiſcum. Et ſecundum hoc, Pſal. iſte habet duas partes: quia primò oſtendit primum: ſecundò ſecūdum, ibi, *Miſerere noſtri domine.* Prima pars diuiditur in partes tres, ſecundum quod iſte triplici virtute eleuatur in cœlum: primò cōtemplatione ſupernorum: ſecundò patientia aduerſorum, ibi, *Ecce ſicut oculi ſeruorum*: tertiò obedientia pręceptorum, ibi, *Sicut oculi ancillæ.* Primò igitur hic eleuatur in cœlum deſiderio & contēplatione ſupernorum, cum dicit, *Ad te leuaui oculos meos*, &c. Vbi notandum quòd per oculum intelligitur mēs noſtra & interior intētio, quæ dum munda eſt, totum interiorem hominem illuminat: & dum eſt immūda, totum obfuſcat: iuxta dictum ſaluatoris dicentis, Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autē oculus tuus nequā fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.

*Oculus ſignificat intētionem noſtram & mentem.*

*Matth.6.*

Quæ verba exponēs Aug. in de ſermone domini in monte, oſtendit quòd per oculum mentis intentio deſignatur, dicens, Oculum hic accipere debemus intentionem noſtrā: quæ ſi munda fuerit & recta, omnia opera noſtra quæ ſecundum ipſam operamur bona ſunt: quæ opera omnia totū corpus appellauit. Nō ergo quid quiſque faciat, ſed quo animo faciat, cōſiderandum eſt. Hoc eſt enim lumen in nobis: quia hoc nobis manifeſtum eſt, bono animo facere quod facimus. Ipſa verò facta quæ ad hominū ſocietatem procedunt, incertum nobis habent exitum: & ideo tenebras ea vocauit. Non enim noui cum pecuniam tribuo indigēti, quid ſit inde facturus. Si ergo ipſa cordis intentio quæ tibi nota eſt, ſordidatur appetitu rerum temporalium, magis ipſum factum cuius incertus eſt exitus, ſordidum erit. Quia & ſi bene alicui proueniat, quod tu nō recta intentione facis: quomodo tu feceris imputabitur tibi, non quomodo illi prouenerit. Si autē ſimplici intentione, id eſt, fine charitatis opera noſtra fiant: tunc munda ſunt, & placent in conſpectu Dei. Ex quibus apparet, quòd noſter oculus interior, eſt ipſa noſtræ mētis intentio: quā ad Deū leuare debemus, quia in omnibus operibus noſtris intētio ad Deū eſt erigenda, vt propter Deum fiāt.

*Intentio pēſanda eſt, non opus.*

*Oculus duplex: ſcilicet dexter, & ſiniſter.*

Et attende, quòd ſicut duplex eſt vita noſtra ſpiritualis & meritoria, ſcilicet contemplatiua & adiectiua: ita duplex eſt oculus noſter interior, ſcilicet dexter, qui eſt intentio vitæ contemplatiuæ: & ſiniſter, qui eſt intentio vitæ actiuæ: vt oſtēdit Greg. Quos ambos oculos ad Deum ſemper leuare debemus: vt ſcilicet dum cōtemplamur ſuperna, noſtra intentio ſit ad ipſum Deum, non ob curioſitatem ſciendi: & dum opera actiuæ vitę agimus, non gloriam noſtram, ſed Dei quæramus. Et ad hoc ſignificandum, non ſolum vnum prædictorum oculum ad Deum eleuabat Pſal. ſed ambos in plurali, dicens, *Ad te leuaui oculos meos*: ſcilicet dextrum & ſiniſtrum. *Ad te*, ſcilicet Deum verum: ad quod ſpecificādum ſubdit, *Qui habitas in cœlis.* Qualiter autem Deus habitat in cœlis, vide ver. 11. 101. 136. 293. Et nota quomodo iſte aſcendēdo iā profecit. Nā ſuprà in ſecundo gradu huius aſcēſionis dicebat, Leuaui oculos meos in mōtes. i. in ſanctos: nunc autē ipſos oculos ad ipſum Deum immediatè erigit Deo, dicens, *Ad te leuaui oculos meos*, &c. Nota quòd multa multipliciter leuare debemus. ſ. oculos, manus, animā, faciē, & vocem: de quibus vide ver. 993.

*Greg.6. moral. cap.25.*

2274 **Ecce, ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.**

Hic oſtenditur ſecunda virtus qua eleuamur in cœlū: ſcilicet patientia in aduerſis. Vbi notandum, quòd oculi ſeruorū continuè intendere debent ad dominum ſuū, vt videāt voluntatē eius: & perferāt quæ dominus iubet patienter. Sic & nos ſerui Dei quos redemit ſanguine ſuo, oculos noſtros ad manus domini noſtri (id eſt, ad opera) debemus habere, vt & nos patiēter portemus quæ & ille portauit pro nobis. Et hoc eſt quod ipſe dicebat, Exēplum dedi vobis, vt quēadmodum ego feci, & vos faciatis. Eſt ergo ſenſus, quòd ſicut oculi ſeruorum ſunt ad manus (id eſt, ad opera) dominorum ſuorū, & ad onera patienter tolerāda: ſic & nos oculos noſtros habere debemus ad dominum noſtrū Ieſum Chriſtum, vt pro nomine eius omnia aduerſa patienter toleremus. Iubet dominus nos aduerſitatib⁹ cædi: ſicut fecit Iob, Tobiā, Danielē, alióſq; ſeruos ſuos patienter portantes: oculos ad manus habebant, quouſq; terminaret aduerſa. Et ad iſtū intellectum exponit Aug. dicens, *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.* Fac aliquē dominum iuſſiſſe ſeruū cædi, vapulat ſeruus, ſentit plagarū dolores: attēdit ad manus domini ſui quoadúſq; dicat, parce. Manum enim ipſam poteſtatē dicit. Ergo quid dicimus, fratres? Iuſſit nos aduerſitatibus cędi dominus noſter: & in hac vita vapulamus, & tota vita iſta mortalis plaga noſtra eſt. Audi Pſalmiſtæ vocē, Pro iniquitate corripuiſti hominē: & tabeſcere feciſti ſicut araneā animā eius. Nihil enim infirmius anima noſtra poſita in mediis tentationibus ſæculi, in mediis gemitibus & parturitionibus moleſtiarum. Nihil ea infirmius, donec hæreat ſoliditati cœleſti vnde iā nō cadat. Quādo expulſus eſt homo de paradiſo, tūc iuſſus eſt ſeruus cædi. Videte quomodo vapulamus in omnibus qui ab initio generis humani nati ſunt, in omnibus qui non ſunt, in omnibus qui poſtea naſcentur. Sed multi ſic indurati ſunt, vt plagas nō ſentiāt. Vides fœlices aliquos in iſto ſæculo ridentes, iactantes ſe nō cędi, aduerſa nō pati: & tales peius cædūtur. Hoc enim ipſo grauius cæduntur, quo ſenſum ſuū perdiderunt, quādiu viuis in terra, ſiue feliciter viuas, ſiue in aliqua tribulatione conſtitutus ſis, leua oculos tuos ad manus domini, qui te cædi iuſſit. Eſt ergo differentia hæc inter iuſtos & malos: quia iuſti oculos ſuos ſemper habent ad manus domini ſui (id eſt, ad opera) Chriſti, vt illa patiēter imitētur. Mali autē oculos ſuos ad opera mūdi declinant: vt oſtēdit Greg. ſuper illo verbo Iob 24, Oculi eius ſunt in viis eius: dicēs, Vias ſuas peccator intuetur, quia ſola cogitare, ſola cernere nititur quæ ſibi ad cōmodum tēporale ſuffragētur. Hinc etenim Paulus dicit, Omnes quæ ſua ſunt quærūt, nō quæ Ieſu Chriſti. Via namq; elati, ſuperbia: via raptoris, auaritia: via lubrici, concupiſcētia carnalis. In viis ergo ſuis vnuſquiſq; iniquus oculos ſuos deprimit: quia ſolū viis prædictis, vt per hæc animo ſatisfaciat, intēdit. Vnde per Salomonē dicitur, Oculi ſtultorū in finibus terræ. Quia hic ſolū tota intētione conſpiciūt per quod ad finē terreni deſiderij perducātur. Nequaquā verò peccator oculos ſuos in terram figeret, ſi ipſos ad ſui redēptoris itinera leuaret. Vnde per Salomonē dicitur, Oculi ſapiētis in capite eius. Quia videlicet ſapiēs quiſq; illum tota intētione deſiderat,

*Ioan.13.*

*Omnes in præſenti vita patiuntur aduerſa.*

*Pſal.38.*

*Greg.17. moral. cap.4.*

*Phil.2.*

*Prouer.17.*

*Eccle.2.*



rat, cuius mēbrum ſe eſſe per fidem penſat. Has redemptoris vias videre deſiderabat qui dicebat, In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Acſi apertè ſpondeat, dicēs, Quæ mea ſunt iam videre refugio: quia per imitationis tuæ viā pergere cōuerſationis greſſibus inardeſco. Qui enim præſenti iā mūdo cōtradicit, amoris exercitatione continua redēptoris ſui vias cordis ſui oculis obiicit, vt mens proſpera fugiat, & ad aduerſa ſe præparet: nihil quod nocere creditur, pertimeſcat: mœrorem gaudium deputet, præſentis vitæ gaudia dāna mœroris putet, abiectionis detrimenta non timeat: ſed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Sic faciebat Pſalmiſta, cū dicebat, *Sicut oculi ſeruorum in manibus ſuorum dominorum*: ſupple, ſic oculi mei in manibus domini mei.

*Pſal.118.*

*Quæſtio. Cur fideles dicitur ſerui, cum ſint filij Dei.*

Sed hic occurrit dubium: Cum per fidem, filij Dei ex ſeruis facti ſimus, quomodo fideles nomine ſeruorū adhuc vocat Pſalmiſta, dicens, *Sicut oculi ſeruorum?* &c. Et non dicit potius, ſicut oculi filiorum vel amicorū: cū tamen Chriſtus ſuis fidelibus dicat, Iā non dicā vos ſeruos, ſed amicos? Ad hoc reſpondetur quòd duo in nobis conſideranda ſunt: ſcilicet vnum ex parte noſtra, quod eſt debitū ex beneficio recepto à Chriſto: & ſic ſerui dicimur, quia ab ipſo proprio redēpti ſanguine. Aliud eſt ex parte Dei: ſcilicet beneficiū ſuæ gratiæ nobis collatum gratis, quo nos adoptauit in filios: & ſic filij dicimur, & non ſerui. Et ſecundum iſtas duas conſiderationes, fideles in ſcriptura quandoque vocantur filij Dei, quandoque ſerui. Vel aliter, ſecundum Aug. ſuper Ioannem. Sicut ſunt duo timores, ſic & duæ ſunt ſeruitutes. Eſt enim timor quem perfecta charitas mittit foras: in quo eſt etiā ſeruitus ſimul foras cum ipſo timore mittenda. Eſt & alius timor caſtus permanēs in ſæculum ſæculi. Ad primam ergo ſeruitutē ſeruos pertinētes Chriſtus intuebatur, dicens, Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit &c. Non ille vtique ſeruus ad timorem pertinens caſtum: cui dicitur, Euge ſerue bone, intra in gaudiū domini tui? Sic enim & Paulus ſe ſeruum nominat, dicens, Paulus ſeruus Ieſu Chriſti &c.

*Ioan.14.*

*1.Ioan.15.*

*Ioan.15.*

*Matth.25*

*Rom.1.*

2275 **Sicut oculi ancillę in manibus dominę ſuæ, ita oculi noſtri ad dominū Deū noſtrum, donec miſereatur noſtri.**

Hîc tertia virtus qua eleuamur in cœlū, ſcilicet obedientia pręceptorū, oſtenditur. Vbi notandum, quòd ancilla nomen eſt perſonæ alteri famulantis & obediētis. Ancilla nāque dicitur ab an, quod eſt circū, & cillo cillas, quod eſt mouere. Inde ancilla dicitur, quia circūquaque ſeruiendo mouetur. Et hinc eſt quòd ratione ſuæ humilis obedientiæ ipſa virgo Maria ſe ancillā nuncupauit, dicens, Ecce ancilla domini &c. Sic ergo ſunt oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, quādo tota noſtræ mētis intentio eſt ad humiliter obediendū ſapientiæ increatæ quæ omnium dominatur. Quas autem cōditiones debet habere ancilla in obediendo, vide ver. 2043. Vel aliter: vt per ancillā caro intelligatur. Quia ſicut in politia mundi, ancilla dominę ſuę ſubiici debet, & domina præferri: ſic in politia interioris hominis, locū dominę tenet ratio, quę in domo mētis debet dominari: ſed caro vt ancilla ſibi ſubiici debet & famulari. Noſtrā igitur erga Deū debitā obediētiā volēs oſtēdere Pſal. hoc vtitur exēplo: dicēs, ꝙ ſicut oculi ancillę ſunt in manibus dominę ſuæ, (id eſt, ſicut intētio vel appetit⁹ carnis ſubiici debet rationi & famulari) ſic & oculi noſtri (i. intētiones noſtræ) ſunt ad dominū Deū noſtrū: ſcilicet ad ſibi obediēdū. Sed iſte politicus & naturalis ordo, hodie peruertitur in multis, in quib⁹ caro rationi præfertur & dominatur: ipſa verò ratio carni ſeruit & ſubiugatur. Quod deteſtās Sapiēs ait, Prou. 30, Per tria mouetur terra: & quartū ſuſtinere nō poteſt. per ſeruū, cū regnauerit: per ſtultū, cū ſaturatus fuerit cibo: per odioſam mulierē, cū in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillā, cū fuerit hæres dominę ſuę. Quę verba moraliter exponēs Gualf. dicit, Mouetur terra. i. turbatur eccleſia per ſeruū cū regnauerit. i. per hominem criminoſum & ſeruū peccati, cū eccleſiaſticæ prælationis obtinuerit dignitatē. Per ſtultū, cū ſatiatus fuerit cibo. i. per populū imperitū, cū faſtidierit verbū Dei. Per mulierem odioſam, cum aſſumpta fuerit in matrimonium, videlicet cū regulares qui proprietati renūciauerūt, velut odioſæ mulieri dātes libellū repudij, cupiditate ducti, iterū terrenis implicātur & ſeruiunt. Per ancillā, cū fuerit hęres dominę ſuę: quod carnales tāgit, qui carnē rationi pręferūt, & voluptatē carnis animarū ſaluti. Nō ſic ergo ſit in nobis, ſed ancilla (ſ. caro) rationi ſubdatur: iuxta cōſiliū angeli dicētis ancillæ Agar, Agar ancilla Sarai, reuertere ad dominā tuā, & humiliare ſub manibus eius: vt ſic Deo rectè valeamus dicere, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ* &c. Sed quandiu talis ſeruitus, talis ſubiugatio ſerui ad dominū & ancillæ ad dominam debet eſſe, ſubdit, dicēs, *Donec miſereatur noſtri.* Miſereri enim eſt alterius miſeriā remouere vel terminare. Miſeria autē noſtra durat, quādiu pręſens vita permanet: vt tactū eſt in præcedēti verſiculo. Tūc ergo planè noſtri miſerebitur Deus, quādo finita huius ſæculi vita, omnis miſeria plenè in nobis erit terminata. Interim ergo dū viuimus, neceſſe eſt nos oculos noſtros habere in manibus domini, aduerſa humiliter tolerādo, & carnis oculos in manibus rationis humiliter obediēdo. Et hoc eſt quod ait, *Donec miſereatur noſtri.* Quāuis enim in vita beata nos ſeruiemus Deo & ei obedientes erimus: nō tamē cū labore & miſeria, vt nūc facimus. Vel aliter: vt ly *donec* ſignificet æternitatem. vide verſic. 915.

*Luc.1.*

*Eccleſia turbatur per multa.*

*Gen.16.*

**Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.** 2276

Hîc conſequenter oſtendit quomodo Deus nobiſcum manet in terra: ſcilicet per compaſſionē & miſericordiam. Et duo facit: quia primò diuinā poſtulat miſericordiam. Secūdò ſuam explicat miſeriam, *Quia multum.* Quantum ad primum: ſciēdum quòd vbi maior eſt miſeria, ibi magis locū habet miſericordia. Quantò autem quis in præſenti vita iuſtior eſt atque ſpiritualior: tanto miſerabilior reputatur à malis, & amplius irridetur & repletur deſpectione. Propter quod dicitur Iob 12, Deridetur iuſti ſimplicitas. Quod ideo dicitur, quia mali derident & deſpiciunt ſpirituales: qui viſibilibus ſpretis, inuiſibilia quærunt & amant: vt hic oſtendit Auguſtinus, dicens, Omnes qui ſecundum Chriſtum piè volunt viuere, neceſſe eſt vt patiantur opprobria & contemnantur ab his qui volunt impiè viuere, quorum felicitas totā terrena eſt. Irridentur enim illi qui felicitatem vocāt quam oculis videre non poſſunt. Et dicitur eis,

*Deridētur iuſti à malis & deſpiciuntur.*

Quid credis inſane? Vides quod credis? Reuerſus eſtne aliquis ab inferis, & retulit tibi quid ibi agatur? Ecce ego quod amo, video & fruor. Deſpiceris, quia ſperas quod non vides. Et deſpicit te ille qui quaſi tenet quod videt. Attende ipſe ſi tenet: noli turbari, ne dum putas eſſe felicem in præſenti, amittas veram felicitatem futuram. Noli turbari. Attende quia non tenet quod credit tenere. Labitur enim hoc ab illo quod tenet: vel ipſe ab eo quod tenet, Neceſſe eſt enim vt illa tranſeant, aut ipſe per res ſuas, aut res ſuæ per illum, per quem tranſeũt res ſuæ qui viuus labefactauerit: qui tranſit per res ſuas, qui in diuitiis moritur: quia cum moritur, non eas ſecum affert ad inferos. Iactat ſe domum habere. Quæris quam domum tuam dicis? Reſpondet, Quam mihi dimiſit pater meus. Et ille, Vnde habuit hanc domum? Auus noſter illi illam dimiſit. Recurre & ad proauum & attauum: nónne inde potius terreris, quia multos attendis tranſiſſe per illam domum, & neminem ipſorum illam ſecum tuliſſe ad æternam domum? Pater tuus hic eam dimiſit, tranſiuit per illam: ſic & tu tranſibis. Sic ergo tranſitum habetis in domo veſtra: ſtabulum eſt itinerantium, non habitatio commanentium. Et tamen quia nos quæ futura ſunt ſeparamus, & in futuram felicitatem ſuſpiramus: & nondum apparuit quod erimus, quamuis iam filij Dei ſumus: ideo repleti ſumus deſpectione, id eſt, contemptu, ab his qui felicitatem quærunt vel habent in præſenti ſæculo. Quibus conſideratis, iuſtus à Deo petit, *Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri* &c. Hoc ideo geminat, quia corpus paſſionibus & anima opprobriis laborat. Neceſſe eſt ergo vt miſerearis, quia multum repleti ſumus deſpectione. Sed attende quòd veniet tempus miſerationis, quo iuſti à tali deſpectione liberati, æternaliter ipſi diſpicient malos: dicentes, Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

*Felicitas hic eſſe nõ poteſt.*

*1. Ioan. 3.*

*Pſal. 53.*

2277 Quia multum repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

Hîc magis ſuam explicat miſeriam. Vbi aduerte, quòd anima quandoque pro toto homine accipitur, quia principalior pars eſt hominis. Vnde Matth. 6, ait Ieſus, Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis &c. Dum ergo Pſalm. dicit quòd anima noſtra multum repleta eſt (ſcilicet deſpectione) id eſt, totus homo, & quo ad animam & quo ad corpus, Et qualiter hoc ſit, manifeſtat dicens, *Opprobrium abundantibus*. Vbi per abundantes accipe diuites huius mundi, qui temporalibus abundant, quibus iuſti & pauperes facti ſunt opprobrium. Similiter & deſpectio ſuperbis, quia ſuperbi humiles deſpiciunt. Sed attende quòd non ſolùm iuſti ſunt opprobrium abundãtibus & deſpectio ſuperbis, verumetiam quandoque miſeri peccatores ipſos iuſtos deſpiciunt. Vnde & latro cum Chriſto crucifixus, ipſum Chriſtum blaſphemando deſpiciebat. Sed tales licet temporalibus bonis & proſperitate non abũdent, abũdant tamen præſumptione & malicia, quando contra iuſtos inſurgunt. Vnde hic ait Auguſt. Aliquando etiam ipſi qui in flagello aduerſitatis temporalis ſunt poſiti, nobis inſultant. Inuenies enim aliquem pro merito iniquitatum ſuarum, ſiue occulto Dei iudicio, ſiue manifeſta damnatione, mitti in carcerẽ, portare catenam: & ipſe etiam iuſtis inſultat. Et cum ei dictum fuerit, Quare non bene vixiſti? ecce quò veniſti malè viuendo: ille reſpondet, Quare illi qui bene viuunt iſta patiuntur? Sed illi propterea patiuntur vt probentur, vt tentationibus exerceantur & flagellis proficiant: quia flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et ſi vnicum ſine peccato flagellauit, & pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellemur? Et cum iſta dixerimus, illi adhuc de infelicitate ſuperbiunt, & afflicti nondum humiliati reſpondent & dicunt, Iſta ſunt verba vanorum Chriſtianorum, qui credunt quod non vident. Inſultant ergo nobis & qui abundãt, & etiam qui in calamitate ſunt poſiti. Inſultauit enim Chriſto & latro qui cum ipſo crucifixus erat. Inſultant ergo qui abundant & qui non abundant. Quare ergo Pſalmiſta ſolum abundantes nominat, dicens quòd ſumus opprobrium abundantibus? Sed aduertite quòd etiam ſuperbi & pauperes abundant. Nã niſi abundarent, ſuperbi non eſſent. Alius enim abundat pecunia, & inde ſuperbus eſt. Alius abundat honoribus: & inde ſuperbus eſt. Alius abũdare ſe iuſtitia putat; & inde ſuperbus eſt. Et quod peius eſt, qui non abundat pecunia, iuſtitiam ſibi videtur abundare aduerſus Deum. Et tales in calamitatibus poſiti, ſe iuſtificant & Deum accuſant; dicentes, Quid mali feci? Et ſi cogitat ſe multa feciſſe, dicit, Multos video multa peiora feciſſe, & nihil pati. Et talis iniuſtus contra Deum abundat, quia videtur ſibi Deũ erga ipſum iniuſtè agere, & quòd ipſe patiatur iniuſté. Sic ergo omnis qui iuſtos deſpicit, ipſe abundat ſuperbia; licet temporalibus bonis ſit egens. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta, quòd ſumus facti opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis. Pro eodem enim hic accipiuntur abundantes & ſuperbi, & opprobrium & deſpectio.

*Luc. 23.*

*Iuſti deridentur à malis & patiẽtibus mala.*

## PSALM. CXXIII.

Niſi quia dominus erat in nobis: dicat nunc Iſrael, niſi quia dominus erat in nobis. 2278

Titulus huius Pſalm. eſt idem quod titulus præcedentium Pſalmorum gradualium: ſcilicet Canticum graduum. Et exponitur ſicut in primò Pſal. graduali: ſcilicet Pſal. 119. De materia autem huius Pſalm. quantum ad literam, ſciendum quòd vt habetur 2. Reg. 5, quòd poſt mortem Saulis, tribus Iuda vnxit Dauid in regem: & ſuper tribũ Iuda ſolam regnauit ſeptem annis cum dimidio: quia cæteræ tribus ſequebantur Iſboſeth filium Ionathæ filij Saulis. Ipſo autem Iſboſeth mortuo, vniuerſæ tribus Iſrael venerunt ad Dauid in Hebron: & vnxerunt eum in regem ſuper totum Iſrael. Quod cum audiſſent Philiſthæi, timẽtes ne Dauid confirmaretur & proſperaretur in regnum: & principiis volentes obſtare, vniuerſi congregati ſunt vt pugnarent contra Dauid, & ipſum interficerent. Tũc Dauid tantam multitudinem contra ſe cernens, timuit: & conſuluit dominũ, dicens, Si aſcendã contra Philiſthæos, & trades eos in manus meas? Cui reſpondens dominus, oſtendit ſibi modum quo contra Philiſthæos deberet aſcendere: dicens, Gyra





poſt tergũ Philiſthinorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum. Et cum audieris ſonitum gradiẽtis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tũc dominus egredietur ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthiim. Fecit itaq; vt præceperat ei domin⁹, & percuſſit Philiſthiim. Hãc ergo victoriã de Philiſthæis habitam virtute domini qui erat cũ Dauid, & in populo ſuo, ipſi domino attribuens Dauid iſtum Pſal. fecit, dicens, *Niſi quia dominus erat in nobis* &c. Et duo facit: quia primò victoriã habitã Deo aſcribit: ſecundò de dicta victoria Deo gratias agit: ibi, *Benedictus dominus* &c. dic vt N. Quantũ verò ad ſenſum propheticum, ſciendũ quòd quintus gradus noſtræ ſpiritualis aſcenſionis eſt beneficiorum Dei recognitio, ſiue gratiarũ actio. Vnde ſancti vidẽtes qualiter in præſenti vita multis periculis implicantur, multis circundãtur hoſtibus, quàm multis tentationibus impugnãtur, quibus reſiſtere ſine Dei adiutorio nõ poſſunt: ideo de ipſorũ liberatione exultantes, & hanc à Deo recognoſcẽtes, in iſto Pſal. Deo gratias agunt, confitentes, quòd niſi domin⁹ adiuuiſſet eos, ipſi periculis ſuccubuiſſent. Et hoc eſt quod dicunt, *Niſi quia dominus erat in nobis* &c. Sed hic vnum eſt aduertendum, quòd in iſtis Pſal. gradualibus Pſal. loquitur quãdoque vt vnus ſolus in ſingulari: ſicut fecit in omnibus præcedentibus: dicens, Ad dominum cum tribularer clamaui &c. Leuaui oculos meos &c. Quandoque verò loquitur vt multi in plurali, vt hic: dicens, *Niſi quia dominus erat in nobis &c.* Similiter & in ſequentibus. Quod ideo ſtudioſè actum eſt, vt oſtendat quòd ratione vnitatis fidei omnes fideles ſunt vnus homo: & vnus homo eſt omnes. Et hanc rationẽ hic tãgit Aug. dicens, Cantant ergo aſcendentes, & aliquando tanquam vnus, aliquando verò tanquam multi: quia & multi vnus, quia vnus Chriſtus: & in Chriſto membra Chriſti, cũ Chriſto vnũ faciũt. Et horũ omnium mẽbrorum caput in cœlo eſt: corpus autẽ etiãſi laborat in terra, non eſt præciſum à capite ſuo. Siue ergo vnus cantet, ſiue multi cãtent: & multi homines vnus homo eſt, quia Chriſtus vnus eſt; & omnes Chriſtiani mẽbra ſunt Chriſti. Hæc ergo mẽbra Chriſti quid cantãt? Amãt enim, & amando cãtant, & deſiderãdo cantãt. Aliquãdo cũ tribulatione cantant, & aliquãdo exultãdo cantant. Tribulatio enim noſtra in præſenti ſæculo: ſpes verò noſtra & cõſolatio de futuro ſæculo. Et niſi in tribulatione præſentis ſæculi cõſoletur nos ſpes futuri ſæculi, perimus. Gaudium ergo noſtrum, fratres, nondũ eſt in re, ſed iã eſt in ſpe. Spes autem noſtra tam certa eſt quaſi iam perfecta ſit, promittẽte veritate: quæ nec falli nec fallere poteſt. Hinc eſt ergo quòd ſancti quãuis in præſenti nondũ ſint à periculis liberati, ſed realiter à tribulationibus afflicti: tamen quia ſpe certi ſunt de liberatione futura, ideo gratias agentes cantãt quaſi iam liberati: dicentes, *Niſi quia dominus erat in nobis* &c. Quibus viſis accedo ad diuiſionẽ Pſal. Diuiditur ergo Pſal. iſte in duas partes: quia ſancti primò ſe à Deo liberatos eſſe cognoſcunt: ſecundò ex hoc Deo gratias agunt; ibi, Benedictus dominus. Prima in duas; quia primò ſuã liberationem Deo attribuunt: ſecundò periculorum grauitatẽ exprimunt: ibi, *Cum exurgerent*. Quantum ergo ad primum, ſciẽdum quòd propriè iſta verba ſunt ſanctorum, qui iam pericula mundi Dei adiutorio euaſerunt. Sed nos in iſto mũdo adhuc conſtituti, ſpe eleuati, in illorum numero nos conſtituentes, cum illis etiam iſta verba canimus. Illi quia in re iam liberati: nos autem quia in ſpe. Et hoc eſt quod hic ait Auguſt. Reſpiciunt ſancti tribulationes quas paſſi ſunt: & conſiderant in eo iam loco & beatitudine ſe conſtitutos, conſiderãt quæ tranſierunt, quò peruenerunt, & quòd liberari non poterant, niſi manus liberantis affuiſſet. Vnde hoc conſiderantes, gaudentes dicunt, *Niſi quia dominus erat in nobis* &c. ſupple, liberati de mundi periculis nõ eſſemus. Dicat nunc Iſrael. ſ. quæ & quanta Dei adiutorio euaſit, quæ nõ euaſiſſet, niſi quia domin⁹ erat in nobis. Iſtos ergo beatos qui iã euaſerunt, Pſal. nobis conſtituit intuẽdos. Conſtituamus ergo & nos illos in corde iam triũphantes. Et tanquam ibi etiam ſimus, ſicut in priori Pſal. dictum eſt, Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem: nondum tamen ibi erant, ſed in via erant. Sed tanta erat perueniendi ſpes, vt adhuc in via poſiti & laborantes, iam ſibi illic conſtituti viderẽtur. Sic & nũc ponamus nos in illo triumpho qui erit in futuro ſæculo, quãdo exultabimus morte iam conſumpta, iã coniũcti angelis, & exultantes cum rege noſtro. Ibi ergo ſpe & corde conſtituti, cogitemus quid euaſimus, quæ ſcandala, quas tribulationes mundi, quas perſecutiones infidelium, quos dolos omnium hæreticorum, quas ſuggeſtiones diaboli, quas cupiditatum conflictiones. Omnia iſta quis euaderet, niſi dominus eſſet in illo? Nos ergo ſpe ibi conſtituti, dicamus, *Niſi quia domin⁹ erat in nobis*, quis illa euaderet: *dicat nunc Iſrael, niſi quia domin⁹ erat in nobis*. Hoc ideo duplicat, quia duplicia ſunt pericula quibus impugnamur: ſcilicet corporis & animæ. Notandum autem, ꝙ quamuis Deus ſit in omnibus hominibus: quinimmo in omni re per eſſentiam, potentiam, præſentiam: non tamen eſt in omnibus hominibus per ſuum adiutorium & gratiam: vt deducit Magiſter, lib. 1, diſt. 37. De hoc vide verſic. 11. 293.

*...us homo ...ſt omnes Chriſtiani: & ...us ſunt ...m.*

*Spes in cœleſtibus nos facit habitare.*

Cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. 2279

Hîc exprimit periculorum grauitatem, quam per Dei adiutorium euadimus. Quæ grauitas cõſiſtit primò in perſecutione paganorum: ſecundò in perſecutione tyrannorũ: ibi, *Cum iraſceretur*: tertiò in multiplicatione aduerſitatũ: ibi, *Torrẽtem*. Quantum ad primum, ſciendũ quòd perſecutio paganorum ad hoc ſæuit, vt nos à cultu veri Dei ſeparet, & ad culturam deducat idolorum. Verumtamen notandum quòd ad culturam idolorum aliqui inducũtur viui, & aliqui mortui. Viui colunt idola, qui cognoſcentes veritatem (ſcilicet ſolum verũ Deum eſſe colendum, & non idola, quia nihil ſunt) tamen timore pœnarum preſſi, Deum verum negant, & idola colunt. Mortui verò idola colunt idolatræ, qui veri Dei cognitionem non habentes, credunt idola virtutem diuinam cõtinere, & illa debere coli. Certum eſt autem quòd grauius peccant primi, quàm ſecundi: quia directè contra conſcientiam agunt. Ad propoſitum ergo: Pſal. conſiderans perſecutionem paganorum contra fideles, vt ad culturam idolorum illos abſorbeant: dicit quòd niſi dominus fuiſſet in eis ipſos adiuuando, quòd ipſi infideles ſuis perſecutionibus, fideles viuos ad culturam idolorum abſorbuiſſent. Et hoc eſt quod ait, *Niſi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines* (ſcilicet infideles) *in nos, fortè viuos deglutiſſent nos*. Et iſtã ſententiã hic ponit Auguſt. dicens, Hi ſunt qui viui abſorbentur, qui à paganis perſecuti, ſcientes

*Peccãt aliqui viui, & aliqui mortui.*

*Abſorbẽtur aliqui viui, & aliqui mortui.*

idola non eſſe colenda, timore conſentiunt. Surrexerunt enim quidam perſecutores, & dixerunt hominibus, Thurificate idolis noſtris: quod ſi non feceritis, occidemus vos. Illi autem quamuis veritatem cognoſcentes, amauerunt hanc vitam, & dulcedo vitæ huius tenuit eos: quia plus dilexerunt ea quæ videbant in terra, quã illa quę promiſit Deus, quæ nondum videbant. Vnde plus retinentes ea quæ videbant, excluſerunt de cordibus ſuis dominum. Et ſic quia non erat in eis dominus, viui abſorpti ſunt: quia thurificantes idolo, ſciebant nihil eſſe idolum. Nam ſi aliquid putarent idolum eſſe, mortui abſorberentur. Cum autem ſciunt nihil eſſe idolũ, & nouerũt omnia gentilium ſacrificia vana eſſe, & tamen faciunt quod volunt perſecutores, viui abſorbentur. Sed ideo viui abſorbentur, quia non eſt in eis dominus. In quibus autem eſt dominus, occidũtur, & non moriũtur. Iſti ergo qui paſſi ſunt, & non conſenſerunt perſecutionibus: exultant & dicũt, *Niſi quia dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forſitan viuos abſorbuiſſent nos.* Et dicit forſitan, ne excludat libertatem arbitrij, quæ ad peccatum cogi non poteſt. Item notandũ quòd in ſcriptura homo accipitur multipliciter: ſcilicet aliquando propriè: & ſic ſolum dicitur homo qui viuit ſecũdum rationem. vide verſic. 558. Aliquando verò dicitur homo, qui ſecũdum carnem viuit, & non ſecundũ rationẽ. vide verſic. 799. Et ſic idolatræ dicuntur homines, quia ſecundum carnẽ viuunt, non ſecundum rationem. Et ſic hic accipitur homo, cum dicitur, *Cum exurgerent homines in nos* &c.

2280 Cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Hîc ponitur tyrannorum perſecutio. Vbi ſciendum quòd tyranni & infideles duplici modo perſequebãtur fideles: ſcilicet primò blãdiciis & adulationibus. Et ſi ſic nõ poterant illos peruertere, tũc ipſos perſequebantur minis & verberibus. Perſequebãtur enim eos primò blãdiciis. Cum enim inceperit homo aſcẽdere & proficere, ſtatim linguas doloſas patitur: blãdas ad perniciem, blãdas ad malã ſuaſionem: vt puta dicẽtes, Quid facis? quare hoc facis? Nónne potes tu aliter Deo ſeruire? Tu ſolus es, qui vis hoc eſſe quod alij non ſunt. Et ſi inueneris alios qui ſimilia fecerunt, illa doloſa lingua ſtatim dicit, Illi hoc facere potuerunt: fortè tu nõ poteris. Tu aggrederis: & ſi deficias, melius erat non incipere &c. vt de lingua doloſa habes ver. 2251. Quando ergo vidẽt quòd blandiciis optatum obtinere non poſſunt, ſe ad iram & furorẽ cõuertunt, & verbera flagelláque inferunt: vt quos blãdis vincere non poſſunt, aſperis vincant. vnde iã apertè ſęuiunt, iam flagellant & perſequuntur vt furibundi. Et hoc eſt quod de iſto ſecundo genere perſecutionis hic ait Pſal. *Cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.* Vbi notãdum quòd hic per aquam intelliguntur populi peccatores: qui ſicut aqua ſemper tendunt ad ima. Quibus conſentientes, abſorbentur ab eis. Sed illi qui non cõſentiunt, eorum minas ſpernentes & verbera, illæſi per iſtas tranſeunt aquas: more filiorum Iſrael, qui illęſi aquas maris trãſierunt: in quibus Ægyptij ſubmerſi fuerunt. Et hoc eſt quod ait Aug. *Dum iraſceretur furor eorũ in nos* &c. Iã iraſcuntur, iã apertè ſæuiunt. Aquam autẽ dicit populos peccatores. Quicunque autem conſenſiſſet illis, aqua illum operuiſſet. Moreretur enim morte Ægyptiorum: non tranſiſſet exemplo Iſraelitarum. Et ſic eſt ſenſus, *Cum iraſceretur furor eorum in nos* (id eſt cum apertè nos perſequerentur, vt furibundi & inhumani) *niſi quia dominus erat in nobis, forſitan aqua abſorbuiſſet nos*: id eſt, illi populi furibundi abſorbuiſſent nos, quia niſi dominus nos iuuiſſet, timore pœnarum illis cõſenſiſſemus: & ſic operti abſorpti fuiſſemus. Vel per aquam intellige mundi pœnalitates & aduerſa. vide verſic. 1089. Et tunc eſt ſenſus, *Aqua abſorbuiſſet nos*: id eſt, ab illis pœnis & aduerſitatibus abſorpti fuiſſemus: quia timore pœnarũ ad ipſorum malam voluntatem nos inclinati fuiſſemus, niſi quia dominus erat in nobis. Et attende quòd dicit, *forſitan aqua abſorbuiſſet nos.* Nam vt dicit catholicon, ſorbeo, es, idem eſt quod aliquid deuorare vel penitus euacuare: vnde abſorbere vel obſorbere, idem eſt quod aliquid valde deuorare vel euacuare. Et ſic homo abſorbetur, quando malis conſentiens, omni virtute & vigore interiori euacuatur. Et ſic eſt ſenſus, *Niſi quia dominus erat in nobis*: cũ mali furibundi inſurgerent in nos, nos eis conſentiẽtes, omni virtute euacuati fuiſſemus.

*Aqua populos malos ſignificat.*

*Abſorbere quid ſit.*

Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertrãſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. 2281

Hîc conſequenter oſtendit grauitatem & multiplicitatem aduerſitatum, in quibus adiuuamur à Deo. Vbi ſciendũ, quòd torrens dicitur fluuius qui repentinis viribus creſcit, & cum magno impetu currit: ſed non diu durat, & citò deficit: & ſignificat pœnas & aduerſitates præſentis vitę, quę martyres cum magno impetu inuaſerunt: ſed ad modicum tempus & citò defecerunt. Vnde de Chriſto legitur Pſal. 109, De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. Hoc eſt, quia Chriſtus aduerſa huius vitæ ad tempus ſuſtinuit, propterea fuit ſuper omnem creaturam exaltatus: vt declarat Apoſtolus ad Phil. 2, dicens, quòd quia Chriſtus factus eſt obediens patri vſque ad mortem crucis, ideo Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen &c. Conſimiliter & nunc martyres finitis ipſorum pœnis & cruciatibus, mortéque guſtata: nunc ad gloriam ſublimari, exultantes dicunt, *Torrentem pertrãſiuit anima noſtra*: id eſt, pœnam vel mortem temporalem & breuem, propter quod & nunc gloriam habemus æternam. De hoc torrente vide verſic. 1975. Vnde hic ait Auguſtinus, Aqua iſta, ſcilicet perſecutionum, torrens eſt: fluit cum impetu, ſed tranſitura eſt. Torrentes enim dicuntur fluuij qui repentinis viribus creſcunt, magnum habẽt impetum: ſi quis incurrerit, trahitur, ſi in illo nõ eſt dominus. In quo autẽ dominus eſt, tranſit torrentem anima ipſius. Adhuc fluit torrẽs iſte, quem iam tranſierunt animæ martyrum. Adhuc quandiu ſæculum hoc naſcendo & moriendo currit, torrens eſt. Hinc perſecutiones, hinc flagella, hinc mortes. De iſto torrẽte bibit primus caput noſtrum: de quo dictum eſt, De torrẽte in via bibit: propterea exaltauit caput. Vnde ad maiorem huius torrentis expreſſionem ſubditur, *Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Vbi notandum, quòd, ſecundum Auguſt. hic *forſitan*, idem eſt ꝙ an putas. Et eſt ſenſus, *Forſitan* &c. id eſt, an putas quòd anima noſtra tranſierit aquã intolerabilem? certè nõ: quia torrens fuit citò euaneſcens. Dicunt ergo martyres, Putas quòd anima noſtra tranſiit aquam intolerabilem? Quod ideo dicunt, quia magnitudo periculi & pœnarum vix facit credibile, quòd euaſit. Magnam necem pertulerunt, in magnis diſcriminibus fuerunt: omnino ſic preſſi ſunt vt penè conſentirent, vt penè viuị abſorberentur. Iam ergo euadentes, iam ſecuri, ſed ipſius periculi magnitudinem recordãtes: putas (inquiũt) pertrãſiit anima noſtra aquam intolerabilem? Vel, ſecũdum aliam literã, Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam ſine ſubſtantia. Sed quid ſit aqua ſine ſubſtantia, hic oſtendit Auguſt. dicens, Aqua ſine ſubſtantia ſunt vitia, & dulcedo huius vitæ: quæ inopiam habent, non ſubſtantiam: quia hæc non verè ſunt, ſed omnia trãſeunt ſine fructu. Nam qui peccando lucratur aurum, & huiuſmodi: ſine ſubſtãtia eſt; quia & hic fidem amittit in infernum deſcendens: hæc non ſecum portat. Maius ergo amiſit, vt minus lucraretur. Pecuniam auxit, fidem neglexit vel extinxit. Abũdat neſcio quid in arca, ſed multo magis quiddam diminutum eſt in corde: de arca gaudes, de corde non plangis? In hac aqua ſine ſubſtantia perdidit ille filius prodigus ſubſtantiam quam accepit à patre: & adhæſit vni ciuium lõginquæ regionis: id eſt diabolo, paſcens porcos: id eſt terrenis & immundis actibus delectatus: deſiderans manducare ſiliquas porcorũ, quæ replent ventrem, & nõ ſatiant. Ita peccata, quæ etſi ad horam delectant, veram tamen ſatietatem non præſtant: ſed totius boni indigentiam ingerunt. Dicãt ergo martyres, *Torrẽtem pertranſiuit anima noſtra*: ſcilicet pœnam temporalem: putas pertranſiit aquã ſine ſubſtãtia: id eſt, putas tranſierit per vitia? certè non: quia prælegit ſuſtinere pœnas temporales vt gloriam mereretur æternam, quàm hic in vitiis delectari, & poſtmodum ſine fine cruciari.

*Torrẽs ſignificat pœnas & aduerſitatem.*

*Forſitã idem eſt, quod an putas.*

*Peccata dicuntur aqua ſine ſubſtantia.*

*Lucæ 15.*



2282 Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dẽtibus eorum.

Hîc conſequenter de ipſorum protectione Deo gratias agunt. Et diuiditur in duas partes: quia de receptis beneficiis primò gratias agunt: ſecundò adiutorium Deum ſemper habere requirunt: ibi, *Adiutorium noſtrum.* Prima diuiditur in tres partes: ſecundũ quod de tribus gratias agunt. primò quia perſecutoribus non ceſſerunt: ſecundò quia fidem conſeruauerunt: ibi, *Anima noſtra*: tertiò quia iã omnia pericula liberi euaſerunt: ibi, *Laqueus cõtritus eſt.* Quantum ad primum: ſciendum quòd perſecutores martyrum tanquam rabidi venatores & canes quærebant capere ipſorum animas: vt ſcilicet perſecutionibus preſſi, conſentirent eis, & ſic eos perdere & deuorare poſſent: ſicut de diabolo dicitur, quòd eſt tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Sed martyres in quibus erat Deus adiuuans eos, fortiter certauerunt, & perſecutores ſuperauerunt. Et de hoc Deo gratias agunt: dicentes, *Benedictus dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorũ.* Vnde hunc paſſum exponit Auguſt. dicens, Venãtes enim erant perſequentes, & poſuerunt eſcam in muſcipulam. Quam eſcam? dulcedinem huius vitæ: vt vnuſquiſque propter dulcedinem vitæ huius mittat caput in nequitiam & muſcipula comprimatur. Sed ſi in te ſit dominus, nõ capieris. Clama ergo, dicens, *Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*: quia ſcilicet prauæ voluntati eorum non conſenſimus. Notandum quoque quòd dentes quandoque capiuntur in bonũ, quandoque in malum. Nam dentes boni dicuntur prædicatores & Apoſtoli: vt oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 19, Derelicta ſunt tantũmodò labia circa dentes meos: dicẽs, Quid enim circa dẽtes aliud quàm labia habemus, etiamſi nulla flagella patiamur? Sed quid per labia, niſi locutio: quid per dentes, niſi Apoſtoli ſancti deſignantur? Qui in hoc corpore eccleſiæ idcirco ſunt poſiti, vt vitam carnaliũ correptione mordeant, eámque à duricia ſuæ pertinaciæ cõfringant. Vnde primo Apoſtolorũ quaſi denti in corpore eccleſiæ poſito, dicitur, Macta & manduca. Sed quia paſſionis Chriſti tempore iſti dentes præ timore mortis perdiderũt fiduciam roboris, amiſerunt efficaciam omnimodæ operationis: vt duo ex illis ambulantes poſt eius mortem & reſurrectionem, in via loquerentur & dicerẽt, Nos ſperabamus quia ipſe eſſet redẽpturus Iſrael: ideo rectè nunc dicitur, Et derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. cõfabulabantur adhuc de illo, ſed iam in illo minimè credebant. Tãtummodo ergo labia circa dentes eius remanſerant, quia virtutem bonæ operationis amiſerãt, & ſola de illo confabulationis verba retinebãt. Perdiderãt morſum correptionis, & habebant motum locutionis. Labia itaque tantũmodo circa dentes relicta ſunt: quia adhuc quidem confabulationem nouerant, ſed prædicare iam eum aut mordere infideliũ vitã formidabant. Aliquandò verò dentes accipiuntur in malum: & ſic ſignificant perſecutores fidelium miniſtros diaboli. vt oſtẽdit Gregor. ſuper illo verbo Iob 16, Infremuit contra me dentibus ſuis, & terribilibus oculis me intuitus eſt: dicẽs, Ille quippe hoſtis antiquus eccleſiæ, contra hanc dentibus fremit, eámque terribilibus oculis intuetur: quia per alios crudelia exercet, & per alios quæ exerceat prouidet. Dentes namq; huius hoſtis ſunt bonorum perſecutores atque carnifices, qui eius mẽbra laniant, dum electos illius ſuis perſecutionibus affligunt. Oculi verò huius hoſtis ſunt illi qui cõtra eam prouident mala quæ faciant, ſuíſque cõſiliis perſecutorum eius crudelitates inflammãt. Antiquus ergo aduerſarius fremit cõtra eccleſiã dentibus ſuis, dũ per crudeles reprobos in ea inſequitur vitam bonorum. Hanc terribilibus oculis intuetur, quia prauorum conſiliis nõ ceſſat mala exquirere in quibus hãc ſemper deterius affligat &c. Sic ergo dentes diaboli ſunt perſecutores bonorũ; qui tamen martyres vincere non poterunt. Vnde & gratias agendo dicunt, *Benedictus dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Quid autem ſit benedicere Deum, vide verſic. 378. Et quòd multipliciter benedicimus Deum, verſic. 502. Et quomodo omnia Deum benedicunt, verſic. 1732.

*1. Petr. 5.*

*Perſecutores dicuntur venatores.*

*Dentes boni & mali.*

*Gregor. 14. moral. c. 24.*

*Act. 10.*

*Lucæ 24.*

*Gregor. 13. moral. cap. 6.*

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. 2283

Hîc gratias agunt martyres, quia fidem ſeruauerũt. Ad hoc enim tota perſecutio infidelium ſæuiebat, vt animas fideliũ caperent blandis vel aſperis. Quæ perſecutio durat per totum tempus vitæ præſentis. Sed poſtquam martyres animam ſuam pro Chriſto dederũt, & ſic euaſerũt laqueos quos hic diabolus parat: ſecurè gratias Deo agendo clamant, dicentes, *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt* &c. Et benè dicit, *ſicut paſſer*: quia paſſer auis eſt incauta, & faciliter declinat ad eſcam, non faciliter aduertens muſcipulam: ſed cum aliquem ſtrepitum ſentit, ſtatim eſcam relinquẽs, effugit. Sic & ſancti marty

*Paſſer dicitur anima noſtra.*

martyres ratione ſenſualitatis ſuæ, faciliter inclinabãtur ad eſcam delectationis vitæ præſentis: quam quilibet ſecundum ſenſualitatem naturaliter diligit, & pœnas fugit ac mortem. Sed cum ad iſtam eſcam naturaliter inclinarentur ſecundum ſenſualitatem, audientes ſtrepitum quem Deus facit (ſcilicet minãdo pœnas æternas inferni, priuationem ſuæ viſionis) ad iſtum inquam ſtrepitum ad modũ paſſeris, ſtatim eſcam relinquentes, aufugerunt. Et ſic ad modum paſſeris de laqueo venantium ſunt liberati. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Auguſt. dicens, *Anima noſtra ſicut paſſer* &c. Quare ſicut paſſer? Quia anima incauta ad eſcam ceciderat ſicut paſſer. Quomodo ſi videas auem iã cadere in muſcipulam, facis ſtrepitum vt euolet de muſcipula. Sic & martyrum. Iam fortè aliqui ipſorum tendebant collum in dulcedinem vitæ huius: ſed dominus qui erat in illis, fecit ſtrepitũ: ſcilicet oſtendens eis pœnam gehennarum quam mererẽtur, gloriam Dei quam perderent ſi ad eſcam delectationis vitæ præſentis intenderẽt. Et ſic iſto ſtrepitu ereptus eſt paſſer à laqueo venãtium. Et quid ſemper erit illa muſcipula? Muſcipula erat delectatio vitæ præſentis. Sed illis occiſis, muſcipula fracta eſt. Iam non remanſit dulcedo vitæ præſentis, per quam poſſent iterum capi. Si illa contrita eſt, nunquid paſſer contritus eſt? Abſit: quia non hæſerat: laqueus contritus eſt, & nos erepti ſumus. Ex quibus apparet quòd martyres per mortem de laqueo venãtium perſecutorũ liberantur, quia mortuo corpore in quo poteſtatem habent, ſolum remanet anima, quam violare non poſſunt. Vnde etſi corpus capi poteſt laqueo venantium, anima tamẽ libera effugit. Vel aliter: iſtum verſum exponit Hugo de ſol. dicẽs, *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt* &c. Eſt anima noſtra ſimilis ad modum paſſeris, dũ in his quæ agit, vtitur exemplo calliditatis. Dũ enim anima ſæpius ſeipſum conſiderat, contingit quandoque vt ex vſu aſſiduę cõſiderationis animus callidior fiat: vt in via poſitus inter laqueos, liber euadat. Sunt autem tres laquei. Primus laqueus venãtium eſt fallax ſuggeſtio dæmonum: ſecũdus, ſubtilis ſuggeſtio hæreticorum: tertius, dulcedo vitæ carnalium. Hi laquei ponuntur in ſemita, in via, & in campo. Semita eſt arctior vita, via lata, campus ſpatioſus. Per arctam & arduam ſemitam incedunt religioſi: per viam latam & rectam coniugati: per ſpatioſam & deuiam voluptuoſi gradiuntur. Laqueus paſſerem captum retinet, dum diabolus mẽtem poſſidet: vel dum dulcedo vitæ præſentis placet: ſeu dum hæreticus blanditiis deceptum fouet. Sed laqueus rumpitur, & paſſer liberatur, ſi abiectis carnalibus deſideriis, ad Deum anima conuertitur. Hoc autem fit, non per noſtram potentiam, ſed per Dei gratiam. Adiutorium enim noſtrum in nomine domini.

*Timor pœnæ animam liberat.*

*Laqueus multiplex.*

2284 Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Hîc conſequenter ſancti martyres gratias agũt, quia omnia hoſtis & mũdi pericula glorioſa morte intercedente euaſerunt. Hoſtes enim noſtri, ſcilicet mundus, caro, & diabolus, bonos ſolum in pręſenti vita impugnare poſſunt: qua tranſacta, cõtra animam nihil agere poſſunt. Clamãt ergo ſancti martyres exuti à carne per mortem, *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Et nota quòd dicit, *Laqueus contritus eſt*: quia quamuis deceptiones dæmonis & vitæ præſentis ſemper perdurent: tamẽ morte intercedente, mortuo contritæ dicuntur: quia illi amplius nocere non poſſunt. Contritus eſt ergo laqueus, non quidem in ſe, ſed quo ad ſanctos qui ex hoc ſæculo tranſierunt. Vnde hic ait Gloſ. Occiſis martyribus, amplius eis non reſtat dulcedo vitæ præſentis qua iterum poſſint capi: vnde à laqueis venantium liberati dicuntur. Et ipſi venatores ſuis laqueis capiuntur, Pſal. 9, In laqueo iſto quẽ abſcõderunt comprehenſus eſt pes eorum. Quia quanto alios ad malum conantur capere, amplius peccãt, & grauioribus pœnis obligantur. Aduertẽdum tamen eſt quòd ad capiendum animas, diabolus ſpecialiter tres laqueos parat. Primus laqueus eſt diuitiarum: Pſal. 56, Laqueũ parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam: quia diuitiæ ad terrena incuruant animam: 1. Tim. 6, Qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Sed iſte laqueus ſanctis & beatis amplius nocere non poteſt, cum ipſorum mens æternis diuitiis ſit ſatiata: Pſal. 111, Gloria & diuitiæ in domo eius &c. Secundus eſt laqueus voluptatũ carnalium. Eccleſ. 7, Inueni mulierem amariorẽ morte, quæ laqueus eſt venatorum. & Prouerb. 6, Mulier precioſam viri animã rapit. Sed iſtum laqueũ non timent beati: quia repleti ſunt omni voluptate diuina. Pſal. 35, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos. Tertius eſt laqueus honoris: ſcilicet & vanitatis, qui eſt ſuperborum. Pſalm. 141, In via hac qua ambulabam, abſconderũt ſuperbi laqueum mihi. Sed iſtum laqueum non timent beati: quia cõfirmati in gratia, amplius Deo rebellare non poſſunt. Propter quod dicunt illud Pſalmi 90, Ipſe liberauit me à laqueo venantium, & à verbo aſpero. Gloſa, in quem incidit ſuperbus Adam. Et de iſtis tribus laqueis dicitur Eſa. 24, Formido, fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terrę. Et qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam. Et qui explicauerit ſe de fouea, tenebitur laqueo. Per formidinem intellige diuitias: quia ſemper timere faciũt. Vnde Iob 15, Sonus terroris ſemper in auribus diuitis, cum pax ſit: ſemper inſidias ſuſpicatur. Vnde & Seneca dicit, Diues ſi videt pauperem, furem ſuſpicatur: ſi videt diuitem, æſtimat ipſum raptorem. Per foueam autem intellige luxuriã: Prouerb. 23, Fouea profunda meretrix, & puteus anguſtus mulier aliena. Per laqueũ verò propriè ſignificatur ſuperbia, quæ aues (id eſt pennatos virtutibus) aliquando capit. Quia vt dicit Auguſt. Superbia ſemper bonis operibus inſidiatur, vt pereãt. Qui autem iſtis laqueis ſe capi permittit, finaliter capietur laqueo damnationis ęternę. Pſal. 10, Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur &c.

*Laqueus diaboli multiplex.*

Adiutorium noſtrum in nomine domini qui fecit cœlum & terram. 2285

Hic adiutorium domini, prædictis cõſideratis, ſemper cupit habere. Nullus enim ſine Dei adiutorio tentationibus diaboli, carnis, vel mundi reſiſtere poſſet. Propter quod dicitur 1. Machab. 3, Conuenerũt aduerſum nos vt diſperdãt nos: quomodo poterimus ſuſtinere ante faciẽ illorum, niſi tu adiuues nos? Et ideo ſemper Dei adiutorium eſt à nobis inquirẽdum. Propter quod eccleſia in horis canonicis primitus ipſum poſtulat, dicẽs, Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuãdum me feſtina. Aduerte ergo quòd Deus multa genera perſonarum adiuuat: ſcilicet primò pœnitentes: vide verſic. 957. ſecundò patientes: vide verſic. 1921. tertiò adiuuat præliãtes: vide verſic. 983. quartò adiuuat mendicantes: vide verſic. 99. quintò adiuuat confidentes: vide verſic. 2053. ſextò adiuuat deprecantes: vide verſic. 673.



# PSALM. CXXIIII.

1986 QVi confidunt in domino ſicut mons Sion, non commouebitur inæternum qui habitat in Hieruſalem.

Titulus iſtius Pſalm. eſt idem qui ſuprà in aliis Pſalm. gradualibus: ſcilicet Cãticum graduum. Et exponitur eo modo quo ſuprà. De materia verò huius Pſal. dicunt quidam quòd ad literam loquitur de ciuitate Hieruſalem terreſtri, & de ipſius pace & ſecuritate: quæ tãta fuit tempore Salomonis, quòd à nullis impugnabatur. Vnde ait Salomon, 3. Reg. 5, Nunc autem requiẽ dedit dominus Deus mihi per circuitum, & non eſt ſathanas neque occurſus malus. Vult ergo hic ſecundum iſtos oſtendere Pſalm. quòd ſicut vera pax fuit in Hieruſalem tẽpore Salomonis: ſic & illi qui mente integra cõfidunt in domino, vera pace perfruentur: etſi non hic, tamen in futuro. Sed hoc ſtare non poteſt: ſcilicet quòd loquatur de Hieruſalem ciuitate terreſtri: quia dicit, *non commouebitur inæternum qui habitat in Hieruſalem*: quia certum eſt quòd illa ciuitas nunquam habuit pacem ſic continuatam: quinimmò poſtquam fuit completa, multoties fuit deſtrũcta totaliter: ſcilicet ſemel per regem Babylonis, & ſemel per Romanos: multis autẽ aliis vicibus fuit partialiter: ſcilicet quo ad partem murorum, deſtructa, vt patet in libris Regum & Machabæorũ. Et ideo dicendum quòd hic Pſalm. ad literam loquitur de ciuitate cœleſtis Hieruſalem: de qua dicitur Apocal. 21, Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcẽdentem de cœlo &c. Cuius tanta ac talis eſt pax, quòd æternaliter permanens, à nullo violari poteſt. Propter quod dicit, *nõ commouebitur inæternum qui habitat in Hieruſalem.* Eſt ergo hic intentio Pſalm. cor noſtrum dirigere totaliter ad Deum: vt non in mundo vel temporalibus confidamus, ſed ſolum in Deo. Quia talis in Deo confidentia nos ſaluat in periculis, & ad perpetuam pacem perducit. Notandum eſt ergo quòd ſextus gradus aſcenſionis eſt in Deo vera confidentia, boni Chriſtiani, cõparata ſolidiſſimis montibus. Vnde hic Auguſt. ait, Hic Pſalm. docet nos aſcendere & eleuare animas noſtras ad Deum: non intendere ad homines qui proſperantur in hoc ſæculo felicitate falſa atque ventoſa & deceptoria: vbi nihil aliud inuenitur, quàm ſuperbia, quæ cor durum facit cõtra imbrem gratiæ Dei, ne ſpiritualem fructũ facere poſſit. Præſumentes enim omnia ſibi abũdare quæ videntur huic vitæ neceſſaria & vltra quàm neceſſaria, extolluntur. Et cum ſint homines per iniquitatẽ inferiores omnibus aliis hominibus, per ſuperbiam omnibus aliis hominibus ſe ſuperiores putant. Hos autem aliquando intuendo & nimis attendendo, etiam illi qui Deum colunt, fluctuant, quaſi perierit merces ipſorum. Quare colunt Deũ, cùm ſe vident in laboribus, in egeſtate, in ęrumna, in morbo, in neceſſitate. Et vident alios Deum nõ colentes habere ſanitatem corporis, abũdare temporalibus, incolumitate ſuorum gaudere, florere honoribus, eis qui non ſolum Deum non colunt, ſed etiam omnibus hominibus aduerſantur. Iſtos inquam nimis attendẽtes, aliqui nutare incipiunt: ſicut in alio Pſalmo de quodam dicitur, Mei autẽ penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei. & rationem reddit, quia zelaui ſuper iniquos pacẽ peccatorum videns. Sed credendum eſt ſapientiæ Dei, quòd omnia bene & ordinatè diſponit & facit: etiam ſi non videamus quomodo, neque conſilium eius cognoſcere valeamus quare illa ſic facit. Vnde bonũ eſt vt ſubdamus nos ſapientiæ ipſius, & credamus quia bene facit, etiam ſi nondum nouimus quare ſic facit. Et ſic habebimus cor rectũ, vt præſumamus & confidamus in domino & non mouebuntur pedes noſtri: vt docet iſte Pſal. Quibus viſis, accedo ad Pſalm. diuiſionem. Qui diuiditur in tres partes: quia primò confidentis in domino oſtenditur ſtabilitas: ſecundò bonorum imploratur proſperitas: ibi, *Benefac domine*: tertiò malorũ prædicitur aduerſitas: ibi, *Declinantes autem.* Prima pars diuiditur in tres: quia de confidentibus in domino tria oſtenduntur. primò, qui in domino confidentes dicantur: ſecundò à quibus in Deo confidentes cuſtodiantur: ibi, *Montes in circuitu* eius: tertiò quòd à malis in Deo confidentes liberẽtur, ibi, *Quia non relinquet.* Quantum ergo ad primum: ſciẽdum quòd hic accipitur mõs Sion & Hieruſalem: non pro ſe, ſed pro ſuo ſignificato. Nam ipſa terrena Hieruſalem multoties fuit deſtructa: & eius ciues captiuati. Sed ſignificat cœleſtem patriã, cuius ciues moleſtari nõ poſſunt: quia vt dicitur Galat. 4, Hieruſalem quæ ſurſum eſt, libera eſt. Similiter mons Sion ad literam in fine ſæculi mouebitur: ſed ſignificat eccleſiam quæ in æternum durabit. Quòd autem mons Sion ſignificet eccleſiam, vide verſic. 1128. 1719. 1724. 1970. Dicit ergo, *Qui confidunt in domino, ſicut mons Sion.* Quaſi dicat, Illi confidunt in domino, qui ſunt ſicut mons Sion: id eſt, qui ſunt in eccleſia Dei & de numero bonorũ fidelium. Et tales habitant corde in cœleſti Hieruſalem: & finaliter habitabunt ibi & re: & non cõmouebuntur inæternum. Vnde hic ait Auguſt. *Qui cõfidunt in domino* &c. Si hanc Hieruſalem terreſtrẽ intellexerimus, omnes qui ibi habitabant, bellis & euerſione ciuitatis excluſi ſunt. Si enim quęras Iudæum in Hieruſalem, non inuenies. Quæ eſt ergo Hieruſalem quam inhabitantes non cõmouebuntur inæternum? Certè hæc eſt Hieruſalem ſuperior mater noſtra: cui ſuſpiramus & gemimus in iſta peregrinatione, vt ad illam perueniamus. Errauceramus à via, & viam nõ habebamus. Rex ipſius venit, & via nobis factus eſt: vt ad illam venire poſſimus. Ipſa eſt illa Hieruſalem, in qua ſtantes erant pedes noſtri. Ipſa eſt illa Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Qui ergo ibi habitant, non commouebuntur in æternum: qui autem habitãt iſtam terreſtrem Hieruſalem, moti ſunt: primò corde, poſtea exilio. Tũc enim moti ſunt corde, quando regẽ ipſius ſupernę Hieruſalem crucifixerunt. Iam ipſum regem foras excludebãt: iam illum extra ciuitatem ſuam excluſerunt & crucifixerunt. Et ipſe eiecit illos extra ciuitatem ſuam, quia in domino non cõfidebant. Et notandum quòd confidentia eſt multiplex: ſecundum quod in diuerſis rebus confidũt homines: vide verſic. 2055. Confidentia autem in Deo quanta bona faciat, & quàm ſit vtilis, vide verſic. 133.

*Proſperitas ſuperbiã cauſat.*

*Pſalm. 72.*

*Hieruſalẽ ſignificat gloriã æternam.*

*Pſal. 121.*

*Confidũt multi in multis.*

Montes

## 2287 Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

*Angeli dicuntur mõtes, prædicatores, & Apoſtoli.*

Hic oſtenditur à quibus in domino confidentes cuſtodiuntur. Vbi notandum quòd in ſcriptura per montes ſancti angeli ſignificantur: quia ſicut montes nos protegunt & defendunt, ſic & angeli ſancti. Vnde Gregor. ait, Montes ſunt ſublimes angelorum virtutes: quæ hic nos miniſtrando & adiuuando reficiunt: quæ Deo largiente, in omni nos certamine protegunt: quorum defenſione cõtra aduerſarios ex omni latere munimur. de quibus ait Pſalm. *Montes in circuitu eius*: id eſt angeli: vt Auguſt. exponit. Vnde iſtos mõtes Auguſt. hic dicit eſſe ſanctos angelos, prophetas, Apoſtolos, prædicatores: dicẽs, *Montes in circuitu eius* &c. Habemus ciuitatem Hieruſalem quam circundant montes. Quid enim ſunt montes, niſi tumores terrarũ? Sed alij ſunt montes amabiles, mõtes excelſi, prædicatores veritatis, ſiue angeli, ſiue Apoſtoli, ſiue prophetæ: ipſi ſunt in circuitu Hieruſalem: ambiunt illam, & quaſi murum illi faciunt. De his mõtibus ſcriptura ſæpiſſime loquitur. Ipſi ſunt montes qui illuminantur à Deo: vt ab ipſis lumen deſcendat ad valles, vel ad colles: quia non tantæ ſunt altitudinis quantæ ſunt montes, de quibus cantamus, Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi. Quia de ſcripturis ſanctis in hac vita habemus auxilium. Sed quia ipſi montes non à ſe protegunt, nec à ſeipſis nobis conſulunt: nec ſpes noſtra debet eſſe in montibus, ne maledicti ſimus ſi in creatura ſpem ponamus: ideo ſubdit, *Auxiliũ meũ à domino, qui fecit cœlum & terram.* Ipſi ſunt mõtes de quibus ſcribitur, Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Montes magni ſunt: colles, minores ſunt. Montes vident, colles credunt. Qui vident, pacem ſuſcipiunt, & attulerunt ad eos qui credunt. Angeli vident, & annunciant quod vidẽt, & credimus nos. Ipſi ſunt montes, de quibus alibi dicitur, Illuminans tu mirabiliter à mõtibus æternis. Et non dixit, Illuminant montes: ſed Illuminãs à montibus æternis. Tales ergo mõtes ſunt in circuitu Hieruſalem. Sed ad quid iſti montes ſunt in circuitu Hieruſalem: id eſt ciuium ſpe habitãtium in Hieruſalem? Certè ad nos cuſtodiendum diuerſis ipſorum officiis & ordinibus. Nã Seraphin habent nos charitate inflammare: Cherubin habent veritatem informare &c. Ad iſta ergo nobis exhibenda myſteria montes ſunt in circuitu Hieruſalem. Verùm quia iſti montes vt nos protegant, à ſe nõn habent, ſed à Deo: ideo ſtatim ſubditur, *Et dominus in circuitu populi ſui*: quia ſcilicet quod illi faciunt, virtute & præcepto domini faciũt. Vnde hic ait Auguſt. Cum ergo dixiſſet, *Montes in circuitu eius*: ne tu ſpe in iſtis remaneres montibus, ſtatim ſubiunxit, *Et dominus in circuitu populi ſui*: vt tua ſpes non ſit in montibus, ſed in illo qui illuminat montes. Cum enim ille habitat in mõtibus, id eſt in ſanctis, ipſe eſt in circuitu plebis ſuæ, & munit eam ſpiritualiter, ne moueatur inæternum.

*Gregor. 30. moral. c. 29.*

*Pſal. 120.*

*Pſal. 71.*

*Pſal. 75.*

## 2288 Quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

A Hîc oſtenditur quòd confidentes in domino, liberantur à malis hominibus. Vbi ſciendum quòd magna conſolatio iuſtorum à malis oppreſſorum eſt, quando cognoſcunt quòd talis oppreſſio ad tẽpus eſt non perpetua, & quòd malorum proſperitas ſimiliter ad tempus eſt duratura: ſed non ſemper. Quis enim in iuſtitia permaneret, ſi crederet quòd iuſti æternaliter pati deberẽt aduerſa: & mali ęternaliter deberẽt proſperari? Certè nullus: quia nec Dei bonitatem viderent propter quam bona agere deberent. Sed quia ſciunt aduerſitatem bonorũ citò terminãdam, ſimiliter & malorũ proſperitatem: ideo patienter tolerãt aduerſa, vt in perpetuum regnent. Et hoc eſt quod ait hic Pſalm. *Quia non relinquet dominus virgam peccatorum* &c. ſcilicet B æternaliter. Hoc ergo dicit Pſalm. vt etiam bonus Chriſtianus malis dominis ad tempus non dedignetur ſubiici. Sic enim & Chriſtus nos ſuo docuit exemplo: quia qui ſeruit & ſubiicitur etiã malo, principaliter non ſeruit illi, ſed potius Chriſto, qui malis etiam ad tempus obedire præcepit verbis & exemplo. Vnde hic ait Auguſt. Modò enim hic aliquantulum iuſti laborãt, & iniuſti dominãtur iuſtis. Cũ enim Chriſto iubente ſeruias homini, nõ illi ſeruis, ſed illi qui iuſſit. Ait enim per Apoſtolum ſuum, Obedite dominis veſtris ſecundum carnem cũ timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri: non quaſi hominibus placẽtes, ſed quaſi ſerui Chriſti facientes voluntatẽ Dei. Sic ergo non fecit nos Chriſtus de ſeruis liberos, ſed de malis ſeruis bonos. C Si fortè dicas, Iniuſtum eſt, vt iuſtus & fidelis ſeruiat iniquo & infideli. Sed accipe exẽplũ Chriſti: Chriſtus enim tanta in paſſione ſuſtinens, à quibus ſuſtinuit, niſi dominus à ſeruis, & à malis ſeruis? Ille autem quid eis reddidit? Certè dilectionem pro odio. Ait enim, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt. Si dominus cœli & terræ per quem omnia facta ſunt, ſeruiuit indignis, rogauit pro ſæuientibus, & tanquam medicum ſe præbuit eis: (nam & medici & arte & poteſtate & ſanitate meliores ſeruiunt ægrotis) quanto magis nõ debet dedignari homo, ex animo & bona voluntate, cum tota dilectione ſeruire domino, etiam malo? Ecce, ſeruit melior deteriori: ſed ad tempus. Ecce Iulianus extitit infidelis imperator, & iniquus idolatra, D & milites Chriſtiani ſeruierunt infideli imperatori. Sed vbi veniebant ad cauſam Chriſti, non cognoſcebãt, niſi dominum qui in celis eſt. In cauſa autem mundi obtemperabant illi. Sed nunquid ſic erit ſemper vt iniqui imperent iuſtis? Certè nõ. Audite enim quid Pſalm. iſte dicit, *Quia nõ relinquet dominus virgam peccatorũ ſuper ſortem* &c. Veniet tẽpus quando vnus ſolus agnoſcatur dominus: quando non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Et quare? *Vt non extendant iuſti ad iniquitatem* &c. vt ſcilicet ad tempus iuſti ferãt iniquos dominantes, & intelligant hoc non eſſe ſempiternũ. Nã ſi quis iudicat quòd ſemper erit virga peccatorũ ſuper ſortem iuſtorũ, ſtatim dicet, Quid mihi prodeſt quia iuſtus ſum? ſemper dominabi- E tur mihi iniquitas: ſemper ſeruus ero. Faciam ergo & ego iniquitatem. Ne autem hoc dicant, oſtenditur illis: quia ad tempus poteſt eſſe virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: ſed non ſemper, vt nõ extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas: ſcilicet ad faciendum iniquitatem, ſed ad ferẽdum. Melius eſt enim iniquitatem ferre quàm facere. Permittit autem Deus ad tempus virgam peccatorum ſuper

*Seruire debemus etiã dominis malis.*

*Epheſ. 6.*

*Luca 23.*

*Bonos permittit Deus à malis pati.*

*Peccatorum proſperitas eſt ad dãnationẽ eorum.*



ſortem iuſtorum: vt ſcilicet iuſti à malis opprimãtur & perſequãtur: & hoc ad purgationem & meritum bonorum, & ad ampliorem damnationẽ malorum. vt oſtendit Gregor. dicẽs, Iuſtus quippe dominus, & ſuos permittit temporaliter opprimi, & violentorum malitia nequiter augeri: vt dum verborum vita in purgatione teritur, illorũ nequitia cõſumatur. Quiſquis itaque bonorum vitam perſequitur: tunc peiore vltione damnatur, cum nulla ei aduerſitate reſiſtitur. Et tunc fortioris iræ periculis ſubiacet, cum proſperè peragit quod nequiter concupiſcit: quia videlicet ſuperni vindicta iudicij ad futura eum ſupplicia ſeruãdo deſeruit, cui hic in malo obuiare contẽpſit. Hinc enim per Pſal. dominus dicit, Dimiſit eos ſecũdum deſideria eorũ, & ibunt in adinuentionibus ſuis. Hinc rurſum dicitur, Non eſt virga Dei ſuper illos.

*Gregor. 26 moral. c. 14. 15.*

*Pſal. 80.*

## 1289 Benefac domine bonis & rectis corde.

Hîc bonorum imploratur proſperitas. Vbi aduertendum quòd quamuis in particulari ignoremus cui finaliter Deus bonum faciet (dando ſcilicet æternum præmium: quia neſcimus in particulari quis finaliter bonus erit aut malus. Tamẽ generaliter ſcimus quòd omnibus bonis & rectis corde Deus faciet bonum. Et ſic Pſalm. rogat pro eo quod ſcit eſſe futurum: quia ipſe Deus ad noſtrum deſiderium bonum agendum, à nobis vult rogari, etiã de illo quod ipſe æternaliter ſe facturũ diſpoſuit. Et ſic Pſalm. rogat, dicens, *Benefac domine bonis* &c. Notãdum autem quòd inter omnia ſigna quæ aliquem hominem bonum eſſe oſtẽdunt, maximũ eſt humilitas: quando ſcilicet laudatus non extollatur. Quia bonitas exterius oſtenſa an ſit vera vel ficta, maximè probat exhibita laus: quia ſi per laudẽ laudatus extollitur, talis fictè bonus erat: ſi autẽ ex hoc magis humiliatur, talis verè bonus exiſtit. Quod declarans Gregor. ait, Cum humanæ linguę de bono atteſtatione laudamur, occulta pulſatione requirimus quid de nobiſipſis ſentiamus. Superba enim mens, & cum de ſe falſa dicũtur, exultat: quia non apud Deum qualiter viuat, ſed qualiter apud homines innoteſcat excogitat. Iudicium enim de ſe omnipotentis deſpiciens, & ſolummodo hominum quærens, inter auditas laudes attollitur. Et quia ſolum hoc quæſierat, de brauio operis lætatur. At contra bonorum cor, bona quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit: & quia falſa dicũtur, metuit, aut certè etſi adeſſe veraciter ſcit, eo ipſo formidat ne ab æterna Dei retributione ſint perdita: quo hæc conſiderat hominibus diuulgata, pauétque vehementer ne ſpes futura muneris in mercedem permutetur tranſitorij fauoris. Qua ex re agitur vt bonorum animus magno laudum ſuorum igne crucietur. Et ſubdit, Nam qualis ſit quiſque (ſcilicet bonus an malus) in eo quòd laudatur oſtẽditur. Hoc enim ſigno bonitas Tobiæ concluditur, Tob. 14, vbi dicitur quòd ipſe & omnis generatio eius in vita bona & ſancta permãſit: ita vt acceptus eſſet tam Deo, quàm hominibus. Quis autẽ dicatur rectus corde, vide verſic. 480. Item nota, ꝙ ſicut Deus benefacit bonis & rectis corde: ſic & nos multis perſonarũ generibus debemus benefacere: vt poſui in dictionario meo, litera Benefacere.

*Bonus cognoſcitur quando laudatur.*

*Gregor. 22. moral. c. 9.*

*Benefacere multis debemus.*

## 2290 Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus A iniquitatem: pax ſuper Iſrael.

Hîc malorum prædicitur aduerſitas. Vbi notãdum quòd declinare cum ſit idem quod ab vno loco ad aliũ remoueri, vel de vno propoſito ad aliud variare: ideo ſecundũ ꝙ diuerſa ſunt loca, vel propoſitũ diuerſum, duplex eſt declinare, ſcilicet bonũ & malum. Quia quando terminus à quo eſt malus, & ad quem bonus: tũc declinare eſt bonum. ſic enim ſcribitur Pſalm. 33, Declina à malo, & fac bonum. Quando verò ecõtrario, terminus à quo eſt bonus, & ad quẽ malus: tunc declinare eſt malũ. Pſal. 118, Maledicti qui declinant à mãdatis tuis. Et iſto modo accipitur hic, cum dicitur, *Declinantes*, ſcilicet à mãdatis Dei. Qui ſunt ergo hic declinãtes? Illi ſcili- B cet qui propter Deum, virgam peccatorum ad tẽpus ſufferre nolũt. Qui viſa proſperitate, malorum & bonorum aduerſitate ſcandalizantur. Et ideo ne hic aduerſis inuoluãtur cum iuſtis, ſed magis cum malis temporali proſperitate lætentur: à bono ad malum ſe conuertunt. In quorum perſona dicitur, Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morti eorum &c. Et de iſtis hic dicitur, *Declinãtes autem* &c. ſcilicet amore præſentis proſperitatis, & aduerſitatis timore à viis domini. Iſtos (inquam) tales declinantes adducet dominus in obligationem: quia tales permittit Deus cadere in laqueum culpæ, & finaliter eos obligat: id eſt fortiter ligat laqueo dãnationis æternæ. Iniquitas enim ligat fortiter malos, & eos ad interitũ C æternum cadere facit: Pſal. 19, Ipſi autem obligati ſunt & ceciderunt. vide verſic. 276. Sed qualiter tales declinantes obligantur, ſubdit, *Cum operantibus iniquitatem*: id eſt ſimili culpa, ſimili pœna ligantur cum illis quorum proſperitatem temporalem zelantes, eorum iniquitatem ſunt ſecuti: qui ſcilicet eorum præſentem lætitiam amauerunt, & futura ſupplicia nõ crediderũt. Ex quo apparet quòd pari ſententia & culpa feriuntur qui mala exempla aliis tribuunt qui aliorum mala imitãtur exempla: qui alios ad peccandum inducunt, & qui inducẽtibus conſentiunt. Quia, vt ait Apoſtolus Rom. 1, Qui enim talia agunt (ſcilicet qui declinant à mandatis domini) digni ſunt morte æterna: nõ ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt: qui ſcilicet faciẽ- D tes imitantur. Facientes enim & conſentiẽtes pari pœna puniuntur. Conſequenter autẽ Pſal. concludit poſt obligationem malorum finalem bonorum proſperitatẽ, dicens, Pax ſuper Iſrael. Iſrael nãq; vidẽs Deum interpretatur. Quis autẽ proprius videt Deum, niſi qui Deum ſuis imitatur operibus? Ecce Chriſtus Deus homo factus non zelauit ſuper iniquos pacem peccatorum videns, ſed patienter iniquos tolerauit ad tẽpus. Et ideo in pace factus eſt locus eius. Conſimiliter ergo qui illum vident, qui illum imitantur, pacem hæreditabunt: quæ pax Chriſtus eſt. Dicens ergo, *ſuper Iſrael*: vno enim verbo omnia bona dicit, quia vno nomine (quod eſt pax) propria bonorũ hæreditas notatur, quę Chriſtus eſt. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque E vnum: & ipſe dabitur illis qui erunt Iſrael, id eſt Dei imitatores: ſicut & pœna æterna dabitur imitatoribus malorum. Quia enim videntes ſiue imitantes Deum, à diabolo hic continuè impugnantur, qui aduerſatur Deo: ideo quanto hic cum hoſte durior pugna inſurgit, tanto cum Deo intimior pax generatur. Quanto enim quis ab vno contrariorum elongatur, tanto plus accedit ad aliud.

*Declinare duplex.*

*Pſal. 72.*

*Facientes & conſentientes pari pœna puniuntur.*

*Epheſ. 2.*

*Gregor. 6. moral. cap. 21. Pax cũ Deo generatur ex aduerſitatibus mundi.*

Vnde & Greg. ait ſuper illo verbo Iob 5, Et beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi. Notandum quòd non ait pacatæ, ſed pacificæ: quia videlicet pacem nobiſcũ non habẽt, ſed quia pacem faciunt. Hoſtes quippe humani generis inſidiantur nobis & affligunt: ſed afflicta mens tanto magis ad æternam patriam reditum diligit, quanto in hoc ærumnoſo exilio laborioſius viuit. Et verius ſe gratiæ ſui adiutoris humiliat, cum contra ſe inſidias hoſtium acriores penſat. Beſtiæ ergo terræ pacificę fiunt electis: quia maligni ſpiritus cum bonorum corda aduerſantes deprimunt, hoc nolentes, ad amorem domini impellunt. Inde ergo cum Deo pax robuſtior oritur, vnde nobis ab aduerſariis durior pugna generatur. Ex quibus apparet quòd quanto quis in præſenti virga peccatorum magis premitur, ſi ſit Iſrael (id eſt per imitationem Deum videat) inde maiori pace cum Deo copulatur: ſicut quanto quis maiori proſperitate mundi iniquus exaltatur, à Deo magis ſeparatur. Et hoc eſt quod ait, *Pax ſuper Iſrael.*

## PSALM. CXXV.

2291 IN conuertendo dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

Titulus iſtius Pſalm. eſt idem qui in aliis ſupraſcriptis gradualibus Pſalm. poſitus eſt, ſcilicet Cãticum graduũ. Qui titulus exponitur vt ſuprá. De materia verò Pſalmi, quo ad literam, iſte Pſalm. agit de liberatione populi à captiuitate Iudæorũ facta per Nabuchodonoſor regem Babyloniæ. A qua liberatus fuit populus per Darium regem Perſarum & Cyrũ: vt patet primo Eſdræ. Quæ liberatio cauſam magnæ lætitię dedit ipſi populo Iudæorum liberato. Et quantum ad expoſitionem iſtam literalem, dic vt N. Quãtum autem ad expoſitionẽ propheticam, ſciendum quòd quandiu ſumus in præſenti vita, in nobis manet fomes peccati, ſiue lex membrorum, quæ captiuos nos ducit ſub peccato & diabolo: & nõ ſolum in illis qui ſunt iniqui homines & ſcelerati, ſed etiam in ſpiritualibus hominibus. Propter quod dicebat Apoſtolus Rom. 7, Ego autẽ ſum carnalis homo, venundatus ſub peccato. Et infrà, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati. Quod ideo dicit, ſecundum Gl. ibidem, quia Adam ſeipſum pro delectatione cibi vetiti captiuauit & vendidit. Ac per hoc omne ſemẽ ſuum ſubiectum fecit peccato & captiuum: vt poteſtate ſui vti non poſſet circa obedientiam legis. Nam præuaricatione Adæ, atque (vt ita dicam) dãnoſa negotiatione venditi ſumus. Solet enim hic mos inter vendentes & ementes ſeruari, vt is qui cupit alieno dominio mãcipari, aliquid precij pro iactura proprię libertatis à ſuo cõſequatur emptore. Quod inter Adam & ſerpentem manifeſtum eſt interceſſiſſe. Ille enim precium libertatis noxiæ à ſerpẽte accipiens, à naturali libertate diſceſſit. Maluit enim ſe perpetuæ eius dedere ſeruituti, à quo vetiti pomi lethale præmium acceperat, quàm cõditioni præcepti Dei aſtringi. Et ita omnem ſuæ poſteritatis progeniẽ eius ſubdidit famulatui, cuius ipſe effectus eſt ſeruus. Vendere nos potuit: ſed redimere nos non valuit. Quãdiu autem ſumus in præſenti vita, in iſta captiuitate manemus: vnde ſuſpiramus & gemimus expectantes ab iſta captiuitate redẽptionẽ. Vnde & Apoſtolus ait, Rom. 8,

*Adam vendidit nos diabolo & captiuauit.*

Noſipſi primitias ſpiritus habentes, intra nos gemimus, expectãtes redemptionem corporis noſtri: quæ ſcilicet erit quãdo de præſenti ſæculo liberati, cũ corpore glorioſo reſurgemus. Nos enim Chriſtus ſuo ſanguine redemit: ſed effectum huius redemptionis nondum percepimus: percipiemus autem in futuro. Ad propoſitum ergo: Pſal. hanc redemptionem corporis noſtri præuidẽs, ex reſurrectione corporis Chriſti ac totius hominis felicitatem futuram, ipſam nobis pronunciãs per modum præteriti, à gemitu captiuitatis nos abſoluẽs, multam nobis ingerit conſolationem: dicens, *In cõuertendo dominus captiuitatem Sion* (ſcilicet eccleſiæ ſuæ: id eſt conſiderando quòd ipſam conuertet) *facti ſumus ſicut conſolati.* Iſte eſt ergo ſeptimus gradus aſcẽſionis ſpiritualis: ſcilicet cõtemplatio futuræ libertatis à captiuitate præſenti, per quã ad ſeminandũ opera bona accendimur. Quibus viſis, accedo ad Pſalm. diuiſionem. Diuiditur ergo iſte Pſal. in duas partes: quia primò futuræ libertatis oſtenditur iocunditas: ſecundò præſentis captiuitatis oſtẽditur vtilitas: ibi, *Qui ſeminant.* Prima in duas: quia primò ponitur futuræ libertatis contemplatio: ſecundò eiuſdem imploratio: ibi, *Conuerte domine.* Prima in duas: quia primò ponitur dictæ libertatis contemplatio: ſecundò ex hoc gentium ad fidem cõuerſio: ibi, *Tunc dicent.* Prima in duas: quia ex contemplatione dictæ liberationis primò gaudium concipitur: ſecundò conceptum gaudium exprimitur: ibi, *Tunc repletum.* Quantum ad primum: ſciendũ quòd captiuitatem noſtram cõuertit dominus in libertatem dupliciter: ſcilicet in ſpe & in re. In ſpe conuertit quando poſt paſſionem ſuam ipſe caput noſtrum immortalis ſurrexit & aſcẽdit in cœlum: per hoc nobis ſpem reſurrectionis tribuens & gloriæ cœleſtis. Sed in re ipſam captiuitatem cõuertet in vltima reſurrectione & beatificatione. Poteſt ergo vtroque modo intelligi. primò de cõuerſione ſpei, quam ſcilicet fecit dum ipſe immortalis ſurrexit, quia per hoc nobis ſpem ingerit in hac valle miſeriæ noſtræ futuræ, ſcilicet reſurrectionis. Ideo hoc notans dicit, *Facti ſumus ſicut conſolati:* id eſt ſicut cõſolationem accipientes. quod non poteſt intelligi, niſi vt ſumus in præſenti. Nam vt hic ait Aug. *In cõuertendo &c. facti ſumus ſicut conſolati:* id eſt gauiſi ſumus, tanquam conſolationem accipientes. Conſolatio autem non eſt niſi miſerorum & gementium: quare ergo conſolati ſumus, niſi quia adhuc gemimus? Gemimus quidẽ in re, ſed conſolamur in ſpe. Cum autem res tranſierit de gemitu, gaudium veniet æternum, vbi opus non erit cõſolatione, quia nulla miſeria ſauciabimur. Poteſt etiã intelligi de conuerſione in re: quando ſcilicet beatificabimur. Vbi aduerte, quòd iſta captiuitas præſentis vitæ figuratur per captiuitatẽ Babylonicam: qua terminata, populus prius captiuatus aſcendit ad Hieruſalẽ: quia ſcilicet finita captiuitate præſentis miſeriæ, ad cœleſtem Hieruſalem aſcendemus realiter. Vnde hic ait Aug. Quomodo terreſtris Hieruſalem vmbra eſt cœleſtis: ſic & Babylonia vmbra eſt vitæ præſentis: & captiuitas Babylonica vmbra eſt captiuitatis vitæ præſentis. Vnde ſicut poſt ſeptuaginta annos ille populus in Babylonẽ captiuatus, liberatus rediit ad ſuam ciuitatem Hieruſalem: ſic & captiui huius mundi poſt ſeptuaginta annos liberati ad cœleſtẽ Hieruſalẽ reuertẽtur. Septuaginta enim anni ſignificant omne tẽpus, quod ſeptem diebus voluitur. Cũ trãſierit autẽ omne tẽpus, tũc

*Confuſio eſt vita præſens.*





redimus & nos ad patriam noſtrã. Babylonia enim eſt mundus iſte, quæ interpretatur confuſio. Videte ſi non eſt confuſio tota vita humana: quicquid agant homines in ſpe vana, quando cognouerint quid agunt, erubeſcunt. Quare laborant? filiis meis (inquit) laboro. Et ipſi cui? filiis ſuis. Et ipſi quibus? filiis ſuis. Nemo ergo ſibi. Confuſio ergo eſt tota iſta vita rerum humanarum nõ pertinens ad Deũ. Ab iſta ergo confuſione conuertit dominus captiuitatem noſtram, quando triſtitia noſtra conuertitur in gaudium: quando qui nunc lugent cõſolabuntur: quando in cœleſti Hieruſalem gaudiũ noſtrum erit plenum. Tunc ergo facti ſumus (id eſt, erimus) ſicut cõſolati. Sed fortè dices, Cum ibi erit verum & plenum gaudium, quare dictionem ſimilitudinis apponit dicens, *Sicut conſolati:* & non dicit ſimpliciter, facti ſumus conſolati? Ad quod dicendum quòd iſtæ dictiones, ſicut, quaſi, & tanquam, quandoque exprimunt ſimilitudinem & non veritatem, quandoque veritatem & non ſimilitudinẽ, quandoque verò vtrunque. vide verſic. 3. Vnde iſtã dubitationem hic mouet Auguſt. & ſoluit: dicens, Quare autem *ſicut conſolati* ait, & non ait conſolati? Reſpondet, Nõ autem hoc verbum *quaſi* ſemper ad ſimilitudinem ponitur: ſed quãdoque ad proprietatem refertur. Exempla de cõmuni locutione hominũ accipiamus. Quomodo vixit pater, ſic filius: Ad ſimilitudinem hoc dicitur. Et Sicut pecus moritur, ita & homo moritur: ad ſimilitudinem dicitur. Quando autem dicimus, Fecit ſicut vir bonus: nunquid non eſt vir bonus, ſed ſolùm ſimilitudinẽ habet viri boni? Fecit tanquam iuſtus: hoc Tanquam nõ negat eum iuſtum eſſe, ſed proprietatem eius oſtendit. Feciſti ſicut ſenator: ergo non ſolùm ſenator, immò quia iuſtus es, ideo ſicut iuſtus feciſti: & quia bonus es, ſicut bonus feciſti. Sic & hic, quia iſti ſunt verè cõſolati, ergo ſunt ſicut cõſolati.

*Vide Greg. 1. moral. exponens illud Pſal. In circuitu impij ambulãt: ait, In circuitu impij ambulant, quia dũ exteriora non appetunt, in interiorũ labore infatigantur.*

*Sicut, tanquam, quaſi, multipliciter accipiuntur.*

2292 Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Hic gaudium conceptum exprimitur. Vbi aduertendum quòd hic verſus exponi poteſt de gaudio iuſtorum in præſenti & in futuro. In præſenti enim ſicut perfecta dilectio tẽdit in proximum: vt non ſolum quis ſeipſum, ſed etiam vt ſe diligat & proximum. Sic non ſolum gaudet hic iuſtus de cõuerſione ſua à vitiis ad gratiam: vel de peregrinatione huius vitæ ad gloriam: ſed etiam de conuerſione proximi. Et ſicut eſt plena charitas quæ amat ſicut ſeipſum proximum ſuum: ſic eſt plenum gaudium, quo de proximo ſuo gaudet vt de ſeipſo. Sic ergo quilibet iuſtus conſiderans præfatæ captiuitatis conuerſionem, in ſe & in proximis gaudium habet in ſpe. Et hoc eſt quod hic ait, *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum:* ſcilicet quando conſideramus conuerſionem noſtram & proximorum. Item notandum quòd ſicut corpus habet os ſuũ quo corporaliter & extrinſecè loquitur: ſic & anima habet os ſuũ. Vnde hic loquitur de ore cordis & animæ, non de ore corporis. De ore enim cordis procedit omne bonum vel malum quod nos mundat, vel quod nos inquinat. de quo dominus ait, Matth. 15, Quæ procedunt de ore, inquinant hominem. Non enim de ore carnis, ſed cordis loquitur. Non enim ſi ore carnis nominas furta & alia mala, ex hoc immundus efficeris: nam & Chriſtus illa nominabat: ſed dum illa cogitas, etiamſi ſileas. Et ne quis illud acciperet de ore corporis, ibidem dominus quaſi

*Os duplex, ſcilicet corporis & cordis.*

exponendo ſubiunxit, dicens, De corde exeunt cogitationes malæ &c. Eſt ergo ſenſus, *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum:* id eſt cor noſtrum. Quod aliis verbis replicat: dicens, *Et lingua noſtra exultatione.* De lingua enim cordis loquitur qua Moyſes tacens clamabat ad Deum. Et ſic accipitur os & lingua pro ipſo corde. Vnde hic ait Auguſt. *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum.* Os, fratres mei, quod habemus in corde, quomodo impleri poteſt gaudio? Non enim ſolet impleri, niſi aut cibo, aut potu, aut aliqua re tali miſſa à nobis. Et quando os plenum habemus, loqui nõ poſſumus. Sed aliud os habemus intus, ſcilicet in corde. Vnde quicquid procedit, ſi malum eſt, inquinat nos: ſi bonum eſt, mundat nos &c. Vel aliter: totũ poteſt intelligi de gaudio quod erit in re: ſcilicet cum erimus in patria. hic enim gaudium noſtrum plenum eſſe nõ poteſt, quia hic mens noſtra ſatiari nõ poteſt: ſed in patria erit plenum & perfectum gaudium, quia ibi quilibet erit ſatiatus. Et quãto quis plura fuerit in iſta captiuitate hic paſſus, tanto maiori gaudio ibi replebitur: vt oſtẽdit Gregor. ſuper illo verbo Iob 5, Mœrẽtes erigit ſoſpitate. dicens, Mœrentes enim dominus ſoſpitate erigit, quia hi qui eius deſideriis accenſi proſpera fugiunt, aduerſa patiuntur, cruciatus perſequẽtium tolerant, atque ſeipſos per lamenta caſtigant: tanto ſublimiorem tunc ſoſpitatem ſuſcipiunt, quanto nunc à cunctis mũdi gaudiis deuotè moriuntur. Hinc enim per Salomonẽ dicitur, Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Humana etenim mens amaritudinem animæ ſuæ ſcit, cum æternæ patriæ deſideriis accenſa peregrinationis ſuæ pœnam flendo cognoſcit. Sed in eius gaudio non miſcebitur extraneus, quia qui nunc à mœrore compunctionis alienus eſt, tunc particeps ad lætitiam conſolationis non eſt. Hinc eſt quod in euangelio veritas dicit, Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mũdus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et iterum, Vos nunc triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrũ: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Et hoc eſt quod aliis verbis nunc dicit Pſalm. *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum:* id eſt, erit. Accipit enim præteritũ pro futuro, ratione certitudinis habitæ per reuelationem.

*Gaudiũ beatorũ erit ſecũdũ menſuram tribulationũ hic habitarũ.*

*Gregor. 6. moral. cap. 8.*

*Prouerb. 14.*

*Ioan. 16.*

Tunc dicent inter gentes, Magnificauit dominus facere cum eis. 2293

Hic ponitur gentium ad fidem cõuerſio. Et diuiditur in duas partes: quia primò ponitur cõuerſionis gentium occaſio: ſecundò ipſarum gentium conuerſio: ibi, *Magnificauit dominus.* Quãtum ad primum, ſciendum quòd fidelium patientia quam in tormentis perferebant vt præſentem vitam deſpicerẽt cum ſuis delectationibus, & pro fide Chriſti gaudenter eligerent mortem, multos gentiliũ conuertit ad fidẽ. Sic etenim de Chriſto dicitur, quòd videntes populi ſuæ paſſionis patientiam, & quòd in paſſione pro crucifixoribus orauit: vltra quinque milia conuerſi ſunt: vt ait Hieronym. Sic & conformiter in paſſionibus aliorum ſanctorum: quia videntes infideles martyrum conſtantiã, quòd quanto plus cruciabantur, tanto fortiores efficiebantur, ſcientes quòd hoc excedit omnem naturalem virtutẽ: ad Deũ conuertebantur, videntes qualiter Deus ſuos ſanctos magnificabat, vt patiendo,

*Paſſio (alias patiẽtia) ſanctorum erat cauſa conuerſionis infidelium.*

fortiores perſecutoribus eſſent. Et hoc eſt quod A ait Pſalm. *Tunc* (ſcilicet quando infideles videbunt paſſiones fidelium) *dicent inter gentes* (id eſt gentiles infideles admirando, dicent inter ſe) *dominus magnificauit facere cum eis*: id eſt ipſos magnificauit. Vel aliter: videntes gentes ſigna & miracula grãdia facta per Apoſtolos & alios ſanctos, conuertebantur, & illos magnificabant. Sic enim dicitur Act. 5, quòd per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe, & magnificabat eos populus: ſcilicet quia illos Deus poteſtate bonorũ magnificauerat: id eſt ipſos fecerat magnos. Similiter etiam de fidelibus dicitur, Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Gl. quia illos magnificauit cum genere virtutum. Et notan- B dum quòd Deus generaliter hominem multis donis magnificat. propter quod dicit Iob, Quid eſt homo quia magnificas eũ? Quod exponẽs Gregor. ait, Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infuſione gratiæ viſitat, honore collatę virtutis exaltat. Cúmq; per ſemetipſum nihil ſit: eſſe tamen eum cognitionis ſuæ participem benignitatis munere concedit. Sed erga eũdem magnificatum hominem cor ſuũ dominus apponit: quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter pẽſat, vitæ pondera vehementer examinat. Et tãto ab eo pòſt diſtrictius pœnas exigit, quanto hunc impenſo munere largius præuenit. Item nota quòd nos magnificando Deum, Deus magnificat nos: quia tunc magnificatur Deus in nobis. vide verſic. 272. C 503. 551.

*Rom. 8.*

*Gregor. 8. moral. c. 20.*

## 2294 Magnificauit dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Hîc ponitur ipſarum gentiũ conuerſio, & conſequenter conſimilis magnificatio. Iſta enim poſſunt eſſe verba primorum fideliũ, qui miſſi per orbem ad Chriſtum prædicandum, prædicatione & miraculorum operatione, gentes ad fidem conuerterunt: quod ſibiipſis non attribuentes, ſed virtuti domini, dicunt, *Magnificauit dominus facere nobiſcum*: quia ſcilicet verbis noſtris dedit efficaciam operationis, vt non tam verbis quàm ſignis corda penetraremus infidelium. Ex quo magnum Apoſtoli & D primi prædicatores ſumebant gaudium. Propter quod dicitur Act. 13, Diſſeminabatur autem verbum Dei per vniuerſam regionem: diſcipuli autem replebantur gaudio & ſpiritu ſancto. Vel poſſunt eſſe verba gentium ad fidem conuerſarum: quæ fide recepta à Deo magnificatę ſunt in doctrina prędicationis & in miraculorũ operatione, ſicut primi fideles, Nónne doctores ex gentibus ad fidẽ cõuerſi, Chriſti fidem elucidauerunt, & ipſam mũdo prædicauerũt? Quam enim magnificatus fuit Dionyſius cõuerſus ex gentibus, in Chriſti fide & prędicatione? Similiter cõſidera Auguſt. Ambroſ. Hieronym. & reliquos eccleſię doctores: qui de infidelitate gentium ad tantum culmen fidei & prædica- E tionis deuenerunt, vt fidei ſeminatores & defenſores efficerẽtur. Sicut ergo, quo ad prædicationem, magnificauit dominus facere cũ Apoſtolis electis ex Iudæis: ſic & cum doctoribus ex gẽtibus electis. Si autem vis attendere ad ſignorum operationem, nónne eandem poteſtatem habebant conuerſi ex gentibus, quam priores habuerunt Apoſtoli? quia ſurdis auditum reſtituebãt, mutis loquelam, clau- A dicantibus greſſum, cæcis viſum, mortuis vitam. vt puta, Laurentius ſigno crucis cæcos illuminabat: Martin⁹ tres mortuos ſuſcitauit: & ſic de aliis. Conuerſi ergo ex gẽtibus æquali honore cum primis Apoſtolis ſe magnificatos à Deo lætantes, gratias Deo agentes dicunt, *Magnificauit dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.* Magnificauit dominus facere cum gẽtibus, quæ per totum orbem ad eccleſiam confluunt, & redemptionis Chriſti participes efficiuntur. Vnde hic ait Auguſt. Videte fratres, ſi modò eccleſia non illud dicit inter gentes per totum orbem terrarum. Videte ſi nõ ad eccleſiam nunc currunt toto orbe terrarum. Dicunt ergo inter gentes captiui redituri peregrini, ſuſpirãtes ad patriam ſuam. Quid dicũt? *Magnificauit domi-* B *nus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.* Nunquid ipſi ſecum benefecerunt? Ipſi malè ſecum fecerũt: quia ſub peccato ſe vendiderunt. Redemptor venit, & benefecit cum illis, quia magnificauit eos. Vnde & dicunt, *Magnificauit dominus facere nobiſcum* &c. Propter quæ omnia ipſis ex gentibus conuerſis, dicit Apoſtolus, Lætamini gentes cũ plebe. Plebs namque Dei dicebantur ipſi Iudæi: ex quibus fuerunt primi prædicatores. Vel aliter. Iſta eſt vox martyrũ, qui videntes magnam conſtantiam & patientiam in ſuis paſſionibus eis à Deo datam, lætantes gratias agunt: dicentes, *Magnificauit dominus facere nobiſcum* &c. ſicut & alij illos videntes dicebant, Magnificauit dominus facere cum eis &c. vide in prȩcedenti verſic.

*Magnificauit Deus fideles conuerſos ex gentibus.*

*Rom. 15.*

## C Cõuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro. 2295

Hîc ponitur imploratio liberationis captiuitatis præſentis & miſeriæ. Vbi aduertẽdum quòd iſte textus intelligitur de duplici captiuitate: ſcilicet culpæ & miſeriæ. Primò igitur intelligitur de captiuitate culpę. Cum enim captiuitas dicatur à capio, pis, & vt habetur Prouerb. 5, Iniquitates ſuæ capiunt impium: meritò ipſa peccata nos captiuare dicuntur. A quibus per aduẽtum noſtri redemptoris ſumus liberati, qui ſua inæſtimabili charitate nos lauit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: vt dicitur Apocal. 1. Aduẽtum ergo redemptoris, quo à peccati captiuitate liberemur, implorabat Pſalm. D dicens, *Conuerte domine captiuitatem noſtram* &c. Pro cuius declaratione ſciendum quòd torrẽs dicitur fluuius qui non continuè aquis abundat, ſed flante vento auſtrali, magis aquis abundat: quia ventus auſtralis veniens à meridie eſt calidus: & per cõſequens ſoluit niues & glacies, & in aquam conuertit. Et ſic flante auſtro, torrentes ſoluuntur à ſiccitate ſua, & abundant aquis, & currunt. Sic & moraliter: Torrens eſt vita noſtra, quæ peccatis frigida manet & congelata: & ſic carens aqua, currere non poteſt: ſed flante vẽto auſtrali, qui eſt calidus: ſcilicet Chriſti charitate in ſua paſſione peccata noſtra fuerunt ſoluta: & ſic torrens iſte abundans aquis gratiæ qui prius ligatus peccatis currere nõ poterat, ad patriam currit & proficit. Quærens er- E go Pſalm. aduentum redemptoris quo à captiuitate peccati ſua charitate ſoluamur, ſub torrentis ſimilitudine loquimur: dicens, *Conuerte domine* &c. Et iſtum intellectum ponit Auguſt. hic dicens, *Cõuerte domine captiuitatem* &c. Nondum erat conuerſa captiuitas: ſcilicet tempore Pſalm. quia nondum redemptor venerat. Ait ergo, *Sicut conuertitur torrens in auſtro: ſic conuerte captiuitatem noſtram.* Sed quid

*Torrẽs eſt vita noſtra.*



quid hoc eſt? Cùm enim ſcriptura moneret de operibus bonis, ait in quodam loco, Sicut glacies in ſereno, ita ſoluentur peccata tua. Ergo peccata ligabant nos, quomodo frigus ligat aquam ne currat. Et illigati frigore peccatorum, gelauimus. Auſter autem eſt ventus calidus: quãdo autem flat auſter, liqueſcit glacies, & implentur torrentes, & aquis impleti currunt. Gelaueramus ergo in captiuitate: conſtringebãt nos peccata noſtra. Flauit auſter ſpiritusſanctus aduentu Chriſti, dimiſſa ſunt nobis peccata, ſoluti ſumus à frigore iniquitatis: & ſic tãquam glacies in ſereno, ſoluuntur peccata noſtra. Curramus ergo ad patriam, quaſi torrẽs in auſtro. Et hoc aliis verbis poſtulabat ſapiens, dicens, Surge aquilo (id eſt ceſſa flare) & veni auſter, & perfla B hortum meũ, & fluent aromata illius. Aquilo enim eſt ventus frigidus, & ſignificat peccati frigiditatẽ: auſter autẽ ventus calidus, & ſignificat Chriſti charitatẽ. Dũ ergo ceſſat aquilo, & flat auſter, hortum conſcientiarum noſtrarum perflant, & tunc fluunt & currunt aromata bonorum operum. Vel aliter: hoc intelligi poteſt de captiuitate miſerię & pœnę, quam continuè in præſenti vita patimur: quã conuerti in gaudium patriæ Pſal. poſtulat, dicens, *Conuerte domine captiuitatẽ* &c. Conuertitur enim captiuitas iſta quãdo de miſeria huius vitæ trãſimus ad patriã. Hic enim fletus & gemitus: ibi gaudium & exultatio. Vnde hic ait Auguſtin. In præſenti enim vita diu laborauimus & laboramus, etiam bene C facientes. Nam ipſa vita humana quam ingreſſi ſumus, miſeria eſt laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis & tentationibus. Nolite ergo hic ſeduci gaudio rerum humanarum: flenda in rebus humanis aduertite. Poterat ridere prius puer qui naſcitur. Quare ergo à fletu incipit viuere? Ridere nondum nouit: quare plorare iam nouit? quia cœpit ire in iſta vita: & ſic de illis captiuis eſt. Hic ergo flet & gemit: ſed patriam ſuſpirat, vt ad æternum gaudium perueniat: dicens, *Conuerte domine captiuitatem noſtram &c.* Vel aliter, Torrens aquis congelatis ſiccatus ligatur ne currat: quando Iudæi zelo inuidiæ conſtricti, ad Chriſti fidẽ non poterant accedere, ſed auſtro flante (id eſt ſpiritusſancto) à frigore inuidiæ reſoluti, vt torrens repletus aquis, ad Chriſtum affectuoſè D cucurrerunt. Et ad iſtum intellectum inducit iſtum verſum Gregorius, dicens, Quo maiora virtutum miracula Chriſtus oſtendit, eo infidelium mentibus grauioris inuidiæ torpor excreuit: atque inde contra dominum Iudæorum plebs infidelis obduruit. vnde humilis populus quando actam duriciam quæ ſe aſtrinxerat emolluit. In gelu enim verſi fuerant, qui viſis miraculis, inuidentes dicebant, Ecce, mundus totus poſt eum vadit. Conſpiciebant ſigna: cernebant per miniſtros miracula, totúmque iam mundum ſecuturum fidei prædicamenta præuidebant. Et tamen quo ſpiritusſanctus mũdum repleuerat, eo illorum E mentes arctius inuidiæ malicia ligabat. Aqua ergo in gelu verſa fuerat dum eunte poſt eum mundo, Iudæa inuidia pigra remanebat. Sed quia ſupernæ poteſtatis ſuppetit, etiã tãtæ crudelitatis duriciam ſoluere, atque ad amãdum ſe etiã corda infidelium liquare: ideo poſt ex hoc gelu aquas latiſſimas fudit. Quia poſtquã Iudæorum inuidiã etiam vſq; ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duricia, amoris ſui aſpiratione liquefecit: vt tanto poſt deſiderabilius ad obediendum curre- A rent, quanto prius prȩceptis illius pertinacius perſtitiſſent. Ab hoc frigidi torporis gelu Pſalm. ſolui deſiderabat, cum dicebat, *Conuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro.* Conuertit quippe torrentem in aquas, auſtro flante, quia mittit verbum ſuum & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Gelu enim in aquas conuertit, quia plerumque ex duris perſecutoribus, magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aquam liquatur, cùm torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epiſtolis, Damaſcum pergẽs, in corde fidelium quaſi in terra iactata verbi ſemina, ne ad perfectionem operta ſurgerẽt, reſtringere quærebat? Sed ge- B lu hoc in aquam rediit: quia quos perſequendo prius premere ſtuduit, hos poſtmodum fluctis ſanctę exhortationis infudit: vt tãto vberior meſſis electorum ſurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore perſecutoris irrigaret.

*Auſter ſignificat Chriſti charitatem.*

*Peccatũ cõgelat animam.*

*Cant. 4.*

*Gre. 27. mor. cap. 21.*

*Cõuertit Chriſtus perſecutores ſuos ad amorem ſuum.*

## Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. 2296

Hîc præſentis captiuitatis oſtenditur vtilitas. Et primò ponitur præſentis captiuitatis meritum: ſecundò præmium: ibi, *Venientes autẽ.* Prima in duas: quia Pſal. hic exiſtentes primò allicit ad meritum: ſecundò oſtendit merendi modum: ibi, *Euntes ibant.* C Quantum ad primum: ſciendum quòd prȩmij conſideratio ad operandum inducit: & conſideratio prȩmij minuit vim flagelli. Quamuis ergo laborioſum ſit hic in lacrymis ſeminare: tamen conſiderato præmio labor dulceſcit. Et ideo præmium poſt laborem induxit Pſal. dicens, *Qui ſeminant in lacrymis* (ecce labor) *in exultatione metent* (ecce prȩmium) Vnde hic ait Auguſt. *Qui ſeminant in lacrymis* &c. Quid enim, fratres mei, ipſe agricola quãdo procedit cũ aratro & portat ſemen: nónne aliquando frigidus eſt ventus, & imber deterret? Attendit cœlum, videt triſtem diem, tremit frigore: & tamen procedit & ſeminat? Timet enim ne cum diem triſtem attendit, quòd ſi expectat diem lætum, tempus tranſeat: & non inueniat quod metat. Nolite ergo & vos fratres differre ſeminare: ſeminate opera bona D etiam cum ploratis. Sed quæ ſunt ſemina quæ ſeminare in præſenti vita debemus? Certè ſemina ſunt opera bona, opera miſericordiæ, quæ cum lacrymis ſeminare debemus: & hoc proximis indigentibus compatiendo. Vnde hic ait Auguſt. Opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt. De quibus ait Apoſtolus, Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domeſticos fidei. Loquens itaque de ipſis eleemoſynis ait, Hoc autem dico, Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Ergo qui multum ſeminat, multum metet: qui parcè ſeminat, parcè me- E tet: & qui nihil ſeminat, nihil metet. Seminate ergo quantum poteſtis. Sed ſi parum habes vnde facias, habes voluntatem. Quomodo nihil eſſet quod habes, ſi nõ adeſſet bona voluntas, ſic & quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi voluntas. Quid enim ſeminas? miſericordiam. Et quid metes? pacem. Sed nunquid dixerunt angeli, Pax in terra diuitibus hominibus? certè nõ, ſed Pax in terra hominibus bonę volũtatis. In Zacheo magna voluntas: in Zacheo & magna caritas. Dimidiũ bonorũ ſuorum dedit pauperibus: & ſi aliquid abſtulerat,

*Semina ſunt opera miſericordiæ.*

*Ad Gal. 6.*

*Voluntas pro facto reputatur.*

*Eleemoſyna ſtat in volũtate.*

*Luc. 19.*

quadruplum ſe promiſit redditurum: vt intelligas propterea eum ſibi retinuiſſe dimidium, non vt haberet quod poſſideret: ſed vt haberet vnde debita redderet. Magna ergo voluntas: multum dedit, multum ſeminauit. Ergo illa vidua quæ duo *Matth.12.* minuta miſit, parum ſeminauit: immò tantũ quantum Zacheus. Minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem. Si attendas quid dederunt, diuerſa inuenies: ſi attendas vnde dederunt, paria inuenies. Sed & eſt aliud vilius, quo ſeminato, metitur illa meſſis: ſcilicet calix aquæ frigidæ. Vnde dominus ait, Qui dederit calicẽ aquæ frigidæ, non *Matth.10.* perdet mercedem ſuam. Si ergo ille qui habet vnde det illi qui non habet, tantum dedit, ſi de plena caritate dedit quantum illa vidua in duobus minutis, & quãtum Zacheus in dimidio ſuorum bonorum: quòd ſi non habet aliquis, ſecurus tamen ſit, ſi aſſit bona voluntas. Aliter iſtum textum exponit Petrus Rab. vt ly *in lacrymis* non referatur ad ſeminantem, ſed ad illud in quo ſeminatur: ſcilicet ad pauperum lacrymas. Vnde ſic ait, *Qui ſeminat in lacrymis* &c. Non ſic imber terram, quomodo ieiunium lacrymæ rigant pauperum. Homo in lacrymas pauperum iactet ſemina ieiunij. Areſcũt enim *Ieiunii lacrymis pauperis rigatur.* ieiunij meſſes, quæ pauperum fletibus non fuerunt irrigatæ. Cœli pluuia terram infundit, & lacrymæ pauperum irrigant cœlum. Ergo ſitit cœlum & expectat de pluuia pauperum vicem roris: quia miſericordia arat cœli campos, ſulcos ducit pietas. Illic miſericordiam ſeminat qui id quod ſuſcipit, in manus pauperum mittit. Ibi ſegetem colligit qui miſericordiam pauperi committit hic ferendam. Beatus cui ſeminanti ſic æterna horrea perpetim præparantur. Adducit ſemina ſibi homo: ſeminas maximè cum ieiunas. Nam ieiunium non germinat, ſi de miſericordia non rigatur. Siccatur ieiunium in miſericordiæ ſiccitate.

2297 Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Hîc modum metendi ſiue modum quo ſeminatur oſtendit. Vbi aduertendum quòd modus metendi in ſeminando opera miſericordiæ indigentibus, eſt prius miſeris per dolorẽ intrinſecum compati: & conſequenter ex dolore habito compaſſionis miſerorum ſuccurrere neceſſitatibus. *Eleemoſyna ex cõpaſſione procedere debet.* quoniam eleemoſyna niſi ex cõpaſſione interiori procedat, non meretur apud Deum, vt oſtendit Gregor. ſuper *Gre.20.mor. cap.27.* illo verbo Iob 30, Flebam ſuper eum, qui afflictus erat: & compatiebatur anima mea pauperi: dicens, Quamuis vera compaſſio ſit paſſioni proximi ex largitate concurrere: nonnunquam tamẽ cum exteriora abundè ad largiendum ſuppetunt, celerius dantis manus dationem inuenit quàm animus dolorem. Vnde ſcire neceſſe eſt, quia ille perfectè tribuit, qui cũ eo quòd afflicto porrigit, afflicti quoq; in ſe animũ ſumit: vt prius in ſe dolẽtis paſſionem trãsferat, & tunc cõtra dolorem illius per miniſterium concurrat. Nam ſæpe largitorem muneris facit rerum abundantia, non virtus compaſſionis. Qui enim afflicto perfectè compatitur, plerumque *Dilectio Chriſti per paſſione oſtenditur.* etiam hoc indigenti tribuit, in quo ipſe ſi dederit anguſtatur. Et tunc vera eſt cordis noſtri compaſſio, cum malum inopię pro proximo ſuſcipere non metuimus, vt illum à paſſione liberemus. Quam ſcilicet pietatis formã mediator Dei & hominum nobis dedit: qui cum poſſet nobis in non moriendo ſubuenire, hominibus tamen ſubuenire voluit moriendo: quia & nos videlicet minus amaſſet, niſi & vulnera noſtra ſuſciperet: nec vim nobis ſuæ dilectionis oſtenderet, niſi hoc quod à nobis tolleret, ad tẽpus ipſe ſuſtineret. Paſſibiles quippe & mortales nos reperit: & qui nos exiſtere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam ſine ſua morte potuit à paſſione. Sed vt quanta eſſet virtus compaſſionis nobis oſtenderet, fieri pro nobis dignatus eſt quod eſſe nos voluit: vt in ſeipſo temporaliter mortem ſuſciperet, quã à nobis in perpetuum fugaret. Annon in diuinitatis ſuę diuitiis nobis inuiſibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foris apparere dignat[9] eſt pauper Deus. Vnde & prædicator egregius vt ad largitatis gratiam viſcera noſtræ compaſſionis accenderet: dixit, Propter nos egenus factus eſt, cùm diues eſſet. *1.Cor.8.* Plus ergo nonnunquam eſſe dicimus compati ex corde, quàm dare: quia quiſquis perfectè indigenti cõpatitur, minus æſtimat omne quod dat. Niſi enim manum dantis bona volũtas vinceret, perfectè compati neſciret. Ex quibus patet quòd perfectè opera miſericordiæ indigentibus ſeminare cupiens, prius flendo in ſeipſo per compaſſionem, miſeriam miſeri ſuſcipere debet. Et hoc eſt quod notãs Pſal. de veris miſericordibus: dicit, *Euntes ibant* (ſcilicet proficiendo) *& flebant* (compatiendo) & hoc, *mittentes ſemina ſua* (ſcilicet opera miſericordiæ faciendo) Non quidem debet eſſe cõpaſſio vt affectes aliquem eſſe miſerum, vt illi compatiendo ſemines opera miſericordiæ: quia melius eſt vt nullus ſit miſer, quàm vt tu facias miſericordiam. Qui enim vt faciat miſericordiam, alios optat eſſe miſeros: crudelem habet miſericordiam. ſicut crudelis eſt medicus, qui vt exerceat artem ſuam optat multos ægrotos eſſe: vt hic ait Auguſtinus. Vel aliter: iſte verſus intelligitur de operibus miſericordiæ ſpiritualibus, inter quæ præcipuum eſt, docere ignorantes: maximè in his quæ ſunt fidei. Sic enim Apoſtoli per mundum euntes ſemina verbi Dei vbique ſeminabant: ſed ſeminando flebant, quia pro fide mortem etiam corporis affectabant, quam ſenſualitas flendo refutat. Semen enim eſt verbum Dei, vt ait ſaluator Luc.8.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. 2298

Hîc ponitur præmium rectè ſeminantibus debitum. *Manipulus ſignificat præmiũ æternũ.* Per manipulos quippe in quibus congregantur fructus ex ſeminibus collecti, intellige pręmium iuſtorum, quod colligitur ex bonis ipſorum operibus. Quod quidem iuſti portabunt quãdo in fine venientes ad vltimum iudicium, ſuorum meritorum præmia recipient. Vnde hic ait Auguſtin. Et ſi cum fletu ſeminamus, cum gaudio metemus. In illa enim reſurrectione mortuorũ recipiet vnusquiſque manipulos ſuos: id eſt fructum ſeminis: id eſt coronam gaudiorum & exultationis. Tunc erit triumphus lætantium, & ipſi morti inſultantium, in qua gemebatur. Sed quare tunc gaudebunt? quia portabunt manipulos ſuos: id eſt præmium laborum. Vel aliter: vt per manipulos intelligantur *Manipulus ſignificat opera bona.* opera noſtra meritoria quæ hic agimus. Nam manipulus à manu dicitur. Per manus autem ſignificantur opera. Et ſic iuſti exultantes in iudicio, portabunt manipulos ſuos: quia cum ſuis bonis operibus



præſentabuntur, quæ omnia omnibus erũt nota. Sed mali ibi apparebunt vacui, quia ipſorum opera à præmio erũt aliena. Et ad iſtum intellectum hunc verſum exponit Gregor. *Greg.7.mor. cap.17.* ſuper illo verbo Iob 6, Ambulabunt in vacuum, & peribunt: dicens, In vacuum quippe ambulant qui nihil ſecum de fructu ſui laboris ad iudicium portant. Alius namque adipiſcẽdis honoribus exudat: alius multiplicandis facultatibus æſtuat: alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc quiſque moriens hic deſerit, labores ſuos in vacuum perdit, qui ſecum ante iudicem nil tulit. *Exod.23. & 34. Deut.16.* At contra per legem dicitur, Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conſpectu domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per Pſalm. dicitur, *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt qui in ſemetipſis recta opera quibus vitam mereantur, oſtendunt &c. Et nota quòd dicit, *venient cum exultatione*, & non dicit, cum lætitia: quia exultatio dicitur quaſi extra ſaltatio: quando ſcilicet tanta eſt lætitia interius, quòd etiam ſaltat exterius ad corpus, & per ſigna exteriora oſtenditur. Exultabunt ergo iuſti in iudicio, quia lætabuntur intus in anima, & exterius in corpore. vide verſic.343.

## PSALM. CXXVI.

2299 NIſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerũt qui ædificant eam.

Hîc Pſalm. habet titulum eundem vt alij Pſalm. graduales pręcedentes: ſcilicet Cãticum graduum: niſi quòd hic creditur eſſe Salomonis, & dicitur Canticum graduum Salomonis. Et dicit hic Rabbi Salomon, quòd iſte Pſalm. intitulatur à Salomone, non quòd Salomon Pſal. iſtum fecerit, ſed quia ipſum fecit Dauid de Salomone. Præuidit enim Dauid, quòd Salomon filius ſuus ædificaturus erat domum domini, ſcilicet templum. Præuidit etiam ipſum contra legem domini acturum, maximè in eo quòd accepit vxorem filiam Pharaonis regis Ægypti, contra legẽ quæ prohibebat Iudæos vxores alienigenas accipere. Ex quo vult, quòd quia egit contra legem, quòd in vanum domum domini ædificarat. Et hoc eſt quod ait, *Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum* &c. *1.Reg.15.* Quaſi dicat, In vanum domum domini ædificat qui tranſgreditur legem domini: quia melior eſt obedientia quàm victima. Et ad hanc ſententiam applicat totam literã iſtius Pſalm. Sed in hoc quod dicit Salomonem in vanum domum domini ædificaſſe, non videtur verum: quia illa ædificatio domus à Deo fuit accepta & Deo grata: vt patet ex multis locis ſacræ ſcripturæ: vt patet 3. Reg. 8. & 2. Paral. 7. Vnde aliter & communius dicitur quòd Salomõ fecit iſtum Pſal. Cognoſcębat enim ſe non ſufficere ad ædificandũ domum cõdignam Deo: niſi ipſe dominus ſibi ſpirituale cõferret adiutorium. Vnde & ipſe Salomon dixit, 2. Paral. 2, Magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes deos. Quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? Et ſic exponendo literaliter, Pſal. iſte diuiditur in duas partes: vbi ſciendum quòd duplex eſt domus domini, ſcilicet exterior & materialis, & interior & ſpiritualis. Primò ergo agit de ædificatione domus exterioris: ſecundò de ædificatione domus interioris: ibi, *Cum dederit dilectis ſuis* &c. dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum, ſciendum primò quare in titulo apponitur Salomonis: quod in titulis aliorum Pſalm. gradualium non ponitur. Cuius ratio eſt, quia hic Pſalm. agit de ædificatione eccleſiæ, quam verus Salomon Chriſtus ædificauit: non Salomon filius Dauid. *Salomon ſignificat Chriſtum.* Ille enim Salomon qui materiale templum ædificauit, fuit figura Chriſti veri Salomonis qui ædificauit eccleſiam. Nam Salomon pacificus interpretatur. Quis autem verus pacificus dici poteſt, niſi Chriſtus, de quo dicit Apoſtol[9] ad Epheſ. *Epheſ.2.* Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum. Ille eſt verus pacificus, qui duos parietes è diuerſo venientes in ſe copulauit: quibus factus eſt lapis angularis. Qui ex veniẽte populo ex circũſione credẽte, & populo ex pręputio gentium, fecit vnam eccleſiam ex pręd ictis duobus populis. Quia igitur illius veri Salomonis Chriſti ille Salomõ fili[9] Dauid ex Berſabe figurã geſtabat, quãdo tẽplum materiale ędificauit: ideo in Pſalm. iſto qui agit de ædificatione eccleſiæ per Chriſtũ pręponitur titulus, Cãticũ graduũ Salomonis. Eſt ergo octauus gradus iſtius ſpiritualis aſcẽſionis, ædificatio eccleſiæ facta per Chriſtũ: in quo ſpes noſtra eſt ponenda: non autẽ in Salomone filio Berſabe. Quia ille Salomon quamuis multa ſancta præcepta & ſalutaria ſacramenta ſcripſerit à ſpirituſancto doctus: tamẽ mulierum amator fuit, & reprobatus à Deo: vt etiam amore mulierum idolis ſacrificare cogeretur, vt hic ait Auguſt. Ex quo apparet, quòd nunquam in præſenti vita eſt aliquis tãtus peccator, vt de ipſo ſit deſperandum: ſicut nec quis tantæ ſanctæ vitæ, vt de ipſo non ſit timẽdum, quia cadere poteſt Salomonis exemplo. Ideo in omnibus ſeruanda eſt humilitas. Intentionem ergo mouet iſte Pſalm. aſcendere per humilitatem. Quibus viſis, accedo ad Pſalmi diuiſionem. Hic enim agitur de ædificatione eccleſiæ facta per Chriſtum. Et quia duplex eſt eccleſia: ſcilicet militans in præſenti vita, & triumphans in futura: ideo Pſalmiſta duo facit: quia primò agit de ædificatione & ſtatu eccleſiæ militantis: ſecundò de ædificatione & ſtatu eccleſiæ triumphantis: ibi, *Cum dederit*. Prima pars diuiditur in tres partes: quia primò oſtendit à quo eccleſia militans ædificatur: ſecundò à quo gubernatur: ibi, *Niſi dominus cuſtodierit*: tertiò à quo diſſipatur: ibi, *Vanum eſt nobis*. Quãtum ad primum: ſciendum quòd domus Dei dicitur eccleſia, *Domus dicitur eccleſia.* in qua Deus vt in domo habitat per gratiam, quam domum eccleſię ſola increata ſapientia ædificare poteſt: de qua dicitur, Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem &c. *Prou.9.* Quę omnia de domo eccleſiæ militantis exponit Greg. dicens, *Greg.33.mor. cap.21. Sapiẽtia ædificauit domum eccleſiæ.* Domus ſapientiæ eccleſia vocatur, quæ ſapientia ſeptem columnas excidit: quia ab amore præſentis ſæculi diſiunctas ad portandam eiuſdem eccleſiæ fabricam mentes prædicãtium erexit. Quę pro eo quòd perfectionis virtute ſubnixæ ſunt, ſeptenario numero ſignantur. Immolauit victimas, quia vitam prędicantium mactari in perſecutione permiſit. Vinum miſcuit, quia diuinitatis & humilitatis ſuæ pariter nobis arcana prædicauit. Menſam quoque propoſuit, quia ſcripturæ ſacræ nobis pabula aperiẽdo præparauit. Ancillas etiam ſuas miſit, quæ ad arcẽ nos atque ad ciuitatis mœnia vocarẽt: quia prædicatores infirmos abiectóſq;

habere ſtuduit: qui fideles populos ad ſpiritualis patriæ ædificia ſuperna colligerent. Vnde in euangelio dominus Nathanaelem laudat, nec tamen in ſorte prædicantium numerat:quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil haberent:vt tantò ſolidius veritatis cognoſceretur eſſe quod agerent, quanto & apertè cognoſceretur: quia ad hoc agendum per ſe idonei non fuiſſent. Vt ergo mira potẽtia per prædicatorum linguas clareſceret, prius mirabilius actum eſt vt eorum prædicãtium meritum nullum eſſet. Ancillas ergo ſuas dominus miſit,quia infirmos prædicatores mundo exhibuit, & potentes quoſque, qui eius corpus fierent, ſub terroris ſui vinculo conſtrinxit &c. Sic ergo Dei ſapientia domum eccleſiæ ædificat, quia & prædicatores quidem ad hoc laborare poſſunt: ſed ſine eius adiutorio in vanum laborant. Vnde & hic ait Auguſtinus,Dominus Ieſus ædificat domum eccleſiæ: laborant tamen multi in ædificando: ſed ſi non ille ædificet, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Qui ſunt qui laborant ædificantes? Omnes qui in eccleſia prædicant verbum Dei,miniſtri ſacramentorum Dei:omnes currimus, omnes laboramus & ædificamus modò:& ante nos alij cucurrerunt, & laborauerunt, & ædificauerunt.Sed niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.Et ideo quoſdam videns ruere Paulus ait,Dies obſeruatis,& annos,& menſes: timeo ne ſine cauſa fortè laborauerim in vobis. Plãgebat enim iſtos,quia ſine cauſa laborauerat in eis. Nos ergo loquimur foris,ille ædificat intus. Quomodo vos audiatis,nos adducimus:quid cogitatis ille ſolus nouit qui cogitationes hominum videt. Ipſe ædificat,ipſe monet,ipſe terret, ipſe intentum aperit, ipſe ad fidem applicat ſenſum veſtrum. Et tamen laboramus & nos tanquam operarij. Sed ſi ille non ædificauerit, in vanum laborauerunt qui ædificant. Vnde & principalis ædificatio eccleſiæ, ſoli Deo eſt attribuẽda.Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus, Neque qui plantat aliquid eſt,neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. Dei enim ſumus adiutores. Vel aliter:intelligitur iſte textus de domo ſpirituali conſcientiæ, quam nullus abſque Deo ædificare poteſt: vt ſcilicet mẽs noſtra fiat domus vel habitatio Dei.Et ad iſtum ſenſum hũc verſum exponit Gre.ſuper illo verbo Iob 12,Si deſtruxerit,nemo eſt qui ędificet:dicẽs, Omnipotẽs Deus humanum cor deſtruit cũ relinquit: ædificat cum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo: quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa. Vnde plerumque fit vt cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis gratia non repletur, exterius in vanum à prædicatore moneatur: quia mutum eſt os omne quod loquitur, ſi ille interius in corde non clamat, qui aſpirat verba quæ audiuntur. Hinc propheta ait, *Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Qualiter autem domus conſcientiæ ſit ædificanda & dedicanda,oſtendit Gualfred. ſuper illo verbo Deut.20,Si quis ædificat domum, & non dedicauerit eam, reuertatur de prælio: dicens, Dedicatio domus eſt ſolennis quidam ad habitandum ingreſſus. Sed donec domus tota vel ex magna parte ſit ædificata, non dedicat quis, quia nondũ inhabitat eam.Itaque dum humana anima exterioribus tantum rebus intenta penitus in terris ocioſa vagatur, nec ſecum manet, nec domum habitat. Sícque fatui quidam,qui nec in mentibus ſuis ædificium habent,nec in domum conſcientiæ poſſunt manere, cum non habeant. Cæterùm vbi iam quiſque ſapere & intelligere cœperit, domum ędificat,nec ad inſipiẽtiam ſibi:ſi tamen ipſam vendicat,& ſuæ dedicat manſioni. Fundamentum domus illius in propria ſuiipſius cognitione ſubſiſtit. Paries anterior in prouidentia agendorum, poſterior in pręteritorum recordatione.Dextrum parietem facit proſperitatis, & ſiniſtrum aduerſitatis agnitio. Culmen domus & tectum in cõſideratione diuina & fidei ratione conſiſtit. Hinc nempe animus in ſublime porrigitur,& quandam ei exhibet vicem tecti myſterium fidei. Sed quanti hodie hanc domum ædificare ſibi feſtinant,ſed inhabitare diſſimulant:affectantes magis facultatem quàm vtilitatem ſcientiæ, magis habere domum quàm domus vſum? Videas deniq; domum altam & amplam apertis vndique oſtiis & feneſtris patentibus: iámque ſolet paulatim deficere antequam dedicetur. Actor autem eius infelix & inſipiens in plateis mendicat & aliena hoſpitia circuit, cum domus eius pateat alienis. Ibi nidificant volucres, & immunda quæuis animalia cubant: illic fures condunt ſibi:illic conueniunt altercatores & impudici: illic ſymbola faciunt ebrioſi. Vide igitur quàm dignus ſit iſte vt remittatur ab exercitu domini, & eiiciatur caſtris eius:qui domum quidem ædificauerit,ſed in vanum: quia ipſam dedicare (id eſt inhabitare) contemnit:non in ſe manens vt manendum agnoſcit,ſed in exterioribus & vanis habitans rebus. Contra quos dicitur, Erunt verba quæ ego præcipio tibi in corde tuo, & meditaberis ſedens in domo tua.

*Ioan.1.* — *Aedificare eccleſiam ſine Deo nullus poteſt.* — *Gal.4.* — *1.Cor.3. Prædicator ſine Dei gratia non proficit auditoribus.* — *Gregor. 11. mor.cap.5.* — *Domus animæ quomodo ædificatur & dedicatur.* — *Deut.6.*

## Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. 2300

Hîc oſtenditur qualiter ciuitas eccleſiæ gubernatur.Vbi aduertendum quòd hic idem eſt ciuitas quod domus(ſcilicet eccleſia) quæ domus dicitur propter Dei inhabitationẽ, & ciuitas propter charitatis vnionem. Et ideo ſicut nullus poteſt ſine Deo ædificare eccleſiam:ſic nec ædificatam cuſtodire. quia ipſe Deus huius domus & ciuitatis ædificator eſt & cuſtos. Quòd autem eccleſia dicatur ciuitas,quia ad modum ciuitatis ædificata:vide ſuperius verſic.1475.Huius autem ciuitatis eccleſiæ cuſtodia pręlatis committitur:vt ſcilicet vigilando ſuper gregem ſibi commiſſum, ipſam cuſtodiant, fidem prædicando & defenſando. Quorum tamen cuſtodia,niſi dominus cuſtodiat, non ſufficit, neque vigilia.Vnde Auguſtinus hic ait, Hæc ciuitas eccleſię habet cuſtodes,quomodo habet ædificantes. Cuſtos huius ciuitatis erat Apoſtolus. Vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat. Nam ideo altior locus poſitus eſt epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant ad cuſtodiendum populum.Quod enim Græcè dicitur epiſcopus, hoc Latinè dicitur ſuperintendens. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad cuſtodiendam vineam:ſic epiſcopis altior locus factus eſt. Et de iſto alto loco periculoſa ratio redditur,niſi eo ordine ſtemus hic,vt humilitate ſub pedibus ſubditorum ſimus, & pro ipſis oremus,vt qui nouit mentes ſubditorum, ipſe cuſtodiat.Nos ergo ſicut homines cuſtodimus,& perfectè cuſtodire non poſſumus. Laboramus in cuſtodiendo:

*Prælati cuſtodes ſunt eccleſiæ:quam ſine Deo cuſtodire non poſſunt.*



dię̃do:ſed vanus eſt labor noſter, niſi ille cuſtodiat qui videt cogitationes hominũ. Cuſtodit ille cum vigilatis: cuſtodit ille cũ dormieritis. Cuſtodimus vos ex officio paſtoris:ſed ſub illo paſtore vobiſcũ oues ſumus: doctores ſumus, ſed ſub illo vno magiſtro in hac ſchola vobiſcum condiſcipuli ſumus. Si ergo volumus cuſtodiri ab illo qui humiliatus eſt propter nos,& exaltatus ad cuſtodiendum nos: humiles ſimus,&c.Ex quibus apparet quòd prętatorum cuſtodia ſine cuſtodia Dei nõ ſufficit eccleſiæ:ſicut nec prædicatio miniſtrorũ ſine diuina inſpiratione. Aduertendum ergo quòd Deus diuerſa hominũ genera ſpecialiter cuſtodit:vide ver.1665. Vel aliter:ſicut per domum(vt dictum eſt in pręcedenti verſiculo) intelligitur ſpiritualis conſcientia: ſic etiã per ciuitatẽ intelligitur vniuſcuiuſq; mens vel cõſcientia.Quia ſicut ciuitas vnitatẽ intus debet habere &munitiones,exterius antẽ mœnia:ſic & anima, &c. Qualiter autẽ iſta ciuitas cõſcientiæ ſit cuſtodiẽda, vide in dictionario meo:vbi cuſtodire,parte tertia. Ex quibus omnib⁹ apparet quòd nos cuſtodes ſumus eccleſiæ vel cõſcientiæ noſtrę tanquã famuli & miniſtri: Deus autẽ tanquã principalis & dominus. Et ideo ſicut nec actus ſerui valet ſine auctoritate domini:ſic nec noſtra cuſtodia ſine cuſtodia Dei. Vnde iſtum verſum ad iſtum ſenſum inducit Greg.ſuper illo verbo Iob 7, Quid faciam tibi ô cuſtos hominum:dicens,Deus cuſtos hominum dicitur,quia ſi eius nos cuſtodia miſericordiæ protegit ante occulti hoſtis inſidias,noſtræ ſollicitationis oculus vigilãs dormit: Pſalmiſta atteſtante,qui ait,*Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*

*Anima dicitur ciuitas. Cuſtodia ciuitatis animæ qualis eſſe debet.* — *Greg.8.moral.cap.21.*

## 2301 Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere:ſurgite poſtquam ſederitis, qui mãducatis panem doloris.

Hic oſtenditur à quo diſſipatur ciuitas eccleſiæ vel conſcientię.Diſſipant enim domum vel ciuitatem eccleſiæ ſeu conſciẽtię propriæ,qui fidẽ Chriſti non recipiunt, ſed ipſi Chriſto contradicunt, & fidem ſuam impugnant. Qui tamen in vanum operantur, quia ſibiipſis ſolum nocent: non Chriſto vel eccleſiæ ſuæ. Et hoc notans Pſalm.ait, *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite*, &c. Quid enim propriè per lucem intelligitur, niſi Chriſtus qui dicit,Ego ſum lux mundi?Et Ioan.1, Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominem,&c.Dicitur enim Chriſtus vera lux,quia omnes lucis proprietates in ſe plenè continet:vide ſuprà ver.2072. Sed quid eſt ante lucem Chriſtum ſurgere, niſi Chriſtum nolle ſequi per humilitatẽ: ſed ſibi per ſuperbiam contradicere? Nam ante idem eſt quod contra. Et ſic ante lucem Chriſtum ſurgit, qui contra ſe erigit.Vnde hic ait Auguſt.Qui ſunt illi qui ſurgunt ante lucem Chriſtum? Illi qui ſe volunt præponere Chriſto:qui volunt hic excelſi eſſe,vbi humilis fuit Chriſtus. Sint ergo hic humiles qui volũt ibi eſſe excelſi,vbi excelſus eſt Chriſtus.Et quis non vult eſſe excelſus cum Chriſto, vbi iam excelſus eſt Chriſtus?Vis ita eſſe?Eſto ergo hic humilis, vbi humilis fuit Chriſtus.Qui volunt diſcipuli eſſe ſupra magiſtrum, ſerui ſupra dominum, illis dicitur,*Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.*Tales fuerãt filij Zebedæi, qui antequam humiliarentur ſecundum paſſionem domini,iam ſibi loca eligebant alta vbi ſederẽt:vnus ad dexteram:& alius ad ſiniſtrã. Ante lucem volebãt ſurgere: & ideo in vanum ibant. Illos reuocauit ad humilitatem, dicens, Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibiturus ſum? Quaſi dicat, Ego veni humilis eſſe: & vos ante me vultis eſſe excelſi?Petrus etiam ante lucem ſurrexerat, quãdo conſilium voluit dare domino,vt nõ pateretur pro nobis. Cum enim Chriſtus de paſſione ſua futura prædiceret,timuit Petrus,dicẽs,Abſit domine à te: propitius eſto tibi:non fiat iſtud. Ante lucem ergo volebat ſurgere, & luci cõſilium dare:ſed dominus fecit vt poſt lucem iret & lucem imitaretur,dicens, Vade poſt me ſathana:quia ante, (id eſt,contra) lucem vis ſurgere.Talibus ergo ait Pſalm.Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.Hunc autem verſum cõtra hypocritas Greg.exponit: qui ſtatim vt aliquid boni faciunt,humanas laudes quærunt:non expectantes retributionem lucis ęternę.Vnde dicit,Cũ primordia boni operis laudãtur,dignum eſt vt hoc animum non paſcat operantis: ne dũ accepta laus ſuauiter carpitur, fructus operis intempeſtiuè comedatur. Hinc per Pſalmiſtam veritas dicit, *Vanũ eſt vobis ante lucem ſurgere:ſurgite poſtquam ſederitis*,&c. Ante lucem quippe ſurgere eſt, priuſquam claritas æternæ retributionis appareat, in præſentis vitæ nocte gaudere.Sedendum eſt ergo prius, vt poſtea rectè ſurgamus. Quia quiſquis ſe ſpõte hic nõ humiliat,nequaquam hunc ſequẽs gloria exaltat.Sequitur,*Surgite poſtquam ſederitis,qui manducatis panem doloris.* Vbi notandum quòd ſedere in ſcriptura aliquando ſignificat exaltationem, aliquando humiliationem. Significat enim exaltationẽ, vt cum dicitur, Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes, &c.Et Lucæ 22, Videbitis filiũ hominis ſedentẽ à dextris virtutis Dei.Significat etiam humilitatem & aduerſitatem, vt cum de Chriſto dicitur, Ieſus autẽ fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuper fontem. Fatigatio enim domini,infirmitas domini fuit: infirmitas autem,humilitas.Sic etiam dicitur in Pſal. Tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Vbi Gloſ. Tu cognouiſti ſeſſionem meam: id eſt,humilitatẽ paſſionis. Hic ergo accipitur ſeſſio pro humilitate & aduerſitate,cum dicitur, *Surgite poſtquam ſederitis*.Eſt ergo ſenſus,*Surgite poſtquam ſederitis*:id eſt,hic prius debetis humiliari, vt poſtea dignè poſſitis exaltari.Vnde hic ait Auguſt.Dominus noſter prius humiliatus eſt,vt exaltaretur.Audi Paulum dicentem, Exinaniuit ſemetipſum, factus obediẽs vſq; ad mortem crucis.Hæc eſt ſeſſio Chriſti. Sed audi ſurrectionem, Propter quod & Deus exaltauit illum,& donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomẽ, &c. Si vos ergo ad illud nomen feſtinatis,ſurgite:ſed poſtquam ſederitis, quia ſurgens ab humilitate, venis ad regnum. Prius ergo humiliamini, ſi vultis exaltari. Sed ne quis putet hic loqui de ſedere honoris, ſed magis paſſionis & humilitatis,ſubdit, *Qui manducatis panem doloris.* Illi enim manducant panem doloris qui in præſenti vita & valle miſeriæ humiliãtur,patiuntur, percutiuntur & lacrymantur:iuxta illud Pſal.41, Fuerũt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Et Pſal.79, Cibabis nos pane lacrymarum. Vnde hic ait Aug. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Quaſi dicat, Ergo & tu tuam exaltationem poſt mortẽ,ſpera,in reſurrectione mortuorũ ſpera,quia poſt paſſionem Chriſtus reſurrexit & aſcendit.Sed vbi dormiuit?vbi ſedit?In cruce:vbi latus eius lancea percuſſum eſt:& ſacramẽta inde fluxerunt, vnde formata eſt eccleſia.Si ergo iſte non ſurrexit niſi mortuus

*Lux dicitur Chriſtus.* — *Ioan.8.* — *Ante lucem ſurgit qui contra Chriſtum ſe erigit.* — *Matth.20.* — *Matth.16.* — *Greg.8.moral.cap.36.* — *Sedere ſignificat humilitatem & exaltationem.* — *Ioan.4.* — *Pſal.138.* — *Phil.2.* — *Panis doloris eſt humilitas & paſſio.*

mortuus, niſi poſtquam manducauit panem doloris: quomodo tu ſperas exaltationem, niſi poſt hãc vitam? Quod notans Pſal. ait, *Surgite poſtquam ſederitis,* &c.

## 2302 Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.

Hic agitur de ædificatione eccleſiæ triumphantis. Et diuiditur in tres partes: quia primò ponitur tempus quo eccleſia triumphans poſſidetur: ſecũdò cœtus à quo ædificatur: ibi, *Sicut ſagittæ*: tertiò gloria qua poſſidetur: ibi, *Beatus vir.* Quantum ad primum: ſciendum quòd per ſomnum vel dormitionem mors corporalis intelligitur, quia tunc boni vt in ſomno vel dormitione requieſcunt à laboribus ſuis. Vnde & Chriſtus Lazari mortẽ annunciãs diſcipulis ſuis ait, Ioã. 11, Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitẽ eũ. Vbi notandũ quòd quinque ſunt ſpecies dormitionis vel ſomni: vt oſtendit Gualfred. ſuper illo verbo Apoſtoli, dicentis, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: dicens, Quinque ſunt ſpecies ſomni, præter eũ qui omnibus in vſu eſſe cognoſcitur. Primus eſt ſpeculatorius: ſecundus eſt diſſimulatorius: tertius reprehenſibilis: quartus damnabilis: quintus indifferens, & communis eſt omni carni. In primo eſt delectatio ſuauitatis: in ſecundo, vmbra diſſimulationis: in tertio, torpor negligentiæ, in quarto, mortificatio quędam mentis, obliuio interioris hominis claudit oculos, & vigorẽ ſepelit rationis: quintus, terrenorum actuum habet conſumationem: & ſimiliter colligit diſſimiliter aliquãdo reſurrecturos. Primus nobis commendaſſe videtur ſopor qui oblatis hoſtiis in Abrahã legitur incidiſſe. Sic & ſomnus Iacob, in quo ei viſio ſpiritualis apparuit. Et ille forſitan Salomonis, in quo ſcientiam petiit & accepit. Ad ſecundum verò non incõgruè refertur, quòd in grauiſſima tempeſtate propter ipſum orta, Ionas iacuit ſopore depreſſus, ſorte deprehendendus. Euidentius ad huiuſmodi ſomnum pertinuit, quòd ventis ſæuiẽtibus & mari intumeſcente, pręceptor noſter huius nihil ſentiens, dormiebat in mari. Ad tertium ſomnum, quòd Noe temulentus nudatus & irriſus, demum expergefactus erubuit. In quarto forſitan ſomno dormiens Loth, filiarum inceſtu fuit maculatus. Siſara ſoporatus clauo tabernaculi in tempore transfixus occubuit. Capite truncatus interiit Holofernes. Ad quintũ omnes nos oportet eſſe paratos: quia quales nos exceperit, tales eſt redditurus, & diuino exhibiturus iudicio. de quo dominus archiſynagogi filiam ſuſcitans dicebat, Non eſt mortua puella, ſed dormit: & Lazarum amicum ſuũ dormire dicebat. Et primus eius teſtis Stephanus inter ſaxa frementium & furẽtium populorum feliciter obdormiuit in domino: & de quo Pſalmiſta loquitur, dicens, *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum,* &c. De iſto ergo ſomno, qui eſt ſomnus mortis corporalis, hic loquitur textus, dicens, *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum.* Quaſi ſi quis quæreret, dicens, Dictum eſt quòd debemus ſurgere, ſcilicet ad gloriam poſtquam ſederimus per humilitatem. Sed quando erit hæc ſurrectio, & gloriæ exaltatio? Reſpõdet Pſalmiſta, quòd qui hic humiliantur, tunc ſurgent in gloria: dicens, Quando Chriſtus dederit dilectis ſuis ſomnũ, ſcilicet quando dilecti Chriſti per ſomnum mortis corporalis ab hac vita liberi erunt. Noli ergo ante mortem quærere gloriam, quia poſt mortem ſeruatur: ſcilicet cum dederit dilectis ſuis ſomnum, tunc ſcilicet ſurgent dilecti Chriſti ad gloriam. Vnde hunc ſenſum hic ponit Auguſt. dicens, Vt doceat te Pſalmiſta, quaſi ſi interrogares, Quãdo ſurgam? Reſpondet dicens, *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum.* Hoc eſt, cũ dormierint dilecti eius, tunc ſurgent dilecti Chriſti. Omnes enim ſurgent: ſed non omnes quomodo dilecti eius. Omniũ enim eſt reſurrectio mortuorum, ſed reſurgunt illi ad pœnas: ſed reſurgimus nos dilecti quomodo reſurrexit dominus noſter: vt ſequamur caput noſtrum, membra eius qui ſumus. Conſtituti ergo membra eius, & in membris eius dilecti eius, cũ ſomnum mortis acceperimus: tunc cum Chriſto glorioſi reſurgemus. Noli ergo hic quęrere mundanam fœlicitatem, ſed prius ſede in præſenti vita comedens panem doloris: vt cum dederit dilectis ſuis ſomnum, cum Chriſto reſurgas glorioſus. Vnde ſequitur, *Ecce hæreditas domini, filij, merces,* &c. Quaſi dicat, Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, tunc illis dabitur hæreditas domini: quæ eſt merces felicitatis æternæ. Ecce dabitur hæreditas domini, quæ eſt merces & præmium omnium bonorũ. Et ſi quis quærat qui ſunt iſti dilecti quibus poſt ſomnum dabitur merces & hæreditas domini: reſpondet, quòd iſti ſunt filij qui ſunt fructus ventris. Vbi notandum quòd Pſalmiſta hic comparat eccleſiam mulieri parturienti multos filios: quoſdam ſcilicet bonos, & alios malos. Sic eccleſia, (id eſt, paſtores eccleſiæ) multos filios generant verbum Dei prædicãdo. Quorum aliqui ſunt præordinati ad vitam ęternam, & inter fructum eccleſiæ computantur: quia tales finaliter in gratia permanent, & ſpectant ad hæreditatem Dei, & mercedem æternam. Et iſti dicuntur fructus ventris eccleſiæ. Quoſdam verò generãt, qui finaliter in gratia non permanent: & iſti inter fructum eſſe non computãtur. Hic autem boni mixti cum malis nõ diſcernuntur à malis: ſed tunc cognoſcentur. Dicit ergo quòd illi ſunt dilecti Dei, qui ſunt filij vẽtris, ſcilicet eccleſiæ: ſic quòd fructus ſint eccleſiæ. Vnde hic ait Auguſt. Parit eccleſia filios cõiunx Chriſti: vnde in membris parturiẽtis eccleſiæ erat Apoſtolus qui dicebat, Filioli mei quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Genuit illos eccleſia, parturit illos. In cuius typo Rebecca duos geſtabat in vtero: duos populos figurantes, qui in vtero matris luctabantur. gemebat illa, vim patiebatur. Sic & modò, fratres, tandiu gemitus datus eſt eccleſiæ, quamdiu parturit eccleſia: ipſi ſunt intus & boni & mali. Sed fructus ventris in Iacob erit, quia ipſum dilexit mater. Ambo de vno vtero proceſſerunt: vnus amari meruit, alius reprobari. In dilectis ergo eius erit fructus, cui dabitur merces & hæreditas Dei. De iſto fructu eccleſiæ dicebat Chriſtus Apoſtolis parturientibus, Ego poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quod dicit ad differentiam reproborum: qui etſi aliquando generãtur in fide eccleſiæ, tamen finaliter non manent.

*Somnus eſt multiplex.* *Rom.13.* *Gen.28.* *Ionæ 1.* *Gen.9.* *Gen.19.* *Iudic.4.* *Iudith.14.* *Matth.19.* *Ioan.11.* *Eccleſia parit bonos & malos.* *Gal.4.* *Gen 25.* *Ioan.15.*

## Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. 2303

Hic oſtenditur cœtus à quo ædificatur eccleſia. Vbi notandum quòd per ſagittas intelliguntur Apoſtoli & ſancti prædicatores: vt dictum eſt verſic. 741. Dicuntur etiam filij excuſſorum: id eſt, Prophetarum,



phetarum, quos vt filij ſunt imitati, eorum dicta obſcura excutientes, id eſt, aperientes & declarantes. Excuti enim aliquid dicitur, ſicut ſaccus excutitur, vt exeat & pateat quod intus latebat clauſum. Prophetæ ergo clauſa continentes ſacramenta excuſſi ſunt ab Apoſtolis & prædicatoribus, accedente eorum diligentia & domino aperiente: & quæ abſcondita erant declarantes prodierunt in lucem. Sicut Petrus Apoſtolus excuſſit prophetã Dauid, id eſt, declarauit. Oſtendens quid intellexit Dauid cum dixit, Propter hoc delectatum eſt cor meũ & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam nõ derelinques animã meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionẽ. Excuſſit enim, id eſt, declarauit, quòd totum hoc non dicebat de ſeipſo, ſed de Chriſto, pronuncians eius reſurrectionem. Sic & Philippus excuſſit Eſaiam prophetam, quando declarauit eunucho Cãdacis reginæ Æthiopum verbum Eſaiæ dicentis, Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, &c. Oſtẽdens quòd loquebatur de Chriſti paſſione & reſurrectione. Conſimiliter prædicatores excutiunt Eſaiam prophetam, quando declarant eius dicta obſcura: vt quando dixit, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit. Hoc enim inuolutũ prædicatores excutiunt dicentes, Venit bos triturans de gẽte Iudæorum. Omnis enim qui prædicat verbum Dei, monet bonos, obiurgat rebelles, terret malos, triturat aream, & bouis implet officiũ. Aſinus verò eſt populus de gentibus veniens, vt inſideat ei Chriſtus: ſignificatus in euangelio per pullum aſinæ, cui nullus inſederat: quia ad eũ nec lex miſſa fuerat, nec propheta: vtriq; populo Chriſtus eſt in præſepio: vtrique cibus eſt in altari. Ecce ergo qualiter illud inuolutũ eſt excuſſum. Prophetæ ergo dicuntur excuſſi, ex quibus generati ſunt Apoſtoli. Et ita Apoſtoli dicuntur filij excuſſorum. Ad propoſitum ergo: volens Pſalmiſta declarare quòd per Apoſtolos miniſterialiter fabricata fuit eccleſia, dicit de ipſis quòd fuerunt, ſicut ſagittę in manu potentis. Sagitta enim per manum potentis emiſſa, celeriter longéque volat. Sic & Apoſtoli à manu potentis emiſſi, ſcilicet ab ipſo Chriſto, eis dicens, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangeliũ omni creaturæ, Mar. vlt. Celeriter ierũt vſque ad fines terræ, & totum orbem fide Chriſti repleuerunt. Eſt ergo ſenſus literæ talis: *Sicut ſagittæ in manu potentis*: ſupple, citò longéque volant: ſic fecerunt filij excuſſorum, id eſt Apoſtoli, qui ſunt filij prophetarum. Quia in paruo tempore in omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Et ſic per iſtos miniſterialiter ædificata fuit eccleſia. Iſtam ſententiam hic ponit Aug. dicẽs, Vnde, fratres, hæreditas Dei facta eſt tam multa? hoc ideo quia excuſſi ſunt quidam de manu potentis tanquam ſagittæ: & ierunt longè, & totam terram impleuerunt, vnde pullulant ſancti. De arcu enim emittuntur ſagittæ: & quanto fortius excuſſerit, tanto longius vadit ſagitta. Quid autẽ fortius excutiẽte domino? De arcu mãdat Apoſtolos ſuos. Non poteſt eſſe locus ad quem nõ veniret ſagitta à tã forti excuſſa: peruenit enim vſque ad fines terræ.

*Apoſtoli ſũt filij excuſſorũ id eſt, prophetarum.* *Actuũ 2.* *Pſal.15.* *Actuum 8.* *Eſa.1. Prædicatores excutiũt prophetas.*

## 2304 Beatus vir qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cũ loquetur inimicis ſuis in porta.

Hîc oſtẽditur gloria qua poſſidetur ſcilicet hæreditas Chriſti. Vbi notãdum quòd tẽporalia bona vel delectationes deſiderium noſtrum implere non poſſunt nec ſatiare, vt experiẽtia docet. Nam ſi deſideras diuitias: ex eis non potes implere deſideriũ tuum, quia quàm plus habẽtur, maiorem ſitim accendunt. Sic ſi deſideras honores: ſic ſi voluptates, nõ adimplebis ex eis deſiderium tuum. Quia cum mẽs noſtra ſit capax infiniti, ſolo infinito bono ſatiari poteſt. Cum ergo ſolus Deus ſit verum bonum & infinitum, ipſe ſolus mentem noſtram poteſt replere. Et hunc deſiderandum & amandũ docent filij excuſſorum, id eſt Apoſtoli & ſancti prædicatores. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta, *Beatus vir qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis*: ſcilicet ex ipſis prędicatoribus: ſcilicet ex ipſo Deo quem prædicatores deſiderandum prædicant. Non hoc dicit quia prædicatores poſſint deſiderium tuum implere: ſed quia talibus obediendo & tales imitando, peruenis ad eum qui implebit deſiderium tuum: ſi autem ex Deo vis implere deſiderium tuum, oportet quòd ipſum primò euacues omni deſiderio mundi. quia ille ſolùm poteſt deſiderium ſuum ex Deo implere, qui non amat ſæculum: qui deſiderio mundi non eſt plenus. Funde ergo quod portas, vt capax fieri poſſis ad id quod non habes. Sequitur, *Non confundetur cũ loquetur inimicis ſuis in porta.* Vbi aduertẽdũ quòd propriè porta dicitur Chriſtus: Ego ſum oſtium &c. Quid eſt ergo loqui in porta, niſi loqui in Chriſto, loqui de Chriſto, prædicare Chriſtum ſine erubeſcentia, ſine confuſione: ipſum inimicis fidei prædicare? Hoc eſt enim ſignũ quòd Chriſtũ deſideras, ſi abſque confuſione coram inimicis & infidelibus ipſum prædicas. Et hoc eſt quod ait, *Nõ confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.* Quòd autem Chriſtus porta dicatur vitæ cœleſtis: ſicut diabolus dicitur porta perditionis: oſtendit Chryſoſtomus ſuper illo verbo Chriſti dicentis, Intrate per anguſtam portam: ſic dicens, Porta perditionis eſt diabolus, per quem introitur in gehẽnam: porta vitæ eſt Chriſtus, per quẽ introitur in regna cœleſtia. Lata autem porta dicitur eſſe diabolus, non magnitudine poteſtatis extenſus: ſed effrænatæ ſuperbiæ licentia dilatatus. Porta autem anguſta dicitur Chriſtus, non paruitate poteſtatis exiguus: ſed humilitatis ratione collectus. Quia quẽ totus non capit mundus, ſeipſum inter anguſtias vteri virginalis incluſit, &c. Et de iſta ergo porta quę dicitur Chriſtus, dicit Pſalmiſta, *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.* Vel aliter: porta regni cœleſtis dicitur dies iudicij, per quem iuſti vitam intrabunt æternam. Quod oſtendit Gregorius ſuper illo verbo Iob 5, Conterentur in porta, & non erit qui eripiat: dicẽs, Nam ſicut vrbis aditus porta dicitur: ita eſt dies iudicij porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad cœleſtis patrię gloriam intratur. Vnde & hunc diẽ cum ad retributionem ſanctæ eccleſiæ Salomon appropinquare conſpiceret, dicit, Nobilis in porta vir eius: cum ſederit cũ ſenatoribus terræ. Vir quippe eccleſiæ eſt humani generis redemptor, qui in porta ſe nobilem oſtendit: qui deſpectus prius in contumeliis extitit, ſed in iudicio ſublimis apparebit. Qui cum ſenatoribus terræ reſidet, quia iudicij ſententiam cum ſanctis eiuſdem eccleſiæ prædicatoribus decernit: ſicut ipſe in euangelio dicit, Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim,

*Deus ſolus implet & ſatiat deſideriũ noſtrum.* *Ioan.10.* *Porta vitæ Chriſtus: porta mortis, diabolus.* *Matth.7.* *Porta dicitur dies iudicij.* *Gregor.6. moral.cap.3.* *Prouer.31.* *Matth.19.*

decim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. De iſta ergo porta dicit, quòd qui implebit deſiderium ſuū ex ipſis, (ſcilicet prædicatoribus,) non confundetur: quādo ſcilicet Chriſtus loquetur inimicis ſuis in porta. Hoc eſt, quando Chriſtus loquetur in iudicio contra damnatos, ipſi damnati confundentur: ſed non cōfundetur ille qui implet deſiderium ſuum ex illis quæ prædicatores Chriſti annunciāt: immò gaudebit, quia ducetur ad regnum: immò
*Pſal. 30.* tunc ſecurè Chriſto dicet, In te domine ſperaui: nō confundar inæternum.

# PSALMVS CXXVII.

2305 **B**Eati omnes qui timēt dominum, qui ambulant in viis eius.

Pſalmus iſte talem habet titulum, Canticum graduum: qui patet ex titulo præcedentium Pſalmorum gradualium. De materia verò Pſalmi, ſciēdum eſt quòd omnia in antiquo teſtamento promiſſa, erāt ſolum quædam vmbræ & figuræ eorum quæ in lege noua promittuntur timētibus Deum. Promittebantur enim ibi temporalia bona, quibus ſignificabātur æterna: ſecundum quòd dicit Apo-
*1. Cor. 10. Eſa. 1.* ſtolus, Omnia in figura contingebant illis. Verbi gratia, dicitur, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Per hoc ſignificabatur quòd obedientes Deo, bona terræ viuentium poſſidebunt. Iſte ergo Pſal. oſtendit bona temporalia, quæ timētibus Deum debentur: per illa ſignificans bona ſpiritualia quę iuſtis debentur. Vult enim oſtēdere, quòd timentibus Deum ſancto timore bona ęterna debentur. Iſte ergo nonus Pſalm. gradualium continet nonum gradum aſcenſus, qui eſt timor Dei caſtus. Intentio Pſalmiſtæ eſt, quia nos monet vt Deum caſto timore timeamus. Iſte autem Pſalm. totus eſt moralis, non hiſtorialis. Quibus viſis: accedo ad diuiſionem Pſalmi: qui diuiditur in duas partes. quia primò bona timentibus Deum debita enumerantur: ſecundò illa timentibus Deum, per Pſal. à Deo poſtulātur, ibi, *Benedicat tibi dominus*. Prima diuiditur in tres partes: quia primò timoris diuini meritum præmittitur: ſecundò timoris præmium annectitur: ibi, *Labores*: tertiò timoris præ-
*Timoris multæ ſpecies.* mium concluditur: ibi, *Ecce, ſic benedicetur*. Quātum ad primum: ſciendum quòd Gloſ. hic multos eſſe timores oſtendit, dicens: quatuor timores eſſe præter naturalem, qui omnibus ineſt: ſcilicet timorem mundanum ſiue humanum, ſeruilē, initialem, & caſtum vel filialem. Humanus timor eſt quando timemus pericula pati carnis, vel perdere bona mundi: propter quod delinquimus. Hic timor malus eſt, qui in primo gradu deſeritur cum mundo: ſed timor diuinus comes eſt per omnes gradus. Timor ſeruilis eſt cum propter timorem gehennæ continet ſe homo à peccato, quo præſentiam iudicis & pœnas metuit: & timore facit quicquid facit boni, non timore amittendi æternum bonū quod non amat: ſed timore patiendi malum quod formidat. Nō timet perdere amplexus pulcherrimi ſpōſi: ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt timor & vtilis per quem fit paulatim conſuetudo iuſticiæ, & ſuccedit initialis timor, quando incipit quod durum erat amari. Et ſic incipit excludi ſeruilis timor à charitate. Et ſuccedit deinde caſtus timor: quo timemus ne ſponſus tardet, ne diſcedat, ne offendamus, ne ipſo careamus. Timor iſte de amore venit. Ille quidem ſeruilis, vtilis eſt: ſed non permanēs inæternum: de quo hic ait Pſal. *Beati omnes qui timent dominum*: ſcilicet timore caſto & amore. De multiplici ſpecie timoris domini, vide ver. 261. 487. 510. 999. Sed ſi quæras, qui ſunt illi qui timent dominū vero timore, caſto ſcilicet & filiali? Reſpondet Pſalmiſta dicēs, *Qui ambulant in viis eius*. Viæ autem domini in quibus ambulant timentes Deum, ſunt exempla bene viuendi, quæ Chriſtus nobis reliquit. vide ver. 2089. Sed miſeri peccato-
*Viæ peccatoris quæ ſint. Greg. 17. moral. cap. 4.* res qui relictis viis domini, ſuas ſemper vias ambulare ſatagunt: de quibus ait Greg. ſuper illo verbo Iob 24, Oculi eius ſunt in viis eius. Vias ſuas peccator intuetur, quia ſua cogitare, ſola cernere nititur quæ ſibi ad commodum temporale ſuffragantur. Hinc etenim Paulus dicit, Omnes quærunt
*Phil. 2.* quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Via namq; elati, eſt ſuperbia: via raptoris, auaritia: via lubrici, cōcupiſcentia carnalis. In viis ergo ſuis iniquus quiſque oculos deprimit: quia his viis ſolum animo ſuo ſatisfacere intendit. Vnde per Salomonem di-
*Prouer. 17.* citur, Oculi ſtultorum in finibus terræ: quia hoc ſolum tota intentione conſpiciunt, per quod ad finem terreni deſiderij perducantur. Nequaquam verò peccator ſuæ conſiderationis intuitum in terram figeret, ſi ad ſancta ſui redemptoris itinera mētis oculos leuaret. Vnde per Salomonem iterum
*Eccle. 2.* dicitur, Oculi ſapientis in capite eius: quia ſcilicet ſapiens quiſque illum tota intentione conſiderat, cuius ſe membrum eſſe per fidem penſat. Has namque humanæ conuerſationis vias videre cōcupierat, qui dicebat, In mandatis tuis exercebor, & cō-
*Pſal. 118.* ſiderabo vias tuas. Acſi apertè ſpondeat, dicens, Quæ mea ſunt, iam videre refugio: quia per imita-
*Viæ Chriſti quæ ſint.* tionis tuæ viam pergere conuerſationis greſſibus inardeſco. Qui enim præſenti iam mundo contradicit, amoris exercitatione continua redemptoris ſui vias, cordis oculis obiicit: vt mens proſpera fugiat & aduerſa perferat: nihil quod demulceat appetat, nihil quod nocere creditur pertimeſcat: mœrorem gaudium deputet, præſentis vitæ gaudia, damna mœroris putet, abiectionis detrimenta non timeat: ſed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Has enim vias ſequentium oculis monſtrabat veritas cum dicebat, Si quis mihi miniſtrat, me ſe-
*Ioan. 12.* quatur, &c. De iſtis ergo viis Chriſti ait Pſal. *Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius*. Et nota quòd in iſtis viis domini multipliciter ambulare debemus: ſcilicet habendo primò humilitatem in reputatione: ſecundò, paupertatem in rerum abdicatione: tertiò, puritatem in imitatione, quartò, fidelitatem in adhæſione: quintò, diſcretionem in executione: ſextò, æquitatem in operatione. vide in dictionario meo, litera ambulare, parte prima.

## Labores manuum tuarum quia mā- ducabis beatus es: & bene tibi erit. 2306

Hic timoris domini præmium apponitur. Et triplex præmium oſtenditur: quia primò volitiua quietata reficitur: ſecūdò intellectiua ſapientia perficitur, ibi, *Vxor tua*: tertiò ſenſitiua dulci pace fruitur, ibi, *Filij tui*. Quantum autē ad omnia iſta, generaliter notandū quòd textus iſtius Pſal. non poteſt ſecundum literam intelligi: quia tunc nullus eſſet beatus, qui literaliter hic contenta non haberet: vtputa qui non comederet fructum manuum ſuarum,



rum, qui non haberet vxorem, qui non haberet filios: quia generaliter Pſalmiſta loquitur, quòd dicta præmia dātur omnibus qui timent dominum. Vnde illis enumeratis dicit, *Ecce, ſic benedicetur homo qui timet dominum*. Et in principio præmiſerat, *Beati omnes*. Et ſic Laurentius non eſſet beatus, non Gregorius, non Auguſtinus, & Hieronymus. Oportet ergo quòd iſta hic pro præmio timentium Deum nomina ſpiritualiter intelligantur. Etiam quia multi mali habēt omnia iſta in præſenti vita: non tamen ſunt beati, nec Deum timent. Neceſſe eſt ergo vt ſenſum literalem excutiamus, & intelligamus ſpiritualiter: & tunc erimus filij excuſſo-
*Scriptura ſacra quādoque ſecundum literam exponi non poteſt.* rum. Notandum ergo quòd bona hic enumerata non ſunt bona vitæ præſentis, quibus mali magis abundant quàm boni: ſed ſunt bona cœleſtis Hieruſalem. Et ideo de quolibet ſic timente Deum cōcludit Pſal. de prædictis bonis, *Et videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ*. Et ideo hic ait Aug. Si accipiamus hoc quod hic dictum eſt pro præſenti fœlicitate, vt ſi cōtingat aliquē fidelem nō habere filios: vt dicamus, Iſte homo nō timet Deū. nā ſi timeret Deū, vxor eius tanquam vinea fertilis eſſet in domo eius, non ſterilis. Et ſi timeret Deum homo iſte, filij eius circundarent menſam eius tan-
*1. Cor. 2.* quam arbores oliuarum. Si enim talia dixerimus, animales ſumus, non percipientes quæ ſunt ſpiritus Dei. Incipiamus ergo & nos hanc literam excutere: vt ſimus filij excuſſorum. Nam ſi talia cœperimus aliis prædicare, dicentes, Filij autem, fratres mei, timete Deum, vt habeatis vxorem & filios & nepotes, & gaudeat domus veſtra: non ſagittamus vt ametur illa vita æterna, ſed ręmanebūt in amore terrenorum. Excutiamus & nos iſta, ſi volumus eſſe filij excuſſorum. Eſt enim quidam homo qui ſic benedicitur, ſcilicet Chriſtus: & nemo timet Deum, niſi qui eſt in membris eius. Et ſic multi homines ſunt vnus homo: quia multi Chriſtiani, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus ergo Chriſtus caput & corpus: quod corpus eius eſt eccleſia. Intelligamus ergo vocem huius vnius hominis in cuius corpore vnus homo ſumus: & ibi videbimus iſta vera bona Hieruſalem. Si autem iſta bona hic poſita terreno oculo aſpexeris (ſcilicet abūdantiam filiorum & nepotum, & fœcunditatem coniugis) non ſunt iſta bona Hieruſalem: quia bona iſta in terra morientium ſunt: illa autem Hieruſalem terra viuentium eſt. Noli pro magno habere ſi habes filios morituros. Vis habere filios nunquam morituros, & ſemper tecum victuros? Eſto
*1. Cor. 12.* in illius corpore de quo dictum eſt, Vos autē eſtis corpus Chriſti & membra. Nam vt oſtenderet iſte Pſal. quia ſic eſt obſcurus vt admoneat pulſari: ſic opertus vt velit excuti: à pluribus cœpit, dicens, *Beati omnes qui timent dominum*. Sed quia multi vnum corpus ſunt in Chriſto: ſingulariter ſequitur, dicens, *Labores manuum tuarum*. Quibus viſis, veniamus ad expoſitionem ſequentium. Dicit ergo, *Labores manuum tuarum manducabis*, &c. vbi oſtenditur quòd in timētibus Deum volitiua quietatur. Vbi ſciendum quòd Deus reddet fidelibus ſuis mercedem vnicuique ſecundum laborem ſuum: quia hic ſeminatur in labore & lacrymis, ibi autem cū gaudio metent, & cum exultatione portabunt manipulos ſuos. Labores ergo noſtri ſunt in præſenti: ſed fructus laborū, in futuro. In futuro ergo manducatur fructus laborū noſtrorū, dum ſecundū labores præſentes mens poſtea fruitur Deo, & fruendo ſatiatur: & vocatur illa ſatietatis fruitio, comeſtio. quia ſicut quod comeditur incorporàtur, & appetitum naturalem ſatiat: ſic viſio & fruitio Dei nobis Deum ſummè vnit, & mentem ſatiat beati. Vnde hic ait Auguſt. *Labores manuum tuarum manducabis*: quia tunc erit nobiſcum verbum Dei, quo paſcuntur angeli. Interim modò labores, poſtea fructus laboris. Tunc ergo fructum laborum tuorum māducabis: & ſic beatus es & bene erit de futuro. Hic laborando beatus es per ſpem: ibi manducando, beatus eris in re.

## Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. 2307

Hic oſtenditur quòd in timentibus Deum & beatis intellectiua ſapientia perficitur. Vbi notandum quòd in ſcriptura ſacra vxoris nomine ſapientia intelligitur, quæ & ſponſa ſapientum dicitur. Vnde de ſapientia ait Sapiens, Hanc
*Sapien. 8.* amaui & exquiſiui à iuuentute mea: & quæſiui ſponſam eam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Hæc autem vxor ſiue ſponſa ſa-
*Vxor noſtra dicitur ſapiētia.* pientia viti comparatur. quia ſicut ex vite vinum generatur quod lætificat cor hominis: ſic ex ſapientia & notitia Dei generatur amor Dei, qui delectat mentem hominis. Sapientia enim quæ eſt actus intellectus vel notitia, præcedit amorem qui eſt actu intellectus ex quo producitur: ſic ſuo modo in diuinis filius qui eſt ſapientia patris, origine præcedit ſpiritum ſanctum, à quo producitur qui
*Sapientia ad modum vitis lætificat beatos.* eſt amor patris & filij. De ſapientia ergo & clara cognitione diuinitatis qua intellectus beati perficitur, dicit beato, *Vxor tua ſicut vitis*: & hoc, *in lateribus domus tuæ*. Quid eſt enim domus noſtra, niſi cōſcientia & mens noſtra in qua per ſapientiam ha-
*Greg. 4. moral. cap. 35.* bitamus? vt oſtendit Gregorius. Et hæc domus multa habet latera: quia aliquid habet ſupra ſe, ſcilicet gloriam cœleſtem, aliquid infra ſe, ſcilicet pœnam gehennæ: aliquid ante ſe, ſcilicet merita præcedentia: aliquid poſt ſe, ſcilicet peccata quæ pœnitendo poſt ſe reliquit: aliquid à dextris, ſcili-
*Latera mentis beati multa.* cet virtutes quas à Deo recepit: aliquid à ſiniſtris, ſcilicet aduerſa quæ pro Deo pertulit. Abundat ergo vxor ſapientia in lateribus domus conſcientiæ beati: quia videndo Deum omnia illa latera clarè videt & intuetur. Et abundat ſicut vitis, quia de omnibus illis lateribus cognitis vinum lætificans ſibi generatur: quia beatus gaudet de gloria cœle-
*Pſal. 149.* ſti, quæ eſt locus ſuperius, quia exultabunt ſancti in gloria. Gaudet de pœnis damnatorum: quia lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, &c. Lætabi-
*Pſal. 57.* tur de meritis præcedentibus Pſalm. Venientes venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Gaudet de peccatis relictis ad inſtar angelorum, qui gaudet ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudet de gratiis receptis: gaudet de aduerſis toleratis: quia qui ſemināt in lacrymis, in exulta-
*Vxor Chriſti eſt eccleſia.* tione metēt, &c. Vel aliter: vxor Chriſti eſt eccleſia, quā ſibi proprio ſanguine ſpōſam acquiſiuit. Hæc multos filios Chriſto generat: ſicut vitis multa vitulamina parit. Et de hac Chriſto dicit Pſalm. *Vxor tua ſicut vitis abundans*, &c. Et hanc expoſitionem ponit Auguſt. dicens, Chriſto dicit Pſal. *Vxor tua*, &c. Vxor Chriſti eſt eccleſia: quæ eſt Chriſto ſicut vinea fertilis. Sed in quibus fertilis eſt? In lateribus vel parietib⁹ domus tuæ. Nō enim omnes dicūtur latera domus. Quæro ergo quæ ſint latera domus

*Latera eccleſiæ bona ſunt boni: latera mala, ſunt mali.*

eccleſię vel paričtes: parietes ſunt quaſi lapides fortes. Sed ſi de hoc habitaculo corporali diceret: fortè hoc intelligeremus latera. Nos autem latera domus eccleſiæ dicimus eos qui inhærent Chriſto. Non enim ſine cauſa & in ſermone quotidiano de aliquo qui fortè malè agit ex malorum amicorum conſilio dicimus, Mala latera habet. Quid eſt Mala latera habet, niſi Mali hærent illi? Ergo & per oppoſitum, bona latera habet qui bonis conſiliis viuit, qui bonis conſiliis regitur. Ergo latera domus eccleſiæ ſunt qui Chriſto hærent. Nec ſine cauſa & ipſa coniunx de latere facta eſt: Viro dormiēti Eua facta eſt: quia Chriſto morienti facta eſt eccleſia. Et illa de latere viri, cum coſta detracta eſt: & iſta de latere viri, quando latus Chriſti lancea percuſſum eſt, & ſacramenta fluxerunt. Ergo vxor tua vt vinea fertilis. Sed in quibus? In lateribus domus tuæ. In aliis autem qui non inhærent Chriſto, ſterilis eſt: nec illos in vinca cōputabo. Quæ eſt ergo vxor? & qui ſunt filij? In iſtis carnalibus nuptiis & coniugiis, alia eſt vxor, & alij filij: in eccleſia autē quæ vxor, ipſi filij. Eſt ergo eccleſia vxor Chriſti vt vinea fertilis in lateribus domus eccleſiæ: quia quotidie nouos filios generat Chriſto, qui membra efficiuntur eccleſiæ. Vel per vxorem intellige partem ſenſitiuam, quæ in beatis nullo modo rationi reſiſtit: ſed ſicut bona vxor viro plenè ſubiicitur, ſic & ipſa rationi: vt hic ait Gloſa.

*Gene 2.* *Ioan. 19.*

2308 **Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.**

*Menſa dicitur gloria cœleſtis.* *Lucæ 21.* *Matth. 5.*

Hic oſtenditur quòd beatus quilibet dulci pace fruitur. Vbi notandum quòd per oliuam arborem, ſignificatur pax & vnitatis concordia. In cuius figuram poſtquā Deus iratus humano generi ipſorum peccata diluuio puniuit: ſtatim ceſſato diluuio & pace reddita, columba ad arcā ipſi Noe detulit ramum virentis oliuæ. Gen. 8. Item nota quòd per menſam Chriſti ſignificatur æterna refectio beatorum in gloria: Chriſto ſuis Apoſtolis dicente, Ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſupra menſam meam in regno meo. Quid eſt ergo dicere Chriſto, *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*, niſi quòd omnes beati qui ſunt filij Dei, in gloria ſunt tranquilla pace quietati? de quibus dicebat Chriſtus, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Vnde hic ait Gloſa, *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum*: id eſt, omnes beati pacifici ſunt. Oliua enim pacem ſignificat, quia charitatē, ſine qua nulla pax eſſe poteſt. Et hi filij ſunt in circuitu mēſæ tuæ, quia ſatiantur menſa cœleſti. De hac menſa dicitur, Requies menſę tuæ erit plena pinguedine. Quod exponens Gregorius dicit, Requies menſæ eſt refectio ſatietatis internæ: quæ pinguedine plena dicitur, quia in æternæ voluptatis delectatione præparatur. Vel aliter: iſta verba dirigi poſſunt cuilibet beato: vt ſibi dicatur, *Filij tui*, &c. Quid enim ſunt filij noſtri, niſi opera noſtra meritoria, quæ plenam retributionem recipiunt in regno cœleſti? Eſt ergo ſenſus: quòd filij beatorum, (id eſt, ipſorū opera meritoria) ſunt in circuitu menſæ domini, (ſcilicet gloriæ cœleſtis) ſicut nouellæ oliuarum. Iuſta enim opera nouellis oliuis comparantur in patria, quæ ſunt viridiores & vberiores in fructu & fortiores. Vel per menſam accipe ſacramentum euchariſtiæ: vide ver. 330. In cuius circuitu ſunt filij Chriſti, ſicut nouellæ oliuarum: ſcilicet per deuotionem & contemplationem, quæ per oliuam figuratur: quia oliua nutrit lumen: & ſic ſignificat contemplationem. mitigat dolorem & lenit: & ſic ſignificat deuotionem. Vel per oliuam ſignificatur puritas & munditia, ſine qua nullus poteſt eſſe dignus menſa cœleſti, nec ſacramento euchariſtiæ. Quòd autem per oliuam ipſa puritas ſignificetur, vide ver. 860.

*Iob 36.* *Greg. 26. moral. cap. 32.*

**Ecce, ſic benedicetur homo qui timet dominum.** 2309

Hic ex prædictis concluditur præmium timoris domini. Quaſi dicat, Prædictis modis omnibus benedicetur in patria homo qui timet dominum: quia ſcilicet eius volitiua erit quietata, quia labores manuum ſuarum manducabit: eius intellectiua ſapientia erit perluſtrata, quia vxor eius erit in lateribus domus eius abundans: eius ſenſitiua erit pacificata, quia filij, (id eſt, opera) eius erunt ſicut nouellæ oliuarum. Nota quòd Dei benedictio datur ratione multarum virtutum: ſcilicet ratione timoris filialis & obedientiæ, ratione puritatis & munditiæ, &c. vide ver. 1953.

**Benedicat tibi dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.** 2310

*Sion ſignificat gloriam æternam. Pſal. 83.* *Hieruſalem ſignificat etiā gloriam.*

Hic prædicta præmia & benedictio per Pſalmiſtam omnibus fidelibus optatur. Et primò ponitur benedictionis optatio: ſecundò optationis explicatio, ibi, *Et videas*. Quantum ad primum: notandum quòd per Sion, quę erat mons in Hieruſalem, in quo erat templum, notatur cœleſtis patria: in qua manet Dei templum non manu factum, ſcilicet Chriſtus. Vnde & Sion ſpecula interpretatur, quia ibi ſancti facietenus Deum ſpeculantur. Vnde de gloria æterna in qua Deus videtur, ſub nomine Sion dicitur, Et videbitur Deus deorum in Sion. Similiter & per Hieruſalē, quæ interpretatur viſio pacis, ſignificatur ipſamet gloria æterna, in qua Deus pacis videtur pacificè: de qua dictum eſt ſuperius, Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, &c. in qua eſt æternitatis manſio: Pſal. 124, Non commouebitur inæternum, qui habitat in Hieruſalem. Volens ergo Pſalmiſta oſtendere, quòd iſtæ benedictiones ſupra dictæ non ſunt intelligendæ de benedictionibus præſentis ſæculi, ſed de benedictionibus cœleſtis patriæ: dicit, *Benedicat tibi dominus ex Sion*, (ſcilcet ex cœleſti patria) *& videas bona*, &c. nec quidem terrenę Hieruſalem, quia illa bona erant temporalia & tempore paruo manſura. Sed videas bona cœleſtis Hieruſalem, quæ ſunt perpętua: quæ videre poteris omnibus diebus vitæ tuæ. Et quia reſuſcitatus ſemper viues, ſemper illa bona videbis: ergo ſemper durabunt. Et ſic abducens mentem noſtram ab iſtis bonis temporalibus, dicit, *Benedicat tibi dominus ex Sion*, &c. Et hæc eſt intentio Auguſt. hic dicentis, *Benedicat tibi dominus ex Sion*. Iam fortè oculi tui ibant per illos qui non timent dominum, & videbant ibi vxores fœcundas, filios abundantes circuire menſam patris ſui. Ideo ſubdit Pſalm. *Benedicat tibi dominus ex Sion.* Noli quærere illas benedictiones quæ non ſunt ex Sion: quia iſta benedictio domini eſt, non illa. Sed quis ducit vxorem, ſi nolit Dominus, quis ducere poteſt? Quis poſſit eſſe ſanus, ſi dominus nolit? Aut quis

*Bona præſentis vitæ non ſunt vera beata.*



quis poſſit eſſe dignus, ſi nolit dominus? Dat quidem dominus illa: ſed nónne vides, quia hæc & peccatoribus dedit? Non ergo de Sion eſt iſta benedictio. Et videas quæ bona ſunt Hieruſalē. Nam illa non ſunt bona Hieruſalem. Vis videre quia nō ſunt bona Hieruſalem? Nam & auibus dictum eſt, Creſcite & multiplicamini. Pro magno ergo vis habere quod auibus datū eſt? Sed vtere bonis iſtis, ſi accipis: magis cogita quomodo nutrias qui nati ſunt, quàm vt naſcantur. Non enim iam felicitas eſt habere filios, ſed bonos habere. De nutriendis labora, ſi nati fuerint: ſi autem non nati, age gratias Deo. Fortè minus ſollicitus eris, & tamen ſterilis non remanſiſti. Illius matris fortè per te naſcuntur ſpiritualiter filij ſpirituales, qui ſunt circundantes menſam domini. Cōſoletur ergo te Deus vt videas bona Hieruſalem. Illa enim bona ſunt, quia æterna ſunt: iſta autem bona ſunt, & non ſunt. Non enim ſtant, ſed labantur & fluunt. Benedicat ergo tibi dominus ex Sion, & videas bona quæ ſunt Hieruſalem. Nam iſta quæ attendis bona, cæcus videt. Videas ergo, ſed illa quæ corde videntur omnibus diebus: & quia vita tua erit æterna, quia in æternum videbis. Iſta autem bona ſunt, ſed nō omnibus diebus videntur. Quādo enim exit anima de corpore, corpus quidem moritur: ſed vita ſpiritus perſeuerat. Viuebat enim diues ille qui ſepultus erat in inferno, aliter non torqueretur: ſed bona quæ hic habuerat, non videbat. Tu ergo talia bona deſidera, quæ videas omnibus diebus vitæ tuæ: id eſt, vt cum ipſis bonis viuas inæternum. Sed quæ ſunt illa bona? Certè nec aures audiunt, nec in cor hominis aſcendunt bona quę præparauit Deus diligentibus ſe. Tamen illud bonum pax dici poteſt: de qua ſubditur,

*Geneſ. 1.* *Lucæ 16.* *1. Cor. 2.*

2311 **Et videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael.**

*Pax continet omne bonum.*

Hic explicat bonum quod timentibus Deum optat. Per filios enim opera intelliguntur: & filij filiorum ſunt opera aliorum bonis exemplis tuis facta. Quæ omnia explicat & optat ad bonum pacis terminari: dicens, *Et videas filios filiorum tuorum.* &c. Vnde omne bonum ſupernæ patriæ, pacis nomine concludit. Quod hic notās Auguſt. dicit, Ecce, bonum magnū quod optat, pax vocatur. Quærebas ergo quid vocaretur illud bonum. Aurū, argentum, fundus aut veſtis? Non, ſed pax dicitur. Non pax qualem inter ſe habent homines infidam, inſtabilem, mutabilem. Nec talis pax, qualem ſecum hic habet idem homo: quia & idem vnus homo ſecum ipſe pugnat, donec domet omnes cupiditates. Qualis ergo erit illa pax? quam certè oculus non vidit, nec auris audiuit. Qualis pax? de Hieruſalem. quia Hieruſalem interpretatur viſio pacis. Si ergo benedicat tibi dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitę tuę: tunc videbis filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael. Qui ſunt filij tui? opera tua quę hic agis. Qui ſunt filij filiorum tuorum? Fructus operum tuorum. Verbi gratia. Facis eleemoſynas: filij tui ſunt. Propter eleemoſynas accipis vitam æternam: filij filiorum tuorum ſunt. Sic ergo videbis filios filiorum tuorum. Et tunc erit quod ſequitur, quòd cōcludit pax ſuper Iſrael. Hæc pax vobis prædicatur à nobis: ipſa amatur à nobis: ipſa vt à nobis ametur optamus. Ad illam pacem perueniunt qui & hic pacifici fuerint.

# PSALMVS CXXVIII.

**SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Iſrael.** 2312

Hic Pſal. habet titulum conſimilem vt ſuprà: ſcilicet Canticum graduum. Expoſitio tituli patet ex ſuprà dictis in primo Pſal. gradualium. De materia verò Pſal. dicitur communiter, quòd eſt quædam gratiarum actio pro liberationibus populi Iſrael à pluribus perſecutionibus, quas paſſi ſunt: vtputa à Chaldæis, quando fuerunt captiuati per Nabuchodonoſor regem Babylonis: vt habetur 4. Reg. 25. Et à Græcis, vt quando perſecuti fuerūt ab Antiocho illuſtri tempore Machabæorum: vt plenè in libris Machabæorum continetur. A quibus tamen perſecutionibus ipſos finaliter liberauit dominus. Quod cōſiderans quidam ſanctus propheta pro gratiarum actione hunc Pſalm. compoſuit. Quis autem iſte auctor fuerit, ignoratur. Vnde iuxta prędicta Pſal. diuiditur in duas partes: quia primò ponitur malignantium perſecutio: ſecundò perſequentium punitio: ibi, *Dominus iuſtus.* Et cætera dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticū, ſciendum quòd iſte Pſal. inter Pſal. graduales decimus, continet decimum gradum aſcenſionis: qui eſt habito timore domini caſto & filiali, amore ipſius domini pro ipſo omnia aduerſa patiēter tolerare. Quod maximè expedit eccleſiæ militanti, quæ inter malos habitat. Qui audito verbo Dei non corriguntur, ſed eccleſiam (ſcilicet bonos) ſcādalizant, tribulant & multipliciter perſequuntur. vnde comparantur locis ſecus viam ſituatis, locis ſpinoſis vel petroſis: in quibus ſeminatum ſemen fructum ferre nō poteſt. Vnde hic ait Auguſt. Verbum Dei inuenit ſibi corda in quibus requieſcat. Inuenit terram bonam in qua germinet & fructum faciat. Nam quia multi mali ſunt quos tolerat eccleſia vſque in finem: manifeſtum eſt quòd his verbum Dei ſuperfluum eſt. Aut ſic in illos cadit, quomodo ſemen in via conculcatur & à volucribus colligitur. Aut ſic in illos cadit quomodo ſemen in petroſa loca, vbi non habet terram multam, ſtatim exit: & calefacto ſole areſcit, quia non habet radicem. Aut ſicut inter ſpinas, quod etſi germinet & ſurgere conetur: ſpinarum tamen conculcatur multitudine. Tales ſunt qui verbum Dei contemnunt, ſicut via. Aut quia ad horam gaudent, & facta tribulatione ſicut æſtu ſolis areſcunt. Aut qui cogitationibus, curis & ſollicitudinibus huius mundi tanquam ſpinis auariciæ ſuffocant quod in illis cœperat germinare. Sed eſt & alia terra, quæ eſt terra bona: in quam ſemen cum ceciderit, affert fructum: aliud triceſimum, aliud ſexageſimū, aliud centeſimum. Siue parum, ſiue multum, omnes in horreum erunt. Propter iſtos ergo loquimur, loquitur ſcriptura, loquitur euangelium. Sed etiam illi audiant, ſi fortè aliud ſint hodie, aliud cras: ſi fortè audiendo mutentur: aut arent viam, aut lapides purgent, aut ſpinas euellant. Credimus in miſericordia Dei: quòd inter illos audito hoc Pſalm. erunt aliqui de quibus nos conſoletur. Nam qui pertinaces ſunt perſeuerātes in malicia, quāuis audiant verbum Dei, ſcandalis quotidie turbant eccleſiam. De quibus iſte Pſal. loquitur. Item notandum, ſecundum Auguſt. quòd iſte Pſal. breuis eſt in verbis, ſed altus & profundus in ſententia. Et ideo moroſè tractandus eſt: ſicut de Zacheo legitur

*Matth. 13.* *Matth. 13.* *Lucæ 19.*

legitur quòd breuis erat ſtatura,ſed opere magnus: &de illa vidua quæ duo minuta miſit in gazophylacium, breuis pecunia, ſed magna charitate. Sic iſte Pſal.ſi verba numeres,breuis eſt:ſi ſentẽtias appendas,magnus eſt.Tota ergo intentio Pſal.eſt mouere nos ad patientiam,quia hic mixti ſumus cum malis.Quibus viſis,accedo ad Pſal.diuiſionem,qui diuiditur in duas partes : quia primò qualiter mali iuſtos perſequuntur oſtenditur : ſecundò qualiter mali à Deo punientur oſtenditur:ibi,*Dominus iuſtus concídet.* Prima pars diuiditur in tres partes : quia ponitur primò perſequentium inſtantia : ſecundò perſecutorum & fidelium patientia:ibi,*Sæpe*:tertiò iniquorum infidelium pertinacia:ibi,*Supra dorſum.* Quantum ad primum:ſciendum quòd hic Pſal.loquitur in perſona militantis eccleſiæ: vt eius confortentur fideles perſecutionem patientes à malis.

*Mali ſemper bonos perſequuntur.*

Eccleſia enim licet permixtos habeat malos cum bonis,tamen ſolum in bonis conſiſtit:quoniã mali ad eccleſiam non pertinent, quia nec ſunt Chriſti membra. Et ſic quia aliquando erat vnus ſolus bonus, & tunc eccleſia erat in vno ſolo bono: aliquando multi,tunc erat in multis.Et in omni ſtatu in quo fuit, paſſa eſt à malis. Volens ergo eccleſia nos in aduerſis conſolari, oſtendit quòd ab initio ipſa paſſa eſt à malis:non tamen conſumpta, quia Deus iuuit ipſam.Vnde eccleſia paſſis fidelibus ait, Sępe expugnauerunt me à iuuẽtute mea.Vnde hic ait Auguſt. Eccleſia de his loquitur quos tolerat, quæ non ſolummodo patitur in ſanctis ſuis,ſed ab initio paſſa eſt.

*Eccleſia cõſiſtit ſolũ in bonis.*

Aliquando in ſolo Abel erat eccleſia: & expugnatus eſt à fratre malo & perdito Cain. *Gen.4.* Aliquando in ſolo Henoch erat eccleſia: & tranſlatus eſt ab iniquis. *Gen 5.* Aliquando in ſola domo Noe erat eccleſia:&pertulit omnes qui diluuio perierunt: & ſola arca natauit in fluctibus, & euaſit ad ſiccum. *Gen.6.* Aliquãdo in ſolo Abrahã erat eccleſia: & quãta pertulerit ab iniquis nouimus. *Gen.19.* In ſolo filio fratris eius Loth, & in domo eius in Sodomis erat eccleſia:& pertulit Sodomorum iniquitates& peruerſitates,quouſq; Deus de medio ipſorum eũ liberauit. Cœpit eſſe & in populo Iſrael eccleſia: pertulit Pharaonem & Ægyptios.Cœpit in ipſa eccleſia:id eſt, in populo Iſrael, numerus ſanctorum, vt Moyſes & cæteri ſancti:pertulerunt iniquos Iudæos populum Iſrael. *Pſal.39.* Vẽtum eſt ad dominum Ieſum : prædicatũ eſt euangeliũ, & multiplicati ſunt fideles ſupra numerũ : & pertulit dominus noſter Ieſus Chriſtus iniquos.Pertulerunt & Apoſtoli,& alij ſancti. Nunquã ergo modò ſolũ paſſa eſt eccleſia. Et ideo ne miretur modò quis volens eſſe bonum membrum eccleſiæ,ſi modò aliquid patiatur: audiat matrem ſuam eccleſiam dicentem ſibi,Noli mirari ſi aduerſa pateris,fili,ab iniquis:quia ipſi ſępe expugnauerunt me à iuuentute mea. Sic enim reſpondet aliquorum cogitationibus dicentibus, Quanta mala perferimus, quanta ſcandala contremiſcunt quotidie. Reſpondet eccleſia ex voce fortium,vt conſoletur infirmos,& dicit, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:* id eſt, à principio iniqui expugnauerunt me. Nunquid delere potuerũt eccleſiam?Dicat hoc nunc Iſrael : id eſt,boni patientes,qui ſunt de eccleſia quę Deum videt per fidem: hoc nunc dicant in cordibus ſuis, Sæpe expugnata fuit eccleſia ; & tamen à Deo adiuta permanſit. Hoc ergo dicat Iſrael: & ſe conſoletur præteritis exemplis. Exempla enim præteritorum militum, qui bellis fortiter impugnati, fortiter tamen reſiſtentes triumphauerunt, cæteros animant ad fortiter reſiſtendum, vt & ipſi triumphum reportent. Sic enim exemplum Chriſti paſſionis nobis proponit Petrus,dicens,Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius,&c. *1.Petr.2.* Sic & in propoſito eccleſia exempla antiquorum patrum qui paſſi ſunt ab iniquis, nobis proponit dicens, *Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea:dicat nunc,*&c.

*Quæſtio. An papa peccãs deſinat eſſe papa: & ſic de epiſcopo & ſacerdotibus.*

Sed ex prædictis inſurgit dubiũ non modicum.Quia dictum eſt(& ſunt verba Auguſtini) quòd eccleſia ſolùm cõſiſtit in bonis,quia ſolùm boni eccleſię membra poſſunt eſſe:nunquid ergo aliquis malus vel reprobatus à Deo poteſt eſſe caput eccleſiæ:vtputa,nunquid ſi ſummus põtifex vel Epiſcopus peccet mortaliter, deſinit eſſe papa vel epiſcopus, quamdiu in peccato conſiſtat? Et ſi deſinit eſſe,pòſt quando venit ad ſtatum gratiæ,quis reponit eum in gradu priori?Si aute ſic ſit, multoties eccleſia maneret ſine capite : & per conſequens,deficeret eſſe.quod dicere valde periculoſum eſt. Si aut non ſic ſit, quomodo membrum Chriſti vel eccleſiæ dicetur ille qui eſt diaboli mẽbrum?quod non videtur poſſibile.Huius dubij ſolutionem ad præſens obmitto.

## Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:etenim non potuerunt mihi. 2313

Hic oſtenditur ſanctorum & eccleſiæ perſecutæ patientia.Ad hoc enim mali bonos perſequuntur, vt boni conſimiles fiant malis & ipſis conſentiant. Si enim boni agerent vel dicerent quæ mali volũt, non eos perſequerentur mali : ſed boni antè mala pœnæ pati eligunt,quàm malis culpæ maculari:& ideo antè mortem corporis tolerare, quàm mortem animæ, malis conſentiendo. Et ideo in perſona bonorum hic loquitur eccleſia,dicens, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.* exponitur vt ſupra.

*Boni quare perſequũtur à malis.*

Et ſubdit in bono conſtantiã:dicens, *Etenim non potuerunt mihi*:ſcilicet præualere:quia ſcilicet eis non cõſenſi.Vnde hic ait Aug. *Sæpe expugnauerũt me* &c. Sed quare ſæpe me expugnauerunt? Hoc ideo quia non potuerunt mihi. Quid eſt *non potuerunt mihi*:id eſt,non illis cõſenſi ad malum.Omnis enim malus ideo perſequitur bonum,quia non illi cõſentit bonus ad malum. Faciat malus aliquid mali : ſi non ipſum obiurget epiſcopus , bonus eſt epiſcopus apud eũ:obiurget epiſcopus, malus eſt epiſcopus. Rapiat aliquid, taceat cui rapit:bonus eſt:ſi autem loquatur & reprehendat, etiamſi non repetat,malus eſt.Malus eſt qui reprehendit rapacẽ, & bonus qui rapit.Sed quia boni non cõſentiunt malis,ideo ab ipſis mali dicuntur & perſequuntur. Sonat ſermo contradictor libidinis : at ille amicus libidinis ſuæ & inimicus ſermonis contradicenti amicæ ſuę infeſtus eſt:& odit ſermonem Dei,Cui facta amica eſt auaricia:inimic⁹ factus eſt Dei.

*Auaritia grauia iubet.*

Quia Deus contradit auariciæ, & vult nihil poſſideri ab auaricia. Clamat Deus contra auarũ, Quid vis poſſideri ab auaricia?Illa dura iubet, ego leuia:onus eius graue eſt,ſarcina mea leuis:iugum eius aſperũ eſt, iugum meũ leue. *Matth.11.* Noli ab auaricia poſſideri.Iubet auaricia vt mare trãſeas,iubet vt te ventis procelliſq; cõmittas : iubeo ego vt ante oſtium tuum ſtes , & quod habes des pauperibus. Piger es ad faciendum ante te opus bonum , & ſtrenuus ad trãſeundum mare: quia auaricia tibi imperat, tu ſeruis. Quod verò Deus iubet,odiſti. Et qui cum malus odiſſe cœperit,incipit velle criminari eos,à quibus audit bona



pręcepta:& velle per ſuſpiciones ſuas crimina quęrere ſeruorum Dei:& mala quæ toleramus,ad culpam noſtram applicant.

*Deum accuſant mali.*

Vt meritò dicat eccleſia, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:* in tantum vt etiam ipſum Deum mali accuſare non dubitent. Accuſas auarum, & ille accuſat Deum, quia fecit auarum.Sed ſi vicia noſtra cohibeamus,videbimus quòd bona ſunt omnia,quia bonus Deus fecit omnia:& laudant illum omnia opera ſua, laudat cœlum,laudant angeli,laudant ſidera,laudat ſol & luna,laudant dies & noctes, & omnia quæ Deus fecit.Sed nunquid audiſtis quia laudat Deum auaricia, quia Deum laudat luxuria ? Non laudant iſta Deum,quia non iſta fecit Deus.Auaricia enim non opus Dei eſt, ſed mali hominis. Non habes ergo vnde te excuſes, quando ſermo Dei tibi loquitur. Sed quia non potes interficere ſermonem Dei, criminari quæris per quos tibi loquitur Deus. Sed quære quantum vis, dic quantum vis, blaſphema quantum vis : quia ſeruos Dei ſuperare non poteris. Dicunt enim, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi* , ſcilicet præualere. Quod enim diſponit & facit Deus, homo infringere non poteſt, ne Deo potentior videatur. Sic enim dicebat Iudæis Gamaliel doctor legis, Si ex hominibus eſt opus hoc,diſſoluetur:ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud:ne fortè Deo repugnare videamini. *Actuum 5.*

## 2314 Supra dorſum meum frabicauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Hîc oſtenditur infidelium perſequentium pertinacia. Videntes enim infideles eccleſiam perſequentes quòd præualere non poterant ſanctis, ipſos animos peruertendo vt eis conſentirent, & quòd ſuper animas ipſorum poteſtatem non habebant:conuerterunt ſe ad perſequẽdum corpora, & illa flagellabant & trucidabant:& ſic non conuertebantur, videndo ſanctorum in bono perſeuerantiam,ſed magis iniquitatem ſuam dilatabant & augebant,eorum perſequendo & lacerando corpora. Et hoc eſt quòd poſtquam Pſal. ait in perſona eccleſiæ,*Sæpe expugnauerunt me* &c.*& non potuerunt mihi*:ſcilicet præualere:adiungit de perſecutione corporum:dicens, *Supra dorſum meum fabricauerunt* &c. Sic enim Decius non potens præualere beato Laurentio vt eius voluntatem ad ſacrificandum idolis permutaret: ad fabricandum diuerſa tormenta ſupra dorſum eius ſe conuertit. Sic accidit Vincẽtio, ſic Luciæ, ſic Agathæ & aliis ſanctis.Et ſic iniquitatem ſuam prolongauerunt peccatores:id eſt ampliauerunt.

*Peccata ſua mali bonis imponunt.*

Vel aliter.Mali quando ad ſuam voluntatem non poſſunt peruertere bonos, tunc mala quæ ipſi faciunt, bonis imponunt. Et ſic peccatores fabricant ſupra dorſum bonorum,quia fabricatione falſa bonis ſua peccata imponũt. Et ad iſtum ſenſum iſtum verſum exponit Greg.dicẽs,Eſſe hoc peruerſorum proprium ſolet : quòd mala ſua per conuitium bonis ingerant priuſquam de eis ipſi veraciter accuſentur.

*Greg.13.mor. cap.1.*

Et dum metuunt increpari de his quæ faciunt, aduerſantes ſuis prauitatibus iuſtos hoc facere teſtantur.Sancti autem viri patienter audiunt, etiam quæ ſe nunquam feciſſe meminerũt:quamuis ea mala quæ ſibi ingeri conſpiciũt, ab ipſis ſuis criminatoribus nouerint eſſe perpetrata. Etiam cum eos prædicando corrigere non poſſunt, patiendo tolerant. Quatenus ſi fructus conuerſionis eorum non valeant ex ipſis producere: tamen præmium longanimitatis acquirant. Vnde & ſancta eccleſia Dauid prophetæ vocibus dicit, *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores:*quia videlicet dum hic quoſlibet reprobos quos non valet corrigere tolerat, facta peccantium ſupra dorſum portat.

*Fabricare malorũ quid ſit. Greg.11.mor. cap.15.*

Quid autem ſit fabricare malorum oſtendit Greg.ſuper illo verbo Iob 13,Oſtendam vos fabricatores mendacij:dicens, Hoc quoque notandum eſt,quòd fabricatores mendacij dicuntur. Quia ſicut ædificium lapidibus, ita mendacium ſermonibus fabricatur. Vbi enim non doloſa locutio, ſed ſenſus veritatis eſt, quaſi inimica moles non ex fabrica, ſed ex natura conſurgit. Sed iſta fabricatio doloſa malorum contra bonos, à bonis non eſt timenda:quia ipſos non obfuſcat, ſed magis declarat.

*Lõgè eſt iniquitas à iuſtitia.*

Nam quanto magis doloſè contra bonos falſa fabricant,tanto à bonis magis diſtant.vt hic oſtendit Aug.dicens, *Prolongauerunt iniquitatem ſuam* : id eſt iniquitate ſua longè ſteterunt à me. Quid enim tam propè , quàm duo homines in vna eccleſia? Quid tam lõgè,quàm iniquitas à iuſtitia?Vbi enim conſenſio, ibi propinquitas. Ligantur duo ſimul, & mittuntur ad iudicem.Ille ſceleratus, ille innocens:vna catena ligantur,& longè ſunt à ſe. quantum longè ſunt à ſe ? quantum ſcelus longè eſt ab innocentia.Sunt ergo in eodem loco,& longè ſunt abinuicem. Alius latro in Hiſpania facit ſcelera, proximus eſt ei qui ſimilia facit in Africa. quãtum proximus? quantum ſcelus & ſcelus?quantum ſibi iunguntur latrocinium & latrocinium ? Nemo ergo timeat mixtos ſibi corpore malos. Longè ab illis ſit corde, & ſecurus portat quod non timet. Et hoc eſt quod ait Pſalmiſta, *Prolongauerunt iniquitatem ſuam.*

## Dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum : confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. 2315

Hîc oſtenditur qualiter mali à Deo punientur. Et diuiditur in quatuor partes, ſecundum quòd quadruplicem oſtendit eorum futuram punitionem. primò ipſorum ſuperbia deprimetur : ſecundò ipſorum gloria confundetur : ibi, *Fiant ſicut fœnum*:tertiò à bonis diuidentur:ibi, *De quo non implebit:*quartò benedictione priuabuntur : ibi, *Et non dixerunt qui præteribant.* Primò ergo oſtendit quòd ipſorum ſuperbia deponetur, dicens, *Dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum.*

*Ceruix ſignificat ſuperbiã, quæ deponitur in morte. Greg.11.mor. cap.17.*

Quid enim per ceruicem niſi ſuperbia deſignatur : quæ in morte maximè deponitur & humiliatur ? Vnde Iob 13, ſuperbis dicitur, Redigentur in lutum ceruices veſtræ.Quod exponens Gregorius ait,Sicut per oculum viſus, ſic per ceruicem ſolet ſuperbia deſignari.Ceruix namque in lutum redigitur, cum ſuperbus quiſque humiliatur in morte:& elata caro tabeſcit in putredine. Intueamur itaque qualia latent in ſepulcris cadauera ſuperborum:quæ illa in extincta carne ſit imago mortis, quæ tabes corruptionis. Et certè hi erant qui extollebantur honoribus,habitis rebus tumebant, deſpiciebant cæteros,& quaſi ſolos ſe eſſe gaudebant.Et dũ non perpenderent quò tendebant,neſciebãt quid erãt.Sed in lutũ ceruix redacta eſt:quia deciſi iacẽt in putre-

dine, qui tumebant in vanitate. In lutum ceruix redigitur, quia quantum carnis potentia valet, tabes corruptionis probat. Vnde & Pſalm. ait, *Dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum.* Volens ergo Pſalm. conſolari bonos qui patiuntur à malis: ait, *Dominus iuſtus cōcídet ceruices peccatorum* &c. Quaſi dicat, Non ſemper expugnabunt bonos ſuperbi, nec fabricabunt ſupra dorſum bonorum: quia dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum. Sed nunquid omnium peccatorū concídet dominus ceruices? Omnis enim homo peccator eſt. Sed illorum dominus concídet ceruices peccatorum, qui ſuperbia erecti & ceruicati contra Deum currunt, ſeipſos excuſantes, Deum accuſant. vt hic oſtendit Auguſt. dicens, Cùm omnes peccatores ſint, & nemo ſit ſine peccato: nunquid omnibus timendus eſt gladius in ceruices, quia dominus iuſtus concídet ceruices peccatorum? Et reſpondet dicens, Non puto quia omnium peccatorum, ſed in mēbro quod percutit, ibi deſignat quos peccatores percutiat. Non enim dixit, Dominus iuſtus concídet manus peccatorū, aut pedes peccatorū: ſed quia peccatores ſuperbos volebat intelligi, ſuperbi autem omnes ceruicati ſunt: qui non ſolum faciunt mala, ſed nec agnoſcere volunt. Et quando obiurgantur, ſeipſos iuſtificant: dicentes, Ego bene feci: ſed Deus malè fecit. Ego (inquit) nihil mali feci, quia Saturnus fecit, quia Mars, quia Venus fecit. Ego nihil feci: iuſtificas te, accuſas Deum qui fecit ſtellas, qui cœlum ornauit. Itaq; quoniam iuſtificas peccatum tuum, & ſuperbis aduerſus Deum: quia te facis extra culpam, & Deum in culpa: & tantum erexiſti ceruicem, & cucurriſti contra Deum. Et ideo ibi ceruicem nominauit hanc ſuperbiam ſignificans. Et de talibus ſuperbis dicit, *Dominus concídet ceruices peccatorum*: quod erit in morte. *Et tunc confundantur & cōuertantur retrorſum omnes qui oderūt Sion*: id eſt confundentur & conuertentur retrorſum: quia de alto ſtatu ad infimum, de gloria ad inferni tormenta. Et qui erunt ſubdit, *Omnes qui oderunt Sion.* vbi Gloſa Auguſtini, *Omnes qui oderunt Sion.* Oderunt Sion (id eſt eccleſiam) qui nolūt obſeruare verbum Dei. Et qui intrant eccleſiam fictè, oderunt eccleſiam. Verbi gratia. Intras eccleſiam ſub colore deuotionis: & intras non ex deuotione, ſed vanè vt videas ibi vanitatem, & ſimilia. Aliter iſtum verſum deducit Petrus Cantor: dicens, Dominus concídet ceruices peccatorum: id eſt, vicioſos & ſuperbos conteret peccatores. Non ait Concídet pedem vagum ad mala: non, manum ad noxia: non, oculum laſciuum, vel quæcunque alia membra quibus vtitur peccator ad malum: ſed ait *ceruices*: quia nil tantum diſplicet Deo, ſicut poſt peccatum ceruix erecta. Et ideo cuilibet patri conſulit, vt filij ceruicem à pueritia humiliet. Eccl. 30, Curua ceruicem illius à iuuentute, & tunde latera illius dum infans eſt: ne fortè induret, & non credat tibi.

*Superbi accuſant Deū, & ſe excuſant de peccatis.*

*Eccleſiā odit qui fictè eccleſiam intrat.*

## 2316 Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.

Hîc oſtendit ſecundum, quòd ſuperborum gloria confundetur. Comparat enim Pſalm. gloriam malorum fœno tectorum: quia etſi in alto oritur & viret, citò tamen areſcit. Sic & malorum gloria diu durare non poteſt. Vnde de ipſis dicitur Pſalm. 36, quòd tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident: & Pſal. 91, Cùm exorti fuerint peccatores vt fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſæculum ſæculi. Sicut enim aduerſitas iuſtorū citò terminatur: ſic & malorum proſperitas. vide verſic. 1592. Et aduerte quòd gloriam malorum non comparat Pſal. omni fœno, ſed fœno tectorum, quod citius & facilius areſcit. Vnde huius ſimilitudinem hic aperiens Auguſtinus ait, *Fiāt ſicut fœnum tectorum* &c. Fœnum tectorum eſt herba quæ naſcitur in tectis, in ſolario, in tegulato. In alto videtur: & radicem non habet. Quanto melius humilis & in baſſo naſceretur, & lætius vireſceret? Modò naſcitur altius ad celeriorem viriditatem: nondum diuulſum eſt, & aruit: nondum finiti ſunt in iudicio Dei, & iam non habent ſuccum viriditatis. Attendite opera ipſorum, & videte quia aruerunt. Sed viuunt, & adhuc hic ſunt. Nondum ergo euulſi ſunt, & aruerūt. Quod ideo dicit, quia multoties gloria ſuperborum etiam ante mortē ipſorum ad magnam deuenit ignominiam: ſicut patuit in ſuperbo Sedechia rege Iuda: quem rex Babylonis captiuum duxit in Babylonem cum omnibus filiis ſuis. Et filios eius occídit coram eo: & oculos regis Sedechiæ eruit, & vinxit eum cathenis. Ecce quanta huius regis gloria antequam euelleretur per mortem, ad modum fœni tectorum aruit, & in confuſionem eſt mutata: & ſic de multis aliis. Propter quod & Mathathias hoc conſiderans, filios ſuos confortabat, dicens, A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenitur: quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius peribit. Et 1. Petr. 1. dicitur, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Et Iacob. 1. dicitur de ſuperbo diuite, quòd ſicut flos fœni tranſit, exortus eſt ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit. Ita & diues in itinerib[9] ſuis marceſcet. Vel aliter: iſtum verſum exponit Gregorius, maximè de gloria hypocritarum: ſuper illo verbo Iob 8, Cum adhuc ſit in flore, nec manu carpatur, areſcit ante omnes herbas: dicens, Iuxta carnem (inquit) etiam omnes iuſti ſunt fœnum: propheta atteſtante qui ait, Omnis caro fœnum. Sed ante areſcere ſcirpus dicitur, quia iuſtis in bono ſuo permanentibus, à viriditate aſſumptæ rectitudinis hypocritarum vita ſiccatur. Areſcunt herbæ etiam reliquę: quia iuſtorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem ſcirpus præuenit: quia prius quàm de carne hypocrita tranſeat, ea quæ in ſe oſtenderat virtutum facta derelinquit. de quibus bene per Pſalm. dicitur, *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.* Fœnum quippe tectorum in alto naſcitur: ſed nequaquam pingui radice ſolidatur: quia & hypocrita ſumma quidem ſunt quæ agere cernitur, ſed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fœnum etiam non euulſum areſcit; quia videlicet & hypocrita in præſenti adhuc vita ſubſiſtit, & iam ſanctitatis opera quaſi viriditatis ſpeciem amittit. Quia enim ſine intentione rectæ cogitationis bona ſtuduit agere: hæc amittens indicat ſe ſine radice floruiſſe.

*Gloria malorū cōparatur fœno tectorū.*

*4. Reg. 25.*

*1. Mach. 2.*

*Gloria hypocritarū fœno tectorū cōparatur.*

*Greg. 8. mor. cap. 28.*

## De quo nō implebit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget. 2317

Hîc oſtendit tertium: ſcilicet quòd ipſi mali à bonis diuidentur. In futuro enim iudicio exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Et in manu ſua bonos recipient: ſed malos alligabunt in faſciculos ad comburendum. vt dicitur Matth. 13. Quod oſtendens Pſalm. hic ait, *De quo non implebit manum ſuam* &c. Meſſores enim ſunt angeli, qui bonos fructus colligent vt offerāt Deo. Sed de malis non implebunt manum ſuam: quia in talibus nullus fructus reperietur qui ab angelis Deo præſentetur. Vbi per manus intellige opera: ſed per ſinum, conſcientiam. Vnde hic ait Auguſtinus, Venturi enim ſunt meſſores, & collecturi ſunt triticum in horreum: & zizania alligabunt in faſciculos, & in ignem mittent. Sic & fœnum tectorum expurgatur, & quicquid inde euellitur, in ignem mittitur. Non inde implent meſſores manus. Meſſores angeli ſunt. Notandum quia hic dicitur quòd non implebit manum ſuam, qui manipulos colliget. Quod triplex maximè eſt colligere, quo meſſores angeli ſinum ſuum implēt colligendo: ſcilicet Colligere credulitatis euangelicę: Colligere humilitatis & reuerentiæ: Colligere pietatis & clementiæ. vide in dictionario, litera Colligere, in tribus primis partibus. Itē nota quòd meſſis eſt triplex. Prima meſſis eſt collectio meritorum quæ erit in ſæculi terminatione. Matth. 13, Meſſis eſt conſumatio ſæculi. Secunda eſt congregatio ſaluandorum, quę erit in iudicij diſcretione. Matth. 9, Meſſis quidem multa &c. Tertia eſt collectio fructuum æternorum, quæ erit in præmij adeptione. Prouerb. 6, Si impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas fugiet à te. Vel dic quòd beati poſt hanc vitam metent multipliciter: ſcilicet gaudioſè iuxta dolorem anxiantem. Pſalm. 125, Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metēt. Copioſè iuxta bonorum largitatē: 2. Corinth. 9, Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Fructuoſè iuxta meritorum qualitatem: Gal. 6, Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.

*Colligere bonū multiplex.*

*Meſſis triplex.*

## 2318 Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine domini.

Hîc ponitur quartum: ſcilicet quòd benedictione priuantur mali. Vbi notandum quòd hic Pſal. loquitur per quandā ſimilitudinē cuiuſdam conſuetudinis quæ inter Iudæos erat. Nam quilibet trāſiens per viam, dabat benedictionem ſuam omnibus quos inueniebat aliquid boni operantes. vt puta, dicebat laborantibus, Benedicat vos Deus. Non laborantibus autem, nec aliquid boni facientibus non benedicebat. Conſimiliter nunc ait Pſal. quòd ſuperbis & infidelibus nihil boni operantibus pertranſeuntes ſuam benedictionem non dabant. Pertranſeuntes autem dicuntur prophetæ & Apoſtoli: qui viam huius mundi percurrebant, hic manſionem non quęrentes, ſed ad patriam tendentes. Non enim reperies quòd aliquis propheta vel Apoſtolus, quòd aliquis ſanctus vel iuſtus ſuperbos benedixerit vel approbauerit: ſed econtra, ſuperbos & ſuperbiam deteſtabantur: conſimiliter & omnis ſcriptura ſacra. Dicit ergo, *Et non dixerunt qui præteribāt, Benedictio domini ſuper vos.* Quinimmo, vt habetur Eccl. 10, odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia. Eſt ergo ſenſus iſti[9] verſus quòd ſuperbi excludentur à benedictione diuina quam Chriſtus bonis in iudicio dabit, dicens, Venite benedicti patris mei. Et ratio, quia nihil boni egerūt. Cuius ſignum eſt, quia prętereuntes qui omnibus benedicunt bonum aliquod operantibus, iſtis non benedixerunt. Vnde hic ait Auguſtinus, Noſtis fratres, quòd quando tranſitur per operantes, eſt conſuetudo vt benedicatur illis, Benedictio domini ſuper vos. Et magis iſta conſuetudo erat in gente Iudæorum. Nemo enim tranſibat, & videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in meſſe, vel aliquid huiuſmodi, quin benediceret illis: quia nō licebat tranſire ſine benedictione. Sed qui ſunt tranſeuntes? Illi ſcilicet qui per viam tranſierunt hinc ad patriam. Apoſtoli trāſeuntes erant in vita iſta: prophetæ tranſeuntes erant. ſed quos benedixerunt prophetæ & Apoſtoli? Illos ſcilicet in quibus radicem charitatis viderunt: quos autem viderunt in tectis eminere & ſuperbire ceruice, dixerunt contra illos quod futurum erat. Benedictionem autem ſuper eos non dederunt. Vos autem qui legitis in ſcripturis, omnes iſtos ſuperbos inuenitis maledictos deſignatos, & ad Antichriſtū & diabolum pertinere: nullam inuenietis ſcripturam, quæ de illis bene loquatur. Sed dices, Nunquid ſancti prophetæ & Apoſtoli & alij ſancti orāt pro ſuis perſecutoribus & ſuperbis, & ipſis optant benedictionem: cum dominus dicat, Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos? &c. Ad quod dicendum quòd ſancti in orationibus ſuis aliqua ponunt optatiuè, aliqua prædictiuè. Quandiu enim quis peccator eſt in præſenti vita, non eſt de ipſo deſperādum: & ſic pro ipſo licet orare, & cōuerſionem ſuam optare. Tamen & ſi poſſit conuerti de poſſibili, de multis ſciebant prophetæ & Apoſtoli quòd de facto non conuerterentur: & talibus maledicebāt: id eſt ipſorum futuram maledictionem prædicebant. Benedicebāt autem optatiuè & prædictiuè bene operantibus: dum prædicebant præmia bonis debita. Vis ergo à ſanctis benedici? benefac. Vnde hic Auguſtinus ait, Iſti tranſeuntes ſiue prophetæ, ſiue Apoſtoli, ſiue patriarchæ, & quicunque tranſierunt: ſi bene viuimus, benedixerunt nos in nomine domini. Sed fortè inquis, Quando me benedixit Paulus vel Petrus? Attende in ſcripturis. Vide ſi bene viuis, & vide ibi te benedictum fuiſſe: quia in ſcripturis omnes bene viuentes benedicuntur: malè autem viuentes maledicuntur. De malè ergo viuentibus dicitur, *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio domini ſuper vos.* Nec etiam illis dixerunt, *Benediximus vobis in nomine domini.* Ipſi in nomine domini benedicunt, quia omnia bona à Deo eſſe cognoſcunt. vide verſic. 2072.

*Benedictio datur operātibus bene.*

*Matth. 25.*

*Benedictio nō datur malis.*

*Matth. 5.*

## PSALM. CXXIX.

## DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam. 2319

Hîc Pſalmus eundem habet titulum cum aliis Pſalm. gradualibus: ſcilicet Canticum graduum. Et eodem modo exponitur vt ſuprà. De materia verò Pſalm. quantum ad literam, dicunt aliqui quòd iſte Pſalm. eſt quædam oratio quam fecit Dauid ſupplicando à Deo veniam de peccato adulterij quod commiſit cum Berſabe: & de peccato homicidij commiſſo in Vriam. Alij autem dicunt quòd iſte Pſalm. computatur inter ignotos: quorum ſci-

licet auctor ignoratur. Certum eſt autem quòd factus fuit ab aliquo ſancto viro ſpiritum propheticum habente. Et hoc pro liberatione populi Iſrael à captiuitate Babylonica: quam ille ſanctus præuidit in ſpiritu. Et hoc ſatis videtur innuere finis Pſal. qui ait, *Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatib⁹ eius.* Et hanc intentionem proſequitur N. de lyra. Dic vt ipſe N. Quãtum verò ad ſenſum propheticũ, ſciendum quòd eſt inter Pſal. graduales vndecimus: & cõtinet vndecimum gradum aſcenſionis ſpiritualis. Qui gradus eſt pœnitentium ſupplicatio. Non enim ſufficit homini timere Deum, patienter aduerſa ferre, niſi etiam pro venia peccatorum clamet ad Deum. Cum in hac mortali vita nullus ſine peccato conſiſtat, quod ſine pœnitentia non remittitur: pœnitentia autem ſine ſupplicatione & ſpe veniȩ imperfecta eſt. Igitur conſequens eſt, quòd quilibet verè pœnitens pro venia peccati Deo ſupplicare debet. Sicut enim ſupplicatio ſine pœnitentia non valet: Chriſto dicente, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorũ longè eſt à me: ſine cauſa colunt me. Sic & econtrario pœnitentia non valet ſine ſupplicatione. Nõne Cain egit de peccato fratriſcidij pœnitentiam: dicens, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear: & tamen infructuoſa fuit, quia ſine ſupplicatione? Nónne Iudas de proditione Chriſti egit pœnitentiam: qui pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum? Sed quia non ſupplicauit pro venia, damnationem non euaſit. Sic & de pœnitentia Antiochi, 2. Machabæorum 9. Sic & de damnatis dicitur, quòd ſunt gementes præ anguſtia ſpiritus, pœnitentiam agentes &c. Sola ergo pœnitentia perfecta eſt, & meretur veniam, quæ ſupplicationi eſt coniuncta. Et de huiuſmodi ſupplicatione pœnitentis agit iſte Pſalmus. Item hic notat Gloſa quòd iſte Pſalmus inter Pſalmos pœnitentiales eſt ſextus, ſed inter graduales eſt vndecimus. Per quod denotatur quòd in hac vita nullus eſt tantum perfectus, quòd vt ſine omni imperfectione conſiſtat peccati. Et ſic quòd nullus eſt tantum perfectus quin indigeat pœnitentia & ſupplicatione veniæ. Quod ſic deducit. Quoniam ſenarius numerus perfectionem ſignificat (vnde & ſex diebus Deus mũdum perfecit) per vndenarium verò ſignificatur tranſgreſſio mandatorũ Dei, quia decem ſunt præcepta: & vndenarius eſt primus numerus tranſgrediens decem. Et in his datur intelligi, quòd quantumcunque perfectionis ſit aliquis, non tamen eſt omnino ſine peccato: pro quo neceſſaria eſt pœnitentia. Quod ſignificat iſte Pſal. in quo eſt ſenarius cum vndenario, vt eſt dictũ. Et nota quòd apud arithmeticos ſenarius numerus inter omnes numeros perfectus dicitur. Nam, ſecundum ipſos, perfectus numerus dicitur, qui reſultat præciſè ex omnibus ſuis partibus aliquotis ſimul aggregatis. Dicitur autem pars aliquota, quæ aliquoties ſumpta ſuum totũ aliqualiter reddit. Sicut verbi gratia: In numero ſenario vnum eſt pars aliquota: quia ſexies vnum facit ſex. Duo eſt pars aliquota: quia ter duo faciũt ſex. Tertium eſt pars aliquota: quia bis tres faciunt ſex. Quartũ eſt pars aliquota: quia quatuor aliquoties ſumptũ ſemper redit vltra ſex: ſimiliter & quintũ. Senarius ergo numerus habet tres partes aliquotas: ſcilicet vnum, duo & tres: ſed iſtæ omnes tres partes ſimul ſumptæ faciunt æqualiter ſuum totum nec maius nec minus. Et ſic ſex numerus dicitur perfectus, ſecundum arithmeticos. Intentio ergo tota præſentis Pſal. eſt nos mouere ad pœnitẽtiam cum ſupplicatione veniæ. Diuiditur autem iſte Pſal. in duas partes: quia Pſal. in perſona pœnitentis, primò pro venia Deo ſupplicat: ſecundò ſupplicationem à Deo exauditam explicat: ibi, *A cuſtodia.* Prima in duas: quia primò ponit ſuam ſupplicationem: ſecũdò vt exaudiatur aſſignat rationem: ibi, *Si iniquitates.* Prima in duas: quia primò Deo ſupplicat: ſecundò exaudiri poſtulat: ibi, *Fiant aures.* Quantum ad primum, ſciendum quòd multiplex eſt profundum, de quo ad Deum clamare debemus: ſcilicet profundum conſcientiæ cordialis, profundum miſeria temporalis, profundum maliciæ criminalis. Primò ergo eſt profundum conſcientiæ vel cogitationis cordialis. Tantum enim eſt profundum cor humanum, quòd nullis aſpectibus hominum patere poteſt. Quis enim alterius cordis ſecreta poteſt penetrare? Certè ſolus Deus. Propter quod dicitur, Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: & quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans cor, & probans renes &c. Et proponitur Eccl. 23, Oculi domini profundum abyſſi & corda hominum intuentes. Et Prouerb. 20, Sicut aqua profunda, ſic & conſilium in corde viri. Et de iſto profundo cordis clamare debemus ad Deum, vt noſtræ ſupplicationes ex corde magis quàm ex voce procedãt, exemplo Pſal. qui dicebat, Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine &c. De profundo ergo cordis clamandum eſt ad Deum: vide verſic. 2218. Secundò eſt profundum miſeriæ temporalis: quod durat quandiu hæc miſera vita durat. Et ab iſto profundo timebat Pſalm. ſubmergi, cum dicebat, Non me demergat tempeſtas aquæ: neque abſorbeat me profundum &c. Sic & nos de iſto profundo ad dominum clamare debemus: ne procella aduerſitatis nos ad impatientiam ducat. Vnde hic ait Auguſtinus, Debet vnuſquiſque noſtrum videre in quo profundo ſit, de quo clamet ad dominum. Profundum enim nobis eſt iſta vita mortalis. Quiſquis ſe in hoc profundo intellexerit, clamat, gemit, ſuſpirat. Et donec de fundo eruatur, & veniat ad dominum. Tertiò eſt profundum culpæ. profundũ enim dicitur peccatum, quia ad profundum ducit inferni. Sic enim de diabolo peccante dicitur, Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci. Et cæteris peccatoribus dicitur, Væ qui profundi eſtis corde. De iſto profundo clamare debemus, vt inde nos eripiat: quia qui ſic clamat, ſtatim eripitur à Deo. Vnde hic ait Auguſtinus, Idoneus potuit eſſe homo ad caſum ſuum, ſed idoneus non eſt ad reſurrectionem ſuam: ſemper in profundo eſt peccatorum, niſi liberetur à Deo. Sed cum de profundo clamat, ſurgit de profundo. Et ipſe clamor non permittit multum eum in profundo eſſe. Sed aduerte quòd illi maximè in profundo peccatorum iacent, qui peccatis inuoluti deſperantes ad dominum clamare contemnunt: ſed continuè magis implicantur. ſicut dicitur Prouerb. 18, Impius cum in profundum peccatorum venerit, cõtemnit. Quod hic declarans Auguſt. dicit, Valde in profundo ſunt peccatores, qui nec clamant de profundo. Dicit enim ſcriptura, Peccator cum in profundum venerit malorum, contemnit. Iam videte, fratres, quale profundum ſit vbi contemnitur Deus. Cum quiſque viderit ſe quotidianis peccatis obrutum, aceruis quibuſdam iniquitatum premi: ſi dictum illi fuerit vt Deum roget, irridet & dicit, Si Deo diſplicerent

Matth. 5.
Pœnitẽtia debet eſſe cũ ſupplicatione veniæ.
Matth. 27.
Sap. 5.
Gen. 1.
Sex eſt numerus perfectus.
Profundũ triplex.
Hier. 17.
Pſal. 118.
Pſal. 68.
Eſa. 14.
Eſa. 29.
Peccator deſperatus contemnit.



cerent facinora, ego non viuerem: ſi curaret Deus res humanas, ad tanta ſcelera quæ feci, non ſolum non viuerem, ſed mihi etiam bene non eſſet. Solet enim illis bene euenire, qui multum in profundo ſunt, qui proſperantur in iniquitatibus ſuis. Et tãto magis in profundo merguntur, quanto magis videntur eſſe felices. Fallax enim eſt ipſa felicitas, maior infelicitas. Deinde in hoc ſolẽt homines dicere, Iam quoniam multa feci, & damnatio imminet, hoc perdo quòd non facio quicquid poſſum. Quomodo ſolent homines deſperati dicere, Si me occiſurus eſt iudex pro decẽ homicidiis, quomodo pro quinq;? quomodo pro vno? quare quicquid mihi iam occurrit non facio? Et hoc eſt quod dicitur, Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit. Et contra iſtos tales ſuo exemplo vt de profundo peccatorum clamemus ad Deum, admonet: dicens, *De profundis clamaui ad te domine* &c. Hic nota quòd peccator orando multipliciter ad Deum clamare debet: vide verſic. 893.

Prouerb. 18.

## 2320 Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Hîc poſtulat ſuæ ſupplicationis exauditionem. Vbi aduertendum quòd cum Deus ſpiritus ſit, & non corpus, aures corporales non habet, ſed ſpirituales. Auris enim Dei dicitur ipſius pietas & clementia, qua noſtras preces exaudit. Vnde tunc aures Dei intendunt voci noſtræ ſupplicationis, quãdo ipſe ſua pietate noſtras orationes exaudit. Sic enim aures Dei pro exauditione accipit ſcriptura, Salomone dicente Deo, 2. Paral. 6, Sint aures tuæ intẽtæ ſuper orationem quæ fit in loco iſto. Et nota quòd Deus aures ſuæ miſericordiæ nobis inclinat, quando noſtras audit orationes: iuxta illud Pſalm. 119, Inclinauit dominus aurem ſuam mihi: quia ipſe excelſus, nos autẽ parui & humiles. Ideo per oppoſitum aures noſtras nos inclinare ad Deũ non debemus: ſed ipſas ad ipſum erigere. Ad cuius euidentiam ſciendum quòd auribus naturalibus natura tria dedit: ſcilicet quia ipſas fecit apertas, paruas, & erectas. Primò ipſas fecit apertas, quod nõ fecit de organo viſus: quia clauditur palpebris, & organum guſtus clauditur labiis. Et hoc ad denotandum quòd ad audiendum proniores eſſe debemus quàm ad loquendum, videndum, vel guſtãdum. Vnde & Seneca in De moribus ait, Auribus quàm lingua frequentius vtere. Vnde & Sapient. 1. dicitur, Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſconditur. Secũdò natura aures fecit paruas. Animalia enim bruta ſecũdum ſui corporis quantitatem, vt in pluribus maiores habent aures quàm homo: vt patet de aſino, boue, cane, equo, & ſimilibus. Et hoc fecit natura ad denotandum quòd illa quæ audimus, diſtrictè atque diſcretè recipere debemus: vt ſcilicet nõ omnia audita credamus. Et ad iſtũ ſenſum dicitur Eccleſ. 28, Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequã. Vnde & Seneca, in prouerbiis dicit, Difficilẽ oportet habere aurem ad crimina. Vnde & diſt. 96. in ſcripturis dicitur, Hæc quidem diximus, cautos vos reddere cupiẽtes, vt ſi de domini ſacerdotibus aliquid contigerit vos audire quod confuſionem piis auribus ingerat, non infrunitum, ſed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo verecundiam contegatis: vt affluenti, quemadmodum & illi, benedictione repleri moderãte Deo mereamini. Et ſunt verba Nicolai papæ Ludouico imperatori ſcripta. Tertiò natura humana fecit aures nõ cadentes, ſicut habent canes, ſed ſtantes: ad denotãdum quòd verbis terrenis & vilibus aures inclinare non debemus: ſed illas ſolum cœleſtibus audiendis erigere, & ad verba legis diuinæ. Propter quod Nehem. 8, dicitur, quòd aures omnis populi erectæ erant ad librum legis. Sed per oppoſitum, malorum aures clauſæ ſunt ad audienda Dei monita, & inclinatæ ad terrena. De quibus dicitur Pſal. 57, Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpẽtis & aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, &c. vide verſic. 433. 931. Tales enim non imitantur aures Dei, quæ intendunt votis noſtris. Ideo cõformiter & noſtræ aures Dei votis intendere debent.

Auris Dei eius miſericordia.
Auris triplex conditio.

## Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? 2321

Hic aſſignat rationem ſuæ exauditionis. Et diuiditur in tres partes, ſecundum quòd tres rationes adducit. Prima ſumitur ex parte humanæ fragilitatis: ſecunda ex parte diuinæ pietatis: ibi, *Quia apud te*: tertia ex parte humilitatis: ibi, *Suſtinuit.* Quantum ad primum, ſciendum quòd multitudini peccantium magis parcẽdum eſt quàm vni ſoli. Vnde & ſi communitas peccat, communitati parcitur: vt habetur 23. quæſt. 4. cap. Non poteſt eſſe. Cum ergo omnes homines peccatis ſint obnoxij, quia omnes naſcimur filij iræ: ad Epheſ. 2. & 1. Ioã. 2, Si dixerimus quòd peccatum nõ habemns, noſipſos ſeducimus. Et ſic ratione multitudinis peccantis probat Pſalm. ſuam orationem exaudiendã: vt ſcilicet Deus peccata noſtra nõ reſeruet ad vindictam, ſed illa ſua pietate dimittat: quia nullus eſt ſine peccato. Et hoc eſt quod ait, *Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit?* Quaſi dicat, Nullus. Vnde hic ait Auguſt. *Si iniquitates obſeruaueris* &c. Circunſpexit iſte ſeipſum: circunſpexit vitam ſuam, vidit illam vndique facinoribus coopertam. quacunque reſpexit, nihil in ſe bonum inuenit. Et cum tanta ac multa peccata vndique videret, tanquam expaueſcens exclamauit, *Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit?* Non dixit, Ego non ſuſtinebo: ſed *quis ſuſtinebit?* Vidit propè totam humanam naturam lacerari peccatis ſuis: accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis: nõ inueniri cor caſtum quod præſumere poſſit de iuſtitia ſua. Quomodo enim ſine peccato reperiri poteſt homo habitans in carne: ex qua peccati tentatio procedit? Quod declarãs Gregor. ſuper illud Iob 4, Et in angelis ſuis reperit prauitatẽ &c. ſic ait, Luteas domus habitamus, qui in corporibus terrenis ſubſiſtimus. Quod bene conſiderans Paulus ait, Habemus theſaurum in vaſis fictilibus. Terrenum enim fundamentum eſt ſubſtantia carnis: quod in ſe Pſalm. ſolicitè conſpexerat, cũ dicebat, Subſtantia mea in inferioribus terræ. Tinea de veſte naſcitur, & eandem veſtem de qua oritur oriendo corrumpit. Quaſi verò quædam veſtis animæ caro eſt. Sed hæc nimirum veſtis habet tineam ſuam: quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. Quaſi enim quadam tinea veſtis noſtra conſumitur, cum caro corruptibilis tentationem gignit, & per hanc ad interitum peruenit. Velut tinea homo conſumitur, cum de ſe oritur vnde conteratur. Acſi apertè dicat, Si illi ſpiritus angelici eſſe ex ſe incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur: qua temeritate ſe homines in bono exiſtimant permanere, quos in eo quòd intellectus

Peccator eſt omnis homo.
Gregor. 5. moral. cap. 27.
2. Corinth. 4.
Pſal. 128.
Caro peccatũ generat.

tellectus ad ſumma euehit, infirmitas carnis aggrauans præpedit, vt per corruptionis vicium in ſe habeant vnde ab intima nouitate veteraſcant? Eſt ergo in ſumma ratio Pſal. iſta: Tu Deus diſpoſuiſti ex hominibus ruinam angelorum reparare: ergo homines pœnitentes ſupplicãtes pro venia debes exaudire. patet, quia aliter propoſitum tuum impleri non poſſet: quia niſi indulgeas, nullus homo iuſtus reperitur. Vnde ſi iniquitates obſeruaueris (ſcilicet ad puniendum) quis ſuſtinebit? id eſt quis iuſtitiam conſeruabit? Quaſi dicat, Nullus.

## 2322 Quia apud te propiciatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

Hic ponit ſecundam rationem, quæ ſumitur ex parte diuinæ pietatis. Vbi ſciendum quòd propitius dicitur à propè: & inde propitiatio, quaſi propinquitas. Per peccatum autem elongamur à Deo: non quidẽ loco, ſed ſimilitudine. Sed quãdo Deus peccatum remittit, tunc dicitur propitiari nobis: id eſt nobis appropinquare, & nos illi, per ſimilitudinem imitationis. vnde propitiari idẽ eſt quod miſereri, & peccata relaxare, quò Deo appropinquare valeamus. Cum igitur Deus natura ſit miſericors, qui non quærit mortem peccatorum, ſed vt magis conuertantur & viuant, & paratus ſit omnibus parcere: ideo apud ipſum dicitur eſſe propitiatio, id eſt miſeratio: vt ſit ſenſus Pſalm. Ideo tu Deus ſupplicationes pœnitentium debes audire, quia apud te eſt propitiatio. Vel aliter: propitiatio noſtra Chriſtus eſt, cuius ſanguine Deo ſumus reconciliati. Et hic eſt apud Deum: quia & Chriſtus eſt verus Deus. Ioan. 1, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Et de Chriſto ſub nomine propitiationis apertè loquitur Apoſtolus dicens, Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tãtum, ſed etiam totius mundi. Vnde hic Auguſt. ait, *Quoniam apud te propitiatio eſt*. Quæ eſt iſta propitiatio, niſi ſacrificium? Et quod eſt ſacrificium, niſi quod nobis oblatum eſt, ſcilicet ſanguis innocens fuſus, qui deleuit omnium peccata nocentium: redemit omnes captiuos de manu captiuantis inimici? Ergo eſt apud te propitiatio. Quaſi dicat, Si iudex ſolùm velles eſſe, & miſericors eſſe nolles: obſeruares omnes iniquitates, & quæreres illas: quis ſuſtineret? quis ante te ſtaret, & diceret, Innocens ego ſum? quis ſtaret in iudicio tuo? Sto ergo ego ſpe ante te, quia apud te propitiatio eſt. Ideo ſpero, ideo ſuſtineo. Et Greg. propitiationem dicit ipſum Chriſtum, exponens illud Iob 33, Inueni in quo propitier ei: dicens, Quia nullus erat cuius meritis nobis dominus propitiari debuiſſet: vnigenitus patris formam noſtræ infirmitatis ſuſcipiens, ſolus iuſtus apparuit pro peccatoribus intercedens. Vnde dicit, Inueni in quo propitier ei. Acſi apertè mediator Dei & hominum dicat, Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo iuſtus interceſſor appareret: meipſum ad propitiãdum hominibus hominem feci. Et dum me hominem exhibui, in quo iuſtè hominibus propitiarer inueni. Quamuis ergo ſuperius dixerit, quòd ſi Deus iniquitates obſeruaret, nullus ſuſtinere poſſet: tamen nunc dicit ſe ſuſtinuiſſe: & hoc quia apud Deum propitiationem cognouit. Vnde ſequitur, *Et propter legem tuam ſuſtinui te domine*. Sed quæ eſt lex Chriſti, niſi charitas? dicẽte Apoſtolo, Plenitudo legis eſt dilectio.

*Propitiatio quid ſit.*

*Propitiatio dicitur Chriſtus.*

*1. Ioan. 2.*

*Gregor. 24. moral. cap. 4.*

*Lex Chriſti charitas.*

*Rom. 13.*

Iſta autem lege charitatis Chriſtus factus eſt propitiatio noſtra: quia charitate carnem noſtram aſſumpſit. Quid eſt ergo, *propter legem tuam ſuſtinui te domine*: niſi, propter charitatem qua factus eſt homo mediator noſter & propitiatio, ſuſtinui te domine: id eſt, ſperaui in te domine? Vnde hic ait Auguſt. Lex Chriſti eſt charitas. Lex charitatis dat veniam peccatis, delet præterita, admonet de futuris: in via non deſerit comitem. Comes fit ei quem ducit in via. Dicat ergo, *propter legem tuam ſuſtinui te domine*: id eſt quia dignatus es legem miſericordiæ afferre, mihi dimittere omnia peccata mea, dare mihi monita, ne de cætero te offendam. Ideo propter hanc legẽ ſuſtinui te domine: id eſt, expectaui quãdo venires, & liberares me ab omni neceſſitate.

## Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in domino. 2323

Hic ponitur tertia ratio, quæ ſumitur ex parte humilitatis noſtræ. Ad humilitatem enim ſpectat quòd quis Deo non reſiſtat, ſed verbo eius humiliter credat, & ſperet promiſſa. Vbi nota quòd ſuſtineo, es, in ſcriptura diuerſa ſignificat. Quia quandoque eſt idem quod inuoluntariè pati onus vel pœnam. Sic enim dicitur Leuit. 24, Qualem quis alteri inflixerit pœnam vel maculam, talẽ ſuſtinere cogetur. Quandoque idem eſt quod volũtariè pati vel patienter. Sic dicebat Apoſtolus, Perſecutiones patimur & ſuſtinemus. Et de Chriſto dicitur, Recogitate eũ qui talem aduerſus ſemetipſum à peccatoribus ſuſtinuit contradictionem. Item propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Quandoque idem eſt quod expectare. Sic enim Chriſtus ait Apoſtolis, Suſtinete hic & vigilate mecum: ſuſtinete, id eſt expectate. Et Pſal. 68, Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & nõ fuit. Ad propoſitum autem: hic ſuſtinere ſtat pro expectare & firmiter ſperare quæ verbo Dei ſunt promiſſa. Vnde ſecunda pars verſiculi declarat primam. Dicit ergo, *Suſtinuit anima mea in verbo eius*: id eſt expectauit anima mea promiſſa per verbum eius. Et quod accipiat ſuſtinere pro expectare, conſequenter declarat, dicens, *Sperauit anima mea in domino*. Vnde iſtũ paſſum exponit Auguſt. dicens, *Suſtinuit anima mea in verbo eius*. Nemo ſuſtinet, niſi qui nondum accepit quod promiſſum eſt. Nã qui iam accepit, quid ſuſtinet, id eſt quid expectat? Accepimus remiſſionem: ſed ſuſtinemus quod promiſſum eſt nobis regnum cœlorũ. Debita noſtra deleta ſunt, ſed merces noſtra adhuc futura eſt. Accepimus veniã, ſed æternam vitam nondum tenemus, ſed ſuſtinemus in verbo eius: quia qui dedit veniam, ipſe promiſit vitam æternam. Si verbum noſtrum eſſet, deberemus timere: ſed verbum Dei eſt quod nõ fallit. Securè ergo ſperamus in eius verbum, qui fallere nõ poteſt. Propter quod ſubdit, *Sperauit anima mea in domino*. Sperandum autem eſt in domino, quia ſpes animam confirmat ne cadat à bono: vnde anchoræ aſſimilatur. vide verſic. 2018. Et quia hic Pſalm. loquitur in perſona pœnitentis & ſupplicantis, meritò dicit, *Sperauit anima mea in domino*: quia ſine ſpe veniæ nihil pœnitentia valet. vide verſic. 985. Item nota quòd ſpes in Deo habita multa bona facit: verſic. 133.

*Suſtineo multa ſignificat.*

*1. Cor. 4.*
*Hebr. 12.*

*Matth. 26.*

*Suſtinere idẽ eſt quod expectare.*

## A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in domino. 2324

Hic Pſalm. ſuam ſupplicationem exauditam explicat.



Et tria facit: quia primò ponit ſuæ ſupplicationis exauditionem: ſecundò exauditionis rationem: ibi, *Quia apud dominum*: tertiò ſupplicationis generalem concluſionem: ibi, *Et ipſe redimet*. Quantum ad primum, notandum quòd cuſtodia matutina idem eſt quod vigilia matutina. Sciendum eſt ergo quòd (vt dicit Hieronym. ſuper Matth.) cuſtodiæ & vigiliæ militum apud Romanos diuidebãtur per ſpatium trium horarum: ſic quòd quælibet vigilia tres horas cõtinebat. Prima vigilia incipiebat per tres primas horas noctis: ſed vigilia matutina continebat tres horas iuxta diem. ſic quòd in ſpatio illius vigiliæ terminabatur nox, & dies illuceſcebat. Per iſtã ergo vigiliam matutinam intelligit Chriſti reſurrectionem illa hora factam. Et per hoc vult innuere Pſalm. quòd vigilia matutina (ſcilicet reſurrectio domini quam in ſpiritu præuidebat) erat cauſa ſuæ ſpei: quia ſcilicet in vera ſpe reſurrectionis ſtabat vſque ad noctem: id eſt vſque ad mortem, quæ per noctem deſignatur. Non enim vult innuere quòd ſpes ſua ſolum vna tota die durauerit: ſcilicet à principio diei vſque ad noctem: ſed quòd à reſurrectione Chriſti habuit exordiũ, & durauit vſque ad mortem. Et iſtum intellectum ponit hic Auguſt. dicens, Quid eſt hoc quod ait, *A cuſtodia matutina vſque ad noctem* &c. Nunquid vno ſolo die ſperauit in domino, & finita eſt tota ſpes ipſius? Illa vigilia matutina finis eſt noctis. Ergo intelligendum eſt ne putemus vno die nobis ſperandũ eſſe in domino. Quid ergo hoc eſt, à vigilia matutina vſque ad noctem ſperare in domino? Quia dominus per quem nobis dimiſſa ſunt peccata, in vigilia matutina ſurrexit à mortuis: vt hoc ſperemus nobis eſſe futurum, quod præceſſit in domino. Iam enim nobis peccata dimiſſa ſunt: ſed nondum ſurreximus. Si nondum ſurreximus, nondum in nobis factũ eſt quod præceſſit in capite noſtro. Quid præceſſit in capite noſtro? Quia caro ipſius capitis reſurrexit. Spiritus illius capitis nunquam mortuus eſt: ſed quod in eo mortuũ eſt, reſurrexit. Et quodammodo nobis dominus dicit, Quod in me vidiſtis, ſperate in vobis: id eſt quia ego reſurrexi, reſurgetis & vos. Ergo quia ille in vigilia matutina ſurrexit, cœpit anima noſtra ex hoc reſurrectionem ſperare. Sed vſquequó? vſque ad noctem: id eſt quouſque moriamur. Omnis enim mors carnalis quaſi ſomnus eſt. Cœpiſti ſperare ex quo reſurrexit dominus: noli deficere ſperare quouſque exeas ab hac vita. Nam ſi non vſque ad mortẽ ſperaueris, deletur totum quod ſperaueras. Sunt enim homines qui incipiunt ſperare: ſed non perſeuerãt vſque ad mortem. Incipiunt pati tribulationes aliquas, aliquas tentationes: vident homines malos felicitate temporali pollere. Et quoniam talia ſperabant de domino, vt hic eſſent felices, attendunt eos qui ſcelerati ſunt habere quod ipſi deſiderant: & deſinunt ſperare in dominum. Quare? quia non à vigilia matutina cœperunt ſperare. Quid eſt hoc? non hoc, Cœperunt ſperare de domino quod præceſſit in domino ab illa vigilia matutina: ſed ſperabant de domino, vt ſi eſſent Chriſtiani, haberent plenam domum frumento, vino, & oleo, argento & auro, quòd nullus eorũ moreretur immaturus. Qui ergo ſic ſperat in dominum, & animaduertit eos qui non colunt dominum his abũdare: deficit, & non ſperat vſque ad noctẽ: quia non incipit ſperare à vigilia matutina. Qui autẽ incipit in domino à vigilia in qua reſurrexit primus immortalis, hic

*Cuſtodia matutina ſignificat reſurrectionẽ Chriſti.*

*Vigiliæ quomodo diuidebantur à Romanis.*

*Marci 16.*

*Perſeuerãtia in bono eſt neceſſaria.*

*Spes quare deficit in nobis.*

ſperat vſq; ad noctem reſurrectionẽ ſui corporis: id eſt, quouſque ſit nox vniuerſi generis humani in occaſu ſæculi. Poſt autem iſtã noctem non erit ſpes reſurrectionis, ſed ipſa reſurrectio. Et aduerte quòd hic Aug. videtur velle quòd iſta ſpes reſurrectionis omnibus eſt neceſſaria vſq; ad noctem: id eſt vſque ad finem ſæculi. Ex quo videtur ſequi quòd nullus ante finẽ ſæculi reſurrexit nec reſurget immortalis: quia omnes qui reſurrexerint ante finem, reſurgent morituri. Et ſic ſancti qui cum Chriſto ſurrexerunt, reſurrexerũt iterum morituri. Vnde ſic dicit Auguſt. Reſuſcitati ſunt mortui multi ante aduentum domini. Nam Helias reſuſcitauit mortuũ, & Heliſæus: ſed reſurrexerunt iterũ morituri. Dominus etiã ipſe quos ſuſcitauit, morituri reſurrexerunt. Semel nati ſunt: & bis mortui ſunt. Nemo reſurrexerat nunquam moriturus, niſi dominus. Quando autem reſurrexit dominus, ipſe nũquam moritur. A vigilia ergo matutina hoc ſpera & tu de domino reſurrecturum te: nõ quomodo Lazarus reſurrexit, nõ quomodo filius viduæ vel archiſynagogi filia, non quomodo quos ſuſcitauerunt antiqui prophetæ: ſed te reſurrecturum ſpera quomodo dominus reſurrexit, vt amplius non moriaris. Et notandũ quòd iſta pars prima præſentis verſiculi, eſt finis verſiculi præcedentis: vt ſit ſenſus, Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in domino: ſed quandiu ſperauit, ſubditur, *A cuſtodia matutina vſque ad noctem*. Et cõſequenter ſuo exẽplo monet alios omnes ſic ſperare in domino, dicens, *Speret Iſrael in domino*: ſupple ſicut & ego, ſcilicet à cuſtodia matutina vſq; ad noctem. Per Iſrael autem intelligit omnes Deũ videre cupientes: quia Iſrael videns Deum interpretatur.

*Chriſtus ſolus reſurrexit immortalis.*

*3. Regum 17.*
*4. Regum 4.*

*Matth. 9.*

## Quia apud dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. 2325

Hîc aſſignat ſuæ ſupplicationis & ſpei cauſam & rationem. Cum enim quis cogitat, Chriſtus reſurrexit immortalis, quia ſine omni peccato fuit, qui ſine omni culpa pro nobis mortẽ ſuſtinuit: ſed ego qui peccatis ſum plenus, ex debito peccatorũ morior: quo merito ſperare debeo quòd immortalis reſurgam, ſicut Chriſtus immortalis reſurrexit. Ad hoc reſpondet Pſalm. dicens quòd reſurrectio illa qua immortalis cum Chriſto reſurges, non erit meritis tuis, ſed ſolum ex miſericordia Dei, qui te ſuo ſanguine redemit. Quare ergo immortalis reſurges? ratio eſt, *Quia apud dominum* &c. Apud enim dominũ eſt miſericordia: quia ille qui ſine peccato præceſſit, miſertus noſtri delet peccata ſequentia. Et apud eũ eſt copioſa redemptio, quia precio ſui ſanguinis nos redemit copioſè: quia fuit ſufficiens precium non ſolum pro peccatis noſtris, ſed etiam totius mundi: & nõ ſolùm totius mundi, ſed etiam infinitorum mundorum, ſi eſſent: & ratione vnionis hypoſtaticæ qua vnitus erat cum verbo. Vnde cauſam noſtræ reſurrectionis non eſſe merita noſtra, ſed miſericordiam Dei hic oſtendit Auguſt. dicens, Sed ne ſuggerat iſta cogitatio, vt dicas, Capiti licuit ſurgere immortalis, quia peccatis non premebatur, nullum peccatũ erat in illo: quid nos facturi ſumus? Quomodo ſperabimus talem reſurrectionem qualis præceſſit in domino, cùm peccatis noſtris vndiq; aggrauemur? Sed tibi reſpondetur, Audi quod ſequitur. Hoc ideo debes ſperare: quia apud dominum miſericordia & copioſa &c. Ergo ſi premebaris peccatis tuis, adeſt miſericordia Dei.

*Reſurrectio noſtra erit opus miſericordiæ.*

Ideo

A Ideo præceſſit ille ſine peccato, vt deleat peccata ſequentium. Nolite ergo in vobis præſumere: ſed à vigilia matutina præſumite. Videte caput veſtrum reſurrexiſſe & aſcẽdiſſe in cœlum. In illo nulla culpa erat: ſed per illum culpæ noſtræ delentur. Et aduerte quòd hic Pſalm. cum dicit, *Apud dominum miſericordia* &c. per dominum intelligit Chriſtũ, qui ſolus redẽptio noſtra dicitur: quia ipſe & non alius nos redimere potuit: vt oſtendit Gregor. dicẽs, Dominus Ieſus diabolum non virtute, ſed ſapientia ſuperauit. Ipſe namque diabolus in illa nos primi parẽtis radice ſupplãtans, ſub captiuitate ſua quaſi iuſtè tenuit hominem: qui libero arbitrio cõditus, quia ei iniuſta ſuadenti conſenſit. Ad vitam namq; conditus in libertate propriæ voluntatis, ſponte propria factus eſt debitor mortis. Delenda igitur erat talis culpa: ſed niſi per ſacrificiũ deleri non poterat. Quærendum ergo erat ſacrificium. Sed quale ſacrificium poterat pro abſoluẽdis hominibus inueniri? Neq; enim iuſtum fuit vt pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Ergo ſi bruta animalia pro rationali animali (id eſt pro homine) dignæ victimæ non fuerunt, requirẽdus erat homo qui pro hominibus offerri debuiſſet: vt pro rationali peccante rationalis hoſtia mactaretur. Sed quia homo ſine peccato inueniri non poterat, & oblata pro nobis hoſtia, quomodo à peccato nos mundare potuiſſet, ſi ipſa peccati cõtagio non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare nõ potuiſſet. Ergo vt rationalis eſſet hoſtia, homo fuerat offerẽdus, vt verus à peccatis mũdaret hominem homo ſine peccato. Sed quis eſſet homo ſine peccato, ſi ex peccati commixtione deſcenderet? Proinde venit propter nos filius Dei in vtero virginis, qui pro nobis factus eſt homo. Sumpta eſt ab illo natura, non culpa: fecit pro nobis ſacrificium: corpus ſuum exhibuit pro peccatoribus victimam ſine peccato: quæ & humanitate mori, & iuſtitia mundare potuiſſet. Hunc ergo cum poſt baptiſma vidiſſet antiquus hoſtis, mox tentationis impetu & per diuerſos aditus ad interiora eius conatus irrumpere, victus eſt, atque ipſa inexpugnabili eius integritate proſtratus. Sed quia ad interiora eius nõ valuit, ad eius exteriora ſe cõuertit: vt quia mentis virtute victus eſt, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis ſaltem morte videretur ſuperare. Et permiſſus eſt in illud quod ex nobis mortalibus mediator acceperat. Sed vbi potuit aliud facere, ibi ex omni parte deuictus eſt: & vnde accepit exterius poteſtatem dominicæ carnis, occideretur: deinde poteſtas eius qua nos tenebat, occiſa eſt. Ipſe namq; interius victus eſt, dum quaſi vicit exterius. Et qui nos iure debitores mortis tenuit, vires in nobis mortis amiſit: quia per ſatellites ſuos eius carnem perimendã appetiit: in quo nil ex debito culpæ inuenit. Dominus ergo noſter pro nobis mortem ſoluit, ne nobis mors debita noceret &c. Ex quibus apparet quàm gratioſè copioſa apud Deum miſericordia fuit & redemptio: quia ſcilicet redemptionem miſit dominus populo ſuo &c.

*Gregor. 17. moral. cap. 15. Chriſtus ſolus nos redemit.*

*Pſal. 110.*

2326 Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.

Hic ponit ſuæ ſupplicationis generalem cõcluſionẽ, quæ ſtat in hoc, quòd dominus Ieſus Chriſtus omnibus pœnitentibus & pro venia clamãtibus de profundo ſui cordis liberè parcit, & omnes

A iniquitates liberè relaxat. Et hoc eſt quod ait, *Et ipſe* (ſcilicet dominus Ieſus, apud quẽ miſericordia eſt & copioſa redẽptio) *redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.* Vbi per Iſrael intellige omnes verè pœnitentes, qui peccata ſupplantant, & firma ſpe Deum contemplantur. Nam Iſrael, qui videns Deũ interpretatur, ipſe idẽ & Iacob, qui dicitur ſupplãtator. Vnde hic ait Auguſt. *Et ipſe redimet Iſrael:* quia Iſrael vendere ſe per peccatum diabolo potuit, & fieri venundatus ſub peccato: redimere autem ab iniquitate non poteſt. Ideo ille ſolùm Iſrael potuit redimere, qui ſe per peccatum non potuit vẽdere. Qui enim peccatum nõ commiſit, ipſe redemptor eſt à peccato. Nõ ergo timeat acceſſurus ad Deum aliquis iniquitates ſuas: tantummodo accedat pleno B corde, & deſinat iam facere quæ faciebat: & de profundis clamet ad dominum, & ipſe redimet iniquitates illius. Nota ergo quòd redemptor noſter dicitur Chriſtus: vide verſic. 267. Et quòd redẽpti ſumus per ſanguinem Chriſti: verſic. 1271. 1844. 377. 533. 431. Ipſe enim omnes redemit, quo ad ſufficientiam: quamuis non quo ad efficientiam: verſic. 521. Vnde aliter redemit Chriſtus electos & aliter reprobos: verſic. 895.

## PSALM. CXXX.

Domine, non eſt exaltatum cor meũ, neque elati ſunt oculi mei. 2327

C Iſte Pſal. habet titulum illum talem, Canticum graduum ipſi Dauid. Exponitur vt ſuprá. Sed ex eo quod additur, ſcilicet ipſi Dauid, apparet quis iſtũ Pſal. fecerit: quia ipſe Dauid. De materia verò Pſal. ſciendum quia, ſicut in naturalibus experiẽtia docet, diſpoſitio capitis ad membra redundat. Vnde vulgariter dicitur, Quãdo caput dolet, omnia mẽbra langueſcunt. Sic ſuo modo eſt in moralibus: quia bonitas principis & malitia redundat in ſubditos. Quod ſatis probatũ fuit in Dauid rege: quia propter peccatum eius populus fuit punitus, quãdo numerauit populum. vt habetur 2. Reg. 24. In iſto ergo Pſalm. Dauid volens Deum placare, proponit Deo humilitatem ſuam: oſtendens ſcilicet ꝙ illam numerationem non fecit ex ſuperbia. Et ſi in D ipſa peccauit, petit quòd retributio peccati ſui redundet in animam ſuam, & non in ſubditos, dicẽs, *Sicut ablatus eſt ſuper matrem ſuam, ita retributio in anima mea.* Humiliter enim hoc Deo dixit, Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me. Non autem tunc numerando populum peccauit Dauid, quia hoc ex ſuperbia feciſſet: ſed quia numerando populum non obtulit pro populo debitum ſacrificium. Sic ergo hic volẽs placare Deũ, prætendit humilitatem: quod non facit ex iactantia, ſed magis ad gratiarum actionẽ, in ſe recognoſcens diuinã gratiam: ſicut Ezechias rex dixit, Obſecro domine memento mei, quomodo ambulauerim coram te in veritate: vt ex hoc impetraret vitæ E lõgitudinem. Sic nunc & Dauid, vt impetret veniã pro ſe & populo ſuo, &c. dic vt N. Quãtum ad ſenſum propheticum, ſciendum quòd in iſto Pſal. Dauid loquitur non in perſona propria, ſed in perſona totius corporis Chriſti, quod eſt eccleſia. Sic enim omnes homines ratione vnitatis fidei & charitatis ſunt vnus homo: ſicut etiã omnes ſunt vnũ templum Dei. Sicut omnibus iuſtis ait Apoſtolus,

*4. Reg. 20.*

Tem-



*1. Cor. 3.* plum Dei ſanctũ Dei eſt, quod eſtis vos. Omnes enim qui credunt in Chriſtum, & ſic credũt vt diligant, tãquam lapides viui ſunt, de quibus templum Dei ædificatur: hoc eſt templũ ſpirituale, vbi rogatur Deus & exaudit. Quiſquis enim extra hoc templum orauerit Deum, non exauditur ad gloriã: etiamſi exauditur ad quædam temporalia. Ad vitã autem æternam non exauditur, niſi qui templum Dei eſt, & in tẽplo Dei orat: id eſt, in vnitate eccleſiæ & corporis Chriſti. quod corpus Chriſti conſtat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Sic ergo hic loquitur Pſalm. in perſona omnium iuſtorum, tanquam vnus homo & tãquam vnum Chriſti corpus. Oſtendit in iſto Pſalm. duodecimũ gradum aſcenſionis ſpiritualis, qui eſt humilitas: quam oſtendit habendam intus & extra: in corde & in exterioribus ſignis. Vnde tota huius Pſal. intẽtio eſt mouere nos ad humilitatem. Pſalmus ergo iſte diuiditur in partes tres: quia primò humilitatem habendam ſuo exemplo proponit: ſecundò pœnam debitam non habentibus proponit: ibi, *Si nõ humiliter:* tertiò humilitatis fructum (ſcilicet ſpẽ) cõcludit: ibi, *Speret.* Prima in duas: quia primò agit de humilitate interiori: ſecundò de humilitate exteriori: ibi, *Neque ambulaui.* Quantum ad primum, ſciẽdum quòd humilitas interior ſtat in corde, circa quod verſantur contraria: ſcilicet vitium & virtus: quæ ſic ſe habent quòd poſitio vnius eſt priuatio alterius: & negatio vnius eſt alterius poſitio. ſicut patet de gratia & peccato: quia poſitio gratiæ infert purgationem peccati: & negatio gratię, peccati poſitionem: & econtrario. Sequitur enim, iſte eſt in gratia: ergo non eſt in peccato. Similiter, iſte nõ eſt in gratia: ergo eſt in peccato. Sic eſt enim de omnibus contrariis immediatis, circa ſubſtantiam aptam natam ad iſta. De quorum numero ſunt humilitas & ſuperbia circa cor: quia omne cor quod habet humilitatem, caret ſuperbia: & omne quod caret ſuperbia, humilitatem habet. Sic ergo & hic Pſalm. arguit à negatione ſuperbiæ ad humilitatis poſitionem: dicens, *Domine non eſt exaltatum cor meũ:* ex hoc volens inferre per contrarium, humiliatum eſt cor meum. Et quãtum ad literam, iſta ſunt verba Dauid, quando volens veniam obtinere de peccato adulterij & homicidij, neſciuit melius ſacrificium Deo reddere quàm cordis humilitatem. Propter quod dixit Deo, Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem. Sed ſcio quòd holocauſtis (ſcilicet animalium victimis) nõ delectaris. Sed ſacrificium tibi placitum eſt ſpiritus contribulatus: cor cõtritum & humiliatum Deus non deſpicies. Vnde hic ait Aug. Satisfacere volebat Dauid Deo pro peccatis ſuis: propitiare illum volebat, vt acciperet remiſſionem peccatorum. Et quaſi quærens vnde illum propitiaret ait, Scio quòd holocauſtis non delectaris. Ergo ſuperfluè quærerẽ arietes, tauros, aut aliquã talem victimã. Quid ergo? ſine ſacrificio placatur Deus? Certè minimé. Sed quod eſt ſacrificiũ quo placatur? Audi quod ibi ſequitur, Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus &c. Si ergo humiliatum cor, ſacrificium Deo eſt: ille verum ſacrificium obtulit qui dixit, *Domine non eſt exaltatum cor meum.* Vis autẽ ſcire quis habet cor humile, & quis ſuperbũ? Audi Gregor. dicentẽ, Sancti & humiles viri aliena opera etiã parua mirãtur: ſua autẽ opera etiam magna deſpiciũt. At cõtrà, arrogãtes aliena etiã magna deſpiciũt: ſua verò quę parua ſunt, admirãtur. Et plerũq; de ſuis malis bona extimãt: de alienis autẽ bo-

*Humilitas & ſuperbia mutuò excludunt.*

*Humilitas verũ ſacrificium.*

*Pſal. 50.*

*Gregor. 26. moral. c. 33. Humiliũ & ſuperborũ differentia.*

A nis mala ſentire nõ ceſſant. Nã dũ propriam gloriã quærunt, pernicioſè ſtudẽt, vt quicquid virtutis ab aliis agitur, iniquitatis nota laceretur: & bonæ actionis põdus vertũt in maculam criminis &c. Ex quibus apparet, ſeu poteſt ꝓbari, ꝙ Dauid habuit cor humile & oculos non elatos: quia aliorũ opera etiã parua magna reputabat: ſua aũt etiã magna reputabat parua. Quod oſtẽdit Greg. dicẽs, Dauid de ſe ſemper humilia ſentiẽs, & ipſi Saul ſe cõparatione poſtponens, poſtquã feriẽdi locũ reperit, & pepercit eidẽ ſęuiẽti aduerſario, humili ſe profeſſione proſtrauit: dicẽs, Quem perſequeris rex Iſrael? quẽ perſequeris? canem mortuum & pulicem viuum. Et certè iam vnctus in regem fuerat: iam exorante B Samuele, & cornu ſuper ſe oleo fundente didicerat quòd eum diuina gratia, Saule reprobato, ad regni gubernacula poſſidenda ſeruabat. Et tamen perſequente aduerſario mente ſe humili proſternente, cui diuino iudicio prælatũ ſe eſſe nouerat: illi itaq; ſe humiliter proſternebat cui per electionis gratiã incomparabiliter nouerat ſe eſſe meliorem. Diſcãt ergo quomodo humiliari ſe proximis debeant, qui adhuc quo loco habeantur apud Deum neſciunt: ſi ſic etiam ſe electi illis humiliant, quibus iam ſe per interna iudicia antepoſitos deprehendũt. Hoc enim proprium ſemper electorum ſpęctamen eſſe ſolet quòd de ſe ſemper ſentiunt infrà quàm ſint. Hinc namq; ab eodem dicitur, *Domine non eſt exaltatum cor meum* &c. *neque ambulaui in magnis.* &c. *Neque elati ſunt oculi mei.* Hic enim per oculos totum C hominem vult intelligere. Tanta eſt enim cõnexio membrorũ adinuicem in vno corpore, quòd quicquid agit vnũ membrũ, in illo agit & aliud membrum. Vt puta, oculus videt, nõ ſolùm ſibi, ſed etiã cæteris membris. Vnde & pes videt, nõ in ſe, ſed in oculo: & ſic de aliis. vt deducit hic Auguſt. dicens, Dominus noſter qui nouit quid cui tribuat, & vt ſeruetur compago corporis in pace: alloquitur eccleſiam per Apoſtolum, dicens, Non poteſt dicere oculus manui, Opus te nõ habeo: aut caput pedibus, Opus vobis nõ habeo. Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Ergo in mẽbris veſtris, fratres, videtis quomodo ſingula ſuum officium habeant membra. Oculus videt, & non audit: auris audit, & non videt: manus D operatur, nec audit, nec videt: pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit. Sed in vno corpore ſi ſit ſanitas, nec aduerſum ſe litigent, & auris videt in oculo, & oculus audit in aure. Nec obiici poteſt auri quia nõ videt: vt dicatur ei, Nihil es, minor es. Nunquid videre & diſcernere colores potes, quod facit oculus? Reſpondet enim auris de pace corporis, & dicit, Ibi ſum vbi eſt oculus: in eo corpore ſum, in me non video, in illo cũ quo ſum video. Ita cũ auris dicit, Oculus mihi videt: oculus dicit, Auris mihi audit: oculi & aures dicunt, Manus nobis operantur: manus dicunt, Oculi & aures nobis vident, & audiũt: oculi, aures & manus dicũt, Pedes nobis ambulãt. Omnia ergo in vno corpore cũ operãtur, ſi ſit ibi ſanitas & cõcordẽt membra, gaudẽt E & cõcordant ſibi &c. Ex quibus apparet ꝙ tãta eſt cõcordia membrorum, ꝙ ſi vnũ infirmatur, & cætera cõpatiendo infirmãtur. Cõſimiliter & in ſpiritualibus: ſi vnũ membrum peccat, cætera propter vnionẽ ſpiritus peccare dicũtur. Et ſic ſi oculus nõ eſt clarus, & cætera membra nõ ſunt clara. Sic ergo totum corpus ſanũ habet, qui dicere poteſt, *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.*

*Gregor. 34. moral. cap. 15.*

*Membra officia ſua ſibi adinuicẽ cõmunicant. Oculus videt omnibus mẽbris.*

*1. Cor. 12.*

*1. Cor. 12.*



Neque

## 2328 Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.

Hîc agit de humilitate exteriori. Vbi nota ꝙ ille in magnis ambulat & in mirabilibus ſuper ſe, qui vult hominibus apparere vltrà quàm ſit: qui magis appetit apparere quàm eſſe: quales ſunt hypocritæ. Iſto modo Simõ magus in magnis ambulauit, & in mirabilibus ſuper ſe, quãdo videns ꝙ per impoſitionẽ manus Apoſtolorum dabatur ſpiritus ſanctus, voluit emere pecunia gratiã & poteſtatem illã: non tamen volebat eſſe Chriſtianus: vt hic deducit Auguſt. dicens, Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat ſuper ſe, quãdo plus eum delectauit potẽtia Apoſtolorum, quàm iuſtitia Chriſtianorũ. At vbi vidit per manus impoſitionẽ Apoſtolorum & per orationes eorum Deum dare ſpiritum ſanctum: & tunc per miraculum demõſtrabatur aduentus ſpiritus ſancti, vt linguis loquerentur quas nõ didicerãt omnes ſuper quos veniebat ſpiritus ſanctus: voluit talia facere, nõ talis eſſe: & pecunia putauit comparandum ſpiritum ſanctum.

*Ambulant in magnis ſuper ſe ſuperbi & hypocritæ.*

*Matth. 21.*

Erat ergo de talibus qui templum intrant ad emẽdum & vendendum. Emere enim volebat, quod vẽdere diſponebat. Nõ ergo de talibus erat qui dicebat, *Neque ambulaui in magnis* &c. Quaſi dicat, qđ exceſſit vires meas nõ quæſiui: nolui ibi magnificari: immò quanto maior gratia abundat in homine, tanto amplius debitor eſt Deo, & magis humiliari debet, dicente Sapiente, Quanto maior es, humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiã. Sed inſurgit dubium. Cum enim dicat ſcriptura, Laudet te alienus, & nõ os tuum; extraneꝰ, & nõ labia tua. Quomodo ergo hic Dauid ſe tam mirabiliter laudat: dicens, *Domine nõ eſt exaltatũ* &c. *Neque ambulaui in magnis?* &c. Ad hoc reſpõdetur primò quòd Dauid hic loquitur in perſona corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, quod omnes laudare tenentur: ſecũdò quia licitum eſt quãdoq; iuſtis ſua laudare opera, non quidẽ per ſuperbiã eleuãdo, ſed per hoc magis in ſe gratiã Dei cognoſcẽtes, ſeipſos humiliãdo, & alios per ſua exẽpla ad bonũ inuitãdo: propter qđ dicit Ieſus Apoſtolis, Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videãt opera veſtra bona &c. Vnde ait Grego. Sicut enim grauis culpa eſt hominẽ ſibi arrogare quod non eſt: ſic plerunq; culpa nulla eſt ſi humiliter bonũ dicat quod eſt. Vnde Ezechias rex cũ moleſtia corporis afflictus ad extremitatẽ vitæ perueniſſet, in oratione cõpunctus dixit, Obſecro domine memẽto mei, quomodo ambulauerim corã te in veritate & in corde perfecto. Nec tamẽ dominus hãc cõfeſſionem perfectionis eius deſpexit aut renuit, quẽ mox in ſuis precibus exaudiuit. Vide ergo ꝙ Phariſæus ſe iuſtificauit in opere, dicẽs, Gratias ago tibi domine, quia nõ ſum ſicut cæteri hominum &c. Ezechias ſe iuſtũ aſſerit in cogitatione, atq; vnde ille Deũ offendit, inde iſte Deũ placauit. Cur itaq; hoc, niſi quia omnipotẽs Deus ſingulorũ verba & cogitationes pẽſat: & in eius auribus ſuperba nõ ſunt, quæ humili corde proferuntur? Sic & cõformiter Dauid indulgẽtiã à Deo poſtulans, ſuas virtutes exprimit quibus Deũ placare cupit; dicens, *Domine nõ eſt exaltatũ cor meum* &c. Sic & ſeruus qui ſemper fidelis fuit domino, & ſi ſemel in aliquo deficiat, ne totaliter expellatur, ſuã fidelitatẽ domino humiliter cõmemorat, dicẽs, Memẽto quàm fideliter ſeruierim tibi. Notãdũ ꝙ ambulãt in magnis, qui vitia ſupra ſe conſtituunt: & pro magno qui illa imitãtur, quibus ſubiiciũtur. Et iſti quãto magis ambulare nituntur, tãto amplius implicãtur. Sicut enim auis reti illaqueata, quãto amplius ambulare nititur, tãto plus implicatur: ſic & cõformiter de ambulatione peccatorum. Vnde de quolibet tali dicitur Iob 18, Miſit in rete pedẽ ſuũ, & in maculis eius ambulat. Quod ad propoſitũ exponens Gregor. dixit, Qui pedes in rete mittit, nõ cùm voluerit eiicit. Sic qui in peccatis ſe deiicit, nõ mox vt voluerit ſurgit. Et qui in maculis retis ambulat, greſſus ſuos ambulãdo implicat. Et cum ad ambulandũ nititur, ne ambulet amplius alligatur. Sæpe nãq; cõtingit vt quis huius mũdi delectatione perſuaſus, vt in eo ad honoris gloriã pertingat: vt ad deſideriorũ ſuorũ effectũ perueniat: & ſe perueniſſe ad hoc quod deſiderauit lætetur. Sed quia bona mundi nõ habita in amore ſunt, & plerunq; habita vileſcunt: percipiendo diſcit quàm ſit vile, quod appetiit adeptũ. Sed ipſa eũ dignitas quæ implicat, tenet: & ſine culpis aliis effugere non valet hoc, vbi non ſine culpa peruenit. Immiſit ergo iſte in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulauit: quia cùm ſe expedire nititur, tũc veraciter cõſpicit quàm duris nexibus tenetur. Neq; enim verè obligationem verã cognoſcimus, niſi cùm euadere nitentes quaſi leuare pedes conamur. Et quia quãto magis tales conantur ſe explicare, tanto amplius ſe implicant. Ideo de talibus dicitur, In circuitu impij ambulant.

*Quæſtio.*

*Prouerb. 27.*

*Laudare ſeipſum poteſt iuſtus.*

*Matth. 5.*

*Gregor. 12. moral. c. 16.*

*Eſaiæ 38.*

*Lucæ 18.*

*Ambulare peccatorũ implicat eos.*

*Gregor. 14. moral. c. 4.*

*Pſalm. 11.*

## 2329 Si non humiliter ſentiebã: ſed exaltaui animam meam.

Hic oſtendit pœnã non humilibus debitam. Et primò oſtendit qui ſunt qui vera humilitate carẽt: ſecundò pœnam quam ſuſtinere debent: ibi, *Sicut ablactatus eſt*. Quantum ad primum, ſciẽdum quòd ſicut magnũ ſignũ humilitatis veræ eſt ſeipſum cognoſcere, beneficia Dei ſibi exhibita recognoſcere, & pro illis Deo ſe humiliando gratias agere: ſic per oppoſitũ ſignũ eſt magnæ ſuperbiæ beneficia recepta non recognoſcere à benefactore ſuo: ſed in illis ſe magis exaltare, & illa ſibi attribuere. Et hoc eſt quod declarãs Pſal. dicit, *Si nõ humiliter ſentiebam* &c. Quaſi dicat, Tũc nõ erã verè humilis, ſed multũ ſuperbus, ſi nõ humiliter ſentiebam: id eſt recognoſcebã beneficia à Deo mihi data: ſed magis exaltaui animã meã in illis, ſcilicet illa mihi attribuendo, in illis gloriando. Sicut qui ſanitatem corporis habent, ſi non Deo ſed ſibi attribuũt dicentes, Meritis meis ſanitate fruor, quia debitè viuo. Diuites ſibi attribuũt diuitias, quia ſunt ſoliciti: ſic doctores ſcientiam, quia ſunt ſtudioſi &c. Tales enim nõ ſunt humiles, ſed ſuperbi: quia non humiliter ſentiunt Dei beneficia, ſed in illis ſeipſos exaltant. Vis autem videre quia ſanitas non eſt ex debito viuere tuo, nec diuitiæ, ex ſolicitudine tua, nec ſcientia, ex ſtudio, & ſic de aliis: ſed iſta à Deo poſſides? Conſidera quàm multi ſicut tu debitè viuũt, parcè comedẽdo & potando, à nociuis abſtinẽdo: qui tamẽ corporis infirmitate grauantur: quàm multi æquè ſolicitãtur vt tu, & tamen ſemper inopes manent: q̃ multi ſicut tu ſtudio ſunt intenti, & tamẽ in ſciẽtia non poſſunt proficere. Vnde ergo iſta diuerſitas, niſi quia iſta ſunt dona Dei, quæ quibus vult ad libitũ diſtribuit? Ergo illa debes humiliter ſentire & recognoſcere à Deo, & non in illis te exaltare: quia ſi non humiliter iſta ſentis, ſed teipſum exaltas: ſuperbus es, & non humilis. Vel aliter: vt dicatur ꝙ hic

*Superbus eſt omnis ingratus.*



hic Pſal. volens affirmare ſe verè fuiſſe humilem, modo vſitato hominum loquitur: qui volẽtes aliquid affirmare dicunt, Si hoc non eſt verum, non iuuet me Deus: & ſimilia. Sic modò conformiter Pſalmiſta, quia ſuperius dixit, *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque* &c. Hoc nunc per modum imprecationis mali ſi hoc non ſit verum, affirmat dicẽs, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui.* &c. *fiat retributio in animam meam.* Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Si non humiliter ſentiebam* &c. Videtis Pſalmiſtam velut maledicum ſe aſtrinxiſſe quemadmodum in alio Pſalm. dicit, Si reddidi retribuẽtibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Sic videtur hic dixiſſe, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Quaſi dicat, Iſtud mihi contingat, quomodo & ibi, Si reddidi retribuentibus mihi mala, contingat mihi illud. quid? vt decidam meritò ab inimicis meis inanis. Sic & hic, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meam, quemadmodum qui ablactatus eſt à lacte ſuper matrem ſuam: ſic fiat retributio in animam meam.* Quæ autem pœna ſit ablactati ſuper matrem ſuam, in ſequenti verſiculo dicetur.

*Pſalm. 7.*

## 2330 Sicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam: ita retributio in animam meam.

Hîc explicat pœnam non humilibus debitam, quam ſibi imprecatur ſi humilis non fuit. Vbi notandum quòd ſicut confidentes bene de cauſa noſtra ſolemus dicere, Si non habeo iuſtitiam, hoc malum vel illud eueniat mihi. Sic hic facit Pſalm. dicens, Si non humiliter ſentiebam, hoc eueniat mihi, vt ſim ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam. Sicut enim puer incumbens ſuper matrem ſuam, indigens foueri lacte matris, perit ſi ablactetur & à lacte ante tempus remoueatur, cum nondum cibũ alium capere poſſit: ſic & hic Pſal. huic maledicto ſe aſtringit: dicẽs, *Ita retributio fiat in anima mea*: id eſt vt peream ſicut perit ablactatus ſuper matre ſua: & hoc, *ſi non humiliter ſentiebam.* Vel aliter, vt hic notat gl. ex verbis Auguſt. Pſalmiſta hic vtitur ſimilitudine ablactati in maledicto, agens de eccleſia in figura matris lactãtis. Vbi ſciendũ quòd ſicut quinque tempora notantur in carnali procreatione filiorum & educatione: ita & in ſpirituali. In carnali enim procreatione filiorum & alitione iſta ordinatè ſe habent: quia prius concipimur in vtero: ſecũdò ibidem alimur & nutrimur: tertiò inde in lucem edimur, & per natiuitatẽ producimur: quartò manibus matris geſtamur & lacte nutrimur: quintò ablactati ad mẽſam patris accedimus, & pane aliiſque cibis nutrimur. Primum eſt tẽpus conceptionis: ſecũdum in vtero alitionis: tertium emiſſionis: quartũ portationis & lactationis: quintũ eſt ablactationis. Ita conſimiliter eſt in procreatione ſpirituali: quoniam in vtero matris eccleſiæ primò cõcipimur, dum per catechiſmũ primò fidei rudimẽtis inſtruimur: ſecundò in eiuſdẽ eccleſiæ vtero alimur, dum in eiſdem fidei primordiis inſtructi proficimus: tertiò in lucem edimur, cum per baptiſmũ regeneramur: quartò manibus eccleſiæ portamur & lacte nutrimur, cũ poſt baptiſmum bonis operibus informamur, & lacte ſimplicis doctrinæ proficiendo nutrimur: deinde grãdiuſculi effecti & in primordiis fidei bene inſtructi à lacte matris ſeparamur, & ad mẽſam patris ducimur: id eſt à ſimplici & humili doctrina verbi, qua prædicatur Verbũ caro factũ eſt: accedimus ad ſpeculãdũ ipſum verbum, quod in principio erat apud Deũ. Sed multi hunc ordinẽ volentes peruertere, in errorẽ ducuntur, & pereunt, ne filij eccleſiæ amplius dicãtur: vt hæretici & ſchiſmatici, qui ſe ante tẽpus à lacte matris eccleſiæ ſeparãtes æſtimãtur, & in diuerſas hæreſes cadũt, volẽtes antè docere quàm diſcere. Vnde in ſcientia & in factis fidei quilibet prius debet humiliter ſentire & addiſcere velle antequam ablactetur: id eſt prius bene doceri de Chriſti humanitate, antequam ab huius lacte ad verbũ patris ſpeculãdum accedat. Dicit ergo Pſal. hoc ſibi malum imprecãdo, ſi prædictum ordinẽ nõ ſeruauit, *Ita retributio fiat in anima mea, acſi eſſem ablactatus ſuper matrem meã*: id eſt dum adhuc indigerẽ ſtare ſuper matrẽ meã & eius lacte nutriri: id eſt primordiis fidei edoceri, ſi ab illis ſim admotus, vt illis prętermiſſis ad diuinitatẽ verbi velim accedere: hoc fiat mihi, vt corruam à fide eccleſiæ, ſicut hæretici cadunt de ſua ſciẽtia nõ humiliter, ſed ſuperbè præſumentes. Vnde notãdũ quòd in fide nouiter regenerati primò debent nutriri lacte humanitatis Chriſti, antequam ſint idonei capere panẽ diuinitatis eius. Sicut etiã apparet per ſimile in nutrimẽto corporali. Nã panẽ ſolidum & cibũ mater manducat, qui panis per mamillas matris in lac conuertitur, vt ſit in alimentũ infantis paruuli. Sic ſuo modo verbũ Dei panis eſt ſolidus, & cibus angelorũ, quo angeli nutriũtur & nutriebãtur ante Chriſti incarnationem: ſed vt poſſet fieri cibus fideliũ, ipſum verbũ lac eſt factum dum noſtrã humanitatẽ aſſumpſit, vt panẽ angelorum manducaret homo: vt ſcilicet per carnem panis cœleſtis tranſiret ad infantes. Et ſecundum hoc (id eſt ſecundum humanitatẽ) verbũ crucifixum eſt: nõ quidẽ mutatum in homine, ſed homo mutatus eſt in illo, vt melior fieret quàm erat: nõ vt ipſa ſubſtãtia verbi cõuerteretur. Et ſic Chriſtus per illud quòd homo erat, mortuus eſt Deus: & per illud quòd Deus erat, homo excitatus eſt, & reſurrexit. Quicquid paſſus eſt homo, non poteſt dici nõ paſſus Deus, quia Deus erat homo: ſed non mutatus in homine. Quomodo te non potes dicere non paſſum iniuriam, ſi veſtis tua conſcindatur: quamuis veſtis tua non ſit tu? Multo magis quicquid patitur caro Chriſti vnita verbo, debet dici pati Deus: quamuis verbũ nec mori potuerit, nec corrumpi, nec immutari: ſed quicquid horum paſſus eſt, in carne paſſus eſt. Dominus igitur Chriſtꝰ panẽ angelorũ fecit lac incarnatus & apparẽs mortalibus. Dicat ergo Pſal. Nõ feci ſicut faciunt hæretici, qui humiliter ſentire nolũt, ſed ſeipſos exaltãt: quia ſi aliquid in principio ceperint vel viſi ſint capere de primordiis fidei, cum adhuc teneri ſint, & ſuper matrẽ eccleſiã ſint, & portẽtur manibus eccleſię, & lacte, id eſt plana ſciẽtia humanitatis Chriſti imbuantur: tamen de ſcientia ſua præſumentes, à lacte matris ante tẽpus ſeparãtur: vnde extinguũtur & in errorẽ cadunt: dicit Pſal. Hoc ego nõ feci. *Vnde ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meã:* (vt ſcilicet faciunt) *fiat retributio in anima mea*: ſicut ſcilicet fit illi qui ablactatus eſt, habens adhuc neceſſe incumbere ſuper matre ſua, & eius lacte nutriri. Et ſic confidens de humilitate ſua aſtringit ſe maledicto. Iſto modo imprecationis loquebatur Iob confidens de iuſtitia ſua: dicens, Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi bucellam ſolus, & non comedit pupillus ex eá &c. humerus meus à coniunctura ſua cadat: & brachium meum cum

*Generationis ſpiritualis modus.*

*Ioan. 1.*

*Lacte ſpiritualiter primò nutrimur quàm pane.*

*Panis angelorum quomodo factus eſt lac paruulorum.*

*Iuſtus confidẽs de ſua iuſtitia, imprecãdo ſibi malum illũ oſtẽdit.*

*Iob 31.*

*Gregor.21. moral.c.15.*

ſuis oſſibus conteratur. Vbi Gregorius, dicit, Acſi apertè dicat, Si ea bona quæ dixi operari renui, ipſum quod ad operandum mihi datum eſt corporis membrum perdam: vt ſcilicet cadat à corpore, quod exercere nolui ad vtilitatē. Tales enim locutiones ſunt ſignũ magnæ cõfidentiæ loquētis.

2331 Speret Iſrael in domino, ex hoc nũc & vſque in ſæculum.

Hîc ponit humilitatis ſummam & concluſionē. Vbi aduerte quòd magnũ ſignum humilitatis eſt, omnia aduerſa patienter tolerare & proſperis non eleuari. Quod maximè in nobis perficit virtus ſpei: quia cum ſpes ſit virtus media inter fidem & charitatem, & medium participet naturam extremorũ: conſequens eſt, vt qui habet ſpem, habeat & charitatem & fidem. Qui autem habet charitatē, omnia ſuffert patiēter. Vt ergo Pſalm. omnes ſuo exēplo ad virtutem humilitatis inducat, omnibus virtutem ſpei proponit: dicens, *Speret Iſrael in domino.* Vbi notandum quòd meritò ſperandum eſt in domino: quia ſpes & confidentia in Deo habita multa bona facit: vide verſic. 133. Quamuis enim ſpes in temporalibus deficiat, nunquam tamen deficit ſpes habita in domino: vide verſic. 443. Spes inter alia bona patiētiam præſtat in aduerſis: verſic. 694. Et nota quòd ſpes maximè eſt neceſſaria tribus generibus hominum: verſic. 1138. Et ſolùm in domino ſperandũ eſt, non in angelis: verſic. 2055. 2056. Quibus omnibus conſideratis ait Pſalm. *Speret Iſrael in domino.* Sed quantum iſta ſpes durare debet, notat dicens, *Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum:* id eſt vſque quò veniamus ad ipſum Deum habendũ: quia habita re deficiet ſpes, ſicut viſo Deo deficiet fides. Vnde hic ait Auguſt. Non ſemper ſæculi nomen hoc ſæculum ſignificat, ſed aliquãdo æternitatem: ſicut Pſalm. dicit, Dominus regnabit in æternũ, & in ſæculum ſæculi. Æternum autem duobus modis intelligitur. Vnde cum dicitur, Vſque in ęternũ: id eſt aut ſemper ſine fine, aut quouſque veniamus ad æternitatē. Hic ergo *vſque in ſæculum ſæculi* intelligendum eſt quouſque veniamus ad æternitatem, ſperamus in domino: quia cum venerimus ad ęternitatem, ſpes non erit, ſed ipſa res erit.

*Spes omnem voluntatē cõtinet.*

*Sæculũ accipitur multipliciter.*

*Pſalm 9.*

## PSALM. CXXXI.

2332 MEmento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.

Titulus huius Pſalmi eſt vt aliorum Pſalmorum gradualium: ſcilicet Cãticum graduum. Et quamuis ex titulo non appareat, quis huius Pſal. auctor fuerit: tamen ipſum Dauid fecit. Vbi ſciendũ quòd (vt dicit Rabbi Salomon) Dauid præuidens ſpiritu prophetico, quæ ventura erant Salomoni regi filio ſuo, quem ædificato templo voluit arcam domini in templo ponere: fecit iſtum Pſalmum ad ſibi ſuccurrendum. Vnde dicit quòd conſtructo tēplo per regem Salomonem, cum arca domini portaretur à ſacerdotibus vt poneretur in tēplo in ſancto ſanctorum, portæ tēpli à ſeipſis ſe clauſerũt: nec apertę fuerunt, donec ſacerdotes iſtum Pſalmum canentes, ſcilicet *Memento domine Dauid* &c. venerunt ad locum illum, *propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui:* ſcilicet Salomonis regis in regem vncti. Et quando fuerant ad illum verſiculum, portæ templi à ſeipſis ſe aperuerũt, & arca domini fuit introducta, & in locũ ſuum poſita. Dauid iſta præuidens prophetico ſpiritu, fecit duos Pſal. ſcilicet Pſalmũ 23, Domini eſt terra: & iſtum 131, ſcilicet *Memento domine Dauid.* In iſto autem Pſalm. de duobus principaliter, quo ad literam, agit Dauid: ſcilicet de deuoto propoſito quod habuit ad ædificandum templũ domini: & de promiſſione ſibi à Deo facta de ſucceſſione regni in filiis ſuis. Et ſecũdum iſta duo Pſalm. iſte habet duas partes: quia primò agit de primo: ſecũdò de ſecũdo: ibi, *Iurauit dominus.* De quibus duabus habetur 2. Reg. 7. Prima pars diuiditur in duas: quia primò ponitur deuotio Dauid erga templi ædificationem: ſecundò erga arcę domini trãſlationem: ibi, *Ecce, audiuimus* &c. Dic vt Nicolaus de lyra. Quãtum ad ſenſum propheticũ, notandum quòd in iſto Pſalm. qui inter graduales eſt tertiuſdecimus, Pſalm. ponit tertiumdecimum gradum aſcenſionis ſpiritualis: qui eſt ſe templum Dei fabricare, vt Deus habitet in ipſo. Et iſtũ gradum meritò præcedit gradus duodecimus, qui eſt humilitatis: de quo in præcedenti Pſalm. actũ fuit. Quoniam ſolũ in humili mente habitat Deus, non in domibus manu factis: propter quod ait, Cœlũ mihi ſedes eſt: & terra ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt ergo iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? Omnia hæc manus miſericordia fecit. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritũ ſpiritu & trementem ſermones meos? &c. Ad lætitiam enim in iſto Pſalm. Dauid humilis & mãſuetus agit de ædificatione templi: per quod nos ſpiritualiter monet vt nos templum domino per veram humilitatē ædificemus: quia per humilitatē fit quis ſpiritualis Dei domus. Templũ enim Dei dicitur anima iuſti: vide verſic. 751. 136. Quibus viſis, ad diuiſionē Pſal. accedo: qui Pſal. diuiditur in partes tres. Quia primò oſtendit modum templi ædificandi: ſecundò oſtēdit ſtatum templi ædificati: ibi, *Ecce, audiuimus:* tertiò oſtendit promiſſiones factas templum ædificanti: ibi, *Iurauit dominus.* Prima pars diuiditur in partes quinq;: ſecundum quòd quinq; oſtēdit neceſſaria, vt nos templum faciamus domino. Primũ eſt manſuetudinis humiliatio: ſecũdum diuinitatis imploratio: ibi, *Sicut iurauit:* tertium propriæ voluntatis abdicatio: ibi, *Si introiero:* quartum voluptatum caſtigatio: ibi, *Si dedero:* quintum ſtabilitatis perduratio: ibi, *Et requiem* &c. Primò ergo requiritur manſuetudinis humiliatio, quam nobis Dauid ſuo proponit exēplo: dicens Deo, *Memento domine* &c. Quãtum enim ad literam, tantæ mãſuetudinis & humilitatis fuit Dauid, vt cùm perſecutorem ſuum Saul haberet in poteſtate ſua, nihil ei mali voluit facere: ſed magis ipſum per humilitatem ſtuduit placare, vt habetur 1. Reg. 24. Cuius manſuetudinē hic admirans Auguſt. ait, Dauid enim ita manſuetus fuit, vt nec perſecutori ſuo Sauli malum pro malo reddiderit: ſed tãtam humilitatem ſeruauit erga eum, vt illum regem nominaret, ſe autem canem. Et cũ eſſet in Deo potentior ipſo, nõ ſuperbè regi reſpõdit: ſed eum potius placare affectabat humilitate, quàm ipſum cõcitare ſuperbia. Etiam in poteſtate datus eſt ei Saul: & hoc à domino Deo, vt ei faceret quidquid vellet. Sed quia non præceptum erat illi vt occideret eum, ſed tantum in poteſtate datus illi erat: quamuis ſibi poteſtate ſua vti liceret, ad lenitatem potius deflexit poteſtatē quam ei dominus cõceſſit. Si enim occidiſſet eum, caruiſſet inimico. Sed quomodo diceret, Dimitte mihi debita, ſicut ego dimitto debitoribus meis? In ſpeluncã intrauit

*Porta templi quomodo ſe clauſerunt & aperuerunt.*

*Eſaia 66.*

*Manſuetudo & humilitas Dauid.*

*Matt. 6.*



uit Saul vbi erat Dauid, neſciens quòd ibi eſſet Dauid. Surrexit Dauid planè & lētè poſt ipſum: præſcidit illi de veſte panniculum quē illi oſtēderet, vt noſceret quia habebat ipſum in poteſtate: & nõ ei neceſſitate ſed voluntate pepercit, & noluit occidere. Et iſtã manſuetudinē modò nobis cõmendat, dicēs Deo, *Memento domine Dauid & omnis mãſuetudinis eius.* Suo ergo exēplo nos Dauid ad humilitatē & manſuetudinē prouocat. Sed hic iuxta ſenſum propheticũ, per Dauid, qui eſt manu fortis, intellige Chriſtũ: qui mãſuetudine vicit diabolum. Sęuiebat diabolus & furebat: victus eſt qui furebat, vicit qui ſufferebat. Vt autē videamus quid propriè ſit manſuetudo: eſt notãdũ quòd circa omnia illa circa quę cõtingit ſuperabundare & deficere, eſt dare virtutē mediã per quã dirigatur ad medium & ad bene agēdum. Circa autem iniurias & mala nobis illata iſta cõtingunt: quia aliqui in illatis iniuriis ſuperabundãt, vt iracũdi nimis vindictã appetētes. In talibus enim multũ accēditur eorũ ſanguis circa cor: quo accēſo iraſcuntur, & ſecundũ magis & minus vindictã exquirũt. Et tales circa iniurias illatas ſuperabundant. Quidã verò ſunt iniraſcibiles, omnē iniuriã diſſimulãtes: quorum neutrum bonum eſt. Quoniam iraſci ſemper, & de qualibet offenſa vindictã appetere, vt faciunt iracundi, vituperabile eſt. Similiter nunquã iraſci, & nullo modo velle aliquē puniri, vituperabile eſt: quia cõtra ordinē rectæ rationis. Ratio enim dictat punitiones aliquas eſſe faciēdas. Oportet igitur dare aliquam virtutē reprimentē ſuperabundantiã, & excitantē defectũ. Hæc autē eſt mãſuetudo. Sic igitur mãſuetudo eſt virtus media inter irã, per quã cupimus vindicari pluſquã oportet: & iniraſcibilitatē, per quã de malis nobis illatis vindictã nunquã cupimus. Ille ergo mãſuetus dicitur, qui nec de omnibus cupit vindictã: nec in tantũ deficit à punitione quòd nullo modo velit malos puniri. Iſto ergo modo mãſuetus Chriſtus fuit, qui alapa percuſſus, in vindictã nõ exarſit, percutiendo percutientē: nec omnino malũ impunitũ dimiſit, dum reprehēdit percutientē: dicens ſibi, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me percutis?

*Manſuetudo quid ſit.*

*Ioan. 18.*

2333 Sicut iurauit dño, vouit Deo Iacob.

Hîc oſtendit ſecundum requiſitum ad ædificandũ ſeipſum tēplum domino: quod eſt auxilij diuini imploratio. Vbi ſciēdum quòd Dauid poſtquã aſſumptus fuit in regem, & habuit poſſeſſionē regni, & omnes vicinos ſuos qui primò inuidebãt regnũ eius, ſubiugauerat & fecerat tributarios: ipſe diſpoſuit in corde ſuo ædificare tēplum domino: vt habetur 2. Reg. 7. Et quia ſciebat ſe illud ædificare non poſſe ſine ſpeciali adiutorio Dei, ideo vt illud ædificare poſſet, auxilium Dei in iſto Pſalmo poſtulat: vt implere poſſit quod propoſuerat. Et hoc eſt quod ait, *Memēto domine Dauid* &c. ſ. vt tuo auxilio fultus adimplere poſſit quod in corde ſuo propoſuit: ſcilicet ædificare tibi tēplum. Voluntas enim deliberata & firmum propoſitũ apud Deũ pro voto & iuramēto reputatur: quia iuramētũ factũ & votũ emiſſum nõ ſunt niſi quædã exteriores atteſtationes interioris volũtatis: quibus nõ indiget Deus. Eſt ergo ſenſus, *Memento domine Dauid.* Ad quod te inducere debet virtus manſuetudinis eius, vt ædificare templum tibi poſſit: *Sicut iurauit domino:* id eſt ſicut propoſuit deliberatè in corde ſuo: quæ deliberatio pro iuramento & voto apud Deum acceptatur. Et ſic ad hoc faciēdum, diuinũ implorat auxilium, dicēs, *Memēto domine Dauid* &c. Vnde hic ait Aug. *Sicut iurauit domino, votum vouit* &c. Ad hoc ergo ait, *Memēto domine Dauid:* vt ſcilicet tuo adiutorio impleat quod promiſit. Ipſe Dauid promiſit & vouit tēplum ędificare domino in poteſtate hoc habēs, & rogat Deũ, vt perficiatur quod ipſe vouit: vt nemo præſumat viribus ſuis ſe Deo reddere quod vouit. Nam qui te hortatur vt voueris, ipſe te adiuuat vt reddas. Per hoc enim vult oſtēdere Dauid quòd ad perficiendũ votũ noſtrum quod Deo facimus, vt ſcilicet tēplũ eius eſſemus: ipſius Dei adiutorio indigemus. Quilibet enim fidelis hoc votum Deo fecit in baptiſmo: quãdo vouit, ſe diabolo, mũdo, vitiis & pompis renunciare ac vanitatibus: quod tamē votũ ſine Dei adiutorio nullo modo ſeruare poteſt. Vnde hic ait Aug. Quid nos vouimus Deo, niſi vt ſimus templũ Dei? Nihil gratius Deo poſſumus offerre, quàm vt tēplum Dei ſimus. Et tamē ad hoc implendũ dominum deprecatus eſt, dicens, *Memēto domine Dauid & omnis mãſuetudinis eius.* In hac mãſuetudine vouit votum, vt ſit domus Dei. Attēdendũ autē diligēter quòd iuramēta & vota facta, nõ ſolũ Deo, ſed etiam hominibus inuiolabiliter ſunt obſeruãda: quia ſi obſeruētur, reſpublica cõſeruatur. illis autē violatis, res publica diſſipatur. Narrat Titus Liuius in primo volumine, ꝙ Numa Põpilius rex Romanorũ ea pietate omniũ ciuiũ pectora animauit, vt fides ac iuſiurandũ ciuitatē regerēt. Et conſtat quòd quãdiu ciuitas ſic regebatur, quòd reſpublica Romana ſuper omnes alias augebatur: quãdo verò relictis fide & iuramento, ad dolos & periuria conuerſi ſunt, oportuit neceſſariò rēpublicã cadere. Vnde dicit Philoſophus de regimine principum, Quòd cauſa deſtructionis regni Aſſyriorũ fuit, ꝙ reges eorũ vtebãtur iuramētis ad fraudē & deceptionē hominũ & proximarũ ciuitatũ, frãgētes fidem & fœdera, quæ iuramētis fuerãt firmata ad hominũ ſalutē & vtilitatē. Cõſimiliter hæc fuit cauſa deſtructionis Carthaginis & ſui imperij: prout Carthaginenſes à Romanis deuicti, cõfeſſi ſunt. Vnde narrat Tuſcolionius de ſecũdo bello Punicorũ li. 10, ꝙ cũ Carthaginēſes fœdera primò cũ Romanis inita & iuramētis firmata violaſſēt, & poſtea in eodē bello victi peterēt pacta: vnus ſenator Romanorũ cũ videret ad miſericordiã erga Carthaginēſes animos aliorũ Romanorũ inclinari, infeſtus perfidiæ Carthaginēſiũ, exclamauit, dicēs, Per quos Deos fœdus nobiſcũ percuſſuri eſtis, quia illos per quos antè fœdus firmaſtis, fefelliſtis? Reſpõdit Aſdrubal, Per eoſdem: quoniã tantũ infeſti ſunt fœdera violantibus. Ideo dicitur, Vouete & reddite domino &c. & Matth. 5, Reddes domino iuramenta tua.

*Voluntas deliberata & propoſitum apud Deũ pro voto & iuramēto acceptatur.*

*Vota & iuramēta ſunt ſeruanda.*

*Pſal. 75.*

Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. 2334

Hîc ponit tertium requiſitum: ſcilicet propriæ voluntatis abdicatio. quia propriæ voluntati inniti, ſignum eſt ſuperbię: cum qua non habitat Deus. Tamen primò, quantum ad literam, notandum eſt quòd totus iſte textus vſque ad illum locum, *Donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob:* eſt ſub vno contextu verborum. Quaſi dicat Pſalmiſta. Iuraui domino, & votum voui Deo Iacob, quòd non introibo in tabernaculum domus meæ: quòd non aſcendam ſuper lectum ſtrati mei: quòd non dabo ſomnum oculis meis, quòd non dabo

dormitationem palpebris meis: quòd non dabo requiem temporibus meis: & hoc, donec inueniam (id eſt conſtruam) locum domino: ſcilicet tabernaculum Deo Iacob. Hoc eſt, donec ædificem templum domino: quod quandoque tabernaculum vocatur. Sic enim propoſuit Dauid firmiter facere: quãtum erat in ſe, ſuppoſita tamen voluntate Dei. Quod tamẽ opere nõ fecit: quia Deus ipſum prohibuit, eo quòd multum ſanguinem ſparſerat temporibus ſuis. Nec per hoc eſt intelligendum quòd interim nullo modo intraret domum ſuã, vel lectum ſuum, ſeu dormitaret: ſed quòd talia non faceret cum bona & perfecta quiete mẽtis, donec domum Deo faceret. In quo exprimit magnum ſuum deſiderium ad faciendum templum domino. Sic enim, ſecundum communem modum loquendi, dicitur de homine multum deſiderante finem alicuius negocij, quòd nõ bene dormiet, donec tale negocium compleuerit. Sed quia dominus prohibuit ipſum ædificare templum, ſed ſolum neceſſaria præpararet, & filius ſuus poſt ſuam mortem ipſum compleret: ideo à voto ſuo fuit abſolutus. Sic enim ſibi à domino dictum fuit, 2. Reg. 7, Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente pertractans: verumtamen tu non ædificabis mihi domum, ſed filius tuus &c. Quibus viſis, vado ad intellectum propheticum. Vt dicebam, hic oſtenditur quòd templum ſe Deo volens ædificare, non quæ ſua ſunt debet quærere: ſed voluntati propriæ renunciare. Quod notans dicit, *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* Vbi notandum quòd tabernaculum noſtrum dicitur illud in quo mẽs noſtra condelectata quieſcit. Et ſic cum quiſque ſecundum ſenſualitatem appetat ſibi proſpera, & fugiat aduerſa, tabernaculum cuiuſlibet vocabitur terrena felicitas. Et hoc tabernaculum intrare non debet ſe Deo volens facere templum: ſed magis temporalia à ſe abdicare & facere communia: vt tempore Apoſtolorum faciebãt credentes. Vnde hic ait Auguſtinus, Multi ne faciant locum domino, ſua quærunt, ſua diligunt, poteſtate ſua gaudent, priuatum ſuum commodum concupiſcunt, & ſic tabernaculum ſuum intrant. Qui autem locum vult facere Deo, non de priuato, ſed de communi debet gaudere. Hoc illi fecerunt qui tempore Apoſtolorum res ſuas priuatas fecerunt communes. Quod ſuum habebant, nunquid amiſerunt? Si ſoli haberent, vnuſquiſque ſuum haberet: & hoc ſolũ haberet quod ſuum habebat. Cum autem quod proprium erat, commune fecit, ea quę erant cæterorum, ipſius facta ſunt. Intendite, quia propter illa quæ ſinguli priuatim poſſidemus, exiſtunt lites, inimicitiæ, diſcordiæ, bella inter homines, tumultus, diſſenſiones, ſcandala, peccata, iniquitates, homicidia. propter quæ enim eueniunt iſta? Certè propter illa quæ ſinguli poſſidemus: ſed nunquid propter illa quæ cõmuniter poſſidemus, litigamus? Aërem iſtum communiter ducimus: ſolem communiter omnes videmus. Beati ergo qui ſic faciunt locum domino, vt priuato bono ſuo non gaudeant. Talem enim deſcribebat iſte qui dicebat, *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* Priuatum hoc erat; ſciebat priuato ſe impediri, ne faceret locum domino. Abſtineamus ergo nos, fratres, à poſſeſſione rei priuatæ, aut ab amore, ſi non poſſumus à poſſeſſione: & faciamus locũ domino. Ex quibus apparet quòd mali hic ſibi faciunt tabernaculum per amorẽ temporalium rerum: ſed non iuſti. Quod deducit Gregor. ſuper illo verbo Iob 4, Tabernaculum impiorum non ſubſiſtit, dicens, Tabernaculum quippe conſtruitur, vt ab æſtu & frigore corpus defendatur. Quid itaque tabernaculi nomine, niſi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur: per quam ſuper ſe caſura multiplicant, vt ſe à præſentis vitæ neceſſitatibus, quaſi ab æſtu & imbribus defendant? Honoribus namque excreſcere ambiunt, ne deſpecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabeſcant: & tota intentione ſatagunt, ne quid in præſentibus deſit. Student nomen dilatare, ne lateant. Et ſi cuncta ad deſiderium ſuppetãt, munitos ſe in omnibus, & felices putãt. Vbi ergo mentis habitationẽ cõſtruunt, ibi proculdubio tabernacula fixerũt. Aduerſa impatienter perferunt, & remiſſè lætantur in proſperis: ſola quæ aſſunt cogitant. Nec ad affectum cœleſtis patriæ vlla recordatione reſpirant. Gaudent ſibi ſuppetere bona quæ cupiunt, atque vbi carne requieſcunt, ibi & mentem extinguendo ſepeliunt: quia ſecularis curæ telo trucidati, terrenarum rerum aggerem, quem foras exquirendo multiplicant: hunc ſemper interius per cogitationem portant. At contrà iuſti nec oblata bona hic pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valde pertimeſcunt. Sed etiam cum bonis præſentibus hic vtuntur: & cũ de malis præſentibus gemunt, amore ſequentium conſolantur. Sicque temporali refouentur ſubſidio: ſicut viator in ſtabulo vtitur lecto, pauſat & recedere feſtinat, & requieſcit corpore. Iuſti itaque hic tabernaculum habere negligũt, vbi ſe peregrinos & hoſpites eſſe nouerunt. Et hoc eſt quod ait Pſalm. *Si introiero in tabernaculum domus meæ*: vt accipiatur ſi pro non: id eſt, non introibo in tabernaculum domus meæ. gloſa, quaſi dicat, non quæram quæ mea ſunt: ſed quæ Dei: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei*: id eſt non acquieſcam carni. Et bene dicit, *Si aſcendero*: quia bonum priuatum ſemper ſuperbos facit.

*Bonũ cõmune, nõ priuatũ, debet amari.*

*Act. 4.*

*Tabernaculũ dicitur terrena felicitas.*

*Greg. 8. mor. cap. 41.*

## Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. 2335

Hîc ponit quartum requiſitum: quod eſt voluptatum refrænatio. Vbi aduertendum quòd per ſomnum vel dormitationem qua caro requieſcit, peccati delectatio ſignificatur, in qua carnales requieſcunt; teſte Gregorio, dicente, Dormire namque eſt in peccatis iacere. Si enim ſomni appetitio culpa non eſſet, nequaquam Paulus diſcipulis diceret, Euigilate iuſti, & nolite peccare. Vnde & auditorem ſuum admonet, dicens, Surge qui dormis & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. Et rurſum, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Vnde & Salomon peccantem increpat, dicens, Vſquequo piger dormis? Sic ergo per ſomnum intelligitur carnis in peccato delectatio: quam expellere à ſe debet, qui ſeipſum templum vult præparare, Et hoc eſt quod hic ait Pſalmiſta, *Si dedero* (id eſt non dabo) *ſomnum oculis meis*: id eſt, non permittam oculos meos in carnalibus quieſcere vel delectari, nec mentis oculum per vanas cogitationes, nec corporis per prauas delectationes. Vel aliter: vt per ſomnum intelligantur omnia iſta temporalia, quia omnia euaneſcunt: vt illa quæ videntur in ſomnis cum dormiẽs euigilauerit. Et ad iſtum intellectum hunc paſſum exponit Auguſtinus, dicens, Multi enim cum dormiunt non faciunt locum domino. Tales

*Sõnus peccatũ ſignificat.*

*Greg. 8. mor. cap. 10.*

*1. Cor. 15.*

*Epheſ. 5.*

*Rom. 13.*

*Prou. 6.*

*Sõnus ſignificat tẽporalia omnia vana.*



Tales excitat Apoſtolus, dicens, Surge qui dormis, exurge à mortuis &c. Et alibi, Vigilemus & ſobrij ſimus. Nam qui dormiunt, nocte dormiũt: noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormiunt, cupiendo iſta terrena. Et omnes iſtæ felicitates quæ videntur ſæculi, ſomnia ſunt dormiẽtium. Et quomodo qui videt theſauros in ſomniis dormiens diues eſt, ſed cum euigilabit, pauper erit; ſic omnia vana huius ſæculi de quibus homines gaudent, in ſomno gaudent. Sed euigilabunt quando nolent, ſi modò non euigilant quando vtile eſt: & inuenient omnia illa ſomnia fuiſſe & tranſire: ſicut dicit ſcriptura, Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus ſuis. Dormierunt ſomnum ſuum, finitus eſt ſomnus, & nihil inuenerunt in manibus ſuis: quia in ſomnis videbant diuitias tranſituras. Iſte ergo qui vult in ſeipſo locum inuenire domino, dicit, Nõ dabo ſomnum oculis meis. Iſtum textum exponit aliter Bernard. oſtendens cum quanta ſolicitudine locum Deo in nobis parare debemus, dicens, *Si dedero ſomnum oculis meis* &c. *donec inueniam* &c. Olim rex & propheta Dauid religioſa cœpit quadam cogitatione permoueri: indignum iudicans quòd nullam adhuc domũ dominus Sabaoth haberet: cum ipſe domum habitaret regiæ dignitatis. Sed & nos debemus ſimiliter cogitare & viriliter effectui emancipare. Tu enim ô anima in ſublimi domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata eſt: corpus hoc dico quod ſic compegit, ſic aptauit, ſic ordinauit, vt glorioſè habitares in eo. Sed & ipſi corpori domum fecit excelſam, aptiſſimam & decoratam: ſcilicet ſenſibilem hunc & habitabilem mundum. Nónne igitur indignũ iudicas, vt ipſe tibi fecerit domum: tu verò ei templum ædificare diſſimules? Ad hoc quidem domum habes, ſed de terra eſt: quia in breui caſura eſt. Et tu vt de alia tibi prouideas, pluuię, vento & frigori exponenda. Itaque paremus ei domum, ſed in anima noſtra: quia non capit eum niſi imago ſua. Primo ergo loco ſtudeat vnuſquiſque ne diſcedat à ſeipſo: quia omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, nec intrabit rex niſi fuerint parietes inclinati & maceriæ depulſæ. Nónne anima corporis ſui domum integram vult habere: & exire illam neceſſe eſt, ſi fuerint à ſeinuicem membra diſperſa? Videat ergo & ipſa anima ſi deſiderat habitare Chriſtum per fidem in corde ſuo: id eſt in ſeipſa. Sollicitè caueat ne à ſeinuicem membra eius diſcedant: id eſt ratio, voluntas & memoria. Sit ergo ſine errore ratio vt bene congruat voluntati: talem enim voluntas amat. Sit voluntas ſine iniquitate: quia talem ratio approbat. Alioquin ſi ſe iudicat anima propter voluntatis prauitatem, in eo quòd per rationem probat, ibi bellum eſt inteſtinum & diſcordia periculoſa: quia voluntatem huius ſemper ratio ſugillat, ſemper accuſat, diiudicat atque dãnat. Sit etiam ſine ſorde memoria: vt nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confeſſione & dignis pœnitentiæ fructibus defleatur. Alioquin conſcientiam in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruerſa, nec memoria fuerit inquinata. Sequitur, *Et palpebris meis dormitationem.* Vbi aduertẽdum quòd dormitans retrahit ſe à dormitione: & rurſũ dormitione opprimitur, & ſtatim à dormitione opprimitur, & iterum ſe excutit. Sic ſpiritualiter dormitat in amore carnis vel tẽporalium, qui ab illis ſe excutit, & ad illa ſtatim reuertitur. Vnde hic ait Auguſtinus, Sunt autem quidam qui non dormiunt, ſed dormitant. Aliquantulum ſe retrahũt ab amore temporalium, & rurſus reuoluuntur in eum, quaſi dormitantes. Capùt crebrò inclinant, & vigilia excutere ſomnum coguntur: dormitando caſurus es. Non vult Pſalmiſta oculis ſuis dare ſomnum, nec palpebris ſuis dormitationem eum qui vult inuenire locum domino.

*Epheſ. 5.*

*1. Theſſ. 5.*

*Pſal. 75.*

*Domũ & tẽplum in nobis qualiter Deo preparare debemus.*

*Matth. 12.*

*Dormitat quis qualiter.*

## Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob. 2336

*De tẽporibus vide catholicõ vbi tempus.*

Hîc ponitur quintum: ſcilicet ſtabilitatis perditio. Vbi notandum quòd tempora dicuntur illæ partes quæ ſunt iuxta oculos, à quibus incipit ſomnus. Nam cum illæ partes quieſcunt, ſtatim ſomnus ad oculos deſcendit. Sed cum illæ partes agitantur & mouentur, ſomnus ab oculis elongatur. Et hinc eſt quòd nolentes dormire, fricant ſibi frontem vt tempora agitentur, ne ſomnus opprimat oculos. Sic igitur ſpiritualiter ille qui vult in vigilia ſpirituali perſiſtere, non dat requiem temporibus ſuis: quia nullam occaſionem peccati admittit. Vnde hic ait Auguſtin. *Et requiem temporibus meis*: ſcilicet non dabo. A requie temporum ſomnus venit ad oculos. Tempora circa oculos ſunt: veluti futurus ſomnus grauedo tẽporum eſt. Nam omnibus dormituris grauari tempora incipiunt: & cum ſenſerint grauari ſibi tempora, iam imminet ſomnus qui dandus eſt oculis. Dat requiẽ temporibus ſuis, non venit ſomnus. Cum ergo cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, iam grauantur tibi tempora. Vis euigilare, & non dormire, nec dormitare? noli te credere tali delectationi: quia maiores dolores habebit quàm ſuauitates. Et ea cogitatione quaſi confricans frontem excutis ſomnum, & paras locum domino. Sequitur, *Donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Nam (vt dictũ fuit) iſta pars refertur ad omnia præcedentia: vt ſit ſenſus, Non introibo in tabernaculum domus meæ: non aſcendam lectum ſtrati mei: non dabo ſomnũ oculis meis: non dabo dormitationem palpebris meis: non dabo requiem temporibus meis. Et hoc donec inueniam locum domino: quia ſcilicet omnia illa declinando (vt dictum eſt) paratur in anima locus domino. Sed fortè dices, Nunquid poſtquam paratus erit locus domino, faciet illa: quia dicit *donec*? Reſpondeo quòd nõ. Vnde ſciendum quòd *donec* multipliciter accipitur: vide verſic. 915. Item notandum quòd locus paratus domino in anima noſtra, quandoque dicitur tabernaculum, quandoque domus. Dicitur enim tabernaculum, quãdiu ſumus in militia vitæ præſentis: ſed domus erit in vita beata. Vnde hic ait Auguſtinus, Locus paratus domino in quo habitat Deus, dicitur quandoque tabernaculum, quandoque domus Dei. Dicitur enim tabernaculum, ſecũdum hoc tempus: domus autem eſt in illa cœleſti Hieruſalem quò tendimus. Tabernaculum enim tanquam militantium & pugnantium tabernaculum militum in procinctu, in expeditione. Vnde contubernales dicuntur milites, quaſi tabernacula eadem habentes. Quandiu ergo habemus hoſtem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus. Cum autem tranſierit tempus pugnę, & venerit pax illa quæ excedit & ſuperat omnem intellectum,

*Nõſecũdũ Huguitionẽ, quòd etiam pro illa parte capitis tẽpus ſcribitur per e: ſcilicet tẽpus, & non timpus per i: ſicut quidam idiotæ faciũt: de quo vide per eũ in c. tempo, pes. ergo dicas hic tẽporibus, & non timporibus.*

*Sõnus à tẽporibus incipit.*

*Anima in qua Deus habitat, dicitur quãdoque tabernaculum Dei, quãdoq; domus Dei.*

lectum,ſcilicet cœleſtis patria:iam domus erit:nullus aduerſarius tẽtabit, vt tabernaculum vincatur. Non procedemus ad pugnandum:ſemper manebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? Beati qui habitant in domo tua domine:in ſęcula ſæculorum laudabunt te. In tabernaculo adhuc gemimus:in domo laudabimus. Quare? quia gemitus eſt peregrinantium:laudatio iam in patria commanentium. Hic ergo primò quæratur tabernaculum Deo Iacob, vt poſtea in domum domini vadamus lætantes. Et nota quòd tabernaculũ ſpiritualiter eſt multiplex:ver.167.1219. Itẽ quòd militãs eccleſia dicitur tabernaculum:verſic.631. Item quòd tabernaculum dicitur corpus Chriſti:verſic. 386.782. Item quòd tabernaculum dicitur corpus peccatoris: verſic. 857. Item quòd tabernaculum dicitur gloria cœleſtis:verſic. 1431.

*Pſal.83.*

## 2337 Ecce, audiuimus eam in Ephratha: inuenimus eam in campis ſiluæ.

Hîc conſequenter oſtendit ſtatum templi ædificati,ſiue tabernaculi. Agit autem de tabernaculo in cordibus fidelium Deo præparato: id eſt de eccleſia fidelium,prædicendo quæ ipſi eccleſiæ aduenient per Chriſtum. Et oſtendit quinque,ſecũdum quòd pars iſta habet quinq; partes. Oſtendit enim ſpiritu prophetico, primò quòd eccleſia ex gentibus ædificabitur: ſecundò quòd ab eccleſia Chriſtus adorabitur:ibi,*Introibimus*.tertiò quòd eccleſia per Chriſtum ſuſcitabitur:ibi, *Surge domine:*quartò **C** quòd eccleſia per Chriſtum ſanctificabitur:ibi,*Sacerdotes tui.* quintò quòd Chriſtus Iudæis finaliter reconciliabitur:ibi, *Propter Dauid.* Quantum ergo ad primum, ſciendum quòd iſte textus variatur: nam aliqui codices habent,*Ecce, audiuimus ea*, neutraliter *ea*:aliqui habent *eam*:aliqui habent *eum*. Et ſententia eſt eadem. Nam ſi dicatur neutraliter *ea*: ly *ea* ſtat pro his quæ dicta ſunt neceſſaria ad ædificandum locum domino, quæ in præmiſſis quinque verſibus continentur: ſcilicet manſuetudinis humiliatio,diuinitatis imploratio,propriæ voluntatis abdicatio,voluptatum abnegatio,& ſtabilitatis perduratio,vt ſit ſenſus,Ecce audiuimus ea(ſcilicet omnia) prædicta in Ephratha. Si autem dicat textus *eam*:tunc eſt ſenſus, quia ſuperius egit quo- **D** modo locus vel habitatio præparatur domino:vt ly *eã* ſtet pro loco & habitatione:*Ecce audiuimus eam* (id eſt habitationem domino) in Ephratha. Si autem dicat *eum*, vt communiter ſcribitur: tunc ſtat pro domino. vt ſit ſenſus: *Ecce audiuimus eum:* id eſt dominum habitantem in Ephratha. Et ſic,licet verba diuerſificentur, ſententia tamen verborum non variatur. Ad intellectum ergo iſtius verſiculi oportet primò videre quid ſit Ephratha: & quid campi ſiluæ. Ephratha enim interpretatur ſpeculum:& ſic ſignificat legem & prophetas,in quibus ſpeculatur & contemplatur dominus & habitatio eius: quia tam lex quàm prophetę prędixerunt filium Dei incarnandum,& in cordibus fidelium habitaturum. Et inter alios ille propheta Micheas prædixit, di- **E** cẽs, Et tu Bethlehẽ terra Ephratha, paruulus es in milibus Iuda:ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael. Campi verò ſiluæ ſunt gentes, quæ erant ſtultæ neſciẽtes cultum veri Dei:quæ tamen ſuſceperunt fidem Chriſti, & ſic in ipſis habitat Chriſtus. Et ſic eſt ſenſus:*Ecce,audiuimus eũ in Ephratha:*ſcilicet audiuimus Chriſtum in prophetis prædicatum naſciturum:& inuenimus eum in campis

*Ephratha ſignificat legẽ & prophetas.*

*Mich.5.*

**A** ſiluæ(id eſt,in gentibus) habitare per fidem. Iſtam expoſitionem hic ponit Aug.dicens,*Ecce audiuimus eum in Ephratha* &c. Ephratha verbũ Hebraicũ eſt: quod Latinè ſpeculum interpretatur. Speculũ autem imaginem rei habet: non rem. Omnis autem propheta imago eſt futurorum. Dominus ergo ipſe vel domus Dei prędicata eſt in ſpeculo. Et ſic audiuimus illam in Ephratha,id eſt,in ſpeculo prophetarum. Sed inuenimus eam vel eum in campis ſiluæ. quid enim campus ſiluæ, niſi locus ſilueſtris & incultus dicitur? Quid ergo erant campi ſiluarum, niſi gentes incultæ? Qui erant campi ſiluarum, niſi vbi adhuc vepres erant idolatriæ? Sic ergò vbi vepres erant idolatrię,ibi inuenimus locum domino, tabernaculũ Deo Iacob. Et ſic quod audiuimus in **B** Ephratha, ſcilicet in ſpeculo,hoc eſt in prophetis prædicatum Chriſtum, inuenimus eum in campis ſiluæ:ſcilicet in gentibus quæ ipſum per fidem receperunt,& domus eius vel locus factæ ſunt.

*Gẽtiles dicuntur cãpi ſiluæ.*

## Introibimus in tabernaculũ eius:adorabim⁹ in loco vbi ſteterũt pedes eius. 2338

Hîc oſtẽdit quòd Chriſtus ab eccleſia adorabitur. Vbi aduertendum quòd omnis qui in ſe facit tabernaculum vel domũ Dei, ſic quòd in ipſo habitat Deus:talem gratiam à Deo cõſequitur, quòd etiam ipſe in Deo habitat. Et hoc eſt, quia ipſa increata ſapientia diligit illos à quibus diligitur: & ſic habitatur ab illis quos inhabitat. Et hoc eſt **C** quod dicitur,De⁹ charitas eſt:& qui manet in charitate,in Deo manet, & Deus in eo. Et hoc hic oſtendit Pſalm. Poſtquam enim dixit Deum inuentum habitare in campis ſiluę,id eſt in gentibus per fidem: nunc oſtendit quòd gentes habitant in Deo per charitatem, dicens, *Introibimus in tabernaculum eius*:hoc eſt,habitabimus in tabernaculum eius. Loquitur enim in perſona camporum ſiluarum,id eſt gentium. Sed quid eſt hic habitaculum Dei? Primò enim eccleſia catholica dicitur tabernaculum, & hoc multis rationibus:vide ſupra verſic.758. Dicant ergo gẽtes,*Introibimus in tabernaculum eius*: quia gentes fide Chriſti recepta,de corpore Chriſti ſunt effectæ. Vel tabernaculũ Dei dicitur corpus Chriſti, quia in ipſo habitat plenitudo diuinitatis cor- **D** poraliter:vt dicit Apoſtol⁹. In iſtud tabernaculum intrauerunt campi ſiluæ: quando membra Chriſti corporis gentiles per fidẽ ſunt effecti. Vnde hic ait Aug. Qui in tabernaculũ Dei intrant vt inhabitẽt, & ipſi intrãtur vt inhabitẽtur. In domũ tuã vt inhabites intras:ſed domũ Dei intras vt inhabiteris. Melior eſt dominus,qui cũ cœperit te inhabitare,beatũ te facit. Nã ſi tu in illo nõ habitaueris,miſer eris. Sequitur,*Adorabimus in loco vbi ſteterũt pedes eius.* Accipiũt aliqui hoc literaliter de loco vnde aſcẽdit Chriſtus in cœlũ,qui eſt in mõte oliuarũ. In quo loco adhuc apparent veſtigia pedũ Chriſti. In quo loco ex deuotione multi Chriſtianorum Chriſtũ adorant. de quo loco dicitur,Pedes eius in die illa ſuper mõtẽ oliuarũ,qui eſt contra Hieruſalẽ ad orientẽ. Alij **E** hoc intelligunt de loco prope Romam: vbi apparuit Chriſtus Petro,dicens, Venio Romam iterum crucifigi. qui locus hodie appellatur, Domine quò vadis. In quo adhuc apparẽt veſtigia pedũ Chriſti. In quo loco ex deuotione multi ſancti adorãt. Vel aliter,& altius. Per pedes,qui ſunt vltima pars corporis,intellige perſeuerãtiam. In illis ergo qui perſeuerant in bono vſque in finem, ſtant pedes Chriſti: in illis autem qui non perſeuerant, non ſtant pedes

*1.Ioan.4.*

*Qui habitat in Deo,habitatur à Deo.*

*Coloſſ.2.*

*Zach.14. Locus pedum Chriſti multiplex.*

*Perſeuerãtia per pedes ſignificatur.*



pedes Chriſti. Quid eſt ergo dictu,*Adorabimus in loco* **A** *vbi ſteterunt pedes eius?* Hoc eſt,Illi verè Chriſtũ adorant,qui in bono vſque in finem perſeuerant: quia illi ſunt de numero illorum in quibus ſteterũt pedes eius. Vnde hic ait Aug. In his eſt domus Dei, quos prædeſtinauit & præſciuit perſeueraturos. De illis dictum eſt,*vbi ſteterunt pedes eius.* Etenim qui non perſeuerant, non ſtant pedes in eis: non ſunt ipſi eccleſia:non pertinent ad illud modò tabernaculum,tunc domũ:ſed illi vbi ſteterunt pedes eius. In his in quibus charitas refrigeſcit, non ſtant pedes eius. In illis ergo in quibus ſteterũt pedes eius, in eo loco Deum adora:id eſt, ſi vis bene Deum adorare, de talibus eſto in quibus ſteterunt pedes eius. Si autem de iſta domo eccleſiæ intelligere volueris:vbi ſteterunt pedes eius (ſcilicet domus) pe- **B** des tui ſtent in Chriſto. Tunc enim ſtabunt pedes tui in Chriſto,ſi perſeueraueris in Chriſto.

## 2339 Surge domine in requiem tuam,tu & arca ſanctificationis tuæ.

Hic oſtendit quòd eccleſia per Chriſtum verè ſuſcitabitur. In hoc enim verſiculo Pſal. ſe vertit ad Chriſtum,dicens,*Surge domine in requiem tuam.* Præuidit enim Pſal. Chriſtum caput domus Dei & eccleſiæ pro ipſa paſſurum ac moriturum. Præuidit etiam ipſum à morte ſurrecturum. Vnde & ipſe in perſona Chriſti loquebatur Pſal.dicens, Ego dormiui & ſoporatus ſum (ſcilicet per mortem) & exurrexi poſt mortem. Similiter & nunc hoc idem prænuncians, dicit, *Surge domine in requiem tuam*,id **C** eſt, tu exurges poſt mortem in requiem glorioſus, ſic quòd amplius pati non poteris. Quia (vt dicit Apoſtolus) Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam nõ moritur:mors illi vltra nõ dominabitur. Vnde hic ait Auguſt. *Exurge domine in requiem tuam.* Domino dormienti dicit *exurge*. Iam noſtis quis dormierit, & quis ſurrexit:ipſe eſt qui ait in Pſal. Ego dormiui & ſoporatus ſum,& exurrexi, &c. Sequitur, *Tu & arca ſanctificationis tuæ.* Vbi nota quòd arca eſt duplex in ſcriptura,ſcilicet figurans & figurata. Figurans,vt arca Noe, & arca teſtamenti, quæ erant figura eccleſię. Arca autem figurata eſt ipſa eccleſia, quæ per arcam Noe figuratur:quia ſicut in illa exiſtentes à diluuio ſunt ſaluati,cæteris extinctis: ſic ſolum intra eccleſiam ſalus conſiſtit, quia nullus **D** extra eccleſiam ſaluari poteſt. Vnde & Gregor.ait, Sola eccleſia eſt in qua opus bonũ fructuosè peragitur: vnde & mercedem domini non niſi qui intra vineam laborauerunt, acceperunt. Sola eccleſia eſt, quæ intra ſe poſitos valida charitatis cõpage cuſtodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidẽ ad ſubliomiora ſuſtulit: omnes autem quos extra arcã inuenit,extinxit, &c. Vnde & arcam Noe fuiſſe figuram eccleſiæ pulchrè deducit Hugo de ſancto Victore,ſuper illo verbo Gene.6, Fac tibi arcam de lignis leuigatis,&c. Arca etiam teſtamenti ſignificat eccleſiam ratione materiæ & formę:vt deducit Gualfred. ſuper illo verbo Exod.25, Compingite arcam de lignis Sethim. De iſta arca figurata(ſcilicet de eccleſia)quę eſt vnio fidelium,prædicit Pſal. **E** quòd cum Chriſto reſurget glorioſa, dicens, *Surge domine in requiem tuam*: id eſt, exurges tu quidem primò, ſed poſt te reſurget & arca ſanctificationis tuæ. Vnde hic ait Auguſt. *Exurge tu & arca*, &c. id eſt, exurge tu primò,vt exurgat poſt te & arca ſanctificationis tuæ: ſcilicet eccleſia quam ſanctificaſti. Ipſe caput noſtrum,arca eius,eccleſia eius. Sur-

*Pſal.3.*

*Rom.6.*

*Pſal.3.*

*Eccleſia ſignificatur per arcam Noe. Gene.7.*

*Greg.35.moral.cap.6.*

*Arca dicitur corpus Chriſti.*

**A** rexit ipſe prior: ſurget & eccleſia. Non autem auderet reſurrectionem promittere corpori ſuo, niſi ipſe priùs exurgeret. *Exurge domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Vel per arcam Chriſti intellige corpus eius, quod de Maria virgine traxit:in quo habitabat diuinitas. Et ſic Pſal. prędicit, quòd Chriſtus cum vero corpore reſurget,dicens, *Tu & arca ſanctificationis tuæ.* Vnde hic ait Aug. Corpus Chriſti quod ex Maria natum eſt, intellectum eſt à quibuſdam arcam eſſe ſanctificationis: vt de hoc diceret Pſal.*Exurge domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ*:id eſt, exurge cum corpore vt palpent qui non credebant. Vel per arcam ſanctificationis intellige glorioſam virginẽ Mariam, quæ & arca Chriſti dicitur, quia in ipſa Chriſtus nouẽ **B** menſibus habitauit. Dicitur etiam ſanctificationis, quia ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus: Pſal.45. quam piè credimus iam poſt Chriſtum in requiem ſurrexiſſe. Quòd autem virgo Maria per arcã figuretur,vide in dictionario,litera arca, parte prima. Vel ideo dicit,*Exurge domine*, &c. quia arca teſtamenti eleuabatur in bellis: vide ver.1048.

*Arca dicitur virgo Maria.*

## Sacerdotes tui induantur iuſticia, & ſancti tui exultent. 2340

Hic oſtendit quòd eccleſia per Chriſtum ſanctificabatur. Vbi notãdum quòd nomine ſacerdotum intelligit omnes fideles,qui ſunt mẽbra eccleſiæ: id eſt,corporis Chriſti,qui ſemetipſos offerũt Deo hoſtiam immaculatam & Deo beneplacen- **C** tem. Sic enim omnes fideles vocat Apoſtolus Petrus ſacerdotes, dicẽs,Vos eſtis genus electum,regale ſacerdotium, gens ſancta,populus acquiſitionis,&c. Similiter dicitur quòd Chriſtus fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo. De iſtis ergo fidelibus dicit,*Sacerdotes tui induantur iuſtitia.* Per iuſtitiam enim omnem virtutem intelligit:quia iuſtitia legalis eſt omnis virtus: vt dicit Philoſophus 5.Ethicorum.*Et ſancti tui exultent.* Per ſanctos,eoſdẽ electos intelligit, quos & ſacerdotes vocauit. Hoc autem adimpletum fuit,quãdo Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem ſpiritum ſanctum ſuis fidelibus viſibiliter miſit:& ipſos in fide, ſpe & charitate confirmauit. Vt ſit ſenſus, ſecundũ Aug. Te Chriſte exurgente à mortuis & eunte ad pa- **D** trem, regale illud ſacerdotium induetur fide:quia iuſtus ex fide viuit. Et accepto pignore ſpiritus ſancti, lætentur membra ſpe reſurrectionis quæ præceſſit in capite. Vel aliter:diſtingue inter ſacerdotes & ſanctos: vt ſit ſenſus, ſecundum Gloſam. *Sacerdotes tui* (id eſt prælati) *induantur iuſtitia*, & aliis virtutibus. Vt enim in veteri teſtamento ſacerdotes diuerſis ornamentis veſtium induebantur: ita nunc euangelici ſacerdotes diuerſis virtutibus adornantur. Hæc ſunt ornamenta quæ Deus exigit: quę enim legales pontifices in veſtibus geſtabant, illa euangelici ſacerdotes in cordibus debent habere. Sequitur, *Et ſancti tui exultent:* id eſt, minores fideles & ſubditi. Iſtum textum diffusè deducit Gualfred. oſtendens primò ſacerdotes præ omni- **E** bus aliis virtutibus debere pollere. Et conſequenter oſtendit illas virtutes in veſtibus ſacris eſſe figuratas. Vnde ſic ait, *Sacerdotes tui induantur iuſtitia*, &c. Sic nimirum exultatione colles accingentur, ſi induti fuerint arietes ouium ſua veſte. Iidẽ enim colles,iidem arietes,iidem ſacerdotes,iidẽ & ſancti domini. Sed neceſſe eſt vt in ſanctitate emineant tanquã colles, qui ſpiritualium ouium arietes poſiti

*Sacerdotes dicuntur omnes iuſti.*

*1.Petri 2.*

*Apoc.1.*

*Sacerdotes alijs debẽt eſſe iuſtiores.*

ſiti ſunt, ſacro gregi ſacrum præbere ducatũ. Quòd ſi totam domum domini decet ſanctitudo, quanto magis miniſtros eius? Et ſi ad nuptias domini nullum oportet ingredi ſine nuptiali veſte, quãto magis ab eis ſanctimoniæ veſtis exigitur: per quos in eandem domum ſanctam, cæteris introductis, etiã ſancta dantur? Inde enim ſacerdotes vocãtur, quòd ſacri duces vel datores debẽt eſſe ſacrorum. Cæterum vnde eis iuſtitiæ habitus, cui merces eſt reddenda lætitiæ? Alius nobis eiuſdem Pſalm. inducat verſus, dicens, *Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt.* Nulla ſi quidẽ præter iuſtitiam ſalus exiſtit: dicente domino, Propè eſt vt veniat ſalus mea, & iuſtitia mea vt reueletur. Et cũ nemini liceat ſacerdotium ſine veſtibus ſacris myſteria ſacra peragere, minus tamen licebit ſine ſanctitatis habitu. Quòd ſi in illis olim pontificalibus vel Leuiticis veſtibus quas ſub veteri lege mandauit dominus fieri, ſacramenta latebant: credendum non eſt nullam in noſtro quoque exteriori habitu virtutis & gratiæ ſanctimoniæ gratiam commendari. Et conſequenter agit de ſingulis veſtibus ſacerdotalibus, oſtendendo ſingulatim quas virtutes ſignificant ſacerdotibus neceſſarias.

## 2341 Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui.

Hic oſtendit quòd Chriſtus finaliter Iudæis recõciliabitur. Vbi notandũ quòd perſecutus Chriſtus à Iudæis & ab ipſis crucifixus ac mortuus, poſtea ſurrexit, vt ſecundum peccata eorum redderet illis. vnde & auertit ſe ab illis, & ad gentes trãſiuit. Vnde & Pſal. 40, ait patri, Reſuſcita me, & retribuã eis. Hęc ergo in ſpiritu præuidens Dauid, rogat patrem vt non ex toto auertatur Chriſtus à ſemine ſuo, ſed ex eis colligat reliquias. Quod & factum fuit, quando poſt reſurrectionem ſuam multi Iudæorum ab ipſo tracti fidem eius recipientes baptizati ſunt: vt in Actibus Apoſtolorum legitur. Et complebitur in fine mundi, quando Helias ad prędicandum veniet, & conuertet corda filiorum ad patres: vt ſicut antiqui prophetæ crediderunt Meſſiã incarnandũ, verum eſſe futurũ Deũ & hominẽ: ſic & ipſorũ filij (id eſt, Iudæi) ex eis originati cõſimiliter credãt. Et hoc eſt quod hic orat Pſal. patri dicẽs, *Propter Dauid ſeruum tuũ, nõ auertas faciẽ Chriſti tui*: ſcilicet ex toto à Iudæis. Vnde hic ait Aug. *Propter Dauid ſeruum tuum*, &c. Hoc Deo patri dictũ eſt. Crucifixus eſt dominus à Iudæa, crucifixus eſt à Iudæis: ab ipſis turbatus dormiuit. Inter quorum ſæuientium manus dormiuit, ad eos iudicandos reſurrexit. Vnde in quodam Pſalmo dicit, Reſuſcitaſti me, & retribuã eis: & reddidit & redditurus eſt. Nam quanta poſtea Iudæi paſſi ſunt occiſo domino, norunt ipſi: de ipſa ciuitate, vbi illum occiderunt, omnes expulſi ſunt. Quid ergo? etiam de ſtirpe Dauid omnes perierunt, & de tribu Iuda? Non. Nam crediderunt inde aliqui: & multa milia hominum crediderunt: & hoc iam poſt reſurrectionẽ domini. Sæuierunt vt crucifigerent; & poſtea viderunt fieri miracula in nomine crucifixi: & plus cõtremuerunt tantum poſſe eius nomen, qui quaſi inter manus eorum nihil poterat. Et cõpuncti corde, iam credentes diuinitatem occultam fuiſſe in illo, quem ſimilem cęteris hominibus putauerant. Et conſilium petentes ab Apoſtolis audierunt, Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine domini Ieſu Chriſti. Ergo quia ad iudicandos iſtos à quibus crucifixus eſt ſurrexit Chriſtus, & auertit faciem ſuam à Iudæis, & conuertit ad gentes: rogatur Deus propter reliquias Iſrael: & dicitur ei, *Propter Dauid ſeruum tuum, nõ auertas faciem Chriſti tui.* Et planè exauditus eſt, & ſaluæ factæ ſunt reliquiæ. Inde enim erant duodecim Apoſtoli: inde plus quàm quingenti fratres quibus ſe dominus demonſtrauit poſt reſurrectionem. Inde tot milia baptizati, qui precia rerum ſuarũ ante pedes Apoſtolorum ponebant. Ergo impletum eſt quod hic rogatus eſt Deus, *Propter Dauid ſeruum tuũ, nõ auertas faciem Chriſti tui.* Et nota quòd in ſcriptura Dauid ſpecialiter dicitur ſeruus domini: quamuis multoties multis grauibus peccatis fuerit inuolutus, quia à cultu veri nunquam receſſit adorando deos alienos. Item nota quòd auerſio Dei notat actum ſupernalis iracundiæ, quo Deus multis peccatis noſtris offenſus ſuam protectionem auertit à nobis: quæ tamen auerſio quandoque eſt ad correctionem peccatorum, quãdoque ad damnationem ipſorum: vide ver. 1320.

*Iudæi Chriſto reconciliabũtur, & in parte reconciliati ſunt.*

*Pſal. 40.*

*Actuum 2.*

*Dauid quare ſeruus Dei dicitur ſpiritualiter.*

## Iurauit dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu vẽtris tui ponam ſuper ſedem tuam. 2342

Hic oſtendit promiſſiones factas ædificanti ſe templum domino. Et oſtendit ſeptem promiſſiones, quas Deus promiſit humano generi, ſi homines ſeipſos templum eius facerent. Quarum prima fuit dignitatis exaltatio: ſecunda electionis commendatio: ibi, *Quoniam elegit*: tertia diuinitatis inhabitatio: ibi, *Hæc requies*: quarta ſupernalis benedictio: ibi, *Viduam*: quinta ſalutaris inſpiratio: ibi, *Sacerdotes*: ſexta euangelij prædicatio: ibi, *Illuc producã*: ſeptima inimicorum ſubiugatio: ibi, *Inimicos eius.* Prima pars diuiditur in partes tres: quia primò ponitur facta exaltationis promiſſio: ſecundò debita apponitur conditio: ibi, *Si cuſtodierint*: tertiò ſtante conditione ponitur exaltationis ampliatio: ibi, *Et filij.* Quantum ad primum, ſciendum quòd maior exaltatio poſſibilis homini eſt, ꝙ homo ſic vniatur Deo, vt verè Deus ſit homo, & homo Deus: non quidem per eſſentiam, vt natura humanitatis conuertatur in naturam diuinitatis, nec natura diuinitatis in humanitatẽ: ſed communicatione idiomatum ratione vnionis hypoſtaticæ. Vnde & Magiſter ait lib. 3, Diſt. 12, Quòd in rebus per tempus ortis illa ſumma eſt gratia, vt in vnitatem perſonæ verbi ſit aſſumptus. Et iſtam exaltationem humani generis promiſit Deus ipſi Dauid, qui ſe domũ fecerat domino: ſibi dicens, *De fructu vẽtris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Vocatur enim Chriſtus fructus ventris Dauid: quia ab ipſo ſecundum carnem deſcendit. Et hic ſedit ſuper ſedem Dauid, cuius ſedes fuit regnum Iſrael. Iſrael autem videns Deum interpretatur: quia Chriſtus ſedet & regnat in omnibus qui per verã fidem ſpeculantur & colunt Deũ. Et hoc eſt quod angelus dixit virgini Marię ipſam incarnationem annunciando, Et dabit ei dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, &c. Et hanc promiſſionem tantæ exaltationis hic Dauid ſibi factã exprimens dicit, *Iurauit dominus Dauid*: id eſt, ipſi Dauid: *Et non fruſtrabitur eum*: id eſt, nõ pœnitebit eum, vt alia litera dicit. Quod ideo dicit, quia Deus quãdoque promittit aliqua, quæ propter mutationem hominum & ipſe mutat: ſicut promiſit Ezechiæ, vt diſponeret domui ſuæ; quia illa infirmitate moriturus erat, promiſſum mutauit propter lacrymas regis: vt habetur 4. Reg. 20. Promiſit Ionæ adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Tamen promiſſum mutauit ad pœnitentiam ipſorum. Sic quandoque dicitur Deus pœnitere & mutare promiſſa: non quòd pœnitentia cadat in Deo: ſed quia ſe habet ad modum pœnitẽtis, dum res aliter eueniunt quàm fuerant pronunciatæ venturæ: vide ver. 1972. Quod etiam hic declarat Aug. dicens, Quid enim eſt, *non fruſtrabitur eum*? niſi non pœnitebit eum? Et quid eſt, non pœnitebit eum, niſi non mutabit? Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus: aut in aliquo fallitur vt velit corrigere in quo errauit. Sed quomodo hominem cum pœnitet mutare vult quod fecit: ſic vbi audis, quia pœnitet Deum, mutationem ipſam intellige. Aliter illam facit Deus, quamuis nomine pœnitentiæ appellet: aliter tu. Tu enim facis, quia erraueras: ille autẽ facit, quia vindicat, aut quia liberat. Mutauit regnum Saul, cum pœniteret eum. Sic dictum eſt, & in eo ipſo loco, vbi ſcriptura dicit, Et pœnituit eum. Ibi paulò pòſt dicitur, Non enim ſic eſt Deus vt homo, vt pœniteat eum. Cum ergo mutat Deus opera ſua per immutabile cõſilium ſuum, propter ipſam non conſilij, ſed operis mutationem, pœnitere dicitur. Hoc autem quod hic dicitur, ſic promiſit Dauid vt non mutet, quomodo & illud, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, &c. Sic & hoc, quia promiſſum eſt vt non mutaretur. Sequitur, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hoc enim quamuis literaliter de Salomone fuerit ipſi Dauid promiſſum: vt patet 2. Reg. 7. tamen ſecundum ſenſum propheticum hic facta fuit ipſi Dauid promiſſio de Chriſto: quòd ex ipſo deſcenderet, & regnaret ſupra regnum Dauid: id eſt, ſuper regnum electorum, figuratum per regnum ipſius Dauid: in quo ſolo verus Deus colebatur. Vnde iſtum textũ introducit Bernard. ſuper miſſus homil. 4. ſuper illo verbo Luc. 1, Et dabit illi dominus Deus ſedem Dauid, &c. dicens, Quòd de ſtirpe Dauid originem duxerit dominus noſter Ieſus Chriſtus, nemo dubitat. Sed quęro quomodo dederit ei dominus Deꝰ ſedem Dauid patris ſui, cum ipſe in Hieruſalem nõ regnauerit: quinimò turbis volentibus eum regem conſtituere, non acquieuit: ſed etiam antè faciem Pilati proteſtatus ſit, Regnum meum nõ eſt de hoc mundo. Deniq; quid magnum promittitur ei qui ſedet ſuper Cherubim: quem propheta vidit ſedere ſuper ſolium excelſum & eleuatum, ſedere in ſede Dauid patris ſui? Sed nouimus aliam quandã Hieruſalẽ ab ea in qua regnauit Dauid per hanc ſignificatam, multo iſta meliorem, multo ditiorem. Hãc igitur puto hic fuiſſe deſignatam, illo videlicet vſu loquendi, quo ſæpe reperies in ſcripturis, ſignificãs poni pro ſignificato. Tũc ſanè dedit illis dominus ſedem Dauid patris ſui, quando cõſtitutus eſt Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Hic enim propheta, de quo regno dixerit, expreſſius aperuiſſe videtur in eo ꝙ nõ in Siõ poſuit, ſed ſuper Sion. Nã ideo fortaſſe dictũ eſt ſuper, quia in Siõ quippe regnauit Dauid. Super Siõ verò regnũ eſt illius de quo dictũ eſt ad Dauid, *De fructu ventris tui ponã ſuper ſedem tuã*: de quo & per aliũ prophetã dictũ eſt, Super ſoliũ Dauid & ſuper regnũ eius ſedebit. Vides quia vtiq; reperis ſuper Sion, ſuper ſolium ſedere, ſuper regnum. Sedebit ergo Chriſtus ſuper ſedem Dauid patris ſui; nõ typicam, ſed veram, nõ tẽporalẽ, ſed æternã: nõ terrenam, ſed cœleſtẽ. Sic ergo eſt ſenſus, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: quia dominꝰ Ieſus Chriſtus natus eſt ex Dauid: rex & dominus eſt cõſtitutus à Deo ſuper omnes angelos, ſuper omnes iuſtos homines, qui ſunt ſedes Dei: quæ ſedes ſpiritualis & ęterna eſt, figurata per ſedẽ Dauid temporalem. quia ſedes Dauid fuit in Hieruſalẽ: quæ interpretatur viſio pacis: ſignificãs omnes iuſtos, qui æterna pace fruentes, Deum vident: hic per ſpem, ſed in futuro per rem.

*Iona 3.*

*Pœnitet deus & qualiter.*

*1. Reg. 15.*

*Pſal. 109.*

*Sedit Chriſtus ſuper ſedem Dauid, & quomodo.*

*Ioan. 18.*

*Eſa. 6.*

*Pſal. 2.*

*Pſal. 139.*

*Eſa. 9.*

## Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum & teſtimonia mea hęc quæ docebo eos. 2373

Hic apponitur debita conditio dictę promiſſioni addita. Quãuis enim hoc de temporalibus filiis Dauid intelligatur ſecundũ literã: quia quãdiu fuerunt boni, regnũ Dauid obtinuerunt: ſed quãdo ad tyrannidẽ deuenerunt, regnum ipſorum fuit diuiſum vel perditum, vt patet tempore Roboam filij Salomonis: qui tyrãnicè voluit regere & grauia onera populo ſuo imponere, ideo decẽ tribus ab eo receſſerunt, & fecerunt ſibi regẽ Ieroboã: vt patet 3. Reg. 11. Quãdo etiã ad idolatriã deuenerunt, regnũ perdiderunt: vt patet tẽpore Sedechiæ: quẽ rex Babylonis captiuũ duxit in Babylonem, & regno priuauit. Tamen iuxta ſenſum propheticũ hoc intelligendum eſt de filiis ſpiritualibus Dauid: (id eſt, Chriſti) qui regenerati per baptiſmum quãdiu ſeruant mandata Dei quæ nos per euãgelium docet, ſunt ſedes Dei: ita quòd Deus habitat in eis, & ipſi ſuper ſedẽ Dei ſedẽt. i. in gloria æterna requieſcunt in Deo: hic per ſpẽ, in futuro autẽ per realẽ fruitionẽ: quia in illis ſolũ regnat & habitat Chriſtus qui Dei præcepta cuſtodiunt. Et illi ſoli in Chriſti ſede requieſcunt. Vel aliter, & magis myſticè: vt per filios ſignificẽtur opera noſtra: vt habetur ver. 1731. Filij ergo noſtri cuſtodiũt teſtamentũ Dei, quãdo opera noſtra perficiũt præcepta Dei, & illis cõformamur ex toto. Tunc enim ſedẽ regni cœleſtis meremur. Vel aliter, ſecundũ Aug. vt per filios in quibus ſtat ſpes patris, intelligatur ſpes: per filios verò filiorũ intelligatur fructus ſpei. vt ſit ſenſus. Si filij tui (.i. ſpes tua) cuſtodierint teſtamentũ meũ (.i. tu bene ſperãdo cuſtodieris pactũ: ſcilicet in baptiſmo factũ: & teſtimonia mea, (id eſt, præcepta vitæ hæc quę docebo eos) tunc filij eorum. i. fructus ſpei tuę erit in ſeculũ ſeculi. i. inæternũ erit præmiũ quod inde percipies. Vnde hic ait Aug. Nõ ait, Si cuſtodierint filij tui, ſedebunt ſuper ſedẽ tuã; & ſi cuſtodierint filij eorũ, & ipſi ſedebunt ſuper ſedẽ tuã. ſed ait, *Si cuſtodierint filij tui, & filij eorũ ſedebunt ſuper ſedem tuã*: niſi quia filios hic intelligit fructus ipſorũ. *Si filij tui* (inquit) *cuſtodierint legẽ meã & mandata mea quæ docebo eos, ſeruauerint: filij tui & filij eorũ ſedebũt ſuper ſedem tuã*: id eſt, hic erit fructus eorũ, vt ſedeant ſuper ſedem tuã. Modò enim, fratres, omnes qui laboramus in Chriſto faciẽtes voluntatẽ eius, nũquid iam ſedemus in illis ſedibꝰ beatitudinis quæ nobis promittuntur? Nõ: ſed mandata eius tenẽtes, ſperamus hoc futurũ. Ipſa ſpes tanquã in filiis data eſt, quia hominis in hac vita viuentis ſpes filij ſunt. Propterea & homines excuſantes auaritiã ſuã, dicũt ſe filiis ſuis ſeruare quod ſeruant. Et nolẽtes dare inopi pietatis nomine ſe excuſant, quia filij eorũ ſpes eorum ſunt. Ideo nomine filiorũ ſpem ipſam poſuit: cum ait, *Si cuſtodierint filij tui teſtamentũ meum & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos: & filij eorũ ſedebunt ſuper ſedem*

*Filij patri ſuccedunt, dum bene faciunt.*

*Filij noſtri dicũtur ſpes noſtra.*

*ſedem tuã*:id eſt,tales fructus habebunt, vt ſpes eius nõ fallat vt illuc perueniant,quò ſe ſperant eſſe vẽturos.Modò ergo tanquã patres ſunt homines ſpei futuræ.Cũ autem adepti fuerint quod ſperant,filij ſunt : quia illud quod adipiſcuntur pepererunt & generauerunt in operibus ſuis bonis. Et hoc illis ſeruatur in poſterũ : quia & ipſa poſteritas in filiis appellari ſolet. Aut ſi filios ipſos homines accipis: intellige & de eis dictum, *Si cuſtodierint teſtamentum meum & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos:& filij eorum:* id eſt,ſi cuſtodierint, vt hic ſubdiſtinguas:& deinde inferas, ſedebunt inæternum ſuper ſedem meã: id eſt, & filij tui & filij eorum : ſed omnes ſi cuſtodierint. Hãc ergo conditionem appoſuit,ne iã glorieris de promiſſis,& dimittas nõ cuſtodire. Tunc enim eris filius Dauid ſi cuſtodieris:ſi nõ cuſtodieris, nõ eris filius Dauid.Filiis autẽ Dauid promiſit Deus. Noli dicere , filius ſum Dauid, ſi degeneras. Sicut Iudęi illud dicũt:quia de ſtirpe illa nati ſunt, ſed delyrãt. Apertè enim dominus ait,Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.Et inde illos negauit eius filios,quia eius opera non faciebant.Nos ergo quomodo nos dicimus filios Dauid qui de ſtirpe eius nõ ſumus ſecundum carnẽ, niſi quia colimus Deum ſicut ille coluit?Si ergo quod tibi per ſtirpẽ nõ ſperas,per facta non vis aſſequi:quomodo in te complebitur,quia ſedebis ſuper ſedem Dauid?

*Ioan.2. Ioan.8.*

## 2344 Et filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Hic ponitur exultationis ampliatio. Quamuis enim iſte verſus expoſitus ſit in præcedenti, tamen aliter exponẽdo,per filios Dauid intellige Apoſtolos,qui carne Iudæi erant,& filij Dauid morũ imitatione.Per filios autẽ filiorũ intellige filios Apoſtolorum:ſcilicet fideles quos ipſi Apoſtoli prædicando in fide Chriſti genuerunt.Quia ſicut ipſi Apoſtoli conſecuti ſunt ſedẽ regni cœleſtis:ſic etiam & alij fideles ex gentibus cõuerſi,eã conſequuntur. Et hoc eſt quod ait Chriſtus , Vos qui ſecuti eſtis me,ſedebitis ſuper ſedes,&c. Et ſic per ſęculũ intellige inæternũ:per ſedẽ verò Dauid,gloriã cœleſtẽ.

*Matth.19.*

## 2345 Quoniam elegit dominus Sion : elegit eam in habitationem ſibi.

Hic ponitur electionis cõmendatio.Quia enim dictum eſt quòd ſeruãtes teſtamentum & teſtimonia Dei ſedebunt ſuper ſedẽ Dauid , ſcilicet in gloria æterna requieſcent : poſſet aliquis dicere, Ego meritis meis & operationibus mereor vitã æternã: in me ergo eſt quòd merear , in me eſt quòd ſim beatus. Hoc remouet Pſalmiſta dicens, quòd hoc non eſt ex te vel ex operibus tuis , ſed ex electione diuina.Quoniã ideo eccleſia meretur in gloria requieſcere,quoniã Deus elegit eam vt in habitationẽ ſibi.Electio ergo diuina qua nos ab æterno elegit , eſt cauſa quòd Deus habitat in nobis. Et hoc eſt quod hic ait Auguſt. *Quoniam elegit dominus Sion,* &c.Sion ipſa eſt eccleſia:ipſa eſt & illa Hieruſalem, ad cuius pacem currimus : quæ non in angelis, ſed in nobis peregrinatur, quæ ex parte meliorem expectat partem redditurain. Vnde nobis literę venerunt quæ quotidie recitantur.Ipſa ciuitas : ipſa eſt Sion quam Deus præelegit:gratia , non ſuis meritis præcedentibus.Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu eius. Et iſte actus electionis eſt ſolùm ex parte Dei:nullum meritum electi pręteritum præſens vel futurum ſupponens, ſed ſolum gratiam Dei, qua nos gratuitè elegit. de hoc vide ver.1838. Dicat Pſal. quòd eccleſia ſedebit ſuper ſedem Dei.Cuius ratio eſt oſtẽdere,quòd prædeſtinatio diuina qua nos elegit ab æterno, omnium meritorum noſtrorum eſt cauſa principalis:voluntas autem noſtra eſt ſolum cauſa concomitatiua.Quod oſtẽdit Apoſtolus, dicens, Non eſt volentis neque currentis , ſed Dei miſerentis: quia cuius vult miſeretur : & quem vult indurat. Vbi Glo. Auguſt.Si quæratur meritum obdurationis & miſericordiæ , obdurationis quidem meritum inuenimus , miſericordiæ verò meritum non inuenimus:quia nullum eſt miſericordię meritum, ne gratia euacuetur,ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. Meritum autẽ obdurationis eſt peccatum totius maſſæ damnatæ. Nec obdurat Deus impertiendo maliciã,ſed non impertiẽdo gratiam. Sicut nec digni ſunt quibus non impertitur. Quiſquis igitur obduratus eſt , ſe obduratum debitè: quiſquis adiutus eſt, ſe gratis adiutum cognoſcat. Miſeretur ergo Deus cuius vult magna bonitate: obdurat quem vult nulla iniquitate:vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis demeritis conqueratur.Sola enim gratia redẽptor diſcernit à perditis , quos in vna perditionis concaruerat maſſa ab origine ducta perditionis cauſa communis.Vniuerſum quippe genus humanum tam iuſto Dei iudicio in apoſtatica radice eſt damnatum,vt etiã ſi nullus inde liberaretur,nemo rectè poſſet Dei vituperare iuſtitiam.Quoſdam ergo gratis liberat,quoſdam iuſtè obdurat. Non tamen eſt intelligendum quòd ita obduret , quaſi quoſdam peccare cogat:ſed tantum quia quibuſdã peccatoribus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largitur : & ob hoc eos indurare dicitur, quia non eorum miſeretur,non quia impellit vt peccẽt. Eorum autem non miſeretur,quibus gratiam non eſſe præbendam æquitate occultiſſima & ab humanis ſenſibus remotiſſima iudicat:quam nõ aperit Apoſtolus,ſed miratur, vbi ait, O altitudo ſciẽtiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei,&c. Vniuerſa nãque maſſa meritò damnata,contumeliam debitam cui vult reddit Dei iuſtitia. Honorem indebitũ cui vult donat Dei gratia:non meritorum prærogatiua, non fatali neceſſitate, nec temeritate fortunæ: ſed clauſa altitudine ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ : qua quos voluit, gratis ab æterno elegit. Hæc Gloſ. Et hanc rationem electionis hic aſſignans Pſal. dicit, *Quoniam elegit dominus Sion,* &c.

*Sion ſignificat eccleſiam. Epheſ.1. Rom.9. Eligit Deus ... Reprobat Deus ex meritis. Rom.11.*

## Hæc rẹquies mea in ſæculum ſęculi : hic habitabo,quoniam elegi eam. 2346

Hic ponitur tertium:ſcilicet diuinitatis habitatio.Vbi notandum eſt quòd tanta eſt vnio charitatis, quòd amantem transformat in amatum : quia perfectè amãs alium, illum vt ſe reputat:quicquid illi accidit boni vel mali, ſibi accidere dicit. Vnde quia Chriſtus perfecta charitate ſuos diligit , ideo etiam iam in cœlo glorificatus,mala noſtra ſua reputat,&ſe pati proteſtatur cum nos patimur.Vnde Saulo fideles perſequenti,dixit,Act.9,Saule,Saule, quid me perſequeris?Sic & bona nobis eius amore collata ſibi data aſſerit : dicens,Matth.25,Eſuriui, & dediſtis mihi manducare,&c. Vnde ibi finaliter concludit:dicens,Quod vni ex minimis feciſtis,& mihi feciſtis. Quod totum facit virtus charitatis & amoris.Sic & in propoſito. Cùm Deus habitat in nobis per ſuam gratiam, non requiem capit ex nobis:quia in ſeipſo requieſcit. Sed nos ex eius in nobis habitatione, in illo requieſcimus,qui in nobis requiem nõ poſſumus habere. Et hoc eſt quod ait,*Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.*Hoc autem de ciuitate Hieruſalem etiam ad literã intelligi non poteſt:quia illa nõ durat in ſæculum ſæculi:cùm multoties fuerit euerſa. Sed intelligitur de ſpirituali Hieruſalem : id eſt, de eccleſia , vel de qualibet deuota anima:quæ cum habitatur à Deo, in Deo requieſcit. Vnde hic ait Auguſt. *Hæc requies mea,* &c. Hæc Dei verba ſunt.Videte ergo quantũ nos amat Deus,fratres : vt quia nos requieſcimus in eo, ipſe ſe requieſcere dicat in nobis. Nõ enim ipſe aliquãdo turbatur, aut ſic requieſcit : ſed ibi ſe dicit requieſcere, quia nos in illo requiem habemus. Sed ne aliquis glorietur de meritis ſuis:dicens, Ideo in me habitat Deus & requieſcit , quia hoc ego mereor, propter opera mea bona: ideo Deus cauſam huius habitationis in nobis oſtendit non eſſe merita noſtra , ſed mera gratia ſua , qua nos elegit ab æterno & prædeſtinauit , vt eſſemus ſancti & immaculati. Et hoc eſt quod ſequitur , *Hic habitabo, quoniam elegi eam.*Quaſi dicas, Cauſa huius habitationis eſt electio mea.Quæ quidem electio & prædeſtinatio Dei cum ſit æterna , non eſt ex meritis noſtris,ſed ſola gratia Dei : vt dictum eſt verſiculo pręcedenti.Item notandũ quòd hic loquitur Deus non ſolùm de requie quam in ipſo per ſpem habemus in vita præſenti:ſed magis loquitur de requie cœleſtis patriæ, qua in ipſo æternaliter ſancti requieſcunt.Ad quod notãdum dicit, *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi:*id eſt, in æternum. Requies autem præſentis vitæ, non eſt in ſæculum ſæculi : ſed terminatur cum vita.De qua requie dicitur Apoc.14, Amodo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcãt à laboribus ſuis. Et Iob 36, Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine. Quod exponens Greg.ait, Requies menſæ eſt ſatietas refectionis internæ : quæ pinguedine plena dicitur, quia internæ voluptatis delectatione præparatur. Huius menſæ epulas eſuriebat propheta cùm dicebat , Satiabor dũ manifeſtabitur gloria tua. Huius menſæ poculum ſitiebat:dicens, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum , quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Et de hac requie nunc dicitur , *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* Et de iſta requie in præſenti vita quantumcunque quiſque ſit perfectus in gratia, ſemper formidare debet.In cuius argumentum ille ſanctus Iob tot aduerſis percuſſus , teſtimonio veritatis innocens probatus : adhuc de requie poſt mortem habenda formidabat:dicens, Putáſne ſaltem ibi erit requies mihi? Quod ad noſtram informationem exponens Gregor.dicit , In quibus nimirum verbis ſanctus Iob nobis innoteſcit quid deſiderat. Et tamen eſſe adhuc de ſuſcipien da requie dubium deſignat : ne cuius ſancta opera tot flagella ſecuta ſunt, occulto iudicio ſuperni iudicis,poſt flagella temporalia etiam manſura tormẽta ſequerentur.Qua in re magno nobis timore pẽſandum eſt,quis noſtrum iam de requie æterna ſecurus ſit:ſi de ea adhuc & ille trepidat cuius virtutis præconia & ipſe iudex qui percutit, clamat. Si enim vix iuſtus ſaluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? Beatus enim Iob ad requiem poſt flagella ſe peruenturum nouerat : ſed vt noſtra in timore corda concuteret , ipſe viſus eſt de æterna quietis retributione dubitare : cum dicit, Putáſne ſaltem ibi requies mihi erit ? vt nos videlicet perpendamus quanta debemus formidine ſemper venturum iudicium expaueſcere : quando & ille qui iudice teſte laudatus eſt , adhuc de retributione iudicij in ſuis vocibus ſecurus non eſt.

*Requieſcit Deus in nobis : quia nos in illo. Greg.26.moral.cap.32. Pſal.16. Pſal.4. Iob 17. Greg.13.moral.cap.23.*

## Viduam eius benedicens benedicam : pauperes eius ſaturabo panibus. 2347

Hic ponitur quartum , quod eſt ſupernalis benedictio. Quid enim per viduam hic deſignatur, niſi quælibet fidelis anima,vel ipſa ſancta mater eccleſia:quæ viſione ſui viri occiſi in præſenti priuatur? vt dicit Gregor.Quæ autem vidua, niſi anima nuncupatur?quam quia ſibi coniungere conditor voluit,ad thalamum vteri virginalis venit:Pſal. atteſtante , qui ait, Et ipſe tanquam ſponſus procedẽs de thalamo ſuo. Quæ rectè vidua dicitur, quia eius vir pro ipſa mortem pertulit.Et ſic in cœli penetrabilibus ab eius oculis occultatus , quaſi in parte alterius regionis iuit. Quid eſt ergo, *Viduam eius benedicens benedicam,*niſi eccleſiam & quamlibet deuotam animam benedictione gloriæ cœleſtis replebo? Vnde & hic Auguſt. *Viduam eius benedicens benedicam.*Omnis anima quæ intelligit ſe deſertam omni auxilio,niſi ſolius Dei,vidua eſt. Quæ autem verè vidua eſt & deſolata, ſperabit in dominũ. Has autem viduas deſcribens Apoſtolus ait , Quæ in deliciis agit vidua,viuens mortua eſt. Quæ autem verè vidua eſt & deſolata,ſperabit in dominum : & ſtabit in precibus & obſecrationibus die ac nocte. Ibi enim ſubiecit , Quæ autem in deliciis agit, viuens mortua eſt. Vnde ergo vidua?quia non habet auxilium niſi ſolius Dei. Illæ quæ habent viros, quaſi ſuperbiunt de auxilio virorum.Ergo tota eccleſia vna vidua eſt,ſiue in viris , ſiue in fœminis, ſiue in coniugatis , ſiue in maritatis fœminis, ſiue in adoleſcentibus, ſiue in ſenibus , ſiue in virginibus. Omnis eccleſia vna vidua eſt deſerta in hoc ſæculo , ſi ſentit illud , ſi nouit viduitatem ſuam. Tunc enim auxilium præſtò eſt illi. Nónne agnoſcitis iſtam viduam in euangelio,fratres,cùm diceret dominus,Semper orare oportet, & non deficere:dixit , Erat quidam iudex in ciuitate, qui nec Deum timebat , nec homines reuerebatur. Et interpellabat eum quædam vidua quotidie,dicens, Vindica me de aduerſario meo. Et interpellando eum quotidie vidua fregit illum. Ait enim iudex ille apud ſe, Etſi Deum non timeo, nec vereor homines , propter tædium tamen quod mihi iſta vidua facit , vindicabo eam. Si audiuit iudex malus viduam,ne tædium pateretur:Deus non audiet eccleſiam, quam hortatur vt oret ? Qui & promittit dicens, Viduam eius benedicens benedicam. Sequitur,*Pauperes eius ſaturabo panibus.* Qui enim pauperes ſunt in eccleſia, niſi humiles , qui non de ſeipſis,ſed ſolum de Deo præſumunt?Matth.5, Beati pauperes ſpiritu,quoniam ſaturabuntur pane cœleſti : id eſt , Chriſto , qui eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit : Ioan.6 , dum eius diuinitatem & humanitatem fruitiuè videbunt. Sed nunquid diuites ſaturabuntur ? Audi Auguſtin. dicentem hic , *Pauperes eius ſaturabo panibus.* Multi præſumentes de ſæculo & ſuperbi Chriſtiani ſunt. Adorant Chriſtum , ſed non ſaturantur ſapientia &

*Vidua ſignificat eccleſiã vel animam iuſtam. Greg.16.moral.cap.12. Vidua ſancta eccleſia interpretatur : lib. autem 17.mo. c.1. vidua interpretatur anima. 1.Tim.5. Ibidem. Oratio inſtãs exauditur. Luca 18. Pauper dicitur quilibet humilis: diues ſuperbus. Quæſtio.*

& iuſtitia eius: quia non ſunt pauperes. Pauperes autem (id eſt, humiles corde,) quanto plus eſuriunt, tanto plus manducant. Tanto autem plus eſuriunt, quanto à ſæculo inanes ſunt. Qui plenus eſt, quicquid illi daturus es reſpuit. Pauperes autẽ ſaturabuntur. Nam alibi ſcriptum eſt, Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. Sed ibi nõ eſt dictum, & ſaturabuntur. De pauperibus autem illic ſubditur, Edẽt pauperes, & ſaturabuntur: & laudabunt dominum qui requirunt eum. Vbi enim dictum eſt, Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ, non eſt dictũ, & ſaturati ſunt. Quando autem pauperes dicti ſunt, ſaturati dicti ſunt. Hęc ſaturitas Deus ipſe eſt panis viuus: qui vt lac nobis fieret, deſcendit in vterum virginis. Eſtote ergo fratres pauperes: eſtote in membris illius viduæ. Non ſit auxiliũ veſtrum niſi à domino Deo. Pecunia nihil eſt: non inde auxilium habetis. Multi propter pecuniam perierunt: multi propter pecuniam quæſiti ſunt à raptoribus: tuti fuiſſent ſi non habuiſſent quare quærerentur. Multi de amicis potentioribus præſumpſerunt. Ceciderunt illi de quibus pręſumpſerunt: & inuoluerunt illos qui de ſe præſumpſerant. Tamen notandum, quòd iſta laudabilis paupertas ſtat in animo. Vnde & abundans diuitiis, pauper poteſt eſſe: & carens diuitiis, diues & ſuperbus. Vnde & hic ait Aug. Inuenies quandoque pauperem ſuperbum: & diuitem humilem. Pauper autem Dei, in animo eſt, non in ſæculo. Procedit aliquando homo habens plenam domum, vberes terras, multa prædia, multum auri & argenti: nouit quia de ipſis non eſt præſumendum: humiliat ſe Deo, facit inde bene. Ita cor ipſius erigitur ad Deum, vt nouerit quia non ſolùm non proſunt illi diuitiæ ipſæ, ſed impediunt, niſi Deus regat & ſubueniat illi. Iſte diues numeratur inter pauperes qui ſaturabuntur panibus. Inuenies aliũ mendicum inflatum, aut ideo non inflatum, quia nihil habet: quærentem tamen habere vnde infletur. Non attendit Deus facultatem, ſed cupiditatẽ: & iudicat eum ſecundum cupiditatem, qua inhiat temporalibus rebus: non ſecundum facultatem, quam ei non contingit adipiſci, &c.

*Pſal.21.*

*Pauper ſecurior eſt diuite.*

## 2348 Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.

Hic ponitur quintum: ſcilicet ſalutaris inſpiratio. Vbi notandum quòd per ſacerdotes intelligit omnes fideles electos, ſimiliter & per ſanctos: iuxta dictum Apoſtoli dicentis, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, &c. Vel per ſacerdotes intelligit rectores & prælatos. Per ſanctos autem, alios ſubditos: vt dictum fuit ſuperius, ver. 2340. cuius expoſitio quàmplurimum iſti verſiculo cõpetit. ideo nota quæ ibi dicuntur. Item notandum quòd per ſalutare Chriſtus intelligitur: de quo Simeõ ait, Nunc dimittis ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: vide verſic. 105. 146. & in multis aliis locis. Vnde hic ait Auguſt. *Sacerdotes eius induam ſalutari.* Quis eſt ſalutaris noſter, niſi Chriſtus? Quid eſt ergo, *Sacerdotes eius induã ſalutari:* niſi quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis? Notandum quòd ſalutare (id eſt, Chriſtum) induimus dupliciter: ſcilicet in præſenti & in futuro. In præſenti autem duobus modis: vt oſtendit Magiſter, lib. 4. diſt. 4. dicens, Duobus modis Chriſtum induimus: ſcilicet vel aſſumptione ſacramenti, vel rei perceptione. Induunt enim Chriſtum aliquando homines vſque ad ſacramẽti perceptionem: aliquando vſque ad vitæ ſanctificationem. Illud autem Pſal. bonis & malis poteſt eſſe commune. Hoc autem proprium eſt bonorum & piorum. Omnes ergo qui in Chriſto baptizãtur, Chriſtum induunt: vel ſecundum ſacramenti perceptionem, vel ſecundum ſanctificationem. Vel induunt ſalutare (id eſt, Chriſtum) qui ipſius vitæ exempla ſequuntur: qui non carni, ſed ſpiritui ſeruiunt. Quod notãs Apoſtolus ad Rom. 13. ait, Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſic vt in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, &c. ſed induimini dominum Ieſum Chriſtum. Et ſtatim ſubdit modum, dicens, Et carnis curam ne feceritis. Et ſi fortè dicas, Nónne mihi licet neceſſitatibus carnis ſubuenire, & illius gerere curam? Reſpondet Glo. ibi dicens, Et curam carnis ne feceritis in deſideriis veſtris: non dico in neceſſariis ad ſuſtentationem, ſed in deſideriis illicitis. Sic enim ſumenda ſunt alimenta, ſicut & medicamenta. Fames enim & ſitis quidã dolores ſunt: & vrunt ſicut febres, necant niſi alimentorum medicina ſuccurrat: quæ præſto eſt ex conſolatione munerum Dei, qui regnum Dei quærentibus, omnia adiicienda promiſit. Sic ergo ſumenda eſt alimonia, vt medicina. Sed dum ad quietem ſatietatis ab indigentia tranſitur, in ipſo tranſitu ita inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: & cum ſalus debeat eſſe cauſa edendi, accingit ſe tanquam pediſequa periculoſa iocunditas: & ſæpe præire conatur: vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa faciendum erat. Et ſæpe incertum fit vtrum neceſſaria corporis cura ſubſidium petat: an volũtaria cupiditas fallaciæ miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infelix anima, gaudẽs non apponere quod ſatis ſit medicationi valetudinis: ſed vt obtẽtu ſalutis obumbret negociũ voluptatis. Nec idẽ modus vtriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Ex quibus patet quòd ſalutare Chriſtum induit, qui nõ carni, ſed ſpiritui ſeruit. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate veritatis. Vbi Gloſa, Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt: id eſt, aſſumite ſimilitudinem noui hominis Chriſti. Secundò induimus Chriſtum in futuro: quando ſcilicet gloria eius operiemur. Tunc enim dicet illud Eſa. 61, Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis: & indumento iuſtitiæ circundedit me, &c. Sequitur, *Et ſancti eius exultatione exultabunt*: quia exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

*1. Pet. 2.*

*Lucæ 2.*

*Induimus Chriſtu multipliciter.*

*Carnis curã quomodo facere licet.*

*Epheſ. 4.*

*Pſal. 149.*

## Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo. 2349

Hic ponitur ſextum: ſcilicet euangelij prædicatio. Vbi notandum quòd per cornu Dauid Chriſtus intelligitur. Cornu enim ex carne naſcitur, à carne tamen manet nudatum: cætera autẽ oſſa, etſi à carne oriantur, carne tamen manent cooperta. Et ideo per cornu Chriſtus ſignificatur: qui de carne natus glorioſiſſimæ virginis, carne non fuit coopertus: quia non carni ſubiectus, ſed ſemper ſecundum ſpiritũ ſe rexit. Et de iſto cornu dicitur, Erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui. Vbi ait Beda, Cornu ſalutis ipſum Chriſtũ vocauit. Oſſa ſiquidem omnia carne inuoluta ſunt: cornu autem carnem excedit. Et ideo cornu ſalutis ipſe Chri-

*Cornu dicitur Chriſtus.*

*Lucæ 1.*



ſtus vocatur, quo mundus & gaudia carnis ſuperãtur. Et aduerte quòd maximè Chriſtus in ſacramento euchariſtiæ cornu ſalutis dicitur. Cuius ratio eſt. In cornibus enim animalis conſiſtit poteſtas, qua ſuos hoſtes impugnat. Et ideo cõformiter ipſa euchariſtia cornu dicitur: quia ſua poteſtate ab omnibus diaboli inſidiis ſibi deuotos protegit. Vnde de iſto cornu dicitur, Conſtituite diem ſolẽnem in condenſis vſq; ad cornu altaris. Quid enim per altare, niſi corpus Chriſti in altari cõſecratum intelligitur? Quid per cornu altaris, niſi eiuſdẽ poteſtas nos à diaboli protegens inſidiis? Vnde prædicta verba exponens Magiſter in Gloſ. ait, Conſtituite diem ſolennem in cõdenſis: ſcilicet diem natiuitatis & reſurrectionis dominicæ, qui honori Dei conſecratus eſt. Et hoc non tepidè agentes, ſed in condenſis: id eſt, frequentationibus virtutũ vel hominum. Vos dico tendentes vſque ad cornu altaris: vt ſcilicet cõmunicetis corpori Chriſti, vt in feſtis fieri ſolet, &c. De iſto cornu, ſcilicet de Chriſto ait, *Illuc producam cornu Dauid*: id eſt, In eccleſia producam Chriſtum verbum incarnãdo, & eccleſiæ ipſum manifeſtando: vt de ipſo præſumant fideles, nõ de ſeipſis. Vnde ait Aug. *Illuc producam cornu Dauid.* Vt de Chriſto præſumatur: ipſa erit altitudo Dauid. Cornu enim ſignificat altitudinem. Et qualem altitudinẽ? non carnalem, ſed ſpiritualem. Ideo omnia oſſa carne inuoluta ſunt. Cornu excedit carnem. Altitudo ſpiritualis Chriſti cornu eſt. Quæ autem altitudo ſpiritualis eſt, niſi de Chriſto præſumere? Non dicere, Egó facio, ego baptizo: ſed hic eſt qui baptizat. Sed qualiter iſtud cornu in eccleſia fuit productum, ſubdit dicens, *Paraui lucernam Chriſto meo.* Sed quæ fuit Chriſto lucerna parata ad oſtendendum iſtud cornu, ſcilicet Chriſtum, eccleſiæ, niſi Ioannes Baptiſta? Vnde ad literã de Ioanne Baptiſta ait Chriſtus, Vos miſiſtis ad Ioannem, ille teſtimonium perhibuit de me: illa erat lucerna ardens & lucens. Erat enim Ioannes lucerna ardens illuminatus à Chriſto: ardens fide & opere, lucens autem prædicatione: quo ſcilicet cornu Dauid, (id eſt, ipſum Chriſtum) præcurrendo prædicauit. Lucerna enim ſuo lumine illuminat abſcondita. Sic & Ioannes ſua prædicatione illuminauit hominum mentes de Chriſti poteſtate, qua in ſpiritu ſancto baptizabat electos. Vnde Aug. *Paraui lucernam Chriſto meo.* Quæ ſit lucerna iam noſtis verba domini de Ioanne, Ille erat lucerna ardens & lucens. Et quid ait Ioannes de Chriſto? Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Vnde de iſta lucerna, quę Chriſto ipſum manifeſtandum fuit parata, ait Glo. *Paraui lucernam Chriſto meo.* Hæc lucerna Ioannes eſt, qui præcurrẽs Chriſtum nunciat: homines baptiſmo aſſuefaciens viam præparat verbo. Ipſe eſt enim præco verbi, paranymphus ſpõſi, lucerna Chriſti. Hinc eſt quòd in diebus non feſtiuis vnus ſolus cereus ante euãgelium deferebatur. Hic eſt Ioannes qui Chriſtum præceſſit prędicando & baptizando. In feſtiuis autem diebus duo cerei præcedunt: quia poſt prædicationem Ioannis, à Chriſto bini ſunt miſſi Apoſtoli in Iudæã ad Chriſtum prædicandum. Vel aliter, per lucernam intellige ſacram ſcripturam, quæ tenebras noſtræ mentis illuminat: vt docet Greg. dicens, Lucernæ enim nomine lumen ſacræ ſcripturæ ſignificatur: de qua ipſe eccleſiæ paſtor Petrus dicit, Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Et de qua ait Pſal. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Quid eſt ergo, *paraui lucernam Chriſto meo*, niſi Præmiſi ante Chriſtum ſcripturam ſacram quæ ipſum venturum manifeſtaret? de qua dicitur, Lucerna ſplendebat ſuper caput meum. Vel aliter, per lucernam intellige prælatos & prædicatores, quos Deus parauit Chriſto ad ipſum prædicandum ſubditis & manifeſtandum.

*Cornu dicitur euchariſtia.*

*Pſal. 117.*

*Lucerna eſt Ioannes Baptiſta.*

*Ioan. 5.*

*Ioan. 5.*

*Lucerna dicitur ſacra ſcriptura. Greg. 19. moral. cap. 9.*

*2. Pet. 1.*

*Pſal. 118.*

*Iob 29.*

*Lucernæ ſunt prælati & prædicatores.*

## Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. 2350

Hic ponitur ſeptimũ: ſcilicet inimicorum ſubiugatio. Sicut enim fideles Chriſti in multis exaltabuntur, vt patet ex prædictis: ſic inimici Chriſti (ſcilicet infideles) confundẽtur, quando in conſpectu angelorum & beatorum damnabuntur. Et tũc induentur confuſione. Quia ſicut indumento vndequaque circundamur: ſic & reprobi vndique erunt confuſi, deſuper habentes iudicem iratum, inferius infernum apertum: antè, gloriam beatorum, pòſt, ſupplicia tormentorum: à dextris, peccata accuſantia, à ſiniſtris, dæmonia multa. Vnde de confuſione inimicorum Chriſti futura dicitur, Operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Nomine enim diploidis, quæ eſt duplex veſtis, duplex confuſio deſignatur malorum: quia confundentur dupliciter, vt dictum eſt: ſcilicet dupliciter, quia ſuperius & inferius: dupliciter, quia antè & retro: dupliciter, quia à dextris & à ſiniſtris: dupliciter, quia intus & extra. Et hoc eſt quod de inimicis Chriſti dicitur Iob 8, Qui oderunt te, induentur confuſione. Quod ad propoſitum tractãs Gregor. dicit, Inimicos Chriſti in extremo examine confuſio induit: quia cum tranſacta mala redundare ſibi ante oculos mentis aſpexerint, ſuus vndique eos deprimens reatus veſtit. Ad pœnam quippe tunc ſanctorum ſuorum memoriam tolerant, qui nunc quaſi à ſenſu rationis extranei gaudẽtes peccant. Ibi vident quantum debuerunt fugere quod amauerunt: ibi conſpiciunt, quàm lugubre fuerit quod nunc in culpa gratulantur. Tunc animum reatus obnubilat, & recordationis ſuæ iaculis ipſa ſe conſcientia impugnat. Quis igitur dignè penſet inimicorum Chriſti quanta tunc confuſio erit, quando & foris æternus iudex cernitur, & intus antè oculos culpa verſatur? Quid ad hoc idcirco perueniunt, quia ſolum hic tranſitoria dilexerunt? Vnde de ipſis dicitur, Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi: confundantur & pereãt. Sequitur, *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*: id eſt ſuper Chriſtum. Sanctificatio enim à ſimili arboris dicitur: quæ quando floret, pulchrior eſt. Floret ergo ſanctificatio in Chriſto, in quo eſt poteſtatis ſanctificationis: quia quando inimici induentur confuſione, tunc apparebit Chriſtus ſanctificator iuſtorum. Vnde Auguſtinus, *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*: id eſt ſuper Chriſtum. Nemo hominum illam ſibi aſſumat, quia ipſe eſt qui ſanctificat. Alioquin nõ erit verum quod dicitur, *ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Gloria ſãctificationis florebit. Sãctificatio ergo Chriſti in ipſo Chriſto, poteſtas ſanctificationis Dei in ipſo Chriſto florebit: quia quos voluerit, ſãctificatos producet ad gloriã. Quãdo enim florẽt arbores, tũc pulchræ ſũt. Sic Chriſtꝰ tũc pulchrior apparebit, cũ per

*Cõfuſio multiplex malorum.*

*Pſal. 108.*

*Gregor. 8. moral. cap. 41.*

*Pſal. 82.*

ipſum & cum ipſo ſancti ſui florebunt. Et hoc eſt quod dicitur Pſalm.91, Quoniam ecce inimici tui domine peribunt. Sequitur de Chriſto, Iuſtus autem vt palma florebit, &c.

## PSALM. CXXXII.

2351 **Ecce quàm bonum & quàm iocũdum, habitare fratres in vnum.**

Iſte Pſal. hunc habet titulum, Cãticum graduum ipſi Dauid. Ex iſto titulo patet auctor Pſal. ſcilicet ipſe Dauid. De materia autẽ, dicunt doctores quòd poſtquam Dauid habuit poſſeſſionem totius regni Iſrael: quãdo ſcilicet venerunt omnes tribus Iſrael ad Dauid in Ebron dicentes, Ecce, nos os tuum & caro tua ſumus. Et vnxerunt Dauid in regem ſuper totum Iſrael. Tunc ergo Dauid videns totum populum Iſrael vnitum ſub cultu vnius Dei ac ſub vno principatu, ſcilicet ſub vno rege pacificè: tunc ex hoc Deo gratias agens, fecit iſtum Pſal. dicens, *Ecce quàm bonum & quàm*, &c. Quantum verò ad intellectum propheticũ, hic agit Dauid de decimoquarto gradu aſcenſionis ſpiritualis: qui eſt charitas & dilectio, quæ concordiam inter fratres nutrit & amorem. Vnde vt hic ait Aug. Ita dulcis eſt ſonus iſtius Pſal. vt etiam qui pſalterium neſciunt, iſtum verſum cantent. Tam etiã dulcis eſt, quã dulcis eſt charitas, quæ habitare facit fratres in vnum. Quibus viſis, accedo ad Pſal. diuiſionem: qui diuiditur in partes quatuor. Quia oſtẽdit primò quòd charitas eſt magnæ iocunditatis: ſecundò quòd eſt magnæ ſtabilitatis: ibi, *Sicut vnguentum*: tertiò quòd eſt magnæ generalitatis: ibi, *Quod deſcendit*: quartò quòd eſt magnæ durabilitatis: ibi, *Quoniam*. Quantum ad primum, ſciendum quòd contrariorũ ſunt contrarij effectus. Cùm ergo charitas & ira, ſiue odium, cõtraria ſint adinuicem, & ira ac odium turbationem cauſet: conſequens eſt quòd charitas & dilectio delectationem inducat & iocunditatem. Et hoc eſt quod hic ait Pſalm. *Ecce quàm bonum & quàm iocundum*, &c. Ecce enim eſt oſtendentis: quaſi plus oſtendere volens opere quàm lingua quæ dicturus eſt. Vnde quàm ſit dulcis iſte verſus, oſtẽdit Auguſt. hic dicẽs, Iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia tam in verbis quàm in intellectu, tantę iocũditatis eſt, quòd ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierant. Iſte verſus ſonuit per orbem terrarum: & qui diuiſi erant congregati ſunt. Iſte clamor ſpiritus ſancti nõ audiebatur in Iudæa, & auditus eſt in orbe terrarum. Veruntamen conſideremus quòd de illo pariete circuncisionis nata eſt iſta benedictio prius. Non enim omnes Iudæi perierunt. Vnde Apoſtoli filij prophetarum? vnde illi quingenti qui dominum poſt reſurrectionem viderunt: quod commemorat Apoſtolus Paulus. vnde illi centum viginti qui ſimul erant in vno loco, quando in die pentecoſtes ipſis de cœlo miſſus fuit ſpiritus ſanctus? Omnes de Iudæa erant, & ipſi habitauerunt in vnum, quia omnia quæ habebant, vendiderunt, & ipſorũ precia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt: & diſtribuebant vnicuique, ſicut cuique opus erat. Iſti habitabant in vnum: quia erat omnibus illis cor vnum & anima vna. Et iſti primò audierunt, *Ecce quàm bonũ & quàm iocundum habitare fratres in vnum*. Et ab illis venit ad poſteros iſta charitatis exultatio. Iſte verſus monachos fecit. Iſte verſus, dulcis ſonus & melodia ſuauis, toto orbe terrarum notiſſimus, vt tuba ſpiritus ſancti diuerſos corpore congregat in vnum, & monaſteria plurima peperit. A quibus tamen benedictio ad cæteros deſcendit, qui etſi non corpore, in vnum habitant mente. Notandũ tamẽ eſt quòd hic non de omni vnitate loquitur: quoniã eſt quædã vnitas malorum, & quædam bonorum. vt oſtendit Bernard. ſuper illo verbo Pſal. 2, Aſtiterunt reges terrę, & principes cõuenerunt in vnum: dicens, Alia eſt vnitas ſanctorum, quæ pleriſq; locis ſcripturarum commendatur: alia facinoroſorũ, quę nihilominus ex eiſdem ſcripturis improbatur. De hac enim ſcriptum eſt, Aſtiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in vnum. Talis vnitas, imò verò peruerſitas, ſolet eſſe quorundam fratrum tepidè conuerſantium: quibus ſi aliquid honeſtatis, ſi aliquid inſigne alicuius bonæ cõſuetudinis perſuadere velis, promptiores ſunt maiori ſtipẽdio ac difficultate reſiſtere, quàm facili cõpendio aſſequi velle. Hac ergo excluſa, quæ bonorũ eſt proſequamur. Vnitas autem bonorum duplex eſt. Vna quæ iuſtificat: alia, quæ glorificat. Illa meritum, iſta pręmium. De prima ſcriptum eſt, Multitudinis credẽtium erat cor vnum & anima vna. De ſecunda dicitur, Qui adhęret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo: quę in futuro ſperanda eſt. Illa verò quę iuſtificat, nunc potiſſimè in vſu noſtri operis neceſſaria eſt. De cuius ſuauitatis dulcedine intonat Pſal. dicens, *Ecce quàm bonum & quàm iocũdum, habitare fratres in vnum.* Cuius vnitatis pulchritudinem cum deſcripſiſſet ſermo propheticus, etiã vtilitatem non tacuit: dicens, Quoniam illic mandauit dominus benedictionem & vitam vſq; in ſæculum. Seruatur autem hæc vnitas duobus modis: quia quiſque perfectus vnitatẽ debet habere ad ſeipſum & ad proximum. Ad ſeipſum, per integritatem: ad proximum, per conformitatẽ. Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet ſuum principium imitari. Si igitur Deus vnus eſt, dicente Moyſe, Audi Iſrael: dominus Deus tuus vnus eſt. Sed ille cum ſit vnus & idem in ſemetipſo perfectus, nec vllo indigens: ineſt ei tamen benignitas erga nos, & amor & beneuolentia in nos veniens: debemus & nos quiſque ſibi vnus eſſe per integritatem virtutum, & vnum cum proximis per vinculum caritatis. Sed vnitatẽ quam ad ſeipſum quiſque debet habere, tria impedire ſolent: ſcilicet nimietas, puſillanimitas, & leuitas. Nimij ſunt qui putant ſe poſſe quod non poſſunt: quorum ſpeciem tenebat Petrus, cum diceret, Domine paratus ſum tecum in carcerem & in mortẽ ire. Puſillanimes cõtrarij ſunt nimis. Et horum quoque ipſe tenuit imaginem, cum diceret, Exi à me domine, quia peccator homo ego ſum. Leues ſunt & inconſtantes, qui circumferuntur omni vẽto doctrinæ: quibus quod paulo antè placuit, nunc diſplicet: quod nunc eligunt, poſt paululum reprobabunt. Sed vt ſanentur in nobis hæc vulnera, contra nimietatem opponenda eſt conſideratio propriæ fragilitatis. Contra puſillanimitatẽ habẽda eſt fiducia diuinę pietatis: vt quod tuis meritis nõ poſſe te putas, ex illius adiutorio poſſis, dicáſq; cũ Apoſtolo, Omnia poſſum in eo qui me cõfortat. Contra leuitatẽ adhibenda eſt cõſultatio ſenioris: ne ſcilicet doctrinis variis & peregrinis abducaris. Cõſequenter videamus de vnitate, quã quis ad proximũ debet habere. Sed & illa duobus modis habetur, dũ & nos per dilectionẽ tẽdimus in alterum, & alterius quoq; viciſſim recipimus affectũ. Et hoc etiã duobus modis impeditur: obſtinatione, & ſuſpicione. Obſtinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi: nec ſuſpicio patitur credere ab aliis nos amari. Itáque fit vt dum nos nec alium obſtinati diligamus, nec ab aliis diligi ſuſpicioſi putamus. Vnitas quæ cum proximis habenda eſt, impeditur. Sed huic duplici morbo duplex charitas medetur. Illa ſcilicet quæ nõ ſua quærit: & illa quæ omnia credit. Habeat obſtinatus charitatem quæ nõ quærit quæ ſua ſunt, & alios diligat. Habeat ſuſpicioſus charitatem omnia credẽtem, & ſe ab aliis diligi ſine dubio credat. Hęc omnia Bern. Et aduerte quòd ſicut vnitas bonorum eſt vtilis & bona: ſic vnitas malorum reproba & damnoſa. Quod notãs Greg. dicit, Qui enim diuiſi corrigi poterãt, in iniquitatum ſuarum pertinacia vniti perdurãt: & tanto magis quotidie ad cognitionem iuſtitiæ ſeparabiliores ſunt, quanto à ſeinuicem nulla increpatione ſeparãtur. Nam ſicut eſſe noxium ſolet ſi vnitas deſit bonis: ita pernicioſum eſt, ſi non deſit malis. Peruerſos quippe vnitas corroborat dum concordant: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. De hac vnitate reproborum per Salomonem dicitur, Stuppa collecta ſynagoga peccantium &c. Huic ergo vnitati peccatorũ contrariatur vnitas electorum: de qua nunc ait Pſalm. *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.*

*Vnitas charitatis quã ſit vtilis & dulcis.* — *1.Cor.15.* — *Act.2.* — *Vnitas duplex, bona & mala.* — *Pſal.2.* — *Act.4.* — *1.Cor.6.* — *Deut.6.* — *Vnitatẽ multa impedire ſolent.* — *Luce 22.* — *Luce 5.* — *Phil.4.* — *Vnitas bonorũ eſt bona: & malorũ, mala.* — *Greg.33.mor. cap.13.* — *Eccl.21.*

2352 **Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron.**

Hîc oſtenditur quòd charitatis vnitas eſt magnę ſtabilitatis. Vbi primò ſciẽdum quòd per vnguentum oleo confectum, non niſi gratia ſpirituſſancti accipitur: dicens 1. Ioan. 2, Vos vnctionem habetis à ſpirituſancto: quia vnctio eius docet vos de omnibus. Vnde Gregor. ait, Olei vel vnguenti nomine ipſa ſpirituſſancti vnctio deſignatur: de qua per prophetam dicitur, Computreſcet iugum à facie olei. Iugum quippe à facie olei computreſcit, quia dum ſpirituſſancti gratia vngimur, à captiuitatis noſtræ ſeruitute liberamur: dúmque maligni ſpiritus dominatio ſuperba repellitur, iugum conteritur, quo libertatis noſtræ colla premebantur. De hoc rurſum vnguento ſcriptum eſt, Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei. Filius quippe olei fidelis populus dicitur, qui ad fidem Dei interna ſancti ſpiritus vnctione generatur. Quid autem per Aaron, niſi Chriſtus ſummus ſacerdos intelligitur? vide verſic. 1277. Ipſe Aaron Chriſtus caput eſt eccleſiæ: vide verſic. 2098. Per barbam autem qua diſcernũtur viri à mulieribus, quæ virilitatem ſignificat, intellige homines viriles in fide & conſtantes: ſcilicet primitiuos fideles Apoſtolos. Eſt ergo ſententia verſus, quòd vnctio (ſcilicet gratia ſpirituſſancti) primò deſcendit in caput noſtrum (qui eſt Chriſtus) à quo deſcendit poſtea principaliter in Apoſtolos viriles & conſtantes, per barbam ſignificatos, qui vniti erant charitate cum Chriſto. Vnde Auguſt. *Sicut vnguentum* &c. Aaron ſacerdos quis eſt niſi Chriſtus ſacerdos qui intrauit in ſancta ſanctorum? Qui cum in mundo nõ inueniret mundum quod pro nobis Deo offerret, ſeipſum obtulit. In capite eius vnguentum deſcendit gratia ſpirituſſancti. Sed à capite venit vnguentum in barbam ipſius. Barba enim ſignificat viriles, ſtrenuos, impigros, alacres. Ideo quando tales deſcribimus, dicimus, Homo barbatus eſt. Ergo primo illud vnguentum deſcendit in Apoſtolos: in illos ſcilicet qui primos impetus ſæculi ſuſtinuerunt. Nam & Apoſtoli qui primùm in vnum habitare cœperunt, perſecutiones paſſi ſunt. Sed quia deſcenderat vnguentum in barbam, paſſi ſunt, non victi. Etenim caput iam paſſum præceſſerat, vnde deſcendit vnguentum. Præcedenti tali exemplo, quis vinceret barbas? Ex illa barba erat Stephanus ſanctus. Et hoc eſt non vinci: vt charitas non vincatur ab inimicis. Nam viſi ſunt ſibi viciſſe, qui perſecuti ſunt ſanctos. Illi cædebant, iſti cædebantur: illi occidebant, iſti occidebantur. Quis non putaret illos vincere, iſtos vinci? Sed quare non victa eſt charitas? ideo quia vnguentum deſcendit in barbam. Attende Stephanum: ſæuiebant in eum Iudæi: rogauit pro eis cum lapidaretur ab ipſis. Vide ipſum barbam: nunquam adulauit, nunquam in perſecutione timuit qui ipſis dicebat, Dura ceruice & incircuncisi corde, vos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto. Vnguentum ergo à capite in barbam deſcenderat, quia & Stephanus cum lapidaretur, flexis genibus, ait, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Ergo illi tanquam barba erant. Multi enim tam fortes erant, & multas perſecutiones paſſi ſunt. Sic & Apoſtoli nónne barbati erant & vncti, quando (vt habetur Act. 4.) Principes ſacerdotum vocantes eos, ne in nomine Ieſu docerent populum, præceperunt eis? Illi autem barbati & viriles conſtanter reſponderunt: dicentes, Si iuſtum eſt vos potius audire quàm Deum, voſipſi iudicate. Non poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Vnde hoc? Quia (vt in eodem cap. ſubditur) habitabant in vnum: quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Propter quod & perſecuti viriles & barbati, ibant gaudentes à conſpectu concilij. Ex quibus ſatis apparet quòd per barbam viriles homines & conſtantes ſignificantur. Secundum enim Caſſiodorum vir dicitur à viribus: quia neſcit aduerſa tolerando deficere, nec in proſperis ſe eleuando iactare. Quicunque ergo per barbam ſe virum recognoſcit, ſe virtuoſum recognoſcere debet. Vnde in prouerbiis Philoſophorum narratur de Diogene, quòd interrogatus quare magnam barbam haberet: reſpondit, Vt eam tangendo me ſubitò virum eſſe meminerim. Sic ergo quid hodie dicemus de hominibus qui barbas grandes portare neſciunt, niſi quia ſe viros eſſe (id eſt virtuoſos) recognoſcere nolunt? Quod bene prophetauit Eſaiæ c. 15. dicens, Omnis barba radetur &c.

*Vnctio ſignificat ſpirituſſancti gratiã.* — *Gregor. 19. mor. cap. 13.* — *Eſa.9.* — *Eſa.10.* — *Eſa.5.* — *Caput dicitur Chriſtus.* — *Barba ſignificat viriles & cõſtãtes in fide Apoſtolos.* — *Stephani charitas inuicta.* — *Act.7.* — *Act.2.*

**Quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.** 2353

Hîc oſtendit quòd charitas & gratia ſpirituſſancti eſt magnæ generalitatis. Quia non ſolùm à capite Chriſto hoc vnguentum deſcendit in barbas, ſcilicet in Apoſtolos & primitiuos fideles: ſed etiã in omnibus eorum ſucceſſoribus. Vbi notandum quòd veſtimentum Chriſti dicitur ipſa vniuerſalis eccleſia: ſicut & veſtimentum eccleſiæ dicuntur omnes fideles. Vnde Gregor. dicit, Veſtimentum ſanctæ eccleſiæ eſt fidelium vita. Nam ſicut tota ſimul eccleſia veſtimẽtum eſt Chriſti: ita fideles quique eiuſdem eccleſiæ veſtimentum reputantur. Si enim ſancta eccleſia veſtimentum Chriſti non eſſet, Paulus profectò non diceret, Vt exhiberet ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam

*Gregor. 20. mor. cap. 24.* — *Veſtis Chriſti eccleſia & omnes fideles.* — *Ephe. 5.*

neque rugã:id eſt, neque per peccatum habentem maculam,neque per duplicitatem rugam:quia per iuſtitiam munda eſt, & per ſimplicem intẽtionem, tenſa.Quæ ergo abluta eſt ne habeat maculã,tenſa eſt ne habeat rugam,vtique Chriſti veſtis eſt.Sicut ergo veſtimentum Chriſti tota eccleſia generaliter dicitur:ſic indumentum eccleſiæ ſunt ſingulorum animæ,quæ ab errore conuerſæ,eandem eccleſiam credendo,eique inhærendo circundant.De quibus eidem eccleſiæ dominus per prophetam dicit, Viuo ego,quia omnibus his velut ornamento veſtieris.Item notandum,quòd ora oræ ſine aſpiratione, ſecundum grammaticos,eſt finis veſtimenti. Veſtimentum autem habet duplicem oram ſiue finem: ſcilicet ſuperiorem & inferiorem:ſuperiorem, per quam intrat caput hominis:inferiorem verò, quæ eſt finis veſtis erga terram.Et ſic hoc dupliciter exponitur.Primò,vt accipiamus oram veſtimenti ſuperiorem.Et ſic per oram veſtimenti Chriſti,intellige charitatem fraternam, qua fratres habitant in vnum.Quoniam(vt ait Auguſtin.) à barba deſcendere vnguentum ad oram potuit: ad oram ſcilicet quæ in capite veſtimẽti eſt, vbi aperitur caput.Tales ſunt qui habitant in vnum. Et quomodo per iſtas oras intrat caput hominis vt veſtiat ſe: ſic per concordiam fraternam Chriſtus in nos intrat, qui eſt caput noſtrum, vt veſtiatur & hæreat illi eccleſia. Si autem per oram veſtimenti intelligatur pars veſtimenti inferior & vltima, ſic per oram intellige ſanctos qui erunt in vltimis temporibus. Et tunc eſt ſenſus,quòd vnguentum à capite,ſcilicet gratia ſpiritusſancti à Chriſto deſcẽdit in oram veſtimenti eius:id eſt,vſq; ad ſanctos qui erunt in fine mundi: quia etiam vſque in finem mundi habitura eſt eccleſia fratres habitantes in vnum. Vel aliter,per oram inferiorem in qua veſtis perficitur, intellige omnes ſanctos, in quibus perficitur eccleſia: in quos à capite Chriſto vnguentum gratiæ deſcẽdit. Prædictum autem gratiæ deſcenſum in ſanctos ſub aliis verbis exprimit,dicens,*Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Iſta enim ſecundum literam intelligi non poſſunt, vt ros ab Hermon deſcendat in montem Sion: quia mons Hermon, eſt mons trans Iordanem,& mons paruus:mõs autem Sion, eſt circa Iordanem,& mons altior.Sunt ergo montes multum diſtantes. Quomodo ergo à monte Hermon modico, diſtante multùm à monte Sion alto, ros deſcenderet in montem Sion altum? impoſſibile eſt. Oportet ergo hoc totum myſticè exponere. Per rorem ergo intellige gratiam ſpiritusſancti, qua fratres habitant in vnum: non quidem ſuis viribus, non ſuis meritis, ſed ex Dei dono & gratia:ſicut ros de cœlo.Non enim terra ſibi pluit, aut non quicquid genuerit areſcit, niſi pluuia de cœlo deſcendat.Vnde & in Pſalm.dicitur,Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ. Dicit Voluntariam, quia non noſtris meritis, ſed illius voluntate. Quid enim nos peccatores boni meruimus? Sic ergo per rorem intellige gratiam ſpiritus ſancti.Vnde Oſee 6,Miſericordia mea quaſi ros mane pertranſiens.Per Hermon autem Chriſtus intelligitur. Nam Hermon exaltatus interpretatur lumen exaltatum. Chriſtus autem propriè dicitur lumen,quia eſt lux vera,quæ illuminat omnem hominem &c. Quod lumen fuit exaltatum quando Chriſtus fuit exaltatus in cruce vt hominem redimeret:ipſo dicente,Ego ſi exaltatus fuero à terra,omnia traham ad meipſum.Fuit etiam exaltatus in aſcenſione, quando videntibus Apoſtolis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum in cœlum. Per montem autem Sió,eccleſia intelligitur:quia Sion ſpecula interpretatur:& eccleſia Deum ſpeculatur per fidem. vide verſic. 1128. Quid eſt ergo rorem deſcendere à monte Hermon in montem Sion, niſi gratiã ſpiritusſancti à capite Chriſto in eccleſiam ſuam deſcendere? Et ſic idem eſt vnguentum à capite deſcendere in oram veſtimenti, & rorem deſcendere ab Hermon in montem Sion: quia hic idem ſignificat vnguentum & ros, caput & Hermon, ora veſtimenti & Sion. Et hoc eſt quod de Chriſto atteſtatur Baptiſta Ioannes,dicens,De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia: quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

*Eſa.49.* *Ora veſtis duplex.* *Ioan.5.* *Ros dicitur gratia ſpiritusſancti.* *Pſal.67.* *Hermõ ſignificat Chriſtũ.* *Ioan.1.* *Ioan.12.* *Act.1.* *Ioan.1.*

## Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum. 2354

Hîc oſtẽdit quartũ:ſcilicet quòd fructus charitatis eſt magnæ durabilitatis,quia permanet in ſæculum. Vbi notandum quòd in fratribus qui charitate habitant in vnum, duo conſiderantur: ſcilicet vnum quod Deo exhibẽt (ſcilicet laudem) quia Deum benedicunt & laudant: aliud quod à Deo recipiunt, ſcilicet vitam ſine fine. Primum notat Pſalm.dicens, *Quoniam illic mandauit dominus benedictionem.* Secundum cum dicit, *Et vitam vſque in ſæculum.* Quantum ergo ad primum, dicit, *Quoniam illic mandauit dominus benedictionem.* id eſt illic: id eſt in fratribus qui habitant in vnum, mandauit dominus benedictionem:ſcilicet vt tales Deum benedixerunt: quia ſolum in charitate concordes Deum vere benedicere poſſunt, non diſcordes. Vnde hic ait Auguſt. *Quoniam illic mandauit dominus benedictionem.* Vbi mãdauit in fratribus qui habitãt in vnum. Illi enim benedicent dominum qui habitant concorditer. Nã in diſcordia nõ benedicis Deum.Sine cauſa benedicis, ſi ore benedicis, & corde maledicis.Vnde & alibi dicitur,Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.Benedicis Deum, cũ oras: ſed ſi corde maledicis inimico tuo, oris benedictio in maledictionem vertitur. Si autem facis vt diligas inimicum tuum, & pro eo ores, ibi mandauit dominus benedictionem ſuam. Quoniam benedicere Deum eſt bene viuere: vide verſic. 378. Item nota quòd multipliciter benedicimus Deum: vide verſic. 502. Quantum verò ad ſecundum: ſcilicet quod habitantes in vnum recipiuntur à Deo:ſubdit, *Et vitam vſque in ſæculum.* Sicut enim Deus mandat bonis vt ipſi Deum benedicant:ita pro prœmio ipſis vitam tribuit inæternum. Benedic ergo Deũ, & habebis vitam in ſæculum: id eſt inæternum. Vnde hic ait Auguſtin.Multi enim amantes vitam iſtam,maledicunt inimicis ſuis.Pro qua re maledicunt inimicis ſuis, niſi pro vita iſta, niſi pro commodis ſecularibus? Vbi te anguſtauit inimic⁹ tuus, vt cogitares maledicere? In terra anguſtatus es:migra hinc,habita in cœlo.Quomodo (inquies) habitabo in cœlo, homo carne indutus, carni deditus? Corde præcede,quò ſequaris corpore. Noli ſurdus audire. Surſum ſit cor: & nemo te anguſtabit in cœlo.Et aduerte quòd duplex eſt vita,quam habitantibus in vnum Deus donat: ſcilicet vita ſpiritualis,per quam homines viuunt ſecundum rationem virtuoſe:& vita ſupernalis,quæ ſtat in fruitione

*Benedicũt dominũ concordes.* *Pſal.61.*



ne gloriæ. De quibus vide in poſtill. ſuper Ioan. Hæc autem vita ſolùm gratia Dei datur: vide verſiculum 425. Item nota quòd vitam ſpiritualem plus ſaluare debemus, quàm corporalem: vide verſic. 936.

# PSALMVS CXXXIII.

2355 Ecce, nunc benedicite dominum, omnes ſerui domini.

Titulus iſtius Pſalmi eſt, Canticum graduum. Patet expoſitio ex ſuprà dictis. Quantum verò ad materiam Pſalm. patet quòd iſte Pſal. eſt quædam inuitatio ſacerdotum & Leuitarum ad benedicendum Deum. Quantum verò ad ſenſum propheticum, eſt ſciendum quòd in iſto Pſalm. agitur de quindecimo gradu aſcenſionis: qui eſt charitas & dilectio Dei. Sicut præcedens Pſalm.egit de charitate & dilectione proximi:dicens, *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum*:ſic iſte Pſal. ad dilectionem Dei nos inuitat:dicens,*Ecce,nunc benedicite dominum* &c. Quamuis enim vna & eadem charitate diligatur Deus & proximus, aliũ tamen & alium effectum parit diligendo Deum & proximum: ſicut diuerſa ſunt, quæ per ipſum diliguntur.Eſt ergo intentio Pſalm.omnes inuitare ad Dei dilectionem, maximè illos qui patiuntur aduerſa. Diuiditur autem iſte Pſal.in duas partes: quia primò nos inducit ad dilectionis Dei meritum:ſecundò nobis oſtendit eiuſdem dilectionis præmium; ibi, *Benedicat te.* Prima diuiditur in partes tres:quia primò oſtendit dilectionis Dei meritum: ſecundò oſtendit eiuſdem meriti modum:ibi, *Qui ſtatis*:tertiò oſtẽdit diligentiũ ſtatum:ibi,*In noctibus.* Quantum ad primum, notandum quòd Pſalm.inuitans ſeruos domini ad benedicendum dominum, omnes homines inuitat: quia omnes de iure domini ſerui eſſe debemus:vt oſtendit Bernard.ſuper illud Pſalm. 118, Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum: dicens, Quoſdam ſeruos efficit ipſa eorum natiuitas &c.vide verſic.228.Et tamen tanta eſt ingratitudo noſtra, quòd magis volumus inimico noſtro ſeruire, quàm Deo:vt oſtendit Bernard. ſuper illo verbo Michee 6,Populemeus, quid debui tibi facere,& non feci? dicens, Quid cauſæ eſt quòd inimico noſtro libet vobis magis ſeruire, quàm mihi? Neque enim ille creauit vos aut paſcit,aut tempora veſtra diſponit. Si parua hæc videntur ingratis, non ille, ſed ego redemi vos. Sed quo precio? non argento,non auro, non ſole vel luna:non ſaltem aliquo angelorum, ſed corpore proprio. Et ſi hæc non ſatis vobis videntur, ſaltem ex denario diurno conuenite.Nihil iſte vobis nocuit:nihil videtur profuiſſe hoſti obtemperare.Iſti ergo ſeruite, qui plurima vobis pollicetur: apud quem certior copioſáque remuneratio eſt.vt illud quoque benigniſſima miſeratione diſſimulem, quòd bonorum noſtrorum non egens, vobis tantummodo velim eſſe conſultum, ne præſentia recipere detrecteris quę nunc offero dona gratiæ;futuris gloria muneribus eadem augenda promittens.Quibus cogitatis,domino ſeruire nunquam debemus obmittere: quia etiam & ipſe maledictionem inimicorum in nobis cõiectam vertit in benedictionem. vt oſtendit Hugo ſuper verbo præallegato, Populemeus, quid debui tibi facere &c.dicens, Quaſi tibi Deus dicat,Memẽto quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid illi reſpondit Balaam: vt cognoſceretur iuſtitia domini. Propheta enim iniquus maledicere volens populo Dei,ad benedicendum licet inuitus compellitur: quia mala quæ mali bonis inferunt, bonorum ſaluti domino cooperante diſponitur. Dicit ergo, Populemeus &c. Quaſi dicat, Erubeſce miſer homo. Tu nunquam obliuiſci debueras quantùm dilectus es à Deo, vt tibi maledictionem inimicorum tuorum non tantummodo non nocere permitterem:ſed eam quoque in benedictionem commutarem, vt mihi ſeruire non dubitares. Ex quibus patet quòd nomine ſeruorum omnes ad Dei dilectionem inuitat:dicens, *Ecce, nunc benedicite dominum omnes ſerui domini.* Et attende quòd dicit, *Ecce, nunc benedicite. Nunc*, quaſi iſto tempore vitæ prœſentis,dum ſumus in ſtatu pugnę & tribulationis. Agit enim iſte Pſalm.de dilectione domini, vt eſt meritoria. Mereri autem poſſumus ſolùm nunc in via. Vnde hic ait Auguſt. *Ecce, nunc benedicite dominum*:id eſt diligite dominum: *nunc*: id eſt in hoc tempore. Nam poſt actas tribulationes vitæ præſentis,manifeſtũ eſt quòd vacabimus benedictioni domini. Etenim dictum eſt, Beati qui habitant in domo tua domine:in ſæcula ſæculorum laudabunt te.Quod nunc benedicturi ſunt ſine defectu, hinc incipiunt benedicere dominum.Hic in tribulationibus,in tentationibus,in moleſtiis, inter aduerſitates ſæculi,inter inſidias inimici, inter fraudes & impetus diaboli.Et hoc eſt, *Ecce, nunc benedicite dominum.* Et nota quòd benedicit dominum ſolum ille qui bene viuit & ſecundum rationem: vide verſic.378.Item nota quòd ſeruitus eſt multiplex:ſcilicet ſeruitus peccati,ſeruitus corporis, & ſeruitus gratiæ:vide verſic.1788.1731.

*Serui domini multiplici ratione eſſe debemus.* *Num.22.* *Benedicere Deũ nũc debemus:id eſt, in præſenti vita.* *Pſal.83.*

## Qui ſtatis in domo domini,in atriis domus Dei noſtri. 2356

Hîc ponit modum dilectionis,ſiue merendi per dilectionem, cum dicit, *Qui ſtatis* &c. Quaſi dicat, Illi benedicunt dominum, qui ſtant in domo domini: & non alij. Vbi notandum quòd ſtare pertinet ad bonos mores & bonam vitam: ita quòd illi ſolùm ſtare dicuntur qui bene viuũt. Quod oſtendit Gregor.ſuper Ezech.parte prima,homilia 6.ſuper illo verbo Ezech.1, Statura quoque erat rotis & altitudo & horribilis aſpectus:dicens, Quid eſt quòd ſcripturæ ſacræ eloquiis tria hæc ineſſe narrãtur,vt ſtaturam,altitudinem & horribilem aſpectum habere memorentur? Quid igitur ſcripturæ ſtatura,quæ altitudo,quis horribilis aſpectus dicitur? Sciendum igitur eſt quòd ſtare ad vitam congruit bene operãtis.Vnde per Paulum dicitur,Qui ſtat, videat ne cadat. Quòd etiam diſcipulis dicit, Sic ſtate in domino chariſſimi. Et propheta qui ſe ante dominum vita & moribus ſtare videbat, ait, Viuit dominus, in cuius conſpectu ſto. Altitudo verò eſt cœleſtis regni promiſſio:ad quam tũc pertingitur, quando iam mortalis vitæ omnis corruptio ſubiugatur.Horribilis verò aſpectus eſt terror gehennę,quæ ſine fine reprobos cruciat,& ſemper in cruciatu conſeruat. Statura ergo in rectitudine præceptionis eſt: altitudo in celſitudine ſupernæ promiſſionis: horribilis verò aſpectus in minis atque terroribus ſupplicij ſequentis.Scriptura igitur ſacra ſtaturam habet:quia mores ad ſtandum dirigit,vt auditorum mentes ad terrenam cõcupiſcentiam non curuentur. Altitudinem habet; quia in cœleſti

*Stant ſolùm boni.* *Scriptura ſacra habet ſtaturã,altitudinẽ,& horribilẽ aſpectum.* *3.Reg.17.*

cœleſti patria æternæ vitæ gaudia promittit. Horribilem quoque aſpectum habet: quia omnibus reprobis gehennæ ſupplicia minatur. Oſtendit igitur ſtaturam ſuam in ædificatione morum: oſtendit altitudinem ſuam in promiſſione præmiorũ: oſtendit horribilem aſpectum in terroribus ſuppliciorum. Recta eſt enim in præceptis, alta in promiſſionibus, horribilis in minis. Habet ſtaturam, cum per prophetã dicit, Quieſcite agere peruerſe: diſcite benefacere: quęrite iudicium: ſubuenite oppreſſo: defendite viduam &c. Habet altitudinem: cum per eundem prophetam dicit, Nõ erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Habet horribilem aſpectum: cum infernum deſcribens dicit, Dies vltionis domini annus retributionum iudicij Sion: & conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem die ac nocte, & non extinguetur in ſempiternum. Habet ergo ſtaturam: cum per eam dominus propitius pollicetur: dicens, Sicut cœli noui & terra noua, quæ ego ſtare facio coram me, dicit dominus: ſic ſtatuit ſemen veſtrum & nomen veſtrum. Illi enim veraciter coram Deo ſtant, qui vitam ſuam in prauitate non diſſipant. Habet altitudinem, cum ſtatim ſubdit, Et erit menſis ex menſe, & ſabbathum ex ſabbatho: & veniet omnis caro adorare coram facie mea: dicit dominus. Quid eſt menſis, niſi perfectio dierum? Et quid eſt ſabbathum, niſi requies, in quo opus ſeruile facere non licet? Menſis ergo ex menſe eſt: quia qui hic perfectè viuunt, illuc ad perfectionem glorię perducuntur. Sabbathum verò ex ſabbatho eſt: quia qui hic ceſſant à peruerſo opere, illic requieſcunt in cœleſti retributione. Habet etiam horribilẽ aſpectum, cum protinus ſubiungit, Et egrediẽtur, & videbũt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ex prædictis omnibus patet quòd ſtare pertinet ad bonos mores: ſic quòd illi ſoli ſtare dicuntur, qui bene viuunt. Et ſic illi ſoli benedicunt dominum (id eſt ipſum meritoriè diligunt) qui ſtãt, non qui iacent. Et ad iſtud propoſitum inducit iſtum verſum Petr. Rab. ſuper illo verbo Matth. 8, Domine, puer meus iacet domo &c. dicens, Vides centurionem: antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterij fuiſſe ſortitũ. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, qui nondum Chriſtianæ ſcholæ ingreſſus eſt diſciplinam. Domine (inquit) puer meus iacet. Qui vocat dominum, ſuam fatetur fideliter ſeruitutem. Et quomodo hic cẽturio qui ſic agnoſcit dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri: quaſi neſciẽs ſerui periculum ad dominum pertinere? aut ignorat corã quo docet tam profunda, tã ſecreta? Puer meus, meum dico, quia iacet. Si tuus eſſet domine, non iaceret. Ecce nunc (inquit Pſal.) benedicite dominum omnes ſerui domini, qui ſtatis in domo domini: nõ qui iacetis. Vt tuus ergo ſit ſurgat: ſtet vt tibi ſeruiat, iam ſanetur. Nam ſi quandoque ſeruis tuis aduerſa proueniunt, non ſunt illis neceſſitatum cauſæ, ſed ſunt certæ victoriæ. Vnde & Greg. ait, Stare quippe eſt rectè agere. Et ad iſtũ ſenſum hic loquitur Pſal. dicens, *Qui ſtatis in domo domini*. Vel aliter: ſtare idem eſt quod perſeuerare. Vnde hic ait Aug. Quid eſt *Qui ſtatis*, niſi Qui perſeueratis? Vnde dictum eſt de quodam qui archangelus fuit, Et in veritate non ſtetit. De amico autem ſponſi dictum eſt, Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum: etiam gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Ergo *qui ſtatis*: id eſt qui perſeueratis. Sed in quo ſtatis vel perſeueratis? ſubdit, *In domo domini, in atriis Dei noſtri*. Vbi notandum quòd per domum domini intelligit eccleſiam: de qua Ioan. 2, Domus mea domus orationis vocabitur. Per atria verò, quę ſunt ampla & lata, intelligit charitatis latitudinem. Vnde hic Aug. ait, *Qui ſtatis in domo domini, in atriis* &c. Quare addit, *in atriis*? Atria ampliora ſpacia domus intelligũtur. Qui ſtat in atriis, non anguſtatur, non premitur. Quomodo ergo intelligitur, *qui ſtatis in atriis*? id eſt, qui ſtatis in charitate. In charitate enim latitudo eſt: in odio, anguſtia. De latitudine charitatis dicit Apoſtol[9], Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Vbi audis diffuſionẽ, intellige latitudinem: vbi audis latitudinẽ, intellige atria domini: & habes verã benedictionẽ domini, quando nõ maledicis inimicis. Eſt ergo ſenſus: *Qui ſtatis in domo domini*: id eſt, vos benedicitis dominũ, qui ſtatis: id eſt qui perſeueratis in domo domini (id eſt in eccleſia) per fidem. Et qui ſtatis in atriis domus Dei noſtri: id eſt in latitudine charitatis, vbi nullus anguſtatur. De atriis verò quàm multa ſignificant, vide in dictionario, vbi atrium.

*Eſa. 1. Eſa. 60. Hierem. 46. Gregor. 27. mor. cap. 13. Stare idẽ eſt quod perſeuerare. Ioan. 3. Atria ſignificãt charitatem. Rom. 5.*

## In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite dominum. 2357

Hîc ponit diligentium ſtatum: id eſt in quo ſtatu quis magis diligere dominum debet & benedicere: dicens, *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta*. Quid enim per noctem figuratur niſi aduerſitas: ſicut per diem proſperitas? vt oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Apocal. 12, Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei die ac nocte: dicens, Scriptura ſacra ſæpe diem pro proſperis, noctem autẽ pro aduerſis ponere conſueuit. In die autem & nocte nos accuſat diabolus, quia modò nos in proſperis, modò in aduerſis accuſabiles oſtendere contendit. In die accuſat, cum proſperis malè nos vti inſinuat. In nocte accuſat, cum in aduerſis nos nõ habere patientiam demonſtrat. Quid eſt ergo, *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta*: niſi In aduerſitatib[9] extollite? &c. Vnde hic ait Auguſt. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta* &c. Facile eſt benedicere dominum in diebus, id eſt in rebus proſperis. Nox enim triſtis eſt: dies læta eſt. Quãdo tibi bene eſt, benedicis dominum. Quãdo filium deſideras & naſcitur, benedicis dominũ. Liberata eſt vxor tua à periculo partus, benedicis dominũ. Ægrotabat filius tuus & liberatur, benedicis dominũ. Ægrotabat filius tuus, fortè quæſiuiſti magum vel ſortilegum, fortè non de lingua ſed de moribus tuis exiit maledictio in dominum: exiit de moribus tuis, de vita tua. Noli gloriari quia lingua benedicis dominum, ſi vita maledicis. Quomodo (inquies) vita maledico dominum? Quia attenditur vita tua, & dicitur, Ecce quales ſunt Chriſtiani. Blaſphematur propter te Chriſtus. Si ergo vita tua maledicit, quid prodeſt ſi lingua tua benedicat? Benedicite ergo dominum. Et quando? In noctibus: quando benedicit Iob: quãdo triſtis nox erit: quando ablata ſunt omnia quæ poſſidebãtur: quando ablati ſunt filij quibus ſeruabantur. Quando tunc triſtis erat nox, videamus ſi non in noctibus benedixit dominum. Dominus (inquit) dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum. Quæ nox obſcurior? Percuſſus erat vulnere à capite vſque ad pedes: putrefactus liqueſiebat in ſe. Tunc eum vxor ſua auſa eſt tẽtare, dicẽs, Dic aliquid in dominum tuũ, & morere. Audi benedictionem in noctibus. Locuta es (inquit) tanquam ex inſipientibus mulieribus vna. Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala quare non ſuſtinemus? Ecce ergo quid eſt, *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite dominum*. Vnde quanto gaudio in noctibus aduerſitatum exultant iuſti, & ad Dei dilectionem magis accenduntur, oſtendit Gregor. 31, moral. dicens, Iuſtus ſicut aduerſis non frangitur, ſic proſperis non eleuatur. Aduerſa nanque non deiiciunt, quem proſpera nulla corrumpunt. Decurrũt itaque tempora: ſed idcirco iuſtum trahere non valent, quia leuare non poſſunt. Illos nimirum trahunt quos leuant. Irata deiiciũt, quos blanda ſuſtollunt. Iuſtus in aduerſis hilareſcit: quia dum conſtanter aduerſa patitur, augeri ſibi virtutis meritum lętatur. Hinc eſt quòd tunc Apoſtolos exultaſſe legimus, cum pro Chriſto illos contigit aduerſa toleraſſe: ſicut ſcriptum eſt, Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij &c. Hinc per Salomonem dicitur, Non cõtriſtabit iuſtum quicquid acciderit ei &c. Et hoc eſt quod conſulit Pſalm. dicens, *In noctibus extollite manus veſtras* &c. Per manus enim opera intelliguntur. Quid eſt ergo manus extollere in ſancta, niſi manus ad ſancta opera facienda eleuare? quia ſanctis operibus magis quàm ſanctis verbis Deum laudamus: ſicut ſcriptum eſt, Benedicite dominũ omnes angeli eius, miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. Et talium ſic manus in ſancta extollẽtium, faciliter exauditur oratio: Pſal. 27, Exaudi orationem meam dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

*Nox aduerſitatẽ, dies proſperitatẽ ſignificat. Greg. 2. mor. cap. 6. In aduerſitatibus laudandus eſt Deus. Iob 1. Iob 1. Iob 2. Gregor. 31. moral. c. 23. Act. 5. Prouerb. 12. Operibus laudatur & benedicitur Deus. Pſal. 102.*



## 2358 Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Hîc oſtẽdit diuinæ dilectionis præmium: quod ſcilicet eſt benedictio Dei: dicens, *Benedicat te dominus ex Sion* &c. Sion namque ſignificat eccleſiam, in qua exiſtentes ſaluãtur: extra autem eccleſiam nullus ſaluatur. vt oſtendit Gregor. dicens, Sola quippe ſancta eccleſia eſt, per quam ſacrificium noſtrũ dominus libenter accipit. Sola quæ pro orantibus fiducialiter intercedit. Vnde & de agni hoſtia dominus præcepit: dicens, In vna domo comedetur, nec afferetis de carnibus eius foras. In vna namque domo agnus comeditur: quia in vna catholica eccleſia, vera hoſtia noſtri redẽptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foras prohibet, quia dari ſanctum canibus vetat. Sola eccleſia eſt, in qua opus bonum fructuosè peragitur. Vnde & mercedem denarij non niſi qui intra vineam laborauerunt, acceperũt. Sola enim eccleſia eſt, quæ intra ſe poſitos valida charitatis cõpage cuſtodit. Vnde & diluuij aqua arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit: omnes autem quos extra arcam inuenit, necauit. Sola eſt in qua ſuperna myſteria veraciter cõtemplamur &c. Ex quo apparet quòd per eccleſiam ſalus æterna cunctis fidelibus datur. Si ergo Sion ſignificat eccleſiam (vt ſuperius multoties eſt oſtẽſum) & eccleſia ſalutem æternam: quid eſt dominum nobis ex Sion benedicere, niſi benedictionem ſalutis æternæ nobis conferre? quæ ſalus noſtrorum meritorum præmium exiſtit. Eſt ergo ſenſus, *Benedicat te dominus ex Sion*: id eſt dominus beatum te faciat. Sed vnum dubium oritur. Superius enim dum ad dilectionẽ Dei prouocaret & ad meritum, loquebatur in plurali: dicens, *Benedicite dominum qui ſtatis: extollite manus veſtras* &c. nunc autem agens de præmio quod in Dei benedictione ex Siõ conſiſtit, loquitur in ſingulari, dicens, *Benedicat te*: & non, Benedicat vos. Ad quod dicendũ quòd tanta eſt charitatis vnio, quòd in charitate exiſtentes plures ſunt vnum, & vnũ eſt plures. Vnde hoc notans Auguſt. ait, *Benedicat te dominus ex Sion*. Plures hortatur vt benedicant dominum. Et ipſe vnũ benedixit qui ex pluribus vnum fecit. Quia bonũ & iocũdum eſt habitare fratres in vnum: pluralis numerus fratres eſt: ſed ſingularis, habitãtes in vnum. Nemo ergo noſtrum dicat, Ad me nõ pertinet iſta benedictio: ad me nõ peruenit. putas qui eſt quem benedixit? vnũ benedixit. Eſto ergo in vno: & perueniet ad te benedictio. Ad oſtendendum autem quòd ad ſolum verum Deum ſpectat taliter benedicere bonos: addit, *Qui fecit cœlum & terram*. Vel ſimpliciter accipe, *qui fecit cœlum & terram*: id eſt, qui ex nihilo in principio creauit Deus cœlum & terrã. Vel per cœlum accipe angelos, qui ſunt naturæ cœleſtis: per terram autem homines qui corpora habẽt terrena. Vel per cœlum accipe bonos: per terrã autem malos. quia boni in cœleſtibus conuerſantur: mali autẽ in terrenis. Deus enim fecit omnes bonos & malos: non quòd aliquem creauerit malum, ſed malos creauit. Hoc ergo dicit ad excludendum errorem Manichæorum: qui dicunt quòd ſuperiora & ſpiritualia à Deo ſunt creata: ſed inferiora omnia & corporalia à diabolo.

*Extra eccleſiam non eſt ſalus. Gregor. 35. moral. cap. 6. Exod. 12. Geneſ. 6. Quæſtio. Charitas plures facit vnũ. Nota.*

# PSAL. CXXXIIII.

## Laudate nomen domini, laudate ſerui domini. 2359

Titulus Pſalm. iſtius eſt, Alleluia: id eſt Laudate Deum. Conſimilem titulum habes in Pſalm. 104. Ideo huius tituli expoſitionẽ vide ibi, verſic. 1790. Ex iſto titulo non apparet quis huius Pſal. auctor fuerit. Materia autem Pſalm. eſt manifeſta: quia iſte Pſalm. eſt quędam bonorum inuitatio ad Deũ laudandum. Et congruè poſt Pſalm. graduales, in quibus oſtenduntur gradus quibus fideles aſcendunt ad gloriam, ad Dei laudem inuitamur: ne ingrati ſimus tali munere nobis parato: ad quod per gradus in Pſal. gradualibus contentos valemus aſcendere. Intentio ergo totius iſtius Pſalm. eſt, nos ad laudem Dei inducere: non vt ex hoc Deus magnificetur, ſed vt nos magnificemur in ipſo. Iſte autem Pſalm. diuiditur in partes tres: quia primò Deum à nobis laudandum oſtendit: ſecũdò cultum idolorũ execrando reprehendit: ibi, *Simulacra*: tertiò ab omnibus Deum eſſe laudandum concludit: ibi, *Domus Iſrael*. Prima diuiditur in partes tres: quia primò laus Dei nobis proponitur: ſecundò modus diuinę laudis apponitur: ibi, *Quis ſtatis*: tertiò ad hoc multiplex ratio inducitur: ibi, *Laudate dominum*. Quantũ ergo ad primum, laus Dei nobis proponitur cum dicitur, *Laudate nomen domini*. Et iſte verſus eandem ſententiam habet cum illo verſic. 2355. Ecce, nunc benedicite dominũ omnes ſerui domini. ibi vide. Vltra tamen illa notãdum quòd meritò ad laudem Dei inuitamur, nõ propter ipſum dominum, quòd ex laudib[9] noſtris creſcat: ſed propter nos, ne ſimus tanto

*Laus Dei nõ Deo, ſed nobis proficit.*

tãto dono ingrati,& ipſum nobis efficiamus ſeue- A rum. Dicit ergo *Laudate nomen domini.* Cauſámque quare hoc facere debemus,ſtatim ſubiunxit:dicẽs, *Laudate ſerui domini.* Quid enim iuſtius, quid gratius eſſe poteſt?Etenim ſi non laudauerũt ſerui dominum, ſuperbi & ingrati erunt. Et tamen ſi non laudas,non id efficis vt ſeruus non ſis,ſed dominũ offendis,& ipſum contra te prouocas: ſi verò laudas,ipſum propitiũ tibi facis.Et aduerte quòd laudibus & vituperio probantur homines,ſi iuſti vel iniuſti ſunt,ſi laudibus extollũtur, ſi vituperio deiiciũtur,quæ in hominibus cadere poſſunt,in Deo autem cadere nõ poteſt qui ſemper ſtabilis manet. Quod hic ſic probat Auguſt.dicens,*Laudate nomen domini.* Hortatur nos Pſal.vt laudemus dominum. Nõ enim laudibus noſtris ille creſcit,ſed nos.Deus B nec melior fit,ſi laudaueris:nec deterior,ſi vituperaueris.Tu verò laudando bonum melior eris, vituperando deterior.Bonus autem ille manet vt eſt. Probat.Si enim ſeruos ſuos prædicatores,rectores eccleſiæ ſuæ, id docet vt in conſcientia ſua habeãt dulcedinem bonæ vitæ ſuæ,nec corrumpãtur laudibus,nec frangãtur vituperationibus hominum: quanto magis ipſe incõmutabilis ſuper omnia qui hæc docet?Non itaque maior fit,ſi laudaueris:nec minor,ſi vituperaueris. Sed quoniam expedit nobis laudare dominum,miſericorditer iubet vt laudemus eum:dicens,*Laudate nomen domini.* Etenim ſi ſeruus laudãdo ſemper manere deberes,iuſtum eſſet vt talem dominum laudares:quanto magis laudare dominum debes, vt de ſeruo filius efficiaris? C Et nota quòd quilibet iuſtus in hac vita ſeruus dicitur, non ſolùm quia præcepta domini ſeruat:ſed etiam quia conditione carnis premitur. In futuro ex toto non ſeruus,ſed liber vocabitur.vt oſtendit Gregor.ſuper illo verbo Iob 7, Sicut ſeruus deſiderat vmbram &c.dicens, Electus quilibet ſeruus dicitur, quia electus quiſque quouſque infirmitatis conditione conſtringitur,ſub dominantis conditionis iugo,quaſi ſub æſtus anxietate retinetur. Qui nimirum cũ à corruptione exutus fuerit,tunc ſibimetipſi liber & tranquillus innoteſcit. Vnde rectè per Paulum dicitur,Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.Electos enim nunc ipſa pœna corruptionis aggrauat, ſed tunc incorruptionis gloria exal- D tat. Et quantum ad præſentis neceſſitatis pondera nunc in Dei filiis de libertate nihil oſtenditur,tantum verò ad ſequentis libertatis gloriam in Dei famulis de ſeruitute nihil apparebit. Creatura ergo ſeruitute corruptionis exuta,& dignitate libertatis accepta,in filiorum Dei gloriam vertitur: quia vnita Deo per ſpiritũ, quaſi hoc ipſum quòd creatura eſt,trãſiſſe declaratur &c. Si autem per nomẽ domini volumus accipere ipſum Chriſtum,cui dedit Deus nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur:vt habetur ad Philipp.2. Tunc nota quòd nomen domini (id eſt Chriſtum) propter multa laudare debemus: vide verſic.1281.

*Gregor.8.moral.cap.7.*

*Seruus dicitur quilibet iuſtus.*

*Rom.8.*

*Chriſtus multipliciter laudari debet.*

2360 Qui ſtatis in domo domini,in atriis E domus Dei noſtri.

Hîc modus diuinæ laudis apponitur:quia ſcilicet illi ſolùm laudant Deum qui ſtant in domo domini,& in atriis domus Dei noſtri:ſcilicet qui perſeuerant intra gremiũ eccleſię,quę eſt domus Dei, & in charitate,quæ per atria deſignatur: vide verſic.2356.quia idem eſt cũ iſto.Ne ergo aliquis credat extra domum eccleſiæ vel extra ſtatum gratiæ, dignè Deum poſſe laudare: ideo poſtquam ad laudem Dei cunctos inuitauit,nunc ſtatum quem debet habere oſtendit,vel qui ſunt illi qui nomẽ domini laudant. Vnde hic ait Auguſt. Sed quoniam ſcriptum eſt in alio Pſalm. Rectos decet collaudatio.Et alibi,Nõ eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et alibi,Sacrificium laudis honorificabit me:& illic iter quo oſtendã illi ſalutare Dei. Et conſequẽter,Peccatori autẽ dixit Deus, Vt quid tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum: quia tu odiſti diſciplinã & proieciſti ſermones meos retrorſum? Ne ergo fortè quiſquam quoniam dictum eſt, *Laudate ſerui dominum*:etiamſi in domo iſta fuerit malus ſeruus, ſuſpicetur ſibi prodeſſe laudem domini:continuò quales ſint qui laudare debent dominum,ſubiecit,dicens,*Qui ſtatis in domo domini* &c.*Qui ſtatis*, non, Qui ruitis. Illi enim ſtare dicuntur,qui in mandatis eius perſeuerant, qui in fide non ficta & ſpe firma & charitate ſyncera ſeruiunt Deo,& honorant eccleſiam eius, & non dant occaſionem malè viuendi illis qui venire & bene viuere volũt. Ergo qui ſtatis in domo domini,laudate dominũ: grati eſtote Deo qui vos erexit iacentes: & in domo ſua ſtare fecit & ipſum agnoſcere. Cogitãdum enim nobis eſt vbi iacebamus,& quò collecti ſumus:quia omnes impij Deũ non quærebant:ſed ipſe illos non quærentes quæſiuit. Ille inuẽtos excitauit,ipſe excitatos vocauit: vocatos introduxit,& in domo ſua ſtare fecit. Hæc quiſquis cogitat & ingratus non eſt, omnino præ amore domini ſui à quo tanta ſunt ei præſtita, ſe deſpicit.Et quoniam non habet quid pro tãtis beneficiis Deo retribuat, quid ei reſtat, niſi gratias agere & non repẽdere?Dicat ergo, *Qui ſtatis in domo domini.* Vbi notare potes, quòd domus domini eſt multiplex:ſcilicet domus communior,quæ eſt militans eccleſia:domus interior,quæ eſt munda cõſcientia:domus ſuperior,quæ eſt triumphans gloria.Prima igitur eſt domus eccleſiæ: de qua Ioã.2, Domus mea domus orationis vocabitur. Et in iſta domo ſtãt iuſti,vt lapides in ædificio.Et nota quòd in ædificatione non ponitur lapis,niſi aliis ſit vnitus & concors. Sic & in domo eccleſiæ diſcordes non ſtant. Vnde Chryſoſt.ſuper Matth.ait, Sicut ædificatores nodoſos lapides habẽtes torturas ferro dolant,& conſequenter eos in ædificio ponunt: alioquin non dolati lapides aliis dolatis nõ cohærent. Sic & eccleſiæ doctores vitia hominũ & nodos acutis increpationibus primùm circuncidere debent,& ſic in domo eccleſiæ collocare:alioquin vitiis manentibus, Chriſtiani Chriſtianis non cohærebũt. Tolle hæc,& nulla diſcordia inuenietur. Hæc ille. Igitur ſi ad concordiam non fueris aptatus,in domo eccleſiæ non poteris ſtare. Et hoc notans Apoſtolus ait, Vos ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini in domos ſpirituales ſacerdotiũ ſanctum,Deo offerre ſpirituales hoſtias per dominum Ieſum Chriſtũ.Secunda eſt domus conſcientiæ,de qua Pſal.100,Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Hæc autem domus,vt in ipſa bene poſſis ſtare, debet primò eſſe munda per affectionum puritatem:2.Machab.14, Tu domine vniuerſorum qui nullius habes indigẽtiam,voluiſti templum habitationis tuæ fieri in nobis: & nunc ſancte ſanctorum domine cõſerua domum iſtam immaculatam, quæ nuper mundata eſt.

*Benedicunt Deum ſolum boni.*

*Pſal.32.*

*Pſal.49.*

*Stare qui dicuntur.*

*1.Petr.2.*



A

Secundò debet eſſe ſecreta per cõtemplationis ſublimitatem.Iudith 8,In ſuperioribus domus ſuę fecit ſibi ſecretum cubiculum:in quo cum puellis clauſa morabatur. Per Iudith intelligitur anima Deum in quiete contemplationis laudãs. Hæc ergo in ſuperioribus domus ſuæ, id eſt in ſuperiori portione rationis, debet facere cubiculum: id eſt Deum ſub ſilentio contemplari:& cum puellis, id eſt cũ viribus & potentiis inferioribus incluſa manere,ne exterius vagari incipiat. Tertiò debet eſſe delicioſa per deuotionem.Sapient.8, Intrãs in domum meam,conquieſcam cum illa:non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, ſed lætitiam & gaudium.Ideo dicebat ſaluator cuilibet noſtrũ, Surge,tolle lectum tuũ, & vade in domum tuam, B ſcilicet conſcientiæ. Tertia principalis domus eſt domus gloriæ, quæ domus multas habet manſiones: Chriſto dicente, In domo patris mei manſiones multę ſunt:quia ſcilicet diuerſitatẽ habet præmiorum.Hæc enim gloriæ domus eſt primò mundiſſima:Pſal.19,Domum tuam decet ſanctitudo in longitudine dierum,quia nullus niſi immaculatus ibidem ſtare poteſt.Vnde Auguſt.ſuper illo verbo, Pſal.118,Beati immaculati &c.dicit, Beati immaculati in via:tanquam ſi diceret, Scio quid velis, quia beatitudinẽ quæris.Sed ſi vis eſſe beatus,eſto immaculatus.Secundò eſt ſpecioſiſſima:Pſalm.25, Domine dilexi decorem domus tuæ,& locum &c. Et hoc,quia ibi nullum malum, ſed omne bonum aderit:quia(vt ait Magiſter lib.4.diſt.49) ille ſolùm C eſt beatus,qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.Tertiò eſt delicioſa & lætitia plena.Eccleſ.50, In magna domo auditus eſt ſonus ſuauitate plenus.Hoc ideo, quia ibi non eſt mors, non luctus, non laſſitudo,non infirmitas,non fames,non ſitis, non æſtus,non indigentia:ſed ſumma omnium lætitia:vt ait Auguſt.in lib.de ſummo bono. Quartò eſt ſecuriſſima.Ioã.8,Filius manet in domo in ęternum:ſeruus autem non.Hoc ideo,quia ſic eſt beatus certus de perpetuitate gloriæ, ſicut & damnatus de æternitate pœnæ.aliter beatus meritò timeret ab illa domo expelli, qui timor illi pœna eſſet. Quintò eſt ampliſſima. Baruch 3, O Iſrael,quàm magna eſt domus Dei,& ingens locus poſſeſſionis eius:magnus,& non habet finẽ: excelſus & immẽſus.Sextò eſt abundantiſſima.Pſal.35,Inebriabun- D tur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.De iſta ergo domo gloriæ dicitur, Laudate nomẽ domini qui ſtatis in domo domini, quia beati qui ibi ſtant, ſemper Deum laudant.Pſalm.83.Beati qui habitant in domo tua domine:in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

*Marc.2.*

*Iob 14.*

1361 Laudate dominum, quoniam bonus dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuaue.

Hîc laudis diuinæ multiplex aſſignatur ratio. Et diuiditur in partes tres:ſecundum quòd probat Deum laudandum maximè ex tribus:ſcilicet: primò ratione ſuæ bonitatis:ſecundò ratione ſuæ po- E teſtatis:ibi,*Quia ego cognoui*: tertiò ratione ſuæ fidelitatis,quia ſcilicet adimplet promiſſa: ibi, *Et miſit ſigna.* Prima diuiditur in partes duas: quia primò Dei bonitas proponitur: ſecũdò per effectum probatur:ibi,*Quoniam Iacob elegit*.Quãtum ergo ad primum,ponit Deum eſſe laudandum:& hoc ratione ſuæ bonitatis:dicens, *Laudate dominum quoniam bo-* A *nus dominus.* Sola enim virtus cauſa eſt veræ laudis & honoris. Sic & omnia vitia vituperio ſunt digna.Cum Deus ſit bonus à quo bona cuncta procedũt,ipſe ſuper cætera eſt dignus laude.Vnde hic ait Auguſt. Breuiter vno verbo hic explicatur ratio diuinæ laudis:quia bonus dominus.Sed bonus eſt,nõ vt ſunt bona quę fecit.Nã fecit Deus omnia bona valde,cœlum,terrã & omnia quæ in eis ſunt. Si hæc omnia bona ſunt, quàm bonus eſt ille qui fecit illa?Omnia enim bona ipſe fecit. Ipſe autẽ eſt bonus quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliũde participato bono. Ille ſeipſo bonus eſt: non adhærendo alteri bono.Mihi autem adhærere Deo bonum eſt,qui non eguit à quo fieret bonus: B ſed eguerunt illo cætera vt fierent bona.Vultis audire quàm ſingulariter ſit bonus? Dominus interrogatus dixit,Nemo bonus, niſi vnus ſolus Deus. Inuenio in creatura cœlum bonum, ſolem bonũ, lunam bonam,ſtellas bonas,terram bonam,hominem bonum,angelum bonũ. Omnia enim iſta dico bona,ſed tamen nõ abſolutè: ſed cum nominibus ſuis.Vt puta,dico cœlum bonum, angelũ bonum,hominem bonum. Ad Deum autem cum me refero,puto nihil melius dicere quàm bonum. Sicut enim ſolus Deus abſolutè dicitur eſſe, ipſo dicente ad Moyſem,Ego ſum qui ſum:& dices, Qui eſt,miſit me ad vos. Alia autem abſolutè non ſunt, quia verũ eſſe immutabile eſſe eſt: quod ille ſolus eſt. Sic & abſolutè ille ſolus bonus eſt, qui ſeipſo bonus eſt, à quo cætera bona ſunt. Aliud eſt C ergo bonum alio bono bonum:& aliud, bonũ ſeipſo bonum. Item notandum quòd Deus ſingulariter dicitur bonus abſolutè:quia omnem rationẽ qua quis dicitur bonus, ipſe Deus in ſe cõtinet eſſentialiter.Dicitur enim quis bonus ratione puritatis,veritatis,honeſtatis,pietatis,fidelitatis & humilitatis:vide dictionario,vbi bonus. Vnus autem eſt per eſſentiã puritas,veritas &c.Ratio ergo quare Deus eſt laudandus,eſt quoniam bonus.Inſanit enim qui laudat quod non eſt bonũ.Vnde hic Auguſt.ait, Si laudas iniquũ eo ipſo quo iniquus eſt, nónne & tu iniquus eris? Si laudas furem eo quo fur eſt, nónne & tu eius particeps eris? Si laudas iuſtum eo ipſo quo iuſtus eſt, nónne & tu idẽ habes partem laudando?Nõ enim laudares iuſtum eo D quo iuſtus eſt,niſi iuſtitiam amares:non autẽ amares, ſi inde nihil haberes. Si ergo quicquid aliud laudamus,ideo laudamus quia bonum eſt:nulla tibi maior cauſa & melior dari potuit Deum laudãdi,quàm quoniam bonus dominus.Sequitur,*Pſallite nomini eius,quoniam ſuauis.*Pſallere nomini domini, eſt operari & viuere conformiter Chriſto. Hoc enim facere,non eſt graue,ſed leue:quoniam ſalus eſt dominus. Vnde Pſalmo 33, Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt dominus. Graue enim onus eſt viuere ſecundum deſideria carnis, ſecundum deſideria mundi, quæ hominem multis laboribus implicant. Seruire autem Deo, regnare eſt. Vnde & Chriſtus ait, Matthæus 11. Tollite iugum meum ſuper vos: iugum enim meum ſuaue E eſt,& onus meum leue.Vbi Rabanus ait,Quid iugo Chriſti ſuauius:quid onere illius leuius probabitur eſſe:abſtinere à ſcelere,bonum velle, malum nolle:amare omnes, odiſſe malum: æterna conſequi,præſentibus nõ capi: nolle inferre alteri quod ſibi perpeti ſit moleſtum? Lauda ergo dominum qui non ſolum in ſe bonus eſt,ſed etiam tibi ſuauis & dulcis.Vnde hic Auguſt.*Pſallite nomini eius,quoniã ſuaue.*

*Bonus dicitur abſolutè ſolus Deus.*

*Marc.10.*

*Exod.3.*

*Bonus dicitur quis multiplici ratione.*

*Solum boni ſunt laude digni.*

*Chriſtus ſuauis eſt.*

*ſuaue.* Non ſolum bonus eſt dominus,ſed etiam tibi ſuauis. Talem autem ſe præbuit hominibus, vt etiam panẽ de cœlo miſerit,& filium ſuũ ſibi ęqualem hominem faciendum,& pro hominibus occidendum: vt per hoc quod tu es, guſtes quod non es. Multum enim erat ad te guſtare ſuauitatẽ Dei, quia remota erat illa & nimis alta:tu autem nimis abiectus,& in imo iacens. In magna iſta ſeparatione miſſus eſt mediator. Non poteras ad Deum homo,Deus factus eſt homo: vt quoniam homo potes ab homine, qui non poſſes ad Deum, per hominem venires ad Deum. Et factus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Sed ſi homo ſolùm eſſet,ſequendo quod es,nunquam peruenires. Si Deus ſolum eſſet, non cõprehendẽdo quod non es,nunquam peruenires. Vnus ergo factus eſt homo,vt hominem ſequendo,quod potes, ad Deum peruenires:quod non poteras. Inde ergo factus eſt tibi ſuauis. Quid ſuauius pane angelorum?Et tamen panem angelorum manducauit homo. Non enim aliunde viuit homo, & aliunde angelus.

*1.Tim.2.* *Pſalm.77.*

2362 Quoniam Iacob elegit ſibi dominus,Iſrael in poſſeſsionem ſibi.

Hîc oſtẽdit Dei bonitatem per effectum & ſuauitatem. In hoc enim magna Dei bonitas & ſuauitas apparet in nobis:quia(vt habetur ad Epheſ.1.) Ipſe gratuita ſua bonitate elegit nos ante mundi conſtitutionem:non quia eramus ſancti futuri,ſed vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius. Non ergo opera noſtra etiam futura fuerunt cauſa quare nos elegit:ſed ſua electio fuit cauſa omnium meritorum noſtrorum. Vnde ibibem ait gl. Elegit nos ante mundi conſtitutionem &c.id eſt antequã eſſemus. Ne quis ergo putet animas cum Deo fuiſſe æternas,& tũc illas aliquid meruiſſe, iuxta errorem illorum qui ante hæc viſibilia dicũt fuiſſe animas ſanctas:& ideo ipſas tunc fuiſſe electas à Deo: hoc apertè oſtendit falſum eſſe:dicens, Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Quomodo autem eligeret eos qui nondum erant,niſi prædeſtinãdo? Et ſic tunc non elegit nos,quia ſancti eramus,ita nec ideo quia ſancti futuri eramus: ſed potius elegit nos ad hoc vt eſſemus ſancti & immaculati per bona opera. Non ergo quia futuri eramus ſancti, ſed vt eſſemus ſancti,nos elegit. Ideo quippe tales futuri eramus, quia elegit ipſe prædeſtinans vt tales per gratiam eius eſſemus. Sed Pelagianus veritati reſultans,ait,Præſciebat Deus qui futuri erant ſancti & immaculati per liberum voluntatis arbitrium. Et ideo eos in ſua præſcientia, quales futuros eſſe præſciuit,elegit. Elegit (inquit) antequam eſſent,prædeſtinans filios quos futuros ſanctos eſſe præuidit. Sed hoc confutat Apoſtolus:dicens, Vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius, non hominum:id eſt intus vbi ipſe conſpicit,nõ extra, vbi homines vident. Ex quibus per effectum apparet bonitas & ſuauitas Dei erga nos, quia ſua mera gratia nos ante mundi cõſtitutionem elegit:quę electio nos ſanctos facit & immaculatos. Quod notans Pſalm,ait,*Quoniam Iacob elegit ſibi dominus.* Quãtum ad literam: per Iacob & Iſrael, qui fuit pater duodecim tribuum,intellige populum Iſrael, quẽ Deus ſingulari prærogatiua in populum peculiarem ſibi elegit. Quoniam vt hic ait Auguſt. Cæteras gentes ſub angelis poſuit Deus: Iacob autem elegit ſibi in poſſeſſionẽ. Quamuis enim ipſe omnes gentes condiderit, cæteras angelis commiſit: ſibi iſtam poſſidendam conſeruandámque deputauit. Quod ideo dicit Auguſt. quia Deus perſonaliter incarnatus, aliam gentem perſonaliter nõ viſitauit prædicãdo:ſed angelis(id eſt Apoſtolis)ipſas docendas & viſitandas commiſit. Sed quãtum ad propheticum ſenſum, per Iacob & Iſrael intellige fideles, qui ſunt Iacob, qui ſupplantans vel luctator interpretatur:qui contra ſpirituales nequitias luctantur & pugnant. Qui ſimiliter dicũtur Iſrael, qui videns Deum interpretatur: quia tales in ſuis certaminibus, non ſuas vires, ſed vires in ſeipſos conſpiciunt. Quod ſic faciũt, quia Deus elegit eos in poſſeſſionem ſibi. Et aduerte quòd electi ſunt poſſeſſio & hæreditas Dei:& econtrario, Deus eſt poſſeſſio & hæreditas ipſorũ: quia Deus illos poſſidet dum ipſos inhabitat:& ipſi poſſident Deum, dum ipſo hic fruuntur per ſpem, & in futuro per gloriam.

*Elegit nos Deus gratis, nõ propter merita noſtra.*

*Pelagij error prædeſtinationis.*

*Iacob & Iſrael ſignificat fideles & iuſtos.*

*Deus eſt poſſeſſio noſtra, & nos Dei.*

Quia ego cognoui quòd magnus eſt dominus, & Deus noſter præ omnibus diis. 2363

Hîc oſtendit Deum laudãdum ratione ſuæ poteſtatis. Et primò proponit Dei poteſtatem:ſecundò ponit eius declarationem:ibi,*Omnia quæcunque.* Primò ergo Dei magnitudinẽ poteſtatis proponit: dicens,*Quia ego cognoui quòd magnus eſt dominus.* Quaſi dicat propheta, Et licet omnes non poſſint cognoſcere magnitudinem Dei, quæ noſtrum intellectũ excedit: ego tamen eleuatus gratia ſua ipſam cognoui. quòd ſi alij cognoſcere nondum poſſunt, ſaltem credant. Vnde Pſalm.94,dicitur, Quoniam Deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos &c. qui meritò propter multa dicitur magnus dominus. vide ibi,verſic.1633. Et hoc eſt quod de Deo dicitur Iob 37, Quod eſt magnus fortitudine iudicio & iuſtitia,enarrari non poteſt. Quod exponens Gregor. dicit, Magnus quippe eſt Deus fortitudine, quia fortem aduerſariũ ſuperat: & de domo illius vaſa contumeliæ auferens,in miſericordiæ vaſa commutat. Magnus iudicio, quia etſi hic electos ſuos per aduerſa deprimit,eos quãdoque in gloria æternæ proſperitatis extollit. Magnus iuſtitia,quia etſi hic diu tolerat, quandoque tamen ſine termino reprobos damnat. Item dicitur Deus magnus,ſcilicet ſanctitate,dignitate,claritate,& laude:vide verſic.775. Vel aliter, dic ꝙ Deus eſt primò magnus in ſapientia omnia gubernante. Iob.36, Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. Secundò eſt magnus in iuſtitia omnia regulante. Sapient.17, Magna iudicia tua domine. Tertiò eſt magnus in miſericordia omnia conſeruante. Eccleſ.22, Magna miſericordia Dei, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe. Eſt quartò magnus in potentia omnia ſuperante. Eccleſ.17, Magna potẽtia Dei ſolius,& ab humilibus honoratur. Et hanc magnitudinem cognouit Pſal. dicens, *Quia ego cognoui quòd magnus eſt dominus.* Sequitur,*Et Deus noſter præ omnibus diis:*ſuper omnes deos qui ſunt in cœlo vel in terra. Vbi notandũ,quòd Deus dicitur multipliciter:vide verſic.809. Quibus tamen omnibus præeſt dominus Deus noſter. Et in nomine domini illum explicat hic Pſalm. dicens, *Quia ego cognoui quòd magnus eſt dominus.*

*Magnus dicitur Deus multipliciter.*

*Gregor.27. moral.c.26.*

Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cœlo & in terra. 2364

Hîc



Hîc ponit poteſtatis Dei declarationem: quam primò declarat in generali:ſecundò in ſpeciali:ibi, *Educens.* Declarat ergo Dei poteſtatem,quæ voluntati eius æquatur: quia quæcunque vult facere facit:& quæcunque facit,vult facere, quia voluntas Dei cauſa eſt omnium rerum. Vnde fatuum eſt de aliquo quærere voluntatis Dei cauſam:vt puta dicẽdo, Quare Deus hoc voluit facere?cum ipſa Dei voluntas ſit omnium cauſa,& nullam ſuperiorem cauſam habeat:quia omnia quæcunque voluit fecit ipſa,à nullo mota neq; facta. Propter quod dicit Magiſter lib.1.diſt.45, Hæc itaque ſummè bona volũtas Dei cauſa eſt omnium quæ naturaliter fiunt vel facta ſiue futura ſunt,quæ nulla præuenta eſt cauſa,quia æterna eſt. Ideóq; ipſius cauſa quærenda nõ eſt. Qui enim eius cauſam quærit,aliquid maius ea quærit,cum nihil ea maius ſit. Vnde qui quærit quare voluit Deus mundum facere:cauſam quærit voluntatis Dei. Omnis autẽ cauſa efficiens, maior eſt eo quod efficitur. Nihil autem maius eſt voluntate Dei: non ergo eius cauſa quærenda eſt. Vnde ſi quis quærat quare voluit Deus facere mũdum,cœlum & terram: reſpondendum eſt eis qui voluntatem Dei noſſe deſiderant, quòd voluntas Dei omnium quæ ſunt ipſa eſt cauſa,& nihil volũtatis Dei eſt cauſa. Si enim cauſam habet voluntas Dei, aliquid eſt quod antecedit voluntatem Dei: quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus cœlum & terram?reſpondendum eſt ei, Quia voluit. Voluntas enim Dei cauſa eſt cœli & terræ. Et ideo maior eſt voluntas Dei,quàm cœlũ & terra. Qui ergo dicit, Quare voluit Deus facere cœlũ & terram?maius aliquid quærit quàm ſit voluntas Dei. Nihil autem maius inueniri poteſt. Cõpeſcat ergo ſe humana temeritas. Et ideo quod nõ eſt,nõ quærat:ne id quod eſt,non inueniat. Hoc ergo exprimens Pſalm. ait, *Omnia quæcunque voluit fecit* &c. Tanta eſt enim poteſtas diuinæ voluntatis, quòd nullus ſibi contradicere poteſt: quinimmò quanto quis voluntati Dei reſiſtere conatur, tanto amplius ipſam adimplet. vt multis exemplis oſtendit Greg. ſuper illo verbo Iob 23, Nemo poteſt auertere cogitationes eius:vide verſic.490. Item adhuc multa exempla ponit Gregor.6.moral.cap.11.ſuper illo verbo Iob 5, Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum:vide ibi. Vnde concludit, cap.14, dicens, Magna opera domini exquiſita in omnes voluntates eius. Sicut quippe eius opera magna ſunt,vt per omne quod ab hominibus agitur,eius voluntas exquiratur. Nam ſæpe inde voluntas Dei perficitur,vnde repelli putabatur. Hinc rurſus Pſalmiſta dicit,*Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cœlo & in terra* &c. Et aduerte quòd Deus omnia quæ facit,liberè facit,nõ neceſſitate ductus: ſicut multoties faciunt homines. Et hoc eſt quod ait Pſalm. *Omnia quæcunque voluit dominus fecit* &c. Vnde hic ait Auguſt. *Omnia quæcũque voluit dominus fecit* &c. Quis comprehendat hæc?quis enumeret opera domini in cœlo,in terra,in mari & in omnibus abyſſis? Tamen omnia credere inconcuſsè debemus. Quoniã quicquid creaturarum in cœlo,quicquid in terra, quicquid in mari & in omnibus abyſſis,à domino factum eſt: quia omnia quæcunque voluit dominus fecit. Nõ enim omnia quæ fecit,coactus eſt facere:ſed omnia quæcunq; voluit fecit. Cauſa omnium quæ fecit,volũtas eius eſt. Facis tu domum, quia ſi nolles facere, ſine habitatione remaneres: neceſſitas cogit te facere domũ, nõ libera volũtas. Facis tu veſtẽ,quia ſi nõ faceres,nudus ambulares. Ad faciendam ergo veſtẽ,neceſſitate duceris,nõ libera volũtate. Conſeris montẽ vitibus, ſemẽ ſpargis:quia niſi faceres,alimenta non haberes:omnia hæc neceſſitate facis. Deus ſolus voluntate fecit, nullo quod fecit eguit. Nos tamen aliquid libera voluntate facimus,etſi non omnia:cũ Deum amãdo laudamus: hoc libera voluntate facis, quando laudas quod amas. Non enim ex neceſſitate, ſed quia placet. Vnde iuſtis & ſanctis Dei placuit Deus etiã flagellans eos: quãdo iniquis omnibus diſplicet,placuit illis,& ſub flagello eius, in ærumnis,in laboribus,in vulneribus, in egeſtate cõſtituti laudauerunt Deũ. Non eis diſplicuit nec torquẽs. Hoc eſt ergo gratis amare, non propoſita acceptione mercedis: quia ipſa merces tua ſumma ipſe Deus erit,quẽ gratis diligis. Ille igitur Deus qui omnipotens eſt, in cœlo & in terra omnia quæcũq; voluit fecit. Tu in domo tua nõ facis omnia quæ vis, nec in teipſo facis quod vis: ſed Deus in te facit quod vis. Ipſe autẽ dominus facit omnia quæ vult, in cœlo & in terra,in mari & in omnibus abyſſis.

*Volũtas Dei cauſa eſt omnium, & cauſam non habet.*

*Gregor.16. moral.c.18.*

*Deus quod facit liberè facit: nos autẽ, neceſſitate ducti.*

*Amatur Deus & laudatur liberè.*

Educens nubes ab extremis terræ, fulgura in pluuiam fecit. 2365

Hîc in ſpeciali declarat Dei poteſtatẽ: & primò in cœlo,ſcilicet aëreo:ſecundò in terra:ibi,*Qui producit.* Quantum ad primum,ſciẽdum quòd cœlum accipitur multipliciter. Eſt enim cœlum aëreum, æthereum,igneum,ſidereũ, chryſtallinum,empyreum,& cœlum ſanctæ trinitatis:vide verſic.1066. Et quia cœlum aëreum magis nobis eſt notũ:ideo volens oſtendere poteſtatẽ Dei in cœlo,agit de his quæ Deus facit in iſto cœlo aëreo, in quo nubes generantur Dei potentia,& in pluuiã reſoluuntur: dicens,*Educens nubes* &c. Vbi notãdum quòd(vt dicitur lib.6.de proprietatibus rerũ,) nubes eſt aëris denſitas ex vaporibus & fumoſitate terræ & aquę, maris contractione conglobata naturaliter, & cauernoſa ad modũ ſpõgiæ. Sol enim ſuo calore eleuat fumoſitates terræ ſurſum. Eleuat etiã vapores groſſos ex aqua maris,conuertẽs aquam in aërem: ſcilicet groſſum & humidum in ſe continẽtem aliquas partes aquæ. Illi ergo vapores ex aqua maris eleuati ſurſum in aërem virtute ſolis, inſimul coniunguntur cũ vaporibus & fumoſitatibus terrę,& condenſantur in nubẽ:quæ poſtea nubes reſolutæ, partes aquæ quas continebant,emittũt inferius:& ſic generatur pluuia. Ex quibus apparet,quòd nubes generantur ex vaporibus aquę maris. Mare autem circundat terram:& ſic dicitur extremum terræ. Et ſic nubes quæ à mari educitur, ab extremis terræ educi dicitur. Quod Deus virtute ſua facit, quam virtutem ſoli communicauit. Et hoc notans Pſalm. ait, quòd ipſe Deus eſt educens nubes ab extremo terræ:quas à mari deducit ad medium terræ, vt illis reſolutis, terra irrigetur pluuia. Hoc autem nulla virtus creata per ſe facere poſſet. Sequitur, *Fulgura in pluuiam fecit.* Quanuis enim propriè fulgur ſit iaculus cœleſtis,qui ex vapore groſſo ad ſupernũ aëris interſticiũ eleuato,& vehemẽti calore ſolis deſiccato,in lapidẽ conuertitur,& impetu ventorũ fracta nube violẽter & impetuosè deſcẽdit ad terrã:tamen quandoq; fulgur dicitur illa nubiũ coruſcatio & intonatio,quæ multum terret audiẽtes & vidẽtes,quæ eſt ſignũ pluuię:quia in illa fulguratione nubes franguntur, quibus fractis,

*Cœlũ multiplex.*

*Quid eſt nubes, & quomodo generatur.*

*Fulgur quid ſit.*



aqua

aqua in nubibus contenta deſcẽdit: & ſic generatur pluuia. Et hoc eſt quod ait Pſal. quòd Deus fulgura in pluuiam facit, quia ad coruſcationem fulguris, conſequitur pluuia: quæ poteſtatẽ Dei oſtẽdunt. Per iſta autem Pſalm. ad intelligentiam ſpiritualem nos mittit. Sciendum ergo quòd per nubes Apoſtoli & ſancti prædicatores ſignificantur: vide verſic. 556. 926. 1273. Has nubes dominus ab extremo terræ eduxit, quando ipſos vſq; ad fines terræ ad prædicandum fidem miſit. Qui prædicando fulgurabant, terrendo peccatores: ex quibus terroribus ſecuta eſt pluuia conſolationis ſpiritualis, & gratia Dei. Vnde ad iſtum intellectum hunc locum exponit Auguſt. dicens, *Educens nubes ab extremo terræ*. Quas nubes? prædicatores veritatis ſuæ. De quibus nubibus alio loco iraſcens vineæ ſuæ dicit, Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper imbrem. Et parum eſt excitaſſe nubes de Hieruſalem vel de Iſrael, quos miſit prædicare euangelium toto orbe terrarum? De quibus nubibus dictum eſt, In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Parũ eſt hoc? Sed quia ipſe dominus ait, Prædicabitur hoc euãgelium regni in toto orbe terrarum in teſtimonium omnibus gentibus: & tũc venit finis, excitat nubes ab extremo terræ. Nã creſcente euangelio, vnde erant prædicatores euãgelij in finibus terræ, niſi ibi excitet nubes ab extremis terræ? De ipſis autem nubibus quid operatur, ſubdit, *Fulgura in pluuiam fecit*. Hoc eſt, minas ad miſericordiam flexit, de terroribus irrigauit. Quãdo tibi minatur Deus per prophetam, per Apoſtolum & times: nónne coruſcatio terruit te? Sed cùm pœnitẽdo corrigeris, & agnoſcis hoc miſericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror. Aliter autem iſtum verſum exponit Richard. dicens, *Educẽs nubes ab extremo terræ*. Terræ noſtræ extrema, peccata infima & opera abiecta. A tali extremitate nubes producitur, quia ex turpitudinis recordatione caligo confuſionis generatur. Sed hæc nubes dum mentem obnubilat, contra concupiſcentiæ æſtus, quaſi contra ſolis ardorem refrigerium præſtat. Nã qui peccaſſe ſe meminit, & ſe peccaſſe erubeſcit: quanto plus de præterito dolet, tãto plus de futuro ſe exhibet cautiorem, *Fulgura in pluuiam fecit*. Ante fulgura nubes producitur: & iterũ fulgura pluuia ſequitur. Nubes, caligo cõfuſionis: fulgur, terror maieſtatis: pluuia, fletus compunctionis. Ex recordatione namque turpidinis & diuini terroris, formidine mens concutitur.

*Nubes ſunt Apoſtoli & prædicatores.*

*Pſalm. 77.*

*Pſalm. 18.*

*Nubes eſt cõfuſio peccati.*

## 2366 Qui producit ventos de theſauris ſuis: qui percuſsit primogenita Aegypti ab homine vſque ad pecus.

Hîc oſtendit Dei poteſtatem in terra. Vbi notãdum quòd quamuis aliquorũ ſit opinio quòd ventus generetur ex fluctu brachiorum maris: tamen verior & communior opinio eſt, quòd ex terra vẽtus generatur: quia ex fumoſitate de terra aſcendẽte & aërem impellente fit vẽtus. Vnde dicit Albertus magnus, quòd radix eſt ex vapore qui aſcendit ex terra: & principium eſſe eius eſt ex eo: & materia eius eſt vapor talis, qui eſt frigidus & ſiccus, ſubtilitate ſua aërem tranſcendens, & ſpiſſatur frigiditate aëris, fortiter impellit aërem. Quod patet ex hoc, quia quantitas vẽtorum & nubium eſt ſecundum quantitatem vaporis aſcendentis ex terra: quia quando multi ſunt vapores, multi ſunt vẽti. Sic ergo materialiter ventus eſt ex vapore terreſtri ad ſuperius aëris aſcendente. Ex quo apparet quòd Pſalm. oſtendens ventorum productionem, oſtendit poteſtatem Dei in terra: dicens, *Qui producit ventos de theſauris ſuis*: id eſt de occultis cauernis, vnde neſcis vnde venti veniant: ſcis tamen quòd iuſſu Dei flant. Quòd enim flat ventus, ſentis: ſed qua cauſa flat, vel de quo theſauro ductus ſit, neſcitur. Myſticè autem per hos vẽtos intelligit prædicatores, quos de theſauro occulto ſuæ ſapientiæ inſpirat. Vnde hic ait Auguſt. *Qui producit ventos* &c. Eoſdem puto prædicatores, & nubes, & ventos. Nubes, propter carnem: ventos, propter ſpiritum. nubes enim videntur, venti ſentiuntur, & non videntur. Deniq; quoniam carnem videmus eſſe de terra: ideo inquit, nubes excitat ab extremo terræ. Expreſſit vnde excitet nubes: venit ad ventos, quia ſpiritus hominis ignoratur vnde veniat. Ideo ait, *Producit ventos de theſauris ſuis*. Sequitur, *Qui percuſſit primogenita Aegypti* &c. Hoc ad literam fecit, vt apparet Exod. 12. vide verſic. 2333. Myſticè autẽ per primogenita intelligũtur mores noſtri, inter quos principalis eſt fides. Vnde Auguſt. hic ait, *Qui percuſſit* &c. Primogenita noſtra ſalua ſunt in domino: quoniam ipſe dedit ea nobis. Moleſta pœna eſt & terribilis plaga mors primogenitorum. Quæ ſunt primogenita? mores noſtri, in quibus nunc ſeruimus Deo. Primitias enim habemus ipſam fidẽ vnde incipimus: quia nemo incipit bene viuere, niſi ab ipſa fide. Fides ergo noſtra in primogenitis noſtris eſt. Quãdo cuſtoditur fides noſtra, cætera ſubſequi poſſunt. De qua primogenita fide Apoſtolus ait, Nos primitias ſpiritus habentes, id eſt dantes, iam Deo primitias ſpiritus noſtri, id eſt ipſam fidẽ tanquam primogenita noſtra. Si ergo magna gratia Dei eſt, vt cõſeruetur fides noſtra: ſic magna eſt pœna, occidere primogenita. Quãdo ergo in afflictione eccleſiæ conſtituti perdunt fidem: primogenita percutiuntur. & ſic Deus percutit fidem illorũ permiſſiuè, quia permittit eos à fide cadere. Vel aliter totum verſum exponit Richard. dicens, *Qui producit ventos* &c. Spiritusſanctus vbi vult ſpirat: ſic nihilominus quando vult poſt pluuiam venti producuntur. Beati enim qui lugent, quoniam ipſi cõſolabuntur. Aliter enim ſpirat ſpiritus timoris, aliter ſpiritus pietatis, aliter ſpiritus fortitudinis. Tales ventos producit dominus de theſauris ſuis: ſcilicet quando diuinæ ſcripturæ arcana rimamur & admiramur. Sed dum tali admirationi vehemẽter inſiſtitur, attonita mens, nunc ſpiritus ſapientiæ, nunc ſpiritus ſcientiæ, nunc ſpiritus conſilij tangit nonnullos. Sequitur, *Qui percuſſit primogenita Aegypti* &c. initium omnis peccati. Sed tenebræ erroris talia gignunt primogenita. Quia ergo per ſpiritum Dei ſpiritus Diaboli deiicitur, & per ſpiritum mãſuetudinis ſpiritus elationis cõfunditur: rectè poſtquã venti producuntur, Ægypti primogenita moriuntur. ſed alij ſuperbiũt de vanitate ſæculi, alij de ſanctitate: ſuberbia vanitatis eſt primogenitũ pecoris, arrogantia ſanctitatis, primogenitum hominis. Et ſic flante ſpiritu percutiuntur primogenita Ægypti ab homine vſque ad pecus.

*Ventus quomodo generatur.*

*Ventus ſignificat prædicatores.*

*Primogenita dicitur fides.*

*Rom. 8.*

*Primogenita dicuntur peccata.*

## Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem & in omnes ſeruos eius. 2367

Hîc oſtendit Deum laudandum ratione ſuæ fidelitatis: quia ſcilicet fideliter quę promittit adimplet. Vbi notandum quòd (vt habetur Geneſ. 15) Deus prædixit Abrahæ, quòd ſemen ſuum (id eſt filij Iſrael ex ſemine ſuo deſcendentes) eſſet futurum peregrinum in terra non ſua, & ſubiiceretur ſeruituti, & affligeretur quadraginta annis. Et ſtatim promiſit illos de ſeruitute illa glorioſè liberare. Vnde ſtatim ſubdit ibi, Verumtamen gentẽ cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredietur cum magna ſubſtantia. Quòd autem iſtud promiſſum fideliter Deus adimpleuerit, multa iudicia immittendo contra Pharaonem, & ipſum populum inde educendo, & ad terram promiſſionis educendo, hic oſtendit Pſal. Et duo facit: quia primò oſtẽdit promiſſionis adimpletionem: ſecundò ex hoc concludit Dei laudationem: ibi, *Domine nomẽ tuum*. Prima pars diuiditur in tres partes: quia oſtendit primò quomodo ipſos de Ægypto eduxit: ſecundò quomodo eos per deſertum perduxit: ibi, *Qui percuſſit*: tertiò quomodo eos in terram promiſſionis induxit: ibi, *Et dedit terram*. Quantum ad primum, ponit in generali quomodo eos Deus eduxit de Ægypto: ſcilicet cum multis ſignis & prodigiis, & multis plagis percutiendo Pharaonem & omnes Ægyptios: de quibus diffusè habes Exod. 8, & infrá. Et Pſal. 77, Poſuit in Ægypto ſigna ſua & prodigia ſua in campo Taneos, & conuertit in ſanguinem flumina eorũ &c. De iſtis ſignis & prodigiis, vide verſic. 1325. & infrà per multos verſus. Et verſic. 1815. & infrà per multos verſus. Quæ omnia hic breuiter replicat Pſalm. dicens, *Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte in Pharaonem*. Vnde hic ait gl. Hæc ita manifeſta ſunt, vt expoſitione magis obſcurẽtur. Dum verò audis quæ facta ſunt in impios, caue ne in te fiãt. Ideo hæc vtilia ſunt cum leguntur. Myſticè autem notandum quòd per Ægyptum, quæ tenebra vel confuſio interpretatur, ſignificantur peccatores tenebroſi & digni cõfuſione. Per Pharaonem verò, qui diſſipatio interpretatur, ſignificãtur ipſa peccata, quibus omnis virtus diſſipatur. Per ſeruos enim Pharaonis ipſos accipe peccatores: quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioan. 8. In iſtis ergo peccatoribus & vitioſis, Deus vt ipſos conuertat immittit ſigna diuerſa: ſcilicet quãdoque ſignum placatiuum diuinæ iracundiæ: quandoque ſignum punitiuum humanæ immunditiæ, quandoque ſignum directiuũ humanæ ignorantiæ, quandoque ſignum expreſſiuum diuinæ potentiæ: de quibus ſignis vide ſupra verſic. 1815.

*Signa diuerſa dat Deus peccatoribus vt conuertãtur.*

## 2368 Qui percuſsit gentes multas, & occidit reges fortes.

Hîc oſtẽdit qualiter eos perduxit per deſertum, pro ipſis contra ipſorum hoſtes pugnando. Et duo facit: quia primò hoc proponit: ſecundò ipſorum hoſtes explicat quos percuſſit: ibi, *Seon regem*. Vbi notandum quòd pars iſtius verſiculi refertur ad ea quę fecit per deſertũ: vt puta quãdo orante Moyſe, dominus percuſſit Amalech, & ipſum & populum eius fugauit in ore gladij: vt habetur Exod. 17. Et de iſtis dicit, *Qui percuſſit gentes multas*: quia multus populus erat cum ipſo Amalech. *Et occidit reges fortes*: vt puta Barach, regem Chananæorum: quem filij Iſrael interfecerunt, antequam intrarent terram promiſſionis, & vrbes eius ſubuerterũt: vt habetur Numer. 21. Et regem Ammonitarũ, & regẽ Moabitarum, & multos alios reges: vt ibidẽ habetur, ſcilicet Numer. 21. Myſticè autẽ per gentes accipe gẽtiles idolatras, quos percuſſit Deus, quando corda eorũ inſpirauit vt ad Deum verũ conuerterentur. Vel percutit, quando diuerſis aduerſitatibus corpus percutit vt animã ſanet: ſecundũ quod dicitur, Ego occidã, & ego viuere faciã: percutiã, & ego ſanabo. Et conſimiliter occidit reges fortes, quando principes & mundi potentes cõuertit: qui tũc occiſi dicũtur, quia infidelitas in eis fuit occiſa. Et aduerte quòd eſt percuſſio multiplex, qua Deus percutit gentes, id eſt peccatores: ſcilicet percuſſio iuſtitiæ quæ fit ad punitionẽ: ſic enim percutit induratos, 1. Reg. 25. Percuſſit dominus Nabal, & mortuus eſt. Secunda eſt percuſſio diſciplinæ ad correctionẽ: ſicut pater percutit filiũ vt corrigatur. Prouerb. 23, Noli ſubtrahere à puero tuo diſciplinã. Si enim percuſſeris eũ virga, nõ morietur: cum enim virga percutis eũ, & animã eius de inferno liberabis. Tertia eſt percuſſio doctrinæ ad eruditionẽ: ſicut doctor percutit diſcipulum vt addiſcat. Vnde Cantic. 5, Inuenerũt me cuſtodes ciuitatis: percuſſerunt me: tulerunt palliũ meũ. Qui enim ſunt cuſtodes ciuitatis, niſi doctores & prædicatores, qui docẽdo verbis percutiunt ſubditos? Quid autẽ per palliũ, quo res ſuppoſita occultatur, niſi ignorãtia intelligitur? Sic ergo prędicatores verbis percutiẽdo ſubditos, palliũ auferunt, dũ per doctrinã velamen ignorãtiæ de ipſorũ cordibus auferũt. Ex quibus apparet quòd omnis percuſſio domini aut eſt ad correctionẽ, aut ad damnationẽ. Quod oſtendit Gregor. dicens, Percuſſio namq; domini tũc diluit culpã, cum mutauerit vitã. Nam cuius mores non mutat, nõ expiat actiones. Omnis ergo diuina percuſſio aut purgatio in nobis eſt vitæ præſentis, aut initiũ pœnæ ſequẽtis. Propter eos enim qui ex flagello proficiũt, dictũ eſt, Qui fingis dolorẽ in præcepto. quia dum flagellatur iniquus & corrigitur, qui audire præceptũ noluit, audiuit dolorẽ. Dolor autẽ in præcepto fingitur ei, quia malis operibus quaſi præceptis vitæ dolor cohibetur. De his verò quos percuſſio dãnat, dicitur, Percuſſiſti eos, & nõ doluerũt: attriuiſti eos, & renuerũt accipere diſciplinam. His flagella ab hac vita inchoãt, & in æterna percuſſione perdurant &c.

*Deuter. 32.*

*Percuſſio multiplex.*

*Percutit deus dupliciter.*

*Gregor. 18 moral. c. 12.*

*Pſalm. 9.*

*Hierem. 5.*

## Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaã. 2369

Hîc explicat reges quos Deus educendo populũ occidit. Vbi aduertẽdum quòd prima pars iſtius verſiculi fuit tempore Moyſi, ſcilicet occiſio iſtorũ regum: ſed ſecunda pars fuit tempore Ioſue, quãdo ſcilicet occidit omnia regna Chanaã. De Seon rege Amorrhęorũ habetur Numer. 21, quòd Moyſes dũ duceret populũ per deſertũ, miſit nũcios ad Seõ regẽ Amorrhæorũ, petẽs humiliter ab eo trãſitum per terrã ſuam, nullũ damnum ſuis inferendo. Qui tranſitũ eis concedere noluit, quin potius exercitu cõgregato, egreſſus eſt eis obuiã in deſerto, vt pugnaret contra filios Iſrael: à quibus occiſus eſt, & omnis eius terra poſſeſſa eſt à filiis Iſrael. De iſto ergo rege ait Pſal. ꝙ Deus occidit Seõ regem Amorrhęorũ: quia ſcilicet filij Iſrael diuina virtute adiuti illũ cũ populo ſuo occiderũt. De Og autẽ rege Baſan dicitur ibi, ſcilicet ꝙ poſtquã filij Iſrael interfecerũt Seõ, & poſſederũt terrã Amorrhęorũ, venerũt ad terrã Baſan. Quod audiẽs Og rex Baſan, occurrit eis armatus cum populo ſuo, vt pugnaret cõtra

 Iſrael.

Iſrael,Et tūc dixit dominus ad Moyſen,Ne timeas eum,quia in manu tua tradidi illū, & omnem populū eius,faciéſq; illi ſicut feciſti Seon regi Amorrhæorum:percuſſerúntq; Og cum filiis ſuis, vniuerſúmque populum eius, & poſſederunt terram illius, Et de iſto rege nunc ait Pſal. *Et Og regem Baſan*, ſupple Deus occidit. Quod verò ſequitur, *Et omnia regna Chanaam:* hoc non fuit tempore Moyſi per deſertum,ſed temporē Ioſue;quādo iam intrauerant terram promiſſionis, & omnes reges Chanaan inhabitantes terram promiſſionis occidit,& poſſedit regna ipſorū. Vt enim habetur Ioſue 13, reges quos occiderūt filij Iſrael in terra promiſſionis,fuerunt triginta vnus; qui omnes ibidē ponūtur,& ipſorum regna nominantur. Hos ergo omnes recitans breuiter Pſalm.ait, *Et omnia regna Chanaan:*ſcilicet poſſiderunt filij Iſrael, occiſis regibus eorum & populis.Myſticè autē Deus in nobis occidit Seon regem Amorrhæorum &c. Vbi notandum quòd Seon interpretatur Tētatio oculorum: & hic regnat in Amorrhęis.Quid eſt enim Amorrhęus,niſi reus amor carnalis & luxurioſus?Eſt ergo Seon rex Amorrhæorum, quia tentatio oculorum maximè regnat in luxurioſis.Sed hunc regem in nobis Deus occidit, quando à nobis vanitatem remouet viſionis;quod Pſalm. poſtulabat, dicens, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Quæ autem vanitas maior vanitate & falſa apparentia mulieris? Si enim hunc regem in te non occiderit Deus, facilè capieris. Vnde Chryſoſt.in homil.ſuper illo verbo Matth.5,Omnis qui viderit mulierē ad concupiſcendum &c.dicit,Si ergo vis continuè oculos tuos pulchris faciebus mulierum infigere, capieris omnino,etſi bis vel ter fortaſſis poſſis cōtinere,Non enim es extra humanam naturam.Qui autem flammam ſemel accendit,etiam viſa muliere abſente, format apud ſe imaginem turpium cogitationum,à quibus multoties procedit ad opus: quia ſi aliqua ſe ornando, oculos hominum ad ſe traxerit, etiamſi nulli plagam intulit,pœnā patietur extremam.Venenum enim cōfecit,etſi nullum qui biberit,inuenit. Quod autem viris dicit, hoc ad fœminas loquitur:capiti loquēs,& corpori perſuadet. *Et Og regem Baſan:*myſticè Og interpretatur Concluſio:Baſan verò interpretatur Cōfuſio. Per Og igitur intellige concluſos peccato;quia ſcilicet ab aſpectu oculorum venerūt ad opus qui regnāt in Baſan,quia confuſione ſunt pleni. Hūc ergo regem in nobis Deus occidit, quando peccatum per opus concluſum remittit,& ad pœnitentiam peccatorem inducit &c,

*Seon rex Amorrhæorū ſignificat cōcupiſcētiā oculorū luxurioſorum.*

*Pſal.115.*

*Videre frequenter mulieres, capit mentem.*

## 2370 Et dedit terram eorum hæreditatē, hæreditatem Iſrael populo ſuo.

Hîc oſtendit quomodo in terram promiſſionis eos induxit & eis tradidit:quia occiſis omnibus illis regibus & populis,ipſe Ioſue diuiſit populo Dei terram promiſſionis,& hæreditariè ipſam illis dedit poſſidendam:vt habetur hiſtorialiter Ioſue 18. Per hoc autem myſticè vult oſtendere quòd Deus ſuis fidelibus hæreditatem dabit terrā promiſſionis,quæ eſt terra viuētium;de qua infideles eiecit, ſcilicet angelos apoſtatas: de qua hæreditate dicitur, Quoniam tu Deus exaudiſti orationem meā; dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.Vbi nota quòd per Chriſtum hæc hæreditas nobis eſt collata;vt oſtendit Gregor.dicēs, Chriſtus moriēdo docuit mortem non metui; reſurgendo docuit de vita cōfidi. Aſcendendo autem docuit de cœleſtis patriæ hæreditate gloriari:vt quò caput præiſſe conſpiciunt,illuc ſe ſubſequi membra gratulentur.Vnde bene & ab eodem noſtro capite dicitur, Vbicunq; fuerit corpus: ibi congregabūtur aquilæ.Vnde & Petrus ait,In hæreditatem incorruptibilem,incōtaminatam, & immarceſſibilem cōſeruatam in cœlis &c. Et notandum quòd multiplex eſt hæreditas: ſcilicet quædā abominabilis & pernicioſa, quædam mutabilis & fluctuoſa, quædam vtilis & gratioſa, quædam deſiderabilis & glorioſa,Et de iſtis vide verſic.974.

*Pſal.60.*

*Gregor.27. moral.cap.11.*

*Matth.24.*

*1.Petri 1.*

## Domine nomen tuum inæternum: domine memoriale tuum in generatione & generationem. 2371

Hîc ex prædictis concludit nomen domini eſſe laudandum;primò ratione beneficiorum:ſecundò ratione iudiciorum:ibi,*Quia iudicabit*.Quantum ad primum, aduertendum quòd ex prædictis beneficiis factis populo ſuo:ac etiā ex prædictis iudiciis factis hoſtibus populi ſui nomen domini per vniuerſum orbem fuit diuulgatū & admirabile prædicatum.Vnde Moyſes narratis beneficiis Dei dādis bonis,& iudiciis in malis exercendis,ait,Nomē eius glorioſum & terribile:glorioſum,ſcilicet propter beneficia:terribile autem,propter iudicia. Ne ergo aliquis putet quòd fama nominis domini ceſſauerit,hic oſtendit Pſalm.quòd inæternū permanet:quia & beneficia ſua ſemper dat bonis,& iudicia exercet in malis.Quia omnia illa quæ tunc illis faciebat Deus,hiſtorialiter erāt quædam figuræ illorū quæ realiter ſemper facit in nobis. Quæ omnia figuratiua reducit gl.ad figurata,repetēs dicta in hoc Pſalm.dicēs,Hæc quidē quo ad literā quomodo ſunt facta,audiuimus:ſed aliquid ſignificāt, quod explicari oportet. Repetamus ergo ab illo loco, *Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cœlo & in terra* &c.Typicè in hominibus hoc poſſumus intelligere. Cœlū enim ſunt ſpirituales:terra,carnales. Ex his enim duobus tanquam cœlo & terra cōſtat eccleſia.In his enim facit Deus quæcūq; vult,& in mari(id eſt in infidelibus)facit quæ vult,In quibus omnibus nihil fit ſine iuſſu Dei. Nō enim ſæuiunt mali,niſi permittātur à Deo:nec in eos vindicatur, niſi iuſſerit Deus. Et in omnibus abyſſis quæ voluit fecit.Abyſſi ſunt latētia mortalium corda,profundæ cogitationes hominū,in quibus facit Deus quod vult.Quia interrogat iuſtū & impiū:latet cor bonū,latet & cor malū,& in vtroq; eſt abyſſus:ſed Deus in vtroq; videt quem nil latet: cōſolatur cor bonū,& torquet malū.Sequitur,*Educēs nubes ab extremo terræ*.Nubes ſunt prædicatores; quos nō tātū de Iſrael miſit,ſed etiā ab extremo terræ excitat,& in fines orbis terræ mittit. Et de ipſis nubibus fulgura in pluuiā facit;id eſt minas ad miſericordiam flectit,Prædicatores namq; & terrēt & blandiūtur. terrēt cōminando æterna ſupplicia:blādiūtur,promittēdo æterna præmia.Sequitur,*Qui producit vētos de theſauris ſuis*.Idem prædicatores & nubes ſunt & vēti,nubes,propter carnē:vēti, propter ſpiritū.vel propter aliud vēti dicuntur Apoſtoli: quia ſcilicet totū mundū velociter percurrerūt. *Qui percuſſit primogenita Aegypti*.Primogenita eſt fides.percutit ergo primogenita Ægypti,quia quicūq; affligit eccleſiā, etiāſi ſit Chriſtianus,fidē perdit. *Ab homine vſq; ad pecus*:i.à doctis vſq; ad indoctos.*Et miſit ſigna & prodigia in medio* &c. quia multa ſigna peccatoribꝰ mittit vt conuertātur:vide verſic. 2376. *Qui percuſſit gentes multas* &c.Quas gentes, & quos reges? *Seon regem Amorrhæorum*:id eſt concupiſcentiam oculorum. *Et Og regem Baſan:* id eſt peccatum conſumatum. *Et omnia regna Chanaam.* Chanaam namque interpretatur, Paratus humiliationi. Et hic accipitur humiliatio,non pro virtute,ſed pro pœna & afflictione. Et ſic paratus humiliationi eſt quilibet ſuperbus, quem ſequitur humiliatio damnationis æternæ. Et dedit terram eorum hæreditatē &c.Per terram eorum ſignificātur omnes gentes, quas hæreditariè dedit Iſrael populo ſuo: quia ex omnibus gentibus Chriſti fidem receperunt. vel hæreditatem cœleſtem,de qua ceciderunt dæmones, gentibus conuerſis dedit.Ex quibus omnibus ſequitur, quòd ſi Deus illa omnia faciendo hiſtorialiter,memoriale nominis eius fuit dilatum, quòd etiā quia iſta omnia vſque in finē facit ſpecialiter, quòd memoriale nominis eius ſemper perdurare debet. Et hoc eſt quod ex prædictis concludit Pſal. dicens, *Domine nomen tuum inæternum.* Vnde hic ait Auguſt. *Domine memoriale tuum* &c.id eſt,iam nō ceſſat miſericordia tua:non ceſſat manus tua in ſæculo facere iſta quæ tunc feciſti præfigurando:omnia enim illa in figura contingebant illis.*Domine*(ergo)*memoriale tuum in generatione & generationem*.Generatio prima, qua fideles efficimur & per baptiſmū renaſcimur: generatio alia,qua à mortuis reſurgemꝰ. *In æternum* (ergo)*memoriale tuum domine*.Et ſuper iſtam generationem, quia nec nunc nos oblitus es vt vocares, nec tunc obliuiſceris vt corones.

*Deuter.28.*



*Mar.24.*

*Generatio duplex.*

## 2372 Quoniā iudicabit dominus populum ſuum,& in ſeruis ſuis deprecabitur.

Hîc concludit Deum laudandum ratione iudiciorum.Vbi notandum quòd iudicium eſt duplex: ſcilicet diſcretionis & cōdemnationis: vide verſic. 522.Et de vtroque hic intelligitur.Et primò de iudicio diſcretionis: quia in populo ſuo Iudæorum diuiſit bonos à malis. bonos aſſumendo, & relinquendo malos.Vnde hic ait Aug. *Quoniam iudicabit dominus populum ſuum*.Compleuit Deus omnia prędicta in populo Iudęorum.Sed nunquid iā remanſerunt opera eius,poſtquam induxit plebem ſuam in terrā promiſſionis?Certè nō. Vnde audi,*Iudicabit dominus plebem ſuam*.Iā enim iudicauit populū ſuum. Excepto futuro iudicio iudicatus eſt populus Iudæorū: quia ſeparati ſunt inde iuſti,& remāſerunt iniuſti. Vnde dominus ait,In iudicium veni in hūc mundum:vt qui non vident,videant:& qui vident, cęci fiant.Excęcati ſunt ſuperbi:illuminati ſunt humiles.Iudicauit ergo dominꝰ populū ſuum. Ipſum indicium prædixit Eſaias,Et nūc tu domus Iacob, venite,ambulemus in lucem domini.Parū eſt hoc? Sed audi quod ſequitur, Dimiſit enim plebē ſuam domum Iſrael. Ipſa eſt domus Iacob, quæ domus Iſrael. Domus Iacob & domus Iſrael vna gens eſt, vna plebs:hanc inuitat, & hanc dimittit. Et nunc iam certè ô domus Iacob occidiſti Chriſtum:iā caput ante crucē agitaſti:iā pendentē irriſiſti.Iā dixiſti,Si filiꝰ Dei es, deſcēde nūc de cruce. Iā pro phreneticis rogauit medicus, dicēs, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciūt. Certè iā feciſti iſta omnia. Et nūc crede in eū quē occidiſti:bibe ſanguinē quē fudiſti.Iudicaſſe ergo dicitur populū ſuū,ſeparando in ipſo bonos à malis,fideles ab infidelibus. Hoc poſt illa omnia ſignificauit propheta, dicens, Domus Iacob,venite, ambulemus in lucē domini: ne remanēdo in Iudaiſmo nō perueniamꝰ ad Chriſtum. ſed nunc dimiſit populū ſuum domū Iſrael. Venit Iacob:quia dimiſit domum ſuā, domum Iacob.Quæ venit,& quæ dimiſſa eſt,niſi quia hoc eſt iudicium,vt qui non vident, videant:& qui vident cæci fiāt? Iudicauit ergo dominus populum ſuum: id eſt,ſeparauit bonos à malis,iuſtos ab iniuſtis. Et hoc eſt quod ſubditur, *Et in ſeruis ſuis deprecabitur*:id eſt ſecundum aliā literā,cōſolabitur. Vel poteſt totū hoc accipi de iudicio condēnationis: quo iudicabit dominꝰ populū ſuū. Volēs enim Deus oſtendere quāta pœna in futuro iudicio reprobi iudicabūtur,hic iudicat & punit populum ſuū(id eſt electos)vt ex punitione bonorū mali colligant qualiter in futuro ſunt iudicādi. Et notabat Apoſtolus Petrus,dicēs, Tēpus eſt vt incipiat iudiciū à domo Dei.Si autē primū à nobis, quis finis eorū qui non credūt euāgelio?Quod ad propoſitū exponit Greg. dicēs, Cōſideremus quæ ſupplicia poſtmodū prauos terreāt, ſi etiam iuſtos tā valida hic flagella caſtigant.Hinc eſt enim quod Petrus ait,Tēpus eſt vt iudiciū incipiat à domo Dei:& ſi iuſtus vix ſaluabitur,impius & peccator vbi parebūt?Quaſi dicat,Ex noſtra pœna colligendū eſt quomodo Deus feriat quibus iraſcitur:ſi ſic nos affligi patitur, in quibus lętatur?Aut quomodo illos percuſſurus eſt,quibus iuſtum iudiciū exhibet, ſi etiā nos ſic cruciat,quos piè redarguēs fouet?Eſt ergo ſenſus, *Iudicabit dominus populū ſuū*: id eſt ſeruos ſuos in quibus deprecabitur:hic ſcilicet diuerſis ipſos pœnis affligēdo, vt ex hoc mali conſiderent, quali pœna ipſi finaliter erunt iudicādi. Et hoc eſt quod Paulus iuſtis dicebat,Gloriamur in omnibus perſecutionibus & tribulationibus veſtris quas ſuſtinetis in exēplum iuſti iudicij Dei. Acſi diceret, Dū tot dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quàm iuſti iudicij Dei exempla datis:vt ex pœnis bonorum ſupplicia conſiderentur malorum?

*Iudæi iudicati ſunt à Chriſto.*

*Ioan.9.*

*Eſa.2.*

*Matth.27.*

*Luc.3.*

*1.Petr.4.*

*Greg.5. mor. cap.8.*

*Iudiciū malorū ex pœnis bonorū cōſiderari poteſt.*

*2.Theſſal.1.*

## Simulacra gentium, argentum & aurum,opera manuum hominum. 2373

Hîc execrādo reprehēdit cultū idolorū.Idolorū autē vanitatē reprehēdit, oſtēdēs idola eſſe vana ex multis:ſcilicet primò ratione cauſæ materialis: ſecundò ratione cauſæ efficiētis: ibi,*Opera manuū hominū*:tertium ratione cauſæ formalis:ibi, *Os habent*: quartò ratione cauſæ finalis:ibi,*Similes illis fiāt*.Quātū ad primū, nota ꝙ iſte verſus formaliter habetur Pſal.113.Et ideo expoſitionem eius vide ver.2013. Quāuis enim iſta ſuperius de ſimulacris fuerint dicta:tamē hic repetita verecundiā augēt his qui in illis cōfidunt. Et aduerte quòd licet ſimulacra fiāt de viliori materia quā ſit aurū & argentū,quia fiūt de gypſo,de lapide,de ligno,de luto: tamē iſtā precioſiorē materiā hic nominare voluit,quia ſi in iſta materia precioſiori idola ſunt irridēda, multo fortius in viliori. Vnde hic Auguſtinus ait, *Simulacra gentium* &c. Hic ſe conuertit Pſalm. ad exprobranda& irridenda idola,quę etiam iam irridētur à cultoribus ſuis, dicens, *Simulacra gentum argentum & aurum.* Quid enim reſtat figmentum niſi irridendum:non adorandum? Idola gētium dicturus erat, fortaſſe vt contemneremus iſta omnia idola gentium: lapides & ligna, gypſum & teſtam: non hic dico, Vilis materia eſt, ſed illud dico, quòd valde amant & honorant. Sed nunquid argentum

*Idolorū vanitas.*

& aurum, quia lucent, oculos habent ad videndum, intellectum ad cognoſcendum? Cum igitur omnia iſta inſenſata ſint: quid facitis ô vos homines de argento & auro Deos? Quos Deos facitis, nónne videtis quòd aurum non intelligit, non videt, non ſentit?

2374 **Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.**

Hîc oſtendit idolorum vanitatem ex cauſa formali. Iſte verſus formaliter ponitur Pſal. 113: vide expoſitionem ibi, verſic. 2014.

2375 **Aures habent, & non audient: nec enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.**

Hîc ex alio oſtendit ipſorum vanitatem ex cauſa formali: quia ſcilicet non formam vitalem, qua poſſint voces & orationes aliorum audire, ſed neque ſpiritum oris, quo poſſint alios docere. Vnde primam partem, ſcilicet *Aures habent, & non audient*, expoſitam vide verſic. 2015. Quod autem ſequitur, *Neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum*; ibi ſpiritus accipitur pro anima ſenſuali, qua animal ſentit, & eius ſenſus immutatur ab obiecto. Non autem talem ſpiritum habent idola, quia quamuis artifex potuerit ei dare imaginem & figuram hominis vel alterius animalis: illi tamen ſpiritum vitalem non potuit dare, quia non auditum auribus, non viſum oculis, non palpare manibus &c. Vnde hic ait Auguſt. Oculos, aures, nares, manus, & pedes: omnia iſta homo artifex facere potuit: ſed nec lucem oculis, nec auditum auribus, nec vocem ori, nec ſpiritum naribus, nec iter pedibus potuit dare.

2376 **Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.**

Hîc oſtendit idolorum vanitatem ex parte cauſæ finalis. Iſte verſus formaliter ponitur Pſal. 113: vide expoſitionem verſic. 2017. Et nota quòd idolorum cultores ſimiles idolis fiunt, quia quamuis in exteriori apparentia organa ſenſuum videantur habere, ſenſum tamen interiorem illis non percipiunt. Vnde hic ait Auguſt. In illis qui confidunt in cultura idolorum quædam cernitur idolorum ſimilitudo: non quidem in carne eorum, ſed in interiore homine illorum. Nam aures habent, & non audiunt. Ad illos quippe clamat Deus, Qui habet aures audiendi, audiat. Ipſi autem non audiunt Deum clamantem, *Oculos habent, & non vident*. Habent enim corporis oculos, ſed mente vel fide non vident. Nares habent, ſed non ſentiunt Chriſti odorem.

*Similes idolis ſunt idolatræ.*

2377 **Domus Iſrael benedicite domino: domus Aaron benedicite domino.**

Hîc ex omnibus prædictis Deum ab omnibus eſſe laudandum concludit. Et duo facit: quia primò omnes ad laudem Dei excitat: ſecundò qualiter Deum laudare debent explicat: ibi, *Benedictus*. Prima diuiditur in duas: quia primò excitat contemplatiuos & maiores: ſecundò ſubditos & minores: ibi, *Domus Leui*. Quantum ad primum, ſciendum quòd Iſrael, qui interpretatur videns Deum, ſignificat viros ſpirituales & contemplatiuos: quorum conuerſatio in cœlis eſt, quia à terrenis eleuati toto intellectu, toto affectu feruntur in Deum: dulcedinem bonitatis eius explorantes. de quibus dictum eſt, Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Eſt ergo domus Iſrael contemplatiuorum congregatio: quos ad laudem Dei excitat, dicens, *Domus Iſrael benedicite domino*. Benedicere enim dominum, eſt virtuoſè & bene viuere: vide verſic. 378. Vel benedicere Deum, eſt de omnibus noſtris bonis, non nobis, ſed ſibi dare gloriam: vide ver. 502. Nota etiã quòd multipliciter benedicimus Deũ: ver. 502. Vel aliter: vt per domum cõſcientia cuiuſlibet intelligatur. In qua quilibet bonus habitat, dũ per bona exteriora nõ vagatur. In qua velut in domo manẽs, quicquid agendum vel fugiendum ſit, cogitat. Vnde domum pro conſcientia accipiendam oſtendit Gregor. dicens, Quid autem per domos, niſi conſcientiæ deſignantur ſingulorum? Vnde cuidam ſanato dominus dicit, Vade in domum tuam. Acſi apertè dicat, Poſt exterius miraculum, ad conſcientiam reuertere: & qualem te intrinſecus Deo debeas exhibere, perpende. Quid eſt ergo *Domus Iſrael benedicite domino*, niſi Conſcientiæ ſpiritualium domino benedicunt. Vel aliter: per Iſrael intellige beatos in patria clarè Deum contemplantes facie ad faciem: quos Pſalm. ad Dei laudem inuitat, dicens, *Domus Iſrael benedicite domino*. Non enim inuitat beatos ad Dei laudem ex neceſſitate, quia illi indigeant: ſed magis ex quadam congratulatione & charitate mutua. ſicut & Pſalm. 102, beati angeli ad Deum laudandum inuitantur: dicens, Benedicite domino omnes angeli eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem &c. Vel aliter, & clarius: ly verbum imperatiuum ſtat pro indicatiuo. vt ſit ſenſus: Benedicite domino domus Iſrael: id eſt benedicit domino. Vel aliter: per domum Iſrael intelligit filios Abrahæ: non ſolum carne, ſed magis fide. Et ſic filij Abrahæ ſunt omnes ex gentibus ad Chriſti fidem conuerſi: de quibus dicit Ioannes Baptiſta, Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis (id eſt ex gentibus qui lapides colebant) ſuſcitare filios Abrahæ. Vnde hic ait Auguſtinus, *Domus Iſrael benedicite domino*: id eſt omnes filij Abrahæ etiam de lapidibus ſuſcitati. Manifeſtum eſt quia illi ſunt magis domus Iſrael qui pertinent ad ſemen Abrahæ: non carne, ſed fide. De domo Abrahæ crediderunt Apoſtoli, & milia circunciſorum: crediderunt etiam gentes, & factæ ſunt de domo Iſrael. Sequitur, *Domus Aaron benedicite domino*. Hic ad laudem excitat maiores & prælatos. Aaron enim qui fuit ſummus ſacerdos, ſignificat prælatos & maiores eccleſiæ: vt dictum fuit ver. 1850. Per domum ergo Aaron prelatos omnes intellige: qui meritò Deum laudare tenentur, vt ſicut cæteros dignitate præcedunt, ſic & ſanctitate præcedant. Vnde illis ſub Aaron nomine dicitur, Dicat nunc Aaron, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

*Iſrael ſignificat contẽplatiuos.* *Pſal. 117.* *Domus ſignificat cõſciẽtiã.* *Greg. 4. mor. cap. 24.* *Iſrael ſignifi cat beatos.* *Iſrael ſignifi cat omnes fideles.* *Matth. 3.* *Aaron prælatos ſignificat.* *Pſal. 117.*

2378 **Domus Leui benedicite domino: qui timetis dominum benedicite domino.**

Hîc excitat ſubditos & minores. Et primò clericos, dicens, *Domus Leui* &c. De ſola enim tribu Leui erant qui in templo ſeruire debebant miniſtri & ſacerdotes. Et ſic per domum Leui intellige omnes clericos & ſacerdotes minores: qui ſingulariter bene viuendo Deum benedicere debent, quia ipſorum bonitas bonos facit ſeculares. Similiter & ipſorum mala vita facit ſeculares malos: vt oſtendit Chryſoſt.

*Clerici mali populum corrumpunt & boni perficiunt.*



Chryſoſt. ſuper Matth. dicens, Chriſtus, vt bonus medicus, ingreſſus Hieruſalem ad infirmam ciuitatem ſanandam, primùm ad originem paſſionis intendens intrauit in templum. Nam ſicut de templo (id eſt à clericis) omne bonum egreditur: ita & de templo omne malum procedit. Si enim ſacerdotium integrum fuerit, tota eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, omnis fides marcida eſt. Sicut enim cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vicium habet in radice: ſic cum videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce quia ſacerdotium eius non eſt ſanum. Hac ergo cauſa ſingulariter clerici ad Deum benedicendum per bonam vitam excitantur: cum dicitur, *Domus Leui benedicite domino*. Vel aliter: per iſta verba vult oſtendere quòd mens clericorum non in aliquo temporali, ſed ſolum in domino quieſcere debet. Nam domus mentis vocatur omne illud quod mẽs diligit, in quo per amorẽ quieſcit: vt oſtendit Gregorius, dicens, Sicut enim domus exterioris conuerſationis eſt ædificium quod inhabitat corpus: ita domus noſtræ congregationis eſt res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Omne quippe quod diligimus, quaſi in hoc quieſcentes habitamus. Vnde Paulus quia in ſupernis cor fixerat, in terra quidem poſitus, ſed tamen à terra extraneus dicebat, Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Domus ergo Leui eſt omne illud quod per amorem clerici inhabitant. Vt ergo præter Deum nihil diligant, eis dicitur, *Domus Leui benedicite domino*: vt ſit ſenſus, Benedicere domino ſit domus veſtra: id eſt hoc ſolũ diligatis, in hoc ſolo vt in domo quieſcatis. Vel aliter: per iſta verba vult oſtendere quòd clerici præ omnibus aliis corpus ſuum caſtum & mundum conſeruare debent. Nam ipſum corpus dicitur animæ domus: vt oſtendit Gregor. dicens, Luteas quippe domos habitamus: quia in corporibus terrenis ſubſiſtimus. Quod bene Paulus conſiderans ait, Habemus theſaurum noſtrum in vaſis fictilibus. Et rurſum, Scimus quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam &c. Domus ergo Leui ſunt corpora clericorum, quæ domino benedicere debent: vt ſcilicet per ipſorum caſtitatem & munditiam ab aliis Deo benedicatur. Quid eſt ergo *Domus Leui benedicite domino*, niſi corpora clericorum faciant ab aliis domino benedici? Sequitur, *Qui timetis dominum, benedicite domino*. Hic ſubiectos & minores ad Dei laudem excitat: & generaliter omnes. Nam per timentes Deum generaliter omnes iuſti intelliguntur. Quoniam (vt dicitur) qui ſine timore eſt, iuſtificari non poterit. Conſimiliter per timẽtes Deum omnes ad Dei laudem excitantur: Apocal. 19, vbi dicitur, Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius: & qui timetis Deum puſilli & magni. Gloſa autem iſtos qui ad benedicendum Deum inuitantur, ſic diſtinguit, dicens, Omnes ordines monet laudes Dei celebrare, dicens, *Domus Iſrael*: ſcilicet domus quæ quotidie de lapidibus ſuſcitantur, de quibus potens eſt Deus filios Abrahæ ſuſcitare, *Domus Aaron*, id eſt præpoſiti & prælati. *Domus Leui*, id eſt miniſtri. *qui timetis Deum*, id eſt omnes populi. Nam prepoſiti ſunt domus Aaron: miniſtri, domus Leui: populi, omnes qui timent. Omnes iſti generaliter ſunt domus Iſrael.

*Domus noſtra eſt omne quod diligimus.* *Greg. 8. mor. cap. 31.* *Phil. 3.* *Domus noſtra ſunt corpora noſtra. Greg. 5. mor. cap. 27.* *2. Cor. 4.* *2. Cor. 5.* *Timor ſignifi cat omnes iuſtos.* *Eccl. 1.*

2376 **Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem.**

Hîc explicat modũ quo Deum debemus benedicere. Vbi aduertendum quòd benedicitur Deus corde melius quàm verbis. Corde autem benedicitur per fidem: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Illi ergo Deum benedicunt qui perfectam fidem habẽt in illum. Fides autem circa Chriſtum maximè in duobus conſiſtit: ſcilicet in eius humiliatione & incarnatione, & in eius aſcenſione & glorificatione. Vnde iſta duo præcipuè ipſe dicebat: dicens, Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Et iſta duo nos docet Pſalm. confiteri & credere, dicens, *Benedicens dominus ex Sion*, quo ad incarnationem: *Qui habitat in Hieruſalem*, quo ad glorificationem. Quantum ad primum, notandum quòd per locum aliquando intelligitur habitans in loco: ſicut ſi dicatur, Iſte genitus eſt ex Bononia: intelligitur, id eſt, ex gente quæ habitat in Bononia. Simili modo per Sion intelligitur Dauid rex, qui mõtem Sion habitauit. Vnde & ipſe mons Sion dicebatur ciuitas Dauid, quia ibi erat palatium ſuum & habitatio. Certum eſt autem quòd ex Dauid natus eſt Chriſtus: ſicut dicit Apoſtolus, Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Hoc ergo præuidens Pſam. hic ait, *Benedictus dominus ex Sion*: id eſt benedictus dominus Ieſus Chriſtus, qui ex Sion: ſcilicet ex Dauid venit, carnem aſſumendo. Et iſto modo Eſaias loquitur, dicens, De Sion exibit lex, & verbum domini de Hieruſalem: id eſt, verbum domini exibit & incarnabitur de Sion & de Hieruſalem: id eſt de Dauid, qui habitat in Sion & in Hieruſalem. Vel aliter: *Ex Sion venit dominus*: quia ex Sion exiuit prædicatio fidei ſuæ, qua mundo fuit manifeſtatus: vide verſic. 1970. Et tunc eſt ſenſus, *Benedictus dominus ex Sion*: id eſt qui ex Sion nobis manifeſtabitur. Quantum verò ad eius glorificationem, ſubdit, *Qui habitat in Hieruſalem*. Non quidem in Hieruſalem ciuitatem terreſtrem quæ diſſipata pluries fuit: quæ occidit prophetas: & lapidauit ad ſe miſſos: ſed in Hieruſalem cœleſtem. Hieruſalem namque viſio pacis interpretatur: & ſignificat cœleſtem patriam, in qua Chriſtus habitat glorificatus. Nobis ergo quandiu hic peregrinamur, dominus venit ex Sion. Sion ſpeculatio, Hieruſalem viſio pacis interpretatur. In qua ergo Hieruſalem habitat Chriſtus? In illa quæ cecidit? Non: ſed in matre noſtra: ſcilicet in cœlis: de qua dictum eſt, Multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Nunc ergo dominus ex Sion, quia ſpeculamur quòd veniat: nunc tamen quandiu in ſpe viuimus, in Sion ſumus. Finita via, habitabimus in illa ciuitate Hieruſalem, quę nunquam ruitura eſt: quia & dominus, qui eſt caput noſtrum, habitat in ea, & cuſtodit eam quæ eſt viſio pacis æterna Hieruſalem. Vel aliter: vult oſtendere Pſal. quòd Deus benedicitur à iuſtis: & hic in præſenti, & in cœleſti patria. Vbi per Sion accipit vitam præſentem, quæ de longè Deum ſpeculatur per fidem: & per Hieruſalem accipit gloriã cœleſtem; in qua Deus pacificè facie ad faciem videtur à beatis. Vnde hic ait gloſ. vel iuxta interpretationes nominum, Sion interpretatur ſpeculatio: Hieruſalem, viſio pacis. Nunc ergo ex Sion benedictus eſt Deus: id eſt à nobis, qui quandiu viuimus in ſpe, ſumus in Sion: quia ſpeculamur quòd Dei regnum adueniat. Hic autem habitat in Hieruſalem cœleſtem, & ibi à

*Ioan. 18.* *Sion ſignificat Dauid.* *Rom. 1.* *Ex Sion venit Chriſtus, id eſt ex Dauid.* *Eſa. 2.* *Gal. 4.*

ſanctis benedicitur: & tanto dignius, quanto ibi clarius cognoſcitur. Et nota quòd multipliciter nos benedicimus Deum: vide verſic. 502.

## PSAL. CXXXV.

2380 CONfitemini domino quoniã bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Titulus iſtius Pſalmi eſt, Alleluia. Conſimilem titulum habet Pſalm. 104. vide ibi expoſitionem, ſcilicet verſic. 1790. De materia verò Pſalmi, apparet quòd iſte Pſalm. eſt quædam inuitatio aliorum ad laudandum Deum, & ſibi de collatis beneficiis gratias agendum: ſicut fuit Pſalm. præcedens. Et quamuis multa in laudem Dei dicantur, tamen in iſto Pſalmo maximè miſericordia Dei commendatur: ad quam referuntur omnes verſiculi iſtius Pſalmi: ſicut & primus, qui ait, *Confitemini domino, quoniam bonus*: finis eius eſt, *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*: qui finis in fine omnium verſiculorum intelligitur. Verbi gratia: ſecũdus verſus dicit, *Confitemini Deo deorum*: ſubintellige, Quoniam in ſæculum miſericordia eius: & ſic in omnibus aliis verſiculis. Et hoc eſt quod hic ait Auguſtin. Quamuis hic in laudem Dei multa dicantur, maximè tamen eius miſericordia commendatur: ſine cuius commendatione nullum verſum claudi voluit ſpiritusſanctus. Item vt hic ait gloſa, magna virtus iſtius Pſalmi in Paralippomenon oſtenditur: vbi legitur ꝙ quũ cœpiſſent filij Iſrael Deũ laudare & dicere, *Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*: impleuit gloria domum domini. Ita præſtò eſt gratiæ diuinæ præſentia, ſi puro corde canitur. Intentionem mouet ad laudem Dei, & in Dei confidere miſericordia. Quibus viſis, accedo ad diuiſionem Pſalmi. Diuiditur iſte Pſalm. in tres partes: ſecundum quòd ad laudem diuinæ miſericordiæ nos ex tribus inducit: primò ex creatione mundi in generali: ſecundò ex protectione populi Iudæorum in ſpeciali: ibi, *Qui percuſſit Aegyptum*: tertiò ex gubernatione populi Chriſtiani in ſingulari: ibi, *Et dedit terram eorum*. Prima pars diuiditur in duas: quia primò proponit Deum laudandum in generali: ſecundò narrando eius beneficia in ſpeciali: ibi, *Qui fecit cœlos*. Prima diuiditur in partes quatuor: ſecundum quod quatuor proponit generaliter, ex quibus Deus eſt laudandus. Et primò ratione eius bonitatis: ſecundò ratione eius diuinitatis: ibi, *Confitemini Deo*: tertiò ratione eius maieſtatis: ibi, *Confitemini domino*: quartò ratione eius poteſtatis: ibi, *Qui facit mirabilia*. Quantum ad primum, oſtendit primò Deum eſſe laudandum ratione ſuæ bonitatis: dicens, *Confitemini domino, quoniam bonus* &c. Hoc idem in præcedenti Pſalm. oſtendit, dicẽs, Laudate dominum, quoniam bonus dominus. Et de bonitate Dei quare eſt laudandus, ibi vide: ſcilicet verſic. 2361. Iſte verſus formaliter habetur ſuperius, verſic. 1834. 1881. 2048. Ideo expoſitionem eius ibi vide. Hic tamen vnum notandum eſt, quòd hic textus variatur: quia aliqui codices habent, *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*: & aliqui, *Quoniam inæternum miſericordia eius*. Si autem dicatur, *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*: textus eſt ſatis clarus, quoniam ſæculum ſtabit pro tota vita præſenti, in qua miſeri miſericordia Dei indigemus. Sed ſi textus dicat, *Quoniam inæternum miſericordia eius*: tunc eſt dubium, quia cum miſericordia non poſſit fieri niſi miſeris, quomodo inæternum erit miſericordia eius: quia in ſuis electis poſt iudiciũ nulla erit miſeria? Et hoc dubium hic mouet Auguſtin. & ſoluit dicens, Plerique textus habent, *Quoniam inæternum miſericordia eius*. Quomodo ergo poſt iudicium quo in fine ſæculi mortui & viui iudicandi ſunt, miſſis iuſtis in vitam æternam, iniuſtis autem in combuſtionem ęternam, cum non ſint deinceps futuri quorum adhuc miſereatur Deus: quomodo poteſt intelligi inæternum miſericordia eius futura? Sed rectè miſericordiam eius inæternum futuram quam ſuis ſanctis fidelibúſque largitur intelligimus: non quia inæternum miſeri erunt, & ideo miſericordia inæternum indigebunt: ſed quia ipſa beatitudo quam miſericorditer & miſeris præſtat, vt eſſe miſeri deſinant & beati eſſe incipiant: non habet finem. Et ideo inæternum miſericordia eius. Proinde confitemini domino: id eſt confitendo laudate dominum, quoniã bonus, quoniã inæternum miſericordia eius: id eſt beneficium quod vobis miſericorditer præſtat, æternum erit. Vel aliter poteſt dici, quòd etiam in beatis apparebit miſericordia eius inæternum, ſimiliter & in damnatis. Quia & beatos præmiabit æternaliter vltra condignum: & damnatos æternaliter puniet, citra condignum. Eſt ergo ſenſus, ſecundum gloſam: *Confitemini domino* (id eſt laudes & peccata) *quoniam bonus*: quia laudes audit, & peccata dimittit. Ideo omnes ſemper laudare debemus: modò laudem⁹, vt poſtea cum angelis laudare mereamur. Ipſa laus eſt noſtra refectio, vt nulla videatur ſimilis delectatio. Ipſa eſt remuneratio, quæ & operatio. Ergo confitemini domino. Ideo, quoniam inæternum, ſcilicet hic & in futuro, miſericordia eius: quia hic parcit, ibi coronat.

*Miſericordiæ Dei cõmẽdatio.*

*Miſericordia Dei quomodo erit æterna in beatis, qui miſeri non erunt.*

*Laus Dei eſt noſtrum præmium.*

### Confitemini Deo deorum, quoniam &c. 2381

Hîc oſtendit conſequenter Deum laudandum ratione ſuæ diuinitatis: quia ſcilicet Deus eſt ſuper omnes Deos. Vbi notandum quòd Deus multipliciter dicitur: ſcilicet eſſentialiter, & ſubſtantiuè: & ſic eſt vnus ſolus Deus. Deuter. 6, Dominus Deus tuus, vnus eſt. Et ſpiritualiter ac participatiuè. Ioã 1, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri &c. Et ſola nuncupatione: & ſic etiam mali & dæmones dij vocantur. De malis hominibus habes Ioan. 7. Illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt. Et certum eſt quòd multis malis hominib⁹ locutus eſt Deus. Vnde & de malis dicitur, Ego dixi, Dij eſtis &c. ſequitur, vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. De dæmonibus autem dicitur, Omnes dij gentium, dæmonia. Certum eſt autem quòd Deus, eſſentialiter dictus aliorum deorum eſt Deus: quia omnes alios habet iudicare, punire, vel præmiare. Ideo dicitur, Deus ſtetit in ſynagoga deorũ: in medio autem Deos diiudicat. Hic ſolet quæri, Quare iſte Pſalm. poſt primum verſiculum omnes verſiculos habet ita breues præ omnibus aliis Pſalmis. Ad hoc iam quaſi reſponſum eſt, quoniam in fine cuiuſlibet verſiculi in Hebræo ponitur, *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Ad hanc prolixitatem vitandam tranſlatores hoc poſuerunt ſolum in primo verſiculo: ſcilicet *quoniam in ſæculum miſericordia eius*: hoc ſubintelligendum in fine cuiuſlibet aliorum verſiculorum volen-

*Pſal. 81.*

*Pſal. 95.*

*Pſal. 81.*

*Quæſtio.*



volentes. Et ideo alij verſiculi à primo hoc ſolùm medij ponuntur. Notãdum ergo quòd in Hebræo hæc clauſula, *Quoniam in æternum miſericordia eius*, in hoc Pſal. ponitur viginti & ſex vicibus. Cuius cauſa eſt, quia (ſicut dicit Rabbi Sal.) à principio mundi vſque ad dationem legis in monte Sinai fuerunt viginti & ſex generationes: in quibus mundus fuit ſuſtentatus & gubernatus ſola miſeratione Dei, & non ex obſeruatione alicuius legis à Deo datæ. Iſtę autem viginti ſex generationes ſic colliguntur ex ſcriptura, vt dicit N. Quoniam Gen. 5, habetur quòd Adam genuit Seth: Seth genuit Enos: Enos genuit Chainan: Chainan genuit Malalehel: Malalehel genuit Iared: Iared genuit Enoch: Enoch genuit Mathuſalem: Mathuſalem genuit Lamech: Lamech genuit Noe: Noe genuit Sem. Item Sem genuit Arphaxãd: qui genuit Sale: qui genuit Heber: qui Phaleg: qui Reu: qui Sarug: qui Nachor: qui Thare: qui Abraham: qui Iſaac: qui Iacob. Et vt habetur Gẽ. 25. Iacob genuit Leui, Gẽ. 29. & Exod. 6. habetur quòd Leui genuit Caath: qui Amram: qui Moyſen: qui genuit Gerſon. Et in hac generatione fuit data lex Exod. 20. Quia ergo in iſtis viginti ſex generationibus ſola Dei miſericordia abſque aliqua lege data mundus fuit gubernatus: ideo hanc miſericordiam recognoſcens Pſalmiſta, & gratias agens in iſto Pſalmo viginti ſex vicibus dicit confitendum domino, quoniam inæternum miſericordia eius.

*Generationes viginti ſex à principio mũdi vſque ad legem.*

### 2382 Confitemini domino dominorum.

Subaudi, *quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Hic oſtendit Deum laudandum ratione ſuæ dignitatis. Ipſe enim Deus noſter, dominus eſt ſuper omnes dominos. Et hoc eſt quod dicitur, Quoniam Deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos. Ipſe eſt per quem reges regnant, & legum cõditores iuſta diſcernunt: vt dicitur Prouer. 8. Vnde notandum quòd propriè ſolus Deus dicitur dominus, & non homo propter multa: vide ver. 1633. Vnde Apocal. 19, Ipſe eſt rex regum, dominus dominantium. Et aduerte quòd quamuis multi ſuperbi & elati Deum non credunt eſſe verum dominum, tamen per pœnam hoc experientur: quia pœna aperit oculos, quos claudit culpa: vide verſ. 767. Vocatur ergo Deus dominus dominorum, quia quicunque titulo aliquo dominij fungitur, ſub ipſo militat & ſeruire debet: vt oſtendit Greg. dicens, Omnes namque qui ſub diſpenſatione cõditoris vicario nobis miniſterio iũgimur ſub vno ac vero domino: quid nobis aliud, niſi inuicem ſerui ſumus? Cum igitur is qui ſubeſt, ſeruit ad obſequium, reſtat proculdubio vt is qui præeſt, ſeruiat ad verbum. Cum is qui ſubeſt, iuſſis obtemperat: oportet vt is qui præeſt, curã ſollicitudinis ac pietatis impẽdat. Sícque fit vt dum ſtudioſè nunc ſeruire nobis inuicem per charitatem nitimur: quandoque cum vero domino communi exultatione dominemur. Ex quibus patet quòd hic dominãtes non ſunt veri domini: quia dominum habent ſuperiorẽ, & quia ſubditis ſeruire coguntur. Et quãuis Deus in lege antiqua ſe verum dominum demonſtraret, qui timeri voluit vt dominus: in noua tamen lege non timeri à nobis vult vt dominus, ſed vt pater amari. Quod oſtendit Gregor. dicens, Per legem enim Deus vt dominus virgam tenebat, cum dicebat, Si quis hoc vel illa fecerit, morte moriatur. Sed incarnatus virgã abſtulit, quia vias vitæ per manſuetudinem oſtendit. Vnde ei per Pſalmiſtam dicitur, Intende proſperè, procede & regna propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam. Timeri enim quaſi dominus noluit: ſed quaſi pater vt amaretur inſpirauit. Quod liquidò Paulus innuit, dicens, Nõ enim iterum accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus, Abba pater.

*Pſal. 94.*

*Deus ſolus dicitur dominus.*

*Greg. 22. moral. cap. 23.*

*Greg. 9. moral. cap. 31.*

*Pſal. 44.*

*Rom. 4.*

### Qui facit mirabilia magna ſolus. 2383

Supple, *quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Hic oſtendit Deum laudandum ratione ſuæ poteſtatis: quia ſcilicet ipſe ſolus facit quæ nullus alius facere poteſt. Et notãdum, ſecundum Auguſt. quòd ſicut in fine cuiuſlibet verſus iſtius Pſalmi ſubintelligitur, *quoniam in ſæculum miſericordia eius*: ita in principio cuiuſlibet verſus ſubaudiendum eſt *confitemini*: vt ſic legatur, *Confitemini ei qui facit mirabilia magna ſolus. Confitemini ei qui facit cœlos*, &c. Sic ergo erit iſte verſus integer, vt dicatur, *Confitemini domino, qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Quamuis enim Deus multa mirabilia & magna faciat per naturam & angelos & aliquos homines: illa tamen quę per ſeipſum facit, ſunt mirabilia. Mirabile namq; eſt, quòd per naturã aquã vertit in vinum: & vinum vertit in ſanguinem, &c. quòd virtute naturæ producit ventos de theſauris ſuis: quòd fulgura in pluuiam facit. Mirabile quòd miniſterio angelorum quadraginta annis conduxit populum per deſertum, cibãs illum pane angelorum, &c. Sed mirabiliora ſunt, quæ per ſeipſum facit ſolus: vt cœlum & terram creauit ex nihilo: quòd fecit ſolem & lunam & ſtellas, & huiuſmodi. Dicat ergo, *Confitemini domino, qui facit mirabilia magna ſolus*: quæ hic poſita enumerantur. Notandum quòd aliquid alicui dicitur mirabile, quod apud alios non erit mirabile. Illud enim alicui dicitur mirabile, quod tranſcendit cognitionem eius. vnde aliqua ſunt mirabilia ſimplicibus, quæ nõ ſunt mirabilia ſapientibus. Sicut eclipſis ſolis vel lunæ eſt mirabilis laico, quæ non mirabilis aſtrologo. Et iſto modo aliqua ſunt mirabilia hominibus, quæ non ſunt mirabilia angelis. Et talia ſunt mirabilia ſecundum quid: illa verò ſunt ſimpliciter magna & mirabilia ſimpliciter, quæ tranſcendunt virtutẽ totius naturæ creatæ. Et hæc ſunt ſoli Deo poſſibilia. Mirabilia ergo opera Dei nullus ratione ſcrutari poteſt, quia tranſcendunt facultatem noſtram. Quis enim omnipotẽtis Dei mirabilia ſcrutari ſufficiat: quòd cuncta ex nullo creauit, &c. vide verſ. 1182. Et ideo fide credenda ſunt, nõ ratione inueſtiganda: ne dum ratione à nobis comprehendi nõ poſſunt, nos mittant in errorem. Et hoc oſtendit Gregor. dicens, Sciendum eſt quòd mirabilia Dei & ſemper conſiderari debent per ſtudium, & nunquam per intellectum. Sæpe namq; humanus ſenſus, dum per quarundam rerum rationem quærẽs non inuenit, in dubitationis ſe voraginem mergit. Vnde fit vt nonnulli homines mortuorum corpora in puluerem redacta conſiderent: dúmque reſurrectionis vim ex ratione colligere non poſſunt, hęc ad ſtatum priſtinum redire poſſe deſperant. Mira igitur quæ ex fide credenda ſunt, perſcrutanda per rationem non ſunt: quia ſi hæc noſtris oculis ratio expanderet, mirabilia non eſſent. Sed cum in ipſis fortaſſe animus titubat, neceſſe eſt vt per ea quæ per viſum nouit, nec tamen per rationem colligit, ad memoriam reducat. Quatenus rei ſimilis argumento

*Mirabile quid dicitur multipliciter.*

*Mirabilia Dei credẽda ſunt, non per ſcrutanda.*

*Greg. 6. moral. cap. 6.*

*Reſurrectionis perſuaſio.*

mento fidem roboret, quam labefectari ſua ſagacitate deprehendit. Cõſiderato quippe humanæ carnis puluere, quorundam mens concuſſa deſperat, quando puluis ad carnem redeat, & rediuiuũ corpus per membrorum lineamenta cõponat, quando illa terræ ariditas per virentia membra virideſcat, ac ſeſe per eorum formas ſpeciéſq; diſtinguat. Hoc nimirum comprehendi per rationem non poteſt: ſed tamẽ credi per exemplum faciliter poteſt. Quis enim ab vno grano ſeminis immenſam ſurgere arborem crederet, niſi certum hoc per experimẽtum teneret? In tanta namque vnius grani paruitate vbi penè nullam vides ſimilitudinem, vbi latet ligni duritia, & ligni tenerior vel durior medulla, aſperitas corticis, viriditas radicis, ſapor fructuum, ſuauitas odorum, colorum diuerſitas, mollicies foliorum? Et tamen quia hæc per experimentum nouimus ex vno grano ſeminis prodire, hæc omnia non dubitamus. Quid ergo eſt difficile, vt puluis in mẽbra redeat, dum cõditoris potentiam cõtinuè cernimus: quia ex grano ligna mirabiliter, & adhuc mirabilius fructus ex ligno creat? Meritò ergo dicat Pſalmiſta, *Confitemini domino qui facit mirabilia magna ſolus*. Sic enim diximus ſuperius, Pſal. 71, Benedictus dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus. Et notandum ſubtilius, quòd diuerſæ creaturæ ex contrariis conditionibus admirabiles nobis eſſe dicuntur: quæ in operibus conditoris apparent: vt oſtẽdit Hugo de ſancto Victore, in libello ſuo de tribus diebus, dicens, Figuræ rerum multis modis apparent mirabiles. Aliquando ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ, &c.

## 2384 Qui fecit cœlos in intellectu.

Supple antè *confitemini domino qui fecit*: &c. & pòſt *quoniam in ſæculum*, &c. Et ſic in omnibus verſiculis eſt faciẽdum. Hic explicat in ſpeciali aliquas creaturas mirabiles, quas Deus fecit. Et primò hoc oſtendit de creatura cœleſti & terreſtri in generali: ſecundò de ornamentis cœli in ſpeciali: ibi, *Qui fecit luminaria*. Prima in duas: quia primò agit de creatione cœlorum: ſecũdò de creatione terrarum: ibi, Qui firmauit, &c. Primò ergo dicit dominum laudandum ex productione cœlorum, dicens, *Confitemini domino, qui fecit cœlos in intellectu*. Sciendum ergo quòd hic verſus dupliciter exponitur, ſcilicet de cœlis materialibus, & de cœlis intellectualibus. Si de cœlis materialibus intelligitur, non eſt intelligendum quòd illi ſint intellectum habentes: ſed ſic quòd illos fecit per intellectum & voluntatem, nõ de neceſſitate naturæ: ſicut terra producit herbam de neceſſitate naturæ. Deus autem illos produxit per intellectum & voluntatem. Vnde hic ait Aug. Deus creaturam non per aliquam creaturam, ſed ſolus fecit: cuius creaturæ quaſdam partes excellẽtiores Pſalmiſta cõmemorauit, ex quibus alia vniuerſa cogitaremus. Vnde de cœlis ait, *Qui fecit cœlos in intellectu*: id eſt, in intelligentia, vt alij interpretati ſunt. Vtrum autem cœlos intelligibiles ſignificare hoc modo voluerit, an ſuo intellectu vel ſua intelligentia feciſſe cœlos: hoc eſt in ſua ſapientia, ſicut alibi ſcriptum eſt, Omnia in ſapiẽtia feciſti: eo modo inſinuans vnigenitum verbum. Tunc quæri poteſt, Si ita eſt vt in ſuo intellectu accipiamus Deum feciſſe cœlos: cur tãtum de cœlis hoc ait, cùm omnia in eadem ſapientia fecerit? An ibi tantum exprimendum fuit, vt in cæteris etiam tantum poſſit intelligi? vt iſte ſit ſenſus, *Qui fecit cœlos in intellectu*. Qui fundauit terram ſuper aquas: ſubaudi, *in intellectu*. & ſic de ſingulis ſubaudiẽdum eſt, *in intellectu*: quia omnia in intellectu, id eſt, in ſapientia ſua & in verbo ſuo fecit Deus. Si autem *in intellectu* referatur ad cœlos: vt ſit ſenſus, quòd fecit cœlos habentes intellectum: tunc notandum quòd per cœlos ſignificantur ſancti angeli: vt cum dicitur, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: vide ver. 210. 920. 1750. 1928. Similiter per cœlum ſignificantur Apoſtoli & ſancti prędicatores: vt ibi Pſal. 18. Cœli enarrant gloriam Dei: vide ver. 252. 1660. 1756. 2162. Et tunc eſt ſenſus, *Qui fecit cœlos in intellectu*: id eſt, qui fecit angelos, Apoſtolos, & alios iuſtos prędicatores, habentes intellectum, intelligentes myſteria fidei, & viuentes ſecundum rationem.

*Cœli facti ſunt in intellectu dupliciter.*

*Pſal. 103.*

*Matth. 6.*

## Qui firmauit ~~ſuper~~ terram super aquas. 2385

Hic oſtendit Dei mirabilia in terræ productione: vt ſit ſenſus, *Confitemini domino, qui firmauit terram ſuper aquas*. Satis hoc videtur mirabile, quomodo terra ſuper aquas ſit fundata, cum terra ſit grauior aqua & durior: & ſic aptior eſt terra ad ſuſtinẽdum aquas, quàm ſint aquę ad ſuſtinendum terrã. Quomodo ergo dicitur quòd fundauit terram ſuper aquas? Sciendum ergo quòd quamuis aqua elemẽtaris ſit ſupra elementum, tamen ſecundũ aliquos, terra quam inhabitamus, quæ arida dicitur, vt docet experientia, aquis ſuperponitur. Vnde terram cauãdo, ſubtus in profundo aquas reperimus. Nec plus debet hoc nobis eſſe mirabile, quòd iſta terra habitabilis ſit ſuper aquas, quàm quòd aquæ ſint ſuper omnia elementa: quinimò ſuper cœlos iuxta illud Pſal. 148, Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini. Et tamen cum terra ſit infimius elementum, ſub omnibus aquis terra ſituatur: vt patet de aquis maris, quę terram habẽt pro fundamento. Vtrum autem hoc ſit virtute naturali, quòd terra fundetur ſuper aquas, vel inter Dei mirabilia debeat computari: ſufficit quòd ſic eſſe docet experientia. Vel aliter: terra ſuper aquas dicitur fundata, id eſt, iuxta aquas: ſicut de ciuitatibus iuxta mare ſituatis dicimus quòd ſunt ſupra mare. ſic enim dicimus Genuam ciuitatem ſupra mare fundatam. Vel ideò dicitur terra fundata ſuper aquas, quia iſta terra habitabilis ſupereminet aquis, & eſt altior. Et iſtam expoſitionem hic ponit Auguſt. *Qui fundauit terram ſuper aquas*. Obſcura enim quæſtio eſt: quia terra grauior aquis videtur, & magis apta ad portandum aquas, quàm vt ab aquis portetur: ſed ſic intelligimus. Terra quæ habitatur ab hominibus & terreſtria continens animalia, quæ alio nomine in ſcripturis arida dicitur: ſicut ſcriptum eſt, Appareat arida: & vocauit Deus aridam terram ſuper aquas eſſe fundatã, quia aquis circumfluentibus ſupereminet. Non enim quæ dicitur litoraria ciuitas ſupra mare fundata eſt, ſic quòd mare ſub illa ſit: quemadmodum naues dicuntur ſupra aquam maris ſtare. Sed ideo terra ſupra mare dicitur, quia aquis maris ſupereminet. Sic dictus eſt Pharao exiſſe ſuper aquam. Ita enim habet Græcus codex, quod quidam Latini habent ad aquas. Sic etiam dominus Ieſus Chriſtus ſedebat ſic ſuper fontem, quia ambo ſuperiores & altiores erant: ſcilicet Pharao ſuper fluuium, & Ieſus altior puteo. Ille iuxta fluuium, Ieſus iuxta puteũ. Vel aliter, & magis myſticè: vt ſicut per cœlum intelliguntur angeli & doctores, vt dictum eſt in prę-

*Terra fundatur ſuper aquas multipliciter.*

*Gen. 1.*

*Exod. 7.*

*Ioan. 4.*

cedenti



cedenti verſiculo: ita per terram intelligantur ſimplices & illiterati, qui non valentes capere arcana fidei firma, ſuper aquas fundantur. id eſt, firmiter credunt fidem, quam in aquis baptiſmi ſuſceperunt. Vnde iſtam expoſitionem notat Auguſt. dicens, Quod dictum eſt quòd Deus fecit cœlos in intellectu, intellige ſpirituales ſanctos ſuos: quibus non tantùm credere, verumetiam intelligere diuina donauit. Quæ qui intelligere nondum poſſunt, & ſolam fidem firmiſſimam tenent: tanquam infra cœlos terræ nomine figurantur. Et quia in baptiſmum quem acceperunt, inconcuſſa credulitate conſiſtunt, ideo dictum eſt, *Qui firmauit terram ſuper aquas*.

## 2386 Qui fecit luminaria magna.

Supple *Confitemini domino, qui fecit luminaria magna*. Hic oſtendit ornamẽta cœlorum à Deo facta. Et primò illa ponit in generali: ſecundò in ſpeciali: ibi, *Solem*. Quantum ad primum, ſciendum quòd luminaria magna, quæ ſunt ornamenta cœlorum, ſunt tria: ſcilicet ſol, luna, & ſtellæ: de quibus ſingulatim infrà dicetur. Notandum ergo quòd per iſta luminaria viri iuſti myſticè intelliguntur: qui non omnes æqualiter lucent, ſed ſicut ſol maioris luminis eſt quàm luna, & luna quàm ſtellæ: & vna ſtella maioris claritatis eſt alia, ſic & iuſti in meritis vnus alium excedit. Propter quod dicit Apoſtolus, Alia eſt claritas ſolis, alia lunę, alia ſtellarum. ſtella etiam à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum erit: quia ſcilicet illi qui hic fuerunt maioris meriti, ibi erunt maioris claritatis & præmij. Vnde ibidem ait Gloſa, Sicut enim iſta luminaria etſi vnius naturæ ſint, diuerſæ tamen claritatis ſunt. Sic & homines cùm ſint eiuſdem generis, diſſimilis tamen gloriæ in reſurrectione erũt: vt claritatem ſolis illorum dignitas exequatur, qui centenarium numerum habent. Lunari verò claritati comparetur illorum dignitas, qui ſexageſimũ numerum habent: ſtellis verò illorum qui trigeſimum. Sic ergo per iſta luminaria intellige iuſtos, quos Deus fecit in firmamento: id eſt, ad firmamẽtum eccleſiæ ſuæ; de quibus dicitur, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem à nocte: & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, &c. Quæ omnia iuſtis hominibus conueniri, oſtendit Stephanus, dicens, Luminaria ſunt viri iuſti, qui bonos & peccatores diuidunt, & ſunt in ſigna & tempora: id eſt, in ſignis temporum, id eſt, temporalis miſeriæ. Omnes enim qui piè in Chriſto viuere volunt, perſecutionem patiuntur. Iſta duo tẽpora ſunt: vnum, amatorum Dei, aliud, amatorum mundi. In ſignum horum temporum eſt, vt vnum expectemus, aliud caueamus. Præterea in ſignum ſunt iuſti pœnæ reproborum: quia ſi iuſti in vita præſenti ſic puniuntur, ſignum eſt quòd reprobi in futuro plurimum patientur. Item ſunt in dies & annos. Per dies ſeptem, ſeptem opera miſericordię deſignantur, quæ debent exerceri in vita præſenti, quæ diebus ſeptem voluitur. Per annos verò æterna vita intelligitur. Sic ergo de iuſtis hic dicitur myſticè, *Qui fecit luminaria magna*.

*Luminaria cœli ſignificant iuſtos.*

*1. Cor. 15.*

*Gen. 1.*

## 2387 Solem in poteſtatem diei.

Hic ornamenta cœli oſtendit in ſpeciali. Et primò agit de ſole: ſecundò de ſtellis & luna: ibi, *Lunã*. Quãtum ad primum, ait, *Confitemini domino*, ſcilicet *qui fecit ſolem in poteſtatem diei*. Sol enim factus eſt in poteſtatem diei, ſcilicet qui poteſtatem habet facere diem: quia cùm ſol eſt ſuper terram, dies eſt. Myſticè autem ſolis nomine Chriſtus intelligitur: teſte Gregor. dicente, Sępe in ſacro eloquio dominus Ieſus ſolis appellatione figuratur: ſicut per prophetam dicitur, Vobis autem qui timetis nomen domini, orietur ſol iuſtitiæ. Et ſicut impij in libro Sapientiæ in iudicio dicere deſcribuntur, Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Per diem autem intelliguntur virtutes: vt oſtendit idem Gregor. ſuper illo verbo Iob 1, Filij eius faciebant cõuiuium vnuſquiſque in die ſuo: dicens, Filij conuiuium faciũt, dũ virtutes ſingulæ iuxta modũ propriũ mentẽ paſcunt. Vnde & bene dicitur, Vnuſquiſq; in die ſuo. Dies enim vniuſcuiuſq; filij & illuminatio illius vniuſcuiuſque virtutis. Vt enim hæc ipſa dona ſeptiformis gratię breuiter dicam, alium diẽ habet ſapiẽtia, alium intellectus, alium conſiliũ, alium fortitudo, alium ſcientia, alium pietas, alium timor. Neque enim hoc eſt ſapere quod intelligere: quia multi æterna quidem ſapiunt: ſed hæc intelligere nequaquam poſſunt. Sapientia ergo in die ſuo cõuiuium facit, quia mentem de æternorum ſpe & certitudine reficit. Intellectus in die ſuo cõuiuium facit ſeu parat, quia in hoc quod audita penetrat, cor reficiendo, tenebras eius illuſtrat. Cõſilium in die ſuo conuiuium exhibet, quia dum ei ſe præcipitem præbet, ratione animum implet. Fortitudo in die ſuo conuiuium facit, quia dum aduerſa non metuit, trepidanti menti cibos cõfidentiæ apponit. Scientia in die ſuo conuiuium parat, quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium ſuperat. Pietas in die ſuo conuiuium exhibet, quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet. Timor in die ſuo cõuiuium facit, quia dum premit mentem ne de pręſentibus ſuperbiat, de futuris illam ſpei cibo confortat, &c. Si ergo ſol ſignificat Chriſtum, & dies virtutes, quid eſt facere ſolem in poteſtatem diei, niſi facere Chriſtum habentem poteſtatem omnium virtutum? Quia verus ſol iuſtitiæ Chriſtus ſolus in ſe plenè omnia ſpirituſſancti dona habuit & virtutes: teſte Gregorio dicente, Redemptor noſter in carne veniens operationes ſeptiformis ſpiritus ſimul in ſe & cunctas & manentes habuit: de quo per Eſaiam dicitur, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & repleuit eum ſpiritus timoris domini. de quo etiam Zacharias ait, Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Atque iterum, Et in candelabro aureo lucernæ ſeptem. Nullus verò hominum operationes ſpiritus ſancti omnes ſimul habuit, niſi ſolus mediator Dei & hominum: cuius eſt idem ſpiritus qui de patre ante ſæcula procedit. Bene ergo dicitur, Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Huic enim lapidi ſeptem oculos habere eſt, ſimul omnem virtutem ſpiritus ſeptiformis gratiæ in operatione retinere. Alius namque prophetiã, alius virtutes, alius ſciẽtiam, alius genera linguarum, alius interpretationem ſermonum iuxta diſtributionem ſpiritus ſancti accepit. Ad habenda verò omnia eiuſdem ſpiritus munera nemo pertingit, &c. Vel aliter: ſol ſignificat bonũ opus, quod aliquãdo eſt in poteſtate diei, & aliquando in poteſtate noctis. Eſt enim ſol boni operis in poteſtate diei, quando bonum

*Sol dicitur Chriſtus.*

*Gregor. 8. moral. cap. 34.*

*Malach. 4.*

*Sap. 5.*

*Dies ſignificat virtutes.*

*Gregor. 1. moral. cap. 32.*

*Chriſtus ſolus omnia dona ſpiritus ſancti habuit.*

*Greg. 29. moral. cap. 30.*

*Eſa. 11.*

*Zach. 3.*

*Zach. 4.*

*Sol qualiter in poteſtatem noctis dicitur.*

opus

A opus ſplendet coram bonis hominibus:ſed in poteſtate noctis, quando ſolùm coram malis:vt oſtédit Gregorius,dicés, Sol quippe in fulgore eſt bonum opus in admiratione. Scriptum namque eſt, Luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.Et rurſum,Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus veſtris. Bonũ quippe opus cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte.Cùm verò in eccleſia reſplendet, ſol fulget in die. Bonum opus ſi adhuc tale eſt quòd ſoli mali mirentur, lucerna eſt in nocte. Si autem ſic proficit vt etiam mirari à bonis ac perfectioribus poſſit: ſol tunc eſt in poteſtate diei. Fecit ergo

*Greg.21.moral.cap.6.*

*Matth.5.*

B ſolem in poteſtatem diei, quando Chriſtus opera ſua bona non ſolùm coram malis, ſed admiranda bonis angelis exhibuit:ſicut quãdo tentatus à diabolo ipſum ſuperauit. Propter quod angeli admirantes acceſſerunt & miniſtrabant ei: vt habetur Matth.4.

2388 Lunã & ſtellas in poteſtatẽ noctis.

Hic exequitur de aliis cœli ornamentis,dicens, *Confitemini domino, qui fecit lunam & ſtellas in poteſtatẽ noctis*:ſcilicet quæ habẽt poteſtatem ſupra noctem, quia ipſam illuminãt. Quamuis enim luna & ſtellæ in ſeipſis æqualiter luceant in die ſicut in nocte:

C tamẽ ſuum lumen ſolum in poteſtatem noctis habere dicuntur, quia in die propter maiorem ſolis claritatem ipſorum lumen non apparet nobis, ſicut patet de candela in lumine ſolis accenſa.Myſticè autem per iſtos duos verſus vult diſtinguere inter poteſtatem eccleſiaſticam & ſecularem:vt oſtẽdit Alredus ſuper illo verbo Gẽ.1, Fecit Deus duo magna luminaria:luminare maius,vt præeſſet diei: & luminare minus,vt præeſſet nocti: dicens, Sunt in ſanctæ eccleſiæ firmamento à domino creata duo magna luminaria: ſacerdotium ſcilicet & regnum, rex & epiſcopus, princeps & clericus: dies ſpiritualia,nox temporalia præfigurat. Ita luminare maius,ſacerdotium,vt præſit diei:id eſt,ſpiritualibus.Luminare minus,regnum, vt præſit nocti:id eſt,ſecularibus.Contra naturam proinde eſt, ſi ſol nocti præſit & luna diei. Si princeps ad ſpiritualia

*Prælatorum ſol oppoſitus eſt.*

D ſe ingerat, ſi ſacerdos ſecularium negociorum tenebris conſcientiæ ſuæ ſecretum obnubilet. Væ nobis qui in iſta infelicia tempora incidimus, in quibus ſol in tenebras eſt conuerſus. Exempla videant ipſi pontifices, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur: & iudicent ipſi,ſi non eſt ita vt cernimus. Conſiderent quos ſcientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis ſcintillas, quas ſpiritualium correctionum fulgura ſuis emittebant temporibus Gregorius,Auguſtinus,Ambroſius, Hilarius,Martinus:&multi alij.Felicia tempora in quibus tam rarò malus quàm nunc bonus in eccleſia inuenitur.Nunc etiam luna verſa eſt in ſanguinem: nam manus principum plenæ ſunt ſanguine,exactionibus, vectigalibus: effundentes ſanguinem

*Dominorum temporalium luna in ſanguinem verſa eſt.*

E miſerorum, iuſtificantes impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferentes ab eo. Vel aliter: luna ſignificat eccleſiam militantem: vide verſic.1169. Nox verò ſignificat obſcuritatem vitæ præſentis: teſte Greg.dicente,Nox quippe præſens vita eſt,in qua quãdiu ſumus, per hoc quòd interna non cõſpicimus,ſub incerta imaginatione caligamus. Vnde propheta ad videndum dominum ſub quadam

*Eccleſiæ militantis poteſtas eſt in vita præſenti.*

*Greg.23.moral.cap.21.*

A ſeipſum caligine ſentiebat,dicens, Anima mea deſiderauit te in nocte.Acſi diceret,In hac obſcuritate præſentis vitæ videre te appeto:ſed adhuc infirmitatis nubilo circumſcribor. Dauid quoq; huius noctis caliginem vitans,claritatẽ veri luminis pręſtolatus,ait,Mane aſtabo tibi,& videbo.Adhuc ergo in nocte videre ſe minus conſpicit, qui ad vidẽdum Deum futurum mane concupiſcit. Quid eſt ergo luna in poteſtatem noctis, niſi quòd eccleſiæ militantis poteſtas eſt in vita præſenti, in qua exiſtentes ligare & ſoluere poteſt? Sequitur, *Et ſtellas in poteſtatem noctis.* Vbi per ſtellas intellige exempla ſanctorum patrum, quibus nox præſentis vitæ il-

*Eſa.26.*

*Pſal.5.*

B luſtratur: vt deducit Gregor.dicens, Libet mira diuinæ diſpenſationis opera cernere: quomodo ad illuminandum noctem vitæ præſentis, aſtra quæque ſuis vicibus in cœli faciem veniãt, quouſque ad finem noctis redemptor humani generis quaſi verus lucifer oriretur. Nocturnum namque ſpacium dum decedentium ſuccedentiúmque ſtellarũ curſibus illuſtratur, magno cœli decore peragitur.Vt ergo noctis noſtræ tenebras ſuo tempore æditas viciſsimque permutatus ſtellarum radius tangeret,ad oſtendendam innocẽtiam venit Abel: ad oſtendẽdam actionis munditiam venit Enoch: ad inſinuandam longanimitatem operis & ſpei venit Noe: ad manifeſtandam obedientiam venit

*Stellis,(Id eſt exemplis ſanctorum) vita præſens illuſtratur.*

*Greg.1.moral.cap.10. præfationis.*

C Abraham: ad demonſtrandam coniugalis vitæ caſtimoniam venit Iſaac:ad inſinuandam laboris tolerantiam venit Iacob:ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiam venit Ioſeph: ad oſtẽdendam manſuetudinem venit Moyſes: ad informandam contra aduerſa fiduciam venit Ioſue: ad oſtendendã inter aduerſa patiẽtiam venit Iob. Ecce quàm fulgentes ſtellas in cœlo cernimus, vt inoffenſo pede operis,iter noſtrę noctis ambulemus. Nam cogitationi hominũ diuina diſpenſatio quot iuſtos exhibuit, quaſi tot aſtra ſuper peccatorum tenebras de cœlo miſit: quouſq; verus lucifer ſurgeret,qui æternum nobis mane nuncians, cæteris clarius ex diuinitate radiaret,&c.Quibus conſideratis, meritò Pſalmiſta dicit, quòd fecit ſtellas in poteſtatem noctis.

D Qui percuſsit Aegyptum cum primogenitis eorum. 2398

Nunc conſequenter nos inducit ad laudem Dei ex ſingulari protectione Iudæorum. Et tria facit, quia oſtendit primò ipſorum de Ægypto liberationem,ſecundò ipſorum per deſertum deductionem:ibi,*Qui traduxit*: tertiò ipſorum in terrã promiſſionis introductionem:ibi,*Et dedit*.Circa primũ multa oſtendit: ſcilicet primò Ægyptiorum percuſſionem: ſecundò Iudæorum de Ægypto eductionem:ibi,*Qui eduxit*:tertiò ante Iudæos maris diuiſionem:ibi, *Qui diuiſit mare*:quartò Ægyptiorum in mari ſubmerſionem:ibi,*Et excuſſit*. Quantum ad primum, ſciendum quòd dum Pharao nollet dimittere populum Iſrael ad mandatum domini,ipſe

E Deus percuſſit Ægyptum multis plagis: ſicut habetur ſuperius Pſal.77.ver.1325. & infrà per multos verſiculos. Sed cum ille Pharao ex toto maneret obſtinatus, nouiſſimè Deus interfecit in vna nocte omne primogenitum in tota terra Ægypti: ſic quòd non fuit domus in qua mortuus non iaceret.Propter quod neceſſitate compulſus Pharao populũ Iſrael de Ægypto exire permiſit:vide verſ. 1333.Iſta ergo commemorans Pſalmiſta dicit,*Qui percuſſit*



*percuſſit AEgyptum cum primogenitis eorum*.De iſtis percuſſionibus & plagis,vide etiam ver.1815.& infrà per multos verſus.De vltima autem plaga quæ fuit percuſſio primogenitorum, vide etiam verſ.1824. Per iſta myſticè denotatur quòd Chriſtus adueniens;per ſuæ vitæ ſanctitatem percuſſit illa quę in ſæculo videbantur primogenita,id eſt,hominibus mundi chariora:vt eſt mũdi gloria, luxuria, ſuperbia,auaritia:& huiuſmodi.Quod hic deducit Gregor.dicẽs, *Qui percuſſit AEgyptum*,&c.Percuſſit enim ſæculum cum his quæ præcipua putabantur in ſęculo. Vel primogenita Ægypti dicuntur ipſa principaliora peccata,ex quibus alia oriũtur, quæ percuſſit Chriſtus:ſcilicet ſuperbiam,dum humiliauit ſemetipſum factus obediẽs vſque ad mortem crucis: ad Phil.2. Auaritiam, dum pro nobis pauper fieri voluit, cùm diues eſſet,vt ſua paupertate nos diuites faceret. 2.Cor.8. Luxuriam, dum matrem virginem virgini Ioanni commendauit. Ioann.19. Iram, dum in cruce pro perſecutoribus exorauit. Matth.27.Inuidiam, dum latronem ſecum ad gloriam paradiſi introduxit.Luc.22.Gulam,dum felle & aceto potari voluit.Ioã.19. Accidiam,dum omnia patris mãdata adimplens perfecit. Vnde & patri dicit,Opus conſumaui quod dediſti mihi vt faciam.Sic ergo realiter Chriſtus percuſſit Ægyptũ, id eſt, tenebroſum diabolum cum primogenitis eorum. Vnde dicitur, Prudentia eius percuſſit ſuperbum.

*Percuſſit Chriſtus diabolum cum omnibus primogenitis vitiis.*

*Ioan.17.*

*Iob 16.*

2390 Qui eduxit Iſrael de medio eorum.

Hic factis plagis oſtendit populi liberationem. Et primò ponit populi liberationẽ:ſecũdò diuinæ poteſtatis declarationem: ibi,*In manu potenti*.Quãtum ad primũ, ſciendũ quòd (vt habetur Exo.12.) Pharao viſa vltima plaga,quæ fuit occiſio omnium primogenitorum,cum omnibus ſuis Ægyptiis,nõ fuit auſus amplius detinere populum Iſrael:quinimo ipſum exire Ægyptum cum omnibus ſuis non ſolum permiſit, ſed etiam coegit:vide verſic.1825. Quod nunc commemorans Pſalmiſta ait, Et eduxit Iſrael de medio eorum: ſcilicet Ægyptiorum. Myſticè autem per Iſrael, qui videns Deum interpretatur,intellige omnes iuſtos & fideles, qui Deũ contemplantur per fidem, & per amorem deſiderãt:quos Deus ſua gratia educit de medio eorum, quia educit ſanctos ac fideles de medio malorum. Et nota quòd dominus electos ſuos ſicut populum Iſrael educit, deducit & adducit. Educit de Ægypto: deducit per deſertum: & adducit in terram promiſſionis. Educit per fidem: deducit per charitatem: & adducit per ſpem. Primò namque electos ſuos educit. Et hoc multipliciter. Primò à culpa. Sic enim educit quemlibet peccatorem per contritionem & pœnitentiam, infundẽdo illi gratiam.Sic enim eduxit Adam:de quo Sapien.10,dicitur, Sapientia, ſcilicet quæ Deus eſt, illum qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, eduxit à delicto ſuo. Secundò ab amore proprio: ſcilicet cum facit hominẽ corpus amore Dei ſpernere & mortificare.Vnde de primo homine ibi,ſcilicet Sapien.10, ſtatim cum dixiſſet, Eduxit illum à delicto ſuo,ſubdit,Et eduxit illum de limo terræ. Quid enim limus terræ, niſi corpus de terra creatum?Tertiò educit de mala conſuetudine ex multiplicatione peccatorum generata, per quam homo ſeruus & captiuus peccati efficitur. Michee 6,

*Educit Deus ſuos multipliciter.*

A Eduxi te de domo ſeruitutis,& liberaui te. Quartò educit à difficultate bonæ operationis: quãdo ſcilicet opera ſpiritus, vt eſt carnis mortificatio, aduerſorum toleratio, amari videntur: facit illa per ſuam gratiam dulcia apparere ac ſuauia,ſicut fecit martyribus & Apoſtolis,qui ibant gaudentes à cõſpectu concilij,quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Act.5. In cuius figuram dicitur quòd Petrus enarrabat quomodo eduxiſſet illum dominus de carcere.Quintò educit ab actiua vita ad cõtemplatiuam. Ezech.38, Facta eſt ſuper me manus domini,& eduxit me in ſpiritu domini.Quaſi dicat,Operatione domini, nõ propriis viribus,eductus ſum ad cõtemplationem ſpiritualium. Sextò educit de peregrinatione ad patriam.

*Act.in 12.*

B Michee 7,Educet me in lucem & iuſtitiam eius, & aſpiciet me inimica mea, & operietur confuſione. Secũdò principaliter dominus ſuos electos deducit multipliciter. Primò per viam timoris ad inferiora,& per viam ſpei ad ſuperiora.Sapiẽ.10, Tu es domine,qui vitæ & mortis habes poteſtatem: qui deducis ad portas mortis & reducis.Eſa.38, Ego dixi,In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi,&c.Secundò deducit ad humilitatẽ per propriam ſuiipſius deiectionem. Iohel 3, Deducã eas (ſcilicet gentes)in vallem Ioſaphath,& diſceptabo cum eis.Ioſaphath interpretatur Ipſe diiudicãs.Et ſic per vallẽ Ioſaphath ſignificatur humilitas, qua quis ſeipſum humilians diiudicat. Tertiò deducit per operum temperantiã & moderationẽ. Sapiẽ.9,

*Deducit dominus multipliciter ſuos.*

C Deducit me in operibus meis ſobriẽ. Tertiò principaliter dominus ſuos electos introducit multipliciter.Primò ad viam rectam vocando per gratiã. Eſa.48, Vocaui eum & adduxi eũ, & directa eſt via eius.Secundò ad vidẽdum ſuggeſtiones malorum, vt caueantur.Ezech.8,Introducit me per oſtiũ domus domini quod reſpicit ad aquilonẽ: & ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidẽ. Tertiò ad vidẽdum ortũ ſolis gratiæ in pœnitẽtibus. Ezech.1, Eleuauit me,& introduxit me ad portã domus domini orientalem,quæ reſpicit ſolis ortum. Quartò in feruens deſiderium charitatis. Cant.1, Introduxit me rex in cellam vinariam. Quintò in patriam beatæ viſionis.Hierem.3,Introducam vos in Sion. Sion autem Specula interpretatur.

*Introducit ſuos dominus multipliciter.*

D In manu potẽti & brachio excelſo. 2391

Hic admiratur Dei poteſtatem, qua illos eduxit de medio Ægyptiorum. Vbi per manum intellige operationẽ:ſed per brachium domini, poteſtatem operationis. Vbi nota quòd quamuis ſemper manus domini ſit omnipotens:tamen quandoque videtur quòd ipſam habeat ligatã & inualidam.Nam quando peccata punit, dicitur illam habere ſolutam:ſed quando non punit,dicitur quòd illã habet ligatam. ſicut oſtendit Gregor. dicens, Sæpe namque fiducia longæ proſperitatis inflati, in quodam faſtu elationis erigimur. Cúmque nos conditor extolli conſpicit, ſed nos non punit, quaſi ad ferienda vicia noſtra manum ligatam te-

*Manus domini quãdoque dicitur ſoluta,quandoque ligata.*

*Gregor.7.moral.cap.8.*

E net: quando autem punit, manum ſuam ſoluit,&c. Sic igitur quando obſtinationem ipſius Pharaonis multis plagis puniuit:tunc ſe manum potentem habere monſtrauit, & tunc populum ſuum inde eduxit. Eodem modo & brachio excelſo: nam per brachium fortitudo deſignatur, quia in brachiis fortitudo operis conſiſtit. Vnde brachium dicitur à bary, quod eſt forte.

*Brachiũ Dei dicitur Chriſtus.*

Myſticè in manu potenti & brachio excelſos ſuos eduxit dominus de Ægypto, quãdo per filium eius incarnatum nos de poteſtate diaboli liberauit, & de tenebroſitate peccati eripuit. Nam ipſe Dei filius dicitur manus Dei, quia omnia per ipſum facta ſunt: dicitur & brachium Dei, quia ipſe fortitudo Dei. Vnde & hic ait Auguſt. *In manu potenti*, &c. Quid potẽtius, quid excellẽtius eo de quo dictum eſt, Et brachium domini cui reuelatum eſt? Quòd autem Chriſtus brachium domini dicatur, vide ver. 1367.

*Eſa. 53.*

## 2392 Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones.

Hic oſtendit pro Iudæis factam maris diuiſionem, & conſequenter ipſorum per mare deductionem, ibi, *Et eduxit*. Quantum ad primum, ſciendum quòd cum Pharao emiſiſſet Dei populum, ipſum pœnituit. Vnde & manu armata cum toto exercitu ſuo ipſum fuit perſecutus: vt habetur Exod. 14. Et inuenit populũ Dei iuxta mare ſituatũ. Cúmq; appropinquaſſet Pharao, filij Iſrael leuãtes oculos, viderunt Ægyptios, & timuerunt valde. Quibus Moyſes ait, Nolite timere: ſtate & videte mirabilia Dei quæ facturus eſt hodie. Cũq; extendiſſet Moyſes manũ ſupra mare, abſtulit illud dominus & vertit in ſiccũ: diuiſáque eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris. Et hoc recolẽs Pſal. dicit, *Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones*. Ad literam, ſecundum Gloſ. diuiſit mare in diuiſiones faciendo in mari duodecim vias, ſicut duodecim erãt tribus: vt quælibet tribus haberet viam ſuam ſeparatam ab illis. Quamuis Nicolaus de lyra dicat quòd ſolũ fuit vna diuiſio, & vna via in mari facta, quam hic vocat diuiſiones: quia ripæ illius viæ erant abinuicem diuiſæ, ſic quòd aqua erat eis pro muro à dextris & à ſiniſtris. Myſticè autem per mare rubrum intelligitur baptiſmus: ſicut Apoſtolus ait, Patres noſtri omnes baptizati ſunt in nube & in mari. Diuiditur ergo mare baptiſmi in diuiſiones: quia vnus & idem baptiſmus aliis fit in vitam, aliis in mortem. Vel aliter: per mare, quod eſt amarum, ſignificatur pœnitentia, quæ ſenſualitati amara videtur. vide verſ. 1015. Quòd mare tunc diuiditur, quando timore pœnæ & amore gloriæ fletus generatur. Vnde Richardus hic ait, *Qui diuiſit mare rubrum*, &c. Maris aquæ amaræ ſunt valde. Quid ergo rubrũ mare, niſi amaritudo pœnitentiæ? Mare ergo quaſi adhuc nobiſcum manet, quando non niſi ex dãnationis formidine quis gemere nouit. Sed mare diuiditur, quando compunctio geminatur: amaritudo cordis tunc geminatur, quando quis cõpunctionis fletum alternat, vt modò defleat malum quod pertimeſcit, modò pro bono quod concupiſcit.

*Diuiſio maris.*

*Mare ſignificat baptiſmũ. 1. Cor. 10.*

*Mare ſignificat pœnitentiam quæ diuiditur: & qualiter.*

## 2393 Et eduxit Iſrael per medium eius.

Ad literam enim, exſiccato mari, filij Iſrael illud ſicco pede tranſierunt. Veruntamen cum mare diuiſum eſſet, adhuc filij Iſrael timebant intrare mare. Sed Aminadab, princeps in tribu Iuda, aliis prębens audaciam intrandi, cum omnibus ſuis primus mare intrauit. Propter quam probitatem tribus Iuda in populo Dei regnum meruit habere: vt dictum fuit verſ. 1841. Sic & myſticè regeneratos aqua baptiſmi educit per medium maris pœnitentiæ, quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Actuum 14. Et ad Hæbr. 12, Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater, &c.

## Et excuſsit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro. 2394

Ad literam enim (vt habetur Exod. 14.) poſtquam filij Iſrael ingreſſi ſunt mare iam diuiſum, Ægyptij perſequentes eos, ingreſſi ſunt poſt illos omnis equitatus Pharaonis, currus & equites per medium maris. Iámque aduenerat vigilia matutina. Et ecce, reſpiciens dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum: ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij, Fugiamus Iſraelem: dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait dominus ad Moyſen, Extende manum tuam ſupra mare: & reuertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus & equites eorum. Cúmque extendiſſet manum Moyſes contra mare, reuerſæ ſunt aquæ ad priorem locum: fugientibúſq; Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluerunt eos in mediis fluctibus: & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Hanc itaque hiſtoriam breuiter tangens Pſalmiſta dicit, *Et excuſſit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro.* Per hoc myſticè deſignatur quòd diabolus cum omnibus ſuis viciis in baptiſmo ſubmergitur. Vnde hic ait Gloſ. *Et excuſſit Pharaonem & virtutem*, &c. id eſt, interemit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro: id eſt, diabolum & miniſtros eius celeriter in baptiſmo excuſſit, vt puluerem, qui celeriter excutitur. In hac enim celeritate & excuſſione virtus diuinitatis oſtenditur: & illi terrenæ ſordes eſſe indicãtur, quas ſolemus excutere. Et congruè per Pharaonem diabolus intelligitur. Pharao enim maſculos necat & fœminas ſeruat. Ita & diabolus virtutes ſuffocat, & concupiſcentiam nutrit. Vel per mare accipe pœnitentiam: vt dictum eſt ver. 2392. In qua ſubmergitur Pharao cũ omni ſuo exercitu: id eſt, diabolus cum omnibus viciis.

*Diabolus cũ viciis in baptiſmo ſubmergitur.*

*Pharao ſignificat diabolũ.*

## Qui traduxit populum ſuum per deſertum. 2395

Hic oſtendit populi deductionem per deſertum. Et primò oſtendit quomodo populum ſuum deduxit: ſecundò quomodo hoſtes eius deleuit: ibi, *Qui percuſſit*. Quantum ad primum, ſecundum literam, Deus deduxit populum ſuum per deſertum, ſicut paſtor gregem: quia pauit eos pane cœli quadraginta annis. Exod. 17, Aqua de petra. Num. 20, Deducebat eos præcedens per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Propter quod dicitur, Et abſtulit ſicut oues populũ ſuum: & perduxit eos tanquam gregem in deſerto. vide verſ. 1334. 1335. Myſticè autem traducit dominus populum ſuum per deſertum: ſcilicet per ſtatum pœnitentiæ, vt ipſum perducat ad terram promiſſionis. Vbi nota quòd congruè per deſertum ſignificatur pœnitentia. In cuius figuram Chriſtus pœnitentiam quadrageſimalem volens obſeruare, ductus fuit in deſertum à ſpiritu. Matth. 4. Vnde deſertum pœnitentiæ nobis in illo deſerto figuratur. de quo habetur 3. Regum 19, quòd Helias morte ſibi à Iezabel comminata, fugit in deſertum: & ibi ſub vmbra iuniperi dormiendo excitatus eſt ab angelo domini: & inuenit ad caput ſuum ſubcinericium panem & vas aquæ: quibus recreatus, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſq; ad mõtem Dei. In qua figura tria potes conſiderare: ſcilicet primò pœnitentiæ cauſam & neceſſitatem: ſecundò pœnitentis perſonæ conditionẽ: tertiò pœnitentiæ conditionem & vtilitatem. Quantum ad primum, ſciendum quòd Helias fugit in deſertum propter mortem ſibi intentatam. Helias enim, qui interpretatur aſcendens, ſignificat peccatorem à Deo inſpiratum vt aſcendat de ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ. Ad quod maximè ipſum mouet comminatio ſibi facta, vel cõſideratio tam mortis corporalis quàm æternæ. Hac enim conſideratione motus peccator fugit ad pœnitentiã, ſicut Helias fugit ad deſertũ: qui ſi in ciuitate remanſiſſet, mortem non euitaſſet. ſic peccator ſi mundi honoribus vel in carnis deliciis remanſerit, mortem æternam non euadit: ſi autem ad deſertum pœnitentiæ ſe transferat, liberatur. Propter quod figuraliter de Dauid dicitur quòd morabatur in deſerto in locis tutiſſimis. Secundò conſidera conditionem perſonæ pœnitentis, quia Helias primò dormiuit ſub vmbra iuniperi: & conſequenter excitatus ab angelo panem & vas aquæ reperit, quibus ſeipſum pauit. Quid enim per iuniperum arborem ſpinoſam, niſi arbor dominicæ crucis intelligitur: quæ ſpinis pœnarum fuit circundata? Sub iſta ergo arbore dormiat & requieſcat peccator: & nihil in pœnitẽtia erit amarum, quin cõſideratione crucis ſtatim dulceſcat. Quia vt ait Greg. ſi paſſio domini ad memoriam reducitur, nihil eſt tam amarum, tam aſperum, quod nõ æquo animo toleretur, &c. Hac conſideratione habita, ſtatim inuenies panem ſubcinericiũ & vas aquæ quibus reficiaris: ſcilicet ſacramentum euchariſtiæ, qui eſt panis viuus qui de cœlo deſcẽdit: & vas aquæ, ſcilicet lacrymarum dulcedinẽ, quibus anima pœnitentis ſuauiter reficitur: Pſalm. 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tertiò conſidera pœnitentiæ vtilitatem, quia his peractis, Helias ambulauit vſque ad montem Dei Oreb, quo gloria figuratur cœleſtis. Vnde & Chriſtus ſuam gloriam diſcipulis oſtẽdere volens, aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioãnem: & duxit illos in montem excelſum, & ibi transfiguratus eſt ante eos: Matth. 17.

*Pſal. 77.*

*Deſertum ſignificat pœnitentiam.*



*Nota de pœnitentia bonam figurã.*

*1. Reg. 23.*

## 2396 Qui percuſſit reges magnos.

Hic oſtendit quomodo hoſtes ipſorum deleuit. Et primò hoc ponit in generali: ſecundò illos nominat in ſpeciali: ibi, *Seon*. Et ad oſtendendum magis diuinã virtutem, oſtẽdit hoſtium magnitudinẽ: & conſequenter fortitudinẽ: ibi, *Et occidit*. Quãtum ad primũ, dicit, *Qui percuſſit reges magnos*: quod ſcilicet fecit per deſertum. Per reges magnos intellige Abimelech, quem orante Moyſe, dominus percuſſit: vide ver. 2368, in prima parte verſiculi.

## 2397 Et occidit reges fortes.

Vide formaliter iſtum verſum in ſecunda parte ver. 2368, & expone vt ibi. Deus enim illos reges dicebatur occidere, quia hoc faciebat per manus populi ſui: cui vires ad hoc pręb ebat ſeu pręſtabat. Sed nunquid hoc faciendo peccabat? cũ ſcriptum ſit Exod. 20, Non occides: & ſaluator dixerit Petro, Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et Matth. 5, Ego autẽ dico vobis, nolite reſiſtere malo. Ideo notandum eſt, quòd occiſio eſt duplex: ſcilicet quædã ab homine, quædã à lege. Occiſio autẽ dicitur à lege, quando fit præcepto legis: ſcilicet quando homo nõ vt priuata perſona, ſed vt miniſter legis malũ occidit. Et hæc occiſio ſi fiat ſeruata iuſtitia, non prohibetur: quinimò præcipitur, Leuit. 25, Qui occiderit hominẽ, morte moriatur. Occiſio autem dicitur ab homine, quando quis vt perſona priuata, non vt miniſter legis, alium occidit. Et hæc aliquando eſt peccatũ, quandoq; nõ. Ad quod eſt notandum, quòd aliquis vt perſona priuata alium tribus modis occidere poteſt: ſcilicet caſu, neceſſitate, & voluntate. Si autẽ quis alium occidit à caſu, hoc cõtingit dupliciter: quia aut dat operam rei licitę, aut illicitæ. Si rei licitæ, aut adhibet debitam diligentiam ne aliquem offendat, aut nõ. Si dat operã rei licitæ, & adhibet debitam diligentiã: tunc excuſatur à tanto & à toto. Si autẽ non adhibet debitam diligentiã, excuſatur à tanto, ſed non à toto. Si autem dat operã rei illicitæ, & adhibet debitã diligentiam: excuſatur à tanto, ſed non à toto. Si autẽ nõ adhibet debitam diligentiã, nõ excuſatur à tanto nec à toto. Si autẽ quis aliũ occidat ex neceſſitate: aut eſt neceſſitas euitabilis, aut ineuitabilis. Si euitabilis eſt: puta, quis vult me occidere, poſſum fugere: ſed dimitto fugam propter verecundiam, & huiuſmodi: & me volo defendere, & ſic illum occido: tunc excuſatur à tanto, ſed nõ à toto: quia melius erat fugere. Si autẽ ſit neceſſitas ineuitabilis: vt ſi quis occidat alium, nõ liuore vindictæ, ſed ſolùm amore conſeruationis vitæ propriæ: hoc conceſſum eſt perſonis imperfectis, non autẽ perfectis: vt ait Aug. in de libero arbitrio. Et talis excuſatur à tanto & à toto. Si autẽ quis alium occidat voluntate: vt puta liuore vindictæ vel iracundia aut crudelitate: tũc penitus occidere eſt illicitum. Ex quibus apparet quid dicendum ad argumenta. Iſti enim occiderunt reges fortes, & hoc præcepto Dei: & ſic erant miniſtri legis diuinæ.

*Math. 26.*

*Occidere aliũ quomodo ſit licitum.*

## Seon regem Amorrhæorum. 2398

Hic ſingulariter nominat aliquos reges hoſtes populi ſui, quos Deus interfecit. De iſto habes formaliter iſtũ verſum in prima parte verſ. 1369. Ideo expone vt ibi. Vel moraliter: Seon, qui interpretatur tentatio vel locutio inutilis, ſignificat concupiſcentiam carnis, & vanam mulierum allocutionem. Iſte autem Seon eſt rex Amorrhæorum: id eſt reorum amorũ luxurioſorum, quia ex tali allocutione inflammatur concupiſcentia: qua luxurioſi reguntur & ducuntur. Vis ergo vincere libidinem? primò occide in te omnes vanos mulierum aſpectus & allocutiones inutiles: quoniam vt dicitur, Fauus diſtillans labia meretricis: ſed nouiſſima eius amara quaſi abſinthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps.

*Seon ſignificat locutionẽ vanam mulierum.*

*Prouer. 5.*

## Et Og regem Baſan. 2399

Supple in omnibus iſtis verſiculis: vt dictũ eſt, *Confitemini domino qui occidit Og regem Baſan.* Iſtum verſum formaliter habes ver. 2369. Expone vt ibi.

## Et dedit terram eorum hereditatẽ. 2400

Iſte verſus habetur formaliter in prima parte ver. 2370. ideo expone vt ibi. Totus enim iſte Pſal. eſt quaſi recapitulatio Pſalmi præcedentis. Vel aliter: illi enim prædicti reges, ſcilicet Seõ rex Amorrhæorum, & Og rex Baſan, ſignificat diabolum. Nam Seon interpretatur germinatio tentationis:

&c directè ſignificat diabolum, à quo omnis tentatio ad malum procedit. Qui ſingulariter dicitur rex Amorrhæorum, id eſt, amantium rea vel mala, ſicut amãtium carnem vel mundum indebitè: quia vt habetur Iob 41, Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Og autem rex Baſan ſimiliter ſignificat diabolum. nam Og interpretatur congregans: Baſan autem, confuſio. Et quid congregat diabolus, niſi confuſionem damnationis æternæ? Iſtum ergo regem diabolum occidit dominus, quando morte Chriſti à cordibus fidelium fuit expulſus. Quo mortuo, terram eius dedit in hæreditatẽ ſeruo ſuo Chriſto: quia gentes mundi quas antè diabolus quaſi terram ſibi ſubditam poſſidebat, dedit in hæreditatem Chriſto per fidem: iuxta illud Pſal. 2, Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem, &c. Et hoc eſt quod ſubditur,

## 2401 Hæreditatem Iſrael ſeruo ſuo.

*Chriſtus dicitur filius & ſeruus.*

Iſte verſus formaliter habetur verſic. 2370, niſi quòd ibi dicitur, Iſrael populo ſuo: hic autem, *Iſrael ſeruo ſuo.* quod tamen redit in idem. Vbi notandum quòd Chriſtus Deus & homo, & filius dicitur & ſeruus. Filius, ratione diuinitatis: ſeruus autem, ratione humanitatis aſſumptæ. Et ſicut ratione humanitatis nullo modo poteſt dici filius Dei nec naturalis neque adoptiuus, vt deducit Magiſter in Gloſ. ad Rom. 1: ſic nec ratione diuinitatis poteſt dici ſeruus, ſed ſolum ratione humanitatis. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus, Qui cum in forma Dei eſſet, &c. ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus. Et de iſto ſeruo, ſcilicet Chriſto, dicitur hic quòd dedit terrã eorum hæreditatẽ Iſrael ſeruo ſuo, id eſt, Chriſto: quia terram humani generis quam prius poſſidebat rex ſuperborum diabolus, Chriſto hæreditatem contulit, dum gentes iugo fidei ſuæ ſubdidit. Iſtum ergo ſeruum, ſcilicet Chriſtum, ſuperaſſe diabolum: & terram de manu eius, id eſt, humanum genus, eripuiſſe oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 1, Nunquid conſideraſti ſeruũ meum Iob, &c. dicens, Quia incarnato domino diabolus increpatur, & à ſua peſtifera effrænatione corripitur: rectè ipſi diabolo dicitur, Vnde venis? Sed quid reſpondit audiamus: Circuiui terram, & perambulaui eam. Ab Adam quippe vſque ad aduẽtum domini diabolus omnium gentium nationes poſt ſe traxit. Circuiuit ergo & perambulauit terrã: quia in corda gentium iniquitatis ſuæ veſtigia impreſſit. Cadens enim de ſublimibus, humanas mentes iure poſſedit: quia in culpæ ſuæ vinculo volentes aſtrinxit, tãtóque in mundo latius dominatus eſt, quanto à reatu illius nullus per omnia liber inuẽtus eſt. Cui quaſi ex poteſtate mundum circuiſſe, eſt nullum hominem qui ſibi plenè reſiſteret, inueniſſe. Sed iam ſathan redeat, id eſt, ab effectu ſuæ malitiæ vis illum diuina conſtringat: quia iam apparuit in carne, qui in peccati contagione ex carnis nihil habet infirmitate. Vnde ſibi dicitur, Nũquid conſideraſti ſeruum meum Iob, &c. Iob dolens interpretatur: dolens verò veraciter Chriſtus dicitur, qui portare dolores noſtros, propheta atteſtante, perhibetur. Cui in terram nullus ſimilis eſt: quia omnis homo ſolummodò homo eſt: ipſe autem, Deus & homo. Qui bene ſeruus dictus eſt, quia formã ſerui ſuſcipere dedignatus nõ eſt: ſicut per Paulum dicitur, Qui cũ in forma Dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt: ſed ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, &c. De iſto ergo ſeruo dicitur quòd dedit terrã eorum hæreditatẽ Iſrael ſeruo ſuo. Vel per terram, eorum regũ (ſcilicet dæmoniorum) intellige terrã viuẽtium quã primò illi poſſederunt, de qua ſuperbiendo fuerunt expulſi. Hanc in hæreditatẽ dedit populo ſuo, id eſt, fidelib⁹ Chriſtianis. Vnde hic ait Gloſ. Per Iſrael, ſeruũ intellige populum Chriſtianum, cui data eſt promiſſio Iudæorum. Et eſt ſenſus: Prædicta beneficia ad literã cõtulit dominus Iudæis: ſed terrã eorum dedit hæreditatẽ Iſrael ſeruo ſuo: id eſt, promiſſiones terræ viuentiũ Iudęis ſub figuris factas dedit chriſtianis: & hoc ſi videatur de Iudęis dici, ad chriſtianos tamẽ propriè pertinet, quib⁹ datur promiſſio illis facta.

*Phil. 2.* *Greg. 2. moral. cap. 22.* *Eſa. 53.* *Phil. 2.*

## Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri. 2402

Hic aſſignat rationẽ, ſcilicet quare dedit terram eorũ illis hæreditatẽ. Et quantũ ad literã, Iudæi per aduerſa multa quæ in Ægypto humiliter paſſi fuerãt, meruerunt à Deo inde liberari, & promiſſiones factas patribus ipſorum aſſequi: vt habetur Gẽ. 15. Et iſtã rationem hic aſſignat Pſalmiſta, dicens, Ideo nobis terram illorum dedit: quia in humilitate qua premebamur in Ægypto, memor fuit noſtri: id eſt, promiſſionis factæ Abrahæ patri noſtro. Myſticè autẽ humilitas eſt duplex, ſcilicet virtutis & afflictionis: vide verſ. 616. 896. 1233. 2165. Humiliati autẽ ſummè fuerunt Chriſtiani in primitiua eccleſia: quia quaſi omnes perſecuti & martyrizati ſunt. Quæ afflictionis humiliatio ducit ad terram viuentium, in tantũ quòd etiã caput noſtrum per viã accepit gloriã. Lucæ 24, Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriã ſuã: ſimiliter & ſua mẽbra fideles, Act. 14, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Et ideo hanc humilitatem cauſam eſſe hæreditatis æternæ aſſignãs ait, *Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri.* Aduerſa enim dantur iuſtis, vt æternaliter viuant: ſed malis proſpera, vt occidantur: vt oſtendit Greg. ver. 349. Et de iſta humilitate dicitur, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Vel poteſt intelligi de humilitate quæ eſt virtutis: quæ propria eſt fidelium qui Chriſtũ imitantur, dicens, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis, &c. Iſta enim humilitas palmã meretur: quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Et hũc textum de hac duplici humilitate exponit hic Gloſ. dicẽs, *Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri:* id eſt, in humilitate meritoria, quæ propria eſt Chriſtianis. vel in humilitate noſtra: id eſt, in deiectione noſtra & afflictione.

*Humilitas duplex meretur gloriam.* *Greg. 21. moral. cap. 4.* *Iob 41.* *Matth. 11.* *Luc. 18.*

## Et redemit nos ab inimicis noſtris. 2403

Hic ponitur Dei pietas: & ſecundò eius largitas, ibi, *Qui dat.* Iſta litera nõ poteſt cõgruè applicari ad liberationem, qua Deus liberauit Hebræos de manu Ægyptiorum. Ratio, quia ſecundum grammaticos redimo componitur ex re & emo, emis. Et ſic redimere eſt aliquid emere, pro precio aliquid dare. Deus autẽ pro illa liberatione, nomine precij nihil cõtulit. Refertur propriè ad redẽptionem factã per Chriſtũ, qua ſuos redemit à diabolo. i. iterum emit, quia nõ ſolũ ęquiualẽs precium dedit, ſed etiã duplũ: quinimò & ſine proportione maioris æſtimationis erat vita Chriſti, quàm fuerit totum genus humanum. Videtur igitur redemptio, id eſt, iterum emptio, non ratione duplicis actus emptionis: ſed ratione duplicati precij. de quo dicit Apoſtolus Petrus, Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis: ſed precioſo ſanguine &c. Ex quibus apparet quòd perfectè nos Chriſtus redemit: vide ver. 267. 431. 662. 794. 803. 897. 1271. 1844. 1882. 2214. Sed fortè dices, Nunquid pater poteſt dici redemptor, ſicut & filius, ſimiliter ſpiritusſanctus? Hãc materiam tractans Magiſter lib. 3. diſt. 19. dicit, quòd quãuis ſolus filius dicatur mediator, redemptor tamen aliquãdo etiam pater vel ſpiritusſanctus dicitur. Et hoc propter vſum poteſtatis, nõ exhibitionem humilitatis & obedientiæ. Nã ſecundum poteſtatis ſimul & obediẽtiæ vſum filius propriè dicitur redẽptor: quia & expleuit in ſe per quę iuſtificati ſimus: & ipſam iuſtificationem eſt operatus potentia diuinitatis cũ patre & ſpiritu ſancto. Eſt igitur redẽptor ſecũdum humanitatem: quia ſecundum eam & in ea ſuſcepit & impleuit illa ſacramenta, quæ ſunt cauſa noſtrę redemptionis. Propriè igitur ſolus filius dicitur redemptor.

*Redimere eſt iterum emere.* *1. Petr. 1.* *Chriſtus nos redemit.* *Quæſtio. Redemptor an dicatur ſolus filius.*

## 2404 Qui dat eſcam omni carni.

*Caro ſignificat hominem.*

Hîc oſtendit ſuam liberalitatem. Quantũ ad literam ſpectat, omni carni, id eſt omni animali quod carne conſiſtit, Deus dat eſcam & cibum: quia fecit ex terra oriri quæ ad cibum ſunt neceſſaria: vt habetur Gen. 1. Dixit Deus ad Adam, Ecce, dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terrã &c. vt ſit vobis in eſcam, & omnibus animantibus terræ omníque volucri &c. Et iſta nominauit nomine carnis, quia caro eſt illa quæ indiget nutrimento propter cõſumptionem humidi radicalis, non ſpiritus. Vnde angeli quia carne carent, eſca & cibo non egent. Et hoc eſt quod dicitur Pſal. 145, Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum: qui dat iumentis eſcam ipſorum &c. & Pſal. 143, Oculi hominum in te ſperant domine, & tu das illis eſcam &c. Vel aliter, propriè loquendo: quia caro in ſingulari ſolùm ſtat pro carne humana: vt dictum fuit verſic. 8. ideo hic per omnem carnẽ ſignificat omne genus hominum: per eſcam autem ſignificat cibum illum ſpiritualem, qui eſt panis viuus: ſcilicet ſacramẽtum euchariſtiæ, quod ſolis hominibus & Deum timentibus datur, ſcilicet ad ſalutẽ. De qua eſca dicitur Pſal. 110, Miſerator & miſericors dominus eſcam dedit timentibus ſe. vide verſic. 1979. Vnde hic Aug. *Qui dat eſcã omni carni:* id eſt omni hominum generi, non tantùm Iſraelitarum, ſed etiam gentium. De qua eſca dicitur, Caro mea verè eſt cibus.

*Eſca dicitur euchariſtia.*

## 2405 Confitemini Deo cœli.

Hîc ex omnibus præmiſſis Deum laudandum concludit. Et primò concluſionem proponit: ſecundò ipſam declarat: ibi, ***Confitemini domino dominorum.*** Vbi ſciendum eſt, quãtum ad literam, quòd Deus dicitur Deus cœli, quia ibi per ſingularem influentiam habitat, & ibi ſolum clarè videtur. Et propter hoc dixit Daniel regi Nabuchodonoſor, Dan. 2, Eſt Deus in cœlo reuelans myſteria. Vel dicitur Deus cœli, quia ipſe ſolus per ſeipſum cœlum fecit, quod inter effectus maior videtur: ſicut artifex poſito quòd duas artes faciat, à nobiliori accipit nomen. Et ideo cum inter omnes corporales effectus cœlum videatur nobilior, ab illo Deus denominatur. Magis autẽ myſticè ſciendum eſt quòd triplex eſt creatura rationalis, quæ dicitur cœlum: ſcilicet angeli beati, prędicatores & iuſti, & ipſi dęmones. Primò enim angeli beati dicti ſunt cœli. De quibus orando Deo dicimus, Fiat volũtas tua ſicut in cœlo & in terra. Vnde Greg. dicit, Per cœlos hi qui in cœleſtibus ſunt cõditi, angelici ſpiritus poſſunt deſignari. Vnde & in oratione noſtra voce veritatis dicere inſtruimur, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Vt nimirum ſicut voluntas Dei à ſuperiore creatura agitur: ita in nobis etiam ab humana infirmitate ſeruetur. De quibus dicitur, Tu fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Secundò prædicatores & Apoſtoli cœli dicuntur: Pſal. 18, Cœli enarrant gloriam Dei. Vnde Gregor. ait, Quid nomine cœlorum, niſi cœleſtis prædicantium vita ſignatur? de quibus per Pſal. dicitur, Cœli enarrant gloriam Dei. Tertiò ipſi dæmones cœli dicuntur, quia in cœlo aëreo habitãt. Vnde Gregor. dicit, Cœlum verò aëreum dicimus: vnde & aues cœli nominamus. Et ſcimus quòd immundi ſpiritus qui de cœlo æthereo lapſi ſunt, in hoc cœli terræque medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum ad cœleſtia aſcendere inuident, quãto à cœleſtibus per elationis ſuæ immundiciam ſe proiectos vident. Quia ergo à dęmonum poteſtate contra cogitationum noſtrarum mundiciam flamma liuoris irruit, de cœlo ignis ad nos venit. Quid ergo Deus cœli, niſi Deus beatorum angelorum quem ipſi adorãt: Deus prędicatorum, quem ipſi prædicant: Deus dæmoniorum, quem ipſi credunt & formidant? Nam & dęmones Deum eſſe credunt & contremiſcunt: vt dicitur Iacobi 2. Confitemini igitur Deo cœli, id eſt, laudem date de cœlo, id eſt angelorum, hominum iuſtorum & dæmoniorum.

*Cœlum multiplex.* *Matth. 9.* *Gregor. 27. mor. cap. 25.* *Iob 27.* *Deus cœli quis dicitur.* *Greg. 9. mor. cap. 13.* *Greg. 2. mor. cap. 34.*

## Confitemini domino dominorum: quoniã inæternum miſericordia eius. 2406

Hîc explicat quòd loquitur non de diis gentium, ſed de vero Deo, qui eſt Deus deorum & dominus dominorum. Dicitur enim Deus deorum: vide verſic. 2381. Dicitur etiam dominus dominorum: vide verſic. 1382. Dicitur inæternum miſericordia eius: vide ver. 2380. Vel omnia iſta de Chriſto incarnato poſſunt intelligi, qui eſt princeps omnium regum terræ: qui eſt rex regum & dominus dominantium: Apocal. 19.

# PSALMVS CXXXVI.

## SVper flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. 2407

Huic Pſalm. ſecundum multos nullus titulus præmittitur. Sed in aliquibus Bibliis ponitur titulus iſte, Pſalmus Dauid propter Hieremiam. Et iſtum titulum etiam ponit Magiſter in gloſa. Et ſecundum Nicolaum, iſte titulus appoſitus fuit ab aliquo expoſitore propter hoc quòd iſte Pſalm. in ſententia concordat cum lamentationibus Hieremiæ prophetæ: qui lamentatur captiuitatem Iudæorum à Chaldæis factam, & deſtructionem ciuitatis Hieruſalem & templi. Quod conſimiliter iſte Pſal. facit. Hieremias enim illam captiuitatem vidit non ſolum ſpiritu, ſed etiam corporaliter. Dauid autem in ſpiritu prophetico illam præuidit, & iſtum Pſalm. lamentationibus pro illa compoſuit. Et ſic iſte Pſalm. literaliter lamẽtatur captiuitatem Hieruſalem, & deſtructionem quam Dauid futuram per Babylonios præuidit. Et ſic Pſal. iſte diuiditur in duas partes: quia primò captiuitatis prædictæ ponitur lamentatio: ſecundò ponitur Babyloniorum

loniorum aduerſantium punitio:ibi,*Memor eſto* &c. dic vt N.Quātum verò ad ſenſum propheticū:Pſal. lamentatur captiuitatem & peregrinationę prędeſtinatorum : qua in miſeria vitæ præſentis peregrinantur à patria cœleſti, & multis calamitatibus à malis premuntur. Quæ ſpiritualis captiuitas directè figuratur in prædicta captiuitate Babylonica. Erant enim duæ ciuitates oppoſitæ:ſcilicet Hieruſalem & Babylonia. Sed ciuitas Babyloniæ tenebat ciues Hieruſalem captiuos & peregrinos à ciuitate ſua Hieruſalem. Sic & ſpiritualiter duæ ſunt ciuitates:ſcilicet Hieruſalem & Babylonia. Hieruſalem autem eſt ciuitas paradiſi:quod patet ex ſuo nomine. nam Hieruſalem viſio pacis interpretatur : Babylonia autem iſte mundus cum delectationibus ſuis.quod patet ex ſuo nomine:nam Babylon confuſio interpretatur. Sic ergo ciuitas iſta Babyloniæ ciues cœleſtis Hieruſalem tenet captiuos, permixtos ſuis ciuibus:quia mundus iſte inſimul continet bonos & malos,& boni premuntur à malis.Et hoc eſt quod plangit Pſalmiſta, cupiens ciues Hieruſalem cœleſtis(id eſt prędeſtinatos)à malis huius mundi eripi, & ad cœleſtem Hieruſalem perduci. Et hanc eſſe intentionem Pſal.hic oſtendit Auguſt. dicens, Omnis catholicus ſcire debet vnde ciues ſumus, & vnde peregrinamur: & peregrinationis noſtræ cauſam eſſe peccatum, reuerſionis autem iuſtificationem gratiæ Dei. Duas autem ciuitates permixtas ſibi interim corpore, & corde ſeparatas, currere per iſta volumina ſæculorum vſque in finem.Vna ciuitatum eſt, cuius finis eſt pax æterna : & vocatur Hieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur.Altera eſt, cuius gaudium eſt pax temporalis : quæ vocatur Babylonia, quæ interpretatur confuſio &c. Et gloſa hic ait, Sicut enim duæ fuerunt ciuitates : ſcilicet Hieruſalem & Babylonia: quarum altera alteram afflixit & captiuauit. Ita modò ſunt duę ciuitates:vna bonorū,& altera malorum:permixtę quidem corpore,ſed corde ſeparatæ : ſcilicet Hieruſalem & Babylonia. Tenetur ergo Hieruſalem captiua in Babylonia,ſed non tota. ciues enim ſunt beati angeli omnes miſeriæ exortes, ſed tenetur captiua ſecundum homines prædeſtinatos ad gloriam, qui per peccatum captiui ſunt & à patria peregrini.De ea igitur hic per peccatum captiua agit Pſalm. Sunt etiam futuri ciues Hieruſalem mente, qui iam ſunt ciues prædeſtinatione: ſed adhuc corpore & cordė ſunt ciues Babyloniæ, eíque ſeruiunt. Habet enim Babylonia ſuos amatores conſulentes paci temporali, & nihil vltrà ſperantes.Sed non ſinit eos Deus finaliter perire in Babylone, quos prædeſtinauit. Sed de iſtis non agit iſte Pſalm.ſed ſolùm de illis qui iam mente & cordis deſiderio ſunt ciues Hieruſalem : licet corpore hic captiui teneantur. Intētionem mouet non conformari Babyloniæ, ſed ad ſupernam Hieruſalem ſuſpirare. Quibus viſis, accedo ad Pſalmi diuiſionem. Diuiditur iſte Pſalm. in duas partes: quia primò nos monet mala noſtra flere : ſecundò pro malis Deū exorare:ibi,*Memor eſto*.Prima in duas: quia primò ponit ad fletum inductiua : ſecundò ponit quæ ſunt fletus conſolatiua;ibi,*Si oblitus*.Prima pars diuiditur in tres partes,ſecundū quòd tres cauſas aſſignat ploratus iuſtorum : quoniam illi plorant primò ex affectione ciuitatis ſupernæ : ſecundò ex commixtione ſocietatis peruerſæ:ibi, *In ſalicibus*:tertiò ex afflictione tentationis diuerſę:ibi, *Quia illic*. Quantum ad primum, ſciendum quòd amor habet virtutem vnitiuam,ſic quòd amantem copulat amato : ſic quòd amans aſpectum amati ſemper deſiderat. Cum ergo iuſti ament cœleſtem patriam,ideo illic eſſe deſiderant. Et ſicut ibi mente conuerſantur,ſicut dicit Apoſtolus,Noſtra conuerſatio in cœlis eſt:ſic & ibi realiter deſiderant eſſe.Et ideo abſentia taliter amati ad fletum ipſos inducit.Et hoc eſt quod hic dicit, *Super flumina Babylonis illic ſedimus* &c.Ad cuius euidentiam, ſciēdum quòd nomine fluuij in ſacra ſcriptura denotatur curſus vitæ præſentis:quæ ad modum fluuij continuè vſque ad mare mortis decurrit : teſte Gregor. dicente,Quid fluuij nomine, niſi humani generis decurſio deſignatur? quæ velut à fontis ſui origine naſcendo ſurgit : ſed quaſi ad ima defluens, moriendo pertranſit. Quod bene conſiderans illa ſapiens mulier,dixit ad Dauid,Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reuertentur.Babylon autem,quæ confuſio interpretatur, ſignificat vitam peccatorum & mundanorum,quæ tota cōfuſione eſt plena. Quid ergo ſunt flumina Babylonis, niſi fluxus labilis vitæ mundanorum,qui nunquam requieſcit, & ad mare mortis æternæ perducit? Ille ergo ſedet ſuper flumina Babylonis, qui intra ſeipſum recollectus, mente conſiderat inquietum & amarum ſtatū vitæ mundanorum. Quod cum quis conſiderauerit, & recordatus fuerit quanta ſit quies, quantáque gloria Sion, ſcilicet ciuitatis ſupernæ: dum ſe in Babylone videt peregrinum, ſtatim ad fletum & lacrymas conſurgit.Et hoc eſt quod notans Pſalm. dicit,*Super flumina Babylonis* &c.Ad iſtum intellectum hunc paſſum pulchrè hic exponit Auguſtin. dicens, *Super flumina Babylonis* &c. Flumina Babylonis ſunt omnia quæ hic amantur & tranſeunt. Verbi gratia, Amauit quis agriculturā ipſam exercere,ipſam diſcere,ibi occupare animum, inde accipere voluptatem:attendat exitum, & videat id quod amauit non eſſe fundamentum Hieruſalem, ſed fluuium Babylonis. Alius dixit,Magna res eſt militare:omnes agricolæ formidant eos qui militāt,obſequuntur eis, tremunt eos.Si fuero agricola, timebo militem:ſi fuero militaris,timebor ab agricola. O inſane, in alium fluuium Babylonis te præcipitaſti. Et cum tu timeri vis à minore,times maiorem.poteſt autem ipſe maior fieri ſubitò qui te timet. Aduocatum(inquit alius)eſſe, magna res eſt:potentiſſima eloquentia in omnibus habere ſubiectos ſuſceptos pendentes ex lingua diſerti patroni ſui : & ex eius ore ſperantes vel damna vel lucra,vel mortem vel vitam. Neſcis quò te miſeris : alius eſt iſte fluuius Babylonis. Et quòd multum ſonat ſtrepitus aquæ in ſaxa,attende quia labitur,percurrit, & fluit. Et ſi attendis quia labitur & fluit, caue quia trahit.Nauigare(inquit alius)& negociari, magnū eſt:ſcire multas prouincias, lucra vndique capere, nō eſſe obnoxium in aliqua ciuitate alicui potenti, ſemper peregrinari, & diuerſitate negociationum animum paſcere, & augmentis lucrorum diuitem remeare.Fluuius eſt & iſte Babylonis.Lucra tua quando ſtabunt? quando ſecurus eris ex his quæ acquiris? Quanto eris ditior, tanto timidior: vno naufragio nudus exiſti, & rectè te plangis in flumina Babylonis. Alij autem ciues cœleſtis Hieruſalem intelligentes captiuitatem ſuam, attēdunt humana vota & diuerſas hominū cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, & impellentes in mare:vident hæc,& non ſe mittunt in flumina Babylonis:ſed ſedēt ſuper flumina Babylonis:& flent vel illos qui rapiuntur,vel ſeipſos qui in Babylonia detinentur. Vnde & dicunt, *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* O ſancta Sion,vbi totum ſtat, & nihil fluit. Ecce ergo inter flumina conſtituti, vix quiſque raptus à flumine,ſi tenere potuerit lignum, euadet. Humiliati ergo in captiuitate noſtra, ſedeamus ſuper flumina Babylonis : non nos audeamus in illis fluminibus præcipitare ; & ſic fleamus. Sed vnde flere debes? Certè recordando Sion.Multi enim flent fletu Babylonis, qui ſcilicet gaūdent gaudio Babylonis. Qui gaudent lucris,& flent damnis : vtrumque de Babylonia eſt. Sed tu flere debes, ſed recordando Sion. Et quando tibi ſecundum Babyloniam bene eſt,oportet vt fleas:quādo autem malè,vt gaudeas. Sic enim dicebat Apoſtolus,Coloſſ.1, Et nūc gaudes in paſſionibus.

*Coloſſ.3.* — *Fluuius ſignificat vitā præſentem.* — *Gregor. 33. mor.cap.7.* — *2.Reg.14.* — *Flumina Babylonis quid ſunt.*

## 2408 In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.

Hîc oſtendit ſecundam cauſam fletus : ſcilicet ratione ſocietatis peruerſæ. Vbi notandum quòd ſalices duas habent conditiones : ſecundum quæ duo ſignificant.Nam ſunt magnæ viriditatis, & ſic ſignificant bonos:& ſunt infructuoſę & omnimodæ ſterilitatis : & ſic ſignificant malos. Hic autem accipiuntur ſalices in mala ſignificatione:vt ſalices in medio Babylonis ſint homines mali & infructuoſi,qui mente in medio Babylonis, id eſt in rebus malis ſunt profundati:quibus prædicatio non ſufficit.vnde & ab illis myſteria ſacrę ſcripturę debent abſcondi.Et hoc eſt ab eis organa prędicationis ſuſpendere. Quod facere docebat ſaluator : dicens,Nolite ſanctum dare canibus &c.Et ad iſtum intellectum hunc locum exponit Gregor. dicens, Infructuoſæ quidem ſunt arbores ſalicum, ſed tamen tantæ viriditatis ſunt, vt areſcere vel abſciſſæ radicitus & proiectæ vix poſſint. Vnde in ſacro eloquio ſalicum nomine aliquando pro viriditate boni, aliquando pro ſterilitate reprobi deſignantur. Niſi enim electorum vitam pro conſtantia ſuæ viriditatis exprimerent : nequaquam de eccleſiæ filiis propheta dixiſſet,Germinabunt inter herbas, ſicut ſalices iuxta aquas. Sanctæ enim eccleſiæ filij inter herbas ſicut ſalices germinant,dum inter areſcētem vitem carnalium hominum multiplici numeroſitate & perpetua mentis viriditate perdurāt. Qui bene iuxta aquas germinare perhibentur, quia vnuſquiſque eorum ad vbertatem fructum percipit ex doctrina ſacri eloquij, quæ temporaliter percurrit. Et rurſum niſi per ſterilitatem ſalicum vita peccantium ſignaretur, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam Pſalm.dixiſſet,*In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* Babylonis quippe in medio ſalices ineſſe deſcribūtur, quia nimirum infructuoſi quique atque ab amore patriæ cœleſtis totis viſceribus cordis in hac ſeculari confuſione radicantur. Vnde & prædicatores ſancti in iſtis ſalicibus non exercent organa,ſed ſuſpendunt: quia cum infructuoſas mentes ac reprobas aſpiciunt, vim prædicationis ſuæ non exhibent ; ſed potius lugentes ſilent. Iſtum etiam intellectum inducit hic Auguſtinus, dicens, *In ſalicibus in medio eius* &c.Habent organa ſua ciues Hieruſalem, ſcilicet ſcripturam ſacram, promiſſa Dei,præcepta Dei, meditationem quandam futuri ſæculi.Sed cum agunt in medio Babyloniæ, organa ſua in ſalicibus eius ſuſpēdunt. Salices ligna infructuoſa:& hoc loco ita poſita,vt non aliquid boni poſſit intelligi de ſalicibus. Alibi forſitá poteſt: modò ligna intellige ſterilia naſci ſuper flumina Babylonis, & nullum fructum ferētia. Sicut ſunt homines cupidi,auari,ſteriles in opere bono:ita ciues Babyloniæ, vt etiam ligna ſint illius regionis, ex iſtis voluptatibus rerum tranſeuntium paſcuntur, tanquam rigata fluminibus Babyloniæ. Quæris fructum,& nūſquam inuenies.Quando tales patimur, verſamur cum eis qui ſunt in medio Babylonis. Et exteriora Babylonis ſunt, qui non tam in medio eius ſunt : id eſt, non tanta concupiſcentia ſæculi & delectationibus obruuntur. Multi mali ſunt,& in medio Babylonis ſunt : & ligna ſunt ſterilia tanquam ſalices Babylonis. Quando tales videmus, & tam eos ſteriles inuenimus, vt difficilè appareat in eis aliquid vnde poſſint duci ad fidem rectam,vel ad bona opera,vel ad ſpem futuri ſęculi,vel ad concupiſcentiam liberationis à captiuitate mortalitatis:ſcripturas nouimus.Sed quare illas eis dicamus, quia in eis nullum fructum inuenimus vnde incipiamus:auertimus ab illis faciem,& dicimus,Adhuc iſti non ſapiunt: quia quicquid illis dixerimus, ſiniſtrum & aduerſum habebunt. Et ſic non diſſerendo circa eos ſcripturas, ſuſpēdimus organa noſtra in ſalicibus. Non enim illos dignos habemus,qui organa noſtra portent.

*Salices ſignificāt bonos & malos.* — *Math.7.* — *Gregor. 33. mor.cap.6.* — *Eſa.44.*

## Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. 2409

Hîc ponitur tertia cauſa nos ducens ad fletum ex ratione tentationis diuerſæ. Et diuiditur in tres partes : quia ponitur primò malignorum tentatio: ſecundò tentationis expoſitio:ibi,*Et qui adduxerunt:* tertiò tentantibus reſpōſio:ibi,*Quomodo cantabimus.* Quantum ad primum, ſciendum quòd peccatum animam facit captiuam. Nam captiuus dicitur à capio,is. Vnde captiuus, quaſi captus. Cùm ergo peccata peccatorem capiant, meritò ipſe peccator captiuus dicitur. Prou. 5, Iniquitates ſuæ capiunt impium.Et Pſalm. 77, Et tradidit in captiuitatem virtutes eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici:quia cùm quis peccato capitur,virtus liberi arbitrij captiuatur,& omnis meritorum pulchritudo diſſipatur:vt ibidē ait Gloſ. Eſt & alia captiuitas peccati:ſcilicet fomes & lex membrorum. Quę ideo captiuitas dicitur, quia nos ad peccati captiuitatem inclinat.De qua dicit Apoſtolus,Rom. 7, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ : & captiuantem me in legę peccati. Fomes enim peccati qui in membris noſtris regnat:vt puta in oculo ad concupiſcendum, in lingua ad loquendum, in aure ad audiendum quæ non licent : talis inquam fomes repugnat rationi.Qui fomes dicitur lex : quia legitimè factum eſt vt qui non obediunt ſuo ſuperiori, ei non obediat ſuum inferius:ſcilicet caro. Supra te eſt dominus Deus tuus;infra te eſt caro tua. Serui ergo ſuperiori,vt tibi ſeruiat inferior.Et ideo quia tu contempſiſti ſuperiorem,ſcilicet in primo parente,nūc torqueris ab inferiori : ſcilicet à carne, quæ fomitem habet peccati te captiuum ducentem : id eſt inclinātem in legem peccati, verba ſunt Magiſtri in gloſa ad Rom. 7.Iſta eſt ergo peccati captiuitas, quæ peſſima eſt, vt ſi quis à diabolo liberè peccato

*Captiuus dicitur quilibet peccator.* — *Eſa.44.* — *Captiui ſumus in hac vita.*

captiuetur: inde tamen liberè reſilire non poſſit. Quod ſatis figuraliter oſtendit ille vir bellicoſus Romanis infeſtus Annibal: de quo dicit Valerius lib. 9. cap. 2. quòd Annibal omnium captiuorum pedeſtrium Romanorum primam partem pedum crudeliter abſcidit, ne ſcilicet euadere poſſent. Pedes enim quibus totum corpus geritur, eſt ipſa affectio noſtra: qua totus interior regitur homo. Cuius prima pars & anterior eſt ipſa libertas ad bonum: quam ſuis captiuis abſcidit diabolus, ne per ſe ad bonum poſſint redire. Vnde animæ ſic per
*Eſa.52.* peccatum captiuitate inſultando loquitur, Solue vincula colli tui captiua filia Sió. Quaſi dicat, Non potes per te à captiuitate peccati redire. Si ergo peccatum animam reddit captiuam, qui ſunt captiuantes nos, niſi ad peccatum inducentes: ſcilicet diabolus & angeli eius? Vnde hic ait Auguſtin.
*Sap.7.* Facilè poteſt demonſtrari captiuos nos eſſe. Non enim reſpiramus iam in auras illius libertatis: non fruimur puritate veritatis, & illa ſapientia quæ in ſeipſa manens innouat omnia. Delectationibus temporalium rerum tentamur, & luctamur quotidie cum ſuggeſtionibus illicitarum voluptatum: vix reſpiramus vel in oratione, captiuos nos eſſe intelligimus. Sed qui nos captiuos duxerunt? qui homines, quæ gẽs, qui rex? Diabolus autem & angeli eius captiuos duxerunt nos: nec ducerent, niſi conſentientes. Eſt aduertendum ergo quid eſt diabolo & angelis eius interrogare nos captiuos. Interrogatio eius dæmonis eſt eius tentatio: quia tentamenta incipit ab interrogatione, vt noſtris reſponſionibus illaqueamur. Sic enim quando primos parentes tentare voluit, vt totum genus humanum captiuaret: ab interrogatione incepit, dicens, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? &c. Sic ergo per interrogationem diaboli intellige eius tentationem: vt ſit ſenſus, Dæmones qui nos captiuos duxerunt, interrogauerunt, id eſt tentauerunt. Et quid propoſuerunt nobis in ſuis interrogationibus vel tentationibus: ſubdit dicens, *Verba cantionum*: id eſt rationes exultationis noſtræ. vt puta, Quæ ſunt rationes quare vos Chriſtiani lætamini? Quæ cauſa exultationis veſtræ? &c. vt clarius in ſequenti verſiculo exponetur. Dæmones enim quandoque per ſeipſos ſic nos interrogando tentant, quando in cordibus tales cogitationes immittunt. Interrogãt etiã per alios, quãdo mali qui ſunt dæmonis membra tales tentationes ingerunt: vt nos ab amore Dei ad mundi voluptatem conuertant. Cum enim tales nos interrogant, in quibus diabolus operatur: intelligendus eſt ipſe nos interrogare, qui hoc in eis operatur. Quid autem interrogant tentando, ſtatim ſubdit dicens,

## 2410 Et qui adduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Hîc ponitur tentationis expoſitio. Vbi primò ſciendum quòd iſta litera variatur. Nam aliqui codices habent, *Et qui adduxerunt*. Aliqui verò, *Et qui adduxerat*. Et tamẽ vtrobique eadem captiuatio denotatur: niſi quòd in vno textu ponitur terminus à quo: vt cum dicitur, *Et qui adduxerunt nos*: ſcilicet à ſocietate angelorum. In alio verò denotatur terminus ad quem: vt cum dicitur, *Et qui adduxerat nos*: ſcilicet ad miſerias huius mundi. Iſti inquam interrogauerunt nos verba cantionum: ſcilicet dicentes, *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Sed qui ſunt iſti hymni canticorum Sion? Illi ſcilicet pro quibus corde exultant & cantant fideles, qui mente ſunt ciues Sion, licet corpore habitent in Babylonia. Puta, exultant fideles de Chriſti incarnatione, de noſtra per ipſum facta redẽptione, de ſua reſurrectione, de gloriæ æternæ promiſſione: & huiuſmodi. Iſta ſunt illa cantica, in quibus ciues Sion exultant. Et de iſtis dæmones nos interrogant, & per ſua membra iſta nobis exprobrant, & nobis inſultant: dicentes deriſoriè, *Cantate nobis hymnum de canticis veſtris*. Quaſi dicat, Vos exultatis de aduentu Chriſti, oſtendite cauſam exultationis. Quid boni attulit mundo aduentus eius, oſtendite. Sic enim iſtum paſſum exponit Auguſt. hic dicens, *Hymnum cantate nobis* &c. Pagani plerique dicunt iſta nobis, Exponite nobis rationẽ quare venit Chriſtus: & quid profuit Chriſtus generi humano. Nónne ex quo venit Chriſtus peiora ſunt in rebus humanis quàm fuerunt antea: & feliciores erant res humanæ quàm modó? Dicant Chriſtiani quid boni attulit Chriſtus: vnde feliciores putemus res humanas quia venit Chriſtus. Putant enim tales, quòd ſi in voluptatibus & vanitatibus mundi eſſet ſtabilitas & temporalium rerum vbertas: ſi in mundo omnia delectabilia ſine labore fluerent, quòd tũc felicia eſſent tempora, & magnam felicitatem in rebus humanis Chriſtus attuliſſet. Quia verò per Chriſtũ cæduntur iniquitates, vt extirpata cupiditate plãtetur charitas: quia miſcẽtur amaritudines vitæ tẽporali, vt æterna deſideretur: quia erudiũtur in flagellis homines paternam accipientes diſciplinam, ne iudiciariam inueniant ſententiam: dicunt quòd nihil boni attulit Chriſtus, Sed ſi tali incipias dicere quanta bona fecit Chriſtus, ipſe non capit. Proponis illis quòd multi per aduentum Chriſti res ſuas vendunt, & diſtribuunt egenis, vt fiant ipſi pauperes: non neceſſitate, ſed voluntate ſequentes Chriſtum: ſperantes regnum cœlorum. Irrident iſti nos, quaſi ſtultos: dicentes, Talia ergo ſunt bona quæ attulit Chriſt⁹? talia ſunt cantica Chriſtianorum: vt per Chriſti aduentum perdat homo res ſuas, & cum egenis ſit egẽs? Quid eſt ergo dicere, *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*: niſi deriſoriè dicere Chriſtianis, Oſtendite quid boni attulit Chriſtus. Quæ ſunt illa bona quæ ſperatis, quæ non poteſtis oſtendere? Noſtra autem bona quę amamus, ſunt manifeſta. Ego autem diligo habere filios, habere diuitias, habere honores & dignitates. Iſta enim oculariter videntur ab omnibus, palpantur manibus &c. Sed talibus quid reſpondeatur, audi quod ſequitur.

*Chriſti aduẽtus quæ vtilitas.*

## Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? 2411

Hîc ponitur reſponſio dictis tentationibus. Vbi ſciendum, quòd ſicut quilibet iuſtus verba praua & malorum non delectabiliter, ſed cum dolore audit, & illis aurem cordis non præbet: ſic & mali verba bonorum intelligere non poſſunt, nec illa audire delectabiliter. Vnde Gregor. ait, Verba moréſque carnalium, quaſi cibum ſe noſtris mentibus ingerunt, vt in delectationis ventre rapiantur. Sed electus quiſque inſulſum non comedit: quia prauorum dicta factáque diiudicans, ab ore cordis repellit. propter quod & Pſalm. dicebat, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua. Sæpe autem verba carnalium ſe importunè noſtris auribus

*Boni audire nõ poſſũt verba malorum, nec ecõtrario.*

*Greg. 7. mor. cap. 6.*
*Pſal. 118.*



auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt: quæ tamen & ratio reſpuit, & lingua reprehendit. Sancti igitur viri cùm æternitatis deſideriis anhelant, in tanta altitudine vitæ ſe ſubleuant: vt audire iam quæ mundi ſunt, graue ac deprimens pondus credant. Valde namque inſolens atque intolerabile extimant quicquid aliud nõ ſonat quod intus amant. Conſimiliter ergo dicendum eſt de malis & infidelibus, quòd audire fugiũt quicquid intus non amant. Cùm ergo ſolùm terrena & trãſitoria diligant, æterna autem nõ credant: hinc eſt quòd omnia quæ terrenis voluptatibus contradicunt, audire fugiunt & deteſtantur. Illa autem quæ quis audire deteſtatur, quomodo intelligere poteſt? Et hæc eſt cauſa quare malignis & obſtinatis
*Matth.7.* verbum Dei prædicare prohibemur à Chriſto. Nolite ſanctum dare canibus &c. quia ipſum audiendo magis contemnunt & execrantur. Et iſtam rationẽ aſſignat Pſalmiſta, quare infidelibus nõ debemus cantare vel exponere hymnum de canticis Sion: quia non ſunt terra apta ad verbum Dei recipiendũ, ſed magis terra aliena: ideo in illis non fructificaret. Et hoc eſt quod ait Pſalm. eis reſpondendo: dicens, *Quomodo cantabimus cãticum domini in terra aliena*? Quaſi dicat, Vos eſtis terra aliena à verbo Dei: ideo verbum Dei nõ capitur in vobis. Ad iſtũ intellectum hic loquitur Auguſt. dicens, Iſti qui captiuos duxerunt nos, quando intrant corda hominum, & interrogant nos per linguas eorũ quos poſſident, & dicũt nobis, Cantate nobis verba cãticorum: reddite nobis rationem aduentus Chriſti: & quia aliam vitam volo credere, ſi doces rationẽ, quare mihi imperas vt credam? Reſpondeo & dico tibi, O homo, quomodo vis vt cãtem tibi, qui plenus es malis cupiditatibus? Si dicã tibi ſpiritualia, non capis. Oportet vt exinaniaris quo plenus es, vt poſſis impleri quo inanis es. Non vis vt dicam? non bono animo quæris. Non ſic pulſas, vt tibi ſit dignum aperiri. Non quæris quod diſcas: ſed quod reprehendas. Babylonia te portat: Babylonia te cõtinet: Babylonia te nutrit. Non noſti capere, niſi quod fulget ad tempus. Quomodo ergo cantabimus canticũ domini in terra aliena? Seminare enim ſemen bonum in terra mala, nõ fructificat. Si enim in partibus iſtis velis ſeminare zinzebrum vel piper, perdes labores, deriſus eris: quia hæc eſt terra aliena ab illo ſemine. Si poma annicea plãtare velis, non proficies, deriſus eris: terra hæc eſt aliena. Sic & in propoſito: illi infideles terra ſunt aliena. Non quærunt audire cantica Sion, vt credant: ſed magis vt irrideant. Noli ergo facilè iſtis aliquid dicere: noli percutere organum vt ſonet: ſed potius ſuſpende.

*Fidei myſteria malis non ſunt prædicãda.*

## 2412 Si oblitus fuero tui Hieruſalẽ, obliuioni detur dextera mea.

Hîc ponit quæ ſunt fletus cõſolatiua. Quid autem inter ærumnas vitæ præſentis nos conſolatur, niſi ſpes cœleſtis gloriæ: niſi præmiũ quod ex noſtris laboribus obtinere ſperamus? Qui enim inter huius mundi labores ad iſtud præmiũ oculos mẽtis non dirigit, fatigatur & deficit. Quod Pſal. cognoſcens, proponit firmiter inter huius mundi aduerſa oculum cordis ad ipſam cœleſtem Hieruſalẽ dirigere. Vnde de illa cœleſti gloria inter aduerſitates ſæculi tria proponit. primò quòd illa iugiter eſt meditanda: ſecundò quòd illa bonis eſt prædicanda: ibi, *Adhæreat*: tertiò quòd illa omnibus bonis eſt præponenda: ibi, *Si non propoſuero*. Quantum ad primum, ſciendum quòd diabolus per ſeipſum & per ſua membra nos interrogans, conatur quantũ poteſt ab amore cœleſtis Hieruſalem nos abducere, & inducere ad amorem Babyloniæ. Quod aliquando facit terroribus & minis: quandoque verò adulationibus & blanditiis. Iſte autem confidens in Dei gratia, proponit ſe ab amore cœleſtis Hieruſalem nullo modo diſcedere: ſed magis continuè illam in mente habere. quòd ſi oppoſitum faciat, ſibi malum imprecatur: dicẽs, *Si oblitus fuero tui Hieruſalem* &c. Sicut enim conſuetudo eſt iuſtorũ, qui ſcientes innocentiam ſuam dicunt, Si hoc feci vel illud, Deus confundat me: vel ſimilia. vide ſuprà, verſic. 2330. Conſimiliter nunc facit Pſalm. dicẽs, *Si oblitus fuero* &c. Quid enim dexteræ nomine, niſi vita æterna? quid ſiniſtrę, niſi vita tẽporalis? Dextera noſtra, vita æterna: ſiniſtra noſtra, delectatio vitę temporalis. Pſalmiſta ergo non optans, ſed magis prædicens quid eis accidit qui cœleſtem Hieruſalẽ voluptatibus mundi intenti obliuioni tradũt: ait, *Si oblitus* &c. *obliuioni detur dextera mea*. Et alia litera clarius habet: obliuiſcatur me dextera mea. Vnde hic ait Auguſt. *Si oblitus fuero* &c. Vehemẽter ſe cõſtrinxit iſte, dicens, *Obliuiſcatur me dextera mea*. Dextera noſtra vita æterna eſt: ſiniſtra noſtra vita temporalis. Quicquid facis pro vita æterna, dextera operatur. Si autem in operibus pro vita æterna factis immiſcueris cõcupiſcentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicuius commoditatis ſecularis: cognouit ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Et noſtis præceptum Chriſti dicentis, Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. *Si oblitus* (inquit) *fuero tui Hieruſalẽ, obliuiſcatur me dextera mea*. Et verè ſic contingit: prænuntiauit, non optauit. Talibus enim qui obliuiſcuntur Hieruſalem, hoc cõtingit quod dixit. Obliuiſcitur enim eos dextera eorum. Vita enim æterna manet in ſe: illi remanent in delectatione temporali, & faciũt ſibi dexterum quod ſiniſtrum eſt. Interrogate ergo corda veſtra fratres, ſi deſideratis bona Dei: ſi deſideratis ciuitatem illã Hieruſalem: ſi concupiſcitis vitam æternam. Omnis iſta terrena felicitas, ſiniſtra vobis ſit. Illa ſit dextera, quam ſemper habebitis. Et ſi habueritis ſiniſtram, nolite de ſiniſtra præſumere. Nónne corripis eũ qui de ſiniſtra voluerit manducare? Si mẽſæ tuæ putas iniuriam fieri manducare conuiuam de ſiniſtra: quomodo ergo non fit iniuria menſæ Dei, ſi quod dextrum eſt ſiniſtrum feceris: & quod ſiniſtrum eſt, feceris dextrum? Quid ergo? De talibus dicitur, *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea*.

*Dextera ſignificat vitã æternã, & ſiniſtra temporalem.*

*Matth.6.*

## Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. 2413

Hîc oſtendit quòd cœleſtis gloria bonis eſt prædicãda. Ad hoc enim principaliter linguam habemus, vt Dei laudes pronũciemus. Vnde qui laudes Dei non pronuntiat, linguam ab officio ſuo habet ligatam: quia nõ illa loquitur ad quæ facta eſt. Sic ergo contingit ſicut iſte pronuntiat, quia mutus fit qui Dei memor non eſt. Vel aliter: vt per linguam qua manifeſtatur voluntas interior, intelligantur opera noſtra: quæ à voluntate bonitatem ſortiũtur vel malitiam. Per fauces autem quę cibos deuorãt, intellige dæmones malos vt cibum deuorantes, vt ſic ſit ſenſus, *Adhæreat lingua mea faucibus meis*: id eſt, omnia opera mea adhęrebunt deuoratori diabolo: quia

quia per opera mea deuorabor à diabolo: & hoc *ſi non meminero tui*, ſcilicet Hieruſalem. Quod ideo dicit, quia opera quæ non fiunt amore cœleſtis Hieruſalem, adhærẽt diabolo: & per illa meremur ſupplicium. Et ideo nota quòd triplex eſt adhæſio qua adhæremus diabolo: ſcilicet adhæſio carnalitatis & luxuriæ, cupiditatis & auaritiæ, præſumptionis & ſuperbiæ. Vide in dictionario, litera Adhærere.

*Adhæſio mala triplex.*

## 2414 Si non propoſuero tui Hieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

Hîc oſtendit quòd cœleſtis gloria omnibus bonis eſt præponenda. Non enim ſufficit recordari gloriæ cœleſtis, niſi debitus modus recordationis obſeruetur. Nam aliqua recordãtur cum odio, aliqua cum amore, aliqua cum triſtitia, aliqua cũ delectatione, & aliqua cum delectatione maiori, & aliqua cum minori. Delectatio autem vera, in vero bono conſiſtit. Cùm ergo gloria cœleſtis Hieruſalem omnia vera bona contineat & ſumma bona, & omnia penitus mala excludat: hinc eſt quòd eius memoria plus & ſuper cætera bona mentem debet lætificare. Et hoc eſt quod ait, *Si non propoſuero tui* &c. ſubaudi, *obliuiſcatur me dextera mea.* Vnde Aug. Parum eſt meminiſſe Hieruſalẽ: Sed vide quomodo memineris. Quædam enim cum odio meminimus: quædam cũ amore. Cùm ergo dixiſſet, *Si oblitus fuero tui Hieruſalẽ, obliuiſcatur me dextera mea: adhæreat lingua mea* &c. ſtatim adiunxit, *Si non propoſuero tui Hieruſalẽ in principio lætitiæ meæ.* Ibi enim eſt ſumma iocũditas, vbi Deo fruimur, vbi fraternitate cohærẽte & ciuica ſocietate ſecuri ſumus. Nullus ibi nos violabit tentator: nihil ibi delectat, niſi bonũ. Morietur ibi omnis neceſſitas: orietur ibi ſumma felicitas. Ergo meritò in principio noſtræ lætitiæ eſt præponẽda. Et nota quòd vera lætitia iuſtorum conſiſtit in tribus: inter quę lætitia cœleſtis Hieruſalem eſt præponẽda. Eſt enim lætitia iuſtorũ. Primò de Dei bonitate, qua Deum cogitant bonum infinitum, omnibus paratum in præmium. Vnde Pſalm. 31, Lætamini iuſti in domino, & gloriamini omnes recti corde. Cor enim iuſti dum lætatur in Deo, ampliatur: ſicut cõſtringitur triſtitia. Sic enim formaliter cor diſponitur, quòd pars ſuperior eſt ampla, ſed inferior ſtricta: quia de lætitia boni ſuperioris dilatatur, ſed de lætitia boni inferioris cõſtringitur: quia omnia bona inferiora plus de anxietate & triſtitia continent, quàm de lætitia. Et hinc eſt quòd iuſti vt communiter ſunt læti: quia lætantur de vero bono, quòd nihil triſte habet annexum. Vnde Pſal. 149, Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum. Secundò lætatur de ſuæ conſcientiæ puritate: propter quod dicitur Eccl. 3, Cognoui quòd nõ eſſet, niſi lætari & facere bonum in vita ſua. Sicut enim peccator peccatis oppreſſus nũquam veram habet lætitiam: ſic econtrario iuſtus à peccato alienus, ſemper gaudet lætitia vera. Vnde Gregor. exponit illud Iob 30, Sub ſentibus delicias eſſe cõputabant: dicens, Quia mali peccatorum delectationibus preſſi, ex affectu vitæ præſentis, quàm ſint aſpera quæ patiuntur ignorant. Lætantur itaque, ſed ſub ſentibus: quia rebus quidem temporalibus gaudent, ſed tamen dum diſpẽſare ſine tribulatione eadem temporalia non valent: eo iure punguntur miſeri, quo ſub ſentibus premuntur. Et hoc ipſum delicias æſtimant: quia & dura quidẽ ex præſentis vitæ amore tolerant: & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiuſdem tolerantiæ voluptatem putant &c. Sic ergo per oppoſitũ iuſti veram habent lætitiam, dum puritate mentis fruũtur. Propter quod Pſalm. diuina inſignitus gratia, dicit, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine: dediſti lætitiam in corde meo. Tertiò lætantur de proximorum proſperitate. vnde Pſal. 47, Lætetur mons Sion. Sion enim ſpecula interpretatur: ſpecula autem eſt locus altus per cõtemptum terrenorum, & aptus ad contemplandum remota, per conſiderationem futurorum bonorum. In illo autem mõte debet eſſe lætitia & quies. In cacumine altiſſimorum montium non fiunt perturbationes ventorum & inundationes aquarũ: ſed ibi eſt quies & ſecuritas. Et eodem modo eſt in monte: id eſt in mente viri iuſti. Quia mens ſapientis eſt ſicut cœlũ ſupra ſphæram lunæ, vbi non ſunt peregrinæ impreſſiones: quia cum ſuis proximis cõcordiam habet, & de ipſorum proſperitate lætatur. Peccatores à proximis diuiſi patiuntur alienationem mentis. Vnde quilibet iuſtus ſuo proximo dicere poteſt illud, 1. Reg. 2, Lætata ſunt in ſalutari tuo. Inter iſtas tres veras lætitias prima, quæ eſt de Dei bonitate, cæteris eſt præponenda: quia cæteræ duæ ad ipſam referuntur ſicut ad finem: ſicut & dilectio proximi & etiam ſuiipſius ad dilectionem Dei terminatur. Et ſic illa ſancta mulier Heſter omnem ſuam lætitiam ad Deum referebat: dicens, Tu ſcis domine quòd nunquã lætata eſt ancilla tua, niſi in te Deus. Sic ergo lætitiam de Deo cæteris præponendam oſtendit Pſal. dicens, *Si non propoſuero tui in principio lætitiæ meæ.*

*Gloria cœleſtis omne bonũ cõtinet: & nullum malũ.*

*Lætitia vera cõſiſtit in tribus.*

*Lætitiã verã mali non habent.*

*Gregor. 20. moral. cap. 15.*

*Pſalm. 4.*

*Heſter 14.*

## Memor eſto domine filiorũ Edom, in die Hieruſalem. 2415

Hæc eſt ſecunda pars, in qua monet pro malis Deum exorare: vel (vt clarius dicam) contra malos. Et quatuor facit: quia primò contra malos Dei poſtulat iuſtitiam: ſecundò malorum explicat malitiam: ibi, *Qui dicunt*: tertiò ipſorum oſtendit miſeriam: ibi, *Filia*: quartò beatorum concludit lætitiam: ibi, *Beatus*. Quãtum ad primum, ſciendũ quòd Edom ipſe eſt Eſau frater Iacob: qui vocatus fuit Edom propter cibum lentis rubrum, quem coxerat frater ſuus minor, ſcilicet Iacob: quem Eſau videns concupiuit, & pro illo habendo dedit ipſi Iacob primogenita ſua: id eſt iura primogenituræ: quia ipſe Eſau quamuis ſimul cum fratre ſuo Iacob eſſet in vtero matris, tamen ipſe Eſau primò exiuit: & ſic ad illum ſpectabant primogenita, ſcilicet patris hæreditas. Tamen ex pacto ſic conuenerunt, quòd Iacob daret illi cibum lentis quem coxerat: & Eſau dabat illi omnia iura primogenituræ. Et ſic factum eſt vt conuentione ipſorum maior, ſcilicet Eſau, ſeruiuit minori: vt habetur Geneſ. 25. Ab illo ergo cibo lẽtis ruffo vocatus eſt Eſau Edom: id eſt ruffus. Ex iſto ergo nati vocati ſunt Idumæi: qui ſicut ipſe Edom inimicabatur ipſi Iacob, ſic & filij Edom: ſcilicet Idumæi inimicabantur filiis Iacob, ſcilicet populo Iſrael. Et maximè in duobus oſtenderunt inimicitias cõtra filios Iſrael: ſcilicet in deſtructione ciuitatis Hieruſalem, quia quando rex Babylonis venit contra Hieruſalẽ, ipſi Idumæi cõiunxerunt ſe illi, & ſimul cum rege Babylonis captam ciuitatem Hieruſalem funditus euerterũt & templum. Secundò quando finito tempore captiuitatis Babylonicę rex Cyrus remiſit Iudæos, dãs eis liberam poteſtatem reędificãdi Hieruſalem, ipſi Idumæi quantum potuerunt impedierũt Iudæos,

*Edom dictus eſt Eſau, & quare.*

*Filij Edom inimicierant filiis Iſrael.*



ne ipſam ciuitatem reædificarent. Iſtorum ergo iniurias futuras tunc præuidẽs Pſal. diuinam poſtulat iuſtitiam qua puniantur: dicens, *Memor eſto domine filiorum* &c. Vnde hic ait Gl. Filij Edom, id eſt, Idumæi, in deſtructione Hieruſalem fuerunt coniuncti Babyloniis: ac etiam fuerunt impedimento Iudæis reædificantibus Hieruſalem poſt reditum de Babylonia. Eſt ergo ſenſus literalis iſtius verſus, *Memor eſto domine filiorum Edom.*: id eſt puni eos, pro eo, quod fecerunt in die Hieruſalem, id eſt in die qua cum Babyloniis euerterunt Hieruſalem. Vel in die Hieruſalem, id eſt in die qua impediuerunt reædificationem Hieruſalem. Vel aliter, & magis ad ſenſum propheticum. Per Edom & Hieruſalem duos populos intelligit: ſcilicet Iudæorũ & Chriſtianorũ. Edom prior natu eſt populus Iudæorum: ſed populus Chriſtianorum poſterior eſt: quia primò Iudæi, poſtea Chriſtiani fuerunt. Vnde ſicut Edom maior filius factus fuit ſeruus minoris: ſic Iudæi maiores natu, facti ſunt ſerui Chriſtianorũ. Vnde hic Auguſt. ait, Iacob & Eſau duo erant in vtero fratres, filij Rebeccæ & Iſaac. nati ſunt ambo: vnus ad hæreditatem: alius ad exhæredationẽ. Fuit autem hoſtis fratris ſui iſte Eſau: quia præuenit benedictionem eius filius minor. Et impletum eſt quod dictum eſt, Maior ſeruiet minori. Maior erat populus Iudæorũ: & minor ex tempore Chriſtianorum populus. Et videte quomodo maior ſeruiet minori. Illi portãt codices: nos viuimus ex codicibus ipſorum. Eſt ergo ſenſus: *Memor eſto domine filiorum Edom*, id eſt populi maiori natu: ſcilicet Iudæorum. Et hoc in die Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis: id eſt in die qua viſionem pacis dabis populo minori: ſcilicet Chriſtianorum. Vel per Edom priorem natu, intellige omnes carnales: per Iacob verò minorem intellige ſpirituales: quia prior eſt carnalis, poſtea ſpiritualis. Et tũc exponitur vt ſtatim expoſitum eſt.

*Rom. 9.*

*Geneſ. 26.*

## 2416 Qui dicunt exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.

Hîc explicat ipſorum crudelem malitiam. Vbi ſciendum quòd ſecundum grammaticos, inanio, is, idem eſt quod inane aliquid facere, annihilare, euacuare, deprimere vel diminuere. Et componitur cum ex, & fit exinanio, inis: id eſt valde annihilare, deprimere &c. Vnde & Apoſtolus de Chriſto dicit, quòd exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens: id eſt ex miſericordia ſua quoddam inane aſſumpſit: ſcilicet formam ſerui, ſcilicet naturã humanam: quæ eſt quoddam inane, reſpectu deitatis. Ad propoſitum ergo: quando filij Edom erãt coniuncti Babyloniis in deſtructione Hieruſalem, hortabantur Babylonios vt ipſam ciuitatem funditus deſtruerent: dicentes, *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea*: id eſt etiam fundamenta eius euertite & diſſipate. Myſticè autem filij Edom, vt dictum eſt in præcedẽti verſiculo, ſunt omnes mali & carnales, qui ciuitatem Hieruſalem, id eſt omnes bonos qui ſunt ciues Hieruſalem, conãtur exterminare, & eccleſiam ad nihilũ redigere: & præcipuè eius fundamenta exinanire. Fundamentum Hieruſalem eſt Chriſtus: fundamẽta ſunt Apoſtoli: dicente nobis Apoſtolo. Ædificati eſtis ſupra fundamentum Apoſtolorum. Et iſti fundamentum, quod eſt Chriſtus, conati ſunt exinanire, ipſum morti tradentes: fundamenta Apoſtolorum ipſorũ perſequentes. Hoc eſt ergo quod filij Edom, id eſt mali & carnales, vel ipſi Iudæi de eccleſia primitiua dicunt, *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Et attende quòd fundamentum in ſingulari ſignificat Chriſtum: ſed fundamẽta in plurali ſignificant Apoſtolos: & tam fundamẽtum quàm fundamẽta Iudæi conati ſunt exterminare. Vnde quòd fundamẽta Hieruſalem ſint Apoſtoli, & fundamẽtum ſit Chriſtus, oſtendit Gregor. dicens, In ſcriptura ſacra quid aliud fundamentum, quàm prædicatores accipimus? quos dum primos in ſancta eccleſia dominus poſuit, tota in eis ſequẽtis fabricæ ſtructura ſurrexit? Vnde & ſacerdos cum tabernaculum ingreditur, duodecim lapides portare in pectore iubetur. Quia videlicet ſemetipſum pro nobis ſacrificium offerens põtifex noſter, dum fortes in ipſo exordio prædicatores exhibuit: duodecim lapides ſub capite in prima ſui corporis parte portauit. Sancti itaq; Apoſtoli, & pro prima oſtenſione ornamẽti, lapides ſunt in pectore: & pro prima ſoliditate ædificij in ſolo fundamẽto. Vnde Dauid propheta cum ſanctam eccleſiam in ſublimibus Apoſtolorum montibus poni ædificariq; cõſpiceret, dixit, Fundamenta eius in montibus ſanctis. Cùm verò in ſacro eloquio fundamentum in ſingulari ponitur, nullus alius niſi ipſe dominus deſignatur: per cuius diuinitatis potentiam nutãtia infirmitatis noſtræ corda ſolidantur: de quo & Paulus ait, Fundamentum nemo aliud ponere poteſt præter id quod poſitũ eſt, Chriſtus Ieſus. Ipſe quippe fundamentum fundamẽtorum eſt: quia & origo eſt inchoantium, & conſtantia robuſtorum. Iſtud ergo eſt illud fundamentum eccleſiæ, quod Iudæi conabantur exinanire: etiã quando poſt eius mortem & reſurrectionem Apoſtolis mandauerũt, ne in nomine Ieſu Chriſti poſſent populo prædicare. Quod præuidens Pſalm. dicit, Qui dicũt, (ſcilicet ſuis miniſtris) *Exinanite, exinanite vſque ad fundamẽtum in ea.* Vel aliter: iſtũ paſſum exponit Greg. de chriſtianis qui firmiter credunt: ſed malè viuũt, quia malè viuendo etiam fundamentum fidei perdunt. Vnde ait, Nonnulli fidem medullitus tenent: ſed moribus inſequuntur quod crudelitate venerantur. Quibus diuino iudicio ſæpe contingit vt per hoc quod nequiter viuũt, & illud perdãt quod ſalubriter credũt. Inceſſanter namq; prauis actionibus ſe polluunt, & ſuper hoc vindictam iuſti iudicij retribui poſſe diffidunt. Et ſæpe cum bene viuere negligunt, etiam perſequente nullo, vſque ad perfidiam delabuntur. Nam qui imminere diſtrictum iudicium non credunt: qui inultè ſe peccare ſuſpicantur, quo pacto vel eſſe vel dici fideles poſſunt? Fidẽ quippe perdidiſſe eſt in incorrectis malis operibus digna ſupplicia reddi poſſe non credere. Quia ergo digna fidei opera ſeruare contemnunt: etiam fidem perdunt quam tenere videbantur. Super quos bene per Pſalm. ſub Hieruſalẽ ſpecie inimicorum deſtruentium verba memorantur: à quibus dicitur, *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Paulus namq; ait, Fundamẽtum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus. Inimici ergo deſtruentes vſque ad fundamentum Hieruſalẽ exinaniunt, quando perverſi ſpiritus à corde fidelium, deſtructo priùs ædificio boni operis, ſoliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim ſupra fundamẽtum fabrica, ſic ſupra fidem opera conſtruuntur. Vſque ad fundamentum ergo exinaniſſe, eſt euerſo bene viuendi opere, ei robur fidei diſſipaſſe.

*Exinanire quid eſt.*

*Philip. 2.*

*Epheſ. 2.*

*Fundamentũ dicitur Chriſtus.*

*Fundamenta dicuntur apoſtoli.*

*Gregor. 28. moral. cap. 9.*

*Exod. 8.*

*Pſal. 86.*

*1. Cor. 3.*

*Fidem perdit mala vita.*

*Gregor. 25. moral. c. 15.*

*1. Cor. 3.*

Filia

2417 **Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuã, quam retribuiſti nobis.**

Hîc oſtendit malorum miſeriam. Vbi aduerte quòd ſicut eccleſia quandoque dicta eſt Hieruſalẽ: quandoque filia Hieruſalem: quandoq; Sion: quãdoque filia Sion: quia propter generationem dicitur mater, ſed propter ſucceſſionẽ dicitur filia. Sic & congregatio malorum quandoque dicitur Babylonia, quia ipſa ſcilicet alios malos vt mater generat & nutrit: quandoque verò dicitur filia Babyloniæ: quia ſcilicet à malis generatur & nutritur. Sic ergo malorum congregationem hic filiam Babylonis nominat: quam miſeram vocat, dicens, *Filia Babylonis miſera*. Eſt ergo filia Babylonis malorũ congregatio ex confuſione viciorum genita: quæ ſcilicet ſolum temporalia & voluptates in temporibus quærunt, in quibus multas patiuntur miſerias. Quia non eſt aliqua temporalis voluptas, in qua ſi bene aduertatur, non ſit maior miſeria & anxietas, quàm delectatio. Cum ergo à maiori fiat dominatio, ipſius filia Babylonis etiam quãdo eſt in flore ſuæ voluptatis, non beata, ſed miſera debet nuncupari. Ad videndum autem quanta ſit miſeria etiam in voluptate Babyloniæ admixta, eſt cõſiderandum quòd multiplex eſt miſeria: quæ omnis in felicitate filiæ Babylonis reperitur. Primò enim eſt miſeria naturæ: quia natura noſtra ſtatim orta miſeriis eſt plena. Iob 14, Homo natus de muliere repletur multis miſeriis. Quod maximè verificatur de filiis Babylonis, quia, vt dicit ibidẽ Gregor. ſcilicet 11, moral. 26. Si enim ſubtiliter conſideretur omne quod hic agitur, pœna & miſeria eſt. Ipſi corruptioni carnis ſeruire ad neceſſaria atque conceſſa miſeria eſt: vt contra frigus veſtimenta, cõtra famem alimenta, contra æſtum frigora requirantur. Quòd multa cautela cuſtoditur ſalus corporis, ꝙ etiam cuſtodita amittitur, & amiſſa cum graui labore reparatur. Et tamẽ reparata ſemper in dubio eſt. Quid hoc aliud, quàm mortalis vitę miſeria eſt? Quòd amamus amicos, ſuſpecti ne offendi valeãt: formidamus inimicos, atque de eis ſecuri non ſumus vtiq; quos formidamus. Quòd plerunq; inimicis ſic fidenter quaſi amicis loquimur: ꝙ amiſſa cœleſti patria, homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare diſſimulat: quòd priuatus eſt interno lumine: & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatẽ ſuam. Quid hoc aliud quàm miſeria eſt? Et certum eſt quòd tales miſerias ampliores filia Babylonis patitur, quàm Hieruſalẽ ciues: propter quod de malis dicitur, In miſeriis nõ ſubſiſtent. Secundò eſt miſeria culpæ: quia ipſum peccatum miſeram facit animam: Prouerb. 14, Miſeros facit peccatum populos. Et hæc miſeria conſiſtit in multis: quia ipſum peccatum peccatorẽ annihilat. Ezech. 28, Nihil factus eſt. Quia peccatum eſt nihil, & nihil fiunt homines cum peccant: quia ſcilicet à vero eſſe elongantur, vt ait Auguſt. ſuper Ioan. Quia ſemper arguit: ſcilicet verme conſcientiæ. Hierem. 3, Arguet te malitia tua &c. Quia gratia Dei priuat: Hierem. 5, Peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis. Tertiò miſeria pœnæ, nõ ſolùm temporalis, ſed etiam æternæ: Soph. 1, Dies illa dies iræ, calamitatis & miſeriæ &c. Et talis miſeria ſolũ filiabus Babylonis cõpetit. Propter quod verè ait Pſalm. *Filia Babylonis miſera*. Sequitur, *Beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuiſti nobis.*

*Miſeria multiplex: ſcilicet naturæ, culpæ & pœnæ.*

Quod ſic intelligendum eſt. Babylonia enim (ſcilicet mundi cõfuſio) nos paruulos ducit ad malum: quia mali parentes ſuis exemplis docent ſuos natos facere mala quæ ipſi faciunt. Hæc eſt ergo retributio quam nobis tribuit filia Babylonis. Sed beatus qui eandem retributionem, ſcilicet modo oppoſito ſuis natis, ſuis cogitationibus retribuet? vt ſcilicet eas à malo retrahat, & ad bonum reducat. quod maximè in ſequẽti verſiculo declaratur, cum dicitur, *Beatus qui tenebit* &c. Vnde hic ait Aug. *Beatus qui retribuet tibi retributionem* &c. Illam dicit infelicem: beatus autem qui retribuet ei retributionem, quam retribuit nobis. Quærimus quam retributionem? Beatus (inquit) qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram: ipſa eſt retributio. Quando enim nati ſumus, paruos nos inuenit Babylon iſta, confuſio ſæculi huius: & ſuffocauit nos diuerſis erroribus adhuc infantes & vanis oppoſitionibus. Natus (inquam) infans: ſed futurus ciuis Hieruſalẽ, & in prædeſtinatione Dei iam ciuis, ſed interim captiuus ad tẽpus. Quid enim natus puer diſcet amare, niſi quòd inſuſurrauerunt parentes? Inſtruunt, & docent illum auaritiam, rapinas, mẽdacia quotidiana, diuerſas culturas idolorum, & dæmoniorum remedia, illicita præcantationum & ligaturarum. Quid facturus eſt adhuc infans, anima tenera, attendẽs ad maiores, quid agãt, vt quod eos viderit facere, hoc ſequatur? Sic ergo Babylonia perſecuta eſt paruulos tuos. Sed Deus dedit nobis agnitionem ſuam iam grandibus: vt non ſequeremur errores parentum noſtrorum. Hæc eſt ergo retributio quam eis retribuemus: vt ſicut Babylonia paruulos noſtros ſuis malis exẽplis alliſit, ſic & nos paruulos ſuos elidamus & occidamus. Qui ſunt paruuli Babylonis? Certè naſcentes malæ cogitationes & cupiditates. Quãdo enim naſcitur cupiditas, antequam robur faciat aduerſum te mala cõſuetudo, paruula eſt. Ne ergo cupiditas nequã prauæ cõſuetudinis robur accipiat, elide illam. Ad petram elide: petra autẽ erat Chriſtus &c. Hæc eſt ergo retributio, quam Babyloniæ debemus retribuere: ſcilicet vt ſicut illa paruulos ſuos nutrit ad malũ: ſic & nos paruulos ſuos (id eſt vanas cogitationes) elidamus ad Chriſtum. Et hoc eſt quod ſequitur, *Beatus qui tenebit* &c. Vel aliter, & clarius, ſecundum gl. Filia Babylonis eſt caro, quę confuſionem peccatorum ingerit, cui digna retributio vel recompenſatio datur: vt ſicut ipſa concitat ad vitia, ſic ipſa repreſſa ſubdatur virtutibus.

*Filij ſequuntur mores parentum.*

**Beatus qui tenebit, & elidet paruulos ſuos ad petram.** 2418

Hîc concludit bonorũ regulam. Sentẽtia enim iſtius verſus ſatis patet ex dictis in præcedẽti. Nota tamẽ quòd lædo lædis cõponitur cũ e, quod eſt extra: & fit elido, dis, e mutata in i: & eſt elidere idem quod valde vel extra lædere. Et ſic propriè eliditur quis, cum valde vel extra læditur. Cum igitur vitia ſint extranea à natura: cũ vitioſus percutitur vel inſtruitur vt in ipſo vitia pereãt: tũc propriè eliditur, quia licet in exterioribus (ſcilicet vitiis) percutitur, intus tamẽ reformatur. Sic ergo paruulos ad petrã elidere eſt cupiditates malas, petræ (id eſt Chriſti exemplo) à mẽte necare vel ſeparare. Vel paruulos ſuos ad petrã elidere eſt omnes motus carnales ꝓpter Chriſtũ pœnitẽtia percutere & refrænare: vel omnes ſuas cogitationes ad chriſtum petrã referre.





# PSALM. CXXXVII.

2419 **Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti verba oris mei.**

Titulus iſtius Pſalm. eſt Pſalmus ipſi Dauid. Ex titulo apparet quis auctor fuerit Pſalm. quia Dauid. Materia autẽ ex titulo non apparet. Sed ſecundum doctores hic Pſal. eſt quædam gratiarũ actio, quantum ad literam: quam fecit Dauid Deo poſtquam liberatus fuit à perſecutione Abſalõ filij ſui, & in regnũ ſuũ liberè reſtitutus eſt. Sic enim Dauid cum fugeret à facie Abſalom filij ſui, Deo promiſerat ſe poſt liberationem facturum. Nam vt habetur 2. Reg. 15, cum Dauid fugeret, Sadoch ſacerdos ipſum ſequebatur, portans arcam domini. Cui dixit Dauid, Reporta arcam Dei in vrbem. Si inuenero gratiam in oculis domini, reducet me: & oſtẽdet eam mihi in tabernaculum ſuum. Si autem dixerit, Non places mihi: præſtò ſum, quod bonũ eſt faciat. Sic ergo poſtquam fuit in pace reductus, fecit quod promiſerat: perrexit ad tabernaculũ domini ante arcam fœderis, & gratias agens de ſua liberatione: ibi iſtum Pſalm. fecit, & dixit. Et ſecundum iſtum modum Pſal. iſte diuiditur in duas partes: quia primò Dauid de ſua liberatione Deo gratias agit: ſecundò ad ſimile alios reges inducit: ibi, *Confiteantur tibi domine* & c. dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum, hic Pſalm. eſt debita gratiarum actio: quam Deo faciũt fideles, qui priùs ſuper flumina Babylonis ſtabant & flebãt. Nunc autem de medio Babylonis liberati, & illi parti cõciues effecti, quæ captiuata non fuerat, ſcilicet angelis, Deo gratias reddũt. Dicit ergo titulus, ipſi Dauid. Per Dauid enim Chriſtus intelligitur: vt ſępius fuit dictum. Et eſt ſenſus, ipſi Dauid (id eſt ipſi Chriſto) totus iſte Pſalm. dirigitur. Nõ enim hic titulus indicat nobis materiam de qua agit Pſal. ſed tantùm cui cãtatur indicat. Quid autem agatur in toto Pſalm. primus verſus annunciat. Intẽtionem autem monet ad laudem Dei. Quibus viſis, accedo ad Pſalmi diuiſionẽ. Diuiditur ergo in partes duas: quia primò oſtendit Dei beneficia ſibi collata: ſecundò oſtendit illa omnibus eſſe communia: ibi, *Confiteantur tibi*. Prima in duas: quia primò gratias ſe Deo acturum promittit: ſecundò modum gratiarum apponit: ibi, *In conſpectu*. Quãtum ad primum, vide primam partem iſtius verſus ſuperius expoſitam, verſic. 91. 1976. Notandũ etiam quòd cõfeſſio eſt duplex: confeſſio peccatorum, & confeſſio laudis. Quod hic oſtendit Auguſt. dicens, *Cõfitebor tibi* &c. Confeſſio in ſcripturis duobus modis dici ſolet. Quia eſt confeſſio peccatorum, & eſt confeſſio laudis. Sed peccatorum cõfeſſionem omnes nouerunt: laudis autem pauci aduertunt. Nam ita nota eſt confeſſio peccatorum, vt in quocũq; loco ſcripturarum auditum fuerit, Cõfitebor tibi domine, aut confitebimur: continuò iam conſuetudo ſit de confeſſione peccatorum intelligendi, vt continuò manus currat ad pectus tundendum: vſque adeo non ſolent homines intelligere confeſſionem eſſe, niſi peccatorum. Sed nũquid & ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus peccator fuit, qui ait in euãgelio, Confiteor tibi domine pater cœli & terræ? Secutus enim ait quid cõfiteretur, vt intelligeremus confeſſionem iſtam laudis eſſe, nõ iniquitatis. Cõfiteor (inquit) tibi domine pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Laudauit Deum, laudauit patrem: quia nõ deſpicit humiles, ſed deſpicit ſuperbos. Et talem confeſſionem hic audituri ſumus: cũ Pſalm. dicit, *Confitebor tibi*. Vel nota quòd triplex eſt confeſſio: vide verſic. 81. De confeſſione laudis, vide verſic. 250. 806. 1236. Sequitur, *In toto corde meo*. Quid ſit in toto corde Deo confiteri, vide verſic. 1468. Vel aliter: In præſenti vita ſicut præceptum quo præcipimur Deum diligere toto corde &c. nõ poteſt perfectè impleri propter corpus corruptibile quod aggrauat animam: vt oſtendit Magiſter lib. 3. diſt. 37. ſic nec Deo toto corde confiteri. Sed hoc faciemus in patria, vbi totum cor igne diuini amoris erit ſuccenſum. Et hoc eſt quod Pſalm. non dicit de præſenti Confiteor, ſed de futuro: *Confitebor tibi domine in toto corde meo*. Vnde hic ait Auguſt. *Cõfitebor tibi domine in toto corde meo*: id eſt totũ cor meũ in aram tuæ confeſſionis imponam: holocauſtum laudis offeram tibi. Holocauſtum enim dicitur ſacrificium, vbi totum incẽditur. Totum cor meum flamma tui amoris accendet: nihil in me relinquetur mihi &c. Sequitur, *Quoniam audiſti verba oris mei*. Vbi nota quòd duplex eſt os: ſcilicet corporis & cordis: vide verſic. 2292. Hic autẽ loquitur de ore cordis, cui propè eſt dominus. Nã nihil cor noſtrũ longè facit eſſe à Deo, niſi iniquitas. In corde enim habemus vocem quam Deus exaudit, quam auris humana non nouit. Quid eſt ergo Deũ audire verba oris noſtri: niſi Deũ exaudire noſtri cordis deſideria? Quia ergo deſiderium ſuũ iuſtis dabitur: ſcilicet in pœnitentia: (vt dicitur Prouerb. 10.) ideo quilibet beatus ſecurè Deo dicet, Audiſti verba oris mei.

*Confeſſio duplex: ſcilicet laudis & peccatorum.*

*Matth. 11.*

**In conſpectu angelorum pſallam tibi: adorabo ad tẽplum ſanctum tuũ, & confitebor nomini tuo.** 2420

Hîc oſtẽdit modum laudis, ſiue gratiarũ actionis. Et diuiditur in partes tres: quia ponit primò laudis formam: ſecundò laudis materiam: ibi, *Super miſericordia*: tertiò laudis fructum: ibi, *In quacunque die*. Quantum ad primum, ſciendũ quòd ſolus mũdus & purus Deum dignè laudare poteſt. Quoniã vt dicitur Eccleſ. 15, Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et ideo qui Deum dignè vult laudare, vel ſibi cõfiteri, puritatem angelorum ſibi proponere debet pro forma, & illam imitari: vt dicat, *In conſpectu angelorum pſallam tibi*: vt ſit ſenſus, ſecũdum gl. In te laudando propono mihi angelos vt imiter eos: id eſt, in te à puritate qua te angeli conſpiciunt & laudant: ſcilicet vt in te ſolo ſibi acquieſcãt, ego pſallam tibi. Vel aliter. Nam pſallere eſt actus quidam læticiæ. Læticia autẽ eſt duplex: ſcilicet quædam de cœleſtibus & ſupremis: quædam autem de viſibilibus & mundanis. Gaudet ergo coram mũdo, qui in terrenis lętatur. Gaudet corã angelis qui in cœleſtibus ſolũ gaudiũ ponit. Et iſtũ intellectũ hic ponit Auguſt. dicens, *In conſpectu angelorum pſallam tibi*: nõ coram hominibus pſallam, ſed corã angelis. Nam pſalterium meum, gaudium meum. Si gaudium meũ ſit de inferioribus, corã hominibus eſt: ſi de ſuperioribus, coram angelis eſt. Non enim nouit impius gaudium iuſti. Non eſt impii gaudere, dicit dominus. Gaudet iniquus in pompa: gaudet martyr in catena. Gaudet martyr cũ tene-

*Laudat Deũ ſolũ mundus.*

*Laudat Deũ corã angelis qui gaudet de cœleſtibus.*

*Eſaia 48.*

tur,cum in carcere mittitur,cum ligatus producitur,cum in catasta leuatur,cum damnatur, cũ flagellatur.In omnibus his gaudet, & hic coram angelis gaudet,corã angelis pſallit.Vel aliter,per hoc vult oſtendere quòd ad laudem cõditoris etiã homines aſſumũtur cum beatis angelis: vt ſit ſenſus, *In conſpectu angelorum pſallam tibi:*id eſt ſimul cum angelis. Et hoc oſtendit Gregor.ſuper illo verbo Iob 38,Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina &c. dicens,Quia enim primo in tempore cõdita natura rationabilium ſpirituum creditur,non immeritò matutina aſtra angeli vocantur. Vnde matutina aſtra ſimul cum veſpertinis redemptoris potẽtiam laudant,dum electi angeli etiam cum redemptis in fine mundi hominibus largitatem gratiæ ſupernæ glorificãt.Ipſi quippe angeli, vt nos ad laudẽ conditoris accenderẽt,orta per carnem luce clamauerũt,Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.Simul ergo nobiſcũ laudant, quia redẽptioni noſtræ voces ſuæ exultationis accommodant. Simul ergo laudant,quia dũ nos cõſpiciunt recipi, hoſtium ſuorum gaudent numerũ reparari. Qui & fortaſſe aſtra matutina memorantur:quia ſæpe ad exhortandos homines miſſi ſunt: & dum venturum mane nunciãt,ab humanis cordibus præſentis vitæ tenebras fugant.Sed ecce,angeli diuinam potentiam laudant, quia ipſa eos tãtæ claritatis viſio delectat. Nos autem qui redimimur, ſed tamen corruptione carnis adhuc grauamur:donum quod percipimus,qua virtute laudamus?Quomodo enim valebit lingua dicere, quod non ſufficit mens noſtra ſentire?&c.Vel aliter, per hoc vult Pſalmiſta omnes Deum laudantes ad deuotionẽ adducere:per hoc oſtendens quòd noſtris laudibus ſemper angeli præſentes exiſtãt: & maximè illi qui ad cuſtodiã nobis ſunt deputati. Quaſi dicat, Si in cõſpectu alicuius hominis quis peccare cauet,verecundiã timens:quanto magis in præſentia beati angeli ſibi ad cuſtodiam deputati peccare erubeſcere debet? Quod bene notat Bernard. in ſer.de xl.dicens, In quouis loco, in quouis angulo reuerentiam exhibe angelo tuo:ne audeas illo præſente facere, quod me præſente nõ auderes. Hanc ergo angelorum præſentiam notans dicit,*In conſpectu angelorum pſallam tibi,Deus meus.* Sequitur, *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Iſtud templũ ſanctum ad quod eſt orãdum,eſt ipſe Chriſtus,in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: quia de ſeipſo ait,Soluite templũ hoc &c.vide verſic.286.782.Sed templũ in quo debemus adorare, eſt cor noſtrum.Vnde Gl. *Adorabo ad templum ſanctũ tuum:*id eſt in templo ſancto ſuo, ſcilicet in corde: intra enim nos eſt quo adoremus.Vnde Apoſtolus ait, Templum enim ſanctũ Dei eſt quod eſtis vos. *Et cõfitebor nomini tuo:*ſcilicet illi nomini quod Chriſto dedit pater,quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur,cœleſtium, terreſtrium,& infernorum &c.

*Homines cũ angelis ſimul Deũ laudant.*

*Gregor.28. moral.c.14.*

*Lucæ 2.*

*Ioan.2.*

*Philip.2.*

2421 Super miſericordia tua & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.

Hîc oſtendit materiam confeſſionis & laudis: quæ eſt miſericordia & veritas Dei. Quia miſericors eſt ſuos prædeſtinando:verax autem,promiſſa adimplendo. Vel miſericors, gratis peccata remittendo:verax(id eſt iuſtus) obſtinatos condemnando.De hoc vide verſic.354.Vnde & hic Auguſtinus dicit,*Confitebor nomini tuo: & hoc ſuper miſericordia tua & veritate tua.*In duobus iſtis cõfitemur: in tua miſericordia,& in tua veritate. Miſericordia peccatorem reſpexiſti:veritate promiſſionem reddidiſti. In tua ergo miſericordia & veritate cõfitebor tibi. Hoſtiam ergo pro viribus meis reddam. Quæ mihi donaſti cõfiteor: miſericordiam in ſubueniendo,veritatem in iudicando. His enim adiuuamur à domino:his promeremur Deum. Meritò ergo vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas. Non ſunt aliæ viæ quibus ad nos venit: non ſunt aliæ viæ quibus ad eũ veniamus. Vel aliter: vt iſta verba propriè Chriſto dirigantur:qui in redẽptione noſtra vſus eſt maximè miſericordia & veritate. Miſericordia: dum miſericorditer peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum crucis: iuſtitia autem,dum diabolum non poteſtate, ſed iuſtitia voluit vincere. vt oſtendit Magiſter lib.3.diſt. 19. Propter quæ nomen ſuum ſuper omne aliud nomen magnificauit.Ad Philipp.2, Propter quod Deus dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ &c.Et hoc eſt quod hic ſubditur, *Quoniam magnificaſti ſuper omne nomẽ ſanctum tuum:*id eſt propter miſericordiam & iuſtitiam quam feciſti, meruiſti habere nomen ſuper omne nomen magnificatum.Et aduerte quòd propriè in opere noſtræ redemptionis Chriſtus ſuper omne magnificauit nomẽ ſuũ. Vbi ſciendum quòd magnificentia differt à liberalitate. Quia liberalitas reſpicit ſumptus moderatos:magnificentia verò ſumptus magnos. Vnde ſicut liberalitas eſt virtus mediãs inter auaritiam & prodigalitatem:ſic magnificentia eſt virtus mediãs inter paruificentiam & cõſumptionem.In magnis enim ſumptibus,qui ſunt circa magna opera,contingit aliquos deficere:quia non intendũt quomodo magna opera faciant, ſed quomodo in magnis operibus plus expendũt,quàm illa opera requirãt. Et tales vocãtur paruifici.Alij verò in magnis operibus plus expendunt quàm illa opera requirant: & tales vocantur cõſumptores.Alij verò in magnis operibus faciunt ſumptus decentes. Et tales ſunt virtuoſi:& vocãtur magnifici.Iſta autem magnificẽtia circa quatuor maximè operatur: ſcilicet circa Deum,circa communitatem, circa aliquas perſonas in ſpeciali, & circa ſeipſum. Circa quæ omnia operatus eſt Chriſtus magnificè in opere magnifico noſtræ redẽptionis. Primò nanq; magnificus operatur circa diuina. Ideo dicitur 4.Ethicor. ꝙ honorabiles ſumptus quos magnificus debet facere,ſunt circa Deũ. Chriſtus autẽ magnificè operatus fuit circa Deũ, quia factus obediẽs patri vſq; ad mortẽ,mortẽ autẽ crucis. Secundò circa cõmunitatẽ: nam ipſa bona cõmunia quodãmodo diuina ſunt.vt oſtendit Philoſophus,quòd bona communia habent aliquid ſimile Deo. Sic & Chriſtus magnificos ſumpt⁹ fecit circa cõmunitatẽ:quia nõ ſolũ pro vna gẽte redimẽda dedit preciũ ſui ſanguinis,ſed pro omnibus: in cuius figura nõ in angulo orbis,ſed in medio fuit paſſus:dicẽs Pſal. Operatus eſt ſalutẽ in medio terrę:vt ſcilicet ſeipſum omnib⁹ cõicaret ęqualiter,Tertiò circa aliquas ſpeciales ꝑſonas operatur magnificus:ſ.circa perſonas dignas honore, magnifica facit.Sic & Chriſtus perſonas dignas honore tũc maximè honorauit, dum Petro commendauit eccleſiam,Ioanni Mariam. Quartò circa perſonam propriã: quia magnificus in ſeipſo talia operatur,per quæ ab illis magnificatur.Sic & Chriſtus

*Miſericordia & veritas Dei.*

*Quid eſt magnificentia.*

*Chriſtus magnificatus eſt.*



Chriſtus fecit.Quod enim opus poteſt fieri maiori memoria dignũ, quàm quòd pro actualiter perſequentibus & crucifigentibus, patrem exorauit? Vnde hoc opus tantum magnificum circumſtantibus apparuit,vt ad Chriſti orationẽ vltra quinq; milia hominum conuerterentur ad Chriſtum: vt dicit Hieronym.ſuper Matth.Si igitur Chriſtus ſic in omnibus magnificè eſt operatus,quid mirum ſi magnificauit ſuper omne nomen ſanctum ſuum? Et ſic verus Salomon,ſcilicet Chriſtus,magnificatus eſt ſuper omnes reges terræ. Quod præuidens Pſalm.ſibi dicit,*quoniam magnificaſti ſuper omne nomẽ ſanctum tuum.*Vel magnificauit ſuper omne nomen ſanctum ſuum, quando gentes ad fidem nominis Chriſti conuertit. Et non ſolum gentes ſubiecit nomini Chriſti, ſed etiam omnes angelicas virtutes: vt nomine domini Ieſu omne genu flectatur cœleſtium,terreſtrium & infernorum.

*Philip.2.*

2422 In quacunque die inuocauero te, exaudi me:multiplicabis in anima mea virtutem.

Hîc oſtendit fructum & vtilitatem confeſſionis & laudis diuinę: quia per illã & vota noſtra exaudiuntur,& in nobis virtus multiplicatur. Vbi notandum quòd aliqui inuocant Deum in die, & aliqui in nocte.Inuocat Deum in nocte peccator obſcurus & cupidus petens terrena:quæ per noctem ſignificantur.Sed in die inuocat iuſtus(qui dies & lucidus dicitur)petens ſolum cœleſtia:quæ per diẽ intelliguntur.Et certũ eſt quòd tales ſemper exaudiuntur,ſaltem ad vtilitatem, etſi non ad votum. vide verſic.291.514.516. Vnde hic ait Auguſt. *In quacũque die inuocauero te* &c.quare?quia iã nõ peto felicitatem terrenam: non fœcũditatem carnalem: non ſalutem temporalem: non inimicorum ſubiectionem,non diuitias,non honores:nihil horũ peto.Ideo quid petat inſinuat:dicens, *Multiplicabis in anima mea virtutem.* Multis namq; modis eſt multiplicatio.Eſt enim multiplicatio terrenę generationis,ſecundum primam benedictionem noſtræ naturæ quam audiuimus,Creſcite & multiplicamini, & replete terram,& dominamini eius. Et iſta planè multiplicatio fructuoſa eſt: & non venit niſi ex benedictione Dei. Iam quid dicam de aliis multiplicationibus?Multiplicatus eſt ille argẽto,ille auro,ille pecore, ille familia, ille poſſeſſionibus, ille his omnibus. Multæ ſunt terrenæ multiplicationes:felicior autem filiorum,quæ etiam hominibus ipſa fœcunditas & multiplicatio quãdoq; moleſta eſt. Timẽt enim ne pauperes relinquãtur,qui multi naſci potuerunt.Sollicitudo pleroſq; ad impietatẽ coegit,vt obliuiſcerẽtur quòd parẽtes eſſent: omniq; affectu humanitatis expoliati,vt exponerẽt filios ſuos,& eos facerẽt alienos:proiiceret quæ peperit,colligeret quæ non peperit: illa cõtemneret, alia diligeret:illa fruſtra mater carne,illa verior voluntate.Cum ergo ſint multæ multiplicationes, & multa multiplicationũ genera, quam multiplicationem quærit iſte qui dicit *Exaudi me*? Audi quid petat.*Multiplicabis in anima mea:*non in carne, ſed in anima.Et ne fortè multiplicatio in anima felicitatem terrenã ſignificet:etenim curæ in anima multiplicantur. Multiplicatus enim videtur in anima: in quo etiam multiplicata ſunt vitia.Ille tantũmodo auarus eſt:ille tantũ ſuperbus eſt:ille tantum luxurioſus. Iſte auarus eſt, ſuperbus & luxurioſus: multiplicatus eſt in anima ſua:ſed malo ſuo. Multiplicatio iſta egeſtatis eſt,non vbertatis. Non talem multiplicationem quærit iſte.Sed dicit *Multiplicabis in anima mea virtutem.*Expreſſit votum ab omni cõfuſione circumciſum:quia,*multiplicabis in anima mea virtutem.*Per hoc autem quòd dicit *virtutem* in ſingulari,& nõ virtutes in plurali:intelligit virtutem charitatis,quæ omnem aliã virtutem cõtinet: ſine qua nulla virtus proficere poteſt.Vel virtutẽ humilitatis,quæ omnium virtutũ eſt ſtabile fundamentũ.Et dicit *multiplicabis virtutem:* quia virtutes creſcunt in nobis, ad ſimilitudinem arborũ quæ creſcunt in terra:vt oſtendit Gregorius.

*Multiplicationis multiplex.*

*Geneſ.1.*

*Gregor.22. moral.cap.8.*

Confiteantur tibi domine omnes reges terræ,quia audierũt omnia verba oris tui. 2423

Hîc oſtendit Dei beneficia omnibus eſſe communia:propter quod ſuo exemplo cæteros ad Dei laudẽ inuitat.Et diuiditur in partes duas:quia primò per Pſalm.omnes ad Dei laudẽ excitãtur:ſecũdò quid in Deo laudare debeant declaratur:ibi, *Et cantent.*Quantũ ad primũ: inuitãdo bonos ad laudẽ Dei,ipſos bonos dicit omnes,& dicit reges.Vocãtur enim boni omnes:quoniã quod nihil eſt,numerũ facere nõ poteſt.Cùm ergo mali propriè aliquid nõ ſint,cũ vero eſſe cõiuncti nõ ſint:ſequitur quòd mali in numero omniũ propriè intelligi non debẽt:iuxta dictũ Auguſt.ſuper Ioan.dicẽtis quòd peccatũ nihil eſt,& nihil fiũt homines cũ peccant. vide verſic.908.970.Cùm ergo dicit Pſalm. *Confiteãtur tibi omnes:*per ly *omnes* ſolùm ſignificat bonos. Ad quod declarandũ ſubdit,*reges.*Solum enim boni reges dicuntur.Rex enim dicitur à rego,gis.Illi ergo ſolum propriè reges dicũtur, qui verè regũt, & principaliter ſeipſos. Ille autẽ ſolum verè regit, qui carnẽ ſpiritui ſubiicit,qui ſpiritũ carni præponit.Eſt ergo ſenſus:*Cõfiteantur tibi domine omnes reges terræ*: id eſt omnes qui carnẽ bene regũt,& ſpiritui ſubdũt:illi tibi cõfitentur,illi te laudãt.Adhuc magis declarãs qui ſint iſti reges terræ:ſubdit, *Qui audierunt omnia verba oris tui.* Audire enim in ſcriptura idẽ eſt quod obedire.Lucæ 11, Beati qui audiunt verbũ Dei.Et ſtatim exponit quid ſit audire verbũ Dei:dicẽs quòd illi audiũt verbũ Dei,qui cuſtodiũt illud.Eſt ergo ſenſus:*Cõfiteantur:* id eſt cõfitẽtur tibi & laudãt te:*omnes reges terræ,*id eſt omnes qui ſeipſos & carnẽ ſuã bene regũt.Et qui ſunt illi,ſubdit dicẽs,*Qui audierũt omnia verba oris tui:*id eſt qui obediunt omnibus verbis & præceptis tuis. Et attẽde gratiæ Dei cõmunicationẽ. Nã ante aduẽtũ Chriſti,verba oris Dei ſolis Iudæis credita erant:ſed per incarnationem Chriſti toti orbi fuerũt prædicata. Quod in vellere Gedeonis ſatis expreſsè fuit figuratũ:vt hic deducit Auguſt.dicens, *Confiteantur tibi domine omnes reges terræ.* Cõfitẽtur tibi,cũ te laudãt: nõ terrena,ſed te deſiderãt. Quid enim reges terræ deſideraturi ſunt de terra,cum iam habeant ipſius terræ imperium?Quicquid aliud deſiderauerit homo in terra, vſque ad imperium terræ, eſt deſiderium eius. Quæ altior in terra dignitas poteſt eſſe? Sed fortaſſe quanto altior, tanto periculoſior eſt. Ideo quanto ſunt in maiori felicitate terrena, tanto magis humiliari Deo debent. Sequitur, *Quoniam audierunt omnia verba oris tui.* Ante enim in ſola gẽte Iudæorum erant omnia verba oris tui. Sed attende illum ſanctum Gedeonem, & vide quale ſignum

*Boni ſolũ numerũ faciũt.*

*Reges dicuntur omnes boni.*

*Audire idẽ eſt quod obedire.*

*Verba Dei prius Iudæis, poſtea toti orbi credita ſũt.*

*Vellus Gedeonis quid ſignificet.*

ſignum petiuit à domino. Ponam(inquit)vellus in area:compluatur vellus,area ſicca ſit.Et ſic factum eſt. Periit rurſus ſignum vt area tota complura eſſet,& ſolum vellus ſiccum remaneret:& ſic factum eſt.Quid vobis videtur,fratres? Area eſt orbis terrarum: gens verò Iudæa in medio orbe terrarum habens gratiæ ſacramentum,non in manifeſtatione,ſed in nube, tanquam in velamento, pluuia in vellere. Sed venit tempus quando reuelaretur pluuia in area:manifeſta eſt,non operta. Et ſic factum eſt quòd dictum eſt,*Confiteantur tibi domine omnes reges terræ,qui audierunt omnia verba oris tui.* Quia quod in Iſrael abſcondebas, expreſſo vellere per orbem exiuit pluuia.Solus Chriſtus ſuauitas eſt pluuiæ.

*Iudicum 6.*

## 2424 Et cantent in viis domini:quoniam magna eſt gloria domini.

Hîc oſtenditur quid Deum laudando cantare debeant.Et hæc ſunt quatuor quæ in Deo laudare debemus: ſcilicet primò excelſam Dei gloriam in præmiatione meritorum:ſecundò veram Dei iuſtitiam in abiectione ſuperborum:ibi, *Quoniam excelſus*: tertiò altam Dei potentiam in liberatione oppreſſorum:ibi,*Si ambulauero*; quartò latam Dei miſericordiam in redemptione captiuorum: ibi, *Dominus retribuet.* Quantum ad primum,ſciendũ quòd multiplex eſt canticum:ſcilicet canticum reuerentiæ,quo Dei laudantur mirabilia:de quo vide verſic.482.Canticum pœnitentiæ, quo expiatur immũdicia:de quo vide verſic.1787. Canticum prædicationis,quo expellitur ignorantia: de quo vide verſic.1643.Canticum charitatis, quo inflammatur anima:de quo vide verſic.1792. Cãticum malitiæ,quo effrænatur ſuperbia: de quo vide verſic. 653.Et eſt canticum lætitiæ, quo Dei recoluntur beneficia. Et de iſto maximè iſte verſus intelligitur.Lætitia enim mẽtis,qua quis gratias Deo agẽs recolit eius beneficia,quidam cantus dicitur. Cuius ratio eſt.Nã inter omnes actus humanos,actus cantandi requirit mẽtem lætam & organorum debitam diſpoſitionem. Vt oſtendit Gregor.dicens, Quilibet peritus cantandi artifex, artem cantandi explere non valet,niſi ad hanc huic miniſteria exteriora concordent. Quia nimirum cãticum quod docta manus imperat, caſſata organa,propriè non reſultant.Nec artem flatus exprimit,ſi fiſtula ſciſſa nimis ſtridet. Ex quibus apparet quòd vt debitè Dei beneficium cãtando recolamus,oportet quòd hoc cum debita mentis exultatione fiat: propter quod dicitur Pſalm.98,Iubilate Deo omnis terra: cantate,exultate & pſallite. In quibus verbis conſidera in cantu gratiarum actionis triplicem lætitiam nobis debitam.Prima eſt lætitia mentis interioris:quæ notatur cùm dicitur, Iubilate. Iubilus enim,ſecundum Gregor.dicitur quando ineffabile gaudium mente concipitur:quod nec abſcondi poteſt,nec ſermonibus aperiri:quamuis quibuſdã vocibus prodatur, quamuis nullis ſenſibus exprimatur.Sicut eccleſia ex natiuitate domini tantum gaudium concipiens,quòd nec tacere valet omnino, nec exterius perfectè oſtendere diuerſis melodiis cantãdo illud conatur exprimere:in nocte natiuitatis domini cantando illum verſiculum,Tanquam ſponſus &c.Et ſic iubilus eſt cantus lætitiæ cordialis: de quo Tob.13, Per omnes vicos eius cantabitur alleluia.Secũda eſt lætitia vocis & oris: cum dicitur,Cãtate,exultate:de qua dicitur,Exultabunt labia mea cum cantauero tibi:Pſal.88, Miſericordias domini inæternum cantabo. Tertia eſt lætitia operis exterioris:cum dicitur,Pſallite. Pſallere enim eſt cum pſalterio canere:quod fit per tactum manus quo ſignificatur operatio. Sic enim dicitur, Cantabo domino qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini domini altiſſimi. Ad propoſitũ ergo,vult oſtendere Pſal.quòd laudando Dei gloriam exultare debemus,cum dicit, *Et cantent in viis domini.* Quaſi dicat,Et exultent pronunciando vias domini.Quæ autem ſunt viæ domini, niſi miſericordia & veritas?Vnde hic ait Auguſt. *Et cantent in viis domini.*In quibus viis? In illis ſcilicet de quibus dictum eſt, Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas.Ament & cantabũt. Nouimus viatores cãtantes. Cantant enim & lætantur, quia peruenire feſtinant.Sed quid cantando dicant,ſequitur,*Quoniam magna eſt gloria domini.* Et verè magna gloria domini, quæ numeroſitate ciuium nõ anguſtatur, fine non terminatur,timore non vexatur. Quid eſt ergo canere *quoniã magna eſt gloria domini*: niſi læto animo ſperare nos ad gloriã dñi pertinere? Quia, vt dicitur Pſalm.149,Gloria hæc eſt omnibus ſanctis. Quid enim eſt gloria mundi reſpectu gloriæ Dei?Certè nihil,niſi quædam vmbra. Vnde Chryſoſt.ſuper Matth. Scis quia bonum eſt gloriari in terris.Per hoc intellige,quòd melius eſt gloriari in cœlis. Quanto enim cœlum clarius eſt quàm terra:tanto glorioſior eſt illa gloria quàm iſta.De magnis enim theſauris bonorum vel malorum,quaſi modicum guſtandum dedit nobis Deus in mũdo: vt ex modico guſtu bonorum vel malorum,verorum bonorum vel malorum plenitudinẽ cognoſcamus. Ex quo apparet quòd bona vitæ præſentis,ſicut gloria,& huiuſmodi,non dantur à Deo in hac vita vt in eis quæramus ſatietatem: ſed ad accendendum appetitum noſtrum reſpectu futuræ gloriæ,qua ſatiabimur: Pſal.16,Satiabor cum apparuerit gloria.Meritò ergo cãtemus, *Quoniam magna eſt gloria domini.*

*Canticũ multiplex.*

*Cantare lætitiæ.*

*Gregor.3. moral. cap 5. in præfatione.*

*Gregor.24. moral.cap.6.*

*Pſal.12.*

## 2425 Quoniam excelſus dominus & humilia reſpicit,& alta à lõgè cognoſcit.

Hîc oſtendit quòd debemus laudare Dei iuſtitiam,quæ abiicit ſuperbos,& humiles recipit.Cõſimilis ſententia habetur verſic.1999: vbi dicitur, Quis ſicut Deus noſter,qui in altis habitat, & humilia reſpicit &c. Excelſus dicitur eſſe dominus, non ſolùm loco quia vbique eſt, totum replet: ſed excelſus eſt,potentia,ſciẽtia,iuſtitia, miſericordia, ſuper omnes deos:vnde Pſal.46, Quoniam dominus excelſus,terribilis, rex magnus ſuper omnem terram. Vnde de Deo dicitur Iob 11, Excelſior eſt cœlo, profundior inferno, longior terra & latior mari.Quod dupliciter exponit Gregor.dicẽs quòd Deus cœlo excelſior:inferno profundior, terra lõgior,maríque latior eſſe deſcribitur:tanto ſpiritualiter debet intelligi, quanto de eo quicquam nefas eſt iuxta corporea lineamenta ſentiri.Sed cœlo dicitur excelſior, quia in circumſcriptione ſui ſpiritus cuncta tranſcendit. Inferno profundior, quia tranſcendendo ſubuehit.Terra longior,quia creaturæ modum perennitate ſuæ æternitatis excedit. Mari latior, quia rerum temporaliũ fluctus ſic regens poſſidet, vt hos ſub omnimoda potentiæ ſuæ præſentia coanguſtãdo circũdet.Cõſequenter alio modo exponit:dicẽs, Quãuis poſſint cœli appellatione angeli,& inferni vocabulo dęmonia deſignari:per

*Excelſus eſt Deus.*

*Gregor.10 moral.c.10.*



ri:per terrã verò homines,ſed per mare peccatores intelligi. Eſt ergo Deus excelſior cœlo, quia ipſi quoque electi ſpiritus viſionem tantæ celſitudinis perfectè non penetrãt.Profundior inferno eſt,quia malignorũ ſpirituũ aſtutias longè ſubtilius quàm ipſi putauerant iudicans damnat. Terra lõgior eſt, quia longanimitatem noſtram patientia diuinæ longanimitatis exuperat:quę & peccantes tolerat, & conuerſos ad præmia remunerationis expectat. Mari eſt latior, quia vbique facta peccantium retributionis ſuæ præſentia occupat: vt & cum non præſens cernitur, præſens per iudicium ſentiatur. Communiter alio modo exponit:dicens, Cuncta tamen hæc ad ſolum hominem referri poſſunt: vt homo ſit cœlum,cùm iam per deſiderium ſummis inhæret. Ipſe infernus, cùm tentationum ſuarum caligine perturbat[9], in infimis iacet.Ipſe terra,quia in bono opere fixæ ſpei vbertate fructificat. Ipſe mare,quia in quibuſdam trepidus quatitur, & aura ſuę mutabilitatis agitatur.Sed Deus eſt excelſior cœlo, quia potentiæ eius magnitudine vincimur, etiam cum ſupra noſmetipſos eleuamur. Inferno profundior eſt: quia nimirum plus indicat quàm ipſe ſe humanus animus in tentatione inueſtigat. Terra longior:quia fructus vitæ quos in fine retribuet, nequaquam nũc vel ſpes noſtra comprehendit.Mari latior,quia humana mens fluctuãs,multa de his quę futura ſunt coniicit:ſed cum iam cernere quę ęſtimauerat cœperit:anguſtatam in ſua ęſtimatione ſe fuiſſe cognoſcit.Excelſior ergo cœlo ſit, cum ipſa in eum noſtra contemplatio &c. Ex quibus patet quàm multipliciter excelſus ſit dominus. Vnde Eſa.6,Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Et hoc eſt quod modò ait Pſal.*Quoniam excelſus dominus*.Sequitur,*Et humilia reſpicit, & alta* &c. Humilia nãque reſpicit oculo miſericordię:ſic & humilitatẽ matris reſpexit,Luc.2, Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuę &c.Qui ergo volunt à Deo reſpici,ſint humiles. Nõ enim hic eſt humana cõditio vbi humilis deſpicitur,& aſpicitur ſuperbus:ſed dominus humiles reſpicit.Si ergo aliqui alti ſunt & ſuperbi, nunquid effugiunt aſpectum Dei: vt non cognoſcantur à Deo? Abſit. Sed quia eos verè cognoſcit, ſed à longè: quia ipſi non ſunt cum Deo. Vnde hic ait Aug.Si qui ſe extulerint in ſuperbiam, nunquid oculos Dei latere poſſunt, vt ſuperbus dicat, Deus humilia reſpicit: ergo ego ſuperbus quod volo,facere poſſum?Non putes non videri:ſed roga vt merearis videri à quo tuipſe videris.Ipſe enim alta à longè cognoſcit. Facit ergo ſuperbus vt videatur à longè: non vt non videatur.Tu enim quando à longè vides,non bene vides. Deus autem etſi à longè te videt, perfectè te videt,& tecum non eſt.Hoc ergo ſuperbè agis:non vt minus perfectè videaris, ſed vt non ſis cum illo à quo videris.Erigat ergo ſe ſuperbus quãtũ voluerit,certè in alto habitat Deus:in cœlo eſt Deus. Vis vt tibi propinquet?Humilia te. Nã tãto à te erit altior,quãto tu elatior:quia excelſa à lõgè cognoſcit.

*Superbos à lõgè cognoſcit Deus.*

## 2426 Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me:& ſuper irã inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

Hîc oſtendit quòd debemus laudare altam Dei potentiam in liberatione oppreſſorum & tribulatorum.Vbi notandum quòd per tribulationẽ multoties intelligitur pœnitẽtia:quia illa eſt carni amara & aſpera,& ipſam tribulat.Vnde de tribulatione quæ eſt ipſa pœnitentia dicitur Tob.3,In tribulatione peccata dimittis. Et in medio iſtius tribulationis debent peccatores ambulare, vt ad vitam gratiæ reducãtur. Si enim negociatores ſæculi perambulant alta maris ſpacia, vt inter cæteros honeſtè poſſint viuere:quãto magis peccator per mediũ maris pœnitentiæ & tribulationis debet ambulare,vt vitam ſpiritus acquirat,nec coram Deo & angelis eius cõfuſio ſuæ nuditatis appareat?Iſta enim ambulatio nobis Deum, qui eſt vita omnium, ſociat,& nos Deo.In cuius figura Chriſtus reſuſcitatus,qui eſt via, veritas & vita:illis duob[9] diſcipulis qui triſtes & tribulati ambulabant,ſe ſociauit,illis dicens,Qui ſunt hi ſermones quos confertis adinuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Pœnitens enim tribulatus ambulat,quia pœnitẽtia tribulationem peccati commiſſi requirit. Propter quod dicitur Eccl.7,Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula:id eſt cum pœnitentibus. Hæc enim ambulatio pœnitentiæ quia eſt actus iuſtitiæ, nos iuſtos facit: & per conſequens vitam animæ tribuit, & Deo reddit acceptos: propter quod dicitur Pſalm.84,Iuſtitia ante eum ambulabit,& ponet in via greſſus ſuos. Vbi Gloſ. Hieron. Iuſtitia hominis eſt ambulare per pœnitentiam:vt ſcilicet per pœnitentiam puniat ſe malum & mortuum,& faciat ſe bonum & viuum.Qui enim peccata ſua odit, iam incipit viuere & ſimilis eſſe Deo: quia illa odit quæ Deus odit. Fac ergo te ſimilem Deo:ambula pœnitẽdo, & prepara ei viam in confeſſione peccatorum. Vnde Ioãnes ait,Parate viam domino:ſcilicet pœnitendo & confitendo. Conſiderans ergo Pſal. quòd ambulare per medium tribulationis & pœnitentiæ, peccatorem viuificat, nunc ait, *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.*Et notanter ait,*in medio tribulationis*: quia tribulatio pœnitentiæ debet eſſe in diſcretione: ne ſcilicet ſit remiſſa,quia non eſſet condigna: neque nimis aſpera, ne carnem extinguat, non corrigat. Vel aliter, per tribulationem intellige aduerſitates quas iuſtis parat diabolus vel mundus: quæ multoties peccatores reducunt ad Deum cognoſcendum & ſeipſos. Et per conſequens in tribulationibus illis Deus tribuit vitam.Qualiter enim Paulus venit ad vitã ſpiritus? nónne per tribulationis medium?Nam primò ad terram fuit proſtratus,& cæcus effectus:& ex conſequenti Deum cognouit, & fuit illuminatus.Electos enim Deus aduerſitatibus tribulat,vt ipſos ad æternam vitã perducat. Quod oſtendit Greg. dicens, Feſtina cõſolatio bonorum, eſt conſideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conſiderant quod euadunt, leue extimant quicquid aduerſum in hac vita patiuntur.Eant nunc reprobi, & delectationum ſuarum deſideria compleant: in finis ſui damnatione ſecuri ſunt, quia mortem malè viuentes amauerũt. Tranſitorio hic verbere affliguntur electi,vt à prauitate flagella corrigant, quos paterna pietas ad hæreditatem ſeruat. Nunc etenim flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur: quia ad æternæ hæreditatis patrimonium ſeruatur. In ſuis autem voluptatibus relaxatur iniuſtus: quia tanto ei tempore alia bona ſuppetunt, quanto æterna denegantur. Iniuſtus ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur: quia & vituli qui mactandi ſunt,in liberis paſtibus

*Tribulatio dicitur pœnitentia.*

*Ambulatio pœnitentiæ.*

*Luc.24.*

*Marc.1.*

*Aduerſitas ducit ad vitã: proſperitas ad mortem æternam.*

*Greg 21. moral.cap.4.*

relinquuntur. At cõtra iuſtus à delectationis tranſitoriæ iocunditate reſtringitur: quia nimirum ad laboris vſum & vitulus vitæ deputatus, ſub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena: quia & ægris quibus viuendi ſpes eſt, nequaquam cuncta quæ appetunt conceduntur. Dantur autem malis bona quæ in hac vita appetunt: quia & deſperatis ægris omne quod deſiderant non negatur. Perpendant igitur iuſti quæ ſunt mala quæ iniquis permanent: & nequaquam eorum felicitati inuideant, quæ percurrit. Quid eſt quòd de eorum gaudiis admirentur, quando & ipſi per iter aſperum ad ſalutis patriã, & illi quaſi per amœna prata ad foueam tendunt? Hæc ergo omnia conſiderans Pſalm. ſcilicet quòd per tribulationes vitæ præſentis acquiritur æterna vita: ait, *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.* Quod non ſic eſt intelligendum: Si fortè euenerit mihi tribulatio aliqua, inde me ſtatim liberabis. Sed quòd per illã tribulationem viuificabis me, ſcilicet, ad vitã perduces æternam. Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14. Sequitur, *Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam.* Quod ſic intelligitur: quia perſecutores martyrum, vt erant Romani, Gallici, & Germani: Deus poteſtate ſua conuertit, vt modò martyres inquirant & ipſos venerentur. Aliquos autem in ſuo errore permittens, illos poteſtate manus tuę amplius vindicas: quia tuis intulerunt mala temporalia, ipſi autem patiuntur æterna. Vnde Pſalm. 54, dicitur quòd extendit manum ſuam in retribuendo. Sequitur, *Et ſaluum me fecit dextera tua.* Vbi nota quòd alia eſt ſalus dexterę, & alia ſiniſtrę. Nam ſalus dexteræ eſt ſalus æterna: ſalus verò ſiniſtræ eſt ſalus temporalis. Salus dexteræ datur electis: ſed ſalus ſiniſtræ, reprobis. Vnde hic ait Gregor. Eſt quædam ſalus in dextera Dei, & eſt quędam ſalus in ſiniſtra. Salus enim carnalis & temporalis ſiniſtra eſt: ſalus autem æterna cum angelis in dextera eſt. Ideo in ipſa immortalitate poſitus Chriſtus, dicitur ſedere ad dexteram Dei. Non enim habet in ſeipſo dexteram aut ſiniſtram. Sed dextera Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam oculis oſtendi non poteſt, tale nomen accepit. Hac dextera ſaluum me feciſti, non ſecundùm ſalutem temporalem. Aliquando ergo Deus non ſaluat in ſiniſtra ſanctos ſuos: ſed ſemper ſaluat in dextera. Impios autem plerumque ſaluat in ſiniſtram, ſed non ſaluat in dexteram. Et ideo dicit Pſal. 15, Delectationes in dextera tua.

*Salus alia dexteræ: alia ſiniſtræ.*

*Dextera Dei quid ſit.*

2427 Dominus retribuet pro me: domine miſericordia tua in ſæculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

Hîc oſtendit quòd laudare debemus latam Dei miſericordiam in redemptione captiuorum. Homo enim ſponte ſua peccauit, ſed quid pro peccato Deo redderet, non habebat. Et ſic iuſtificari per ſe vel ſaluari non poterat. Nam, vt dicit beatus Anſelmus, primo, cur Deus homo, c. 25, Si homo iniuſtus dicitur qui non reddit homini quod debet: quãto magis iniuſtus eſt qui Deo nõ reddit quod debet? Deducit autem ibi Anſelmus multipliciter quomodo homo pro peccato ſuo nullatenus Deo ſatisfacere poteſt: quia non poteſt pro peccato aliquòd æquiualens (aliàs indebitum) reddere. Cum ergo non remittatur peccatum, niſi reddatur ablatum: hinc eſt quòd Deus nolens deſpicere opus manuum ſuarum, id eſt hominẽ, quem ſuis manibus formauit, miſericordia motus, pro peccato hominis voluit ſatisfacere, quando filium ſuum miſit in carnem: qui vitam ſuam præualentem in bonitate maliciæ omnium peccatorum etiam poſſibilium, non debitam morti, quia nullum in eo fuerat peccatũ, pro peccatis noſtris dedit in mortem. Et ſic pro nobis Deo retribuit quod nos retribuere non valebamus. Et hoc præuidens Pſalm. ait, *Dominus retribuet pro me*: ſcilicet vitam ſuam pro me dando in mortem. Et hoc non fecit ex debito: ſed ſolùm ex miſericordia quę per omne ſæculum durat: quia eius paſſio omnibus electis vſque ad finem ſæculi applicatur. Et ſic miſericordia eius qua pro nobis paſſus eſt, vſque in finem ſæculi durat. Et hoc eſt quod ait, *Domine miſericordia tua in ſæculum.* Ex quo per effectum oſtendit quãtum humanam naturam dilexit: quia nec ipſam peccantem penitus abiecit. Et hoc eſt quod ait, *Opera manuum tuarum ne deſpicias.* Vnde hic ait Auguſt. Retribuit pro nobis Deus gratias miſericordiæ ipſius. Nihil debebat ipſe: pro ſe non reddidit, ſed pro nobis. Ecce (inquit) venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: id eſt nullum peccatum in me inuenit, quare me occidat. Sed vt ſciant omnes quoniam voluntate, non neceſſitate patior: Surgite, ait, eamus hinc. Quid eſt, Surgite, eamus hinc? hoc eſt, nõ neceſſitate, ſed voluntate patior, reddẽs quod non debeo &c. Sed hic multi ſimplices dubitant, omnes leges clamant quòd nullus ad impoſſibile poteſt obligari. Si ergo poſt peccatũ homo de peccato ſuo Deo ſatisfacere nõ valuit, quomodo ergo ad ſatisfactionem erat obligatus? Non enim aduertunt quòd impoſſibilitas faciendi illud ad quod quis tenetur, proueniẽs ex culpa propria, obligationem non abſoluit, ſed magis culpam auget: vt clarè exemplo oſtẽdit Anſelmus, primo, cur Deus homo, c. 25. Vbi diſcipulo quærenti, Si quis reddere non poteſt quod debet, quomodo iniuſtus eſt? Reſpondet Anſelmus, Si nulla eſt in illo cauſa impotentiæ, aliquatenus excuſari poteſt: ſed ſi in ipſa impotentia culpa eſt, ſicut non leuigat peccatum, ſic non excuſat non reddẽtem debitum. Nam ſi quis iniungat opus aliquod ſeruo ſuo, & præcipiat illi ne ſe deiiciat in foueam quam illi mõſtrat, vnde nullatenus exire poſſit: & ſeruus ille contemnens mandatum & monitionem domini ſui, ſe in monſtratam deiiciat foueam, vt nullatenus poſſit opus iniunctum efficere: putáſne illi aliquatenus impotentiã iſtam valere ad excuſationem cur opus iniunctũ non faciat? Et reſpõdet diſcipulus, Nullo modo, ſed potius ad augmentum culpæ: quoniam ipſe impotentiam illam ſibi fecit. Dupliciter namque peccauit: & quia quod iuſſus eſt facere non fecit, & quod præceptum eſt ne faceret fecit. Ita eſt in propoſito, quia homo ſponte ſe obligauit illi debito quod ſoluere nõ poteſt, & ſua culpa deiecit ſe in hanc impotentiam: vt nec illud poſſit ſoluere quod debebat ante peccatũ, id eſt ne peccaret: nec hoc ꝙ debet, quia peccauit, inexcuſabilis eſt &c.

*Retribuit pro nobis, Chriſtus moriẽdo.*

*Pſal. 137.*

*Ioan. 14.*

*Marc. 14.*

*Quæſtio. Ad impoſſibile quis obligatur.*

## PSAL. CXXXVIII.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam. 1428

Titulus huius Pſalm. eſt, In finem Pſalm. Dauid. Hic titulus ex ſupradictis multoties patet. Sed non patet ex eo materia Pſalm. Notandum ergo quòd ſecundum doctores, iſte Pſalm. videtur eſſe quædam Dei laus & confeſſio ex conſideratione diuinę immenſitatis: quæ à nobis comprehendi non poteſt, ſed neque ſine magno labore aliqualiter cognoſci. Quæ diuinæ maieſtatis immenſitas quamuis in ſcriptura ſacra multoties contineatur: tamen ſub velamine diuerſarum figurarum ponitur, & non expreſſé. Ideo poſt peccatum à primis parentibus commiſſum, multum laborare oportet ad ipſas ſcripturas intelligendas. Et hoc eſt quod ipſi Adæ Deus dixit, Gen. 2, In ſudore vultus tui veſcéris pane tuo: id eſt cibo ſanctarum ſcripturarum. Ex primo enim peccato huic pœnæ ſubiicimur quòd in ſudore vultus & magno labore manducamus panem noſtrum: de quo in euangelio dominus ait, Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Hic panis in prophetis eſt velatus: ſed in euangelio eſt reuelatus. Ineſt tamen labor etiam nunc ad intelligenda myſteria eius. Loquitur autem in hoc Pſalmo totus Chriſtus: ſcilicet caput & membra, ſcilicet caput quod iam aſcendit in cœlum, & membra quæ adhuc peregrinantur in terra. Quantum verò ad membra, loquitur in perſona ſuperioris captiui: qui iam ſpe liberatus memor ſuæ diſceſſionis in qua Deum latere non potuit, & in qua ſecuta eſt eum manus domini: deliberat vlterius non eſſe fugiẽdum ab eo: ſed ad eum per eum, ab irato ad placatum accedere. Intentionem mouet, vt conſiderata immenſitate Dei quam nullus fugere poteſt, humiliter ad eum per eum accedamus. Quibus viſis, accedo ad Pſalmi diuiſionem. Iſte ergo Pſalm. diuiditur in partes duas: quia Pſalmiſta primò deſcribit diuinæ maieſtatis eminentiam: ſecundò humiliter conſurgit ad eius reuerentiam: ibi, *Quia tu poſſediſti.* Prima in duas: quia primò deſcribit diuinę ſapientiæ profunditatem: ſecundò diuinæ præſentiæ immenſitatem: ibi, *Quò ibo.* Prima in duas: quia primò oſtendit diuinæ ſapientiæ plenitudinem: ſecundò concludit ipſam à nobis incomprehenſibilem: ibi, *Mirabilis.* Circa primum de diuina ſcientia ad oſtendendum eius immenſitatem quatuor oſtendit: primò quòd cognouit omnia Chriſti myſteria: ſecundò quòd cognoſcit omnia noſtri cordis ſecreta: ibi, *Intellexiſti:* tertiò quòd præcognoſcit omnia futura: ibi, *Et omnes:* quartò quòd cognoſcit omnia noſtra delicta atque peccata: ibi, *Ecce domine.* Quantum ad primum, ſciendum quòd in iſto verſiculo loquitur Chriſtus vt caput eccleſiæ Deo patri, quem dominum vocat. In Chriſto enim eſt duplex natura: ſcilicet Dei & hominis. Inquantum Deus, non habet dominum, quia omnis dominus eſt maior ſeruo: ſed ſic habet patrem. Inquantum verò homo, id eſt ratione humanitatis aſſumptæ: ſic patrem non habet, ſed dominum, quia ſic ipſe minor patre. In forma ergo ſerui vel humanitatis aſſumptæ, Deo patri loquitur, dicens, *Domine probaſti me.* Et aduerte quòd aliter probat Deus: aliter probat homo. Homo enim aliquid probat ad hoc vt de illo acquirat notitiam, quam prius non habebat. Deus verò qui omnia nouit antequam fiãt, non ſic probat vt accipiat noticiam de aliquo ſibi incognito: ſed vt alij accipiant de illo notitiã quam prius non habebant. Sic enim dicitur & aliquid de nouo cognoſcere, quando illud aliquos cognoſcete facit. Sic enim dixit Abrahę, Nũc cognoui quòd timeas Deum: id eſt alios cognoſcere feci. Vnde hic ait Auguſtin. *Domine probaſti me, & cognouiſti me:* non quia non nouerat, ſed quia notum aliis fecerat. Item notandum quòd licet Deus eodẽ modo omnes homines probet, ſcilicet per aduerſitates & pœnas: nõ tamen eodem fine: quia aliquos probat vt purget, aliquos vt ampliori merito clarificet. vt oſtendit Gregor. dicens, Quaſi aurum quod per ignem tranſit, probantur animæ iuſtorum: quibus exuſtione tribulationis & ſubtrahuntur vicia & merita augentur. Nec elationis fuit quòd ſanctus Iob in tribulatione ſe poſitum auro comparauit: quia qui Dei voce iuſtus ante flagella dictus eſt, non idcirco tentari permiſſus eſt vt in eo vicia purgarentur, ſed vt merita creſcerẽt. Aurum verò igne purgatur. Minus ergo de ſeipſo æſtimauit ipſe quàm erat, dum tribulationi traditur, purgari ſe credidit qui in ſe purgandum aliquid non habebat. Sed nullo iſtorum modorum probatus per aduerſa fuit Chriſtus. Nõ quidem vt purgaretur, quia nihil purgandum habebat: nec vt meritis creſceret, quia in gratia proficere nõ poterat, qui à principio habuit gratiæ plenitudinem. Sed ideo probatus, vt aliis ſua virtus pateſieret, quæ ante probationem erat incognita. Sic enim de Chriſto dicebant Iudæi, vt habetur Sapient. 2, Contumelia & tormento interrogemus illum, vt ſciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam eius: morte turpiſſima condemnemus eum. De probatione & tentatione qua Deus iuſtos probat, vide verſic. 368. Sequitur, *Tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam.* Per ſeſſionem enim intelligit humilitatem ſuę paſſionis: quia homo ſedendo minor apparet. Sic & Chriſtus per humilitatem paſſionis minoratus videbatur. Quid eſt ergo Chriſtum domino dicere, *Tu cognouiſti ſeſsionem meam* &c. niſi Tu cognouiſti paſſionem meam? Non ſolum eo modo quo omnia tam bona quàm mala nuda ſunt oculis eius: ſed cognitione approbationis, qua mala non cognoſcit. Vnde hic Auguſt. *Tu cognouiſti ſeſsionem meam* &c. id eſt, Tu voluiſti, tu approbaſti: ſecundum voluntatem tuam factum eſt. Vel aliter: vt totum legatur ex voce membrorum, quia ſicut Chriſtus ſedit per paſſionis humilitatem: ſic & iuſti in aduerſis & tribulationibus ſedent & humiliantur, & ex hoc reſurgunt in ſpem vitæ beatæ. Similiter & omnes pœnitentes ſedent per humilitatem confeſſionis & patientiæ, ſed reſurgunt per iuſtificationem à peccatis. Vnde hic ait Auguſtin. Si autem hoc accipere volueris ex voce membrorum, dicimus & nos domino, *Tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam.* Sedet enim & homo, quando ſe humiliat in pœnitẽtia, ſurgit in remiſſis peccatis, quando erigitur in ſpem vitæ æternæ. Vnde de iſtis & in alio Pſalm. dicitur, Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Panem doloris pœnitentes manducant, qui & alibi dicũt, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Quid eſt ergo, Surgite poſtquam ſederitis, niſi Nolite exaltari niſi prius humiliati fueritis? Multi enim volunt ſurgere antequam ſederint. Volunt ſe iuſtos videri antequam peccatores ſe eſſe cõfeſſi ſint. Eſt ergo ſenſus: *Tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam:* id eſt coram oculis tuis, & peccata mea confeſſus, & tui gratia iuſtificatus ſum.

*Ioan. 6.*

*Chriſtus patrẽ habet vt Deus: dominũ habet vt homo.*

*Gen. 22.*

*Probat Deus ſanctos multipliciter.*

*Gregor. 16. mor. c. 16.*

*Cognoſcere Dei eſt approbare.*

*Pœnitẽtes ſedẽt & ſurgũt.*

*Pſal. 126.*

*Pſal. 41.*

Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculum 2429

meum inueſtigaſti.

*Intelligit Deus de lõgè cogitationes malas.*

Hîc oſtendit ſecundum:ſcilicet quòd Deus cognoſcit omnia noſtri cordis ſecreta. Hic nõ loquitur Chriſtus ex perſona capitis,ſed ex perſona mẽbrorum. Illa enim Deus à longè cognoſcit, quæ ſunt mala:vt dictum eſt verſic. 2425. Cum ergo in Chriſto nulla mala cogitatio fuerit Deo diſplicẽs: ſequitur quòd Chriſti cogitationes Deus de longè non intellexit. Intelligitur ergo de membris, non de capite Chriſto:vt corpus eccleſiæ Deo dicat,*Intellexiſti cogitationes meas de longè*: id eſt, cum adhuc malis implicatus,non tecum,ſed à te eſſem longinquus.Cuius figuram geſſit ille filius prodigus, qui prius in regionem longinquam receſſit à patre,ſed poſtea pœnitentia ductus, reuerſus eſt ad patrem. Cuius cogitationes pater à longè cognouit, qui cum adhuc longè eſſet, pater occurrit illi: quod nõ feciſſet,niſi cogitationes eius cognouiſſet. Vnde hic Auguſt. Attende illum filium minorem vel iuniorem: quia ipſe etiam factus eſt corpus Chriſti,eccleſia ſcilicet de gentibus veniens.Ierat quippe in longinquum filius minor. Duos quidem filios habebat quidam paterfamilias: maior filius non longè ierat,ſed in agro operabatur. Et ſignificat ſanctos in lege facientes præcepta legis. Reliquum autem genus humanum quod defluxerat in idolorum cultum, in longinquo fuerat peregrinatus,portans ſecum ſubſtantiam ſuam: quam diſſipauit prodigè cum meretricibus, & famem paſſus, porcos paſcebat: de quorum ſiliquis cupiebat ſaturari, nec poterat.Poſt tribulationem venit pater ſuus in mẽtem,& pœnitentia ductus, ait, Surgam, & ibo ad patrem meum: cuius cogitationes pater ſtatim agnouit.Vnde hic dicit,*Tu cognouiſti ſeßionem meam,& reſurrectionem meam*: ſcilicet qualiter ſedi in egeſtate:qualiter ſurrexi in deſiderio patris tui. Intellexiſti ergo cogitationes meas de longé. Propterea ſic dicit dominus in euãgelio, Quia occurrit illi pater venienti: verè ideo, quia intellexerat cogitationes eius de longinquo. Ideo ſubdit,*Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti*.Quam ſemitam, niſi malam:quam ille ambulauerat vt patrem deſereret,quaſi occultus poſſet eſſe ab oculis iudicantis? Sed tamen à patre deprenſus, à patre viſus, dicit, *Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti*. Quaſi dicat, Semitam meam (id eſt viam qua à te receſſi)funiculum meum(id eſt terminum ad quem perueni)Vnde alia litera habet,*limitem meum inueſtigaſti*:quia ſcilicet à te receſſi, ad quantam miſeriam perueni tu cognouiſti:quia terminus ille licet fuerit longinquus à te,non tamen fuit longè ab oculis tuis.Longè ierã,& tu ibi eras. Et nota quòd quandoque Deus dicitur cognoſcere peccatores & mala,quandoque verò non: quia ipſos cognoſcit per intellectum, ipſos videndo: ſed non per voluntatem,ipſos approbando.Cuius ratio redditur, quoniam ſecundum Philoſophos, omnis cognitio fit per aſſimilationem.Vnde in notitia approbationis diuinę requiritur aſſimilatio per imitationem:non tamen cognoſcẽtis ad cognitum, ſed magis econtrario:quæ in reprobis non habetur.Et nota quòd inueſtigare dicitur idẽ quòd intus cognoſcere. Nã veſtigo,gas,idem eſt quod exquirere vel explorare. Et componitur cum in,quod eſt intus: & ſic inueſtigare eſt intus cognoſcere. Propriè igitur Deus dicitur inueſtigare, quia intus in mente noſtra cognoſcit:quod nõ facit homo.Et ſi dicas,Nunquid homo poteſt ſcire cogitationes alteri? Dico quòd ſolus Deus videt cogitationes alterius: ſed homo quandoque illas ſcire poteſt,non videndo illas,ſed per opera vel ſigna exteriora de illis iudicando.Sic enim dicebat Iob amicis ſuis, Certè noui cogitationes veſtras. Quod exponens Gregor. ait, Cùm ſcriptum ſit, Quis ſcit quæ ſunt hominum,niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo? qua ratione nunc dicitur, Certè noui cogitationes veſtras? Sed tunc ſpiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel operibus non demonſtratur. Nam cum ſcriptum ſit,Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: per hoc quod foris agitur, quicquid latet intus aperitur. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur, Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.

*Luc.15.* — *Luc.15.* — *Cognoſcit Deus peccatores, & non cognoſcit.* — *Quæſtio. Cogitationes alterius quomodo quis ſcire poteſt.* — *Iob 21.* — *Greg.15.mor. cap.26.* — *Matth.7.* — *Prou.27.*

2430 Et omnes vias meas prẹuidiſti,quia non eſt ſermo in lingua mea.

*Præſcit omnia Deus.*

Hîc oſtendit tertium,quòd Deus præcognoſcit omnia futura. Dicitur enim Deus omnia præuidere,omnia præſcire:quia ab æterno omnia quæ fiũt in tempore,illi ſunt cognita:quinimmò & illi præſentia. Sic enim ipſum præſcire omnia confeſſa fuit Suſanna, dicens, Deus æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiãt. Si enim aliquid Deus de nouo ſcire poſſet quod ab æterno non prẹſciuiſſet:iam mutari poſſet,quia de non ſciente fieret ſciens.Si autem mutari poſſet, iam Deus non eſſet. Hanc ergo præſcientiam omnium ab æterno notans Pſalm.ait,*Et omnes vias meas præuidiſti*, Vnde & Gregor.ait, Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, abſque omnipotẽtis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus futura præſciens, ante ſæcula decreuit qualiter per ſæcula diſponantur.Statutum quippe eſt homini,vel quæ hũc mundi proſperitas ſequatur, vel quãtum aduerſitas feriat: ne electos eius aut immoderata proſperitas eleuet, aut nimia aduerſitas grauet. Statutum quippe eſt quantum in ipſa vita mortali temporaliter viuat. Nam etſi annos quindecim regi Ezechiæ ad vitam addidit, cum eum promiſit eſſe moriturum.Qua in re quæſtio oritur, quomodo ei per prophetam dicatur, Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Cui cum mortis ſententia data eſt, protinus ad eius lacrymas & vita data eſt. Sed per prophetam dominus dixit quo tẽpore ipſe mori merebatur: per largitatem verò miſericordiæ,illo tamẽ tempore,ad mortem diſtulit,quod ante ſæcula ipſe præſciuit. Nec propheta ergo fallax,quia tẽpus mortis innotuit,quo ille mori vir meruit. Nec dominica ſtatuta conuulſa ſunt, quia vt ex largitate Dei anni creſcerent, hoc quoque ante ſæculum præfixum fuit:ac ſpatium quod inopinatè foris eſt additum ſine augmento præſcientiæ fuit intus ſtatutum. Hanc ergo Dei præſcientiam notans Pſalmiſta dicit, *Et omnes vias meas præuidiſti*.Et nota modum loquendi:quia non dicit, Et omnes vias meas præſciuiſti, ſed *præuidiſti*:quod plus eſt, quia & homines futura præſcire poſſunt: ſed præuidere non poſſunt. quia ſicut ſcientia rei non requirit rem præſentem, ſed viſio rei rem præſentem requirit: ſic & præſcientia rem non requirit præſentem, ſed ſic præuiſio. Deus ergo præuidet futura,ſed nõ homo: quia omnia futura Deo ſunt præſentia,ſed non homini. Sed hic oritur dubium. Cum enim præſentia vel præuiſio ſolum ſit de futuris quæ nondum ſunt,quomodo Deus poteſt aliqua præſcire vel præuidere, cum omnia futura ſint ſibi præſentia? Hanc quæſtionem mouet & ſoluit Gregor.dicens,Quomodo præſcientia eſt in Deo,cùm nulla prẹſciantur niſi quę futura ſunt? Et ſcimus quia Deo nihil futurum eſt, cuius ante oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt,futura nõ veniunt.Quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in eius conſpectu præſto eſt: & omne quod præſens eſt,ſciri poteſt potius quã prẹſciri.Et reſpondet dicens,Quia Deus ea quæ futura ſunt nobis,videt:quæ tamẽ ipſi præſto ſunt:ideo præſcius dicitur, quamuis nequaquam ſibi ſit futurum quod præſens videt. Nam quæcunque non ab ẹternitate eius ideo videntur quia ſunt,ſed ideo ſunt quia videntur. Bene ergo ait Pſal. *Et omnes vias meas præuidiſti*.Per vias autem intellige actiones noſtras:vide ver.589.632.Sed quia iſta Dei præſcientia futurorum & præuiſio, eſt nobis incomprehẽſibilis & ineffabilis: ideo de ipſa ſubdit Pſalmiſta, *Et non eſt ſermo in lingua mea*: ſupple ſufficiens ad exprimẽdum profunditatem tuæ ſapientiæ: iuxta dictum Apoſtoli, O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei,quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius,&c.

*Daniel.13.* — *Gregor. 10. mor.cap.5.* — *4.Reg.20.* — *Præſcire aliud eſt: & aliud prævidere.* — *Quæſtio.* — *Greg.20. moral.cap.25.* — *Rom.11.*

2431 Ecce domine, tu cognouiſti omnia nouiſsima & antiqua:tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

*Antiqua dicuntur peccata, nouiſſima, pœna.*

Hic enim oſtendit quartum: ſcilicet quòd cognoſcit omnia noſtra peccata. Quid enim per vetera & antiqua niſi peccata & ſtatus peccati deſignantur?Quid verò per nouiſſima,niſi præſens ſtatus miſeriæ & pœnæ,in quem per peccatum deuenimus, in quo præſentialiter ſumus? Vnde hic ait Auguſt. *Cognouiſti antiqua mea*: quando ſcilicet à te receſſi,quando porcos paui.Illa enim antiqua fuerunt mihi exordia nouiſſimorum malorum. Antiquum peccatum, quando lapſi ſumus: nouiſſima pœna, quando in iſtam mortalitatem laborioſam periculoſámque peruenimus:atque vtinam iſta ſit nouiſſima.erit enim iſta nouiſſima,ſi iam redire valuerimus. Eſt enim alia quibuſdam impiis nouiſſima:quibus dicitur,Ite maledicti in ignẽ æternum, &c. Nobis autem vſque ad huius vitæ mortalitatẽ ſufficiat labor noſter. Recordemur pœnæ patris noſtri.Recolamus beatitudinem domus patris noſtri.Non nos delectent ſiliquę porcorum,doctrinę dæmoniorum.Sequitur,*Tu formaſti me,& poſuiſti ſuper me manum tuam*.Formauit enim nos Deus, quia parentes noſtros primos ipſe plaſmauit: quia formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ:& factus eſt homo, &c. Dicat ergo Deo Pſalmiſta, *Tu formaſti me*, &c. Quod ideo dicit,vt homini oſtendat dignitatẽ ſuæ creationis præ cæteris animalibus: qua inſpecta, verecundetur ſe paſcere porcos:& alicuius hominis vel dæmonis fieri ſeruus. Conſimiliter dicitur, Manus tuæ domine fecerunt me,&c. Quod exponens Greg.ait, Qui enim plaſmatum ſe & factum totum in circuitu à Deo aſſerit,&c.vide ver.2146. Sequitur, *Et poſuiſti ſuper me manum tuam*. Hoc enim dicit ad differentiam Dei & artificis creati. Artifex enim creatus completo artificio ſuo, remouet manum ſuam ab eo:ſicut domificator facta domo, faber facto gladio, & permanet artificiatum ſine artificis manu:quia non eſt ipſe conſeruator ſui effectus,ſed tantum factor,& cauſa ſecunda.Sed Deus omnium artifex,& prima cauſa rerum omniũ, formata ab ipſo creatura,ipſam cõſeruat in eſſe.Vnde ab ipſa non ſubtrahit manum ſuam, quia non eſt tantum factor, ſed etiam conſeruator. Vnde ſi retraheret manum ſuæ conſeruationis à rebus creatis, omnia in nihilum verterentur: ſicut ex nihilo ſunt ab ipſo formata. Et hoc notãs Pſalmiſta dicit, *Et poſuiſti ſuper me manum tuam*:ſcilicet me factũ conſeruando. Et hoc notans Gregor.dicit, Creaturæ quidem ſunt,ſed principaliter non ſunt:quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt: & niſi gubernatoris manu teneantur,eſſe nequaquam poſſunt.Cuncta namque in illo ſubſiſtunt à quo creata ſunt: nec ea quæ viuunt,ſibimetipſis vitam tribuũt:nec ea quæ mouentur & non viuunt,ſuis viribus ad motũ ducuntur.Sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat: quædam verò non viuificata in eſſe mirè ordinans ſeruat. Cuncta quippe ex nihilo facta ſunt, eorúmque eſſentia rurſum ad nihilum tẽderet, niſi ea autor omnium regiminis manu teneret, &c. Et hoc eſt quod ait Paulus,In ipſo viuimus,mouemur & ſumus.

*Matth.25.* — *Luca 15.* — *Gen.2.* — *Iob.10.* — *Greg.9. moral.cap.15.* — *Conſeruat Deus creaturas in eſſe.* — *Greg.16 moral cap.18.* — *Actuũ 17.*

2432 Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

Hic ex prædictis cõcludit diuinę ſapientiæ profunditatem. Quamuis enim profunditas diuinæ ſapientiæ à creatura comprehendi non poſſit:tamẽ ante peccatũ clarius homo Deum videbat, quàm nunc poſt peccatum poſſit videre.Et hoc eſt quod ait,*Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*:id eſt, mirabilis facta eſt mihi amplius quàm eſſet ante peccatum. Et hoc eſt ex me, id eſt,ex peccato meo: quia poſt peccatum mihi non eſt facile cõtemplari te,quem ſuperbus reliqui: *Confortata eſt*:id eſt,inualuit, creuit,altior eſt effecta,intantum quòd non potero ad eam, ſcilicet contemplandam, exurgere. Sed quomodo ſapientia Dei confortata eſt? quomodo inualuit, quæ omnino eſt immutabilis? Reſpondeo quòd aliquid confortari vel inualeſcere vel fortificari, duobus modis cõtingere poteſt.Vel in ſeipſo: ſicut ſapientia hominis cõfortatur & creſcit, quãdo plura & clarius cognoſcit quàm antè.Alio modo comparatiuè reſpectu alterius: ſicut ſapientia vnius magni philoſophi diſputantis cum alio magno philoſopho,grandis & grandis apparet.Si autem diſputet poſtea cum alio minori philoſopho: ſcientia eius in ſe non aucta maior apparet.Similiter & de fortitudine patet.Fortificatur quis quãdo hoſtis eius debilior efficitur, licet ipſe in æquali fortitudine permaneat vt prius. Sic in propoſito, ſcientia Dei poſt peccatum dicitur confortata:non quidem in ſe, ſed reſpectu noſtri, quia intellectus noſter ad ipſam capiendam debilior eſt effectus, Vel aliter:vt hoc ad Chriſti ſcientiam referatur:cuius doctrina turbis admirabilis erat, & ipſum faciebat mirabilem turbis. Videns enim quis alium profundæ ſapientiæ ad quam ipſe non valet attingere,ipſum admiratur.Et iſta admiratio ex paruitate intellectus admirantis procedit:ſicut Iudith 11, de ſeruis Holofernis dicitur, quòd admirabantur ſapientiam Iudith:& dicebat alter ad alterum, Nõ eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu & pulchritudine & ſenſu verborum. Sic & ſapientia Chriſti erat admirabilis turbis. Vnde & de Chriſto dicitur, Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius:erat enim

*Creſcere aliquid dicitur dupliciter, & fortificari.* — *Mirari vnde oriatur.* — *Matth.7.*

*Mirari aliquem aliud eſt: & aliud laudare.*

enim docens ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribę & Phariſęi. Et iſta admiratio ad Chriſti laudem procedebat ex debilitate intellectus illorum qui admirabantur: vt oſtendit Chryſoſtomus ſuper Matth. dicens, Placatus rationabiliter hominis intellectus laudem generat: virtus autem admirationem. quos enim dignè laudare non poſſumus, admiramur. Admiratio tamen eorum magis ad gloriam Chriſti pertinet, quàm ad fidem ipſorum. Si enim perfectè crederent in Chriſtum, non admirarentur. Illud enim mouet in admirationem, quod ſuperat facientis aut dicentis perſonam. Et ideo quod à Deo dictum vel factum eſt, non admirãtur fideles: quia omnia credunt minora, quàm ſit potentia Dei. Turbæ autem erant quæ admirabantur Chriſti doctrinam: id eſt, vulgares, non principes populi, qui diſcendi ſtudio audire ſolebant. Populus autem ſimplex ſimpliciter audiebat: ſed eorum ſilentium ſi illi interfuiſſent, conturbaſſent. Vbi enim eſt maior ſcientia, illic fortior malitia. Qui enim feſtinat eſſe prior, non eſt contentus eſſe ſecundus. Dicãt ergo Chriſto ſimplices, qui perfectã de Chriſto fidem non habent, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*: id eſt, ex defecto meo. Quod enim facit Deus, mirabile videtur illis qui non cognoſcũt potentiam eius: iuxta illud Pſal. 117, A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

2433 Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

Hic conſequenter Pſalmiſta deſcribit diuinæ præſentiæ immenſitatẽ: oſtendens quòd Deus vbique eſt, & omnia replet. Et diuiditur in partes duas: quia primò ſuper hoc quæſtionem proponit: ſecũdò quæſtionem diſſoluit, ibi, *Si aſcendero*. Quantum ad primum, ſciendum quòd hic Pſalmiſta loquitur in perſona peccatoris à facie Dei fugere volentis: quærens ad quem locum fugere poſſit, vt Dei præſentiã & poteſtatem euadat. Vnde ait, *Quò ibo à ſpiritu tuo*: id eſt, à teipſo qui ſpiritus es? quia ſpiritus eſt Deus. Ioan. 4, Qui ſpiritus Deus replet orbem terrarum. Quaſi dicat, Quò ibo à ſpiritu tuo, quo ſcilicet plenus eſt mundus? *Et quò à facie tua fugiam*? id eſt, à cognitione & ſcientia tua abſcondar, cui omnia nuda ſunt & aperta? Quaſi dicat, Non eſt locus quò à te, à tua ſcientia, à tua potentia, vel à tua pręſentia fugere poſſim. Sicut enim volens fugere cœlum, ad quamcunque partem fugiat, ad cœlum accedit: ſic volens Dei præſentiam vel potentiam fugere, quocumque ſe vertat, illam inuenit: quia vbique eſt, & non in parte præciſè. Quod oſtendens Gregor. dicit, Sunt quidam ita hebetes, vt formidare neſciãt, niſi quod corporaliter vidẽt. Et Deum timere negligunt, quem videre corporaliter non poſſunt: vt quaſi per corporeos ſenſus auctorem ſuum æſtimẽt: quia excelſior cœlo eſt, & ſuper ſtellarum verticem ſublimatur, ex longinquo nos videre nõ poſſe: vt quia inter nos & cœleſtem ſedem partes aëre interſunt, quaſi in nube latens per caliginem iudicet: & ſuperioribus intentus minus ima perpẽdat. Et dum cœli cardines ambiendo cõſtringit, interiora non videat. Sed quis de Deo iſta vel deſipiens ſuſpicetur? qui nimirum dum ſit ſemper omnipotens, ſic intendit omnibus vt aſſit ſingulis: ſic & ſingulis, vt ſimul omnibus nunquam deſit? Nam etſi quoſdam peccantes deſerit, eiſdem tamẽ ipſis adeſt per iudicium, quibus deeſſe cernitur per adiuuamentum. Sic itaque exteriora circundat, vt interiora impleat: ſic interiora implet, vt exteriora circundet: ſic ſumma regit, vt inferiora non deſerat: ſic imis præſens eſt, vt à ſuperioribus non recedat: ſic latet in ſua ſpecie, vt tamen cognoſcatur in operatione: ſic cognoſcitur in ſuo opere, vt tamẽ comprehendi non valeat à cognoſcentis æſtimatione: ſic adeſt, vt videri nequeat: ſic videri non valet, vt tamen eius præſentiam ipſam ſua iudicia teſtentur: ſic ſe nobis intelligendum præbet, vt tamẽ ipſum in nobis radium ſui intellectus obumbret. Et rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, vt tamẽ mentis noſtræ radiis intermiſceat: quatenus & ſubleuata quippiam videat, & reuerberata contremiſcat. Et quia eum ſicuti eſt videre non poteſt, aliquatenus videndo cognoſcat. Ex quibus Dei immẽſitas apparet, quã nullus fugere poteſt. Bene ergo dicit Pſalmiſta, *Quo à facie tua fugiam*? Quaſi dicat, Nullibi: quia tu vbiq; es. Hoc bene Ionas fuit expertus, qui dum Deum fugere voluit, ad mandatum Dei acceſſit: vt habetur Ionę 2. Quod declarãs Greg. dicit, Ionas quippe fugere Deum voluit, cũ ad prædicandum Niniuitarum pœnitentiam miſſus, prædicationis officium implere recuſauit: nauem petiit: fugere Tharſis elegit: ſed protinus tempeſtas oritur: ſors mittitur, vt videlicet cognoſcatur cuius culpa mare turbatur. Ionas in culpa deprehẽditur: in profundum maris mittitur: cæte abſorbente deuoratur: atque illic geſtante belua, peruenit quò ire ſponte contempſit. Ecce fugitiuum Dei tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, belua includit. Et quia autori ſuo obedire renititur, ad locum ad quem miſſus fuerat, reus carcere portatur. Iubente Deo miniſtrare homo per prophetiam noluit: aſpirante Deo prophetam belua vomuit, &c. Ex quibus apparet quòd à facie Dei nullus effugere poteſt. Meritò ergo quærat Pſalm. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam*?

*Fugere Deũ nullus poteſt.*

*Deus eſt vbique.*

*Greg. 16. moral. cap. 5.*

*Iona 2.*

*Greg. 6. moral. cap. 13.*

Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. 2434

Hic ſoluit dictam quæſtionem: oſtendens quòd nullibi à Deo quis fugere poteſt. Et tria facit: quia oſtendit primò quòd nullus poteſt Deum fugere ratione altitudinis loci vel profunditatis: ſecundò nec ratione latitudinis vel velocitatis: ibi, *Si ſumpſero*: tertiò ratione priuationis luminis vel obſcuritatis: ibi, *Et dixi*. Quantum ad primum, ſciendum quòd quantum ad literam planus eſt textus, dicẽs, *Si aſcendero in cœlum, non effugiam, quia tu illic es per gloriæ refulgentiam: ſi deſcendero in infernum, ades*: ſcilicet per punitiuam iuſtitiam. Et per conſequens tu eſſentialiter es in cœlo & in inferno: quia gloria tua & iuſtitia tua cum ſint idem quod eſſentia tua, ſequitur quòd præſentia tua eſt in cœlo vbi eſt gloria tua: & in inferno vbi eſt iuſtitia tua. Myſticè verò per cœlum in quo primus angelus ſuperbè cõtra Deum ſe erexit, intellige ſuperbiam. Sed per infernum, qui eſt profunditas malorum, intellige obſtinationem. Et ſic eſt ſenſus, *Si aſcendero in cœlum*, ſcilicet me ſuperbè erigendo, ſtatim inueniam te repreſſorem: *ſi deſcendero in infernum*: id eſt, in profundum malorum, ſic quòd deſperatus nolim pœnitere: ſed dicam, Quis me videt? tu illic ades: ſcilicet vindicando & puniendo. Et iſtum ſenſum adiuuat hic Auguſt. dicens, *Si aſcendero in cœlum*, &c. Cognoſce ergo male fugitiue, nullo pacto te poſſe lõgè fieri ab eo à quo fugere voluiſti. Ecce ille vbique eſt: tu ergo quò iturus es? *Si aſcendero in cœlum, tu illic*

*Cœlum ſuperbiã ſignificat: infernus obſtinationem.*



*tu illic es*: id eſt, ſi me extulero per ſuperbiam, te inuenio repreſſorẽ: *ſi deſcendero in infernũ, ades*: id eſt, ſi me abſcondero, te inuenio inquiſitorem. Si enim ſuperbiero de iuſtitia mea, tu es ibi, cuius eſt vera iuſtitia. Si peccando venero in profundum malorũ, & confiteri contempſero, dicens, Quis me videt? In inferno enim quis confitebitur tibi? etiam illic ades vt vindices. Quò ergo iturus ſum, vt à facie tua fugiam? Vel per hoc vult Pſalmiſta oſtendere quòd poteſtatem diuini iudicij nullus effugere poteſt. Et ad iſtum ſenſum inducit hũc textum Greg. exponens illud Iob 40, Nunquid pones circulum in naribus eius: dicens, Poteſtas enim diuini iudicij quia vndique ſtringit, circulus dicitur. Et quia intra ſe omnia incidẽdo complectitur, falcis appellatione ſignificatur. In falcem enim quicquid inciditur, intus cadit. Et quia poteſtas diuini iudicij nullatenus euitatur, intra ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur. Eſſe ſe intra falcem diuini iudicij propheta conſpexerat, cum dicebat, *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades*, &c. Intra quandam falcem ſe vidit, cum ex nullo ſe loco patere fugæ aditum poſſe cognouit, dicens, Quia nec ab oriente, nec ab occidente, nec à deſertis mõtibus, ſupple patet via fugiendi. Atque mox ipſam ſupernæ potentiæ omnimodam comprehẽſionem ſubdens, ait, Quoniam Deus iudex eſt. Acſi diceret, Fugiendi via vndique deeſt, quia ille iudicat qui vbique eſt. Et hoc bene notans hic Pſalmiſta ait, *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades*.

*Prouer. 18.*

*Greg. 33. moral. cap. 14.*

*Iudicium vltimum nomine falcis & circuli deſignatur.*

*Pſal. 74*

2435 Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.

Hic oſtendit quòd fuga eſt impoſſibilis, quantũ ad latitudinem & velocitatem. Et duo facit: quia primò proponit caſum: ſecundò ex caſu concludit propoſitum, ibi, *Etenim*. Quantum ad primum, ponit caſum circa latitudinẽ terræ: quæ durat à mari vſque ad mare, dicens, Ponatur caſus quòd ego haberem pennas, id eſt, alas, quibus citiſſimè poſſem volare: diluculo etiam ante diem de vna extremitate terræ vſque ad aliam extremitatem quæ ad mare terminatur: nunquid ſupple poſſem Deum fugere? Quantum verò magis ad ſenſum propheticum: ex hoc Pſalmiſta vult oſtendere quomodo à Deo irato poteſt fugere ad Deum placatum. Vbi ſciendum quòd per pẽnas, ſiue alas quibus in altum volatur, ſignificantur duo præcepta charitatis: ſcilicet dilectio Dei & proximi. Per mare verò mundus intelligitur: Pſal. 103, Hoc mare magnum & ſpacioſum, &c. Quid eſt ergo extremitas maris, niſi finis ſæculi? Ille ergo habitat in extremis maris, & nõ in ipſo mari, qui non conuerſatur in ſæculo mente, ſed in fine ſæculi: quia cupit volare de mũdo, & eſſe cum Chriſto. Iſtæ ergo alę ſunt ſumendæ: & iſtis volandum eſt diluculo, id eſt, ante diem iudicij vel tuæ mortis. Et ſic Deum tuum poteris fugere iratum, & accedere ad Deum placatum. Iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Si ſumpſero pennas meas diluculo*. Alia litera habet in directo. Noui quomodo fugiam ab ira tua: ſcilicet ſi ſumam pennas meas in directum, & habitauero in extrema parte maris: ſic poſſum fugere à facie tua. Sed recipiendæ ſunt iſtæ pennæ, non in prauum, ſed in directum: vt nec in ſuperbiam erigar præſumptione, nec in profundũ mergar deſperatione. Quas pennas vult aſſumere, niſi duas alas, duo præcepta charitatis? In quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Has (inquit) alas, has pennas recipiam quibus volabo, & habitabo in extremis maris. Et ſic poſſum fugere à facie tua, ad faciem tuam: à facie irati ad faciem placati. Quid eſt extremum maris, niſi finis ſæculi? Illuc ergo volemus iam ſpe & deſiderio, habentes alas geminæ charitatis. Non ſit nobis requies, niſi in extremo maris. Nã ſi alibi requieſcere voluerimus, in mari præcipitabimur. Volemus vſquequo finiatur mare: ſuſpendamus nos pennis geminæ dilectionis. Ad Deũ interim ſpe volemus, & illum finem maris ſpe fideli præmeditemur. Vel aliter. Per alas quibus volare poſſumus vt ſaluemur, intellige duo ſcripturarum teſtamenta: vide verſic. 559. Vel per alas intellige quatuor virtutes. Duæ ſunt reſpectu futurorũ: ſcilicet amor & ſpes: & duæ reſpectu præteritorum: ſcilicet timor & pœnitentia, vide ver. 881. Vel per alas intellige amorem & fidem: vide verſ. 915. Quibus omnibus alis volando, fugimus à facie Dei irati, & accedimus ad ipſum placatum.

*Alæ ſunt duo præcepta charitatis.*

*Matth. 22.*

*Alæ multiplices.*

Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. 2436

Hic ad caſum reſpondendo concludit propoſitum, ſcilicet quòd etiam dato caſu illo, non poſſet effugere præſentiam Dei: quia ſcilicet ibidem ad extrema maris non poſſum volare, niſi manus tuæ potentię illuc me deducat: quia nulla creatura ſine te aliquid poteſt operari. Nec dum ibidẽ fuero per te adductus, ibidem potero habitare ſine te: quia niſi manus tua ibidem me conſeruaret, in nihilum redigerer: vt dictum eſt verſ. 2431. Cum ergo manus tua & dextera tua non ſint ſine præſentia tua, ſequitur quòd dato caſu, ego non effugerem præſentiam tuam. Quantum verò magis ad ſenſum propheticum, vult Pſalmiſta oſtendere quòd per alas dilectionis ad extremum terræ nullus poteſt volare: ſcilicet vt mundum mente deſerat ſine ſpeciali gratia Dei: quam per manum Dei & dexteram intelligit. Vnde hic ait Aug. Nemo de pennis ſuis præſumat: quia & pennati, niſi ipſe ſua gratia deducat, præcipitabimur in profundum maris laſſati & fatigati, quaſi præſumentes de viribus noſtris. Opus ergo eſt vt habeamus pennas: & opus eſt vt ipſe deducat. Adiutor enim noſter eſt. Habemus enim liberum arbitrium: ſed ipſo libero arbitrio nihil boni poſſumus, niſi nos adiuuet ille qui iubet. Et nota quòd manus Dei, id eſt, Chriſtus, nos multipliciter educit, deducit & introducit: vide verſ. 2330. Item notandum quòd manus Dei qua nos deducit, ad mundum ſcilicet verè relinquendum, quinque digitos habet. Quorum conſideratione de mundo ad amorem ducimur æternorum. In illa enim manu continentur iſti digiti. Primus eſt pollex: ſcilicet poteſtas puniendi. Pollex enim ſecundum Iſidorum dicitur pollex, eo quòd inter cæteros digitos polleat virtute & poteſtate. Et ſic ſignificat poteſtatem Chriſti iudiciariam: cuius tanta eſt poteſtas, vt cum venerit tempus puniẽdi, nullus ipſum euadere poſſit. Deut. 32, Non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Propter quod dicit Apoſtolus, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Et iſtum digitum poteſtatis diuinæ, quàm multi conſiderantes mundum reliquerunt, & per amorem ad extrema volauerunt. Quod conſiderãs Iob dicebat Deo, Manum tuam longè fac à me, & fortitudo tua non me terreat. Secundus digitus eſt index,

*Manus Dei quinque digitos habet.*

*Iſidorus 2. Etym.*

*Hebr. 10.*

*Iob 13.*

index: qui index dicitur, quia ipſo mediante cætera indicando monſtramus. Et iſto digito ſignificatur apertio & claritas conſcientiarum: qua Deus apertè omnibus omnium mala & bona demõſtrabit, quia conſcientiæ ſingulis patebunt in die iudicij: vt deducit Magiſter lib. 4. diſt. 43. & Greg. 12.

*Gregor. 12. moral. cap. 11. & lib. 15. c. 11.*

moral. Iſtius digiti conſideratio multos auertit à malo, ne tam publicè confundantur in extremis. Et hoc eſt quod dicitur 2. Mach. 6, Manus omnipotentis neque viuus neque defunctus poteris effugere. Tertius digitus eſt medius: qui inter alios digitos eſt longior. Et ideo per ipſum deſignatur be- B nignitas: per quam Deus nos expectat patienter, vt ad eum redeamus. Propter quod dicitur, Fiat manus tua vt ſaluet me.

*Pſal. 118.*

Et ſicut iſto digito medio extento ſuper plano, nec pollex, nec index poteſt illum contingere planum. Itaque quamdiu digitus benignitatis diuinæ ad nos extenditur, nihil nobis nocere poteſt: ſcilicet nec poteſtas puniendi, nec perſpicacitas diſcernendi. Iſtius digiti conſideratio multos deducit à mundo ad amorem Dei. Propter quod dicit Apoſtolus, Neſcis quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? &c.

*Rom. 2.*

Quartus eſt digitus annularis: in quo ſcilicet mulieres annulũ portare ſolent. Cuius cauſa eſt, quia ſecundum peritos medicos, neruus quidam à corde natus, ad illum digitum procedit, & cum neruis illius digiti copu- C latur. Et ideo ordinatum fuit, quòd ille digitus annulo tanquam corona circundaretur. Iſte digitus ſignificat pietatem Dei: quæ quidem pietas à vulnere Chriſti cordis ad nos procedit: per iſtum digitum omnis miſericordia Dei in nos conuertitur. Vnde ſicut ille digitus etiam dicitur medicinalis: ſic & pietas Dei noſtros defectus medicãdo ſanat. Et hoc eſt quod dicitur Iob 5, Increpationem domini ne reprobes: quoniam ipſe vulnerat & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. Quintus eſt digitus auricularis: qui inter omnes digitos eſt breuior: & ſignificat Chriſti humilitatem, qua breuis propter nos & paruus fuit factus, vt nos exaltaret. Iſtius humilitatis Chriſti conſideratio multos ad ipſum deducit. Propter quod ipſe ait, Venite ad me omnes, &c. Sed modum oſtendit, dicens, Diſcite à me, quia mitis ſum, &c.

*Matth. 5.*

Ex quibus omnibus patet qualiter Dei manus nos à mũdo deducit ad ipſum. Propter quod nunc ait Pſalm. *Etenim illuc manus tua deducet me*, &c. D

## 2437 Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Hic oſtendit conſequẽter quòd à Deo non poteſt effugere ratione obſcuritatis vel priuationis luminis. Et primò circa obſcuritatem proponit caſum: ſecundò ſoluendo reſpondet ad propoſitum: ibi, *Quia tenebræ.* Caſus ergo eſt. Aliquis poſitus in tenebris mala facit: quæritur ergo, Nunquid Deus illum videt, nũquid effugit præſentiam Dei? Quod ideo ſic ponit, quia fortè aliquis ignorans arbitrari poſſet; licet Deus ſit vbique preſens, non tamen vi- E det ea quæ fiunt in tenebris: ſicut homo exiſtens in loco tenebroſo & obſcuro, non videt ea quæ fiunt in præſentia ſua. Sic ergo eſt caſus, quòd nox ſit illuminatio mea in deliciis meis. Quaſi dicat, Ipſam noctem reputabo mihi pro lumine, in qua fruar deliciis meis: tamen ab alio videri non poſſum. Quod maximè obſeruant luxurioſi: iuxta illud Iob 24, Oculus adulteri obſeruat caliginem. Et Ioann. 3, Omnis qui malè agit odit lucem.

*Tenebræ ſunt peccata.*

Quantum autem ad ſenſum propheticum, notandum quòd per tenebras & obſcuritatem intelliguntur peccata, quæ animam obſcurant: intelliguntur tẽtationes & aduerſa, quibus mare huius ſæculi plenum eſt. Cogitauerat ergo iſte fugere à facie Dei irati ad faciem Dei placati: & hoc per pennas charitatis volando mente ad maris extrema, vt dictum eſt. Sed hæc cogitando & conſiderando quòd in tranſitu maris tanta eſt culparum, tentationum & B aduerſitatum obſcuritas: incipit dubitare ne ab illis rapiatur, & impediatur à propoſito. Et tamen reperit finaliter quòd iſta mundi aduerſa per noctẽ ſignificata ſeu figurata delicias mentis cauſant, & proſpera mundi conturbant. Et hoc eſt quod dubitando dicit, *Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me*: vtputa, forſitan peccatis implicabor quibus alæ charitatis deficient: vel aduerſis turbabor, & deficiam. Tamen reperi quòd nox (id eſt, mundi aduerſitas) me iuuat ad mundum relinquendum, & ad veras delicias tranſeundum.

*Nox ſignificat aduerſa.*

Et ſic reperi quòd nox eſt illuminatio mea in deliciis meis: quia nox aduerſitatis aperit oculos, quos claudit proſperitas mundi. Et quantum ad iſtum intellectum, ait hic Auguſt. *Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me.*

*Aduerſa illuminant.*

Qua- C ſi dicat, Ecce iam credidi in Chriſtum: iam erigor duabus alis geminæ charitatis: ſed abundat iniquitas huius ſæculi. Et quia abundauit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum.

*Matth. 24.*

In iſta ergo vita, inter tanta ſcandala, inter tam multa peccata, inter tantas turbas quotidianarum tentationum & aduerſitatum quid faciam? quomodo perueniam ad maris extrema? Attendens ergo longitudinem viæ, dixi mihi, *Forſitan tenebræ conculcabunt me: ſed nox illuminatio mea in deliciis meis.* Gratias illi qui me quæſiuit fugitiuũ, qui nocte (id eſt, aduerſis) me illuminauit: qui terga mea flagelli plaga percuſſit: fecit mihi illuminatam noctem, dum & Chriſtus aduerſa ſuſcepit, quibus ad delicias peruenirem æternas. Vel aliter: *nox illuminatio mea in deliciis meis*: vt ſcilicet per delicias intelligas verba ſacræ ſcripturæ, quibus illuminatur obſcuritas noſtræ mentis.

*Deliciæ dicuntur verba ſcripturæ ſacræ.*

*Greg. 16. moral. cap. 10.*

Et ſic iſtum textum deducit Gregorius, dicens, In ſacræ ſcripturæ verbis tot delicias inuenimus, quot ad D profectum noſtræ intelligentiæ diuerſitates accipimus: vt modò nos nuda paſcat hiſtoria: modò ſub textu literæ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria: modò ad altiora ſuſpendat contemplatio in præſentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans. Et ſciendum quòd quiſquis deliciis affluens, in quadam ſui remiſſione ſoluitur: atque à laboris ſtudio quaſi ex laſſitudine relaxatur. Quia nimirum anima cum internis deliciis abundare cœpit, terrenis iam operibus incubare minimè conſentit. Sed amore conditoris capta, & ſua captiuitate iam libera ad contemplandum eius ſpeciem deficiendo ſuſpirat, & quaſi laſſeſcendo conualeſcit.

*Proſperitas & delectatio mentis corpus ab operibus laſſat.*

Quia dum ſordida onera portare iam non valet, ad illum per quietem pro- E perat, quem intus amat: hinc etiam in admirationem ſponſæ ſcriptum eſt, Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens: quia nimirum ſancta eccleſia niſi verborum deliciis afflueret, de deſerto vitæ præſentis aſcendere ad ſuperiora non poſſet.

*Cant. 8.*

Deliciis igitur affluit & aſcendit: quia dum myſticis intelligentiis paſcitur, ad ſuperiora quotidie cõtemplanda ſubleuatur. Hinc etiam & Pſalmiſta ait, *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quia A dum per intellectum myſticum ſtudioſa mẽs reficitur, iam in ea vitæ præſentis obſcuritas fulgore Dei ſubſequentis illuminatur: vt etiam in huius corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat: & verborum deliciis paſta, prægustando diſcat quid de pabulo veritatis eſuriat.

## 2438 Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Hic ex caſu reſpondet ad propoſitum, oſtendens B quòd tenebræ non obſcurant viſum Dei. Quaſi, quantum ad literam, dicens, Nihil in tenebris exiſtens, à diuina cognitione obſcuratur: quia nox iſta Deo eſt dies, & tenebræ ſunt lux. Propter quod ſubdit, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quaſi dicat, Ita videt diuina ſcientia in tenebris, ſicut in luce. Ex quo ſequitur quòd fugiens ad tenebras, & ibi malè agens, à diuina ſapientia vel præſentia non fugit. Et hoc eſt quod dicitur 1. Ioan. 1, Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ: quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

*Ioan. 1.*

Quantum verò ad ſenſum propheticum, ſciẽdum quòd tenebræ vocantur ipſa peccata & peccatores homines: vt in pręcedenti verſiculo dictum C eſt. Item obſcurare aliquid, eſt idem quod illud occultare: quia quando res ſunt occultatæ, non videntur à nobis, ſicut nec res in occulto poſitæ. Et ſic eſt ſenſus, quòd tenebræ (id eſt, peccata vel peccatores homines) à Deo non obſcurantur, ſed manifeſtantur: obſcurantur autem ab hominibus qui illa occultare nituntur.

*Obſcurare idem eſt quod occultare vel abſcondere.*

Vnde hic ait Auguſt. *Quoniam tenebræ non obſcurabuntur à te.* Noli ergo tu obſcurare tenebras tuas. Deus enim illas non tenebrat, ſed magis illuminat: quoniam illi in alio Pſal. dictum eſt, Tu illuminas tenebras meas. Tenebrãt autem tenebras ſuas homines mali, homines perverſi: cum peccant vtique, tenebræ ſunt: dum verò non confitentur peccata quæ fecerunt, ſed inſuper defendunt, tenebrant tenebras ſuas. Ergo ſi iam peccaſti, in tenebris es: ſed confitendo tenebras D tuas, mereberis illuminari tenebras tuas. Defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis à tenebris tuis. Et quomodo euades à duplicibus tenebris, qui in ſimplicibus laboras? Sequitur, *Et nox ſicut dies illuminabitur*, &c.

*Dies proſperitas: nox aduerſitas.*

Vbi notandum, quòd ſicut dies naturalis habet tenebras & lucem, quia continet vigintiquatuor horas, ſic & vita præſens habet lucem & tenebras. Huius lux eſt proſperitas: nox verò aduerſitas. Quando autem homo gratia Dei tactus habet lucem proſperitatis, & non extollitur: habet noctem aduerſitatis, & non frangitur: tunc in ipſo nox ſicut dies illuminatur, quia æqualiter permanet in Dei laudibus tempore aduerſitatis, ſicut tempore proſperitatis. Et ideo tunc ſunt tenebræ eius, ita & lumen eius. Vnde hic Auguſt. *Et nox* E *ſicut dies illuminabitur.* Dies nobis proſperitas ſęculi: nox nobis aduerſitas ſæculi. Sed ſi cognoſcamus meritò peccatorum noſtrorum nos aduerſitates pati: & dulcia ſint nobis flagella patris, ne ſit amara ſententia iudicis, ſic habebimus tenebras noctis huius, ſicut lumen noctis huius. In hac enim mortali vita habent homines lucem, habẽt & tenebras: lucem proſperitatem, tenebras aduerſitatem. Sed vbi Chriſtus dominus venerit, & habitauerit ani- A mam per fidem, & donauerit patientiam: tunc incipit homo fidelis indifferenter in mundo iſto nec extolli proſperis, nec frangi aduerſis: ſed vbiq; Deũ benedicere. Et ſic fit illi quomodo dictum eſt, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Vel aliter: hic præuidẽs Pſalmiſta tempus Chriſti paſſionis & reſurrectionis, quòd ſcilicet tempore paſſionis Chriſti lux diei per tres horas obſcuraretur; ita quòd dies perderet tres horas luminis. ſic enim ſcriptum eſt, quòd ab hora ſexta vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Volẽs ergo Chriſtus ſatisfacere lumini diei amiſſi, in ſua reſurrectione per tres horas illuminauit noctẽ: ſic quòd ſol ante B tempus ſecũdum curſum naturæ debitum per tres horas antè ſurrexit.

*Sol per tres horas ante diem fuit ortus in reſurrectione Chriſti.*

Erat enim tunc æquinoctium: ſic quòd nox habebat duodecim horas, & dies totidem. Sed ſol ſurrexit hora nona, vt redderet diei tres horas quas amiſerat in paſſione. Et iſtam imaginationem habet Petrus Rab. ſuper illo verbo Mar. 15, Et valde mane, &c. dicens, Et valde mane vna ſabbathorum, &c. Si valde mane, quomodo orto iam ſole? Sic neſcit euãgeliſta quid dicat? Nouit planè quid dicat: nec enim errat, ſed relatio rei geſtæ cœlitus aperit ſacramenta. Nã prius dixerat, Ab hora ſexta vſque ad horam nonã tenebrę factæ ſunt. Sol ergo qui propter quòd domino compateretur morienti, abſceſſerat claritate, vt conſurge- C ret domino ante tempus occurrit. Et vt ſuo commoreretur autori, ipſam meridianam mortificauerat claritatem, vt conſurgeret autori ſuo, cunctis tenebris antelucanus erupit: valde mane, quia tũc ſol vt mane faceret, citius apparuit. Et qui antè fugerat, nunc ipſe noctem præuenit fugaturus: vt reddat nox lucis horas, quas tranſitus dominicæ paſſionis inuaſerat: quod antè præuiderat Pſalmiſta dicens, *Nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quia ſicut nox lucem diei per tres horas inuaſerat: ſic & lux diurna tres horas noctis inuaſit.

## Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ. 2439

Hic Pſalmiſta deſcripta eminentia diuinæ maieſtatis, conſequenter conſurgit ad eius reueren- D tiam. Poteſt autem conſiderari Deus vel in ſeipſo, vel in hominibus iuſtis quos inhabitat. Laudauit autem Deum in ſeipſo ſuperius: nunc ipſum laudat vt habitat in hominibus iuſtis. Et primò laudat ipſum in ſeipſo: ſecundò in amicis ſuis: ibi, *Mihi autem.* Quantum ergo ad primum, laudat Deum in ſeipſo ex quatuor: primò quia à Deo vocatus: ſecundò quia à Deo illuminatus: ibi, *Confitebor*: tertiò quia à Deo cõfortatus: ibi, *Non eſt occultatum*: quartò quia à Deo iuſtificatus: ibi, *Imperfectum.* Quantum ergo ad primum, ſecundum ſenſum literalem, laudat Deum qui ipſum vocauit de non eſſe ad eſſe, ipſum formando in vtero matris, & inde ipſum educendo, & in hac vita conſeruando. vt ſit ſenſus, Te laudo, tibi gratias ago, *quia tu poſſediſti renes* E *meos*: me de nihilo formando in vtero matris meæ: ideo iure ſum poſſeſſio tua: *Et ſuſcepiſti me de vtero matris meæ*: ſcilicet me inde educendo & hic conſeruando. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notandum quòd per renes in quibus delectatio carnis exiſtit, intelligitur omnis exterioris hominis delectatio: ſicut per cor intelligitur delectatio hominis interioris. Renes ergo poſſidet Deus, quando exteriores delectationes

*Renes ſignificãt delectationes exteriores.*

reprimit ſub regula rationis: ſic & tunc cor poſſidet, quando regulat cogitationes interiores igne ſui amoris. Sicut ab eo quærebat, dicens, Proba me domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum. *Pſal.25.* Volens ergo Pſalmiſta reddere cauſam quare illa nox ſicut dies illuminatur: ſcilicet quare æqualiter ſe habent in luce proſperitatis ſicut in luce aduerſitatis, reddit rationem, dicens, *Quia tu poſſediſti renes meos*: id eſt, delectationes meas tibi ſubiugaſti. Vnde hic Aug. *Quia tu poſſediſti*, &c. Quaſi dicat, Non ſine cauſa ſicut tenebræ eius, ita & lumẽ eius mihi fuit. Quia intus eſt poſſeſſor, qui non ſolùm cor tenet, ſed etiam renes: non ſolùm cogitationes, ſed etiam delectationes. Ipſe ergo poſſidet. Vnde ergo me delectaret aliquid lucis in nocte, quia ipſe poſſidet renes meos? Non noui delectari, niſi de luce interiori ſapientiæ ipſius. Quid ergo? Non delectaris de proſperitate rerum, nõ de proſperitate temporum, non de honoribus, non de familia? Non delector, inquit. Quare? Quia ſicut tenebræ eius mihi, ita & lumen eius. Vnde ergo tibi iſta indifferentia? Vnde ecce, quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me, &c. Vbi nota quòd per vterum matris ſuæ, intelligit conſuetudinẽ malorum. *Vterus matris quid ſignificat.* Qui enim in tali vtero ſunt, non æqualiter habẽt lucem & tenebras, proſperitatem & aduerſitatem: quia in proſperis eleuantur, in aduerſis deficiunt. Sed ille æqualiter habet illa, quem Deus ſua gratia de tali conſuetudine eripere dignatur. Et hoc eſt quod dicit: Illa quando eram in vtero matris meæ (id eſt, in conſuetudine mundi) non mihi æqualiter erãt: ſed ideo modò mihi æqualiter ſunt, quia tu de illa conſuetudine me ſuſcepiſti. Vnde hic ait Auguſt. Suſcepiſti me de vtero matris meæ. Quaſi dicat, Dum eſſem in vtero matris meæ, non indifferenter habebam tenebras illius noctis & lucem. Etenim vterus matris meæ, conſuetudo ciuitatis Babyloniç fuit. Qui autem in vtero matris illius Babyloniæ ſunt, gaudent proſperis ſçculi: franguntur aduerſis. De iſto vtero ſuſceptus fuerat Apoſtolus, cũ dicebat, Cùm autem placuit Deo, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, prædicare filium ſuum in me. *Ad Gal.1.* Quæ enim erat mater eius, niſi ſynagoga? Ille ergo qui Paulum ſegregauit ex vtero matris ſuæ, ipſe nos ſegregauit ab vtero matris noſtræ Babyloniæ: ſcilicet à conſuetudine mundi.

## 2440 Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.

Hic Deum laudat, quia à Deo illuminatus. Vnde concludit verſiculus, *Et anima mea cognoſcet nimis*. Quantum ad ſenſum literalem, nota quòd alia litera habet, *quia terribiliter magnificaſti me*: & eadem eſt ſententia, quia Deus non magnificatur in ſe, ſed in nobis. vide ver. 272. 523. 551. Vnde cùm Deus magnificat nos, oſtendit magnitudinem ſuæ bonitatis. Dicat ergo Dauid, *Confitebor tibi* (ſcilicet confeſſione laudis) *quoniam magnificatus es*: vel, *quoniam me magnificaſti*: quia me de gregibus ouium ſuſcepiſti, & ad regnum me vocaſti: & ſic me magnum feciſti. Ideo mirabilia opera tua, nõ ſolùm in me, quem ſic magnificaſti; ſed in omni alia creatura: quia nulla creatura eſt ita parua, quin in ipſa appareant mirabilia. *Deus cognoſcitur per creaturas.* Conſidera pulicem tam paruam creaturam, nónne ibi reperies mirabilia, quòd in tam paruo corpore, diſtinctè ſint formati oculi, os, pedes & venter? Conſidera araneam, cum quanto ſubtili artificio telã texit, quæ nullus hominum facere poſſet? Cõſidera granum paruum ſeminis, in quo magna arbor cõtinetur. Et ſic de ſingulis. Si enim tam mirabilia ſunt in paruis creaturis, quid cogitãdum de maioribus? Dicat ergo, *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis*: id eſt, valde cognoſcam quòd opera tua ſunt mirabilia, quia à te illuminatus. Hoc non cognoſcunt infideles qui iſta non Deo, ſed dęmonibus attribuunt. Quãtum verò ad intellectum propheticum, Pſal. ſuas vires conſiderans, dixerat ſuperius, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam*. Modò autem non vires ſuas attendens, ſed Dei gratiam qua eſt illuminatus, ſe confitetur ad ſcientiam Dei cognoſcendam pertingere poſſe. Quia reſpiciẽdo mirabilia quæ in creaturis & operibus Dei continentur, conſurgit ad cognoſcendam ſapientiam artificis qui illa creauit. Et hoc eſt quod dicitur Sapien. 13, Speciei enim genitor hæc omnia conſtituit. Intelligant ergo ab ipſis, quòd qui hæc fecit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum creator videri. Vnde Auguſt. hic ait, *Confitebor tibi*, &c. *Terribiliter* (inquam) *magnificatus es*: quia eo ipſo quo te miramur terribilis es, cum tremore gaudemus. Timemus enim ne donis tuis nos extollentes ſuperbia, mereamur amittere quod humilitate percepimus. *Mirabilia opera tua Deus, & anima mea cognoſcet valde*. Vnde hoc, niſi quia venit mihi gratia tua, & illuminauit tenebras meas? Vel ideo dicit, *Et anima mea cognoſcet nimis*, de futuro: volens dare differentiam inter cognitionem viç & patriç: quia omnis cognitio Dei à nobis hic in via eſt obſcura & ænigmatica: in patria autem erit clara & aperta: dicente Apoſtolo, Nunc cognoſcimus ex parte, quia videmus per ſpeculum in ænigmate: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. *1.Cor.13.* Vnde hanc claram de futuro cognitionem notans Pſal. dicit, *Et anima mea cognoſcet nimis*: quia ſcilicet illa cognitio reſpectu iſtius eſt nimia: id eſt, valde clara.

## Non eſt occultatum os meum ad te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. 2441

Hic laudat Deum, quia à Deo in bono confirmatus. Vbi primò notãdum, quantum ad literam, quòd hic accipitur os, non pro ore (vt declinatur os, oris) ſed pro oſſe, (quod declinatur os, oſſis.) In oſſibus enim ſtat firmitas corporis & fortitudo. Hoc autem os dicitur factum in occulto: quia oſſa carne ſunt velata & intra carnem occultata. Vult ergo Pſalmiſta dicere, Os meum quod feciſti in occulto, id eſt, intra carnem, in quo ſtat robur & fortitudo corporis, non eſt occultatum à te. Quaſi dicat, Qui feciſti oſſa intra carnem, quomodo à te eſſent occultata, qui illa in carne feciſti? Similiter & tota ſubſtantia mei corporis à te non occultatur, quamuis ſit in viſceribus terræ. Fecit enim Deus hominem, quo ad corpus, de limo terræ. Et ſic ſubſtantia corporis pro maiori parte eſt de terra: quæ eſt inter omnia elementa inferius. Erat ergo ſubſtantia corporis noſtri in inferiora terræ: quia erat ipſa terra, quæ eſt inferius elementum. Quæ tamen à Deo non eſt occultata, qui corpus noſtrum fecit ex terra. Aliter enim inſciens operatus fuiſſet, & non in ſapientia. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notandum



quòd per os, quod ſecundum Auguſt. oſſum dicitur, intelligitur patientia interior: qua fidelis in aduerſis non frangitur, quòd à Deo tale oſſum factum eſſe dicitur, quia talis virtus patientiæ eſt ab ipſo Deo: & in abſcondito, quia ſtat intus in anima: non exterius in apparentia corporis. *Os oſſis ſignificat patientiam & fortitudinem.* Vnde hic ait Aug. *Non eſt occultatum os meum*, &c. Quod os dicit quæramus illud. *Patientiæ fortitudo intus latet.* Hoc oſſum firmitas quædam eſt interior: quia in oſſibus firmitas quædam corporis & fortitudo intelligitur. Eſt autem in anima quædam interior non firmitas, ſed infirmitas, dum frangitur. Quædam verò firmitas, dum fortiter perſeuerat, dum tormenta quælibet, tribulationes & aduerſitates ſæuiunt: illud os quod Deus in abſcondito fecit in nobis, firmum permanet, non cadit. A domino enim facta eſt quædã firmitas patientiæ noſtræ. Et attende Paulum intus habentem hoc genus firmitatis, cum dicebat, Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. *2.Cor.6.* Vnde, quaſi triſtes? contumeliis, opprobriis, perſecutionibus, flagellis, plagis, lapidationibus, carceribus, catenis. Quis non eos tunc miſeros extimaret? Nec ipſi illi perſecutores ſæuirent in eos, niſi putarent eos miſeros fieri perſecutionibus ſuis. Illi enim eos ex ſua infirmitate triſtes extimabant, qui non habebant oſſum abſconditum interius. Iſti verò qui habebant, hominibus foris triſtes videbantur: intus autem gaudebant Deo, cui nõ erat abſconditum os ipſorum, quod fecerat in abſcondito. Sequitur, *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ*. Hic magis aperit oſſum iſtius conſtantiæ. Ibi enim magis laudanda eſt fortitudo patientiæ, vt maior eſt inclinatio ad ruinam. Vnde quid mirabile, quid magnum, ſi fortis eſt angelus, qui fragilitatem carnis trahentis deorſum non habet? Sed magnum eſt, ſi fortis ſit homo, qui carnem fragilem portat. Et hoc notans Pſal. dicit, *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ*. Quaſi dicat, ſecundum Gloſ. Ego ſubſiſto in carne corruptibili: & tamen os meum non cedit in malis huius vitæ inferioris. Et ad hoc ponit exemplum Auguſtinus de Apoſtolis tempore paſſionis, qui os firmitatis intus adhuc non habebant: dicens, Quando dominus paſſus eſt, diſcipuli nondum habebant illud os firmitatis interius: nondum in illis erat firmatum robur patientiæ, vnde latebant ſe, neſciebant vires ſuas. Auſus eſt Petrus promittere ſocietatem mortis cũ domini paſſione: & non ſe nouerat ægrotus, medicus autem nouerat ægrotum. Promiſit ille, Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Reſpondit medicus, Amen dico tibi, priuſquam gallus cantet, ter me negabis. *Lucæ 22.* Reſpõſio medici verior inuenta eſt, quàm ęgroti præſumptio. De iſtis ergo oſſibus dicit, *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto*: ſed bene ſupple à me eſt occultatum.

## 2442 Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Hic laudat Deum, quia à Deo iuſtificatus. Quãtum ad intellectum literalem, vult oſtendere Pſal. quòd Deus omnes homines nouit antequam ſint, & de ipſis ab æterno ordinauit quid ſit futurum: quia malos præſciuit ad mortem: iuſtos autem prædeſtinauit ad vitam. Et propter hoc ipſe laudat Deum, quia per ſuam prædeſtinationem eſt iuſtificatus. Vnde ait, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Tranſlatio Hieron. habet, *Informem me adhuc viderũt oculi tui*. Res enim antequam ſit formata, eſt imperfecta. Eſt ergo ſenſus: Antequã eſſem formatus, me viderunt oculi tui, quia Deus cognoſcit omnia antequam fiant: & tunc in libro tuæ prædeſtinationis me ſcripſiſti. Quaſi dicat, Non meis meritis à te ſum iuſtificatus: ſed tua prædeſtinatione: quia in libro tuo omnes ſcribentur, id eſt, ſcripti ſunt, id eſt, in notitia tua, quæ liber dicitur: quia omnia firmiter retinet ſine obliuione. Ponimus enim duplicem librum in Deo: ſcilicet librum vitæ, in quo prædeſtinati ſcribuntur: & librum mortis, in quo præſciti: tamen reſpectu diuinæ notitiæ quæ omnes tam bonos quàm malos comprehendit, vnus liber ambo dicuntur. Et ſic accipitur hic liber pro ipſa notitia diuina, quæ ſe ad bonos & malos extendit. Et ſicut ſcriptum eſt in libro illo, ita de facto eueniet. Et hoc notans Pſal. dicit, *Dies formabuntur*: id eſt, tempora futura formabuntur & euenient, ſicut in notitia tua præuiſum eſt: tempora, id eſt, omnia quæ fient in futuro tempore: non obſtante quòd futura nondum ſint. Et hoc eſt quod ait, *Et nemo in eis*: quia nemo eſt in tempore futuro, quod nondum eſt. Per hoc enim vult oſtendere quòd omnia tempora futura & omnia in eis fienda, Deo ſunt cognita: quia eius cognitio æternitate menſuratur, cui omnia tempora ſunt præſentia. Quãtum autem ad intellectum propheticum, notandum quòd prędeſtinati aliquando cadunt in peccatum, ſed finaliter à peccato reſurgunt: ſicut præſciti aliquando ſunt in ſtatu gratiæ, ſed ab illo finaliter cadunt. Reſurgunt autem prædeſtinati finaliter, quia Chriſtus oculo ſuæ miſericordię reſpicit illos. Prçſciti autem cadũt, quia ſuis demeritis Chriſtus deſerit illos. Sic enim in paſſione Chriſti cecidit Petrus, Chriſtum negando: ſed pòſt ſurrexit, quia reſpexit dominus Petrum: & egreſſus foras, fleuit amaré. Hoc ergo notans Pſal. in perſona Petri, immò etiam cuiuſlibet prædeſtinati cadentis, ait, *Imperfectum meum* (id eſt, caſum meum) *viderunt oculi tui*. Auguſtinus autẽ ponit quòd iſta ſint verba Chriſti, dicentis patri, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: & ad idem tendit. Vnde ſic ait, Quid autem Chriſtus dicat patri, audi, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: *Imperfectum meum*: id eſt, Petrum meum, pollicẽtem & negantem, præſumentem & deficientem. *Viſus vel reſpectus Dei reuocat peccatorem.* Viderunt tamen eum oculi tui. Nunquid eum & ipſe dominus reſpexit: ſicut ſcriptum eſt, Reſpexit Dominus Petrũ: & ipſe egreſſus foras, fleuit amaré? *Lucæ 22.* fletus ille de reſpectione domini fuit. Dicat ergo de Petro ſuo, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Nam Petrus imperfectus titubans in domini paſſione proculdubio ſibi dimiſſus periret: ſed viderũt eum oculi tui. Non ſolùm illum, ſed & omnes qui imperfecti fuerunt: donec Chriſti reſurrectione firmarentur. Quia tunc aperuit oculis illorum, non periiſſe in domino quod mortuum erat. Et factum eſt os illud in abſcondito eorum, vt etiam ipſi iam non timerent mori. Sequitur, *Et in libro tuo omnes ſcribentur*. Vbi notandum, quòd liber Dei dicitur Chriſtus. *Liber dicitur Chriſtus.* In libro enim ſcribuntur quæ agenda & quæ euitanda: quid imitandum, quid fugiendum. Sic Chriſtus dicitur liber, quia in ipſo habemus doctrinam omnium agendorum & fugiendorum. hic boni ſcribuntur, dum quæ agẽda ſunt in Chriſto contemplantur: hic mali ſcribuntur, dum peccata fugienda, per Chriſtũ oſtenduntur. Et hoc eſt quod ait, *In libro tuo omnes ſcribẽtur*: vt Chriſt⁹ dicat, In me libro tuo omnes docentur, quem me dediſti omni-

omnibus formam iuſtitiæ. Et in iſto libro dies formabuntur. Hic enim dies ſignificat prædeſtinationem, qui etſi aliquando cadant, per iſtum librum formantur, & ad ſtatum gratiæ reparantur. Dicat ergo Chriſtus, *Et dies formabuntur*: id eſt, prædeſtinati, vt Apoſtoli: de quibus dicitur, Dies diei eructat verbum. *Formabuntur*: ſcilicet in me, à quo perfectionem gratiæ ſumunt: *Et nemo in eis*: ſcilicet nullus in eis formabitur, vel per eos: ſed per me. Nullus enim ad ſtatum gratiæ adductus, dicit ſe in Petro vel in Paulo formatum: ſed in Chriſto. Dicat ergo Chriſtus, *Dies* (ſcilicet prædeſtinati) *formabuntur*: ſcilicet in me: *& nemo in eis*. Et hoc eſt quod Corinthios reprehendit Apoſtolus, qui in Paulo vel in Petro ſe dicebant formatos: 1. Corinthiorum 1, dicens, Significatum eſt mihi quòd diuiſiones ſunt inter vos. Quia vnuſquiſque veſtrum dicit, Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephę: ego autem Chriſti. Diuiſus eſt ergo Chriſtus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Sic ergo dies formantur in Chriſto, & nemo in eis.

*Pſal. 138.*

### 2443 Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Hic conſequenter Deum laudat in amicis ſuis, quos Deus mirabiliter magnificat. Et duo facit: quia primò oſtendit amicorum Dei exaltationem: ſecundò inimicorum depreſſionem: ibi, *Si occideris*. Prima diuiditur in duas: quia primò oſtendit amicorum Dei altam dignitatem: ſecundò ipſorum incomprehenſibilem numeroſitatem: ibi, *Dinumerabo eos*. Quantum ad primum, ſciendum quòd ſecũdum literam iſte textus dupliciter exponitur. Primò exponitur de angelis: quia vbi nos habemus, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*: in Hebræo habetur, *ſodales tui*. Et ſic intelligitur de ſanctis angelis, qui ſunt in ſocietate Dei & eius amici: de quibus in præcedenti Pſal. In conſpectu angelorum pſallam tibi Deus. Hi namque ſemper vident faciẽ patris, qui in cœlis eſt. De quibus ſubditur, *Nimis confortatus eſt principatus eorum*: id eſt, firmiter ſtabilitus principatus eorum. Angeli per ordines trium hierarchiarum ſunt diſtincti. Hierarchia autem idem eſt quod ſacer principatus. Ipſorum ergo principatus ſic ſtabilitus eſt, quòd amplius cadere non poſſunt. Secundò hoc exponitur de Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus: qui amici Dei dicuntur, dicente eis Chriſto, Ioan. 5, Vos autem dixi amicos. Principes etiam dicuntur, quia principatum in eccleſia tenent: de quibus dicitur Pſal. 44, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Iſti nimis honorati ſunt, quia locum Dei tenent in terris, vt Deus honoretur in illis. Iſti nimis confortati fuerunt, quia recepto ſpiritu ſancto, ſine timore verbum Dei per orbem prædicauerunt: vt non verba, vel verbera, ſed nec etiam ipſam mortem timerent. Actuum 4, Ibãt Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, &c. Vnde iſtum textum de Apoſtolis hic exponit Auguſtinus, dicens, *Mihi autem nimis*, &c. Ipſimet Apoſtoli qui in me formabuntur, & nemo in eis, amici tui facti ſunt, & mihi valde honorificati ſunt. Factum eſt in eis os illud poſt reſurrectionem domini in abſcondito. Et pro eius nomine paſſi ſunt: in cuius paſſione priùs trepidauerunt. Vnde valde confortatus eſt principatus eorum. Ipſi enim Apoſtoli facti ſunt duces eccleſiæ: facti ſunt arietes ducentes greges. Et ſic valde confortatus eſt principatus eorum. Et Gregorius iſtum textum adducit, oſtendẽs quàm altè Apoſtoli amici Dei facti ſunt honorati, quia cũ Chriſto orbis effecti iudices. Vnde ſic ait, Apoſtoli in vltimis cum Deo iudices veniunt, qui nunc pro Deo iniuſtè iudicantur in terris. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus perſequentium durius anguſtat. Tunc reproborum oculis pateſcit quòd cœleſti poteſtate ſubnixi ſunt, qui terrena omnia ſponte reliquerũt. Vnde Apoſtolis ſuis veritas dicit, Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Illic proculdubio culmen iudiciarię poteſtatis obtinebit, qui ſtimulo diuini amoris excitatus, hic poſſeſſa reliquit, vt ſimul iudex cum iudice veniat: qui nunc cõſideratione iudicis ſeſe ſpõtanea paupertate caſtigat. Hinc eſt enim quod de ſanctæ eccleſiæ ſponſa per Salomonem dicitur, Nobilis in portis vir eius, cum ſederit cum ſenatoribus terrę. Hinc Eſaias ait, Dominus ad iudicium veniet cum ſenatoribus populi ſui. Hinc eoſdem ſenatores nõ iam famulos, ſed amicos veritas dicit. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos. Quos nimirum Pſalmiſta intuens, ait, *Mihi autem honorati ſunt amici tui Deus*. Quorum dum celſitudinem cordis aſpiceret, mundi gloriam qua poteſtate calcarent, protinus addidit, dicens, *Nimis confortatus eſt principatus eorum*, &c.

*Angeli ſunt amici Dei & principes.*

*Apoſtoli sũt amici Dei & principes honorati & fortiſſicati.*

*Greg. 10. moral. cap. 30.* *Lucæ 18.* *Prouerb. 3.* *Eſa. 3.* *Ioan. 15.*

### Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum. 2444

Hic ponit amicorum Dei incomprehenſibilem numeroſitatem. Et exponitur iſte verſus dupliciter: ſicut & præcedẽs, ſcilicet de angelis & de Apoſtolis. De angelis quidem, quia certum eſt quòd ſunt in magno numero: de quibus dicitur Iob 25, Nunquid eſt numerus militum eius? Quod exponens Gregorius ait, In cognitione humanæ rationis numerus non eſt ſpirituum ſupernorum, quia quanta ſit illa frequentia inuiſibilis exercitus neſcit, de quo per Danielem dicitur, Milia miliũ miniſtrabant ei, & decies centena milia aſſiſtebant ei. Supernorum enim angelorum numerus infinitus eſt, & finitus exprimitur: vt qui Deo eſt numerabilis, innumerabilis nobis demonſtretur. Et hoc eſt quod in Chriſti perſona hic dicit Pſalmiſta, *Dinumerabo eos*: ſcilicet dicit Chriſtus, quia Chriſto ſunt numerabiles: ſed nobis ſuper arenam multiplicabuntur. Et quia Pſalmiſta per reuelationem Dei ſe futurum ad ſocietatem angelorum, ad quam iuſti aſſumuntur, ſciuit. Ideo ſubdit, *Exurrexi*: ſcilicet per gratiam tuam à peccatis quæ commiſi: puta adulterij, & homicidij, & ſuperbię, in numeratione populi: *Et adhuc ſum tecum*: ſcilicet per gratiam, ſupple & ero per gloriam. Secũdò hoc exponitur de Apoſtolis & iuſtis per eos conuerſis. Quamuis enim Apoſtoli numero eſſent pauci, quia duodecim: tamen per eos innumerabiles fideles ſunt generati. Et hoc eſt quod ait Chriſtus, *Dinumerabo eos*: ſcilicet Apoſtolos, qui faciliter numerari poterant. Sed nati per eos, ſuper arenam multiplicabuntur. Quaſi dicat, Erunt innumerabiles ab modũ arenæ.

*Angeli ſunt infiniti nobis: ſed Deo finiti.* *Greg. 17. moral. cap. 7.* *Daniel. 7.*





Vel aliter: per hoc vult deſignare quòd Chriſtiani per Apoſtolos geniti exuperabunt Iudæos, quia plures illis erunt. Vbi ſciendum quòd per arenam, quæ ſterilis eſt, ſignificantur Iudæi ſteriles immeritos. Vnde ipſos arenæ Deus comparabat: de ipſis dicens Abrahæ, Sicut ſtellas cœli & ſicut arenam maris. Per ſtellas enim, vt hic ait glo. populus Chriſtianus intelligitur: qui numeroſior eſt populo Iudæorum, qui arenæ propter ſterilitatem comparatur. Et hoc eſt quod ait, *Dinumerabo eos*: ſcilicet fideles, *& ſuper arenam*: id eſt multiplicabuntur ſuper Iudæos. Si autem quęras quæ fuit cauſa tantę multiplicationis Chriſtianorum, certè fuit reſurrectio Chriſti: quæ fuit cauſa non ſolum noſtræ reſurrectionis corporalis, quæ erit in fine, ſed etiam reſurrectionis ſpiritualis. Et hanc cauſam aſſignat Chriſtus, dicens, *Exurrexi*, id eſt iam paſſus ſum, iam mortuus ſum & ſepultus. Sed ecce exurrexi. Prædicantibus enim Apoſtolis reſurrectionem Chriſti, multa milia conuertebantur: vt patet in actibus Apoſtolorum. Sequitur, *Et adhuc ſum tecum*. Per hoc vult ſignificare Chriſtus quòd poſt aſcenſionem ſuam vſque ad diem iudicij corporaliter occultus eſt à nobis, manens cum patre, ſedens ad dexteram patris vſque ad diem iudicij, in quo omnibus corporaliter apparebit. Et hoc eſt quod ait, *Exurrexi*: ſcilicet à mortuis, ſupple & aſcendi: *Et adhuc*, id eſt toto medio tempore vſque ad diem iudicij: *tecum ſum*, occultus ab eis. Per hoc enim vult oſtendere deuotionem fidelium, qui in tanto numero ſunt multiplicati, cùm tamen corporaliter me non viderint. Iudæi autem me viderunt.

*Arena dicũtur Iudæi.* *Gen. 14.*

### 2445 Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate à me.

Hîc conſequenter oſtendit inimicorum Dei depreſſionem. Et diuiditur in partes duas: quia primò oſtendit malorum deteſtabilem conditionem: ſecundò à Deo poſtulat ſuiipſius cognitionẽ: ibi, *Proba me Deus*. Circa conditionem malorum tria oſtendit. primò quòd ſunt damnabiles: ſecundò quòd ſunt culpabiles: ibi, *Quia dicitis*: tertiò quòd ſunt odibiles: ibi, *Nónne*. Quantum ad primum, ſciendum quòd duplex eſt mors: ſcilicet corporis, & iſta eſt communis omnibus bonis & malis: quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori. ad Heb. 9. Alia eſt animæ. Et iſta duplex: quædam quam voluntariè ſibi inferunt peccatores: & iſta eſt mors culpæ. Alia quam violenter ſuſtinent: & iſta eſt mors gehennę: & iſtam infert Deus peccatoribus quos æternaliter damnat. Et hoc notans Pſalmiſta ait, *Si occideris Deus peccatores*. Hinc enim ly *ſi* ſtat pro quia: vt ſit ſenſus, Quia tu Deus occideris peccatores, id eſt quia tu occides peccatores obſtinatos, ſcilicet morte gehennæ: quæ dicitur mors ſecunda. Apocal. 20. Ideo Pſalmiſta ne occidatur cũ illis, ipſorum conſortium fugit, illis dicens, *Viri ſanguinum declinate à me*. Sanguis enim in ſcriptura peccatum ſignificat: vide verſic. 847. Et ſic viri ſanguinum dicuntur viri peccatorum: vel vir ſanguinum dicitur quilibet homicida. Cum ergo quilibet peccator, peccato ſeipſum ſpiritualiter occidat, vir ſanguinum dicitur. Horum ergo ſocietatem fugiens Pſalmiſta dicit, *Viri ſanguinum declinate à me*. Vel etiam hoc de morte culpæ poteſt intelligi, qua ſeipſos occidunt peccatores: quos tamen Deus dicitur occidere, quia permittit. Vnde hic ait Auguſtinus, *Si occideris Deus peccatores*. Sic enim occiſos vult intelligi, cum per ſuperbiam qua tumeſcunt, amittunt gratiam qua viuunt. Occidũtur peccatores, quia obſcurati intelligentia alienantur à via Dei. Amittũt enim confeſſionem propter elationem: atque ita in eis occiſis fit quod ſcriptum eſt, A mortuo homine, tanquam qui non ſit, perit confeſſio. Et notandum quòd peccator multipliciter occidit ſeipſum. Primò ore mẽtiendo: Sap. 1, Os quod mentitur, occidit animam. Secundò corde inuidendo: Iob 5, Paruulum occidit inuidia. Et Eccl. 30, Multos occidit triſticia: ſcilicet inuidiæ vel accidiæ. Vel ad literam: multos occidit corporaliter triſticia, opere legem tranſgrediendo, ſiue malè agendo. Sapientiæ 16, Homo per malitiam occidit animam ſuam. Romanorum 7, Peccatum ſeduxit me, & occidit me.

*Mors multiplex.* *Eccl. 17.* *Occidit peccator ſe multipliciter.*

### Quia dicitis in cogitatione, accipiant in vanitate ciuitates ſuas. 2448

Hîc oſtendit quòd ſunt culpabiles: & maximè in peccato cupiditatis & auaritiæ, quod radix eſt omnium malorum. Viri enim ſanguinum ſemper cogitãt qualiter aliorum bona poſſint rapere, alios inuadere, & ſe aliis pręferre. Quod procedit ex magna vanitate ſuperbiæ ipſorum. Vnde Pſalmiſta ſe modò vertit ad illos, dicens, Eſtis certè culpabiles, quia dicitis in cogitatione & in corde veſtro vt omnes accipiant: id eſt, inducitis alios ad hoc vt accipiant ciuitates ſuas: id eſt, aliorum bona ſiue loca. Vnde ly *ſuas* non refertur ad rapientes: ſed ad illos quorum ſunt bona quæ rapiuntur. Et hoc dicitis in vanitate: id eſt, ex vanitate ſuperbiæ moti. Vbi aduerte, quòd hic nomine ciuitatis intelligit bona mundi temporalia. Nam totus iſte mundus ad modum ciuitatis dicitur factus: vbi ſicut in ciuitate mixti ſunt boni cum malis, electi cum reprobis. ſed tamen differenter: quia in hac mundi ciuitate mali habitant mente & corpore, boni autem ſolo corpore: quia corde ſupernam ciuitatem inquirunt, dicentes cum Apoſtolo, Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Mali autem in hac mundi ciuitate habitant mente & corpore. In cuius figuram ille primus vir ſanguinum fratricida Caim, fuit primus qui in mundo ciuitatem ædificauit: Geneſ. 5, in ſignum quòd ciuitatem non erat habiturus in cœlis. Iſta eſt illa mundi ciuitas, quam filius Dei (aſſumpta noſtra humanitate) viſitare voluit: vt ipſam à cordibus excuteret, & auerteret à nobis eius amorem. Vnde ad eius aduentum tota hæc mundi ciuitas fuit commota. Matth. 21, Cùm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens, Quis eſt hic? Verè ad Chriſti aduentum vniuerſa mundi ciuitas fuit commota, quia de omni hominum genere ab eius amore commoti fuerunt: vt puta ſimplices & pauperes: vt paſtores in eius natiuitate. Luc. 2, Et reges & principes, vt magi, qui relinquẽtes regionem ſuam, ad ipſum adorandum venerunt. Et ſic de aliis ſtatibus hominum. Sed mali in obſtinatione ſua permanentes, iſtam ciuitatem quærunt, iſtam diligunt, & pro iſta laborant vt bonis temporalibus abundent. Quia omnes quærunt quæ ſua ſunt: ſcilicet quæ ſunt mundi, non quæ Ieſu Chriſti. Vnde in vanitate dicunt, *Accipiant ciuitates ſuas*. Et ſic nota quòd iſte mundus quamuis ſit vnus, tamẽ ciuitates in plurali dicitur,

*Ciuitas dicitur mundus iſte.* *Hebr. 13.* *Ciuitas vitiorũ multiplex.* *Epheſ. 2.*

quia quodlibet vitium in ipſo ciuitatem per ſe facere videtur. Primò ſuperbia hic facit ciuitatem ſuam. Vnde & ſuperbi ſe adinuicem hortantur, dicētes, Venite, faciamus ciuitatem & turrem, cuius cacumen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum. Iſti non aduertunt huius ciuitatis humiliationem futuram, de qua Eſa. 26, Dominus incuruabit habitantes in excelſo, & ciuitatem humiliabit vſque ad terram: & detrahet eam vſque ad puluerem. Secundò auaritia hic facit ciuitatem ſuam, quam ædificat de ſanguinibus pauperum. Vnde Abacuc 2, Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. Et iſta maledictionibus repletur, figurata in ciuitate Hiericho: quæ luna interpretatur, quia diuitiæ continuè vt luna mutantur: quia modò augentur, modò minuuntur: modò accedunt iſti, modò illi. de qua dicitur Ioſue 6, Sit ciuitas iſta anathema cum omnibus quæ in ea ſunt. Tertiò luxuria hic facit ciuitatem ſuam: quæ videtur ad momentum delectabilis, ſed aquas habet amariſſimas: ſcilicet diuerſarum ſtimulos pœnarum & laborum ſolicitudines: de qua 4. Regum 2, Habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſed aquæ ſunt peſſimæ, & terra ſterilis. Videtur huius habitatio optima, inquantum carnem delectat ad modicum: ſed in re ſterilis eſt, & peſſima: quia nunquam mentem quieſcere ſinit. Vnde Eſa. 23, Sume citharam, circue ciuitatem meretrix obliuioni tradita. Quartò crudelitas hic ſuam facit ciuitatem: de qua 3. Regum 14, Qui mortui fuerint in ciuitate, comedent eos canes. Et hęc ciuitas ſanguinum, quia crudeles in effuſione ſanguinis delectantur: de qua Naum 3, Væ tibi ciuitas ſanguinum dilaceratione plena. Quintò gula hic facit ciuitatem ſuam: de qua figuraliter Ioannis 4, Abierunt in ciuitatem vt cibos emerent. Sextò inuidia hic facit ciuitatem ſuam: de qua Ezech. 7, Fac concluſionem, terra plena eſt iudicio ſanguinum, & ciuitas plena eſt nequitia. Septimò inobedientia & rebellio hic facit ciuitatem ſuam. de qua 1. Eſdræ 4, Venerunt in Hieruſalem, ciuitatem rebellem & peſſimam &c. Et Pſal. 54, Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Octauò idolatria & infidelitas hic facit ciuitatem ſuā. Hæc eſt enim Athenienſium ciuitas: de qua Actuum 17, Incitabatur ſpiritus Pauli videns idolatriæ deditam ciuitatem. Sed quęlibet talis ciuitas finaliter erit ciuitas confuſionis & ignominiæ. Vnde Actuum 19, Impleta eſt tota ciuitas confuſione. Iſtæ ergo ciuitates malorum quas hic cupiunt habere & poſſidere, dicunt, *Accipiant in vanitate ciuitates ſuas*: non aduertentes quod ſcribitur Eſaiæ 24, Amara erit potio bibentibus illam: attrita eſt ciuitas vanitatis.

*Gen. 11.*

## 2447 Nónne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Hîc oſtendit quòd mali ſunt odibiles. Et primò oſtēdit quòd odire malos eſt actus virtuoſi: ſecundò quòd mali oditi ſunt ingrati: ibi, *Perfecto odio*. Quantum ad primum, ſciendum eſt quòd odium opponitur amori. Vnde tantum habet odium de ratione mali, quantum habet amor de ratione boni. Amor autem debetur proximo, ſecundum illud quod habet à Deo ſecundum naturam & gratiam. Non autem debetur ei amor ſecundum illud quod habet à ſe & à diabolo, ſcilicet peccatū & defectum iuſtitiæ. Et ideo licet primò debitum eſt in fratre & proximo odire peccatum, & omne illud quod pertinet ad defectum iuſtitiæ diuinæ: ſed ipſam naturam proximi & gratiam quam habet à Deo, nullus ſine peccato odio poteſt habere. Hoc autem ipſum quòd in proximum odimus culpam & defectum boni, pertinet ad fratris amorem. Eiuſdem rationis eſt quòd velimus bonum alicui, & odiamus malum ipſius. Vnde propriè loquendo proximus odiri non debet, ſed defectus proximi. Et ideo Pſalmiſta oſtendens quòd non proximum, ſed in proximum odio habebat defectum: præmittit primò ipſorum defectum, qui erat, quia illi Deum odiebant: dicens, *Nónne qui oderunt te domine oderam?* Quaſi dicat, Sic, quia ipſorum vitium ab hominibus eſt odiendum: ſicut & ipſum Deus odit, vt dicitur Pſalm. 5, Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. *Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam.* Quid autem ſit tabeſcere, vide verſic. 2231. Si autem dicat quis, Quomodo malos licet odire, cùm veritas dicat, Matth. 5, Diligite inimicos veſtros: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos? Sed attende quòd alij ſunt inimici noſtri, alij ſunt inimici Dei: ſicut alia eſt iniuria noſtra, alia iniuria Dei: quia noſtram ſupportare debemus, ſed nullatenus iniuriam Dei. Vnde hic ait Auguſt. Sed vbi eſt, Diligite inimicos veſtros? An quia Veſtros dixit, non Dei? Et benefacite his qui oderunt vos: nō ait, qui oderunt Deum. Ideo iſte ſecurus dixit, *Nōne eos qui oderant te domine, odio habui?* non dixit, qui oderant me. *Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam:* non dixit ſuper inimicos meos. Sed qui nos propterea oderunt, & propterea inimici ſunt, quia Deo ſeruimus, quid aliud quàm eum oderūt, & eius inimici ſunt? Nunquid ergo tales inimicos noſtros diligere non debemus? Aut non propter Deum perſecutionem patiuntur, quibus dicitur, Orate pro perſequentibus vos? Ideo attende quod ſequitur, *Perfecto odio* &c. Ex iſtis autem verbis Pſalmiſta ſuo exemplo nos excitat ad imitandum zeli rectitudinem: ſicut & aliis exemplis ad alias multas virtutes: vt oſtendit Gregor. iſtum textum introducēs, dicens, Ecce ad inſinuandā boni pro malo retributionem, Pſalmiſta de ſeipſo fatetur, dicens, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Ad dilectionem conditoris excitandam inſinuat, dicens, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Ad formam ſanctæ humilitatis imprimendam; ſecreta cordis ſui indicat, dicens, Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Ad imitandam zeli rectitudinem, nos ſuo exemplo excitans, dicit, *Nónne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Ad æternæ nobis patriæ deſiderium accendendum, vitæ præſentis longitudinem deplorat, dicens, Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt &c.

*Odiū proximi qualiter ſit licitū: qualiter non.*

*Quæſtio.*

*David exempla virtutum nobis tribuit.*

*Matth. 5.*

*Greg. 4. mor. cap. 34.*

*Pſal. 7.*

*Pſal. 72.*

*Pſal. 120.*

*Pſal. 138.*

*Pſal. 119.*

## 2448 Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.

Hîc oſtēdit quòd mali ſunt ingrati. Odire enim aliquem inquantum malus eſt, ex amore illius procedit: quia ſemper oppoſitum illius quod oditur placet & diligitur. Ergo aliquem habere odio vt malus eſt, eſt ipſum ſibi placere bonum, vel ipſum bonum eſſe deſiderare: qui eſt actus amoris. Sed pro amore reddere odium & inimicari, eſt actus ingra



ingratitudinis. Et hoc eſt quod Pſalmiſta malos oſtendit ingratos, dicens, *Perfecto odio oderam illos:* quod ſcilicet odium ex amore procedit: *Et ipſi inimici facti ſunt mihi.* Nam perfectum & perfectorum odium eſt odire vitia, ſed naturam diligere. Vnde hic ait Auguſt. *Perfecto odio oderam illos.* Quid eſt, *Perfecto odio oderam illos*, niſi Oderam in illis iniquitates eorum: diligebam conditionem tuam? Hoc eſt perfecto odio odiſſe, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Et vide quid adiungit, dicens, *Et inimici facti ſunt mihi.* Non iam tantum Dei, ſed etiam ipſos ſuos inimicos oſtendit. Quomodo ergo implebit quod ipſe dixit, *Nónne qui te oderant domine oderam*? Et quod dominus præcepit, Diligite inimicos veſtros? Quomodo implebit hoc, niſi illo perfecto odio, vt hoc in eis oderit quòd iniqui ſunt: hoc diligat, quòd homines ſunt? Sic etenim famulus Dei Moyſes, quomodo oderat peccantes qui vitulum adorauerant, cum pro eis orabat? Quomodo autem non oderat, cùm eos occidebat, niſi quia perfecto odio oderat illos? Ea nam perfectione ſic oderat iniquitatem quam puniebat, vt diligeret humanitatem pro qua orabat. Conſimiliter nobis præcepit dominus odire parentes, inſimul & ipſos diligere. Quod quomodo fieri poſſit, oſtendit Gregor. Dicens, Quidam vocatus à Chriſto, cùm ſibi diceret, Permitte me prius ire ſepelire patrem meum: veritatis ore protinus audiuit, Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. Tu autem vide & annuncia regnum Dei. Qua in re notandum eſt, quia vocatus diſcipulus dum à parētis ſepultura cōpeſcitur: hoc deuotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter dominum non licet, quod propter Deum & cæteris debet. Hinc rurſum veritas dicit, Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quo in loco videlicet dum propinquorum odio animæ quoque noſtræ odium ſubiungitur, patenter oſtenditur quòd ſic propinquos ſicut noſmetipſos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes, eorúmque carnalem gratiam cum impedit poſtponētes: diſcamus temperata eos diſcretionis arte & conuenienter diligere, & ſalubriter odio habere. Quatenus ſic ſciat per amorē odium iungere, vt valeamus eos per odium verius amare. Hinc rurſum per Moyſen dicitur, Qui dixerit patri ſuo & matri ſuæ Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum, & ſeruauerunt iudicia tua. Ille enim ſcire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis neſcire deſiderat, quos carnaliter ſciuit. Graui etenim damno ſcientia diuina minuitur, ſi cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quiſque ac proximos debet fieri, ſi vult parenti omnium verius iungi. Quatenus eoſdem quos propter Deum vtiliter negligat, tanto ſolidius diligat, quanto in eis affectum ſolubilem copulæ carnalis ignorat &c.

*Odiū perfectū quid eſt.*

*Greg. 7. mor. cap. 17.*

*Matth 8.*

*Odire aliquē inſimul: & diligere quomodo poſſumus.*

*Luc. 14.*

*Deut. 33.*

## 2449 Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Hîc Pſalmiſta à Deo poſtulat ſuiipſius cognitionem: & conſequenter directionem: ibi, *Et vide*. Quantum ad primum, ſciendum quòd homines etiam iuſti multoties in corrigendo vitia excedunt modum: quandoque verò minus debito ſe habent, quia in talibus difficile eſt tenere medium. Similiter & in affectionibus odij quo peccata odiūtur, & amoris quo natura diligitur. Quod totum ex hoc procedit, quòd homo non perfectè ſeipſum nec actus ſuos cognoſcit. Et ideo hic Pſalmiſta à Deo petit vt ſeipſum ſic cognoſcat, quòd in affectionibus odij vel amoris debito modo procedat. Et hoc eſt quod ait, *Proba me Deus, & ſcito cor meum.* Probat enim Deus aliquem, nō vt de nouo ſibi notus fiat: ſed vt aliquid alicui notū faciat. Et ſic dicitur Deus aliqua nouiter ſcire, quando alios illa ſcire facit. *Interroga me:* hoc eſt idem quod *proba me: Et cognoſce ſemitas meas:* id eſt, fac me cognoſcere & videre occulta cordis mei. Vel aliter: ſcire Dei eſt duplex: ſcilicet ſimplex notitiæ & cognitionis. Et ſic ſcit omnia æternaliter, tam bona quàm mala. Sic enim omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Aliter enim non bene iudicare poſſet de vitiis & meritis, nec illa debitè punire vel præmiare: quia vnuſquiſque bene iudicat de his quæ nouit, & horum ſolùm eſt bonus iudex: vt dicitur primo ethicorum. Alia eſt notitia approbationis. Et iſto modo illa ſolùm dicitur ſcire quæ approbat. Et ſic neſcit niſi bona, & mala ignorat. Sic enim dicit iniquis, Diſcedite à me operarij iniquitatis: quia neſcio vos: Matth. 3. Hic ergo accipitur notitia Dei approbationis. Et eſt ſenſus, *Proba me Deus, & ſcito:* id eſt, taliter proba cor meum & perfice vt tibi ſit cognitum & acceptum. Sic etiam de omnibus cogitationibus & operationibus ſubdit, *Interroga me, & cognoſce:* id eſt, approba ſemitas meas. Aduertendum etiam quòd Deus tūc electos ſuos probat, quando eos temporaliter aduerſitatibus premit quibus purgantur: vide verſic. 1740. 368. Item nota quòd probat Deus ſuos multipliciter: vide verſic. 1013. Item notandum quomodo Pſalmiſta ait Deo, *Interroga me* &c. Quòd Deus nos interrogat multipliciter: vt oſtendit Gregor. dicens, Tribus modis interrogare nos conditor cōſueuit. Aut cùm flagelli diſtrictione nos percutit, & quanta in nobis inſit vel deſit patientia, oſtendit: aut cùm quædam quæ nolumus præcipit, & noſtram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit: aut cùm aliqua nobis occulta aperit & aliqua abſcondit, & menſuram nobis noſtræ humilitatis innoteſcit. Flagello namque nos interrogat, cum mentem bene ſibi per trāquillitatem ſubditam afflictionibus pulſat. Vnde & Iob laudatur atteſtatione iudicis: & tamen ictibus tunditur percuſſoris, vt eius patientia tanto verius clareſceret, quanto inquiſita durius fuiſſet. Præcipiendo autem dominus nos interrogat: ſicut Abraham terram ſuam iubetur egredi & pergere quò neſciebat. In montem vnicum filium ſuum ducere, & quem ad conſolationem ſenex acceperat, immolare. Cui nimirum ad interrogationem bene reſpondēti, id eſt ad iuſſionem obedienti, dicitur, Nunc cognoui quòd timeas Deum. Vel ſicut ſcriptum eſt, Tentat vos Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum. Tentare quippe Dei eſt magnis iuſſionibus nos interrogare. Scire quoque eius, eſt noſtram obedientiam noſcere nos facere. Aperiendo autem nobis quædam aut claudendo nos interrogat Deus: ſicut per Pſalmiſtam dicitur, Palpebræ eius interrogant filios hominum. Palpebris quidem apertis cernimus, clauſis nil videmus. Quid ergo per palpebras Dei niſi eius iudicia accipimus, quæ iuxta aliquid clau

*Cognitio Dei duplex: viſionis & approbationis.*

*Interrogat nos Deus multipliciter.*

*Greg. 28. moral. c. 7.*

*Gen. 22.*

*Deut. 13.*

*Pſal. 10.*

clauduntur hominibus, & iuxta aliquid reſerantur: vt homines qui ſe neſciūt, ſibimetipſis innoteſcant, quatenus dum quædam intelligendo comprehēdunt: quædam verò cognoſcere omnino non poſſunt: eorum corda ſeſe latēter inquirant, ſi illos diuina iudicia vel clauſa non humiliant, vel aperta non inflant? Hac enim Paulus interrogatione probatus eſt: qui poſt acceptam internam ſapientiam, aperta clauſtra paradiſi, poſt aſcenſum tertij cœli, poſt ſupernæ loquutionis myſteria adhuc dicit, Ego non arbitror me comprehendiſſe. Et rurſum, Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus &c. Ecce ergo accenſis myſteriis, quaſi clauſis palpebris inquiſitus placita ac recta reſpondit, qui ſecreti aditum pulſans: quia per cognitionem intromitti ad interiora non valuit, per confeſſionem ante ianuas humilis ſtetit: & quod intus comprehendere non potuit, foras tacendo laudauit, dicēs, O altitudo ſapiētiæ & ſcientię Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Ad propoſitum, omnibus tribus modis pręd
ictis Pſalmiſta ſe à Deo poſtulat interrogari, vt ſeipſum reſpondendo cognoſcat, dicens, *Interroga me, & cognoſce*: id eſt, fac me cognoſcere ſemitas meas.

*Phil. 3. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3. Rom. 2.*

2450 Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.

Hîc poſtulat à Deo directionem. Vbi notandum quòd ad vitam æternam nullus cum peccato poteſt introire, niſi primò totaliter ab omni culpa fuerit purgatus. Sic enim dicitur Apocal. 21, Non introibit in illam aliquid coinquinatum &c. Idcirco Pſalmiſta ſciens quòd multoties in homine latet culpa quam ipſe ignorat: & per conſequens de illa debitam ſatisfactionem non poteſt facere, à Deo poſtulat vt omnia ſua peccata, ſi aliqua ſibi ſint occulta, manifeſtet: vt illis cognitis, per pœnitentiam debitè poſſit purgari: & per conſequens, ad vitam ęternam deduci. Et hoc eſt quod ait Deo, *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt*: id eſt, fac me videre & cognoſcere ſi aliqua culpa occulta eſt in me, vt illa cognita ſatisfaciam: *Et ſic deduc me in via æterna*: id eſt in beatitudinem æternā. Vel aliter: via dicitur vita qua pergimus ad patriam. Et hæc eſt duplex: ſcilicet vna mortalis via, ſiue vita. Et hęc eſt vita noſtra quæ deficit in multis. Alia eſt vita & via immortalis: & hæc eſt Chriſtus, per quem ad vitam beatam ducimur. Iſtas duas vitas hic tangit Pſalmiſta. Primam dicens, *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt*: id eſt, vide ſi in via vel vita mea eſt iniquitas. Secundam tangit dicens, *Et deduc me in via æterna.* Vnde hic ait Aug. *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt*: id eſt, ſcrutare ſemitas meas, conſilia & cogitationes meas: *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt*: ſiue faciēdo, ſiue conſentiendo: *Et deduc me in via æterna.* Quid aliud per hoc intēdit, niſi Deduc me in Chriſto? Quid eſt via æterna, niſi qui eſt vita ęterna? Æternus eſt enim qui dixit, Ego ſum via, veritas & vita. Si ergo aliquid inueneris in via mea quod diſpliceat oculis tuis, quoniam via mea mortalis eſt: tu deduc me in via æterna, vbi nulla eſt iniquitas. Quia & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris: ipſe eſt vita æterna ſine peccato: ipſe eſt vita æterna ſine ſupplicio.

*Via duplex: noſtra & Dei.*

*Via æterna dicitur Chriſtus Ioan. 14.*

*1. Ioan. 2.*

## PSAL. CXXXIX.

Eripe me domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. 2451

Titulus iſtius Pſalmi eſt, In finem Pſalmus Dauid. Et patet expoſitio ex ſuprà poſitis titulis multoties, ſecundum ſenſum literalem. De materia autem Pſalmi, quantum ad literam, dicunt doctores, quòd iſtum Pſalmū fecit Dauid dum contra ipſum duraret perſecutio Saulis, pro qua etiam multos alios Pſalmos fecit: quia illa perſecutio multo tempore durauit: vt patet ex primo libro Reg. Et ſecundum hoc Pſalmus iſte diuiditur in duas partes: quia primò Dauid ſuam liberationem à Deo poſtulat: ſecūdò perſecutorum punitionem explicat: ibi, *Caput circuitus.* Prima pars in duas: quia Dauid vt facilius à Deo exaudiatur, primò oſtendit perſecutorum malitiam: ſecundò ſuam in Deo confidentiam: ibi, *Dixi domino* &c. Dic vt Nicol. Quantum verò ad ſenſum propheticum, ſciendum quòd iſte Pſalmus eſt quædam vox & oratio corporis Chriſti: ſcilicet ipſius eccleſiæ. Quandiu enim in hac vita peregrinamur à domino, boni cum malis ſunt mixti, & mali cum bonis. Et multi nunc ſunt mali, qui futuri ſunt boni: & multi boni, qui futuri ſunt mali: & multi boni, qui etiam finaliter erunt boni: & multi mali, qui etiam finaliter erunt mali. Sed qui finaliter erunt boni & de corpore Chriſti, & qui mali & extra corpus Chriſti, nō eſt noſtrum ſcire. Nouit autem illos Chriſtus, qui eos ſuo ſanguine redemit. Difficile enim eſt in præſenti vita, vt noſipſos nouerimus: quanto minus de aliis properè debemus iudicare? Quia ſi quem hodie malum nouimus, fortè die craſtina bonus erit, & econtrario: & tolerādi ſunt mali. Ad propoſitum ergo, iſte Pſalmus eſt vox corporis Chriſti: ſcilicet bonorum qui ſunt mixti cum malis: inter quos gemunt, perſequuntur & premūtur aduerſis. Qui toto deſiderio quærunt ab iſtis totaliter liberari, & ad ſocietatem bonorum (id eſt beatorum, vbi nulli ſunt mali) perduci: vbi omnes ſint mēbrum Chriſti: & nullus ſit hoſtis Chriſti. quilibet enim aut eſt mēbrū Chriſti, aut hoſtis Chriſti. Timent enim quandiu hic viuunt, ab hoſte ſeduci: qui nō ſolum vno modo electos ſeducit, ſed quaſi infinitis. Verſipellis enim eſt ipſe, qui regnat in malis. Propter quod orat hic corpus Chriſti, de medio iſtorum liberari. Ex prædictis poteſt patere titulus Pſalmi, qui eſt, In finem Pſalmus Dauid. Per finē intellige Chriſtum: de quo ait Apoſtolus, Finis enim legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti. Sic ergo per Dauid intellige Chriſtum, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Ipſum autem Chriſtum hic accipe, nō vt caput, ſed vt corpus. vt ſit ſenſus, In finem Pſal. Dauid. Iſte Pſal. dirigens nos in finem (id eſt in Chriſtum) eſt ipſius Dauid: ſcilicet corporis Chriſti. Quibus viſis, accedo ad diuiſionē Pſal. Diuiditur ergo Pſalm. iſte in tres partes: quia primò mala quæ iuſti patiuntur à malis exponit: ſecundò contra dicta mala ſuam cōfidentiam in Deo ponit: ibi, *Dixi domino*: tertiò verò quæ mala malos inuoluant oſtendit; ibi, *Caput circuitus.* Quantum ad primum, notandum quòd ſicut omnes boni vnum corpus faciunt, quorum corporis caput eſt Chriſtus: ſic & omnes mali vnū corpus faciūt, cuius corporis diabolus eſt caput. Et iſtud malorū corpus bonos perſequitur, & ſecūdū mēbra, & ſecūdū caput: quoniā boni

*Iudicare alios facilè nō debemus.*

*Rom. 10.*



boni nō ſolum perſequūtur à malis hominibus, ſed etiam à capite ſuo, quod eſt diabolus. Et ſecundum hoc Pſalm. duo facit: quia primò agit de perſecutione bonorum facta à malis: ſecundò de ipſorum perſecutione facta à capite ipſorū: ſcilicet diabolo: ibi, *Cuſtodi me.* Prima in duas: quia cōtra perſecutionem malorum primò præmittit orationē: ſecundò ipſorum oſtendit perſecutionem: ibi, *Qui cogitauerunt.* Quantum ergo ad primum, ſciendum eſt quòd differentia eſt inter hominem malum & hominem iniquum. Nam malus dicitur qui ex intentione alteri nocet. Dicitur enim à malon, quod eſt nigrum: quia malus alios denigrare conatur eis nocendo. Sic enim illos agricolas qui ſeruos ad vineam miſſos occiderūt, & filium patrisfamilias inſuper ad vineam à domino miſſum, peremerunt, malos Chriſtus vocat: dicens de ipſis, Malos malè perdet. Similiter & aliis nocens & alios percutiēs, malus à Chriſto appellatur: dicens, Si autem dixerit ille ſeruus malus, Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere conſeruos ſuos &c. Iniquus autem dicitur non ſolum qui alteri nocere intendit: ſed etiam omnis peccator, quia ſibiipſi nocet. Vnde iniquus quaſi non æquus, nō rectus, non iuſtus. Et ſecūdum hoc ab iſtis duobus generibus hominum liberari orat Pſalmiſta. Et primò ab hominibus malis, qui à propoſito nocere intēdunt: dicens, *Eripe me domine ab homine malo*: ſcilicet à perſecutore, à tentatore, à raptore, à detractore & huiuſmodi. Secūdò quærit liberari ab iniquis: qui ſcilicet in ſeipſis non ſunt æqui, licet aliis nocere non intendant: dicens, *A viro iniquo eripe me.* Et aduerte quòd quilibet iniquus quamuis à propoſito alteri nocere non intendat: de facto tamē nocet. vt hic deducit Auguſt. dicēs, *A viro iniquo eripe me.* Iniquum dixit, nō iuſtum. A quo liberari orat, ne putes aliquem iniuſtum bonum eſſe. Sunt enim multi iniuſti, qui innocentes videntur, quaſi non nocentes: quia non ſunt ſæui, non ſunt aſperi, nō ſunt perſequentes alios & preſſuras aliis facientes: ſed tamē iniuſti & iniqui, alio quodam modo luxurioſi, ebrioſi, voluptatibus dediti: ſed tamē & iſti aliis nocent. Quomodo enim nulli nocet, qui ſibi non parcit? Innocens enim ille eſt qui non nocet: non autem qui ſibi nocet. Tibi autem quomodo poteſt non nocere qui ſibi nocet? Sed reſpondes, In quo mihi nocet? Non enim inuadit res meas, non ſalutē meā: luxuria ſua paſcitur, voluptatibus ſuis delectatur. Si iſtis ipſe inquinatur, hoc autem quid ad me pertinet: quia mihi moleſtus non eſt? Et reſpōdet Auguſt. Nocet tibi ſaltem malo exemplo: quia viuit tecum, & ad quod agit, inuitat. Nónne cùm eum vides in illis ſordibus proſperari, tentaris talium delectatione factorum? Et ſi non conſentis, ſaltem inueniſti quod expugnes. Quomodo ergo tibi non nocet, qui laboras vincere quod fecit in corde tuo? Nocens eſt ergo omnis iniuſtus & omnis iniquus: & neceſſe eſt vt nociuus ſit, ſiue ſit blādus, ſiue ferox. Vel aliter. Per hominem malum & iniquum non ſolum intelligit membra diaboli, homines ſcilicet malos, ſed etiā & maximè ipſum diabolum caput ipſorum: vt hic notat Auguſt. dicens, *Eripe me domine ab homine malo*: non ſolum à vaſis diaboli, ſed etiam ab ipſo diabolo: quia etiā ipſe homo in ſcriptura eſt appellatus. Nam cùm veniſſet inimicus & ſuper ſeminaſſet zizania, & ſerui dixiſſent domino, Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Reſpōſum eſt, Inimicus homo hoc fecit: qui diabolus fuit. Ab iſto ergo homine malo ora quantum potes, vt libereris. Item notandum quòd diabolus ſecūdū diuerſos modos tentationis quibus vtitur, diuerſis nominibus nūcupatur. Vnde quandoque dicitur auis, quandoque leo, quādoque homo: vt ſuper iſto verſiculo deducit Richardus, dicens, *Eripe me domine ab homine malo.* Tentatio diabolica quandoque eſt ſubita, quandoque violenta, quandoque fraudulenta. Hinc eſt quòd ſacra ſcriptura incentores vitiorum dæmones, nunc aues, nunc beſtias, nunc homines pro quadam appellat ſimilitudine. Subitò namque & quaſi auis volat, cum mētem ante deliberationem præoccupat. Tunc autem velut leo ſæuit, cum violentus ſentitur. Sæpe enim ex præcedenti cura agitur, vt vehemens & omnino poſtmodum intolerabilis tentatio oriatur. Et cum ad vim faciendā non præualet, ad fraudem ſe conuertit: vnde & hominis appellationem accepit. Solus namque homo inter animalia ratione vtitur. Vnde & illis etiam quibus fortitudine inferior eſt, ex ſingularitate ingenij principatur. Quaſi ergo homo eſt cum vtitur non tam fortitudine quàm calliditate: cum agit nō tam fortiter quàm prudenter. Ab huiuſmodi homine iniquo & malo, propheta ſe eripi poſtulabat, cum diceret, *Eripe me domine ab homine malo* &c. Acſi apertè dicat, Vide qualem & quàm aſtutum hoſtem ſuſtineo, cuius comparatione quaſi brutum animal appareo. Quanto enim animal brutum ab homine ex rationis priuilegio exceditur, tanto intelligentię noſtræ exiguitas calliditatis eius magnitudine ſuperatur. *A viro iniquo* (inquit) *eripe me.* Denique quia non ſolùm prudenter, ſed etiam fortiter eum agere deprehendit, hunc virum conuenienti vocabulo nuncupauit. Diabolum ergo malum nominat & iniquum: malū, quia ſemper nocere deſiderat: etiā iniquum malum, quia vltra æquitatis menſuram, modum ſæpe percuſſionis dilatat. *Eripe me*, inquit. Citò hoc fieri voluit, qui non libera, ſed *eripe* dixit.

*Malus differt ab iniquo.*

*Matth. 21. Matth. 24.*

*Omnis malus alteri nocet.*

*Homo iniquus dicitur diabolus.*

*Matth. 13.*

*Tētat diabolus trip. iciter.*

*Diabolus dicitur auis, leo & homo.*

Qui cogitauerūt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. 2452

Hîc conſequēter perſecutionem malorū oſtendit. Et oſtendit quòd mali dupliciter bonos perſequuntur: ſcilicet primò cogitatione: ſecundò locutione: ibi, *Acuerunt.* Quantum ad primum, ſciēdum quòd plus nocet occultus perſecutor, quàm apertus: plus occultus inimicus, quàm manifeſtus: quia à manifeſto ſibi poteſt cauere, non ab occulto. Facilius enim vitatur aperta fouea, quàm occulta: aperta inimicitia, quàm latēs. Nulla enim peſtis eſt ad nocēdum efficacior, quàm familiaris inimicus. Illi ergo qui contra nos mala cogitant & foris bona loquuntur, quomodo à nobis vitari poſſunt, cū cogitationes eorum nobis ſint occultæ? Ideo contra tales neceſſe eſt ad Deum recurramus: dicētes, *Eripe me domine ab homine malo.* Vnde hic Auguſt. *Qui cogitauerūt iniquitates in corde.* Propter eos enim hoc dicit, qui plerunque in labiis bona loquuntur. Facile enim eſt vitare apertas inimicitias: facile eſt auerti ab inimico manifeſto, cuius iniquitas iam in labiis eſt. Iſte eſt manifeſtus, ille occultus. Ille difficilè vitatur qui in labiis bona portat, & in corde mala occultat. Tales quotidie conſtituunt bella. De talium enim cordibus naſcitur quicquid eſt cōtra quod pugnat Chriſtianus. Si ſeditio, ſi ſchiſma, ſi hæreſes, ſi contradictio turbulenta: non hoc erumpit niſi de illis cogitationibus quę tegebātur.

*Adulatores difficilè vitātur.*

Et

Et quando bona labiis loquebātur,tamen tota die conſtituebant prælia.Pacata audis verba , ſed belli conſtitutio à cordibus non diſcedit.Vel hoc ad tētationes dæmonis poteſt referri. Dæmones namq; quandoque occulta bella nobis conſtituunt : quādo ſub ſpecie virtutum ad vitia trahere conantur. Quandoque verò bella aperta & de die cōtra nos faciunt,quando aperta mala ſuadent. Et hunc duplicem tentationis modum oſtendit Gregor.dicēs, Hoſtis enim callidus cōtra militem Chriſti diuerſa tentationum vulnera exquirēs , modò ex pharetra per inſidias eum vulnerat:modò ante eius faciē haſtam vibrat. Quia videlicet vitia & alia ſub virtutum ſpecie contegit : & alia vt ſunt aperta , eius oculis apponit. Vbi enim infirmari Dei militē cōſpicit,illic fraudis velamenta non requirit:vbi autem reſiſtere ſibi fortiter conſiderat,ibi contra vires proculdubio dolos parat. Nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt,apertè ſpeciem corporis quæ cōcupiſci valeat,eius obtutibus obiicit.Si autem fortaſſe aliquem validum cōtra auaritiā cernat , inopportunè eius cogitationibus ob domeſticorum ſuorum inopiam ſuggerit : vt dum mens ad prouiſionis curā quaſi piè flectitur , ſeducta furtim in rerum ambitū iniquè rapiatur. Iſtos ergo duos tentationis dæmonis modos hic ponit Pſalm.primùm occultum , qui ſtat in cogitatione: dicens,*Qui cogitauerunt iniquitates in corde.* Apertum autem cum ſubdit , *Tota die conſtituebant prælia.* Per diē namq; clara notitia deſignatur. Vnde Richardus iſtum verſum ad iſtum propoſitum tractās dicit,*Qui cogitauerunt iniquitates in corde* &c.Quod cogitamus,eſt occultatum:quod loquimur , manifeſtum. Coram ergo perfectis viris maligni ſpiritus iniquitatem cogitāt,quia inquantū poſſunt , fraudulenter perſuaſionis dolos occultant. Sub ſpecie enim boni bonis viris mala perſuadere volūt , quia ad opera mala eos omnino trahere non poſſunt: quòd ſi ſic præualere non valent , ad aperta & importuna mala illico ſe conuertunt. Vnde & ſubditur,*Tota die conſtituebant prælia.*Quia per noctē ignorātia,per diem intelligentia deſignatur:rectè in die mens impugnari dicitur , quando ex his tentatur quæ apertè eſſe mala intelligit.

*Tētat diabolus dupliciter: ſcilicet occultè & apertè.*

*Gregor.31. moral.c.30.*

## 2453 Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpē-tes:venenum aſpidum ſub labiis eorū.

Hîc oſtendit eorum iniquitatem in locutione. Vbi notandum quòd nomine linguæ intelligūtur verba formata per linguā : ſicut notatū fuit verſic. 1001. Et ibi nota quàm multipliciter Iudæi linguas ſuas contra Chriſtum acuerunt. Hoc autem quod dicit,*Acuerunt linguas ſuas* , dupliciter intelligi poteſt. Nam gladius acutus eſt aptior ad ſcindendum:eſt etiam magis politus ad lucendum. Sic & dupliciter dicitur lingua acuta ad ſcindēdum:quia apertè detrahit , apertè lacerat & ſcindit. Dicitur etiam lingua acuta,id eſt terſa & polita,lucēs : ſcilicet lingua palpans adulatoris. Primo modo mali linguam ſuam acuerunt cōtra Chriſtum,ipſi apertè detrahendo & perſequendo. De quibus dicitur Pſal.56,Filij hominum , dentes eorum arma & ſagittæ:lingua eorum gladius acutus. Quod ad literam de Iudæis Chriſto detrahentibus intelligitur: vt ibidem exponit gl.dicens , Filij hominum ſunt Iudæi,qui filij hominum , id eſt humiles & māſueti per legem eis datam eſſe deberent : ſed vt filij ferarum contra Chriſtum crudeles effecti fuerunt. Quoniam dentes eorum arma & ſagittæ. Per dentes eorum,irriſiones accipe:quorum verba erāt arma & ſagittæ. Arma,quantū ad aſtuta conſilia quibus ſe à morte Chriſti innocentes conabātur oſtēdere:ſed ſagittæ erant,quantum ad verba , quibus Chriſtum vulnerare conabantur. Et ſic lingua eorum erat gladius acutus,dū acutè detrahendo clamabant,dicētes,Crucifige,crucifige.Illæ enim voces vt gladius acutus,citam fecerunt Chriſti mortē.Non ergo excuſari poſſunt Iudæi à morte Chriſti. Quia etſi manus contra Chriſtum habuerunt inermes : os tamen eorum contra Chriſtum vt gladius fuit acutus.Vnde nō ſuffecit Iudæorum principibus contra Chriſtum acutam detractionis linguam extendere:quinimmo & populum ad acutas ſagittas verborum contra Chriſtum iacere procurauerunt,dū perſuaſerunt populis vt peterent Barrabam,Ieſum verò perderent. Secundò autem modo acuerunt linguas ſuas,id eſt politas fecerūt per verba adulatoria.Adulatores enim linguam habēt acutam,id eſt politam:intantum quòd dum palpare videntur , ſua acutie venenum infundunt. Et ad iſtum ſenſum propriè hic loquitur Pſalm.dicens, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes.*Vbi gl.*Acuerūt* &c. id eſt verba nequitiæ ſuæ polierunt. Et addit ,*ſicut ſerpentes.*Vbi Auguſt.*Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpētes.*Aſpice ſimilitudinem.In ſerpente maxima aſtutia eſt & dolus nocendi:propterea etiam ſerpit.Nō habet pedes,ne eius veſtigia cum venit audiantur. In eius itinere velut lenis eſt tactus : ſed non eſt rectus.Ita ergo repunt & ſerpunt ad nocendum , habentes occultum venenum & ſubtilem contactū. Et ideo ſequitur,*Venenum aſpidum ſub labiis eorū.* Ecce hoc eſt ſub labiis,id eſt abſconſum : aliud autem in labiis,ſcilicet apertum.

*Lingua dicitur acuta dupliciter.*

*Adulatores ſerpenti comparantur.*

## Cuſtodi me domine de manu peccatoris,& ab hominibus iniquis eripe me. 2454

Hîc agit de perſecutione bonorum facta à capite malorum,ſcilicet à diabolo.Et primò à Deo petit liberationem:ſecundò ponit diaboli & ſuorum perſecutionem : ibi , *Quj cogitauerunt.*Quantum ad primum , ſciendum quòd nomine peccatoris ipſe diabolus intelligitur:quia caput eſt omnium peccatorum,ſicut & Chriſtus omnium electorū. Hic enim nō ſolùm per ſeipſum,ſed etiam per membra ſua ſemper cogitat nos decipere , nos ſupplantare.Ideo neceſſaria eſt oratio : non quidem ne bona exteriora auferat , ſed ne noſipſos diuidat à Chriſto,& faciat de ſuo corpore nos eſſe.Vnde gl.*Cuſtodi me de manu peccatoris:*id eſt diaboli , qui aſtutus eſt ad nocendum : quia per multa diabolus fallit , quæ per nos præcauere nō poſſumus.Et quia etiam per ſuos nos decipit , conſequenter adiungit , *Et ab hominibus iniquis eripe me:*id eſt à mēbris eius,per quos conatur nos decipere , quando per ſe hoc nequit. Sic enim & Adam tentauit per Euam , & Iob per vxorem. Notandum quòd meritò à Deo cuſtodiri debemus petere:quia ipſe propriè cuſtos noſter dicitur , & ſine ipſo omnis noſtra cuſtodia eſt vana: dicens,Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem,fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Et aduertendum , quòd multa perſonarum genera recipit Deus in ſui cuſtodiam:vide verſic.1665.

*Pſal.128. Cuſtodit dominus multa perſonarū genera.*

## Qui cogitauerūt ſupplātare greſſus meos,abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. 2455



Hîc declarat intētionem perſecutorum,ſcilicet dæmonis & ſuorum. Principalis namque intentio ipſorum eſt , nō quidem nos damnificare in bonis exterioribus , ſed in interioribus : quia etſi damna quandoque rerum inferunt , vel ſalutem corporis frāgunt:tamen in iſtis ſuum finem nō ponunt , ſed in perditione animæ : vt ſcilicet membra diaboli nos faciant.Hoc autem dupliciter faciunt : ſcilicet per aſtuta conſilia , & per ipſorum mala exempla: ibi,*Et funes.* Quantum ergo ad primum , inducens ipſorum aſtuta conſilia,dicit,*Quj cogitauerūt ſupplātare* &c. Supplantare enim eſt aliquem ſub planta tenere,ſibi eum ſubiicere : vel idē quod aſtutis cōſiliis aliquem decipere. Sic ergo cogitāt dæmones ſupplātare greſſus noſtros , cùm ſuis maliciis greſſus noſtros(id eſt opera noſtra)ſibi ſubiicere conātur. Eſt ergo orandum vt nos dn̄s ab eis cuſtodiat, non quòd cuſtodiat bona exteriora , ſed ne ſupplātent nos. Vnde hic Auguſt.dicit , *Quj cogitauerunt ſupplantare* &c.Orare opus eſt. Sed multi imperitè orant aduerſus diabolum & malos. Sed audi quid orare oportet:*Quj cogitauerūt ſupplantare greſſus meos.* Quod poteſt carnaliter accipi. Habet enim quiſq; inimicum,qui in negocio cogitat ei fraudem facere,& ei auferre pecuniam quæ verſatur in cōmuni negocio.Habet vnuſquiſq; vitium,& cogitat malum ingerere domui eius , aliquid de re ipſius minuere.Et vtiq; dolo & fraude cogitat:& quòd machinamentis diaboli hæc ipſa geſtit implere,nemo dubitat. Sed tamen non propter iſta iſti cauendi ſunt:ſed ne inſidiando tibi,adducant te ad ſe,id eſt ne ſeparēt à corpore Chriſti, & faciāt te de corpore ſuo.Sicut enim bonorum Chriſtus caput eſt:ſic illorum caput eſt diabolus.*Quj cogitauerunt*(inquit) *ſupplantare greſſus meos.*Quid eſt hoc ? Non quaſi erres in negocio quod cum illo habes,& decipiat te in cauſa , quæ cum illo tibi communis eſt in foro. Sed greſſus tuos ſupplantabit , ſi te impedierit in via Dei:vt illud quod rectum intendebas , titubet, aut labatur à via , aut cadat à via , aut remaneat in via, aut retroreuertatur vnde venerat.Quicquid tale fecerit,ſupplantauit te,decepit te.Cōſidera ergo huiuſmodi inſidias:ora ne perdas cœleſte patrimoniū.Sequitur,*Abſconderūt ſuperbi laqueum mihi.* Quid eſt laqueus malorum ? Laqueus enim aliquādo dicitur peccatum:vide verſic.139. Quādoq; dicitur doloſa cogitatio:vide ver.106. Quandoq; laqueus dicitur falſa cōſilia Iudæorū:vide verſic.921.Et ſic Iudæi multos laqueos abſconderunt Chriſto:vide verſic.440.Vel aliter nota quòd laqueus diaboli & ſuorū eſt multiplex,quem nobis abſcōdunt vt nos decipiāt : vide verſic.2284.quod totum ex inuidia eorum procedit. Quod oſtendens Auguſt.hic ait, *Abſconderūt ſuperbi laqueum mihi.* Totum corpus diaboli explicatur cum ait,*Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.*Ipſi ſunt qui cum ſint falſi iuſti , neceſſe eſt vt inuideant veris iuſtis.Nemo enim inuidet alteri in eo quod non vult vel eſſe , vel videri.Alius tibi inuidet , quia diues es:aut vult diues eſſe , aut putari diues.Alius tibi inuidet , quia clarus & nobilis es: aut hoc eſſe ſe affectat,aut putari cupit. Et ſic omnia quæ putantur aut videntur bona in ſæculo, quòd quiſque vult habere & in quo vult excellere, vel cuius rei famam captat , in eo tibi inuidet. Iſti autem qui falſi ſunt iuſti , videri volunt iuſti , cum non ſint.Neceſſe eſt ergo vt quem viderint verum iuſtum,inuideant illi : & hoc cum illo agant vnde amittat hoc in quo gloriatur.Inde veniunt omnes ſeductiones & ſupplantationes.Hoc prior ipſe diabolus voluit:qui cadens,ſtatum homini inuidit.Et quia ipſe amiſit regnum cœlorum,hominem illuc peruenire non vult.Et id nunc agit , vt homo illuc non perueniat vnde ille deiectus eſt. Dicamus ergò homini iniuſto,Quare inuides iuſto?quia videri vis iuſtus ? Fac ergo quod melius eſt , & facilius eris quod vis videri.Etenim ſi inuideris diuiti,non tamen eſt in poteſtate tua vt diues efficiaris. Si inuideris honeſto alicui ſenatori & nobili,non eſt in poteſtate tua vt nobilis efficiaris & clarus. Si inuideris pulchro vel forti,non erit in poteſtate tua , vt pulcher vel fortis efficiaris. Si inuides iuſto , res in poteſtate tua eſt.Eſto quòd doles alterum eſſe. Nō enim empturus es quod tu non es,& alius eſt.gratis conſtat , citò conſtat : citò & gratis iuſtus eſſe potes.

*Cogitat diabolus nos perdere.*

*Orare quid debemus contra diabolū.*

*Inuidia diabolus & mali nos tentāt.*

*Inuidia vnde habet ortum.*

*Geneſ.31.*

*Inuidia cōtra iuſtos faciliter poteſt ſanari.*

## Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. 2456

Hîc oſtendit malorum perſecutiones per ipſorū mala exempla.Vbi notandum quòd per funes peccata intelligūtur,quę peccatorē ligant:Prouerb.5, Funibus peccatorum ſuorum cōſtringitur quiſq;. Quod oſtēdit Gregor.ſuper illo verbo Iob 11,Baltheum regū diſſoluit , & præcingit fune renes eorum:dicens , Qui membrorum ſuorum motus regere ſciunt bene,non immeritò reges vocātur.Sed cùm de elatione mens tangitur,plerumque omnipotens Deus eius ſuperbiam deſerens,hanc immūdicia operis cadere permittit. Regum itaque baltheum diſſoluit,quando in his qui bene regere ſua membra videbātur,propter elationis culpam , caſtitatis in eis cingulum deſtruit. Quid ergo in fine accipitur,niſi peccatum?ſicut per Salomonem dicitur,Iniquitates ſuæ capiunt impium , & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur quiſq;. Et quia in renibus,carnis delectatio principatur,diſtrictus conſcientiarum iudex qui regum baltheum diſſoluit,fune præcingit renes eorum:quatenus diſſoluto caſtitatis cingulo,eorum membris peccati funis circūdetur.Vt quos in occulto ſuperbia inquinat, quàm ſint deteſtabiles etiam in publico oſtendat. De funibus peccatorū , vide verſic.2134. Quid eſt ergo *funes extenderūt in laqueum* , niſi peccata ſua extenderunt,id eſt oſtenderunt,& publicauerunt , vt eorum exemplo alij cadant & peccēt ? Vnde alia litera,ſecundum Auguſtinum,habet , *Et reſtes extenderunt in laqueum :* quod ad idem redit. Nam ſecundum grammaticos reſtis dicitur à rete : & eſt reſtis funis,vel quod fit ex funibus , vel ad aliud trahendum.Peccata ergo reſtes dicuntur vel funes , quia vnum ad aliud trahunt. Vnde hic Auguſt.ait,*Et reſtes extenderunt mihi.*Dicit Eſaias , Væ his qui trahūt peccata , ſicut reſtem longam. Quare autem peccatum dicitur reſtis?quia omnis peccator perſeuerās in peccatis ſuis,addit peccata peccatis. Et cum debeat accuſatione peccati ſui corrigi , defenſione duplicat quod poſſet confeſſione auferri. Et plerunque aliis peccatis vult munitus eſſe propter illa quæ commiſit.Puta,fecit quis adulterium,& ne occidatur,patrat homicidium.Addit peccato peccatum.Rurſus ſi ei contigerit facere homicidium, iam qui vnum crimen timebat,duo timet.Et vtiq; cum

*Funes dicuntur peccata.*

*Gregor.11. moral. cap.9.*

*Prouerb.5.*

*Publicus fornicator dat aliis exemplū cadēdi in peccatum.*

*Peccata dicūtur reſtes.*

*Eſaiæ 5.*

A cum viderit ſepulcra timere quod antè timebat, non curat minuere quod antè fecit: ſed magis addere quod nōdum fecit. Quærit fortè & veneficū. Tria ecce habet. Inde iam quis cogitat, quis finiat reſtem peccatorum? Et optimè peccatum dicitur reſtis, ſiue funis. Vt enim torqueatur reſtis, additur. Et non adduntur recta fila, ſed torta. Prauitas ſibi connexa ducitur in longū: & non cogitat præcidere quod malè texuit, ſed addere. Ad propoſitū ergo, ſic funes ſiue reſtes dicūtur peccata, quæ mali bonis extendunt in laqueum: quando per exemplum eis ſuadent facere mala quæ ipſi faciunt. Sequitur, *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Quid autem eſt iter ſiue via, niſi Dei præcepta quæ ducunt ad vitam? Matth. 19, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. B Scandalum autem idem eſt quod ruina ſiue occaſio ruinæ. Quid eſt ergo, *Iuxta iter ſcandalū poſuerunt mihi*, niſi iuxta præcepta Dei poſuerunt mihi occaſionem ruinæ? Non dicit in itinere, ſed iuxta iter. Quia mali bonos tentantes, non impugnant diuina præcepta, ſed dicunt illa ſancta eſſe & bona: ſed iuxta illa ponunt occaſiones ruinæ, dum ex illis hominem ad malum inducere volunt. Verbi gratia: Iter domini vel præceptum eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Iuxta hoc tibi malus ſcandalum ponit: dicens, Tu es libidinoſus, & hoc eſſe te diligis: ergo debes diligere proximum tuum talem eſſe: ergo per exempla tua fac illum eſſe libidinoſum: & ſic de aliis. Et hoc eſt ponere ſcādalum, non in itinere, ſed iuxta iter.

*Scandalum quid ſit.*

2457 Dixi domino, Deus meus es tu: exaudi domine vocem deprecationis meæ.

Hæc eſt ſecunda pars, in qua iuſtus contra prædicta mala in Deo ponit ſuam confidētiam. Et tria facit, quia primò in Deo ponit ſuam confidētiam: ſecundò à Deo cognoſcit ſuam conſtantiam: ibi, *Domine domine*: tertiò à Deo petit in bono perſeuerantiam: ibi, *Non tradas.* Quantum ad primum, notādum quòd nullus homo, nullus angelus propriè dicitur dominus: ſed ſolùm Deus omnium verus eſt dominus: vide verſic. 1633. Veruntamen quanuis ſit dominus & Deus omnium generaliter, tamē fidelium & iuſtorum ſingulariter dicitur dominus & Deus: quia illi ipſum verum Deum recognoſcūt & dominum. Quia ergo omnium verus eſt dominus, omnes malos compeſcere poteſt. Et ideo contra omnia prædicta vitia & perſecutiones ſolum in ipſo ſpes eſt ponenda. Et hoc eſt quod ait Pſalm. *Dixi domino, Deus meus es tu.* Quaſi dicat, Illi perſecutores homines ſunt, ſed non mei domini: tu verò Deus es, & Deus meus. Vide magnam fiduciam cū dicit, *Deus meus es tu.* Vnde Auguſt. Nunquid & illorum eſt Deus qui nos perſequuntur? Cuius nō eſt Deus, qui verus eſt Deus? Sed tamen propriè illorū eſt Deus qui eo fruuntur, qui ei ſeruiunt, qui libēter ſub illo ſunt. Nā & mali ſub illo ſunt, quamuis inuiti. Iuſti appellant Deum, à quo coronētur: mali fugiunt Deum, à quo damnentur. malus ergo qui nōn vult habere dominum in Deum ſuum, quò fugiet Deum omnium? Bonum eſt ergo illi vt cōuertatur ad Deum omnium, faciātque illum conuerſione ſuum: & poſitus inter tales ſuperbos & ſeductores, in domino Deo confidēs dicat, *Dixi domino, Deus meus es tu.* Sequitur, *Exaudi domine vocem deprecationis meæ.* Per hoc enim vult oſtēdere deuotionem

*Deus eſt omniū Deus, ſed propriè bonorum.*

*Vox propriè eſt bonorum.*

A orantis. Nam multi ſunt orantes, qui vocem non habent, ſed ſolum ſonum. Sed iuſti orantes, ſonum habent & vocem. Vnde dicit iſte, *Exaudi domine vocē deprecationis meæ.* Vbi ſciendum quòd vox propriè eſt animalium vitam habentium. Illa enim quæ vita carēt, ſonum reddere poſſunt: ſed vocem formare non poſſunt. Nam vt dicitur lib. 5. de proprietatibus rerum, vox eſt aër tenuiſſimus plectro linguę ictu formatus. Eſt enim plectrum vltima pars linguæ, quæ ſe flectendo hinc inde vocem format. Inſtrumentum autem ipſius vocis multiplex eſt: ſcilicet pulmo, guttur, gula, os, dentes, labia, & huiuſmodi. Quorum quædam ſunt matrice vocis receptiua: ſicut pulmo cum ſuis receptaculis & canalibus. Quædam ſunt vocis directiua: ſicut guttur. B Quædam ſunt vocis ordinatiua: ſicut gula, quę vocem pulchram reddit & fortem: quia aërem introeuntem, ne nimis impetuosè exeat, refrænat: & à receptione pulueris, guttur & alia organa vocis obſeruat. Ex quibus bene patet quòd nihil formare poteſt vocem: niſi ſit animal & vitam habeat. Sic in propoſito, ſpiritualiter nullus orādo propriè vocem format, niſi vita ſpirituali viuat. Peccator mugire poteſt vel ſonare: ſed vocem formare non poteſt. Ad propoſitum ergo, Pſalm. volens oſtendere in ſua oratione ſuam deuotionem, oſtēdit ſe vitam habere gratiæ, qua orando format vocem. Et hoc eſt quod ait, *Exaudi domine vocem deprecationis meæ.* Vnde iſtum intellectum hic innuit Auguſt. dicens, *Exaudi domine vocem* &c. Simplex quidem ſententia C eſt & facilis ad intelligendum. Sed fortè delectat cogitare, quare non dixerit Exaudi deprecationem meam, ſed expreſſius dixit, *Exaudi vocem deprecationis meæ.* Vox quidem deprecationis eſt, vita deprecationis, anima deprecationis. Nō enim omne quod ſonat in verbis meis vox eſt: ſed vnde viuunt verba mea. Cæteri enim ſtrepitus ſine anima, ſoni dici poſſunt: voces dici non poſſunt. Vox propriè animatorum eſt: viuorum eſt. Quòd multi autem deprecantur Deum, & non ſentiunt Deum: nec bene cogitant de Deo, ſonum deprecationis habere poſſunt, vocem habere nō poſſunt. Pſalmiſta ergo vocem in deprecādo habebat, quia inde erat vox vnde viuebat, quia Deum ſuum intelligebat, quia à quo liberaretur videbat, & à quibus liberaretur D ſentiebat. Sed qualiter iſtam vocem deprecationis Deo commendet oſtendit, ſubdens,

*Vox quomodo formatur.*

Domine domine, virtus ſalutis meæ: obumbraſti ſuper caput meum in die belli. 2458

Hîc à domino recognoſcit ſuæ firmitatis conſtantiam. Inter omnes virtutes, perſeuerantia boni operis ſummè diſplicet diabolo: quia ſine iſta nulla virtus proficit, nullus ad palmā pertingere poteſt: omnes ad manus diaboli cadunt. Vnde cùm bonū aliquod agimus, neceſſe eſt vt in illo perſeueremus. Propter quod ait Gregor. Sunt nonnulli qui cū bona aliqua faciunt, iniquitatū ſuarū protiE nus obliuiſcuntur, & cordis oculū in cōſideratione bonorū operū quæ exhibent agunt; atq; eo ſe iā ſanctiores æſtimāt, quo inter bona quæ agunt malorum ſuorū in quibus & fortaſſe adhuc implicati ſunt, memoriā declināt. Qui ſi diſtrictionē iudicis vigilanter attenderēt, plus de malis ſuis metuerēt, quàm de imperfectis bonis exultarent. Plus inſpicere de his quæ eis adhuc agenda ſunt, debitores tenen-

*Perſeuerātia boni eſt neceſſaria.*

*Gregor. 22. moral. cap. 6.*



A tenentur, quàm) quòd operātes quædam iam partem debiti ſoluunt. Neque enim abſolutus eſt debitor qui multa reddit, ſed qui omnia. Nec ad brauiū victoriæ peruenit, qui in magna parte ſpectaculi velociter currit: ſi iuxta metas veniens, in hoc quod eſt reliquum deficit. Neque ad quælibet deſtinata loca pergentibus inchoando longum iter capere, ſi non etiam valeant totū conſumare. Quia ergo vitam æternam quærimus, quid aliud quàm quædam itinera agimus, per quæ ad patriam feſtinamus? Et quid prodeſt quòd capimus multa, ſi ea quæ ad perueniendum reſtant, negligimus? &c. Ex quibus apparet quòd nulla virtus ſalutē obtinet, niſi ſola perſeuerantia. Et iſtam quis inter tot ſcandala, tentationes & perſecutiones haberet, niſi ſinB gulari gratia Deus illam adminiſtraret? Vnde hanc à Deo Pſalm. recognoſcens nunc dicit, *Domine domine, virtus ſalutis meæ.* Vnde hic ait Aug. *Domine domine, virtus ſalutis meæ*: i. qui das vires ſalutis meę. Quid ſibi vult, *virtus ſalutis meæ*? Conquerebatur enim Pſalm. de ſcandalis, de inſidiis peccatorum, de malignis hominibus, de ſuperbis & inuidentibus: inter quales neceſſe eſt vitam ducere, dum hic temporaliter viuimus. Talia ſcādala dominus prædixit futura, cùm ait, Abundabit iniquitas, refrigeſcet multorum charitas. Sed ſtatim remedium adiunxit, dicens, Qui autem perſeuerauerit vſque in finē, hic ſaluus erit. Attende, iſte timuit, & abundantia iniquitatum turbatur. Reſpexit, & vidit remedium: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Propoſuit ſe perſeuerare: ſed vidit C longam viam. Sed quia perſeuerare magnum eſt & difficile, ipſum orauit ad perſeuerantiam ſuam, à quo illi iuſſum eſt vt perſeueraret. Vnde ait, Tu es virtus ſalutis meæ: tu me facis perſeuerare vt perueniam ad ſalutem. Sequitur, *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Vbi aduerte quòd in vita præſenti habemus non ſolùm continuè bellum extrinſecū, quia cōtinuè impugnamur à diabolo & ſuis membris: ſed etiam bellum inteſtinū, quod fortius nos premit: ſcilicet legem membrorum, fomitem carnis: qui ſemper legi rationis repugnat. De quo dicit Apoſtolus, Video aliam legē in membris meis repugnātem legi mentis meæ, & captiuum me dicentem in legem peccati. In iſtis bellis cōtinuè iuD ſtus pugnando fatigatur, caleſit, areſcit, & quaſi incipit deficere. Vnde dicit fatigatus. Pugno foris contra fictos & malos: pugno intus contra concupiſcentias meas. Sed ſic fatigatus, ad gratiam Dei reſpicit. Et qui iam æſtuabat & quaſi areſcebat, ſub vmbra diuinæ gratiæ incipit reſpirare & habere refrigerium. Et hoc eſt quod ait, *Obumbraſti ſuper caput meum*: id eſt ſuper mentem meam in die belli. Vel aliter, maximum remedium in bellis noſtris aduerſitatis & perſecutionū eſt conſideratio Chriſti paſſionis. Qua conſiderata, omne quod fideli graue videbatur, apparet leue. In paſſione autem Chriſti Deus ſuper illum obumbrauit: id eſt vmbram fecit, quia ſol obſcuratus eſt, in figurā quòd omnes in ſuis paſſionibus illius paſſionis memoE res, vmbram refrigerantem inde haberent. Vnde & paſſionis memor Pſalm. dicit, *Obumbraſti ſuper caput meum*: id eſt ſupra Chriſtum in die belli, ſcilicet ſuæ paſſionis. Sic enim de Chriſto dicitur, Scapulis ſuis obumbrabit tibi &c. Vel aliter: quia dum tentationes vrunt, vmbram & refrigerium per verba ſacræ ſcripturæ dominus præſtat nobis. Et ſic iſtum paſſum exponit Gregor. dicens, Bellum patimur,

*Ioā. os aureū in quodā ſermone quadrageſimæ qui incipit, Licet nobis. Hæc eſt perfectorū vera iuſtitia, vt nunquam ſe præſumāt eſſe perfectos: ne ab itineris nōdum finiti intētione ceſſantes, ibi incidant in deficiendi periculū vbi perſiſtēdi depoſuerint appetitū.*

*Perſeuerātia eſt à Deo.*

*Rom. 7.*

*Paſſio Chriſti, vmbrā nobis facit.*

*Pſal. 90. Obumbrat ſuper nos Deus verbis ſacræ ſcripturæ.*

*Gregor. 6. moral. cap. 17.*

cùm carnis tentationibus impugnamur: de quo nimirum bello per Pſalm. dicitur, *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Quia electorum mentes dominus dum verbi ſui pabulo reficit, contra tentationes carnis vmbram præſtans, ipſos fortes facit.

Non tradas me domine à deſiderio meo peccatori, cogitauerunt contra me: ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. 2459

Hîc poſtquam virtutem perſeuerātiæ recognoB uit à domino, ipſam ſibi confirmari orat: ne in manibus, à voluntate ſcilicet propria, diaboli tradatur. Vbi aduertendum quòd peccatoris nomine diabolus intelligitur: cui nullus traditur, niſi volūtate propria & à deſiderio ſuo. Rogat ergo Deum vt non tradat: id eſt nō permittat ipſum tradi peccatori, id eſt diabolo: & hoc à deſiderio ſuo. Et hoc eſt vt vmbra ſuæ gratiæ ſic regulet deſiderium ſuū, ne diabolo cōſentiat. Poteſt enim te inuito diabolus vel homo malus ſæuire in corpus tuum in temporalibus bonis: ſed deſiderium tuum in poteſtate non habet. Vnde hic ait Auguſt. *Ne tradas me domine à deſiderio meo peccatori.* Ecce quomodo valebit vmbraculū mihi, vt ęſtus non patiar à meipſo. Et quid mihi peccator ille faciet quantumcunque ſæuiat? Sæuierunt enim in martyres iniqui: traxerunt eos, C catenis ligauerunt, carceribus incluſerunt, gladio ferierunt, æſtibus ſubiecerunt, ignibus combuſſerunt. Hæc omnia fecerunt, & nō eos tradidit Deus peccatoribus: quia non ſunt traditi à deſiderio ſuo. Illud ergo ora quantum potes, ne à deſiderio tuo tradat te Deus peccatori. Tu enim deſiderio tuo facis locum diabolo. Et ponit exemplū: Ecce, diabolus propoſuit tibi lucrum, & inuitauit ad fraudem: lucrum habere non poteris, niſi fraudem feceris. Sed lucrum eſca eſt: fraus laqueus. Sic ergo attende eſcam, vt videas & laqueum: quia lucrum habere non potes, niſi fraudem feceris. Fraudē autem ſi feceris, capieris. Fræna ergo deſiderium tuū: & non cades in laqueum. Si autem vicerit te deſiderium eſcæ, mittit collum tuum in laqueum. DeD ſiderium enim æſtus facit: vmbraculum autem domini temperat deſiderium, ne capiamur. Sequitur, *Cogitauerunt contra me: ne derelinquas* &c. Patet ex dictis quòd intentio principalis dæmonis & ſuorum non eſt perſequi bona exteriora neque corpus, ſed capere animam. Ideo dicit, *cogitauerunt contra me*, non contra mea. Quando enim ſeduxerint hominem & illaqueauerint, gaudent. Sic enim Pſalmo 12, dicebat, Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ſcilicet à fide & virtute. Sicut enim angelis & iuſtis hominibus eſt gaudium ſuper vno peccatore quando conuertitur de malo ad bonum: ſic diabolo ac ſuis gaudium eſt de oppoſito. Et hoc eſt quod orans dicit, *Ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.* Quaſi dicat, Si me dereE linquis, capiar: ſi captus fuero, gaudebunt: id eſt non de me triumphent, non de me gaudeant. Et nota quòd Deus derelinquit hominem multipliciter: ſcilicet primò temporaliter, nō oſtendendo ſuā potentiam: & ſic dereliquit Chriſtum in paſſione. Pſal. 21, Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? Secundò derelinquit ſpiritualiter, non viſitādo per gratiam: & ſic derelinquit peccatores: 1. Paral. 15,

*Corporis poteſtatem habēt mali: ſed non animæ.*

*Derelinquit deus homines multipliciter.*

Si dereliqueritis dominũ, derelinquet & ipſe vos. Tertiò æternaliter deputando ad gehennam: & ſic derelinquit dæmones & damnatos: 1. Paral. 33, Si dereliqueris eum, proiiciet te inæternum: 3. Reg. 9, Quia dereliquerunt dominum, idcirco induxit ſuper eos omne malum. Iſte autem poſtulat vt non derelinquatur à Deo: nõ quidem primo modo, ſed ſecundo & tertio.

## 2460 Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos.

Hîc oſtendit quibus malis mali inuoluũtur. Et primò ponit malorum mala: ſecũdò iuſtorum bona: ibi, *Verumtamen*. Prima in duas: quia primò ponit ipſorum malorum mala culpæ: ſecundò mala pœnæ æternæ: ibi, *Cognoui*. Prima diuiditur in tres: ſecundum quòd triplici malo culpæ oſtendit malos laborare in præſenti: ſcilicet malo cordis, quod eſt ſuperbia: ſecũdò malo carnis, quod eſt luxuria: ibi, *Cadent ſuper eos*: tertiò malo oris, per vana verba: ibi, *Vir linguoſus*. Quantum ergo ad primum, ſciendum quòd omnium vitiorum caput eſt ſuperbia. Quæ ideo caput omnis peccati dicitur, quia ipſa radix & origo eſt omnium peccatorũ: vide verſic. 1974. Item notandum quòd peccatores ſemper in circuitu ambulare dicuntur, quia nulla firmitate ſunt ſtabiles: quoniam, vt dicitur Threnorum 1, Peccatum peccauit Hieruſalem: propterea inſtabilis facta eſt. Iſte eſt circuitus peccati quo laborat diabolus vt nos peccatis implicet: de quo 1. Pet. 5, Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens &c. Qui idcirco circuire dicitur, quia tentationibus ſuis nos ab omni parte percutit: vt puta, ſæpe dum gula reſtringitur vt libido refrænetur, tunc inanis gloriæ punctionibus mentem pulſat. Si autem corpus per abſtinentiam non affligatur, tunc contra mentem libidinis flamma conſurgit. Sæpe dum poſſeſſa erogamus, ad auaritiã ducimur: quia habere quærimus quod tribuamus. Et ſic peccatũ dicitur quidam circuitus, quo vndique circumdamur. Eſt ergo ſenſus: *Caput circuitus eorum*: id eſt ſuperbia (quæ eſt caput circuitus viciorũ) eſt eis quidam labor labiorum ipſorũ. Quod ideo dicit, quia omnis ſuperbus mendax: omnis autem mẽdax laborat. Et talis labor operiet: quia mẽdaces diu celari non poſſunt quin in mendacio comprehẽdantur & operiantur cõfuſione. Vnde hic Auguſt. ait, Omnis qui in longum vadit, aliunde incipit, alicubi finit. Qui in gyrum it, nuſquam finit. Hic eſt ergo labor impiorum, qui euidentius in alio Pſalm. demonſtratur. In circuitu impij ambulant. Sed huius circuitus peccatorum caput eſt ſuperbia: quia initium omnis peccati, ſuperbia. Hæc autẽ ſuperbia eſt labor labiorum ipſorum, quia omnis ſuperbus fictus eſt: omnis autem fictus, mendax: omnis autem mendax laborat. Nam veritas tota facilitate dicitur. Ille autem laborat qui fingit quod dicat. Nam qui vult veritatem dicere, non laborat. Quaſi ergo dicat iſte Deo, Me operit vmbraculum tuum: quia obumbraſti ſuper caput meum &c. Impios verò operit mendacium ipſorum. Sed hoc mendacium ipſorum, labor eſt labiorum ipſorum. In omni enim opere malo labor eſt. Et omne opus malũ cogitatum, mendacium ducere habet. Nõ eſt enim veritas, niſi in opere bono. Et propterea quia homines laborant in mendacio, alibi dicit Pſalm. Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mẽdacium? Apertè audi in alio loco laborem eſſe in mendacio, Docuerunt linguas ſuas loqui mẽdacium: vt iniquè agerent, laborauerunt. Et nota quòd vitia ſemper habent admixtum laborem: vt oſtẽdit Alredus ſuper illo verbo Matth. 11, Venite ad me omnes qui laboratis &c. dicens, Labor eſt in vitiis, ſed requies in virtute: confuſio in libidine, ſaturitas in caſtitate: ſeruitus in cupiditate, libertas in charitate. Eſt enim labor in vitiis, labor pro vitiis, labor contra vitia. Labor in vitiis, quando vt mala deſideria expleantur, laborem multis antiquus hoſtis imperat. Labor pro vitiis, quando quis pro malis quæ fecit affligitur etiam inuitus: vel volens labore pœnitẽtiæ maceratur. Labor contra vitia, quando cõuerſus ad dominum, diuerſis tentationibus fatigatur.

*Caput vitiorũ eſt ſuperbia.*

*Circuitus dicitur peccatũ.*

*Eccleſ. 10.*

*Mendacium labor eſt: veritas ſine labore dicitur.*

*Pſalm. 4.*

*Labor eſt in vitiis multipliciter.*

## Cadent ſuper eos carbones: in ignem deiicies eos: in miſeriis non ſubſiſtent. 2461

Hîc oſtendit quòd mali laborãt peccato luxuriæ. Vbi ſciendum quòd carbo qui eſt niger, ſignificat infamiam qua homo quantumcunque clarus denigratur. Thren. 4, Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Per ignem autem figuratur quandoque libido carnalis. Vnde Prouerb. 6, Non poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta eius non cõburantur. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi. De quo igne ait Hieronym. Ignis infernalis luxuria; cuius materia eſt gula: cuius flãma, ſuperbia: cuius ſcintillæ, praua colloquia: cuius fumus, infamia: cuius exitus, pœna: cuius finis, gehenna. Sic igitur per carbones nigredinem intellige: per ignem, luxuriam. vt ſit ſenſus, *Cadent ſuper eos* (ſcilicet malos) *carbones*, id eſt nigredo infamiæ. Et quomodo ſubdit: *quia tu in ignem deiices eos*: ſcilicet in vitium luxuriæ permittes eos cadere. *Et in miſeriis non ſubſiſtent*. Quod ideo dicit, quia peccatum illud ad miſeriã deducit homines. Propter quod in ſuo ſtatu diu permanere non poſſunt. Vel aliter: vt per carbones vitia nigra intelligantur. Sic enim quando quis bonus efficitur malus, de carbone ignito fit carbo extinctus & niger. vt oſtendit Gregor. dicens, Dum plerumque virtutum copia etiam pluſquam expedit proſperatur, in quandam ſui fiduciam mens adducitur; & decepta præſumptione propria, repentè peccato ſurripiente fuſcatur. De quibus rectè dicitur, Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Nigri enim poſt candorem fiũt, quia amiſſa Dei iuſtitia, cum de ſe præſumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata dilabuntur. Et quia poſt amoris ignem ad frigus torporis redeunt: ideo extinctis carbonibus comparantur. Sic igitur cadent ſuper eos carbones, id eſt peccata diuerſa. *In ignem deiicies eos*. Quid enim hic eſt ignis, niſi aduerſitas & pœna temporalis, quæ bonos purificat, ſed malos conſumit? Pſal. 16, Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos &c. In ignem ergo etiam in præſenti vita mali deiiciuntur: quia etiam multis miſeriis & laboribus implicantur. Sed iſti in miſeriis non ſubſiſtunt: quia ſcilicet miſerias mundi patienter non tolerant. Iuſti autem in miſeriis ſubſiſtunt, dicentes cum Apoſtolo, Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio autem ſpem: ſpes autem non confundit &c. At verò ſuper impios

*Ignis luxuria.*

*Carbones ſignificãt peccata.*

*Gregor. 32. moral. c. 13.*

*Thren. 4.*



impios cum ceciderit aliqua preſſura, aliqua miſeria: non ſubſiſtunt, ſed cadunt per impatientiã. Vel aliter, vt totum in bonum intelligatur. Vnde quãdo quis malus & carbo igne charitatis inflammatur: tunc conuertitur, & in miſeriis peccati nõ ſubſiſtit: ſed ab his liberatur. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Cadent ſuper eos carbones* &c. Qui ſunt carbones ignis? Certè aliquos carbones nouimus ad pœnam, aliquos ad ſalutẽ valere. Dictum eſt enim de quibuſdam carbonibus, cum homo peteret aduerſus linguam doloſam auxilium: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguã doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis: id eſt verba Dei cor transfigentia & vetuſtatem perimentia, amorémque gignentia. Et exempla hominum qui mortui erant & reuixerũt, nigri erant, & fulgẽtes effecti ſunt. Carbones enim tenebroſi ſunt: ſicut indicat color. Sed cum ad eos acceſſerit flamma charitatis, & ex mortuis reuixerint, audient ab Apoſtolo, Fuiſtis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Ipſi ſunt carbones, fratres, quos intuemur, quando volumus mutare vitam transfixi ſagitta Dei. Et impediunt nos malæ linguæ hominum & volunt ſeducere à via veritatis, potiúſq; ducere ad errores ſuos, & dicere nobis, quia ſi profeſſi fuerimus non implebimus. Attendamus autem carbones illos. Qui erat heri ebrioſus: hodie ſobrius eſt. Qui heri adulter: hodie caſtus. Qui heri raptor: hodie largitor. Omnes iſti carbones ſunt: ignis ſunt. Accendunt exempla carbonum, ad vulnus ſagittarum. Non enim timeam dicere vulnus: cum clamet ipſa ſponſa, dicens, Vulnerata charitate ego ſum. Et ſic ibi vaſtatio fœni: propter quod dicuntur carbones deſolatorij. Vaſtatur fœnum, ſed purgatur aurum, & mutat homo ex morte vitam: & incipit eſſe carbo flagrãs. Qualis carbo fuit Apoſtolus, qui prius fuit perſecutor, & blaſphemus, & iniurioſus: niger & extinctus, ſed poſtmodum accenſus? De cœlo vox Chriſti accendit illum. Periit in eo tota nigredo. Cœpit feruens ſpiritu quo accendebatur, alios accendere. Tales ergo hic intellecturi ſumus carbones ignis, qui cadunt ſuper iſtos malos, & deiiciunt illos à malitia ſua.

*Carbones boni & mali.*

*Pſal. 119.*

*Carbones sũt verba ſcriptura & exẽpla ſanctorum.*

*Epheſ. 5.*

*Cant. 2.*

*1. Tim. 1.*

## 2462 Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniuſtum mala capient in interitu.

Hîc oſtendit quòd mali laborant per verba vana & mala. Vbi aduerte quòd lingua duo habet officia. Eſt enim inſtrumentum guſtus & locutionis. Et ſic linguoſus ſignificat guloſum, qui delectatur in guſtu: & hominẽ verboſum vel multiloquum, qui delectatur in multiloquio. Et quia vt dicitur Prouerb. 10, In multiloquio non deerit peccatum. Vir linguoſus hic dicitur, qui per multiloquium peccat. Talis enim difficiliter refrænari poteſt: ſicut nec lingua facilè domatur. vt habetur Iacobi 1. Vnde & ibidem lingua mortiferum venenum vocatur, quia multos ad interitum ducit, quia & homines reddit iniuſtos. Vnde hic ait Auguſt. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*. Vir linguoſus amat mendacia. Quid enim illi voluptas eſt, niſi loqui? Non enim attendit quid loquatur, dum loquitur. Ideo non poteſt fieri vt iſte dirigatur. Seruum ergo Dei magis oportet audire quàm loqui: ſicut ſcriptum eſt, Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et ſi fieri poteſt, hoc cupiat, vt non habeat neceſſitatem loquendi. Verbi gratia. Modò loquimur ad vos, vt aliquid vos doceamus. Quãto melius eſſet vt omnes ſciremus, & nemo doceret alium: vt non eſſet alius loquens, alius audiens, ſed omnes ſolum dominum Deum audientes? Sic ergo vnuſquiſque gaudium taciturnitatis habeat in voluntate: ſed vocem doctrinæ in neceſſitate. Quãdo enim eſt opus locutionis, opus doctrinæ? hoc ſolum quando pateris imperitum, quãdo habes indoctum. Si ergo ſemper te delectet loqui, ſemper docere, ſemper vis habere imperitũ quem doceas. Si autem beneuolus es, & vis omnes doctos eſſe: non vis ſemper habere quos doceas. Et non erit in voluntate tua exercitium loquendi vel doctrinæ, ſed in neceſſitate. Gaudium ergo ſit tibi in auditione Dei, neceſſitas ſit in locutione tua: & non eris vir linguoſus. Si autem vis loqui, & audire non vis: ſemper vis exire foras, non intus redire. Qui enim te docet, intus eſt: quando autem doces, foras exis ad eos qui foris ſunt. Ab interiore enim audimus veritatem. Et ad eos qui foris ſunt, à noſtro corde loquimur. De interioribus ergo gaudeamus: de exterioribus autem neceſſitatem habeamus, non voluntatem. Sequitur, *Virum iniuſtum mala capient in interitu*. Hic enim loquitur de malis pœnæ. Vbi aduerte quòd mala talia capiunt bonos & malos: ſed bonos ad probationem & ad meritorum augmentum: malos autem ad damnationem & ſuppliciorum meritum. Mala hæc ſunt bonis ſolum in præſenti: quia hic flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et ſic mala non capiunt iuſtum ad interitum quem purgant: ſed malum, quem magis reddunt obſtinatum. Quid eſt ergo, *virum iniuſtum mala capient in interitu*, niſi Mala vitæ præſentis ſunt reprobis ad interitum damnationis, quæ iuſtis ſunt ad probationem? Vnde Gregor. ait, Non poteſt in hac vita homini poſito tentatio deeſſe peccati: ſed aliud eſt tentationi peccati reſiſtere, aliud conſentire. Iniquus autem quiſque, quia tentationibus peccati reſiſtere neſcit, ipſum tentatio ad interitum capit. Aliter iſtum verſum deducit Richardus, oſtendens quòd non loqui, ſed ſemper audire debemus: dicens, *Vir linguoſus non dirigetur in terra*. Quicunque ſub diſcipuli forma verbi incarnati frequentat auditorium: eo debet diligere & ſeruare ſilentium, quo imaginem ſibi elegit Dei verbum. Magiſter enim humilium Chriſtus non modò ea ratione verbum patris dicitur, quòd ſit omnipotens ſpiritus: ſed etiam dicitur verbum, quia ſemper requirit auditum. Qui audit, auſcultat: qui auſcultat, ſilet: qui autem ſilens audit, alicui audientiam præſtat. Semper igitur pater Deus requirit à creatura rationali ſilentium, cui ſemper loquitur tale verbum. Nam verbi huius ineffabilis generatio, ſola eſt creaturæ rationalis eruditio: cui ſola ſpiritualis infantia eo exhibet reuerentiam debitæ audiẽtiæ, quo feriatam cuſtodit in ſilentio innocentiam & quiete. Semper loquitur nobis pater, dum verbum ineffabile generat: vt ad æternum eius colloquium, cõtinuum det creatura ſilentium. Verbum autem omnipotẽs cognoſcitur nec intelligere nec diligere, qui ab eo non metuit cordis audientiam auertere: vnde ſcriptum eſt, *Vir linguoſus non dirigetur in terra*. In terra quippe nõ dirigetur, qui diuini rationem eloquij percipere aut intelligere non meretur. Id autem non meretur vir linguoſus,

*Multiloquiũ nõ caret peccato.*

*Iac. 1. Multa audire & pauca loqui debemus.*

*Mala pœnæ iuſtis ſunt ad probationem: malis autẽ ad damnationẽ.*

*Gregor. 14. moral. cap. 9.*

*Silentium à nobis exigit Deus.*

linguoſus, qui dum lingua & in lingua loquitur, minimè quòd verbi ſpiritus in linguis igneis deferat, non experitur. Vides quantum tota trinitas approbet ſilentij diſciplinam. Pater ſilentium diligit: quia dum de ſubſtantia ſua verbum ſibi ineffabiliter generat: & pater proculdubio ad huius arcani intelligentiam intẽtam cordis aurem requirit. Vnde populo loquitur, dicens, Eructauit cor meũ verbum bonum. Verbum quoque ipſum non immeritò fieri ſibi ſilentium exigit: quia Dei theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei in ſe cuſtodit: ad illóſque noſtris auribus conculcandos, quaſi quãdam linguam nobis non ignotam noſtram humanitatem ſuſcepit. Vnde Moyſes ait, Propè eſt verbũ in ore tuo &c. Et euangeliſta Ioannes, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Spiritus etiam verbi ſummam ſibi fieri audientiam voluit, dũ verbum abbreuiatum & ideo magis obſcurum quaſi per quaſdam gloſas exponens, ſe in linguis igneis reuelauit. Nam gloſæ linguæ interpretantur. Spiritus enim ſanctus obſcuritatem verbi abbreuiati, id eſt vſque ad formam ſerui exinaniti, quaſi quandam expoſitionem fecit, dum tanti myſterij cauſas ipſius verbi diſcipulorum cordibus tam euidenti diſtinctione linguarum impreſſit. De iſto ſuo gloſatore & expoſitore ſpiritu ſancto, verbum patris ſic loquitur, Ille me clarificabit &c.

*Pſalm. 44.* *Ioan. 1.* *Ioan. 16.*

2463 Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Hîc ponit reproborũ mala pœnæ æternæ. Docet ſcriptura, Deum nulla peccata dimittere impunita: ſic & nulla bona irremunerata. Cùm ergo in vita præſenti mali iniuſtè perſequantur bonos, boni autem patiantur: ad Dei iuſtitiam ſpectat & bonos præmiare finaliter, & malos punire. Quantum ergo ad bonorum præmiationẽ, dicit, *Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis*: id eſt iudicabit pro inope. Inopes autem dicuntur omnes humiles quos Chriſtus præmiabit: quia ſi præmiabit peccatores quia beati pauperes ſpiritu: multo fortius inopes, quia altiores ſunt inopes quàm pauperes: quia inops dicitur ab ope, & in, quod eſt ſine, quaſi ſine ope: ſcilicet qui nihil habet. Pauper autem dicitur qui aliquid habet: ſed parum. Faciet ergo iudicium inopis, dum inopes præmiabit. *Et vindictam pauperũ.* Quid enim eſt vindictã alicuius facere, niſi offenſorem punire? Tunc ergo ſuos pauperes Chriſtus vindicabit, quando in futuro perſecutores bonorũ damnabit æternaliter. De qua vindicta dicitur, Lætabitur iuſtus cum viderit vindictã: manus ſuas lauabit &c. Sed fortè dices, De quo dicit quòd faciet iudiciũ inopis? de Deo patre, an ſolũ de Chriſto, cui pater omne iudicium dedit? Reſpõdeo, Vbi notãdum quòd iudicium multiplex eſt: ſcilicet iudicium primariæ auctoritatis. Et ſic iudicium eſt totius trinitatis, & nõ alicuius ſingularis perſonæ. Vnde Pſal. 67, Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: ſcilicet Chriſto. Quicquid enim creaturæ datur, à tota trinitate procedit: quia opera trinitatis à dextra ſunt indiuiſa. Secundò eſt iudicium adminiſtrationis. Et ſic miniſter diuini iudicij ſuper omnem creaturã factus eſt Chriſtus: qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. Vnde & Chriſtus in forma humanitatis in vltimo iudicio apparebit omnibus bonis & malis. Et iſto modo dicitur Ioan. 5, Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio. Tertiò eſt iudicium aſſeſſionis. Et ſic ſancti iudicabunt cũ Chriſto, vt aſſeſſores. Matth. 19, Vos qui ſecuti eſtis me &c. ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Quartò eſt iudicium comparationis. Et ſic minus mali iudicabũt peiores, & infideles iudicabunt falſos fideles. Et hoc eſt quod ait Chriſtus Matth. 12, Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam &c. Ex quibus apparet reſponſio ad dubium.

*Pſalm. 57.* *Quæſtio.* *Iudiciũ multiplex.* *Act. 10.*

Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo. 2464

Hîc oſtendit bona iuſtorum. Hic enim loquitur de confeſſione laudis, qua iuſti in hoc mundo & in futuro ſemper confitentur domino: ſcilicet omne bonum quod habent non ſibi aſcribentes: ſed totum miſericordiæ Dei attribuentes. Aliter enim iuſti non eſſent: cum iuſtitia ſit virtus vnicuique tribuens quod ſuum eſt. Omnia autem bona quæ creatura poſſet, ſunt Dei: ſine quo nihil agere poteſt. Vnde hic ait Auguſt. *Verumtamen iuſti* &c. Meritis ſuis nihil tribuentes, ſed ſolum miſericordiæ tuæ: vt quantumcunque iuſti fuerunt, nihil ſibi aſſumant de ſuo: & per hoc ipſorum dirigitur cor: quod quando ad ſeipſos flectunt, torquent cor. Et vbi erit ipſorum requies? vbi gaudiũ? vbi beatitudo? nunquid in ſeipſis? Non. Sed in quo ſunt lux nunc? non in ſe, ſed in domino lux ſunt. De confeſſione laudis vide verſic. 91. 250. 1044. 1468. 2042. Sequitur, *Et habitabunt recti cum vultu tuo.* Quis autẽ dicitur rectus, & quis curuus, vide verſic. 480. Et quid rectum cor: verſic. 1318. Recti ergo qui quærunt non terrena, ſed æterna, habitabunt cum vultu Dei. Vbi nota quòd vultus Dei aliquando accipitur pro ira Dei: ſicut dicitur, Pſal. 33, Vultus autẽ domini ſuper facientes mala: vide verſic. 515. Quãdoq; ſignificat gloriam æternam: vide verſic. 713. Et ſic poteſt hic accipi, *Habitabunt recti cum vultu tuo*: id eſt cum gloria tua. Et hunc vultum abſcondit nobis Deus in præſenti: quia quãta ſit gloria æterna, à nobis cognoſci non poteſt. Propter quod dicitur Iob 26, quòd tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam. Quod exponens Gregor. dicit, In vultu ſolet cognitio demonſtrari. Solij ergo vultus Dei tenetur: quia à nobis in hac vita regni eius gloria, non quanta intrinſecus habetur, cognoſcitur. Super quod rectè expandi nebula dicitur, quia ſicut eſt illa cœleſtis regni gloria, non videtur. Quandoque verò vultus Dei dicitur ipſe Chriſtus: ſicut dicitur Pſalm. 44, Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Et ſic hic accipi poteſt: quia iuſti inæternum habitabunt cum Chriſto, & Chriſtus cum eis. Apocal. 21, Ecce tabernaculum Dei, & habitabit cum eis. Vnde hic ait Auguſt. *Et habitabunt recti cum vultu tuo.* Quando vultum ſuum amauerunt homines, in ſudore vultus ſui panem ſuum manducauerunt. Redeant ergo, & deterſò ſudore, finitis laboribus, terminato gemitu, veniet illis facies tua abundans ſufficientia. Sine vultu ſuo non nobis daret lætitiam. Propter quod dicitur Pſalm. 15, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.

*Cõfeſſio laudis qualiter fit.* *Vultus Dei multiplex.* *Gregor. 17. moral. cap. 13.*

Domine,



## PSAL. CXL.

2465 Domine, clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ cùm clamauero ad te.

Titulus iſtius Pſal. eſt, Pſalmus Dauid. Cuius expoſitio patet ex ſupradictis multoties. Ex iſto titulo apparet auctor Pſal. ſcilicet Dauid: ſed non apparet materia. Propter quod, ſecundum literam, notandum quòd Dauid inter alia peccata quibus offenderat Deum multoties peccauit peccato linguæ. Et hoc multipliciter. Aliquando præcipitanter & abſque præmeditatione, dando ſententiam contra aliquem, ſicut fecit contra Miphiboſeth: quoniam vt habetur 2. Reg. 16, Seruus Miphiboſeth filij Saulis perrexit poſt Dauid quando fugiebat à facie Abſalõ, cum duobus aſinis oneratis pane & vino: ignorante domino ſuo Miphiboſeth. Et cum Dauid peteret ab illo vbi eſſet Miphiboſeth dominus eius: ille ſeruus, Syba ſcilicet, falſè accuſauit dominum ſuum Miphiboſeth apud Dauid: dicens, Remanſit in Hieruſalem: dicens, Hodie reſtituet mihi domus Iſrael regnum patris mei. Quo audito, Dauid ſine alia probatione & præmeditatione ſtatim contra ipſum Miphiboſeth dedit ſẽtẽtiã: vt ſcilicet omnia bona ipſius eſſent ipſius Sybę: quã poſtea cognita veritate reuocauit. Peccauit etiã in lingua doloſè & falſò cõſulẽdo: ſicut quãdo cognita vxore Vrię, & per ipſum Dauid imprægnata: miſit pro Vria qui erat ad bellum, & conſulebat ſibi vt iret ad domum ſuam: vt ſcilicet dormiret cum vxore ſua iam grauida, vt ipſe Vrias poſtmodum crederet vxorem ſuam de ſe concepiſſe: vt habetur 2. Reg. 11. Peccauit etiam lingua, quando præcepit ipſi Ioab vt numeraret populum ex præſumptione: vt habetur 2, Reg. 21. Iſta ergo peccata linguæ ſe commiſiſſe Dauid recolens, fecit iſtum Pſal. rogans Deum vt poneret cuſtodiam ori ſuo, ne amplius malè loquendo peccaret. Et ſic, quantum ad literam, iſte Pſal. diuiditur in duas partes: quia Dauid primò ſuã orationem exaudiri poſtulat: ſecũdò ſuam orationem explicat: ibi, *Pone domine* &c. dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notandum quòd totus iſte Pſal. agit de virtute charitatis, qua Deus propter ſe diligendus eſt, & proximus propter Deum. Item notandum quòd omnia verba iſtius Pſal. ſunt verba Chriſti: qui loquitur quandoque pro ſeipſo, vt caput eſt: quãdoque verò pro nobis, qui eius membra ſumus. Nec hoc aliquis debet mirari. Videmus enim quòd quęlibet noſtri corporis membra ſuis officiis vtuntur: non ſolùm pro ſeipſis, ſed etiam pro omnibus aliis membris. Sicut oculus non ſolum ſibi videt: ſed etiam omnibus aliis membris. Manus videt in oculo; quid faciat: pes quò vadat &c. Et ſic de manu, quæ operatur pro ſe & cæteris membris. Sic de pedibus, qui ambulant pro ſe & pro toto corpore. Sic & lingua loquitur pro ſe: vt quando quis dicit, Non delinquam in lingua mea. Loquitur pro manibus: vt cum quis dicit, Lauabo manus meas. Loquitur pro pedibus: vt cum quis dicit, Noli tangere pedes meos: & ſic de ſingulis. Quid ergo alicui mirum debet eſſe, ſi Chriſtus loquitur aliquando verba quæ ſibi ſoli competunt? vt quando dicebat, Exiui à patre, & veni in mũdum. Quandoque verò verba loquitur, quæ nõ ſibi, ſed nobis cõueniunt: vt multoties facit in Pſalm. quod maximè facit in iſto. Maior enim & perfectior eſt vnio, qua per charitatem membra eccleſiæ vniuntur capiti Chriſto, quàm ſit vnio membrorum corporalium adinuicem in vno corpore. Intentio totius Pſal. eſt, iuſtos ad clamorem orationis inducere. Diuiditur ergo Pſal. iſte in quatuor partes: quia primò clamando Deum inuocat: ſecũdò votum ſuum Deo explicat: ibi, *Pone domine*: tertiò correctorem iuſtum poſtulat: ibi, *Corripiet me*: quartò perſecutionem ſuorum futuram indicat: ibi, *Quoniam adhuc*. Quantum ergo ad primũ, ait, *Domine clamaui ad te*. De clamore orationis quo ad Deum clamare debemus, habetur ſuprà in multis locis: verſic. 24. 295. 422. 516. 636. 893. 1092. 1258. 1584. 1886. Item nota quòd Chriſtus clamauit multoties & in diuerſis locis: vide verſic. 399. Quamuis autem Chriſtus multoties clamauerit orando ad patrẽ: non tamen pro ſeipſo, ſed pro ſuis orabat, vel in perſona ſuorum orabat: vt hic oſtendit Auguſt. dicens, *Domine clamaui ad te* &c. Hoc dicit Chriſtus, ſed magis ex perſona corporis dictum eſt, quia & cum hic eſſet carnem portans, ex perſona corporis, patrẽ orauit. Et cum orabat, globi ſanguinis ex toto eius corpore diſtillabant. Quid eſt ergo de toto corpore ſanguinis effuſio, niſi de tota eccleſia martyrum paſſio? Vnde quòd in perſona ſuorum clamaret, oſtendit ſubdens, *Intende voci meæ, cum clamauero ad te*. Iam fortè Chriſto paſſo & reſuſcitato, finitũ negocium clamandi putabas, cùm diceret, *Clamaui ad te*. Clamaſti, adhuc noli eſſe ſecurus: quia ſi finita eſt tribulatio eccleſiæ, finitus eſt & clamor. Sed quia manet tribulatio eccleſię & corporis Chriſti vſque in finẽ ſæculi: non tantum dicit Chriſtus, Clamaui ad te: ſed etiam dicit, *Intende voci meæ*: ſcilicet meorum, *cum clamauero ad te*. Quia autem hic dicitur, *Domine clamaui ad te exaudi me*: quæret aliquis quod eſt prius, vel orando nos ad Deum clamare, vel ab ipſo exaudiri. Ad hoc dicitur quòd prius eſt Deum nos exaudire, quã nos clamare, vel orare. Omnis enim cauſa prior eſt ſuo effectu. Sed cauſa noſtri clamoris eſt exauditio Dei. Ideo enim oramus: quia ipſe nobis inſpirat voluntatem orandi. Non autem inſpiraret voluntatem orandi, niſi prius exaudiret. Et hoc eſt quod apertè dicitur Pſal. 16, Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus. Et patet ex alio, quia omnis actus Dei eſt æternus: omnis autem noſter actus eſt temporalis. Exaudire autem nos eſt actus Dei: nos autem clamare, eſt actus noſter. Omne autem æternum, quodlibet temporale præcedit ad bonum intellectum.

*Dauid peccauit lingua multipliciter.* *Clamauit orãdo nõ pro ſe, ſed pro ſuis, vel in perſona ſuorum.* *Luc. 22.* *Quæſtio.* *Exaudit nos Deus priuſquã oremus.*

Dirigatur oratio mea ſicut incẽſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. 2466

Hîc oſtendit modum orandi. De conditionibus etiã orationis, vide infrà, ver. 2476. Oratio enim vt digna ſit exaudiri, multas cõditiones debet habere, quę in iſto verſiculo denotãtur. Primò debet æterna petere, non terrena. Quod oſtendens Beda ſuper illo verbo Matth. 14, Ieſus dimiſſa turba, aſcendit in mõtẽ ſolus orare: ſic ait, Ideo oraturus Ieſus in mõtẽ aſcẽdit, vt doceret orare. Non omnis orãs aſcẽdit in mõtẽ, ſed ſolũ qui bene orat: ille autẽ ſolũ bene orat, qui Deũ quęrit orãdo. Qui verò de diuitiis, aut honore ſęculi, aut de morte inimici obſecrat: hic in infimis iacẽs, viles ad Deũ pręces emittit &c. Hanc

*Oratio quatuor cõditiones debet habere: vt digna ſit exaudiri.*

 condi

conditionem orationis hic notans Pſalm.ait, *Dirigatur oratio mea in cōſpectu tuo.* Dirigi enim eſt in directum erigi, vel duci. Quod fit quādo oratio per finem omnium, qui Deus eſt, ſolum emittitur: vt per orationem ſolus Deus per ſe intendatur. Sicut de via vitæ alibi dicit, Dirige in conſpectu tuo viam meam. Secundò oratio debet eſſe igne charitatis accenſa: ſcilicet dilectione Dei & proximi. Oditus nanque non meretur exaudiri. Quomodo ergo Deus exaudiet ſibi oditum? Omnis autem qui fratrem ſuum odit, odit & Deum. Hoc autem hic notans Pſalmiſta ait, *Sicut incenſum in conſpectu tuo.* Vbi Gloſa, vt ſcilicet oratio ſit igne charitatis incenſa. Res enim incenſa odorem ſuum magis emittit & euaporat. Vnde Exodi 29, dicitur, Offeretis arietem totum incenſum, odor ſuauiſſimus victimæ domini. Sic enim & ille qui igne charitatis eſt incenſus, emittit orationem, quę Deo eſt ſuauiſſimus odor & acceptus. Tertiò oratio debet eſſe bonis operibus ſociata. Propter quod dicebat Apoſtolus, Volo viros orare in omni loco, leuantes manus puras coram domino. Quid eſt enim leuare manus puras coram domino, niſi opera ſancta facere, quæ per manus deſignantur? Et hoc hic notans Pſal. dicit, Eleuatio manuum mearum. Sic enim & oratio Moyſis exaudiebatur: & ſuperabatur Amalech, cùm ipſe orans manus leuaret ad dominum. Quartò oratio debet habere finalem perſeuerantiam: vt docet ſaluator. Propter quod dicit Apoſtolus, Sine intermiſſione orate. Quod hic notans Pſalm. ait, *Sacrificium veſpertinum.* In lege enim ſacerdos quotidie bis offerebat ſacrificium: ſcilicet mane & veſpere. ſed quod offerebatur veſpere dignius & acceptabilius erat. Quid enim ſignificat veſpera, quæ eſt finis diei, niſi finem vitæ noſtræ? Oratio ergo noſtra debet eſſe ſicut ſacrificium veſpertinum: quia vſque ad finem vitæ durare debet. Vel aliter: vt iſte verſus exponatur de Chriſto, ſicut hic ipſum exponit Auguſt. dicens, *Dirigatur oratio mea* &c. Hoc de capite noſtro intelligi omnis Chriſtianus agnoſcit. Declināte enim iam die in veſperum, dominus in cruce animam ſuam poſuit, ipſam recepturus. Illud ergo ſacrificium veſpertinum eſt paſſio domini, crux domini, oblatio victimæ ſalutaris, holocauſtum domino. Oratio ergo purè directa de corde fideli, tanquam de ara ſancta ſurgit vt incenſum: nihil delectabilius odori domini. Vel per ſacrificium veſpertinum, intellige pœnitētiam finalem, quæ Deo orationem acceptabilem facit. Vnde hic ait gloſ. Sacrificium veſpertinum poteſt dici pœnitentia, qua in fine mundamur. Et eſt ſenſus. *Eleuatio manuum mearum ſit tibi ſacrificium veſpertinum:* id eſt, opera mea bona ſic tibi ſint accepta, vt pœnitentia quæ agitur in veſpera, id eſt in fine vitæ: in quo ſi perfectè offerimus, rectè purgamur. Hoc dicit, vt nemo deſperet, qui in fine pœnitet. Quam enim orationem fideliorem Deo dirigere poteris, quàm fideliter vſque in finem in vera perſeuerare pœnitentia?

*1. Ioan. 2.* *1. Tim. 2.* *Exo. 17.* *Luc. 11.* *1. Theſſ. 5.*

*Paſſio Chriſti eſt ſacrificiū veſpertinum.*

*Pœnitētia finalis dicitur ſacrificiū veſpertinum.*

## 2467 Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis.

Hîc ſuum votum explicat, Petit autem vt à Deo cuſtodiatur maximè in tribus. Primò ne verba vana proferat; ſecundò ne facta mala defendat: ibi, *Non declines*; tertiò vt malorum ſocietatem deſerat: ibi, *Cum hominibus.* Quantum ad primum, ſciēdum quòd os eſt duplex: ſcilicet os cordis, & os corporis. Vnde Gregor. ait, Si os cordis non eſſet, nequaquam Pſal. diceret, Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. Et Pſalm. 118, Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: vide verſic. 2292. Hic autem accipitur os pro ore cordis. Vnde hic poſtulat Pſalm. vt Deus ponat cuſtodiam ori cordis: ne iniqua cogitet: & oſtium labiis, ne ſtulta & vana loquatur. Et aduerte quòd non petit vt ſuum os claudatur, vel quòd labia claudantur ne loquatur; ſed quòd cordi ponatur cuſtodia, & oſtium labiis. Cuſtodia apponitur ori cordis, ne aliquid indignum cor intret, vel producatur indignè: ſed dignæ cogitationes in corde permittantur intrare ad libitum & exire. Similiter oſtium poſtulat imponi labiis. Oſtiū enim aperitur & clauditur: vt ſcilicet labia claudantur, ne vana proferant: aperiantur autem ad debita verba. Per omnia enim iſta verba Pſalm. vult dirigi ad debitè tacendum debitéque loquendum. Et ad iſtum intellectum iſta verba inducit Gregor. dicēs, Studioſè lingua ſub magni libraminis moderatione frænenda eſt: non inſolubiliter liganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut reſtricta etiam ab vtilitate tepeſcat. Hinc namque per quendam ſapientem dicitur, Sapiens tacebit vſque ad tempus: vt nimirum cum opportunum cōſiderat, poſita cenſura ſilentij loquendo quæ congruunt, in vſum ſe vtilitatis impendat. Hinc Salomon ait, Tempus tacēdi, & tempus loquendi. Diſcretè quippe viciſſitudinum penſanda ſunt tempora: ne aut cùm reſtringi lingua debet, per verba ſe inutiliter ſoluat: aut cum loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigra reſtringat. Quod bene Pſalm. conſiderans, breui poſtulatione complexus eſt: dicens, *Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis.* Oſtium namque aperitur & clauditur. Qui ergo ori ſuo nequaquam poni obſtaculum, ſed oſtium petiit: apertè docuit quòd & per diſciplinam retineri lingua debeat, & ex neceſſitate laxari, quatenus os diſcretum & congruo tempore vox aperiat: & rurſum congruo taciturnitas claudat. Ad eandem intentionem hunc paſſum hic exponit Auguſtin. dicens, *Pone domine cuſtodiam* &c. Non dicit clauſtrum, ſed *oſtium.* Oſtium enim clauditur & aperitur. ergo ſi oſtium eſt, & aperiatur & claudatur: aperiatur ad confeſſionem peccati, & claudatur ad excuſationem peccati. Et ita erit oſtium circunſtantiæ, non ruinæ. Aliter & gloſ. hoc exponit: dicens, *Pone domine cuſtodiam ori meo:* ſcilicet cordi, ne iniqua cogitet. *Et pone oſtium circunſtantiæ labiis meis*: ne ſtulta promant. Et dicitur hoc à ſimili illius qui circunſtat oſtium, ne intret vel exeat, cui non licet. Dicit enim Hieremias, Mors intrauit per feneſtras noſtras. Et nota quòd cordi & ori petit apponi cuſtodiam. Duplici enim munimine opus eſt, vt nec cogitatio iniqua ſapiat, nec praua voluntas infatua verba prorumpat. Notandum etiam quòd & ſi dominus cuſtodiam ori noſtri cordis apponit, & nos ipſum viriliter & non fœminaliter cuſtodire debemus. Aliter enim mortem culpæ faciliter incideremus. Quod figurat Iſboſeth, qui ad cuſtodiam ſuæ domus mulierem poſuit, & non virum: ideo mortuus fuit. vt habetur 2. Regum 4. Quod dedūcens Gregorius dicit, Seipſos cuſtodire neſciunt, niſi hi qui priuſquam cogitationes ad opus prodeant, munire mentem nouerunt. Vnde rectè inopinata morte Iſboſeth extinctus dicitur: quem ſcriptura ſacra non in domo oſtiarum, ſed oſtiariam habuiſſe teſtatur: dicens, Veniētes autem filij Rēmon, Rechab & Banaa,

*Greg. 20. moral. c. 2.*

*Lingua frænāda eſt, nō liganda.*

*Greg. 7. mor. cap. 26.*

*Silētiū & loquela diſcretionē habere debent.*

*Prou. 11.*

*Hier. 9.*

*Cuſtodia noſtra virilis debet eſſe, nō fæminalis.*

*Greg. 1. mor. cap. 36.*

*2. Reg. 4.*



& Banaa, ingreſſi ſunt domum Iſboſeth, feruente die, qui dormiebat: & oſtiaria domus purgans triticum, obdormiebat. Aſſumentéſque ſpicas tritici, latenter ingreſſi ſunt: & percuſſerunt eum in inguine, & mortuus eſt. Oſtiaria enim triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitiis ſeparat. Quæ ſi obdormierit, in mortem domini ſui inſidiantes admittit. Quia dum diſcretionis ſolicitudo ceſſat, ad interficiēdam animam malignis ſpiritibus iter pādit. Qui ingreſſi ſpicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germen auferunt, atque in inguine feriunt: quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, eſt vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam verò Iſboſeth iſte hac morte ſuccumberet, niſi ad cuſtodiam domus mulierem poſuiſſet; id eſt, ad mentis aditum, molem, cuſtodiam poſuiſſet. Fortis namque viriliſque ſenſus præponi cordis noſtri foribus debet: quem nec ſomnus opprimat negligentiæ, nec ignorantię error fallat. Iſboſeth quippe vir confuſionis dicitur. Vir autem confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodia munitus non eſt. Quia dum virtutes ſe agere æſtimat, ſubintrantia vitia neſcientem necant. Tota itaque virtute cuſtodiendus eſt aditus mentis: nequando eam inſidiantes hoſtes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait, Omni tempore cuſtodi cor tuum, quoniam ab ipſo vita procedit. Et hanc cuſtodiam ſibi dari hic Pſalmiſta poſtulat, dicens, *Pone domine cuſtodiam ori meo.*

*Prou. 3.*

## 2468 Non declines cor meum in verba maliciæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Hîc poſtulat vt cuſtodiatur ne mala facta defendat. Vbi notandum eſt quòd excuſare peccatum commiſſum, nihil aliud eſt quàm Deum accuſare: vide verſic. 1240. Et ideo peccati excuſatio, ipſum inter alias circunſtantias aggrauat: vide verſic. 553. Hoc ergo timens Pſalm. magis vult peccatum ſuum accuſare vt mereatur veniam, quàm ipſum excuſando, multiplicare culpam. Et hoc eſt quod hic orat, dicens, *Non declines cor meum* &c. Hic ergo Chriſtus loquitur non pro ſe, ſed pro ſuis mēbris: vt hic oſtendit Auguſtin. dicens, Hic orat ex perſona corporis Chriſtus: dicens, *Non declines cor meū* &c. Quid eſt cor meum, niſi cor eccleſiæ meæ? cor vtique corporis mei. Verba illius attendite vbi nobis regula figitur: Saule Saule, quid me perſequeris? cùm ipſum nemo tetigiſſet. Orat ergo Chriſtus, dicens, *Non declines cor meum* &c. Quare ſic oras domine? quæ peccata tua excuſaturus es? Reſpondet, Cùm vnum ex membris meis ſic orat, ego ſic oro. Et hoc non ſolùm cōtra illos qui propria peccata excuſant: ſed & nō minus cōtra illos qui aliorum peccata defendunt, qui in hoc apertè ſe Dei inimicos eſſe oſtendunt. vt declarat Gregor. ſuper illo verbo Iob 40, Protegūt vmbræ vmbram eius: dicens, Vmbræ quippe diaboli ſunt omnes iniqui, qui dum imitationem iniquitatis eius influunt, quaſi ab eius corpore imaginis ſpeciem trahunt. Sicut autem vmbræ eius ſunt pluraliter reprobi: ita ſingulariter vmbra eius eſt vnuſquiſque peccator. Sed dum doctrinæ iuſtorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, vmbræ diaboli vmbram eius protegunt. Vmbræ ergo vmbram eius protegunt, dum iniquorum peccata nequiores peruerſis patrociniis tuētur. Quod hoc nimirum ſtudio faciunt, ne dum culpa in qua & ipſi obligati ſunt, in aliis corrigitur, ad ipſos quoque veniatur. Se ergo tegunt, dum alios protegunt: quia ſuam vitam præuident, vnde alios conſiderant libera correctione confundi. Sícque fit vt ſumma criminum dum defenditur, augeatur. Et vniuſcuiuſque nequicia eo ſit ad perpetrandum facilis, quo difficilis eſt ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto maiora incrementa percipiunt, quanto per defenſionem potentium diu inulta tolerantur. Sed tales excuſatores tanto ſe apertiores Dei hoſtes exhibent, quanto maiores ſunt patroni vitiorum. Cōtra illum quippe ſuis defenſionibus pugnant, cui ea quæ diſplicent defendendo multiplicant. Hoc eſt ergo quod Pſal. vitare volens, Deo ſupplicat, dicens, *Non declines cor meum in verba maliciæ* &c.

*Mali malos defendētes vel excuſātes, ſūt hoſtes Dei.*

*Greg. 33. moral. c. 5.*

## Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum. 2469

Hîc orat vt Dei cuſtodia malorum ſocietatem deſerat. Vbi aduertendum quòd communicatio cum malis tantum eſt nociua, quantum communicatio cum bonis vtilis eſt: quinimmo fortè tanto amplius, quanto natura humana vitio primi parentis corrupta, exemplo malo pronior eſt ad malum quàm bono exemplo tendat ad bonum. De hoc vide verſic. 1615. Poſtquam ergo Pſalm. rogauit cuſtodiri ab excuſatione peccatorum vel defenſione, hic rogat defendi ab ipſorum communicatione, ne ab ipſis inducatur ad ſimile: dicens, *Pone cuſtodiam* &c. qua poſita, *Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo* &c. Vnde ly *&* totum verſum præcedit: vt ſit ſenſus, *Pone cuſtodiam* &c. *& ego non communicabo cum hominibus operantibus iniquitatem, neque cum electis eorum.* Vbi nota quòd aliqui ſunt electi apud Deum, & aliqui apud homines: immò quaſi ecōtrario. Illi qui ſunt electi apud Deum, ſunt deſpecti apud homines. Et illi qui ſunt apud homines electi, ſunt deſpecti apud Deum. Electi enim apud Deum, ſunt humiles, pauperes, & ſimplices ſicut columbæ: non malicioſi, non verſipelles. Et certum eſt quòd tales mundo ſunt deſpecti. Sed apud homines accepti ſunt alti & potentes, malicioſi & verſipelles: & huiuſmodi. Cuius ratio eſt, quia Deus aſpicit mentem interius: homines autem exteriora ſolummodò cōſiderant. Qui ſunt ergo electi hominum malorum, niſi qui exterius apparent ſpecioſi, qui ſeipſos iuſtificant? Et cum talibus non vult Pſalm. communicare, ne ex ipſorum conuerſatione, ipſis efficiatur ſimilis. Vnde hic ait Auguſtin. *Cum hominibus operantibus iniquitatem* &c. Qui ſunt electi eorum, qui ſeipſos iuſtificant, qui ſibiipſis iuſti videntur & contemnunt cæteros? ſicut Phariſæus ille in templo dicit, Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Qui ſunt electi eorum? Hic homo ſi propheta eſſet, ſciret quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Agnoſcitis ergo vocem alterius Phariſęi qui dominum inuitauerat: quando mulier illa quæ erat in ciuitate peccatrix, acceſſit ad pedes eius. Illa impudica quondam frontoſa ad fornicationem, ſed frōtoſior ad ſalutem, irrupit in domum alienā: ſed ille qui ibi diſcumbebat, nō erat alienus.

*Electi ſunt quidā apud Deū: quidam apud homines.*

*Luc. 18.* *Luc. 7.*

*Magdalenæ audacia bona.*

Non extranea quemlibet conuiuam: ſed ancilla dominum ſuum ſecuta eſt. Acceſſit ad pedes, quia eius veſtigia ſequi cupiebat. Lauit lacrymis, terſit capillis. Pedes Chriſti qui ſunt, niſi per quos peragrauit totum mũdum? Pedes Chriſti ſunt Apoſtoli Chriſti, prędicatores Chriſti. Iſtos pedes ô quanti ſuſceperunt, vt ſuſcipiendo iuſtum in nomine iuſti mercedem iuſti acciperent. Qui ergo tali humanitate pedes domini ſuſcepit, quid impendit, niſi quæ habebat in domo ſua ſuperflua? Capilli enim quaſi ſuperflui ſunt. Inde illa pedes domini detergebat. Superflua tua neceſſaria fiunt tibi, ſi inde fueris obſecutus pedes domini. Iſta ergo adhæſit pedibus domini: quia confeſſa eſt peccatum ſuum, quia fleuit, quia nõ declinatum eſt cor eius in verba maliciæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Non communicauit cum electis eorum: id eſt defendentibus peccata ſua. Et conſequenter Auguſt. inducit excuſantes peccata ſua propter conſtellationes: arguens contra eos, & oſtendens quòd cum electis talium non eſt communicandum: dicens, Defendunt electi eorum peccata ſua: ſi latuerint, negant. Si autem deprehenſi vel conuicti fuerint, vel publicè id egerint, defendunt. Et quàm facilis eorum defenſio, quàm cita, quàm præceps, quàm quotidiana, & quàm ſacrilega: dicentes, Si Deus hoc nollet, hoc non facerẽ. Hoc voluit Deus: hoc voluit fatum: hoc fortuna voluit. Non dicunt, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Et iſta qualium defenſio eſt? non ſolum doctorum, ſed etiam indoctorum. Sedent & computãt ſidera, interualla, curſus, & volubilitates, ſtatus & motus, intendunt, deſcribunt: & docti magni videntur. Totum hoc doctum & magnum, defenſio peccati eſt. Dicunt enim, Eris adulter, quia ſic habes Venerem. Eris homicida: quia ſic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: & adultera Venus, non tu. Vide ne pro Venere & Marte tu damneris. Deus enim qui damnaturus eſt, nouit quia tu es qui dicis, Non ego iudici ſcienti. Porro attendas, ſi ipſe mathematicus vxorem ſuam paulo petulantius viderit conuerſari: aut aliquos alienos improbè attendere, aut feneſtrã crebrò repetere: nónne arripit verbera, & dat diſciplinam in domo ſua? Reſpondeat illi vxor, Si potes, Venerem cęde. Nónne & ille reſpondebit, Fatua, aliud eſt quod competit rectori: aliud eſt quod profertur emptori? Ergo electi eorum qui ſunt? Electi malorum, electi impiorum, cum quibus non eſt habenda ſocietas.

*Pedes domini ſunt prædicatores.* — *Eſa.52.* — *Matth.10.* — *Fatum vel aſtra nobis neceßitatem nõ imponat.* — *Luc.7.*

2470 Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Hic Pſal. correctorem iuſtum affectat & poſtulat. Vbi notandum eſt quòd adulatio graue peccatum idcirco dicitur, quia peccata quæ corrigere debet, nutrit & fouet. Vnde ſicut meritorium eſt peccatorem corrigere, & ad viam ducere veritatis: ſic demeritoriũ eſt peccatoribus adulari. vt oſtendit Greg. dicens, Ab innocentia recedit, qui bona de malis æſtimat: Salomone atteſtante, qui ait, Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, vterque abominabilis eſt ante dominum. Sunt namque nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per prophetam dicitur, Vę qui cõſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis. Ad hoc quippe puluillis ponitur, vt molliter quieſcatur. Quiſquis ergo malè agentibus adulatur, puluillum ſub capite vel cubito iacẽtis ponit: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat. Hinc rurſum ſcriptum eſt, Ipſi ædificabant parietem: illi autem liniebant eum. Parietis quippe nomine, peccati duricia deſignatur. Ædificare ergo parietem, eſt contra ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniũt, qui peccata perpetrantibus adulantur: vt quod illi peruerſè agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddãt. Hoc ergo ſciens Pſalm. quòd adulatio nutriat peccatum, adulatores fugiens, quærit correctores: dicens, *Corripiet me iuſtus* &c. Correctorem poſtulat iuſtum: qui ſcilicet gratia non odio corrigat, qui non confuſionem peccatoris inquirat. Et hoc eſt quod ait, *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me.* Hic notãdũ eſt quòd correctio ad hoc quòd ſit debita, vtilis & fructuoſa, multas conditiones debet habere: ſcilicet quia debet eſſe cum pietate & miſericordia, cum diſcretione & ſapientia, cum æquitate & iuſtitia, cum charitate & amicitia, cum puritate & ſanctimonia, cũ ſtabilitate & conſtãtia. Vide in dictionario, in litera Corrigere, parte prima. Sequitur, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vbi nota quòd per oleum nitor & fama gloriæ intelligitur: ſicut ait Gregor. in homilia. Sed iſtud eſt duplex: ſcilicet oleum iuſti, quod ſcilicet quis intra conſcientiam retinet: & oleum peccatoris, ſcilicet falſa laus adulatoris. Et iſtud oleum peccatoris fugit Pſal. dicẽs, *Oleum autem peccatoris* &c. Vnde hic ait Auguſt. Quid eſt, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum?* Hoc eſt, non creſcet caput meum de adulatione falſa. Falſa laus adulatoris: hoc eſt oleum peccatoris. Propterea & homines qui falſa laude aliquem irriſerint, hoc de illo dicere ſolent, Vnxi illi caput. Amate ergo argui à iuſto in miſericordia. Nolite amare laudari à peccatore cum irriſione. Habetote oleum vobiſcum: & nõ quæratis oleum peccatoris. Et ſic ſecundum prædicta ſenſus iſtius verſus poteſt eſſe talis: Iuſtus ſi viderit me peccãtem, non excuſabit, ſed dolebit: & miſericordia motus corripiet me & increpabit de peccato: conans me ad viam ſalutis ducere. Peccator autem, id eſt adulator, non ſic, ſed liniẽdo caput meum ſuis adulationibus blandis & laudibus vanis, excuſabit me de peccato: & ſic permanere faciet in eo & augmentare illud. Et ideo ô domine Deus non permittas quòd oleum, id eſt adulatio peccatoris impinguet, id eſt foueat vel nutriat caput meum: id eſt diabolũ in me, qui eſt caput omnium iniquorũ: ne ſic impinguatus & linitus permaneam in peccato, & augmentem illud. Vel ſic ſub paucioribus verbis: Scio quidem domine quia homo iuſtus dolet, corripit peccantem, & increpat miſericorditer de peccato. Peccator autẽ ſuis adulationibus quaſi quibuſdam vnguentis, pinguedine ſeu fomentis impinguat & excuſat peccatum, & facit delectari & permanere in eo. Ideo ô domine, cum peccauero, da mihi iuſtum correptorem & increpatorem: vt non incurram pernicioſum laudatorem, ſeu adulatorem. Vnde ſuper Pſal. 19, ait Hieronymus, Ab adulatoribus, non à iuſtis laudatur peccator: vide verſiculum 836, & ibi exemplum de ſeruitore Alexandri. Item vide verſiculum 1985. Item vide Auguſtinũ in ſermone de decem virgi-

*Greg.18.mor. cap.3.* — *Prou.17.* — *Adulatio peccatũ auget.* — *Ezech.13.* — *Ibidem.* — *Correctio multa requirit.* — *Oleũ duplex, iuſti & peccatoris.* — *Adulatio dicitur oleum.*



virginibus: vbi ſic dicit, Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Non conſilium dediſſe putandæ ſunt, ſed crimen earum ex obliquo commemoraſſe. Vendunt enim oleum adulatoris, qui ſiue falſa ſiue ignota laudãdo, in errores animas mittunt, & eis gaudia vana tanquam fatuis virginibus conciliando, aliquando de his mercedem ſiue ciborum, ſiue pecuniæ, ſiue honoris, ſiue alicuius commodi temporalis accipiunt, non intelligentibus quod dictum eſt, Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Melius eſt autem obiurgari à iuſto, quàm à peccatore laudari. Emendabit me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum peccatoris non impinguet caput meum. Ite ergo ad vẽdentes magis, & emite vobis: id eſt, videamus nunquid vos adiuuabunt qui vobis laudes cõſueuerunt dicere, & vos in errorem inducere: vt non coram Deo, ſed ab hominibus gratiam quæreretis. Hæc ille. Vel aliter: per iuſtum poteſt intelligi ille idem qui peccator correctus: vt idem homo ſecundum interiorem hominem corripiat ſe ſecundum carnem. Vnde hic Auguſtinus. Humilia cor tuum, crucia cor tuum: & tu teipſum corripies in miſericordia. Non enim odiſti te cum ſæuis in te. Emenda te, & eris in parte iuſtus: quamuis ſis adhuc in emendando peccator. Ex qua parte enim tibi diſplices, iuſtus es. Ex qua tibi diſplicet in te quod iuſtum eſt, iniuſtus es. Vis videre quàm iuſtus ſis? Hoc in te tibi diſplicet quod & Deo, iam coniunxiſti te voluntati Dei: & in teipſo non quod ille fecit, ſed quod ille odit, odiſti. Ex quo autem lapſus, feciſti quæ diſplicent Deo: ex hac parte iniquus es, peccator es, &c.

2471 Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum: abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.

Hic prædicit Chriſtus perſecutionem ſuorum futuram. Et diuiditur in tres partes: quia primò prædicit ſuorum futuram perſecutionem: ſecundò pro ſuis ad Deum facit orationem: ibi, *Cuſtodi me*: tertiò obſtinatorum concludit damnationem: ibi, *Cadent*. Prima pars diuiditur in partes tres: quia primò prædicit perſecutorum conuerſionem: ſecundò euãgelij prædicationem: ibi, *Audient*: tertiò martyrum perſecutionem: ibi, *Dißipata*. Quantum ad primum, ſciendum quòd multi in primitiua eccleſia qui fidem Chriſti impugnabant, poſtea audiẽtes prædicationem Apoſtolorum, & videntes alta ſigna miraculorum quæ faciebant, conuerſi ſunt ad dominum: etiam magni philoſophi & mundi ſapientes: vt Dionyſius Ariopagita ad prædicationem Pauli: vt habetur Act.7. Et ſic fidem quã prius impugnabant, poſtea defenſauerunt, & in verbis & orationibus Chriſti magnam deuotionem habuerunt. Et hoc eſt quod dicit Chriſtus, *Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum*, ſcilicet peccatorum: id eſt, oratio mea & prædicatio mea adhuc placebit eis: vt & deuotè orent dicentes, Dimitte nobis debita noſtra, &c. Et ſic prędicata fide Chriſti, ſapientes mundi & iudices, Chriſto & ſapientię Chriſti comparati, abſorpti fuerunt: id eſt, nihilum reputati. Sicut lumen candelæ de nocte multum apparet: ſed in præſentia luminis ſolaris, ſtatim abſorbetur, & nihil apparet. Et hoc eſt quod ſequitur, *Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum*, & eſt ſenſus: ſapientes & iudices mundi, iuncti petræ, id eſt, Chriſto comparati, qui petra dicitur, vel in pręſentia Chriſti abſorpti ſunt & nihil reputati. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. *Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis*, &c. Quaſi dicat Chriſtus, Modò me peccatores vituperant. In primis enim temporibus vndique reprehendebantur Chriſtiani. Adhuc expecta modicum (ait Chriſtus) & oratio mea erit in beneplacitis eorum: quia veniet tẽpus quãdo ad fidem cõuerſi tundent pectus ſuum, qui modò me vituperant: & dicent, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, &c. Et vide quod ſequitur, *Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum*: id eſt, iudices magni, potẽtes & docti iuncti petræ, id eſt, comparati Chriſto petræ, abſorpti ſunt. Accipe iudices eorum, Ariſtotelem, Platonem, Pythagoram: compara auctoritatem illorum auctoritati euangeliſtæ: compara illos inflatos crucifixo. Dicamus eis, Vos literas veſtras ſcripſiſtis in cordibus ſuperborum: Chriſtus verò crucem ſuam fixit in frontibus regũ: Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit. Mortui eſtis & vos: ſed volo quærere quomodo reſurgatis. Tandiu enim illi iudices videntur aliquid dicere, donec comparentur petrę. Et ſi inuentus fuerit aliquis eorum hoc dixiſſe quod dixit & Chriſtus, gratulamur illi, non ſequimur illum. Et ſi dicas, Prior fuit ille quàm Chriſtus. O homo attẽde Chriſtum, non quando ad te venerit, ſed quando te fecerit. Videte itaque textum Pſal. *Adhuc oratio mea in beneplacitis eorum*. Sed fortè dicens, Erunt multi qui contradicant. Sed quid nobis abſorpti ſunt iuxta petram iudices eorum? quia Chriſto comparati, ſapientia eorum ſtulta facta eſt. In cuius figura ſerpẽs Moyſi dracones magorum deuorauit. Quia ſapientia Chriſti, ſtultam oſtendit ſapientiam huius mundi.

*Chriſto comparata ſapiẽtia mũdi nihil eſt.* — *Matth.6.*

Audient verba mea quoniam potuerunt: ſicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terram. 2472

Hic prædicit euangelij prædicationem. Vbi aduertendum quòd aliter verba Chriſti penetrabant animos auditorum, & aliter verba aliorum philoſophorum. Nam Chriſtus docebat ſicut poteſtatẽ habens: vt habetur Matth.7: philoſophi autem nõ. Erat enim in verbis Chriſti poteſtas, quia ipſe ſolus cor audientis poteſt docere: alij autem philoſophi verba ad aures diſcipulorum mittere poſſunt, ſed corda interius docere non poſſunt. Et vt oſtendit Gregor. Vel docebat ſicut poteſtatem habens, quia ſuæ doctrinæ adiungebat miracula, quæ homines eleuabant ad ſuum auditorium. Et hoc eſt quod hinc ait Chriſtus de gentibus conuertendis: dicẽs, *Audient verba mea*: id eſt, doctrinam meam percipiẽt. Et cauſam adiungit, dicens, *Quoniã verba mea potuerunt*: id eſt, poteſtatem habebunt, & hoc penetrando corda auditorum: vel poterunt in operatione miraculorum. Quis enim non libenter audiret illum, quem hodie videret ſolo verbo cæcos illuminantem, claudos erigentem, mortuos ſuſcitantem? & huiuſmodi. Vel aliter. Verba Chriſti potuerunt vltra verba philoſophorum: quia verba Chriſti homines ſic fortificant, vt pro ipſo mortẽ non timeãt incurrere. Nõ autem ſic verba philoſophorum, vel aliarum ſectarum. Et hunc intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Audient verba mea, quoniam præualuerunt.* Quaſi dicat Chriſtus, præualuerũt verba mea verbis eorum. Dicta ſunt ab eis quædam diſertè: ſed

*Verba Chriſti poteſtatem habebant.* — *Greg.27.moral.cap.17.*

ſed à me vera. *Audient verba mea, quoniam præualuerũt.* Vnde præualuerunt? Quis enim eorum comprehenſus eſt in ſacrificio, cum legibus iſta prohiberentur, & non negauit? Quis ipſorum comprehenſus eſt adorare idolum, & non clamauit, Non feci: & timuit ne conuinceretur? Tales miniſtros diabolus habebat. Sed vnde præualuerunt verba domini? Ecce, ego mitto vos ſicut oues in medio luporũ: nolite timere eos qui corpus occidunt, animã autem non poſſunt occidere: ſed eum timete, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam ignis. Chriſtus, verbis ſuis dedit timorem, ſubiecit ſpem, inflammauit charitatem. Nolite (inquit) timere mortem. Mortem timetis? videte quòd ego prior morior. Ne capillus de capite veſtro pereat formidatis? Videte quòd ego prior in carnem reſurgo. Meritò ergo audiſtis verba eius. Dicebant, & occidebantur: cadebant, & ſtabant. Sequitur, *Sicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.* Ex hoc enim vult oſtendere quomodo in gentibus conuerſis potuerunt verba Chriſti: & illos etiam contra mortem fortes fecerunt. Oſtendit hoc per exemplum. Pinguedo enim quæ ponitur ſuper terram, erumpitur & ſpargitur per terram: qua terra irrigata & impinguata, ampliores fructus producit. Sic cõſimiliter factũ eſt in propoſito. Sancti enim martyres Chriſti verbis fortificati mortem pro Chriſto pertulerunt: ſanguis illorum effuſus eſt ſuper terram: terra illorũ ſanguine irrigata ſicut ex pinguedine, vberiores fructus protulit: quia vnus occidebatur fidelis, & mille conuertebantur de infidelibus. Et ideo de ſanguine ſanctorum martyrum dixit quòd eſt ſicut craſſitudo terræ: quæ erupta eſt & ſperſa ſuper terram. Vnde hic Auguſt. ait, *Sicut craßitudo terræ,* &c. Cùm enim verba Chriſti prędicarentur à non timentibus, non exilia, non damna, non mortem nec crucem. Non enim mortem ſolam, ſed nec crucem, qua morte nihil videbatur execrabilius. Ipſam dominus ſuſcepit: ne diſcipuli eius mortem quidem non timerent, ſed ne genus mortis horreſcerent. Præualuerunt ergo vt mortem nõ timerent. Sed illæ mortes ſanctorum martyrum omniũ quid fecerunt? Audi quod ſequitur, *Sicut craßitudo terræ dirupta eſt ſuper terram.* Diſperſa ſunt ſupra terram corpora martyrum teſtium Chriſti. Occiſi ſunt martyres; & quaſi præualuerunt qui occiderunt, ſed præualuerunt illi perſequendo, vt præualerent verba Chriſti prædicando. Et quid factum eſt de mortibus ſanctorum? *Sicut craßitudo terræ,* &c. Nouimus craſſitudinem terræ cõtemptibilia quęque eſſe. Quæ autem ſunt quaſi cõtemptibilia hominibus, fœcundãt terram. Sed ille omnes mortes factæ ſunt craſſitudo terræ. Quomodo accipit terra quandam pinguedinem de rebus cõtemptibilibus: ſic ex corporibus martyrum quæ contempſit hic mundus, accepit craſſitudinem terra; vt inde ſeges eccleſiæ veracius pullularet.

*Matth. 10.*

*Erũpere, extra vel valde rũpere: & ponitur pro exire.*

*Mors & ſanguis martyrũ fœcũdauit eccleſiam.*

2473 Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: quia ad te domine domine oculi mei: in te ſperaui, non auferas animam meam.

Hic prædicit ſuorum fidelium perſecutionem. Vbi aduertendum quòd per oſſa intelliguntur ſancti in fide ſtabiles, qui cæteros ſua ſtabilitate in fide confirmant: vt oſtendit Gregor. dicẽs, Quid per oſſa, niſi fortes quique in ſanctæ eccleſiæ corpore deſignantur? Qui quaſi ſuo robore membra cætera continent, dum mores infirmãtium ſtabiliter portant. Et cap. 30. oſtendit: Per oſſa fortes eccleſiæ figurati ſunt, in quibus corporis illius tota compago ſolidatur. Et ſic per oſſa eccleſiæ intellige ſanctos Apoſtolos, cæteróſque martyres & cõſtantes fideles. Per infernum verò intellige profundatos in vitiis: quorum domus in inferno poſita eſt. Et ſic infernus ſignificat diabolum & omnes iniquos: vt oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 26, Nudus eſt infernus coram eo: dicens, Inferni nomine diabolum omnéſq; damnationis eius ſocios deſignauit: quia ipſe diabolus & omnia eis vaſa corã Deo omnib[9] virtutibus ſunt vacua. Quid eſt ergo Chriſtũ in perſona fidelium dicere, *Dißipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum:* niſi omnes fortes eccleſiæ martyres & Apoſtoli pro voluntate diaboli & ſuorum malorum hominum ſunt diſſipati: ſcilicet perſecuti martyrizati & mortui? Vnde hic ait Gloſa, *Dißipata ſunt oſſa noſtra ſecus,* &c. id eſt, fortes noſtri pro voluntate eorum qui ſunt in infernum, id eſt, profundi in vitiis, diſſipati ſunt & martyrizati. Et nota quòd non dicit in infernum, ſed *ſecus infernum.* Quia etſi communi morte ſeu ſorte corporaliter ſunt mortui: non tamen deſcenderunt in infernum vt mali, ſed vita ęterna datur illis. Dicat ergo Chriſtus voce eccleſiæ, *Dißipata ſunt oſſa noſtra,* id eſt, occiſi ſunt martyres. Et ſic impinguata eſt craſſitudine terra. Vides qualem fructum fecit hæc diſſipatio corporum fidelium: perſecutores fecit fideles, pauperes & abiectos fecit nobiles, imperatores piſcatoribus ſubiecit. Vnde hic ait Auguſt. *Dißipata ſunt oſſa noſtra.* Sic enim ſaginata eſt eccleſiæ terra: fructum produxit vberrimum de ſtercore craſſitudinis. Sic enim de ſtercore erectus eſt Petrus, erectus eſt Paulus, & principes mũdi ſunt effecti. Qui cùm occiderentur, contemnebantur vt ſtercus ſuper faciem terræ: vt ſtercus inſepulti dimittebantur. Qualiter autẽ modò ſunt exaltati? Vide quod nobilius & præcipuum eſt in mundo, ſcilicet imperator, venit Romam. Quò feſtinat? ad templum imperatoris, an ad memoriam piſcatoris? Sed vnde fuit tanta conſtantia in martyribus? In hoc ſcilicet quia cordis oculos non ad mundum, non ad temporalia, ſed ſolum ad Deum & æterna erigebãt: deficiebant corpore, in Deum mente erigebantur. Et iſtam rationem ſubdens Pſal. ait, *Quoniam ad te domine domine oculi mei: in te ſperaui, non auferas animam meam.* Quaſi dicat, Oculi cordis ad te ſunt intenti vt anima non perdatur: etſi perditur corpus ad tẽpus. Plus figo oculum cordis in promiſſis tuis, quã in minis eorũ. Noui quòd pro me paſſus ſis: quid mihi promiſeris. Ideo in te ſperaui: nõ auferas animam meam: id eſt, non permittas eam auferri, vt ipſorum promiſſis, minis vel cruciatibus à te ſeparetur. Et attende quòd pręuidebat Pſal. quòd Deus aufert à malis mũlta: quibus ablatis, aufertur à diabolo ipſorum anima. Et idcirco orat, dicens, *Nõ auferas animam meam:* id eſt, illa pro quibus ablatis, anima perditur. Aufert Deus à malis Chriſti amicitiam, angelorum cuſtodiam, charitatis gratiam, intellectus ſapientiam, &c.

*Oſſa ſignificant fortes in fide & martyres.*

*Greg. 20. moral. cap. 24.*

*Infernus ſignificat omnes malos.*

*Greg. 17. moral. cap. 11.*

*Aufert Deus à malis multa bona.*

Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem. 2474

Hic Chriſtus pro ſuis ne in perſecutionibus cadant facit orationem. Vbi ſciendum quòd diabolus dupliciter tentãs iuſtos, ipſos ad peccatum nititur inducere: ſcilicet quandoque blandis, quandoque aſperis, quandoque occulte, & quandoque apertè. Tentatio autem blanda, ſiue occulta, laqueus dicitur: quem laqueum multipliciter nobis diabolus parat. vt oſtendit Gregor. dicẽs, Tribus modis hoſtis noſter inſequitur bona noſtra: vt hoc quod rectum coram hominibus agitur, in conſpectu iudicis vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit: vt omne quod in actione ſequitur eo purum mundúmque nõ exeat, quo hoc ab origine perturbat. Aliquando verò intentionem boni operis viciare non præualet: ſed in ipſa actione ſe quaſi in itinere opponit, vt cum propoſito mentis quiſque ſecurior egreditur, ſubiuncto latenter vitio, quaſi ex inſidiis perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere ſupplãtat: ſed opus bonum in fine actionis illaqueat. Et declarat modos iſtos, dicens, Intentionem quippe in bono opere polluit, quia cum facilia ad decipiẽdum corda hominum conſpicit, eorum deſideriis auram tranſitorij fauoris opponit: vt in his quæ recta faciunt, ad appetendum ima fortitudine intuitionis inclinentur. Vnde rectè ſub Iudææ ſpecie de vnaquaque anima ſub laqueo miſeræ intentionis capta, per prophetam dicitur, Facti ſunt hoſtes eius in capite. Acſi apertè diceretur, Cùm bonum non bona intentione incipitur, hinc aduerſantes ſpiritus ab exordio præliantur. Quando verò intentionem violare non præualet, in via poſitos laqueos tegit: vt in eo quod bene agitur, cor operantis ad vitiũ ex latere deriuetur: quatenus quod inchoans aliter propoſuerat, in actione longè aliter quàm inceperat percurrat. Sæpe enim dum bono opere laus humana obuiat, mentem operantis immutat: quæ quamuis quæſita non fuerat, oblata delectat. Cuius delectatione dum mens operantis reſoluitur, ab omni intentionis intimæ vigore diſſipatur. Cũ autem antiquus hoſtis nec principium actionis corrupit, nec in actione laqueos poſuit: duriores in fine laqueos oſtendit: quem tanto nequius obſidet, quanto hoc ſolùm ſibi remanſiſſe ad deceptionem videt, &c. Ex quibus apparet quòd occulta diaboli perſecutio laqueus dicitur: de quo Pſal. 141, In via hac qua ambulabam abſcõderunt ſuperbi laqueum mihi. Alia verò eſt tentatio vel perſecutio aperta. Sic enim tentauit martyres & eos perſecutus fuit diabolus. Et iſta talis perſecutio dicitur ſcandalum. Nam ſcandalum, vt dicit Gloſ. Matth. 18, eſt dictum vel factum præbẽs alicui occaſionem ruinæ. Et ſic illæ apertæ perſecutiones, quia martyribus præbebant occaſionem ruinæ per impatientiam, ſcandala dicebantur. Et ab his ſcandalis ſuos liberari orat Chriſtus: dicens, *Cuſtodi me à laqueo,* &c. & à ſcandalis operantium iniquitatem. Non enim orat ne martyres habeant perſecutiones, ſed ne perſecutiones illis ſint in ſcandalum: id eſt, in ruinam vel caſum. Vnde hic ait Gloſ. Per laqueos & ſcandala omnia mundi intelligit mala. Laquei enim ſunt blandiciæ decipere volentium, & carnis deſideria. Et ſic per iſta diabolus nõ proficit, nititur ſcãdalis, quæ per inquietos mouet.

*Laqueus dicitur tentatio occulta diaboli.*

*Gregor. 1. moral. cap. 38.*

*Tẽtat diabolus multipliciter.*

*Threni. 1.*

2475 Cadent in retiaculo eius peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.



Hic oſtendit reproborum illaqueationem. Vbi notandum quòd quamuis in vita præſenti omnes tam prædeſtinati quàm præſciti multoties cadant in laqueum diaboli: aliter tamẽ & aliter: quia prædeſtinati cadunt, & finaliter reſurgunt. Prouer. 24, Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Reprobi autem ſic cadunt, vt non finaliter reſurgant. Vnde de præſcitis dicunt prædeſtinati, Pſal. 19, Ipſi obligati ſunt & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Cùm igitur vnumquodque à ſuo fine denominetur, ideo præſciti propriè cadere in laqueũ dæmonis dicũtur, nõ prædeſtinati. Et hoc eſt quòd Chriſtus inter prædeſtinatos & præſcitos diſtinguens, in perſona ſui corporis dicit, *Cadent in retiaculum eius peccatores:* id eſt, præſciti: *ſed ſingulariter ſum ego:* id eſt, omnes qui ſunt de corpore meo, non cadunt: *donec tranſeam:* id eſt, tempore tranſitus ex hoc mundo. Vel aliter: vt Chriſtus hic loquatur, nõ pro ſuis, ſed pro ſe. Solus enim Chriſtus laqueis diaboli nõ fuit captus. Omnes enim ſui ante eius mortẽ ceciderũt. Cecidit Petrus, quia Chriſtum negauit: cecidit Ioannes, qui Chriſtum relinquendo, nudus effugit: ceciderunt omnes Apoſtoli, quia omnes relicto eo, fugerũt. Sic igitur omnes peccatores fuerunt, omnes ceciderunt: ſed quantum hoc durauit? certè vſque ad Chriſti tranſitum & mortem: quia poſt mortem reſuſcitatus, miſſo ſpiritu ſancto, eos in bonum confirmauit: ſic quòd amplius cadere nõ potuerunt. Singulariter ergo Chriſtus fuit ſine caſu. Hoc ergo notans Chriſtus ait, *Cadent in retiaculum eius peccatores:* ſcilicet omnes Apoſtoli. Et quãdiu cadent? *Donec tranſeam:* ſcilicet donec tranſeam ad patrem, cadere poterunt: ſed non pòſt, quia cõfirmati erũt. Vnde de ſe dicit, *ſingulariter ſum ego:* qui caſum ſcilicet ſimpliciter ignoro. Et iſtum intellectum ponit hic Auguſt. dicens, *Cadẽt in retiaculo eius peccatores.* Quid de diſcipulis tuis ô Chriſte? Certè ceciderunt, quando omnes te ſolum dimiſerunt, fugientes tempore perſecutionis. Ecce illi qui tibi cohærebant, in tua perſecutione qua inimici te requirebant ad crucifigendum, in laqueum diaboli ceciderunt. Et vnus ille audax qui tibi promiſerat, Quia tecum ſum vſq; ad mortem, audiuit quidem à medico quid in ſe ageretur. Ægrotus febricitans, ſanum ſe dixerat: ſed cordis venam ille tangebat. Ventum eſt ad probationem: vẽtum eſt ad accuſationem: etiam ipſe interrogatus, non ab aliqua magna poteſtate, ſed ab infimo mancipio, & hæc fœmina: ab ancilla interrogatus ſuccubuit. Hoc enim prædixerat dominus, non pręceperat, nõ coëgerat, nondum erat idoneus paſſionis. Videte ergo quàm multi defecerunt, etiam vſque ad primos hærentes ori eius, & ipſi defecerũt. Sed quare hoc? Quia ſingulariter ſum ego, donec tranſeam. Hæc vox ex perſona capitis eſt: *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* Quid eſt hoc *donec tranſeam:* niſi de hoc mundo ad patrem? Tunc enim confirmabo columnas eius, ſcilicet eccleſiæ: quando per meam reſurrectionem didicerint mortem non eſſe timendam. *Singulariter ſum ego, donec trãſeam.* Cùm enim trãſiero, multiplicabor: quia multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo, Vnus ſum donec tranſeam: multi in me vnus erunt cum tranſiero.

*Cadunt præſciti & prædeſtinati: differẽter tamẽ.*

*Ceciderunt omnes præter Chriſtum.*

# PSALM. CXLI.

VOce mea ad dñm clamaui: voce mea ad dominũ deprecatus ſum. 2476

Iſte Pſal.talem habet titulum, Eruditio Dauid dum eſſet in ſpelunca,oratio.Ex iſto titulo apparet auctor Pſal.qui fuit Dauid.Apparet etiam quòd ad faciēdum iſtum Pſal.ipſe fuit eruditus à Deo : & ſic dicitur eruditio Dauid, qua ſcilicet fuit eruditus à Deo:ac etiam iſtum Pſal. conſcripſit, vt per ipſum ipſe alios erudiret. vt ſit ſenſus, Eruditio Dauid, qua alios erudit.Ad videndum autem clarius iſtius Pſal.materiā,ſciēdum quòd, vt habetur 1.Reg.21, fugiēs Dauid à perſecutione Saulis, iuit ad terram Philiſthinorum ad Achis regem Geth,Cum autem ibi fuiſſet cognitus, dixerunt ſerui regis ipſi regi, Iſte eſt Dauid rex terræ,cui canebāt per choros dicentes,Percuſſit Saul mille,& Dauid decem milia. Videns autem Dauid ſe cognitum, cogitauit quomodo ab illis poſſet euadere. Vnde finxit ſe fatuū, & immutauit os ſuum coram rege:& collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ: defluebāt ſaliuæ eius in barbam. Quod videns rex Geth,reputans eum fatuū,expulit eū de domo ſua. Et tunc Dauid regreſſus eſt infra regnum Saulis,& & fugit in ſpeluncā Odollā. Quod cùm audiſſent fratres eius,& omnis domus patris eius : venerunt ad eum illuc. Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtiis conſtituti,& oppreſſi ęre alieno: & factus eſt eorum princeps, fuerúntque cum eo quadringenti viri. Et tunc videns ſe liberatum de manibus illorum de Geth, & ſe factum illius congregationis principem, hunc Pſal. à Deo eruditus compoſuit,gratias agens Deo de ſua liberatione & de ſuo principatu.Ex quibus apparet materiā Pſal. Diuiditur ergo Pſal.iſte,ſecundum literam,in duas partes:quia primò Dauid oſtendit ſui animi anxietatem: ſecundò implorat diuinam conſolationem: ibi,*Clamaui ad te domine*,&c.dic vt N.Quantum verò ad ſenſum propheticum, hic agitur de Chriſto per Dauid figurato, vt ſæpius dictum eſt ſuperius. Per ſpeluncam autem in qua latuit Dauid, intellige carnem, quam Chriſtus induit, vel ſepulcrum, vel mundum.Et ſic Dauid in ſpelunca,eſt Chriſtus cum ſuis membris in ſęculo,vel Chriſtus in carne, vel Chriſtus in ſepulcro.Eſt ergo tituli ſenſus.Hic eſt intellectus Dauid vel eruditio quā habuit Chriſtus dum eſſet in ſpelunca:id eſt, ſæculo, vel in carne, vel in ſepulcro. Et iſta eruditio vel intellectus eſt quædam Chriſti oratio. Intentio Pſalmiſtæ eſt nos ad orādum monere & inducere. Quibus viſis, accedo ad Pſal.diuiſionem : qui diuiditur in partes duas:quia primò Chriſti formatur oratio:ſecundò orationis explicatur intentio:ibi,*Clamaui ad te*.Prima pars diuiditur in duas : quia primò orationis oſtenditur multiplex conditio;ſecundò perſecutorum oſtēditur malignatio:ibi, *In via*.Prima pars diuiditur in tres : ſecundum quòd oſtendit tres conditiones quas oratio debet habere : quia ſcilicet primò debet eſſe à mundo ſecreta : ſecundò debet eſſe Deo aperta:ibi,*Effundo*: tertiò debet eſſe humilis & deuota : ibi,*In deficiendo.* Quātum ad primum, ſciendum quòd oratio principalius ſtat in corde quàm in ore.Sic enim docebat Chriſtus, Matth.6, dicens,Cum oratis,non eritis ſicut hypocritæ triſtes, qui ſtant in angulis platearum orantes, vt videantur ab hominibus. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum : & clauſo oſtio ora patrē tuum in abſcondito, &c. Cuius rationem aſſignat Chryſoſt. ſuper Matth.dicens, Eſt autem oratio quaſi quoddam ſpirituale tributum : quod omnia Deo offert de viſceribus ſuis.Quanto ergo glorioſior eſt,tanto cautius eſt ſeruanda, ne propter homines facta vileſcat.Puto autem quòd non hoc ad locum refert dominus, ſed ad propoſitum orantis. In conuentu enim fidelium orare,laudabile eſt: ſicut ſcriptum eſt, In eccleſiis benedicite domino. Qui ergo ſic orat vt ab hominibus videatur, non Deum aſpicit,ſed homines.Et ideo quantū ad propoſitum ſuum,in ſynagoga orat.Cuius autem mēs orantis ſolum aſpicit Deum:quamuis in ſynagoga oret,tamen apud ſe in ſecreto orare videtur. Hanc ergo orationis conditionem oſtendens Pſal.corde ſuo non ad homines,ſed ſolum Deum orando aſpicit:dicēs,*Voce mea ad dominum clamaui*,&c. Quæ verba hic exponens Auguſt.ait, *Voce mea ad dominum clamaui.* Nónne ſufficeret dicere, *Voce ad dominum clamaui*? Fortè non fruſtra additum eſt *mea*. Multi enim clamant ad dominum non voce ſua, ſed voce corporis ſui.Homo ergo interior in quo cœpit habitare Chriſtus per fidem,voce ſua, nō ſtrepitu labiorum,clamat ad dominum.Non enim vbi homo audit,ibi Deus audit. Niſi enim voce corporis clames,te homo non audit.Cogitatio autem tua,clamor eſt ad Deum.Vide iſtam partem expoſitā ver. 1258.De clamore orationis, vide ver.24.422.699. 295.390.636.893.1258.1584. Verùm quia nō ſolùm oratio clamat ad dominum,ſed etiam peccata: ideo exprimēs Pſal.clamorem ſuum eſſe orationis, ſubdit,*Voce mea ad dominum deprecatus ſum.* Vnde ſecundum Aug.quod dixit *clamaui*, expoſuit dicens, *Deprecatus ſum.* Clamant enim ad dominum & qui blaſphemāt.In prima ergo parte clamorem poſuit: in ſecunda parte,clamorem expoſuit,quaſi ab ipſo exigeretur,Quo clamore clamaſti ad dominū? Reſpondet, *Ad dominum deprecatus ſum.* Clamor meus, deprecatio mea,non conuicium,non murmur,nō blaſphemia. Quomodo autem differunt oratio & deprecatio,vide ver.62.185.430.647.

*Triplex conditio orationis.*

*De conditionibus etiā orationis, vide ſupra verſic. 2466.*

*Oratio debet eſſe ſecreta hominibus.*

## Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. 2477

Hic oſtenditur quòd oratio debet eſſe aperta: quia totum cor noſtrum ante ipſum debemus aperire, & omne quod in corde noſtro eſt, coram ipſo effundere. Quamuis enim nihil poſſimus Deo occultare,poſſumus tamen velle occultare.Vnde hic plus notatur voluntas aperiendi cor noſtrum, quā voluntatis affectus. Vnde ſcribitur Pſal.61, Effundite coram illo corda veſtra. Sed modum iſtius effuſionis vide ver.985. Sic Dauid effudit orationem ſuam coram domino, cum eſſet in illa Saulis perſecutione,vt nos ſic facere doceret.Vel aliter:effundere coram Deo orationem ſuam nihil aliud eſt, niſi per orationem velle Deo manifeſtari, non hominibus : velle Deo non mundo placere.Vnde hic ait Aug.*Effundo in conſpectu eius orationem meam.*Quid eſt *in conſpectu eius*,niſi vbi videt ? Sed vbi Deus non videt, cui omnia nuda ſunt & aperta ? Sed in iſto cœtu rerum temporalium vident homines, vident & animalia : Deus autem videt & vbi homo nō videt.Ibi ergo effunde precem tuam, vbi ſolus Deus videt,qui remunerat. Si ab hominibus quæris exaudiri,effunde precem tuam coram hominibus : ſi autem Deus tibi redditurus eſt, effunde precem tuam coram Deo. Intra ergo cubiculum tuum : & clauſo oſtio,ora patrem tuum in aſcondito. Claude oſtium cordis tui,ne tentator ingrediatur. Tētator

*Cordis oſtium quomodo aperitur vel clauditur Chriſto vel diabolo.*



tator non ceſſat pulſare vt irrumpat.Si autem clauſum inuenerit oſtium, tranſit. In poteſtate noſtra eſt claudere oſtium cordis noſtri,nō parietum.Sed quid eſt claudere oſtium cordis ? Hoc oſtium duas habet valuas : ſcilicet cupiditatis & timoris. Quia aut cupis aliquid terrenum, & ſic diabolo aperis ianuam cupiditatis:aut times aliquid terrenum,& ſic aperis diabolo ianuam timoris. Cupiditatis ergo & timoris ianuas claude contra diabolum, & aperi Chriſto.Iſtas valuas aperis Chriſto cupiendo regnum cœlorum, & timendo ignem gehēnarum. Per cupiditatem ſæculi diabolus intrat:ſed per deſiderium æternę vitæ Chriſtus intrat.Per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat:per timorem ignis æterni Chriſtus intrat. Ecce, martyres clauſerūt cordis ianuam diabolo : ſed Chriſto aperuerunt. Promiſit eis multa mundus iſte:ſed illi irriſerunt & clauſerunt valuā cupiditatis contra diabolum.Minatus eſt eis mundus iſte,ignes, beſtias, cruces, non timuerunt:clauſerunt timoris valuam contra diabolum. Sed videamus ſi aperuerunt illas Chriſto.Ait Chriſtus, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus,confitebor & ego eum coram patre meo.Amauerunt ergo regnum æternū, vbi eos confitebitur Chriſtus:dicens,Venite benedicti patris mei : percipite regnum &c. Confitebitur illos ad dexterā poſitos. Videamus & ſi timoris ianuam Chriſto aperuerunt,quam diabolo clauſerūt. Vno etenim loco dominus monet hoc,vt ſibi aperiatur, & diabolo claudatur.Nolite(inquit)timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere.Et ſtatim ſubiecit,Sed eum timete,qui poteſtatem habet animā & corpus occidere, & in gehennam mittere. Sic ergo cor tuum claude diabolo,& aperi Chriſto.Et ſic effunde in conſpectu eius precem tuam. Intus enim in corde tuo eſt Chriſtus : ibi habitat, ibi ſunt aures eius. Ergo intus apud te ante eum effunde precem tuam.Hic autem potes notare, quomodo aqua multipliciter effunditur : ſic & Chriſtus multipliciter effuſus eſt:vide verſic. 304. Item quòd multiplex eſt effuſio:1185. Sequitur, *Et tribulationem meam ante ipſum pronuncio.* Pronunciat quis tribulationem ſuam ante dominum, quando in tribulationibus vel perſecutionibus intus in corde Deum orat : vt dictū eſt.Vel aliter:ille pronunciat tribulationem ſuam ante dominum,qui in tribulatione poſitus & patientiam habet:confitetur vires quidem patientiæ non à ſe habere,ſed à Deo:tribulationem autem à ſe & ſuis demeritis.Vnde hic ait Auguſt.Hoc martyr in tribulatione poſitus loquitur. Quaſi dicat,Non arrogo mihi vires meas : ſed Deus eſt in me, qui operatur ipſam virtutem. Et iſto modo tribulationem ſuam ante Deum pronunciabat Pſalmiſta alibi, dicens, In tribulatione mea inuocaui dominum, & exaudiuit de templo &c.Quid eſt inuocare,niſi intus in corde vocare?vide verſic.206.

*Matth.10.*

*Matth.25.*

*Matth.10.*

*Pſal.17.*

## 2478 In deficiēdo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.

*Spiritus ſignificat ſuperbiā.*

*Matth 5.*

Hîc oſtendit quòd oratio debet eſſe humilis & deuota. Vbi notādum, quòd per ſpiritū in ſcriptura ſignificatur ſuperbia. Ad quem intellectum dicebat Chriſtus,Beati pauperes ſpiritu,id eſt pauperes ſuperbia. Quod exponens Auguſt. 1. de ſerm. domini in monte, dicit, Legimus ſcriptum de appetitu rerum temporalium,Omnia vanitas & pręſumptio ſpiritus. Præſumptio autem ſpiritus, ſuperbiam audaciámque ſignificat. Vulgò etiam ſuperbi magnum ſpiritum habere dicuntur.Et rectè, quoniam etiam & ſpiritus ventus vocatur. Quis ergo neſciat ſuperbos inflatos dici & tāquam vento diſtentos? Quapropter rectè pauperes ſpiritu,id eſt humiles,intelliguntur.Requirit ergo oratio, vt in orante omnis ſpiritus ſuperbiæ deficiat : vt non ſe ſuis meritis exaudiri credat, ſed ſolùm gratia Dei.Et hoc oſtendens Pſalmiſta, ait, *In deficiendo ex me ſpiritum meum*:id eſt quando oro, ſpiritus ſuperbiæ deficit in me,& annullatur. Sic etenim martyres in perſecutionibus orando omnem ſpiritum ſuperbiæ annullabant, omne ſuum bonum non ſibiipſis, ſed Deo attribuentes : ſcientes quòd ipſi preſſi & perſecuti non ſpiritu ſuo, cultum Dei affirmantes prædicabant : ſed ſpiritus Dei loquebatur in ipſis. Iſtum intellectum habet hic Auguſtinus, dicens, *In deficiendo ex me ſpiritum meum* : quaſi martyr dicat, Defecit ſpiritus meus, vt non mihi ſuperbè arrogarem vires meas:vt ſciam quòd Deus in me operatur ipſam virtutē. Vnde martyres ſuos monuit Chriſtus, dicens, Cum autem tradent vos iudicibus, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Ergo in tribulationibus & perſecutionibus tuis deficiat in te ſpiritus tuus,vt in te loquatur ſpiritus Dei. Meritò ergo ipſos pauperes ſpiritu facere volebat:Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati ergo pauperes ſpiritu ſuo, ſed diuites ſpiritu Dei. Omnis enim homo qui ſpiritum ſuum ſequitur,ſuperbus eſt. Subde ſpiritum tuum vt capias ſpiritum Dei. Nam ſi ab alto aquæ defluunt, in valle congregantur. Si in alto ſteteris, à te defluent aquæ gratiarum, illas perdes.Si in valle humilitatis,in te cōgregabuntur.Quantā autem oratio humilitatem requirat,vide verſic.1139.Aliter iſtum textum deducit Greg.ex eo quia tribulationes & mundi aduerſa humilitatem nobis inducunt.Vnde cum ſuperius dixiſſet Pſal. *Et tribulationem meā ante ipſum pronuncio*:ſtatim ſubdit,*In deficiendo ex me ſpiritum meum.*Vnde iſtum textum ad iſtum ſenſum inducit Gregor. ſuper illo verbo Iob 6,Sagittæ domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum : dicens, Quid enim eſt ſpiritus hominis,niſi ſpiritus elationis? Sagittæ autem domini ſpiritum hominis ebibunt:cum ſupernæ animaduerſionis ſententiæ afflictā mētem ab elatione cōpeſcunt.Sagittæ domini ſpiritū hominis ebibunt, quia intentum exterioribus intus trahunt. Epotatus namque Dauid ſpiritus fuerat,cum dicebat, *In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.*Et rurſum,Renuit cōſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Sagittarum ergo domini indignatio ſpiritum iuſti bibunt : quia ſupernæ ſententiæ elatos quos ſuperbos inueniunt, dum vulnerant, humiliant &c. Sequitur, *Et tu cognouiſti ſemitas meas.* Hoc ideo dicit, oſtendens quòd humilitas maximè hominem Deo facit acceptum. Quaſi dicat, Quia defecit in me ſpiritus ſuperbiæ : id eſt tu cognouiſti, id eſt approbaſti, ſemitas meas, id eſt ſemitas iuſtitiæ & præceptorum Dei, quas ego obſeruo, quas perſecutores non vident : de hoc vide verſic.2429.

*Oratio humilitatē requirit.*

*Matth.10.*

*Matth.5.*

*Aduerſa humiliant.*

*Greg.7 mor. c.2.& 3.*

*Pſal.67.*

## In via hac qua ambulabam,abſcon- 2479

derunt ſuperbi laqueum mihi.

Hîc oſtenditur ſuperborum malignatio. Et diuiditur in tres partes: quia ponitur primò ſuperborum malitia: ſecundò ſuperborum ignorantia: ibi, *Conſiderabam*: tertiò iuſtorum perſeuerans cõſtantia: ibi, *Perijt fuga*. Quantum ad primum, ſciendum quòd ſuperbus diabolus cum ſuis membris iuſto rectè ambulanti ſemper inſidiatur, & in omni bona actione ſemper laqueos ponere conatur. Sicut multis exemplis deducit Gregor. dicens, Ecce quidam rebus contentus proprijs vllis mundi huius occupationibus implicari valde formidans, quietis ſuæ commoda perdere: & valde deſpiciens cum peccatis lucra cumulare, ad hũc hoſtis callidus veniens &c. vide verſic. 345. Vel aliter: vbi per viam intellige Chriſtum; qui eſt via, veritas & vita. In hac via parare diabolus laqueos nititur, dum nos à Chriſto ſeparare ſuis deceptionibus conatur. Quos tamen laqueos directè non ponit in via, ſed iuxta viã: quamuis in via ponere conatur. Conantur enim mali laqueum in via ponere, quando nobis Chriſtum diffamant. Vnde hic ait Auguſt. *In via hac qua ambulabã*, &c. Via hęc qua gradiebatur Chriſtus eſt. Abſconderunt ergo in hac via ſuperbi laqueum mihi, infideles qui in me Chriſtum perſequuntur: quantum in ipſis eſt, quantum ad voluntatem eorum, in hac via poſuerunt laqueum mihi; in hac via voluerunt me capere. Sed in hac via ſcandalum ponere non poſſunt, quia ipſi ſunt extra viam. Laqueum autem ponere non poſſunt, vbi non ſunt: in via ſe putat laqueum ponere paganus, quando mihi dicit, Tu colis Chriſtum crucifixum? quando reprehendit crucem Chriſti quam non intelligit. In Chriſto ſe putat ponere, quod iuxta viam ponit. Inſultet ille Chriſto crucifixo: videam ego in frontibus regum crucem Chriſti: quod irridet ille, ibi ſaluor. Nihil eſt ſuperbius ægroto, qui irridet medicamentum ſanum: ſi non derideret, acciperet ipſe medicamentum, & ſanaretur: crux illa ſignum eſt humilitatis. Ille autem ſuperbia nimia non cognoſcit vnde ſanetur tumor animæ ipſius. Ego autem agnoſco, de cruce non erubeſco. Vnde non in occulto porto crucem, ſed in fronte. Dicam ergo, *In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi*: quantum in ipſis eſt: nam iuxta viam poſuerunt. Ego autem tutus ſum, ſi de via non declinauero. Ignoras quòd in medio laqueorum gradiaris? nam laquei à dextris, & laquei à ſiniſtris. Laquei à dextris, proſperitas: à ſiniſtris, aduerſitas ſæculi. Laquei à dextris, promiſſiones: laquei à ſiniſtris, terrores. In medio laqueorum ingredere: à via noli recedere, vt nec promiſſio te capiat, nec terror elidat. De laqueis diaboli, vide verſic. 1572.

*Laqueos nobis parat diabolus in via virtutum.*

*Greg. 32. moral. c. 9.*

*Laqueos parat diabolus à dextris & à ſiniſtris.*

2480 Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me.

Hîc oſtenditur ſuperborum ignorãtia. Vbi primò ſciendum quòd in ſcriptura, dexteræ nomine ipſe Dei filius intelligitur, qui eſt virtus Dei patris. Quem ſub nomine dexteræ poſtulabat Iob ſibi porrigi, dicens, Operi manuum tuarum porriges dexteram. Quod exponens Gregor. ait, Dexteræ nomine filius Dei deſignatur: quia omnia per ipſum facta ſunt. Operi igitur manuum ſuarum porrexit omnipotẽs Deus dexteram ſuam: quia vt abiectum A atque in infimis iacens erigeret genus humanũ, incarnatum ad hoc vnigenitum miſit: ex cuius nobis incarnatione datum eſt, vt qui ex voluntate propria in corruptionem cecidimus, vocanti nos Deo quandoque ad incorruptionis gloriã, reſpondere valeamus. Quid eſt ergo viro iuſto dicere, *Conſiderabam ad dexteram & videbam*: niſi Chriſtum contemplabar in omnibus tribulationibus & perſecutionibus meis? *Et videbam*: ſcilicet in ipſo exempla patientiæ: quæ mihi patientiam conferebant, quia omnis pœna noſtra, conſiderata Chriſti paſſione, dulceſcit. Nihil enim eſt tam durum, quin æquo animo toleretur, ſi paſſio Chriſti ad memoriam reducatur. Sequitur, *Et non erat qui cognoſceret me*. Ideo B enim mali perſequebãtur martyres, quia Chriſtum conſiderabant, quia Chriſtum colebant & confitebantur. Quod Pſalmiſta nunc exprimens ait, *Non erat* (ſcilicet inter malos) *qui me cognoſceret*: ſcilicet qui me & opera mea approbare vellet, qui in me ſibi complaceret. Et quare? quia conſiderabam ad dexteram, & videbam. Vel aliter: vt per dexteram intelligantur bona æterna: per ſiniſtram verò, bona temporalia, vel laus hominum tranſitoria. Conſiderat ergo ad dexteram, qui ea quæ agit vel tolerat, pro gloria æterna facit adipiſcenda. Et talis verè videt illuminatus à Deo. Conſiderat verò ad ſiniſtram qui ſeipſum vel opera ſua dirigit ad tẽporalia bona vel ad laudẽ humanam. Dicat ergo quilibet iuſtus, dicat quilibet martyr, *Conſiderabam ad dexteram*: ſcilicet in meis paſſionibus: ſolum ad bo- C na æterna dirigebam oculum cordis. *Et ideo videbam*: quia ſicut peccatum & affectio tẽporalium mentem excæcat: ſic & affectio æternorum illuminat. Sed dum hæc patienter tolerarem pro gloria æterna, non erat qui cognoſceret me: id eſt, non erat qui cognoſceret qua intentione illa patienter tolerarem: ſcilicet an pro gloria Dei, an pro gloria mundi. Sicut etiam multi Romani & infideles ſe ſponte morti dederũt pro fama nominis ſui & gloria mundi acquirenda. Et iſte intellectus ſatis adiuuatur ex verbis beati Auguſt. hic dicentis, *Conſiderabam ad dexteram, & videbam*. In dexteram conſiderabat, & ideo videbat: nam qui ſiniſtram conſiderat, excęcatur. Quid eſt in dextera conſiderare, niſi illa bona conſiderare, in quibus erunt illi quibus dici- D tur, Venite benedicti patris mei? &c. Erunt quidam in ſiniſtra: quibus dicitur, Ite in ignem æternum qui præparatus eſt &c. Fremente ergo toto mundo & minante in perſecutionibus, creſcentibus vndique inſultationibus hominum atq; terroribus: iuſtus martyr contemnens præſentia, reſpiciebat in futura. Attendebat ad dexteram, vbi futurus erat: ibi intendebat, & ideo videbat: & ideo omnia ferebat. Illi autem qui perſequebantur, non videbant. Ideo cum diceret, *Conſiderabam ad dexteram, & videbam*: ſecutus ait, *Et nõ erat qui cognoſceret me*. Cum enim toleras omnia, quis nouit quid attẽdas: vtrũ in dexteram oculum dirigas, an in ſiniſtrã? Si enim patiendo laudes hominum quæris, ſiniſtram conſideras: ſi autem promiſſa Dei quæris, dexterã con- E ſideras. Conſiderans dexteram, videbis: ſi ſiniſtram, excæcaberis. Sed cum conſideras dexteram, non erit qui te agnoſcat vel conſoletur, niſi dominus. Sic ergo per dexteram Chriſtus hic poteſt ſignificari: vide verſic. 713.

*Dextera Dei dicitur Chriſtus.*

*Iob 14.*

*Greg. 12. moral. c. 10.*

*Dextera ſignificat bona æterna.*

*Matth. 25.*

Periit fuga à me: & non eſt qui requirat animam meam. 2481

Hîc



Hic ponitur iuſtorum perſeuerans conſtantia. Vbi ſciendum quòd fuga duplex eſt: vna corporalis: & iſta etiam viris iuſtis quandoque licita eſt: quinimò etiam & Chriſtus fugit quandoque perſecutores. Sic enim dicitur Matth. 14, quòd ſtatim poſt mortem Ioannis Baptiſtæ Ieſus receſſit inde, &c. Sic etiam & prælatis quandoque fugere licet. Vnde & Apoſtolis Chriſtus ait, Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Pro cuius tamẽ euidentia ſciendum quòd in perſecutione aut ſingulariter quæritur perſona prælati: & tũc ſi ipſo fugiente per alios tuta poſſit remanere eccleſia: fugiat ſecurè exẽplo Chriſti, qui à facie Herodis fugit in Ægyptum: & exemplo Pauli, qui à fratribus per murum ſubmiſſus eſt in ſporta: & etiam Chriſtus abſcondit ſe, & exiuit de templo, quando Iudæi tulerunt lapides vt iacerẽt in eum. Et hæc omnia habentur 7. quæſt. 1. aduerſitas. Cum verò non perſona prælati, ſed totius eccleſiæ vel fidei ſalus quæritur: neceſſe eſt vt tũc prælatus in bello ſe exponat pro muro, & animam ſuam pro ouibus ſuis ponat: vt exemplo ſuæ paſſionis accẽdat, quos diutius doctrinæ ſermone confirmare nõ poteſt: vt habetur vbi ſuprà. Sic ergo fuga corporali aliquando fugere licet. Alia eſt fuga ſpiritualis, qua quis pro fide perſecutus conſentit aduerſariis: & iſta nunquam licet fugere. Item notãdum, quòd fugam ab aliquo perire eſt, non fugere: quod dupliciter contingit: vel quia circunclusus fugere non poteſt, vt incarceratus: vel quia fortis animo fugere nõ vult, ſed viriliter ſtare. Et iſto modo à ſanctis fuga perit. Vnde hic ait Aug. *Periit fuga à me*. Ab illo perit fuga, qui non fugit. Qui autem non fugit, patitur quicquid poteſt pro Chriſto: id eſt, non fugit animo. Nã corpore fugere licet, dicente domino, Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Qui ergo nõ fugit animo, perit ab illo fuga: ſed intereſt quare non fugiat: an quia concluſus eſt, an quia fortis eſt. Etenim à capto perit fuga: & à forti perit fuga: quę ergo fuga à nobis timenda eſt vt pereat? Dominus in euãgelio dicit, Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem qui nõ eſt paſtor, videt lupum veniẽtem, & dimittit oues, & fugit: quia non eſt ei cura de ouibus. Talis fuga ab iſto perierat, qui dicebat, *Periit fuga à me*. Hæc ergo vox & poteſt eſſe capitis noſtri, ſcilicet domini Ieſu Chriſti, qui pro ouibus mortuus eſt: poteſt etiam eſſe & membrorum, ſcilicet ſanctorum martyrum, qui etiam pro Chriſto ſunt paſſi. Sequitur, *Et non eſt qui requirat animam meam*. Nota quòd anima alicuius duobus modis quæritur: ſcilicet ad perdendum. ſic enim dicebat Helias Deo, Relictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam. ſecundo modo quęritur anima ad imitandum: ſic Deũ quęrimus quando eius præcepta vel exẽpla imitamur. ſic dicitur Pſal. 55, Quærite dominum dum inueniri poteſt, &c. Hic autem Pſalmiſta cum dicit, *Et nõ eſt qui requirat animam meam*: intelligit ſecundo modo, ſcilicet ad imitandum & ſaluandum. Vnde hic ait Auguſt. *Et non eſt qui requirat animam meam*. Duobus modis quęritur anima hominis: aut à perſecutoribus, aut à dilectoribus. De illis ergo ait qui perſequuntur animam eius, *Et nõ eſt qui requirat animam meam*: vt me imitetur.

*Fuga duplex.*

*Matth. 10.*

*Fugere prælato quomodo liceat.*

*Matth. 10.*

*Ioan. 10.*

*3. Reg. 19.*

2482 Clamaui ad te domine: dixi, Tu es ſpes mea: portio mea in terra viuentiũ.

Hic Pſalmiſta ſuam orationem explicat, oſten- A dendo quid à Deo quærat orando. Et diuiditur in quatuor partes, ſecundum quatuor quæ à Deo poſtulat. primò enim poſtulat veram felicitatem: ſecundò ſuam Deo commendat humilitatem: ibi, *Intende*: tertiò in preſſuris poſtulat ſtabilitatem, ibi, *Libera me*: quartò poſtulat mundi exire calamitatẽ: ibi, *Educ*. Quantum ad primum, ſciendum quòd ſolus Deus animam noſtram poteſt ſatiare & quietare, & per conſequens ipſe ſolus nos poteſt beatificare: quia omnia creata ſunt bonitatis finitæ & limitatæ: & ſic animam noſtram replere nõ poſſunt: quæ eſt infinitæ capacitatis. Vnde Auguſt. 22, de ciuitate Dei, ait, In illa æterna beatitudine, quic- B quid amabitur aderit: nec deſiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit: & ibi ſummus Deus ſummum bonum erit: & quod omnium beatiſſimum eſt, ita fore ſine fine certum erit. Vnde dicit Pſalmiſta, Beatus vir qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis. Iuſtus igitur ſuis virtutibus, ſuis paſſionibus poterit habere dexteram, non ſiniſtram: æterna bona, non temporalia: ipſum ſperat in pręmium, non creaturam aliquam. Vnde & Deo dicit, *Clamaui ad te domine*, clamore ſcilicet cordis orando. Et quid orauerit, oſtendit dicens, *Dixi, Tu es ſpes mea*: id eſt, obiectum ad quod ſpes mea tẽdit, quod declarat ſubdens, *Portio mea in terra viuentium*. Quaſi dicat, Spes mea te quęrit habere portionem C ſuam: eo ſcilicet modo quo te beatis donas in terra viuentium: ſic enim & Pſal. 26, dicit, Credo videre bona domini in terra viuentium: vide ver. 397. Et latius vide ver. 2130. Vnde hic ait Auguſt. *Clamaui*, &c. id eſt, quando tolerabam, quando tribulabar: tunc tibi domino dixi, *Tu es ſpes mea*: id eſt, pro te habendo hæc tolero: *Tu es portio mea*: non hic, ſed in terra viuentium. Dat nobis Deus præmium in terra viuentium: ſed ſeipſum, non aliud à ſe. Quid enim ſe amanti dignè daret, niſi ſeipſum? Hic notandum quòd triplex eſt terra: ſcilicet terra viatorum, damnatorum, & beatorum. Terra viatorum dicitur mũdus iſte viatoribus omnibus tam iuſtis quàm malis ad peregrinationem datus. Quam terram qui malè inhabitat, dãnabitur: qui bene, beatificabitur. Prouer. 12, Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus. Terra damnatorum dicitur in- D fernus, ex eo quòd eſt in centro terræ: vt dictũ fuit ver. 651. Et hęc eſt illa terra, de qua dicitur Iob 10, Dimitte me, vt plangã paululum dolorem meum: antequam vadam ad terram tenebroſam, terrã miſeriæ & tenebrarum: vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Alia eſt terra viuentium: ſcilicet gloria æterna: quæ terra dicitur propter ſtabilitatem: de qua Matth. 5, Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Vbi Auguſtinus lib. 1. de ſerm. domini in monte, Poſſidebunt illam terram: ſcilicet de qua ait Pſalmiſta, *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium*. ſignificat enim terra quãdam ſtabilitatẽ & ſoliditatem hæreditatis æternæ. vbi anima per bonum affectum tanquam in loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra: & inde cibo ſuo ali- E tur, ſicut corpus ex terra. ipſa eſt requies & vita ſanctorum. De iſta ergo terra gloriæ hic dicit Pſalmiſta, *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium*. Vel aliter: per terram intellige corpus Chriſti de terra formatum: de qua terra dicitur Iob 9, Terra data eſt in manus impij: quia ſcilicet corpus Chriſti datum fuit in manus diaboli: vt ipſum poſſet perſequi, affligere & tradere morti. Vnde prędicta verba exponens Gregor. dicit, Quid enim terræ nomine,

*Beatitudo ſolũ in Deo cõſiſtit.*

*Pſal. 126.*

*Terra triplex ſcilicet viatorum, damnatorũ, & beatorum.*

*Terra viuentium dicitur Chriſtus.*

*Greg. 9. moral. cap. 21.*



niſi

niſi Chriſti corpus exprimitur? Quis appellatione impij, niſi ipſe diabolus deſignatur? Huius impij manus fuerunt hi qui in redemptoris noſtri mortem craſſati ſunt. Terra ergo data eſt in manus impij: quia antiquus hoſtis redemptoris mentem corrumpere per ſe tentando nō valuit: ſed eius carnem per ſuos ſatellites ad triduum extinxit, &c. Hęc autem terra, dicitur terra viuentium: quia in Chriſti corpore noſtra vita conſiſtit. Eſt ergo Deus portio noſtra in terra viuentium: quia Deus, quantum ad corpus, nos in corpore Chriſti beatificat: quia vt anima in diuinitate Chriſti, ſic & noſtrum corpus beatificabitur in corpore Chriſti: iuxta verbum Chriſti dicentis, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcāt te, &c. Dicat ergo homo de terra formatus Deo, *Tu es portio mea in terra viuentium*: id eſt, tu es beatitudo mea in Chriſto: quia corpus Chriſti ſolùm bonos & ſpiritualiter viuentes accipiet in ſuā portionem.

*Ioan.17.*

2483 Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis.

Hic ſuam Deo commendat humilitatē. Vbi aduertēdum quòd humilitas eſt duplex: ſcilicet afflictionis & virtutis: vide verſ.616.896.1233. Et iſta duplici humilitate humiliati multum ſancti fuerūt interius per virtutē; ſed exterius per afflictionem. Et de iſta duplici humilitate iſte intelligitur textus. Quantum ad humilitatem virtutis: quia illa facit orationem à Deo exaudiri: vt patet verſic.40.315.362.437.463. Ideo vt facilius quilibet martyr & iuſtus à Deo exaudiatur, dicit, Ego humiliatus ſum valde: ideo exaudire me debes: ideo intende ad deprecationem meam. De humilitate verò exteriori & afflictionis, valde humiliati fuerunt pro Chriſto perſecuti, afflicti, membris truncati, excoriati, crucifixi & occiſi. Et de iſta humilitate Chriſto dicunt, Pro te Chriſte ego humiliatus ſum nimis, id eſt, afflictus: ideo & tu intēde deprecationē meam, qua pro viciſſitudine harū paſſionum non aliquod terrenum, ſed te pro præmio habere poſtulo: ſicut iam dixi, *tu es ſpes mea, portio mea*, &c. Sic enim dictū fuit Pſal.17, Tu populum humilem ſaluum facies, &c. vide ver.227. Auguſtinus autem iſtum verſum ſic exponit, *Intende ad deprecationem*, &c. Quaſi dicat martyr quilibet Deo, Humiliatus ſum à perſecutoribus; humiliatus ſum in confeſſione. humiliant ſe iuſti inuiſibiliter: humiliantur ab hoſtibus viſibiliter. & conformiter eriguntur à Deo inuiſibiliter & viſibiliter. Inuiſibiliter erecti ſunt iam martyres: viſibiliter erigentur etiam cum corruptibile hoc induerit incorruptionē in reſurrectione mortuorum. Et ſi dicas, Nónne omne quod eſt nimis tenet extremum & eſt vitioſum? quomodo ergo iuſti humiliati ſunt nimis? Ad hoc dicitur quòd Nimis accipitur dupliciter: vide ver.1607.1647.

2484 Libera me à perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.

*Perſecutio duplex, ſcilicet, corporis & animæ.*

Hic iuſtus in preſſuris petit ſtabilitatem. Vbi ſciendum quòd perſecutores fidelium in fidelibus duo perſequuntur: ſcilicet animam & corpus, ſiue alia bona exteriora; vel fidem & vitam. Et vnum iſtorum perſequuntur per ſe & principaliter: aliud per accidens & propter aliud: ſcilicet fidem principaliter perſequuntur: & illam principalius intendunt extinguere. Corpus autem & alia bona exteriora non per ſe, ſed propter fidem tollendā: vt ſcilicet perſecuti timore perditionis temporalium vel cruciatus corporis præeligant negare fidem. Sic ergo principalis malorum perſecutio eſt cōtra virtutes & fidem. Et ab iſta poſtulat iuſtus liberari: ne ſcilicet in perſecutionibus malorum vincatur: vt voluntati malorum conſentiat pro pœnis corporalibus vitandis. Ad hoc enim diabolus per membra ſua agit perſecutionē corporis: vt intus in conſciētia fiat cordis ruina. Vnde ad iſtum ſenſum hic loquitur Auguſt. dicēs, *Libera me*, &c. A quibus putas quòd oret vt eruatur? Ab hominibus qui perſequebātur? Ita verò ipſi homines ſunt hoſtes noſtri. Habemus alios hoſtes inuiſibiles qui aliter perſequūtur: homo perſequitur vt occidat corpus: perſequitur alius, vt illaqueat animam. Et ideo per vaſa ſua: quia de illo dictum eſt, Operatur perſecutionem corporis, vt intus fiat ruina cordis. Nam ſi cadente corpore ſtat anima: intentio diaboli comminuta eſt, & nos liberati ſumus. Petit ergo nō ſolum ne corpus ruat, ſed ne anima cadat: & ſic ſtabilitatem petit in preſſuris, dicens, *Libera me à perſequentibus me*, &c. Sequitur, *Quia confortati ſunt ſuper me*. Dupliciter enim mali contra iuſtos confortantur: ſcilicet primò proſperitate tēporali & malignitate criminali. Primò confortantur proſperitate temporali qua mali præ aliis ſubleuantur & abundant. Et de hac confortatione Iob admiratiuè loquitur, dicēs, Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt confortatíque diuitiis: ſemē eorum permanet coram eis: propinquorum & nepotum in conſpectu eorum: domus eorū, &c. Quę verba ad propoſitū exponens Greg. dicit, Niſi enim impios patientia diuina toleraret: nequaquam diu vitam in peccatis ducerent. Subleuantur namque dominiis, cum potentes eſſe incipiunt. Confortantur verò, cum diu in hac vita ſubſiſtere permittuntur. Quos enim ſubſtātia eleuat in faſtu ſuæ potentiæ: dierum longitudo confortat. Vel certè ſubleuati & cōfortati referuntur, quia ſubleuantur honoribus, confortantur rebus. Sed ſunt plerique qui honoribus ſubleuati & diuitiis confortati, ea quæ in hac vita concupiſcunt, accipiunt: ſucceſſione autem ſobolis priuātur. Iſtis nimirum ipſa potentia ſua pœna eſt: cùm & magnam ſe habere hæreditatem conſiderant, & hæredes non habent, quibus relinquant. Quid itaque prodeſt ſi aſſint omnia: & deſint filij qui ſucceſſores fiant? Ideo ſequitur, Et ſemen eorum coram eis, &c. vide ibi. Et de iſta cōfortatione poteſtatis temporalis & diuitiarum quam poſſident mali, dicitur Daniel.11, Confortabitur rex auſtri, & dominabitur ditione multa. Et iſto modo confortati mali iuſtos perſequuntur. Secundò confortantur iniquitate criminali. Tunc enim confortari dicuntur vitia, quando peccatores agendo vitioſè roborātur. Sic enim Mathathias videndo Antiochum contra Dei populum vitioſè agendo inualeſcere, dicebat, Nunc confortata eſt ſuperbia, &c. Et talis confortatio malis eſt laqueus, ne conuertantur ad pœnitentiam. Hierem.23, Et cōfortauerunt manus peccatorū, ne cōuerterētur à malitia ſua. Et Ezech.13, Confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret. Iſto modo confortata videbatur iniquitas Iudæorū in paſſione Chriſti: quando tantum inualuit, vt ipſius perderet vitam. Vnde & Chriſtus dicebat, Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſté. Et hæc cōfortatio maximè nocet, quando fit in prælatis & principib⁹: cū pſorū vita ſpeculū ſit & exēplar ſubditorū. Et hoc ſatis notatur Hier.5, vbi de ſubditis dicitur, Indurauerunt

*Confortantur mali dupliciter.*

*Iob 21.*

*Greg 15. moral. cap.18.*

*1. Mach.2.*

*Pſal 68.*



rauerunt faciē ſuam ſupra petram, & noluerunt reuerti: & dixi, Forſitan pauperes ſunt & ſtulti. Ibo igitur ad optimates & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam domini. Et ecce, magis multiplicatæ ſunt præuaricationes eorum: & confortatæ ſunt auerſiones eorum &c. Et de talibus ſic confortatis, quia bonos perſequuntur, dicitur Hierem.9, Confortati ſunt in terra: quia de malo ad malum egreſſi ſunt. quia ſcilicet de malo quod corpori infligunt, ad malum animæ procedere nituntur. Et ab iſtis liberari petit Pſal. dicens, *Libera me* &c.

2485 Educ de cuſtodia animam meam: ad confitendum nomini tuo me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

*Carcer ſiue cuſtodia multiplex.*

*Corpus eſt carcer animæ.*

Hîc poſtulat de calamitate iſtius mundi à Deo educi. Vbi nota quòd ſecundum Auguſt. alia litera dicit, Educ de carcere animam meam: & ad idem redit. Et ideo ſciendum quòd triplex eſt cuſtodia, ſiue carcer, de quo iuſti educi deſiderant: ſcilicet carcer colligationis corporalis, quo carni anima coniungitur. Corpus enim noſtrum carcer dicitur & cuſtodia animæ. Quoniam ſicut perſona, quantumcumque nobilis, in carcere recluſa, non ſua libertate vtitur, ſed lege carceris & cuſtodiæ: ſic & anima de ſe nobilis & libera cōiuncta corpori, non plenè ſua libertate vtitur, ſed ducitur lege carceris: quod ſibi in pœnam peccati accidit. Et de iſto carcere corporis dicitur Iob 7, Nūquid mare ego ſum aut cœtus, quia circundediſti me carcere? &c. Vide de iſto carcere in litera Carcer, parte prima, in dictionario. Similiter de ſecūdo carcere, qui eſt mundus, parte ſecunda. Et de tertio carcere, qui eſt peccatum, parte tertia. Ad propoſitum ergo, ſciēs Pſalmiſta quòd quandiu ſub aliquo carcere iſtorum manet, Deum facietenus ſpeculari nō poteſt: cupit cum Apoſtolo diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et hoc eſt quod Deo dicit, *Educ de carcere*, vel *de cuſtodia animam meam*. Vbi ait Auguſt. *Educ de carcere* &c. Carcer eſt mundus iſte. Hoc ergo orat eccleſia, vt de carcere huius mundi educatur: vbi omnia vanitas & præſumptio ſpiritus. Vel carcer eſt corpus noſtrū. Si enim diceret Educ de carcere corp⁹ meum: ſecurius acciperemus carcerem mundum. Sed fortaſſe propter aliqua quæ nos tenent deſideria terrena, contra quæ dimicamus, dicente Apoſtolo, Video aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ: ideo rectè dicimus, *Educ de carcere animam meam*: id eſt de hoc mundo, de laboribus & preſſuris huius ſæculi. Et ſubdit Auguſt. Aliqui autem dixerunt carcerem iſtum corpus noſtrum eſſe: vt ſit ſenſus, *Educ de carcere animam meā*, id eſt de corpore: ſed iſte intellectus vacillat aliquantulū. Quod enim magnum eſt, *Educ de carcere animam meam*, id eſt de corpore? Latronū enim animæ & ſceleratorum nónne exeunt de corpore in peiores pœnas quàm hic pertulerunt? Quid enim magnum petitur, *Educ de corpore animam meam*: cùm ſine ferro neceſſe ſit citò exire? Sed fortè hoc iuſtus dicit, de corpore feſtinans exire. Quod ſi ſic feſtinat, non habet charitatem. Audi Apoſtolum dicentem, Deſidero diſſolui, & eſſe cū Chriſto. Sed audi quod ſequitur, Manere autē in carne neceſſarium eſt propter vos. Melius ergo accipitur, *Educ de carcere animam meam*: id eſt de anguſtia. Gaudenti enim carcer latus eſt: triſti autem etiam pratum eſt anguſtum. Orat ergo ſe educi ab anguſtia. Audi anguſtias Apoſtoli, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Qui ergo infirmabatur & vrebatur, nónne in anguſtiis & carcere erat? Sed iſtæ pœnæ ex charitate aſſumptæ coronam parturiunt. Orat ergo de carcere educi, vt perueniat ad coronam. Et hoc eſt quod ſubditur, *Vt confiteatur nomini tuo*. Quod de confeſſione non criminis intelligitur, ſed de confeſſione laudis: quam maximè beati habent in patria: Pſal.83, Beati qui habitant in domo tua domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ibi enim nō erit quid agere debeamus, niſi amare Deū, videre Deum amatum: & quem amabimus ſine fine viſum, laudabimus ſine fine. Ad quid ergo orat, dicens, *Educ de carcere*, vel *de cuſtodia animam meam*? Hoc oſtendit, dicens, *Vt confiteatur nomini tuo*: vt ſemper te laudet. Sed quia ſancti angeli lætanter noſtram beatitudinem expectant, vt reſtāretur iuſtorū ruina: ideo de ipſis beatis angelis iuſtis dicitur, *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi*: id eſt donec mihi retribuas pro labore coronā: Pſal.17, Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecūdum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Vel hæc omnia poſſunt exponi de Chriſto: nota gloſam iſtius verſiculi.

*Rom.7.*

*Phil.1.*

*2.Cor.2.*

*2.Cor.11.*

## PSAL. CXLII.

DOmine, exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia. 2486

Titulus huius Pſalmi eſt, Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum filius ſuus. Hic titulus, quo ad literam, ſatis patet ex dictis in titulo tertij Pſalmi, qui factus fuit in eadem perſecutione. Illa enim perſecutio durauit pluribus diebus. Vnde & Dauid in illa poſitus plures Pſalmos fecit pro ſua liberatione deuotè Deum orando. Sic & inter alios Pſalmos hunc fecit quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon. Diuiditur autem iſte Pſalmus ſecundum literam in tres partes: quia primò Dauid ponit ſuam poſtulationem: ſecundò ſuæ poſtulationis adducit rationem: ibi, *Quia perſecutus eſt*: tertiò ſuæ orationis ponit exauditionem: ibi, *Spiritus tuus bonus* &c. Procede vt Nicol. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notandum quòd iſte Pſalmus non agit de hiſtoria quæ ponitur in titulo, ſcilicet de perſecutione qua Abſalon filius Dauid perſecutus eſt Dauid patrem ſuum: ſed agit de ſignificato illius hiſtoriæ: vbi per Dauid Chriſtum intellige: per Abſalon autem, ipſum Iudam. Nam Abſalon interpretatur pax patris: & Iudas erat pax Chriſti. Vnde & Chriſtus eum ſuum vocauit amicum, dicens, Amice, ad quid veniſti? Vel erat pax Chriſti ipſe Iudas, apparenter quidem, ſed non verè. vnde & ipſum oſculo pacis tradidit. Vel Abſalon interpretatur patris amaricatio. Sic & Iudas fuit amaricatio Chriſti, quia ipſum Iudæis ad crucifigēdum tradidit: cum tamen eſſet de numero filiorū Chriſti, quia inter duodecim electus. Agit ergo Pſal. iſte de perſecutione Chriſti facta à Iuda, ſignificata per perſecutionem Dauid factā à filio ſuo. Vel per Dauid intellige Chriſtū, quātum ad ſuū corpus, quod eſt eccleſia: per Iudā verò, falſos fratres, vel illicitos mot⁹ carnis & deſideria praua, quibus perſequuntur membra Chriſti. Intentionem monet ad pœnitentiam & deuotam orationem. Quibus viſis,

accedo ad Pſal.diuiſionẽ.Diuiditur ergo Pſal.iſte in partes quatuor:quia Pſalm.primò ponit ſuam orationem:ſecundò exponit ſuam tribulationem : ibi, *Quia perſecutus eſt*:tertiò exauditionis petit accelerationem:ibi, *Velociter exaudi* : quartò ſuæ exauditionis oſtẽdit concluſionem:ibi,*Spiritus tuus bonus*.Prima diuiditur in partes duas:quia primò ponit ſuam orationem:ſecundò orationis explicationem ; ibi, *Et non intres*.Quantum ad primum,ſciendum quòd ſicut magnus amor multiplicat deſiderium diligentis ad dilectum,multiplicat cogitationes & ſuſpiria : ſic & ſuo modo tribulationis anxietas in orante multiplicat cogitationes & ſuſpiria : quæ per diuerſa vel per eadem multiplicat verba. Sicut & Chriſtus in paſſione poſitus orans ad patrem, eadem verba duplicauit:dicens , Deus Deus meus reſpice in me.Et hoc ad maiorem expreſſionem ſuę intentionis. Sic & eandem ſententiam ſub diuerſis

*Pſal.5.*

verbis Pſalm.multiplicat:dicens, Verba mea auribus percipe domine, intellige clamorẽ meum : intẽde voci orationis meæ. Et certum eſt quòd idem eſt in propoſito percipere,intelligere,& intendere. Nec eſt in talibus locutionibus nugatio: ſed ſuæ intentionis maior expreſſio. Et iſto modo verba idem ſignificantia multiplicando , Pſalm.hic orat, dicens,*Domine exaudi orationem meam*:idem aliis verbis repetit,dicens,*Auribus percipe obſecrationem meam.* Idem tertiò ſub aliis verbis repetit,dicens,*In veritate tua exaudi me*.Idem quartò , dicens , *In iuſtitia tua*: ſupple exaudi me. Anxius enim & afflictus erat qui ſic orando verba multiplicabat.Dicat ergo,*Domine exaudi orationem meam.* Verba ſunt Chriſti pro ſuis membris orantis.De hoc vide verſic. 1703. *Auribus percipe obſecrationem meam.* Quid autem ſit auribus percipere, vide verſic, 788. *In veritate tua exaudi me, in tua iuſtitia.* Vbi notandum quòd ille verax dicitur,qui obſeruat promiſſa.Promiſerat autem Deus

*Pſal.90.*

exaudire ad ipſum deuotè clamantes:dicens,Quoniam ad me clamauit,& ego exaudiam eum , cum ipſo ſum &c.Dicit ergo , *In veritate tua exaudi me* : id eſt vt verax videaris , fac quæ promiſiſti.*In iuſtitia tua.* Hic notandum quòd omnis noſtra iuſtitia & virtus propriè dicitur iuſtitia Dei,& nõ noſtra.Vnde tunc ſolum rectè oramus , quando omnem noſtram virtutem non nobis,ſed Deo attribuimus.Et ideo Chriſtus homo petit ſe exaudiri non propter iuſtitiam ſuam,ſed propter iuſtitiam Dei totum attribuẽs Deo:vt ſic ſuis membris daret exemplum. Vnde hic ait Auguſtin. *Exaudi me in tua iuſtitia.* Hic commendatio eſt gratiæ : vt vnuſquiſque noſtrum iuſtitiam ſuam putet. Hæc enim iuſtitia Dei eſt,

*Iuſtitia omnis Dei eſt, non noſtra.*

quam vt habeas, Deus tibi dedit. Nam qui voluerunt de ſua iuſtitia gloriari ,quid de illis dicit Apoſtolus?Teſtimoniũ (inquit ) eis peribit:quia zelum

*Rom.10.*

Dei habent,ſed non ſecundum ſciẽtiam.De Iudæis loquitur.Quid eſt,non ſecundum ſciẽtiam?Quam enim tu cõmendas vtilem ſcientiam , nunquid illam quæ cum ſola fuerit inflat : quæ niſi comita-

*1.Cor.8.*

ta fuerit caritate,non ædificat ? Non vtique ipſam, ſed illam ſcientiam comitem charitatis,magiſtram humilitatis. Vide ſi ipſa eſt:zelum Dei(inquit) ha-

*Rom.10.*

bent:ſed non ſecundum ſcientiam. Exponit,quam dicit ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam , & ſuam volentes ſtatuere , iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Qui ergo volunt conſtituere iuſtitiam ſuam? Qui quod bene fecerint , ſibi imputant:quod ma-

*Rectus quis dicitur.*

lè,Deo. Omnino peruerſi.Denique recti erũt, cùm hoc ipſum conuerterint. Peruerſus es ideo , quia quod malè,Deo:quod bene, tibi. Rectus autẽ eris, quando quod malè feceris,tibi:quod bene feceris, Deo.Non enim ex impio iuſtè viueres : niſi ab illo iuſtus factus fuiſſes , qui iuſtificat impium. Inquit ergo Pſalm.*In veritate tua exaudi me,in tua iuſtitia*:non in mea.Ad me enim cũ reſpicio , nihil aliud meum quàm peccatum inuenio. Vel aliter , per iuſtitiam

*Iuſticia dicitur Chriſtus.*

Dei Chriſtum intellige.Vnde Gregor.16.mor.cap. 15 , exponens illud Iob 23 , Æquitatem proponat contra me:ſic ait,Quis alius nomine æquitatis,niſi mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus intel-

*1.Cor.1.*

ligitur:de quo ſcriptum eſt, Qui factus eſt nobis à Deo ſapientia & iuſtitia ? Quæ ſcilicet iuſtitia dum in hunc mundum contra vias peccatorum venit, antiquum hoſtem vicimus , à quo captiui tenebamur. Ipſe enim Chriſtus ſicut eſt lux illuminans nos,nos autem illuminati : ſic & eſt iuſtitia iuſtificans,nos iuſtificati. vt oſtendit Gregor. 18. moral. cap.32.vide ibi.Quid eſt ergo dicere, *In veritate tua exaudi me, in tua iuſtitia*:niſi in Chriſto exaudi ? quia per Chriſtum omnes noſtræ orationes exaudiuntur à Deo. Ideo eccleſia ſuas orationes per Chriſtum terminat:dicens , Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c:vide verſic,1439.

## Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo:quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 2486

Hic ſuam orationem explicat. Vbi ſciendum quòd quilibet quantumcumque perfectus ſit,iudi-

*Finẽ ſuũ ignorat quilibet.*

cium diſtrictum Dei debet ex multis timere,maximè terminum vitæ ſuæ ignorat qualem habebit. Et ideo miſericordiam, non iudicium Dei quærere debet. Et ad iſtum intellectũ inducit iſtum verſum Gregor.dicens,Sicut qui de malis conuertan-

*Greg.29.moral.c.9.*

tur ad bonum , vel qui de bonis ad mala redeant: ſic etiam nec de te quid tuis meritis agatur intelligis.Et ſicut alienum nullatenus comprehendis:ita etiam tuum terminum prænoſcere non vales. Iam enim quantum ipſe profeceris,ſcis.Sed quid adhuc de te in occultis Deus ſentiat,neſcis. Iam tuę iuſtitię acta conſideras:ſed & quã diſtrictè apud Deum penſentur,ignoras. Vę etiam labili vitæ hominum, ſi remota pietate iudicetur : quia diſtrictè diſcuſſa inde ante oculos diſtricti iudicis , vnde ſe placere ſuſpicabatur,obruitur.Vnde rectè domino per prophetam dicitur , *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Vel

*Iuſtitia noſtra reſpectu diuinæ iuſtitiæ eſt immũda.*

ideo hoc orat Pſalm. quia omnis noſtra virtus vel iuſtitia diuinæ iuſtitiæ comparata , ſordida & non pulchra videtur : ſicut lumen candelæ reſpectu luminis ſolis , obſcuritas eſſe videtur. Vnde ad iſtum intellectum hunc verſum inducit Gregor.ſuper illo verbo Iob 28,Non dabitur aurum obrizum pro ea : dicens, Quid autem per aurum obrizum , niſi

*Greg.18.moral.c.29.*

angeli ſancti deſignantur:qui rectè & aurũ vocantur, & obrizum aurum:quia fulgent claritate iuſtitiæ:obrizum,quia nullum habent contagium culpæ? Homines verò iuſti quandiu in hac corruptibili carne mortaliter viuunt , aurum quidem poſſunt eſſe, ſed obrizum omnino non poſſunt : quia corpus quod corrumpitur , aggrauat animam , & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ex magna iuſtitiæ claritate reſplendeant : nequaquam tamen ad purum peccatorum ſordibus carent:Ioanne atteſtan-

*1.Ioan 1.*

te, qui ait , Si dixerimus quoniam peccatum non habemus:



habemus : nos ipſos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt. Vnde & propheta deprecatur : dicens , *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo , quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Sed econtra ſuperbi non

*Superbi diſputare cũ Deo volunt.*

formidant cum Deo intrare in iudicium:iuſtitiam ſuam diuinæ iuſtitiæ præponẽtes:& cum Deo diſputantes atque dicentes , Quare ieiunauimus , & non aſpexiſti;humiliauimus animas noſtras,& neſciſti?Quaſi dicat,Fecimus quod iuſſiſti;quare non reddis quod promiſiſti ? In iudicium cum Deo in-

*Hierem 12.*

trare non formidant, qui Deo dicunt, Quare viam impiorum proſperatur , bonum eſt omnibus qui minus agũt? &c. Sed quid talibus reſpõdeat Deus, audi Auguſtinum hic dicentem , Denique talibus ſuperbis loquitur Deus per prophetã:dicens;Quid vultis in iudicio contendere mecum?Omnes dereliquiſtis me,dicit dominus. Quid vultis mecum in iudicio contendere,& iuſtitias veſtras commemorare ? Commemorate iuſtitias veſtras:& ego noui facinora veſtra. Quomodo approbabo iuſtitiam,

*Matth.11.*

vbi dãnabo ſuperbiam ? Meritò ergo humilis Pſal. diſcens à capite,quoniam mitis eſt & humilis corde:*Ne intres* (inquit ) *in iudicium cum ſeruo tuo*. Quaſi dicat , Nolo tecum habere cauſam , vt ego propo-

*Angeli corã Deo nõ iuſtificantur.*

nam meam , vt tu conuincas iniquitatem meam. Timeo ergo,quoniam ſcio quòd non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et aduerte quòd non dicit,Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis homo : ſed dicit,*omnis viuens*. quia etiam angeli non ſunt mundi in comparatione Dei. Vnde Bernard. hunc paſſum exponens ait , *Non intres in iudicium* &c. Non ait omnis homo:ſed *omnis viuens* : ne fortè putes eum angelicos ſpiritus excepiſſe. Viuunt enim & ipſi : & eo verius , quo propius aſſiſtũt ei apud quẽ eſt fons vitæ. Nihilominus etiam & iuſti viuunt:ſed ex Deo,non coram Deo:munere eius, non in eius comparatione. Iuſtitia eorum recta eſt,pura,firma,ſublimis : ſed adhuc longè inferior, quàm diuina:non enim innata eſt eis,ſed collata à Deo. vt natura ipſa quantum ex ſe eſt , non

*Homo coram Deo iuſtificari non poteſt.*

modò iuſtitiæ , ſed etiam iniuſtitiæ capax inueniatur.Quãto magis ergo homo terrenus coram Deo iuſtificari non poterit?Vnde & Gregor.5.mor.cap. 26.ſuper illo verbo Iob 4,Nunquid homo Dei cõparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? dicit , Humana iuſtitia diuinæ iuſtitiæ comparata, iniuſtitia eſt. Quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur:ſed in ſolis radio poſita , tenebratur. Recta namque credimus , quæ exterius cernimus: ſed cum minimè interna cognoſcamus , quomodo iuſtitiam noſtram Deo cõparare valemus?Quiſque enim veri' de tenebris iudicat , quãto ei verius claritas lucis conſtat.Qui enim lucem videt,ſcit quid de tenebris extimet.Nam qui cãdorem lucis ignorat:etiã obſcura pro lucidis approbat. Vnde & Iob 26, dicitur, Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo:aut apparere mũdus natus de muliere? Quaſi dicat,nõ. Vide ſuper hoc Greg.l.17.mor.c.8.

## 2487 Quia perſecutus eſt inimicus animam meam , humiliauit in terra vitam meam.

Hic Pſalmiſta exponit ſuam tribulationem. Et primò exponit ſuam tribulationem ex toleratione aduerſitatum:ſecundò oſtendit vnde ſumat conſolationem:ibi,*Memor fui.* Quãtum ad primum,ſciendum quòd iuſtus ex duobus hic tribulatur : ſcilicet quo ad corpus ex toleratione aduerſitatum:ſecundò quo ad mentem ex tentatione viciorum. ſecundum oſtendit ibi,*Collocauit me.* Quantũ ad primum, ſciendum quòd in ſcriptura humiliari multoties ſtat pro affligi & aduerſitatibus concuti:vnde humiliãtur, qui aduerſitatibus percutiũtur. Sic enim dicitur Pſalm.44, Humiliaſti nos in loco afflictionis,cooperuit nos vmbra mortis.Et quia inimicus

*Perſequitur nos diabolus aduerſitatibus.*

noſter diabolus multas nobis aduerſitates immittit, vt nos ad deſperationem perducat:ideo neceſſe eſt vt ad Deum recurramus orando.Sic & hic Pſal. ait , Domine exaudi orationem meam &c.Et quare? *Quia perſecutus eſt inimicus miſericordiam meam* &c. Sic enim perſecutus eſt Iob , multas inferendo aduerſitates.Sic perſecutus eſt Ioſeph:ſic & populum Dei in Ægypto:ſic & ſanctos martyres : ſic & in fi-

*Perſequitur nos Deus & diabolus.*

ne mũdi per Antichriſtum perſequetur fideles. Notandum ergo quòd quandoque etiam temporaliter nos perſequitur amicus, quandoque inimicus: immò quandoque Deus ipſe. Sed differentia eſt in hoc : quia Deus vel amicus aliquando perſequendo intendit eius vitæ ſaluationem & emendationem quam perſequitur:Diabolus autem vel inimicus perſecutione intendit vitæ perditionem.vt no-

*Greg.14.moral.c.25.*

tat Gregor. ſuper illo verbo Iob 19 , Quare perſequimini me ſicut Deus?dicens,Perſecutor namque bonus Deus eſt:ſicut de ſemetipſo ore prophetico

*Pſal.100.*

dominus dicit,Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Cùm verò ſanctus quiſque flagellari permittitur , ſcit quòd perſecutionem contra commiſſa vicia, ex interna diſpenſatione patiatur. Crudeles autem perſecutorum mentes cum poteſtatem feriendi appetunt contra bonorum vitam,non ſtudio purgationis,ſed liuoris facibus accenduntur.Et quidem hoc faciunt,quod omnipotens fieri permittit. Sed dum vna cauſa cum Deo etiam per ipſos agitur, non tamen voluntas vna in eadem cauſa ſeruatur:quia cum omnipotens Deus amãdo purgationem exhibet , iniuſtorum prauam ſæuiendo maliciam exercet. Sic ergo eandem perſecutionem nobis infert Deus & inimicus noſter diabolus,ſed fine diuerſo : & in eadem perſecutione Deus nobis eſt amicus , & diabolus inimicus. De quo hic dicit , *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam.* Hoc enim dicit & caput noſtrum Chriſtus: dicunt & membra.Quod hic oſtendens Auguſtin. ait, *Quia perſecutus eſt* &c. Perſecut' eſt planè diabo-

*Perſecutus eſt diabolus Chriſtũ & etiã Iudas.*

lus animã Chriſti : perſecutus eſt & Iudas animam magiſtri.Et nũc ad perſecutionem corporis Chriſti idẽ diabolus manet:Iudas autem inde ſuccedit. Non tamen deeſt de quo dicat & corpus, *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam,humiliauit in terra vitam meã* : id eſt humiliare voluit.Quid eſt enim *humiliauit in terra vitam meam*:niſi , incuruauit in terra vitam meam?Quid enim agit nobiſcum perſecutor diabolus , niſi vt relicta ſpe cœleſti , terrena ſapiamus?Si perſecutori cedimus , terram diligimus.Et ille quidem quantum in illo eſt , hoc agit: & ſi hoc nobis non contingat , illi tamen apertè ſæuiendo vel occultè inſidiando, conantur deducere in terra vitam noſtram.

## Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus , in me turbatum eſt cor meum. 2488

Hic oſtendit ſuam tribulationem ex tentatione

vitiorum. Ad hoc enim diabolus nos perſequitur per tribulationes & aduerſa, vt ad peccatum mentem inducat. Et intentionem ſuam hic notans Pſal. ait, *Collocauit me in obſcurũ.* Quid enim obſcura dicuntur proprius, quàm peccata: quibus totus intellectus obſcuratur & efficitur cæcus? Sopho. 3, Ambulabunt vt cæci: quia domino peccauerunt. Dicit ergo, *Collocauit me:* ſcilicet diabolus, quantũ in eo fuit: *In obſcuris*, id eſt in tenebris vitiorum. Et hoc *ſicut mortuos ſæculi*: id eſt ſicut cæteros ſpiritualiter in hoc ſæculo mortuos: quos ad deſperationem vel ad peccatum inducit. Propter quæ anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: ſcilicet quærens refugium. Et quod inuenit refugium, niſi pœnitentiam: qua carnem domat & ſubiicit ſpiritui? Quod notãs dicit, *Et in me turbatum eſt cor meum.* Hæc enim conturbatio pœnitentiæ eſt Deo ſummum ſacrificium. Pſalm. 50, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c. Vel aliter: vt iſte verſus ſit dictus à Chriſto capite. Vbi primò notandum quòd ſicut aliud eſt mortuus Dei, aliud mortuus Deo: ita aliud eſt mortuus ſæculi, & aliud mortuus ſæculo. Nam mortui Dei ſunt illi qui peccatis moriuntur: propter quod fiunt membra Chriſti & viuũt in Chriſto: quibus dicebat Apoſtolus, Mortui enim eſtis: & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Sed mortui Deo ſunt qui cum Deo non viuunt. Sic mortui ſæculo ſunt qui ſæculo renunciauerũt & Deo viuunt. Sed mortui ſæculi ſunt quos ſæculũ in peccatis mortuos tenet: de quibus dicit Chriſtus, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Dicuntur ergo mortui ſæculi, omnes qui lege naturali naſcuntur originali culpa infecti. Et iſtis omnibus debito naturæ moriuntur, quia propter originale peccatum ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Chriſtus autem quia non fuit peccato obnoxius, non fuit mortuus ſæculi, nec debito naturæ mori obligabatur: ſed voluntariè pro nobis mortem ſuſcepit. Sed in hoc fuit deceptus diabolus: quia credidit Chriſtũ eſſe inter mortuos ſæculi, Et ideo ipſum fuit perſecutus ad mortem: & poſt in obſcuro ſepulcro fuit poſitus: ſicut cæteri mortui ſæculi. Et hoc totum notans Chriſtus dicit de inimico diabolo, *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi.* Quod hic exponens Auguſtinus dicit, Chriſtus enim pro nobis mortuus eſt: ſicut mortuus ſæculi. Qui ergo ſunt mortui ſæculi? & quomodo Chriſtus non erat mortuus ſæculi? Mortui ſæculi dicuntur mortem ducentes ex peccati propagine. Sed Chriſtus venit per virginem aſſumens carnem, non peccatum carnis. Illi autem, ſcilicet inimici, quem peccatorem putabant Chriſtum, tanquam mortuum ſęculi deputabant: ſed ille non erat qui dicit, Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: hoc eſt, nullam culpam in me reperiet, quare mori debeam: ſed voluntate morior, vt per mortem innocentis illi liberarentur à morte, qui habebant vnde morerentur. Et ſic diabolus deceptus collocauit me in obſcuris: id eſt in ſepulcro, tanquam mortuos ſęculi. Sequitur, *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus.* Alia litera habet, *Et tædium paſſus eſt in me ſpiritus meus*: quod ad idem redit, id eſt triſticiam paſſa eſt anima mea. vt quando dixit, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Et in me turbatum eſt cor meum. In me* (inquit) non in aliis: quia Apoſtoli qui mihi inhæſerant turbationem paſſionis fugientes, me ſolum reliquerunt. Et meipſum quia mori videbãt, aliud aliquid putauerũt.

*Obſcura dicũtur peccata.*

*Mortuus ſæculi quid eſt, & quid mortuus ſæculo.*

*Coloſſ. 3.*

*Matth. 8.*

*Ioan. 14.*

## Memor fui dierum antiquorum: meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabor. 2489

Hîc oſtendit vnde ſumat ſuam conſolationem: & conſequenter gratias agit: ibi, *Expandi.* Quãtum ad primum, ſciendum quòd recordatio beneficiorum receptorum cõſolationem ingerit, & ſpem ad alia recipiendum. Cum ergo quis memoratur, quàm gratioſè Deus creauit hominẽ, quàm ipſum dignitate dotauit: non debet deſperare poſt peccatum, ſed magis ſpem veniȩ ſumere, & ad ipſum benefactorem recurſum habere. Et ex hoc conſolatur Pſalm. in ſuis afflictionibus: dicens, *Memor fui dierum antiquorum:* quibus ſcilicet feciſti cœlum & terram: quibus creaſti hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam: quibus ad te reuertentibus offenſas dimiſiſti: & in iſtorum recordatione ſpem ſumẽs de pietate tua, obliuiſcor miſeriarum mundi. Et vide quòd Pſal. tria genera operum Dei meditatur: ſcilicet primò opera creationis: dicens, *Memor fui dierum antiquorum:* ſcilicet quibus à principio mundum creaſti. Secundò opera conſeruationis. Quomodo enim ſtarent creata niſi Deus illa conſeruaret? Et quantum ad hoc, dicit, *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis*: ſcilicet in omnibus conſideraui eſſe veritatem tuam illorum conſeruatiuam. Tertiò opera recreationis: ſcilicet quòd carnem aſſumens, & manibus extenſis in cruce mundum redemit. Et quantum ad hoc, dicit, *Et in operibus manuum tuarum meditabor.* Vel aliter, iuſtus conſiderans vitam Chriſti, quȩ in omnibus ſuis operibus nobis veræ virtutis dedit exemplum: Chriſto dicit, *Memor fui dierum antiquorum*: ſcilicet quibus mũdum creaſti. Poſtea vertit ſe ad incarnationem Chriſti: dicẽs, *Meditabor in omnibus operibus tuis* &c. De hoc vide verſic. 1268. 1269. Vnde primum ſenſum ponit hic Auguſtin. dicens, *Memor fui dierum antiquorum* &c. Corpus Chriſti hic loquitur, & vnuſquiſq; Chriſti gratia iuſtificatus inhærens illi in charitate & humilitate deuota, dicit, *Memor fui dierũ antiquorum: meditatus ſum in omnibus operib⁹ tuis:* hoc ſcilicet, quòd omnia bona tu feciſti, & quòd nihil conſtitiſſet, quod à te conſtitutum non eſſet. Creatura tua mihi ſpectaculum facta eſt. Quæſiui in operibus artificẽ, & in omnibus conditis conditorem: vt ſcilicet ex hoc intelligeret quicquid boni in ſe eſſet, ab illo factum eſſe: ne ſuam iuſtitiam conſtituere volẽs, iuſtitiæ Dei ſubiectus non eſſet. Reſpice ergo conditorem vitæ tuæ, iuſtitiæ & ſalutis auctorem. Meditare in facturis manuum eius: quia & iuſtitia quȩ in te eſt, ad manum eius inuenies pertinere. Noli ergo putare te aliquid operari, niſi inquantum malus es. Auertere ab opere tuo in te, ad opus illius qui te fecit. Vt enim ſis, ille operatus eſt: vt bonus ſis, ſi bon⁹ es, ille operatur. Dicat ergo, Inſpexi opera tua, & cognoui: quia nihil boni in nobis eſſe poteſt, niſi à te fiat, qui nos feciſti.

*Bona omnia ſunt à Deo: mala à nobis ſunt.*

*Phil. 2.*

## Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. 2490

Hîc conſequenter ex conſideratione operum Dei illuminatus gratias agit. Extenſio enim manus ſignificat gratiarum actionem cum petitione. Notandum quòd homines orando multipliciter manus ſuas expandunt: ſcilicet quandoque expandimus

*Expandimus manus multipliciter.*



dimus manus ad terram: & tunc ſignificamus nos imitari Chriſti humilitatẽ in incarnatione & paſſione. Quandoque manus expandimus ſurſum ad cœlum: & tunc ſignificamus Chriſti aſcenſionem quam imitari debemus operibus noſtris, vt tota noſtra intentio & ſpes illuc feratur, quò Chriſtus aſcendit. Quandoque expandimus manus in modum crucis: & tunc ſignificamus nos imitatores Chriſti paſſionis, omnia aduerſa patienter tolerãdo. Prædictis ergo modis orando iſte manus ſuas expandit. Vnde hic ait Gl. *Expandi manus meas ad te:* id eſt, in oratione expandi manus meas in formam crucis. Vel per manum intellige opera, quæ iuſtus ad Deum expandit, dum illa dirigit in Deum. Sequitur quid ſic orando petat, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi:* quaſi dicat, Anima mea ex ſe eſt ſterilis & infructuoſa: ſicut terra ſine aqua. Ideo tibi illam expando, vt ipſam tua gratia perfundas. Vnde hic ait Auguſt. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*: id eſt complue me ad faciẽdum fructum bonum. Dominus enim dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*: ſitire tibi poſſum, me irrigare non poſſum. Abũdat mare, inũdat, copioſum eſt: fluctuauit, ſed amarum eſt. Aruit anima mea, irriga eam: quia ſine te eſt velut terra ſine aqua tibi. Vel per iſta verba petit in perſona aliorum irrigari doctrina ſacræ ſcripturæ. Vnde prædicta verba exponit Greg. & dicit, Verba ſanctæ prædicationis ſicut pluuiam ſuſtinemus cũ vera humilitate, ariditatem noſtri cordis agnoſcimus, vt potu ſanctæ prædicationis irrigemur. Vnde rectè Deo per Pſalm. dicitur, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* His doctrinæ fluentis propheta infundi nos admonet: dicens, Sitientes venite ad aquas. Qui dum in extrema iam parte ſæculi, verba prædicationis accipimus, quaſi ad imbrem ſerotinum cordis noſtri os aperimus &c. Notãdum etiã quòd iſta poſſunt eſſe verba Chriſti, qui pro nobis manus extẽdit in cruce: Pſal. 27, Extollo manus meas ad templum ſanctum tuũ. De hoc vide verſic. 400. Et nota quòd Chriſtus multa expandit pro nobis. Primò expãdit rete ad capiẽdũ aduerſos: Thren. 1, Expandit rete pedibus meis. Secundò expãdit nubem ad protegendum conuerſos: Pſal. 77, Expãdit nubem in protectionem eorum. Tertiò expandit alas ad ſupportationem infirmorum: Deuter. 32, Expãdit alas ſuas & aſſumpſit eos &c. Quartò expãdit manus ad collationem beneficiorum: & huic expanſioni multi ſunt ingrati, propter quod conqueritur Eſaiæ 25, dicens, Expandi manus meas ad populum incredulum &c.

*Anima ſine aqua eſt, quæ caret gratia.*

*Gregor. 20. moral. cap. 2.*

*Eſaiæ 55.*

*Expãdit Chriſtus multa pro nobis.*

## 2491 Velociter exaudi me domine: defecit ſpiritus meus.

Hîc ſuæ exauditionis poſtulat accelerationem, Et hoc propter duo: quia dilatio exauditionis eſt ſibi damnoſa: ſecundò quia acceleratio eſt ſibi fructuoſa: ibi, *Auditam fac.* Circa primũ duo facit: quia poſtulat accelerationẽ ſuȩ exauditionis. Primò ratione ſibi diſpoſiti: ſecundò ratione imminentis periculi: ibi, *Non auertas.* Quantum ad primũ, ſciendum quòd inter omnia quæ diſponunt hominem, vt à Deo mereatur exaudiri: eſt humilitas quȩ omnem ſuperbiã excludit. De hoc vide verſic. 40. 315. 362. 437. 463. Volẽs ergo Pſalm. oſtẽdere ſe diſpoſitum vt meritò exaudiatur, oſtẽdit ſe humiliatum: dicẽs, *Velociter exaudi me* &c. *defecit ſpiritus meus.* Quid enim per ſpiritum niſi ſuperbia ſignificatur? vide verſi. 2478. Quid eſt ergo dicere, *Defecit ſpiritus meus*, niſi Defecit ſuperbia mea, humilis ſum effectus? Si ergo defecit ſpiritus in me, impleat me ſpiritus tuus. Iã enim ſum pauper ſpiritu. In quo enim viuit ſpiritus ſuus, ille ſuperbus eſt: ſpiritu ſuo viuit, qui extollitur contra Deum. Vnde hic ait Auguſt. *Velociter exaudi me domine, defecit ſpiritus meus.* Hæc enim eſt cauſa vt citò exaudias: quia pauper ſpiritu iam factus ſum. In quo enim viuit ſpiritus eius, ille ſuperbus eſt: ſuo ſpiritu extollitur contra Deum. Vnde ſcriptum eſt, Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur: vt ſcilicet iam humiles effecti, ſeipſos cognoſcant, dicentes, Memento mei, quia puluis ſum. Et tunc ſecurè poterit Deo dicere, *anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Quæ enim terra tam ſicca ſicut eſt puluis? Velociter ergo exaudi me, complue me, confirma me, ne ſim puluis quem proiicit vẽtus à facie terræ. Quia ergo defecit ſpiritus meus, emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et notandum quòd oratio vt velociter exaudiatur, tres cõditiones debet habere: quia ſcilicet debet eſſe fidelis, & non timida: humilis, & non ſuperba: feruens, & non tepida. (vide alias cõditiones orationis ſupra verſic. 24. 66. 2476.) Sine iſtis enim ad Deũ non aſcendit. Vnde Bernard. ait, Timida quidem oratio cœlum non penetrat: quia conſtringit animam timor immoderatus: vt dicatur oratio non ſolũ aſcẽdere, ſed neque procedere poſſit. Temeraria & ſuberba oratio non aſcendit: quia Deus ſuperbis reſiſtit, nec gratiam meretur, ſed pœnam. Tepida autem oratio in aſcenſu langueſcit, & deficit eo quòd non habet vigorem. Quæ verò fidelis, humilis & feruens fuerit oratio, cœlum penetrabit. Vnde certum eſt quòd redire vacua non poſſit. Sed quia hic Pſalmiſta poſtulat velociter exaudiri, notandum quòd duplex eſt velocitas: ſcilicet quædam bona, & quædam mala. Velocitas bona eſt triplex: ſcilicet velocitas increpãdi malitiam, quia morbo medicina velociter adhiberi debet. In cuius figuram angelis, qui doctores ſignificant dicitur Eſa. 18, Ite angeli veloces ad gentem cõfuſam & dilaceratam. Secunda eſt velocitas executionis boni per efficaciam. Quãdo enim quis poteſt facere bonum, tardare non debet: quia neſcit, quandiu ſibi poſſe durabit. Vnde dicitur Prouerb. 22, Vidiſti hominem velocem in operibus ſuis &c. Et Eccleſ. 31, In omnibus operibus tuis eſto velox: & omnis infirmitas non occurret tibi. Tertia eſt velocitas audiendi ſapientiam. Iacob. 1, Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Secundò eſt velocitas mala. Et hæc eſt triplex. Prima effrȩnatè iraſcendi. Eccleſ. 7, Ne ſis velox ad iraſcẽdum: ira enim in ſinu ſtulti requieſcit. Secunda inordinatè loquendi, Prouerb. 29, Vidiſti hominem velocem ad loquendum: ſtultitia magis ſperanda eſt quàm correctio. Tertia eſt iniuſtè nocendi: Pſal. 13, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

*Spiritus ſuperbiam ſignificat.*

*Matth. 5.*

*Pſal. 103.*

*Pſal. 102.*

*Pſalm. 1.*

*Oratio vt exaudiatur tres conditiones debet habere.*

*Velocitas multiplex.*

## Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. 2492

Hîc oſtendit quòd accelerationem ſuæ exauditionis petit ratione periculi imminẽtis. Vbi notãdum quòd per lacum ſignificatur peccatorũ profunditas; vide verſic. 423. Patet etiam ex nomine & proprietate quòd lacus peccatum ſignificat. Primò ex nomine, nam lacus dictus eſt receptaculum

aqua

*Lacus ſignificat peccatũ.*

aquarum:qui aquas recipit, & receptas non emittit. Quid autem aquarũ nomine, niſi pœna & miſeria noſtra deſignatur? Pſal. 68, Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerũt aquæ vſque ad animam meã: vide ibi verſic. 1089. Peccatum ergo dicitur lacus, quia ad modum laci cõtinet aquas miſeriarum & pœnarum: quia omnis mundi miſeria & pœna in peccato & propter peccatum conſiſtit. Significat etiam lacus peccatum nomine proprietatis. Nam, vt dicit Magiſter, de proprietatibus rerum lib. 10, In Æthiopia eſt lacus: de quo qui biberit, ardore libidinis exardeſcit. Sic facit & peccatũ: quia potantes voluptatem peccati non ſatiantur, ſed magis ad voluptatem incenduntur. Dicitur etiam ibidem quòd in Achaia eſt quidam lacus, de quo qui biberit, ſtatim moritur. Et talis lacus eſt peccatũ: quia anima quæ peccauerit, ſtatim moritur. Ezechiel 18. Eſt ergo huius verſiculi ſenſus, *Ne auertas faciem tuam à me*: id eſt miſericordiam tuã, quæ per faciem deſignatur. vide verſic. 732. Vel per faciem intellige Chriſtum, vt dictum eſt verſic. 2208. *Ne auertas faciem tuam à me*: quia ſcilicet ſi auertas, ſimilis ero deſcendentibus in lacũ: id eſt, ſicut & cæteri cadam in peccatum. Vnde hic ait Auguſt. *Ne auertas faciem tuam à me*: quia ſi auerteris, ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Peccator enim cum venerit in profundum malorum, contemnet. Illi deſcẽdunt in lacum, qui confeſſionem perdunt. Lacum appellat ſcriptura plerunque iniquam profunditatem: ad quam cum venerit peccator, contemnet. Quomodo cõtemnit? Quia iam nullam Dei reputat eſſe prouidentiam: aut ſi reputat, ſe ad eam pertinere non putat. Proponit ſibi peccandi licentiam ſine ſpe veniæ, habenis iniquitatis effuſis. Non dicit, reuertar ad dominum, & reuertetur ad me. Nõ audit, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Peccator ergo veniẽs in profundum malorũ, contemnet. A mortuo enim tanquam ſi non ſit, perit confeſſio. Vel aliter: iſta verba poſſunt eſſe Chriſti hominis dicẽtis patri, *Ne auertas faciem tuam* &c. Vbi notandum quòd per faciem Dei, Deus verbum intelligitur: vide ver. 459. Hæc enim facies vnita erat humanitati Chriſti: quæ ſi ſeparata & aduerſa fuiſſet, anima illa ſicut & cæteræ peccare potuiſſet. Ad cuius euidentiam quærũt doctores, ſi anima Chriſti aliquo modo peccare potuit. Ad quod reſpõdet Magiſter lib. 3. diſt. 13, dicens quòd anima Chriſti verbo manẽti vnita, peccare nõ poterat: ſed ſi vnio illa ceſſaret, tunc poſſet peccare, & per conſequens in lacũ peccati cadere. Et hoc inſinuans Chriſtus, hic dicit Deo, *Non auertas faciem tuam à me*: id eſt, ne diuidas verbum tuum ab anima mea: quia ſi verbũ à me auerteris vel ſeparaueris, tunc ero ſimilis deſcendentibus in lacum: id eſt aliis hominibus in lacũ peccati cadẽtibus. Et nota quòd lacus eſt multiplex. Primò lacus inficiens culpabiliter: ſcilicet peccatum: Thren. 4, Lapſa eſt in peccatum via, Secundò eſt affligens pœnaliter: qui eſt pœnitẽtium, de quo Hierem. 37, Ingreſſus eſt Hieremias in locũ laci. Tertiò eſt lacus detinens temporaliter: ſcilicet purgatorium vel limbus. de quo Zachar. 9, Tu autẽ in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Quartò eſt lacus cõcludẽs æternaliter: ſcilicet infernus. de quo Eſa. 14, Lucifero dicitur, Detracta eſt vſq; ad inferos ſuperbia: ad infernũ detraheris in profundum laci. Qui ideo lacus dicitur, ſecũdum Greg. quia quos ſemel ceperit, ſemper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus abſorbet. Iſte lacus inferni clauſos tenet damnatos. Eſa. 24, Congregabuntur in congregatione vnius faſcis: & in lacum claudentur ibi in carcere.

*Contẽnit peccator, & quomodo.*

*Malach. 3.*

*Eccleſ. 17.*

*Quæſtio. Chriſtus an peccare potuerit.*

*Lacus multiplex.*

*Gregor. 9. moral. cap. 45.*

## Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui. 2493

Hîc oſtẽdit quòd acceleratio ſuæ exauditionis eſt fructuoſa. Nã ſua oratione petit Dei miſericordiam, quæ nobis eſt magnæ vtilitatis. Quod patet ex tribus: primò quia mentem à vitiis purificat: ſecundò quia mentem in agendis illuminat: ibi, *Notã fac*: tertiò quia mentem à dæmonibus liberat: ibi, *Eripe me*. Quantum ad primum, ſciendum quòd in ſcriptura ſicut per noctem obſcuram ſignificatur peccatum: ſic per diẽ, cuius prima pars eſt mane, ſignificatur gratiæ ſtatus. Vnde de nocte peccati dicitur, Rom. 13, Nox præceſſit: dies autem appropinquauit. Quia igitur præſens vita ſine peccato non ducitur: ideo quandiu hic viuimus, ambulamus in nocte. Sed decurſa nocte vitę præſentis, erimus in claro mane lucentes in gratia abſque omni peccato. Et hoc eſt quod hic poſtulat Pſalmiſta, vt Dei miſericordia ipſum ad illud clarum mane perducat, vbi amplius peccare non poſſit, dicens, *Auditam fac mihi mane* &c. id eſt poſt noctem vitæ præſentis, poſt peccatorũ tenebras. Mane enim eſt poſt finem ſæculi: cũ clarè videbimus quod modò credimus. Vnde hic ait Auguſt. *Auditam fac mihi* &c. quaſi dicat, Ecce, in nocte ſum præſentis ſęculi, donec nocturna tranſeat iniquitas: in te ſperaui, ſed cum mane venerit, quod ſperamus videbimus. Si enim quod non videmus ſperamus, per patiẽtiam expectamus: patiẽtiam quærit nox, ſed lætitiã dies donat. Vel aliter: vt per mane intelligatur vltimum iudicium: quod mane dicitur, quia ibi erit manifeſtatio cordium. Et hoc oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 8, Si mane me quæſieris, non ſubſiſtam: dicens, Mane enim dicitur illa vltima manifeſtatio cordium, quæ in aduẽtu iudicis apertis cogitationibus, quaſi poſt noctis tenebras demonſtratur. de quo nimirum mane per Pſalmiſtam dicitur, Mane aſtabo tibi, & videbo. In illo autẽ mane vltimi iudicij dabitur ſententia cõtra malos, quæ ab ira Dei procedet: quibus videbitur Deus iratus. Et ita audient vocem iræ dicentis, Diſcedite à me maledicti &c. Electi autem audiẽt vocem miſericordiæ Dei, dicẽtis, Venite benedicti patris &c. Iſtam ergo vocem in illo mane iudicij, quæ eſt vox miſericordiæ, poſtulat iſte audire: vt ſit de illorum numero, quibus dicetur, Venite benedicti &c. Et hoc eſt quod orans dicit, *Auditam fac mihi mane* (id eſt in die iudicij) *miſericordiam tuam*: id eſt vocem miſericordiæ. Et ſi dicas, Quid hoc petere oportet: quoniam ſicut tunc & boni audient ſententiam damnatorum, ſic & mali audient vocationem bonorum? Reſpõdeo, Etſi mali illam audient: non tamen ſibi dictam, ſed ſolum bonis. Et hoc notans dicit, *Auditam fac mihi*: id eſt vt mihi dicatur, Venite &c. Vel per mane intellige Chriſti incarnationẽ. Et hoc propter multa: quia ſcilicet in tempore incarnationis, ſicut in mane temporali. Primò fuit mundus illuſtratus ſplẽdore diuinæ ſapientiæ: Eſa. 58, Tũc erumpet quaſi mane lumen tuũ, & ſanitas tua citò orietur. Exodi 19, Iã aduenerat vigilia matutina, mane inclaruerat (ſcilicet diuinę natiuitatis) & ecce, audiri cœperunt tonitrua: id eſt comminationes tormẽtorum: & micare fulgura: id eſt promiſſiones præmiorum.

*Mane ſignificat vitã æternam.*

*Mane ſignificat iudiciũ vltimum.*

*Gregor. 8. moral. cap. 23.*

*Quæſtio.*

*Mane ſignificat incarnationẽ Chriſti.*





Et ſic fuit quando filius Dei fuit natus: & ideo claritas Dei in eius natiuitate circunfulſit paſtores, Luc. 2. Hanc claritatem affectabat Tobias videre, dicens, Ego beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Hieruſalem. Secundò mundus fuit irroratus rore cœleſtis gratię: Oſee 6, Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane tranſiens. Exod. 16, Mane quoque cecidit ros per circuitum caſtrorum. Iſte eſt ros refrigerãs animam contra æſtum concupiſcentiæ, & fœcundans fructibus meritorum: qui diſtillans in fornacem ignis ardentis, fecit mediũ fornacis quaſi ventum roris flãtem. Dan. 3, Iſtum rorem petebat propheta, dicens, Rorate cœli deſuper, & nubes pluãt iuſtum &c. Tertiò fuit mundus tunc vigoratus vigore diuinę potentię: Eſa. 33, Domine miſerere noſtri: te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in mane &c. Et Oſee 6, In tribulatione ſua mane conſurgent ad me, & dicent, Venite ad dominum: quia ipſe cepit & ſaluabit nos: percutiet & ſanabit nos. Iſto ergo mane inuenimus dominum. Prou. 8, Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me. Sic eſt ſenſus iſtius verſiculi: *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui*: & hoc per Chriſti incarnationem. ideo dicit *mane*, id eſt in Chriſti incarnatione: quæ (vt dictum eſt) per mane ſignificatur.

*Tob. 13.*

*Eſa. 45.*

## 2494 Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Hîc oſtendit quòd in agendis, Dei miſericordia mentẽ illuminat. Vbi notandum quòd in via quam ſibi petit Pſalmiſta notificari, eſt Chriſti incarnatio: quæ via dicitur, quia per illam ad patriam dirigimur. Vnde Chriſtus ratione diuinitatis dicitur patria: ſed ratione humanitatis, dicitur via: ipſo dicente, Ego ſum via, veritas &c. Quod oſtẽdit Greg. ſuper illo verbo Iob 28, Deus intelligit viam eius: dicens, Aliter ſapientia Dei habet viam: & aliter locum. Viam habet per humanitatis tranſitum: locum verò habet per ſtatum diuinitatis. Inde enim non tranſit vnde coęterna eſt: ſed inde tranſit, vnde propter nos apparuit temporalis. Sic namque in euangelio ſcriptum eſt, quia egrediens dominus à Hiericho tranſibat: duo autem cæci ſedentes iuxta viam, clamauerunt dicentes, Domine miſerere noſtri, fili Dauid. Ad quorum vocẽ, ſicut illic ſcriptum eſt, ſtetit Ieſus, & lumen reddidit illis. Quid eſt autem tranſeundo audire, ſtando autem lumen reſtituere: niſi quòd per humanitatem ſuam nobis miſertus eſt, qui per diuinitatis ſuę potentiam à nobis mentis noſtræ tenebras excluſit? Quòd enim propter nos natus & paſſus eſt, quòd reſurrexit, aſcendit in cœlos, tranſit Ieſus: quia nimirum hæc actio temporalis eſt. Sed ſtans nos tetigit & illuminauit: quia non ſicut illa diſpenſatio verbi temporalis, ita verbi æternitas tranſit: quæ in ſe manens, innouat omnia. Stare enim Dei eſt, incommutabili cogitatione mutabilia cuncta diſponere. Qui ergo voces petentium tranſiens audiuit, ſtans lumen reddidit: quia etſi propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, vnde habere mutabilitatis tranſitum neſcit. Sic ergo per viam intelligitur incarnatio Chriſti. Et hæc via nobis erat neceſſaria: quia ſi volumus ad patriam peruenire, neceſſe eſt & cognoſcere viam. Pergere enim noſtrum ad patriam eſt bene operari: quod ſine Chriſto facere non valemus, quia in ipſo eſt omnis viæ noſtræ regula. Vnde hic ait Auguſt. *Notam fac mihi viam* &c. Non ſufficit hic ſperare: ſed neceſſe eſt aliquid agere, donec perueniamus ad patriam. Vnde in alio loco dicitur, Deum exquiſiui manibus meis nocte coram eo. Tãquam diceret, In tempore noctis meæ Deũ exquiſiui manibus meis. Manibus enim quærendus eſt in nocte Deus: id eſt bonis operibus. Sed fortè ne per te ipſũ te credas acturũ aliquid, vt merearis perduci ad mane: dic Deo, *Notã fac mihi viã in qua ambulem*: id eſt ipſum Chriſtũ. ideo Deus ipſum dominum tanquã in teſta carnis miſit. Ambula ergo ad formam ſerui, id eſt Chriſti incarnati: vt peruenias ad formam Dei. Vel aliter: vt per viam intelligamus virtutes quas Chriſtus ſuis exẽplis nobis oſtendit: vt oſtendit Greg. dicens, Via incarnatæ ſapientiæ eſt omnis actio quam temporaliter geſſit: viæ eius ſunt viuendi ordines, quos ad ſe venientibus præbuit. Tot itaque ad ſe venientibus vias præbuit, quot bene viuẽdi vias monſtrauit. Humilitatis eius vias propheta conſpexerat: cum ſuſpirans dicebat, In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Hinc rurſum de vnoquoque iuſto dicitur, Qui curat vt per dominicæ humilitatis exempla gradiatur, à domino greſſus hominis dirigetur: & viam eius cupiet nimis. Viæ iſtæ viſione deſpectæ ſunt: ſed intellectu reuerẽdæ. Aliud quippe eſt in eis quod cernitur, & aliud quod expectatur. Vias ergo domini intelligere, eſt & humiliter tolerare tranſitoria, & perſeuerãter expectare manſura: vt exemplo dominico ęterna quęratur gloria, probis temporalibus comparata: & non quod hic quis tolerat, ſed in id quod expectat, intendat &c. De iſta ergo via Chriſti, dicat Chriſto quilibet iuſtus, *Notam fac mihi viam in qua ambulem*: id eſt doce me exempla tuæ virtutis, quæ valeã imitari. Sequitur, *Quia ad te leuaui animam meam*. Quaſi dicat, Ad te leuaui animam meam, quaſi vas ad fontem. Imple ergo me, quoniam ad te leuaui animam meam. Qualiter anima ad Deum per orationem leuatur, vide verſic. 344. Hic nota quòd multa ad Deum leuare debemus: ſcilicet animam, oculos, manus, & faciem: vide verſic. 993.

*Via eſt Chriſtus incarnatus.*

*Ioan. 9.*

*Greg. 19. moral. c. 3.*

*Marc. 10.*

*Pſal. 76.*

*Via Chriſti ſunt virtutes quas oſtẽdit.*

*Greg. 25. mor. cap. 16.*

*Pſal. 118.*

## Eripe me de inimicis meis domine: ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. 2495

Hîc oſtendit quòd Dei miſericordia mentem à dæmonibus liberat. Sunt enim hoſtes & inimici noſtri duplices: ſcilicet viſibiles, & inuiſibiles, dæmones & homines. Dæmones nos principalius impugnant: ſed homines mali tanquam dæmonis inſtrumenta. Et ideo hic inimicos principaliter vocat dæmones: qui nos inuiſibiliter impugnant, qui malos vt Iudam ſua malitia replent. Ab iſtis inquam per Dei miſericordiam poſtulat liberari, dicẽs, *Eripe me de inimicis meis domine*. Vnde hic ait Auguſtinus, *Eripe me de inimicis meis* &c. Non ego hic inimicos homines cogito. Non eſt enim colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores &c. Sed cuius mundi? Non cœli & terræ: ſed mundi tenebrarum harum, id eſt iniquorũ quibus dicitur, Fuiſtis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Rectores mundi tenebrarum, id eſt rectores

*Inimici noſtri ſunt dæmones.*

*Epheſ. 6.*

*Eph. 5.*

res iniquorum. Contra hos habemus luctamẽ, prælium magnum. Nobis eſt hoſtem nõ videre & vincere, diabolũ ſcilicet & angelos eius. Rectores nõ illius mundi, de quo dictũ eſt, Et mundus per ipſum factus eſt: ſed illius mundi de quo dicitur, Et mundus eum non cognouit. Eripe ergo me de inimicis meis. Inimicum dico, non Iudam, ſed diabolum qui Iudam impleuit. Illum patior viſum, illum expugno non viſum. Accepit enim buccellam Iudas, & intrauit in eum ſathanas: vt iſte Dauid perſecutionem pateretur à filio ſuo. Quàm multos implet ſathanas, indignè accipiẽtes buccellam ad iudicium ſuum. Quicumque enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Non malum eſt quod datur: ſed bonum malo in iudicium datur. Bene eſſe non poteſt, malè accipienti quod bonum eſt. Vel iſta verba poſſunt eſſe verba Chriſti orantis ad patrem tempore ſuæ paſſionis, vt de manibus Iudæorum eriperetur. De hoc vide tres verſus Pſalmi 58. ſcilicet verſicul. 938. 939. 940. Sequitur, *Ad te confugi.* Peccator enim fugit à Deo: ſed pœnitẽs fugit ad Deum. Fugit peccator à Deo, voto non facto: ſed fugit ad Deum pœnitens ſimiliter voto non facto. Quomodo enim quis facto fugere poteſt à Deo vel ad ipſum confugere, qui eſt vbique? Sed dicitur fugere, qui ab ipſo ſe vellet abſcondere: ſed ad ipſum confugere, qui voluntate ſeipſum Deo exponit. Dicat ergo, *Ad te confugi*: quaſi dicat, Adam fugit à facie domini: & abſcondit ſe inter ligna paradiſi. Sed quò quis à Deo fugere poterit, cum alibi Pſalm. dicat, Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es &c. Fugit ergo voto, non facto. Et conſimiliter nunc dicit, *Ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu.* Quaſi dicat, ſecundum Aug. *Doce me facere voluntatem tuam.* Quia ſi me non docueris, faciam voluntatem meam, nõ tuam. Doce ergo me facere voluntatẽ tuã. Non enim tu es Deus meus, & ego magiſter meus: ſed tu magiſter meus, tu Deus meus. O confeſſio plena, *tu es Deus meus.* Quaſi dicat, Tu es factor meus: tu es refector meus: tu es totum bonum meum: quia tu es Deus meus: te patrem quæro propter hæreditatem: tu es Deus meus, non ſolùm dator hereditatis: ſed etiam ipſa hereditas. Dominum te quero propter redemptionẽ: tu es Deus meus. Patronum te quæro propter liberationem: tu es Deus meus. Poſtremò à te creatus, à te recreari cupio. Tu es Deus meus, qui me creaſti per verbũ: qui me recreaſti per verbum. Sed creaſti per verbum Deum manentem apud te: recreaſti per verbum carnem factum propter nos. Conſimiliter orat vir iuſtus Pſal. 24, Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus. Et nota quòd Deus nos multa docet: ſcilicet primò nos docet ſapientiam ad cognitionem eligendorum: Sap. 8, Sobrietatem & prudentiam docet, & iuſtitiã & virtutem: quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. Secundò docet miſericordiam ad cõpaſſionem proximorũ: Pſal. 24, Docebit mites vias ſuas. Vniuerſæ autem viæ domini, miſericordia & veritas. Tertiò docet iuſtitiam ad emendationem delictorum: Ioan. 14, Paracletus autem ſpiritusſanctus, quem mittet pater in nomine meo: ille vos docebit omnia.

*Ioan. 1. — Ioan. 13. — 1. Cor. 10. — Fugere à Deo vel ad Deum quomodo quis poteſt. — Deus eſt totũ bonũ noſtrũ. — Docet nos Deus multa.*

2496 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã: propter nomẽ tuũ domine viuificabis me in æquitate tua.

Hîc oſtendit ſuæ exauditionis concluſionem. Tria enim poſtulauerat Pſal. ſcilicet vt viam eundi ad patriã doceretur, dicens, *Notam fac mihi viam* &c. ſecundò vt ab inimicis eriperetur, dicens, *Eripe me de inimicis meis domine*: tertiò vt à Dei miſericordia protegeretur, dicens, *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam.* Et in iſtis tribus oſtendit ſe à Deo exauditum. Et ſecundum hoc tria facit. Primò oſtẽdit per viam rectam ſe ad patriam deduci: ſecundò per Dei gratiã ab inimicis liberari: ibi, *Educes*: tertiò ſe per Dei miſericordiam inimicis perditis protegi: ibi, *Et perdes.* Quantum ad primum, ſciendum quòd ſpiritus domini eſt duplex: ſcilicet mal[9] & bonus. Ipſe enim diabolus qui eſt ſpiritus malignus voluntate ſua mala: tamen dicitur ſpiritus domini, quia à Deo creatus: inquantum creatura à Deo factus bonus. Vnde de ipſo dicitur 1. Reg. 16, quòd ſpiritus domini malus irruebat in Saul. Ecce enim quòd vnus & idem ſpiritus appellatur ſpiritus domini, & ſpiritus malus. Domini enim eſt ſpiritus & bonus per naturam: ſed malus per deſiderium voluntatis iniuſtæ. Alius autem dicitur ſpiritus domini bonus: ſcilicet ſpiritusſanctus vel ſancta inſpiratio eius, quæ nos ſemper ad bonum erudiens inducit. de quo Sap. 12, O quàm bonus & ſuauis eſt ſpiritus tuus in nobis domine &c. Spiritus enim hic bonus nos mirabiliter docens ad patriam ducit, dum ſua inſpiratione cor noſtrum multipliciter tangit: vt oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 4, Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius: dicẽs, Suſurrium quippe occulti verbi, eſt hæc ipſa aſpiratio locutionis internæ. Venæ autem ſuſurrij dicuntur cauſarum origines, quibus hæc ipſa aſpiratio ducitur. Quaſi enim venas ſuſurrij ſui ſpiritus bonus aperit, cum nobis ſpiritus latenter inſinuat: quibus modis ad noſtræ mẽtis intelligẽtiæ aurem venit. Aliquãdo enim nos amore, aliquando terrore cõpũgit: aliquãdo pręſentia quã nulla ſint oſtendit, & ad ęterna diligenda deſideriũ erigit: aliquando prius ęterna indicat, vt pòſt temporalia vileſcãt: aliquando noſtra nobis mala aperit, & ad hoc nos vſque vt alienis etiam malis condoleamus, extẽdit: aliquando aliena mala noſtris obtutibus obiicit, & compunctos nos mirabiliter à noſtra prauitate corrigit &c. quia ergo talibus ſpiritus boni inſpirationibus ducimur ad vitam æternam: ideo iſtum ſpiritum à malo diſtinguens Pſalmiſta, Deo dicit, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quaſi dicat, ſecundum Aug. *Spiritus tuus bonus deducet me* &c. quia ſpiritus meus malus deduxit me in terrã peruerſam. Et quid ego merui? quę mea opera bona ſine tuo adiutorio computantur? vnde impetrarem digniúſque eſſem deduci à ſpiritu bono in terram rectam? Quæ opera mea vel quæ merita mea? Certè nulla ſunt: ſed propter nomen tuum viuificabis me. Attendite gratiæ commendationem, qua gratis ſalui facti eſtis: *propter nomen tuum* (inquit) *viuificabis me.* Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: quia propter nomen tuum viuificabis me: & hoc, *in æquitate tua*, non in mea iuſtitia. Non quia ego merui: ſed quia tu miſereris. Nã ſi meũ oſtẽderẽ meritũ, nihil abs te mererer, niſi ſuppliciũ. Et nota ꝙ triplici vita viuificamur à ſpiritu Dei bono. ſ. vita naturæ, vita gratiæ, & vita gloriæ. Hic autem intelligit de vita gloriæ, quæ ſolũ habetur in terra recta. ſ. in terra viuentiũ. quæ terra recta dicitur, quia nihil ibi curuũ vel obliquũ eſſe poteſt.

*Spiritus domini duplex: ſcilicet bonus & malus. — Greg. 5. mor. cap. 20. — Gloria æterna datur meritis ſed gratia. — Pſal. 113.*

Educes de tribulatione animã meã, 2497
& in



& in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Hîc oſtendit quòd per miſericordiam liberabitur ab inimicis: quia & à tribulatione præſenti liberabitur, & inimici ſui diſpergentur. Vbi ſciendum quòd ſicut fructus terræ nõ colliguntur, niſi prius ſemina in terra ſparſa mortificentur: ſic nec præmium cœleſte poſſidetur, niſi prius hic per varias tribulationes caro noſtra mortificata fuerit. Quod deducit Gregor. dicens, Peccatoris lumẽ in die eſt, ſed obſcuritas in veſpere: quia in præſenti vita felicitate attollitur, ſed aduerſitatis tenebris in fine deuoratur. Iuſto autem meridianus fulgor ad veſperum ſurgit: quia quanta ſibi claritas maneat, cum iam occumbere cœperit, agnoſcit. Hinc namque ſcriptum eſt, Timenti Deum bene erit in extremis. Hinc per Pſalm. dicitur, Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini. Quia in huius adhuc vitæ certamine poſitus, cum ſe cõſumptum putauerit, vt lucifer orietur: quia foris cadẽs, intus renouatur. Et quo magis exterius tribulationes tolerat, eo verius virtutum lumine interius coruſcat. Et infra ait, Tanto namque ſpes in Deum ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſq; grauiora pertulerit. Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur: quod non hic prius pia tribulatione ſeminatur. Hinc per Pſalm. dicitur, Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autem veniẽt, cum exultatione portantes manipulos ſuos. Hinc Paulus diſcipulos admonet, dicens, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei &c. Ex quibus apparet quare tribulatio iuſtis in præſenti datur: vt ſcilicet per illam interius purgati, & finaliter ab illa educti, æterno præmio coronentur. Et hoc eſt quod hic notans Pſalm. ait, *Educes de tribulatione animam meam.* quoniam vt habetur Pſal. 33, Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos dominus. Per tribulationem enim præſentẽ & venenum peccati expellitur, & malum pœnæ in iuſtis terminatur. Vbi notandum quòd, vt dicit Albertus, 3. meth. Fulmen animalia venenoſa emundat à veneno. Quia ſuo calore extinguit in eis humidum venenoſum: & poſtmodũ expirat virtute fulminis, qui etiam venenoſus eſt, & liberatur cadauer ab vtroque veneno. Sic ſpiritualiter. Nã præſens tribulatio eſt quaſi fulmen quoddam occidẽs nos, quo ad mundum: emundat tamen à veneno peccati, id eſt concupiſcẽtia, quæ eſt quoddam venenum corporis, quia malum eſt pœnæ. Sed modo prædicto purgat, quia primò humorẽ venenoſum peccati conſumit, deinde ipſa etiam poſtmodũ expirat: quia exiguum eſt & cum tædio tempus vitæ noſtrę. Et per conſequens tunc liberamur ab vtroque veneno: ſcilicet culpę & pœnę. Vnde Ambroſ. ſuper Pſalmum primũ dicit, Deus per tribulationẽ ad pœnitentiam cogit, vt per pœnitentiam vratur & conſumatur illud accidẽs malum impietatis, & pereat: & locus ille animę qui erat impietatis, poſtmodum pateat ad receptionem virtutis & gratiæ. Et hoc eſt quod dominus de iuſto tribulationẽ patiente dicit, Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum (ſcilicet ab omni malo) & glorificabo eũ. Sequitur, *Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.* Loquitur de inimicis dæmonibus, & de ipſorum membris, hominibus iniquis. Per hoc vult intelligere quòd virtus iuſtorum per tribulationẽ & aduerſitatem roboratur contra dæmones: ſicut dicebat Apoſtolus 2. Cor. 12, Cum infirmor, tunc fortior ſum: nam virtus in infirmitate perficitur, ſed virtus inimicorum cõtra iuſtos debilitatur. Quod notat per hoc quod dicit, *Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.* Quia ſicut omnis virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa: & ſic per conſequens omnis virtus diſperſa debilior eſt ſeipſa vnita. Et ſicut tẽtatio dæmonis cui nõ reſiſtitur, fortificatur ſtatim: ſic & per oppoſitum tentatio dæmonis, quæ fit per tribulationes & aduerſa, cui per patientiam reſiſtitur, ſtatim debilitatur. vt oſtendit Gregor. Et nota quòd Deus inimicos noſtros, ſcilicet malos & peccatores diſperdit. Primò diluuio ſubmergente: Geneſ. 6, Repleta eſt terra iniquitate eorũ: & ego diſperdam eos cum terra. Secundò exilio expellente: Pſal. 105, Eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt deiiceret ſemẽ eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus. Tertiò exterminio deſtruẽte: Num. 20, Separamini de medio congregationis, vt repentè diſperdam eos &c.

*Tribulatio hic quare iuſtis datur. — Gregor. 10. moral. c. 21. — Eccleſ. 1. — Pſal. 126. — Pſal. 125. — Act. 14. — Tribulatio animam purificat. — Pſal. 90. — Gregor. 21. moral. c. 7. & lib. 32. & c. 21. — Diſperdit Deus malos multipliciter.*

Et perdes omnes qui tribulant animã meã: quoniã ego ſeruus tuus ſum. 2498

Hîc oſtendit per Dei miſericordiam ſe protegi, inimicis perditis. Vbi notandum quòd perſecutores iuſtorum perdit Deus dupliciter: vel ipſos conuertendo, vel ipſos puniendo: quia puniti & damnati amplius contra iuſtos non poſſunt quod antea potuerũt. Et quia de perſecutoribus bonorum aliqui conuertuntur, & ſic perdũtur, quo ad maliciam: ſicut fuit de Paulo Apoſtolo: aliqui verò perdurant in malicia ſua, & ſic perduntur æternaliter. Ideo vno modo præciſè non poteſt intelligi quod ait, *Et perdes omnes qui tribulant animam meam*: quia nõ omnes perduntur primo modo, nec omnes ſecundo modo: ſed aliqui primo modo, & aliqui ſecũdo modo. Et de iſtis duobus modis perditionis loquitur Chriſtus Marci 8, dicẽs, Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Ille enim vult animam ſuam ſaluam facere, id eſt vitam ſuam, qui pro Chriſto vitam ſuam non vult exponere: & iſte animam ſuã perdit æternaliter. Ille verò animã ſuam, id eſt vitam, vult perdere, qui conuerſus ad Deũ vitam ſuã paratus eſt dare pro Chriſto: & ille animam ſuã ſaluat. Vnde prædicta verba exponens Chryſoſt. ait, Etenim qui filio ſuo parcit, perdit eum: qui verò non parcit, ſaluat eum. Sic ergo oportet nos ad mortem pro Chriſto ſemper eſſe paratos. Non ergo dicatis quòd animam ſuã ſaluat, qui crucis pericula fugit, quia æternaliter eam perdit: qui autem animam ſuam perdit, crucem ſumendo pro Chriſto, ipſam æternaliter ſaluat. Sicut igitur ad propoſitum omnes malos perdit Deus: ipſos conuertendo vt parati ſint pro ipſo animam ſuam ponere, ſeu perdere, ſicut fuit de Paulo: vel æternaliter perdit. Dicat ergo, *Perdes omnes qui tribulant me.* Sequitur, *Quoniam ego ſeruus tuus ſum.* Electus enim quilibet, ſeruus Dei dicitur: vide verſic. 1359. Et eſt ſenſus: *Ideo perdes omnes qui tribulant animam*: & meritò, *quia ſeruus tuus ego ſum.* Quaſi dicat, Ad te ſpectat ſeruũ tuũ defendere. Vel aliter, omnia iſta verba ſunt Chriſti, qui Deo dicit, *Et perdes omnes qui tribulant animã meã*: ſcilicet qui me vel meos perſequũtur: & ratio, quia ſi me perſequũtur, & te etiã perſequuntur: quia iniuria illata ſeruo, in dñm ſuũ redundat. Et hãc rationem aſſignans Chriſtus, ait,

*Perditur quis dupliciter.*

*Quæſtio. Gregor. 2. moral. cap. 22.* *Quoniam ego ſeruus tuus ſum.* Sed nunquid Chriſtus A propriè poteſt dici ſeruus? Audi Gregor. ſuper illo verbo Iob 1, Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob? dicentē, Iob quippe interpretatur dolens. Dolens verò per figuram veraciter dicitur Chriſtus, qui portare dolores noſtros propheta atteſtante perhibetur. *Chriſtus dicitur ſeruus.* Qui bene ſeruus dictus eſt, quia formā ſerui ſuſcipere dignatus eſt, vel dedignatus non eſt: nec maieſtati iniuriam intulit aſſumpta humanitas carnis. *Philip. 2.* De quo per Apoſtolum dicitur, quòd cū in forma Dei eſſet, nō rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formā ſerui accipiēs. Et ſemetipſum exinaniſſe, eſt ab inuiſibilitatis ſuæ magnitudine, ſe viſibilem demonſtraſſe: vt ſerui forma tegeret maieſtatem. Hic eſt ille ſeruus qui Deo dicit, *Pſal. 115.* Quoniā ergo ſeruus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ: ſcilicet glorioſæ virginis: *Luca 3.* quæ in ipſius conceptione dixit, Ecce ancilla domini &c.

# PSAL. CXLIII.

3499 **B**Enedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad præliū, & digitos meos ad bellum.

Titulus iſtius Pſalm. eſt, Pſalmus Dauid ad Goliam. Quantum ad ſenſum literalem, notandum eſt quòd, vt dicit Auguſt. in lib. de pugna Dauid & Goliæ, quòd Dauid accepit pugnam cōtra Goliam gigantem, non à ſeipſo, ſed ex inſtinctu ſpiritusſancti & reuelatione: quia dominus volebat per pugnam & victoriam ipſius Dauid, ipſos Philiſthæos debellare. Propter quod ipſe Dauid de victoria certificatus à Deo dixit ipſi Goliæ 1. Reg. 17, Tu venis ad me cum haſta, gladio & clypeo: ego autē venio ad te in nomine domini exercituū de Iſrael: & dabit te dominus in manu mea, & auferam caput tuū hodie à te: & dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim volatilibus cœli & beſtiis terræ: vt ſciat omnis terra quia eſt dominus Deus Iſrael. Quæ omnia dixit Dauid iam de victoria habenda certificatus à Deo. Et ſecundum quòd hic ait Hieronym. quando Dauid erat in campo contra Goliam pugnaturus, fecit iſtum Pſal. Ex quibus apparet primò quòd iſte eſt primus Pſalm. quem fecit. Antè enim non legimus ipſum aliquem Pſal. feciſſe. Secundò apparet ſenſus tituli: qui eſt, Pſalmus Dauid ad Goliam: id eſt iſtum Pſalm. fecit Dauid, quādo acceſſit ad Goliam pugnaturus cum eo. Necnon & apparet materia Pſalm. Et ſecundum hoc Pſalm. iſte diuiditur in partes duas: quia Dauid primò diuinum auxiliū ſibi aſſiſtere confitetur: ſecundò ſe laudare ex hoc Deum pollicetur &c. dic vt N. Quantum verò ad ſenſum propheticum: ſciendum quòd Pſalm. iſte fundatur in hiſtoria belli quod geſſit Dauid contra Goliam: non quidem agēs de hiſtoria, ſed de ſignificato hiſtoriæ. Cuius rei hiſtoria hæc eſt. Nam vt habetur 1. Reg. 17, Dum Philiſthæi dimicarent aduerſus populum Dei, egreſſus eſt de caſtris Philiſthinorum quidam gigas, nomine Golias: *Dauid bellū cum Golia.* qui improperans populo Iſrael dicebat, Eligite ex vobis virum vnum, qui mecum ineat ſingulare certamē. Et ſi vicerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego vicero eum, vos ſeruietis nobis. Quod cùm audiſſet rex Saul & viri Iſrael, timuerunt valde. Tūc Dauid paſcēs gregem patris ſui, miſſus eſt à patre portare panes & alia neceſſaria fratribus ſuis qui erant in caſtris cū Saul in exercitu. Quò cum veniſſet Dauid, audiuit Philiſthæum præfata dicentem: & circunſtantibus dixit, Quid dabitur viro qui percuſſerit hūc Philiſthæum? Et adductus eſt ad Saulem: dixítq; regi, Ego ſeruus tuus pugnabo contra Philiſthæum hunc. Cui cum dixiſſet Saul, Hoc nō potes facere: quia tu puer es, ipſe autem vir bellator & fortis. Ait Dauid, Ego ſeruus tuus leonem & vrſum interfeci: & dominus qui eripuit me de ore leonis & vrſi, ipſe liberabit me de manu Philiſthæi huius. Tunc dixit ei Saul, Vade ergo, & dominus ſit tecum: & tradidit ei arma ſua vt ſe illis armaret: quæ quia nimis grauia erant, depoſuit illa Dauid. Et accepit quinque lapides de torrente, quos poſuit in peram paſtoralem, & accepit fundam in manu ſua: & ſic armatus acceſſit cōtra Philiſthæum. B Quem cum vidiſſet Philiſthæus, contempſit eum. Cúmque veniret contra Dauid, feſtinans Dauid, miſit manum ſuam in peram: & tulit vnum lapidē, quem funda eiecit: & percuſſit Philiſthæum in frōte: qui percuſſus cecidit. Cúmq; cecidiſſet, Dauid currens, ſtetit ſuper eum, & accipiēs gladium eius abſcidit caput eius. Et ſic Dauid contra Philiſthæū victor extitit. Iſte ergo Pſal. agit de ſignificato huius hiſtoriæ. Vbi ſciendum quòd per Dauid totus Chriſtus intelligitur: ſcilicet quo ad caput & corpus. Per Goliam autem diabolus cū ſuis membris intelligitur. Nā Golias interpretatur tranſmigrans, vel robuſtus eorum: & ſignificat diabolum, qui inter omnes creaturas robuſtior & excellētior à Deo fuit creatus: tamen propter ſuam ſuperbiam tranſ- C migrauit de cœlo ad infernum. Arma autem Saulis regis, ſunt ſacramenta & cerimoniæ legis antiquæ: vt puta, circumciſio & alia præcepta, & ſacrificia legis antiquæ: quæ grauis ponderis erant, intantū vt diceret Petrus, Act. 15, Quid tentatis Deū imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patris noſtri neq; nos portare potuimus? Venit ergo tēpus gratiæ: in quo Chriſtus caput & corpus cōtra diabolum volens pugnare, iſta arma depoſuit: quia circumciſionem & alia ſacramēta legis antiquę terminauit. Tulit autem quinque lapides de torrente, vt cum illis diabolum occideret. Quid enim eſt torrens ſiue fluuius, niſi mortale ſæculū? Labitur enim & præterfluit quicquid venit in mundum. Erāt igitur in flumine iſto D tanquam in populo primo lapides quinq;: ſcilicet quinq; libri Moyſis. Hos ergo quinq; lapides tulit Chriſtus de flumine, quia illic inutiles erant: quia lex iuſtificare non poterat. Quid ergo fecit Chriſtus, vt lex ipſa vtilis eſſet? Accepit gratiā: quia lex ſine gratia impleri nō poteſt: quia plenitudo legis eſt charitas, quæ eſt ex ſpiritusſancto. Hos lapides miſit in peram paſtoralem: qua lac inungere ſolebat. Et ſic pera paſtoralis, eſt pera lactis: quia legi commiſcuit gratiam: quia legem quæ erat rigoris, reduxit ad gratiā; oſtendēs quomodo lex ſpiritualiter erat intelligēda. Et ſic armatus totus Chriſtus proceſſit contra ſuperbum Goliā: ſcilicet diabolū. Quē corpore ſuo percuſſit in frōte: quia ex eo loco ſui corporis diabolus occidit: i. in illis membris vbi E ſignū crucis nō habuit. Quo percuſſo, accepit gladiū eius, quo caput illius amputauit: quia quando magni Chriſto credunt quos diabolus in manibus habebat: & cū quib⁹ aliorū animas trucidabat, cōtra eum loquūtur & prædicāt: tūc caput ipſius ſuo proprio gladio abſcinditur. Sicut ergo Dauid paruus ſuperbū Goliā de ſe præſumentē ſuperauit: ita Chriſtus diabolū occidit, id eſt humilitas ſuperbiā.





Deus enim humilis factus eſt, vt diaboli ſuperbiam A ſternat, & vt ſuperbi qui humiles ſanctos dedignātur ſequi, hunc ſaltem velint imitari. De hac igitur victoria agit iſte Pſalm. ſenſu prophetico. Et ſic eſt ſenſus tituli, Pſal. Dauid ad Goliam: id eſt, iſte Pſal. Dauid prophetę qui hic loquitur in totius Chriſti perſona, eſt Pſalm. habitus ad Goliam: id eſt cōtra Goliam figuralem: quia hic agitur de myſtica Dauid, id eſt Chriſti, victoria. Agens Dauid gratias de ſua victoria, hic precatur vt etiam ille veniat qui fideles liberet, & diabolum vincat. Ex quibus ſatis patere poteſt, quòd iſte Pſalm. valet illis qui cōtra hoſtes tam corporales quàm ſpirituales habēt pugnare. Intentionem mouet ad gratiarum actionem pro victoria qua Chriſtus in ſe & in ſuis membris diabolum vicit & ſuperauit. Iſtis viſis, accedo ad B Pſalm. diuiſionem. Qui Pſalm. diuiditur in partes duas: quia Pſalm. primò oſtendit de diabolo Chriſti victoriam: ſecundò ex hoc ſurgit ad gratiarum actionem debitam: ibi, *Deus canticum*. Prima in duas: quia primò Chriſti victoriam prophetizando narrat: ſecundò Chriſti incarnationem deprecando poſtulat: ibi, *Domine inclina cœlos*. Prima in duas: quia primò oſtendit Chriſti triumphalem victoriam: ſecundò noſtram generalem miſeriā: ibi, *Domine quid eſt homo?* Quātum ad primum, ſciēdum quòd Chriſtus ad bellum cōtra diabolum tripliciter proceſſit armatus, ſecundum quòd prima pars in tres diuiditur partes: ſcilicet primò armis ſapientiæ: ſecūdò armis miſericordiæ: ibi, *Miſericordia mea*: tertiò armis iuſtitiæ: ibi, *Protector meus*. Quantum ad pri- C mum, ſciendum quòd benedicere Deum idem eſt quod ad eius honorem benefacere: & ſic ſecundum voluntatem eius rectè viuere. vide verſic. 378. Dicit ergo, *Benedictus dominus Deus meus*: id eſt illud ſua gratia ago: & ſic ſecundum voluntatem eius viuo, vt ſuam laudem, non meam, quæram. Sequitur, *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* *Bellamus cōtra diabolum manibus & digitis.* Hic videtur repetitio eiuſdem ſententiæ ad maiorem ſuæ intentionis expreſſionem: quoniam quātum ad præſens ſpectat, idem ſunt digiti quod manus: & idem bellum quod prælium. Et ſic idem eſt docere manus ad præliū & digitos ad bellum. Vnde & Auguſt. hic ait, Repetitio eiuſdem ſententiæ eſt: quia quod eſt manus ad prælium, hoc eſt digitus ad bellum. Digitis enim operatur manus. Non D itaq; abſurdè accipimus digitos pro manibus poſitos: ſed tamē in digitis cognoſcimus diuiſionem operis: in manibus autem, radicē vnitatis. Vbi ſciēdum quòd contra diabolum diuerſis bellis præliamur: & in omnibus contra ipſum bellamus & digitis & manibus. vt puta, habemus bellum aduerſus ipſum diabolum: habemus bellum intrinſecū inter carnē & ſpiritū. De bello diaboli dicit Apoſtolus, *Epheſ. 6.* Eſt nobis colluctatio aduerſus principes & poteſtates mundi tenebrarum harum. Quid enim hic ſint tenebræ, oſtendit Auguſt. dicens, Hæ tenebræ non ſunt natura, ſed voluntate. Nam anima per ſeipſam non lucet: *Pſal. 35.* dicēte Deo, Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumē: non in lumine noſtro, ſed in lumine tuo. Nam & E oculi noſtri lumina vocantur: & tamen lux extrinſecus ſi deſit, etiam ſani & patentes, in tenebris remanebunt. Habemus ergo bellum aduerſus rectores tenebrarum harum: id eſt aduerſus rectores infidelium & peccatorum: qui ſunt diabolus & angeli eius. Sed in iſto bello pugnamus digitis & manu. Digiti ſunt diſtincta dona ſpiritusſancti, quibus diabolum ſuperamus. Quę diſtinguit Apoſtolus 1. Cor. 12, dicens, Alij per ſpiritum datur ſermo ſcientiæ, alij ſermo ſapientiæ, alij fides, alij operatio virtutum &c. Iſtis enim digitis Apoſtoli pugnauerunt contra diabolum, & gētilem populum ei ſubditum ab eius poteſtate eripuerūt. Sed manus horum digitorum eſt charitatis vnitas. Vnde ibidem ſubdit Apoſtolus, Hæc autē omnia operatur vnus atque idem ſpiritus. Sic ergo docet manus noſtras ad prælium, dando charitatis vnitatem. Docet digitos ad bellum, dando virtutum & donorum diuerſitatem. Et nota quòd ſuo exēplo ad iſtud bellum exercendum nos docuit Chriſtus. *Bellū Chriſti contra diabolum.* Chriſtus enim bellādo cum diabolo aſſumpſit tria: quæ nos ſimiliter bellando, debemus habere. Habuit enim Chriſtus audaciam ad aggrediendum, ſapientiam ad protegendum, conſtantiam ad congrediendum. Primò habuit audaciam. Vnde cum nō per aduerſarium appellatus eſſet ad bellum, propter nos primus campū belli intrauit, more audacis principis, qui cum ſuos milites videt in campo, ſe continere non poteſt. Sic enim de audace principe Alexādro legimus, quòd cum rogatus fuiſſet à commilitonibus ſuis, ne bellum intraret, eo quòd debilis videbatur: annuit quidem primó. Illis autem iam bellātibus, & quaſi ab hoſtibus ſuperatis, ſolúmque de fuga cogitantibus, ſe rex Alexander amore ſuorum continere non potuit: & ingreſſus eſt bellum, tantámque tunc audaciam ſuis militibus contulit, vt hoſtes qui primò ſuperabant, ſtatim bellando ſuperarētur. Sic & pro nobis Chriſtus bellum eſt ingreſſus, quando ductus in deſertum à ſpiritu, ſcilicet ſuo, vt tentaretur à diabolo. *Matth. 4.* Vnde dicitur Zachar. 10, Poſuit eū (ſcilicet Deus pater) quaſi equū gloriæ ſuæ in bello. Equus autē glorioſus dicitur, qui audaciam habet ad bellum. De quo Iob 39. dicitur quòd odoratur bellū procul. Sic & nos exēplo regis noſtri præuenire debemus diabolum ad bellum. Bellamus autem contra eum per actus virtutum: quibus eum præuenire debemus: vt ieiunare, etiam non tentati vicio gulæ: nos humiliare, etiā non tentati ſuperbia: & ſic de cæteris actibus virtutum. Secundò habuit ſapientiam ad protegendum. Quàm ſapiēter enim cum ipſo bellauit, ſemper per ſacram ſcripturam diaboli iacula repellen- D do, apparet Matth. 4. In quo nos etiam docuit in noſtris bellis & tentationibus exempla ſanctarum ſcripturarum meditari: vt puta, ſi aduerſitates incurras, conſidera patientiam Iob: ſi carnis laſciuia occurrat, conſidera caſtitatem Ioſeph: ſi mundi ſuperbia, conſidera humilitatem Mariæ: & huiuſmodi. Per talium enim exempla, nos contra diabolum docet bellare. Et hoc eſt quod pręſens dicit textus, *Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium* &c. Vbi nota quòd Dauid realiter bellauit contra Goliam digitis & manu. Digitis bellauit, quibus lapis in funda ponitur & proiicitur: manibus bellauit, quibus gladio Goliæ eius caput amputauit. Et ſic digitis, quibus funda trahitur, bellatur à remotis: ſed manibus quibus gladius educi- E tur, bellatur de propé. Sic & diabolus quandoque nos impugnat digitis: quādo ſcilicet à remotis ſub colore virtutū de vitiis tentat. Et tunc oportet etiā nos bellare digitis, i. diſtinctè conſiderare aſtutias eius. Quādoq; nos impugnat manu, id eſt de propé: quando ſcilicet apertè de vitiis tentat. Et tunc oportet nos manu bellare, & gladio ſuū caput abſcindere: ſcilicet principio tentationis cōtradicere.

Quia tentatio cui ſtatim nō reſiſtitur, fortificatur. Et tunc erimus docti ad bellum. Nā vt dicitur Prouerb. 24, Vir doctus, validus & robuſtus: quia cum diſpoſitione initur bellum. Tertiò Chriſtus habuit conſtantiam, quia fortiter vſque ad finem ſuſtinuit bellum: quia quouſque reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabāt ei: Matth. 4. Quid enim prodeſt militi audacter ingredi bellū, niſi conſtanter in bello perduret? Ideo de ipſo ratione ſuæ conſtantiæ dicitur Eccleſ. 46, Fortis in bello Ieſus naue qui fuit magnus ſecundum nomē ſuum: maximus autem in ſalutem electorum Dei. Nos igitur exemplo regis noſtri audaces effecti, ad bellum edocti, conſtantia muniti, ſecurè cōtra diabolum bellum ingrediamur, ſecuri de victoria. Ad quod nos hortatur Petrus Rab. ſuper illo verbo Matth. 4, Ductus eſt Ieſus in deſertum &c. dicens, Diabolus ſemper primordia bona pulſat: tētat rudimenta virtutum ſancta, in ipſo ſuo ortu feſtinat extinguere, ſciens quòd ea fundata debellare non poſſit. Hoc non ignorans Chriſtus, diabolo ſe patienter indulſit: vt & ſuo laqueo teneretur & caperetur, vnde capere ſe putabat. Sic quoq; à Chriſto victus, cederet Chriſtianis. Sic ergo & nos Chriſti exemplo muniti, bella indicamus peccatis, conflictus vitiis nunciemus, ſecuri de victoria: quia nec arma cœleſtia hoſtes poterūt ſuperare terreni, nec diuino militi aduerſa contraire poterunt mundana, nec in præcinctu fidei conſtitutos præuenire poterit inimica ſubreptio. Sic enim inimicis bellādo ſuperatis, cum Pſal. Deo dicere poterimus, Præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplātaſti inſurgentes in me ſubtus me. De bello autem quod eſt inter carnem & ſpiritum, nihil ad præſens.

*Pſal. 17.*

## 2500 Miſericordia mea & refugium meū, ſuſceptor meus & liberator meus.

Hîc oſtendit quòd Deus pugnauit contra diabolum armis miſericordiæ: quia ſola miſericordia contra diabolum Chriſtus pro nobis bellum aſſumpſit. Quātum autem ad ſenſum literalem Dauid, multa Dei beneficia ſibi exhibita, hic in paucis verbis oſtendit gl. dicens, Quia prolixum eſt multas cauſas plenè explicare, breuiter hic Dauid ſingulas ſingulis verbis tangit. Miſericordia enim eius fuit quando vltimus fratrum in regem fuit inunctus: refugium fuit ei, quando contra Goliam conſilium dedit ei, vt funda & petra deiiceret eum cum quo nō poterat armis pugnare: ſuſceptor eius fuit, quādo fecit eum generum regis: liberator eius fuit, quando ipſum à perſecutione regis Saulis liberauit: protector eius fuit, quando Dauid in ſpelunca ius in Saulem accepit. Vel hic vult oſtendere Pſalm. quomodo in bello vitiorum nos Deus iuuat & docet. Primò enim nos iuuat, peccata dimittendo: quod notat Pſalm. dicens, *Miſericordia mea:* quia ſola miſericordia, non aliqua noſtra iuſtitia, peccata relaxat. Vnde Gregor. dicit, Quia ad abolendam culpam, quælibet humanæ actionis virtus infirma eſt: niſi hanc miſericordia parcētis foueat: & non iuſtitia rectè iudicantis puniat. Ideo rectè per Pſalm. dicitur, Melior eſt miſericordia tua ſuper vitam. Quia quantumlibet quis videatur innocens: apud tamē diſtrictum iudicem, noſtra nos vita non liberat, ſi ei reatus ſui debitum, miſericordiæ benignitas non relaxat. Et hoc notans Pſalm. ait, *Miſericordia mea.* Vnde ad videndum qualiter per miſericordiam peccata nobis laxantur, notandum quòd, vt dixit Iſidor. 15. Etym. Apud veteres ante templa fontes erāt, in quibus ingreſſuri templum, ante ingreſſum lauabantur. Sic & conformiter Salomon fecit mare æneum ante ingreſſum templi: in quo ſacerdotes ad miniſtrandum templum ingreſſuri lauabantur: vt habetur 3. Regum 7. Et per iſta figuratur quòd antequam quis templum cœleſte ingrediatur, oportet ipſum in fonte miſericordiæ à peccatis lauari. Et ad hoc habemus fontem aptum fluentem de latere ſaluatoris: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Apoc. 1. Vnde Gregor. exponēs illud quod ſcribitur Zachar. 13, In die illa erit fons patēs domui Dauid in ablutionem &c. dicit, Fons occultus eſt vnigenitus Dei patris: fons verò patēs eſt idem incarnatus vnigenitus, cuius apertus eſt nobis fons miſericordiæ. Redemptor enim noſter, vt nos lauaret à culpa, nobis eſt factus fons miſericordiæ. In hoc fonte miſericordiæ lota fuit Magdalena. In hoc fonte lauit Petrus, quod negauerat. In hoc fonte in fine lauit latro mala quæ fecerat in vita. Cur igitur pigri ſumus? cur torpentes? cur ocioſi remanemus: qui in hoc miſericordiæ fonte, tot ſe iam gratis cognouimus humiliaſſe? Quærere enim miſericordiæ fontem deberemus etiamſi clauſus eſſet & occultus: quanto magis quia patens omnibus eſt factus? Hunc bene quæſierat pro ablutione peccatorum Pſalm. cum dicebat, Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Quod conſecutus nunc ait, *Miſericordia mea.* Sequitur, *Et refugium meum.* Vbi ſecundò nos adiuuat ad mala deteſtāda: quod per refugium deſignatur: vide verſic. 438. 439. Sequitur, *Suſceptor meus.* Vbi tertiò nos iuuat in carne ſuſcepta, nobis præbendo virtutum exempla. Quid enim eſt Deo dicere *Suſceptor meus*, niſi Humanitatem meam aſſumpſiſti, in qua exempla vitæ dediſti? Suſcipere enim ſignificat Chriſti incarnationem: vide verſic. 23. 1571. Sequitur, *Et liberator meus.* Vbi quartò nos adiuuat, à dæmonibus & vitiis liberando. Qualiter autem nos Chriſtus liberat, vide verſic. 366. 498. 1110.

*Sola miſericordia peccata dimittit.*

*Gregor. 8. moral. cap 21.*

*Pſal. 62.*

*Miſericordia fons eſt Chriſtus.*

*Pſal. 50.*

## Protector meus, & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. 2501

Hîc oſtendit quòd Deus pugnat contra diabolum armis iuſtitiæ. Quātum ad literam, verba ſunt Dauid dicentis, *Protector meus, & in ipſo ſperaui.* Hoc eſt, in omnibus laboribus meis, in omnibus præliis meis, in omnibus difficultatibus meis: vt puta, quando pugnauit cum leone, & ipſum interfecit: quando pugnauit cum vrſo, & ipſum ſuperauit. Quod totum attribuit adiutorio Dei, qui non deſerit ſperantes in ſe: Pſalm. Sperate in eo omnis cōgregatio populi &c. Quantum autem ad ſenſum propheticum, oſtendit quòd diabolum ſuperauit per iuſtitiam. Vbi notandum quòd tego, gis, ſecūdum grammaticos, habet duo ſignificata. Nam tegere quandoque idem eſt quod operire vel occultare: quandoque verò idem eſt quod defendere. Et componitur cum pro, & fit protego, gis: quod eſt valde operire vel occultare, & valde defendere. In Chriſto autem erat duplex natura, ſcilicet verbi & humanitatis. Iuxta igitur primum ſignificatū verbum protegebatur, id eſt velabatur à carne: ſicut hamus operitur, & velatur eſca. Secundū ſecūdum



ſignificatum, caro protegebatur à verbo: id eſt defendebatur & ipſe homo Chriſtus, ne peccare poſſet, quod habebat ab vnitate cum verbo. Vide ergo iuſtitiam Dei in bellādo diabolum. Poteſtatem ſuæ diuinitatis velauit & protexit ſub humanitate Chriſti. Vnde diabolus videns humanitatem Chriſti, credidit illum aliis fore ſimilem: verbum intus quod protegebatur ignorans. Et appetiit humanitatem Chriſti, Chriſtum ducēs ad mortem: ſed hamo humanę naturę velamine protecto fuit captus: quia manum in innocentem & contra dominum ſuum miſit: ideo iuſtè perdidit alios, quos iuſtè captiuos tenebat. Eſt ergo ſenſus verſiculi iſte, vt homo occultans verbum dicat, Protector meus, me defendēs ne peccare valeam: ſcilicet ipſum verbum eſt protector meus. Et in ipſo ſperaui, ſcilicet quod operiebam. Et quia diabolus iniuſtè inuaſit quod apparebat exterius: ideo iuſtè amiſſo dominio mūdi, mihi mundus factus eſt ſubditus: ſcilicet populus gentilis, qui per fidem ſe Chriſto ſubiecit. Ideo dicit, *Qui ſubdit populum meum ſub me.* Iſtum modum bellandi Chriſti cum diabolo oſtendit Gregor. ſuper illo verbo Iob 40, Quaſi hamo capiet eum: dicens, Quis neſciat quòd in hamo eſca oſtenditur, aculeus occultatur? Eſca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noſter ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de ſe in necem diaboli hamum fecit. Aſſumpſit enim corpus, vt in eo diabolus quaſi eſcam ſuam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo iniuſtè appetiit, nos quos quaſi iuſtè tenebat, amiſit. In hamo ergo eius incarnationis captus eſt: quia dum in illo appetiit eſcam corporis, transfixus eſt aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas: quæ ad ſe deuorationem duceret: ibi diuinitas, quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem deuoraret. In hamo ergo captus eſt diabolus: quia inde interiit, vnde deuorauit. Et quidem diabolus filium Dei incarnatum nouerat: ſed redemptionis noſtræ ordinem neſciebat. Sciebat enim quòd pro redemptione noſtra filius Dei incarnatus fuerat: ſed omnino quòd redemptor noſter illum moriendo transfigeret, neſciebat.

*Chriſtus iuſtitia diabolum vicit.*

*Greg 33. moral. c. 10.*

*Hamo captus fuit diabolus. Eſca ſua carnis Chriſtus diabolum cœpit.*

## 2501 Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Hîc oſtendit Pſal. noſtram generalem miſeriam. Et duo de homine oſtendit. primò ex dono Dei oſtendit quantæ homo ſit dignitatis: ſecundò ex parte ſui, quantæ ſit vanitatis: ibi, *Homo vanitati.* Quantum ad primum, notandum quòd, quantum ad ſenſum literalem, ex illa victoria quam Dauid habuit contra Goliā, Dauid ſe vidit magnificatum, intantum vt ſupra regem eſſet honoratus; intantum vt cum rex Saul reuerteretur habita victoria, venerunt mulieres obuiam ſibi cantātes atque dicentes, Percuſſit Saul mille, & Dauid decem milia: vt habetur 1. Reg. 18. Hanc itaque exaltationē Dauid nō ſibiipſi attribuit, ſed Deo, qui ſibi ante bellum apparuit: & modū bellandi cōtra Philiſthęum ipſum docuit. Et hoc eſt quod de ſeipſo, Deo dicit, *Domine quid eſt homo:* quaſi dicat, Quantum ergo homo ſum exaltatus? quia multum. Et vnde hoc? Certè non viribus meis: ſed quia tu innotuiſti ei, ſcilicet me docendo bellare. Et eandem ſentētiam aliis verbis repetit: dicens, *Aut filius hominis.* De ſeipſo loquitur, quàm magnus eſt effectus. Et hoc totum non à meipſo, ſed à te: quia tu reputas eum, id eſt feciſti dono tuo eū eſſe tātæ reputationis. Quantum verò ad ſenſum propheticum, notādum quòd à noto, notas, deriuatur noteo, notes, notui: id eſt notū eſſe, vel fieri notum: vnde noteſco inchoatiuum. Et componitur cum in, & dicitur innoteo, tes, vel innoteſco, quod eſt intus notum eſſe vel fieri. Et ſic Deus innoteſcit homini, quādo per aliquem ſuum effectum homini fit notus. Et hoc contingit multipliciter: ſcilicet per rerum creationem. Vnde ad Rom. 1, Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Quandoque innoteſcit per rerum inſolitam operationem: & ſic innotuit Moyſi: quando vidit quòd rubus ardebat, & non comburebatur. Exod. 3. Quandoque innoteſcit per internam inſpirationem: ſicut Pſal. 84, Audiā quid loquatur in me dominus Deus &c. & Ioan. 14, Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Quandoque verò per noſtræ humanitatis aſſumptionem. Vnde Ioā. 1, Verbum caro factum eſt &c. & vidimus gloriam eius. Sed in futuro beatis innoteſcit per facialem viſionē, quando videbimus eum facie ad faciem, ſicuti eſt. Ad propoſitum ergo, hic loquitur de innoteſcere vel manifeſtari, quo Deus homini innotuit per aſſumptam humanitatem. Ex quo homo ad ſummam dignitatem eſt eleuatus, & apud Deum ſummè magnificatus. Et hoc eſt quod hic ait Pſal. *Quid eſt homo?* id eſt quantus eſt homo? quàm magnus effectus? ex hoc *quia innotuiſti ei*, id eſt teipſum ſibi in aſſumpta humanitate manifeſtaſti. Et eandem ſententiam aliis verbis repetit: dicens, *Aut filius hominis quantus eſt?* certè valde magnus: ex hoc, *quia tu reputas eum.* Alia litera habet, *quia tu extimas eum*: id eſt, quòd homo eſt tantus, à te habet: quia ſic extimas eum tanti eſſe valoris, tanti precij vt filium tuum pro ipſo redimendo dares. Et ad hunc ſenſum hic loquitur Auguſt. dicens, *Domine quid eſt homo* &c. Hoc eſt, Totum quod eſt homo, eſt, quia innotuiſti ei: & reputas vel extimas eum, quia eum tanti facis. Extimatio enim eſt, quāti precij ſit quidque. Quanti extimauit hominem Deus, qui pro eo vnici filij ſanguinem dedit? Quid eſt ergo *filius hominis, quia extimas eum*? quoniam tāti eum extimas, precioſum quendam ipſum eſſe oſtendēs. Non enim ſic Deus extimat hominem, quomodo homo extimat hominem: quando inuenit ſeruum venalē, carius emit equum quàm hominē. Ille verò quanti te extimet, vide: quia filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eū: quomodo non & cum illo omnia nobis donauit? Vel aliter. Vt per hoc Pſal. velit oſtendere dignitatem hominis quā in creatione accepit, & virtutes quibus poſtmodum illuſtratur à Deo, ſecūdum quod dicitur Iob 7, Quid eſt homo, quia magnificas eū, & apponis erga eum cor tuum: viſitas eum diluculo? Quod exponens Greg. ſatis conformiter ad propoſitum dicit, Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infuſione gratiæ viſitat, honore collatæ virtutis exaltat. Cúmque per ſemetipſum nihil ſit, eſſe tamē eum cognitionis ſuæ participem, benignitatis munere concedit. Erga eundem magnificatum Deus cor ſuum apponit, quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter penſat, vitæ pondera vehementer examinat. Et tanto ab eo pœnas diſtrictius exigit, quanto hunc impenſo

*Innotuit Deus homini multipliciter.*

*Hominis dignitas.*

*Greg. 8. mor. cap. 20.*

munere largius præuenit. Viſitat eum diluculo. Diluculum dicitur, cum iam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur. Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obſcuramur. Sed nox in lucem vertitur, cum corda noſtra iuſtitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ deprimebat &c. Conſimiliter & modò dicit Pſalm. *Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei?* quia ſcilicet per rationem eum feciſti participem tuæ cognitionis. Aut ſupple *quid eſt filius hominis, quia viſitas eum?* quia ſcilicet pulſis culpæ tenebris, lumine tuæ gratiæ perluſtras? Et hoc idem dicebat Pſal. 8, Quid eſt homo, quia memor es eius? aut filius hominis, quia magnificas eum? Notandum moraliter, quòd hic Pſalm. conſiderans naturan hominis admiratiuè quærit de ipſo: dicens, *Domine quid eſt homo?* Cui quæſtioni reſpondetur multipliciter. Primò, quòd homo eſt fragilis naturæ: Geneſ. 6, Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Et Iob 14, Homo natus de muliere breui viuens tempore &c. Secundò quòd homo eſt breuis vitæ: Iacob. 4, Quid eſt vita noſtra niſi vapor ad modicũ comparens: Pſalm. 36, Quemadmodum olera herbarum citò decident. Tertiò quòd homo eſt putridus interna corruptione: Iob 25, Homo putredo, & filius hominis vermis. Quartò quòd homo eſt fœtidus peccati horrore: Ioan. 11, Iam fœtet quatriduanus in monumento: id eſt per omnes quatuor temporis partes, quibus annus diuiditur. Quintò quòd homo eſt debilis ad reſurgendum: Pſal. 77, Recordatus eſt, quia caro ſunt: ſpiritus vadens & non rediens: ſcilicet per ſe cadens in peccatum, ſed per ſe non valens à peccato ſurgere. Sextò quòd eſt vanus in operatione, vanior in ſermone, vaniſſimus in cogitatione. Pſalm. 38, Vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs. Septimò quòd eſt ſeruus peccati ſubiugatione: Hierem. 13, Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem: Ioan. 8, Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: propter quæ omnia homo brutis animalibus comparatur. Pſalm. 48, Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

*Quid eſt homo reſpõdetur multipliciter.*

2502 Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Hîc oſtendit quantæ vanitatis ſit homo ex parte ſua. Quantum ad ſenſum literalẽ, Dauid cognoſcit victoriam de Golia habitam, non habuiſſe viribus ſuis, ſed Dei virtute: quia ſe ſuis viribus nihil poſſe fatetur: dicens, *Homo vanitati ſimilis factus eſt* &c. de ſeipſo loquens. Quantum verò ad ſenſum propheticum, vt Pſalm. declaret maiorem miſericordiam fuiſſe Dei, quia innotuit homini per incarnationem verbi: Pſalm. oſtendit quantæ vanitatis antè erat homo: ne quis de ſeipſo præſumat, ſed ſolùm de domini miſericordia: quia homo de ſe vanitati ſimilis factus eſt &c. Quid autẽ ſit vanitas, & quòd multipliciter homo dicitur vanitas: vide verſicul. 639. Vnde Pſalm. 38, Verumtamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Vel aliter, homo in ſua creatione fuit veritati ſimilis: ſed peccando, factus eſt ſimilis vanitati. Quod ſic hic deducit Auguſtinus, dicens, *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* Cui vanitati? Temporalibus præterfluẽtibus. Vanitas enim iſta dicitur in comparatione cuiuſdam ſemper manentis & nunquam deficientis veritatis. Omnia enim iſta terrena volatica ſunt & tranſitoria, ſi comparentur primæ veritati, quæ ſemper ſtabilis eſt. Totum hoc quod tranſit, vanitas dicitur. Euaneſcit enim per tempus, tanquam in auras fumus. Et quid dicam amplius, quàm Iacobus Apoſtolus dicit? volens homines ſuperbos ad humilitatem redigere: dicens, Vita noſtra eſt vapor ad modicum comparens. Homo enim peccando, vanitati ſimilis factus eſt. Nam quando primò conditus eſt homo, veritati ſimilis factus eſt. Sed quia peccando digna recepit, vanitati ſimilis factus eſt: quia tranſit, labitur, non manet, ſtabilitate caret, vt vmbra. Propter quod ſubditur, Dies eius ſicut vmbra prętereunt. Attendat homo ſibi in diebus vmbræ ſuæ, vt faciat aliud dignum deſideratæ lucis ſuæ. Et ſi in noctis vmbra eſt, quærat diem. Dies enim huius temporis, huius vanitatis: dies eſt tribulationis. Siue enim aliqua moleſtia pugnamur: ſiue proſperitate aliqua mundus arrideat nobis: totum tamen timendum eſt, totum gemendum eſt: quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Ergo quandiu in vmbra es, non in luce, operare manibus tuis, inquire dominum, antequam veniat dies ille, qui te lætificet: ne veniat dies, qui te mœſtificet. Dies ergo hominis ſicut vmbra prætereunt, quia nunquam homo in eodem ſtatu permanet: ſed ſemper vt vmbra quam ſol cauſat, mouetur & tranſit, donec ad occaſum perueniat. Propter quod dicitur Iob 14, de homine, quòd fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Quod ad propoſitum declarans Greg. dicit, Cùm ſol curſum ſuum indeſinenter peragat, & nunquam ſe in ſtabilitate figat: cur curſus vitæ hominis, vmbræ potius quàm ſoli comparetur, niſi quia amiſſo amore conditoris, calorem cordis perdidit, & in ſolo iniquitatis ſuæ frigore remanſit? Quia iuxta veritatis vocem, abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Qui igitur in amorem Dei calorem cordis non habet: nec tamen vitam quam diligit tenet, ſed velut vmbra fugit, & nunquam in eodem ſtatu permanet: quia de infantia ad pueriiciam, de pueritia ad adoleſcentiam, de adoleſcentia ad iuuentutem, de iuuentute ad ſenectutem, de ſenectute verò tranſit ad mortem. Et in curſu vitæ præſentis ipſis ſuis incrementis ad detrimenta impellitur. Et inde ſemper deficit, vnde ſe proficere in ſpacium vitę credidit. Fixum etenim ſtatum hic habere non poſſumus, vbi tranſituri venimus: quoniam homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.

*Homo vanitati ſimilis eſt.*

*Iacob. 4.*

*Iob 7.*

*Vmbra dicitur vita noſtra.*

*Greg. 11. mor. cap. 27.*

*Matth. 4.*

Domine inclina cœlos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt. 2503

Hîc Pſalmiſta cognito, quòd per ſuam incarnationem, qua homini Deus innotuit, ſic hominem magnificat, ipſam incarnationem poſtulat: inſimul oſtendens quantæ ipſa incarnatio ſit nobis vtilitatis. Vnde hic oſtendit quòd ipſa incarnatio Chriſti, primò ſuperbos humiliat: ſecundò peccatores conturbat: ibi, *Fulgura*: tertiò quòd patientes fortificat: ibi, *Emitte.* Quantum ergo ad primum, quantum ad ſenſum literalem, Dauid videns ſe in bello contra gigantem poſitum, diuinum poſtulat adiutorium: dicens, *Domine inclina cœlos, & deſcende.* Non quidem petit cœlos inclinari per loci mutationem, ſed



ſed per pietatis condeſcenſionem. Sicut Deo dicimus, Inclina aurem tuam: id eſt per tuam pietatem nos exaudi: *Tange montes, & fumigabunt.* Per montes intelligit ipſum ſuperbum Goliam, cum cæteris ſuperbis Philiſthæis. Et eſt ſenſus, *Tange montes*: id eſt percute iſtum ſuperbum Goliam cum aliis Philiſthæis, qui percuſſi fumigabũt: id eſt virtus eorum ad modum fumi euaneſcet. Quantum verò ad ſenſum propheticum, ſciendum, quòd Dauid in perſona totius militantis eccleſiæ incarnationẽ Chriſti poſtulat: dicens verbo Dei, *Domine inclina cœlos & deſcende.* Nomine enim cœlorum ſancti angeli intelliguntur: vt oſtendit Gregor. dicens, Per cœlos intelliguntur hi qui in cœleſtibus ſunt conditi angelici ſpiritus. Vnde & in oratione dominica dicere voce veritatis inſtruimur, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: vt ſcilicet ſicut voluntas Dei à beatis angelis agitur, ita in nobis etiã ab humana infirmitate ſeruetur. Iſti autem cœli per incarnationem Chriſti fuerunt humiliati, quia ante incarnationem homines angelis erãt ſubiecti: vnde & ipſos adoraſſe leguntur: ſed poſt incarnationem homines angelis pares ſunt effecti. Vnde quando Ioannes angelũ adorare voluit, angelus prohibuit, dicens, Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum &c. Tunc ergo inclinati ſunt cœli: id eſt beati angeli, non quidem in ſe, ſed comparatione: quia homo qui erat inferior, æqualis factus eſt illis. Et hoc eſt quod hic dicit, Domine deſcẽde per incarnationem: & ſic inclina cœlos, ſcilicet angelos beatos: vt de ſuperioribus nobis fiant æquales. Et ſic hic deſcẽdere ſignificat Chriſti incarnationem. Vnde hic gloſa, Hic iam Pſalmiſta aperit, quod ſupra dixit, *innotuiſti ei*: quia tũc innotuit Deus homini, quando incarnatus apparuit. quaſi dicat, Talis per ſe eſt homo, quia ſimilis vanitati: ſed ô tu domine, vt reformetur homo inclina cœlos tuos, & deſcende ad nos. Inclinati ſunt enim cœli, quomodo virtus & honor ſupernorum ad hominem deſcendit: & forma Dei formam hominis ſuſcepit. Vel aliter: in Chriſti incarnatione inclinati ſunt cœli, quando filius Dei exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens &c. Vel aliter: per cœlos intellige ſanctos Apoſtolos & prædicatores: qui tunc inclinari dicuntur, quando ſciẽtiam ſupernorum quam altè cognouerant, humilibus verbis nobis declarauerũt. Et tũc dominus per fidem deſcendit ad corda auditorum. Iſtũ intellectum habet hic Aug. dicens, *Domine inclina cœlos tuos, & deſcende.* Quid ſunt cœli inclinati? Apoſtoli humiliati. Iſti ſunt cœli qui enarrant gloriam Dei: quorum ſonus in omnẽ terrã exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Cum ergo iſti cœli emitterẽt voces ſuas per omnem terram, & facerent mirabilia: putati ſunt deſcendiſſe de cœlo ad homines. Nam quidam ex gẽtibus hoc putantes, eis etiam ſacrificare voluerunt. Tunc illi videntes ſibi deferri indebitum honorem, expaueſcentes & deteſtantes, & eos qui ſic errabant corrigentes, conſciderunt veſtimenta ſua, & dixerunt, Quid hoc facitis? Et nos homines ſumus paſſibiles ſicut & vos. Et cœperunt ſub iis verbis commendare excellẽtiam domini noſtri Ieſu Chriſti: humiliantes ſe, vt commendaretur Deus: quia inclinati erant cœli, vt aſcenderet Deus. Vel inclinati ſunt prędicatores, non alta, ſed humilia prius prædicando: vt paulatim mentes hominum ad cognitionem diuinitatis Chriſti inducerent. Vnde hunc paſſum exponens Gregorius, ait, Si ſancti viri ea nobis prædicare vellent quæ capiunt, quibus in ſuperna contemplatione inebriantur: & non magis ſcientiam ſuam quodam moderamine temperarent, ab hoc anguſto intelligentiæ ſinu illa ſuperni fontis fluenta quis caperet? Vnde inclinari poſtulabat Pſalmiſta dicens, *Domine inclina cœlos tuos, & deſcende.* Cùm enim inclinantur cœli, dominus deſcẽdit: quia cum ſe in prædicatione ſua ſancti Apoſtoli & prædicatores contrahunt, diuinitatis notitiam noſtris cordibus infundunt. Nequaquam enim ad nos Deus deſcenderet, ſi prædicatores eius contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cœli, vt deſcendat dominus: vt ſcilicet nos in noua fidei luce naſcamur. Sequitur, *Tange montes, & fumigabunt.* Hoc eſt, per verba Chriſti incarnati, vel ſuorum prædicatorum ſuperbi & elati homines tacti humiliantur. Per montes enim ſuperbi & alti ſignificantur: vide verſic. 208. Quid autem eſt fumigare, niſi humiliari? Nam fumus fumigans euaneſcit & deficit. Quãdo enim Deus per verba ſuorum prædicatorum tãgit ſuperbos? quando fumum contritionis emittunt. Propter quod dicitur Pſal. 103, Qui reſpicit terram, & facit eã tremere, tangit montes, & fumigant: id eſt per humilitatem fumum contritionis emittunt. vide verſiculum 1786.

*Cœli dicũtur angeli beati. Greg. 27. moral. c. 15.*

*Matth. 6.*

*Apoc. 19.*

*Phil. 2.*

*Cœli inclinati dicuntur Apoſtoli.*

*Pſal. 18.*

*Act. 14.*

*Greg. 30. moral. c. 22.*

*Fumigare eſt cõteri & humiliari.*

Fulgura coruſcationes, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos. 2504

Hîc oſtendit quòd incarnatio Chriſti peccatores conturbat. Vbi, quantum ad literam, ſciendum quòd per fulgura coruſcantia ſatis nobis oſtenditur virtus diuina: quia fulgur, res tamen parua, quod tangit incendit. Dauid ergo in certamine poſitus, petit à Deo, quòd contra Goliam poteſtatem ſuæ virtutis oſtendat, & cõtra cæteros Philiſthæos: dicens, *Fulgura coruſcationes*: id eſt nunc oſtende tuæ virtutis poteſtatẽ: *Emitte ſagittas tuas.* Hic per ſagittas intelligit lapides fundæ, quæ ſicut ſagittę de arcu mittuntur à lõgẽ: ſic & lapides de funda. Dicit ergo, *Emitte ſagittas tuas*: id eſt lapides de funda mea emitte in directum contra Goliam. Quos vocat ſagittas Dei, quia reuelatione domini illos lapides aſſumpſerat cõtra Goliã pugnaturus. Quos ſcilicet lapides ſi in directum emiſeris: cõturbabis eos, ſcilicet Philiſthæos. Quod & ſic factũ eſt, quia ſtatim mortuo Golia, agmina Philiſthinorum cõturbata ſunt, & fugerũt: vt habetur 1. Reg. 17. Quantũ verò ad ſenſum propheticũ, ſciendum quòd per fulgura miracula intelliguntur: vt oſtendit Gregor. dicens, Quid enim per fulgura, niſi miracula ſentire debemus? de quibus per Pſalmiſtã dicitur, Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos. Per iſta ergo fulgura & coruſcationes diſſipatæ ſunt colligationes & conſpirationes gentilium contra Chriſti fidem: quia dum Apoſtoli Chriſti fidem prædicarent per orbem multis coruſcando miraculis, conſpiratio gentium contra fidem Chriſti diſſipata eſt & diuiſa: quia multi illorum conſpiratione dimiſſa, ad fidem ſunt conuerſi. Et hoc eſt quod ait, *Fulgura coruſcationes, & diſſipabis eos.* Vnde hoc exponens Auguſtinus, ait, *Fulgura coruſcationes* &c. Quidam conuenientes in vnum conſpirauerunt contra dominum & aduerſus Chriſtum eius: contra quos ait Pſalmiſta, *Fulgura coruſcationes tuas, & diſperges eos.* Hoc eſt crebreſce miraculis tuis, & diſſipabitur

*Fulgura ſunt miracula. Greg. 27. moral. c. 8.*

bitur conſpiratio eorum : quia miraculis territi non audebunt aliquid contra te:& in ipſis miraculis expaueſcent,dicentes,Quis eſt iſte qui tanta poteſt? Quis iſte qui ſic exaltatur ? cuius nomen tantum valet?Sequitur,*Emitte ſagittas tuas,& conturbabis eos.*Quid enim per ſagittas intelligimus, niſi verba Dei,quæ cor audientium transfigunt ? vide verſic. 2253. Vnde Gregor. ſuper illo verbo Iob 41 ,Non fugabit eum vir ſagittarius:ait,Quid enim ſagittas, niſi verba prædicatorum accipimus : quæ cum ex voce bene viuentium diffunduntur, audientium corda transfiguntur?Conturbant enim auditores, dum ipſos ad conturbationem & cõtritionem peccatorum inducunt. Vnde hic ait Auguſt. *Emitte ſagittas* &c.id eſt emitte præcepta tua : dicta tua feriãt cor eorum. Vulnerentur malè ſani, vt ſanentur bene vulnerati : & dicant iam in eccleſia , in corpore Chriſti conſtituti.Dicant cum eccleſia, Quoniam vulnerata charitate ego ſum.Et gloſa hic ait,*Emitte ſagittas tuas*:id eſt verba tua:*& conturbabis eos*,ad pœnitentiam.

*Sagittæ ſunt verba Dei.*

*Greg.34.moral.c.5.*

2505 Emitte manum tuam de alto:eripe me & libera me de aquis multis , & de manu filiorum alienorum.

Hîc oſtendit quòd Chriſti incarnatio patientes fortificat. Et primò oſtendit patientiam iuſtorum: ſecundò iniquitatem peruerſorum : ibi, *Quorum os.* Quantum ad literam , Dauid in agone certaminis poſitus,videns fortitudinẽ gigantis Goliæ:& quòd ſi caderet in pugna,Philiſthęi erant parati diſſipare populum Dei : ne hoc accidat , manum poteſtatis diuinæ pro ſuo auxilio implorat:dicens, *Emitte manum tuam*(id eſt poteſtatem tuam)*de alto*:& eripe me de manu & poteſtate Goliæ. *Et libera me :* ſcilicet & populum tuum,*de aquis multis:*id eſt de manu & poteſtate Philiſthinorũ. Per aquas enim multas gentium populus intelligitur : cuiuſmodi erant Philiſthæi : iuxta illud quod dicitur Apocal. 17 , Aquas quas vidiſti,ſupra quas ſedet mulier,populi ſunt & gẽtes. Et hoc idem aliis verbis repetit:dicens, *Et de manu filiorum alienorum.* Erant autem Philiſthæi,filij alieni : quia per culturam idolorum alieni erant à populo Dei.De quibus dicitur Pſal.53 , Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me &c. Quantum verò ad ſenſum propheticum, aduertendum quòd per manum Dei intelligitur in ſcriptura filius Dei: quia manu operamur, & omnia per verbum Deus fecit. Vnde Gregor.ſuper illo verbo Iob 27, Docebo vos per manum Dei : dicit,Nam ſancta eccleſia docens quantum cognoſcere expedit,nihil veritatis abſcondit : quia enim manus Dei vocatur filius Dei:omnia quippe per ipſum facta ſunt. Per manũ Dei docere ſe perhibet eos quos in propria ſapiẽtia remanere fatuos videt. Acſi apertè dicat,Ego ex me aliquid neſcio:ſed quicquid de veritate ſentio,hoc ex cuiuſdam veritatis largitate comprehendo &c. Quid eſt ergo Deo dicere, *Emitte manum tuam de alto*:niſi Emitte filium tuum de cœlis ad terrã, de ſede magnitudinis tuæ ad infirmitatem noſtræ carnis?Vnde hic ait gloſa,*Emitte manum tuam de alto* : id eſt Chriſtum de alto , vbi cum patre eſt , vt induat carnem.Sequitur,*Eripe me , & libera me de aquis multis.* Vbi nota quòd hæc eſt vox eccleſiæ in perſecutione poſitæ infidelium.Nam per aquas perſecutio & aduerſitas intelligitur : vide verſiculum 1089. Petit ergo eccleſia quòd Chriſti incarnatio , ſcilicet Dei manus,emittatur de alto:hoc eſt,quòd virtute cœleſti per mundum ſic notificetur, quòd eccleſia conuerſis gentilibus , ab eorum perſecutionibus liberetur. Et iſtum intellectũ hic ponit Auguſt.dicens,*Emitte manum tuam* &c.Quid eſt *de aquis multis*? hoc eſt de populis multis : ſcilicet de alienigenis & infidelibus , ſiue foris pugnantibus , ſiue intus inſidiantibus.*Erue me*(inquit)*de aquis multis*:in quibus ſcilicet me exercebas,in quibus me purgare volebas.Vnde quid ſint iſtæ aquæ multæ,declarat cum ſubdit,*Et de manu filiorum alienorum.* Vel aliter : per filios alienos intellige Iudæos à fide Chriſti alienatos.De quibus dicitur,Filij alieni mentiti ſunt mihi:filij alieni inueterati ſunt,& claudicauerunt à ſemitis ſuis.Quod de Iudæis ibidem exponit gloſa,vide verſiculum 246.Quod ſi ſic accipimus, tunc iſta ſunt verba Chriſti in paſſione dicentis, *Emitte manum tuam*:id eſt poteſtatem tuam : *& eripe me de aquis* : ſcilicet aduerſitatis & paſſionis : *& de manu filiorum alienorum*:ſcilicet Iudæorũ. Quod fuit adimpletum per ſuam reſurrectionem.

*Manus Dei eſt filius Dei.*

*Greg.18.mor. cap.6.*

*Pſal.17.*

Quorum os locutum eſt vanitatem : & dextera eorum , dextera iniquitatis. 2506

Hîc oſtendit iniquitatem peruerſorum. Quantum ad literam , loquitur Dauid de Golia gigante, qui in perſona omnium Philiſthinorum iniquè loquebatur contra populum Dei. Nam ipſe paratus ad ſingulare certamen aduerſus filios Iſrael clamabat:vt habetur 1.Reg.17 , dicens , Eligite ex vobis virum , & deſcendat ad ſingulare certamen : & ſi percuſſerit me,erimus vobis ſerui:ſi autem ego percuſſero eum , vos ſeruietis nobis. Et ſic iactabat ſe, dicens , Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie. De iſtis ergo Philiſthæis in quorũ perſona loquebatur Golias , dicit Dauid , *Erue me de manu filiorum alienorum:quorum os locutum eſt vanitatem*:ſcilicet exprobrando populo Dei.*Et dextera eorum,dextera iniquitatis*.Per dexteram enim fortitudo exercitus Philiſthinorum intelligitur:quam dicit dexteram iniquitatis , quia ipſi quamuis haberent fortem exercitum,tamen contra filios Iſrael iniuſtè pugnabãt, & agebant bellum iniuſtum. Quantum autem ad ſenſum propheticum,ſi de populo gentili,à quo in principio perſequebatur eccleſia intelligatur : certum eſt , quòd contra eccleſiam vanitatem loquebantur:quia præponebant ſanctis fidelibus culturam idolorum,cogentes illos adorare Iouem,adorare Venerem , & huiuſmodi. Quæ omnia verba vana erant ; quia ſuper culturam idolorum fundabãtur, quæ idola vana ſunt,& omni ſtabilitate carent. Et quia tales ad faciendum malum erant potentes : ideo ait , *Dextera eorum* , id eſt poteſtas, *dextera iniquitatis.* Et de iſtis dicitur , In quorum manibus iniquitates ſunt : dextera eorum repleta eſt muneribus. Quod ideo dicit , quia tales iniqui & potentes , non ſolùm per pœnas & tormenta nitebantur ſanctos ad idolatriam inducere : ſed etiam blandiciis , multa munera præmittentes.De quibus dicit , Dextera eorum repleta eſt muneribus. Quod hic aliis verbis exprimit : dicens , *Dextera eorum , dextera iniquitatis.* Si autem verba ſint Chriſti de Iudæis loquentis , tunc etiam clarus eſt ſenſus : quia certum eſt quòd Iudæi multa vana & iniqua contra Chriſtum fuerunt

*Pſal.25.*



locuti : quorum dextera erat dextera iniquitatis. Vbi per dexteram accipe intentionem interiorem: ſicut quandoque per ſiniſtram ipſa ſenſualitas intelligitur.vide ver.376. Nota quòd in ſcriptura dextera multa ſignificat : quandoque humanam bonitatem quam debemus eligere : Prouerb.4 , Vias quæ à dextris ſunt,nouit dominus:peruerſę autem ſunt quæ à ſiniſtris ſunt. Quandoque æternam felicitatem,quam debemus deſiderare:Sapien.5,Dextera ſua reget illos:Mar.vlt. Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Quãdoque carnis propinquitatem,quam debemus amputare : Matth.5, Si dextera tua ſcandalizat te , abſcinde eam , &c. Quandoque cordis intentionem : Matth. 5,Cũ facis eleemoſynam , neſciat ſiniſtra tua , quid faciat dextera tua.Quandoq; mundi proſperitatẽ, quam debemus contemnere : Prouer.4,Non declines ad dexteram , neque ad ſiniſtram. Declinat ad dexteram,qui proſperis eleuatur:ad ſiniſtram autem,qui aduerſis frangitur.

*Dextera multa ſignificat.*

2507 Deus canticum nouum cãtabo tibi: in pſalterio decachordo pſallam tibi.

Hic ex omnibus prædictis Pſal.ſurgit ad gratiarum actionem.Et diuiditur in partes tres:quia primò recognoſcit diuinam bonitatem : ſecundò poſtulat in bono ſtabilitatem:ibi,*Qui das ſalutem* : tertiò deteſtatur vanam malorum proſperitatem : ibi, *Et erue me.* Quantum ad ſenſum literæ, Dauid præuidens ſuam victoriam de Golia habendam, ipſam Deo attribuit, & pro tãto beneficio gratias ſe redditurum promittit:dicens,*Deus canticum nouum cantabo tibi:*quia pro iſta victoria gratias agendo,noua cantica fecit. Et quia Dauid Pſal. ſuos canebat nõ ſolùm voce humana , ſed etiam inſtrumento muſico:vtputa cum pſalterio vel cithara:ideo ſubdit,*in pſalterio decachordo*:id eſt,decem chordarum pſallam tibi. Quantum verò ad ſenſum propheticum , notandum quòd ſicut duplex eſt homo:ſcilicet interior & exterior, ſcilicet homo nouus & vetus : ſic duplex eſt canticum : ſcilicet nouum & vetus.Cãticum nouum eſt canticum gratiæ noui teſtamenti. Sed canticum vetus eſt canticum rigoris legis antiquæ : vide verſic.653.Dicat ergo eccleſia:dicat quilibet fidelis prædicator, *Deus canticum nouum cãtabo tibi*:myſteria nouæ legis ad honorẽ tuum prædicabo. Sed quia tota lex noua in antiqua figuratur:ideo legem antiquam noua nõ abiicit, ſed perficit. Et hoc eſt quod de lege antiqua quæ in decẽ præceptis continetur ſubdit, *In pſalterio decachordo pſallam tibi* : quod fit dum oſtenditur per legem nouam antiquam eſſe impletam. Vnde hic ait Aug. *Canticum nouum*,canticum noui hominis,eſt canticum nouum,teſtamentum nouum eſt.*Cantabo* (inquit)*tibi canticum nouum.* Sed ne putes gratiam à lege diſcedere , cum magis per gratiam lex impleatur : ideo ſubdit , *In pſalterio decem chordarum pſallam tibi*:hoc eſt,in lege decem præceptorum,ibi tibi cãtabo canticum nouũ:quia plenitudo legis eſt charitas,Qui non habent charitatem,pſalterium portare poſſunt,pſallere non poſſunt. Quid ſit pſalterium decem chordarum,vide verſ.8. Quid ſit pſallere,vide ver.389.708.771.772.Et nota quòd canticum nouum eſt cãticum regenerationis ſpiritualis:quæ triplici cantico denotatur.Prima eſt baptiſmi,quæ cantatur cãtico Moyſi:qui tranſacto mari rubro & omnibus ſubmerſis Ægyptiis,ſcilicet peccatis:per quod baptiſmus figuratur:Deo cantauit, dicens,Exod.15,Cantemus domino glorioſè,&c. Secunda eſt pœnitentiæ:quæ cantatur cantico Iudith, ſcilicet cantico confeſſionis. Nam Iudith interpretatur confitens. De qua dicitur Iudith 16, quòd tunc Iudith cantauit cãticum hoc domino: dicens,Cantate domino,&c.Tertia eſt gloriæ,quæ cantatur cantico Simeonis:qui poſtquam Ieſum in manibus recepit,exclamauit:dicens, Nunc dimittis domine ſeruũ tuum , &c. Et nota quòd lex noua habet ſolùm tria cantica : ſcilicet quæ quotidie cantantur in eccleſia : ſcilicet Canticum glorioſæ virginis:ſcilicet Magnificat,in veſperis. Canticum Simeonis, in cõpletorio,& canticum Zachariæ, in matutinis.Et quare hoc?Conſidera.

*Canticũ nouũ lex noua.*

*Pſallere non poteſt qui charitatem non habet.*

*Cãticum triplex.*

*Lucæ 2.*

Qui das ſalutem regibus:qui redemiſti Dauid ſeruum tuum : de gladio maligno eripe me. 2508

Hic poſtulat in bono ſtabilitatem. Pro expoſitione literali ſciendum quòd quãdo Dauid pugnauit cum Golia,iam erat per Samuelem inunctus in regẽ:licet nondum haberet poſſeſſionẽ regni. Saul autem adhuc habebat regni poſſeſſionẽ , licet iam reprobatus eſſet à Deo. Et in populo Iſrael duo erant reges:ſcilicet Dauid & Saul. Si autem Dauid in certamine cũ Golia ſuccubuiſſet, regnum Iſrael diſſipatũ fuiſſet. Et per cõſequens victoria Dauid fuit ſalus regni & regum : ſcilicet Dauid & Saulis. Confidens ergo Dauid de victoria habenda,loquitur Deo de re futura ſub verbis temporis præſentis,propter certitudinem reuelationis : dicens, *Qui das ſalutem regibus*:ſcilicet Sauli & mihi. *Qui redemiſti*: id eſt,redimes,& liberabis me Dauid ſeruum tuum de gladio maligno:id eſt , de gladio Goliæ maligni: te rogo (inquit) ſic eripe me, vt mihi reuelaſti. Vel aliter, per reges in plurali intellige duos reges populi Iſrael : ſcilicet Samuelem, qui regebat in ſpiritualibus: & Saulem , qui regebat in temporalibus. Regentes enim in ſpiritualibus etiam reges vocantur : quia ſe & alios regere debent.vt dicit Magiſt. lib.4. Quantum verò ad ſenſum propheticũ, ſciendum quòd per Dauid intelligitur totus Chriſtus, id eſt,tota eccleſia ſecundum caput & mẽbra:quam Chriſtus formauit pendẽs in cruce, quam redemit ſanguine ſuo : vt dicitur Act.20. Contra quam à principio ſæuiebãt reges & principes mundi:quos tamen Deus per ſuos prædicatores ad fidem adduxit. Quod futurum præuidens Pſal.ait,Tu domine qui iam de facto redemiſti Dauid ſeruum tuum, id eſt, eccleſiam tibi ſeruientem , tibi ſubiectam. Tu etiã das ſalutem in regibus, id eſt,dabis : quia quãuis modò impugnent eccleſiam & perſequantur, tu tamen illis dabis ſalutem per verã pœnitentiam. Et hoc rogo dicens,*De gladio maligno eripe me.* Quid enim erat gladius malignus , niſi perſecutio eccleſię facta per reges & principes mundi? De quo gladio fuit liberatus Dauid,id eſt,eccleſia:quando reges & principes perſequentes fuerunt facti fideles & eccleſiæ defenſores : vt hodie patet de regibus Romanorum,Francorum,Anglorum,&c.Et hunc intellectũ ponit Auguſt.dicens,*Qui das ſalutem*,&c. Iam fumantibus montibus , ſcilicet deficientibus ſuperbis , ſalus regibus datur ab illo qui redemit Dauid ſeruum ſuum : ſcilicet corpus Chriſti , corpus eccleſiæ. Sed vnde redemit ? Audi quod ſequitur , *De gladio maligno eripe me.* Ait *de gladio maligno*: quia alius eſt gladius benignus : de quo dominus dicit,

*1.Reg 16.*

*Matth.10.* dicit, Nō veni pacē mittere in terram, ſed gladium. Separaturus enim erat fideles ab infidelibus: & filios à parentibus, gladio putredinem abſcindenti: membra autem Chriſti ſananti. Eſt ergo benignus gladius bis acutus, vtroque acumine præpotēs veteris & noui teſtamenti, narratione præceptorū & promiſſione futurorum. Hic eſt gladius benignus: ille autem malignus eſt, quo illi loquuntur vanitatem: de quo alibi dicit, Filij hominum, dētes eorum arma & ſagittæ: lingua eorum gladius acutus. *Gladius multa ſignificat.* Vel aliter, per gladium malignum tentatio diaboli intelligitur: per quam homines ad mortem vulnerare conatur. Et ſic intelligit gladium malignū Gregor. 34. moral. cap. 4, multas gladij ſignificationes oſtendens: vbi dicit, In ſcriptura ſacra aliquādo per gladium ſancta prædicatio, aliquando tribulatio temporalis, aliquando antiqui hoſtis ira & tentatio deſignatur. Gladius enim prædicatio ponitur, ſicut Paulus ait, Et gladium ſpiritus: quod eſt verbū Dei. Gladij autem nomine & ęterna damnatio deſignatur: *Epheſ.6.* ſicut de prædicante hæretico ſcriptum eſt, Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt: quia quantalibet hic numeroſitate germinent, æterna damnatione conſumuntur. Gladius etiam tribulatio temporalis accipitur: ſicut beatæ Mariæ de ſecuturis tribulationibus dicitur, *Lucæ 2.* Et tuā ipſius animam pertranſibit gladius. Rurſus per gladium ira vel perſecutio maligni ſpiritus accipitur: ſicut Pſal. ait, *Qui liberaſti Dauid ſeruū tuum: de gladio maligno eripe me.* Benignus quippe ſanctæ prædicationis eſt gladius, quo percutimur, vt à peccato moriamur. Malignus verò eſt diabolicæ perſuaſionis gladius: quo malè quiſque percutitur, vt à vita rectitudinis extinguatur, &c. Et hoc idem pro gladio maligno accipit tentationem diabolicam ipſe Gregorius *Greg.15. moral. cap. 29.* ſuper illo verbo Iob 21, Ad ſepulcra ducetur: dicens, *Sepulcra ſunt corpora malorum.* Quia ſepulcra mortuos tegunt, quid aliud per ſepulcra, quàm reproborum corpora deſignantur: in quibus extinctę à rectitudinis vita animæ velut in ſepulcris latent? Iniquus ergo ad ſepulcra ducetur, quia in prauorum cordibus recipietur. Quoniam ſoli eum illi ſuſcipiunt, in quibus mortuæ à Deo animæ reperiuntur. De quo etiam rectè dum eius ſupplicia deſcriberētur, *Ezech.32.* per prophetam dicitur, In circuitu eius ſepulcra illius interfecti etiam qui ceciderunt gladio. Illi quippe in inferno iuxta ipſum ſunt, in quibus ille malignus ſpiritus mortuus iacet, qui iniquitatis eius gladio ceciderunt percuſſi. Vnde ſcriptum eſt, *Qui liberaſti Dauid ſeruum tuum: de gladio maligno eripe me.*

## 2509 Et erue me de manu filiorum alienorum: quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Hic Pſal. deteſtatur malorum proſperitatem. Et duo facit: quia primò illorum felicitatem eſſe vanā oſtendit: ſecundò oſtendit felicitatem Chriſtianorum eſſe veram: ibi, *Beatum dixerunt*. Prima pars diuiditur in ſex: ſecundum quòd oſtendit malos in ſex rebus felicitatem ſuam ponere: quorum quodlibet eſt vanum. Ponunt enim ipſam primò in peruerſis actionibus: ſecundò in filiis & nepotibus: ibi, *Quorum filij*: tertiò in bonis corporalibus: ibi, *Filiæ eorum*: quartò in fructibus ex terra naſcentibus: ibi, *Promptuaria*: quintò in pecudibus & multis animalibus: ibi, *Oues eorum*: ſextò in temporalibus & diuturnis ſucceſſibus: ibi, *Non eſt ruina*. Quātum ad primum, ſenſus literalis patet ex ſupradictis: verſic. 2506. Eſt enim repetitio eiuſdem ſententię: vt multoties fit in Pſal. Quātum verò ad ſenſum propheticum: *Lætātur mali in vitiis.* notandum quòd aliqui à Deo ſunt peruerſi, quòd ſe beatos extimant, cùm mala ſua deſideria adimplere poſſunt; de quibus dicitur Prouerb. 2, Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Quod pertractans Gregor. ſuper illo verbo Iob 5, *Gregor.6. moral. cap.11.* Mœrentes erigit ſoſpitate: ait, Sunt nonnulli qui iniquitates perpetrant, & gaudere non ceſſant: de quibus per Salomonem dicitur, *Prouer.2.* Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Et rurſum, Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, acſi *Ecclef.8.* iuſtorum facta habeant. Hi nimirum non ſoſpitate eriguntur, ſed inſania, qui ſuperbiunt cum affligi debuerant: & inde miſeri in exultatione defluunt, vnde à bonis flētur. Phreneticorū ſcilicet ſenſibus ſimiles qui inſaniam qua præualent, virtutem putant: qui ex morbo eſſe neſciūt hoc quod amplius ſanis poſſunt: & quaſi creuiſſe ſe viribus æſtimant, dum ad vitæ terminum per augmenta languoris appropinquant. qui quia rationis ſenſum non habent, flent, & rident. Et tanto ſe in magna exultatione dilatāt, quanto inſenſibiles malum quod patiuntur, ignorant. Iſtam talium felicitatem deteſtatur Pſal. vnde à conſortio talium petit liberari: dicens, *Et erue me de manu filiorum alienorum.* Et quare dicantur filij alieni, oſtendit dicens, *Quia os eorum locutum eſt vanitatem: & dextera eorum*, &c. vide verſ. 2505. 1506. Et nota quòd filios alienos, ſcilicet à *Alienum à Deo faciunt multa peccata.* vera felicitate, faciunt eſſe diuerſa peccatorum genera: ſcilicet primò peccatum ambulationis & ſuperbiæ: quę ſemper ad alta tendens, à virtute & veritate declinat. Quod oſtēdit Gregor. dicens, *Greg.24. moral. cap.25. Num.3.* Semper aliena eſt à veritate ſuperbia: ſcilicet ab illo qui dicit, Ego ſum via, veritas & vita. vnde de ſuperbis ſic alienatis, dicitur, Quiſquis alienus acceſſerit, morietur. Alienus enim moriturus accedit, quādo ſuperbus ad dignitates ſe ingerit, non vocatus. Secundò peccatum obdurationis & impœnitentiæ, &c. Vide in litera alienum, parte tertia, in dictionario meo.

## Quorum filij ſicut nouellæ plantationes, in iuuentute ſua. 2510

Hic improbat illos qui ponunt felicitatem ſuam in ſucceſſione filiorum & nepotum. Sed quantum ad literam ſpectat, Dauid iſta bona quæ hic ponit: ſcilicet multiplicationem filiorum & ornatum filiarum, &c. nō videtur improbare: ſed magis à Deo illa poſtulare: quod patet ex trāſlatione Hieronymi, quæ ſic dicit, *Vt ſint filij noſtri quaſi plantatio creſcentes in adoleſcentia ſua*: id eſt, vt filij Iſrael iuuenes multiplicentur, & proficiant in virtute corporis & mentis. Sed hoc non videtur verum: nam omnia bona iſta temporalia quæ hic enumerat Pſal. inferius, non affectat: ſed magis illa improbat: dicens, Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, &c. Dicēdum quòd iſta nō refert Dauid ad populum Iſrael, illa poſtulans: ſed iſta refert ad Philiſthæos, qui iſtis bonis abundabant: vnde ſe beatos putabant. Vnde de Philiſthęis dicit, *Quorum filij ſicut nouellæ*, &c. quia in multiplicatione filiorum abundabant. Quātum verò ad ſenſum myſticum: Pſal. vult improbare illos qui in iſtis felicitatem eſſe putant. Et primò ponit de multiplicatione filiorum: dicens, *Quorum filij*, &c. Multi enim totam felicitatem ſuam ponunt in filiis.



filiis. Quod patet ex hoc, quia omnia mundi expēdunt pro ipſis nutriendis, ſeipſos laboribus ſubiiciunt & incommodis: quinimò pro ipſis ſeipſos & animam ſuam venalem faciunt: & non ſolùm ad tempus, ſed in perpetuum diabolo tradunt. *Felicitas non eſt in filiorū multitudine.* Sed hęc eſt falſa & vana felicitas. probatur, quia multoties multiplicatio filiorum, augmentatio eſt infelicitatis. Nónne multoties filij contra parētes inſurgunt? *Gen.9.* Sic enim filij duo Noe patrem deriſerunt. *2.Reg 15.* Sic Abſalon filius Dauid patrem perſequutus expulit de regno, & ipſius mortem quærebat. *4 Reg.19.* Sic & Sennacherib, rex Aſſyriorum, à duobus filiis ſuis fuit interfectus. Quid ad hoc expedit antiqua exempla producere, cùm quotidie in his noua videmus exempla? vnde Matth. 10, dicitur, Tradet frater fratrē in mortem, & pater filium: & ſurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Quomodo ergo poteſt eſſe vera felicitas in filiis, qui patrem perſequuntur *Ecclef.32.* & extinguunt? Ideo dicitur, A filiis tuis caue, & à domeſticis tuis attende. Præterea, ſi filiis abundes, & nō diuitiis, filiorū amore miſer es. Si filiis abundes & diuitiis, inſidiatores illos habes, quia quanto ditior es, quanto potentior: tanto amplius inſidiantur vitæ tuæ, & mortem tuam quærunt.

## 2511 Filię eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.

Hic improbat eos qui ponunt felicitatē in bonis corporalibus: vt eſt pulchritudo corporis, vel fortitudo. Quantum ad literam, vt dicunt aliqui, petit vt filiæ populi Iſrael pulchritudine corporali polleant, &c. Sed hoc improbatur, vt de multitudine filiorum dictum eſt in præcedenti verſiculo. Sed hic vult deteſtari Philiſthæos, qui gloriabātur in pulchritudine filiarum ſuarum & ornatu: quia in talibus nō vera ſed falſa felicitas conſiſtit. Et eſt ſenſus, quòd filiæ eorum ſunt compoſitæ, id eſt, bene proportionatæ membris corporalibus, & ornatę ornamentis exterioribus: ſicut templa in feſtiuitatibus ornantur. *Felicitas non eſt in bonis corporalibus.* Sed in hoc vera felicitas non cōſiſtit. Probatur, quia bona corporalia ſunt principaliter tria: ſcilicet robur, ſanitas, & pulchritudo. Sed quòd vera felicitas non cōſiſtat in aliquo iſtorum, patet. Primò quia talia ſunt bona corporalia, quia habēt eſſe in corporibus vt in ſubiecto. Nam ſanitas eſt in humoribus, pulchritudo in membris: robur autem in oſſibus & neruis. Nam ſanitas eſt debita æquatio humorum: pulchritudo, debita menſuratio membrorum: robur, debita proportio oſſium & neruorū. Cùm ergo omnia iſta ſint corporalia, in eis non poteſt eſſe felicitas: quæ conſiſtit in potiori parte hominis, vt vult Phil. 10. Ethic. Secundò in talibus non conſiſtit felicitas, quia talia ſunt bona exteriora. Nam homo, ſecūdum philoſophum, eſt magis intellectus quàm ſenſus: quia magis dicitur homo ſecundum intellectum, quàm ſecundum ſenſum: quia anima plus eſt de ratione hominis, quàm corpus: quia forma ſimpliciter magis dicit naturam rei, quàm materia. Illa igitur ſunt maxima bona noſtra, quæ ſe tenēt ex parte animæ, & non quæ ſe tenēt ex parte corporis. Cum igitur felicitas ſit ſummum bonum hominis, in melioribus bonis poni debet. Ergo non in ſanitate, pulchritudine, vel fortitudine corporis. Nō igitur quis ſe credat beatum, ſi corporis ſui habeat æquatos humores, & ſit ſanus corpore: vel ſi habeat conformia membra, & ſit pulcher: vel ſi habeat debitam proportionē oſſium & neruorum, & ſit fortis. Sed magis ſi habeat æquatas animæ potentias: vt inferiores potētiæ ſubſint rationi, & ſi ſit ſanus & fortis mente, & huiuſmodi potentias habeat ornatas virtutibus & bonis moribus: vt ſit pulcher in anima: tunc magis ſecundum morales philoſophos ſe credat eſſe beatum. Et hoc atteſtatur Phil. 7. Polit, dicens quòd nobis Deus teſtificatur, quòd felicitas in bonis exterioribus ponenda non eſt: quia ipſe Deus non eſt beatus per aliqua bona exteriora: ſed per ea quæ ſunt in ſeipſo. Cùm igitur anima bona aſſimiletur Deo, non erit beata, niſi per bona quæ ſunt in ſeipſa: & non per ea quæ ſunt in corpore. Tertiò in talibus bonis non conſiſtit vera felicitas: quia ſunt valde mutabilia & non permāſura: quòd patet. Æquatio enim humorum cùm ſubſit motui cœleſtium corporum: ideo variatio aëris, mutatio ciborum, de facili variationem recipit. Sed amiſſa ſanitate, amittitur robur corporis: quia laſſantur membra, debilitantur nerui: propter quæ tollitur proportio illa oſſium & neruorum in quibus robur corporis cōſiſtit. Tollitur etiam pulchritudo, quia amiſſa ſanitate, membra fiunt macilenta, non remanet in eis color debitus: & ſic deficit corporis pulchritudo. Ex prædictis ergo patet quòd falſa & vana eſt illorum opinio, qui felicitatem in bonis corporis ponunt: ſicut illi de quibus nunc ait Pſal. *Filiæ eorum compoſitæ*, &c. Et hic nota quòd eſt *Ornatus multiplex.* duplex ornatus: ſcilicet quidam bonus, & quidam malus. Ornatus bonus eſt triplex: ſcilicet gratiæ, quo ad conſcientiam: Iob 26, Spiritus eius ornauit cœlos. Sapientiæ, quo ad eloquentiam: Prouer. 15, Lingua ſapientium ornat ſcientiam. Latriæ, quo ad Dei reuerentiam: 1. Machab. 4, Ornauerunt faciem templi coronis aureis. Et iſte ornatus nō reprehenditur, ſed magis ſuadetur: 1. Tim. 3, Oportet epiſcopum eſſe ornatum, pudicum, &c. Ornatus autem malus ſimiliter eſt triplex: ſcilicet ſuperfluæ laſciuiæ: ſicut fuit ornatus Iezabel quæ depinxit oculos ſuos, & ornauit caput ſuum immoderatè. *4.Reg.9.* Auaritię: Ezech. 16, Ornata eſt auro & argento. Simulatæ apparentiæ: Matth. 12, Inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam, &c. Et iſte ornatus à Pſal. hic deteſtatur: cùm dicitur, *Filiæ eorum circumornatæ*, &c.

## Promptuaria eorum plena, eructātia ex hoc in illud. 2512

Hic improbat eos qui ponūt felicitatem in terrenis fructibus: vt ſunt frumentum, vinum & huiuſmodi. Et vt dictum eſt, hic non poſtulat iſta, ſed magis deteſtatur. Vbi nota quòd promptuarium, *Promptuariū eſt cellarium vetus.* arij, dicitur cellarium: quia inde neceſſaria victui proferuntur. Differt tamen promptuarium à cellario: quia promptuarium eſt longi temporis, cellarium autē paucorum dierum. *Promptuariū & cellarium differunt.* Dicūtur ergo promptuaria plena, quando ex magna abundantia frugum terræ: ſcilicet frumenti, vini & huiuſmodi, oportet quòd ex vno loco transferantur ad aliud. Eructare enim eſt ructum facere, extra emittere. Vnde ſicut venter cibo plenus eructat: ſic & dictū, *Promptuaria ex hoc in illud eructant*: vtputa quādo tātum bladum eſt in vno promptuario, quòd caleſit: tunc eructatur in aliud, vt frigeſiat, &c. Illos ergo qui felicitatem in talibus fructibus ponunt, hic deteſtatur Pſal, nec mirum. Vbi ſciendum quòd ſecundum philoſophum. 1. Polit. duo ſunt genera diuitiarum: quia quædam ſunt naturales, quædam artificiales. Naturales diuitiæ ſunt illæ, quæ ex rebus

bus naturalibus oriuntur: cuiuſmodi ſunt quæ naſcuntur ex terra: vt frumentum, vinum, oleum: & huiuſmodi. Artificiales autem diuitiæ, quæ per artem & induſtriam hominum ſunt inuentæ: vt aurum, argentum, pecunia. Et quia naturales diuitiæ ſunt meliores & potiores, ideo Pſal. ſolùm improbat felicitatem in illis conſiſtere: quia ſi in naturalibus diuitiis non conſiſtit felicitas, multo minus in artificialibus. Quòd autem vera & moralis felicitas non conſiſtat in diuitiis nec artificialibus nec naturalibus: probatur. & primò de artificialibus. Ad quod probandum tangit Philoſophus tria, 1. Polit. Primò quia ordinãtur ad aliud: ſecundò quia talia habent quòd ſint diuitiæ ex ordinatione hominum: tertiò quòd ſecundum ſeipſas indigentiæ humanę non ſatisfaciunt. Ex primo probatur propoſitum, quia felicitas cùm ſit ſummum bonũ hominis, ad aliud bonum nõ ordinatur. Et ideo quia diuitiæ artificiales ad naturales ordinantur, rationem felicitatis habere nõ poſſunt. Ex ſecundo probatur propoſitum, quoniam vera felicitas hominis eſt ſecundum ſe, non ſecundum ordinationem hominum. Vnde (vt dicitur 7. Polit.) tranſmutata diſpoſitione, vtentium huiuſmodi diuitię nullam habent vtilitatem. Quòd enim tot denarij valeant tãtum frumẽtum, hoc eſt ex ordinatione hominum. Ex tertio probatur propoſitum, quia talia bona per ſe non ſatiant indigentiã noſtram. Poteſt enim contingere (vt dicitur 1. Polit.) quòd quis diues pecunia, fame moriatur. Recitat enim ibi de quodam qui vocabatur Meda, quòd cùm nimis eſſet auidus auri (vt fabuloſè dicitur) impetrauit à Deo, vt quicquid tangeret, fieret aurum. Cùm ergo tactus reſeruaretur in ſingulis partibus corporis, etiam ore nihil tangere poterat quod non conuerteretur in aurum. Erat enim ſibi magna copia auri, & tamen fame periit: quod eſſe non poſſet, ſi artificiales diuitiæ defectus noſtros per ſe ſatiare poſſent. Non ergo conſiſtit felicitas in artificialibus diuitiis: ſed quòd non in naturalibus, oſtenditur. Nam cùm felicitas ſit bonum optimum, in optimo noſtro debet quæri. Cùm ergo anima ſit potior corpore, felicitas non eſt ponenda in talibus diuitiis naturalibus, quæ ſunt bona corporis: ſed magis in bonis animę, vt puta in actibus virtutum. Quid ergo proderit homini, ſi eius promptuaria ſint plena & eructantia, ſi bonis animæ non fulciatur? Vnde talibus in diuitiis ponẽtibus felicitatem, dicitur Eſa. 3, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.

*Felicitas in diuitiis non cenſetur.*

*Auarus moritur fame.*

2513 Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis: boues eorum craſſę.

Hic conſequenter improbat eos qui felicitatem ponunt in ouibus & animalibus terræ. In talibus enim non eſt ponenda felicitas, quia talia pertinẽt ad diuitias naturales: in quibus felicitas nõ conſiſtit, vt in præcedenti verſiculo eſt oſtenſum. Quantum autem ad literam, notandum quòd dicit, *Oues eorum fœtoſæ*: quòd fœto, fœtas, idẽ eſt quod parere vel generare. Et inde fœtoſus, oſa, ſum, dicitur animal multum generans vel pariens. Et ſic dicuntur oues fœtoſæ, quia multos fœtus pariunt. Item notandum quòd dicit, *boues eorum craſſæ*: quòd bos, bouis, eſt communis generis. Hic ergo per oues & boues intelligit omnia alia animaliũ genera, quę ſpectant ad diuitias naturales. Nam vt dicit Greg. ſuper illo verbo Iob 21, Bos eorum concepit: vulgaris locutionis vſus eſt, vt bouẽ maſculum, & vaccam fœminam vocent. Sed literaturæ locutio bouem communis generis appellat.

*Fœtoſus quid eſt.*

*Bos eſt communis generis. Greg. 15. moral. cap. 15.*

Non eſt ruina macerie, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. 2514

Hic improbat eos qui felicitatẽ ponunt in diuturnis ſucceſſibus, ſcilicet in longitudine proſperitatis; quorum bona ſcilicet diu durant, quorum trãquillitas nõ infeſtatur, quorũ filij ſunt longæui, & huiuſmodi; quæ notat per verba dicta. Nam per maceriem intelligit ipſorum ædificia, quæ diu permanent: dicens, *Non eſt ruina macerie*. Per tranſitum intelligit debilitatẽ loci vnde captiui poſſunt exire & fugere: dicens, *Neque tranſitus eſt*. Quaſi dicat, Habent ædificia fortia, in quibus tranſitus nõ eſt, ſeu non patet captiuis. Per clamorem autem intelligit vlulatum & planctum: vt puta quando hoſtes inuadunt ciuitatem. Vnde dicit, *Neque clamor in plateis eorum*. Quaſi dicat, Ita fortes habẽt ciuitates, quòd non timent incurſum hoſtium, vnde ſit eis neceſſe clamare. Vel per clamorem intellige vlulatum ſuper mortuos: dicẽs ergo, *neque clamor in plateis eorum*, vult oſtendere quòd tales cum ſuis familiis diu viuunt: & ſic inter eos non eſt luctus mortuorum. Sed neq; in tali duratione proſperitatis temporalis eſt ponẽda felicitas noſtra: quod probatur, quia omnia iſta ſupradicta poſſunt contingere malis. Mali autem felices eſſe non poſſunt. Vnde quòd in omnibus præmiſſis, non conſiſtat felicitas, oſtẽdit Iob, oſtendens quòd malis omnia prædicta cõtingunt: & tamen ſubitò ad infernum deſcendunt: dicens, Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt confortatíque diuitiis: ſemen eorum coram eis permanet: propinquorum turba & nepotum in cõſpectu eorum: domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ: non eſt virga Dei ſuper illos: bos eorum concepit, & vacca peperit: egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus? Tenent timpanum & citharam: gaudent ad ſonum organi: ducũt in bonis dies ſuos. Sed quid ſequitur? Et in puncto ad infernum deſcẽdunt. Per iſta intelligit omnem proſperitatem quam mali in præſenti poſſunt habere: & tamen non ſunt beati, quia in puncto ad infernum deſcendunt. Quod deducit Gregor. prædicta verba exponendo: dicens, Quare impij viuũt? Niſi enim patientia diuina eos toleraret, nequaquã diu vitam in peccatis ducerent. Subleuantur namque diuitiis, cum eſſe peccatores incipiunt: cõfortantur verò, cum in hac vita diu ſubſiſtere permittuntur. Quos enim ſubſtantia eleuat, in faſtu ſuæ potentiæ dierum longitudo confortat. Vel certè ſubleuati & confortati referuntur, quia ſubleuantur honoribus, confortantur rebus. Sed ſunt plerique qui honoribus ſubleuati & diuitiis confortati, ea quæ in hac vita concupiſcunt, accipiunt: ſucceſſione autem ſobolis priuantur. Iſtis nimirũ ipſa potentia ſua pœna eſt, cum & magnam ſe habere hæreditatem conſiderant, & hæredes non habent quibus relinquant. Quid itaque prodeſt, ſi aſſunt omnia, & deſint filij qui ſucceſſores fiant? Ideo ſequitur, Semen eorum coram eis permanet. In augmentum magnæ felicitatis, cum magno patrimonio dantur & hæredes. Ac ne qua neceſſitas tẽporalis ſaltem ab oculis ſubtrahat eos, in quibus animus exultat: de hoc eorum ſemine dicitur, quòd permanet coram eis. Quid autem ſi filij dati ſunt, ſed ipſi ſterilitate feriuntur, ſi in eis genus extinguitur: ſicut parentum ſterilitate extingui timebatur?

*Proſpera mali habent.*

*Iob 21.*

*Felicitas non eſt in bonis temporalibus. Greg. 15. moral. cap. 18.*

*Diuitiæ ſine filiis ſunt ad pœnam.*

*Proſperitas iniquorum.*



tur? Ideo ſequitur, Propinquorum turba & nepotum in cõſpectu eorum. Ecce adeſt vita: aſſunt honores & diuitię: aſſunt filij: aſſunt & nepotes. Quid ſi qua mentem inteſtina cogitatio exurat, & ſecuritatis gaudia, domeſtica rixa tranſuerberet? Quæ eſt huius vitæ felicitas, ſi læta non eſt? Ideo ſequitur, Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ. Non eſt virga Dei ſuper illos. Securæ & pacatæ ſunt, quia peccantes viuunt, lugenda agunt, & gaudia eos nõ relinquunt. Virga eos ſupernæ diſciplinę non percutit: & tanto amplius in culpa proficiunt, quanto minus ex culpa feriuntur. Sed quia quæ intus proſperantur audiuimus: in agris quoque quî proſperitas arrideat, videamus. Vnde ſequitur, Bos eorum concepit, & vacca peperit, & non eſt priuata fœtu ſuo. Gregum prima eſt felicitas, ſi grex ſterilitatem non habens concipit: ſecunda, ſi conceptus ad partum venit: tertia autem, ſi hoc quod partum eſt, per nutrimentum ad perfectum ducatur. Vt ergo tota felicitas ſimul adeſſe impiis demonſtraretur ex eorum gregibus, beatus Iob aſſerit eorum greges concepiſſe, peperiſſe, & fœtu proprio non eſſe priuatos. Minor autem eſt felicitas, ſi cum greges creſcunt, cuſtodes quoque gregum nõ proficiunt: Vnde & ad fœcunditatem gregum mox fœcunditas familiæ ſubrogatur. Nam dicitur, Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus: vt ſicut maiora ad habendum conceſſa ſunt, ita multi germinent ad cuſtodiendum. Sed quia dixit, Exultãt luſibus, ipſum quoque infantium ludum in domo iniquorum ne vilem valde eſſe crederemus, ſubiungens ait, Tenent timpanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: acſi diceret, Cùm domini honoribus & rebus tument, ſubiecti in ludicris actibus gaudent. Ecce ergo quàm plena eſt iniquorum proſperitas. Sed audi quod ſequitur. Vnde ſubdit Greg. Sed ô beate vir, quid tam multa nobis de iniquorum voluptatibus narras? Iam diu eſt quòd in eorum deſcriptionibus loqueris: poſt multa breuiter diſtingue de ipſis quid ſentis. Sequitur, Ducunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad infernum deſcendunt. Ecce beate vir, eorum gaudia diu narrabas: quomodo nunc aſſeris, quòd in puncto ad inferna deſcendũt? Niſi quòd omnis longitudo temporis vitę præſentis, punctus eſſe cognoſcitur, cum fine terminatur? Ecce ergo quàm plenam proſperitatem deſcripſit malorum. Sed nunquid in ipſa felices exiſtunt, qui in puncto ad infernum deſcendunt? Quicunque ergo tales proſperitatem temporalem habentes dicunt eſſe felices, ipſi mentiuntur: quod patet ex fine eorum, quia in puncto ad infernum deſcendunt. Et hoc eſt quod Pſal. ſubdit, dicens,

*Triplex eſt in grege felicitas.*

2515 Beatum dixerunt populum cui hęc ſunt: beatus populus cnius dominus Deus eius.

Hic concludit felicitatem Chriſtianorum eſſe veram, quæ conſiſtit non in rebus temporalibus, ſed in domino Deo. Quaſi velit Pſalm. dicere, Non arguo prædicta, tanquam ſint mala: ſed arguo in ipſis felicitatem eſſe ponentes. Nam prædicta habuerunt multi ſancti Dei: ſed illis vtebantur tendentes ad finem, non in ipſis finem ſuum ponẽtes. Illa enim faciunt felicitatem ſiniſtræ: ſed felicitas dexteræ conſiſtit in Deo. Vnde hic ait Auguſt. Interrogo vos fideles membra Chriſti: habere filios incolumes, filias pulchras & ornatas: plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam, non dico parietis, ſed neque ſepis: nullum tumultum & clamorem in plateis: ſed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in ciuitatibus: nónne eſt iſta felicitas, aut eam iuſti fugere debent? Nónne erat domus Abrahæ abundans auro, argento, familia, filiis, pecoribus? Nónne Iacob ſanctus fugiens à facie Eſau in Meſopotamiam, ſeruiens ditatus regreſſus eſt, magna copia pecorum & filiorum? Quid ergo dicimus: nónne eſt iſta felicitas? Felicitas eſt, ſed ſiniſtra: quia temporalis, corporalis, mortalis. Nolo vt illam fugias: ſed ne dexteram putes. Non enim iſti ideo maligni, non vani, quia iſtis abundant: ſed quia illud quod ſiniſtrum eſſe debuit, in dextro ponebant. Ideo dictum eſt, Dextera eorum, dextera iniquitatis: ideo os eorum locutum eſt vanitatem. Quid enim in dextera ponere debuerant? Quid? Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes. Ibi dextera noſtra: ibi eſſe debet deſiderium noſtrum. Siniſtra vtamur ad tempus: dexteram deſideremus inæternum. Etenim diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Non ergo eos arguo, quia filij eorum ſicut nouellæ plantationes: non quia filiæ eorum circumornatæ vt ſimilitudo templi: neque quia cætera abundantia & pax æterna aderat eis. Sed hoc arguo, quia beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. Sed quid tu Dauid? tu corpus Chriſti quid dicis? *Beatus populus cuius dominus Deus ipſius.*

*Tẽporalia & diuitias habere non eſt malum, ſed in illis ponere finem.*

*Gen. 12.*

*Gen. 32.*

*Pſal. 61.*

## PSALM. CXLIIII.

EXaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum & in ſæculum ſæculi. 2516

Titulus huius Pſal. eſt, Hymnus Dauid. Vbi notandum quòd hymnus dicitur laus Dei facta cum cantico, vel cum exultatione. Et ideo ſi non ſit laus Dei, poſito quòd ſit cum exultatione: propriè non dicitur hymnus. Et conſimiliter ſi ſit laus Dei, & non ſit cum cantico vel cum exultatione: non dicitur propriè hymnus. Vt puta: ſi quis laudaret Deum cum fletu: vt quando quis in aduerſis poſitus, Deum laudat. ſicut fecit Hieremias in Threnis. Ex hoc ergo quod dicit titulus Hymnus Dauid, oſtenditur quòd Dauid iſtum Pſalmum fecit laudando Deum cum lætitia & exultatione. Materia autem huius Pſalmi eſt laus diuina: qui agit de omnibus modis diuinæ laudis. Vbi ſciendum quòd nouem ſunt materiæ laudis diuinæ: ſcilicet opera, potentia, magnificentia, ſanctitas, mirabilia, virtus terribilium, magnitudo, memoria & iuſtitia. Ex iis enim quaſi ex ſeminibus omnis diuina laus trahitur: quemadmodum omnia argumenta de paucitate locorum trahuntur: vt dicetur inferius. Item notandum quòd iſte Pſalmus cum omnibus ſequentibus pertinet ad Dei laudem. Et ſunt ſeptem: quia ſicut ſunt ſeptem Pſalmi pœnitentiæ, ſic ſunt ſeptem Pſalmi laudis, quibus in die laudandus eſt Deus: ſicut alibi ait, Septies in die laudem dixi tibi. Sicut etiam ſeptem ſunt ſpiritus gratiarum, qui laudes Dei concinunt: ſicut dicitur Apocalip. 4. Et hoc in antiquo teſtamento fuit figuratum:

*Laudis diuinæ nouẽ ſunt materiæ.*

ſcilicet Exod.25. vbi præcepit dominus Moyſi vt in tabernaculo poneret ſeptem lucernas perpetuo lumine lucentes. Intentionem monet ad Dei laudem. Quibus viſis, venio ad Pſalm. diuiſionem: qui diuiditur in duas partes: quia primò Dauid Deum laudat: ſecundò ad Deum laudandum alios excitat:ibi, *Generatio*. Prima diuiditur in tres partes: quia Dauid primò diuinæ laudis ſuũ oſtendit propoſitum: ſecundò diuinæ laudis tempus oſtendit continuum:ibi, *Per ſingulos dies*: tertiò diem laudis oſtendit excellens debitũ:ibi, *Magnus dominus*. Quãtum ad primum, Dauid oſtendit ſuum propoſitum circa laudẽ Dei:dicẽs, *Exaltabo te Deus meus rex*. Vocat ipſum Deũ ratione creationis:vocat ipſum ſuũ ratione fidei & ſingularis deuotionis:vocat ipſum regẽ, ratione generalis omnium gubernationis. *Et benedicã nomini tuo in ſæculum*. Vbi notandũ quòd benedictio eſt nomen compoſitum. quãdoque enim componitur ex bono & do, das: & ſic benedictio eſt boni datio:& benedicere eſt alteri bonum dare. Et iſto modo benedicere ſolum ad maiores ſpectat: & ſic creatura benedicere Deum non poteſt, quia nullum bonum Deo dare poteſt:Pſal.15, Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorũ non indiges. Sed Deus iſto modo nobis benedixit. Sic enim loquitur Apoſtolus Ad Hebr.7, dicens, Sine vlla contradictione, quod minus eſt, à maiore benedicitur. Et ſic nos Deus multipliciter benedixit:vide verſ.1964. Quãdoque verò benedictio cõponitur ex bene & dico, dicis. Et ſic benedicere idem eſt quod de aliquo bonũ dicere, vel aliquem laudare. Quod contingit dupliciter: ſcilicet voce: ſicut Simeon benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis, &c. Quandoq; verò ſigno vel opere: etſi nõ voce. Et ſic benedicere idem eſt quod obſequi, ſeruire, obedire. Sic enim ſancti angeli benedicunt dominum, dum eius voluntati obediũt:Pſal.102, Benedicite dominum omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem eius. Sic etiam omnis creatura Deum benedicit:Dan.3, Benedicite montes & colles domino, &c. Iſto ergo modo nos benedicimus Deum. Quod contingit multipliciter:vide ver.502. Iſto ergo modo benedictionis ait Pſal. *Et benedicam nomini tuo*:& hoc, *in ſæculum ſæculi*. Quod ideo dicit Pſal. nõ quòd ſe crederet viuere ſemper, & ſemper Deum laudare:ſed quia prȩuidit quòd iſte Pſal. ad Dei laudem vſque in finem ſæculi eſſet decantandus. Vel per ſæculum ſȩculi, intellige ȩternitatem, quæ omne ſæculum continet. Et eſt ſenſus:Prȩdicando laudabo te hic & inæternum: quia qui hic non incipit laudare Deum, in alio ſȩculo à laude Dei mutus erit. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſt. dicens, *Benedicam nomini tuo in ſæculum & in ſæculum ſæculi. In ſæculum ſæculi*, hoc eſt inæternum. Modò enim incipis laudare: ſed inæternũ laudaturus es. Qui enim laudare non vult in tranſitu huius ſæculi, obmuteſcet cum venerit ſæculum ſæculi. Dicat ergo Pſal. *Exaltabo te Deus meus*. Sed quomodo Deus poteſt exaltari, cum ſit immenſus? vide ver.421. Notandum etiam quòd Deus exaltatur à nobis multipliciter. Primò per famam: Eſa.2, Et exaltabitur dominus ſolus in die illa, &c. Per intelligentiam:Pſal.63, Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Tertiò per manifeſtam potentiam:Pſalm.20, Exaltare domine in virtute tua. Vel aliter:iſta verba poſſunt intelligi dicta Chriſto homini, qui etiam verus Deus erat: *Exaltabo te Deus meus rex*. Et tunc nota quòd Chriſtus multipliciter fuit exaltatus. Primò per paſſionem: Ioan.12, Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Et Ioan.3, Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis, &c. Secundò per reſurrectionem: Phil.2, Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c. Eccleſ.11, Sapientia humiliati exaltabit caput illius. Tertiò per aſcenſionem:Pſal.8, Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos: & Pſalm.20, Exaltare domine in virtute tua. Et alibi, Exaltatus es ſuper omnes cœlos. Quartò per gentium conuerſionem:Pſal.45, Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Quintò per vltimi iudicij executionem:Eſa.52, Exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Et Pſalm. Exaltare ſuper omnes cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Quibus præuiſis, dicit Chriſto Pſalm. *Exaltabo te Deus meus rex*.

*Benedicere eſt duplex.*

*Lucæ 2.*

*Exaltatur Deus à nobis multipliciter.*

*Exaltatur Chriſtus multipliciter.*

## Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum & in ſæculum ſæculi. 2517

Hic oſtendit laudis debitũ tempus continuum. Hoc quantum ad literam. Ideo Pſalm. dicit, quia ſingulis diebus aliqua certa hora vel pluribus diuinis laudibus inſiſtendum. Nec immeritò: quoniam ſicut non eſt dies in qua beneficia Dei non recipias:ſic nulla dies ſine Dei laude præterire debet à te, ne inueniaris ingratus. Et non ſolùm per ſingulos dies benedicebat Dauid dominum: ſed omni die pluries. Pſalm.118, Septies in die laudem dixi tibi. Et non ſolùm ſepties, immò continuè diuinis laudibus erat occupatus:Pſal.33, Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. vide verſic.502. Vel aliter, vbi ſciendum quòd dies præſentis vitæ ſunt duplices. Quidam ſunt lætitiæ & proſperitatis:Pſalm.117, Hæc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Alij ſunt dies pœnitentiæ vel aduerſitatis: 1. Machab.1, Dies feſti conuerſi ſunt in luctum. Quid eſt ergo per ſingulos dies benedicere dominum, niſi in tempore aduerſitatis & proſperitatis Deum laudare? Benedixit dominum in die aduerſitatis Iob: quando rebus perditis, orbatus filiis, in carne flagellatus, in vocem laudis prorupit, dicens, Dominus dedit, &c. ſit nomen domini benedictum. Benedixit dominum in die proſperitatis Tobias: qui recepto filio ſuo cum multis diuitiis, & illuminatus per Angelum, in vocem laudis prorupit, dicens, Benedicite dominum, & coram omnibus confitemini illi: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Et iſtum intellectum hic ponit Auguſtinus dicens, *Per ſingulos dies benedicam tibi*: id eſt non tranſiet dies quo te non benedicam. Nec mirum eſt, ſi in læto die tuo benedicis Deum tuum: quòd ſi fortè aliquis luxerit dies triſtis, ſicut eſt abundantia ſcandalorum, multiplicatio tentationum; deſines tu fortè benedicere creatorem tuum? Si deſinis, mentitus es dicendo, *Per ſingulos dies benedicam tibi*. Si autem non deſinis: & ſi in die triſti tibi malè eſſe videtur, proculdubio in Deo tuo bene tibi erit. Et quid eſt tantũ bonum in quo tibi bene poſſit eſſe, ſicut eſt Deus tuus? Nam ſi gaudes de bono quod tibi accidit per diẽ: fortaſſe illud bonum tranſiet alia die, & dices, Bene mihi fuit:lætã diem duxi, quia fortè lucra venerunt, aut in epulis vel voluptatibus fuiſti: veruntamẽ de quocunque tali bono gaudeas, tale bonum tranſitorium eſt. Si autem gaudes de domino Deo tuo: tanto firmius gaudebis, quanto eſt ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem: ſi autem gaudes de Deo, quid times? Deũ nemo tibi auferre poteſt, ſi tu eum non dimiſeris. Vides ergo qualiter per ſingulos dies Deum benedicas in proſperis & in aduerſis. O quàm triſtis erat dies qui ſancto Iob acciderat: cui ſubitò ſubtracta ſunt omnia, filij mortui ſunt! Vir ille ſanctus tamen aliud habebat vnde gaudebat, ſcilicet Deum: vnde in vocem laudis protinus erupit, dicens, Dominus dedit, &c. ſit nomẽ domini benedictum. Ergo per ſingulos dies Iob Deum laudauit: qui etiam in die tam triſti Deum laudauit. Breue myſteriũ eſt, vt laudes Deũ. Nõ te credas à miſericordia eius derelinqui: qui tibi aut blanditur dando, aut corripit exultantem, ne pereas. ſiue ergo in eius donis, ſiue in eius flagellis, lauda eum. Laus flagellantis, medicina eſt verberis.

*Laudandus eſt Deus omni tẽpore: ſcilicet aduerſitatis & proſperitatis.*

*Iob 1.*

*Tobiæ 11.*

*Gaudium noſtrum de Deo eſſe debet.*

*Iob 1.*

## 2518 Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ eſt finis.

Hic laudis diuinæ oſtendit excellens debitum. Quælibet enim res eſt tantæ laudabilitatis quantȩ eſt bonitatis. Cum igitur Deus ſit bonitatis immẽſæ, ſequitur quòd eſt immẽſæ laudabilitatis. Et hoc eſt quod dicitur Eccleſ.43, Benedicẽtes dominum, exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Quòd multipliciter autem Chriſtus ſit magnus, vide ver.775. Ne autem putes te ſufficienter Deum poſſe laudare:dicit quòd *laudabilis eſt nimis*, id eſt, vltra vires tuas: *& magnitudinis eius non eſt finis*: vt ſcilicet ſicut magnitudo illius finem nõ habet, ſic nec laudatio tua finem habeat. Vnde hic ait Auguſt. *Magnus dominus & laudabilis nimis*. Quantam conceptionẽ incluſit, dicens, *Et laudabilis nimis*. Cogita quantum vis. Quomodo autem poteſt cogitari, qui capi non poteſt? *Laudabilis eſt valde, & magnitudinis eius nõ eſt finis*. Quod ideo dicit, ne incipias velle laudare:& putes te laudando poſſe finire, cuius magnitudo finem non poteſt habere. Noli ergo putare te ſufficiẽter poſſe illum laudare, cuius magnitudinis non eſt finis. Illius magnitudo ſine fine eſt:& tua laudatio ſit ſine fine. Nam cùm mortuus fueris in hac carne, deſinis laudare Deum. Et ſic dictum eſt, Non mortui laudabunt te domine:de illis dictum eſt, à quibus perit confeſſio. Sed quomodo laudabimus, quem intellectu capere nõ poſſumus? Reſpiciamus eius opera: & de operibus laudemus operantem, de cõditis conditorẽ, de creatura creatorẽ. Et nota quòd Deus multipliciter dicitur magnus in potentia. Primò eſt magnus in potẽtia omnia ſuperãte. Magna potentia Dei ſolius: & ab humilibus honoratur. Secundò eſt magnus in ſapientia omnia gubernante. Omnes homines vident eũ: vnuſquiſq; intuetur eũ procul: ecce Deus magnus vincens ſcientiã noſtram. Tertiò eſt magnus in iuſtitia omnia regulante. Magna iudicia tua domine. Quartò eſt magnus in miſericordia omnia conſeruante. Magna ſcientia Dei, & propiciatio eius omnibus conuertentibus ad ſe. Quæ omnia attendens Pſalmiſta ait, *Magnus dominus & laudabilis nimis, &c.*

*Laudari debet Deus ſine fine.*

*Pſal.113*

*Eccleſ.17.*

*Magnus eſt Deus multipliciter.*

*Eccleſ.3.*

*Iob 36.*

*Sapien.17.*

*Eccleſ.22.*

## 2519 Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiã tuã pronunciabunt.

Hic ad Dei laudem alios excitat. Et tria facit; quia primò excitat patres veteris teſtamenti:ſecũdò patres noui:ibi, *Confiteantur*:tertiò omnes in cõmuni: ibi, *Alleuat dominus*. Prima pars diuiditur in partes quinque, ſecundum quod ex multis Deum laudandũ oſtendit:primò ex ſuis operibus & potẽtia: ſecundò ex ſuis mirabilibus, ſanctitate & magnificentia:ibi, *Magnificentiam*:tertiò ex virtute terribili & magna diligentia:ibi, *Et virtutem*:quartò ex abundãtia ſuauitatis & recta iuſtitia:ibi, *Memoriam*: quintò ex miſericordia & multa patientia:ibi, *Miſerator*. Quantũ ad primum, antiquis patribus oſtẽdit Deum laudandum ex potẽtia in operationibus ſuis eis oſtenſa, dicẽs, *Generatio & generatio laudabit*, id eſt, laudet. Nam Hebrȩi loco verbi optatiui vtũtur futuro indicatiui modi: vt laudabit, id eſt, laudet. Dicit ergo, *Generatio & generatio*. Vbi ſciendum quòd in antiquo teſtamento, ab Abraham vſq; ad Chriſtum maximè duæ generationes diſtinguuntur: quarum prima ab Abraham vſque ad captiuitatem Babylonis: ſecunda à captiuitate Babylonis vſque ad Chriſtum. Sic enim totã ſeriem antiquorum patrum per illas duas generationes videtur diſtinguere euangeliſta Matthæus in Chriſti genealogia, dicens, Ioſias autem genuit Ieconiam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. Et poſt trãſmigrationem Babylonis, &c. Dicit ergo, *Generatio & generatio*: vt ly generatio prima referatur ad patres præcedentes tranſmigrationem Babylonis: & generatio ſecunda referatur ad patres ſequentes dictam tranſmigrationem. De iſta ergo generatione ait, quòd *laudabit opera tua*, &c. Vel aliter: dicendum quòd duplex eſt generatio, quȩ Deum laudat: ſcilicet generatio qua in præſenti per fidem naſcimur filij Dei: & generatio futura, qua per reſurrectionem regenerabimur immortales. de qua dicitur Matth.19, In generatione cũ ſederit filius hominis, &c. Prima generatio laudat in præſenti: ſecunda laudat in patria. Et hunc intellectum ponit hic Auguſt. dicens, *Generatio & generatio*, &c. Duas quaſdam generationes inſinuare voluit iſta repetitio. Sumus enim in hac generatione filij Dei: erimus in alia generatione filij reſurrectionis. Appellauit ſcriptura filios reſurrectionis ipſam reſurrectionem, quam regenerationem vocauit, dicens, In regeneratione cum ſederit filius hominis, &c. Vel aliter: per iſta verba, dicens, *Generatio & generatio*, intelligit omnem generationem præſentem & futuram: vt ſit ſenſus, *Generatio & generatio laudabit opera tua*: id eſt, omnis generatio. Iſtã enim repetitio loquentis animum miſit in infinitum cogitãtis: quaſi dicat, Iſta generatio quæ nunc in carne eſt, trãſitura hinc ſicut venit, laudat opera Dei. Et illa generatio quæ ſuccedet, laudabit opera domini. Et poſt illam erit alia: & ſic vſque in finem ſæculi. Et iſtas multas generationes ſignificans ait, *Generatio & generatio*. Sequitur, *Laudabit opera tua*, &c. Cum enim intuemur opera Dei pulchra & mirabiliter facta, ipſa opera laudamus: nónne cõſequens eſt, vt in illis laudemus artificem? vt puta, videt homo ſolem, & cõſiderans quomodo totum mundum illuminat, quomodo oritur & occidit, quomodo regulato motu procedit: & laudat ſolẽ. Cõſiderat cœlũ ſtellis ornatũ, ſua influẽtia terrã fructificare faciẽs. Cõſiderat lunã aquas regentẽ:& iſta laudat. Cõſiderat terrã, conſiderat mare: & iſta vidẽdo laudat: imò etiã de minorib⁹. videt roſam quàm ſubtiliter factã & redolentẽ, & ipſam laudat. Nónne erit ingrat⁹, niſi laudet multo amplius iſtorũ operũ factorem?

*Generatio duplex veteris teſtamẽti.*

*Matth.1.*

*Generatio duplex filiorum Dei.*

*Laudatur Deus in operibus ſuis.*

rē?Si vtilitas in illis laudatur:quid vtilius eo qui fecit omnia?Si in illis virtus laudatur: quid potētius illo qui fecit omnia?A quo etiā facta nō dimittuntur, ſed reguntur & gubernātur omnia. Non ergo laudātes creaturam,obliuiſcamur creatorem.Nam laudando iſta opera,quid laudas, niſi potentiā Dei qua iſta ſunt facta?Sed hic mouet Auguſt.dubium: quia ſi laudas opera Dei, per conſequens te ipſum laudas;quia & tu inter opera Dei factus es ab ipſo. Cū ergo nulli ſit licitum ſeipſum laudare: cū ſcribatur,Non te laudet os tuum.Vnde hic dicit,Inter ipſa opera Dei quæ iuſti laudant, & ſeipſos innectunt: quia in operibus Dei & ipſi ſunt. Qui enim fecit omnia, ipſe nos fecit inter omnia. Proinde & ſi laudas opera Dei,& teipſum laudaturus es: quia & tu opus Dei es. Vbi eſt ergo quod ſcriptum eſt, Non te laudet os tuum? Ecce, inuētum eſt & quomodo te laudare poſſis,& arrogans non ſis. Deum in te lauda,non te:non quia tu talis es,ſed quia ille te fecit:non quia tu aliquid potes, ſed quia ille poteſt in te & per te: ac per hoc potentiam Dei, non tuam pronunciabis. Laudate ergo opera domini, non arrogando,ſed gratias agendo.

*Prouer.27.*

2520 Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Hic oſtendit Deum laudandum ex ſua magnifica ſanctitate & ſuis mirabilibus. Vbi notandum quòd per magnificētiam gloriæ ſanctitatis Dei intelligit magnificam Dei gloriam & ſanctitatem, quam oſtēdit in datione legis antiquæ:in qua magnificam gloriam ſuam oſtendit,quando in datione legis cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem: & dominus ibi apparebat in igne. Qua magnifica gloria filij Iſrael viſa territi dixerūt Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus:nō loquatur nobis dominus,ne fortè moriamur. Iſtam ergo magnificam ſanctitatis gloriam ſæpius legendo & recordando,antiqui patres Deum laudabāt. Quod & nos hodie facimus.Hoc ergo genus laudis notans Pſal.ait, *Magnificentiā gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt,* ſcilicet mirabilia iam dicta, quæ in illa datione legis apparuerunt:vt fulgura,tonitrua, ignis,fumus, &c.Per hoc enim oſtendit quòd laudando creaturam, tu principalius laudas creatorem:quia bonitas creaturæ, eſt bonitas creatoris: ſanctitas creaturæ, eſt creatoris ſanctitas. Vnde non dicit, Loquentur magnificentiam gloriæ ſanctitatis operū, ſed *ſanctitatis tuæ*. Non dicit, narrabunt mirabilia operum, ſed *mirabilia tua*. Sic enim non deſcendit à creatore ad creaturam:ſed magis ecōtrario,à creatura ad creatorem aſcendit, Vnde primò laudabat opera,nūc autem laudat operantem,quia per opera venit in cognitionem operantis. Et nota quòd Dei magnificentia ex multis nobis redditur laudanda:quoniam magnificus eſt primò in largiendo copioſé.Quid enim habet creatura, niſi ex magnificentia creatoris? Soli copiosè donauit lumen:lunæ dominium noctis:& ſic de aliis. Homini rationem & arbitrij libertatem: vt de illo dicatur illud Heſter 2, Largitus eſt munera iuxta magnificentiā regiam.Secundò eſt magnificus in iubendo imperioſé. Ipſe enim non tanquam ſub poteſtate conſtitutus, ſed ſuper omnes imperat: cuius imperio nulli contradicere licet.Vnde imperiosè dans præcepta ſua dicebat, Dominum Deum tuum coles: ego dominus.nō furaberis:ego dominus, &c.ideo de ipſo dicitur in Pſalm.28,Vox domini in virtute: vox domini in magnificentia. Tertiò eſt magnificus in agēdo virtuoſé. Quid enim agit niſi iuſtum? quid præcipit niſi virtuoſum? Ideo dicitur Eſa.12, Cantate domino, quoniam magnificè fecit, &c. Quartò eſt magnificus regnando glorioſé. Pſal.8, Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Vel hic per magnificentiam intellige Chriſtum: vide verſ. 83.Et tunc erit ſenſus, *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur:*id eſt,Chriſtū (in quo maximè conſiſtit gloria ſanctitatis tuæ) loquentur & prædicabūt:*Et mirabilia tua narrabunt:*ſcilicet quæ per ipſum facta ſunt:vt ſcilicet quia dęmones pellebat,cæcos illuminabat,infirmos curabat,mortuos ſuſcitabat, &c. Vel magnificentia dicitur euchariſtiæ ſacramentum (vide ver.1647.) In quo multa mirabilia continentur.

*Magnificentia Dei apparet in multis.*

Et virtutem terribilium tuorum dicent,& magnitudinem tuā narrabunt. 2521

Hic oſtendit Deum laudandum ex ſua virtute terribili & gubernationis diligentia. Vbi aduerte quòd per virtutem terribilium vult intelligere mirabiles malorum punitiones, quas Deus antiquitus fecit: vt puta quā terribiliter puniuit Pharaonem & exercitum eius: quos omnes ſubmerſit in mari rubro.Exod.14.Quàm terribiliter Chore,Dathan & Abiron, quos terra abſorbuit cum omnibus ſuis,& deuorauit ignis.Num.16.Sennacherib cum exercitu ſuo: quando vna nocte angelus domini ex eis interfecit centum octoginta quinque milia. 4.Reg.19. Et ſic de aliis. Sic ergo laudatur Deus in ſuis terribilibus iudiciis, quādo virtutem ſuam oſtendendo, metuenda & terribilia exercet iudicia. Et hoc eſt quod dicit, quòd ſancti patres Deum laudando,virtutem terribilium tuorum dicent,narrabunt,prædicabunt: vt ſcilicet peccatores timeant te offendere: *Et magnitudinem tuam narrabunt*: quam ſcilicet oſtendiſti in illis terribilibus iudiciis. Sic enim iſta prædicabat Pſal. dicens, Tu terribilis es: & quis reſiſtet tibi? Certè nullus.Vel aliter:vbi ſciendum quòd Deus aliquando blandiciis & promiſſionibus nos exhortatur ad bonum: quandoque verò minis & terribilibus nos terret, ne declinemus ad malum. Et iſta duo hic notans Pſal.ait, *Et virtutem terribilium tuorum dicent*: ſcilicet quàm tu minando es terribilis: quia ignem æternum minaris reprobis: *Et magnitudinem tuam* (ſcilicet miſericordiæ tuæ) *narrabunt*: quia inter omnes virtutes Dei ipſa miſericordia magna dicitur:quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Narrabunt ergo magnitudinem tuam: ſcilicet tuæ miſericordiæ: qua exhortando nos allicis ad bonum. Et iſtum intellectum hic habet Auguſt. dicens, *Et virtutem terribilium,vel metuendorū tuorum dicent.*Non enim ſolùm blāditur, ſed etiam minatur:quoniam ſi non blandiretur,nulla exhortatio: ſi non minaretur,nulla eſſet correctio. Dicent ergo laudatores tui virtutem metuendorum tuorum, & creaturæ tuæ punientis diſciplinam dantis. Non enim prædicabunt bonis regnum æternū,& malis tacebunt ignem æternum.Laus enim Dei in via te inſtruens tibi oſtēdere debet & quid diligas & quid timeas, quid appetas & quid fugias,quid eligas & quid reiicias.Tempus nunc eſt electionis:poſtea erit acceptionis.Dicant ergo laudatores tui virtutē terribilium

*Pſal.75.*

*Deus terribilis eſt, & miſericors.*

*Deus minatur & exhortatur.*



& metuendorum tuorum:dicant & magnitudinem miſericordiæ tuæ.Iſtum textum ad hunc intellectum inducit Gregor.ſuper illo verbo Iob 38, Nunquid ingreſſus es theſauros niuis,& theſauros grandinis aſpexiſti?dicens,Scriptum eſt,In conſpectu eius nubes tranſierūt,grādo & carbones ignis. Prædicatores ſancti grando & carbones ignis vocati ſunt:quia & per correctionē vt grādo feriūt,& per flāmam charitatis,vt ignis accēdunt.Ipſa quoque libera ſanctorum prædicatorū increpatio, natura grandinis conuenienter exprimitur. Grando enim percutit, & liquefacta rigat. Sancti enim viri corda audientium & terrentes feriunt, & blādientes infundunt.Nam quemadmodum feriant, Pſalmiſta teſtatur dicens, *Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* Quemadmodum autem blādientes rigant, cōſequenter adiunxit,dicens, *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt.*In grandine ergo habentur theſauri:quia plerumque iniquitatis torpore frigidi ad ſupernā gratiam aſſumpti in ſancta eccleſia iuſtitiæ luce refulgent,& prauitatem aduerſariorum ictibus tundūt: quæ poſtea dulcedine rigant.Hic nota quòd Deus terribilis dicitur propter multa:primò quia eſt potentia eius inuincibilis:2. Paral. vlt. Domine Deus omnipotens,qui ſtatuiſti mare verbo præcepti tui: qui concluſiſti abyſſum: terribile nomen tuum, quod omnes pauent & timent. Pſal. 46, Dominus excelſus & terribilis,rex magnus ſuper omnem terram.Secūdò quia eius iuſtitia eſt inflexibilis:Deut. 10,Deus magnus & potens & terribilis:qui perſonas non accipit,nec munera:facit iudicium pupillo & viduæ.Tertiò quia eius ſapientia eſt infallibilis.Pſal.65,Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.Primum terret potētes, quia non poſſunt rebellare cōtra potentię Dei altitudinem.Secundum terret diuites, quia non poſſunt inclinare iuſtitiæ Dei rectitudinem. Tertium terret ſapientes, quia non poſſunt abſentare ſapiētię Dei limpitudinem. Meritò igitur virtutem terribilium tuorum dicent.

*Greg.29.moral.c.11.*

*Pſal.17.*

*Terribilis eſt Deus propter tria.*

2522 Memoriā abundātiæ ſuauitatis tuæ eructabunt,& iuſtitia tua exultabunt.

Hîc oſtendit Deum laudabilem ex abundantia ſuauitatis & recta iuſtitia. Antiquis enim patribus in deſerto peregrinantibus, Deus duo ſingularia dedit beneficia: quorum vnum fuit ſuauitatis & clementiæ:ſecundum fuit æquitatis & iuſtitiæ.Beneficium ſuauitatis: quia manna ſuauiſſimum per quadraginta annos eis dedit de cœlo.Exod.15.Secundum autem æquitatis & iuſtitiæ fuit:quia inimicos eorum debellauit,qui iter eorum ad terram promiſſionis iniuſtè conabantur impedire, ſicut Abimelech. Ex iſtis ergo duobus beneficiis tenebantur antiqui patres Deum laudare. Vnde quantum ad primum beneficium, quod fuit maximæ ſuauitatis, dicit, *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt*:id eſt Memoriam dicti beneficij,quam ex ſanctis ſcripturis retinent, te laudando exterius, prædicabunt ſuis poſteris. Et memores iuſtitiæ tuæ qua ipſorum inimicos debellaſti, te laudando exultabunt:id eſt lętitiam quam de hoc intus conceperunt,per exteriora ſigna demonſtrabunt:quia exultatio dicitur, quaſi lætitiæ interioris extra ſaltatio.Vel aliter:per hoc vult oſtēdere Pſalmiſta ſingulare Dei beneficium circa genus humanū: quia cum nos per peccatum obliti eſſemus Deum, ille tanquā ſuauiſſimus pater non eſt oblitus nos: nos quęſiuit:nos inuenit:nos redemit.Et hanc memoriam abundantię ſuę ſuauitatis debemus comedere,intus in corde noſtro imprimere: impreſſāmq; alios docēdo exterius eructare. Nō enim cibus eructatur,niſi abūdāter comedatur.Et hoc eſt,Memoriam ſuauitatis tuæ primò imprimēt in corde ſuo: deinde illam aliis eructabunt, illam aliis effundendo.Et hunc intellectum hic habet Aug.dicens,*Memoriam abundantiæ* &c. O epulæ felices:quid māducabunt qui ſic eructabūt?Quid māducabunt?Certè memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ:quia ſcilicet tu nos non es oblitus, cum nos te obliti fuerimus.Omnis enim caro oblita erat Deum.Ille tamen opera ſua non eſt oblitus. Hæc memoria eius ſuper nos,quia valde dulcis eſt,manducanda eſt & eructanda.Sic māducā,vt eructes:ſic accipe vt des. Manducas,cum diſcis,eructas cum doces.Manducas cum audis, eructas cum prædicas.Denique ille auidiſſimus epulator Ioannes Apoſtolus, cui non ſufficiebat ipſa dominica menſa, niſi diſcumberet ſupra pectus domini, & de arcano eius biberet diuina ſecreta:quid eructauit, audi.In principio erat verbum:& verbum erat apud Deum.Et vide quòd nō ſufficit Pſalmiſtæ dicere,*Memoriam tuam*:nec *memoriam abūdantiæ tuæ*:nec *memoriam ſuauitatis tuæ*:niſi totum dicat,*Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ*.Etenim quid prodeſt,ſi abundet & inſuaue eſt? Item moleſtum eſt,ſi ſuaue eſt,ſed parum.Qui ſunt ergo qui memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructāt? Illi ſunt qui ſunt intelligentes in ſe nihil boni eſſe, quod à te non ſit: nec potuiſſe conuerti ad te, niſi commouerentur abs te:nec reduci potuiſſe in memoriam tui,ſi tu obliuiſcereris illorum. Sequitur, *Et iuſtitia tua exultabūt.*Quia ſcilicet modo prædicto conſiderantes ſuauitatem memoriæ domini erga nos,exultant,non de iuſtitia ſua,ſed ſolum de iuſtitia Dei:quia nō ſuis meritis aliquid attribuunt,ſed totum iuſtitiæ Dei. Vnde hic Aug.ait, *Et iuſtitia tua exultabunt.*Fratres,ſi vultis exultare iuſtitia Dei, bibite primò gratiam Dei:diſcite gratiā Dei. Nos antè quàm omnino eſſemus, non eramus: & facti ſumus homines,cùm antè nihil eſſemus. Deinde iam ipſi homines ex radice illius peccatoris primi hominis,& maligni eramus,& filij iræ natura,ſicut & cæteri.Attendamus ergo gratiam Dei, non ſolum qua fecit nos, verumetiā qua refecit. Cui ergo debemus quia ſumus, illi debemus quia & iuſtificati ſumus. Nemo ergo Deo tribuat quia eſt:& ſibi tribuat quia iuſtus eſt.Melius eſt enim quia iuſtus es, quàm quia homo es.Et ſic quod inferius eſt, dares Deo:& quod ſuperius eſt, tibi. Totum ergo illi da: in toto ipſum lauda. Audi Apoſtolum dicentem, Gratia ſalui facti eſtis per fidem. Vbi audis gratiā, gratis intellige. Si ergo gratia ſaluus factus es, nihil tu attuliſti: nihil tu meruiſti. Noli ergo ſuperbiens exultare iuſtitia tua,quia nulla eſt:ſed iuſtitia Dei,qua ſaluus factus es.Et hoc eſt quod Pſalmiſta Deo dicit,*Et iuſtitia tua exultabunt.*

*Exod.17.*

*Memoria Dei de nobis, qui ipſum fueramus obliti.*

*Māducare eſt addiſcere: eructare eſt docere.*

*Ioan.1.*

*Epheſ.2.*

*Epheſ.2.*

Miſerator & miſericors dominus, patiens & multum miſericors. 2523

Hîc oſtendit Deum laudabilem ex miſericordia & multa patiētia. Et duo facit:quia miſericordiam patientiæ Dei primò dicit magnam intenſiuè: ſecundò extenſiuè: ibi, *Suauis dominus*. Quantum ad primum,nota quòd in hoc differt miſerator & miſericors: quia miſerator quis dicitur quantum ad effectum:ſed miſericors notat affectum. Quamuis

enim affectus miſericordiæ non cadat in Deo: tamen miſerator & miſericors dicitur, quia iuxta noſtrum modum intelligẽdi ſe habet ad modum miſerantis & miſericordis. vide verſic. 664. Deus enim propter magnã miſericordiã multum patiens eſt: quia poſt peccatum nõ ſtatim infert pœnã, ſed patienter expectat peccatores: etiã vſque ad vltimum vitæ, vt conuertantur ad pœnitentiam. vide verſic. 75, 1471. Et hanc patiẽtiam ex ſua miſericordia erga nos conſiderans Pſalm. ait, *Miſerator & miſericors dominus* &c. Miſerator ergo & miſericors eſt dominus in iuſtificatione impiorum: patiens & lõganimis in expectatione malorum: quæ ſi mente cogitas, iuſtitia Dei exultabis, non tua. Vnde hic Aug. *Miſerator & miſericors dominus* &c. Attẽde ad teipſum. Quid merebaris peccator & contemptor Dei? quid merebaris? vide ſi occurrit tibi, niſi pœna, niſi ſupplicium. Vides ergo quid tibi debebatur: vides & quid tibi dederit, qui gratis dedit. Data eſt venia peccatori: datus eſt ſpiritus iuſtificationis: data eſt charitas & dilectio, in qua bona omnia facias. Super hęc dabit tibi & vitam æternam & ſocietatem angelorum: totum de miſericordia. Ergo merita tua nuſquã iactes: quia & ipſa merita tua dona illius ſunt. Miſerator ergo & miſericors dominus, qui fecit omnia gratis. Sequitur, *Patiens & multum miſericors.* Hoc dicit quaſi declarans quomodo miſerator eſt & miſericors: quia miſericors patienter expectãdo: ſed miſerator gratis iuſtificando. Vnde hic Auguſt. *Patiens eſt & multum miſericors.* Quantos enim ſuſtinet peccatores miſericors, & miſerator in his quibus veniam dedit: in his in quibus adhuc non dedit, patiens & longanimis: non damnans, ſed expectans, & ipſa expectatione clamans, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos? Et ſua patientia inquit, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ille quidem patiẽs eſt: tu autem ſecundum duritiam cordis tui & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ domini, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Non enim modò ſic longanimis eſt in ſuſtinẽdo, vt nunquam ſit iuſtus in iudicando. Sed diſtribuit tempora: vocat te nunc: expectat te nunc: exhortatur donec facias, & tu tardas. Magna eius miſericordia: vnde & vitæ terminum tibi fecit incertum: vt neſcias quando hinc emigrabis: & cum quotidie ſperas, te aliquando conuertas. Et in hoc magna eius miſericordia. Si enim certum ſtatuiſſet mortis diem omnibus, faceret abũdare peccata de ſecuritate. Dedit ergo ſpem veniæ, ne deſperando amplius pecces. Et ſpes & deſperatio timenda eſt in peccatis. Videte vocem deſperantis ad augenda peccata: & videte vocem ſperantis ad augẽda peccata: & quomodo vnicuique voci occurrit miſericordia & patientia Dei. Audi vocem deſperantis. Iam (inquit) damnatus ſum: quare non faciam quicquid volo? Audi & vocem ſperantis, Miſericordia Dei magna eſt: quando me conuertero, dimittet mihi omnia: quare ergo non facio quicquid volo? Deſperat ille vt peccet: ſperat iſte vt peccet, vtrumque metuendum eſt: vtrumque periculoſum: vtrique huic malo & periculo occurrit miſericordia Dei. Quid dicis tu, qui deſperãdo volebas peccare? Iam damnatus ſum: quare non facio quicquid volo? Audi ſcripturam, Nolo mortẽ peccatoris, ſed vt cõuertatur, & viuat. Hac voce Dei reducã in ſpem: ſed timendus eſt alius laqueus, ne ipſa ſpe amplius peccet. Quid ergo dicebas tu, qui ſpe amplius peccas? Quando me conuertero, omnia mihi dimittet. Audi & tu ſcripturam, Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & deſtruet te. Noli ergo dicere, Cras me conuertam: cras placebo Deo: & omnia heſterna & hodierna mihi dimittentur. Verum quidem dicis: ſed cogita, quia Deus cõuerſioni tuæ diem craſtinum non promiſit: ideo terminum vitæ incognitum tibi fecit.

*Miſericordia Dei quãta ſit*

*Malach. 3. Ezech. 18. Rom. 2*

*Mortis diem ignoramus ex miſericordia Dei.*

*Spes veniæ multis eſt periculoſa.*

*Deſperatio eſt cauẽda in peccatis.*

*Ezech. 18.*

*Eccl. 5.*

## Suauis dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. 2524

Quia ſuprà dixit, magnã eſſe miſericordiã & patientiam Dei: ne hoc credas ſolum erga Iudaicum populum eſſe verum, Pſal. hic oſtendit, quòd hæc Dei miſericordia & patientia ad omnes ſe extendit generaliter: quia *ſuauis eſt dominus vniuerſis*, ſcilicet hominibus. Per hoc enim quod dicit, quòd *ſuauis eſt dominus vniuerſis*, vult oſtendere quòd nõ modò nouiter dominus incipit eſſe hominibus patiens & miſericors: ſed hoc fuit ab antiquo, & hoc habet ex cõſuetudine. Nam ſecundum grammaticos, hic & hæc ſuauis & hoc ſuaue, dicitur à ſueo, ſues: & dicuntur ſuauia, quæ ſueta vel cõſueta ſunt, eo quòd talia ſuauia ſolẽt eſſe. Sic ergo ſuauis dominus vniuerſis: id eſt cõſueuit dominus vniuerſis miſericordiam impendere. Vel aliter: per ly *vniuerſis* intelligit omnia creaturarum genera: quia etiam omnibus creaturis ſuam gratiam impẽdit: vt puta, quia omnibus dat generaliter eſſe: quod omnibus eſt ſecũdum ſe deſideratiſſimũ. Et vltra hoc aliquibus dat viuere, ſicut plantis & arboribus, & omnibus vegetabilibus. Vltra hoc aliquibus dat ſentire, vt animalibus. Vltra iſta aliquibus dat intelligere, vt angelis & hominibus. Et hoc eſt quod ait, *Suauis dominus vniuerſis*: ſcilicet creaturis. Sed quia diffuſio diuinæ bonitatis ſuper omnem creaturam modis prædictis non eſt ex debito, quòd Deus ſuam bonitatem creaturis ſic participare teneatur, ſed totũ facit ex mera ſua bonitate & miſericordia: ideo ſubditur, *Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Si autẽ iſte textus ad homines ſolùm referatur, qui ſunt capaces gratię & miſericordię Dei, propriè loquẽdo: quomodo erit verum, quòd miſerationes Dei ſuper omnia opera eius? cum aliquos damnet ęternaliter abſque ſpe alicuius: dicẽte Iacobo Apoſtolo, quòd iudicium fiet ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiã? Ad hoc reſpondetur primò, quòd etſi damnatis non facit miſericordiam, quo ad terminationem pœnæ: facit tamẽ eis miſericordiam, quo ad mitigationem: quia minus puniũtur quàm puniri meruerunt, & citra condignum. Vel aliter: miſericordia Dei ſe extẽdit ad omnia opera eius: quia omnia opera eius ſunt valde bona. Peccata autẽ nõ ſunt opera Dei, ſed opera hominũ. Punit ergo Deus in dãnatis opera hominũ. Vnde tolle opera tua, & ſolũ retine opera Dei: & miſericordiã Dei in te reperies. Et hãc ſolutionem hic ponit Aug. dicẽs, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Quare ergo aliquos damnat? quare flagellat? An quos dãnat, non ſũt opera eius? Et vis noſſe quia ſuper omnia opera eius miſerationes eius ſunt? Inde eſt illa benignitas, quæ ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Nónne miſerationes eius in omnia opera eius: quia expectat peccatores, dicens, Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos? Et cũ dicit, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius: hic non eſt miſeratio eius, ſed ſeueritas eius. Miſeratio eius reddita eſt operibus ei⁹: ſeueritas autem eius,

*Suauis dicitur quaſi aſſuetus.*

*Quæſtio. Miſericordia Dei eſt in dãnatis, & quo modo.*

*Iacob. 2.*

*Matth. 5.*

*Malach. 3. Matth. 25.*



eius, non in opera eius, ſed in opera tua. Denique ſi tollas opera tua mala, & non in te remanent niſi opera eius: nõ te dimittet miſeratio eius. Si autem tu nõ dimittis opera tua, erit ſeueritas eius in opera tua, non in opera ſua.

## 2525 Confiteantur tibi domine omnia opera tua: & ſancti tui benedicant tibi.

Hîc conſequenter ad Dei laudem excitat patres noui teſtamẽti. Hic enim de ſanctis noui teſtamẽti quatuor prędicit. primò quòd ipſi Deũ laudabunt: ſecundò quòd ipſi Chriſtum aliis prædicabũt: ibi, *Gloriam regni tui*: tertiò quòd ipſi regnũ Chriſti fore æternum demonſtrabunt: ibi, *Regnum tuum*: quartò quòd ipſum Chriſtũ veracẽ eſſe affirmabũt: ibi, *Fidelis dominus.* Quãtum ad primũ, ſciẽdum quòd magna differẽtia eſt inter ſacramẽta nouæ legis & antiquæ: quia ſacramẽta nouæ legis hominẽ ſanctificant etiã ratione operis operati. vt patet de baptiſmo, quia etiã datus à malo, animã baptizati ſanctificat: quia vitia tollit, & gratiã ac virtutes infundit: quod nõ poteſt dici eſſe hoc ratione operis operãtis, cũ baptizãs dicatur eſſe in peccato. eſt ergo hoc ratione operis operati. Sacramẽta aũt legis antiquę hoc facere nõ poterãt: vt deducit Magiſter l. 4. diſt. 1. Et hinc eſt ꝙ homines noui teſtamenti proprius ſancti vocãtur: quomodo ſancti Chriſti, quia ſanctificati per ſacramẽta à Chriſto inſtituta. Et ideo hic Pſal. dicẽs, *Et ſancti tui benedicant tibi*: loquitur de patribus noui teſtamẽti. Et ſic eſt ſenſus: *Confiteantur tibi domine omnia opera tua*: ſcilicet cõfeſſione laudis. *Cõfiteantur*, id eſt laudẽt. Sed quomodo omnia opera Dei cõfiteri domino vel ipſum laudare poſſunt: cũ non omnia opera Dei habeãt cognitionẽ & intellectum, ſine quibus laus eſſe nõ poteſt? quia ſine intellectu bonũ quod habẽt, in Deum referre non poſſunt. Ad hoc dicitur, quòd etſi per ſe Deũ propriè laudare non poſſunt: laudãt tamẽ per homines & per angelos: quia materiã laudãdi Deũ illis præſtant: dũ in illis cognoſcũt bonitatẽ Dei illa facientis. Per iſtum enim modũ dicitur Dan. 3, Benedicite omnia opera domini domino: laudate & ſuperexaltate eũ in ſęcula. Sed per quandã ſingularẽ excellẽtiam de ſanctis noui teſtamẽti dicit, *Et ſancti tui benedicant tibi*: id eſt fideles tui Chriſte tibi ſanctificati. Vnde iſtã materiã, quomodo ſcilicet omnia opera domini cõfitẽtur domino, declarãs hic Aug. dicit, *Confiteantur tibi* &c. Quid eſt hoc? Nónne terra eſt opus Dei? ligna, pecora, beſtię, volatilia, nónne ſunt opera eius? Quomodo autẽ talia cõfitebuntur domino vel Deũ laudabũt, quę voce carẽt? Nemo hoc ſentiat, quòd mutus lapis aut mutũ animal habeat rationẽ intelligẽdi Deũ. Deus ordinauit omnia: quibuſdã dedit ſenſum & intellectũ cũ immortalitate, ſicut angelis: quibuſdã dedit ſenſum & intellectũ cũ mortalitate, ſicut hominib⁹: quibuſdã dedit ſenſum corporis, nõ tamẽ intellectũ nec immortalitatẽ, ſicut pecudibus: quibuſdã verò nec ſenſum nec intellectũ nec immortalitatẽ, ſicut herbis, lignis & lapidibus: tamẽ & ipſa in gradu ſuo deeſſe nõ poſſunt, ſcilicet laudi diuinæ. Et gradibus quibuſdã ordinauit Deus creaturã à terra vſq; in cœlũ, à viſibilibus vſq; ad inuiſibilia, à mortalibus vſque ad immortalia. Iſta cõmixtio creaturæ, iſta ordinatiſſima pulchritudo ab imis vſque ad ſumma conſcendẽs, & à ſummis ad ima deſcendens, nuſquam diſrupta, ſed diſſimilibus temperata tota laudat Deum. Vox quædam eſt mutæ terræ, ſpecięs terræ. Attendis & vides ſpeciem terræ, fœcunditatem eius, vires eius: quomodo concipiat ſemen, quomodo plerumque afferat quod non eſt ſeminatum. Vides, & conſideratione tua tanquam interrogas eam: nam ipſa inquiſitio, interrogatio quædam eſt. Cùm autem inquiſieris admirans & perſcrutatus fueris, & ipſius magnam vim, magnam pulchritudinẽ, præclarámque virtutem inueneris, quoniam à ſe habere hanc virtutẽ non poſſit: continuò venit tibi in mentem quòd non potuit à ſe eſſe, niſi ab illo creatore. Et hoc quod inueniſti, vox cõfeſſionis eius eſt, vt laudes creatorẽ. Nónne conſiderata vniuerſa pulchritudine mũdi huius, tãquã vna vox, tibi ſpecies ipſa reſpondet, Nõ ego me feci, ſed Deus? Et iſto modo omnia opera domini domino confitentur. Sed ſancti alio modo benedicũt: quia ipſi inſpiciẽtes creaturã, Deum laudant. Ideo poſtquã ait, *Confitẽatur tibi domine omnia opera tua*: ſtatim ex hac ſubiungit, dicẽs, *Et ſancti tui benedicant tibi.* Et nota quòd ſanctus quis multis modis dicitur. Primò ſanctus dicitur ſpiritus ſanctificans: ſanctus enim idẽ eſt, quod ſine terra: Luc. 1, Spirituſſanctus ſuperueniet in te &c. Secundò ſanctus idẽ eſt, quod legitimus: 1. Cor. 7, Nũc autem & filij veſtri ſancti ſunt. Tertiò ſanctus idem eſt quod ſacramentis initiatus: 1. Petr. 2, Vos eſtis gẽs ſancta: populus acquiſitionis. Quartò ſanctus idem eſt quod mundus: Leuit. 11, Sãcti eritis, quia ego ſanctus ſum. Quintò ſanctus idẽ eſt quod caſtus: 1. Regũ 21, Fuerunt vaſa puerorum ſancta. Sextò ſanctus idem eſt quod firmus: Leuit. 21, Sancti eritis domino. Septimò ſanctus idem eſt quod ſanguine tinctus: Hebr. 9, Omnia penè ſecundũ legem in ſanguine mundantur: & ibidẽ, Cinis vitulę & ſanguis aſperſus, inquinatos ſanctificat. Octauò ſanctus idẽ eſt quod perfectus: 1. Tim. vlt. Legitur hæc epiſtola omnibus ſanctis fratribus. Nonò ſanctus idem eſt quod ſancitum, id eſt ſtatutum: Leuit. 23, Sãctum ſanctorum de ſacrificiis domini eſt iure perpetuo. Decimò ſanctus idẽ eſt quod ſecretum: Pſal. 88, Semel iuraui in ſancto meo: gloſ. i. in ſecreto meo. Ex quib⁹ apparet quàm multipliciter poteſt intelligi quod hic dicitur, *Et ſancti tui benedicant tibi.*

*Sãcti propriè dicũtur in nouo teſtamẽto.*

*Creaturarũ diſtinctio.*

*Creaturarũ unnexio.*

*Laudat Deũ omnis creatura.*

*Cõfitetur domino omnis creatura.*

*Sanctus quis dicitur multipliciter.*

## Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. 2526

Hîc oſtendit quòd ſancti noui teſtamenti Chriſtum aliis prædicabunt: & conſequenter finẽ quare ipſum prædicabunt: ibi, *Vt notam.* Quantum ad primum, ſciendum quòd alij prędicatores gloriam Chriſti & regnum eius æternum per mũdum gentibus prædicauerunt per orbem diſperſi: ſed patres antiqui ipſum annunciauerunt, id eſt prophetauerunt: quia à remotis prædixerũt eum eſſe futurum. Sic enim dicitur Pſal. 63, Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt: quia Chriſtum annunciabãt futurum, ſed ſancti Apoſtoli ipſum prædicabant iam incarnatum & glorificatum, iam factum eſſe oſtenderunt. *Et potentiam tuam loquentur*: id eſt, per miracula quæ faciẽt humanam virtutem & naturalem tranſcendentia, oſtendent virtutẽ tuę potentiæ, per quæ doctrina euãgelica confirmabatur: ſicut dicitur Marc. vlt. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;, domino cooperãte & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Gloriam ergo regni tui dicẽt, ſcilicet quãta gloria eſt in regno tuo: vbi mors nulla, moleſtia nulla, ſollicitudo nulla. Vbi quicquid deſideratur habetur: vbi nihil adeſt

quod nõ deſideretur. Et nota quòd ſuo modo non ſolùm Apoſtoli & ſancti prædicatores, ſed etiã omnis creatura Chriſti gloriam manifeſtauit & dixit. Nam Chriſti gloriam dixit Deus, angeli, homines, & omnis creatura. Primò Chriſti gloriã dixit Deus & manifeſtauit: & hoc in Chriſti transfiguratione, quãdo Deus pater de Chriſto ait, Hic eſt fili9 meus dilectus: quem ſic à Deo glorificatum tres Apoſtoli viderunt: ſcilicet Petrus, Iacobus, & Ioannes. Vnde de iſta gloria à patre manifeſtata, ait Petrus, ꝙ ipſe Chriſtus accepit à Deo patre gloriã & honorem voce de cœlo delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria, Hic eſt fili9 meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite: & hãc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum eo in monte ſancto. Secundò gloriam Chriſti prędicauerunt angeli: quibus ante Chriſti incarnationem homines erant ſubditi. Sed ipſis hominibus Chriſto incarnato, angeli vt miniſtri obſequebantur in perſonã Chriſti: Matth. 4, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Vnde & angeli Chriſto ſtatim nato, eius gloriam hominibus prædicauerunt, dicẽtes, Gloria in excelſis Deo &c. Tertiò ipſius gloriam prædicauit omnis creatura: dum omnis natura Chriſto obediens obſequebatur tanquã proprio creatori & vero domino: quod nulli alteri creaturę fuit cõceſſum. Et hoc eſt quod de Chriſto dicitur, Matth. 8, Qualis eſt hic, quia venti & mare obediũt ei? Et de iſta Chriſti gloria ab omni creatura prædicata, vide verſic. 25. Pſal. 144, Confiteantur tibi domine omnia opera tua. Sequitur, *Gloriam regni tui dicent*: quia omnis creatura confitetur Chriſtum eſſe verum Deũ. Propter quod dicitur Ioan. 1, Vidimus gloriam eius: nõ quaſi gloriam Moyſi Dauid, Salomonis, vel aliorum hominum, ſed quaſi gloriã vnigeniti à patre. Quæ omnia notans Chryſoſt. ſuper Matth. dicit, Omnes creaturæ Chriſtum prædicauerunt glorioſum. Nã cœlum ſtellã miſit ab oriente, magos ducens ad Chriſtũ. Angeli deſcenderunt, & Chriſti gloriam paſtoribus prædicauerunt. Baptiſta Ioãnes exultans in vtero, pater ipſum atteſtatus eſt è cœlo: paracletus ſpiritus ſuper Chriſtum deſcendit: ſed & ipſa rerum natura omni turba clarius clamauit, quoniam rex cœlorum aduenerat. Etenim dæmones Chriſti præſentiam fugiebãt: infirmitatum ſpecies ſoluebãtur: mortuos emittebãt ſepulcra: & animas ſoluta malitia ad verticẽ virtutis agebat. Quibus cõſideratis, meritò dicitur Eſa. 6, quòd plena erat omnis terra gloria eius. Quid ergo mirũ ſi Apoſtoli & alij primi fundatores eccleſiæ ad hoc myſteriũ ſingulariter electi, Chriſti gloriam prædicauerunt? Pſal. 18, Cœli enarrãt gloriam Dei. Et hoc præuidẽs Pſalmiſta de Apoſtolis, Chriſto dicit, *Gloriam regni tui dicent*. Sequitur, *Et potẽtiam tuam loquentur*: id eſt manifeſtabant quanta potentia eſſet Chriſti, dum in nomine Chriſti miracula ſupra virtutem naturæ faciebãt. Vnde hic Aug. ait, *Et potentiam tuam loquentur*: quia oſtendẽt quàm potens ſit Deus, qui impleuit terram bonis, quàm potens ſit Deus, qui dedit proprias vitas animalibus: quàm potens ſit Deus, qui dedit diuerſa ſemina viſceribus terræ, vt tantam fructuum varietatem germinarent, tantámque ſpeciẽ arborũ. Quàm potens ergo ſit Deus, quàm magnus ſit De9: tu interroga, & creatura tibi reſpondebit, quòd Chriſt9 magnus eſt dominus, & rex magnus ſuper omnes deos. Circa potentiam Dei potes conſiderare, quòd Dei poteſtas primò habet longitudinem durationis: quia exiſtit vltra omnia tempora: Dan. 7, Poteſtas eius, poteſtas æterna. Secũdò habet latitudinem extenſionis, eo quòd attingit vltra omnia loca. Zach. 9, Poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad fines terræ. Tertiò habet celſitudinẽ ſuppoſitionis, eo quòd ſibi ſubiicit omnia entia: Matt. 10, Timete illum qui poteſt animã & corpus perducere in gehennam ignis. Sap. 16, Tu es domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem.

*Gloriã Chriſti Deus & omnis creatura prædicauit.*

*2. Petr. 1.*

*Luc. 2.*

*Potẽtia Dei quanta ſit.*

*Poteſtatis Dei conditiones.*

## Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. 2527

Hîc ponit finem prædicationis intentum. Finis enim prædicationis Apoſtolorum erat gentibus manifeſtare verbum incarnatum: vt relictis idolis, veram Chriſti ſuſciperent fidem. Et hoc notãs Pſalmiſta dicit, quòd ideo gloriã regni tui dicẽt &c. vt notam faciant filiis hominum, id eſt gentibus, potẽtiam tuam. Quod quidem fecerunt Apoſtoli per miracula in fide nominis Chriſti per eos facta. Sic enim Paulus potẽtiam Chriſti notam fecit Dionyſio Ariopagitæ, in fide nominis Chriſti cæcum illuminando. Cum enim Paulus Athenis diſputaret cum Dionyſio, tranſiuit cæcus coram eis. Quẽ videns Dionyſius, dixit Paulo, Si dixeris huic cæco, vt in nomine Chriſti videat, & videat, ego credam. Sed ne vtaris verbis magicis, ego formã verborum præſcribam. Sic enim dices, In nomine Ieſu Chriſti de virgine nati, crucifixi & mortui: qui & reſurrexit & aſcendit in cœlum, vide. Cui reſpondit Paulus, Ad hoc vt omnis à te tollatur ſuſpicio, volo vt tu ipſe eadem verba credendo proferas. Et tunc in eadem forma verborum dixit Dionyſius cæco, & ſtatim cęcus fuit illuminatus: & ſic manifeſtata per miraculum Chriſti potentia Dionyſio, ipſe fidem Chriſti ſuſcepit. Ideo ergo prædicabant Apoſtoli, vt Chriſti potentiam gentibus manifeſtarent. Et non ſolum Chriſti potentiam, ſed etiam gloriam magnificentiæ regni ſui. Gloria enim dicitur notitia vel fama cum laude. In regno autem Chriſti eſt clara notitia & viſio diuinitatis: quia videmus nũc Deum per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Ibi etiam eſt iugis & continua laudatio: quia Pſalm. 83, Beati qui habitant in domo tua domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et nota quòd Chriſti potentia in tribus maximè notificabatur: quia ſcilicet ipſe Chriſtus habebat primò poteſtatem doctrinalem: Eccl. 8, Sermo illius poteſtate plenus eſt: Matthæi 7, Erat docens, ſicut poteſtatem habens: non ſicut Scribæ & Phariſæi. Secundò habebat poteſtatem medicinalem: quia verba eius omnis lãguoris erant curatiua, tam ſpiritualium morborum quàm corporalium: Matth. 9, Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata: tunc dixit &c. Tertiò habebat poteſtatem inſuperabilem in cunctorum dominatione: Matth. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Et gloriam magnificentiæ regni tui.* Vt enim hic ait gloſ. Sanctis enim prædicantibus, nota facta eſt potentia regni Dei, qua vindicabit in malos: & gloria regni, qua coronabit bonos. Notificata eſt: ne ignorata minus quæreretur. Nota facta eſt, quando Apoſtoli virtutes fecerunt, & per notitiam vtriuſque quidam timore pœnæ, quidam verò ſpe gloriæ conuertebantur. Vel aliter: vt litera Auguſtini habet, quæ ſic dicit,

*Dionyſius cæco illuminato fidem recepit.*

*Poteſtas Chriſti triplex.*



*Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriã magnitudinis decoris regni tui*: vt ſcilicet conſiderato decore vniuerſi, ſurgamus altius ad cõtemplationem amplioris decoris regni Dei: quod promittitur nobis. Vnde hic Auguſt. ait, Et gloriã magnitudinis decoris regni tui. Sancti tui commendant gloriam magnitudinis decoris regni tui. Sed qualẽ decorem habet regnum tuum? quia nos nõ terret, ſed habet decorem quo delectemur. Etenim quale eſt illud decus, quo perfruentur ſancti, quibus dicitur, Venite benedicti: percipite regnum. Vnde ibunt? quò ibunt? videre, & cõſiderare poteſtis decorem regni illius quod venturum eſt. Mundum iſtum attẽdite: decorem quidem habet. Quem decorem habet terra, mare, aër, cœlum, ſidera? Nónne pulchritudo ipſa mundi ſic eminet, vt quaſi pulchrius nihil poſſit inueniri? Et hic viuũt in iſto decore, in iſta pulchritudine propè iã ineffabili. Qui? hic tecum viuũt vermiculi, pulices, mures, & omnia terræ ſerpentia. Iſta tecum viuũt in decore iſto. Qualis ergo decor eſt illius regni Chriſti, vbi tecũ non viuunt, niſi angeli beati? Ideo parum fuit vt diceret gloriã decoris, ſed magnitudinis decoris regni tui: commendans regnum, quod nondum videmus, quod nondum viſum credimus: quod creditum deſideramus: propter cuius deſiderium omnia ſuſtinemus. Vnde & alibi dicitur, Dominus regnauit, decorem indutus eſt.

*Plenitudo gloriæ cæleſtis.*

*Matth. 25.*

## 2528 Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Hîc oſtendit quòd Apoſtoli prædicabũt regnũ Chriſti fore æternum. Nõ enim loquitur de regno præſentis vitę, ſed de regno glorię: de quo dixit angelus ad Mariã, Lucæ 1, Regnabit in domo Iacob inæternum, & regni eius nõ erit finis. Vnde de iſta domo Iacob, & regno Chriſti loquitur Bernard. ſuper Miſſus eſt, Homil. 4, dicens, Regnabit in domo Iacob inæternum. Hic nõ domum Iacob temporalem accipimus, cùm ſit in illa quæ æterna eſt, inæternum regnaturus. Quærenda eſt ergo domus Iacob æterna in qua regnet inæternum: cuius regni non erit finis. Annon domus exaſperans eſt illa domus Iacob quæ impiè abnegauit eũ, & inſipienter reſpuit ante faciem Pilati, quando illo petente, Regem veſtrum crucifigam: vno ore reſpondendo Reclamauit, Non habemus regem niſi Cæſarem? Require itaque Apoſtolum, & diſcerne tibi eum qui in occulto Iudæus eſt, ab illo qui in manifeſto. Et quæ in ſpiritu eſt circuncitio, ab ea quæ fit in carne: & filios fidei Abrahæ, à filiis carnis. Non enim (inquit Apoſtolus) omnes qui ſunt ex Iſrael, hi Iſraelitæ ſunt: neque qui ſemen Abrahæ ſunt, hi filij Abrahæ ſunt. Similiter ergo neque omnes qui ex Iacob, hi reputãdi ſunt in domo Iacob. Solummodo ergo qui in fide Iacob perfecti inueniendi ſunt, reputa in domo Iacob: & illos noueris ſpiritualem domum Iacob, in qua regnabit dominus Ieſus inæternum: & ipſi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quàm glorioſum illud regnum: in quo reges congregati ſunt, conuenerunt in vnum ad collaudandum & glorificandum eum, qui ſuper omnes eſt rex regum & dominus dominãtium: de cuius ſplendidiſſima contemplatione fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum &c. Hanc ergo perpetuitatem regni Chriſti, quo regnabit in beatis, ponens Pſalmiſta dicit, *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum* (id eſt æternum) *& dominatio tua in omni generatione & generationem*: id eſt, in præſenti generatione præſentis vitæ tu dominaris, & futuræ. Quanta ergo affectione noſtrum quilibet deſiderare debet eſſe de regno Chriſti, quod eſt regnum omnium ſæculorum, oſtendit Bernard. loquens de ſeipſo ſupra Miſſus, Homil. 4, dicens, Vtinam mei portionis meminerit Ieſus in beneplacito populi ſui, cùm venerit in regnum ſuũ. O ſi me in illa die, quando traditurus eſt regnum Deo & patri, viſitare dignabitur in ſalutari ſuo, ad videndum in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gẽtis ſuæ: vt à me laudetur cum hæreditate ſua. Veni interim domine Ieſu, aufer ſcandala de regno tuo quod eſt anima mea, vt regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me ſibi ſedem. Vult mihi dominari ſuperbia. Vult mihi eſſe rex luxuria. Iactantia dicit, Ego regnabo. Ambitio, detractio, inuidia, & iracundia certant in meipſo de memetipſo: cuius ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo reſiſto: dominum meum eſſe Ieſum reclamo: ipſi me defendo, quia ipſius me iuris agnoſco. Ipſum mihi Deum: ipſum mihi regẽ teneo: & dico, Non habeo regem, niſi Ieſum. Veni domine, diſperge illos in virtute tua, & regnabis in me: quia tu es mihi ipſe rex meus & Deus meus. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Vnde omnem generationem dicit illam, quæ eſt poſt hanc generationem.

*Regnũ Chriſti ſpirituale eſt, non temporale.*

*Ioan. 19.*

*Rom. 2.*

*Coloſſ. 2.*

*Rom. 9.*

*Matth. 13.*

*Anima noſtra eſt regnũ Chriſti.*

## Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. 2529

Hîc oſtẽdit quomodo Apoſtoli Chriſtum prædicabunt veracem in promiſſis. Sciẽdum quòd iſte verſus non habetur in Hebræo, neque in tranſlatione Hieronymi. Vnde dicunt quidam, quòd iſte verſus ab aliquo doctore fuit appoſitus, & quòd non eſt de textu Bibliæ. Auguſt. tamen iſtum verſum bene ponit in ſua tranſlatione. Vtrum autem in hac parte ſit magis credẽdum Auguſtino quàm Hieronym. diſcernat lector. Eſt autem huius verſus iſte ſenſus, quòd Deus in ſuis promiſſis fidelis eſt & verax: quia quicquid promittit, facit & obſeruat: quia promiſſa & verba ſua implentur, & nõ tranſeũt in vanum. Sic enim ait Chriſtus, Matth. 5, Amen dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiãt. Nec mirum: quoniam vt ait Chryſoſt. ſuper Matth. Si enim ingenuus homo in vili mendacio inuentus fuerit, erubeſcit. Et vir ſapiens verbum quod dicit, nõ relinquit in vacuum. Quomodo verba diuina ſine exitu vacua poterunt remanere? Et hoc eſt quod ait, *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis.* Quòd enim ſit fidelis, poſſumus cognoſcere ex eius promiſſis iam impletis, quòd promiſſa nondum impleta compleat. Et ideo ſicut homo volens tenere promiſſum, de promiſſis facit inſtrumẽtum: ſic & Deus de promiſſis nobis per eũ, chirographum nobis dedit: ſcilicet ſacram ſcripturam, in qua continentur eius promiſſa: vt de reſurrectione mortuorũ, de futuro iudicio, de præmiis bonorum, & de ſuppliciis damnatorum. Vnde hoc hic deducens Auguſt. ait, *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis.* Quid enim promiſit, & nõ dedit? Quædã enim

*Fidelis & verax eſt Deus.*

*Promiſſa omnia ſeruat Deus.*

enim promiſit,quia etſi nondũ dedit,ſed dabit,credatur illi ex his quæ dedit. Poſſumus credere ei tãtummodo dicenti. Sed noluit credi ſibi ſolum dicẽti:ſed voluit promiſſiones in ſcripturis poni:voluit tenere ſcripturam ſuã. Quomodo ſi dicas alicui homini cui aliquid promittis, Non mihi credis, ecce ego ſcribo tibi. Etenim quia generatio vadit & generatio venit:& ſic tranſcurrunt iſta ſæcula credentibus ſuccedentibúſque mortalibus, ſcriptura Dei manere debuit, quam omnes tranſeuntes legerent. Et quanta ſunt quæ iam reddidit ex iſto chirographo?Dubitant homines credere illi de reſurrectione mortuorum & de futuro ſæculo: quod ſolum iam reſtat reddendum. Computando quæ iã reddidi, potes credere me redditurũ quod promiſi. In ipſo chirographo habes promiſſum vnicum filium,cui ego non peperci,ſed pro omnibus tradidi illum.Ibi lege.Promiſi pignus ſpiritusſancti me daturum per filium meum: cõputa redditum. Promiſi ſanguinem & coronas ſanctorum martyrum:computa redditum. Admoneat te maſſa debiti mei:potens ſum.Promiſi regum fidem,dicens in chirographo meo,Adorabunt eum omnes reges terræ:omnes gentes ſeruient illi. Et hoc reddidi in effectu.Ante ergo oculos omniũ, ponit ſolutionem debitorum ſuorum. Quædam reddidit ſub maioribus noſtris,quæ nos nõ videmus:quædam reddidit temporibus noſtris, quæ illi non viderunt.Per omnes generationes reddidit quæ ſcripta ſunt. Et de eo quod reſtat, non ei crederetur? Nũquid propter pauca reſidua infidelis erit Deus? Abſit. Sed ſecurè credamus,quia fidelis dominus in omnibus verbis ſuis.Sequitur, *Et ſanctus in omnibus operibus ſuis:*hoc eſt,omnia ei⁹ opera ſancta ſunt. Nam ſanctum dicitur illud quod ad cultum Dei & honorem eſt ordinatum & deputatũ. Sic enim ſacerdotes ſancti dicuntur:ſic & veſtes ſacerdotales, calices,libri & templa: omnia talia ſancta dicũtur, quia ad honorem Dei deputata & laudẽ. Cùm autem omnia opera diuina ſint ad laudem Dei deputata:Prouerb.16,Vniuerſa propter ſemetipſum ordinauit:etiã quia omnia opera Dei ipſum laudant, vt oſtenſum eſt verſic.2525.Et hoc eſt quod ait, *Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.*Etiam quia vt habetur 1.Geneſ.1,Vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant valde bona:& per conſequens ſancta.

*Rom.8. Actuum 2. Pſal.71.*

2530 Alleuat dominus omnes qui corruunt,& erigit omnes eliſos.

Hîc conſequenter Pſalmiſta omnes generaliter ad Dei laudẽ excitat & inducit: & hoc ratione beneficiorum omnibus generaliter exhibitorum. Et duo facit:quia dicta beneficia reducit ad memoriã: ſecundò concluſionem inducit intentam:ibi, *Laudationem domini loquetur.* Quantum ad primum, notãdum quòd Pſalmiſta excitat nos in multis:primò per peccatum lapſos reparando:ſecundò omnibus eſcas præparando: ibi, *Oculi omnium:* tertiò omnia diſponendo iuſtè:ibi,*Iuſtus dominus:*quartò verè deprecantes exaudiẽdo:ibi,*Propè eſt:*quintò iuſtorum vota adimplendo:ibi,*Voluntatem:*ſextò ſuos amatores protegendo:ibi,*Cuſtodit dominus.* Quãtum ergo ad primum,omnes ad laudem Dei excitat, ex hoc quia Deus lapſorum eſt reparator, dicens, *Alleuat dominus omnes qui corruunt;*hoc dicit de lapſu in peccatum,quia quãtum eſt ex ſe, dominus omnes tales ſemper paratus eſt recipere ad gratiam, ſi conuerti voluerint:ipſo dicente, Nunquid voluntatis meæ eſt,mors impij, dicit dominus,& nõ magìs vt conuertatur & viuat? Per hoc enim peccantes patienter expectat, & non ſtatim damnat, vt parcat conuerſis:vide verſic.25.1471. Alleuat ergo Deus omnes qui corruunt, quantum eſt ex ſe. Sed non omnes alleuantur, quia multi obicem opponunt, alleuari nolentes. Sicut ſol quantum eſt ex ſe,omnes illuminat:ſi quis autem ſtudioſè claudat feneſtram,ne radius ſolis intret,non illuminatur:defectus eſt ſuus,nõ ſolis. Propter quod de talibus ponentibus obicem,dicitur Prouerb.1, Extendi manum meam,& non fuit qui aſpiceret.Si ergo Deus quantum eſt ex ſe omnes per peccatum corruẽtes alleuat:conſequens eſt etiam quòd omnes, quantũ eſt ex ſe,à pœna infernali etiam abſoluit: quæ non debetur,niſi in peccato mortali exiſtenti. Corruẽtes autem in pœnam temporalem,aliquando releuat:quandoque verò non. Releuauit enim Iob de miſeriis ſuis: Dauid à perſecutionibus Saulis & filij ſui: populum Iſrael de captiuitate Babylonica; non tamen hoc facit de omnibus etiã electis,quos multoties in pœnis vitam finire permittit:vt patet de ſanctis martyribus. Quod quidem facit, vt alleuet eos melius ipſos transferendo de miſeria præſentis vitæ ad ſempiternam coronam. Sic ergo alleuat omnes qui corruũt:ſcilicet per peccatũ mortale,& per conſequens à reatu æternæ pœnæ, ſupple,niſi ponant obicem. Quod aliis verbis repetit, dicens,*Et erigit omnes eliſos.* Vel aliter:alleuat omnes qui corruunt: id eſt, qui cadunt à cogitationibus ſuis malis,illas deſerendo. Vel qui corruũt per humilitatem vel volũtariam paupertatem ſeipſos deponendo. Omnes(inquam)tales erigit & eleuat ad gratiam & ad gloriã ſubleuando. Vnde hic ait Auguſt. *Alleuat dominus omnes qui corruunt.* Vel ſecũdum aliam literam,*Conſeruat dominus omnes decidentes:* nõ quidem omnes decidentes à Deo, ſed omnes qui corruunt & decidunt à cogitationibus ſuis. Si habebant malas cogitationes,decidũt ab eis:vel omnes decidentes qui amittunt quę in iſto ſæculo habent voluntariè: vt qui ex diuitibus fiũt pauperes, ex honoratis abiecti. Impij autem infirmantur in malis,quando mala accidunt illis. Deciderat Iob à gloria priſtinæ lucis temporalium rerum, quibus nitebat ad tempus. Deciderat à gloria domus ſuæ: ſedebat in ſtercore vlceribus plenus:ſed confirmauit dominus corruentem. Quantum cõfirmauit vt in ipſo graui ſuo vulnere,quo toto corpore fuerat percuſſus,reſponderet vxori tentanti,quam ſolam ſibi diabolus reliquerat adiutricẽ:Loquuta es quaſi vna ex inſipientibus mulieribus, Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala quare non ſuſtineamus?Cùm ceciderit (inquit Pſalmiſta) iuſtus, non collidetur: quia dominus ſupponit manum ſuam. Conſimiliter erigit omnes eliſos,ſcilicet ad ſe pertinentes:nam ſuperbis Deus reſiſtit. Vel aliter. *Alleuat dominus omnes qui corruunt:* non quòd omnes alleuet,ſed quia quicunque alleuatur, per eum alleuatur. Sicut illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum: non quòd omnes per Deum illuminentur, cùm multi implicati maneant erroribus:ſed quia omnis qui illuminatur, illuminatur per ipſum. Et nota quòd alij ſunt corruentes, alij ſunt eliſi. Nam corruẽtes ſunt qui cadere incipiũt; puta,qui tentationibus vel aduerſis impugnati incipiunt titubare:nondum tamen plenè tentationibus conſentiunt,vel in aduerſis deſperant; ſed eliſos dicit illos,qui iam de facto ceciderunt. Et nota quòd dominus electos ſuos eliſos, per volũtariam humilitatem,paupertatem,vel pœnitentiam erigit ad gloriã. Quod oſtendit Gregorius ſuper illo verbo Iob 5,Qui ponit humiles in ſublimi,& mœrẽtes erigit ſoſpitate:dicens, In ſublimi humiles ponuntur: quia hi qui nunc pro Dei amore deſpecti ſunt,tunc cum Deo iudices veniunt. Sed tunc dominus mœrẽtes erigit ſoſpitate,quia hi qui in eius deſideriis accenſi,proſpera mundi fugiunt,aduerſa patiuntur,cruciatus perſequentium tolerant, ſéq; ipſos per lamenta caſtigant:tanto ſublimiorẽ tunc ſoſpitatem ſuſcipiunt,quanto nunc à cunctis mũdi gaudiis deuotè moriũtur.Hinc eſt quod per Salomonem dicitur, Cor quod nouit amaritudinem animę ſuę,in gaudio ſuo nõ miſcebitur extraneus. Humana etenim mens amaritudinem animæ ſuæ ſcit,cùm æternæ patriæ deſideriis accenſa,peregrinationis ſuæ pœnam flendo cognoſcit. Sed in eius gaudio non miſcebitur extraneus:quia qui nunc à mœrore compunctionis extraneus eſt, tunc particeps ad lætitiam conſolationis non eſt &c.

*Ezech.18. Omnes peccatores recipit Deus. Aduerſa iuſtos cõfirmãt. Iob 1. Iob 2. Humiles exaltantur à Deo. Gregor.6.moral.cap.8. Erigit dominus humiles. Prouerb.14.*



2531 Oculi omnium in te ſperant domine,& tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

Hîc oſtendit ſecundum Dei beneficiũ,qui omnibus eſcam abundanter præparat. Hon nõ poteſt intelligi de omni creatura,vt aliqui dicũt, propter hoc quod ſubditur,*Et imples omne animal benedictione.* Sed intelligitur de creatura animata anima ſenſibili:cuiuſmodi eſt homo,& animal brutũ propter hominem factũ. Omnia enim talia animalia à Deo ſperant prouiſionem victualium: nõ ſolum homines,ſed etiam beſtiæ & aues. Propter quod dicitur Matth.6,Conſiderate volatilia cœli:non ſerũt &c. Sequitur, Et pater veſter cœleſtis paſcit illa, quibus eſcã parat opportuno tẽpore. Et hoc eſt quod ſubditur, *Et tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Quod ideo dicit, quia aliqua ſunt animalia talis naturæ, quòd per magnum ſpacium temporis ſtãt ſine cibo:ſed viuunt de cibo prius recepto.vt ſunt hirundines, quæ non comedunt in hyeme: ſed viuunt de alimẽto in æſtate recepto:vt ponit Albertus 2.de anima:& de multis aliis ponit exemplum. Hoc non ſolum intelligitur de eſca corporali qua corpus viuit:ſed multo fortius de ſpirituali,qua iuſtorum paſcit deſideriũ. Oculi enim omnium iuſtorum in domino ſperant, quando aliquid quod vtile putant, cum ſpe impetrandi à domino petũt. Sed Deus qui nouit quando quod petunt eſt eis vtile,& quando non, quod ipſi poſtulantes ignorant:dat quod petunt,non ſemper, ſed in tempore opportuno:ſicut non exaudiuit Paulum tertiò rogantẽ vt ſtimulus carnis auferretur ab eo:quia nouit medicus hoc ſibi opportunũ non eſſe. Sic enim hoc exponit Auguſt.dicens,*Oculi omnium in te ſperãt* &c. Dominus tanquam medicus reficiens ægrotũ, dat quod petit,quando videt opportunum. Itaq; aliquãdo deſideratur ab illo,& nõ dat:nouit enim horam dandi,qui curat. Quod dico, ne quis fortè quando non fuerit exauditus,aliquid iniuſtum petens à Deo,triſtetur. Nam quãdo iniuſtum aliquid petit,in pœnam ſuam exauditur:ſed ſi aliquis iuſtũ petens non fuerit exauditus, non propter hoc deficiat animo:expectet tempus opportunum. Quãdo enim non dat,ideo nõ dat,ne obſit quod poſtulatur. Neque enim aliquid iniuſtum petebat Apoſtolus,cum poſtulabat vt auferretur ab eo ſtimulus carnis:& tamen non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Petiit diabolus tentãdum Iob,& accepit. Apoſtolus rogat,& non accipit. Eſt ergo præponendus diabolus Apoſtolo? Abſit. Sed non accepit Apoſtolus propter perfectionem ſuam. Accepit diabolus ad damnationem ſuã. Deniq; & ipſe Iob accepit ſanitatem in opportunitate. Dilata eſt ſcilicet ſanitas vt probaretur. Diſcite ergo non murmurare aduerſus Deum,quãdo non exaudimini. Et ponit exemplum de Chriſto, dicens,Ipſe vnicus Dei filius venerat ſoluere quod nõ rapuerat:mori in manibus peccatorum,vt ſanguine ſuo deleret chirographum noſtræ mortis. Et orauit,dicens,Pater,ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte. Nec hoc accepit. De hoc tamen vide verſic. 190. Exaudit Deus tempore opportuno: & quandoque exaudire iuſtos differt,ſed ad ipſorum vtilitatem. Quod oſtendit Gregorius dicens, Omnipotens Deus, quid nobis profuturũ eſſe valeat ſciẽs, quandoq; diſſimulat exaudire dolentium vocem: vt augeat vtilitatem,vt purgẽtur vitia per pœnam, & quietis tranquillitas quæ hic inueniri non poteſt,alibi quæratur.

*Oratio iuſtorum non ſemper exauditur. 2.Cor.12. Iob 1. Chriſtus non ſemper fuit exauditus. Philip 3. Matth.26. Gregor.14. moral.c.18.*

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 2532

Iſte verſus eandem ſentẽtiam continet cũ præcedẽte. Quia ſtatim dixerat, *& tu das illis eſcam in tẽpore opportuno:*hoc idem reſumit,dicẽs,*Aperis tu manum tuam*(ſcilicet tempore opportuno)*& imples omne animal benedictione.* de hoc vide verſic.1782.vbi dicitur,Aperiente te manum tuam, omnia implebũtur bonitate. Notandum quòd per iſtã aperitionem manus Dei, ſignificatur Chriſti incarnatio: qua omne animal benedictione fuit plenum. Quid enim eſt manus Dei,niſi vnicum eius verbum, per quod tanquã per manũ omnia operatur? Pſal.118, Manus tuæ domine fecerunt me. Hæc manus primò videbatur clauſa, quando ante incarnationem à nobis manebat abſcondita. Fuit autẽ aperta,quãdo ad nos fuit miſſa: vt qui primò nobis loquebatur in prophetis,nobis ore proprio loqueretur. Et vt iſta manus nobis aperiretur, primò aperta fuit terra vnde oriretur: ſcilicet quãdo virgo Maria dicta terra ratione ſuæ humilitatis,ſtabilitatis & fœcunditatis,eſt aperta:vt in ipſa verbum carnem induat. De cuius apertione Eſaias prædixerat,Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet ſaluatorem. Vbi apertè incarnationis Chriſti declaratur myſteriũ. Tunc enim terra dicitur fuiſſe aperta, quãdo in beata virgine per nouum generationis modum ad generandum fuit fœcũdata. Antè enim terra noſtræ humanitatis ne ſine ſuſcepto ſemine hominem concipere poſſet, clauſa manebat: ſed in beata virgine fuit aperta, quæ non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Deũ genuit & hominẽ. Et de hac apertura dicitur Ezechiel 44,Porta hæc clauſa erit,& non aperietur: & nemo tranſibit per eam,niſi ſolus princeps qui ingreditur per eam. In iſta enim apertione benedictę incarnationis fuit impletum Dauid vaticiniũ, dicens, Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit;& pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Quid enim mãna ſignificat, niſi Chriſtum?vt multipliciter dedùcit Magiſter libro 4,diſtinct.8. Similiter quid panis cœli aliud ab ipſo Chriſto?ipſo multoties dicẽte, Ego ſum panis viuus,

*Aperire manũ ſignificat Chriſti incarnationem. Eſaiæ 45. Aperuit virgo Maria Chriſto. Pſal.77. Ioan.6.*

viuus,qui de cœlo deſcendi.Iſtam apertionem per conſenſum beatæ virginis ipſum verbum ab ipſa poſtulabat,ſibi dicens,Aperi mihi ſoror mea,amica mea,columba mea,immaculata mea. Ad cuius vocem ipſa ſurrexit, & angelo annunciāte aperuit per conſenſum,dicens illud Cāticorum 5, Surrexi vt aperirem dilecto meo.Et Eſaiæ 45,dicit, Chriſto meo cuius apprehēdi dexteram,aperiā ante eū ianuas,& portæ non claudentur.Apprehendit virgo Maria dexteram Chriſti, quando votum virginitatis emiſit. In dextera enim fortitudo conſiſtit. Quid autem fortius,quàm per virginitatem ſtimulum ſubiugare inimici domeſtici carnis? Aperuit ſibi portas, quando animum ſuum aperiendo angelo conſenſit,dicens, Fiat mihi ſecūdum verbum tuum.Et portas ſuæ mentis nunquam clauſit:quia nullum obſtaculum culpæ oppoſuit gratiæ Dei.Et ideo ſtatim vt conſenſit angelo, ſpiritumſanctum attraxit:quo operante verbum Dei induit carnem. Ideo ipſa ait,Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam. Per iſtā ergo apertionem Chriſtus incarnatus multa nobis aperuit, vt nos benedictione repleret. Nam multiplicē reperimus apertionem in Chriſto. Vide in ipſo,primò apertionem oris ad noſtram inſtructionem: Matth.5,Aperiens os ſuū docebat eos. Quod ideo dicit(vt ait Gregorius 4.moral.cap.4.) vt oſtendat quòd qui dudum ad nos docendum aperuerat ora prophetarum, nunc os proprium aperiendo, nos docet. Secundò apertionem lateris ad noſtram redemptionem:Ioan.19, Vnus militum lancea latus eius aperuit &c.Vbi Auguſt.ſuper Ioannem dicit, Vigilanti verbo euangeliſta vſus eſt: vt nō diceret, latus eius percuſſit,vel vulnerauit,ſed aperuit:vt illic quodammodo vitæ oſtium pāderetur,vnde eccleſiæ ſacramenta manarent:ſine quibus ad vitam quæ verè vita eſt,non intratur. Tertiò apertionem manus ad noſtram prouiſionem:Pſal.103, Aperiēte te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Manus enim clauſa ſignificat auariciam:ſed aperta quæ nihil retinet,liberalitatem.Vnde Prouerb.31, Manus ſuas aperuit inopi,& palmas ſuas extendit ad pauperē. Quod hic confirmans Pſalmiſta dicit, *Aperis tu manum tuā,& imples omne animal benedictione.*

*Cantic.5.* *Pſal.118.* *Aperuit nobis Chriſtus multa.*

## 2533 Iuſtus dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Hîc oſtendit tertium beneficium, quòd Deus facit omnia iuſtè diſponendo.Iſte verſus ſententialiter idem eſt cū alio verſiculo ſuperius poſito: ſcilicet *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*Ideo exponitur vt illic. Hic tamen ponitur,*Iuſtus dominus:*& ibi,*Fidelis dominus.*Ponitur ergo hic *iuſtus dominus*, ſecundum gl.vt ipſo nomine iuſtitiam aperiat: vt manifeſtè hic oſtēdatur laus eſſe de iuſtitia. Vel per hoc vult oſtendere quòd in omnibus operibus ſuis iuſtus eſt dominus,& quādo flagellat,& quādo medetur, & quādo aduerſitatibus pungit, & quando proſperitatibus mulcet. Vnde hic ait Auguſt. *Iuſtus dominus in omnibus viis ſuis.* Et quando cedit, & quando curat iuſtus eſt:apud eum iniquitas non eſt. Deniq; omnes ſancti in tribulationibus conſtituti,prius iuſtitiam eius laudauerunt: & ſic beneficio petierunt. Prius dixerunt, Iuſtum eſt quod facis. Sic rogauit Daniel:ſic & alij ſancti,Iuſta ſunt iudicia tua; meritò paſſi ſumus. Non dederunt Deo iniuſtitiam, non iniquitatem:ſed laudauerunt primò flagellantem:& ſic ſenſerunt miſerantem. Nemo illum putet iniuſtum,quādo fortè aliquid mali patitur: ſed ipſius iuſtitiam laudet, & ſuam iniuſtitiam accuſet,dicens,*Iuſtus dominus in omnibus viis ſuis,& ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Et nota quòd viæ domini ſunt multiplices: in quibus ſanctus & iuſtus eſſe comprobatur. Primò viæ domini ſunt exēpla virtutum, quæ nobis Chriſtus oſtendit, quibus ad ipſum ire poſſemus:quas tamen multi ſuperbi cognoſcere nolunt,credentes per ignorantiam excuſari:de quibus dicitur Iob 34, Et omnes vias eius intelligere noluerunt. Quæ verba exponit Gregorius,dicens,Nota quòd non ait, infirmitate nō intelligunt:ſed intelligere noluerunt:quia ſæpe quæ facere nolunt,etiam ſcire contemnunt. Quia enim ſcriptum eſt, Seruus neſciens voluntatem domini ſui,& non faciens condigna,plagis vapulabit paucis:& ſeruus ſciens voluntatem domini ſui,& non faciens iuxta eam,multis vapulabit plagis. Impunitatem peccandi æſtimant remedium neſciendi. Qui nimirum ſola ſuperbiæ caligine tenebreſcunt: atque ideo non diſcernunt, quia aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Neſcire enim ignorātia eſt:ſcire autem noluiſſe,ſuperbia.Et tanto magis excuſationem non poſſunt habere,quia neſciunt,quanto magis eis etiam nolētibus opponitur eis quòd cognoſcant.Vnde per Salomonem dicitur,Nunquid non ſapientia clamitat in plateis, & prudentia dat vocem ſuam,in ſummis excelsíſque verticibus ſuper viam in mediis ſemitis ſtans? Tranſire fortaſſe per viam vitæ tēporalis poteramus,cùm eius ignorantia poteramus. Sed poſtquam Chriſtus incarnationis ſuæ myſteria publicè oſtendit: poſtquam humilitatis exēpla ſuperbientibus præbuit:ſemetipſam nobis quaſi tranſeuntibus in mediis ſemitis fixit: vt videlicet in eam quam quærere nolumus, impingamus: & quam tranſeuntes videre negligimus,tangamus offendentes. Dicatur ergo,Omnes vias eius intelligere noluerunt. Via quippe eſt incarnatæ ſapientiæ,omnis actio quam temporaliter geſſit.Viæ eius ſunt,viuēdi ordines, quos ad ſe venientibus vias præbuit. Tot itaque ad ſe venientibus vias præbuit,quot bene viuendi exempla mōſtrauit.Humilitatis eius vias propheta cōſpexerat, cùm dicebat,In mandatis tuis exercebor,& conſiderabo vias tuas &c. Sed nūquid in omnibus iſtis viis iuſtus dicitur dominus?Certè ſic:quia per illas ſuos fideles iuſtificat. Propter quod alibi Pſalmiſta dicit,Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me. De viis domini vide verſicul.230.247.354.395.1043.1270.1884.2078.2089.2109.

*Iuſtus eſt dominus in omnibus quæ facit.* *Daniel 3.* *Via domini multiplex.* *Gregor.25.moral.c.16.* *Lucæ 12.* *Ignorantia qualiter excuſat.* *Prouerb.8.* *Pſal.118.*

## 2534 Propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum:omnibus inuocantibus eum in veritate.

Hîc oſtēdit beneficium Dei quartum: quod eſt in exaudiēdo iuſtè deprecātes. Quia omnes ipſum deuotè exorantes, tempore debito exaudit vel ad votum,vel ad vtilitatem. Et eligibilior eſt exauditio quæ eſt ad vtilitatem, quàm illa quæ eſt ad votum: quantum Deus altius cognoſcit quid nobis expediat,quàm nos ipſi faciamus.Sed quid eſt Deū propè eſſe omnibus inuocantibus,cùm ſit vbique ſecundum eſſentiam ſuam,& ſic non propè aliquē: quia propè locum non ſignificat eſſe in loco, ſed iuxta

*Propè quomodo Deus: qui eſt vbique.*



iuxta locum:ſic propè orantem eſſe,non ſignificat eſſe in orante,ſed iuxta:dominus autem eſt in omnibus. Ad quod dicēdum,quòd quamuis Deus per eſſentiam ſit in omni re, & non prope aliquam rē: tamen per aliquos ſingulares effectus prope aliquos dicitur eſſe,& remotus ab aliis. Sicut per effectum ſalutis eſt prope iuſtos,dicens,Verumtamē prope timentes eum ſalutare ipſius:ſed ſic à peccatoribus eſt valde remotus:Pſal.118. Lōgè à peccatoribus ſalus. Vel aliter,ſecundum grammaticos,à propè dicitur propicius. Et eſt propicius idē quod miſericors,mitis,placatus.Vnde hic accipitur propè pro propicio. Et eſt ſenſus. *Propè eſt dominus* &c. id eſt propicius eſt dominus &c.quia ſcilicet concedit eis quod nouit vtile ipſis:ſicut medicus prope infirmum dicitur eſſe,quando curam gerit eius ſalutis.Sed quibus eſt propè,ſubditur, *Omnibus inuocantibus eum in veritate.* Sed quid eſt inuocare in veritate?Inuocat dominū in veritate, qui ſua oratione ſolùm Deum quærit habere. Inuocat autem & nō in veritate,qui aliud à Deo quærit. Vnde hic ait Aug. *Propè eſt dominus* &c. Et vbi eſt quod ſcriptum eſt,Inuocabunt me,& nō exaudiam eos?Ergo audi quod ſequitur, *Omnibus inuocantibus eum in veritate.*Nam multi Deum inuocant,ſed non in veritate:qui ſcilicet aliud ab ipſo quærūt. Verbi gratia.Quare amas Deum? Quia dedit mihi ſanitatē: vel quia mihi dedit vxorem diuitem:vel quia dedit mihi filios multos & bonos:dedit familiam: dedit omnia bona.Ideo Deum amas: ideo nihil amplius quæris?Eſto adhuc eſuriēs:adhuc pulſa ad ianuam patrisfamilias:habet adhuc quod det. In mendicitate es cū omnibus his quæ accepiſti: & quaſi iam ſaturatus non rogas? Ergo ſi bonus eſt Deus quia iſta tibi dedit:quāto beatior eris, cùm ſeipſum dederit tibi?Ille ergo qui Deum ipſum à quo accepit illa de quibus gaudet, præponit his omnibus rebus quas accepit: ipſe inuocat Deum in veritate. Nam vt noueritis, ſi talibus hominibus proponatur,& dicatur, Quid ſi iſta omnia de quibus gaudes, vellet tibi auferre Deus? iam non amabitur? Quid dices? Deus, quid tibi ego feci? quare mihi abſtuliſti,& illi dediſti?Iniquis das, & à tuis tollis. Accuſas Deum quaſi iniuſtum: & te laudas quaſi iuſtum. Sed vis inuocare Deum in veritate? Conuertere. Accuſa te:lauda Deum. Tunc eris rectus cum omnibus bonis quæ facis:tunc Deus tibi placet.In omnibus malis quæ pateris, Deus non tibi diſplicet.Hoc eſt in veritate Deum inuocare. Qui ſic inuocat Deum,Deus exaudit illum. *Propè eſt illi dominus.*Nondū dedit quod vis:ibi eſt tamen.Quomodo medicus ſi fortè aliquid imponat vel oculo vel viſceribus quod vrendo ſanet: ſi roget æger vt tollatur illi, medicus expectat tempus: non facit quod rogat æger. Nō te exaudit ad præſentem voluntatem,exaudiēdo ad futuram ſanitatem:& hoc vtique ad voluntatem. Nam ſanus eſſe vult, qui etiam vri nō vult. Qui ergo Deum in veritate vult inuocare,non temporalia,ſed ipſum Deum principaliter orando quærere debet: vt oſtendit Gregorius dicens,Cùm Deus in oratione non quæritur, citius animus orantis laxatur: quia cum illa quiſque poſtulat, quæ fortaſſe iuxta occultum Dei iudicium tribuere recuſat, ipſe quoque Deus venit in faſtidium:quia non vult dare quod amatur. Sed ſe magis dominus quàm ea quæ condidit, vult amari,æterna potius quàm terrena poſtulari.Sicut ſcriptum eſt, Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius:& hæc omnia adiicientur vobis. Qui enim non ait dabuntur, ſed abiicientur: profectò indicat aliud eſſe quod principaliter datur,& aliud quod ſuperadditur. Quia enim nobis in intentione æternitatis in vſu ſuo temporalitas eſſe debet: & illud datur, & hoc nimirum ex abundantia ſuperadditur. Et tamen ſæpe homines dum bona tēporalia poſtulant,æterna verò præmia non requirunt:petunt quod additur:& illud non deſiderant, niſi adiiciatur. Nec lucrum ſuæ deprecationis eſſe deputant,ſi hic ſint temporaliter pauperes, & illic beatitudinis diuites inæternum viuant: ſed ſolùm viſibilibus intenti labore poſtulationis renuūt inuiſibilia mercari. Qui ſi ſuperna quærerent, iam cum fructu laborem exciperent. Quia cùm mens in precibus ad autoris ſui ſpeciem anhelat: diuinis deſideriis inflammata, ſupernis coniungitur, ab inferioribus ſuperatur:amore feruoris ſui ſe aperit vt capiat,& capiēs ſe inflammat:& ſuperiora amare,iam ſurſum ire eſt.Dúmque magno deſiderio ad cœleſtia inhiat, miro modo hoc ipſum quod accipere quærit,deguſtat. Sic ergo propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum &c.Sic enim inuocare,modò eſt tempus.Propter quod dicitur Eſa.55, Quærite dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum dum propè eſt.

*Pſal.84.* *Inuocare in veritate,quid eſt.* *Iohel 2.* *Oratione deū quærere debemus principaliter, non temporalia.* *Gregor.15.moral.c.20.* *Math.6.* *Prouerb.8.*

## 2535 Voluntatem timentium ſe faciet,& deprecationem eorum exaudiet,& ſaluos faciet eos.

Hîc oſtendit quintum beneficium quod facit, vota iuſtorum adimplendo: quia voluntatem timentium ſe faciet. Et nota quòd non dicit facit, ſed *faciet*:quia non ſemper exaudit orationes iuſtorum,ſed tempore opportuno: quia finaliter Deus adimplet voluntatem ipſorum. non quidem ſemper in præſenti vita,ſed ſaltem in futura.quod notat dicens,*Et ſaluos faciet eos.* Dicit ergo, *Voluntatem timentium ſe faciet.*& hoc timore filiali:quia talis timor charitati coniungitur:& per conſequens omnis qui ſic timet Deum, voluntatem ſuam voluntati diuinæ ſupponit.Ex quo ſequitur, quòd ſicut voluntas Dei ſemper impletur: ſic & voluntas timentium Deum timore filiali: quia vnum tales volunt cum Deo. Vnde hic Auguſt. *Voluntatem timentium ſe faciet*: ſcilicet ſi ſic times Deum, vt & tu facias voluntatem eius, & ipſe voluntatem tuam faciet. Sed quomodo faciet voluntatem eorum, ſubdit,*Et deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Vides ad hoc exaudire medicum: ad hoc ſcilicet vt donet ſalutem. Notandum quòd quamuis hic loquatur de timore filiali: tamen etiam poteſt intelligi de timore pœnæ: quia ille ad verum Dei timorem inducit:& ſine illo multoties cadit iuſtus à gratia. Dicunt naturales, quòd quia aurum ſub ſpecie propria ſecurè non poteſt portari de vna regione ad aliam: quòd debet ſub forma pulueris redigi, vt non appareat aurum: & ſic ſecurè poteſt portari, nec tunc latronum periculum timetur.Redigitur autem ad formam pulueris ſic.Cùm enim aurum in igne liqueſcit, immiſcetur ei cinis, & mouetur cū teſtula,donec aurum pulueriʒetur. Aurum autem ſic pulueriʒatum, & ſub alia forma reductū, ſecurius portatur de vna regione ad aliā,

*Timor orationem facit exaudiri.* *Timor pœnæ proficit.*

propter timorem latronum. Et huic imaginationi concordat illud quod habetur Hierem.10,vbi dicitur,Argentum inuolutum de Tharſis affertur,& aurum de Ophir.Sic in propoſito, per aurum intellige gratiā & alias virtutes, per quas anima diteſcit ſpiritualiter:quæ pluſquam aurum & argentum appreciantur:quia vt dicitur Prouerb.22,Super argētum & aurum,gratia bona. Per ignem verò intellige tentationes diaboli,& alias mundi aduerſitates:quibus diabolus animas noſtras accendere & flammare nititur. Pſalm.79,Incenſa igni & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribūt. In iſto igitur igne aurū incipit liqueſcere:quando ad conſenſum tentationis animus incipit emolliri. Quid ergo tunc faciendum eſt? Miſcēdus eſt auro noſtro & virtutibus noſtris cinis incendij æterni, qui timorem nobis incutiat:aut certè cinis noſtræ mortis.de quo Sapient.2, Extinctus cinis erit corpus noſtrum. Cui adhibeatur teſta: id eſt conſideratio noſtræ imbecillitatis & infirmitatis, quæ à nobis omnem ſecuritatem auferat.de qua teſta ait Pſalmiſta,Aruit tanquam teſta virtus mea. Et tunc aurum animæ noſtræ, id eſt virtutes & gratia,ſic occultabitur ſub ſpecie pulueris: vt ſecurè viam præſentis vitæ abſque expoliatore tranſire poſſimus. Vnde Bernard.ait ſuper Cāt.In veritate didici nullum ita efficax eſſe remedium ad Dei gratiam promerendam retinendámque atque recuperandam, quàm ſi omni tempore inueniaris coram Deo non alta ſapere,ſed timere.Ideo dicitur Prouerb.23, In timore domini eſto tota die. Quamuis ergo iſte timor pœnę per ſe nō ſufficiat ad hoc,vt à Deo exaudiri mereamur: tamen ratione ſui effectus quia timorem filialem inducit, proficit multum & iuuat.

2536 Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe:& omnes peccatores diſperdet.

Hîc oſtendit Deum laudandum ex ſexto beneficio,quia ſuos dilectores protegit. Ad principem enim ſpectant duo maximè: ſcilicet præmiare bonos,& malos punire.ſed principalior actus eſt pręmiatio bonorum: quia malorum punitio eſt propter bonos conſeruandos: non autem præmiatio bonorū propter malos. Et hinc eſt quòd ſummus iudex in iudicio primò dabit ſententiam præmiationis bonorum, dicens, Venite benedicti patris mei &c.Conſequenter autem dabit ſentētiam punitionis malorum,dicens,Diſcedite &c. Et hoc eſt quod clarè hic innuit Pſalmiſta, præmiationē bonorum præmittens punitioni malorum,dicēs, *Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe.* Et conſequenter addit,*Et omnes peccatores diſperdet.* Quid enim proficeret ſi Chriſtus homines ad ſuum amorē traheret,ſi illos attractos non cuſtodiret? Quos ergo ſuo ſanguine acquiſiuit,hos per ſuam gratiam acquiſitos cuſtodit.Dicit Philoſophus, 2.œcon.Quòd œconomus (id eſt diſpenſator domus) talis debet eſſe, quòd diuicias acquirere & multiplicare poſſit, & acquiſitas cuſtodire:quia ſine cuſtodia nihil proficit acquiſitio. Sic in propoſito. Nam œconomus patrisfamilias cœleſtis ciuitatis eſt Chriſtus. Pſal. 104.Cōſtituit eum dominum domus ſuæ,& principem omnis poſſeſſionis ſuæ.Iſte nos patri cœleſti acquiſiuit cum magnis laboribus: quia ſanguine proprio.Actuum 20,Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo ſpiritusſanctus poſuit vos regere

*Matth.25.*

eccleſiam ſanctam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.Fruſtra autem hoc feciſſet,niſi diligēter cuſtodiret.Et hoc eſt quod dicebat patri,Ioan.17,Quos dediſti mihi cuſtodiui,& non periit &c. Cuſtodit ergo omnes diligentes ſe.per hoc intelligit omnes prædeſtinatos, quos ſolùm dilexit ab æterno. De talibus dilectoribus ait Chriſtus Ioan.14, Qui diligit me,diligetur à patre meo:& ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Quod ſolùm de prędeſtinatis poteſt intelligi. Tales cuſtodit,quia nullus illorum finaliter cadit:& per conſequens,in vitam æternam cuſtodit illos. Similiter dicit de peccatoribus:ſcilicet præſcitis & in peccato perſeuerantibus. Vnde hic ait Auguſt.*Cuſtodit dominus omnes diligentes* &c. Videtis quia apud Deum eſt ſeueritas, apud quem eſt ſuauitas tanta:quia cuſtodit dominus omnes diligentes ſe,omnes ſperātes in ſe,omnes fideles,omnes timentes ſe, omnes inuocantes in veritate.*Et omnes peccatores diſperdet*:ſcilicet in peccatis perſeuerantes, Deum reprehendere non formidantes,contra Deum quotidie diſputantes, veniam peccatorum deſperantes, & ex ipſa deſperatione veniam tumulantes.Venit tempus,vt ſeparētur iſti omnes,& fiant inde duæ partes:vna ad dexteram,& alia ad ſiniſtram: vt accipiant iſti regnum æternum,& omnes peccatores diſperdet. Notandum quòd dominus cuſtodit nos dupliciter: ſcilicet per ſeipſum. & ſic cuſtodit multa perſonarum genera:de hoc vide verſic.1665.2034.Item nos cuſtodit per angelos ſanctos,quos nobis dedit cuſtodes.De cuſtodia angelorū vide in dictionario meo, litera cuſtodire, parte ſecunda. Item nos cuſtodit per aduerſa & afflictiones. De hoc vide in litera afflictio,parte quarta primæ partis. Qualiter autem variè diſperdit peccatores,vide verſic.2497.

Laudationem domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto eius,in ſeculum & in ſeculum ſeculi. 2537

Hîc circa laudem diuinam ponit concluſionem intentam:ſcilicet quòd ipſe & omnis homo debet laudare Deum. Vnde hic ait gl. Expoſitis cauſis diuinæ laudis,hic ponitur breuis concluſio:qua cōcludit omnes homines Deum laudare debere. Vbi aduertendum,quòd per hoc quod dicit,*Et benedicat omnis caro* &c.intelligit omnes homines. Nam per carnē in ſingulari intelligitur homo: ſicut dicitur Geneſ.6, Omnis quippe caro corruperat viam ſuā. Omnis caro,id eſt homo. Nam caro ſignificat totum hominem:vide verſic.1011. Accipitur tamen in ſcriptura caro non pro toto homine, ſed pro parte materiali hominis. Et ſic caro rationi contrariatur. Caro enim primorum parentum corrupta ab integritate quam in prima creatione acceperat, ſemper rationi contrariatur & ſpiritui. Et niſi caſtigetur & ſubiiciatur, ipſum ſpiritum ſibi ſubiicit & ducit ad mortē. Quod notabat Apoſtolus,dicēs,Si ſecundū carnem vixeritis,moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis. Cuius rationem oſtendit Gregorius ſuper illo verbo Iob 11, Spes illorum eſt abominatio animæ: dicens, Spiritus deficit, vbi caro requieſcit. vt enim caro mollibus, ſic ſpiritus duris nutritur. Illam blanda refouent: hunc aſpera exercent.

*Caro ſignificat totū hominē & quandoque partem hominis.*

*Caro contrariatur rationi & ſpiritui.*

*Rom.8.*

*Gregor.10. moral.c.14.*

Illa



Illa delectationibus paſcitur: hic amaritudinibus vegetatur.& ſicut carnem dura ſauciant:ſic mollia ſpiritum necant.Sicut illam laborioſa interimunt: ita hunc delectabilia extinguunt. Spes itaque carnaliū abominatio animæ dicitur:quia inde in perpetuum ſpiritus interit, vnde ad tempus caro ſuauiter viuit. Sic ergo caro delicatè nutrita ſpiritum extinguit.Et ideo conſulit Apoſtolus,dicens,Curā carnis ne feceritis in deſideriis. Domanda eſt ergo caro,vt ſpiritum ſequatur, & ad Dei laudem conſurgat. Nam benedicere domino nihil aliud eſt quàm bene viuere, & bonis operibus nomen eius honorare.vide verſic.378. Quid eſt ergo dictum, *Et benedicat omnis caro nomini ſancto eius*,niſi optare vt quilibet homo carnem ſuam taliter regat, vt ſpiritui ſubiiciatur,& bonis operibus inſiſtat, quibus Deus laudetur?Sed per quem modum ſic caro domabitur vt ſequatur ſpiritum?Notandum quòd vt ait Chryſoſt.Homil.18, ſuper Matth.Inter omnes carnis paſſiones(alias paſtiones)ſeu delectationes, ſunt tres præcipuæ & carni magis intimæ & connaturales:ſcilicet eſca,ſomnus,& amor viri ad mulierē. Et ideo grauius eſt illas à natura carnis præcidere,quàm cæteras.Et addit Chryſoſtom. Quòd nullius paſſionis abſtinētia ſic ſanctificat carnem, quomodo abſtinentia ab iſtis, vt ſit homo caſtus, ieiunus,& vigiliis perſeuerās:& nullæ aliæ ſic carnem vel corpus inquinant, ſicut iſtæ: vt ſit homo fornicarius,aut epulator,aut deditus ſomno. Hæc ille. Ex quibus patet quòd qui carni ſuæ vult dominari, iſtas tres paſſiones maximè præcidere debet.Dicit Philoſophus,5. Polit.quòd apud aliquas ciuitates,ſicut apud Athenas, fuit conſuetudo relegare nimis potētes, ne ſibi vſurparent principatum ciuitatis.Sed vt ibi dicit Philoſophus,melius fuiſſet ſic ordinaſſe à principio, quòd non fuiſſent aliqui ita excedentes in poteſtate,quàm poſtquam permiſerint eos ſic potētes fieri,illos ſanare poſterius. Conſimile narrat Frontinus lib.1.de Tarquinio Superbo,rege Romanorum, quòd cum à filio ſuo Tarquinio qui Sabinos deuicerat,miſſo nūcio ad patrem, peteret quid de Sabinis eſſet fiendum: ipſe non audens ſecretum ſuum alicui committere (volebat enim quòd filius ſuus principes Sabinorum interficeret) nuncium ad ſe miſſum duxit in hortum: & dum ambulabat, capita papauerum eminentia baculo percutiebat.Et nuncium ſine literis filio remiſit. Nuncius verò reuerſus nunciauit filio quid patrem agere vidiſſet. Ille autem ſtatim intellexit,idem de principibus Sabinorum eſſe fiendum. Sic in propoſito, ſi in ciuitate animæ noſtræ ſint prædictæ paſſiones nimis potētes,quia liberè permiſſæ ſunt vires ſuas agere: expedit illas expellere, ne totius ciuitatis principatum vſurpēt. Melius tamen eſſet à principio ſic agere quòd non admitterentur,vel vires ſumerēt.Nam, vt dicit Seneca,epiſtola 123, Quomodo ad id finiendum ſatis valeo,ad quod prohibendum parum valui:cum facilius ſit excludere, quàm admiſſa comprimere? Ideo vt dicit Apoſtolus,Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis.

*Rom.13.*

*Carnis tres ſunt maximè paßiones ſuperandæ.*

*Rom.8.*

## PSALM. CXLV.

2538 Lauda anima mea dominum: laudabo dominum in vita mea:pſallā Deo meo quandiu fuero.

Titulus huius Pſalmi eſt,Alleluia. Quod idē eſt quod Laudate dominum.de hoc vide verſic.1790, vbi alleluia declaratur. Quantum autem ad materiam huius Pſalm.notandum quòd tota intentio Pſalmiſtæ eſt,homines inducere ad laudem Dei:& vt ipſum laudando, non in hominibus ſpem ſuam ponant,ſed ſolum in Deo. Nam vt patet ex decurſu veteris teſtamenti,quandocunque filij Iſrael habuerunt ſpem ſuam in Deum, & non recurrebant principalius ad auxilium hominū, ipſi omnes inimicos ſuos ſuperabant: quando autem omiſſo vel poſtpoſito adiutorio Dei, ipſi ad auxilium hominum vertebantur: ſtatim ſuperabantur: quoniam populus armatus ſine Deo,inermis eſt.Exemplum patet de Sedechia rege Iudæ:qui omiſſo Deo,contra regem Babylonis quæſiuit ſibi auxilium regis Ægypti.Propter quod & ipſe fuit ſuperatus,& priuatus oculis,cum filiis & matre & reliquo populo in Babylonem captiuus fuit ductus:vt habetur 4. Regum, 25. Ciuitas Hieruſalem fuit deſtructa, & templum funditus euerſum.Et hoc eſt quod Pſalmiſta ait Pſalm.117,Bonum eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus. Quis autem fuerit autor huius Pſalmi,ignoratur. Quibus viſis,accedo ad Pſalmi diuiſionem. Qui diuiditur in partes duas:quia primò laudem diuinam proponit:ſecūdò in Deo habendam eſſe confidentiam cōcludit: ibi,*Nolite confidere*.Quantum ad primum,ſciendum quòd vera laus proprius cōſiſtit in corde quàm in ore:quia aliquem laudare ore & non corde,adulatorium eſt & vitioſum: ſicut de talibus conqueritur dominus,dicens,Populus hic labiis me honorat:cor autem eorum longè eſt à me.Hinc voce veritatis dicitur, Non omnis qui dicit mihi,domine domine,intrabit in regnum cœlorū. Hinc rurſum ait,Confitentur ſe noſſe Deum:factis autem negāt. Hinc Ioannes ait, Qui dicit ſe noſſe Deum,& mādata eius non cuſtodit,mendax eſt. Hinc Pſalmiſta ait,Dilexerunt eum in ore ſuo,& lingua ſua mētiti ſunt ei:vide verſic.1317.Ex quibus omnibus patet ꝙ vera laus principalius in corde conſiſtit, quàm in ore.Et hoc attendens Pſalmiſta ait, *Lauda anima mea dominum*:quaſi dicat,Nō laudabo ſolo ore, ſed principalius mente. In vita autem præſenti oportet primò laudare Deum,vt perueniatur ad locum laudis æternæ.Et hoc eſt quod ſubdit, *Laudabo Deū meum in vita mea*.Conſequenter autem in vita futura laudabimus Deum plenè & perfectè. Et hoc eſt quod ſubdit, *Pſallam Deo meo, quandiu fuero.* Quia enim inæternum manebit homo poſt reſurrectionem:ideo laudabit inæternum.Sed quærit hic Auguſt.Cum dicit Pſalmiſta,*Lauda anima mea dominum* &c.Sed quis hoc dicit,& cui dicit? Si enim iſta dicantur eſſe verba carnis conſulentis animæ, & dicentis, *Lauda anima mea dominum.* Et potēſtne caro bonum conſilium dare animæ? Vnde non videtur hoc verum: cum à meliori & ſuperiori ſoleat inferiori dari cōſilium. Caro autem inferior eſt,& anima ſuperior. Anima enim licet ſit vituperabilis, quia peccatrix: tamen melior dicitur per naturam etiam corpore laudato in ſuo genere:quia ipſa anima quæ eſt ſpiritualis naturæ, præſtat corporeæ, quam mouet, regit,ſenſificat. Sicut enim aurum vituperatum & ſordidatum præeſt plumbo in ſua puritate laudato: ſic etiam malus homo optimo etiam.Sic ſemper anima præſtantior eſt carne. Nō ergo conſilium à carne quāuis domita valde & pacata datur ipſi animæ:quia ſemper infra animā eſt.

*Laus vera principalius eſt in corde, quàm in ore.*

*Eſaiæ 29.*

*1.Ioan.2.*

*Quæſtio.*

*Cōſilium datur à ſuperiori inferiori: non econtrario.*

*Anima ſemper nobilior & ſuperior eſt corpore.*



Sed

Sed purior pars animæ : ſcilicet quæ cogitat ſapiētiam diuinam, illi inhærens, ad illam ſuſpirās: videt quaſdam animæ partes, id eſt ſenſualitatem perturbari motibus ſæculi, & cupiditate terrenorum ire ad exteriora, à quibus à ſuperioribus & interioribus reuocatur. Se ergo ſecūdum ſenſualitatem exhortans anima ſecūdum rationem dicit, *Lauda anima mea dominum*. Quis ergo eſt qui dicit, *Lauda anima mea dominum*? Caro non dicit: cōſilium enim ſuperiori dari non poteſt. Infelix eſt ipſa anima, ſi à corpore expectat habere conſilium. Anima enim regit: caro regitur. Illa imperat: hæc famulatur. Sed hoc anima dicit ſenſualitati animatę. Quaſi dicat, *Lauda anima mea dominum*. Quid tibi placet in ſæculo? Quid eſt quod vis laudare? quid eſt quod vis amare? Quacunque corporeis ſenſibus te conuerteris, occurrit tibi cœlum, occurrit tibi terra: vbiq; amas, vbiq; laudas. Quomodo ergo laudandus eſt, qui fecit iſta quæ laudas? Verbi gratia. Quid eſt melius in terra? dices, Aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates: totam terrā cogita. Quid melius in cœlo, ſole, luna, ſideribus? totum cœlum cogita. Omnia ſunt bona valde. Vndiq; pulchritudo bonitáſque operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem: laudas fabricam, lauda fabricatorem. Sequitur, *Laudabo dominum in vita mea*. Nónne hic laudamus Deum? Certè ſic, ſed imperfectè. Ecce homo ſtat, cantat, laudat Deum. Et ſæpe labia mouentur ad cantum: cogitatio autē neſcio per quæ deſideria volat: ſenſualitas per diuerſas cupiditates vel curas negociorum hac atq; illac fluctuat. Quod mens ſuperſtans attendens, ad inferiorem portionem animæ cōuerſa, alloquitur dicens, *Lauda anima mea dominum*: quaſi dicat, Quid eſt quod de aliis rebus agis? quid eſt quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum: lauda mecum. Sed tibi reſpondet ipſa anima inferior portio mentis, *Laudabo Deum in vita mea*: quaſi dicat, Laudabo quātum poſſum, licet tenuiter. Quandiu enim ſumus in corpore, peregrinamur à domino. Sed perfectè laudabo in vita mea, ſcilicet in terra viuentium: quia alibi dicitur, Beati qui habitant in domo tua domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et ibi, *Pſallam Deo meo, quandiu fuero*. Sed nunquid hic pſallimus Deo? Certè pſallimus: ſed non quandiu ſumus. quia multoties dum pſallis Deo, cogitas de alio negocio: & ſic pſallis voce, non pſallis mente. Fortè pſallendo, cupiditate inclinaris ad aliquid. Certè tunc non ſolùm non pſallis mēte, ſed offendis creatorem. In vita autem beata, ibi pſallemus quandiu erimus: quia nunquā cogitatio, nunquam voluntas ad aliud inclinabitur, niſi ad Dei laudem. Et hoc eſt, *Pſallam Deo meo, quandiu fuero*.

*Geneſ.1.*

*Laudare Deū perfectè hic nō poſſumus.*

*2.Cor.5.*

*Laudabitur Deus perfectè in patria.*

2539 Nolite cōfidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

Hîc oſtendit ſpem & fiduciam in ſolo Deo eſſe ponendam. Et duo facit: quia primò oſtendit confidentiam in hominibus non eſſe ponendam: ſecūdò oſtendit illam in ſolo Deo habendam: ibi, *Beatus cuius Deus*. Prima diuiditur in duas: quia primò oſtendit ex duobus, quòd non eſt confidendum in hominibus: primò quia non habent poteſtatem ſaluandi: ſecundò quia habent neceſſitatem moriendi: ibi, *Exibit ſpiritus eius*. Quantum ad primum, ſciendum quòd duo ſunt genera hominum: quia aliqui principantur, & aliqui ſubiiciuntur: & in neutro ponenda eſt ſpes. De primis dicit, *Nolite confidere in principibus*. De ſecundis verò ſubdit, *Neque in filiis hominum*. Per filios hominum intelligens illos qui ſub poteſtate alicuius ſunt conſtituti: ſicut filius eſt nomen ſubiectionis, quia eſt ſub poteſtate patris. Et quare in illis non ſit confidendum, oſtēdit dicens, *In quibus non eſt ſalus*: quia ſcilicet ſeipſos ſaluare nō poſſunt: quomodo ergo ſaluabunt te? Et hoc dicit Pſalmiſta contra multos qui plus in hominibus mundi, quàm in Deo cōfidunt. Vnde hic ait Auguſt. *Nolite confidere in principibus* &c. Ne qua infirmitate anima humana, quando fuerit tribulata, hic deſperat de Deo & vult præſumere de homine. Vnde ſi dicatur homini in afflictione aliqua conſtituto, Eſt quidam homo magnus per quem poſſis liberari: ſtatim gaudet & erigitur. Si dicatur illi, Liberet te Deus: quaſi deſperatione frigeſcit. Promittitur ſibi auxiliū mortalis hominis: & gaudet. Promittitur ſibi auxilium immortalis Dei: & triſtis eſt. Vel taliter cogitantibus, Incipe quærere & cognoſcere eum à quo factus es. Non enim deſerit Deus opus ſuum, ſi ab opere ſuo non deſeratur. Contra hos ait Pſalm. *Nolite confidere in principibus: neque in filiis hominum* &c. In vno filio hominis eſt ſalus, & in ipſo eſt ſalus: non quia filius hominis, ſed quia filius Dei: non propter id quod ſuſcepit ex te, ſed propter id quod ſeruauit in ſe. Vel aliter, vbi ſciēdum quòd aliqui confidunt in dæmonibus, qui per incantationes & ſortilegia ſalutem quærunt habere. Confidunt in hominibus, qui ſalutem ab hominibus quærunt. Et hos duos reprehendit Pſalm. Primò reprehendit confidentes in dæmonibus vel ſortilegiis: dicens, *Nolite confidere in principibus*. Nónne ipſi dæmones dicuntur principes: immò ſic, quia principes tenebrarum? Audi Paulum Apoſtolum dicentem, Non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, rectores tenebrarum harum. Vbi ait gl. Aduerſus principes &c. id eſt aduerſus dæmones qui principantur & aliis præſunt. Certum eſt enim quia exitia famulis Dei, auctore diabolo irrogantur, ſiue per ſe, ſiue per miniſtros ſuos. Vnde & diabolum huius mundi principem appellabat Chriſtus, dicens, Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras &c. De iſtis ergo principibus ait, *Nolite confidere in principibus*: hoc eſt in ſortilegiis quæ arte dæmonū fiunt: vel quibus in adiutorium dæmones inuocantur: quia in illis non eſt ſalus. Quaſi dicat, Non poſſunt ſaluare ſeipſos, quomodo ſaluabunt te? Nō poſſunt iuuare ſe, quomodo iuuabunt te? De hominibus in quibus non eſt confidendum, ſubdit, *Neque in filiis hominum*. Filij hominum vocātur omnes ex mare & fœmina geniti. Et nota quòd confidentia hominū in multis ſolet poni. Primò eſt confidentia terrenalis abundantiæ: quæ eſt auarorum. De qua vide verſic. 2055. Secundò eſt confidentia perſonalis ſanctimoniæ: quæ eſt ſuperborum. vide verſic. 2055. Tertiò eſt confidentia temporalis vanæ gloriæ: & hæc eſt hypocritarum. vide verſic. 2055. Quartò eſt confidentia mundialis eminentiæ: quæ eſt tyrannorum. vide verſic. 2055. Quintò eſt confidentia ſæcularis ſapientiæ: quæ eſt reproborū magiſtrorū. vide ver. 2055. Sextò eſt confidētia ſpiritualis innocentiæ: & hæc deuotorū filiorū. vide ver. 133. Et hæc vltima ſolū bona eſt & licita.

*Confidendum eſt in Deo, nō in homine.*

*Deus non deſerit nos, niſi deſeratur à nobis.*

*Principes dicūtur dæmones.*

*Epheſ.6.*

*Ioan.12.*

Exibit



2540 Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribūt omnes cogitationes eorum.

Hîc oſtendit quòd non eſt confidendum in filiis hominum: quia non ſunt ſtabiles, ſed habēt neceſſitatem moriendi. Vbi nota quòd per ſpiritum hominis anima intelligitur. Vnde quādo Chriſtus in cruce moriens emiſit animam, dicitur emiſiſſe ſpiritum. Ioā. 19, Et inclinato capite emiſit ſpiritum. Et vide differentiam inter mortem Chriſti & aliorum. Nam Chriſtus non neceſſitate, ſed voluntate mortuus eſt. Vnde dicebat, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eā. Et hoc notās Euangeliſta, ait, Emiſit ſpiritum. Cæteri autem hominum moriuntur neceſſitate. Vnde non emittunt ſpiritum: ſed ſpiritus exit ab eis, etiā ipſis inuitis. Et hoc notans Pſal. ait, *Exibit ſpiritus eius*: ſcilicet cuiuſlibet hominis. Exit enim ſpiritus, quando anima ſeparatur à corpore. Sed quid eſt quod ſubdit, *Et reuertetur in terram ſuam*? Nūquid in ſeparatione animæ à corpore, anima in terram reuertitur vt conuertatur in terram: cùm anima ſit ſimpliciter ſpiritualis & immortalis? Reſpōdeo quòd hoc quod dicitur, *Et reuertetur in terram ſuam*: non refertur ad animā hominis, ſed ad corpus, vt ſit ſenſus, Cum exit anima à corpore, corpus reuertitur in terram ſuam: ſcilicet de qua creatum eſt: ſecundum ſententiam illam domini dicentis, Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quādo autem exit ſpiritus ab homine, tunc perit cogitatio hominis: quia quę dum viueret cogitabat vel diſponebat facere, adimplere non poteſt. Sic enim contigit illi diuiti, qui dicebat, Lucæ 12, Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos: ſede, quieſce, comede &c. quia eadem nocte morte præuento periit cogitatio eius. Ad hunc intellectū exponit hunc verſum Auguſt. dicēs, *Exibit ſpiritus eius*: ſpiritus hominis ſuperbi, ſpiritus hominis potentis in quo confidebas. Ille enim viuēs minatur, neſciens quandiu viuat. Sed exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terrā ſuā. Sed nunquid exibit quando vult? exibit quando non vult: & exibit quādo neſcit: & exeūte ſpiritu, caro reuertetur in terrā ſuam: & in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quādo autē exit ſpirit⁹, vbi eſt riſus hominis? vbi ſuperbia? vbi iactātia? Ergo fratres omnes audiamus: & in qualibet tribulatione, in quolibet deſiderio, non cōfidamus in principibus neque in filiis hominum, in quibus nō eſt ſalus. Totum enim hoc mortale caducum & tranſitorium eſt. Greg. autem iſtum paſſum, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: de malis maximè exponit ſuper illo verbo Iob 11, Et effugium peribit ab eis: dicens, Oculi impiorum ſunt intētiones in eis carnalium deſideriorū: qui idcirco deficiunt, quia æterna negligunt: & ſola ſemper tranſitoria præſtolantur. Adipiſci quippe terrenam gloriam cogitāt: multiplicari rebus temporalibus expectāt: ad mortem quotidie curſu labentium rerum tendūt: ſed cogitare mortalia mortaliter neſciūt. Carnis vita per momenta deficit: & tamen carnale deſiderium creſcit. Res habita inſtanti fine corrumpitur, & habendi anxietas non finitur. Sed cū mors impios ſubtrahit, eorum profectò deſideria & eorum cogitationes cum vita terminantur: quorum ſcilicet oculi tunc ſuperna vltione deficiunt, quia ſuo hic iudicio à terrena delectatione deficere noluerunt. Hos illorum oculos à iocunditate priſtina claudi Pſal. cōſpexit: cum dicebat, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: quia & æterna mala nunquam cogitata reperiunt, & ſubitò amittunt bona temporalia, quæ diu tractata tenuerunt. A quibus & omne effugium perit: quia eorum malicia ab animaduerſione diſtricti iudicis, quò ſe valeat occultare non inuenit. Nam iniqui nunc cum triſtia aliqua vel aduerſa patiuntur, effugij latebras inueniunt: quia ad voluptatem protinus deſideriorum carnalium recurrūt. Ne enim paupertas ipſos cruciet, diuitiis animam demulcent. Ne deſpectus proximorum deprimat, ſeſe dignitatibus exaltant. Si faſtidio corpus atteritur, antepoſitis epularum diuerſitatibus nutritur. Tot ergo hic habent effugia, quot ſibi præparant delectamenta. Sed quandoque ab eis effugium perit: quia eorum mens in morte amiſſis omnibus, ſe ſolummodo & iudicem conſpicit: tunc voluptas ſubtrahitur, ſed voluptatis culpa ſeruatur: & repentè miſeri pereundo diſcunt, quia peritura tenuerunt: qui tamen quouſque corporaliter viuunt, nocitura non deſinunt. De quibus bene dicitur, *Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Si autem per ly *principes* in pręcedenti verſiculo intelliguntur dæmones: tunc iſte verſus non refertur ad totum præcedentem verſum, ſed ſolùm ad filios hominum.

*Spiritus hominis eſt animus.*

*Ioan.10.*

*Gen.3.*

*Cogitationes malorum pereunt.*

*Greg 10. moral. c. 23.*

*Deſideria malorum pereunt.*

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in domino Deo ipſius qui fecit cœlum & terrā, mare & omnia quæ in eis ſunt. 2541

Hîc ex prædictis oſtendit in Deum ſolum eſſe confidendum. Et duo facit: quia primò hoc proponit: ſecundò hoc rationibus deducit: ibi, *Qui cuſtodit veritatem*. Quantum ad primum, ſciendum quòd licet alij patriarchæ, vt Abraham, Iſaac & cæteri, colerent Deum verum: tamen in ſcriptura dicitur ſępius Deus Iacob, quàm Deus Abraham vel Iſaac: hoc ideo, quia Iacob fuit primus qui fecit Deo votum de ipſius cultu, quando ibat Meſopotamiam: dicens, Si Deus fuerit mecum in via qua ambulo, & cuſtodierit me &c. erit mihi dominus in Deum &c. Et iam, quia omnes nati ex Iacob, erant de populo Dei: non autem omnes nati de Abraham, quia non filij Iſmael: nec omnes nati de Iſaac, quia non filij Eſau. Sed de Iacob ſolùm nati fuerunt duodecim patriarchæ: qui faciebant duodecim tribus populi Dei. Dicit ergo, *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius*. Et rationem ſubdit, *Qui fecit cœlum & terram*. Quaſi dicat, In iſto eſt confidendum, quia ſaluare poteſt: quia ipſe fecit cœlum & terrā. Quaſi ſi quis quærat à Pſal. Quid ergo faciendum, ſi nec in principibus nec in filiis hominum eſt ſperandum? Reſpondet oſtendens quid facturus es: dicens, *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius*. Non homo aliquis, non angelus: ſed Deus Iacob. Per hoc enim vult oſtendere quòd adiutorium quod dat Deus ſperantibus in ſe eſt, quia facit eos beatos: quod oſtendit per hoc nomen Iacob. Iacob namque fuit binomius: quia in principio natus, fuit vocatus Iacob: ſed poſtea quandò vidit ſcalam quæ ſtans in terra cœlum attingebat, & angelos aſcendentes & deſcendentes, & dominum innixum ſcalæ; tunc Deus de Iacob fecit ipſum Iſrael: quia nomen ſibi mutauit:

*Gen.28.*



dicens,

*Ex Iacob fit Iſrael, quādo Deus iuſtos facit beatos.*

dicens, Nequaquā vltra vocaberis Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Sic & ſpiritualiter in ſe cōfidentes de Iacob facit Iſrael. Iacob enim interpretatur ſupplantator. Quis autem propriè ſupplantator dicitur, niſi qui in pręſenti vita pugnādo cōtra mundum, carnē & diabolum, de ipſis triumphat: ipſos ponit ſub planta ſui pedis, per quam voluntas deſignatur? Sic ergo per Iacob intellige quēlibet iuſtū hic legitimè certantem. Sed Iſrael interpretatur vidēs Deum: in cuius viſione beatitudo noſtra conſiſtit. Quid eſt ergo Deum de Iacob facere Iſrael, niſi virum iuſtum hic certantē poſt exitum ſpiritus facere beatum? Et hoc inſinuās Pſal. dicit, *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius.* Et hūc intellectum hic tangit Aug. dicēs, *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius*: quia & ipſi Iacob ſic fuit adiutor, vt de Iacob faceret Iſrael. magnum adiutorium Iſrael videns Deū. Hic ergo poſitus & peregrinus non vidēs Deum, ſi habueris adiutorem Deum Iacob, ex Iacob faciet te Iſrael: & eris vidēs Deum, & periet omnis labor & omnis gemitus: tranſiēt curę mordaces, & ſuccedēt laudes felices. Beatus ergo cuius Deus Iacob adiutor eius. Talis hic exiſtēs adhuc & gemens, beatus eſt: non re, ſed ſpe: ſperās adiutorē Deum, qui ex Iacob faciet eū Iſrael.

*Quæſtio.*

Sed quia dicit, *cuius Deus Iacob*: id eſt Deus ipſius Iacob: nunquid propriè Deus dicitur eſſe alicuius hominis, & non potius, omnis homo eſt Dei? Nam ſeruus bene dicitur domini, quia poſſeſſus à domino: ſed non econtrario. Sed ipſe Deus dicitur noſter, & nos ſumus Dei: quia & nos poſſidemus Deū, & poſſidemur ab illo.

*Deus poſſidet nos, & nos Deum.*

Quod hic oſtendit Aug. dicens, In quo eſt ſpes alicuius, ille eſt res ipſius: illius eſt Deus, qui ſpem habet in Deo. Deus enim poſſidetur à nobis: quoniam tu es ſpes mea, portio mea in terra viuētium. Et eris poſſeſſus à Deo, & tu Deum poſſidebis: poſſeſſio Dei eris, & poſſeſſio tua erit Deꝰ. Tu eris poſſeſſio Dei, vt colaris ab eo: & ipſe erit poſſeſſio tua vt colas eū.

*Colimus Deū, & Deus colit nos.*

Nā & tu colis Deum, & coleris à Deo. Rectè enim dicis, Colo Deum: quomodo autem color à Deo? Inuenimus apud Apoſtolū dicentē, Dei enim agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis. Et dominus ait, Ego ſum vitis, & vos palmites: & pater meus agricola eſt. Colit ergo te Deus, vt ſis fructuoſus: colis tu Deum, vt ſis fructuoſus. Tibi bonum eſt, quòd te colit Deus. Cultor Deus ſi recedit ab homine, deſertus fit homo: cultor homo ſi recedat à Deo, deſertus fit ipſe homo. Nec creſcit Deus accedente te, nec decreſcit recedente te. Ergo erit ipſe poſſeſſio noſtra, vt nos paſcat: & erimꝰ nos poſſeſſio eius, vt nos regat. Sequitur, *Qui fecit cœlum & terrā.* Quaſi dicat, Et ſi ſint multi dij gentium, nobis autē vnus ſolus eſt Deus, qui fecit cœlum & terrā, in quē ſperare debemꝰ. In domino Deo ſuo eſt ſpes etiā illius qui colit Saturnum. In domino Deo ſuo eſt ſpes illius qui colit Martē, qui colit Mercuriū, plus addo, qui colit ventrē: de quibus dictum eſt, Quorū Deus venter eſt. Qui beatus eſt talis, quia ſpes eius eſt in domino Deo ipſius? non: ſed cuius ſpes eſt in domino Deo ipſius qui fecit cœlum & terrā, & omnia quæ in eis ſunt. Fratres, magnum Deum habemus, qui fecit cœlum & terram. Benedicamus ergo nomen ſanctum eius: quia dignatus eſt nos facere poſſeſſionem ſuam. Verba ſunt Auguſtini. Et nota quòd ſpes & cōfidentia in Deo habita non deficit: ſed ſpes temporalium. vide verſic. 443. 452.

*1. Cor. 3.*
*Ioan. 15.*
*Phil. 3.*

## 2542 Qui cuſtodit veritatē in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.

Hîc oſtendit rationes quare in Deo eſt ſperandum. Et ſumitur prima ratio ab ipſius bonitate: ſecunda ab ipſius pietate: ibi, *Dominus ſoluit*: tertia ab ipſius charitate: ibi, *Dominus erigit*: quarta ab ipſius poteſtate: ibi, *Dominus cuſtodit*: quinta ab ipſius perpetuitate: ibi, *Regnabit dominus.* Et nota quòd quamuis diuidendo ſic in quolibet verſu aſſignem vnam ſolam rationem: Pſal. tamen inſimul plures ponit, quæ per expoſitionem patebunt. Prima ergo ratio ſumitur ab ipſius bonitate qua cuſtodit veritatem in ſęculum &c. Notat enim hic Pſal. Dei veritatem, qua adimplet promiſſa: quæ tamen non ex debito, ſed ſua bonitate nobis promiſit: dicens, *Qui cuſtodit veritatē in ſæculum*: quia ſcilicet fidelis eſt in promiſſis. Vel per veritatē accipe Chriſtum, qui de ſeipſo dicit, Ego ſum via, veritas & vita: quam cuſtodit, quia quod ſemel verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit. Conſequenter ipſum laudat à iuſtitia: quia facit iudicium iniuriam patientibus, ſcilicet eos vindicando. Conſequenter eum laudat ex bonitate: quia ſua bonitate dat eſcam eſurientibus. In iſto enim verſiculo de tribus maximè Deum commendat. Primò de fidelitate: dicens, *Qui cuſtodit veritatem in ſæculum.* Secundò de iuſtitia & æquitate: dicens, quòd *facit iudicium iniuriam patientibus.* Tertiò de bonitate: dicens, quòd *dat eſcam eſurientibus.* Quantum ad fidelitatem, dicit quòd *cuſtodit veritatē in ſæculum*: de hoc vide verſic. 2529. Quantum ad ſecundum, dicit quòd *facit iudicium iniuriam patientibus.* Vbi aduertendum quòd iniuria contrariatur iuri.

*Iniuria quid eſt.*

Componitur enim ab in, quod eſt non, & iure. Vnde iniuria, quaſi non ius. Aliud eſt ergo pati aduerſa, pati pœnas vel moleſtias: & aliud pati iniuriam. Quia non omnis inferens alteri pœnas vel aduerſa, iniuſtè facit. Vnde iudex puniens reum, non ſibi facit iniuriam. Sed inferens alicui pœnas ſine iure vel iniuſtè, talis iniuriam facit, & peccat. Et de omnibus talibus iudicium facit, quia peccata impunita non dimittit. Vnde hic ait Auguſt. *Facit iudicium iniuriam patientibus*: id eſt punit omnes iniurioſos. Si ergo Deus fauebit iniuriam patientibus, & puniet iniurioſos: vide ergo de quorum numero eſſe vis. vtrum velis eſſe inter eos qui iniuriam faciunt, an inter eos qui iniuriam patiuntur. Attēde quia non omnis moleſtia iniuria eſt. Quicquid enim iure pateris, non eſt iniuria. Latrones multa patiuntur: ſed ſine iniuria. Scelerati, malefici, effractores, adulteri, corruptores: omnes tales patiuntur multa mala: ſed nulla eſt iniuria. Aliud eſt enim pati iniuriam: & aliud pati tribulationem, aut pœnam, aut ſupplicium. Quando ergo aliquid pateris, conſidera vbi ſis: quid egeris vide: quare patiaris vide: & ibi vides quid patiaris. Ius & iniuria, cōtraria ſunt. Ius enim eſt quod iuſtum eſt.

*Ius idem eſt quod iuſtum.*

Neque enim omne quod ius dicitur, ius eſt. Quòd ſi quis condat ius iniquum: nec ius dicendum eſt, ſi iniuſtum eſt. Illud ergo ſolum verum ius eſt, quod etiam iuſtum eſt. Vide ergo quando pateris, quare patiaris. Si ius feciſti, & propter hoc pateris: iniuriam pateris. Si iniuriam feciſti, ius pateris. Quod dico, ne quis malè faciens, ſe extollat quando patitur aduerſa: non ſe numeret inter eos qui iniuriam patiuntur. Nec hic finitur ſententia, ſed ſubditur, propter iuſtitiam. Si ergo tu damnes vnum hominem, cuius cauſam neſcis: auderes te dicere tenere iuſtitiam? Aut ſi pro hac re



paſſus eſſes, iniuriam nominares? Certè non deberes. De omnibus ergo patientibus iniuriam, facit iudicium: quia mala non dimittit impunita: quia vel tu punis per pœnitentiā, vel ipſe punit per ſupplicium. Quantum ad tertium, Dei bonitatē oſtendit: dicens quòd *dat eſcam eſurientibus.* Si de eſca corporali intelligatur, dat eſcam omnibus eſurientibus: vide verſic. 2531. Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das illis eſcam &c.

*Quæſtio.*

Sed hic oritur dubium: quomodo Deus dat eſcam omnibus eſuriētibus? Nam Apoſtolus dicit, 1. Corinth. 9, Nunquid cura eſt Deo de bobus? hic autem Pſalm. ait quòd dat eſcam eſurientibus.

*Cura eſt Deo de bobus, & quomodo.*

Ad hoc reſpondet Auguſt. in ſententia: dicens quòd non ſolum homines, ſed etiam omnia animalia ad curam Dei pertinent, vt paſcātur à Deo. Vnde & Chriſtus ait, Reſpicite volatilia cœli, quia non ſeminant neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Sed non pertinent ad curam Dei, vt à Deo legem accipiant, quam accipit homo. Et ſi dicat quis, Etiam legem bobus dedit, dicens, Non alligabis os bouis triturātis: dicit Auguſt. quòd illa lex bobus non fuit data, ſed hominibus: etiam ibi boues ſpirituales volens ſignificare, illos ſcilicet qui in eccleſia operantur: quia talibus cibus denegari non debet. Si autem de ſpirituali eſca loquamur, cum dicit *dat eſcam eſurientibus*, ſciendum quòd ſicut eſt eſca ſpiritualis: ſic & eſuries ſpiritualis, quæ eſt eſurire iuſtitiam: talibus dat eſcam ſpiritualem, ſcilicet iuſtitiam quam eſuriunt. Matth. 5, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

*Matth. 6.*

## 2543 Dominus ſoluit compeditos: dominus illuminat cæcos.

Hîc ponit ſecundam rationem quæ ſumitur à Dei pietate: quia ſua pietate ſoluit compeditos, & cæcos illuminat. Quantum ad literam ſpectat, dominus ſoluit compeditos: id eſt incarceratos vel circumquaque recluſos. Non compeditus erat populus Hebræorum, quando concluſus erat vndique: hinc Ægyptiis vallatus, inde mari concluſus. Exod. 14. Et tamen Deus ipſum ſoluit, quando mare eis viam fecit. Nónne Dauid compeditus erat, quando Saul cum exercitu ſuo circundedit locum in quo erat Dauid ad modum coronæ? & tamē miraculosè ſoluit eū dominus. 1. Reg. 23. Nónne Petrus compeditus erat, in carcerem recluſus, & ligatus catenis ferreis, & à multis cuſtodibus obſeruatus? & tamen Deus miraculosè aperuit carcerem, & ſoluit catenas eius. Act. 12. Similiter & illuminat cęcos. Nónne Tobiam cæcum illuminauit angelico miniſterio? Nónne in nouo teſtamento cæco à natiuitate lumen reddidit? & ſic de multis aliis cæcis. Pro quibus omnibus dicit Pſalm. *Dominus ſoluit compeditos: dominus illuminat cæcos.* Sed iſta magis ſpiritualiter intelligi debēt. Vbi nota quòd corpus noſtrum quod à principio homini fuit datum ad decorem, factum mortale & pœnalitatibus plenum, eſt factum quaſi quidā animæ carcer, & quaſi quędam compedes mentis. Vnde quandiu manemus in mortali corpore, compediti ſumus. Sed tunc Deus ſoluit compeditos, quando de mortalibus nos facit immortales: quod nullus alius à Deo facere poteſt. Et iſtū ſenſum hic ponit Auguſtinus, dicens, *Dominus ſoluit compeditos.* Vnde ſumus compediti? Corpus noſtrum à principio ornamentum nobis fuit: peccauimus, & compedes inde accepimus. Quæ ſunt compedes noſtræ? mortalitas ipſa. Audi Apoſtolum Paulum, quia & ipſe in hac peregrinatione compeditus erat. Quanta peragrauit compeditus iſte? Non illi fuerunt graues compedes: cum ipſis compedibus toto orbe euangelium prædicauit. Spiritus charitatis compedes rapuit & circuit quātum potuit. Sed quid ait? Deſideriū habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto: quod eſt deſiderium habēs diſſolui à compedibus mortalitatis.

*Tob. 3.*
*Ioan. 9.*
*Phil. 1.*

Sic ergo dominus ſoluit compeditos, quando ex mortalibus nos facit immortales. Vel aliter. Quid enim ſunt compedes mentis, niſi peccata? quia vt dicitur Prouer. 5, Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Sed hos compeditos dominus ſoluit: quia ſolus animam abſoluere poteſt à peccato: vide verſicul. 1445. Sequitur, *Dominus illuminat cæcos.* Non hoc accipiendum eſt ſolum de cæcitate corporali: ſed multo fortius de ſpirituali. Vnde tranſlatio Auguſtini, *Dominus ſapientes facit cæcos*: ne ſcilicet hoc carnaliter intelligeremus: ſicut de cæco nato, à Chriſto illuminato. Vnde Auguſtinus, Ne tale aliquid ſperares, cùm de ſpiritualibus loquitur: hic oſtēdit quandam lucem ſapientiæ: qua illuminantur cæci. Et nota quòd dominus mente cæcos illuminat multipliciter.

*Illuminat nos Deus multipliciter.*

Primò illuminat per experientiam cognitionis. Eccl. 51, In ſapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit. Quod facit de ignoranter commiſſis, cautos per experientiam nos faciendo. Secundò nos illuminat per vnctionem dilectionis. Eccl. 2, Qui timetis dominum, diligite illum: & illuminabuntur corda veſtra. quia vt ait Chriſtus, Ioan. 14, Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Tertiò nos illuminat per collirium tribulationis. Vnde Tobiæ 11, dicitur quòd oculi Tobiæ cæci vncti felle piſcis, illuminati ſunt. Hierem. 6, Per omne flagellum erudiens Hieruſalem. Quartò nos illuminat per fidem incarnationis. Ioan. 9, Dominus ſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit oculos cæci nati: & illuminati ſunt. 2. Timoth. 1, Gratia manifeſtata eſt nunc per illuminationem ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Quę omnia conſiderans Apoſtolus, dicit ad Epheſ. 5, Surge qui dormis, ſurge à mortuis: & illuminabit tibi Chriſtus.

## Dominus erigit eliſos: dominus diligit iuſtos. 2544

Hîc ponit tertiam rationem, quæ ſumitur à Dei charitate & dilectione. Et hic oſtenduntur duo: ſcilicet Dei poteſtas, quia erigit eliſos: & Dei charitas, quia diligit iuſtos. Quantum autem ad literam, dominus erigit eliſos, id eſt curuos & claudos. Quàm multos claudicantes erexit? Vnde Ioan. 11, ait, Cæci vident, claudi ambulant. Non ſolum autem ipſe: ſed etiam Petrus in nomine ipſius claudum erexit. *Dominus diligit iuſtos*: quinimmò nullus poteſt eſſe iuſtus, niſi prius ſit dilectus à Deo. Vnde Ioan. 14, Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum &c. Spiritualiter eliſus dicitur, qui per ſuperbiam cecidit: quos dominus erigit, cum ipſos ad humilitatem vocat. Sic enim erexit Paulum, quando contra Chriſtum ſuperbientem ipſum ad terram elidendo, humilem fecit. Vel aliter, eliſus dicitur, qui ſua peccata cognoſcens, ſeipſum per pœnitentiam affligit. Et hos erigit Deus, quando de ſtatu lamentationis &

*Act. 3.*
*Eliſus quis dicitur multipliciter.*

pœnitentiæ ipſos ad gloriam leuat. Vnde hic ait Aug. *Dominus erigit eliſos*: quare eriguntur? quia humiliati ſunt. Cecidit atque eliſus eſt Adam. Ille cecidit, Chriſtus deſcendit. Quare deſcendit qui non cecidit, niſi vt leuaretur qui cecidit? Et hoc quo ad cadentes per ſuperbiam: quo verò ad ſe humiliãtes per pœnitentiam, dicitur Iob 5, Ponit humiles in ſublimi: & erigit mœrentes ſoſpitate. De hoc vide verſic. 2530. ibi, Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Et nota quòd in homine per humilitatem eliſo, dominus erigit multa. Primò erigit intellectum ad apertã cognitionem: Eſa. 50, Mane erigit mihi aurem. Per aurem accipe intellectum, qui percipit ſpiritualem ſonum: ſicut auris corporalem. Secundò erigit affectum ad iocundam conſolationem: Iob 5, Mœrentes erigit ſoſpitate. Tertiò erigit totum ſubiectum ad præclaram ſubleuationem: Iob 36, Reges collocat in perpetuum, & illic eriguntur.

2545 Dominus cuſtodit aduenas: pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.

Hîc ponitur quarta ratio, quę ſumitur ab ipſius Dei poteſtate. Quãto enim quis debilior eſt & magis abiectus, tanto maior poteſtas requiritur ad ipſum erigendum & cuſtodiendum. Quantum autem ad literam, dominus cuſtodit aduenas, id eſt extra terram ſuam exiſtentes. Sic enim cuſtodiuit Iacob, dum peregrinaretur apud Labam. *Dominus cuſtodit pupillum*: id eſt infantem matre carẽtem. *Dominus ſuſcipiet viduam*: ſcilicet in ſua cura. Sic enim ſuſcepit quã modico pugillo farinæ pauit cum tota domo ſua. *Et vias peccatorum diſperdet*: id eſt proceſſus peccatorum contra bonos ad nihilum rediget. Sicut patet de via Pharaonis, quem ſubmerſit in mari. Exod. 14. Et ſic de multis aliis. Spiritualiter autem dominus cuſtodit aduenas. Aduena enim, ſecundum grammaticos, dicitur qui aliunde venit, aliunde genitus eſt. Quid eſt ergo aduena, niſi eccleſia gentium, quæ aliunde venit, ab alienis à fide genita ſecundum carnem? Vnde hic ait Aug. Aduena eſt eccleſia gentium: proſelita eſt, aduenticia eſt. Eſt enim ad patres non de carne eorũ nata: ſed imitando facta filia. Et quis eccleſiam ex gentibus collectam cuſtodit, niſi Deus? Qualiter autem dominus cuſtodit eccleſiam: vide verſic. 230. Vel aliter, cuſtodia eccleſiæ fuit figurata in cuſtodia tabernaculi, dum filij Iſtael per deſertum ambularent. De qua figuraliter habetur Num. 2. Vbi ſententialiter dicitur quòd dominus ſic ordinauit cuſtodiã tabernaculi, vt ab oriente ſtarent tres tribus: ſcilicet Iudas, Iſachar & Zabulon &c. *Dominus cuſtodit pupillum.* Per pupillum intelligitur quilibet iuſtus in vita præſenti: quia hic manet ſine patre. Vnde hic ait Aug. Secundum quendam modum omnes pupilli ſumus, abſente ſcilicet patre noſtro, non mortuo. Pupillus enim ſecundum homines, mortuo patre fit. Et ſi intelligamus quòd anima non moritur, viuunt parẽtes noſtri: & magis abſentibus patribus ſunt pupilli quot pupilli ſunt. Nam ſi mali fuerint parentes, in pœnis viuunt: ſi boni, in requie viuũt. Tamen nos quandiu ſumus in corpore hoc, peregrinationis locum incolimus: abſens eſt à nobis pater noſter qui eſt in cœlis. Ideo eccleſia dicitur vidua, quaſi abſente ſpõſo: pupillus eſt abſente patre. Ergo per pupillum & viduã quid voluit intelligi, fratres? deſtitutos omni opere, omni auxilio deſtitutã animã in ſęculo. Ipſa ſibi ſperet adiutoriũ Dei. Quicquid hic habueris. Aurũ habẽs præſumpſiſti inde: iam non es anima: non es orphanus: nõ vidua nominaris. Amicum habes: ſi de illo præſumis & dominum dimiſiſti, nos es deſtitutus. Si autem habes hæc omnia, & non inde præſumis, & non inde ſuperbis: orphanus Dei es, vidua Dei es: quia Deus ſuſcipit deſtitutos. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Dominus cuſtodit aduenas: pupillum & viduam ſuſcipiet.* Sequitur, *Et vias peccatorum diſperdet.* Hoc eſt quod dixit ſuperius Pſal. 144, Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Et nota quòd via peccatorum eſt multiplex: ſcilicet primò via montuoſa, quæ eſt ſuperborum, qui ſemper incedunt per vias altiores & montuoſas: quod tamẽ multum eſt periculoſum, & faciliter incidunt in caſum: quia quanto ſtatus eſt altior, tanto grauior eſt caſus. Sed eſt de ſuperbis ſicut de lepore, qui melius currit cõtra montem aſcendendo, quàm deſcendẽdo. Ita ſuperbi de mõte ſuperbiæ cum labore deſcẽdunt: ſed toto conatu nituntur aſcẽdere. Secunda eſt via luctuoſa: quę eſt auarorũ, quę etiã eſt ſpinoſa &c. Omnes enim per iſtas vias ambulãtes diſperdet dominus, qui iuſtos cuſtodit: Pſal. 1, Nouit domin⁹ viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

*Gen. 19.* *3. Reg. 17.* *Aduena dicitur eccleſia.* *Pupillus dicitur quilibet iuſtus.* *Matth. 6.* *Via peccatorũ multiplex.*

Regnabit dominus in ſæcula, Deus tuus Sion, in omni generatione & generationem. 2546

Hîc ponit quintam rationẽ, quæ ſumitur à perpetuitate ipſius Dei gubernantis. Quaſi dicat Pſal. Et ſi filij hominum ad tempus nos poſſent adiuuare, non tamen in perpetuum: ſed dominus Iacob in perpetuum poteſt: quia regnabit dominus in ſæcula &c. Et dicitur hic Deus Sion, quia ibi erat templum ſuo nomini dedicatum: & in illo monte Sion cœnando cum diſcipulis confecit euchariſtiæ ſacramentum. Et in illo monte in ſigno viſibili Apoſtolus miſit ſpiritũſanctum. Regnabit ergo dominus in ſæcula. Sed in quibus regnabit? ſcilicet in ſanctis ſuis. Vnde hic ait Aug. *Regnabit dominus in ſæcula.* Gaude, quia tibi regnabit. Gaude, quia tu eris regnum eius. Vnde ſequitur, *Deus tuus Sion*: id eſt regnabit in illis, qui ſunt ciues Sion, non Babyloniæ: id eſt non de ciuitate peritura huius ſæculi, ſed de Sion ad tempus laborante & peregrinante: inæternum autem regnatura. O Sion, Deus tuus regnabit inæternũ. Nunquid ſine te regnabit Deus tuus? *In generatione & generationem.* bis dixit *in generatione*, quia non potuit Semper dicere &c.

## PSAL. CXLVI.

Laudate dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus: Deo noſtro ſit iocunda decoráque laudatio. 2547

Notãdum quòd inter Pſal. præcedentẽ & iſtum apud Hebræos ponitur alleluia. Quod alleluia ſecundũ aliquos eſt finis Pſal. præteriti. Et ſecundum iſtos iſte Pſal. nullũ habet titulũ. Secundũ alios verò illud alleluia eſt principium iſtius Pſal. & de eſſentia Pſal. Vnde iſte Pſal. ſic incipit, *Alleluia laudate &c.* Et iſtã opinionẽ magis videtur ſequi Nicolaus de lyra. Vnde iſtũ Pſal. dicit eſſe alleluiaticum: quoniã apud Hebræos eſt conſuetudo denominare libros à principiis eorum. Sicut liber Gen. apud Hebręos vocatur Bereſit, quod ſignificat in principio: quia ſic incipit liber Gen. In principio creauit, &c. Et idem modus obſeruatur in aliis quatuor libris Moyſis. Dicit ergo quòd iſte Pſal. ſic incipit apud Hebręos, *Alleluia, laudate dominum*, &c. Et ſecundum iſtam opinionem, etiam Pſal. iſte nullum habet titulum. Aliorum opinio, quam credo veriorem, eſt quòd alleluia poſitum inter iſtos duos Pſal. non eſt de ſubſtantia præcedẽtis Pſal. neque iſtius: ſed pertinet ad iſtum Pſal. vt titulus iſtius Pſal. Sicut Pſalmus pręcedens pro titulo habet alleluia: & alij aliqui Pſal. ſic & iſte. Titulus ergo iſtius Pſal. eſt alleluia. Quid autem ſit alleluia, & quomodo non eſt nomen ſimplex, ſed compoſitum: vide in titulo Pſal. 104. Quibus viſis, venio ad diuiſionem Pſalm. qui diuiditur in partes duas: quia Pſalmiſta primò homines ad Dei laudes excitat: ſecundò ad hoc rationes allegat: ibi, *AEdificans Hieruſalem.* Quantum ergo ad primum, excitans ad Dei laudem dicit, *Laudate dominum, quoniam bonus eſt pſalmus*: id eſt, pſalmodia, vel bonum eſt pſallere ad honorem diuini nominis. Pſalmodia autem non ſolùm ſtat in ore, ſed principalius in corde & in opere. Vnde dicitur à pſalterio, quod pulſatur, non flatu, ſed tactu manus. Ideo ſubditur, *Deo noſtro ſit iocunda decoráque laudatio.* Vnde vide quòd duo hic ponit. Primum quòd pſalmodia debet eſſe iocunda: quia ſcilicet ex lætitia cordis & ſpirituali exultatione procedere debet. Propter quod dicebat Apoſtol⁹ 1. Cor. 14, Pſallam ſpiritu: pſallam & mente. Secundum eſt quòd pſalmodia debet eſſe decora: ſcilicet cũ ſanctis operib⁹, ſine quibus Deo nemo placere poteſt. Eſt ergo decora pſalmodia, quando cum ore concordat cor & manus. Quoniã vt habetur Eccl. 15, Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et in figuram huius, quando Dauid dæmonem à Saul eiicere volebat pſallendo, manu pſallebat: vt dicitur 1. Reg. 16. Et ad hoc hic concordat Auguſt. dicens, Pſalmus quippe eſt cantus: non quilibet cantus, ſed pſalterij cantus. Qui ergo pſallit, non ſola voce pſallit: ſed aſſumpto pſalterio, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo pſallere. Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei: ſed opera tua concordẽt cum voce tua. Cùm enim voce cantaueris, ſilebis aliquando. Vita verò nunquam ſileas. Negocium agis, & fraudẽ cogitas: ſiluiſti à laude Dei. Et quod eſt grauius: non ſolùm à laude ſiluiſti, ſed in Dei blaſphemiam perrexiſti. Sicut enim Deus laudatur de bono opere tuo: ſic & blaſphematur Deus de malo opere tuo. Itaque ad aurium exhortationem canta voce: corde nõ ſileas: vita ne taceas. Non cogitas in negocio fraudem, pſallis Deo: cum mãducas & bibis, pſalle: non intermiſcendo ſonorũ ſuauitates ad aures apertas, ſed modeſtè & temperanter manducando & bibendo. Quia hoc dicit Apoſtolus, Siue manducatis, ſiue bibitis, omnia in laudẽ Dei facite. Si ergo manducas & bibis ad recreationem corporis, gratias agẽs Deo qui tibi cibum vel potum tribuit: & cibus tuus & potus tuus laudat Deum. Si verò naturę modum debitum immoderatione voracitatis excedas, comedendo vel potando: quantaſlibet laudes Dei lingua tua reſonet, vita Deum blaſphemat. Si ergo laudas, ſi pſallis: nõ tantum lingua canta, ſed aſſumpto bonorum operum pſalterio lauda: quoniã bonus eſt pſalmus. Sequitur, *Deo noſtro ſit iocunda decoráque laudatio.* Quomodo namque erit iocunda decoráque laudatio? Certè, ſi bene viuendo laudatur. Dicit ergo Pſalm. *Deo noſtro ſit iocunda*, &c. Quaſi dicat, Qui laudatis Deum, bene viuite. Nã laudatio impiorum Deum offendit: vt hic dicit Auguſt. quia plus Deus attendit quo laudas, quàm quid ſones. Nam Dei aures non ad linguam, ſed ad cor: non ad verba, ſed ad vitam laudatoris patent: quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Eſt ergo iocunda decoráque laudatio, quando laudibus oris concordant opera exteriora. Vbi enim diſſonantia eſt, ibi iocunditas vel ſpecioſitas eſſe non poteſt. Hoc planè fuit figuratum in bello Gedeonis: in quo præcepto Dei ſolum illi milites electi fuerunt, qui aquam manibus ad os proiiciebant: non autẽ illi qui ſolo ore aquã bibebant, quam non tangebant manibus. Quid enim eſt aqua, niſi ſacra ſcriptura quæ vndique Deum laudat? Illi ergo hanc aquã ſolo ore nõ tangendo manibus bibunt, qui Deum verbis, nõ operibus laudant. Et conſequenter verbis laudes eius reſonant, qui cum Pſal. dicere poſſunt, Pſallam & intelligam in via immaculata.

*Pſalmus vel pſallere quid ſit.* *1. Cor. 10.* *Blaſphemat Deum omnis malè agens.* *Laudat Deũ ſolũ, qui bene facit ſeu bene viuit.* *Eccleſ. 15.* *Pſal. 100.*

AEdificans Hieruſalem dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit. 2548

Hic Pſal. reddit rationem laudis diuinæ: oſtendens quare Deus laudari debet à nobis. Ratio autem quam adducit laudis diuinæ, fundatur maximè in beneficiis ſuis ab ipſo nobis collatis. Quilibet enim beneficiatus, benefactorem laudare tenetur, vt non ſit ingratus. Diuiditur autem hæc pars in duas, ſecũdum quòd duplicia beneficia Dei adducit: ſcilicet beneficia facta populo Iſrael in ſpirituali. Secũdò beneficia omnibus data in generali: ibi, *Præcinite.* Quantum ad primum, ſciendũ quòd beneficium quod hic ſingulariter notat factũ populo Iſrael: fuit liberatio populi Dei à captiuitate Babylonica facta per Cyrum regem Perſarum. Et circa iſtud beneficium tria oſtendit: ſcilicet primò Dei potentiam: ſecundò Dei ſapiẽtiam: ibi, *Qui numerat*: tertiò Dei iuſtitiam: ibi, *Suſcipiens.* Circa primum oſtendit Dei potentiam in duobus: ſcilicet primò in templi & ciuitatis reparatione: ſecundò in populi de captiuitate liberatione: ibi, *Qui ſanat.* Quantum ad primum, ſciendum quòd rex Babylonis capta ciuitate Hieruſalẽ, ipſam totaliter deſtruxit: quoniam (vt habetur 4. Reg. 25.) ſuccendit domum domini: ſcilicet templum & domum eius, omnẽmque domum Hieruſalem combuſſit igni, & muros Hieruſalem in circuitu deſtruxit. Et ſic remanſit ciuitas deſtructa vſque ad liberationem dictæ captiuitatis. Sed quando Cyrus liberauit Iudæos à dicta captiuitate, dedit Hieremiæ prophetę poteſtatem reædificandi templum & ciuitatem: quod & factum fuit per Nehemiam, Zorobabel & Eſdram prophetas. Et hoc recolens & præuidens Pſal. dicit, *AEdificans Hieruſalem dominus.* Ædificauit enim Hieruſalem dominus: quia miſit in cor Cyri, vt Iudæis daret licentiam reædificãdi Hieruſalem. Quo facto, diſperſiones Iſraelis congregauit: quia ſcilicet filios Iſrael hincinde diſperſos cõgregauit, & reduxit ad ciuitatem Hieruſalem: vt hæc omnia habentur plenius Eſdræ 1. Sed per iſta hiſtorialia Pſalmiſta vult intelligere altiora & ſpiritualia. Vbi ſciẽdum quòd per Hieruſalem ciuitas æternæ gloriæ ſignificatur: vt dicit Apoſtolus ad Galat. 4. Hæc autem ciuitas conſtruitur ex ciuibus ſuis, qui ſunt duplices: ſcilicet beati angeli, & omnes homines à Deo æternaliter prædeſtinati. In illa ergo beati angeli iam habitant: ſed prędeſtinati homines, quamuis ciues electi, tamen adhuc ab illa peregrinãtur, & ſunt

*Hieruſalem eſt gloria æterna.* *Angeli ſunt ciues cœleſtes, hic homines peregrinantur.*

& ſunt per mundum hincinde diſperſi. Iſtos recolligit Deus, vel quãdo ſuos electos de gentibus vocat ad fidem, vel quando de hoc ſæculo ad patriam trahit. Et hoc eſt quod notans Pſal. dicit, *Aedificans Hieruſalem dominus*, &c. Et hæc eſt intentio hic Aug. dicentis, Eſt Hieruſalem æterna in cœlis, vbi angeli beati ſunt ciues. Quid enim interpretatur Hieruſalem? viſio pacis. Quid Iſrael? videns Deum. Omnes ergo ciues illius ciuitatis videndo Deum gaudent in illa magna ciuitate cœleſti. Sed nos ab illa ciuitate peregrinamur, peccato expulſi ne ibi maneremus: & mortalitate prægrauati, ne illò rediremus. Sed reſpexit Deus peregrinationem noſtram. Et ille qui ædificat Hieruſalẽ, reſtituit lapſam partem, diſperſiones Iſraelis colligens. Quæſiuit Deus non quærentes ſe: mittens nobis redemptionem. *Rom. 5.* Quoniam ſecundum quod ait Apoſtolus, Cõmendat nobis Deus charitatem ſuã in nobis: quoniam cũ adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Miſit enim ad captiuitatem noſtram redemptorem filium ſuum. Porta (inquit) tecũ ſaccum: & ferto ibi precium captiuorũ. Induit enim ille ſe mortalitate carnis, & ibi erat ſanguis: quo fuſo redimeremur. Et illo fuſo, colligit diſperſiones Iſraelis. Ecce ergo quem laudamus: ecce cui laudẽ tota vita noſtra debemus: quia *ædificans Hieruſalem dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit.* Qualiter autẽ diſperſos congregat dominus, & qualiter ſuos cõgregat diabolus, eſt notandum quòd congregatio eſt multiplex. vide ver. 1878.

2549 Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Hic oſtendit Dei potentiam in liberatione captiuorum. Quæ enim maior potentia eſſe poteſt, quàm animum ad malum diſpoſitum, ad bonum permutare? Quod & fecit dominus, quando Cyrus rex, qui iniuſtè Dei populum captiuum tenebat: & per conſequens corde erat mortuus, Deus ſuſcitauit cor eius, vt Dei populum liberaret: vt dicitur 1. Eſdræ 1, Suſcitauit dominus ſpiritum regis Perſarum: ſcilicet ad liberandum populum. Et de hac liberatione ait Pſal. *Qui ſanat contritos corde*, &c. Dũ enim filij Iſrael eſſent in Babylone captiui, erant amari corde: & maximè quia inter idolatras detinebantur, neque cerimonias legis Dei obſeruare poterant: ſed cor amarum & contritum eorum ſanauit, quando ipſos liberans reduxit ad propria. Et hoc eſt quod ait, *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Loquitur ad modum medici, qui membra contrita alligat, vt ſanet. Vulnus enim diuiſionem facit: ſed alligatio diuiſa conſtringit. Sic & Deus alligauit contritiones filiorum Iſrael: quãdo ipſos per regnum Babyloniæ diſperſos vniuit, & ad propriam patriam reduxit. Et hoc eſt quod dicitur Oſeæ 14, Sanabo contritiones eorum. Sed *Contritio ſanat animam.* per iſta Pſal. alia ſpiritualia intelligit. Per hoc enim vult oſtendere quomodo Deus congregat diſperſiones Iſrael: quia ſcilicet peccata remittit: ſed ad hoc requiritur cõtritio. Sanat ergo contritos, peccata eis remittendo. Et ſic eos ad vnitatem eccleſiæ congregando. Sed quia in hac mortali vita nõ poteſt homo perfectè ſanari, quin tentetur & à fomite peccati impugnetur: has impugnationes alligat dominus, ne labantur ad mortale peccatum. Cor ſuperbum ſcindit: & ſciſſum rectificat: & rectum factum alligat: vt ſic conſolidetur. Sed perfecta ſanitate habita, ligatura tollitur. Sic quãdo erimus perfectè ſanati, ſine tentatione, ſine peccati fomite, quod erit in patria: tunc tolletur iſta ligatura. Sed quę eſt iſta ligatura? Sunt ſacramenta: quæ nos tortuoſos rectificant, rectificatos alligãt, alligatos cõfirmant: quæ durabunt vſque ad perfectam ſanitatem: id eſt, quouſque erimus in patria. Et tunc tollentur, quia tunc ſacramenta ceſſabunt. Et hanc expoſitionem ponit Auguſt. hic dicens, *Qui ſanat contritos corde*, &c. Ecce quomodo colliguntur diſperſiones Iſrael: quia ſanat contritos corde. Fiat ergo cor contritum, vt poſſit ſanari. Sacrificium enim eſt Deo ſpiritus contribulatus: cor cõtritum & humiliatum non deſpicit Deus. Cor contritum ſanabitur: cor ſuperbum elidetur. Primò igitur cõteratur cor, vt ſanetur. Sanat humiles: ſanat pœnitentes: ſanat ſeipſos punientes. Tales ſanat: ſed perfecta ipſorum ſanitas ſtabit tranſacta mortalitate: *1. Cor. 15.* quãdo corruptibile hoc induerit incorruptionem: & mortale hoc induerit immortalitatem: quando nihil erit, quod ex carnis labe ſolicitetur. Interim autẽ multæ illicitæ delectationes animum tãgunt: quamuis eis non conſentiamus: vt membra noſtra iuſtitiæ ſeruiant, non iniquitati. Tamen delectari talibus, etſi eis nõ cõſentiatur, nõ eſt perfecta ſanitas. Erit ergo perfecta ſanitas in patria. Interim autem alligat dominus cõtritiones eorum. Quæ ſunt alligamenta contritionum? Sicut enim medici alligant fracturas. Aliquando enim prauè & diſtortè, oſſa firmata vt corrigantur medici frangunt, & faciunt vulnus nouum: quia mala erat ſanitas praua. Sic ergo (inquit ſcriptura) rectæ ſunt viæ domini: ſed praui cordis in illis ſcandalizantur. Quid eſt *Malus credit omnes eſſe malos.* praui cordis? Torti cordis. Tortum cor habens, putat torta eſſe omnia quæ dicũtur à Deo: putat omnia mala quæ fecit Deus: & diſplicent ſibi iudicia Dei, maximéque illa in quibus corripitur. Diſtortum cor & prauũ eſt, quod non ſe corrigit ad Deũ. Quid ergo ei dicit Deus? Tortus es: ego rectus ſum. Iam ergo cor tortum & durum frãgatur & dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes: tu frãge, ille dirigat: tu frange conterendo, confitendo peccata tua, illa puniendo. Quid enim aliud ſignificat peccatoris tunſio, niſi cordis fractionem? Nunc ergo quid facit medicus? Alligat contritiones tuas, vt poſſis peruenire ad pleniſſimam ſanitatem: donec cõſolidetur quod fractum eſt, quod alligatum eſt. Quæ ſunt illa alligamenta? Temporalia ſacramenta, verba diuina: & omnia quibus habemus ſpiritualem conſolationem, alligamenta ſunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta ſanitate, alligationem remouet: ſic cum ad ſanitatem perfectam venerimus ad ſocietatem angelorum, iſta alligamẽta tollentur à nobis. Nunquid putatis nos ibi accepturos eſſe, quod hic accipimus: aut ibi recitandum eſſe euangelium vt fides permaneat? Certè non.

Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat. 2550

Hic oſtendit Dei ſapientiam, & primò hoc facit: ſecundò ex dictis concludit Dei potentiam & ſapientiam: ibi, *Magnus dominus.* Quãtum ad primũ, ſciendum quòd aliqui voluerunt dicere quòd iſta inferiora non reguntur à Deo, ſed à fato & conſtellationibus: ſic quòd conſtellationes canunt omnia quę nobis eueniunt: vt quòd iſte ſublimetur ad regnum, ille autem expellatur de regno. Iſte captiuetur, & ille à captiuitate liberetur: hoc accidit, non





ex diuina gubernatione, ſed diſpoſitione ſtellarum. Et conſequẽter, quòd populus fuerit liberatus per Cyrum regem à captiuitate Babylonica, fecit non Deus: ſed conſtellatio ad hoc regem inducens. Sed hoc eſſe falſum oſtendit Pſal. ponens quòd Dei ſapientia virtutes ſtellarum ſuperat: & ſecundũ quòd Dei ſapiẽtia diſponit, ſic efficitur. Vnde virtus ſtellarum ſapientiæ diuinæ ſubiicitur: & non econtrario. Et hoc eſt quod dicit, quòd Deus numerat multitudinem ſtellarum & omnibus, &c. Quãuis enim numerus nobis ſit incognitus: tamen in ſe eſt certus & determinatus: & cognitus à Deo qui fecit illas. Et quod plus eſt: non ſolùm ſtellarum numerum cognoſcit, ſed & omnes earum virtutes: ex quo omnibus ſtellis propria nomina dedit. Nomina enim debitè poſita rebus, imponuntur à rerum proprietatibus & virtutibus. Et ideo ſicut quęlibet ſtella propriam habet virtutem, licet incognitam nobis, Deo tamen cognitam: ſic & proprium nomen habet à Deo impoſitum ſibi. Et ideo de ſapiẽtia concludit Pſal. Et ſapientiæ eius non eſt nume- *Scientia Dei infinita.* rus: quia ſcilicet infinita cognoſcit. Quod ideo dicit, non ſolum quia omnes ſtellas cognoſcit: immò etiam omnia facta & fienda. Et quòd plus eſt, omnia poſſibilia fieri: quę tamen nunquam fient. Quę ſine dubio infinita ſunt, & abſque numero. Vnde ſcientia eius dicitur infinita & abſque numero: & non ſolùm ratione cognitorum, ſed etiam ratione modi cognoſcendi: quia claritas ſuæ cognitionis eſt infinita, excedẽs omnem noſtram cognitionem immenſé. Et per hoc vult habere Pſal. quòd populus à dicta captiuitate fuit liberatus per ſcientiam *Stellæ dicuntur omnes iuſti.* Dei, non virtute ſtellarum. Sed per iſta verba, alia ſpiritualia Pſal. voluit intelligere. Quid enim ſtellarum nomine quæ illuminant noctem tenebroſam, niſi electi & Dei ſancti intelliguntur, qui illuminant tenebras vitæ præſentis? vt oſtendit Greg. 1. l. moral. c. 10. Vide ver. 2388. De iſtis ergo ſtellis, ſcilicet de ſanctis à Deo prædeſtinatis, hic intelligit Pſal. Quia ipſe cognouit, qui ſunt electi pauci inter multos vocatos: quia nomina eorum in libro æternæ vitę ſcribit, in quo non ſcribuntur reprobi: *Pſal. 68.* ſcilicet in libro moriẽtium. de quibus dicitur, Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Sed iuſtorum nomina nouit, & in libro vitæ ſcribit: quibus Chriſtus dicebat, Lucæ 10, Nolite in hoc gaudere, quia ſpiritus immundi vobis ſubiiciuntur: gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Vnde Stephanus ſuper illo *Nomen conuenit ſolis bonis.* verbo Exod. 1, Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael: dicit, Soli enim boni nomẽ habent: vnde & ille diues epulo non nominatur, quia ignotus domino erat: pauper autem tanquam Deo familiaris, Lazarus nuncupatur. De malis enim dicitur, Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Bonis autẽ, Gaudete quia nomina veſtra ſunt ſcripta in cœlis. Vnde iſtam expoſitionem hic innuit Auguſt. dicens, *Qui numerat multitudinem ſtellarum*, &c. Quid magnum eſt Deo numerare multitudinẽ ſtellarum, cui om- *Matth. 10.* nes capilli omnium hominum numerati ſunt? Sed hic ſtellæ dicuntur quædam luminaria in eccleſia, conſolantia noctem noſtrã vitæ præſentis. De qui- *2. Pet. 1.* bus dicit Apoſtolus, In medio nationis prauæ & peruerſæ luceris quaſi luminaria in mundo. Tales numerat dominus in ſuos, quia nouit dominus, qui ſunt eius. Si quis verò talibus ad vmbram fidei ſe cõiungit, nouit ille qui numerat, quia ſupra numerum eſt. Numerat dominus omnes ſecũ regnaturos: omnes aggregandos corpori vnigeniti ſui habet numeratos. Qui autẽ indignus eſt, nec numeratur. Multi enim crediderunt: & multi ſe ad vmbram fidei ſpecie populo Dei applicuerunt: qui tamen non ſunt electi. De quibus in alio Pſal. dicitur, Annunciaui & locutus ſum: multiplicati ſunt *Pſal. 39.* ſuper numerum. Sunt ergo infra eccleſiam & ſupernumerarij quodammodo: id eſt, plus quàm in gloria futuri ſunt. Deus autem qui numerat, diſcernit multitudinem ſtellarum, id eſt, electorum. Et omnibus eis numeratis nomina vocat: quia nomina eorum ſcripta ſunt in libro vitæ, id eſt, in Dei prędeſtinatione: hoc eſt totum pręmium noſtrum, hoc tota beatitudo noſtra, vnde gaudere debemus: non de aliis rebus, non de donis ſpiritualibus quibuſdam, ſicut quidam faciunt: quibus malè vtentibus quibuſdam donis Dei, dominus dicet in fine, Nõ noui vos. Diſcipulis etiam ſuis ait, Nolite gau- *Lucæ 10.* dere quia ſpiritus vobis ſubiecti ſunt: ſed gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. Hoc autẽ fit per charitatem: ſine qua cętera dona ſpirituſſancti quæ habentur ad tempus, perduntur. Vel aliter, *Qui numerat multitudinem ſtellarum*, id eſt, ſanctorum: & omnibus eis nomina vocat: id eſt, vnicuiq; ſanctorum proprium donum dat: alios per humilitatem, alios per caſtitatem, alios per pietatem vocando.

Magnus dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius nõ eſt numerus. 2551

Hic ex prædictis concludit immenſitatem diuinæ poteſtatis & ſapientiæ. Ex prædictis enim patet magnitudo potentiæ Dei: quia vt dictum eſt, ſanat contritos corde, &c. hoc eſt peccatores contritos iuſtificat. Quæ autem maior poteſt eſſe potentia, quàm de impio facere iuſtum? Quoniam ait Aug. ſuper Ioan. Maioris poteſtatis eſt iuſtificare impiũ, quàm ex nihilo totum mundum creare. Et ideo ex hoc concludit poteſtatis eius magnitudinẽ: dicẽs, *Magnus dominus noſter, & magna virtus eius:* id eſt, poteſtas. Cõſequenter cõcludit magnitudinẽ ſapientiæ eius. Quoniam dictum eſt quòd numerat multitudinem ſtellarum, &c. quia ab æterno nouit omnes electos, & eis ſpiritualia impoſuit nomina: & hoc non obſtante arbitrij noſtri libertate. Sed quę maior ſapientiæ claritas poteſt eſſe, quàm futurorum contingentium euentum præſcire: maximè de his quæ à voluntate dependent? Et ideo ex hoc concludit ſapientiæ Dei claritatem: dicens, *Et ſapientiæ eius non eſt numerus.* Vnde magnitudinem virtutis eius declarans Iob, dicit, Magnus eſt fortitudine, *Iob 37.* iudicio & iuſtitia. Quod declarãs Gregor. ait, Ma- *Greg. 27. moral. cap. 26.* gnus quippe eſt dominus fortitudine: quia fortem aduerſarium ſuperat: & de domo illius vaſa contumeliæ auferẽs, in miſericordiæ vaſa permutat. Magnus eſt iudicio: quia etſi electos ſuos per aduerſa deprimit, eos finaliter in gloria æternæ proſperitatis extollit. Magnus eſt iuſtitia: quia etſi hic diu tolerat, quandoq; tamẽ ſine termino reprobos dãnat. Vnde de ipſo dicitur Pſalm. 134, Ego cognoui quòd magnus eſt Deus noſter, præ omnibus diis. Quod probat, quia omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, &c. vide ver. 2363, & infra. De magnitudine verò eius ſapientiæ, dicitur Iob 36, Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. Et *Pſal. 47.* propter iſta dicitur de ipſo, Magnus dominus, &

laudabilis

laudabilis nimis: & magnitudinis eius nõ eſt finis. vide ver.2518. Alio modo hic Dei magnitudinem deducit Auguſt.dicens, *Magnus dominus noſter, & magna virtus eius*, &c. quia comprehendi eius magnitudo non poteſt. Ipſe enim qui numerat ſtellas, numerari non poteſt. Nemo enim numerũ numerare poteſt. Si enim omnia quæ numerantur, numero numerantur: ipſum numerum nullus numerare poteſt. Ipſe eſt mẽſura rerum, ipſe põdus eſt rerum: ſicut in libro Sapiẽtię dicitur, Diſpoſuit Deus omnia in numero, pondere & menſura: id eſt, in ſeipſo, qui eſt numerus omnia diſponens, pondus cuncta formans, menſura ad ſe trahens vniuerſa: quæ omnia à nobis incomprehenſibilia ſunt. Conticeſcãt ergo humanæ voces: requieſcant humanæ cogitationes: ad incomprehenſibilia Dei non ſe extendãt quaſi comprehenſuri, ſed tanquam participaturi.

*Sapien.11.*

## 2552 Suſcipiens mãſuetos dominus: humilians autẽ peccatores vſque ad terram.

Hic oſtendit diuinam iuſtitiam. Cùm enim iuſtitia ſit virtus reddens vnicuique ſecundum opera eius: iuſtus iudex habet præmiare bonos, & malos deprimere: humiles exaltare, & humiliare ſuperbos. Sic & Deus iudex iuſtus facit: dicente glorioſa virgine Maria, Lucæ 2, Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Sic etiam & in propoſito, dominus ſuſcepit manſuetos, id eſt, filios Iſrael captiuatos in Babylonem ſuſcepit: ipſos liberãdo, qui in Babylone erant manſueti & humiles, non reddentes malum pro malo: ſed patienter captiuitatem tolerantes. Vnde & ſic ſuſcipi à Deo per liberationem ſupplicabat ille populus à Deo, vt opprobria infidelium euaderet: dicẽs, Suſcipe ſeruum tuum in bonum (ſcilicet libertatis) vt non calumnientur me ſuperbi. Sed ipſos Babylonios puniuit & deſtruxit: quia per regẽ Perſarum & Medorum Babylonia fuit capta, ipſi interfecti, & Babylonia ſic deſtructa & ad terram redacta, quòd inhabitabilis facta fuit hominibus, ſed habitatio facta ferarum: ſicut Eſaias de Babylone prædixerat: Eſa.13, dicens, Non habitabitur vſque in finem. Sequitur, Et habitabunt ibi beſtiæ: & domus eorum replebuntur draconibus. Hanc ergo Dei iuſtitiam & liberationem ſuorum & punitionẽ Babyloniorum præuidens Pſalmiſta, ait, *Suſcipiẽs manſuetos dominus*: ſcilicet filios Iſrael liberando, humilians autẽ peccatores vſque ad terram: ſcilicet ipſos Babylonios: iſta ſcilicet faciendo oſtendit iuſtitiam ſuam. Sed per iſta ad alia ſpiritualia nos inducit Pſalmiſta cõtemplando. Quia enim ſtatim Pſal. dixit ſapiẽtiam Dei incomprehenſibilem, quia ſapientiæ eius non eſt numerus: hic vult declarare, qui ſunt qui ſapiẽtiam Dei poſſunt intelligendo participare, & qui non: quia ſolùm humiles & manſueti, qui ſi aliqua obſcura ſcripturarum non intelligunt, nõ ſcripturam corrigunt, non reprehendunt: ſed defectum ſibiipſis attribuunt, & pro intelligentia habenda ad aures Dei pulſant. Tales inquam manſuetos ad intelligentiam ſcripturarum ſuſcipit dominus. Sed immanſuetos & ſuperbos, qui quod non intelligunt reprehẽdunt, & corrigere volunt: vt puta dicentes, Non ſic debuit propheta dicere, ſed ſic: & huiuſmodi. Tales peccatores deponit ad terram: ſcilicet ſolùm ad intelligẽtiam terrenorum eis ſpiritualia ſcripturarum nõ manifeſtans. Vis ergo intelligere? Eſto manſuetus, & eris ſuſceptus: ſi ſuperbis pro intellectu ſcripturę, eris humiliatus. Et hoc eſt quod ait, *Suſcipiens manſuetos dominus: humilians autem peccatores vſque ad terram.* Et hæc eſt intentio Auguſt. hic dicentis, *Suſcipiens manſuetos dominus: humilians*, &c. Verbi gratia. Non intelligis ſcripturam: honora ſcripturam & verbum Dei. Noli proteruus eſſe: accuſare aut obſcuritatem aut quaſi peruerſitatem ſcripturæ. Peruerſum in ſcriptura nihil eſt: obſcurum autem aliquid eſt. non vt tibi negetur: ſed vt exerceat accepturum. Ergo quando obſcurum eſt, medicus hoc facit vt pulſes: voluit te exercitari in pulſando. Voluit vt pulſanti aperiret: pulſando exerceberis: exercitatus, latior efficieris: latior factus, capies quod donatur. Ergo noli indignari quòd clauſum eſt: mitis eſto. Noli recalcitrare aduerſus obſcura: & dicere, Melius diceretur, ſi ſic diceretur. Non corrigat æger medicamenta ſua. Nouit ea medicus modificare. Ei crede qui te curat. Audi quid dicat Pſalmiſta, *Suſcipiens manſuetos dominus*. Noli ergo reſiſtere aduerſus clauſa: ſed manſuetus eſto, vt te ſuſcipiat. Si autẽ reſiſtis, audi quid ſequitur, *Humilians autem peccatores vſque ad terram*. Peccatores hoc loco, immites & eos qui manſueti non ſunt, intelligimus. Hos humiliat vſque ad terram, quia reprehendunt intelligibilia: ideo terrena ſenſuri ſunt, vt terrena tantùm de Deo ſapiant: incorporea, ſolum corporaliter cogitantes. Hoc facit Deus his qui volunt irridere legem antequam noſcant. Et ad iſtum intellectum loquitur Sapiens, Eccle.5, dicens, Eſto manſuetus ad audiẽdum verbum Dei, vt intelligas.

*Pſal.118.*

*Humilibus reuelatur ſcriptura: ſuperbis occultatur*

*Scripturæ obſcuritas vtilis eſt.*

*Matth.7.*

## 2553 Præcinite domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

Hic inducit ad Dei laudem ex beneficiis collatis generaliter. Et tria facit: quia primò Dei laudem proponit: ſecundò generalia beneficia inducit: ibi, *Qui operit*: tertiò conditionem laudantium oſtẽdit: ibi, *Non in fortitudine*. Primò ergo Dei laudem omnibus proponit: dicens, *Præcinite domino noſtro in confeſſione*. Vbi notandum, quòd in antiquo teſtamento Deus laudabatur non ſolum voce humana, ſed inſtrumentis muſicis: ſicut etiam hodie laudatur voce humana per cantum, & inſtrumento muſico, vt cum organo & tubis: quia talia excitant mentem ad lætitiam, cum qua laudandus eſt Deus. Et hoc eſt quod hic nobis proponit Pſal. dicens, *Præcinite domino in confeſſione*: & hoc quo ad vocem humanam. *Pſallite Deo noſtro in cithara*: & hoc quo ad muſica inſtrumenta. Vbi notandum quòd per hæc vult Pſal. oſtendere quomodo ad cognitionem arcanorum ſcripturæ poſſumus deuenire. Ad hoc enim duo requiruntur: ſcilicet mentis humilitas. quod notatur ibi, *Præcinite domino in confeſſione*: & vitæ ſanctitas; quod notatur ibi, *Pſallite Deo noſtro in cithara.* Quantum ad primum, dicit, *Præcinite domino in confeſſione.* Duplex eſt enim confeſſio; ſcilicet criminis & laudis. De confeſſione criminis dicitur Iacob.5, Confitemini alterutrum peccata veſtra, &c. De confeſſione laudis ait Chriſtus, Matth.11, Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, &c. Et hanc duplicem confeſſionem præmittere debet, qui myſterium ſcripturarum intelligere curat: vt ſcilicet primò ſe humiliãdo, ſe accuſet: peccata ſua cõfitendo. Et cõſequenter cõfeſſione laudis ipſum Deum laudando & ſacram ſcripturam, non ipſam increpando. Nec iſta ſufficiunt, niſi ſint bona opera:





ra. vt ſcilicet quod de ſcriptura intelligis, illud opere compleas. Per citharam enim ſignificatur aſperitas pœnitentiæ quam debes operari: humanitas Chriſti, quam debes imitari: crux dominica, in qua debes immolari. vide ver.481. Et ad iſtũ intellectum hic loquitur Auguſt. dicens, *Præcinite domino in confeſſione.* Tranſlatio tamen Auguſt. habet, *Incipite domino in confeſſione.* Quaſi dicat, Hic incipe, ſi vis peruenire ad intelligentiam perſpicuam veritatis. Incipe in confeſſione, te prius accuſa: te accuſato, Deum lauda. Inuoca quem nondum noſti, vt veniat & ſciatur. Poſt cõfeſſionem verò quid ſequatur, opera bona. Vnde ſequitur, *Pſallite Deo noſtro in cithara*: quod expoſitum eſt in pſalterio, ſcilicet ver.2547. Sic & cithara, non ſola voce: ſed opere pſallite domino in cithara. Hoc eſt, confitemini & operamini opera miſericordiæ.

*Scripturæ intellectus requirit humilitatem & bonã operationem.*

## 2554 Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.

Hic incipit narrare Dei beneficia generaliter omnibus animantibus exhibita vt poſſint viuere: quæ diſtinguit in tria. Primùm, quia terram ad fœcunditatem irrigat. Secundò, quia terram fructibus exornat: ibi, *Qui produxit*. Tertiò, quia alimenta omnibus animantibus præparat: ibi, *Qui dat iumentis*. Quantum ad primum, ſciendum quòd terra nõ fructificaret, niſi aquis eſſet irrigata. Vt ergo germinare poſſit, Deus operit cœlum nubibus: quia virtute caloris ſolis eleuantur nubes ex vaporibus & fumoſitate terræ, & ex vaporibus aquæ maris: & intermediant inter nos & cœlum: & ſic operiũt cœlum nobis, ſcilicet inferioribus, ne oculis noſtris pateat: quæ nubes poſtea reſoluuntur, & aqua quæ in ipſis continebatur, deſcendit per pluuiam, & irrigat terram, ne ariditate totaliter diſſoluta, ſterilis efficiatur. Et hoc eſt quod ait Pſal. *Qui operit cœlum nubibus*: quia nubes ſunt inter cœlum & nos. Et per illas nubes, parat terræ pluuiam. Quomodo autem nubes generantur & eleuantur, vide verſic. 2365. Per iſta autem alia ſpiritualia vult intelligere. Vbi per cœlũ ſcriptura intelligitur: quia ibi Deus celatus continetur. Sed nubes ſignificant obſcuritatem figurarum, quibus cœlum ſcripturarum nobis occultatur ad tempus. Et hæc obſcuritas figurarum nobis eſt vtilis: quia per illam terra noſtra irrigatur ad meritum, dum in ſcripturis ſacris nos exercitamus. Et hanc expoſitionem hic ponit Auguſtin. dicens, *Qui operit cœlum nubibus*, &c. id eſt, qui tegit ſcripturam figuris & ſacramentis. Ecce quis videat cœlum quod coopertum eſt nubibus: noli timere: audi quod ſequitur, *Et parat terræ pluuiam.* Expauiſti, quia non vides cœlum: ſed ex hoc complueris & fructificabis, & cœlum ſerenum videbis. Operit enim dominus cœlum nubibus: quia niſi haberemus occaſionem obſcuritatis ſcripturarum, gratiam exercitij non haberemus. Ad hoc enim obſcura voluit eſſe dicta prophetarum: vt haberent poſtea ſerui Dei, quod interpretando influerent ſuper aures & corda hominum excipientium de nubibus Dei ſaginam lætitiæ ſpiritualis. Vel per cœlum intellige ſanctos Apoſtolos, prædicatores, & quoſlibet iuſtos: vt deducit Gregorius, 1. moral. & in multis aliis locis. Per nubes autem quæ cœlum obſcurant, intellige ignorantiam, qua mens iuſtorum obſcuratur ne clarè videre poſſit diuina, quæ fide credit. Et eſt ſenſus, quòd Deus operit cœlum nubibus: quia corda iuſtorum fidelium ſub quadam obſcuritate tenet in præſenti, ne Deum clarè videre poſſint. Iſta nubium obſcuritas ex infirmitate noſtra procedit. Vnde Greg. lib.28. moral. cap.19, dicit, Cor noſtrum tumultuoſum cogitationibus nube tegitur: quia ne internam quietem purè conſpiciat, inquietudinis ſuæ confuſione obumbratur. Et quaſi caligine obuoluitur: quia contemplandis ſublimibus, teneris ad hoc ſenſibus ſuæ infirmitatis ligatur, &c. Sed hæc obſcuritas nobis vtilis eſt: quia meritum auget: & per conſequens præmium, dum credis quæ nõ vides. Propter quod dicit quòd per hanc parat terræ pluuiam, quia pluuiam gratiarum infundit. Per pluuiã enim ipſa gratia intelligitur: vide ver.1057.

*Cœlum ſignificat ſcripturã: nubes ſunt figuræ & ſacramenta.*

*Scripturarũ obſcuritas vtilis eſt.*

*Gregor. lib.1. cap.26. lib.10 cap.10. lib.11. cap.17.*

*Fidei obſcuritas vtilis eſt.*

## Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. 2555

Hic oſtendit quòd Deus terram fructibus ornat. Vbi attende, quòd hic per fœnum & herbam intelliguntur omnia ex terra naſcentia: quia omnia à principio ad modum herbæ ſe habent. Veruntamen aliqua areſcunt citò, vt blada: & iſta fœnum vocantur. Alia autem per multa tempora durant, vt arbores: & iſta herba dicuntur. Et omnia iſta Deus producit irrigando pluuia terram: quæ omnia ad ſeruitutem hominum ſunt ordinata. Quia etſi aliqua ſint apta ad cibum iumentorum, & nõ hominum, omnia tamen reſultant ad ſeruitutẽ hominum, quia etiã ipſa iumenta ſunt ad ſeruitutem hominum facta. Sed quid per iſta Pſal. nos intelligere curat? Notandum ergo quòd per montes ſignificantur huius mundi homines alti, potentes, ac diuitiis abundantes: qui in rebus terrenis excedunt alios: vt oſtendit Gregor. dicens, Quid per montes, niſi huius ſæculi potentes accipimus, qui pro terrena ſubſtantia in altum tument: de quibus montibus ait Pſal. Tange montes, & fumigabunt. Per fœnum autem omnia temporalia vel carnalia quæ citò areſcũt, intelliguntur. Vnde Eſa.40, Omnis caro fœnum. In montibus ergo producitur fœnum, quia potentibus huius mundi temporalia bona dantur. Sed quid nomine herbæ quæ viriditatem ſeruat, & humilis in terra manens fructum producit: niſi iuſtus quilibet accipitur, & quilibet prædicator: teſte Gregor. dicente, Herba naſcendo prius à terra producitur, aura & æſtibus tangitur: ſole ac pluuiis nutritur: & tunc demum ad producendum fructum ſui ſeminis aperitur. Bene ergo per herbas quilibet ſancti intelliguntur: quia iuſti viri prius in opere ſanctę conuerſationis oriuntur, atque huius vitæ hyemem tolerãt: eóſque grauium perſecutionum æſtas fatigat. Qui cùm recta faciunt, nequaquam hic ſuæ rectitudinis remunerationem quærunt. Cum à præſentis mundi laboribus exeunt, ad æternam patriam venientes, expectata retributione perfruuntur. Iſta ergo herba, id eſt, homines iuſti, & ſancti prædicatores, ad ſeruitutem hominum producuntur: quia ad informandum alios ſuis exemplis & prædicationibus ſunt electi. Herba ergo producitur ad ſeruitutem hominũ: quia ſpirituales & iuſti aliis debent ſeruire, prædicando & ſpiritualia ſeminãdo: ſed in mõtibus producitur fœnum, quia diuites & alti ad hoc recipiunt temporalia, vt illa miniſtrent iuſtis, qui eis ſpiritualia conferunt. Et ad hunc intellectum loquitur Apoſtolus, 1. Cor.9, dicens, Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non eſt magnum, ſi veſtra carnalia metamus. Et ad hunc intellectum

*Montes dicuntur mundi potẽtes & diuites.*

*Greg.18. moral. cap.22.*

*Pſal.143.*

*Herba ſignificat iuſtos.*

*Greg.8. moral. cap.34.*

*Fœnũ ſignificat omnia tẽporalia.*

hunc verſum exponit Auguſt.dicens, *Qui produxit in montibus fœnum*, &c. Mõtes dicit excelſos ſæculi, aliqua magna dignitate præditos. Mons ergo attulit fœnum, quando maiores ſua erogant iuſtis. Zachæus ille maior publicanorum, fœnũ attulit: qui dimidium bonorum ſuorũ pauperibus dabat. Hoc enim erat mirabilius, quòd mons attulit fœnum. Quanto enim elati ſunt homines, tanto auari ſunt. Et quãnto in hoc ſæculo maior eſt quis, tanto plus amat diuitias. Sed talibus loquitur Chriſtus, Ecce mõs es: accipe pluuiam, da fœnum. Quid enim daturus es, niſi fœnum? Etenim omnia iſta quę eccleſiæ ad neceſſitatem ſeruientium Deo dantur à diuitibus, quid ſunt, niſi fœnum? Carnalia enim ſunt & ad tempus apparentia: ſed non inde aliquid carnale acquiritur. De rebus vilibus quid emas attende. Apoſtolus enim ait oſtendens fœnum eſſe illud: Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Et audi quia omnia carnalia ſunt fœnum, Omnis caro fœnum: & omnis gloria hominis vt flos fœni. Hoc ergo magnũ eſt, quòd in montibus fœnum producit. Sed Deo omnia ſunt poſſibilia. Nam nihil ſterilius eſſet duriſſimis montibus, niſi pluuia ſanctæ prædicationis compluerentur. Sed quomodo irrigantur? Audi quod ſequitur, *Quia produxit herbam ſeruituti hominum*: id eſt, ſanctos prędicatores ad ſeruiendum hominibus. Vnde ipſum Paulum audi dicentem, Nos autem ſeruos veſtros per Ieſum. Ecce qui dicebat, Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus? ſeruum ſe dicit ipſorum. Ergo producit in montibus fœnum, vt inde pauperes ſuſtententur: & herbam ſeruituti hominum, vt diuites per ſanctos prædicatores informentur. Ad hunc etiam intellectum exponit Gregor. hunc verſum, dicens, Per herbam enim ſuſtentatio prædicantium demonſtratur, cum dicitur, *producit in montibus fœnum: & herbam ſeruituti hominum*. In montibus quidem fœnum ſeruituti hominum & herba producitur, cùm ſublimes huius ſęculi ad fidei cognitionem vocati, ſanctis prædicatoribus in huius vitæ itinere tranſitoria bona largiuntur.

*Prædicatores bonis auditorum debēt ſuſtentari.* — *1.Cor.9.* — *Eſa 40.* — *1.Cor.4.* — *1.Cor.9.* — *Greg.29. mora.c.18.*

2556 Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocãtibus eum.

Hic oſtendit quòd omnibus animantibus Deus alimẽta præſtat. Vbi nota, quòd iumenta dicuntur quaſi iuuamẽta: vt ſunt equi, boues, aſini, chameli & huiuſmodi: quib⁹ iuuatur homo, vel in vecturis vel in agriculturis, & huiuſmodi. Et hic per iumẽta intellige omnes beſtias terræ: quæ paſcuntur ex his quæ in terra naſcũtur. Per pullos autẽ coruorũ intellige omnia genera auium. In ſcriptura enim coruus eſt auis magnæ voracitatis: in cuius ſignum coruus miſſus à Noe extra arcam, inueniens cadauera, & ibi ratione voracitatis manens, ad arcam amplius redire neglexit. Si igitur pullis coruorum Deus præparat eſcam, multo fortius aliis auibus. Vel alia ratione hic in ſpirituali nominantur inter aues pulli coruorum. Nã vt dicit Magiſter de proprietatibus rerum, & habet hoc ab Iſidoro, Corui pullis editis, priùs eſcas non præbent nec eos cibant, donec in eis pennę creſcant: & per pennarum nigredinem ſimilitudinem proprij coloris, ipſos ſuos filios agnoſcant. Interim autem antequã pennas nigras habeant, pulli coruorum ſtant ore aperto, & rore cœli paſcuntur. Et ſic ſingulariter pullis coruorum Deus eſcam miniſtrat. Qui dicuntur inuocare Deum, non quòd iſta inuocatio ſit per aliquam recognitionem in pullis coruorum exiſtentem: ſed eſt quidam naturalis appetitus: quælibet enim res naturaliter ſuum eſſe conſeruare intendit: & ſic naturaliter appetit illa, per quæ in eſſe cõſeruatur: cuiuſmodi eſt cibus. Quid autem per iſta Pſal. nos velit intelligere, eſt ſciẽdum quòd per iumẽta hic intelliguntur iuſti homines & ſancti prædicatores: qui dicuntur iumenta, quia ſuis prędicationibus & exemplis alios trahunt ad vitam. Quibus parat eſcam: quia ſicut ipſi aliis ſeminant ſpiritualia, ſic & ipſi aliorum carnalia metere debent. Per coruos autem intellige nigram gentilitatem, & verè nigram, quia colebat idola, & Deum ignorabat. Sed pulli coruorum ſunt filij eorum ad fidem conuerſi: quibus Deus parat eſcam, quia verbo Dei reficit eos. Vnde hic Auguſt. ait, *Qui dat iumentis eſcam ipſorum*. Litera Auguſt. habet, *Qui dat pecoribus*, &c. Pecora iſta dicit gregem Dei. Nõ fraudat Deus gregem ſuum eſca ſua per homines, quorum ſeruituti herbam facit exoriri. Vnde Apoſtolus ait, Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit? *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Hoc fortè putabimus quòd pulli coruorum inuocent dominum, vt det eis eſcam. Sola enim rationalis anima inuocare Deum poteſt. Ergo hoc in figura accipe dictum: ne putare cogamini, ſicut quidam impij dicunt, reuolui animas humanas ad pecora, ad canes, ad porcos, ad coruos. Anima enim humana facta eſt ad imaginem Dei. Non autem dabit Deus imaginem ſuam cani vel porco. Quid eſt ergo, *Et pullis coruorum inuocantibus eum*? Qui ſunt pulli coruorum? Iſraelitæ ſe ſolùm iuſtos dicebant, qui legem acceperãt. Cæteros autem omnium gentium homines peccatores dicebant. Et omnes gentes in peccato, in idolatria, in adoratione lapidum atque lignorum erant. Sed nunquid ſic remanſerunt? Etſi non ipſi corui parentes noſtri, tamen pulli coruorum nos ipſi inuocamus Deum. Ipſi ſunt pulli coruorum, quibus dicit Petrus, Quia non corruptibili auro & argento redempti eſtis de vana veſtra cõuerſatione paternæ traditionis. Proficientes enim pulli coruorum, qui ſimulacra colere videbantur parentum ſuorum, cõuerſi ſunt ad dominum. Audis modò pullum corui inuocantem dominũ. Ille enim coruus non inuocat Deum: ego pullus corui inuoco Deum. Aliter autem iſtum verſum deducit Gregor. per coruos & pullos coruorum intelligens gentilitatem conuerſam: quia ipſi corui, id eſt, gentiles conuerſi, etiam ſatagunt alios ad fidem inducere & nutrire. Vnde ait, Quid enim corui pullorúmque eius nomine, niſi peccatis nigra gentilitas deſignatur: de qua per prophetam dicitur, *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*? Iumenta quippe eſcam accipiunt, dum ſacræ ſcripturæ pabulo mentes dudum brutæ ſatiantur. Pullis verò coruorum, filiis ſcilicet gentium eſca datur, cùm eorum deſiderium noſtra cõuerſione reficitur. Eſca fuit iſte coruus, dum ipſum ſancta eccleſia quæreret. Sed nunc eſcam accipit, quia ipſe ad conuerſionem alios exquirit: cuius videlicet pulli, id eſt, prædicatores ex eo editi non de ſe præſumunt, ſed in viribus ſui redemptoris.

*Coruus paſcitur rore cæleſti.* — *Coruus ſignificat gẽtiles.* — *Pulli coruorũ ſunt gentiles conuerſi.* — *1.Cor.9.* — *Anima hominis nõ trãſit ad iumenta vel aues.* — *1.Pet.1.* — *Greg.30.moral.cap.12.*

2557 Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.





Hic oſtendit conditiones, quas Deum laudantes debent habere. Et primò oſtendit quid in laudantibus non quærit: ſecundò quid in eis requirit: ibi, *Beneplacitum eſt domino.* Vbi notandum quòd maximè Deus deteſtatur in ſeipſis vel in poteſtate humana cõfidentes, & non in Deo. Vt puta, aliqui confidunt habere victoriam, & ſeipſos poſſe ſaluare in multitudine equitum & quadrigarum: alij in multitudine peditum. Et tamen victoria belli non procedit ab iſtis: ſed de cœlo. In iſtis autem nõ habet Deus beneplacitum ſuum. Et hoc notans hic Pſal. dicit, *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, id eſt, equitum, qui ſcilicet confidunt in equis. *Neque in tibiis viri beneplacitum erit illi*, id eſt, in robore peditum ſuorum confidentibus: quia tales frequenter debellantur à paucis: vt patuit de exercitu Madian, qui à trecentis viris cum Gedeone fuit ſuperatus. De exercitu Holofernis, qui ab vna muliere fuit extinctus. Et ſic de multis aliis. De exercitu Pharaonis, Sennacherib, &c. Quid autem per iſta vult intelligere Pſal? Notandum quòd per equum & eius fortitudinem notantur ſuperbi & potẽtes: ſed per viri tibias notantur præſumptuoſi & audaces, in quibus voluntas Dei non conſiſtit. Vnde hic ait Gloſ. Ille qui iumenta paſcit & pullos coruorum, non habet voluntatem, id eſt, beneplacitũ ſuum in fortitudine equi vel potẽtatu, id eſt, in ſuperbia contumacium. Per equum enim ſuperbia intelligitur: quia de equo altior incedit homo, & ceruix eius verè indicat ſuperbiam: rapidus eſt etiã in curſu. Sequitur, *Nec beneplacitũ erit ei in tibiis viri:* id eſt, in compoſito habitu præſumptuoſi & audacis. Per virum enim audacem pręſumptionem notat. In tibiis notatur inceſſus incompoſitus. Non eſt ergo in tali confidendum, quia ibi non eſt Dei beneplacitum. Nam vt in alio Pſalm. dicitur, Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine domini inuocabimus. Hoc eſt, illi in ſuperbia & honoribus temporalibus: nos autem in nomine domini magnificabimur. Propterea quid illis accidit? Audite quod ſequitur, Ipſi obligati ſunt & ceciderũt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Notandum autem quòd equi nomine in ſcriptura multa ſignificantur: vt deducit Gregor. dicens, In ſcriptura ſacra equi nomine aliquãdo lubrica vita prauorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando ipſum præſens ſæculum, aliquando præparatio rectæ intentionis, aliquando ſanctus prædicator exprimitur. Equi enim nomine lubrica vita prauorũ figuratur: ſicut ſcriptum eſt, Nolite fieri ſicut equus & mulus: & ſicut alibi per prophetam dicitur, Equi amatores & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Equi nomine aliquando dignitas temporalis accipitur: Salomone atteſtãte qui ait, Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes quaſi ſeruos ſuper terrã. Omnis quippe qui peccat, ſeruus eſt peccati: & ſerui in equis ſunt, dum peccatores præſentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes verò quaſi ſerui ambulant, cùm dignitate virtutũ plenos nullus honor erigit: ſed ſumma hic aduerſitas velut indignos deorſum premit. Hinc rurſum dicitur, Dormitauerunt qui aſcenderunt equos, id eſt, in morte animæ mentis oculos à veritatis luce clauſerunt, qui in præſentis vitæ honore confiſi ſunt. Equi nomine hoc ipſum præſens ſæculũ deſignatur: ſicut Iacob voce dicitur, Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſſeſſor eius retró. Quo in teſtimonio quid equus ſignificet melius oſtẽdimus, ſi ea quæ circunſtãt, paulo ſubtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichriſtum ferunt, pro eo quòd hoc loco, & Dan & coluber aſſeritur & mordens. Vnde non immeritò dum Iſraeliticus populus terras in partitione ſuſcĩperet, prius Dan ad aquilonẽ caſtrametatus eſt: illũ ſcilicet ſignificans, qui in corde ſuo dixerat, Sedebo in mõte teſtamenti in lateribus aquilonis: aſcẽdã ſuper altitudinẽ nubiũ, & ſimilis ero altiſſimo. De quo per prophetam dicitur, A Dan auditus eſt fremitus equorũ eius. Qui non ſolũ coluber, ſed & ceraſtes vocatur. Cerata enim Græcè cornua dicuntur, ſerpénſq; hic cornutus eſſe perhibetur, per quẽ dignè aduẽtus Antichriſti aſſeritur: quia cõtra fideliũ vitam cũ morſu peſtiferæ prædicationis armatur etiã cornibus poteſtatis. Quis autẽ neſciat ſemitam anguſtiorem eſſe quàm viã? Fit autẽ Dan coluber in via, quia in præſentis vitæ latitudinem eos ambulare prouocat, quibus quaſi parcẽdo blãditur. Sed in via mordet: quia eos quibus libertatẽ tribuit, erroris ſui veneno conſumit. Fit ceraſtes in ſemita, quia quos fideles reperit & ſeſe ad præcepti cœleſtis anguſta itinera reſtringẽtes: nõ ſolùm nequitia callidæ perſuaſionis impetit: ſed etiã terrore poteſtatis premit, & in perſecutionis algore poſt beneficia fictæ dilectionis exercet cornua poteſtatis. Quo in loco equus hunc mundũ inſinuat, qui per elationẽ ſuã in curſu labentiũ temporum ſpumat. Et quia Antichriſtus extrema mũdi apprehẽdere nititur: ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur. Vngulas quippe equi mordere eſt, extrema ſæculi feriendo cõtingere: vt cadat aſſeſſor equi retró. Aſſeſſor equi eſt, quiſquis extollitur in dignitatibus mũdi. Qui retrò cadere dicitur, & nõ in faciẽ: ſicut Paulus cecidiſſe memoratur. In facie enim cadere eſt, vnũquemq; in hac vita culpas ſuas agnoſcere, cáſque pœnitendo deflere. Retrò verò equo cadere videtur, ex hac vita repentè decidere: & ad quæ ſupplicia ducatur ignorare. Quia Iudæa erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto Antichriſtũ expectat. Bene Iacob eodem loco repentè in eodẽ electorum voce conuerſus eſt dicẽs, Salutare tuum expectabo domine: id eſt, non ſicut infideles Antichriſtum, ſed eum qui in redemptionem noſtram venturus eſt, verum credo fideliter Chriſtum. Equi nomine etiã pręparatio rectæ intẽtionis accipitur: ſicut ſcriptum eſt, Equus paratus eſt in diem belli, ſed dominus ſalutem tribuit: quia contra tentationem quidẽ ſe animus præparat: ſed ſi non adiuuetur à domino, ſalubriter non decertat. Equi nomine ſanctus quiſque prędicator accipitur: propheta atteſtãte qui ait, Miſiſti in mare equos tuos turbãtes aquas multas. Quietæ quippe aquæ iacuerũt, quia humanæ mẽtes diu vitiorũ ſuorũ torpedinę ſopitæ ſunt. Sed equis Dei mare turbatum eſt, quia miſſis ſanctis prædicatoribus omne cor quod peſtifera ſecuritate torpuit, impulſu ſalutiferi timoris expauit, &c. Ex quibus omnib⁹ patet quòd equus in ſcriptura quãdoque accipitur pro ipſo mundo: ac etiã pro altis & ſuperbis in dignitatibus mundi conſtitutis. Et ſic accipitur hic cum dicitur, *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, &c.

*Iudith 7.* — *Iudith 9.* — *Equus ſignificat ſuperbiã.* — *Vir ſignificat audaciam.* — *Pſal.19.* — *Equus multa ſignificat.* — *Gregor.31. moral.18.* — *Pſal.31.* — *Hierem.5* — *Eccleſ.10.* — *Pſal.75.* — *Gen 49.* — *Antichriſtus ex tribu Dan orietur.* — *Hierem.8.* — *Equus ſignificat mundũ.* — *Geneſ.49.* — *Prouerb.21.*

2558 Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Hic oſtendit quid dominus exigit in laudatoribus ſuis: quia ſcilicet in eis exigit humilitatem qua timeant Deum, & ſpem qua non in ſeipſis confidant: ſed ſolum in domino. In talibus enim beneplacitum ſuum habet. Et hoc eſt quod ait, *Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum,* &c. Talium enim laus acceptatur à Deo: talibus frequenter datur victoria, licet pauci ſint & inermes. Et de hoc multa exempla habentur in ſcriptura: vt in libris Heſter, Iudith, Regum, Iudicum & Machabæorum. Et eſt ſenſus, *Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum,* &c. Quaſi dicat, In ſuperbis & in compoſitis exterius ſibi non placet: ſed ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant, &c. Et vide quòd timori ſpem coniunxit: quia nó valet timor ſine ſpe veniæ. Iudas enim pœnitens timuit, ſed nó ſperauit in miſericordia: ideóque deſperando cucurrit ad laqueum, & ſe ſuſpendit. Qui ergo timet Deum, ſperet, & ab ipſo ad ipſum fugiat: ab irato ad placatum. Placabis autem eum, ſi ſperes in miſericordia eius, atque de cætero ita peccare caueas, vt de præteritis depreceris vt tibi dimittantur. Aduertendum autem qualiter Deum debes timere. Aliter enim timetur latro vel hoſtis potens, aliter Deus eſt timendus. Nam timetur hoſtis, ſicut contra illum ab alio auxilium petas. Sed non ſic timetur Deus: ſed vt in ipſum ſperes, & ab ipſo auxiliũ petas ſeu quæras: quia timor eius verus ſpem includit in eum. Vnde hic ait Aug. *Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum.* Sed nũquid ſic timetur Deus, quomodo latro timetur? Nam & latro timetur, & beſtia timetur: & homo iniuſtus & potens multum timetur. *Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum.* Sed quomodo timentes eum? qui & ſperant in miſericordia ipſius. Ecce timuit dominum Iudas traditor Chriſti: ſed non ſperauit in miſericordia ipſius. Poſtea enim pœnituit eũ quòd tradiderat dominum Ieſum Chriſtum: & ait, Peccaui, quia tradidi ſanguinem iuſtum. Bene quidem timuiſti: ſed ſi ſperares in miſericordia eius, quem timuiſti. Ille deſperando abiit, & laqueo ſe ſuſpendit. Ergo ſic time Deum, vt ſperes in miſericordia eius. Si times latronem, ab alio ſperas auxilium, nó ab illo quem times. Si ſic times, poſcis auxilium ab eo quem non times, aduerſum eum quem times. Si ſic times Deum, & ideo times Deum quia peccator es: accepturus es auxilium aduerſus Deum, quò iturus es? quid facturus? Vis ab illo fugere? ad ipſum fuge. Vis fugere ab irato? fuge ad placatum. Placabis eum, ſi ſperes in miſericordia ipſius: atque ita de cætero peccare caueas, vt de præteritis depreceris, vt tibi dimittantur. Quid autem ſit beneplacitum Dei: vide ver. 1516. Notandũ quòd multa ſunt Deo beneplacita: & inter cætera beneplacita Deo, ſunt ſtabilis credulitas, humilis timiditas, gracilis benignitas, præceptorum operatio, deuotorum habitatio, filiorum deprecatio. Primò beneplacita eſt Deo ſtabilis credulitas, qua fides tenetur euangelica: patet, quoniam fides eſt fundamentũ per quod Deo placere poſſumus: & quo remoto, ſibi placere non valemus: ad Hebr. 11, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et ideo in credulitate fidei beneplacitum eſt illi. Propter quod dicitur, Beneplacitum eſt illi fides & manſuetudo. Et ſubditur, Non ſis incredulus timori domini: & ne acceſſeris ad illum duplici corde. Duplici enim corde in fide ille accedit, qui operibus fidei contradicit. Et talis fides non eſt beneplacita domino, quia mortua: ſed fides viua quæ omnium virtutum eſt fundamentum & primogenita: teſte Gregor. dicente, In circunciſorum cordibus, &c.

*Timor domini ſpem includit.* — *Matth. 27.* — *Beneplacita ſunt Deo multa.* — *Eccleſ. 1.* — *Gregor. 2. moral. cap. 33.*

# PSALM. CXLVII.

LAuda Hieruſalem dominum: lauda Deum tuum Sion. 2559

Titulus iſtius Pſál. eſt Alleluia Aggei & Zachariæ. Vbi ſciendum quòd iſti duo prophetæ, ſcilicet Aggeus & Zacharias, fuerunt cum aliis de populo Dei in captiuitaté Babylonicam ducti, factam per regé Babylonis: de qua habetur 4. Regum 25. Qui in dicta captiuitate exiſtentes ſpiritu prophetico inſpirati, præuiderunt liberationem dictæ captiuitatis futuram poſt ſeptuaginta annos, & reædificationem ciuitatis Hieruſalem & templi futuram, factam ſcilicet per Nehemiam. Et ſic iſtam liberationem & ciuitatis reædificationem ac templi futuram prædixerunt. Per hoc intelligentes liberationem noſtram à captiuitate diaboli fiendã per Chriſtum & ſpiritualem reſtaurationem cœleſtis Hieruſalem, quam prædixerunt ſub figura illius Hieruſalem terrenæ: quæ ſcilicet ſpiritualis liberatio erat fiéda poſt ſeptuaginta annos, id eſt, poſt decurſum totius temporis vitæ præſentis. Nam per ſeptem figuratur totum tẽpus vitæ præſentis: quod ſeptem dierum numero vertitur ſeu voluitur, ducto per decem: quia illi ſolum verè liberi erunt, qui tẽpus vitæ præſentis in obſeruatione decem mandatorum exponunt. Et de hoc Pſalm. hic laudat dominum, quod illi prophetæ ſub figura prædixerunt. Vnde in prologo iſtius Pſalm. ait Auguſt. Aggei & Zachariæ Pſal. iſte dicitur. Aggeus enim & Zacharias prophetæ fuerunt. Erant autem prophetæ iſti in captiuitate Hieruſalem: illius ſcilicet Hieruſalem quæ in terris portauit vmbram cœleſtis Hieruſalem. Cum ergo eſſent in Babylonia tempore illius captiuitatis, prophetauerunt reparationem Hieruſalem: prophetauerunt ciuitatem nouã Hieruſalem fiendam ex reparatione veteris, liberato populo à captiuitate. Agnoſcimus enim iſtam captiuitatem ſignificare noſtram peregrinationem. In hoc enim mundo, in his tribulationibus ſæculi, quodammodo in captiuitate poſiti gemimus. Sed erigimur, dum nobis prænunciatur ciuitas noſtra Hieruſalem noua futura. Reparata eſt enim terrena Hieruſalem poſt ſeptuaginta annos captiuitatis: ſeptenario illo numero, omnem volubilitatem temporis pręſentis deſignat. Poſt ſeptuaginta ergo annos prophetauit Hieremias reparari Hieruſalẽ: quod factum eſt, vt & ibi ſignificaretur imago futurorum. Significatum eſt enim nobis poſt omnem volubilitatem præſentis temporis, quæ ſeptenario numero voluitur, futuram illam ciuitaté noſtram nobis reſtituendam, in qua tempus non voluitur, ſed in vna die æternitatis perdurat. Ex quibus apparet ſenſus tituli, qui talis eſt, Alleluia: id eſt, laus Dei: laus dico Aggei & Zachariæ: id eſt, de reparatione cœleſtis Hieruſalem quam illi prædixerunt, & pro ea dominum laudauerunt. Intẽtionem monet ad amorem futuræ Hieruſalem, quam commẽdat multipliciter: vt illius accenſi amore, Deum laudemus. Agit ergo Pſal. iſte de reparatione terreſtris Hieruſalem: per illam nobis ſignificans reparationem cœleſtis. Quibus viſis, venio ad diuiſionem Pſal. qui diuiditur in duas partes: quia primò fideles ad laudem Dei excitantur: ſecundò ad hoc rationes multęaſſignantur: ibi, *Quoniam confortauit.* Circa primum ſciendum quòd eccleſia in ſcriptura quandoque vocatur Hieruſalem: quandoque vocatur Sion. Vocatur enim Hieruſalem Pſalm. 121, Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas: quia ſicut ciuitas materialis lapidibus inſenſibilibus ędificatur, ſic eccleſia militans etiam lapidibus viuis. Apoc. 21, Oſtendit mihi ciuitatem Hieruſalem ſanctam deſcendentem de cœlo, ſcilicet ædificatam à Chriſto lapidibus viuis adinuicem glutinio caritatis copulatis. Vocatur & Sion, eo quòd in monte Sion fuit templum domini, in quo Chriſtus multoties prædicando fundauit eccleſiam. Et quia in monte Sion ſpiritus ſanctus fuit fidelibus viſibiliter miſſus: per quem eccleſia per Chriſtum fundata, in charitate fuit ſolidata. Sic ergo eccleſia quandoque dicitur Hieruſalem, quandoque Sion. Vnde Apoſtolus ad Hebr. 12, ait fidelibus, Acceſſiſtis ad montem Sion & Hieruſalem &c. Eccleſiam ergo, id eſt fideles, Pſalm. inuitans ad laudem domini, dicit, *Lauda Hieruſalem dominum* &c. Per hoc ergo Pſalm. attendens quanta bona ſint in cœleſti Hieruſalem, illius beatos concíues, ſcilicet angelos & beatos homines, ad laudem Dei inuitat: dicẽs, *Lauda Hieruſalem* &c. Et nota quòd aliter Deum laudat eccleſia militans, & aliter triumphans. Nam eccleſia militans laudat operibus miſericordiæ inſiſtendo: Pſalm. 146, Laudate dominum, quoniam bonus eſt Pſalm. per quem bona operatio intelligitur. Vnde hic ait Auguſtin. *Lauda Hieruſalem dominum.* In illis operibus miſericordiæ exerceri adhuc oportet. Conſidera vtique ſocietatem tuam. Vide vtrum aliquis eſuriat, cui porrigas panem: vide ſi quis ſitiat, cui des calicem aquæ: vide vtrum aliquis modò apud te peregrinus ſit, quem hoſpitio recipias: vide vtrum aliquis ſit æger, quem viſites: vide vtrum aliquis litiget, quem concordes: vide vtrum aliquis moriatur, quem ſepelias. In cœleſti autem Hieruſalem laudatur Deus, non his operibus, ſed ſolum fruitione & lęticia. Vnde ait Aug. in huius Pſalm. præfatione: Si illam vitam beatam cogitaueris, & illius vitæ negocium, non fluctuabis. Negocium enim illud plenum ſolius dulcedinis, nulla interpellatum moleſtia, nulla fatigatione ſauciatum, nulla nube perturbatũ: negocium noſtrum quod ibi erit, laudare Deum, amare, laudare: in amore amare, in laude laudare. Beati qui habitant in domo tua domine: in ſæcula ſæculorũ laudabunt te. Quare? niſi quia in ſæcula ſæculorum amabunt te? quare? niſi quia in ſæcula ſæculorum videbunt te?

*Hieſd. 1. Eſdræ 5.* — *Hier. 25.* — *Eccleſia dicitur Hieruſalẽ & Sion.* — *Epheſ. 2.* — *Laudat Deũ aliter eccleſia militãs, aliter triũphãs.* — *Pſal. 83.*

2560 Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Hîç aſſignat rationes laudis diuinæ, quæ ſumuntur ratione beneficiorum Dei. Et illa ſunt duplicia, ſcilicet beneficia legis nouæ & antiquæ. Et ſecundum hoc diuiditur in duas partes: quia primò aſſignat beneficia legis nouæ: ſecũdò legis antiquæ: ibi, *Qui annunciat.* Prima in duas: quia primò ponit legis nouæ beneficium. Secundò declarat quoddam dubium dictum: ibi, *Qui dat niuem.* Quantum ad primum, ſciẽdum quòd in lege noua maximè triplex eſt beneficium: ſcilicet iuſtificationis, vt baptiſmus: refectionis, vt euchariſtiæ: & eruditionis, vt prædicatio verbi diuini. Et ſecundum iſta tria prima pars diuiditur in tres: quia primò agit de beneficio iuſtificationis: ſecundò de beneficio recreationis: ibi, *Qui poſuit*: tertiò de beneficio eruditionis: ibi, *Qui emittit.* Quantum ad primum, ſciendum quòd ſicut porta domus dicitur apertura per quam domus intratur: ſic & ſpiritualiter porta eccleſiæ militantis dicitur illud per quod quis de eccleſia militante dicitur. Et iſto modo portę eccleſię dicuntur ſacramenta, per quæ quis qui non eſt de eccleſia, eccleſiam intrat, ſicut eſt baptiſmus: qui eſt omnium ſacramentorum ianua ſiue porta. Seræ autem harum portarum dicuntur virtutes ſacramentorum: vt puta fides & caritas, quæ in ſacramento baptiſmi infunditur. Quæ ideo dicuntur confirmari, quia Dei ordinatione ſic firmatum & ſtabilitum eſt, quòd ſacramẽta legis nouæ operentur virtutes etiã ratione operis operati: quod non faciebant ſacramenta antiquæ legis. Ratione ergo huius beneficij nos ad laudem Dei prouocat Pſal. dicens, *Lauda Hieruſalem dominum.* Et ratio eſt, *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum*: id eſt virtutes ſacramentorum, per quæ ſcilicet ſacramẽta infundit virtutes gratuitas, quæ nos Deo gratos faciunt. Et hoc eſt quod ait, *Benedixit filijs tuis in te*: ſcilicet benedictione gratiæ. Quid eſt enim Deum nobis benedicere, niſi gratiam ſuam nobis dare? Vel hoc intelligitur de cœleſti Hieruſalem. Vbi notandum quòd terreſtris Hieruſalem portæ dicuntur apertæ, quia quiſquis eccleſiam poteſt intrare: & cum intrauerit, poteſt exire. Cœleſtis etiam Hieruſalem portæ ideo apertæ dicuntur vſque ad diem iudicij, quia electi quotidie illuc intrant: ſed poſt vltimum iudicium ibi erunt portæ clauſæ: quia ſicut nullus inde exire poterit, ſic nec amplius intrare. Et hoc eſt quod Matth. 25, dicitur de virginibus prudentibus, Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum ſponſo ad nuptias: & clauſa eſt ianua. Ibi ergo erit ſecura laudatio, quia clauſa erit ianua, quia nihil ibi erit vnde doleat: nemo intrabit quem timeat. Et iſtum intellectum habet hic Auguſtin. dicens, *Quoniam cõfortauit ſeras portarum tuarum.* Laudamus modò: ſed laudamus inter ſcandala. Modò enim apertæ ſunt portæ: multi intrant: multi exeunt. Quare? quia nondum eſt beatitudo hic perfecta. Tunc autem non timebis aliquid tale futurum. Lauda ergo Hieruſalem dominum: quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, vt nemo exeat, nemo amplius intret: nec hoc timeas cum intraueris: tantummodo eſto in numero virginum, quæ portant oleum ſecũ: paucorũ eſt virginitas in carne, omniũ debet eſſe in corde: virginitas carnis corpus intactum: virginitas cordis, fides incorrupta. Virgo dicitur tota eccleſia. Quinque virgines prudentes omnes animas intraturas regnum Dei ſignificant: quinq; fatuæ, omnes perituras. Moraliter autem notãdum quòd ciuitas cœleſtis Hieruſalem quæ in quadro poſita dicitur propter ſtabilitatem, duodecim portas habere dicitur: ſcilicet tres ab oriente, tres ab occidente, tres ab aquilone, & tres à meridie: per quas quis ingredi poteſt. Sed poſt iudicium omnes iſtæ erunt clauſæ & firmatæ: vt per illas nullus amplius poſſit intrare.

*Portæ eccleſiæ ſunt ſacramenta.*

Qui poſuit fines tuos pacẽ, & adipe frumenti ſatiat te. 2561

Hîc agit de beneficio recreationis, quod eſt

ſacramentum euchariſtiæ. Vbi notandum quòd Chriſtus ſtatim natus pacem attulit mundo. Vnde & angeli ſtatim laudantes Deum, pacem mundo datam annunciauerunt:dicentes, Gloria in altiſſimis Deo,& in terra pax hominibus &c.Hãc etiam pacem moriens confirmauit,dicens Apoſtolis, Pacem meam do vobis &c. non quomodo mundus &c.Quæ autẽ ſit pax mundi,vide verſic.1186.Quę autem pax Chriſti,vide verſic.551.Et iſte talis,ſcilicet Chriſtus,adipe frumenti ſatiat nos:quia in figura panis frumenti corpus ſuum nobis tradit, in quo plena ſatietas cõtinetur,& refectio ſpiritualis. Vnde de iſto adipe frumenti dicitur, Cibauit eos ex adipe frumenti &c.vide ver.1405. Per hoc Pſal. vult oſtendere pacem & ſaturitatem,quam habent beati in cœleſti Hieruſalem, ianuis clauſis in fruitione diuinitatis & verbi incarnati. Ibi enim intus eſt vera pax:extra autem,eſt ſolùm gehenna. In pace illa eſt plena ſatietas,& nulla indigentia: ibi ſaturatur intellectus ſpeculatione: ibi ſaturatur volũtas fruitione:ibi ſaturatur corpus in verbi incarnati contemplatione. Et hoc eſt quod ait, *Ex adipe frumenti ſatiat te*:id eſt pane cœleſti, qui de cœlo deſcendit.Quo in hoc mundo licet cibemur, non tamẽ ſaturamur:quia carne opertus ſola fide cognoſcitur:tũc autem videbimus eum ſicuti eſt. De cœleſti ergo Hieruſalẽ dicat, *Qui poſuit fines tuos pacem.* Ibi enim pax erit perfecta, quæ hic haberi non poteſt.Vnde hic Aug. *Qui poſuit fines tuos pacem.* Qualis enim pax in nobis eſt? Nam caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem.Quomodo ergo eſſet plena pax? quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc plena erit pax, tunc firma pax:nihil litigabit aduerſus animã in homine:non ipſa aduerſum ſe ex quadam parte ſaucia.Non carnis fragilitas,non indigentia corporis: non fames, non ſitis:non frigus, non æſtus:non laſſitudo corporis:non vlla inopia: non prouocatio rixæ. Hæc omnia litigãt aduerſum nos:ſed ibi omnia iſta ceſſant, quia ibi noſtra ſaturatur anima. Vnde ſequitur, *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.*ibi enim tranſit fames & ſitis iuſtitiæ: ſuccedit ſaturitas.Quid ibi erit adeps frumenti:niſi panis ille qui ad nos de cœlo deſcendit?In patria ipſa quomodo ſaturabit,qui in peregrinatione ſic pauit?Aliter iſtum textum de ſaturitate vitę per ſumptionem ſacramenti euchariſtiæ exponit Hugo de ſancto Victore:dicens,*Et adipe frumenti ſatiat te.*Filij Hieruſalem paleas non manducant,quæ ſunt pabula iumentorum:ſed frumenti adipe ſaturantur. Omnes enim qui internam dulcedinem guſtare cœperint: quicquid extrinſecus trãſitoriè delectat, deſpiciũt: & ad illum cibum quo mens illuminatur ad cognitionem,reficitur ad decorem, tota auiditate feſtinant.Et attende quòd iſta adipe frumenti diuerſi diuerſimodè cupiunt ſaturari: alij perſequendo, alij deuotè deſiderando. vt oſtendit Greg. 22. lib. mor.cap. 11. ſuper illo verbo Iob 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei,Quis det nobis de carnibus eius vt ſaturemur?dicens,Viri quippe tabernaculi eius de carnibus eius ſaturari cupierũt:vel Iudæi videlicet perſequentes, vel gentiles credentes. Quia & illi moliti ſunt corpus illius quaſi conſumendo extinguere:& iſti eſurientem mẽtem ſuam deſiderant per quotidianum immolationis ſacrificium,de eius carnibus ſatiare.Si autem hoc referatur ad cœleſtem Hieruſalem:tunc ſatiat ſuos Deus ex adipe frumẽti,quia ęterna ſatietas omni eſt pinguedine plena:de qua Iob 36,Requies autẽ menſæ tuæ,erit plena pinguedine. Quod exponens Greg. ait, Requies menſæ eſt refectio ſatietatis internæ. Quæ pinguedine plena dicitur,quia in æternæ voluptatis delectatione præparatas huius menſæ epulas eſuriebat propheta cum diceret, Satiabor dũ manifeſtabitur gloria tua.Huius menſæ pocula ſitiebat:dicẽs, Sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ viuũ:quãdo veniã, & apparebo ante faciem Dei &c.

*Luc.2. — Ioan.14. — Pſal.80. — Pax vera hic nõ habetur: ſed in gloria. — Gal.5. — 1.Cor 15. — Saturari carnibus Chriſti aliqui cupiũt dupliciter. — Satietas gloriæ qualis eſt — Greg.26.moral.c.32. — Pſal.16. — Pſal.41.*

## Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo eius. 2562

Hîc conſequẽter agit de beneficio eruditionis: ſcilicet prædicationis verbi Dei.Chriſtus enim nõ ſolùm ore proprio prædicauit euangelium regni, ſed etiam per totum orbem miſit Apoſtolos ad illud prædicandum:eis præcipiens, Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ &c.Et vide magnum mirabile, quòd duodecim Apoſtoli per mundũ diſperſi, in paruo tempore totum orbẽ euangelio Chriſti repleuerunt:quia in omnẽ terrã exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.Et hoc præuidens Pſal. hic ait, *Qui emittit eloquiũ ſuum terræ*:id eſt qui emittit Apoſtolos ad prædicandum eloquiũ ſuum terræ: id eſt euangelium, quod dicitur eloquium Chriſti,quia Chriſtus illud ore proprio prædicauit. Et quia in paruo tempore per totum orbem illud prædicauerunt:ideo dicit,*Velociter currit ſermo eius*: id eſt Apoſtoli prædicantes ſermonem eius, velociter totum mundum diſcurrerunt.Vel aliter.Per eloquiũ Dei, intellige Dei filiũ, Dei verbũ: quia ſicut eloquium dicendo formatur,ſic & Deus pater verbum ſuum dicendo generat æternaliter.Iſtud eloquium pater miſit terræ, quãdo filiũ ſuum per incarnationẽ ad nos qui terra ſumus miſit. Quomodo enim aliter nos ſaturaret adipe frumenti, niſi eloquium ſuum ad nos per carnis aſſumptionem miſiſſet? Emittit ergo eloquiũ ſuũ terræ: id eſt verbũ aſſumpta carne miſit terræ, vt in terra cognoſcatur. Aliter enim non leuaremur ad adipẽ frumenti ſatiantẽ,niſi mitteret verbũ terræ: quia terra grauamur & impedimur ad reditũ. Vel ſecundũ aliã literam quã ſequitur Aug. quæ dicit, *Ad velocitatẽ currit ſermo eius.* Per quod voluit intelligere quòd nihil eſt velocius Dei verbo:quia volocitate nihil velocius eſſe poteſt.Vnde hic Aug. *Qui emittit eloquium ſuum terræ*: & venit ad terras verbũ eius.Et quomodo? *ad velocitatẽ currit ſermo eius.* Non dixit, Velox eſt verbum eius: ſed *Currit ad velocitatem.* nõ potuit melius & expreſſius dici. Calidus calore feruefcit:frigidus frigore frigeſcit:velox velocitate fit velox. Quid enim calidius ipſo calore:quo quicquid caleſcit, fit calidũ? Quid frigidius ipſo frigore:quo quicquid frigeſcit,fit frigidum?Quid ergo velocius ipſa velocitate,qua velox fit,quicquid velociter currit?Poſſunt dici multa velocia:& alia magis,& alia minus.Et tãto quiſque velox eſt,quãto eſt particeps velocitatis.Et illa res minus eſt velox, quæ minus particeps eſt velocitatis.Ipſa ergo velocitate nihil velocius. Verbum ergo Dei quod currit vſq; ad velocitatẽ, omni alia re velocius eſt. Velocius eſt equo, auibus,vẽtis,angelis.Nunquid aliquid horum quãtum ipſa velocitas? Verbũ autẽ Dei vſque ad velocitatẽ currit.Sicut ergo ſi de aliqua re diceretur, Calet vſq; in calorem:id eſt adeo calet vt ipſe calor poſſit dici. Sic de verbo Dei dicitur,*currit vſque ad velocitatem*:id eſt adeo

*Marc.vlt. — Pſal.18. — Eloquiũ Dei eſt filius Dei. — Velocitate nihil velocius: caliditate nihil calidius: frigore nihil frigidius.*



adeo vt ſit ipſa velocitas.Quod tamẽ per aliquã ſimilitudinẽ dicitur.Quod enim velox eſt ſicut equ⁹, ſicut vẽtus, ſicut angelus:alicubi eſt,nõ vbiq;. Velocitas autẽ ipſa vbique eſt, nuſquã arctatur: quæ non modò eſt in equis vel ventis,ſed in aliis infinitis, & in eiſdem tẽporum punctis vbique terrarum diffunditur.Hoc autẽ pertinet ad verbum Dei,ſcilicet non eſſe in parte: ſed vbique eſt per ſeipſum. Hæc eſt ſapientia Dei, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter:non tamen motu locali,ſed immobilitate.Tãquã ſi moles aliqua ſaxea impleat aliquem locum,dicitur quòd attingit à fine eiuſdem loci vſque ad finem: cum tamen alterum non deſerat alterum occupando. Non ergo habet motum illud verbum: & ſapientia illa ſolida eſt, & vbique. Sed & ſi de ſapientiæ ſpiritu dicitur in libro Sapientiæ: quòd eſt acutus, mobilis, certus, incoinquinatus. Sed hoc facit ipſa velocitas, quòd ſapientia dicitur mobilis,non quòd hoc deſerat vt illud tangat: ſed quia vbique ſemper ſit,& nuſquam incluſa teneatur.Sed cogitare iſta nõ poſſumus:pigri ſumus: pigri autẽ,quia frigidi.Sed recurramus ad Dei verbum,quod feruens eſt:vt calefacti ab eo,ſimus agiliores.Velocitas enim feruens eſt:& omnia feruentia velociora: & omnia frigida ſunt tardiora. Nos tardi,ergo frigidi.Illa autem ſapientia currit vſque ad velocitatem: ergo feruentiſſima eſt: vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.

*Formæ abſtractæ rerũ ſunt vbique. — Sap.8. — Sap.7. — Pſal.18.*

## 2563 Qui dat niuem ſicut lanã: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Hîc declarat quoddã dictum,quod videtur dubiũ,ſcilicet de veloci prędicatione euangelij:quam velocitatẽ declarat per quoſdã effectus valde veloces.Primus effectus eſt temporalitatis. Secũdus eſt frigiditatis:ibi,*Mittit cryſtallum.*Tertius eſt caliditatis:ibi,*Emittet verbũ.* Primus ergo effectus velox eſt tẽporalitatis:quia ſcilicet tẽporibus debitis ſubitò niuẽ emittit & nebulã. Vbi notãdum quòd nix lanæ comparatur,& propter albedinem, & propter molliciem:quia mollis eſt ad tractandum.Qualiter autẽ niues generantur,eſt ſciendum quòd cum ſol radiis ſuis calefacit inferiora elementa, eleuat ex his vapores,in quibus eſt vis caloris.Qui calor etiã ſecum duxit multum de ſubſtantia aëris cum eleuaretur. Qui vapores poſtea eleuati ſuperius ad locum frigidum,inſpiſſantur in nubẽ:& tunc frigiditas loci incipit agere in frigidum.Et tunc aut frigus illud excellit & expellit calidum per cõuerſionem nubis in aquam.Si autem frigus nõ eſt ita excellens quòd conuertat nubẽ in aquam:tunc paulatim condenſat illos vapores:& quando frigus eſt potens,illos indurat & cõgelat in pruina.Si autem non ſic frigus poteſt cõgelare, quia non poteſt totum calorẽ de nube expellere:tunc ille calor nõ eſt tãtus quòd cõgelationẽ ex toto vaporis poſſit impedire:remittit tamẽ effectum frigoris,qui eſt congelare & indurare.Ideo illi vapores ex toto nõ congelati in niuẽ mollẽ cõuertuntur. Et hinc eſt quòd nix deſcẽdit mollis & tractabilis manibus & compreſſibilis:& propter frigiditatẽ qua inſpiſſatur,albi coloris. Alij tamen dicunt quòd nix ſic generatur:quòd quãdo nubes reſoluuntur, illa aqua pluuiæ antequã deſcendat ad terrã, ſic inſpiſſatur per frigiditatẽ aëris,& conuertitur in niuẽ.Et hoc ſatis velociter fit. Et hoc eſt quod ait, *Qui dat niuem ſicut lanam*: id eſt ad modum lanæ albam.Quid autẽ per hoc Pſal. velit intelligere? Notãdum quòd in niue duo ſunt:ſcilicet frigiditas & albedo.Per frigiditatẽ intellige ſtatum peccati: quo caritas frigeſcit & expellitur. Per albedinẽ verò qua puritas ſignificatur, intellige ſanctos quos ab æterno prędeſtinauit De⁹,vt eſſent ſancti & immaculati. Dat ergo Deus niuẽ frigidam,ſed albã: quia in iſta maſſa peccatorum ſunt aliqui quos Deus prædeſtinauit ſanctos futuros:& ideo dat niuẽ ſicut lanã:quia ex illis prędeſtinatis ſicut ex lana intendit Chriſtus facere ſibi veſtẽ.Et iſtam expoſitionẽ ponit hic Aug.dicẽs, *Qui dat niuem* &c.Sicut enim accidit nubibus, quia ſurſum gelant, & in ima decidit nix congelata: ſic refrigeſcente caritate,decidit humana natura interius:& pigro corpore inuoluta,vt nix facta eſt.Sed in hac niue ſunt prædeſtinati: quia dat ille niuẽ ſicut lanam.Quid eſt ſicut lanã? id eſt de niue quam dedit:id eſt de iſtis pigris & ſpiritu frigidis aliquos prædeſtinauit, de quibus facturus eſt aliquid. lana enim materia veſtis eſt:& de iſtis adhuc ſpiritu frigidis, qui tamen prædeſtinati ſunt:fit tunica Chriſti ſine macula & ruga. Vnde meritò veſtis Chriſti in mõte refulſit ſicut nix:quia de hac niue fit veſtis Chriſti.Et eſt ſenſus, *Qui dat niuẽ ſicut lanã*:id eſt qui dat cõgelatos,ſicut lanã, quæ eſt materia veſtis: id eſt de cõgelatis & frigidis quos prędeſtinauit,facit veſtẽ Chriſti, ſine macula & ruga.Sequitur,*Nebulã ſicut cinerẽ ſpargit.* Vbi notãdum quòd per nebulam peccati obſcuritas deſignatur:vt oſtẽdit Greg. Nebulę enim dicũtur illi vapores qui à vallibus eleuati in nubes cõuertuntur. Vnde propriè nubes ſunt cœli:ſed nebulæ,terræ.Per cinerem verò ſignificatur pœnitẽtia:vt oſtẽdit idẽ Greg.Cum ergo Deus de niuibus frigidis ſuos prædeſtinatos vocat vt iuſtificet,tũc nebulã ſicut cinerẽ ſpargit:quia obſcuritatẽ peccati per pœnitentiã ſoluit.Et hoc hic notat Gloſ.dicẽs,*Nebulã ſicut cinerẽ ſpargit.*Prædeſtinati enim qui adhuc in niuib⁹ ſunt,vocãdi ſunt ad pœnitentiã.Et dum vocat pœnitẽtes,tũc nebulã ſicut cinerẽ ſpargit. Cinis enim ad humilitatẽ & pœnitẽtiã pertinet:nebula verò caliginẽ peccati & ignorantiã notat. Et dum vocatur quis ad intelligendũ Deum,& incipit velle capere veritatẽ & nõ ſufficit, quia patitur caliginẽ: adhuc eſt illi nebula. Sed ſi nõ poteſt penetrare veritatis arcanũ: pœniteat eũ peccatorũ ſuorũ, quibus in hãc difficultatẽ videndi venit: & ita nebulam ſpargit Deus vt cinerem: id eſt tollit per humilitatem pœnitentiæ (quæ per cinerem ſignificatur)nebulam, obſcuritatem peccatorum.Eſt ergo ſenſus, *Nebulam ſicut cinerem ſpargit.* Hic enim *ſicut*, idem eſt quod per. Nota quòd cinis ſignificat aſperitatem pœnitentiæ: vide verſic.1712.Item ſignificat humilitatem patientiæ,& mortalitatem noſtræ miſeriæ: vide in dictionario, litera cinis,parte ſecunda & tertia.

*Nix quomodo generatur. — Nix frigida & alba ſignificat peccatores & iuſtos. — Matth.24. — Matth.17. — Nebula ſignificat peccatũ: cinis ſignificat pœnitentiam. — Greg.30.moral.c.1. — Greg.13.mor.cap.10. — Cinis ſignificat humilitatẽ & miſeriã.*

## Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciẽ frigoris eius quis ſuſtinebit? 2564

Secundò hoc idem oſtendit ratione effectus frigiditatis. Vbi ſciendum quòd cryſtallus eſt glacies ſic indurata in locis frigidis: quod maximè contingit in parte aquilonari. Valde enim mirabile videtur quòd materia tam mollis & fluida, ſicut eſt aqua, per frigiditatem ſic induretur & congeletur, vt in paruo tempore cryſtallus efficiatur. Quid ergo mirum, ſi velociter currit ſermo eius? Et etiam

*Chryſtallus eſt aqua cõgelata.*

in multo minori tempore aquã in cryſtallum poſſet congelare, ſi frigus ſuum Deus vellet magis intendere: quia quanto frigus eſt maius, aqua velocius congelatur. Et hoc eſt quod ſubdit, *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Quaſi dicat, Nullus homo ſuſtinere poſſet, ſi frigus vellet intendere vt poſſet. Et per hoc vult inducere quòd ſermo Dei poteſt in vno tempore per totum orbem currere. Quid autem per hoc vult intelligere? Vbi ſciendum quòd per cryſtallum, quæ non facilè ſoluitur, intelligit induratos in peccato & obſtinatos: qui ſine magna difficultate ad bonum induci non poſſunt. Talis cryſtallus fuit Saulus, qui obſtinato corde Chriſtum perſequebatur. Et tamen aliquando tales ſic obſtinatos ſoluit, & ad fidem adducit, & facit eos buccellas panis: quia per ipſos reficit alios verbo Dei. Sicut fuit de Paulo qui primò erat cryſtallus per duriciam & obſtinationem: ad modum cryſtalli erat lucidus per doctrinam, quia inſtructus in lege: & tamen ipſum conuertit, & ipſum per mundum miſit vt buccellas panis: vt ſcilicet per prędicationem fidei quam prius impugnabat, alios pane verbi Dei paſceret & nutriret. Vnde litera Auguſtin. habet, *Mittit cryſtallum ſuam, ſicut fruſta panis.* Et iſtam intentionem habet hic Auguſtin. dicens, *Mittit cryſtallum ſuam* &c. Quid ſibi vult cryſtallus, niſi duros & obſtinatos ſignificare? Fuerũt enim multi ita duri & obſtinati vt non iam niui, ſed cryſtallo comparandi: & ipſi etiam prædeſtinati ſunt & vocati. Et quidam eorum ita vt paſcerent alios & eſſent vtiles aliis. Et quid opus vt numeremus multos qui duri & pertinaces contra veritatem fuerunt: qui modò prædicant veritatem, & facti ſunt fruſta panis? Ipſe enim Chriſtus ait, Ego ſum panis viuus. totum corpus Chriſti eſt vnus panis: ergo & membra corporis Chriſti fruſta ſunt panis. De quibuſdam autem duris facit membra ſua & vtilia ad alios paſcendos. Ex quibus vnum per multos notiſſimum illum Paulum intueamur. ipſo propoſito ad exemplum, alij ſimiles intelligantur: vt explicetur ſenſus iſte. Ecce, cryſtallus erat Paulus durus & obſtinatus contradicens veritati: clamans aduerſus euangelium, tanquam durus aduerſus ſolem. Iſte durus fuit creſcens in lege eruditus ad pedes Gamalielis doctoris: & tamen non audiebat Moyſen & prophetas Chriſtum prædicantes, magna duricia. Certè gentes non audierant prophetas, non audierant Moyſen: frigidi erant, ſed cryſtallus nõ erãt. Quia ergo Paulus cryſtallus erat, nitidus videbatur & cãdidus: ſed durus & nimium gelidus. Quomodo cãdidus & nitidus? Hebræus ex Hebræis: ſecundum legẽ Phariſæus. Sed audi duriciam cryſtalli: ſecundum æmulationem perſequẽs eccleſiam. Inter lapidatores ſancti Stephani hic erat durus, & fortè cæteris durior. omnium enim lapidantium veſtimenta ſeruabat, vt omnium manibus lapidaret. Sequitur, *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Sed cum hîc frigus ſignificet peccatum, quomodo dicitur Dei? Ad hoc reſpondet Auguſt. dicens, Quomodo Dei dicitur frigus? Ecce, deſerit Deus peccatorem: non vocat, non aperit ſenſum, non infundit gratiam. Soluatur homo à glacie ſtultitiæ ſi poteſt: non poteſt. Niſi ergo Deus ſoluat, quis ſuſtinebit? Et hoc eſt quod ait Apoſtolus, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati & mortis. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Acſi diceret, Frigeſco, miſer ſum: nullus me ſoluit ab huius frigoris miſeria, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum.

*Cryſtallus ſignificat obſtinatos: quos tamẽ Deus conuertit in buccellas.*

*Cryſtallus fuit Saulus obſtinatus.*

*Phil. 3.* *Act. 9.* *Rom. 7.*

## Emittet verbũ ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. 2565

Hîc hoc oſtendit per effectum caliditatis. Sicut enim (vt dictum eſt) aqua frigore ſubitò cõgelatur: ita Deus quando mittit verbum ſuum, id eſt effectum caloris qui verbum dicitur, quia omnia per verbum facta ſunt, ſubitò congelata liqueſcunt: vt experiẽtia docet. Si ergo in corporalibus quæ ſunt tardiora ſpiritualibus iſta ſic velociter fiunt: quid mirum, ſi verbum & eloquium eius quod eſt ſpirituale velociter diſcurrit per mundum? Sed quid per hoc ſpiritualiter intelligit? Tria enim poſuit ſuperius congelata, ſcilicet niuem, nebulam, & cryſtallum, ſed vnum durius alio. Sic & inter peccatores eſt differentia. Licet enim omnes ſint frigidi: tamen non omnes æqualiter. Faciliter nebula diſſoluitur adueniente ſole: ſed difficilius nix, difficillimè autem cryſtallus. Sic & peccatores indurati & obſtinati per cryſtallũ ſignificati, difficillimè reſoluũtur à frigiditate peccati. Sed tamen quãdo Deus emittit ad eos verbum ſuum, vocans eos per internam inſpirationem, ſubitò liqueſcunt, & peccati duriciam ac frigiditatem dimittunt: vt patuit in Paulo tũc ad malum indurato, qui ſtatim ad verbum domini dicentis ſibi, Saule Saule, quid me perſequeris? ſtatim liquefactus à duricia ſuæ obſtinationis, humiliter reſpondit: dicens, Domine quid me vis facere? Et non ſolum in ſe fuit liquefactus: ſed aliis fluenta doctrinæ infudit copioſè. Et hoc eſt quod ait, *Emittet verbum ſuum* &c. Et hæc eſt hic intentio Auguſt. dicentis, *Emittet verbum ſuum* &c. Non ergo deſperet nix: non deſperet nebula: nõ deſperet cryſtallus: quoniam de niue tanquam de lana conficitur tunica Chriſti. Nebula illa in pœnitentia ſalutẽ inuenit: cryſtallus dura diſſoluitur per verbũ Dei: quia emittet verbũ ſuũ, ſcilicet in carnẽ, & liquefaciet ea. Verbo enim domini veniente, nec frigus, nec obſcuritas deſperare poteſt: ſalubriter enim liquefiunt, & fluenta ſpiritualis beneficij profundũt aliis. Vide cryſtallum duram, illũ ſcilicet Paulum poſt cædem & lapidationem Stephani frigore induratum contra Chriſtũ: qui petiit literas à principibus ſacerdotum, vt vndiq; cædat Chriſtianos. Durus fuit iſte & gelidus. Sed quantumcunque eſſet durus & gelidus, ille qui emittit verbum ſuum & liquefacit ea, clamauit de cœlo feruidus, dicens, Saule Saule quid me perſequeris? Vna illa voce, tanta duritia illa cryſtalli reſoluta eſt. Emittet ergo verbũ ſuum, & liquefaciet ea. Non ergo deſperandum eſt de cryſtallo: quanto minus de niue & nebula? Clamat ergo Deus ad gentes, Solui cryſtallum, venite niues: emittet verbum ſuum & liquefaciet ea. Sequitur, *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* Ecce flante ſpiritu gratiæ, cryſtallus in aquas reſoluitur. Saulus prius durus: modò reſolutus in aquã, gentes vocat ad fontẽ. Et nota ꝙ dicit, *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ*: quia ad præſentiam ſpiritusſancti multiplex aqua fluit in nobis: ſcilicet aqua ſanctarũ ſcripturarũ, quæ ignorãtes inſtruit: aqua ſacrarũ lacrymarũ, quæ pœnitẽtes abluit: aqua diuinarũ gratiarũ, quæ nos promerentes efficit. Et de qualibet iſtarũ vide diffusè, litera aqua, parte prima, ſecunda & tertia.

*Verbũ Dei duriciã peccati liquefacit.*

*Act. 9.* *Act. 9.*

*De nullo eſt deſperãdum.*

## Qui annũciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. 2566



Hîc ad laudem Dei adducit beneficia legis antiquæ. Et duo facit: quia primò oſtendit beneficia facta Iudæis: ſecũdò ex hoc ipſos Deo magis obligatos oſtendit: ibi, *Non fecit taliter.* Quãtum ad primum, ſciẽdum quòd ipſi Iacob patriarchæ fuit reuelatum à Deo quòd Dei verbũ aſſumeret humanitatem noſtram: & quòd de ſemine ſuo, ſcilicet de deſcendentibus ab ipſo per Iudam, & etiam quo tempore Chriſtus erat incarnãdus: vnde cum ipſe morti appropinquaret, & filiis ſigillatim benediceret, quando venit ad Iudam, de quo Chriſtus erat oriundus, omnia prædicta ſibi fuiſſe reuelata oſtẽdit, dicens, Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt &c. Et iſtud fuit magnum beneficium: vnde ille populus præ cæteris laudare Deum tenebatur: etiã quia illi populo communiter fiebant reuelationes à Deo: etiam quia illi populo ſingulariter lex Dei fuit data. Et ideo per hæc omnia illos inducens ad laudem Dei, hic oſtendit Pſalmiſta, dicens, *Qui annunciat verbum ſuum Iacob*: id eſt ipſi Iacob reuelauit verbum ſuum ex ipſo incarnandum: *Et iudicia ſua Iſrael*: per iudicia intellige legem à Deo datam: quæ iudicia per populum fienda continebat. Et iſtam rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom. 3. Quid ergo amplius Iudæo? multum quidem per omnem modum. Per iſta autem vult Pſalmiſta oſtendere quòd quãdo Deus liquefacit per verbum ſuum induratos peccatores, ipſos ad pœnitẽtiam & fidem conuertendo, ipſos inſtruit de credẽdis per fidem: & conſequenter ipſos aduerſitatibus multis ſubiicit. Fideles enim conuerſi per Iacob & Iſrael ſignificantur: quia tales ſupplantant vitia, Deum per fidem ſpeculantur. Et hoc notat dicens, *Qui annũciat verbum ſuum Iacob*: quod facit quando conuerſis per fidem reuelat credenda: ſicut fecit Apoſtolo Paulo in triduo ſuæ excæcationis: quando vſque ad tertiũ cœlum fuit raptus &c. Similiter talibus annunciat iuſtitias & iudicia ſua: ſcilicet iudicia quibus ipſos multa pati oportet. Sic enim de Paulo cõuerſo dixit Ananiæ, Ego enim oſtendam illi quanta oportet eum pro nomine meo pati. Sic ergo annunciat verbum ſuum Iacob per fidẽ dans verbi cognitionem. Annũciat iuſtitias ſuas, oſtendẽs quòd quicquid patimur ante cõuerſionẽ, iuſtè patimur propter elationem in Deũ. Annũciat iudicia ſua, oſtẽdens quòd illa quæ patimur poſt cõuerſionem, ex occultis Dei iudiciis procedunt. Et hunc intellectum habet Auguſt. hic dicens, *Qui annunciat* &c. Quas iuſtitias? quæ iudicia? Quia quicquid humanum genus perpeſſum eſt ante cũ eſſet nix, nebula & cryſtallus, perpeſſum eſt merito ſuperbiæ & elationis contra dominum. Iudicia autem ſua manifeſtat Iacob & Iſrael: quia & iuſti qui hic ſunt, labores & aduerſa patiuntur iuſto iudicio Dei. Quia ille ſolus poteſt dicere, Sine cauſa hic paſſus ſum: qui ſolus poteſt dicere, Quæ nõ rapui exoluebam: qui ſolus dicere potuit, Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Cæteri omnes patiuntur merito ſuo iudicia Dei. Et qui patiũtur pro iuſtitia, non ſibi arrogent, quòd innocẽter patiuntur. Audi Apoſtolum dicentem, Tempus eſt (inquit) vt incipiat iudicium à domo Dei. Exhortans martyres ſuos, vt minas frementis ſæculi patientiſſimè tolerent: ait, Tempus eſt inchoationis iudicij à domo Dei. Si autẽ inchoatio à nobis: quis finis eorum qui non credunt euangelio Dei? Si iuſtus vix ſaluabitur: peccator & impius vbi parebunt? Hæc ergo eſt iuſtitia Dei & iudicium: quia iuſti & iniuſti patiũtur pro merito ſuo. Iuſtitia ergo Dei patens eſt cùm mali patiuntur: ſed occulta ſunt iudicia cùm boni flagellãtur, vt Iob. Hæc autẽ iudicia non manifeſtat malis, ſed Iſrael: id eſt bonis & fidelibus: vt ſcilicet hinc vnuſquiſque conſideret, quæ peccantibus poſtmodum ſupplicia maneãt: ſi etiam iuſtos tam varia flagella hic caſtigãt. Hinc Petrus ait, Tempus eſt vt iudicium incipiat à domo Dei. Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebũt? Hinc Paulus cũ multa de Theſſal. laude dixiſſet: protinus adiunxit, Ita & noſipſi in vobis gloriemur in eccleſiis Dei pro patientia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus quas ſuſtinetis in exemplũ iuſti iudicij Dei. Ac ſi iuſtis diceret, Dum tot toleratis, qui tam iuſta agitis, quid aliud quàm iuſti iudicij Dei aliis datis exempla? Quia ex noſtra pœna colligendum eſt quomodo feriat quibus iraſcitur: ſi ſic nos affligi patitur in quibus lætatur. Aut quomodo illos percuſſurus eſt, quibus iuſtum iudicium exhibet: ſi etiam nos ſic cruciat quos piè redarguens fouet, verba ſunt Gregor. 5. moral. cap. 8.

*Geneſ. 49.* *Actuum 9.*

*Omnes pœnas quas patimur, iuſtè patimur.*

*Pſal. 68.* *Ioan. 14.* *1. Petr. 4.*

*Pœnæ iuſtorũ oſtẽdũt quales erunt pœnæ malorum.*

*1. Petr 4.* *2. Theſſal. 1.*

## Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. 2567

Hîc ex prædictis beneficiis cõcludit ad laudem Dei Iudæos magis eſſe obligatos. Si enim ſecũdum Gregor. cum augentur dona, rationes creſcunt donorum: & tanto humilior quiſque debet eſſe, quãto ſe obligatiorem conſpicit in reddenda ratione. Igitur cum Iudæi ampliora beneficia receperint aliis gentibus à Deo: quia eis annunciauit verbum ſuum & ad ipſos miſit, eis dedit legem & prophetas ac præcepta: quibus iuſtitias & iudicia ſua eis manifeſtauit, quæ aliis nationibus non fecit: cõſequens eſt vt ipſi Deo plus ſint obligati, & ad Dei laudes ampliores. Quod hic concludens Pſalm. ait, *Non fecit taliter omni nationi* &c. Vnde hic ait gl. *Non fecit taliter omni nationi.* Ad literam per Iacob & Iſrael, Iudæos accipit: quibus per ſeipſum Chriſtus verbum annũciauit, iudicia ſua manifeſtauit: quod aliis nationibus non fecit, quibus per ſeipſum non prædicauit. Vnde & dicebat, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Iudæis etiam Apoſtolos principaliter prædicatores ordinauit. ſed quando à Iudæis fuerunt expulſi, ad gentes ſe conuerterunt. Iſta verba etiam hodie de Chriſtianis maximè dici poſſunt, quòd nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua &c. O quanta gratia tibi eſt facta, vt intra Chriſtianos te Deus faceret naſci & nutriri: vbi fidem Chriſti recipis, voluntatẽ Dei audis: quæ præmia bonis dantur, & quæ ſupplicia malis, intelligis: ſalubria peccatorum remedia percipis, & contra futura, ſacramenta quibus fortificaris aſſumis. Iſta enim non habet hodie alia natio à Chriſtiana religione. Cogita, ſi Deus te naſci inter Sarracenos & nutriri feciſſet, quam fidem teneres? quid coleres? quid ſperares, niſi quod illi faciunt? Ex hoc ergo lauda dominũ, gratias age: quia non fecit taliter omni nationi. Iudicia ſua nobis Deus manifeſtat, dum per ſacram ſcripturã nobis ſuam voluntatem oſtendit. Vnde ad ipſam ſemper intendere debes vt Dei voluntatẽ perficias, vt oſtẽdit Gregor. dicens, Sicut bene obſequentes famuli dominorum ſuorum vultibus ſemper intenti ſunt, vt ea quæ præceperint confeſtim audiant & implere contendant: ſic iuſtorum mentes per intentionẽ ſuam

*Chriſtiani præ aliis Deo obligantur.*

*Gregor. 16. moral. c. 17.*

ſuam omnipotenti domino ſemper aſſiſtunt,atque in ſcriptura eius quaſi os eius intuentur: vt quia per eam Deus loquitur omne quod vult,tãto à voluntate eius non diſcrepent, quanto voluntatem illius in eius eloquio agnoſcunt.

## PSAL. CXLVIII.

2568 Laudate dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Pſalmus iſte talem habet titulum,Alleluia Aggei & Zachariæ. Hic titulus formaliter ponitur in præcedenti Pſalmo. Et exponitur vt ibi. Et eadem videtur eſſe materia Pſalmi iſtius & illius. Nam vt hic ait gl. Aggeus & Zacharias qui in Babylonica captiuitate prædixerunt liberationẽ terreſtris Hieruſalem,intellexerũt reparationem cœleſtis:quam ſub illa materiali intellexerũt, & pro ea dominum ſpecialiter laudauerunt: vt & nos exemplo eorum quaſi contempta huius noſtrę peregrinationis Babylonia, ſecuri hic præmeditemur laudem, quam in cœleſti Hieruſalem ſoluemus inæternum. Vnde hic propheta per paucorum commemorationem, vniuerſam creaturam hortatur laudare Deũ. Omnia enim laudant Deum vel in ſeipſis vel in aliis. Sunt enim quædam quæ habent ſpiritum laudãdi Deũ:& laudãt in illo affectu quo illis placet Deus. Quædã verò non habent intellectum,ſed quia bona ſunt in ordine ſuo & ad pulchritudinẽ vniuerſitatis referuntur:per ſe quidem non laudãt,ſed ab ipſis per attendentes ea laudatur Deus. Et ita illæ creaturæ quodãmodo Deũ laudãt:quia de illis laus Dei naſcitur in nobis. Ad quã nos hic monet Pſalmiſta pro liberatione ſpirituali, quã prædicti prophetæ in myſterio futuram ſignificauerunt.Ideóq; titulus continet nomina eorum. Præponitur ergo in titulo alleluia, quod idẽ eſt quod Laudate Deũ. Hoc ideo præmittitur,ſecũdum quod hic Auguſt. ait, quia tota occupatio præſentis vitæ in laudem debet exponi:quia tota vita futura laus Dei erit. Et nemo poteſt idoneus fieri laudis vitæ futuræ, qui nõ ſe modò ad illam exercuerit. Sed aduerte quòd ibi ſolum laudabimus:hic autem laudamus & oramus.Oratio in gemitu,laus in lætitia. Promiſſum enim eſt nobis aliquid quod nondum habemus. Et quia verax eſt qui promiſit,gaudemus: quia tamen nondum habemus, orando gemimus, Nunc ergo fratres, hortatur vos laudare Deum, dicens, Alleluia,id eſt Laudate Deum totis votis: id eſt,vt non ſolùm lingua & vox veſtra laudet Deum: ſed & ſcientia,vita veſtra,facta veſtra.Tunc enim deſinis laudare Deum, quãdo à iuſtitia & ab illo quod illi placet declinas. Nam ſi à vita bona nuſquã declines,& ſi lingua taceat,vita clamat &c.Ex prædictis ergo apparet ſenſus tituli, Alleluia Aggei & Zacharię:id eſt hic eſt laus Dei Aggei & Zacharię: id eſt pro futura liberatione,pro qua prędicti prophetæ laudauerunt Deum, Tota autem intentio Pſalmiſtæ eſt nos inducere ad laudem Dei.Quibus viſis venio ad diuiſionem Pſalmi. Diuiditur Pſalmus iſte in duas partes:quia ad laudem Dei inuitãtur primò creaturæ ſuperiores: ſecundò creaturæ inferiores: ibi, *Laudate dominum de terra.* Prima in duas:quia primò ponitur dicta laudis inuitatio:ſecundò eiuſdem laudationis ratio:ibi, *Quia ipſe dixit.* Prima in duas:quia primò ponitur ad laudem Dei inuitatio:ſecundò inuitatorũ nominatio:ibi,Laudate eum omnes angeli eius.Quãtum ad primum, notandum quòd creatura eſt in multiplici differẽtia.Quædam habet ſpiritum rationalem & intellectiuum,vt angeli & homines. Quædam habet ſpiritum & vitam,ſed nõ rationalem,vt pecora.Quædam habet vitam, ſed non ſenſitiuam, vt arbores. Quædam nullam in ſe habet vitam, vt lapides. Et omnis iſta creaturarum differentia ſuo modo laudat dominum de cœlis, id eſt qui reſidet in cœlis: quia ibi ſe beatis clarè oſtẽdit. Quæ omnia hic deducit Auguſt.dicens, Hortatur Pſalmiſta creaturã laudare dominum,quaſi inueniret tacentes laudes Dei in cœlis & in terris.Nunquam cœleſtia laudes ſui conditoris tacuerunt:nunquam terreſtria Deũ laudare ceſſauerunt.Sed attende quòd quædã ſunt quæ habent ſpiritum laudandi Deum in eo affectu ꝙ eis placet Deus.Nemo enim laudat,niſi quod ei placet. Sic ergo laudant Deum omnia quæ in cœlis ſunt, quæ habent ſpiritum vitæ & intellectum purum ad eum contemplandum & diligendum,vt angeli.Laudant in terra per intellectum cognoſcẽdi creatorem, & creaturam homines. Sed pecora huius mundi intellectum non habent: habent tamen vitam qua cibum appetunt, vtilia ſumunt, noxia fugiunt: habent & ſenſus corporalia diſcernendi:viſum ad colores,auditum ad voces,olfactũ ad odores,guſtum ad ſapores. Arbores autem nec ipſam vitam habent, & tamẽ omnia laudant Deũ: quia in iſtis videmus & conſideramus creatorem qui illa fecit: & ſic de illis in nobis naſcitur laus Dei.Et cum ipſorũ conſideratione laudatur Deus, omnia laudãt Deum.Si ergo ſuo modo omnia laudant Deum: ad quid iſte ad laudem Dei omnia excitat,quaſi Deum non laudent?Et reſpondet quòd iſta inuitatio non eſt præcipientis,ſed congratulãtis.Quomodo ſi venias ad homines bonũ aliquod operantes cum gaudio, & placet tibi quod faciũt, illis dicis,Facite,agite:non vt tunc incipiant facere quando dicis: ſed quia placet tibi quòd facientes inueneris. Ideo adiungis gratulationem & exhortationem tuam. Dicẽdo enim Facite,& exhortando facientes,voto quaſi facis cum illis.Sic ergo gratulãdo ait Pſalmiſta, *Laudate dominum de cœlis* &c. Et poteſt eſſe duplex ſenſus.Primus,vt ly *de cœlis* & *in excelſis* referantur ad dominum. Et tũc eſt ſenſus, vt omnes creaturas inuitet ad laudem Dei,dicens, Laudate dominũ qui habitat in cœlis & in excelſis.Vel poſſunt referri ad laudatores.Et tũc eſt ſenſus. Vos angeli & creaturæ cœleſtes quæ eſtis de cœli habitatoribus, & ſtatis in excelſis, laudate Deum.Et iſtum ſenſum credo magis ſecundum intentionem,propter illa quæ ſequuntur ſtatim: vbi de creaturis cœleſtibus proſequitur.Vel aliter:vt ly *de cœlis* & *in excelſis* ſignificet materiam laudis diuinæ. Per cœlum enim ſignificantur Apoſtoli: vide verſic.815.Et ſic eſt ſenſus: *Laudate dominum de cœlis*: id eſt de Apoſtolis, quos miſit per orbem vocare gentes ad fidem: qui etiam excelſi dicuntur vitæ ſanctitate & contemplatione.

*Laudat Deũ omnis creatura.*

*Alleluia id eſt laudate Deum.*

*Laudat Deũ qui bene viuit.*

*Creaturarum multiplex differentia.*

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. 2569

Hîc ponitur inuitatorum diſcreta nominatio. Vbi notandum quòd in cœlis tria conſiderantur: ſcilicet natura & ſubſtantia ipſorum cœlorum: ſecundò ornamenta ipſorum:tertiò habitatores cœlorum.Et ſecundum hoc præſens pars diuiditur in tres:quia ad laudem Dei primò inuitat habitatores cœlorum:



cœlorum:ſecundò ornamenta cœlorum:ibi, *Laudate eum ſol*:tertiò naturam & ſubſtantiam cœlorũ: ibi, *Laudate eum cœli cœlorum.* Primò ergo inuitat habitatores cœlorum:ſcilicet angelicos ſpiritus. Vbi notandum quòd nomine angelorum aliquãdo intelligitur ſolum vnus ordo: qui ſcilicet eſt ſecundus ordo vltimæ hierarchiæ. Quoniam ſecundum Gregor.in homil.de angelis,angelorum vocabulũ eſt nomen officij,non naturæ. Nam ſancti illi cœleſtis patriæ ſpiritus ſemper quidem ſpiritus ſunt: ſed ſemper angeli vocari non poſſunt. Quia tunc ſolùm ſunt angeli,cùm per eos aliqua nunciantur. Græca enim lingua,angeli,nũcij: archangeli verò, ſummi nuncij vocantur. Sic ergo angeli ſunt vnus ordo diſtinctus ab aliis angelorũ agminibus. Quãdoque verò angelus eſt nomen commune ad omnes ſpiritus cœleſtes: qui omnes dicuntur angeli, ſed minus propriè.Et iſto modo etiam Lucifer,qui fuit ſupremus ſpiritus creatus, etiam angelus vocatur,Iob 4, Et in angelis ſuis reperit prauitatem. Et ſic accipiuntur hic angeli pro omnibus ſpiritibus cœleſtibus.Verum quia inter angelos eſt vnus ordo qui nobis multam materiam miniſtrat laudis diuinæ:qui dicitur virtutes:quia per angelos illius ordinis fiunt virtutes mirabiles & effectus in admirationem diuinæ poteſtatis nos inducentes: & per conſequẽs ad Dei laudem.Ideo illum ordinem ſpecialiter nominat,dicens, *Laudate eum omnes angeli eius*:ſcilicet generaliter,ſed magis ſpecialiter ratione prædicta, *laudate eum omnes virtutes eius.* Sic enim dixit Pſal. 103, 102, Benedicite domino omnes angeli eius.Et ſtatim pòſt ſubdit in ſpeciali de ordine virtutum,dicẽs, Benedicite domino omnes virtutes eius.Vel aliter:vt hic ait gl. Virtutes quandoq; eſt generale nomẽ omnium cœleſtium ſpirituum: quandoque verò pro vno ordine accipitur:qui dũ mittuntur,angeli nominantur.Officium autem illius ordinis qui virtutes dicitur: vt ait Gregor.in homil.de angelis,eſt hoc.Quoniam virtutes vocãtur illi angelici ſpiritus, per quos ſigna & mirabilia frequenter fiunt. Et officium iſtius ordinis eſt facere miracula, & virtutẽ faciẽdi hominibus præſtare:vt ſcilicet reducti ad primum ſtatum, in quo ſcilicet Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, per huiuſmodi miracula demonſtrẽtur.De iſta materia angelorum & virtutũ quomodo laudant dominum, vide verſic.1751.1752. Item nota quòd angeli laudant dominum, ſed homines iubilant:vt oſtendit Gregor.ſuper illo verbo Iob 38.Cùm me laudarent aſtra matutina & iubilarent filij Dei:dicens, Quia enim in tempore prima condita natura rationabilium ſpirituum creditur:non immeritò matutina aſtra angeli vocantur. Quod ſi ſic eſt, dum terra eſſet inuiſibilis & incõpoſita,dum tenebræ eſſent ſuper faciẽ abyſſi, venturum diem ſequentis ſæculi per lucem ſapientiæ exiſtendo præuenerunt. Nec negligenter audiendum eſt quod addit ſimul:quia matutina aſtra etiã cum veſpertinis redemptoris potentiam laudant: dum electi angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratiæ ſupernæ glorificant. Ipſi quippe vt nos ad laudem conditoris accenderent,orta per carnem luce redemptionis noſtræ,voces ſuæ exultationis accommodant. Simul laudant:quia dum nos cõſpiciunt recipi, hoſtium gaudent numerum impleri. Qui & fortaſſe ideo & matutina aſtra vocantur: quia ſæpe ad exhortãdos homines miſſi ſunt. Et dum venturum mane nunciant, ab humanis cordibus præſentis vitæ tenebras fugant.Sed ecce,angeli diuinam potentiã laudant: quia ipſa eos tantæ claritatis viſio delectat. Nos autem qui redimimur,ſed tamen corruptione adhuc grauamur:donũ quod percipimus,qua virtute laudamus? Quomodo valebit lingua dicere, quod non ſufficit mens ſentire?Vnde ſequitur, Et iubilarẽt omnes filij Dei.Iubilatio quippe dicitur, cùm cordis lætitia oris efficacia non expletur: ſed quibuſdam modis gaudium prodit, quod ipſe qui gaudet,nec tegere præualet,nec exprimere.Laudãt vtique qui iam tantæ claritatis latitudinem in ſublimibus vident. Iubilãt verò homines,qui adhuc in inferioribus oris ſui anguſtias ſuſtinent &c.

*Angelus quãdoque eſt nomen vnius ordinis, quãdoque commune.*

*Laudant angeli Deũ:ſed homines iubilant.*

*Gregor.28. moral.c.14.*

*Iubilatio quid ſit.*

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen. 2570

Hîc inuitat ad laudem Dei ornamẽta cœlorum. Et vide modum procedendi congruum. Quoniam incepit inuitare inuiſibilia,ſcilicet angelos: poſtea deſcendit ad viſibilia. Viſibilis eſt enim ſol, luna, ſtellæ.&c.Sed quomodo ſol, qui intellectum non habet, laudat Deum, iam dictum eſt verſic.2568. Opus enim artificem laudat,ſi eſt pulchrum,& ordinatum:ipſum vituperat,ſi eſt deforme & inordinatum.Reſpice ergo ſolem, quàm pulchrum corpus,quàm luminoſum, totum orbem illuminans: quis præter Deum tale opus facere poteſt? Si ergo opera laudant,iuxta illud Prouerb.vlt. Laudent eã in portis opera eius: quomodo ſol non laudat dominum?quomodo non luna?quomodo non ſtellæ? Præterea, conſidera quantam obedientiam ſol ſuo factori exhibet,ordinem ſibi à Deo datum indefeſsè ſeruans,Eccleſ.1, Oritur ſol & occidit,& ad locum ſuum reuertitur. Sic ad præceptũ Dei firmus & immobilis ſiſtit:ſicut Ioſué 10. Cum dimicaret Ioſué contra quinque reges,& illos fugientes perſequeretur,& vt eos plenè capere poſſet antequam ſol occumberet:præcepit ſoli & lunæ,ne mouerẽtur: dicens alta voce coram omnibus, Sol contra Gabaon ne mouearis,& luna contra vallẽ Haylon. Stetítque ſol & luna, donec vlciſceretur ſe de inimicis ſuis: & non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei.non fuit antè neq; pòſt tam longa dies, obediente domino voci Ioſué. Et quid miraris, ſi ſol laudans Deum,iuſſus ſtetit & nõ feſtinauit occumbere?Nam & quod plus eſt,ad præceptũ Eſaiæ retroceſſit per decem gradus:vt habetur 4.Regum 20. Quod maius eſt,vt laudaret Chriſtum, oſtendens ipſum verum Deum, in Chriſti paſſione per totũ orbẽ per tres horas obſcuratus eſt:Matth.27. Et vt oſtenderet Chriſti reſurrectionem,in die reſurrectionis per tres horas antè ſurrexit: vt reſtitueret tempori tres horas lucis, quas in paſſione Chriſti abſtulerat: vt dictum eſt ſuperius, verſic. 2438. Meritò ergo iſta cœleſtia corpora Deũ laudare dicuntur.Vel aliter: vt per ſolem & ſtellas,ſimiliter & per lunam intelligamus ſanctos doctores & prædicatores qui Deum laudant, dum prædicationibus eius diuinitatis potentiam oſtendũt, & ſanctis operationibus obſequuntur.Quod oſtẽdit Gregor.dicens, In ſacro eloquio ſolis nomine prædicatorum claritas deſignatur. Sicut per Ioannem dicitur,Factus eſt ſol ſicut ſaccus cilicinus.In extremo quippe tempore ſol ſicut ſaccus cilicinus oſtenditur:quia fulgens vita prædicãtium,ante reproborum oculos aſpera & deſpecta monſtratur. Qui ſtellarum quoq; claritate figurantur: quia dũ recta

*Sol,luna & ſtellæ laudant Deum.*

*Sol & ſtellæ ſignificãt doctores & prædicatores.*

*Gregor.9.moral.c.3.*

*Apocal.8.*

recta peccatoribus prædicāt, tenebras noſtræ noctis illuſtrant. vnde & ſubtractis prædicationibus per prophetam dicitur, Prohibitæ ſunt ſtellæ pluuiarum. Quia verò per diem ſol fulget, ſtellæ verò obſcuritatem noctis irradiant. Et plerumq; in ſacro eloquio diei appellatione ęterna patria: noctis autem nomine præſens vita figuratur. Et prædicatores ſancti vt ſol oculis noſtris fiunt, cum cōtemplationem nobis veræ lucis aperiunt. Et velut ſtellæ in tenebris lucent: cum per actiuam vitam pro futura noſtris neceſſitatibus terrena diſponunt. Quaſi in die vt ſol coruſcant: cum ad contemplandam æternæ lucis patriam mētis noſtræ aciem ſubleuant. Et quaſi ſtellæ in nocte reſplēdent: quia & cum terrena agūt, offenſurū iamiámq; noſtri operis pedem, exemplo ſuæ rectitudinis dirigunt &c. Vel aliter: per ſolem intellige Chriſtum: per lunā, eccleſiam: & per ſtellas, omnes iuſtos. Et iſtis omnibus Deus laudatur. Vnde Greg. dicit, Quid per lunam, niſi cuncta ſimul eccleſia: quid per ſtellas niſi ſingulorum bene viuentium animæ deſignantur: qui intra prauorum hominum conuerſationes eminent, quaſi in tenebris noctis lucent: Vnde per Paulum diſcipulis dicitur, Inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo. Quia enim appellatione lunæ ſancta eccleſia exprimitur, propheta teſtatur, dicens, Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo. Eleuato etenim ſole, in ordine ſuo luna ſtatuitur: quia aſcendente ad cœlos domino, ſancta eccleſia protinus in prædicationis autoritate roboratur. Et quia ſtellarū nomine electi ſignantur, rurſum Paulus inſinuat, dicēs, Stella enim differt à ſtella in claritate &c. Sol ergo, luna, & ſtellæ, & lumen Deum laudant: quia per Chriſtum, per eccleſiam, per iuſtos omnes Deus magnificatur: quibus bene ait Pſalmiſta, *Laudate eum ſol & luna: laudate eū omnes ſtellæ & lumen.* Per lumen accipe omnia lumen habentia, quę dinumerari non poſſunt. Vel per ſtellas accipe exempla iuſtorum, quibus ad laudem Dei alij inflammantur: vide verſic. 2388.

*Hierem. 3.* *Gregor. 17. moral. cap. 8.* *Philip. 2.* *Abacuc 3.* *1. Cor. 15.*

## 2571 Laudate eum cœli cœlorū: & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini.

Hîc inuitātur ipſi cœli. Et nota quòd dicit cœlos in plurali, quia ſunt plures cœli, vide verſic. 1066. Cœli enim laudant Deum, dum cogitas eorum pulchritudinem, ipſorum motum regulatum, ipſorum tenuitatē quomodo firma conſiſtit: quòd antiquitate non veteraſcunt, quòd operatione nō laſſantur, quòd ipſorum influentia terra germinat, aquæ regulantur, aer tranſmutatur: & huiuſmodi.

*Aquæ quomodo ſunt ſupra cœlum.*

Sed hoc eſt declarandum: ſcilicet quomodo aquæ quæ naturaliter ſunt graues & fluxibiles ſint ſupra cœlos: quoniam vt habetur Geneſ. 1, dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, Et fecit Deus firmamentum: diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamēto ab his quæ erant ſupra firmamentum. Sciēdum eſt igitur quòd inter cœlos eſt vnum cœlū, quod immediatè eſt ſupra cœlum firmamenti, in quo fixæ ſunt ſtellæ: quod dicitur cœlum aqueum, ſiue cryſtallinū. Nam ſecundum ſanctorū expoſitiones, aquæ quædam ſupra firmamentum ſunt collocatæ: quæ ita ſunt ſubtiliatæ & leuigatę, quòd in naturam ſubtilem & cœleſtem ſunt conuerſæ: vnde & ibidē perſeuerant fixæ.

*Cœlū aqueū quid ſit: & quare ſit factum.*

Secundum enim Bedā aquæ illæ cœleſtes non vaporali tenuitate, ſed glaciali ſoliditate more cryſtalli firmi & perſpicui ſuper firmamentū ſunt ſuſpenſæ, & ſuper propriam ſtabilitatem fundatæ: ita quòd nec ſurſum nec deorſum ſe habeant mouere. Vnde in ipſius firmamenti ſubſtantiā non agunt, nec ab ipſius motu patiuntur: ſed ibi ab artifice omnium Deo ſunt collocatæ: vt earum frigiditate naturali feruor generatus ex motu firmamenti temperetur: quod eſt tam grande corpus, ꝙ non ſolùm totā terram circuit, ſed etiam totā ſphęram aquę, aëris & ignis: & tam velociter mouetur, quòd omni die dictas ſphæras perfectè peragrat. Ne ergo ex tanto calore quanto ex motu firmamēti inferiora diſſoluantur, factum eſt à Deo cœlum aqueum ſiue cryſtallinum: quod ſua frigiditate illum calorem temperat. Et in huius rei ſignum eſt, quòd ſtella illa quæ Saturnus dicitur, quæ cæteris planetis eſt altior & cœlo aqueo vicinior, ex circuitione cœli cæteris planetis deberet eſſe feruentior: quia velocius currit & mouetur, cum maiorē circulum omni die faciat cæteris, niſi illis aquis ſuperioribus feruor eius tēperaretur, & ipſarū aquarū frigiditas naturalis ſtellę illi caleſcenti admiſceretur. De iſto ergo cœlo aqueo vel cryſtallino dicit, *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen domini.* Vel aliter: cœlum cœlorum dicitur cœlum ſupremum, quod eſt ſupra empyreū: quod vocatur cœlū ſanctę trinitatis: quod dicitur cœlum cœlorū: quia omnes alios cœlos circundat. Vel aliter, iſta myſticè ſunt intelligenda.

*Cœlū multa ſignificat.*

Vnde ſciendum quòd cœlum multa ſignificat, quæ Deū laudant. Significat enim quandoque glorioſam virginem Mariam: vide verſic. 1722. Quādoq; ſignificat Dei cognitionem: vide verſic. 1927. Quādoq; ſignificat animas ſanctas & iuſtas: vide verſic. 2025. Quādoq; ſignificat doctrinam euangelicam. Quandoq; ſignificat ipſos Apoſtolos: vide verſic. 1998. Quandoq; verò ſignificat naturam angelicam: vide verſic. 1998. Et certum eſt quòd in omnibus iſtis Deus laudatur.

*Aqua multa ſignificat.*

Similiter & aqua plura ſignificat, quibus Deus laudatur: de quibus vide in litera Aqua per totum.

## Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. 2572

Hîc oſtēdit rationem quare omnia prædicta ad laudem Dei inuitat. Et duplicem aſſignat rationē: quarum vna eſt ex beneficio creationis: ſecunda ex beneficiò æternę cōſeruationis: ibi, *Statuit ea.* Quātum ad primum, ſciēdum quòd error fuit antiquorum philoſophorum, dicentiū mūdum fuiſſe æternaliter. Et ſic quòd ſemper fuit cœlum, ſemper motus cœli: & per cōſequēs, ſemper motores cœlorū, qui ſunt intelligentiæ cœlis appropriatæ. Sic quòd iſta, vt puta cœli & corpora cœleſtia & intelligentiæ ſeparatæ, non habent Deum pro cauſa efficiēte, quia facta non ſunt: ſed ſolùm pro cauſa finali, quia ad ipſum tāquam ad finem omnia naturaliter tendunt. Sed hunc errorē excludit Pſalmiſta: oſtendens quòd omnia illa ſunt à Deo ſicut ab efficiēte & producente.

*Facit Deus quædam. Creat Deus quædam.*

Et quia duplex eſt modus diuinæ productionis: quia quædam ſimpliciter producit ex nihilo, & illorum eſt creator: ſic enim produxit angelos. Quædam verò producit ex præiacēte materia: & ſic ex materia primò informi creata, poſtea res produxit in propria forma, dādo eis formam & ſpeciem. ſic enim produxit cœlum cryſtallinum ex aquis præexiſtentibus. Reſpectu illorum quæ produxit ex nihilo, dicitur creator: reſpectu verò illorū quæ



quæ producit ex præiacēte materia vocatur factor: vt deducit Magiſter lib. 2. diſt. 1. Ideo iſta duo genera productionum eſſe à Deo, qui omnia quæ nō ſunt Deus tēporaliter produxit aliquo illorū modorum, oſtendit Pſalmiſta hic dicens, Ideo omnia prædicta Deum laudare debent, *quia ipſe dixit, & facta ſunt:* quo ad illa quæ ſunt producta ex præiacēte materia. *Ipſe mandauit, & creata ſunt,* quo ad illa quæ ex nihilo ſimpliciter ſunt producta. Primum modum productionis cōmunicat Deus creaturæ: ſed non ſecundum. Et hoc eſt quod ait Magiſter lib. 2. diſt. 1, dicens, In principio creauit Deus cœlum & terrā. His etenim verbis Moyſes ſpiritu Dei afflatus, mundum à Deo factum refert, elidens errorem quorundā plura fuiſſe principia ſine principio opinantium. Plato namque tria principia exiſtimauit: ſcilicet Deū, exemplar, & materiam: & ipſa increata ſine principio: & Deum quaſi artificem: nō creatorē.

*Facere quid eſt: & quid creare.*

Creare enim propriè eſt, de nihilo aliquid facere. Facere verò, non modò de nihilo aliquid operari, ſed & de materia. Vnde & homo vel angelus dicitur aliqua facere, ſed non creare: vocatúrq; factor vel artifex, ſed non creator. Hoc enim nomen ſoli Deo propriè conuenit: qui & de nihilo quædam, & de aliquo facit quædam. Ipſe eſt ergo creator & opifex & factor: ſed creatoris nomē ſibi propriè retinuit. Et hoc apertè hic oſtendit Pſalmiſta dicens, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.*

*Ioan. 1.* *Verbum facit omnia.*

His etenim verbis ſignificat Dei verbū: quia dicendo producit verbum, & verbo producit cætera omnia. Vnde dicitur Ioann. 1, Omnia per ipſum (ſcilicet verbum) facta ſunt: & ſine ipſo factū eſt nihil. Ipſe ergo dixit, id eſt verbū genuit: & per ipſum omnia facta ſunt. Hoc ergo dicit cōtra illos, qui dicunt mundum Deo eſſe coæternum. Hæc ergo eſt ratio quare omnia prædicta Deum laudare debent: quia ab ipſo gratis ſunt producta. Et hoc tangit hic Auguſt. dicēs, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt* &c. Non mirum, ſi opera laudant operatorem: non mirum ſi facta laudant factorem: non mirū, ſi creata laudant creatorem. Hic enim & Chriſtus nominatus eſt: & quaſi non audiuimus nomen ipſius.

*Ioan. 1.*

Quid eſt Chriſtus? Certè verbū quod erat in principio apud Deum: per quem omnia facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. Omnia ergo per verbū facta ſunt: quod oſtendit Pſalmiſta dicens, *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Nemo dicit, nemo mandat, niſi verbum.

## 2572 Statuit ea inæternum & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

*Conſeruātur omnia in eſſe à Deo.* *Gregor. 16. moral. cap. 18.*

Hîc ponit ſecundam rationem quæ ſumitur ex beneficio æternæ conſeruationis. Quamuis enim omnia alia à Deo habuerint principium ſui eſſe, quia ab eo creata vel facta: multa tamen ſine carent & inæternum durabunt: quod à ſeipſis non habent, ſed à Dei voluntate illa conſeruante: vt oſtendit Gregorius dicens, Omnia quæ facta vel creata ſunt, principaliter non ſunt: quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt. Et niſi gubernantis manu teneantur, eſſe nequaquam poſſunt. Cuncta namque in illo ſubſiſtunt, à quo creata ſunt. Cuncta quippe ex nihilo facta ſunt: eorúmque eſſentia ad nihilum tenderet niſi ea auctor omnium manu regiminis teneret. Omnia itaque quæ creata ſunt, per ſe nec ſubſiſtere præualent nec moueri. Sed intantum ſubſiſtunt, inquantum vt eſſe debeant acceperunt: intantum mouentur, inquantum occulto inſtinctu diſponuntur &c. Quibuſdam ergo dat Deus temporale, aliquibus autem eſſe ſempiternum. Corporibus autem cœleſtibus dedit eſſe ſempiternum, quia illa ſunt incorruptibilia. Vnde quòd perpetuò maneant, non à ſe, ſed à præcepto creatoris habent. Et hoc eſt quod ait, *Statuit ea inæternum* &c. id eſt ordinauit illa manſura inæternum. *Et præceptum poſuit, vt ipſum ſemper laudarēt: quod præceptum non præteribit,* quia ſcilicet ſemper laudant Deum & ſemper laudabunt. Sed ad quid iſta dicit Pſalmiſta, niſi vt mentes noſtras erigat ad ſanctorū angelorum ſocietatem, & ad habitationem cœlorum affectandam: vbi nulla occupatio, niſi Deum laudare, Deum videre & amare? Vnde hic Auguſt. *Statuit ea inæternum* &c. Omnia cœleſtia, omnia ſuperiora, virtutes omnes atque angeli ciuitatem quandam ſupernam & beatam faciunt. Vnde quia peregrinamur adhuc, miſeri ſumus: & quia ibi redituri, in ſpe beati ſumus: quæ ciuitas inæternum eſt manſura, quoniam ſtatuit ea inæternū & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & nō præteribit.

*Laudare deū eſt totum officium beatorum.* *Matth. 25.*

Sed quale præceptum putatis habere cœleſtia & ſanctos angelos, niſi vt laudent Deum? Beati quorum eſt hoc negocium laudare Deum. Non arant, non ſeminant, non metunt, non coquunt. Hæc enim ſunt opera neceſſitatis: ibi autem nulla neceſſitas. Non furantur, non adulterātur. Hæc enim ſunt opera iniquitatis: ibi nulla iniquitas. Non frangunt panem eſurienti: non veſtiunt nudum: non ſepeliunt mortuum. Opera ſunt iſta miſericordiæ. Ibi autem nulla miſeria in qua fiat miſericordia: beati enim ſunt. Erimus & nos ſic. Et quid ſumus niſi mortales, abiecti, terra, cinis? Sed qui promiſit, omnipotens eſt. Aut verò pro minimo habet Deus hominem: propter quem mori voluit vnicum filium ſuum.

*Vita æternæ ſpes eſt habēda.*

Attendamus ergo ad dilectionem Dei & promiſſionem: pro qua complenda tales arras accepimus, tenemus mortē Chriſti: tenemus ſanguinem Chriſti. Venit enim Chriſtus ſuſcipere mortem noſtram, & promittere nobis vitam ſuam. O homo mortalis, quid tibi promiſit Deus? quia victurus es inæternum? Non credis? crede: quia plus eſt quod iam fecit, quàm quod promiſit. Quid enim fecit? Mortuus eſt pro te, vt viuas cum illo, viuas cum angelis, viuas cum virtutibus, viuas in cœleſtibus: & hoc inæternum: quia ſtatuit inæternum &c. præceptum poſuit & non præteribit: quia quod promiſit, quod diſpoſuit, adimplebit.

## Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyſsi. 2573

Conſequenter hic ad laudem Dei inuitat inferiora. Et primò inuitantur creaturæ irrationales: ſecundò creaturæ rationales: ibi, *Reges terræ.* Prima in duas: quia primò omnia elementa inuitantur: ſecundò ad elementa terræ magis declarandum reuertitur: ibi, *Montes & omnes colles.* Prima in duas: quia primò tangit duo elementa inferiora; ſecundò alia duo ſuperiora: ibi, *Ignis.* Primò ergo inuitat elementum terræ & aquæ ad Dei laudem: & primò terræ, dicens, *Laudate dominum de terra:* id eſt omnia quæ ſunt de terra, vel quæ in terra oriuntur: laudate dominum de terra

dracones. Et aliqui dicunt dracones pertinere ad elementum aquæ:aliqui ad elemẽtum terræ. Nam quidam dicunt quòd draco eſt ſerpẽs magnus,qui cum elephante præliatur, & ipſum ſuperat. Et ſic draco habitat in terra & ad terrã pertinet. Alij dicunt autem quòd hic draco eſt quidam piſcis magnus: qui alio nomine cæte dicitur. Vnde quod nos habemus Geneſ.1, Creauit Deus cæte grãdia: in Hebræo habetur, Creauit Deus dracones magnos. Si ergo hic draco ſit animal terrenum: tunc pũctus iſtius verſus eſt poſt dracones:vt ſit ſenſus, *Laudate dominum dracones de terra*. Si autem ſit piſcis marinus,tunc punctus eſt ante dracones:quia dracones ſpectant ad elementum aquæ:de quo ſubditur, *Et omnes abyſſi*: vt ſit ſenſus, *Laudate dominum de terra*:quo ad elementum terræ:& conſequenter, *dracones & omnes abyſſi*:quo ad elementum aquæ. Et quia communiter iſte verſus habet punctum ante ly *dracones*:ideo melius eſt vt ly *draco* hic ſit piſcis,ſiue cæte. Abyſſi autem dicuntur hic loca profunda maris Oceani:vbi habitant cæte grandia, quæ hic dicuntur dracones. Auguſtinus autem hic accipit draconem pro ſerpente:qui ſcilicet eſt maioris ſtaturæ quàm aliquod animal quod verſetur in terra. Similiter per abyſſum intelligit nõ ſolùm profunditatem aquarum,ſed etiam omnia quæ pertinent ad iſtum aërem caliginoſum. Vnde ait, *Laudate dominum de terra*:modò audi terreſtria,*Dracones & omnes abyſſi*. Abyſſi ſunt profunditates aquarum, maria omnia: & nubiloſus aër iſte ad abyſſum pertinet,vbi nubes,venti,tempeſtates,pluuia,tonitrua, grãdines,nix: & quicquid vult Deus ſuper terram fieri de iſto humido & caliginoſo aëre: totum hoc terræ nomine appellauit, quia omnia iſta fiũt prope terram. Aliquando enim ſunt homines in cacuminibus montium,& nubes ſub ſe vident: & fiunt plerumque pluuiæ. Dracones autem circa aquam verſantur,de ſpeluncis prodeunt,feruntur in aëre, concitatur propter eos aër. Magna enim animalia ſunt dracones: maiora non ſunt ſuper terram. Ab iſtis ergo incipit in terris, dicens, *Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyſſi*. Sed quomodo iſta laudant Deum? Nos enim conſiderantes dracones & abyſſos,attendimus ipſorum artificem,& miramur dracones & abyſſos, dicentes, Magnus eſt Deus,qui hæc fecit. Tunc dracones & abyſſi laudant Deum,vocibus noſtris. Myſticè autẽ per dracones intellige ſuperbos:vt oſtendit Gregor.dicẽs, Quid draconum nomine niſi malicioſorũ hominum vita ſignatur? de quibus per prophetam dicitur, Traxerũt ventũ quaſi dracones. Peruerſi enim ventum quaſi dracones trahunt,cùm malicioſa ſuperbia inflantur. Dracones ergo tũc laudant,quãdo peruerſi conuertuntur & efficiuntur iuſti:ſicut fecit olim elatus & inflatus Saulus. Per abyſſum autẽ intellige occulta Dei iudicia: de quibus Pſal. 35, Iudicia Dei abyſſus multa. Quæ Deum laudãt, cum homines in admirationem diuinæ ſapientiæ extollunt:vt puta quando latro in fine pœnitet,& Apoſtolos præcedit ad regnum: quando Apoſtolus Iudas in fine deſperat, & intrat æternum ſupplicium.

*Draco quid ſit.*

*Abyſſus quid ſit.*

*Draco ſignificat ſuperbos. Gregor.20. moral.c.29.*

## 2574 Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.

Hîc agit de duobus elementis ſuperioribus:ſcilicet igne & aëre. Hic enim antè ſubintelligitur *Laudate Deum ignis* &c. Ignis eſt enim elemẽtum ſuperius,quo ſphæra aëris circũdatur. Et conſequẽter deſcendit ad elementum aëris, dicens, *Grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum*: id eſt,venti qui in aëre generantur,quibus procellæ & tempeſtates in mari generantur. Omnia enim iſta laudãt Deum:quia faciũt quod Deus iubet illa facere. Vnde ſi iſta aliquibus ſtultis caſu videantur agitari:non tamẽ recedunt à pręcepto creatoris. Et hoc eſt quod dicit, *Quæ faciunt verbũ eius*. Ignis enim laudat Deũ,ſi conſideres eius naturam. nam eſt capacitatis infinitæ, & nũquam dicit Sufficit. combuſtibili appoſito nõ ſaturatur: ſed ampliora combuſtibilia deſiderat. Ignis liquida & fluida cõſolidat:dura emollit: metalla purgat,& meliora reddit: quædam in meliorem formam commutat,vt cineres in vitrum,& lapides in metallũ,& multa alia mirabilia facit:quæ conſiderando,ad laudem ſui creatoris inducimur. De his autem quæ generantur in aere dicit, *Grãdo, nix, glacies, ſpiritus procellarum*. Iſta enim Deũ laudant, ſi conſideres eorum naturam:quomodo nutu Dei, grando frigiditate induratur:nix frigiditate nõ induratur, ſed mollis deſcendit: quomodo venti generantur. quæ tamen omnia fiunt iuxta Dei diſpoſitionem & ordinationem. Ideo ait, *Quæ faciunt verbum eius*. Sed multis videtur quòd iſta ordinatione Dei non diſponantur: quia eis videntur non bene diſpoſita:vt puta dicunt, Si Deus plueret,nunquid plueret in mare? qualis eſſet Dei prouidentia? Terra ſitit,& mare compluitur. Si Deus fulmina emitteret,quæ prouidentia: quia aliquando percutiunt montem,& nõ percutiunt latronẽ? Et ſimilia ſtulti cogitant,arguentes quòd iſta non fiunt prouidentia Dei. Sed attende quòd ignis,grãdo,nix,glacies, & ſpiritus procellarum,omnia faciunt verbũ eius: quia non mouentur,niſi nutu & præcepto diuino. Si autem quæras quare ſic facit: dico quia vult. Si autẽ quæras,quare ſic vult:fatuè quæris, quia Dei voluntas cauſam non habet:& ideo quare ſic vult, cauſa aſſignari non poteſt. Sed firmiter credendum quòd quia ſummè bonus,ſummè iuſtus:quòd etiã omnia bene & iuſtè vult & diſponit. Et ſi non intelligis quomodo in iſtis bene velit,roga vt intelligas. Si enim cæcus non videt ſolem, nũquid ſol eſt increpandus? Vel myſticè,ignis,id eſt igne auaritiæ accenſi:grando,duri & obſtinati:nix, glacies &c. id eſt mali & frigidi,faciunt verbum eius: quia aliquando ex talibus ſibi facit electos. vide verſic. 2563. 2564. Et ſic habet Deus theſauros grandinis & niuis:vide Gregorium libro 29.moral.

*Gubernat Deus omnia etiã inferiora.*

*Gregor.29. moral. ca.10. & 11. & 12.*

## Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri. 2575

Hîc reuertitur ad tractandum de elemento terræ. Aliqua enim pertinent ad terram intrinſecè:ſicut illa quæ ſunt ipſa terra,& illa quæ adhærẽt terræ. Aliqua verò extrinſecè pertinẽt ad terram:ſicut illa quæ mouentur in terra. Et primò agit de primis:ſecundò de ſecundis:ibi, *Beſtiæ*. Quantum ad primum, inuitat montes & colles. Montes enim dicuntur maiores altitudines terræ:ſed colles ſunt minores. Montes enim & colles laudant Deum, quia ſi conſiderentur, ad laudem conditoris nos inducunt. Aliqui enim montes ſunt ita alti, quòd ibi non aſcendunt peregrinæ aëris impreſſiones: ibi non eſt pluuia, non nubes, non venti: & habent aërem tantæ ſubtilitatis, quòd ibi homo non poteſt reſpirare: ſed in illis aſcendentes philoſophi cauſa philoſophandi, ſecũ portant aquam & ſpongiam: vt ſpongiis in aquam miſſis & ori applicatis attrahant aërem groſſiorem ad refrigerium pectoris,vt ibi aliquantulum reſpirare poſſint. Et talis eſt mons Olympus in Macedonia:qui eſt tantæ altitudinis, vt in eius cacumine nec ventus ſentiatur,nec nubes ibidem aſcendãt: quia excedit iſtum aërem humidum in quo aues cœli volitant. Ad quæ probandum ibi aſcẽdentes aliquas literas in puluere ſcribebant vel figuras faciebant, quas alio anno integras inueniebant. Quod fieri non poſſet,ſi locus ille ventis vel pluuiis impeteretur. Tales ergo montes nónne laudant Deũ,ſi cõſideres quòd terra, quæ eſt corpus graue, in altũm tantum eleuetur, vt omnes impreſſiones aëris trãſcẽdat? Sequitur, *Et omnes colles*. Hoc ad idem tẽdit. Nam colles ſunt montes,non tamen tantũ excelſi. Myſticè autem per montes & colles ſignificantur alti & ſuperbi: qui tamen quandoque à Deo tacti conuertuntur & Deum laudãt:ſicut dicitur in alio Pſalmo, Tange montes,& fumigabunt:vide verſic. 2503. Sequitur, *Ligna fructifera & omnes cedri*. Verè enim iſta laudant Deum, ſi diligenter conſiderentur. Nam vt ait Gregorius, Quis enim ab vno grano ſeminis ſurgere crederet immenſam arborem: niſi certum hoc per experimentum teneret? In tanta namque vnius grani paruitate,vbi penè nullam vides ſimilitudinem,ibi latet ligni duricia:& ligni tenerior vel durior medulla,aſperitas corticis,viriditas radicis,ſapor fructuum,ſuauitas odorum,diuerſitas cœlorum,mollicies foliorũ. Et tamẽ quia hæc per experimentum nouimus ex vno grano ſeminis prodire: hæc omnia non dubitamus. Quid ergo mirum ſi ligna fructifera laudant dominum? Sequitur, *Et omnes cedri*. In cedris etiã apparet mirabile, vt paruus ramuſculus cedri producat multas cedros maximæ quantitatis, tantíque ponderis, vt ſi vnus ſolùm illorum præciſus fuerit ab arbore,& filo appenſus fuerit,ſtatim propter magnũ pondus frãgatur ramus: qui non præciſus leuiter, quamplures ſuſtinet. Hæc enim mirabilia in iſtis rebus experimentaliter viſa,nos ad conſideratione̅ artificis erigunt & laudem. Vel myſticè per arbores fructuoſas intellige bonos, qui bonis fructibus operum & laudibus Dei ſemper ſe occupãt. Et per cedros altas intellige bonos prælatos: vide in litera Cedrus,parte quinta.

*Montes alti quidam ſunt.*

*Nota de tanta altitudine quorundã montiũ, quòd ibi non ſunt venti,nõ nubes,non pluuia.*

*Semen paruũ magnã arborem generat. Gregor.6.moral.cap.6.*

## 2576 Beſtiæ & vniuerſa pecora: ſerpẽtes & volucres pennatæ.

Hîc agit de his quæ mouẽtur in terra. Quæ omnia in quatuor genera diuidit,dicens, *Beſtiæ*:& hoc quantum ad animalia ſilueſtria. Nam beſtiæ dicũtur quaſi vaſtiæ. *Pecora*, quantum ad animalia domeſtica & vtilia. *Serpentes*, quãtum ad animalia repentia quæ pedibus carent, ſed corpore reptãt ſuper terram. *Et volucres pennatæ*, quãtum ad animalia volatilia, quæ etiam de terra paſcuntur. In quolibet enim genere iſtorũ reperies mirabilia, ex quibus conditoris laus educitur. Conſidera non ſolùm animalia magni corporis,vt dracones,elephãtes,qui caſtra & tot armatos homines portãt: leones,qui ſolo rugitu cæteras beſtias terrent;in quibus mirabilis artifex cognoſcitur Deus. Sed quod plus eſt admiratione dignum, conſidera araneam, cum qua induſtria ſubtiliſſima fila de ſe producit: cum quanto ſubtili artificio ſubtiliſſimam telam facit,& fila tam tenuiſſima non frangit,quod nullus hominum facere poſſet. Quis hoc araneam docuit facere,niſi Deus qui ſibi dedit naturam? Conſidera pulicem,tam paruum animal. Quis non miretur,ſi attendat quàm ordinatè diſpoſita ſunt pulicis membra,vel culicis,vt habeant ordinem ſuũ? habent vitam ſuam: habent motum ſuum. Vnam beſtiolam breuem & minutiſſimam conſidera quã volueris: ſi cõſideres ordinem membrorum ipſius & animationem vitæ qua mouetur:fugit mortem, amat vitam: appetit voluptates, fugit moleſtias. Quis dedit aculeum pulici quo ſanguinem ſugat, quatenus fiſtula eſt qua ſorbet? Quis diſpoſuit iſta, niſi conditor omnium Deus? Expaueſcis conſiderando: quid in conſideratione magnorum facturi ſumus,niſi in omnibus laudare artificem, laudare conditorem? Et hoc eſt quod ait, *Beſtiæ & vniuerſa pecora: ſerpentes & volucres pennatæ*:ſupple laudate dominum:quia nobis materiam laudis conferunt.

*Aranea & pulex Deum laudant, & omnia animalia.*

## Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ. 2577

Hîc conſequenter deſcendit ad inuitandum rationales creaturas ad Dei laudem. Et primò homines ad Dei laudem inuitat; ſecundò huius inuitationis rationem aſſignat:ibi, *Iuuenes*. Quantum ad primum,inuitat primò maiores & prælatos,dicẽs, *Reges terræ*:ſupple laudate eum. Per reges terræ intelligit omnes qui alios habẽt regere, & aliis præeſſe. Et iſti maximè laudare Deum bonis operibus debent: quia ipſorum vita exemplum eſt ſubditorũ. Vnde ſi bene agunt,ſubditi in ipſis bene agunt: & ſi malè,& ſubditi malè. Et hinc eſt quòd peccata regum & prælatorũ, cæteris grauiora ſunt peccatis ſubditorum. Nota ergo quòd omnes prælati reges dicuntur:vide verſic. 1063. Item quòd quilibet iuſtus dicitur rex:verſic. 998. Conſequẽter inuitat ſubditos,dicens, *Et omnes populi*. Quid autem propriè ſit populus,vide verſic. 816. Et nota quòd populus multiplex laudat Deũ. Vnde dicitur Pſal. 116, Laudate dominum omnes gẽtes:laudate eum omnes populi. vide verſic. 2046. Et quia maius eſt periculum in prælatis & rectoribus, quãdo Deum non laudant ſuis operibus bonis,vt dictũ eſt:ideo ipſos iterum inuitat, vt eis laudem Dei magis imprimat;dicens, *Principes & omnes iudices terræ*; ſupple laudate Deum.

## Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. 2578

Hîc rationem aſſignat diuinæ laudis:ſcilicet in fine verſiculi,dicens,quia exaltatum eſt &c. Primò tamen præmittit generalem omnium inuitatione̅, dicens, *Iuuenes & virgines*. Et aſſignat duplicem rationem laudis diuinæ. prima eſt Dei nominis exaltatio:ſecunda eſt verbi incarnatio:ibi, *Hymnus omnibus*. Quantum ergo ad primum, primò præmittit generalem omnium inuitationem, dicens, *Iuuenes & virgines*:ſupple laudent Deum. Hic loquitur de iuuenibus & virginibus pro ætate & corporis integritate: ſimiliter & de ſenioribus. Vel accipit iuuenes pro illis qui ſunt fortes ac ſtabiles in fide, modo quo de iuuenibus loquitur Ioannes

*Iuuenes ſignificant fortes in fide.*

*1. Ioan. 2.* *Virgines ſunt integri mēte, licet non corpore.*

Apoſtolus, dicens, Scribo vobis iuuenes: quia fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. Virgines autem accipit pro integritate non carnis, ſed mentis: ſicut loquitur Apoſtolus, dicens de eccleſia,

*2. Cor. 11.*

Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Et tamen certum

*Senes ſunt iuſti.*

eſt quòd nō omnes de eccleſia ſunt carne virgines, ſed mente: vt Petrus, qui vxorem habuit & filios. Senes autem accipit, non ſolū ætate, ſed omni prudentia & maturitate: ad modum loquendi ſcripturæ, dicentis,

*Sapient. 4.*

Senectus enim venerabilis eſt: nō diuturna, neq; annorum numero computata: ſed ætas ſenectutis, vita immaculata. Vel aliter: hic Pſalm. præuidit illud mirabile ſpectaculum pro cōfeſſione & laude Dei factum: quando ſcilicet illa venerabilis mater antiqua cum ſeptem ſuis filiis iuuenibus ſe ſponte tradidit morti. de quo ſerioſè dicitur 2. Machab. 7. vide ibi hiſtoriam multum deuotam & notabilem. Conſequenter allegat cauſam dictæ laudis diuinæ: quæ eſt Dei exaltatio, dicens, *Quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.*

*Exaltatus dicitur Deus.*

Deus enim ſolus ab omnibus gentibus eſt exaltatus: non quidem in ſe, ſed in cordibus noſtris: ſicut dicimus Deū magnificari, quando magnificatur in nobis. Vnde Pſalm. 45, Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Vel hic loquitur de verbo incarnato: cuius nomē ſuper omne nomē fuit exaltatum ratione humilitatis: vt dicitur ad Philip. 2, Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomē &c. Si autem quæras quomodo ſolus Deus ſit exaltatus: reſpondet Pſalmiſta, quia omnis creatura in cœlo & in terra Deum laudat & cōfitetur: vt patet ex prædictis. Et hoc eſt quod ſubditur,

2579 Confeſsio eius ſuper cœlum & terram: & exaltauit cornu populi ſui.

Hoc eſt dictu, Cōfeſſio laudis ipſius fit ab omni creatura quæ habitat in cœlo & in terra: quia omnis creatura tā cœleſtis quàm terreſtris, vel per ſe laudat dominum: vt puta creatura rationalis: vel per alios, quia ſi eſt creatura irrationalis vel inſenſibilis, dat creaturis rationabilibus materiam laudandi Deum: vt patet ex prædictis. Sic enim iſtum

*Cōfitetur & laudat Deum omnis creatura.*

paſſum exponit Auguſt. dicēs, *Confeſſio eius* &c. hoc ideo, quia omnia Deum confitentur, omnia Deum clamant, omnium pulchritudo quodammodo eorum vox eſt confitentium Deum. Clamat cœlum Deo dicens, Tu me feciſti: nō ego me feci. Clamat terra, Tu me cōdidiſti: non ego. Sed quomodo clamant iſta? quomodo conſiderantur. & hoc inuenitur. Ex tua conſideratione clamāt: ex voce tua clamant. vnde confeſſio eius in cœlo & terra. Attende cœlum: pulchrum eſt. Attende terram: pulchra eſt. Vtrunque ſimul valde pulchrum eſt. Ipſe iſta fecit: ipſe regit: ipſius nutu gubernātur. Ergo omnia iſta laudant illum, ſiue in ſitu, ſiue in motu: ſiue de terra deorſum, ſiue in cœlo ſurſum: ſiue in vetuſtate,

*Rom. 1.*

ſiue in renouatione. Cum vides hæc & gaudes, & attolleris in artificē, & inuiſibilia eius per ea quæ ſunt facta contueris: tunc confeſſio eius eſt ſuper cœlū & terram: id eſt cōfiteris ei de rebus cœleſtibus, & de rebus terrenis. Et ideo quia ipſe fecit omnia, & melius illo nō eſt aliquid: ideo quicquid tibi in his placet, minus eſt quàm ipſe. Nō ergo ita tibi placeat quod fecit, vt recedas ab eo qui fecit. Sed ſi amas quod ipſe fecit, multo magis ama eum qui hoc fecit. Si pulchra ſunt quæ fecit, quanto

A

pulchrior eſt qui fecit? Sequitur, *Et exaltauit cornu populi ſui.*

*Cornu dicitur Chriſtus incarnatus.*

Hic enim incipit ſecunda ratio laudis diuinæ: quā diuidendo ſic aſſignabo in verſu ſequenti. Hic enim notatur Chriſti incarnatio: pro qua omnis creatura Deum laudare tenetur, & maximè homo: quia per hāc natura humana eſt ſupra modum exaltata. Et propter hoc Chriſtus dicitur cornu & in antiquo teſtamento & in nouo. Vnde Zacharias habita reuelatione de Chriſti incarnatione propinqua: dixit de Chriſto, Et erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui: Lucæ 2. Similiter & in antiquo teſtamento Anna mater Samuel prophetauit de hoc, dicens, Dabit imperium regi ſuo,

*1. Reg. 2.*

& ſublimauit cornu Chriſti ſui. Fuit etiam iſta incarnatio cœleſtibus, ſcilicet angelis, valde iocūda.

B

*Lucæ 2.*

Vnde lætantes cantauerunt, dicentes, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax &c. Vel aliter: vt per cornu intelligatur multitudo electorum, qui exaltantur à Chriſto: nō quidem in præſenti, ſed in futuro: quia præſens tempus non multum diſcernit bonos à malis: ſed bene futurū.

*Cornu ſignificat iuſtos qui in futuro exaltabuntur.*

Quòd cornu ſignificet iuſtos, vide verſic. 1993. Et hunc ſenſum hic notat Auguſt. dicēs, *Et exaltauit cornu populi ſui.* Hoc oſtendit in futuro, quando venerit ipſe dominus. Tunc enim erit æſtas noſtra. Modò enim fructus per hybernum in radice non apparet. Attenditis enim quaſi aridas arbores per hyemem. Qui non nouit videre, aridam in hyeme putat vitem: & illa quæ vere aruit, & illa quæ viuit in radice, ſimiles ſunt ambæ per hyemem. Illa tamen viuit, & iſta

C

mortua eſt. Sed illius vita & iſtius mors in abſcōdito eſt. Æſtas procedit, vita illius clarificatur: mors illius manifeſtatur: procedit honor foliorū: fœcunditas fructuum: veſtitur vitis in facie ex eo quod habet in radice: Ergo & modò fratres & nos ſimiles ſumus aliis hominibus. Quomodo enim naſcuntur, manducant, bibunt & veſtiuntur, trāſigunt vitam iſtam: ſic & ſancti. Aliquando ipſa res decipit homines, & dicūt, Ecce quia cœpit ille eſſe Chriſtianus: nunquid nō ei dolet caput, aut quia Chriſtianus eſt, quid habet plus me? O vitis arida, attendis iuxta te vitem nudam in hyberno. Sed veniet dominus honor noſter, qui latebat in radice: & tunc exaltabit cornu populi ſui: ſcilicet poſt captiuitatem in qua mortaliter viuimus. Et ideo ait

D

*1. Cor. 4.*

Apoſtolus, Nolite ante tempus iudicare, donec veniat dominus & illuminet abſcōdita tenebrarum: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Sed dicis mihi, Vbi eſt radix mea? vbi fructus meus? Si credis, noſti vbi ſit radix tua. Ibi eſt enim vbi eſt fides tua, vbi ſpes, vbi charitas tua. Ait enim Apoſtolus,

*Coloſ. 3.*

Mortui enim eſtis: quia quaſi per hyemem mortui apparebant. Audi quia viuunt: Et vita veſtra (inquit) cum Chriſto abſcondita eſt. Ecce vbi habes radicē. Quando ergo ornaberis? quando fœcūdaberis fructu? Audi & ſequentia. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra: tūc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Et tunc exaltabit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius, fi- 2580

E

liis Iſrael, populo appropinquāti ſibi.

Hîc ponitur lætitia de Chriſti incarnatione & natiuitate: quæ fuit non ſolùm angelis, ſed etiā hominibus: & maximè populo Iudæorum debuit eſſe. Hoc ergo notans dicit, *Hymnus omnibus* &c. Hymnus enim ſignificat Dei laudem cum cantico & exultatione. Iſta autem laus fuit angelis ſanctis:



ſanctis: quod notat dicēs, *Hymnus omnibus ſanctis eius.* Vbi nota quòd nomine ſanctorum abſolutè, quandoque in ſcriptura ipſi beati angeli intelliguntur. Sic enim quando dominus deſcendit in monte Sinai ad dādam legem, multitudo magna angelorum cum ipſo deſcendit: qui abſolutè ſanctorum nomine appellātur. Vnde dicitur Deut. 33, Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: & cum eo ſanctorum milia: ſcilicet angelorum, & in dextera eius ignea lex. Notans ergo per ſanctos, ipſos angelos dicit, *Hymnus omnibus ſanctis eius.* Et quia Chriſti aduentus non ſolùm angelis debuit eſſe iocundus, ſed etiam ipſis hominibus, & maximè ipſis Iudæis qui præ aliis ſibi appropinquabant: quia de ipſis ſecundum carnem natus eſt. Ideo ſubdit, *Filij Iſrael, populo appropinquanti ſibi:* ſupple etiam eſt hymnus. Appropinquabat enim ſibi populus Iſrael, & maximè Iudæorum: quia glorioſa virgo Maria de qua noſtram humanitatem aſſumpſit, fuit de tribu Iuda. Quid autem propriè ſit hymnus, hic oſtendit

*Hymn⁹ quid ſit.*

Aug. dicens, Hymnus eſt cantus cum laude Dei. Si laudas Deum & non cantas, non dicis hymnum: ſi cantas & non laudas, non dicis hymnum. Si laudas aliquid quod non pertinet ad laudem Dei, etiam ſi cantando laudas: non dicis hymnum. Hymnus ergo tria continet: ſcilicet cantum & laudem Dei. Sic ergo laus Dei cū cantico hymnus dicitur. Item notandum quòd aliter per ſanctos & filios Iſrael intelligit omnes iuſtos: qui modò in hac valle lacrymarum hymnū Deo dicunt, ſed in futuro hymnum æternum à Deo ſunt accepturi. Vnde hic ait Aug. *Hymnus omnibus ſanctis eius*: hoc eſt, dicant electi Dei hymnum Deo: quia hoc eſt quod accepturi

*Pſal. 49.*

ſunt in fine hymnum ſempiternum. Et hoc eſt quod alibi dicit Pſalmiſta, Sacrificium laudis honorificabit me: & ibi eſt via qua oſtendam ſalutare

*Pſal. 83.*

Dei. Et beati qui habitant in domo tua domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Sed qui ſunt ſancti eius, niſi filij Iſrael? nō quidem filij Iſrael ſecundum carnem, ſed ſecundum fidem.

*Filij Iſrael ſunt omnes fideles.*

Vnde hic Aug. Nemo dicat, Non ſum filius Iſrael. Ne putetis Iudæos filios Iſrael eſſe: & non nos. Sed audeo dicere quòd illi nō ſunt: & nos ſumus. Et audite quare.

*Fideles ſūt filij Abrahæ, non Iudæi.*

Quia maior eſt natus ſecundū ſpiritū, quàm ſecundū carnē. Vnde enim Iſrael? quia Iſaac ex Abraham: Iſrael ex Iſaac. Quomodo autē placuit Deo Abraham? Certè quia credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

*Gen. 15.* *Gal. 3.*

Quiſquis imitatus fuerit Abraham, filius eſt Abrahæ. Quiſquis degenerauerit à fide Abrahæ: perdidit progeniem Abrahæ. Iudæi degenerauerunt, progeniem perdiderunt: imitati ſumus nos, inuenimus nos. Audi quia perdiderunt. Illis enim dicentibus Chriſto, Filij Abrahæ

*Ioan. 8.*

ſumus: illis ait dominus, Si filij Abrahę eſſetis: opera Abrahæ feciſſetis. Si ergo perdiderunt quòd filij ſunt Abrahæ, inuenimus nos vt filij ſimus Abrahę: quia credendo quod illi non credendo amiſerunt, inuenimus. Nā ſemē Abrahæ Chriſtus: & in Chriſto nos ſumus: & ex Iſrael populus. de quo populo Maria: de qua Maria Chriſtus: in quo Chriſto nos: ergo & nos filij Iſrael. Vnde qui ſint filij Iſrael, oſtendit Pſalmiſta dicens, *Filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi.* Qui appropinquant Deo, illi ſunt filij Iſrael. Iuſti autem ſolùm corde appropinquant Deo: licet mali quandoque verbis, ſed corde ſunt

*Eſa. 29* *Math. 15*

longè: dicente propheta, Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.

A

# PSALM. CXLIX.

CAntate domino cāticum nouum: laus eius in eccleſia ſanctorum. 2581

Iſte Pſalmus talem habet titulum, Alleluia. Et eſt alleluia idem quod Laudate Deum: vide in titulo Pſalmi 104. Ex quo patet quòd iſte Pſalmus eſt quædam ſpecialis laudatio Dei pro aliquo ſingulari eius beneficio. Sed quod ſit illud, diuerſitas eſt opinionum. Dicunt Hebræi, quòd eſt iſte Pſalmus quædam laus diuina pro victoria quam ſibi expectant futuram in aduentu Meſſiæ: quem expectant futurum. Qui, vt dicunt carnaliter ſcripturas intelligentes, Meſſias cum venerit, ſubiiciet populo Iu-

B

dæorum omnes reges & omnes mundi nationes. Sic enim carnaliter intelligunt de Chriſto dictum illud Ezec. 37, Erit rex vnus omnibus imperans. Et ad hoc videtur ſatis concordare litera huius Pſalmi, dicens, *Ad faciendam vindictam in nationibus* &c. *ad alligandos reges eorum* &c. Sed nobis fidelibus patet quòd iſta expoſitio eſt erronea: quia iam venit Meſſias, nec populo Iudæorum carnaliter regna mundi ſubiecit: ſed magis econtra propter incredulitatem illorum ipſi Iudæi aliis vſque hodie manent ſubiecti. Aliter ergo dicendum eſt: ſcilicet quòd iſte Pſalmus eſt quędam ſpecialis laus Dei pro victoria quam fideles habituri ſunt in ſecundo Chriſti aduentu ad iudicium. Quia tunc omnes tyranni &

C

Chriſti ac mēbrorum eius perſecutores, qui Chriſti membra laniauerūt in terris, Chriſto apertè ſubiicientur: & ab ipſo damnati detrudentur in infernum. Sācti autem & Chriſti membra cum Chriſto regnabunt inæternum. Et hoc Pſalmiſta præuidens in ſpiritu, de tanta victoria præuiſa laudans Deum, fecit iſtum Pſalmum. Quis autem fuerit iſte Pſalmiſta, ignoratur, ſecundum opinionem communem Hieronymi. Quod dico, quia ſecundum opinionem Auguſtini, Dauid fecit omnes Pſalmos: ſecutus ſum autē hucuſque opinionē Hieronymi. Intentionem mouet laudare Deum pro beneficio glorię futuræ. Quibus viſis, accedo ad diuiſionem Pſalmi, qui diuiditur in duas partes: quia primò omnes electi ad laudem Dei inuitantur: ſe-

D

cundò ad hoc rationes aſſignantur: ibi, Quia beneplacitum, Prima pars diuiditur in tres: quia primò omnes electi ad laudem Dei inuitantur: ſecundò obiectum laudis ſpecialiter explicatur: ibi, *lætetur Iſrael*: tertiò modus laudis demōſtratur: ibi, *Laudēt nomen eius.* Quantū ergo ad primum, omnes electos generaliter ad Dei laudē prouocat, dicēs, *Cātate domino canticum nouum.* Quid autem ſit cātare domino, vide verſic. 1145. 1146. 1244.

*Cāticū nouū quid eſt.*

Quid autē ſit canticum nouum, vide verſic. 1643. Cantat ergo canticum nouum, qui renouatus in Chriſto, Chriſtum laudat: qui ſua laude quærit æterna quæ non veteraſcunt: non temporalia quæ quotidie ſeneſcunt & antiquantur. Quod hic oſtēdit Aug. dicēs, *Cantate domino canticum nouum.* Vetus homo, vetus

E

cāticum: nouus homo, nouum canticum. In veteri teſtamento, promiſſiones ſunt temporales & terrenæ. Quiſquis terrena diligit, vetus canticū cantat. Qui ergo vult cātare canticū nouū, diligat æterna: quæ ſemper fuerunt & ſemper ſunt noua. Nūquid vita ęterna modò nata eſt? vita ęterna eſt ipſe Chriſtus: & ſecundū deitatē nō modò natus eſt, quia in

*Ioan. 1.*

principio erat verbū, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbū: omnia per ipſum facta ſūt. Si ergo

per Chriſtum omnia facta ſunt, quid eſt ipſe, niſi æternus? Sed nos delapſi in peccatũ peruenimus ad vetuſtatẽ. Inueterauit homo per peccatum: ſed innouatur per gratiã. Omnes ergo qui innouãtur in Chriſto vt ad vitã æternã incipiant pertinere, canticum nouũ cãtent. Et hoc canticũ pacis eſt, charitatis eſt. Propter quod alibi dicitur, Cãtate domino cãticum nouum: cantate domino omnis terra. Ex quo intelligitur quòd qui cũ omni terra nõ cãtat, canticũ vetus cãtat. Cũ omni terra cãtat, qui cum omnibus pacem mẽtis habet. Qui cum omni terra nõ cãtat, dicit quid vult linguis: ſonet alleluia: dicat tota die, Auris mea nõ inclinatur ad vocẽ cantãtis: ſed quęro mores operãtis. Interrogo te, Quid cãtas? Dicis, alleluia. Quid eſt alleluia? Dicis, laudate dominũ. Veni ſimul, laudemus dominũ. Si tu laudas Deum, & ego laudo Deum, quare in diſcordia ſumus? Charitas laudat Deum, diſcordia blaſphemat Deum. Et hoc eſt quod ſubditur, *Laus eius in eccleſia ſanctorũ*. Quid eſt enim eccleſia ſanctorũ, niſi vnitas fidelium? Quid ſit eccleſia, & quid ſynagoga, vide verſic. 1406.

*Pax & concordia facit cãticum nouum.*

*Diſcordia blaſphemat Deũ.*

2582 Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo.

Hîc oſtẽdit ſpecialiter quid ſit noſtrę laudis obiectũ debitũ: quia ſcilicet ſolus Deus, ſolus Chriſtus: quia & Chriſtus eſt Deus. Vbi nota quòd Iſrael vel filij Iſrael dicũtur propriè nõ Iudæi, ſed fideles qui fidẽ Iſrael imitãtur: vt dictũ eſt ver. 2580. Quis autẽ fecit Iſrael? quis fecit fideles, niſi Chriſtus in quo fidẽ accepimus? Et ſic eſt ſenſus: *Lætetur Iſrael in eo qui fecit eũ*: id eſt quilibet fidelis lætetur in Chriſto, qui fecit eũ. Ipſe etiã eſt qui fecit omnẽ creaturã: quia omnia per ipſum facta ſunt. Quòd enim quilibet fidelis propriè dicatur Iſrael, immò & Iudæus, audi Apoſtolum dicentẽ, Nõ enim qui in manifeſto Iudæus, nec quæ in manifeſto in carne eſt circũciſio: ſed qui in abſcõdito Iudæus eſt, & circũciſio cordis ſpiritu, non litera. Et hoc idẽ aliis verbis repetit, dicẽs, *Et filiæ Siõ exultẽt in rege ſuo*. Quæ enim hic dicũtur filiæ Siõ, niſi omnes perſonæ fideles? nã Sion ſignificat eccleſiã: vide ver. 101. 1138. 1336. 1351. Filij autẽ eccleſiæ dicũtur fideles. Quis autẽ eſt rex fideliũ niſi Chriſtus, qui in iudicio veniet in regali maieſtate? Vnde & in iudicio rex dicitur, Matth. 25, Tũc dicet rex his qui à dextris eius erũt, Venite benedicti &c. Quid eſt ergo *filiæ Siõ exultent in rege ſuo*, niſi filij eccleſiæ exultẽt in Chriſto iudice futuro? Vnde hic ait Aug. *Lætetur Iſrael*. Quòd dixit, *in eo qui fecit eũ*, hoc eſt idẽ quod *in rege ſuo*. Filius Dei fecit nos: fact⁹ eſt inter nos. Et rex noſter regit nos; quia creator noſter fecit nos Chriſtus, & verus rex, & verus ſacerdos. Rex pugnauit pro nobis: ſacerdos obtulit ſe pro nobis. Pugnauit pro nobis vt rex, quãdo crucifix⁹ eſt, & de cruce ſua in qua erat fix⁹, diabolũ occidit: ſacerdos autẽ, quia ſeipſum pro nobis obtulit Deo patri. Vnde de Chriſto rege dicitur Pſal. 23, Quis eſt iſte rex glorię? dominus fortis & potẽs: dominus potẽs in prælio, dominus virtutũ: ipſe eſt rex gloriæ. Vnde q̀ Chriſt⁹ rex noſter dicatur, vide ver. 13. 379. 735. 744. 767. 341. Itẽ quòd omnis noſtra lętitia in Chriſto debeat eſſe, vide verſic. 155, 1666. Item nota quòd lætitia differt ab exultatione, quia lætitia ſtat in mẽte: ſed exultatio per actus exteriores oſtẽditur: vide ver. 92. 443. Itẽ quid ſit exultatio in Deo, vide ver. 480. 531. Ex quibus omnibus patet qualiter lætari & exultare debemus in Chriſto.

*Iſrael & Iudæus propriè eſt quilibet fidelis.*

*Rom. 2*

*Chriſtus eſt rex & ſacerdos.*

Laudent nomen eius in choro: in tympano & pſalterio pſallant ei. 2583

Hîc oſtenditur modus laudis diuinæ. Conditiones ergo laudis diuinæ ſunt, primò quòd laudetur in choro: id eſt, in vnitate & concordia. Nam chorus, ſecũdum grammaticos, eſt multitudo in ſacris ſimul collecta: & dicitur à concordia & vnitate. Et ſic Deum laudare in choro, eſt ipſum in charitate & concordia ſimul laudare. Et quantum ad hoc, dicit hic Auguſt. *Laudent nomen eius in choro*. Chorus eſt conſenſio cantantium. Si in choro cantamus, concorditer cantemus. In choro cantantium quiſquis voce diſcrepauerit, offendit auditũ, & perturbat chorum. Si vox inconuenienter cantantis diſturbat auditum cãtantium, quomodo non diſturbat diſſenſus hæreticorum, diſſenſus diſcordãtium animorum? Aut quomodo conturbat conſenſum chorus Chriſti? Totus namque mundus eſt chorus Chriſti, & ab oriente in occidentẽ conſonat. Audi Pſalmiſtam dicentẽ, A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen domini. Laudẽt ergo nomen eius in choro: hoc eſt in cõcordia charitatis & fidei. Sequitur, *in tympano & pſalterio pſallant ei*. Per iſta enim inſtrumenta Deus laudabatur antiquitus, non ſolum voce humana, ſicut etiam hodie in feſtis cum voce humana eccleſia vtitur organo vel tubis: non quòd Deus delectetur in illo ſono, ſed vt tibi oſtẽdatur modus quo Deum laudare debes: vt puta, per tympanũ, quod fit de pelle mortui animalis & extenſa: & per pſalterium, quod fit de chordis neruiceis deſiccatis, ſignificatur quòd laudans Deum, debet carnẽ ſuam mortificare. Et ſicut illa inſtrumẽta pulſantur cum manibus, ſic & laudãs Deum voci mores ſuos & opera debet concordare: vt non ſolùm Deũ laudet voce, ſed etiam manibus & operibus. vt ſit ſenſus totius verſiculi: *Laudent nomen eius in choro*, id eſt, in concordia morum: *& in tympano*, id eſt, in mortificatione carnis: *& pſalterio*, id eſt, in ſpirituali operatione, *pſallant ei*. Et ad hunc intellectum loquitur hic Auguſt. dicens, *Laudent nomen eius in choro: in tympano* &c. Quare aſſumit tympanũ & pſalterium? vt non ſola vox laudet, ſed etiã opera. Quando enim aſſumitur tympanum & pſalterium, manus concinunt voci. Sic & tu ſi quando cantas alleluia, porrigas & panem eſurienti, veſtias nudum, ſuſcipias peregrinum: tunc non ſola vox ſonat, ſed & manus cõſonat, quia verbis facta concordant. Et ipſum myſterium tympani & pſalterij non eſt tacendum. In tympano corium extenditur: in pſalterio chordæ extenduntur: in vtroque caro crucifigitur. Quàm bene pſallebat in tympano & pſalterio, qui dicebat, Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Ipſum pſalterium & tympanum te vult tollere, qui amat canticum nouum: qui tibi dicit, Qui vult meus eſſe diſcipulus, abneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: non dimittat pſalterium ſuum, nõ dimittat tympanum ſuum. Extẽdatur in ligno, & exſiccetur à concupiſcentia carnis. Nerui quanto plus fuerint extenti, tanto acutius ſonant. Pellis quanto plus fuerit deſiccata, tãto acutius ſonat. De tympano quod pœnitentiam ſignificat, vide verſic. 1074. Quid autem ſit pſallere vel pſalmus, vide verſicul. 389. 708. 771. 772.

*Chorus ſignificat cõcordiã cantantium.*

*Pſal. 118.*

*Tympanũ & pſalterium ſignificãt carnis mortificationem.*

*Matth. 25.*

*Gal. 6.*

*Matth. 16.*

Quia beneplacitum eſt domino in 2584 populo



populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Hîc conſequenter adducit rationes laudis diuinæ: quæ in hoc fundatur, quòd Chriſtus in vltimo iudicio adueniens, bonos præmiabit, deprimendo malos. Vnde boni expectantes ſuorum operũ præmiationem in vltimo iudicio fiendam, hilareſcunt: tamen ſcientes voluntatis vertibilitatem, aliqualiter timent. Et hoc oſtendit Greg. dicẽs, Omnis qui bene viuit, audiens quòd per extremum iudicium iuſti ad regnum vocentur, hilareſcit. Sed quia quędam mala adhuc ex reliquo conſiderat, hoc ipſum iudicium de quo exultare inchoat, appropinquare formidat. Vitam quippe ſuam bonis maliſque permixtam conſpicit, & cogitationes ſuas aliquo modo ſpe & timore confundit. Nã cum audit quæ ſint regni gaudia, mox mentem lætitia ſubleuat: & rurſum cùm reſpicit quæ ſint gehennæ tormẽta, mox mentem formido perturbat &c. Ex quibus apparet quòd licet ad iudicium futurum Chriſtus malis valde terribilis erit: bonis tamẽ valde erit dulcis & ſuauis, quos vocabit ad regnum. Vnde & eorũ pręmia hic oſtẽdit Pſalmiſta, & malorum ſupplicia. Et primò ponit primum: ſecundò ſecundum: ibi, *Ad faciendam*. Quantum ad primum, oſtẽdit tria præmia, vel tres cõditiones præmij beatorum: primò quòd iuſti à Deo exaltabuntur: ſecundò à Deo beatificabuntur: ibi, *Exultabunt*: tertiò iudices Chriſto aſſociabuntur: ibi, *Exultationes Dei*. Quantum ergo ad primum, ipſi à Chriſto exaltabũtur, quia beneplacitũ Chriſti erit in eis: vt ſcilicet eos diligat, & ipſis vniatur, & ipſi Deo. Et hoc notat, dicens, *Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo* &c. Licet enim omnes tam boni quàm mali ſint generaliter populus: tamen iuſti ſpecialiter dicuntur populus Dei, quia illos ſingulariter cuſtodit & regit. Nam ad verum regimẽ requiritur voluntas vtriuſque, ſcilicet regentis & recti: vt dicit Phil. 5. Pol. vide ver. 735. Iuſti autem gaudent à Deo regi, ſed non reprobi. Ideo iuſti propriè Dei populum faciunt: de quibus dicit, *Beneplacitum eſt domino in populo ſuo*. In quibus ſit beneplacitũ domini, vide verſic. 2558. Quę omnia erũt in beatis: ergo. Et quòd beneplacitũ ſuum ſit in iuſtis, oſtendit per effectum, dicens, *Exaltabit manſuetos in ſalutem*. Et dicuntur hic mãſueti illi maximè qui patienter ſuſtinent perſecutiones amore Dei: qui quanto hic deprimuntur, tanto amplius ibi exaltabuntur. Vel aliter, ſecundũ tranſlationem Aug. hic dicitur, *Quoniã benefacit dominus in populo ſuo*. Quod declarat Aug. dicẽs, Quid enim tã magnum beneficium quàm mori pro impiis? quàm ſanguine iuſto delere chirographum peccatoris? Quid tam magnum beneficiũ, quàm impiis dicere, Non ſpectat ad me quod fuiſtis: eſtote quod non fuiſtis? Benefacit ergo dominus populo ſuo dimittendo peccata, promittendo vitam æternam. Benefacit, auerſum conuertere, repugnantem adiuuare, vincẽtem coronare. Vnde ſequitur, *Et exaltauit manſuetos in ſalutem*. Tranſlatio Hieronymi habet, *Et exultauit*. Et trãſlatio Aug. habet, *Et exultabit*. Quod ad idem redit: quia qui exaltantur à Deo, meritò exultãt. Dicit ergo, *Et exaltabit manſuetos*. Exaltãtur enim ſuperbi, ſed non in ſalutẽ. Manſueti exaltantur in ſalutem: ſuperbi in mortẽ. Superbi enim ſeipſos exaltant, & dominus humiliat eos: mãſueti autẽ ſeipſos humiliãt, & dominus illos exaltat. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

*Iuſti gaudẽt de vltimo iudicio.*

*Greg. 31. mor. cap. 28.*

*Boni dicũtur populus Dei, non mali.*

*Beneficiũ paſſionis Chriſti.*

*Exaltãtur aliter ſuperbi, & aliter mãſueti.*

Exultabũt ſancti in gloria, lętabuntur in cubilibus ſuis. 2585

Hîc oſtẽdit quòd in iudicio iuſti à Deo beatificabũtur. Tunc enim animæ iuſtorum, ſcilicet poſt iudicium perfectè erunt beatæ. Quãuis enim etiam ante iudicium animæ ſanctorum clarè Deum videant & diligant perfectè: nondum tamen ad plenũ ſunt beatæ, propter deſiderium naturale quod habẽt reſumẽdi corpora: quod ante iudicium non cõplebitur, ſed facto iudicio & corporibus reſumptis, tunc perfectè erũt beatę & quietatę. Et hoc eſt quod ait, *Exultabũt ſancti in gloria*: quia tũc duplicem ſtolã habebũt: ſcilicet animæ & corporis. Vnde lętabũtur in cubilibus ſuis, id eſt in corporibus ſuis: quia animę habitãt in corporibus, tanquã in cubilibus vel in habitaculis ſuis. Et nota differentiã inter exultationẽ bonorũ & malorũ: primò quia iuſti exultãt in operib⁹ bonis, quia exultabunt ſancti in gloria. Nã, vt hic ait gloſ. Gloria eſt bonorũ actuum frequẽs laudatio, de qua iuſti lætabuntur. Sed ecõtra, mali exultãt in operibus malis. Prou. 2, Lętãtur cum malè fecerint, & exultãt in rebus peſſimis. Boni exultãt in gutture, id eſt in ore, in verbis bonis, cum laudãt Deũ: ſed mali, cum Deum blaſphemãt. Pſal. 51, Quid gloriaris in malitia? &c. Iuſti exultãt in cubilibus ſuis, id eſt in corde de conſciẽtia bona: mali autẽ de iniquitate cõſciẽtię. Eſa. 56, Ecce gaudiũ & lætitia, occidere vitulos, iugulare arietes. Iuſti autẽ dicũt illud 2. Cor. 1, Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium cõſciẽtiæ noſtræ. Iſtũ autẽ paſſum ſic exponit Aug. quia iuſti exultãt nõ in fama aliorum & clamoribus quibus laudãtur, ſed in bonitate cõſciẽtiæ: dicẽs, *Exultabũt ſancti* &c. Nemo eſt qui non amet gloriã. Sed quædã eſt gloria ſtultorũ. ſ. popularis aura: quæ dicitur ſic, quia habet illecebram deceptionis, vt ad laudẽ ſuã quiſque ab hominibus velit laudari & prædicari. Et propter iſtã gloriã res ſuas perdere vult, donando hiſtrionibus, venatoribus, & cæteris ſimilibus. Effundunt iſtis vires ſuas: nõ tãtum patrimonij, ſed etiã animi. Iſti faſtidiunt pauperẽ: quia non clamat populus, ſi pauper accipiat. Illi ergo vbi eis nõ clamatur, nolũt erogare. Inſana eſt gloria iſta: reprehenditur à Chriſto, vt talibus dicat, A vobis non tãtum accepi, quantũ acceperunt hiſtriones: & illis de meo dediſtis. Ego autẽ nudus erã, & nõ veſtiſtis me. Quod enim vni ex minimis meis nõ feciſtis, nec mihi feciſtis. Tales ergo quomodo excutiũt arcas, vt veſtes hiſtrionibus tribuãt: ſic excutiũt cõſcientiã, vt nihil ibi habeãt preciosum. Sãcti autẽ nõ ſic: ſed exultabũt in gloria, lętabuntur in cubilibus ſuis: nõ in nugis, nõ in foris, nõ in aliorũ verbis: ſed in cubilib⁹ ſuis, id eſt in cordibus ſuis: dicẽtes cũ Apoſtolo, Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniũ cõſciẽtię noſtrę. Eſt ergo quidã modus gloriãdi in cõſcientia: vt ſcilicet noueris fidem tuam eſſe ſyncerã, ſpem tuam eſſe certã, charitatem tuã eſſe ſine ſimulatione. Vel aliter: vbi nota quòd multiplex eſt cubile in quo iuſti lætantur: ſcilicet cubile veritatis magiſterialis, cubile aſperitatis ſalutaris, cubile orationis virtualis, & cubile præmiationis æternalis. Et in iſtis cubilibus ſancti lætantur.

*Beatitudo ſanctorũ perfecta erit poſt iudicium.*

*Exultant & lætãtur in diuerſis boni & mali.*

*Gloria malorũ eſt in laudibus hominũ.*

*Hiſtrionibus dare nõ licet.*

*Matth. 25.*

*Gloria bonorũ ſtat in conſcientia.*

*2. Cor. 1.*

*Cubile multiplex, in quo ſancti lætantur.*

Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. 2586

Hîc oſtẽdit quòd ſancti iudices Chriſto aſſociabũtur. Suis enim electis ait Chriſtus Matth. 19, Vos qui

*Sãcti iudicabunt malos.*

qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes &c. Ad iudices autẽ ſpectat in manibus portare gladiũ, vt malos poſſint punire. In cuius figurã Salomon volẽs iudiciũ inter duas meretrices facere, dixit, Afferte mihi gladiũ. Sic ergo volẽs Pſal. oſtendere ſanctos cũ Chriſto futuros iudices, dicit, *Exultationes Dei* &c. Exultatio Dei tunc dicitur ſentẽtia data pro bonis, in quibus exultat ſe colligere quos ſua morte redemit. Exultationes ergo Dei in gutture ſanctorũ: quia hanc ſententiã bonorum ſancti laudabunt: hac ſancti exultabunt. Sed quo ad ſententiã malorum dicit, *Et gladij ancipites* &c. id eſt ex vtraq; parte acuti: quia ſancti ex vtraque parte ſententiabunt malos: ſcilicet pronunciando animas ipſorũ & corpora ad æternũ ſuppliciũ. Dicit ergo, *Exultationes Dei in gutture eorum:* quia vox laudis & exultationis primò formatur in gutture. *Et gladij ancipites* &c. ſcilicet ad damnandum malos in anima & corpore. Vel aliter: vt totum referatur ad ſtatum vitæ præſentis iuſtorum. Iuſti enim omne bonum quod habẽt vel faciunt: nõ ſibi, ſed Deo attribuũt: & inde non ſeipſos, ſed Deum laudant. Et hoc eſt exultationes Dei habere in gutture. Gladiũ bis acutũ, id eſt verbum Dei in manibus tenẽt: quia ſacram ſcripturã operibus ſeruãt. Et iſtũ modum ponit hic Aug. dicẽs, *Exultationes Dei in gutture eorum*: id eſt ſic lætabuntur ſancti in cubilibus ſuis, vt nõ ſibi tribuãt quòd boni ſunt: ſed illũ laudẽt à quo acceperunt quod ſunt: à quo vocãtur, vt perueniant ad id quod nõdũ ſunt. Sequitur, *Et gladij ancipites*: ait Aug. Gladij ancipites ſunt ſpatę bis acutę. Magnum habet hoc genus ferramẽti myſteriũ. Sermo enim Dei gladius eſt bis acutus. Vnde bis acutus? quia dicit de tẽporalibus, dicit & de terrenis. In vtroque probat quod dicit. Etenim illũ quẽ ferit, ſeparat à mundo. Hic eſt gladius de quo dominus dicit, Non veni pacẽ mittere in terram, ſed gladiũ. Attẽde quomodo iſto gladio venit ſeparare. Separat enim ſanctos ab impiis. Separat à te, quod te impedit: vt puta, filius vult ſeruire Deo, pater non vult: venit gladius ſermonis Dei, & diuidit filiũ à patre. Filia vult, mater non vult: gladio verbi Dei diuiduntur abinuicẽ. Venit gladius bis acutus, offert promiſſionẽ vitæ præſentis & futurę: temporalium conſolationẽ, & ſpiritualiũ perfruitionẽ. Quicquid temporaliter nobis promittitur, ad vnã partem gladij pertinet: quicquid ſempiternum, ad alterã partẽ. Hic gladius duo teſtamẽta cõtinet: antiquũ ſcilicet & nouum. Vetus teſtamẽtũ terrena promittebat: nouum, promittit æterna. In manibus ergo, non in linguis, gladij bis acuti tenentur: id eſt in operibus, quia ſermo Dei imperat eſſe faciendum.

*3. Reg. 3.* — *Iuſti bona ſua tribuũt Deo.* — *Gladius bis acutus dicitur ſcriptura ſacra.* — *Matth 10.* — *Pater filiũ à Dei ſeruicio impedire non poteſt.*

2587 Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Hic conſequẽter oſtẽdit ſupplicia malorum. Et diuiditur in duas partes: quia primò ponitur malorum condẽnatio: ſecũdò condẽnationis cõprobatio: ibi, *Vt faciant*. Prima in duas: quia primò ponitur condẽnatio populorũ & ſubditorũ: ſecũdò regũ & prælatorũ: ibi, *Ad alligãdos*. Quantũ ad primũ, ſciendum quòd in iudicio tã Iudæi quàm gẽtiles qui ad Chriſtũ nõ fuerint cõuerſi, condẽnabuntur. Et hoc miniſterio angelorũ ac ſanctorũ hominũ cũ Chriſto iudicantiũ. Vnde hic notãs hoc Pſal. per nationes intelligit gentiles: ſed per populos accipit Iudęos, dicẽs quòd ſancti qui iudicabũt cum Chriſto adhuc erũt iudices: vt ſcilicet faciant vindictam in nationibus &c. Et hoc eſt quod dicitur Sap. 3. Fulgebũt iuſti & iudicabũt nationes: & dominabũtur populis: quia ſcilicet iudicabunt gẽtiles, & Iudæos ſubiiciẽt in interitũ. Per hoc enim notatur magna conſtãtia ſanctorũ & potentia in extremo iudicio cõtra malos, qui iniuſtè oppreſſerũt eos in hoc mũdo: vt dicitur Sap. 5, Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtãtia aduerſus eos qui ſe anguſtauerũt &c. Ex hoc enim ꝙ malos iudicabunt, augmẽtabitur eorum gaudiũ: quia per hoc videbũt pœnas quas Dei gratia euaſerunt. Quoniã vt dicitur Pſal. 57, Lætabitur iuſtus cũ viderit vindictã &c. Vel hoc poteſt referri ad beatos angelos, qui erũt executores diuini iudicij: ſeparãdo malos à bonis, & mittendo eos cũ dæmonibus in caminum ignis ardentis inferni. Quoniã vt dicitur Matth. 13, Exibunt angeli & ſeparabũt malos de medio iuſtorũ: & mittent eos in caminũ ignis. Sed hic oritur dubiũ: nunquid ſanctis eſt licitũ de malis vindictã facere aut petere. Dicit enim Chryſ. ſuper Matth. Diſcamus nos exẽplo Chriſti, noſtras iniurias magnanimiter ſufferre, & nõ vindictã quærere: ipſe ait dominus, Mihi vindictã, & ego retribuã, dicit dominus. Ad oppoſitum videtur, quia vt dicitur Apoc. 6, Animæ ſanctorum clamãt ad Deũ, dicẽtes, Vindica ſanguinẽ noſtrum &c. Et hic dicitur quòd ſancti ſunt ordinati ad faciendã vindictã in nationibus &c. Reſpondeo, vbi notãdum quòd vindicatio fit per aliquod pœnale inflictũ illi de quo fit. Eſt ergo in vindicatione conſiderãdus principaliter vindicãtis animus. Si enim eius intentio fertur principaliter ſuper malum eius de quo vindicatur, & ibi quieſcit: tunc vindicta eſt omnino illicita, quia delectari in malo alterius, pertinet ad odiũ: quod charitati repugnat, quia omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excuſatur, ſi intendat malũ illius qui ſibi iniuſtè intulit malũ. Sicut nõ excuſatur aliquis, per hoc quòd odit odiẽtẽ ſe. Nõ enim debet homo in aliũ peccare, propter hoc quòd alius in ipſum prius peccauit. Hoc enim eſt vinci à malo: vt probat Apoſtolus, dicens, Noli vinci à malo: ſed vinci in bono malũ. Si autẽ intentio vindicantis feratur principaliter ad bonum aliquod, ad quod peruenitur per pœnã alteri inflictã: puta, ad emẽdationẽ peccãtis, vel ad cohibitionem eius & quietẽ aliorũ, vel ad exẽplũ aliorũ, vt à malo retrahãtur: vel ad aliorũ vtilitatẽ debitã: ſic vindicari licet. Sic enim iudex ciuitatis licitè vindictã facit de latrone, ipſum occidẽdo: quia ad vtilitatem rei publicę cedit, dũ modò ad hoc eius feratur intẽtio. Sic ergo in propoſito: licitũ eſt ſanctis iſto modo vindictã quærere de peccatoribus ac facere, & ipſos finaliter damnare. Quia ſi hoc nõ pertinet ad vtilitatẽ vindicatorũ: ſpectat tamẽ ad vtilitatẽ ſanctorũ: quia per hoc clariꝰ cognoſcũt mala, quæ Dei gratia euaſerũt. Et per iſta patet quid dicendũ. Vel aliter: intelligitur iſte textus de vindicta ſpirituali: quã ſancti faciũt in vita iſta, peccatores occidẽdo gladio verbi Dei. i. ipſos à peccatis ad verũ Deũ & ſpiritualẽ vitã cõuertẽdo. Et ſic hũc verſum intelligit Aug. dicens, *Ad faciendã vindictã* &c. Attẽdite fratres pręliaglorioſa. Videte ſi nõ eſt facta vindicta in gẽtibus, & quotidie fit. Bellãt ſancti, & educũt gladiũ verbi diuini: fiũt ſtrages, fiũt occiſiones, fiũt ſeparationes. Occidũtur enim pagani, cũ Chriſtiani fiũt. Quæro paganũ, & nõ inuenio: quia iã Chriſtianus eſt. Ergo mortuus eſt paganus. Nam ſi non occiduntur, vnde dictum eſt Petro, Macta & manduca? Vnde ipſe Saulus occiſus eſt perſecutor: & Paulus erectus eſt prædicator. Quæro Saulum perſecutorẽ, & non inuenio: quia occiſus eſt à gladio bis acuto verbi Dei. Sed quia in ſe occiſus eſt, ideo viuificatus eſt in Chriſto. Ideo ipſe confidens dicit, Viuo autem iam non ego: viuit autem in me Chriſtus. Vnde & ipſe viuificatus accepit gladium verbi Dei in manibus ad faciendam vindictam in nationibus. Et ne putares in hoc prælio ferro percuti homines, ſanguinem fundi, vulnera in carne fieri: ſequitur & exponit hoc dicens, *Increpationes in populis*: quia gladio verbi Dei peccatores increpabant. Procedat ergo ex vobis gladius verbi Dei: nolite ceſſare increpando peccatores. Dominus eſt enim qui mortificat, & viuificat, &c.

*Sãcti iudicabunt malos.* — *Quæſtio. Vindicta an ſit licita.* — *Rom. 12.* — *Vindicta fit de peccatoribus quãdo verbo Dei cõuertantur.* — *Act. 10.* — *Actuum 9.* — *Gal. 2.*



2588 Ad alligandos reges eorum in cõpedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Hic oſtenditur punitio regum & prælatorum: quia non ſolum ſancti in die iudicij facient vindictam de popularibus, ſed etiam & multo fortius de magnis & nobilibus. Per compedes enim & manicas ferreas quibus ligantur pedes, ne poſſit ligatus fugere, ligantur manus, ne ipſas ad libitum poſſit ducere: ſignificatur quòd ſententia damnatorum poſt iudicium erit irreuocabilis. Quia ipſorum voluntas quæ per pedes ſignificatur, erit ligata, ne conuerti poſſit ad bonum: quia in malo erit obſtinata. Ipſorum etiam opera quæ per manus ſignificantur, erunt ligata: quia omnia ad malum terminata, ſicut & eorum voluntas, ex qua vt à radice procedunt. Vel aliter: vbi ſciendum quòd præcepta diuina dicuntur quædam vincula ſpiritualia, quibus anima ligatur, ne vagabundè feratur ad illicita. Et ad iſta vincula præceptorũ Dei quæ in ſcriptura continentur, nos inducit Sapiens, dicens, Iniice pedem tuum in cõpedes illius, & in torques illius collum tuum: ſubiice humerum tuum & porta illam, & ne accideris in vinculis eius. Sancti autem Apoſtoli & alij prædicatores iſtis cõpedibus educendo gladium verbi Dei alligauerũt reges & nobiles mundi. Nónne hodie iſtis compedibus alligatos videtis reges & principes mundi? Imperator his compedibus eſt alligatus: reges Frãcorum, Angliæ, &c. Et per quos iſti ſunt alligati? Certè per piſcatores educentes gladium bis acutũ verbi diuini. Nam Deus elegit infirma mundi, vt ligaret fortia: ignobiles & pauperes, vt per illos reges mũdi compeditaret. Et iſto modo hunc paſſum exponit Aug. dicẽs, *Ad alligandos*, &c. Nouimus reges factos Chriſtianos: nouimus nobiles gentium factos Chriſtianos. Quomodo ergo ligatos compedibus & vinculis ferreis intelligimus? Infirma enim mundi elegit Deus, vt confunderet fortia: & ſtulta, vt cõfunderet ſapientes. Venit enim Chriſtus prodeſſe omnibus, Sed elegit prodeſſe imperatori de piſcatore: non piſcatori de imperatore. Et elegit qui nullius momenti erant in mundo: ipſos impleuit ſpirituſancto, & dedit in manibus eos gladios ancipites. Prædicari cœpit euangelium & ire per totum orbem terrarum: fremit mundus: erexit ſe leo aduerſus agnum, ſed fortior leone inuentus eſt agnus. Leo victus eſt ſæuiendo: agnus vicit patiendo. Cõuerſa ſunt corda hominum ad timorẽ Chriſti. Cœperunt reges, cœperũt nobiles miraculis commoueri, videre per vnum nomen cõcuti totum genus humanum. Et quid fecerunt? Multi elegerũt ignobilitatem, dimittentes domos ſuas, ſubſtantias ſuas diſtribuẽtes pauperibus. Multi ex nobilibus fecerunt hoc. Ceſſauerunt iſti eſſe nobiles: elegerunt paupertatem in ſęculo, ſed nobilitatem in Chriſto. Multi tenent iſtam nobilitatem. Tenent & reges & poteſtates: & ſic ſunt Chriſtiani. Ipſi ſunt tanquam in compedibus, & tanquam in vinculis ferreis: ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes ſapientiæ, cõpedes verbi Dei. Sed quare iſta dicuntur vincula ferrea, & non aurea? Ferrea ſunt quandiu timent: ament, & aurea erunt. Niſi enim timore homo incipiat Deum colere, nõ perueniet ad amorẽ: quoniam initium ſapiẽtiæ timor domini. Vis videre reges & nobiles vinculatos, ſeu vinculis alligatos? Rex quidã eſt & nobilis, offendit eum vxor ſua: vel fortè ipſe concupiſcit aliam pulchriorem, aut alteram ditiorem. Audit ab eo qui in manibus verbum Dei tenet, Non licet tibi dimittere vxorem. Audiuit hoc, & non facit. Pedes leues iam progrediebantur ad lapſum, ad dimittẽdam vxorem, ſed compedibus tenentur: habet vincula ferrea, quia timet Deum. Quod plus eſt, dicat quis, Volo cõtinere: nolo iam vxorem: non poteſt. Quia ſi tu vis, & illa non vult: nunquid propter continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Audi quia vinculis ferreis alligatus es vxori, ne quæſieris ſolutionem. Nemo ſoluit has compedes. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.

*Obſtinatio damnatorũ.* — *Præcepta Dei vincula ſunt.* — *Eccleſ. 6.* — *Reges mundi & principes per piſcatores ſunt capti.* — *Nota de poteſtate Apoſtolorũ & miraculo cõuertendi mundũ.* — *Matth. 24.* — *Agnus vicit leonem.* — *Eccleſ. 6.* — *Cõpedes ſunt verba Dei.* — *Matth. 5.* — *1. Corinth. 7.* — *Matth. 19.*

Vt faciant in eis iudiciũ conſcriptũ: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. 2589

Hic ponitur ſententiæ contra malos datæ approbatio. Vnde notandum quòd damnatorum cõdemnatio ab æterno in diuina mẽte cõſcripta fuit, ſicut & bonorũ præmiatio. Quod autem ab æterno eſt, eſt à Deo ſtabilitum & ordinatum, à Deo eſt approbatum. Et iſto modo ſententia per ſanctos Chriſto in iudicio aſſeſſores, contra malos dando, vocatur iudicium conſcriptum in mente diuina æternaliter ſtabilitũ. Sed quia pœna damnatorum cedit ad gloriam beatorum: vt oſtenſum eſt verſic. 937. ideo ſubditur, Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Quaſi dicat, Hæc condemnatio malorum cedit ad gloriam omnium ſanctorum. Vel poteſt hoc referri ad ſententiam dandam pro electis: quando ipſis dicetur, Venite benedicti, &c. Quia ſicut ſententia contra damnatos ad omnes malos pertinet: ſic ſentẽtia pro bonis, ad gloriam ſpectat omnium ſanctorum. Et hoc eſt, *Gloria hæc eſt*: id eſt, hæc ſententia bonorum eſt gloria omnibus ſanctis eius. Vel aliter: iudicium quod modò faciunt prædicatores verbi diuini, faciendo vindictam in nationibus, &c. alligando reges in compedibus, &c. non eſt iudicium nouiter inuentum: ſed antiquitus per prophetas prædictum & conſcriptum ab eis. Et hoc eſt quod hic dicit Auguſt. Hoc iudiciũ quod ſancti faciunt in omnes gentes, ideo conſcriptum dicitur, quia iſta antea cõſcripta ſunt, & modò cõplentur. Aliquando enim legabantur, & nõ fiebãt: modò autẽ cõplentur, & fiũt. Vnde ſequitur, *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius*. Quia hęc per totum mundum agunt ſancti, per vniuerſas gentes hoc agunt, peccatores conuertendo ad Deum: & ſic glorificantur, & ſic gloriam merentur æternam. Vel ſic, *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius*: id eſt, ne putes hanc poteſtatẽ iudicandi malos ſolis Apoſtolis eſſe conceſſam: immò etiam omnibus perfectis. Vnde Gloſ. Hæc, id eſt, poteſtas iudicij, eſt omnibus ſanctis eius:

*Iudicium cõſcriptũ quid eſt.*

*Matth.19.*

eius:i.omnibus perfectis.qui pro Chriſto reliquerunt omnia terrena: dicente Chriſto illis, Vos qui reliquiſtis omnia,& ſecuti eſtis me:ſedebitis,&c.

## PSALM. CL.

2590 LAudate dominũ in ſanctis eius:laudate eũ in firmamẽto virtutis eius.

Iſtius pſalmi titulus eſt, Alleluia. Ex quo apparet quòd iſte pſalmus eſt quædam inuitatio ad laudem Dei.Nam alleluia idem eſt quod laudate Deũ: vide in titulo pſalmi 104. Maximè autem hic inuitamur ad laudem Dei pro gloria quam ſanctis tribuit in patria:quia ſcilicet ſanctos congregauit:& depoſita fragilitate corporis ſuæ imagini reſtituit, & iam conformes ſuæ gloriæ in beatitudine collocauit. Hic ergo agitur de laude Dei in ſanctis eius, qui iam glorificati Deum laudant ſine fine:quia vt dicitur Pſal.83, Beati qui habitãt in domo tua domine:in ſæcula ſæculorum laudabũt te. Vel aliter, magis ad literam. Laus Dei in iſto pſalmo refertur ad laudem veteris teſtamenti:in quo Deus diuerſimode laudabatur. Et ſecundum iſta Pſal.iſte diuiditur in tres partes: quia primò ponitur locus in quo Deus eſt laudãdus:ſecundò ſtatus quo eſt laudandus:ibi, *Laudate eum in virtutibus*: tertiò modus quo eſt laudãdus:ibi,*Laudate eum in ſono tubæ*. Quãtum ad primum, ſciendum quòd duplex eſt locus, in quo laudandus eſt Deus: ſcilicet in iſto mundo & in cœlo. In mundo autem locus diuinæ laudis maximè erat tẽplum ædificatum per Salomonem: quod habebat duas partes,ſcilicet anteriorem,quę vocabatur ſancta:quam intrabant omni die ſacerdotes ſacrificiorum officia conſumantes.Alia verò erat pars interior,quę dicebatur ſancta ſanctorum: in qua erat arca teſtamenti & altare propiciationis aureum.Et iſtam partem intrabãt ſummi ſacerdotes ſolum ſemel in anno: vt oſtendit Apoſtolus ad Hebr.9. Laudare dominũ in iſtis locis ſanctis Pſal. inuitat veteres, dicẽs, *Laudate dominum in ſanctis eius*: ſcilicet in iſtis locis.Secundus locus diuinæ laudis eſt cœlum:ſicut dictum fuit Pſal.148, Laudate dominum de cœlis,laudate eum in excelſis. Et iſtum ſecundum locum tangit propheta, dicens, *Laudate eum in firmamento virtutis eius*.Hic enim firmamẽtum non dicitur illud cœlum quod eſt in medio aquarum,diuidens aquas ab aquis,in quo fixę ſunt ſtellæ:de quo dicitur Gen.1,Fecit Deus firmamẽtum: diuiſítque aquas quę erant ſub firmamento ab his quæ erant ſupra firmamentum. Et fecit Deus luminaria magna & ſtellas,& poſuit eas in firmamẽto cœli.Sed hic vocatur firmamentum cœlum empyreum, eo quòd eſt immobile & firmum: & ſic magis aptum diuinæ cõtemplationi & eius laudi: in quo locantur beati Deũ clarè videntes.Sic Pſal. poſtquam hominibus hic exiſtẽtibus dixit,*Laudate dominum in ſanctis eius*:ſtatim ſe conuertit ad beatos, dicens,*Laudate eum in firmamento virtutis eius*; id eſt, vos ſancti qui eſtis quietati in firmamẽto(quod eſt cœlum empyreum)ibi laudate Deum.Vel aliter:totus iſte Pſal.agit de laude Dei qua laudatur in gloria. Vbi ſciendum quòd modus perueniẽdi ad gloriam oſtẽditur ab Apoſtolo dicente, Quos prædeſtinauit,illos & vocauit:quos vocauit,& illos iuſtificauit:quos autẽ iuſtificauit, illos & glorificauit. Prædeſtinatio autem noſtra non in nobis facta eſt: ſed in occulto in præſentia Dei. Tria verò reliqua in nobis ſunt:ſcilicet vocatio,iuſtificatio,& glorificatio.Vocamur ergo prędicatione pœnitẽtię.Sic enim cœpit dominus prædicare, Agite pœnitentiam.Iuſtificamur in vocatione miſericordiæ & timore iudicij.Hinc eſt quod dicitur,Deus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me. Vocati renunciamus diabolo per pœnitentiam,ne ſub iugo eius remaneamus.Iuſtificati ſaluamur per pœnitentiã,ne iudicium timeamus.Glorificati trãſimus in vitã æternam. Pœnitentia cruciat:iuſtitia trãquillat:vita ęterna glorificat.Hinc eſt quòd primus Pſalmorum quinquagenarius in pœnitẽtiam terminatur: ſecundus in miſericordiam: tertius in gloriam. Nam pœnitentiæ vox eſt, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiã tuam, &c. Hæc offert Deo ſacrificiũ ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum,quod Deus nõ ſpernit. Iuſtitiæ Chriſti vox eſt in electis ſuis: Miſericordiam & iudiciũ cãtabo tibi domine: pſallam & intelligã, &c. Per miſericordiã quippe adiuuamur ad faciendũ iuſtitiã, vt ſecuri ad iudiciũ veniamus: vbi diſperduntur de ciuitate Dei omnes qui operãtur iniquitatem.Æternæ vitæ vox eſt iſte Pſal.dicens,Laudate Deũ ex his quæ cõcedit ſanctis ſuis: vt tranſacta mortalitate vitæ præſentis,in cœlis cũ Chriſto æternaliter regnent:vbi caſum nõ timent, virtute illius confirmati. Et hoc eſt, *laudate eum in firmamento virtutis eius*. Optimè enim dicitur, *in firmamento virtutis eius*.Firmamẽtum eſt enim virtutis, quia iam non morientur, & mors illis vltra non dominabitur.

*Firmamentũ cœli duplex.* *Rom.8.* *Pſal.35.* *Rom.8.* *Pſalteriũ diuiditur per tres quinquagenas,& quomodo.* *Pſal.50.* *Pſal.100.*

2591 Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Hic oſtenditur ſtatus quo Deus eſt laudandus: quia ſcilicet ſtatus Dei virtutis ſimpliciter eſt infinité. Quamuis enim in Deo ſit vnica ſola virtus: quia virtus Dei eſt eſſentia Dei: illa tamen virtus vnica licet ſit vnica, eſt tamẽ infinita, ſicut & eius eſſentia. In effectibus tamẽ multiplex dicitur,ſicut multiplex effectus eius apparet: producit enim multos effectus: & tamen non tot producit, quin ſemper plures producere poſſit. Et hoc eſt quod dicit,*Laudate eum in virtutibus eius*:quib[9] ſcilicet omnia creata producit,*Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius*:quia ſcilicet licet virtus Dei ſit magna producendo omnia quæ producuntur: tamẽ adhuc plura poteſt producere quàm producat. Et ideo multiplex dicitur magnitudo virtutis eius. Per hoc vult dicere quòd Dei virtus tanta eſt ac multiplex, quòd eam nullus plenè laudare ſufficit. Et hoc eſt quod dicitur Eccleſ.43, Benedicẽtes dominũ,laudate eum quantũ poteſtis:maior eſt enim omni laude. Vel aliter:alia litera ſecundum trãſlationem Aug.habet,*Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum in potentatibus eius*.Vbi Auguſt.Quid eſt autem potẽtatus Dei, quàm regnare inæternum, ſub pedibus poſitis omnibus inimicis? Ipſi etiam qui regnant inæternum ſunt multitudo magnitudinis eius.Laudate ergo eum:nõ modò quia magnus eſt, ſed etiam quia magnos fecit eos tam multos: hoc eſt milia milium.Et ſi dicas,Quomodo poteſt Deus laudari à nobis ſecũdum multitudinem magnitudinis eius,cum magnitudinis eius non ſit finis? Ad hoc reſpondet Gloſ.dicens,Hoc ſpecialiter ſanctis dicitur,qui ſine fine laudant Deum. Et cum nõ ſit finis magnitudinis eius, ſecundum eam laudatur Deus, cum ſine fine laudatur. Vel aliter: Laudant ſancti Deum ſecundum multitudinem magnitudinis eius,quando videntes Deum,laudes Dei explere ſe non poſſe fatentur. Quod deducit Gregor.dicẽs,In patria enim ſanctorum animæ à corporibus exutæ, & pòſt corporibus reſtitutæ, quaſi aſtra in abditis collocantur.Ibi per diem quaſi in meridiano tempore ardentius ſolis ignis accenditur: quia conditoris claritas mortalitatis noſtræ iam preſſa caligine, manifeſtius videtur, & velut ſpheræ radius ad ſuperiora ſpacia altiora ſe eleuat:quia dum de ſemetipſa nos veritas ſubtilius illuſtrat, ibi lumen intimæ cõtemplationis,ſiue internæ vitæ cernitur vmbra mutabilitatis. Ibi calor ſummi luminis ſine vlla obſcuritate corporis: ibi inuiſibiles angelorũ chori,quaſi aſtra in abſconditis emicant: quæ eo ab hominibus nunc videri nequeunt, quo flãma veri luminis altius perfundũtur.Valde namque mirabile eſt, quòd miſſis Apoſtolis dominus, temperatis perſecutionum tumoribus, maris fluctus gradiens repreſſit.Quod roboratis contra aduerſa martyribus,quòd repletis in trãquillitate doctoribus, eccleſiam conſtruxit. Sed poſt hæc valde admirabile eſt quòd ſinũ nobis cœleſtis patrię prępárauit. Pulchrum eſt enim omne hoc quod quaſi in cœli facie de diuina diſpoſitione videtur: ſed lõgè pulchrius eſt illud ad quod diuina diſpoſitione inuiſibiliter peruenitur.Vnde bene ſpõſus in ſpõſę ſuæ laudibus dicit, Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: oculi tui columbarum abſq; eo quod intrinſecus latet.Pulchrã narrat & pulchram replicat:quia alia eſt pulchritudo morũ in qua nũc cernitur,& alia pulchritudo pręmiorũ in qua tunc per conditoris ſui ſpeciem ſubleuatur. Huius vocantur membra omnes electi, quia ad cuncta ſimpliciter incedũt: eius oculi columbarum vocãtur, quia magna luce irradiant,quia & ſignorum miraculis coruſcant.Sed quantum eſt omne hoc miraculũ quod nunc videri poteſt:illud de internis miraculũ eſt mirabilius,quod videri nunc non poteſt. Idcirco illic aptè ſubditur,abſque eo quod intrinſecus latet.Et ſubdit ad propoſitum, Diuinæ ergo magnitudinis facta tunc verius explicamus, cum hæc nos verè explere nõ poſſe cognoſcimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obſtupeſcẽdo reticemus.Ad narrãdum quippe opera Dei defectum habet intellectus noſter, quàm ſufficiẽter exerceat linguam ſuam: vt quæ comprehendere idoneè nõ præualet,hæc idoneè mutus laudet.Vnde bene per Pſal.dicitur, *Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius*. Laudat qui ſe ſuccumbere in eius laudis expletione conſiderat,&c.

*Virtus Dei in ſe vna: in effectibus dicitur multiplex.* *Quæſtio.* *Greg.9.moral.cap.4.* *Cant.4.* *Laudatur Deus magis admirãdo & tacẽdo, quàm loquendo.*

2592 Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Hic ponitur modus quo laudandus eſt Deus. Et oſtendit Pſal.quòd tribus modis laudandus eſt. Eſt enim laudandus primò ſono tubæ,vt præliator fortiſſimus: ſecundò in choro, vt mediator pacificus:ibi,*Laudate eum in tympano*:tertiò in cymbalis, vt quietator omnis ſpiritus:ibi,*Laudate eum in cymbalis*. Quantum ad primum,ſciendum quòd ſonus tubæ eſt ſonus maximè præliantibus aptus. Quod oſtẽdens Petrus Ra.ſuper illo verbo Pſalm.40, Beatus qui intelligit ſuper egenum,&c.dicit, Tuba magiſtra bellorum ſuis dat vires,hoſtibus dat pauorem. Qui ſine tuba dimicat, miles non eſt:fertur furore, non prælio:virtutem non agit,ſed pericula: perire quærit, non vincere,&c. Si ergo tuba eſt magiſtra & ſignum bellorum, quid eſt aliquẽ laudare in ſono tubæ, niſi ipſum laudare vt triumphatorem in bellis?hoc eſt ergo laudare eum in ſono tubæ.id eſt laudare Deum, quia pro nobis bellando deſtruxit eum qui habebat mortis imperium. Quid autẽ ſit laudare in pſalterio,vide ver.2547. Quid autem ſit laudare in cithara,vide ver.481.Vel aliter:per ſonũ tubæ intellige iudicium extremũ, in quo Chriſtus vt verus omnium rex omnibus demõſtrabitur tam bonis quàm malis.Dicitur enim iudicium vox tubæ,quia voce tubæ ad iudicium omnes congregabuntur.Quoniam,vt dicit Apoſtolus,Quoniã ipſe dominus in iuſſu & in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, &c. Vbi notandum quòd ideo Chriſtus ad iudicium in voce tubæ venire dicitur:nõ quòd ibi ſit tuba corporalis,ſed ideo,quia pergens cum ſono tubæ, non occultè,ſed manifeſtè pergit. Sic & Chriſtus quamuis primò venerit occultè vt iudicaretur:finaliter tamẽ manifeſtè veniet ad iudicandum.Propter quod dicitur Pſal.49, Deus noſter manifeſtè veniet,& nõ ſilebit. Vel deſcendet in voce tubæ, quia ad iudicium quaſi ad bellum veniet. Tuba enim in bellis ſonat. Veniet autem tunc Chriſtus ad bellum, quia tunc inimicos debellabit: veniet etiã in voce tubæ, quia tuba ſonat in feſtiuitatibus: & Chriſtus tunc amicos ad feſtiuitatẽ æternæ gloriæ inuitabit.Veniet ergo ad iudicium in voce tubæ, quia malos damnabit, & ſuos coronabit.Si ergo per vocem tubę vltimũ iudicium deſignatur,quid eſt dictu,*laudate eum in ſono tubæ*:niſi Laudate eum de vltimo iudicio, in quo vt verus rex malis & hoſtibus deuictis, ſuos coronabit? Vel aliter:per ſonum tubæ intellige ſonũ prædicationis:per quem fideles ad bellum contra diabolum excitantur:vt oſtendit Stephanus ſuper illo verbo Num.10.Fac tibi duas tubas,&c. dicens, In tuba tria ſunt attendenda quæ prædicationi cõueniunt:ſcilicet compoſitio,ſonus,& terror.Cõpoſitio,quia tuba in parte anteriori quę ori applicatur, anguſta eſt:in parte verò finali,amplior eſt.Hoc ſignificat quòd prædicator debet ſibi aſſumere arctiora præcepta,& aliis imponere latiora:vt ſemper plus faciat, quàm aliis faciendum imponat: vt dicere poſſit, Manus meæ diſtillauerũt myrrhã. Manus enim myrrham diſtillãt,cum prædicatores exemplo ſui ad carnis macerationem ſubditos inuitant.Et nota quòd dicit, Diſtillauerunt myrrham: quia tanta mortificatio carnis in prædicatione debet eſſe:vt magnum ſit ſubditis,ſi vel ſtillam modicã poſſint imitari. Sonus eſt in tuba. Vnde clama, quaſi tuba exalta vocẽ tuam.Qui ſonus terret,quia prædicatio terrorem audientibus incutere debet. Et nota quòd duo ſunt genera tubarum: ſcilicet tubæ ductiles & corneæ. Tubæ ductiles, martyres ſignificant: qui paſſionum tunſionibus facti ſunt ſpecioſi. Tubæ verò corneæ virgines ſignificant: naturam carnis vt cornu ſuperantes. Bene autem tubæ iſtæ ductiles ſunt, quo ad illos qui tribulati ſub malleo proficiunt, & laudes reſonant. Argenteæ verò,quo ad illos qui in carne,nõ ſecundum carnem ambulant: & duæ propter charitatis concordiam. Si ergo ſonus tubæ ſignificat prædicationem, quid eſt dictu, *Laudate eum in ſono tubæ*: niſi Laudate eum in prædicatione? & meritò: quia prædicationis ſono totum orbem conuertit.

*Tuba magiſtra bellorũ.* *1.Theſſal.4.* *Tuba ſignificat prædicationem.*

2593 **Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.**

*Chorus ſignificat concordiam.*

*Tympanum quid ſignificat.*

*Organum eſt nomen generale omnium vaſorum muſicorum.*

*Organum ſignificat eccleſiam.*

Hic oſtẽdit quòd Deus debet laudari in choro, vt mediator pacificus. Quid autem ſit chorus & quòd ſignificet concordiam, vide ver. 2583. Quid eſt ergo Deũ laudare in choro, niſi ſibi gratias agere quòd Chriſtus vt verus mediator nos Deo pacificauit? Vnde hic Aug. ait, Chorus laudat Deum, quãdo laudat eum pacata ſocietas. Per tympanum autem intelligũtur bona temporalia. Et ſic ipſum laudat in tympano, qui temporalia bona indigentibus amore Dei diſtribuit: vide ver. 1392. Vel per tympanũ intellige ſtatum immortalitatis poſt reſurrectionem. Quoniam, vt ait Auguſt. In tympano laudat Deum, cum in carne mutata nulla eſt terrenæ corruptionis infirmitas. De corio quippe fit tympanum ſiccato atque firmato. Sequitur, *Laudate eum in chordis & organo.* Chordas, vt ait Gloſ. hic ponit pro omni inſtrumẽto muſico, quod chordarum tunſione ſonat. Organum verò generale nomen eſt omnium vaſorum muſicorum. Vel aliter: organum quandoque accipitur ſingulariter pro quodam inſtrumento muſico, quod multas habet fiſtulas ſibi adinuicem ordinatas, flatu follium ſonans. Et quid ſignificat niſi eccleſiam, quæ multas habet perſonas diuerſis gradibus virtutum ſibi inuicem ordinatas, quę follibus inflatæ ſonum emittunt? Quid enim per folles, qui vẽtum vel ſpiritum immittunt in fiſtulas, niſi ſacramenta eccleſiæ quibus gratia infunditur in eccleſiæ membris, accipimus? Et aduerte quòd in organo fiſtula quãto paruior eſt, tãto acutiorem ſonum reddit. Quia quodlibet eccleſiæ membrum quanto paruius & humilius eſt, tanto acutiorem ſonum ad Dei aures immittit. Quid eſt ergo laudare Deum in organo, niſi Deum laudare per diuerſos eccleſiæ gradus? vtputa, alium modũ laudis habere debet prælatus, aliũ ſubditus, alium clericus, alium ſecularis, alium cõiugatus, alium caſtus. Et ſic de ſingulis.

2594 **Laudate eum in cymbalis beneſonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet dominum.**

Hic oſtendit Deum laudandum in cymbalis vt quietatorem omnium. Ideo hic concluditur, *Omnis ſpiritus laudet dominũ.* Dicat ergo, *Laudate eum in cymbalis beneſonantibus.* Vbi aduertendum, quòd cymbala ſunt ex permixtis metallis paruiſſimæ bullæ, quæ adinuicem ſe percutiunt, & acutum ſonũ reddunt, & melodiã faciunt. Et per iſta ſignificantur labia noſtra, quæ cordi concinna, in laudibus Dei beneſonant. Et quòd Pſal. intelligeret non de cymbalis inanimatis, ſed rationabilibus, ſubdit, *Laudate eum in cymbalis iubilationis*: id eſt, in labiis iubilũ intus conceptum extra monſtrantibus. Vel aliter, ſecundum Auguſt. Cymbala inuicem ſe tangunt, vt ſonẽt. Ideo à quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt. Sed melius puto in cymbalis quodammodo laudare Deũ, dum quiſque laudatur à proximo, non à ſeipſo: & inuicem ſe honorãtes, dant laudem Deo. Ne quis autem intelligat cymbala quæ ſine anima ſonant: ideo puto additum, *in cymbalis iubilationis.* Iubilatio namque eſt ineffabilis laus, quæ nõ niſi ab anima proficiſcitur. Quid autẽ ſit iubilatio, vide ver. 766. Item notandum, vt hic dicit Auguſt. quòd, ſecundum muſicos, tria ſunt genera ſonorũ: ſcilicet voce, flatu, pulſu. Voce, vt eſt per fauces & arterias ſine organo alio cantãtis hominis: flatu, ſicut per tibiam, fiſtulam, vel huiuſmodi: pulſu, ſicut per citharam. Nullum itaque genus hic prętermiſſum eſt. Nam vox eſt in choro, flatus in tuba, pulſus in citharis & cymbalis. Quibus ſignificantur tria: ſcilicet mens, ſpiritus, & corpus: ſed per ſimilitudines, non per proprietates. Sequitur, *Omnis ſpiritus laudet dominum.* Vbi nota quòd duplex eſt ſpiritus: ſcilicet angelicus & humanus, qui omnes præ aliis rebus ad Dei laudem inuitantur. Et in iſto modico verbo totum Pſalmum iſtum concludit: vt hic oſtendit Auguſt. dicens, Quòd in principio Pſal. propoſuit Pſal. dicens, *Laudate dominum in ſanctis eius*: quibus hoc dixit, niſi ipſis ſanctis? & in quibus Deum laudare debent, niſi in ſeipſis? Quaſi dicat Pſalm. Vos eſtis ſancti eius, vos virtus eius eſtis, ſed quam fecit in vobis: vos multitudo magnitudinis eius, quam fecit & oſtendit in vobis. Vos eſtis tuba, Pſalterium & cithara: vos tympanum, chorus, chordæ, organum, & cymbala iubilationis beneſonantia, quia conſonantia. vos eſtis hæc omnia. Nihil hic vile, nihil hic tranſitorium. Et quia ſapere ſecundum carnẽ mors eſt, ideo omnis ſpiritus laudet dominum.

Conſiſtit autem liber iſte in centum quinquaginta Pſal. qui numerus celeberrimus adnotatur myſteriis. Conſtat enim ex octogenario & ſeptuagenario: qui idem ſignificat quod octonarius & ſeptenarius. Et idem myſterium eſt in ſimplicibus & in compoſitis. Quia ſicut quindenarius ex quindecim cõſurgit vnitatibus: ſic centũ quinquaginta ex quindecim denariis. Octonarius autẽ octauã ſignificat reſurrectionis: quia cũ ſint ſex ætates viuẽtium, & ſeptima morientiũ: octaua erit reſurgẽtium. Septenarius verò, tempus ſignificat huius vitæ, quæ ſeptem dierum agitur reuolutione. Docet nos ergo liber iſte in huius vitæ ſeptenario ſic operari, vt in octaua reſurrectionis glorificemur.

FINIS.

# TABVLA VERSICVLORVM

## OMNIVM IN TOTO PSALTERIO CONTENTORVM IVXTA ALPHABETI ORDINEM.

*In quo primus numerus folium, ſecundus columnam, tertius verò tomum ſignificat.*

AB altitudine diei timebo. folio. 440. 1.1.C
Ab increpatione tua domine 80.2.1.e
Ab increpatione tua fugiẽt 122.1.2.c
Ab increpatione tua Deus Iacob 608.1.1.b
Abyſſus ſicut veſtimentum amictus 121.1.2.e
Abyſſus abiſſum inuocat 312.2.1.c
Ab omni via mala prohibui 339.2.2.a
Ab omnibus iniquitatibus meis erue 254.1.1.a
Abſcondes eos in abſcondito faciei 174.1.1.a
¶Accedet homo ad cor altum, & exal. 493.1.1.a
Accedite ad eum & illuminamini 195.1.1.d
Accingere gladio tuo ſuper fe. 331.1.1.b
Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpen. 514.1.2.d
A cuſtodia matutina vſque ad 442.2.2.e
¶Ad alligandos reges eorum in 607.1.2.b
Ad annunciandum mane miſericordiam tuam 23.2.2.a
Adducentur regi virgines poſt eam 337.2.1.d
Ad faciendam vindictam in natio. 606.1.2.d
Adhæſi teſtimoniis tuis domine 289.2.2.b
Adhæſit pauimento anima mea 286.1.2.a
Adhæreat lingua mea faucibus 489.2.2.d
Adhuc multiplicabuntur in ſenecta 29.1.2.e
Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſo 638.1.1.b
Adiiciat dominus ſuper vos, ſup vos 244.2.2.c
Ad ipſum ore meo clamaui 512.1.1.a
Adiuua me domine Deus meus 212.1.2.b
Adiuua me & ſaluus ero & medi. 351.2.2.b
Adiuua nos Deus ſalutaris noſter 661.1.1.b
Adiutorium noſtrũ in nomine domini 418.2.2.d
Adiutor meus & liberator meus 556.1.1.b
Adiutor meus eſto domine ne de. 146.1.1.c
Adiutor meus tibi pſalam, quia 464.1.1.c
Adiutor meus & protector meus 267.1.1.c
Adiutor & ſuſceptor meus es tu 349.2.2.e
Ad meipſum anima mea conturbata 312.1.1.c
Ad nihilum deductus eſt in conſpectu 65.1.1.c
Ad nihilum deuenient tanquam aqua 453.2.1.b
A domino factum eſt iſtud: & eſt 266.1.2.b
Pſal. 119 ¶Ad dominum cũ tribularer clamaui 396.1.2.b
Adoleſcentulus ſum ego & contẽptus 369.1.2.c
Adorate eum omnes ageli eius 64.1.2.b
Ad te domine clamabo Deus meus ne 147.2.1.e
Pſal. 27. ¶Ad te domine clamabo 147.2.1.e
Ad te domine clamabo 162.2.1.b
Pſal. 24. ¶Ad te domine leuaui animam meã 127.2.1.c
Incog.
Ad te clamauerunt & ſalui facti 111.2.1.d
¶Ad te leuaui oculos meos 411.2.2.b Pſal. 122.
Aduerſum me loquebantur qui ſedebãt 541.1.1.c
Aduerſum me ſuſurrabant omnes 272.1.1.b
Ad veſperum demorabitur fletus: & ad 161.1.1.e
Ad videndum in bonitate electorum 161.2.2.b
Aduocauit cœlum de ſurſum 375.2.1.d
Ædificans Hieruſalem dominus 573.2.2.b
Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum 720.2.1.e
¶A facie domini mota eſt terra 237.2.2.c
A facie indignationis tuæ 95.1.2.a Pſal. 28.
Afferte domino filij Dei 153.1.1.c
Afferte domino gloriam & honorem 154.1.1.c
Afferte domino patriæ gentium 56.1.2.d
Afferentur in lætitia & exultatione 358.1.1.c
Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis 242.1.1.c
A finibus terræ ad te clamaui 473.1.1.e
A fortitudine manus tuæ ego defeci 254.2.1.b
A fructu frumenti vini & olei ſui 14.2.1.b
A iudiciis tuis non declinaui 340.1.2.b
¶Alienati ſunt peccatores à vulua 452.1.1.a
Alleuat dominus omnes qui corruũt 562.1.2.d
Alluxerunt fulgura eius orbi terræ 62.1.2.c
Altaria tua domine virtutum 696.2.1.a
¶A mandatis tuis intellexi, propterea 341.2.2.b
Amici mei & proximi mei 243.1.1.b
Amplius laua me ab iniquitate mea 394.1.1.b
Amputa opprobriũ meum quod ſuſc. 295.1.2.b
¶Anima mea in manibus meis ſemp 345.2.2.d
Anima autẽ mea exultabit in domino 206.1.1.a
Anima eius in bonis demorabitur 133.2.1.a
Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt 417.2.2.d
Anima noſtra ſuſtinet dominum 191.2.1.b
Animalia puſilla cum magni 133.2.2.a
Animalia tua habitabunt in ea 521.1.1.a
Anni noſtri ſicut aranea medita 8.1.2.a
Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia 262.1.1.c
Annunciaui & loquutus ſum 260.1.1.c
Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius 63.1.2.c
Annunciate inter gentes gloriam eius 54.1.2.e
Annunciabitur domino generatio 120.1.1.c
Anticipauerunt vigilias oculi mei 613.1.1.c
¶Aperta eſt terra & deglutiuit Datam 167.1.2.e
Aperis tu manum tuam & imples 563.2.2.e
Aperuerunt ſuper me os ſuum 114.1.1.b
Aperiam in parabolis os meum 622.1.1.a

** aperite

aperite mihi portas iuſtitiæ 264.1.2.C
Appone iniquitatẽ ſuper iniquitatem 549.1.1.D
apprehende arma & ſcutum. 203.1.1.D
apprehendite diſciplinam,nequando 9.2.1.C
Appropinquet deprecatio mea 390.2.2.b
Appropinquauerunt perſequentes 375.2.2.d
Apud dominum greſſus hominis 231.2.1.e
Apud me oratio Deo vitæ meæ 313.1.1.a
apud te laus mea in eccleſia magna 118.1.1.D
¶Arcum conteret & confringet arma 345.1.1.E
a reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi 72.1.1.D
aruit tanquam teſta virtus mea 114.2.1.D
¶A ſagitta volante in die 17.1.2.E
aſcendit fumus in ira eius 78.2.1.C
aſcendit Deus in iubilo 348.1.1.B
aſcendiſti in altum:cepiſti captiuita. 523.2.1.D
aſcendunt montes & deſcendunt cãpi 122.2.2.A
aſcendunt vſque ad cœlos & deſcen. 189.2.2.D
a ſolis ortu vſque ad occaſum lauda 233.2.2.D
a ſolis ortu & occaſu 180.2.2.B
Aſperges me domine hyſſopo 398.2.1.b
aſpice in me & miſerere mei 362.1.2.D
aſtitit regina à dextris tuis 334.2.1.D
aſtiterunt reges terræ & principes 7.1.1.C
Pſal.77. ¶A templo tuo quod eſt in Hieruſalem, 531.1.1.e
¶Attẽdite popule meus legem meam 620.2.1.B
attolite portas principes veſtras 127.1.1.A
¶Audi filia & vide & inclina 335.2.1.B
audi populus meus & conteſtabor te 377.2.1.B
Pſal.48. ¶Audite hæc omnes gentes 360.1.1.C
audi populus meus & loquar Iſrael 679.1.1.D
audiuit Deus & ſpreuit 650.2.1.A
audiuit dominus & miſertus eſt mei 163.2.1.D
audient verba mea quoniã potuerunt 525.2.2.C
Audiam quid loquatur in me 704.2.1.c
Auditam fac mihi mane miſericordiam 538.22.a
audi tui meo dabis gaudium & lætitiã 400.2.1.B
auertiſti nos retrorſum poſt inimicos 322.1 1.B
auertiſti teſtamentum ſerui tui 742.2.1.C
Auertiſti adiutorium gladij eius 744.1.1.a
auertiſti faciem tuam à me. 162.1.1.e
auertantur retrorſum & confundantur 204.2.1.B
auertantur retrorſum & erubeſcant 554.2.1.C
auerte faciem tuam à peccatis meis 402.1.1.B
auerte oculos meos ne videant vani. 293.2.2.B
Auerte mala inimicis meis 426.1.1.a
auertẽte autem te faciem turbabuntur 135.1.2.B
auertantur ſtatim erubeſcentes 555.1.1.D
aufer à me opprobrium & contemptũ 254.1.2.D
Auferuntur iudicia tua à facie eius 45.2.1.a
a voce gemitus mei adhæſit os 91.2.2.E
a voce exprobrantis & obloquentis 324.2.1.D
Aures habent & nõ audient 241.2.2.B.474.1.2.a
Auribus percipe domine orationem 710.2.1.b
auribus percipe orationẽ meam,non in 679.1.1.E
aut obliuiſcetur miſereri Deus 615.1.1.E
aut in finem miſericordiam ſuam 614.2.1.c
auxilium meum à domino,qui fecit 402.1.2.D
Pſal.40. BEatus qui intelligit ſuper egenum 267.2.2.b
Beatus homo quem tu erudieris 39.1.2.d
Pſal.111. Beatus vir qui timet dominum 226.2.2.B
Pſal.1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impio.1.1.1.A
Beatus vir cuius eſt nomen domini 259.1.1.B
Beatus vir cui non imputauit dominus 176.2.1.d
Beatus vir qui impleuit deſiderium 431.1.2.e
Beatus vir cuius eſt auxilium abs te 698.1.1.A
Beatus cuius Deus Iacob adiutor ei⁹ 569.2.2.C
Beatus qui tenebit & allidet paruulos 492.2.2.D

Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti 497.1.1.B
¶Beati immaculati in via 268.1.2.E Pſal.118.
¶Beati omnes qui timent dominum 432.1.2.b Pſal.127.
¶Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates 175.2.1.C Pſal.31.
Beati qui habitant in domo tua 697.1.1.e
Beati qui cuſtodiunt iudicium 160.2.2.D
Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius 270.1.2.B
Beata gẽs cuius eſt dominus Deus eius 189.1.1.E
Beatum dixerunt populũ cui hæc ſunt 553.1.2.D
Benedictus dominus Deus Iſrael 179.1.2.b
Benedictus dñs quoniam mirificauit 174.2.1.a
Benedictus dominus qui non dedit 417.1.2.c
Benedictus dñs quoniam exaudiuit 151.2.1.e
Benedictus dominus Deus Iſrael 576.1.1.a
Benedictus dominus in æternum 747.2.1.D
Benedictus dñs Deus Iſrael à ſeculo 276.1.1.E
Benedictus dominus ex Sion 475.1.2.E
¶Benedictus dominus Deus meus 542.1.2.b Pſal.143.
Benedictus dominus die quotidie 526.2.1.C
Benedictus es domine,doce me 277.1.2.C
Benedictus Deus qui non amouit 512.2.1.C
Benedicti vos à domino,qui fecit 245.2.2.A
Benedicite gentes Deum noſtrum 508.1.1.A
Benedicite domino oẽs virtutes eius 116.2.2.A
Benedicite domino omnia opera eius 117.2.2.A
Benedicite domino omnes angeli eius 115.1.2.D
¶Benedic anima mea domino,& omnia 105.1.2.d
¶Benedic anima mea domino,domine 117.2.2 D Pſal.102.
Benedic anima mea domino,& noli 105.2.2.D Pſal.103.
¶Benedicam dominum in omni tẽpore 192.1.1.A
Benedicam dominum qui tribuit mihi 68.1.1.b Pſal.33.
Benedicat tibi dñs ex Sion 434.2.2.b.& 465.1.2.c
Benedicat nos Deus Deus noſter 515.2.1.b
Benedicent coronæ anni benignitatis 502.2.1.c
¶Benedixiſti domine terram tuam 701.2.1.b Pſal.84.
Benedixit domui Iſrael 244.1.2.b
Benedixit omnibus qui timent 244 2.2.a
Benediximus nobis de domo domini 267.2.2.a
Benefac domine,bonis & rectis 421.1.2.b
Beneplacitũ eſt domino ſuper timentes 579.2.2.e
Benigne fac in bona voluntate tua 409.1.1.e
Beſtiæ & vniuerſa pecora 601.1.2.d
¶Bonus es tu,& in bonitate tua 216.1.2.c
Bonum eſt confidere in domino 259.2.2.b
¶Bonũ eſt confiteri domino & pſallere 22.2.2.c Pſal.91.
Bonum eſt ſperare in domino quam 259.2.2.d
Bonum mihi quia humiliaſti me 317.2.2.d
Bonum mihi lex oris tui 318.1.2.e
Bonitatẽ feciſti cum ſeruo tuo domine 314.1.2.b
Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam 314.2.2.e
Buccinate in neomenia turba 677.1.1.b

CAdent à latere tuo mile 18.1.2.a
Cadẽt in retiaculo eius peccatores 527.1.2.e
Cadent ſuper eos carbones 518.2.2.b
Calicem ſalutaris accipiam 253.1.2.d
¶Cãtate domino canticum nouum 603.2.2.a Pſal.149.
¶Cantate domino canticũ nouũ,cãtate 53.1.2.b Pſal.95.
Cantate domino & benedicite nomini 53.2.2.c
¶Cantate domino cãticum nouũ,quia 67.2.2.a Pſal.97.
Cantate Deo pſalmum dicite nomini 518.1.1.b
Cantate ei canticum nouum 185.2.1.d
Cantate ei & pſallite ei 139.1.2.c
Cantabo domino in vita mea 136.2.2.e
Cantabiles mihi erant iuſtificationes 305.1.2.e
Cantabunt in animam iuſti 43.1.2.b
Caput circuitus eorum labor 518.1.2.a
Caſtigans caſtigauit me dominus 263.2.2.c





Catuli leonum rugientes 130.2.2.d
¶Cœlum cœli domino,terram autẽ 245.2.2.c
Pſal.18. ¶Cœli enarrant gloriam Dei 94.1.1.a
¶Cibabis nos pane lachrymarum 668.1.1.e
Circundate Sion & complectimini eam 358.2.1.e
Circundantes circundederunt me 260.2.2.b
Circundederunt me dolores mortis 248.1.2.d
Circundederunt me vituli multi 113.2.1.c
Circundederunt me ſicut apes 261.1.2.a
Circundederunt me dolores mortis,& 77.1.1.c
Circundederunt ſicut aqua tota die 724.2.1.b
Circuiui & immolaui in tabernaculo 145.1.1.a
Cito fecerunt obliti ſunt operum eius 165.2.2.e
¶Clamaui ad te domine, dixi tu es 531.1.2.e
Clamaui ad te ſaluum me fac 37.2.2.b
Clamaui ad te domine,tota die expandi 721.1.1.e
Clamaui in toto corde exaudi me 372.1.2.b
Clamauerunt iuſti & dominus exaudi. 200.2.1.b
Clamauerunt nec erat qui ſaluos face. 90.2.1.a
Clamabo ad Deum altiſſimum 447.1.1.a
Clamauit ad me & ego exaudiam eum 21.2.2.d
¶Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum 317.1.2.d
Cogitaui dies antiquos & annos 613.2.1.b
Cogitaui vias meas:& conuerti 309.2.2.d
Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam 581.1.1.c
Cognoui domine quia æquitas iudicia 321.1.2.e
Cognoui omnia volatilia cœli 380.2.1.e
Cognoui quia faciet dominus iudiciũ 520.1.2.b
Cognoſcetur dominus iudicia faciens 41.1.1.b
Collocauit me in obſcuris ſicut 535.2.2.e
Commota eſt & contremuit terra 78.1.1.d
Commoueantur à facie eius vniuerſa 57.1.2.d
Commouiſti terram & conturbaſti eã 467.1.1.c
Complaceat tibi domine vt eruas me 265.2.1.a
Concaluit cor meum intra me 249 1.1.e
Conculcauerunt me inimici mei 439.2.1.b
Concupiui ſalutare tuum domine 394.1.2.b
Concupiuit anima mea deſiderare iuſti. 252.2.2.c
Confeſſio eius ſuper cœlum & terram 602.1.2.c
Confeſſio & magnificentia opus eius 221.1.2.e
Confeſſio & pulchritudo in conſpectu 55.2.2.b
Confeſſionem & decorem induiſti 118.1.2.e
Confige timore tuo carnes meas 353.1.2.d
Confitebor tibi in cithara Deus Deus 317.1.1.c
Confitebor tibi quia feci 417.1.1.d
Pſal.137. Confitebor tibi domine in toto corde 493.1.2.a
Confitebor tibi in eccleſia magna 210.1.1.d
Confitebor tibi quoniam exaudi 268.1.2.c
Confitebor tibi in directione cordis 273.2.2.c
¶Confitebor tibi domine in toto corde meo in
Pſalm.9. conſilio 35.1.1.b
Confitebor tibi domine Deus meus in 712.1.1.e
Pſal.110. ¶Confitebor tibi domine in toto corde 220.2.2.a
Cõfitebor tibi quia terribiliter magnif. 506.1.2.d
Confitebor tibi in populis domine & 449.2.1.d
Confitebor tibi in populis domine,& 196.1.2.e
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me 264.2.2.d
Confitebor domino ſecundum iuſtitiã 30.2.1.b
Pſal.74. Confitebor domino nimis in ore meo 213.1.2.e
¶Confitebimur tibi Deus:cõfitebimur 599.2.1.e
Pſal.105. Confitebuntur cœli mirabilia tua dñe 728.1.1.c
Pſal.106. ¶Confitemini domino quoniam bonus 159.1.2.c
¶Confitemini domino quoniã bonus 279.2.2.a
Confitemini domiuo in cithara 184.2.1.e
Confitemini domino dom.477.1.2.c.& 485.2.2.c
Confitemini Deo cœli,quoniam 485.1.2.d
Pſal.117. ¶Confitemini domino qm̃ bonus,qm̃ 256.2.2.a
Pſal.104. ¶Confitemini domino & inuocate 138.2.2.a
Pſal.135. ¶Confitemini domino quoniã bonus 476 1.2.a



Confitemini Deo deorum 476.2.2.c
Confiteantur domino miſericordiæ eius 185.2.2.b & 187.2.2.d.& 182.2.2.e.& 191.2.2.b
Confiteantur nomini tuo magno 74.2.2.a
Confiteantur tibi populi Deus 514.2.1.d
Confiteãtur tibi domine omnes reges 495.2.2.b
Confiteantur tibi domine omnia opera 559.1.2.a
Conforrati ſunt qui perſecuti ſunt me 537.2.1.c
Confundantur & deficiant detrahentes 562.2.1.e
Confundantur omnes iniquè agentes 129.1.1.d
Confundantur & reuereantur quærẽtes 204.1.1.d
Confundantur & reuereantur ſimul 265.2.1.b
Confundantur ſuperbi quia iniuſte ini. 323.1.2.c
Confundantur & reuereantur qui quę. 554.2.1.a
Confundantur omnes qui adorant 63.2.2.b
Confringam illos nec poterunt ſtare 90.1.1.c
Congregans ſicut in vtre aquas maris 187.2.1.a
Congregate illi ſanctos eius 376.2.1.a Pſalm.15.
¶Cõſerua me domine quoniam ſperaui 65.2.1.b
Conſiderat peccator iuſtum 235.1.1.d
Conſiderabam ad dexteram & videbã 530.1.2.d
Conſilium autem domini in æternum 188.2.1.d
Conſtitue ſuper eum peccatorem,& 201.2.2.c
Conſtitue domine legiſlatorem ſuper 43.2.1.e
Conſtituit eum dominum domus ſuæ 147.2.2.d
conſtituite diem ſolemnem in condem. 267.2.2.c
conſummetur nequitia peccatorum 28.1.1.a
contaminauerunt teſtamentum eius 437.1.1.e
contere brachium peccatoris & maligni 48.2.1.b
contritio & infœlicitas in viis eorum 61.1.1.d
contriſtatus ſum in exercitatione 428.1.1.b
conturbati ſunt omnes qui videbant 493.2.1.d
conturbatæ ſunt gentes & inclinata 344.2.1.c
conuerte nos Deus ſalutaris noſter 73.2.1.a
conuertere domine captiuitatẽ noſtrã 424.2.2.c
conuertere domine vſquequo 11.1.2.c
conuertere domine & eripe animam 22.1.1.d
conuertere anima mea in requiẽ tuam 249.2.2.e
conuertantur retrorſum & reuereã. 265.2.1.e
conuertantur peccatores in infernum 41.1.1.e
conuertantur mihi timentes te & qui 323.2.2.c
conuertetur dolor eius in caput eius 30.1.1.e
conuertentur ad veſperã & 459.1.1.b.& 463.1.1.a
conuertit aquas eorum in ſangui. 152.1.2.b
conuertit cor eorum vt audirent 150.1.2.b
conuertiſti planctum meum in gaudium 164.1.1.b
¶Credo videre bona domini 147.2.1.b Pſal.115
¶Credidi propter quòd locutus ſum 251.1.2.d
cor meum conturbatum eſt in me 242.2.1.c
cor meum conturbatum eſt in me,& 429.1.1.a
cor meum & caro mea 694 2.1.d
cor mundum crea in me Deus 403.1.1.a
cor autem eorum non erat rectum 641.2.1.c
coram illo procident Æthiopes 572.1.1.d
coram patribus eorum fecit mirabi. 629.1.1.e
corripiet me iuſtus in miſericordia 524.1.2.d
corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt 60.1.1.b
corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt 418.2.1.d
cuius maledictione os plenum eſt 46.1.1.a
¶Cum inuocarem exaudiuit me 12.1.1.e Pſal.4.
cum eſſent in numero breui 143.2.2.b
cum exurgeret in iudicio Deus 609.2.1.c
cum occideret eos quærebant eum 640.1.1.c
cum ceciderit non collidetur 232.2.1.b
cum his qui oderunt pacem eram paci. 400.2.2.e
cum dederit dilectis ſuis ſomnum 430.1.2.a
cum dederit dilectis ſuis ſomnum 430.1.2.a
cum ſancto ſanctus eris 83.2.1.c
cum iraſceretur furor eorum in nos 416.1.2.c

Cum exarſerit in breui ira eius 10.1.1.a
Cum exurgerent homines in nos 415.2.2.c
Cum iudicatur exeat condemnatus 202.1.2.c
Cũ hominibus operantibus iniquitatẽ 523.2.2.b
Cum exorti fuerint peccatores ſicut 25.2.2.c
Cur timebo in die mala 363.1.1.d
Currus Dei decem milibus multiplex 525.1.1.e
Cuſtodiens paruulos dominus 249.2.2.b
Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt 526.2.2.e
Cuſtodi me domine de manu peccato. 514.2.2.c
Cuſtodi animam meam quoniam ſan. 709.1.1.a
Cuſtodi animam meam & erue me 135.1.1.e
Cuſtodi innocentiam & vide æquitatẽ 236.2.1.d
Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua 389.1.2.c
Cuſtodiebant teſtimonia eius 77.1.2.c
Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe 566.1.2.c
Cuſtodit dominus omnia oſſa eorum 201.2.1.c
DA illis ſecundum opera eorum 150.2.1.e
Da mihi intellectum & ſcrutabor 291.2.2.c
Da nobis auxilium de tribul. 199.1.2.c.& 472.1.1.c
Dante te illis colligent 134.2.2.b
¶De cœlo auditum feciſti iudicium 609.1.1.c
De cœlo reſpexit dominus 190.1.1.a
Decidant à cogitationibus ſuis 18.1.1.b
Declaratio ſermonum tuorum illumi. 361.1.2.b
Declina à malo & fac bonum 234.2.1.e
Declinate à me maligni 350.1.2.c
Declinantes autem in obligationes 421.1.2.e
Dediſti nos tanquam oues eſcarum 322.2.1.a
Dediſti metuentibus te ſignificatio 468.2.1.c
Deduc me in ſemita mandatorum 292.1.2.d
Deduc me domine in via tua 712.1.1.b
Deduxiſti ſicut oues populum tuum 619.2.1.d
Deduxiſti me quia factus es ſpes mea 473.2.1.c
Deduxiſti me ſuper ſemitas iuſti 122.1.1.d
Defectio tenuit me pro 374.2.2.d
Defecit caro mea & cor meum 587.2.1.b
Defecit in ſalutare tuum anima 324.2.2.d
Defecerunt oculi mei in elo. 325.2.2.c
Deficiant peccatores a terra 138.1.2.c
Delectare in domino:& dabit 222.2.1.e
Deleantur de libro viuentium 349.2.1.c
Delictum meum cognitum tibi feci 178.2.1.c
Delictum oris eorum ſermonem lab. 462.1.1.a
Delicta quis intelligit 100.1.1.c
Delicta iuuentutis meæ 131.1.1.a
Deprecatus ſum faciem tuam in toto 308.2.2.c
De præparato habitaculo ſuo 190.1.1.d
Pſal. 129. ¶De profundis clamaui ad te domine 439.2.2.d
De quo non impleuit manum ſuam 438.2.2.e
Deſcendet ſicut pluuia in vellus 570.2.1.b
Deſiderium cordis eius tribuiſti ei 104.2.1.b
Deſiderium pauperum exaudiuit domi. 49.1.1.d
Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem 99.2.2.c
Deſine ab ira & derelinque furorem 224.2.1.e
Deſtruxiſti eum ab emundatione 744.1.1.d
Deſtruxiſti omnes ſepes eius 743.1.1.b
De torrente in via bibit 220.1.2.b
Detrahentem ſecreto proximo ſuo 85.2.2.a
De tribulatione inuocaui dominum 258.1.2.a
Pſal. 69. ¶Deus in adiutorium meum intende 553.1.1.b
Deus in ſancto via tua 616.2.1.b
Deus autem rex noſter ante ſæcula 592.2.1.e
¶Deus auribus noſtris audiuimus 317.1.1.e
Pſal. 34. Deus autem noſter in cœlo 239.1.2.d
Deus canticum nouum cantabo tibi 549.1.2.b
Deus conteret dentes eorum 453.1.1.c
Deus cum egredereris in conſpectu 519.2.1.b
¶Deus deorum dominus locutus eſt 372.1.1.e Pſal. 49
¶Deus Deus meus ad te de luce vigilo 482.1.1.e Pſal. 62.
¶Deus Deus meus reſpice in me 109.2.1.a Pſal. 21.
Deus docuiſti me à iuuentute mea 564.2.1.c
Deus exaudi orationem meam 424.2.1.a
Deus in domibus eius cognoſcetur 353.2.1.d
Deus in medio eius non commouebitur 343.1.1.e
Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me 713.1.1.e
Deus in loco ſancto ſuo 519.1.1.a
¶Deus in nomine tuo ſaluum me fac 423.2.1.a Pſal. 53.
Deus iudex iuſtus fortis & patiens 28.2.1.c
¶Deus laudem meam ne tacueris 199.1.2.d Pſal. 108.
Deus locutus eſt in ſancto ſuo 469.2.1.a
¶Deus iudicium tuum regi da 568.1.1.c Pſal. 71.
Deus manifeſte veniet 373.2.1.c
Deus meus es tu & confitebor tibi 268.1.2.b
Deus meus eripe me de manu peccato. 558.2.1.e
Deus meus pone illos vt rotam 691.2.1.c
Deus meus adiutor meus 76.2.1.a
Deus meus impolluta via eius 85.1.1.a
Deus meus clamabo per diem 111.1.1.a
¶Deus miſereatur noſtri & benedicat 512.2.1.d Pſal. 66.
Deus ne elongeris à me 562.1.1.e
¶Deus noſter refugium & virtus 340.2.1.c Pſal. 45.
Deus noſter Deus ſaluos faciendi 527.1.1.a
Deum non inuocauerunt 419.2.1.a
Deus oſtendit mihi ſuper inimicos 461.1.1.a
¶Deus quis ſimilis erit tibi 686.2.1.c Pſal. 82.
Deus qui glorificatur in conſilio ſancto. 729.1.1.b
Deus qui præcinxit me virtute 85.2.1.a
Deus qui das vindictas mihi 92.2.1.b
¶Deus repuliſti nos & deſtruxiſti 465.2.1.c Pſal. 59.
Deus ſtetit in ſynagoga deorum 683.1.1.d Pſal. 81.
Deus tu conuerſus viuificabis nos 704.1.1.c
Deus tu ſcis inſipientiam meam 538.1.1.d
¶Deus venerunt gentes in hæreditatẽ 657.1.1.e Pſal. 78.
Deus virtutum cõuerte nos & oſtende 667.2.1.d
Deus virtutum conuertere 673.1.1.c
Deus vitam meam annunciaui tibi 442.2.1.b
¶Deus vltionum dominus 33.1.2.e Pſal. 93.
De ventre matris meæ Deus meus es tu 113.1.1.d
De vultu tuo iudicium meum prodeat 69.2.1.c
Dextera domini fecit virtutem 262.2.2.e
Dexteram tuam ſic notam fac 10.2.2.d
¶Dicat nunc Iſrael quoniam bonus 257.1.2.d
Dicat nunc domus Aaron 257.2.2.b
Dicant nunc qui timent dominum 257.2.2.c
Dicant qui redempti ſunt à domino 180.1.2.c
Dicet domino ſuſceptor meus es tu 14.1.2.c
Dicens tibi dabo terram Chanaam 143.1.2.d
Dicentes Deus dereliquit eum 562.1.1.a
Dicite Deo quam terribilia ſunt opera 505.1.1.d
Dies ſuper dies regis adiicies 475.1.1.d
Dies diei eructat verbum 95.1.1.b
Dies mei ſicut vmbra declinauerunt 95.1.2.e
Die ac nocte circundabit eam ſuper 433.1.1.a
Dilataſti greſſus meos ſubtus me 89.2.1.c
¶Dilexi quoniam exaudiet dominus 146.2.2.d Pſalm. 114
Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem 412.1.1.d
Dilexiſti omnia verba præcipitationis 412.2.1.e
Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquita. 333.2.1.b
¶Diligam te domine fortitudo mea 75.2.1.a Pſal. 17.
Diligite dominum omnes ſancti eius 175.1.1.d
Diligit miſericordiam & iudicium 186.2.1.a
Dinumerabo eos & ſuper arenam 508.2.2.c
Dirige me in veritate tua 130.1.1.d
Dirige manſuetos in iudicio 131.2.1.e
Dirigatur oratio mea ſicut inſenſum in 521.2.2.d


Diripuerunt




Diripuerunt eum omnes tranſeuntes 743.2.1.a
Dirupiſti domine vincula mea 254.2.2.a
Dirupit petram & fluxerunt aquæ 157.1.2.a
Diſrumpamus vincula eorum 7.2.1.d
Diſcedite a me omnes qui operamini 23.1.1.d
Diſperdat dominus vniuerſa labia 54.2.1.a
Diſperge illos in virtute tua 461.1.1.d
Diſperierunt in Endor 690.2.1.d
Diſperſit dedit pauperibus 230.2.2.c
Diſpoſui teſtamentum electis meis 727.2.1.b
Diſſipa gentes quæ bella volunt 532.1.1.c
Diſſipati ſunt nec compuncti 209.2.1.b
Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus in 526.1.2.d
Diuerte à malo & fac bonum 199.2.1.b
Diuertit ab oneribus dorſum eius 678.1.1.e
Diuites eguerunt & eſurierunt 197.2.1.c
Dixi domino Deus meus es tu 516.1.2.c
Dixi iniquis nolite inique agere 602.1.1.a
Dixi confitebor aduerſum me 179.1.1.c
Pſal. 38. ¶Dixi cuſtodiam vias meas 247.1.1.e
Pſal. 109. ¶Dixit dominus domino meo 214.1.2.d
Pſal. 13. ¶Dixit inſipiens in corde ſuo 59.1.1.d
Dixit enim in corde ſuo 45.2.1.d.& 47.1.1.b
Pſalm. 52. ¶Dixit inſipiens in corde ſuo,non eſt 417.2.1.e
Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ 189.1.2.c
Dixit dominus ex Baſan conuertam 527.2.1.d
Dixit & venit cynomia 152.2.2.b
Dixit & venit locuſta 153.2.2.d
Pſalm. 35. ¶Dixit iniuſtus vt delinquat 213.2.1.b
Dixerunt venite & diſperdamus 688.1.1.c
Dixerunt in corde ſuo cognatio 593.1.1.b
¶Docebo iniquos vias tuas 406.1.1.b
Dominus à dextris tuis 219.1.2.a
Dominus adiutor meus & protector 152.1.1.c
Dominus autem non derelinquet eum 236.1.1.b
Dominus autem irridebit eum 226.2.1.c
Dominus cuſtodit te,dominus protect. 404.1.2.a
Dominus cuſtodit te ab omni malo 405.1.2.d
Dominus cuſtodit aduenas 574.1.2.b
Dominus conſeruet eum & viuificet 268.2.1.c
Dominus cuſtodiat introitum tuum 406.1.2.a
Dominus dabit verbum euangelizãtib. 521.1.1.d
Dominus de cœlo proſpex. 60.2.1.a.& 420.1.1.e
Dominus dixit ad me filius meus es tu 8.2.1.c
Dominus diſſipat conſilia gentium 188.2.1.a
Dominus diluuium inhabitare facit 158.2.1.b
Dominus erigit eliſos 571.2.2.d
Dominus fortitudo plebis ſuæ 152.2.1.b
Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam 114.2.2.c
Dominus interrogat iuſtum & impium 52.1.1.c
Dominus in templo ſancto ſuo 51.1.1.c
Dominus in Sion magnus & excelſus 74.1.2.c
¶Dominus illuminatio mea 140.2.1.c
Pſalm. 16. Dominus iuſtus concidet ceruices 437.2.2.c
Dominus memor fuit noſtri 243.2.2.e
Dominus mihi adiutor non 258.2.2.b
Dominus mihi adiutor,& ego deſpiciã 259.1.2.b
Dominus narrabit in ſcripturis popu. 778.2.1.e
Dominus opem ferat illi ſuper lectum 269.1.1.b
Dominus pars hæreditatis meæ 67.2.1.a
Dominus protector vitæ meæ, 142.1.1.c
Pſalm. 92. ¶Dominus regnauit decorem indutus 30.1.2.a
Pſalm. 96. ¶Dominus regnauit exultet terra 60.2.2.b
Pſalm. 98. ¶Dominus regnauit iraſcantur populi 72.2.2.d
Dominus retribuet pro me 498.1.2.d
Pſalm. 22. ¶Dominus regit me & nihil mihi 120.2.1.b
Dominus regnabit in æternum 42.1.1.a.
Dominus ſcit cogitationes hominum 38.2.2.d
Dominus ſoluit compeditos 571.1.2.c
Dominus virtutum nobiſcum 344.2.1.e
Dominus virtutem populo ſuo dabit 158.2.1.e
Domini eſt ſalus:& ſuper populum tuũ 12.1.1.d
¶Domini eſt terra & plenitudo eius 124.2.1.a Pſalm. 23.
Dominum non inuocauerunt 62.1.1.a
Domine Deus noſter tu exaudiebas eos 77.2.2.a
Domine ante te omne deſiderium meũ 242.2.1.b
Domine adiutor meus & redemptor 100.2.1.d
Domine a paucis de terra diuide 74.2.1.a
¶Domine clamaui ad te exaudi 521.1.2.a Pſal. 140.
¶Domine Deus meus in te ſperaui 24.1.1.d Pſalm. 7.
¶Domine dominus noſter quam admira. 30.2.1.e Pſalm. 8.
Domine Deus meus ſi feci iſtud 25.2.1.c
Domine dilexi decorem domus tuæ 139.1.1.d
Domine Deus virtutũ exaudi orationẽ 599.1.1.d
Domine Deus virtutum conuerte nos 667.2.1.d
& 669.2.1.a.& 675.2.1.e
Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi 729.2.1.a
¶Domine Deus ſalutis meæ 719.1.1.d Pſalm. 87.
Domine Deus meus clamaui ad te 160.1.1.b
Domine Deus virtutũ quouſq; iraſceris 668.1.1.c
Domine domine virtus ſalutis meæ 516.2.2.d
Domine deduc me in iuſtitia tua 17.1.1.b
Domine exaudi orationem meam,& cla. 88.2.2.d Pſalm. 101
Domine eduxiſti ab inferno animam 160.1.1.e
¶Domine exaudi orationẽ meã, aurib. 533.2.2.c Pſal. 142.
¶Domine in virtute tua lætabitur rex 104.1.1.b Pſalm. 20.
Domine in lumine vultus tui ambula 732.2.1.a
Domine in voluntate tua præſtitiſti 162.1.1.a
Domine inclina cœlos tuos 546.2.2.d
Domine in cœlo miſericordia tua 216.2.1.b
Domine labia mea aperies 407.2.1.d
Domine libera animam meam a labiis 398.1.2.c
¶Domine nõ eſt exaltatum cor meum 444.2.2.b Pſal. 130.
Domine nomen tuum in æternum 473.2.2.a
¶Domine ne in furore tuo 19.1.1.b.& 237.2.1.c Pſal. 6. &
¶Domine probaſti me & cognouiſti 498.2.2.e Pſal. 37.
Domine quid eſt homo quia innotuiſti 545.1.2.d Pſal. 138.
Domine quando reſpicies reſtitue 210.1.1.b
¶Domine quis habitabit in tabernaculo 62.2.1.a Pſal. 14.
¶Domine quid multiplicati ſunt qui tri. 10.1.1.b Pſal. 3.
¶Domine refugium factus es nobis 3.1.2.a Pſal. 89.
Domine ſaluum fac regem 104.1.1.a
Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ 18.2.1.c
Domus Leui benedicite domino 474.2.2.d
Domus Iſrael benedicite domino 474.1.2.d
Domus Aaron ſperauit in domino 243.1.2.d
Domus Iſrael ſperauit in domino 242.2.2.d
Donec intrem in ſanctuarium Dei 584.1.1.e
Donec ponam inimicos tuos 215.2.2.d
Donec annunciem brachium tuum 565.2.1.d
Dormitauit anima mea præ tædio 283.1.2.b
Dormierunt ſomnum ſuum 607.2.1.d
Draco iſte quem formaſti ad 133.2.2.d
¶Dulcis & rectus Dominus 131.2.1.b
Dum appropiant ſuper me nocentes 142.1.1.e
Dum ſuperbit impius incenditur pauper 44.2.1.a
Dum diſcernit cœleſtis reges 523.2.1.b
Dum confringuntur oſſa mea 314.1.1.a
Dum dicunt mihi per ſingulos dies 314.1.1.c
Dux itineris fuiſti in conſpectu eius 671.1.1.d
ECce oculi domini ſuper metuentes 191.1.1.b
Ecce enim Deus adiuuat me 425.2.1.b
Ecce ſic benedicetur homo 434.2.2.b
Ecce ſicut oculi ſeruorum 412.2.2.a
Ecce loquentur in ore ſuo 459.2.1.b
Ecce parturit iniuſtitiam 29.2.1.c


Incogn.



Ecce

Ecce non dormitabit neque dormiet 403.1.2.d
Ecce ipſi peccatores & abundantes 582.2.1.d
Ecce elongaui fugiens 430.2.1.d
Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis 532.2.1.d
Ecce enim in iniquitatibus conceptus 396.1.1.c
Pſal. 132. ¶Ecce quam bonum & quam iocundũ 460.1.2.a
Pſal. 133. ¶Ecce nunc benedicite dominum 461.1.2.a
Ecce audiuimus eum in Ephrata 452.1.2.b
Ecce domine tu cognouiſti omnia noui 501.1.2.c
Ecce concupiui mandata tua 296.1.2.b
Ecce alienigenę & tyrus & populus 718.1.1.c
Ecce menſurabiles poſuiſti dies 251.1.1.c
Ecce enim veritatem dilexiſti 397.1.1.a
¶Edent pauperes & ſaturabuntur 118.2.1.c
Educ de cuſtodia animam meam 533.1.2.a
Educes de tribulatione animam meam 540.2.2.e
Educes me de laqueo quẽ abſcõderunt 166.2.1.a
Educens nubes ab extremo terræ 469.2.2.b
¶Effabuntur & loquentur iniquitatem 35.1.2.d
Effundo in conſpectu eius orationem 528.2.2.c
Effunde frameam & conclude aduerſus 203.2.1.e
Effunde ſuper eos iram tuam 548.1.1.c
Effunde iram tuam in gentes quæ te nõ 659.2.1.c
Effuderunt ſanguinem ipſorum 658.2.1.c
Effuſa eſt contentio ſuper principes 194.2.2.a
¶Ego dormiui & ſoporatus ſum 11.2.1.c
Ego ſum pauper & dolens 549.2.1.e
Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo 82.1.2.a
Ego autem cum mihi moleſti eſſent 208.1.1.e
Ego autem tanquam ſurdus nõ audiebã 244.1.1.a
Ego vero egenus & pauper ſum 556.1.1.a
Ego autem ſemper ſperabo 563.1.1.e
Ego autem annunciabo in ſeculum 604.1.1.b
Ego autem in domino ſperaui 168.1.1.a
Ego autem ad dominum clamaui. 435.2.1.a
Ego autem dixi in exceſſu mentis 175.1.1.b
Ego autem mendicus ſum & pauper 266.2.1.d
Ego autem ſum vermis & non homo 112.1.1.a
Ego autem in innocentia mea ingreſſus 140.1.1.b
Ego autem in te ſperaui domine 171.2.1.d
Ego autem dixi in abundantia mea 161.2.1.d
Ego autem cãtabo fortitudinem tuam 463.2.1.c
Ego clamaui quoniam exaudiſti me 70.2.1.c
Ego aũt in iuſtitia apparebo in cõſpectu 75.1.1.a
Ego autem ſum oliua fructifera 415.2.1.e
Ego dixi in exceſſu meo 252.1.2.d
Ego dixi dij eſtis 685.2.1.b
Ego dixi domine miſerere mei 269.1.1.e
Ego enim ſum Deus tuus qui eduxi te 679.2.1.d
Ego vero orationem meã ad te domine 541.2.1.c
Egrediebatur foras 271.2.1.c
¶Elegi abiectus eſſe in domo dei mei 700.1.1.e
Elegit nobis hereditatem ſuam 347.2.1.d
Eleuauerunt flumina domine 31.2.2.d
Eleuauerunt flumina fluctus 32.1.2.b
Elongaſti à me amicum & proximum 724.2.1.e
Eloquium domini inflammauit eum 147.1.2.c
Eloquia domini eloquia caſta 53.1.1.d
¶Emittet verbum ſuum & liquefaciet 594.2.2.a
Emitte manum tuam de alto 548.1.2.b
Emitte ſpiritum tuum & creabuntur 135.2.2.c
Emitte lucem tuam & veritatem 315.1.1.c
Pſal. 139. Æquitas teſtimonia tua in ęternum 371.2.2.a
¶Eripe me domine ab homine malo 512.2.2.a
Pſal. 58. Eripe me de manu inimicorum 172.1.1.e
Eripe me de inimicis meis Deus meus 456.1.1.c
Eripe me de inimicis meis domine 539.2.2.d
Eripe me de operantibus iniquitatem 457.1.1.b
Eripe me de luto vt non infingar 542.1.1.d
Eripite pauperem & egenum 685.1.1.a
Eripies me de contradictionibus 90.2.1.d
Eripies inopem de manu for. 206.2.1.c
Eripuit me de inimicis meis 81.1.1.c
Erit firmamentum in terra 574.2.1.e
Errаui ſicut ouis quæ periit 395.1.2.d
Errauerunt in ſolitudine 181.1.2.b
Erubeſcant & conturbentur vehementer 23.2.1.e
Erubeſcant impij & deducantur in 173.1.1.a
Erubeſcant & conturbentur in ſeculũ 693.1.1.c
Erubeſcant & reuereantur ſimul 212.2.1.d
¶Eructauit cor meum verbum bonum 328.2.1.e Pſal. 44.
Eructabunt labia mea hymnum 389.1.2.e
Erue à framea Deus animam meam 116.2.1.d
Eſto mihi in Deum protectorem 165.2.1.d
Eſto mihi in Deũ protectorẽ, & in locũ 558.1.1.b
Eſurientes & ſitientes 181.2.2.d
¶Et ambulabam in latitudine 299.1.2.c
Et anima mea turbata eſt valde 21.2.1.a
Et anima mea illi viuet 120.1.1.a
Et ab inſurgentibus in me 92.2.1.e
Et abſtulit ſicut oues populum 647.1.1.c
Et abundauit vt auerteret iram 642.1.1.e
Et aduerſum me lætati ſunt 209.1.1.d
Et aſcendit ſuper cherubin 79.1.1.c
Et auerterunt ſe & non ſeruauerunt 649.1.1.b
Et adiuuabit eos dominus 237.2.1.b
Et adorabunt eum omnes reges terræ 571.2.1.e
Et adhuc puſillum & non erit peccator 225.2.1.d
Et adorabunt in conſpectu eius 119.1.1.a
Et adiuuit pauperem de inopia. 194.2.2.d
Et apparuerunt fontes aquarum 80.2.1.b
Et appoſuerunt adhuc peccare ei 631.1.1.a
Et annunciabunt cœli iuſtitiam eius 376.2.1.e
Et annunciauerunt opera Dei 494.1.1.c
Et auxit populum ſuum vehementer 149.2.2.c
Et benedictum nomen maieſtatis eius 576.2.1.a
Et benedicentur in ipſo omnes tribus 575.2.1.c
Et benedixit eis & multiplicati 193.2.2.a
Et cantent in viis domini 496.1.2.b
Et ceciderunt in medio caſtrorum 637.1.1.a
Et cibauit eos ex adipe frumenti 682.2.1.a
Et clamauerunt ad dominum cum tribula. 182.1.2.e. & 185.1.2.c. & 187.1.2.a. & 190.1.2.b
Et cognoſcant quia nomẽ tibi dominus 693.2.1.b
Et collocauit illic eſurientes 193.1.2.a
Et comedit omne fenum in terra eorũ 154.1.2.b
Et comminuam eos vt puluerem ante 90.2.1.b
Et comminuet eos tanquam vitulũ lib. 157.1.1.b
Et commixti ſunt inter gentes 174.1.2.d
Et concidam à facie ipſius inimicos eius 735.2.1.c
Et concluſit in gladio populum ſuum 651.2.1.b
Et concupiſcet rex decorem tuum 336.2.1.a
Et concupierunt concupiſcentiam in 166.1.2.d
Et cõuertit in ſanguinem flumina eorũ 645.1.1.a
Et conuerſi ſunt & tentauerunt Deum 643.2.1.d
Et crediderunt verbis eius. 165.2.2.c
Et cum electo electus eris 83.2.1.e
Et cuſtodia in nocte, quæ pro 5.1.2.e
Et cuſtodiam legem tuam ſemper 298.2.2.c
Et dedit terra eorum ranas 152.1.2.c
Et dedit illis regiones gentium 158.1.2.e
Et dedit terram eorum hæreditatem 483.2.2.e
Et dedit eos in miſericordias 178.1.2.d
Et dedit eis petitiones ipſorum 166.2.2.b
Et dedit erugini fructus eorum 646.1.1.d
Et dedit terrã eorũ hæredi. 472.1.2.d. & 483.2.2.e







& dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ 89.1.1.b
& dederunt in eſcam meam fel 546.2.1.c
& deduxit eos in ſpe & non timuerunt 647.2.1.b
& deduxit eos in viam rectam 152.2.2.b
& de execratione & mendacio 462.1.1.d
& defecerunt in vanitate dies eorum 640.1.1.a
& deſpexit oculus meus inimicos meos 28.1.2.b
& dicet homo: ſi vtiq; eſt fructus iuſto 456.1.1.a
& dilatauerunt ſuper me os ſuum 211.2.1.a
& dilexit maledictionem 207.2.2.c
& dilexerunt eum in ore ſuo 641.1.1.d
& dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum 680.2.1.d
& diſciplina tua correxit me 89.1.1.c
& diſtinxit in labiis ſuis 173.2.2.c
& dixi. qs dabit mihi pẽnas ſicut colũbę 430.1.1.d
& dixi ergo ſine cauſa iuſtificaui cor 583.1.1.a
& dixi nunc cepi 615.2.1.a
& dixi forſitam tenebræ conculcabunt 504.1.2.d
& dixit vt diſperderet eos 169.1.2.b
& dixerunt quomodo ſcit Deus 582.1.1.c
& dixerunt non videbit dominus 36.2.2.a
& dominabitur a mari vſque ad mare 571.2.1.b
& dominabuntur eorum iuſti in matut. 369.2.1.c
& ædificabo in gñatione & generationẽ 728.1.1.a
& ædificauit ſicut vnicornis 655.2.1.d
& educet quaſi lumen iuſtitiam tuam 223.2.1.d
& eduxit populum ſuũ in exultatione 157.2.2.d
& eduxit eos de tenebris 185.1.2.e
& eduxit Iſrael per medium eius 482.1.2.d
& eduxit aquam de petra 631.1.1.b
& eduxit me in latitudinem 81.2.1.c
& eduxit eos cum argento & auro 155.1.2.b
& eduxit eos in nube diei 630.1.1.d
& ero immaculatus cum eo 83.1.1.d
& erit tanquam lignum quod plantatum 3.1.1.a
& erunt vt cõplaceant eloquia oris mei 100.2.1.c
& erue me de manu filiorum alienorũ 550.1.2.d
& effuderunt ſanguinem innocentem 175.1.2.b
& ego ad te domine clamaui & mane 723.1.1.c
& ego primo genitum ponam illum 737.2.1.c
& ego factus ſum opprobrium illis 211.2.2.e
& eiecit à facie eorum gentes 648.1.1.c
& elegit Dauid ſeruum ſuum 656.1.1.c
& eleuauit manum ſuam ſuper eos 171.1.2.a
& exaltent eum in eccleſia plebis 191.2.2.d
& exaltabitur ſicut vnicornis 29.1.2.d
& exarcit ignis in ſynagoga eorum 167.2.2.c
& exaudiuit de templo ſancto ſuo 78.1.1.b
& exaudiuit preces meas 257.1.1.d
& excitatus eſt tanquam dormiens 653.1.1.c
& excuſſit Pharaonem & virtutem 482.2.2.a
& exaltauerunt filiæ iudæ 64.2.2.e
& exurge domine Deus meus in præcep. 26.2.1.e
& factus ſum ſicut homo non audiens 244.1.1.b
& factus eſt mihi dominus in refugium 43.2.2.d
& factus in pace locus eius 606.1.1.a
& factus eſt dominus refugium pauperi 38.1.1.c
& fecerunt vitulum in Oreb 168.1.2.b
& filij eorum vſque in ſæculum 456.1.2.b
& filiæ tyri in muneribus 336.2.1.e
& folium eius non defluet. 3.2.1.c
& fui flagellatus tota die 583.1.1.c
& funes extenderunt in laqueum 515.2.2.b
& gloriati ſunt qui oderunt te 591.2.1.c
& gloriabuntur in te omnes qui diligũt 18.2.1.b
& habitare fecit in tabernaculis 648.2.1.e
& humiliatum eſt in laboribus cor 185.1.2.a
& immiſit in os meum canticum 258.1.1.d
& immolauerunt filios ſuos 174.2.2.d
& inclinauit ex hoc in hoc 603.2.1.d
& increpuit mare rubrum 164.1.2.c
& induit maledictionem ſicut 280.1.2.d
& induxit eos in montẽ ſanctificationis 647.2.1.e
& in eo parauit vaſa mortis 29.1.1.d
& inhabitabunt ibi 552.1.1.b
& initiati ſunt beelphegor 171.2.2.a
& inimicos meos dediſti mihi dorſum 90.1.1.d
& intonuit de cœlo dominus 80.1.1.b
& intrauit Iſrael in Ægyptum 149.1.2.d
& introibo in altare Dei 316.2.1.e
& infecta eſt terra in ſanguinibus 175.2.2.a
& in velamento alarum tuarum 487.2.1.d
& in vmbra alarum tuarum ſperabo 446.2.1.a
& inuoca me in die tribulationis 381.2.1.d
& ipſe redimet Iſrael 444.1.2.e
& iratus eſt furore dominus in populũ 175.2.2.e
& irritauerunt eum in adinuentionibus 172.1.2.d
& irritauerunt aſcendentes in mare 163.1.2.c
& irritauerunt Moyſem in caſtris 167.1.2.b
& irritauerunt eum ad aquas contra 173.1.2.d
& iſti non cognouerunt vias meas 52.1.2.e
& iuſti epulentur & exultent 517.2.1.c
& iuſtitia illius in filios filiorum 112.2.2.e
& letati ſunt quia ſiluerunt 191.1.2.d
& letentur omnes qui ſperant in te 18.1.1.d
& leuaui manus meas ad 301.1.2.d
& lingua mea meditabitur 213.1.1.e
& loquebar in teſtimoniis tuis 300.1.2.b
& locutum eſt os meum 510.2.1.a
& male locuti ſunt de Deo 632.2.1.b
& mandauit nubibus de ſuper 635.1.1.a
& manducauerunt & ſaturati 637.2.1.c
& meditabar in mandatis tuis 300.2.2.b
& meditabor in omnibus operibus tuis 616.1.1.d
& meditatus ſum nocte 614.1.1.a
& memor fuit teſtamenti ſui 178.1.2.a
& memores ſunt mandatorum ipſius 114.1.2.d
& miſericordia tua ſubſequetur me 124.1.1.c
& miſit ſagittas ſuas 80.1.1.e
& miſit ſigna & prodigia in med. 470.2.2.e
& mutauerunt gloriam ſuam 168.2.2.b
& ne auferas de ore meo verbum 297.2.2.e
& ne auertas faciem tuam à puero 544.2.1.e
& non audiuit populus meus vocem 680.1.1.d
& non defecit de plateis eius 433.1.1.e
& non diſcedimus à te: & viuificabis 675.1.1.e
& non dixerunt qui præteribant 439.1.2.c
& non intres in iudicium cum ſeruo 534.2.2.b
& non receſſit retro cor noſtrum 325.2.1.a
& nos populus paſcue eius 50.2.2.a
& nunc quæ eſt expectatio mea 253.2.1.c
& nunc reges intelligite 9.1.1.e
& numerum dierum meorum quis eſt 250.1.1.d
& obliti ſunt benefactorum eius 628.2.1.a
& occidit in grandine vineas 646.2.1.c
& occidit reges fortes 483.1.2.d
& occidit pingues eorum 638.2.1.a
& occurſus eius vſque ad ſummum 98.1.1.b
& Og regem Baſan 483.2.2.d
& omnes vias meas præuidiſti 500.2.2.b
& omnia cornua peccatorũ confringã 604.2.1.b
& operui in ieiunio animam meam 540.2.1.a
& operuit aqua tribulantes eos 165.1.2.e
& pauci facti ſunt 194.1.2.a
& pauit eos in innocentia cordis 657.1.1.a

Et percuſſit inimicos ſuos 653.2.1.d
Et pcuſſit omne primoge. 154.2.2.b.& 646.2.1.a
Et percuſſit vineas eorum 153.2.2.a
Et perdes omnes qui tribulant animam 541.2.2.b
Et perfice eam quam plantauit dextera 674.1.1.c
Et permanebit cum ſole & ante lunam 570.1.1.d
Et perſecutus eſt hominem inopem 207.1.2.c
Et pertranſierunt de gente in gentem 144.1.2.b
Et placebit Deo ſuper vitulum 550.2.1.a
Et pluit ſuper eos ſicut puluerem 637.1.1.c
Et pluit illis manna 635.2.1.b
Et ponam in mari manum eius 737.1.1.a
Et ponam in ſęculum ſęculi ſemen eius 738.2.1.a
Et poſui veſtimentum meum cilicium 540.2.1.e
Et poſuit tenebras latibulum ſuum 79.1.1.e
Et poſuerunt aduerſum me ma. 201.1.2.c
Et precium redemptionis animæ 365.1.1.d
Et præcinxiſti me virtute ad 90.1.1.c
Et propter hanc in altum regredere 27.1.1.c
Et qui adduxerunt nos hymnum 488.1.2.e
Et qui inquirebant mala mihi 243.2.1.b
Et qui iuxta me erant de lõge ſteterunt 243.1.1.d
Et recordatus eſt quia caro ſunt 643.1.1.a
Et redde vicinis noſtris ſeptuplum 663.1.1.d
Et redemit nos ab inimicis. 484.2.2.d
Et reddet illis iniquitatem ipſorum 44.1.2.b
Et refloruit caro mea 152.1.1.d
Et relinquent alienis diuitias 367.1.1.a
Et rememorati ſunt quia 640.2.1.c
Et repulit tabernaculum ſylo 650.2.1.d
Et repulit tabernaculum Ioſeph 654.2.1.e
Et reputatum eſt ei ad iuſtitiam 172.2.2.e
Et requiem temporib. meis donec 451.2.2.a
Et reſpondebo exprobrantibus mihi 297.1.2.e
Et retribuet mihi dominus 82.1.1.b.& 83.2.1.a
Et ſacrificent ſacrificium laudis 187.2.2.e
Et ſaluauit eos de manu odientium 164.2.2.d
Et ſaluauit eos propter nomen ſuum 163.2.2.c
Et ſecundum multitudinem miſera. 392.1.1.a
Et ſciẽt quia Deus dominabitur Iacob 462.2.1.b
Et ſciant quia manus tua hæc 212.1.2.d
Et ſemen ſeruorũ eius poſſidebit eam 552.2.1.d
Et ſeminauerunt agros 193.1.2.c
Et ſi ingrediebatur vt videret 271.1.1.b
Et ſi is qui oderat me ſuper me 434.1.1.d
Et ſicut opertorium mutabis eos 104.1.2.c
Et ſit ſplendor domini Dei noſtri ſuper 12.2.2.d
Et ſperent in te qui nouerunt nomen 38.2.1.d
Et ſtatuit procellam eius in auram 190.2.2.d
Et ſtatuit ſupra petram pedes meos 257.2.1.d
Et ſtatuit illud Iacob 142.2.2.e
Et ſtetit phinees & plantauit 172.2.2.c
Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos 605.1.1.c
Et ſuſcitauit teſtimonium in Ia. 624.1.1.c
Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur 546.1.1.d
Et tabeſcere feciſti ſicut araneam 255.1.1.b
Et tentauerunt & exacerbauerunt 649.1.1.b
Et tentauerunt Deum in cordibus 632.1.1.a
Et thronus eius ſicut ſol 741.2.1.b
Et timebunt gentes nomen tuum 98.1.2.a
Et tradidit in captiuitatem 651.1.1.b
Et tradidit grandini iumenta 645.1.1.b
Et tradidit eos in manus gentium 176.1.2.d
Et tranſiui & ecce non erat 236.2.1.c
Et tribulauerunt eos inimici 176.2.2.d
Et tu domine domine fac mecum 209.2.2.c
Et tu domine deridebis eos 460.1.1.d
Et tu domine Deus miſerator & 714.1.1.a

Et veniat ſuper me miſericordia tua 296.2.2.a
Et veritas mea & miſericordia mea 736.1.1.c
Et virtutem terribilium tuorum 556.2.2.b
Et vide ſi via iniquitatis in me eſt 512.1.2.b
Et videas filios filiorum tuorum 435.1.2.c
Et vidit cum tribularentur 177.2.2.a
Et viuet & dabitur ei de auro 574.1.1.e
Et vocauit famem ſuper terram 145.2.2.a
Et vſque ad ſenectam & ſenium 565.1.1.e
Et vt deiiceret ſemen eorum 171.1.2.d
Et vt inhabitem in domo domini 124.1.1.d
Etenim paſſer inuenit ſibi do. 695.2.1.b
Etenim homo pacis meæ 273.1.1.b
Etenim firmauit orbem terræ 30.2.2.c
Etenim dominus dabit benignitatem 707.1.1.e
Etenim non credentes 526.2.1.a
Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt 618.2.1.a
Etenim benedictionem dabit legiſta 698.2.1.c
Etenim in corde iniquitates 451.1.1.d
Etenim correxit orbem terræ 58.1.2.b
Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea 100.1.1.a
Etenim illuc manus tua deducet 503.2.2.b
Etenim ſederunt principes 285.1.2.a
Etenim Aſſur venit cum illis 690.1.1.b
¶Euntes ibant & flebant 426.1.2.c
¶Exacerbauit dominum peccator 45.1.1.a
Exaltare ſuper oẽs cœlos 448.1.1.d.&450.1.1.c
Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnẽ terrã gloria tua vt liberentur dilecti tui 197.1.2.c
Exaltare qui iudicas terram 34.1.2.d
Exaltare dñō in virtute tua 109.1.1.b
Exaltare dominum Deum 75.1.2.c & 78.1.2.a
Exaltaſti dexteram deprimentium eũ 743.2.1.d Pſal.29.
¶Exaltabo te dñe quoniam ſuſcepiſti 159.1.1.c Pſal. 144.
¶Exaltabo te Deus meus rex 553.2.2.c Pſal. 60.
¶Exaudit Deus deprecationem meam 472.2.1.a Pſal. 93.
¶Exaudi Deus orationem meã cum 489.1.1.d Pſal.54.
¶Exaudi Deus orationem meam, 427.1.1.d
Exaudi domine vocem depręcationis 149.1.1.b Pſal. 16.
¶Exaudi domine iuſtitiam meam 68.2.1.d
Exaudi domine vocem meã quia cla. 145.1.1.d
Exaudiuit dominus depręcationẽ meam 23.2.1.c
Exaudi me domine quoniã benigna eſt 543.1.1.d
Exaudi nos Deus ſalutaris noſter 500.1.1.c
Exaudi orationem meam 496.1.1.d
Exaudi orationem meã dñe & depre. 255.1.1.d Pſal.19.
¶Exaudiat te dominus in die tribu. 101.1.1.a
Exaudiet Deus & humiliabit illos 437.1.1.a
Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo 103.1.1.d
Excelſus ſuper omnes gentes dominus 233.1.2.b
Excita potentiam tuam & veni 666.2.1.e
Exibit ſpiritus eius & reuerte 569.2.1.a
Exibit homo ad opus ſuum 131.2.2.b
Exiſtimabam vt cognoſcerem 583.2.1.d
Exiſtimaſti iniquè quòd ero 389.1.1.a
Exitus aquarum deduxerunt oculi 365.1.2.d
Ex ore infantium & lactentium 32.2.1.e
Exortum eſt in tenebris lumen 228.2.2.b
Expandi manus meas ad te 536.2.2.e
Expandi nubem in protectionem 156.1.2.a
Expecta dominum viriliter age 147.2.1.c
Expecta dominũ & cuſtodi viam eius 236.1.1.d Pſal.39.
¶Expectans expectaui dominum 256.1.1.a
Expectabam ſalutare tuum domine 388.2.2.d
Expectabam eum qui ſaluum me fecit 431.2.1.d
Exquiſiui dominum & exaudiuit me 194.2.1.c
Extendens cœlum ſicut pellem 119.1.2.a
Extendit palmites ſuas 672.1.1.d

Exterminauit

Exterminauit eam aperte 672.2.1.c
Extraneus factus ſum fratribus 539.2.1.d
Exultabo in ſalutari tuo 40.2.1.c
Exultabo & diuidam ſichimam 198.1.2.e
Exultabit cor meum in ſalutari 59.1.1.a
Exultabunt labia mea 567.2.1.c
Exultabunt ſancti in gloria 605.2.2.a
Exultauit vt gigas ad currendum 97.2.1.c
Exultare in conſpectu eius 518.2.1.c
Pſal.80. ¶Exultate Deo adiutori noſtro 675.2.1.e
Pſal. 32. ¶Exultate iuſti in domino 184.1.1.b
Exultationes Dei in gutture 605.2.2.e
Exultent & lætentur qui volunt 213.1.1.b
Exultent & lætentur in te omnes qui 555.2.1.d
Exultent & lætentur ſuper te omnes 266.1.1.d
Pſal.67. ¶Exurgat Deus & diſſipentur inimici 516.1.1.a
Exurge domine Deus & exaltetur 47.1.1.d
Exurge domine adiuua nos 328.2.1.b
Exurge domine pręueni eum 74.1.1.b
Exurge domine non confortetur homo 43.2.1.a
Exurge in ocurſum meum 458.1.1.a
Exurge domine in ira tua 26.2.1.a
Exurge gloria mea 449.2.1.b
Exurge & intende iudicio meo 212.1.1.a
Exurge pſalterium & cithara 196.1.2.c
Exurge Deus & iudica cauſam tuam 599.1.1.a
Exurge quare obdormis domine 327.2.1.d
Ex vſuris & iniquitate redimet 573.2.1.e
FAc cum ſeruo ſecundũ miſericordiã 356.2.2.c
Fac illis ſicut Madian 690.1.1.d
Fac mecum ſignum in bonum 715.1.1.d
Faciens miſericordias dominus & 108.1.2.b
Faciem tuam illumina ſuper ſeruum 364.1.2.e
Factus ſum tanquam vas perditum 170.2.1.d
Facta eſt Iudęa ſanctificatio eius 235.2.2.d
Factum eſt cor meum tanquam cera 114.2.1.b
Facti ſumus opprobrium vicinis 659.1.1.c
Fallax equus ad ſalutem 191.1.1.a
¶Feci iudicium & iuſtitiam 354.1.2.t
Fecit lunam in tempore 129.1.2.a
Ferant confeſtim confuſionem ſuam 266.1.1.b
¶Fiat manus tua vt ſaluet me 393.2.2.b
Fiant viæ illorum tenebræ 205.1.1.b
Fiat habitatio eorum deſerta 548.2.1.a
Fiat menſa eorum coram ipſis 547.1.1.d
Fiat ei ſicut veſtimentum 208.2.2.d
Fiat pax in virtute tua 410.1.2.c
Fiat miſericordia tua vt conſoletur me 322.1.2.a
Fiat cor meum immaculatum 324.1.2.c
Fiat miſericordia tua domine ſuper 191.2.1.e
Fiat manus tua ſuper virum 675.1.1.a
Fiant nati eius in interitum 205.1.2.c
Fiant ſicut fœnum tectorum 438.1.2.d
Fiant dies eius pauci 202.2.2.d
Fiant filij eius orphani 203.1.2.e
Fiant tanquam puluis ante faciem 204.2.1.d
Fiant aures tuæ intendentes 441.1.2.b
Fiant contra dominum ſemper 206.2.2.b
Fidelis dominus in omnibus verbis 561.2.2.c
Fidelia omnia mandata eius 224.2.2.b
Filij alieni mentiti ſunt mihi 91.2.1.b
Filij hominum vſquequo graui corde 13.1.1.b
Filij hominum dentes eorum 448.1.1.a
Filij autem hominum 218.2.1.d
Filij tui ſicut nouellę oliuarum 434.1.2.c
Filij ſeruorum tuorum habitabunt 104.2.2.b
Filij qui naſcentur & exurgent 624.2.1.e
Filij Ephrem intendentes 627.1.1.c

Filia babylonis miſera 492.1.2.a
Filiæ eorum compoſitæ circumornatæ 551.1.2.b
Firmamentum eſt dominus timentib. 134.1.1.a
Firmetur manus tua & exaltetur 731.2.1.d
¶Flumen Dei repletum eſt aquis 501.2.1.d
Fluminis impetus lætificat ciui. 342.2.1.c
Flumina plaudent manu 71.2.2.d
¶Foderunt manus meas & pedes 115.2.1.a
Foderunt ante faciem meam foueam 449.1.1.a
Fortitudo mea & laus mea dominus 261.2.2.e
Fortitudinem meam ad te cuſtodiam 460.2.1.b
¶Frater non redimet, redimet homo 365.1.1.a
Fructum eorum de terra perdes 108.1.1.c
Fuerunt mihi lachrymæ meæ 310.2.1.e
Fulgura coruſcationes 547.2.2.b
Fundatur exultatione vniuerſæ terræ 352.2.1.a
¶Fundamenta eius in montibus ſancti 716.1.1.a
Funes peccatorum circumplexi ſunt me 311.1.2.d Pſal.86.
Funes ceciderunt mihi in præclaris 67.2.1.e
Furor illis ſecundum ſimilitudinem 452.1.1.e
GEneratio & generatio lauda 555.1.2.c
Generatio quæ non direxit 626.1.1.a
Genua mea infirmata ſunt 211.1.2.e
¶Gladius eorũ intret in corde ipſorum 227.2.1.c
Gladium euaginauerunt peccatores 227.1.1.c
Gloria & diuitiæ in domo eius 228.1.2.b
Gloriam regni tui dicent 559.2.2.c
Glorioſa dicta ſunt de te. 717.1.1.a
¶Greſſus meos dirige ſecundũ eloquiũ 362.2.2.c
¶Guſtate & videte quàm ſuauis eſt 197.1.1.c
HÆc eſt dies quem fecit dominus 266.2.2.a
Hæc eſt generatio quærentium 125.2.1.c
Hæc omnia venerunt ſuper nos 325.1.1.a
Hæc facta eſt mihi 306.2.2.e
Hæc me conſolata eſt in humilitate 302.2.2.b
Hæc requies mea in ſæculum ſæculi 456.2.2.d
Hæc via illorum ſcandalum 368.1.1.c
Hæc recordatus ſum & effudi 311.1.1.b
Hæreditatem Iſrael ſeruo ſuo 484.1.2.b
Hæreditate acquiſiui teſtimonia 347.1.2.a
Hærodij domus dux eſt eorum 128.1.2.c
Heu mihi quia incolatus meus 400.1.2.c
¶Hic accipiet benedictionẽ à domino 126.2.1.a
Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas 407.2.2.c
Hi in curribus & hi in equis 103.2.1.a
Hymnus omnibus ſanctis eius 602.2.2.d
¶Hoc opus eorum qui detrahunt 209.2.2.a
Hoc mare magnum & ſpacioſum 132.2.2.b
Hodie ſi vocem eius audieritis 51.1.2.b
Holocauſta medulata auferam 510.2.1.b
Holocauſtum & pro peccato non 261.2.1.e
Homo vanitati ſimilis factus eſt 546.1.2.d
Homo cum in honore eſſet non 367.2.1.c
Homines & iumenta 218.1.1.e
¶Humiliabam in ieiunio animam 208.2.1.c
Humiliauerunt in compedibus 146.2.2.e
Humiliatus ſum vſque quaque dom. 342.1.2.b
Hunc humiliat & hunc exaltat 603.1.1.c
IActa ſuper dominum curam tuam 438.1.1.a
Ibi dolores vt parturientis 355.1.1.d
Ibi confregit potentias 606.1.1.e
Ibi Bemiamin adoleſcentulus 529.2.1.b
Ibi ceciderunt omnes qui operantur 220.1.1.c
¶Ideo dilexi mandata tua 358.2.2.b
Ideo exaudiſti vocem orationis meæ 175.1.1.c
Ideo audiuit dominus & diſtulit 633.2.1.d
Ideo non reſurgent impij 4.1.1.d
Ideo conuertetur populus meus 582.2.1.e

Ideo

Ideo tenuit eos ſuperbia 580.1.1.c
¶Ignis ante ipſum præcedet 61.2.2.d
Ignis grando nix glacies 600.1.2.e
Ignis in conſpectu eius exardeſcet 364.1.1.d
Ignitum eloquium tuum vehemen. 368.2.2.b
¶Illuc enim aſcenderunt tribus 408.1.2.d
Illuc producam cornu Dauid 458.2.2.d
Illuminans tu mirabiliter 606.2.1.c
Illumina oculos meos ne vnquam 58.2.1.a
Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum 172.2.1.b
Illuxerunt coruſcationes tuæ 619.1.1.a
¶Immittet angelus domini in circuitu 196.2.1.c
Immola Deo ſacrificium laudis 381.1.1.e
Imperfectum meum viderunt oculi 507.1.2.d
Impinguaſti in oleo caput meum 123.2.1.d
Imple facies eorum ignominia 692.2.1.c
Impleat dominus omnes petitiones 103.1.1.b
Impulſus euerſus ſum vt cade. 261.1.2.d
¶In capite libri ſcriptum eſt de 261.2.1.e
Incenderunt igni ſanctuarium 592.2.1.c
Incenſa igni & ſuffoſſa 674.2.1.a
In chamo & freno maxillas eorum 181.2.1.c
In circuitu impij ambulant 56.1.1.d
Inclina ad me aurem tuã 165.2.1.c.& 557.2.1.c
Inclina cor meum in teſtimonia 292.2.2.e
Pſalm.85. ¶Inclina domine aurem tuam & exp. 708.1.1.c
Inclinaui cor meum ad faciendas 347.2.2.e
Inclinauit cœlos & deſcendit 78.2.1.e
Inclinabo in parabolam aurem 362.1.1.b
Incola ego ſum in terra 281.2.2.e
In conueniendo populos in vnum 101.2.1.d
Pſal. 125. ¶In conuertendo dominus captiuitatẽ 422.1.2.b
In conuertendo inimicum meum 36.1.1.c
In conſpectu tuo ſunt omnes qui 546.1.1.a
In conſpectu angelorum pſalam tibi 493.2.2.c
In corde meo abſcondi eloquia 276.2.2.b
Increpaſti ſuperbos maledicti 283.2.2.a
Increpa feras arundinis 531.2.1.c
Increpaſti gentes & periit impius 37.1.1.b
In decachordo pſalterio 23.2.2.d
In Deo faciemus virtutem 199.1.2.c.& 472.1.1.d
In Deo laudabo verbum 443.2.1.b
In Deo laudabo ſermones 440.2.1.b
In Deo ſalutare meum 479.1.1.b
In Deo laudabimur tota die 321.2.1.a
In deficiendo ex me ſpiritum meum 529.1.2.d
In die tribulationis meæ 611.2.1.d.& 710.2.1.e
In die mandauit dominus miſericordiã 313.1.1.c
Pſalm. 10. ¶In domino confido 49.2.1.e
In domino laudabitur anima mea 193.2.1.d
Induti ſunt arietes ouium 503.2.1.d
Induantur confuſione & reuerentia 213.1.1.a
Induantur qui detrahunt mihi 213.1.2.a
Induxiſti nos in laqueum 509.1.1.e
Inebriabuntur ab vbertate 219.1.1.b
In eccleſiis benedicite domino 529.1.1.d
In eo dum conuenirent ſimul 171.1.1.a
In æternum domine verbum tuum 330.2.2.b
In æternum ſeruabo illi miſericordiam 738.1.1.b
In æternum non obliuiſcar iuſtifica 333.2.2.e
Pſal.113. ¶In exitu Iſrael de Ægypto 235.1.2.b
Infirmata eſt in paupertate 169.2.1.d
Infixus ſum in limo profundi 535.2.1.a
In generatione & generationem 726.1.1.c
In generatione & generationem veritas 331.2.2.b
In generatione & generationem anni 664.1.1.b
Inhabitabunt & abſcondent 441.2.1.a
In hoc cognoui quoniam voluiſti me 274.1.1.e

In Idumeam extendam calciamentum 471.1.1.a & 198.2.2.d
Inimici vero domini mox vt hono. 230.1.1.c
Inimici domini mentiti ſunt ei 688.1.1.b
Inimici autem mei viuunt 245.2.1.e
Inimici mei animam meam circun. 73.1.1.a
Inimici defecerunt frameæ 37.2.1.a
Inimici mei dixerunt mala 270.2.1.a
Inimicos eius induam confuſione 459.2.2.a
Iniquos odio habui 348.2.2.b
Iniquitatem odio habui & abominatus 386.2.2.a
Iniquitatem meditatus eſt 215.2.1.b
Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo 512.1.1.e
In ira concitauerunt eum 650.1.1.b
Initio cognoui de teſtimoniis 377.1.2.e
Initio tu domine terram fundaſti 103.1.2.a
Iniuſti punientur & ſemen 234.1.1.d
Iniuſti autem diſperibunt 2:7.1.1.b
In iuſtificationibus tuis medi. 279.2.2.b
In labore hominum non ſunt 579.2.1.a
In labiis meis pronunciaui 277.2.2.a
In laqueo ſuo humiliabit eum 47.1.1.a
In laqueo iſto quem abſconderunt 40.2.1.e
In manus tuas domine 166.2.1.d
In manu potenti & in brachio 481.2.2.d
In manibus portabunt te 20.1.2.e
In mari viæ tuæ,& ſemitæ 619.2.1.a
In matutino interficiebam 88.2.2.a
In mandatis tuis exercebor 279.1.2.a
In me tranſierunt iræ tuæ 724.1.1.c
In me ſunt Deus vota tua 444.1.1.a
In memoria æterna erit 229.2.2.d
In memoriam redeat iniquitas 205.2.2.d
In multitudine miſericordiæ tuæ 542.1.1.a
In noctibus extollite manus 464.2.2.b
Innocens manibus & mundo corde 126.1.1.c
Innocentes & recti adhæſerunt 135.2.1.b
In omnem terram exiuit ſonus 95.2.1.d
In omnibus his peccauerunt adhuc 639.1.1.b
In pace in idipſum dormiam 14.2.1.c
In petra exaltauit me 144.2.1.c
In quacunq; die inuocauero te exaudi 495.2.2.c
In quacũq; die inuocauero te velociter 90.1.2.c
In quacunque die inuocauero te,ecce 443.1.1.d
In quo corrigit adoleſcentior 274.2.2.c
In quorum manibus iniquiquitates ſunt 139.2.1.c
In ſalicibus in medio eius 487.1.2.b
Inſidiatur vt rapiat pauperem 46.2.1.e
In ſole poſuit tabernaculum ſuum. 96.2.1.e
¶In te domine ſperaui non 164.2.1.c.556.1.1.e Pſal.30.& Pſalm.70.
In te cantatio mea ſemper 560.1.1.c
In te inimicos noſtros ventillabimus 320.1.1.d
In te ſperauerunt patres noſtri 111.1.1.b
In te confirmatus ſum ex vtero 559.2.1.e
Intellexiſti cogitationes meas 499.2.2.e
Intelligite inſipientes in populo 37.1.2.a
Intelligite hæc qui obliuiſcimini 389.1.1.e
Intellectus bonus omnibus facientibus 225.2.2.c
Intellectum tibi dabo 181.1.1.c
Intende animę meæ & libera eam 545.1.1.b
Intende in adiutorium meum 247.1.1.a
Intende ad viſitandas omnes gentes 458.2.1.b
Intende ad deprecationem meam 532.1.2.b
Intende voci orationis meæ 15.1.1.e
In terra deſerta inuia & in. 484.2.1.a
Interrupit petram in eremo 630.2.1.b
Interrupit mare & perduxit eos 629.2.1.c


in toto




in toto corde meo 275.2.2.d
intret poſtulatio mea in 391.2.2.c
intret in conſpectu tuo oratio mea 720.1.1.d
in tribulatione inuocaſti me 678.2.1.d
in tribulatione mea inuocaui dominum 77.2.1.d
introibo in domum meam in holo. 510.1.1.b
introibo in domum tuam,adorabo 17.1.1.a
introibit vſque in progenies patrum 371.1.1.e
introibimus in tabernaculum eius 452.2.2.b
introite in conſpectu eius 79.1.2.e
inueni Dauid ſeruum meum 734.2.1.a
inueniatur manus tua 107.1.1.d
¶In via hac qua ambulabam 529.2.2.e
in via teſtimoniorum tuorum 278.1.2.d
in voce exultationis & confe. 311.2.1.a
inuocabat dominum & ipſe exaudiebat 76.2.2.a
¶Iocundus homo qui miſeretur 229.1.2.b
iocundum ſit eloquium meum 137.2.2.b
¶Ipſe autem eſt miſericors 642.1.1.b
ipſe inuocauit me pater meus 737.1.1.c
ipſe dominus Deus noſter 141.2.2.d
ipſi vero in vanum quæſierunt 488.1.1.d
ipſi vero conſiderauerunt 115.2.1.d
ipſi viderunt opera domini 188.2.2.c
ipſi peribunt,tu autẽ permanes 103.1.2.d
ipſi obligati ſunt & ceciderunt 103.2.1.c
ipſi autem exacerbauerunt eum 177.1.2.c
ipſi diſpergentur ad manducandum 463.2.1.a
ipſi videntes ſic admirati ſunt 354.2.1.b
¶Iraſcimini & nolite peccare 13.2.1.c
¶Iſte pauper clamauit 196.1.1.c
¶Ira perſequeris eos in tempeſtate 692.2.1.a
¶Iubilate in conſpectu regis domini 71.2.2.a
Pſal.65. ¶Iubilate Deo omnis terra pſalmum 504.1.1.c
iubilate Deo omnis terra cantate 70.2.2.a
Pſal.99. ¶Iubilate deo omnis terra ſeruite 78.1.2.c
Iuda rex meus 470.1.1.e.& 198.2.2.c
iudica iudicium meum & redime me 379.1.2.d
iudica me domine ſecundum iuſtitiam 27.2.1.a
iudica me ſecundum iuſtitiam meam 212.1.1.c
Pſal.34. ¶Iudica domine nocentes me 209.2.1.b
Pſal.42. ¶Iudica me Deus & diſcerne 314.1.1.d
Pſal.25. ¶Iudica me domine quoniam ego in 136.1.1.b
iudicate egeno & pupillo 684.2.1.b
iudicabit pauperes populi 569.2.1.b
iudicabit in nationibus 219.2.2.a
iudicabit orbem terrarum 72.2.2.a
iudicare populum tuum 569.1.1.b
iudicabit orbem terræ in æquitate 60.1.2.c
iudicare pupillo & humili 49.2.1.c
iunior fui etenim ſenui 233.1.1.c
iuraui & ſtatui cuſtodire 344.2.2.a
Iurauit dominus Dauid veritatem 454.2.2.b
iurauit dominus & non pęnitebit eum 218.1.2.c
iuſtus es domine rectum 367.1.2.a
iuſtus vt palma florebit 28.2.2.a
iuſtus dominus in omnibus viis ſuis 564.1.2.d
iuſti autem hæreditabunt terram 234.2.1.a
iuſtum adiutorium meum à domino 28.2.1.a
iuſtitia ante eum ambulabit 707.2.1.b
iuſtitia tua ſicut montes Dei 217.1.1.b
iuſtitia tua iuſtitia in æternum 370.1.2.a
iuſtitiæ domini rectæ lætificantes 98.2.1.d
iuſtitiam tuam non abſcondi 262.2.1.a
iuſtificationes tuas cuſtodiam 274.1.2.b
iuuenes & virgines ſenes 601.2.2.d
iuuenes eorum comedit ignis 652.1.1.a
iuxta eſt dominus his qui tribu. 201.1.1.b

LAbores manuum tuarum 432.2.2.d
Laboraui clamans rauce 326.1.1.c
Laboraui in gemitu meo 22.2.1.c
Lacum aperuit & effodit eum 30.1.1.c
Lapidem quem reprobauerunt 265.2.2.a
Laqueus contritus eſt 418.1.2.d
Laqueum parauerunt pedibus meis 448.2.1.d
Lauabo inter innocentes 138.1.1.b
¶Lauda Hieruſalem dominum 580.2.2.a Pſal. 147.
¶Lauda anima mea dominum 567.1.2.e Pſal. 145.
Laudamini in nomine ſancto eius 139.2.2.b
¶Laudate dominum de cœlis 596.1.2.a Pſal. 148.
¶Laudate dominũ quoniã bonus eſt 572.2.2.d Pſal. 146.
Laudate dominum de terra 599.2.2.d
¶Laudate dominum in ſanctis eius 608.1.2.a Pſal. 150.
Laudate dominum quoniam bonus 467.1.2.d
¶Laudate dominum omnes gentes 255.2.2.a Pſal. 116.
Laudate nomen eius 82.1.2.b
¶Laudate nomẽ domini,laudate ſerui 465.2.2.c Pſal.134.
¶Laudate pueri dominum 231.2.2.d Pſal.112.
Laudate eum in virtutibus eius 608.2.2.c
Laudate eum in ſono tubę 609.1.2.d
Laudate eum cœli cœlorum 598.1.2.c
Laudate eum in cymbalis 610.1.2.c
Laudate eum in tympano 610.1.2.a
Laudate eum ſol & luna 598.2.2.b
Laudate eum omnes angeli eius 596.2.2.e
Laudabo nomen Dei cum cantico 550.1.1.d
Laudans inuocabo dominum 77.1.1.b
Laudationem domini loquetur os meũ 566.2.2.c
Laudent illum cœli & terra 551.2.1.c
Laudent nomen eius in choro 6 4.2.2.a
¶Legem pone mihi domine in via tua 147.1.1.a
Legem pone mihi domine viam iuſtifi. 290
Lætabor ego ſuper eloquia tua 385.2.2.c
Lætabor & exultabor in te 36.1.1.b
Lætabimini in ſalutari tuo 102.2.1.c
Lętabitur iuſtus cũ viderit vindictã 455.1.1.e
Lętabitur iuſtus in domino 494.2.1.c
¶Lętatus ſum in his que dicta ſunt 406.1.2.e Pſal.121.
Lętati ſumus pro diebus quibus 12.1.2.a
Lętata eſt Ægyptus in pro. 155.2.2.d
Lętamini iuſti in domino 66.2.2.d
Lætamini in domino & exultate 182.2.1.b
Lætetur mons Sion 358.1.1.d
Lætetur Iſrael in eo qui fecit 604.1.2.b
Lætentur cœli & exultet terra 59.1.2.b
Lætentur & exultent gentes 514.2.1.a
Laua manus tuas in ſuperbias 590.2.1.c
¶Leuaui oculos meos ad montes 401.2.2.b Pſal. 120.
Lex domini immaculata 98.2.1.b
Lex Dei eius in corde ipſius 235.1.1.a
¶Libera me à perſequentibus me 532.1.2.d
Libera Deus Iſrael 135.2.1.d
Libera me de ſanguinibus 407.1.1.c
Libera me quia egenus & pauper 219.1.2.e
Lingua mea calamus ſcribę 330.1.1.a
Liquefacta eſt terra 601.1.1.c
¶Locutus ſum in lingua mea 249.2.1.d
Locuti ſunt aduerſum me 200.1.2.c
Longe a peccatoribus ſalus 380.1.2.c
Longe feciſti notos meos à me 722.2.1.c
Longitudine dierum replebo eum 22.1.2.c
¶Lucerna pedibus meis verbum 342.1.2.e
Lunam & ſtellas in poteſtatem 480.1.2.b
Lux orta eſt iuſto 66.1.2.e

MAgnus dominus & laudabilis 351.1.1.b Pſal. 47.
Magnus dominus & laudabilis 555.1.2.b


Magnus

Magnus dominus noſter & magna 575.2.2.b
Magna eſt gloria eius in 106.1.1.c
Magna opera domini 220.2.2.e
Magnificauit dominus facere 424.1.2.c
Magnificate dominum mecum 194.1.1.e
Magnificans ſalutes regis 93.2.1.d
Magnificentiam gloriæ ſanctitatis 556.1.2.b
Maledicent illi & tu benedices 112.2.2.a
Manda Deus virtuti tuæ 530.1.1.a
Mandaſti iuſtitiam teſtimonia 367.2.2.a
Manducauerunt & adorauerunt 119.2.1.c
Manſueti autem hæreditabunt 226.1.1.b
Mane ſicut herba tranſeat 6.1.2.c
Mane aſtabo tibi & videbo 15.2.1.c
Manus enim mea auxiliabitur ei 734.2.1.b
Manus tuæ domine fecerunt me 319.1.2.a
Manus habent & non palpabunt 242.1.2.b
Manus tua gentes diſperdidit 318.1.1.d
Mare vidit & fugit 236.1.2.e
¶Me autem propter innocentiam 275.1.1.e
Media nocte ſurgebam ad confitendũ 312.1.2.b
Me expectauerunt peccatores 335.1.2.c
Mei autem penè moti ſunt pedes 577.2.1.d
Melius eſt modicum iuſto 228.1.1.a
Memento noſtri domine in bene. 161.1.2.c
Pſal.131. ¶Memento domine Dauid 448.1.2.d
Mementote mirabilium eius 140.2.2.b
Memor eſto verbi tui 301.2.2.d
Memor fui iudiciorum tuorum 304.1.2.d
Memor ſit omnis ſacrificij tui 102.1.1.b
Memor fuit in ſæculum teſtamenti 141.2.2.e
Memores erunt nominis tui domine 340.2.1.b
Memor eſto huius, inimicus 597.2.1.a
Memor eſto domine filiorum Edon 492.2.2.c
Memor eſto domine opprobrij 746.2.1.c
Memor fui nocte nominis tui 306.1.2.c
Memor eſto congregationis tuæ 589.2.1.e
Memor ero Raab 717.2.1.c
Memor fui dierum antiquorum 536.2.2.a
Memor erit in ſæculum teſtamenti 222.2.2.c
Memor fui operum domini 615.2.1.c
Memoriam abundantiæ ſuauitatis 557.1.2.c
Memoriam fecit mirabilium ſuorum 221.2.2.e
Memorare quæ mea ſubſtantia 745.1.1.e
Meus eſt Galaad 198.2.2.a.& 470.1.1.a
¶Mihi autem adhærere Deo bonũ eſt 588.2.1.a
Mihi autem nimis honorificati ſunt 508.1.2.b
Minoraſti dies temporis eius 744.2.1.b
Minuiſti eum paulominus ab angelis 34.1.1.c
Mirabilia teſtimonia tua 359.2.2.e
Mirabilis facta eſt ſcientia tua 501.2.2.b
Mirabilis Deus in ſanctis ſuis 533.1.1.d
Mirabiles elationes maris 32.2.2.a
Mirifica miſericordias tuas 72.1.1.a
Myrrha & gutta & caſſia 334.1.1.a
Miſer factus ſum & curuatus ſum 241.1.1.d
Miſericordia autem domini 113.1.2.c
Miſericordia mea & refugium meum 544.1.2.c
Miſericordia tua domine plena eſt terra 313.2.2.a
Miſericordia & veritas præcedent 732.1.1.c
Miſericordia & veritas obuiauerunt 605.2.1.e
Miſericordiæ tuæ multæ domine 380.2.2.c
Pſal.100. ¶Miſericordiã & iudiciũ cantabo tibi 82.1.2.e
Miſericordiã autem meã nõ diſpergã 740.2.1.b
Pſal.88. ¶Miſericordias domini in æternum 723.1.1.c
Miſerator & miſericors dominus lõgani. 109.1.2.c
Miſerator & miſericors dominus paci 557.2.2.e
Pſal.56. ¶Miſerere mei Deus miſerere mei 444.1.1.d
Miſerere mei Domine, vide humilitatẽ 40.1.1.a
Miſerere mei & exaudi 13.1.1.b
¶Miſerere mei Deus ſecundum 390.2.1.c Pſal.50.
Miſerere mei domine, quoniam ad te 709.2.1.c
Miſerere mei domine, quoniã tribulor 169.1.1.b
¶Miſerere mei Deus, quoniã cõculcauit 438.2.1.c Pſal.55
Miſerere mei domine quoniã infirmus 20.1.1.b
Miſerere noſtri domine miſerere noſtri 413.2.2.d
Miſit Deus miſericordiam ſuam 447.2.1.a
Miſit in eos cynomiam 645.2.1.b
Miſit in eos iram indignationis 645.2.1.b
Miſit ante eos virum 146.1.2.b
Miſit de cœlo & liberauit me 447.1.1.c
Miſit de ſummo & accepit me 81.1.1.a
Miſit verbum ſuum & ſanauit 187.1.2.c
Miſit Moyſen ſeruum ſuum 150.2.2.b
Miſit tenebras & obſcurauit 151.2.2.c
Mitigaſti omnem iram tuam 703.1.1.d
Mittit cryſtallum ſuam ſicut 593.2.2.d
Mittat tibi auxilium de ſancto 101.2.1.c
¶Moab & agareni gebal. 689.1.1.d
Moyſes & Aaron in ſacerdotibus 75.2.2.c
Molliti ſunt ſermones eius 437.2.1.d
Mons in quo beneplacitum eſt Deo 525.1.1.a
Mons coagulatus mons pinguis 524.2.1.b
Montes exultauerunt vt 236.2.2.d
Montes in circuitu eius 420.1.2.a
Montes ſicut cera fluxerunt 62.2.2.b
Montes & omnes colles 600.2.2.d
Moutes exultabit ſicut arietes 237.2.2.b
Mors peccatorum peſſima 201.2.1.e
¶Multa flagella peccatoris 182.1.1.b
Multa feciſti tu domine 260.1.1.a
Multæ tribulationes iuſtorum 201.1.1.d
Multi qui perſequuntur me 381.2.2.a
Multi dicunt animæ meæ 11.1.1.b
Multiplicata eſt ſuper me iniquitas 316.2.2.c
Multiplicatæ ſunt infirmitates 67.1.1.b
Multiplicatæ ſunt ſuper capillos 265.2.1.c
Multiplicaſti magnificentiam 567.1.1.b
Multiplicati ſunt ſuper capillos 537.1.1.c
Multitudo ſonitus aquarum 618.1.1.b
Mutuabitur peccator & non 230.2.1.c
NAm & teſtimonia tua 285.2.2.b
Nam & ipſe Deus meus 477.1.1.b
Nam & ſi ambulauero 122.2.1.c
Nam & ego confitebor tibi 567.1.1.d
Narrabo nomen tuum fratribus 117.2.1.b
Narrabimus mirabilia tua 600.2.1.d
Narrauerunt mihi iniqui fabulationes 325.1.2.a
Narrauerunt vt abſconderent. 492.1.1.d
Narrantes laudes domini 623.1.1.d
¶Ne auertas hominem in 4.2.2.b
Ne auertatur humilis 598.2.1.c
Nec fecit proximo ſuo malum 65.1.1.a
Nec auertit faciem ſuam 118.1.1.c
Nec concluſiſti me in manibus 168.2.1.c
Ne auertas faciem tuam à me 146.1.1.a
Ne derelinquas me domine Deus 246.2.1.b
Ne fiant ſicut patres eorum 625.2.1.b
Ne forte dicant in gentibus 661.2.1.d
Ne memineris iniquitatum 660.1.1.e
Ne obliuiſcaris voces inimico 599.1.1.e
Ne perdas cum impiis Deus animã 139.1.1.e
Ne proiicias me in tempore ſenec. 561.1.1.a
Ne proiicias me à facie tua 404.1.1.c
Neque iniquitas mea neque pe. 457.2.1.b
Neque habitabit iuxta te ma. 16.1.1.a

Neque

Neque ambulaui in magnis 446.1.2.a
Neque profanabo teſtamentum 740.2.1.e
Neque irrideant me inimici 128.2.1.c
Nequando rapiat vt leo 25.1.1.c
Ne reuoces me in dimidio 102.2.2.a
Neſcierunt neque intellexerunt 685.1.1.c
Ne ſileas quoniam aduena ego 255.2.1.a
Ne ſimul tradas me 150.1.1.d
Ne timueris cum diues factus 370.1.1.e
Ne tradas beſtiis animas confi. 598.1.1.a
Ne tradideris me in animas 147.1.1.c
Nihil proficiet inimicus in eo 735.2.1.a
Niſi conuerſi fueritis 29.1.1.a
Pſal.126. ¶Niſi dominus ædificauerit domum 427.1.2.c
Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem 428.2.2.c
Pſalm.123 ¶Niſi quia dominus erat in nobis 414.2.2.c
Niſi quia dominus adiuuit me 41.2.2.b
Niſi quòd lex tua meditatio 332.2.2.c
¶Noli æmulari in eo qui 224.1.1.d
Noli æmulari in malignantibus 220.2.1.a
Nolite tangere Chriſtos meos 145.1.2.a
Nolite ſperare in iniquitate 480.2.1.e
Noli fieri ſicut equus & mulus 181.2.1.a
Nolite confidere in principibus 568.1.2.d
Nolite extollere in altum 602.1.1.d
Non eſt Deus in conſpectu eius 45.1.1.d
Non eſt occultatum os meum 506.2.2.c
Non eſt ruina maceriæ 552.2.2.a
Non eſt ſimilis tui in diis domine 711.1.1.b
Non eſt ſanitas in carne mea 239.2.1.a
Non nobis domine non nobis 238.1.2.d
Non moriar ſed viuam 263.1.2.e
Non abſcondi miſericordiam tuam 263.1.1.a
Non reliquit hominem nocere 144.2.2.b
Non priuabit bonis eos qui 701.1.1.d
Non ſic impij non ſic 3.2.1.e
Non habitabit in medio 88.1.2.b
Non ſunt occultata à filiis eorum 623.2.1.c
Non in ſacrificiis tuis 379.1.1.a
Non enim in arcu meo ſperabo 320.2.1.e
Non congregabo conuenticula 67.1.1.d
Non accipiam de domo tua 379.2.1.e
Non enim eſt illis commutatio 437.1.1.c
Non ſunt recordati manus eius 644.1.1.d
Non cuſtodierunt teſtamentum 628.1.1.a
Non proponebam ante oculos meos 84.1.2.c
Non confundentur in tempore malo 229.2.1.b
Non enim in gladio ſuo poſſederunt 318.2.1.e
Non adhæſit mihi cor 84.2.2.b
Non ſedi cum conſilio vanitatis 137.2.1.a
Non timebo milia populi 12.1.1.a
Non ſunt loquelę neque ſermones 96.1.1.d
Non videbit interitum 366.1.1.d
Non erubeſcant in me qui expectant 538.2.1.b
Non confundantur ſuper me 538.2.1.d
Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur 210.2.1.c
Non me demergat tempeſtas aquæ 542.2.1.e
Non dicant in cordibus ſuis 212.2.1.b
Non ſaluatur rex per multam virtutẽ 190.2.1.d
Non mihi veniat pes ſuperbiæ 219.2.1.e
Non fecit taliter omni nationi 595.2.2.b
Non accedet ad te malum 19.2.2.a
Non enim qui operantur iniquitatem 270.2.2.b
Non in fortitudine equi 578.2.2.e
Non crediderunt verbo eius 170.2.2.a
Non declines cor meum in verba 523.1.2.c
Non mortui laudabunt te 246.1.2.c

Incogn.

Non tradas me domine à deſiderio 517.2.2.a
Non ſit illi adiutor 204.2.2.c
Non auertas faciem tuam à me in 89.2.2.c
Non auertas faciem tuam à me & ſi 537.2.2.e
Non ſecundum peccata noſtra fecit 110.1.2.a
Non in perpetuum iraſcetur 109.2.2.b
Non det in commotionem pedem tuũ 402.2.2.c
Nonne qui oderunt te oderam 510.1.2.d
Nonne Deus requiret iſta 326.2.1.b
¶Nonne tu Deus qui repul. 471.2.1.e Pſal. 61.
Nonne Deo ſubiecta erit anima mea 476.1.1.c
Nonne cognoſcent omnes qui operantur. 61.2.1.b
Nonne ſcient omnes qui operantur 419.1.1.d
Nos autem populus tuus 663.2.1.e
¶Notus in iudæa Deus 605.1.1.b Pſal.75.
Notum fecit dominus ſalutare ſuum 69.1.2.b
Notam feciſti in populis virtutem 616.1.1.b
Notam fac mihi viam in qua ambulem 529.1.2.c
Notas fecit vias ſuas Moyſi 108.2.2.d
Notas mihi feciſti vias vitæ 68.2.1.b
Nouit dominus dies immaculatorum 229.1.1.b
¶Nubes & caligo in circuitu eius 61.1.2.d
Nunc autem repuliſti 321.2.1.b
Nunquid confitebitur tibi puluis 163.1.1.b
Nunquid manducabo carnes 381.1.1.c
Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis 42.2.2.c
Nunquid mortuis facies mirabilia 722.1.1.a
Nunquid cognoſcentur in tenebris 723.1.1.a
Nunquid in æternum iraſceris nobis 703.2.1.d
Nunquid Sion dicet homo 718.2.1.a
Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro 722.2.1.c
Nunquid in æternum proiiciet Deus 614.2.1.a
Nunquid & panem poterit dare 63.2.1.a
Nutantes transferantur filij eius 203.2.2.c
OBliti ſunt Deum qui 168.2.2.c
Obmutui & non aper. 254.1.1.c
Obmutui & humiliatus ſum 248.2.1.e
Obſcurentur oculi eorum 547.2.1.e
Obſeruabit peccator iuſtum 226.1.1.c
¶Oculi eius in pauperem reſpiciunt pal.5 1.2.1.b
Oculi eius in pauperem reſpiciunt inſid. 46.1.1.e
Oculi domini ſuper iuſtos 199.2.1.e
Oculi mei ſemper ad dominum 134.1.1.d
Oculi mei defecerunt 356.1.2.c
Oculi mei ad fideles terræ 87.2.2.a
Oculi omnium in te ſperant domine 563.2.2.b
¶Odiui eccleſiam malignantium 137.2.1.e
Odiſti obſeruantes vanitates 167.1.1.e
Odiſti omnes qui operantur iniquitatẽ 16.1.1.d
O domine libera animam meam 249.1.2.c
O domine quia ego ſeruus tuus 254.1.2.b
O domine ſaluum me fac 266.2.2.e
¶Omnis terra adoret te 506.1.1.a
Omnis gloria eius filiæ regum 337.1.1.d
Omnis conſummationis vidi finem 335.2.2.b
Omnem eſcam abominata eſt 186.2.2.b
Omnes videntes me deriſerunt 112.2.1.a
Omnes gentes quaſcunque feciſti 711.1.1.e
Omnes principes eorum qui 691.2.1.a
¶Omnes gentes plaudite manibus 346.1.1.a Pſalm.46.
Omnes declinauerũt ſimul 60.2.1.b. & 410.2.1.d
Omnes gentes circuierunt me 260.1.2.a
Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius 34.2.1.a
Omnia oſſa mea dicent 206.1.1.e
Omnia mandata tua veritas 328.2.2.a
Omnia quęcunq; voluit dominus fecit 468.2.2.e
Omnia excelſa tua & fluctus 315.1.1.a
¶Operuit montes vmbra eius 672.1.1.a

***

Opus

Opus quod operatus es in diebus 318.1.1.a
¶Ordinatione tua perſeuerat 332.1.2.e
Orietur in diebus eius iuſtitia 571.1.1.c
Ortus eſt ſol & congregati ſunt 131.1.2.d
¶Os habent & non loqu. 240.2.2.d.& 474.1.2.a
Os iuſti meditabitur ſapientiam 234.2.1.c
Os meum loquetur ſapientiam 361.2.1.b
Os meum aperui & attraxi 361.2.2.d
Os meum annunciabit iuſtitiam 563.2.1.c
Os tuum abundauit malitia 388.1.1.d
Oſtende nobis domine miſericordiã tuã 704.2.1.a
Oſtendiſti populo tuo dura 467.2.1.d
Oues eorum fœtoſæ 552.1.2.d
PAnem angelorum manducauit 636.1.1.e
Paratum cor eius ſperare in domino 230.1.2.e
Pſal. 107. ¶Paratum cor meum Deus paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam 449.1.1.d
Paratum cor meum Deus paratum cor meum, cãtabo & pſallam in gloria mea 195.2.2.e
Parata ſedes tua ex tunc 31.2.2.a
Parauit in iudicio thronum ſuum 36.1.1.
Paraſti in conſpectu meo menſam 123.2.1.a
Paratus ſum & non ſum turbatus 310.2.2.b
Parcet pauperi & inopi 573.2.1.a
Particeps ego ſum omnium timentium 312.2.2.d
Parcere Iacob ſeruum tuum 656.2.1.b
Patres noſtri in Ægypto non 162.2.2.e
Paulominus conſummauerunt 329.1.2.d
Pauper ſum ego & in laboribus 723.2.1.d
Pax multa diligentibus legem 388.1.2.c
¶Peccator videbit & iraſcetur 231.1.2.d
Peccatori autem dixit Deus 382.2.1.c
Peccauimus cum patribus noſtris 162.1.2.e
Per diem ſol non vret te 404.2.2.c
Per ſingulos dies benedicam tibi 554.2.2.b
Perambulabam in innocentia 83.2.2.b
Percuſſus ſum vt fenum 91.2.2.a
Perfecto odio oderam illos 510.2.2.e
Perfeciſti eis qui ſperant in te 173.2.1.c
Perfice greſſus meos in 70.2.1.a
Periit fuga à me 530.2.2.e
Periit memoria eorum 37.2.1.d
Permanet in æternum in 475.2.1.b
Perſequar inimicos meos 90.1.1.a
Perſequatur inimicus animam meam 26.1.1.d
Pes meus ſtetit in 140.1.1.e
Petierunt & venit coturnix 156.2.2.b
¶Pingueſcent ſpecioſa deſerti 503.1.1.e
¶Placebo domino in regione viuorũ 250.2.2.d
Plantati in domo domini 29.1.2.a
Pluet ſuper peccatores laqueos 52.2.1.a
Pluuiam voluntariam ſegregabis 520.2.1.b
¶Ponam in ſalutari 55.1.1.b
Pone principes eorum ſicut 691.1.1.b
Pone domine cuſtodiam ori meo 512.1.2.e
Pones eos vt clibanum ignis 107.2.1.d
Ponite corda veſtra in virtute 359.1.1.d
Populus quem non cognoui 91.1.1.d
Populus eius & oues paſcuæ eius 81.1.2.c
Populum tuum domine 35.2.2.c
Portio mea domine dixi 307.2.2.a
Poſtula à me & dabo tibi 9.1.1.a
Poſui ori meo cuſtodiam 248.1.1.e
Poſuiſti iniquitates noſtras 7.1.2.c
Poſuiſti tenebras & facta eſt nox 130.1.2.c
Poſuiſti nos in ſimilitudinem 323.2.1.d
Poſuiſti nos opprobrium 323.1.1.c
Poſuiſti nos in contradictionem 669.1.1.b
Poſuit deſertum in ſtagna 192.2.2.b
Poſuit in eis verba ſignorum 151.1.2.d
Poſuit flumina in deſertum 191.2.2.e
Poſuit pluuias eorum 153.1.2.d
Poſuerunt me in lacu inferiori 721.2.1.d
Poſuerunt peccatores laqueum mihi 346.2.2.b
Poſuerunt in cœlum os ſuum 581.2.1.c
Poſuerunt ſigna ſua ſigna 592.1.1.c
Poſuerunt morticinia 658.1.1.d
Potabunt omnes beſtiæ agri 124.2.2.a
Potens in terra erit ſemen eius 227.2.2.b
Potentiam tuam & iuſtitiam tuam 566.1.1.a
¶Præcinite domino in confeſſione 576.2.2.c
Præcipita domine & diuide 432.1.1.b
Præ fulgore in conſpectu eius 79.2.1.e
Præoccupemus faciem eius 46.1.2.b
Præparans montes in virtute 500.2.1.b
Prætende miſericordiam tuam ſcientib. 219.2.1.b
Præuaricantes reputaui 352.2.2.b
Præueni in maturitate 374.1.2.b
Præuenerunt me in die afflictionis 81.2.1.a
Præuenerunt principes 528.2.1.d
Præuenerunt oculi mei ad te 374.2.2.c
Principes populorum congregati 350.2.1.a
Principes perſecuti ſunt me 384.1.2.e
Principes iuda duces eorum 530.1.1.b
Principium verborum tuorum 383.2.2.d
Priuſquam intelligeret 455.1.1.b
Priuſquam humiliarer ego 315.2.2.b
Priuſquam montes fierent 4.1.2.a
Proba me domine & tenta me 137.1.1.a
Proba me Deus & ſcito cor meum 511.1.2.e
Probaſti cor meum & viſitaſti 69.2.1.e
Producens fenum iumentis 125.2.2.d
Prodiit quaſi ex adipe iniquitas 580.2.1.e
Pro eo vt me diligerent 200.2.2.d
Pro hac orabit ad te omnis ſanctus 179.2.1.d
Prohibe linguam tuam à malo 198.2.1.e
Proiiciente me nunc circundederunt 73.1.1.d
Promptuaria eorum plena 551.2.2.d
Pro nihilo forſitan inimicos 681.2.1.b
Pronunciabit lingua mea 395.1.2.a
Pro patribus tuis nati ſunt tibi 339.2.1.c
Prope es tu domine & omnes viæ 376.2.2.b
Prope eſt dominus omnibus inuocanti. 564.2.2.d
Propter miſeriam inopum 54.2.1.d
Propter domum domini Dei noſtri 411.1.2.c
Propter fratres meos & proxi. 410.2.2.d
Propter hoc lætatum eſt cor 68.1.1.c
Propter nomen tuum domine 132.2.1.d
Propter Dauid ſeruum tuum 454.1.2.b
Propter quid irritauit impius Deum 47.2.1.b
Propter veritatem & manſuetudinem 331.2.1.d
Propter ea exaudiuit Deus 512.2.1.b
Propterea populi confitebuntur 340.2.1.c
Propterea confitebor tibi 93.1.1.d
Propterea ad omnia mandata tua 359.1.2.e
Propterea Deus deſtruet te 414.1.1.b
Propterea non timebimus dum 341.2.1.d
Protector meus & in ipſo ſperaui 544.2.2.d
Protector noſter aſpice Deus 699.2.1.a
Protector meus & cornu ſalutis 76.2.1.e
Proteges eos in tabernaculo tuo 174.1.1.d
Protexiſti me à conuentu ma. 490.2.1.a
Prouidebam dominum in cõſpectu meo 68.1.1.d
Pſallam & intelligam in via 83.1.2.b
Pſallite Deo qui aſcendit 532.2.1.c
Pſallite Deo noſtro pſallite 348.2.1.e


Pſallite




Pſallite domino omnes ſancti eius 160.2.1.c
Pſallite domino qui habitat in Sion 39.1.1.c
Pſallite domino in cithara 71.1.2.a
Putruerunt & corruptæ ſunt 240.2.1.d
QVadraginta annis offenſus fui 52.1.2.a
Pſalm. 72. Quam bonus Iſrael Deus 577.1.1.b
Pſalm. 83. Quam dilecta tabernacula tua 694.1.1.b
Quam magnificata ſunt ope. 24.2.2.c.& 131.2.2.d
Quam dulcia faucibus meis 340.2.2.b
Quam magna multitudo dul. 173.1.1.c
Quandiu ponam conſilia in anima mea 57.2.1.d
Quantum diſtat ortus ab occidente 110.2.2.d
Quanta mandauit patribus noſtris 624.2.1.b
Quanta audiuimus & cognouimus 622.2.1.a
Quantas oſtendiſti mihi tribulationes 566.2.1.b
Pſalm. 2. ¶Quare fremuerunt gentes 5.2.1.b
Quare oblitus es mei 313.2.1.c
Quare faciem tuam auertis 328.1.1.b
Quare triſtis es anima mea 311.2.1.b
Quaſi proximum & quaſi fratrem 209.1.1.b
Quaſi in ſilua lignorum 592.1.1.e
Quæ vtilitas in ſanguine meo 162.2.1.d
Quæ loquuntur aduerſus iuſtum 173.1.1.c
Quæ non exaudiet vocem incãtantium 462.2.1.e
Pſal. 41. ¶Quemadmodum deſiderat ceruus 276.2.1.b
Quærite dominum & confirmamini 140.1.2.d
Qui annunciat verbum ſuum 594.2.2.e
Qui aſtitit à dextris pauperis 213.2.2.b
Qui conuertit mare in aridam 506.2.1.c
Qui cogitauerunt iniquitates 513.2.2.c
Qui confidunt in virtute ſua 363.2.1.e
Qui cogitauerunt ſupplantare 514.2.2.e
Pſalm. 12. ¶Qui confidunt in domino 419.1.2.a
Qui conuertit petram in ſtagna 238.1.2.c
Qui corripit gentes non arguet 37.2.2.e
Qui cuſtodit veritatem in ſæculum 570.1.2.e
Qui dat niuem ſicut lanam 593.1.2.c
Qui das ſalutem regibus 549.2.2.b
Qui dat eſcam omni carni 485.1.2.b
Qui dat iumentis eſcam ipſorum 578.1.2.c
Qui deſcendunt mare in nauibus 188.1.2.c
Qui dicunt exinanite 491.1.2.c
Qui diligitis dominum odite malum 65.2.2.c
Qui diuiſit mare rubrum 482.1.2.a
Qui dixerunt linguam noſtram 54.2.1.c
Qui docet manus meas ad te 86.1.1.c
Qui dominatur in virtute ſua 507.2.1.a
Qui educit vinctos in fortitudine 519.1.1.c
Qui emittit eloquium ſuum terræ 592.2.2.a
Qui emittis fontes in conuallibus 123.2.2.a
Qui eduxit Iſrael de medio 481.1.2.c
Qui exaltas me de portis mortis 40.1.1.c
Qui facit hæc 65.2.1.a
Qui fecit cœlos in intellectu 478.1.2.c
Qui fecit luminaria magna 479.1.2.b
Qui facis angelos tuos ſpiritus 120.1.2.b
Qui facit mirabilia magna 477.2.2.a
Qui fingit ſigillatim corda 190.2.1.a
Qui fundaſti terram 120.2.2.b
Qui firmauit terram 478.2.2.b
Pſal. 90. ¶Qui habitat in adiutorio altiſſimi 13.1.2.c
Qui habitare facit ſterilem 234.2.2.b
Qui habitat in cœlis irridebit 8.1.1.c
Qui ingreditur ſine macula 63.2.1.a
Qui iurat proximo ſuo & non 65.1.1.d
Qui loquitur veritatem in corde 64.2.1.d
Qui loquuntur pacem cum proximo 150.2.1.c
Qui numerat multitudinem 574.2.2.d
Qui operit cœlum nubibus 577.1.2.b
Qui plantauit aurem non audiet 37.2.2.a
Qui ponis nubem aſcenſum tuum 119.1.2.c
Qui poſuit fines tuos pacem 591.2.2.e
Qui poſuit animam meam ad vitam 508.1.1.d
Qui percuſſit gentes multas 471.1.2.d
Qui percuſſit reges magnos 483.1.2.d
Qui percuſſit Ægyptum 480.2.2.d
Qui perfecit pedes meos 86.1.1.a
Qui produxit ventos de theſauris 470.1.2.d
Qui producit in montibus fenum 177.2.2.b
Qui propitiatur omnibus iniquitatib. 106.1.2.d
Quique terrigenæ & filij hominum 361.1.1.a
Qui replet in bonis deſiderium 107.1.2.d
Qui retribuunt mala pro bonis 246.1.1.d
¶Qui regis Iſrael intende 664.2.1.a Pſal. 79.
Qui reſpicit terram & facit 136.2.2.b
Qui redimet de interitu 106.2.2.d
Qui ſanat contritos corde 574.1.2.c
Qui ſedes ſuper cherubim 665.2.1.b
Qui ſeminant in lachrymis 425.2.2.b
Qui ſimul mecum dulces capie. 434.2.1.c
Qui ſtatis in domo domini 463.2.2.c.& 466.1.2.e
Qui timent te videbunt me 320.2.2.c
Qui timetis dominum laudate eum 117.2.1.d
Qui timent dominum ſperauerunt in 243.2.2.b
Qui tribulant me inimici 58.2.1.c.& 142.2.1.b
Qui traduxit populum ſuum 482.2.2.c
Qui tribulant me exultabunt
Qui videbant me foras fugerunt 170.2.1.c
Quia anima eius in vita ipſius 371.1.1.b
Quia apud dominum miſericordia 443.2.2.c
Quia apud te propitiatio eſt 442.1.2.a
Quia benedicentes ei hæredita. 231.1.1.e
Quia beneplacitum eſt domino in pop. 604.2.2.e
Quia cinerem tanquam panem mandu. 94.1.2.c
Quia comederunt Iacob 660.1.1.c
Quia contriuit portas æreas 185.2.2.d
Quia cuſtodiui vias domini 82.2.1.b
Quia delectaſti me domine 25.1.2.b
Quia defecimus in ira tua 6.2.2.c
Quia defecerunt ſicut fumus dies 90.2.2.d
Quia dicitis in cogitatione 509.2.2.b
Quia dixerunt inimici mei mihi 561.2.1.b
Quia dixi nequando ſupergaudeant 244.2.1.d
Quia dominus amat iudicium 234.1.1.b
Quia domini eſt aſſumptio noſtra 733.2.1.a
Quia ecce qui elongant ſe à te 588.1.1.b
Quia ecce ceperunt animam meam 457.1.1.d
Quia ædificauit dominus Sion 98.2.2.a
Quia ego cognoui quia magnus eſt 468.2.2.b
Quia eripuit animam meam 250.1.2.d
Quia exacerbauerunt eloquia 184.2.2.a
Quia exacuerunt vt gladium 491.1.1.a
Quia factus es ſuſceptor meus 464.1.1.b
Quia factus ſum ſicut vter in prui. 326.2.2.b
Quia inflammatum eſt cor meum 586.1.1.c
Quia in humilitate noſtra 484.2.2.b
Quia illic ſederunt ſedes 408.2.2.d
Quia in manu eius ſunt omnes fines 48.1.2.e
Quia in eo lætabitur cor noſtrum 191.2.1.d
Quia inclinauit aurem ſuam mihi 247.2.2.d
Quia illic interrogauerunt nos 487.2.2.c
Quia ipſe dixit & facta ſunt 598.2.2.c
Quia ipſe ſuper maria fundauit eum 125.2.1.b
Quia ipſe Deus meus & ſaluator 478.2.1.a
Quia iudicabit dominus populum 473.1.2.c
Quia liberauit pauperem & a potente 573.1.1.a


Incogn.

*** 2 Quia

Quia magna eſt ſuper cœlos 196.2.2.c
Quia melior eſt dies vna 699.2.1.e
Quia miſericordia tua magna eſt 713.1.1.a
Quia miſericordiam & veritatem dili. 700.2.1.d
Quia multum repleta anima noſtra 414.1.2.c
Quia neque ab oriente neque ab 602.2.1.c
Quia non eſt reſpectus morti 579.1.1.a
Quia non crediderunt in Deo 634.2.1.c
Quia non relinquet dominus virgam 420.1.2.e
Quia non repellet dominus plebem 40.1.2.c
Quia perſecutus eſt inimicus animam 535.1.2.d
Quia præceptum in Iſrael eſt 677.2.1.a
Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo 99.2.2.e
Quia rectum eſt verbum domini 186.1.1.c
Quia repleta eſt malis anima mea 720.2.1.b
Quia ſatiauit animam inanem 183.1.2.c
Quia tenebræ non obſcurabuntur 505.1.2.a
Quia tu poſſediſti renes meos 505.2.2.c
Quia tu es Deus fortitudo mea 315.1.1.a
Quia zelaui ſuper iniquos 578.1.1.d
Quid detur tibi aut quid apponatur 398.2.2.c
Quid enim mihi eſt in cœlo 587.1.1.e
Quid eſt homo quòd memor es eius 33.2.1.d
Quid eſt tibi mare quòd fugiſti 237.1.2.e
Pſal.51. ¶Quid gloriaris in malitia 410.2.1.b
Quid retribuam domino 252.2.2.d
Quis aſcendet in montem domini 125.2.1.e
Quis conſurget mihi aduerſus 41.1.2.b
Quis dabit ex Sion ſalu. 422.1.1.e.& 62.1.1.d
Quis deducet me in ciuita. 471.2.1.b.& 199.1.2.a
Quis eſt homo qui vult vitam 198.2.1.c
Quis eſt homo qui viuet & nõ videbit 745.2.1.e
Quis eſt homo qui timet dominum 133.1.1.c
Quis eſt iſte rex gloriæ 127.2.1.a
Quis loquetur potentias domini 160.1.2.a
Quis ſapiens & cuſtodiet hæc 195.2.2.a
Quis ſicut dominus Deus noſter 233.2.2.b
Quis nouit poteſtatem iræ tuæ 10.1.2.c
Quoadusque iuſtitia conuertatur 4[illegible].2.2.b
Quo ibo à ſpiritu tuo 502.1.2.c
Quod diſpoſuit ad Abraham 142.1.2.e
Quod deſcendit in oram veſtimenti 461.1.2.d
Quod exprobrauerunt inimici 747.1.1.a
Quomodo cantabimus canticum 488.2.2.d
Quomodo facti ſunt in deſolationem 585.1.1.b
Quomodo miſeretur pater 111.1.2.d
Quomodo dilexi legem tuam 336.2.2.a
Quoniam abſcondit me in tabernaculo 144.2.1.a
Quoniam ad te orabo domine 15.2.1.b
Quoniam adhuc oratio mea 525.1.2.c
Quoniam angelis ſuis mandauit de te 19.2.2.d
Quoniam alieni inſurrexerunt 424.2.1.c
Quoniam apud te eſt fons vitæ 219.2.1.a
Quoniam brachia peccatorum conte. 228.2.1.b
Quoniam circundederunt me mala 264.1.1.a
Quoniam circundederunt me canes 115.1.1.c
Quoniam cogitauerunt vnanimiter 688.2.1.c
Quoniam cogitatio hominis 610.1.1.b
Quoniam confortauit ſeras portarum 591.1.2.d
Quoniam confirmata eſt ſuper nos 256.1.2.d
Quoniam cum interierit non ſumet 370.2.1.e
Quoniam dabis eum in benedictionem 106.2.1.b
Quoniam Deus ſaluam faciet Sion 552.1.1.e
Quoniam Deus magnus dominus 47.2.2.d
Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum 419.2.1.c
Quoniam declinauerunt in me iniqui 428.2.1.b
Quoniam defecit in dolore vita mea 169.2.1.e
Quoniam declinauerunt in te mala 108.2.1.a
Quoniam die ac nocte grauata eſt 177.1.1.e
Quoniam dixiſti in ęternum miſericor. 727.1.1.d
Quoniam dominus in generatione iuſta 62.1.1.b
Quoniam dominus amat iudicium 234.1.1.b
Quoniam dominus excelſus 346.2.1.c
Quoniam domini eſt regnum 119.2.1.a
Quoniam doloſe egit in conſpectu eius 214.2.1.c
Quoniam ecce peccatores intenderunt 50.2.1.c
Quoniam ecce reges terræ congregati 354.1.1.b
Quoniam ecce inimici tui ſomnuerunt 687.2.1.b
Quoniam ecce inimici tui domine 261.2.d
Quoniam ego in flagella paratus ſum 245.1.1.b
Quoniam eleuata eſt magnificentia tua 32.2.1.b
Quoniam elegit dominus Sion 456.1.2.c
Quoniam eripuiſti animam meam 444.1.1.b
Quoniam ex omni tribulatione 426.1.1.e
Quoniam exaudiuit pauperes dominus 551.2.1.b
Quoniam excelſus dominus 496.2.2.c
Quoniam feciſti iudicium meum 36.2.1.b
Quoniam firmamentum meum 558.2.1.a
Quoniam fortitudo mea & refugium 166.1.1.c
Quoniam gloria virtutis eorum tu es 733.1.1.a
Quoniam gratis abſconderunt mihi 205.1.1.c
Quoniam hic eſt Deus Deus noſter 359.1.1.d
Quoniam humiliaſti nos in loco 325.2.1.e
Quoniam humiliata eſt in puluere 328.1.1.d
Quoniam in te eripiar a tentatione 84.2.1.d
Quoniam in te domine ſperaui 244.1.1.d
Quoniam in me ſperauit 2.1.1.2.e
Quoniam iniquitatem meam ego cogn. 394.2.1.a
Quoniam iniquitatem meam annun. 245.2.1.c
Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ 240.1.1.c
Quoniam illic mandauit dominus 426.2.2.b
Quoniam ipſe liberauit me. 15.1.2.c
Quoniam ipſe dixit & facta ſunt 188.1.1.a
Quoniam ipſius eſt mare 48.2.2.c
Quoniam iuſtus dominus & iuſtitias 53.1.1.a
Quoniam ira in indignatione eius 161.1.1.b
Quoniam Iacob elegit ſibi dominus 468.1.2.b
Quoniã laudatur peccator in deſideriis 44.2.1.b
Quoniam lumbi mei impleti ſunt 241.2.1.b
Quoniam magnus dominus & laudabi. 54.2.2.c
Quoniam magnus es tu & faciens 711.2.1.d
quoniam magnificata eſt vſque ad 449.2.1.e
quoniam melior eſt miſericordia tua 485.1.1.b
quoniam memor fuit verbi ſancti 157.1.2.b
quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarũ 380.2.1.d
quoniam miſericordia tua ante oculos 137.1.1.d
quoniam mihi quidem pacifice loque. 211.1.1.b
quoniam mille anni ante occulos tuos 5.1.2.a
quoniam nequitiæ in habitaculis eorũ 435.1.1.d
quoniam non in finem obliuio erit 43.1.1.c
quoniam non eſt in morte qui memor 22.2.1.b
quoniam non eſt in ore eorum veritas 17.1.1.d
quoniam non derelinques animam 68.1.1.e
quoniam non intellexerunt opera 151.1.1.e
quoniam non cognoui literaturam 564.1.1.c
quoniam nouit dominus viam iuſtorum 5.1.1.c
quoniam omnes dies noſtri defecerunt 7.2.2.b
quoniam omnes dij gentium dęmonia 55.1.2.d
Quoniam pater meus & mater mea 146.2.1.a
quoniam pones eos dorſum 108.2.1.e
quoniam placuerunt ſeruis tuis 97.2.2.a
quoniam percuſſit petram & fluxerunt 653.1.1.b
quoniam præueniſti eum in benedict. 104.2.1.e
quoniam propter te mortificamur 327.2.1.a
quoniam propter te ſuſtinui opprobriũ 539.1.1.c
quoniam probaſti nos Deus 508.2.1.e







quoniam quem perfeciſti deſtruxerunt 51.1.1.a
quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti 548.2.1.d
quoniam quis in nubibus ęquabitur 728.2.1.c
Quoniam quis Deus præter dominum 85.1.1.d
Quoniam qui malignantur extermina. 225.1.1.d
Quoniam rex omnis terræ Deus 349.2.1.c
Quoniam rex ſperat in domino 107.1.1.a
Quoniam requirens ſanguinem eorum 39.2.1.b
Quoniam reſpexiſti humilitatem 168.1.1.e
Quoniam rectus dominus Deus noſter 29.2.2.b
Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt 238.2.1.c
Quoniam ſecundum altitudinem cœli 110.2.2.a
quoniam ſi voluiſſes ſacrificium 408.2.1.e
quoniã ſi inimicus meus maledixiſſet 434.1.1.b
quoniam ſuperuenit manſuetudo 9.1.2.e
quoniam ſpiritus pertranſibit in illo 112.2.2.a
quoniam tacui inueterauerunt 177.1.1.a
quoniam tanquam fenum velociter 221.1.1.e
quoniam tu dominus altiſſimus 65.1.2.b
quoniam tu domine ſuauis & mitis 710.1.1.b
quoniam tu domine ſingulariter in 14.2.1.d
quoniam tu es patientia mea 559.1.1.c
quoniam tu es domine ſpes mea 19.1.2.a
quoniã tu percuſſiſti omnes aduerſantes 12.1.1.b
quoniam tu populum humilem ſal. 84.1.1.d
quoniam tu illuminas lucernam 84.2.1.b
quoniam tu es qui extraxiſti me 113.1.1.a
quoniam tu Deus exaudiſti orationem 474.1.1.c
quoniam tribulatio proxima eſt 113.2.1.b
quoniam videbo cœlos tuos 33.2.1.a
quoniam zelus domus tuæ comedit 540.1.1.b
quorum os locutum eſt 548.2.2.b
quorum os maledictione 61.1.1.c
quorum filij ſicut nouellæ plan. 550.2.2.c
quot ſunt dies ſerui tui 327.1.2.c
quotiens exacerbauerunt 643.1.1.d
quouſque irruitis in hominem 477.2.1.b
RECordatus eſt miſericordiæ ſuæ 69.2.2.b
Recordatus eſt quoniam puluis 112.1.2.a
Redde mihi lætitiam ſalutaris tui 404.2.1.c
Redime me à calumniis hominum 363.2.2.c
Redimet dñs animã ſeruorũ ſuorum 202.1.1.e
Redimet in pace animam meam 436.2.1.b
Redemiſti virgam hæreditatis tuæ 590.1.1.d
Redemptionem miſit dominus 225.1.2.a
Reges terræ & omnes populi 601.2.2.b
Reges eos in virga ferrea 9.1.1.c
Reges tharſis & inſulæ 572.2.1.b
Regnabit dominus in ſæcula 574.2.2.b
Regnabit Deus ſuper gentes 350.1.1.c
Regna terræ cantate Deo 532.2.1.b
Regnũ tuũ regnũ omniũ ſæculorum 561.1.2.c
Reminiſcere miſerationum tuarum 130.2.1.a
Reminiſcentur & cõuertentur ad dñm 118.2.1.d
Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ 702.1.1.e
Remitte mihi vt refrigerer 255.2.1.d
Renuit conſolari anima mea 612.1.1.d
Repleti ſumus mane miſericordia tua 11.2.2.a
Replebimur in bonis domus tuæ 498.2.1.d
Repleatur os meum laude 560.2.1.a
Reſpexit in orationem humilium 99.1.2.b
Reſpice in ſeruos tuos & in opera tua 12.1.2.d
Reſpice in me & miſerere mei 714.2.1.a
Reſpice in me & miſerere mei, quia 134.2.1.b
Reſpice in teſtamentum tuum. 598.1.1.e
Reſpice inimicos meos 135.1.1.c
Reſpondit ei in via virtutis ſuæ 101.2.2.c
Retribue ſeruo tuo 280.1.2.d
Retribuebant mihi mala pro bonis 207.2.1.e
Reuela oculos meos 281.1.2.c
Reuela domino viam tuam 223.1.1.c
Rex virtutum dilecti dilecti 522.1.1.a
Rex verò lætabitur in Deo 488.2.1.e
¶Rigans montes de ſuperioribus ſuis 125.2.2.a
Riuos eius inebria 502.1.1.c
Rogate quæ ad pacem ſunt 409.2.2.a
SAcerdotes eius induam ſaluta. 458.1.2.c
Sacerdotes eorũ in gladio ceciderũt 453.2.2.b
Sacerdotes tui induantur iuſtitia 652.2.1.d
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus 409.1.1.b
Sacrificium & oblationem noluiſti 261.1.1.b
Sacrificium laudis honorificabit 389.2.1.a
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ 14.1.1.a
Sagittæ potentis acutæ 399.1.2.d
Sagittæ tuæ acutæ populi ſub. 331.2.1.b
Sagittæ paruulorum factæ ſunt 493.1.1.e
Salus autem iuſtorum à domino 237.1.1.c
Salua me ex ore leonis 117.1.1.c
Saluauit ſibi dexteram eius 68.2.2.b
Saluaſti enim nos de affligentibus 321.1.1.b
Saluos fac nos domine Deus noſter 178.2.2.b Pſal.68.
¶Saluum me fac Deus quoniam 533.2.1.c Pſal. 11.
¶Saluum me fac domine 53.1.1.b
Saluum fac dextera tua 198.1.2.a
Saluum fac populum tuum domine 152.2.1.d
Sanctum & terribile nomen eius 225.1.2.c
Sanctis qui ſunt in terra eius 66.2.1.d
Saturati ſunt filiis 74.2.1.c
Saturabuntur ligna campi 127.2.2.d
¶Scapulis ſuis obumbrabit tibi 16.1.2.a
Scitote quoniam mirificauit dominus 13.2.1.a
Scitote quoniam dominus ipſe eſt Deus 80.1.2.b
Scribantur hæc in generatione altera 99.1.2.d
Scrutati ſunt iniquitates 492.2.1.b
Scrutetur fœnerator omnem ſubſtan. 204.1.2.b
Scuto circundabit te 16.2.2.c
¶Secundum magnitudinem brachij 662.2.1.b
Secundum miſericordiã tuam viuifica 330.1.2.a
Secundum miſericordiam tuam me. 131.1.1.d
Secundum multitudinem dolorum 42.1.2.c
Secundum nomen tuus Deus 358.1.1.b
Secundum opera manuum eorum 151.1.1.b
Sed dextera tua & brachium 319.1.1.d
Sed in lege domini voluntas eius 2.2.1.a
Sed ſperauit in multitudine diuitia. 415.2.1.b
Sed & lingua mea rota die 568.1.1.a
Sed elegit tribum Iuda 655.1.1.d
Sed nos qui viuimus benedicimus 246.2.2.b
Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi 333.1.1.a
Sedens aduerſus fratrem tuum 388.2.1.b
Sedentes in tenebris & vmbra 183.2.2.c
Sedet in inſidiis cum diuitibus 46.1.1.c
Semel iuraui in ſancto meo 741.1.1.d
Semel locutus eſt Deus, duo 481.2.1.b Pſal.128.
Semen Abraham ſerui eius 141.1.2.a
Seumregem Amorreorũ 471.2.2.d.& 483.2.2.c
¶Sepè expugnauerunt me à iuuen. 435.2.2.a
Sepe expugnauerunt me, etenim non 436.2.2.b
Septies in die laudem dixi tibi 387.1.2.c
Sepulchrum patens eſt guttur eorum 17.2.1.c
Sepulchrum patens eſt guttur eorum 60.2.1.d
Seruus tuus ſum ego da mihi 357.1.2.d
Seruaui mandata tua 390.1.1.a
Seruite domino in timore 9.2.1.a
¶Si autem dereliquerint filij eius 739.1.1.a
Si autem in potentatibus 8.2.2.a

Si ambulauero in medio tribula. 497.1.2.e
Si aſcendero in cœlum tu illic es 502.2.2.c
Si conſiſtant aduerſum me 142.2.1.d
Si cuſtodierunt filij tui 455.2.2.a
Sic benedicam te in vita mea 485.1.1.e
Sic pſalmum dicam nomini tuo 475.2.1.d
Sicut aqua effuſus ſum 114.1.1.d
Sicut ſuſtinuerunt animam 441.2.1.c
Sicut oues in inferno 369.1.1.d
Sicut adipe & pinguedine 486.1.1.d
Sicut ablactatus eſt ſuper matrē ſuam 447.1.2.b
Sicut audiuimus ſic vidimus 355.2.1.c
Sicut lætantium omnium 719.1.1.c
Sicut deficit fumus defici autem 516.2.1.c
Sicut vnguentum in capite 461.1.2.c
Sicut iuraui domino 449.1.2.d
Sicut ſagittæ in manu po. 430.2.2.e
Sicut cera quæ fluit auferentur 454.1.1.c
Sicut in irritatione 51.2.2.a
Sicut ignis qui comburit ſiluam 692.1.1.b
Sicut vulnerati dormientes 721.1.1.e
Sicut & in promiſſione 442.2.1.d
Sicut oculi ancillę in 413.1.2.c
Sicut vmbra cum declinat 210.2.2.c
Sicut poſuit in Ægypto 644.2.1.d
Si dedero ſomnum oculis meis 450.2.2.c
Si dicebam narrabo ſic 583.2.1.a
Si dicebam motus eſt pes meus 41.2.2.e
Si dormiatis inter medios cleros 522.1.1.e
Si eſuriero non dicam tibi 381.1.1.b
Si exurgat aduerſum me 143.1.1.a
Signa noſtra non vidimus 594.2.1.e
Signatum eſt ſuper nos 14.1.1.d
Si iniquitates obſeruaueris 441.2.2.b
Si introiero in tabernaculum 449.2.2.d
Si iuſtitias meas prophanauerint 739.1.1.d
Sic memor fui tui 287.2.1.a
Si mei non fuerint dominati 100.2.1.a
Similis factus ſum pellicano 92.2.2.a
Similes illis fiant qui faciunt ea 242.1.2.d
Similes illis fiant qui faciunt ea 474.1.2.c
Simulachra gentium argentum & aurum 240.1.2.b.& 473.2.2.c
Si non humiliter ſentiebam 446.2.2.c
Si non propoſuero tui Hieruſalem 490.1.2.a
Si oblitus fuero tui Hieruſalem 489.1.2.d
Si obliti ſumus nomen Dei 326.1.1.d
Si occideris Deus peccatores 509.1.2.c
Si populus meus audiſſet me 681.1.1.c
Si reddidi retribuentibus mihi mala 26.1.1.a
Si ſumpſero pennas meas 503.1.2.c
Sit gloria domini in ſæculum 136.1.2.e
Sit nomen eius benedictum 575.2.1.a
Sit nomen domini benedictum 232.2.2.b
Sitiuit in te anima mea 484.1.1.a
Sitiuit anima mea ad Deum 278.1.1.c
Pſalm.57. ¶Si vere vtique iuſtitiam loqui 450.1.1.c
Si videbas furem currebas cum 388.1.1.b
¶Solem in poteſtatem diei 479.1.2.e
Somnuerunt & turbatæ ſunt 342.1.1.d
¶Specie tua & pulchritudine 331.1.1.e
Specioſus forma præ filiis 330.1.1.c
Spera in Deo quoniam adhuc 311.2.1.d
Spera in domino & fac bonitatem 222.1.1.d
Sperate in eo omnis congregatio 479.2.1.a
Sperauit in domino eripiat eum 112.2.1.b
Speret Iſrael in domino 448.1.2.a
Spiritus tuus bonus deducet 540.1.2.e
Spreuiſti omnes diſcedentes 352.1.2.b
¶Stantes erant pedes noſtri 407.1.2.e
Statuit ea in æternum 599.1.2.d
Statue ſeruo tuo eloquium 294.2.2.a
¶Suauis dominus vniuerſis 558.2.2.a
Sub vmbra alarum tuarum 72.2.1.c
Subiecit populos nobis 347.1.1.d
Subito ſagittabunt eum 491.2.1.c
¶Super flumina babylonis 485.2.2.d Pſal.136.
Sumite pſalmum & date tympa. 676.2.1.b
Super ſenes intellexi:quia manda. 338.2.2.d
Super omnes docentes me intellexi 338.1.2.c
Super miſericordia tua & veritate tua, nequando dicant 238.2.2.d
Super miſericordia & veritate tua,quoniam magnificaſti 494.1.2.e
Super Inimicos meos prudentem 337.2.2.b
Super aſpidem & baſiliſcum 20.2.2.d
Super omnes inimicos meos 170.1.1.c
Super aquam refectionis educauit 121.2.1.a
Super me confirmatus eſt furor 722.1.1.d
Super ea volucres cœli habitabunt 125.1.2.b
Super populum tuum malignauerunt 687.2.1.d
Superbo oculo & inſatiabili 86.2.2.d
Superbi inique agebant 303.2.2.b
Supra dorſum meum 437.1.2.c
Surge domine in requiem tuam 453.1.2.b
Surge Deus iudica terram 686.1.1.e
Surgentes teſtes iniqui 207.1.1.a
Suſcepit eos de via iniquitatis 186.1.2.c
Suſcepimus Deus miſericordiam tuam 357.1.1.a
Suſceperunt me ſicut leo 73.2.1.b
Suſcipe me ſecundum eloquium tuum 350.2.2.e
Suſcipe ſeruum tuum bonum 355.2.2.c
Suſcipiant montes pacem populo 569.1.1.d
Suſcipiens manſuetos dominus 576.1.2.b
Suſcitans à terra inopem 233.2.2.e
Suſtinuit anima mea in 442.2.2.b
TAbernacula eorum in progenie 367.1.1.e
Tabeſcere me fecit zelus 367.2.2.c
¶Tecum principium in die virtutis tuæ 217.1.2.c
¶Te decet hymnus Deus in 495.1.1.a Pſal. 64.
Tempus faciendi domine 357.2.2.e
Tenuiſti manum dexteram meam 587.1.1.a
Terminum poſuiſti 122.2.2.c
Terra mota eſt etenim 520.1.1.c
Terram fructiferam in 192.1.2.c
Terribili & ei qui aufert ſpiritum 610.2.1.c
Teſtimonium in Ioſeph 678.1.1.a
Teſtimonia tua credibilia 52.2.2.d
¶Thabor & Hermon in nomine 731.1.1.d
Theſaurizat & ignorat 253.1.1.b
¶Tibi dixit cor meum 145.2.1.c
Tibi derelictus eſt pauper 48.2.1.a
Tibi ſoli peccaui 395.2.1.b
Timor & tremor venerunt 429.2.1.d
Timor domini ſanctus permanet 99.1.1.d
Timeat eum omne ſemen Iſrael 118.1.1.a
Timeat dominum omnis terra 187.2.1.c
Timete dominum omnes ſancti eius 197.2.1.a
¶Tollite hoſtias & introite 56.2.2.c
Torrentem pertranſiuit anima noſtra 416.2.2.b
Tota die verba mea execrabantur 441.1.1.e
Tota die iniuſtitiam cogitauit [illegible]
Tota die exprobrabant mihi 95.2.2.e
Tota die miſeretur & 253.2.1.b
Tota die verecundia mea 324.1.1.d.& 411.2.1.d
¶Traditus ſum & non egrediebar 721.1.1.a


Tranſiuimus




Tranſiuimus per ignem & aquam 509.2.1.e
Tranſtulit auſtrum de cœlo 636.2.1.d
Tribuat tibi ſecundum cor tuum 102.1.1.e
Tribulatio & anguſtia inuenerunt 370.2.2.c
Tribulationem & dolorem 748.2.2.b
Tribulationes cordis mei 134.2.1.c
Tu autem domine ne elongaueris 116.1.1.d
Tu autem in ſancto habitas 111.2.1.a
Tu autem domine ſuſceptor meus 11.1.1.c
Tu autem dñe in æternum permanes 95.2.2.d
Tu autem domine miſerere mei 273.2.1.b
Tu autem domine ne longe facias 263.2.1.b
Tu confirmaſti in virtute 595.2.1.a
Tu confregiſti capita draconis 595.2.1.a
Tu dirupiſti fontes & 596.1.1.b
Tu dominaris poteſtati maris 730.1.1.b
Tu domine ſeruabis nos 56.1.1.b
Tu exurgens domine 96.2.2.c
Tu es refugium meum 180.2.1.c
Tu es ipſe rex meus & Deus 319.2.1.e
Tu feciſti omnes terminos terræ 596.2.1.d
Tu humiliaſti ſicut vulneratum 730.2.1.a
Tu mandaſti mandata tua 271.1.2.d
Tu paraſti directiones 74.2.2.d
Tu terribilis es & quis 608.2.1.a
Tu ſcis improperium meum 545.2.1.b
Tu verò odiſti diſciplinam 387.2.1.b
Tu vero Deus deduces eos 438.2.1.a
Tu vero repuliſti & 742.1.1.c
Tu vero homo vnanimis 434.2.1.a
Tuus ſum ego ſaluum me fac 334.2.2.a
Tuus eſt dies & tua eſt nox 596.2.1.a
Tui ſunt cœli & tua eſt terra 730.2.1.e
Tunc loquutus es in viſione 733.2.1.e
Tunc non confundar 272.1.2.e
Tunc exultabunt omnia ligna 59.2.2.b
Tunc dicent inter gentes 423.2.2.d
Tunc repletum eſt gaudio os 423.1.2.c
Tunc loquetur ad eos in ira ſua 8.1.1.d
Tunc acceptabis ſacrificium 409.2.1.c
Turbatus eſt à furore oculus meus 23.1.1.a
Turbati ſunt & moti ſunt 190.1.2.c
Turbabuntur gentes 501.1.1.c
VAcate & videte 345.2.1.b
Vanum eſt vobis ante 429.1.2.c
Vana loquuti ſunt vnuſquiſque 54.1.1.c
Vbi ſunt miſericordiæ tuæ 746.2.1.a
¶Velociter exaudi me domine 537.1.2.d
Velut ſomnium ſurgentium 585.2.1.b
Veni in altitudinem maris 535.2.1.c
Pſal.94. ¶Venite exultemus domino 45.1.2.c
Venite filij audite me 198.1.1.b
Venite audite & narrabo 511.1.1.a
Venite & videte opera Dei 506.1.1.d
Venite & videte opera domini 345.1.1.b
Venite adoremus & procidamus 49.1.2.c
Veniat mors ſuper illos 435.1.1.a
Veniat illi laqueus quem ignorat 205.2.1.d
Veniant mihi miſerationes 322.2.2.a
Venientes autem venient 426.2.2.d
Vendidiſti populum tuum 322.2.1.d
Verbum iniquum conſtituerunt 272.2.1.b
Verbo domini cœli firmati ſunt 187.1.1.b
Pſal.5. ¶Verba mea auribus percipe 14.2.1.d
Verba oris eius iniquitas 215.1.1.c
Verba iniquorum præualuerunt 496.2.1.b
Veritas de terra orta eſt 707.1.1.c
Veruntamen prope timentes 605.2.1.b
Veruntamen vniuerſa vanitas 251.2.1.b
Veruntamen precium meum 478.1.1.a
Veruntamen Deus redimet 370.1.1.a
Veruntamen Deo ſubiecta eſt anima 478.1.1.e
Veruntamen Deus confringet 527.1.1.e
Veruntamen vani filij hominum 480.1.1.c
Veruntamen in diluuio 180.2.1.a
Veruntamen oculis tuis 18.2.2.b
Veruntamen in imagine 251.2.1.e
Veruntamen propter dolos 584.2.1.c
Veruntamen iuſti confitebuntur 520.2.2.a
Veſpere & mane & 436.1.1.c
¶Viam iuſtificationum tuarum 287.2.2.c
Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ 646.1.1.b
Viam iniquitatis amoue 288.2.2.b
Viam veritatis elegi 289.1.2.a
Viam mandatorum tuorum 290.1.2.c
Vias tuas domine demonſtra mihi 129.2.1.c
Vias meas enunciaui 287.1.2.b
Vide humilitatem meam & laborem 134.2.1.d
Vide humilitatem meam & eripe 378.1.2.a
Vide quoniam mandata tua dilexi 382.2.2.e
Videant pauperes & lætentur 550.2.1.d
Vides quoniam tu laborem & dolorem 48.1.1.b
Viderunt te aquæ Deus 617.2.1.c
Viderunt ingreſſus tuos Deus 528.2.1.a
Viderunt omnes fines terræ 70.1.2.a
Videbunt recti & lætabuntur 195.1.2.b
Videbunt multi & timebunt 258.2.1.d
Videbunt iuſti & timebunt 415.1.1.b
Vidi impium ſuperexaltatum 236.2.1.b
Vidi præuaricantes & tabeſcebam 382.1.2.d
Vidiſti domine ne ſileas 211.2.1.c
Viduam & aduenam 36.1.2.d
Viduam eius benedicens 457.2.2.a
Vigilaui & factus ſum 95.1.2.c
Vineam de Ægypto tranſtuliſti 670.1.1.b
Vir linguoſus non dirigetur 519.1.2.d
Vir inſipiens non cognoſcet 25.1.2.c
Viri ſanguinum & doloſi 438.2.1.b
Viriliter agite & confortetur 175.2.1.b
Virum ſanguinum & doloſum 16.2.1.d
Virga tua & baculus tuus 123.1.1.b
Virgam virtutis tuæ emitte 216.1.2.c
Viſitabo in virga iniquitates 739.2.1.b
Viſitaſti terram & inebriaſti 501.2.1.a
Vitam petiit à te & tribuiſti 106.1.1.A
Viuit dominus & benedictus Deus 92.1.1.c
Viuet anima mea & laudabit 394.2.2.b
Vltio ſanguinis ſeruorum 662.1.1.d
¶Vnam petij à domino hanc requiram 143.2.1.c
Vniuerſæ viæ domini miſericordia 132.1.1.c
¶Voce mea ad dominum clamaui 611.1.1.b Pſal.76.
¶Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum depræcatus ſum 527.2.2.e Pſal. 141.
Voce mea ad dominum clamaui 11.2.1.a
Vocem meam audi ſecundũ miſericordiam 375.1.2.e
Volucres cœli & piſces maris 34.2.1.d
Voluntatem timentium ſe. 565.2.2.b
Voluntaria oris mei beneplacitum 344.2.2.d
Voluntariè ſacrificabo tibi 426.1.1.b
Vos autem ſicut homines 686.1.1.a
Vota mea domino reddam coram 253.2.2.d
Vota mea domino reddam in 255.1.2.a
Vouete & reddite domino Deo 610.1.1.d
Vox exultationis & ſalutis 262.1.2.e
Vox domini præparantis ceruos 158.1.1.c


Vox

Vox domini in virtute 156.1.1.e
Vox domini intercidentis flammam 157.2.1.d
Vox domini confringentis cedros 156.2.1.c
Vox domini ſuper aquas 154.2.1.d
¶Vſquequo iudicatis iniquitatem 684.1.1.a
Pſalm. 12. ¶Vſquequo domine obliuiſceris 56.2.1.a
Vſquequo Deus improperabit 594.1.1.b
Vſquequo exaltabitur inimicus 58.1.1.b
Vſquequo peccatores domine 35.1.2.a
Vſquequo domine iraſceris in finem 659.2.1.a
Vſquequo domine auertis in finem 744.2.1.d
¶Vt annuncient in Sion 110.1.2.a
Vt annunciem omnes prædi. 589.1.1.a
Vt audiam vocem laudis 139.1.1.a
Vt auerteret iram eius 169.2.2.d
Vt audiret gemitus compeditorũ 100.2.2.a
Vt cognoſcamus in terra 513.2.1.c
Vt collocet eum cũ principib. 134.1.2.c
Vt cantet tibi gloria mea 164.2.1.a
Vt cuſtodiant iuſtificationes 159.1.2.a
Vt confiteamur nomini ſacto ſuo 178.2.2.c
Vt decipiant pauperem 227.1.1.e
Vt det illis hæreditatem 224.1.2.c
Vt exhilaret faciem in oleo 127.1.2.a
Vt erudiret principes 148.1.2.b
Vt eruat à morte animas eorum 191.1.1.e
Vt educas panem de terra 126.1.2.d
Vt faciant in eis iudicium 607.2.2.b
Vtinam dirigantur viæ meæ 271.2.2.d
Vt intinguatur pes tuus in 528.1.1.b
Vt intereant in ſæculum ſæculi 26.1.2.c
Vt iumentum factus ſum apud te 586.2.1.d
Vt liberentur dilecti tui 469.1.1.b
Vt mitiges à diebus malis 39.2.2.d
Vt non loquatur os meum 70.1.1.c
Vt notam faciant filiis hominum 560.2.2.a
Vt ponant in Deo ſpem ſuam 625.1.1.b
Vt quid deſtruxiſti maceriam 672.2.1.b
¶Vt quid Deus repuliſti in 589.1.1.c Pſal. 73.
Vt quid domine repellis orationem 723.2.1.b
Vt quid domine receſſiſti longe 44.1.1.c
Vt quid auertis manum tuam 594.2.1.a
Vt videam voluntatem domini 144.1.1.b
Vultus autem domini ſuper facientes 200. 1.1.c
Vxor tua ſicut vitis 433.2.2.b

FINIS TABVLÆ VERSICVLORVM

☞ In hoc pſalterio conſtant his mille ſexcenti ſex verſus, in quo numero triplex perfectio demonſtratur. Prima eſt ſenarij quæ pertinet ad pœnitentes. Secunda centenarij quæ pertinet ad proficientes. Tertia eſt millenarij quæ pertinet ad peruenientes. binarius geminam ſignificat charitatem quæ totum informat.

## VERSVS.

*Tres quinquagenos cantat Dauid ordine Pſalmos,*
*Verſus bis mille ſexcentos ſex canit ille.*
*Vt ſis perfectus gemino formatus amore.*
*Incipiendo, progrediendo, perueniendo.*

# PRINCIPALIVM SENTENTIARVM QVÆ IN COMMENTARIIS CONTINENTVR, ANNOTATIO ALPHABETICA.

NVMERVS AVTEM VERSICVLOS REFERT, QVIbus Commentaria ſubiunguntur.


Aa. AArō ſignificat Chriſtū. 1277
Aarō ſignificat charitatem & amorem.ver.1814.
Aarō an fuerit idololatra quā do fecit vitulum aureū.ver. 1853.
Aaron & Moyſes fuerunt ſacerdotes.ver.1683.
Aaron ſignificat prælatos.ver.2377.
Aaron videtur fuiſſe exemplum auaritiæ.818.
Aaron videtur fuiſſe cauſa idololatriæ.818.
Ab. ¶Abiit Adam à Deo & qualiter.ver.1.
Abire ſignificat mortem.ver.649.
Abirō&Dathā qualiter à terra abſorpti fuerūt.1851
Abyſſus dicuntur iudicia Dei.557.1760.
Abyſſus dicitur ſcriptura ſacra,696.
Abyſſus ſignificat peccatum.1272.
Abyſſus ſignificat infernum.1906.
Abyſſus quid ſit oſtenditur.2573.
Abominatur deus peccatores ad vtilitatem eorum. 1871.
Abominantur iuſti peccatores &peccata.1871.
Abraham ſignificat humilitatem.1178.
Abraham fuit exemplum obedientiæ.1246.1394.
Abraham peccauit.1389.
Abraham fuit exemplum fidei.1795.
Abraham fuit exemplum humilitatis.1798.
Abrahā fuit exēplum pietatis erga pauperes. 1930.
Abrahā obtulit panē &vinum Melchiſedech.1968.
Abrahæ filij ſunt omnes fideles non Iudæi.2580.
Abrahæ Deus fecit mirabilia.1794.
Abſalon conſpirauit contra patrem ſuum.21.
Abſalon ſignificat malos amicos.1215.
Abſalon ſignificat Iudam.1655.
Abſcondit ſe Deus multipliciter.198.
Abſconditus dicitur Chriſtus.459.888.
Abſconditus eſt Chriſtus nobis in multis.663.
Abſcondita cordis dicuntur peccata.729.
Abſconduntur multa peccata.729.
Abſcondere idem eſt quod obſcurare.2438.
Abſorbentur aliqui viui,aliqui mortui.229.
Ac. ¶Accedere ad euchariſtiā qualiter debemus.505.
Accendere ad bonum mali alios nō poſſunt.1560.
Acceptor perſonarum iudex non debet eſſe.759.
Acediæ bellum contra nos.384.
Acedia cubile dicitur.555.
Acedia ſignificatur per Aethæum.1337.
Accingere congruit bellatoribus.232.
Accingi debemus multiplici zona.1955.
Actiones noſtræ dicuntur viæ.2081.
Accola & aduena quid ſint oſtenditur.1801.1811 2094.
Actiua vita præcedit contemplatiuam.2077.
Actiui figurantur per hericium.1772.
Actiui boni indigent poteſtate.1987.
Actus virtutis perditur quandoque manente habitu.1907.
Accuſat Deum qui peccatum excuſat.1240.
Accuſant mali Deum.2313.2315.
Acuta dicitur eſſe lingua.ver.2453.
¶Adam abiit à Deo & qualiter.ver.1. Ad.
Adam ſignificatur per orbem terrarum.1654.
Adam vendidit nos diabolo.2291.
Adamas lapis manifeſtat adulterium.236.
Adamas lapis ſignificat diuinitatem.1971.
Adeps ſignificat ſuperbiam.194.
Adeps ſignificat ſapientiam.994.
Adeps multa ſignificat.994.
Adeps ſignificat abundantiam.1190.
Adeps ſignificat euchariſtiæ ſacramentum.1405.
Adhærere Deo eſt vita noſtra.365.
Adhærere Deo debemus.996.
Adhæſio eſt multiplex.1210.1211.
Adhæret mundo peccator & non Deo.2100.
Adhærere Deo debemus per fidem.2106.
Adhærens Deo omnia vana relinquit.2106.
Adhærens Deo non confunditur.2106.
Adhæſio mala eſt multiplex.2413.
Adinuentiones dicuntur præcepta Dei.1269.
Adinuentiones quid ſint oſtenditur.1401.
Adinuentiones ſunt peccata exquiſita.1862.
Addiſcere debet quilibet antequam docere.373.
Adiutor pauperum eſt Deus.99.
Adiutor noſter eſt Chriſtus.267.872.
Adiutor eſt Deus.301.499.
Adiutorium Dei datur volentibus.1364.
Adiutorio Dei aliqui priuantur ad tempus.1892.
Adiutor & ſuſceptor noſter eſt Deus.2187.
Adiuuat Deus omnes ipſum inuocantes.631.
Adiuuat nos deus multipliciter.673.957.
Adiuuare deus quandoque differt.718.
Adiuuat deus ſuos ne cadant.983.
Adiuuat Deus Iudæos multipliciter.1316.
Adiuuat nos miſericordia Dei.1625.
Adiuuat Deus pauperes & patientes.1921.
Adiuuat deus ſe timentes.2020.
Adiuuat Deus multa genera hominum.1135.
Adiuuat Deus in ſe ſperantes.1137.

Adiutoriū dei quare omnibus horis poſtula.1137.
Adiutoriū dei quādoque vtiliter ſubtrahitur.1150.
Admirabilis quis dicitur multipliciter.82.
admirabilē facit hoiem paupertas volūtaria.1668.
admirabilis dicitur deus vbique.1855.
admirando.& tacendo magis deus laudatur quā lo
quendo.2591.
adoleſcentia multas habet conditiones.1143.
adoleſcens accipitur in bono & in malo.2214.
adonai eſt nomen dei:& quid ſignificat.1069.
adorat quilibet illud quod plus diligit.300.
adoratio quid proprie eſt.320.
adorare debemus chriſtum.1662.
Adoranda eſt chriſti humanitas & qualiter. 2662.
aduena ſignificat eccleſiam.2545.
aduena quis proprie dicatur.648.
aduentus chriſti eſt duplex.91.1694.
aduentus chriſti nos liberauit.706.
aduentum chriſti ſancti deſiderabant.3067.
aduētus xpi fides &ſpes ſēp fuerūt neceſſaria.2239.
aduentus chriſti vtilitas oſtencitur.241p.
aduentus chriſti ad iudicium,1084.1656.
aduerſa nos corrigunt.19236.329.
aduerſitas bonis proficit.73.85.113.972.
aduerſitas animam purificat.138.
aduerſitas ad culpam mouere non debet.188.
aduerſitatibus creuit eccleſia.220.221.448.1801.
aduerſitas malis nocet.250.
aduerſitas per aquam ſignificatur.253.
aduerſa tolerari debent.257.
aduerſa humiliant.992.1032.
aduerſitas ſignū eſt diuine pdeſtinationis.329.578
aduerſitas figuratur per mare.335.
Aduerſitas eſt multiplex.381.
aduerſitas eſt duplex.477.
aduerſa alia ſunt bonorum alia malorum.478.
aduerſorum patientia.592.
aduerſa patiuntur omnes boni.517.645.2142.
aduerſa oſtendunt hominis humilitatem.536.
aduerſa figurantur per ſagittam.610.
aduerſa diuerſis modis contingunt.611.
aduerſa ſunt permixta in omni gaudio mūdi.676.
aduerſa dicuntur excelſa.697.
aduerſa figurantur per noctem. 698. 1687.2357.
2437.2438.
aduerſa quare Deus immittit.700.
aduerſitas deponit ſuperbiā.728.1612.1783.2146
aduerſitas aperit oculos mentis.728.1428.
aduerſitas per aquilonem figuratur.812.
aduerſa vincit oratio facta pro inimicis.1104.
Aduerſa nos fortificant.1141.1159.1621.
Aduerſa dilectionem Dei augent.1204.
aduerſitas corporalis ſignificatur per carnes.1308.
aduerſitas probat amicos non proſperitas.1488.
aduerſa cuſtodiunt iuſtos.1498.
Aduerſa iuſtitiam Dei conferunt.1501.
aduerſis non purgantur infideles.1542.
aduerſa veniunt ex iuſtitia Dei.1587.
aduerſitatibus murmurantes Deum accuſant.1611.
aduerſitates terminat Deus.1763.
aduerſitatibus creſcunt virtutes.1801.
aduerſitas via eſt ad fœlicitatem.1807.2033.
aduerſitas requirit patientiam:ſed proſperitas hu-
militatem.1833.
Aduerſa diuerſis cauſis proueniunt.1842.
Aduerſa immittit Deus ſuis propter multa. 1905.
aduerſa ad orandum inducunt.1908.2128.2135.
aduerſitas perſecutionis per ſolem figuratur.1959.
aduerſitasdicitur torrens.1975.2281.
Aduerſa patimur in mundo ſed in Deo requieſci-
mus.2035.
aduerſitatibus dilatat nos Deus.2052.
aduerſitatibus caſtigat nos Deus.2065.2107.
aduerſa promittit lex euangelica.2113
Aduerſorum patientiam facit ſpes.2123.
aduerſa proficiunt patientibus.2129.2032.
aduerſa præcogitata non turbant.2233.
Aduerſa qñq; sūt cauſa virtutis.2140.2244.2180.
Aduerſa Deum laudare faciunt.2248.
Aduerſitatis tēpore patientia eſt poſtulanda.2249.
aduerſa animam fortificant per ſcripturam.2165.
aduerſa dicuntur iudicia iuſtitiæ Dei.2199.
aduerſitas parit laudem voluntariam.2181.
Aduerſitatum conſolatio.2210.
Aduerſa mitigat conſideratio iuſtitiæ Dei.2210.
aduerſa conſolationem dant iuſtis non proſpera.
aduerſitas aliquos inuenit & inuenitur ab aliquib.
2216.
aduerſitatibus habetur vita æterna.2217.
Aduerſitatibus quādoque quis concluditur. 2218.
aduerſa carnis dicuntur proxima iuſtis.2223.
aduerſa omnes patiuntur in præſenti.2274.
aduerſa nos pacificant cum Deo.2290.
aduerſa etiam iuſti timent.965.
Aduerſis tentamur & proſperis.1027.
aduerſa iuſtificant.2031.
In aduerſitatibus laudandus eſt Deus.2357.
aduerſitas ducit ad gloriam.2426.
aduerſa mentem illuminant.2437.
aduerſa humiliant.2478.
aduerſis nos perſequitur diabolus.2487.
Aduerſitatis & proſperitatis tempore laudandus
eſt Deus.2517.
aduerſa iuſtos confirmant.2530.
Vide aquilo:flagella: pœna:corrigere.
adulatio multum nocet.114.
adulatores erant quandoque iudæi Chriſto.402.
adulatio propriè quid ſit.544.
adulatio veram laudem ignorat.806.
adultores laudant quos perdere volunt.981.
adulatio per locuſtam ſignificatur.1326.1822.
adulatio lactat peccatorem.1491.
adulatores ſunt inimici.1594.
adulatio habet gradus.1711.
adulatio multipliciter nocet.1984.
adulatores difficiliter vitantur.2452.
adulatores ſerpenti comparantur.2353.
adulatio peccatum auget.2470.
adulatio per oleum ſignificatur.2470.
adulter eſt prædicator qui ex prædicatione gloriam
propriam quærit.
aduocatus defendens iuſtitiam pro lucro iuſtitiam
vendit & peccat.376.
¶Affirmatio quādoq; ex negatione infertur. 1951.
afflictionē omnia animalia hominibus inferūt.616.
Vide aduerſitas,pœna.
Africus quidā ventus eſt;& quis ſit oſtēditur.1307.
¶Agareni.hypocritæ p agarenos ſignificātur. 1419.
ager dicitur eccleſia.1917.
ager eſt multiplex.1927.
¶Agens in agendo requirit naturalem diſpoſitionē
patientis.2010.
agenda præcogitare debemus.2132.
agenda præcogitans non turbatur.2133.
Vide facere.
agnus Chriſtus dicitur.1574.
Agnus vicit leonem:quiā Chriſtus diabolū.2588.
¶Albos pulllos vel nigros quare auis facit.632.
vide nix



Vide nix.
alle apoſtolorum quæ ſunt.88.
ale Dei ſunt miſericordia
ale Dei quid dicantur.559.
ale Dei ſunt due.915.996.
ale ſunt duo præcepta charitatis.2495.
Ale ſunt multiplices.2435.
Vide apoſtolus.
Aleluia:idem eſt quod laudate Deum : & eſt no-
men compoſitum.1790.2568.
Alexander dictus fuit imperator. quia potens di-
xit ſibi quidam pyrata.168.
alexander iuſtitiam dilexit.168.
alienus filius quis dicitur.246.
alienus Deus dicuntur idola.728.
alieni dicuntur dæmones.871.
alieni dicuntur Iudæi.930.
alienus Deus quis dicatur.1398.
alienos à Deo nos faciunt peccata.2409.
altare eſt cor noſtrum.372.1434.
altare eſt multiplex.372.
altare dicitur gloria cæleſtis.707.
altare dicitur Chriſtus.1869.
altiſſimus dicitur Chriſtus & quare.1330.
altitudo diei dicitur potentia mundi.904.
altitudo cæli terra ſignificat pœnam peccato de-
bitam.1742.
Altitudo bona multiplex.1742.
altitudo rei attēditur penes diſtantiā à cētro.1760
altus multipliciter dicitur Deus.1999.
altus quandoque idem eſt quòd excelſus.1998.
altitudinē & latitudinē qualiter habet De⁹.2119.
.Am ¶Aman idem eſt quod heman.1481.
amatur Deus à nobis tripliciter.464.
amat pater filiū magis q̃ ecōtrario:& quare.1744
amari debet natura hominis ſed vitia odiri.2186.
amatur Deus & laudatur libere.2365.
Vide amare diligere.
Amalech ſignificat luxurioſos.1419.
ambulauit Chriſtus per patientiam.1457.
ambulatio eſt duplex,ſ.ſecundum ſpiritum & ſe-
cundum carnem.1700.
ambulare qualiter debemus : vt perueniamus ad
Chriſtum.
ambulans tria debet obſeruare.2240.
ambulant ſupra ſe:& in magnis ſuperbi.2328.
ambulare peccatorum implicat eos.2328.
ambulatio ſignificat patriam.2426.
ambulare debemus multipliciter.1290.
amicitia ſolum inter bonos conſiſtit.1213.
Vide amicus.
amici noſtri angeli ſunt & familiares.619.
amicorum iniuria grauior eſt q̃ extraneorū.887.
amicus fictus multum nocet.907.
amici ficti per abſalon ſignificantur.1215.
amicos probat aduerſitas non proſperitas.1488.
amicus verus multa in ſe debet habere.1933.
amicus dicitur à hamo.219.
amici Dei dicuntur angeli & apoſtoli.3443.
Vide amicitia.
¶Amor lex noua dicitur lex amoris.260.2200.
amor pſonæ philocatæ cognoſcitur in pulſu.479.
amoris ſigna oſtenduntur.538.
amor noſter in Deum tendere debet.772.
amor ſumme coniungit.861.
amor & timor cauſant omne peccatum.1387.
amoris debitus ordo oſtenditur.1499.
amor Dei dicitur ignis.1657.
amor gloriæ & timor pœnæ præſeruāt pctō.1668.
moris præcipuum ſignum eſt in oculis.1696.
Amor ſignificatur per vinum.1769.
amor Dei aliter delectat quam amor mundi.1769.
amorē magnū habēt eq ad dominos ſuos. 2120.
amore debemus benefacere non timore.2138.
amor animam deficere facit.2154.
amor omnia amara dulcia facit.2179.
amor gloriæ & timor pœnæ inducit ad bonū.216.
amor eſt duplex:ſcilicet Dei & mundi.2264.
amor nunquam eſt ocioſus.2264.
amor omnis aut aſcendit aut deſcendit.2273.
ad amorē ſuū Chriſtus cōuertit pſecutores.2295.
Vide amare diligere.
ammon ſignificat ingratos.1419.
amorreus ſignificat luxuriam.1337.
¶Ancilla ſignificat ſynagogam.39.
ancilla dicitur virgo maria & quare.1472.
ancilla dicitur eccleſia.2043.
ancilla multas conditiones debet habere.2043.
ancilla dicitur caro noſtra.2275.
ancora ſignificat virtutem ſpei.644.2108.
ancipiter dicitur diabolus.881.
angelis minor quomodo fuit chriſtus.87.
angelus per cælum figuratur.210.2503.
angeli orationes noſtras Deo offerunt.323.
angelus dicitur Chriſtus.507.
angelus malus dicitur angelus domini.527.
angeli ſunt noſtri familiares & amici.619.
angelorū beatorū numero beatificāt hoies. 967.
angeli dicuntur montes.1166.1552.
angeli propter homines ſunt magis beati.1567.
angeli animas noſtras cuſtodiūt multipliciter.1580
angeli dederunt legem antiquam. 1638.
angelus malus redimi nō debuit:ſed homo.1745.
angeli beati dicuntur cæli.1750.928.
angeli damnati magnā habent poteſtatem. 1741.
angeli ſuperiores illuminant inferiores.1741.
angeli beati quomodo adinuicē præliantur.1751
angelorum tres ſunt hierarchiæ.1752.
angelorum nouem ſunt ordines.1752.
angelorum vnus ordo dicitur virtutes.1752.
angelus vnus in plurib.ordinibus ponitur.1752.
angelos extendit Deus & quomodo.1756.
angelus nomen eſt officij:non naturæ.1758.
angelos facit Deus & etiā ſpiritus ſummos.1758
angeli ī ſpecie ignis multotiēs apparuerūt.1858.
angelis ſacerdotes debent eſſe ſimiles.1972.
angelorum ruina ex hominib.reſtauratur.1974.
angeli dicuntur principes.2001.2056.
angelorū in ordinib.collocantur homines. 2001
angeli dicuntur montes.2187.
angelorum panis factus eſt lac paruulorū.2330.
Coram angelis quis laudat Deum oſtenditur.
angeli & homines ſimul laudant Deum.2420.
angeli ſunt amici Dei & principes.2443.
angeli ſunt numero infiniti nobis non Deo.2444
angeli coram Deo non iuſtificantur.2486.
angeli ſunt ciues cæli:ſed hoies peregrini.2549.
angelus quandoque eſt nomen vnius ordinis quā
doque commune.2569.
angeli laudant Deum ſed homines iubilāt.2569.
angularis lapis reprobatus fuit Chriſtus.2048.
Anima qualiter Deo viuit.323.
anima caput noſtrum dicitur.331.
anima de foris datur.357.
anima Chriſti fuit in inferno.423.
anima accipitur multipliciter.4446.940.
animarum productio.494
anima Chriſti exultauit in domino.531.

anima noſtra eſt imago Dei.640.
animas noſtra multum diligit Deus.677.
Animas aliqui vẽdunt aliqui impignõrant aliqui ludunt,&c.677.
anima eſt triplex 693.
anima dicitur Dei templum.751.
anima noſtra eſt immortalis.796.
animam quare Deus carni vniuit.990.
anima præualet omnibus rebus mundi.1089.
anima quandoque ſignificat totũ hominẽ.1231.
anima iuſti dicitur templum Dei.1359.
anima noſtra aſſimilatur vineæ.1379.
animã leuare ad Deum quid eſt.1458.
animam ſanant vulnera Chriſti.1485.
animæ ſepulchrum dicitur corpus.1492.
animæ & corporis Deus eſt vita.1493.
animas noſtras cuſtodiũt angeli multipliciter.1580
anima dolet non caro.1626.
Animam & corpus hominis Deus fecit.1639.
anima dicitur ſpiritus.1746.
Animæ ſeparatæ nõ cognoſcũt q̃ hic fiunt.1746.
anima dicitur ventus.1757.
anima recipit multa bona à ſpiritu ſancto.1784.
animam ſanat corporis infirmitas.1897.
Animam occidit carentia verbi Dei.1898.
anima ſignificatur per oſſa.1954.
Animæ vita eſt fides.2092.
animam aggrauat corpus.2100.
anima vigilante dormit corpus.2103.
anima ſuas habet ætates ſicut & corpus.2118.
animæ vita eſt verbum Dei.2123.
anima deficit in Deum & qualiter.2154.
anima amore deficit.214.
anima ſpiritualis dicitur terra. 2163.
anima noſtra qualiter fundatur in bono.2162.
anima noſtra quõ ſtat in manibus noſtris.2181.
anima noſtra in manibus Dei.2182.
anima habet carnes habet & corpus.2193.
anima noſtra habet os oris.2204.
anima noſtra dicitur paſſer.2283.
animam liberat timor pœnæ.1283.
anima peccato congelatur.2295.
anima eſt domus:ſed quomodo ædificatur & dedicatur.2299.
anima eſt ciuitas:& quõ debet cuſtodiri.2300.
anima noſtra dicit̃ tabernaculũ&dom⁹ Dei.2336
anima iuſta dicitur vidua.2347.
animæ poteſtatem mali poſſunt habere: ſed non corporis.2459.
animæ carcer eſt corpus.2485.
anima illa eſt ſine aqua quæ gratia caret.2490.
animam tribulatio purificat.2497.
anima noſtra eſt regnum Chriſti.2528.
anima ſemp ſuperior & nobilior corpore. 2538.
anima eſt ſpiritus hominis.2540.
anima contritione ſanatur.2549.
anima hoĩs nõ tranſit ad iumẽta vel aues. 2556.
animalia eſſe dicũtur euãgeliſtę & doctores.1058
animal quodlibet perfectius eſt ſimulachro.2016
animalia irrationabilia exempla virtutum nobis conferunt.2218.
aĩalia oĩa quantũcunq; parua Deũ laudant.2576.
annus dicitur gloria æterna.1262.1727.
annunciare de Chriſto multa debemus.657.
annunciat nobis Deus credenda.1244.
annunciare debemus laudes Dei.1370.
annunciare miſericordiã &veritatẽ debem⁹.1501.
annũciare debem⁹ pctã noſtra & ꝓximorũ.1724.
antiochus multa mala fecit iudæis:vide per totũ
antiqua dicũ ẽpctã:ſed nouiſſima dñr.pœnæ.2431
Antichriſtus ſe maiorem Deo prædicabit.1417.
antichriſtus caput eſt omnium malorum.1415.
antichriſtus regnabit in iudæis.1417.
antixp̃s regnabit trib.annis cum dimidio.1726.
antichriſtus orietur ex tribu Dan.2557.
antichriſti perſecutio ponitur.110.& infra.
¶Apparere quid ſit oſtenditur.991.
Aper de ſylua fuit nabuchodonoſor.1384.
aperuerunt Iudæi ora ſua contra Chriſtum multipliciter.303. Ap.
aperire multa debemus.848.2532.
aperire os ſignificat: quòd attendenda ſunt quæ ſunt dicenda.1279.
aperire ſignificat punitionem.1851.
aperit oculos mentis tribulatio corporis.1873.
aperire os deſiderare.220.
aperitur oſtium cordis chriſto qualiter & clauditur.2477.
Aperire manũ ſignificat xp̃i incarnationẽ. 2532.
aperuit virgo maria chriſto.2532.
apes dicuntur Iudæi.307.
apis ſignificat iuſtos.675.
apoſtoli dicuntur infantes.84.
apoſtoli conuerterunt mundum ad fidem.95.
apoſtoli dicuntur nubes.213.
apoſtoli qualiter loquebantur variis linguis. 254.
apoſtoli dicuntur corona Chriſti.280.
apoſtoli dicuntur oſſa.304.
apoſtoli dicuntur arietes.411.
apoſtoli fuerunt duodecim.411.
apoſtoli dicuntur pedes chriſti.445.768
apoſtoli ſignificantur per capillos.666.
apoſtoli dicuntur ſagittæ.741.
apoſtoli figurantur per montes.756.
apoſtoli dicuntur cælum.815.1502.1660.1998.
apoſtoli per columbam ſignificantur.881.
apoſtoli ſunt duces eccleſiæ.1077.
apoſtolorum martyrium.1077.
apoſtoli & primi prędicatores idiotę fuerunt.1275.
apotoli dicuntur nubes.1273.
apoſtoli per mũdum ſparguntur & quare.1304.
apoſtolis gentes contradicebant.1377.
apoſtolorum confirmatio.1386.
apoſtoli dicuntur orbis terre.1602.
apoſtoli dicuntur flumina.1676.
apoſtoli dicebantur caro chriſti.1768.
apoſtoli dicuntur fontes.1764.
apoſtolorũ prædicatione terra fuit ſaturata.1767.
apoſtoli dicuntur homo.1777.
apoſtoli per genua ſignificantur.1960.
apoſtolis benedixit deus ipſos cõfirmando.1964.
apoſtoli ſtabiles fuerunt.2258.
apoſtoli dicti ſunt filii excuſſorũ.i. ꝓphetarũ.2303.
apoſtoli ſunt principes & amici dei.2443.
apoſtoli ſunt cæli inclinati.2503.
approbare qñq; idem eſt quod cognoſcere.2428.
appropinquare Deo qd eſt cũ Deus ſit vbiq;.2242.
¶aqua multa ſignificat.3.1089.251. Aq.
aqua ſignificat ſcripturam ſacram.212.216.
aqua baptiſmi.218,326.413.752.
aqua ſignificat pænitentiam.234.
aqua ſignificat aduerſitates.253.
aqua effunditur ad multa.304.
aqua baptiſmi dicitur aqua refectionis.326
aqua ſignificat diuitias.473.
aqua videre facit ſolem.479.
aqua maris oceani conſiſtit in altum.486.
aquæ includuntur in terra.896.
aqua ſanior eſt paralytico quam vinum.645.
aqua pluuialis fecundior eſt.752.

Aqua



Aqua ſignificat inſtabilitatem.934.
Aqua ſignificat gratiam.1019.
Aqua ſignificat proſpera.1033.
aqua ſignificat populum & iudæos.1089.
aqua contradictionis.1227.
Aqua ſignificat populos.1272.
Aqua ſpiritus & ſãguis quõ dãt teſtimoniũ.1283.
Aqua maris ſignificat perſecutiones.1293.
Aqua de petra fluxit.1395.1296.
aquã lacrymarum eduxit virtus crucis. 1296.
aquam viuam dat chriſtus.1295.
aqua triplex de latere chriſti.1300.
Aqua conuertitur in ſanguinem.1326.
Aqua terramcircundat .1760.
Aquæ montibus ſunt altiores.1760.
aquæ infra terram includuntur.1764.
aqua ſignificat doctrinam apoſtolorum.1764.
aquam dedit dñs populo in deſerto.1829.
aqua cõtradictionis quare ſic dicitur.1865.
aqua quę aſcẽdit vſq; ad cælos ſignificat gra.1913.
aquã ſcientiæ & gratiæ gentes receperũt.1915.
aqua ſignificat ſapientiam .1915.757.
aqua ſignificat mortem,1954.
aquam de petra dupliciter chriſtus educit.2009.
aqua ſignificat populos malos.2280.
aqua ſine ſubſtantia dicuntur peccata.228.
aqua eſt fundamentum terræ.2385.
aqua caret anima quæ eſt ſine gratia.2490.
aquæ quomodo ſunt ſupra cælum.2571.
Aqueũ cælum quid ſit & quare factum.2571.
Vide ſcientiam: cryſtallus.
aqua benedicta ad quid valet.840.
aquila ſignificat patientiam Dei.834.
aquila quomodo renouatur.1736.
aquila ſignificat pænitentes.1736.
aquila exempla virtutum nobis præbet.2218.
aquilo ſignificat diabolum.776.1511.
aquilo ſignificat aduerſitatem.812.1883.
Ar. ¶Aranea ſignificat iuſtos.646.
aranea multa ſignificat.1560.
aranea& omnia animalia laudãt Deum.1576.
arbor ſigĩficat bonos:à qb⁹ mali dẽnt amputari.604.
arboribus proficit frigus.611.
arbori iuſti comparantur.1597.
arbor magna in paruo grano ſeminis cõtinẽ.1575.
Vide ramus.
arabia ſignificat humilitatem 1178.
arca domini qualiter in templo poſita fuit.334.
arca federis eleuabatur in bellis,1048.
arca federis locum firmũ primo hab uit in ſylo.159
arca ſignificat eccleſiam.2339.
arca ſignificat corp⁹ chriſti & virginẽ mariã.2339.
arcta via atquæ lata dicitur charitas.2169.
arcturus quædã cõſtellatio ſignificat eccleſiã.1759
arcus ſignificat ſcripturam. 76.134.834.
arcus ſignificat chriſtum. 77.
arcus dicitur perſecutio occulta.579.
arcus ſignificat mundanorũ ſapientiam.715.
arcus ſignificat luxuriam. 763.1248.
arcus dicitur vltimum iudicium.961.
arcus ſignificat dolos 1248.
arcus paruus quid dicatur.1340.
arcus ſuperbiæ.1340.
ardor multiplex eſt. 258.
arena dicuntur iudæi.2444.
arguit Deus in ira & qualiter.54.
arguere debemus noſipſos.837.
arguit nos Deus multipliciter.1617.
arguitur quis in ira & aliquis in furore.1617
argui fortius debent peccatores maiores .4.643.
arietes apoſtoli dicuntur.411.1036.
Vide prælatus.
arma quibus muniri debemus.234.
Arma ſignificant auaritiam.763.
arma omnibus animalibus natura dedit.882.
armatus populus ſine Deo inermis eſt.1541.
arma ſpũlia quæ ſunt.523.
arrij errores contra filium Dei.787.
articuli fidei diſtinguũtur.776.
articulus primus exponitur.781.
articulus ſecundus exponitur.787.791.
articulus tertius exponitur.795.800.808.
articulus quartus exponitur.812.816.824.
articulus quintus exponitur.832.834.
articulus ſextus exponitur.739.841.
articulus ſeptimus exponitur.845.852.
articulus octauus exponitur.856.
articulus nonus exponitur.863.
articulus decimus exponitur.868.
articulus vndecimus exponitur.875.
articulus duodecimus exponitur .878.
arundo ſignificat vanam gloriam.1080.
¶aſcendere in cælum qualiter potuit.xp̃s.839.
aſcendere in cælum quis poteſt.1436.316.
aſcendent ſancti in nube.1757.
aſcendit chriſtus propter multa.1757.
aſcẽdentes ſuperbos deus deſcendere facit.1762.
aſcẽdũt ſupbi ad cælũ & deſcẽdũt ĩ infernũ.1906.
aſcendit chriſtus vt prædeſtinati ſaluentur.1928.
aſcendit ſemper amor aut deſcendit.2273.
Vide aſcenſio.
aſcẽſio chriſti,71.83.258.770.839.920.942.1065.1066.1083.
aſcenſio chriſti fuit in iubilo.770.
aſcenſio chriſti iter nobis fecit.1068.
aſcenſionis gradus eſt multiplex.1436.
aſcenſio chriſti dicitur nubes.1757.
Vide aſcendere.
aſilum templum erat refugii.655.
aſpectus dei duplex.2205.
aſperum verbum quid dicatur.1572.
aſpis dicitur diabolus.871.1582.
aſpis ſignificat obſtinatos.931.1582.
aſpis ſignificat inobedientes.1458. Vide.inimis.
aſperſio eſt multiplex.840.
aſperſio antiquitus fiebat ſanguine multiplici.840.
aſperſorium ex quibus lignis debet eſſe.840.
aſtra neceſſitatem nobis non imponunt.2469.
aſtutia mundi confunditur.
aſſumere ꝙ xp̃s vel verbũ nunq̃ dimiſit.1527.1532.
aſſur ſignificat diabolum.1420.
attendere eſt multiplex.1278
atrium eſt multiplex.412.
atrium dicitur æterna gloria.1431.2045.
atrium eſt duplex.ſ.religionis & gloriæ.1598.
atriũ eſt duplex.ſ.eccleſia militãs & triũphãs.1649.
atria ſignificant charitatem.2356.
¶auaritia igne figuratur.139.
auaritia tollit verbum Dei.147.
auaritia perſecuti ſunt iudæi chriſtum.195.
auaritia ſignificatur per currus.275.
auaritia confundit homines.346.
auaritia eſt radix omniũ peccatorum.360.1489.
auaritiæ bellum.384.
auaritia cubile dicitur.555
auaritia cantat tibia.653.
auaritia ſignificatur per arma.763.
auaritię confidentia oſtenditur.793.915.
auaritia videtur incepiſſe à clericis.818.
auaritia per aurum ſignificatur.818.

Auaritia

auaritia eſt quædam corruptio.863
auaritia ſacerdotis oſtenditur.1100.
Auaritia facit cor non rectum.1288.
Auaritia dicitur negocium in tenebris.1575.
Auaritia quantum ſit malum oſtenditur.1575.
Auaritia habitis rebus creſcit nõ ſatiat.1659.1669.
Auaritia proceſſit à claro.1853.
Auaritia proceſſit à clero.1844.
auaritias ſignificatur per aurum.29 44.
auaritia ſignificatur per aurum.2013.
auaritie peccatum equipollet idololatrie.2111.
Auaritia eſt laqueus diaboli.31 83.
auaritiã grauiã iubet.2313.
Vide auarus.
auari ſignificantur per piſces.89.
Auarus hic dormit ſed vigilat in morte.1250.
Auarus deum non collit.2111.
Auarus non diligit legem dei.2145.
Auarus moritur fame.2512.
Vide auaritia.
Andaciã & fortitudinẽ cõfert chriſti ſanguis.1967.
Audacia dicitur vectis ferreus.1896.
audacia ſignificatur per virum.2557.
Audire dei quid eſt & audire noſtrum.433.
audiri debet verbum dei cum reuerentia.510.
auditus tardius immutatur quàm viſus.654.
audire ſcripturam ſacrã debemus humiliter.746.
auditus & viſus maxime ſunt nobis neceſſarii.746
auditus verbi dei multa bona facit.746.
audire auribus quid ſignificat.788.
Audire verbum dei requirit pacem proximi.789.
Audire deum quid ſit.1400.1402.1451.
auditur oratio à deo & aliter exauditur.2703.
audit deus clamorem oppreſſorum.1893.
audire nõ poſſũt boni ver.malorũ & ecõtrario.2411.
audire quandoque idem eſt ꝙ obedire.2424.
audire multa debemus & pauca loqui.2462.
auditores paſcere debent prædicatores.2555.
Vide loqui
auertitur peccator à deo.526
auertit nos deus quandoque.719.
auertit ſe Deus à nobis multipliciter.842.
aduertere duo ſignificat.873.
aduerſio Dei eſt duplex.1324.1544.
aduertit ſe homo multipliciter à Deo.1447.
aduertere iram Dei quomodo quis poteſt.1857.
aufert Deus à malis multa.2473.
aues ſignificãt contemplationes.253.
auis qualiter facit pullos albos vel nigros.632.
aues ſignificant bonos.1391.
auis homo & leo dicitur diabolus.2651.
auris inclinatur humilibus.190.
audire quid ſignificat.788.
aures aperire debemus.848.
auris Dei dicitur eius gratiã.870.2320.
aures Dei dicuntur miſericordia & iuſtitia.1149
auris Dei quid ſit.1438.
aurem ſuam Deus qualiter inclinat.1458.
auris ſignificat obedientiam.1458.
auribus percipere quid eſt.1462.
auris ſignificat obſtinationem malorum.1015.
auris Dei eſt filius Dei.2030.
auris triplex cõditio.2320.
aurum ſignificat diuitias.292.
aurum habens quandoque fame moritur.570.
aurum in igne ponitur ad multa.1032.
aurum ſignificat ſapientiam.1178.
aurum ſignificat auaritiã & idololatriam.2913.
Videc aſtitus.
auſter ſignificat chriſti charitatem.295
Vide.ventus.
auxilium dat Deus eccleſiæ.269.
auxilium Dei chriſto datum.1520.
auxiliũ Dei datur pugnantibus & tribulatis.1936.
auxilio Dei quis priuatur propter multa.1948.
auxiliũ nobis prꝑſtatur bonorum exemplis.2256.
auxilium Dei multiplex.2256.
auxilium ſuum ſubtrahit Deus qñq; à iuſtis.2256.
BAbylonij per beſtias ſignificantur
babylon ſignificat gẽtes.1476.1231. ba
babylonis flumina quid ſunt.2407.
balſamus valet ad multa.1967.
baptiſmꝰ baptizat cõfert virtutes.379.
baptiſmi magna eſt efficacia.379.326.
baptiſmus an debeat differri.379.
Baptiſmus ſymoniace datus an valeat.379.
Baptiſmi ſacramẽtum tractatur.413.
Baptiſmus peccata remittit.466.1845.
Baptiſmus per moyſen ſignificatur.1277.
Baptiſmus expellit diabolum.1225.
Baptiſmus ſignificatur per flumen.1551.
Baptiſmus per mare ſignificatur.1843.1844.2392.
Baptizatus dicit conuerti retrorſum.2004.
Baptiſmus ſubmergit diabolum cum vitiis.2394.
Barbatus quid ſignificat.2002.
Barba ſignificat apoſtolos & in fide cõſtãtes.2352
Barach præliũ ponitur.1421.
Baſiliſcus ſignificat diabolum.1582.
Baſiliſcus ſignificat inuidos.1582.
¶Beatitudo eſt æterna.51.
Beatitudines ſeptẽ oſtendũtur.147.
Beatitudo eſt duplex.153.
Beatitudo datur poſt aduerſa.366.
Beatitudo conſiſtit in tribus.491 557.
Beatitudinis quæ ſit cauſa.492.
Beatitudo quanta ſit nullus explicare põt.3208.
Beatitudo noſtra conſiſtit in chriſto.1390.1453.
Beatitudinem omnes volũt ſed diuerſimode.2077.
Beatitudinem in diuerſis rebus diuerſi ponũt.2130
Beatitudo in ſolo Deo conſiſtit.2482.
Beatitudo perfecta erit ſolũ poſt iudiciũ.2585.
Vide beatus.gloria æterna.vita æterna.
Beati vident pœnas malorum.130.459.858.
Beatus peccare non poteſt.181.
Beati deſiderant vindictam malorum.131.
Beatus fuit chriſtus ante reſurrectionem.200.
Beati exultant in Chriſto.389.
Beati gaudent de pænis damnatorum.404.522.
Beati non orant pro damnatis.515.
beatis an placeat ſe peccaſſe vel diſpliceat.585.
beati nõ compatiunt damnatis.937.
beato.numerꝰ erit ſm numerũ beato.angelorũ.967
beati an recordantur peccatorũ præteritorũ.1500.
beatorũ dotes per ſolem & lunã deſignãtur.
beati replentur multipliciter.1566.
beatiores ſunt angeli propter homines.1567.
beator.gaudiũ erit iuxta mẽſurã tribulationũ.2292
beati letificantur ſapientia ad modũ vitis.2307.
beatus habet latera & quæ ſunt illa.2307.
beati ſignificantur per iſrael.2377.
beatis quomodo ineſt miſericordia Dei.2350.
beatos qñ nos Deus facit ex iacob facit iſrael.2541.
beatorũ totum officium eſt laudare Deũ.2572.
Vide.beatitudo.
belphegor quid ſit.1861.
bellum cõtinuũ habemus in præſenti.234.
bella principes intrare nõ debent.267.
bellum peccatorum eſt multiplex.384

Bella



Bellãtium militũ bona apud vexilla debẽt eſſe.871.
bellum diaboli.903.
Bellat chriſtus pro nobis.903.
Bellum dicitur excuſatio peccatorum.1248.
bellum carnis eſt graue.2160.
bellum dauid cõtra goliã ponitur.2499.
bellamus cõtra diabolũ manibus & digitis.2499.
bellum chriſti contra diabolum ponitur.2499.
benedictio dei eſt gloria eterna.52.
benedictio dicitur liberras a peccato.280.
benedictio bonorũ in iudicio precedet maledictio nem peccatorum.283.
benedicere dei eſt gratiam dare.338.
benedicere deũ eſt bene viuere.378.
benedictio dei eſt duplex.420.
benedicimus deum multipliciter.502.
benedicere deum eſt gloriam ſibi dare.510.
Benedicamus domino quare dicitur in horis.977.
benedictio dei illuminat intellectũ.1042.
benedictionẽ eternã cõſequemur p chriſtũ.1181.
benedictio chriſti eſt gratia.1437.
benedictio dei valet ad multa.1444.
benedicere eſt duplex.1732.
ben edicere deo debent omnia interiora.1732.
bñdicere deũ nos facit pctõrũ nrõrũ cõſidera.1732.
benedicamꝰ dño q̃re aliqñ dicit ĩ fine miſſe.1733.
benedictus eſt deus vbiq;.1753.
bñdictio dei multiplicat tpaliter & ſpũaliter.1918.
Bñdictionẽ poſſumꝰ velle pſe ſed nõ maledictionem 1953.
benedictio tẽporaliũ datur etiam bonis.2022.
bñdictio iudeis cõuerſa eſt in maledictionẽ.2023.
benedictio quare datur operantibus.2318.
benedictio malis non datur.2318.
Benedicũt deum qui concordiam habent.2354.
benedicere deũ nũc debemus ĩ vita preſenti.2355.
Benedicitur deus operibus bonis.2354
Benedicere eſt duplex.2516.
Vide.confeſſio laudis: creatura : predeſtinatio.
Vtrum propter beneficia dei ipſe deus ſit magis diligendus.201.2029.
Beneficia dei ſunt multa.502.288.914.
Beneficiorũ dei memoria deũ placat.1213.
Beneficia multa deus dedit iudæis.1280.
Beneficiorum habenda memoria.1316.
Beneficium attenditur penes bonum datum vel pe nes malum ablatum.1734.
Bñficia in ꝓpria plꝰ mouẽt quam in aliena.1908.
Beneficijs dei retribuere nõ poſſumus.2040.
Benefacere debemus mul tis.2290.
Beneplacitum dei quid ſit.1516.
Beneplacitum eſt deo in multis.1837.2558.
Beneplaciti tempus fuit paſsio chriſti.1104.
Benignitas dei multa bona facit.1108.
benignitatis exemplum fuit ſamuel.1249.
benignus quis dicatur.1596.1456.
berillus lapis ſignificat ſpiritum ſanctum.856.861.
beſtia dicitur diabolus.1231.1774.
Vide.babylonia.
Bi. ¶bias philoſophus ſuas diuitias geſtabat in pecto- re.1988.
bibere eſt multiplex.960.
bibit chriſtus vinũ myrrha & felle mixtum.1114.
Bi. bibunt hoĩes de calice ſcripture.1243.
Bo. ¶Blaſpemãt deum oẽs qui peccant.2548.
¶Bonitas quomodo differt a miſericordia.351.
Bonitas dei ad cõfeſſionem nos inducit.1834.
bonitatem dei atteſtatur oĩs creatura.2202.
Bona eterna aliqui negant.34.
Bonum propoſitum inuadit diabolus.347.
Bonorũ noſtro.gloria deo debet dari.412.816.1792
Bona aliorũ mali interpretantur in malũ.449.
Bonũ facere & decli. a malo ſũt ptes iuſtitiæ.513.
Bona que facimus & dei ſunt & noſtra.905.
Bona interiora ſunt vera bona.913.
Bonum eſt multiplex ſcilicet bonum tẽporale:bonũ morale:bonum gratie:bonum glorie.1014.
Bona opera noſtra deus operatur.
Bona tẽporalia ſignificant æterna pmia.1840.1858.
Bona temporalia dicũtur veſtimẽtum.1954
Bona dat nobis deus ex mĩa nõ merit.noſtris.2811.
Bona qñ deus tribuit nobis tũc recordamur noſtri. 2011.
Bona oĩa ſine humilitate perduntur.2082.
Bonũ faciẽs ſolo tĩore pene peccat.2130.2185.2108.
Bona que intelligimus debemus facere.2146.
Bonũ omne premiat deus & punit õne malũ.2179.
Bona omnia & mala à cogitatione procedunt.2191.
Bona ſua & virtutes quis licite publicare põt.2194.
Bona ſpũalia ſignificat dextera, & ſiniſtra tpalia.2290
Bona ſpũalia ĩuite pdi nõ poſſũt ſed tẽporalia.2260.
Bonorũ omniũ communicatio erit in gloria.2266.
Bona preſentis vite non ſunt vera bona.2310.
Bona vite æterne ſunt vera bona.2310.
Bona omnia continentur in pace.2311.
Bona conmunia priuatis preferri debent.2334.
Bona oĩa continet gloria cæleſtis.2314.
Bonorum perſeuerantia eſt neceſſaria.4458.
Bona æterna ſignificãtur per dexteram.2480.
Bona omnia ſũt à deo: ſed mala à nobis.2489.
Bonum noſtrum totum eſt deus.4495.
Bona corporalia & tẽporalia nõ faciũt hominẽ bea tum.2511.4514.
Bona ſua oẽs iuſti recognoſcũt à deo.1792.2586
Vide.bonus:perſeuerantia.
Bonorum ſocietas vtilis eſt.61.1700.
Boni aduerſitatibus proficiunt.73.478.1014.1497.
Bonorũ duplex eſt ſtatus.88.
Bonos inhabitat deus.136.
Boni in pręſenti ſemper ſunt mixti cum malis.167.
Bonis retribuit deus & qualiter.227.
Bonis hic dantur aduerſa.129.
Bonos faciũt duo.348.
Bonus abſolute eſt ſolus deus.351.2361.
Boni moriuntur corpore non anima.410.
Boni quatuor deſiderant.642.
Boni cum malis vituperantur & ecõtrario.650.
Bonorũ verba ma. ſuſtin.nõ poſſũt.997.1803.4065
Bonis mali nocere nõ poſſunt.997.1803.2065.
Boni perſequũtur a malis.148.2311.2313.
Boni qñ habẽt bona & mali mala maius dubiũ eſt quã quãdo boni habẽt mala & mali bona.1199.
Bonos letificat conſideratio vltimi iudicii.1253
Bonos chriſtus conſolatur.1260.
Boni ſemper conſiderãt mala quæ fecerũt.1263.
Boni ſignãtur per oues.1334.
Boni dicũtur eſſe chriſti ſed nõ mali.1511.
Bonorũ numero cõpleto iudicabitur mũdus.1513.
Boni humiliãtur a malis.1612.
Boni conuerſi dicũtur lapides.1717.
Bonis proficit ira dei.1740.
Boni purgantur per malos.1740.
Boni & humiles regũt, ſed mali ſubiiciũtur.1780.
Bonorum qualis eſt cibus ſpũalis.1782.
Boni ſunt pauci reſpectu malorum.1919.
Bonorũ memoriã deus habet non malorũ.1991.
Bonorum memoria durat non malorum.1991.
Bonorum dicuntur pueri.1995.

Boni cadũt & reſurgunt ſed nõ mali.2060.
bonis φ ſit deus probatur per effectus.2141.
boni magis tẽtãtur & patiũtur aduerſa q̃ mali 2159
boni libenter vidẽt bonos & iuſti iuſtos.2147.
boni ſignificantur per ephraim.2182.
Boni & mali oẽs ſunt in conſpectu domini.2241.
Boni deo videri volũt ſed non mali.2241.
Bonos cur permittit deus pati a malis.2288.
boni illuminãtur a ſole ſed mali a luna.2261.
bonos probat exhibita laus.2289.
bonos & malos parit eccleſia.2302.
boni ſunt latera eccleſie.2307.
boni ſoli ſũt de corpore viuo eccleſiæ.2312.
bonis mala ſua peccata imponunt mali.2314.
boni ſoli ſtare dicuntur.2356.
bonus quis dicitur multiplici ratione.2361.
bonorũ pęnę oſtẽd.quales erũt pęnę malorũ.2372
boni & mali ſignificãtur per ſalices.2408.
Boni audire vba malorũ non poſſunt & ecõtrario.
2411.
boni ſoli faciunt numerum & non mali.2423.
Boni omnes dicũtur reges.2423.
Bonorũ ꝓprie dicitur eſſe de⁹:q tñ eſt omniũ.2457.
boni proprie ſoli habent vocem,2457.
boni & mali dicuntur carbones.2461.
boni ſoli proprie habent nomen.2550.
boni dicuntur populus dei & nõ mali.2584.
boni & mali lętantur in adiuerſis.2585
Vide.iuſtus.
boues ſignificat prelatos.88.
boues ſignificat doctores.1036.
boũ curã qualiter habet deus: & qualiter nõ.2542.
Brachium dicitur potentia antichriſti.219.
brachium multa ſignificat.
Brachiũ dicitur eſſe chriſtus.713.1367.2391. 1157.
Brachium ſignificat poteſtatem temporalem. 712.
Breue eſt omne quod fine terminatur.567.
Breuis eſt omnis gloria mundi.603.
Breuis eſt vita preſens.638.
Breuitas vite nos ducit ad deum.1555.
Breuitas vite conſiderari debet.1745.2157.
La. Bruchus quid ſit.1822.
Bruchus fuit quarta plaga egyptiorum.1822.
Bruchus ſignificat peccatum gule.1823.
¶Buccella dicuntur peccatores conuerſi 2564.
CAdere.ceciderunt omnes præter chriſtum.2475.
Cadere triplex.590. Cadit peccat.50.
Cadere ad ima ſupbia facit.1664.2258
Cadere in peccatum quis per ſe poteſt ſed non ſurgere.376.
Cadunt peccatores multipliciter.590.
Cadunt boni & reſurgunt ſed non mali.2060.
Caſus pęnę eternę multa mala continet.2060.
Cadunt pręſciti ſed non pręsaid deſtinati.2475.
Calãdrius ſignificat chriſtum.1449.
Calcaneus ſignificat finem vite.665.792.907.
Calcanei iniquitas eſt quæ durat vſq; in finem.792.
Calcat diabolus malos.903.
Calcedonius ſignificat charitatem.808.
Calcedonius ſignificat caſtitatem, 800.
Calcedonius ſignificat chriſti conceptionem.795.
Calciamentum ſignificat chriſti incarnationẽ.966.
Caligo ſignificat diabolum.210.
Calix ſignificat chriſti paſſionem.178.190.2041.
Calix ſignificat euchariſtie ſacramentum.331.
Calix ſignificat ſanguinem Chriſti.1020.
Calix ſignificat ſcripturam ſacram.1242.
Calix eſt multiplex.1041.
Calor charitatis peccatum excludit.626.
Calor intrinſecus eſt ipſa charitas.635.
Calorem charitatis tria impediunt.635.
Calor naturalis humido radicali nutritur.637.
Caliditate nihil calidius eſſe poteſt.2562.
Reſp.ſpiritus ſanctus.
Calumniator quis proprie ſit.1167.2195.2207.
Calumniatur diabolus iuſtos.2155.
Caluus ſignificat chriſtum.688.
Calx accenditur aqua:& oleo extinguitur.1158.
Campi ſilue dicuntur gentiles.2337.
Canes dicuntur iudei.195307.
Canes ſignificat predicatores.1071.
Reſp.catulus.
Cantare dño quid eſt.1146.1244.389.1145.
Cantus eccleſie debet eſſe honeſtus.482.
Cantores ordinauit dauid.632.
Cantus pœnitentie qualis eſſet debet.1783.
Cãtus ſignificat charitatẽ & cõcordiã.1791.2583.
Cantare multas habet virtutes.2127.
Vide.canticum.
Canticum nouum quid ſit.2581.1643.
Canticum nouum lex noua.2507.
Canticum quid ſit.29.
Canticum multiplex.2424.653.
Canticum leticie.2424.
Canticum nouum concordia facit.2581.
Canticum triplex.2507.
Vide.cantare.
Captio chriſti ponitur.530.
Capillus multa ſignificat.666.
Capilli ſignificant ſacramenta.1026.
Capilli vertex fuit hieruſalem.1070.
Capilli ſignificant iuſtos.1093.
Capra ſignificat penitentes.836.
Captare idem eſt quòd ſepe capere.1628.
Captiuitas iudeorum fuit multiplex.150.
Captiuus dicitur homo multipliciter.1024.
Captiuitas eſt multiplex.1334.
Captiuus dicitur quilibet peccator & quilibet in hac vita.2409.
Captiuitas iudeorum per nabuchodonoſor.1536.
Captiuitas iudeorum per romanos.1949.
Caput eccleſie chriſtus & corpus chriſti eccleſia.
291.496.1975.2352.
Caput dicitur ſuperbia.723.1974.2460.
Capite aliqui credunt carere.767.
Capitaiudeorum erant ſacerdotes.1070.
Caput malorum eſt diabolus & antichriſtus.1415.
Caput mouere eſt minari.1951.
Carbones deſolatorij ſũt exẽpla ſãcto..2253.2961.
Carbones ſignificãt peccata & bon.& malos.2961
Carbones ſunt exempla ſcripture.2961.
Carcer eſt multiplex.2485.
Carcer anime eſt corpus.2485.
Caritas dicitur ſemita.189.327.
Caritas nos conſeruat.274.
Caritas eſt vita recta.178.
Caritas figuratur per colorem rubeum.479.
Caritas eſt tunica chriſti.609.
Caritas eſt calor intrinſecus.635.
Caritatis calorem tria impediunt.635.
Caritas per aurum figuratur.751.
Caritas per cacedoniũ figuratur.800.
Caritas eſt radix omniũ bonorum.857.
Caritas eſt gloria iuſtorũ.860.
Ccaritas cõmnia cmunicat.868.



Caro quando tentat,tunc eſt orandum.1704.
Caro eſt cauſa peccati,& tamen peccatum minuit.
1734.
Carnis concupiſcentia ex originali peccato proceſſit.1891.
Caro nos decipit vt meretrix.2100.
Carnem ſignificat vter.2156.
Carne deficiente creſcit ſpiritus.2156.
Carnis bellum eſt graue.2160
Caro peccatum grauat.2321.
Carnis curam quomodo facere licet.2348.
Carnis præcipue ſunt tres paſſiones ſuperandæ.
2537.
Carnis mortificatio per tympanum ſignificatur & pſalterium.2583.
Vide Crucifigere, Ancilla.
Caro Chriſti dicitur cilicium.536.
Caro Chriſti dicitur gloria eius.924.
Caro Chriſti dicitur terra.929.
Caro Chriſti dicuntur apoſtoli.1708.
Carne Chriſti quidam appetunt ſaturari dupliciter.2562.
Caſſia ſignificat fidem.744.
Caſtigat Deus electos.1197.
Caſtigat nos Deus & corrigit per aduerſa.2065.
Caſtigatio Dei nobis eſt vtilis.2138.
Vide Correctio.
caſtitas per virtutem ſignificatur.232.
Caſtitas currit ad pœnitentiam & econtrario.
257.
caſtitas per aurum figuratur.751.
caſtitatem ſmaragdus conſeruat.824.
caſtitas ſignificatur per ceram.935.
caſtitatis exemplum fuit Ioſeph.8249.2397.
caſtitatis exempla habentur.2218.
Vide Mulier.
caſtra ſunt militum congregatio.383.
caſtratur quis ſpiritualiter,vt ad pœnitentiam currat.257.
cathedra malorum qualis ſit,oſtenditur.1.
cathedra multiplex.1912.
catuli leonum dicuntur dæmones minores
1775.
Vide Canis.
cauda ſignificat hypocriſim.931.
cauſa quadruplex pſalterij pertractatur in prologo.
cauſam iudicij noſtri Chriſtus portauit.94.
cauſa omnium eſt voluntas Dei, quæ cauſam non habet.1977.2364.
cauſa formalis multiplex.2014.
Caiphas quilibet peccator dicitur.1942.
Ce. Cedar fuit filius Iſmaelis,à quo & Cedar ciuitas dicta.2254.
cedrus ſignificat ſuperbos.415.
cellarium vetus dicitur promptuarium.2412.
cælum ſignificat Deum patrem.1062.
cæleſtis debet eſſe conuerſatio noſtra.2265.
cælum qualiter Deus inhabitat.11.
cælum ſignificat ſcripturam ſacram.83.2554.
cælum ſignificat prædicatores.152.1660.
cælum creatum prima die quid ſit.151.
Cælũ ſignificat apoſtolos & iuſtos.815.1502.1660.
1756.2998.2503.
cælum ſignificat angelos.920.1750.16281.998.2152.
2503.210.
Cælum dicitur occaſus.1051.
Cælum eſt multiplex.1066.1061.7304.2365.
Cælum ſignificat beatam Mariam.1722.
Cælum & terra quomodo peribunt in fine.1729.
cælum dicitur tentorium.1856.
Cælos extendit Deus,ideſt,apoſtolos.1756.
Cælum eſt triplex,ſcilicet triplex cognitio diuinitatis.1927.
cælum dat Chriſtus bonis.2026.
cælum dicitur gloria æterna.ibidem.
Cælum obedit Deo.2162.
cælum ſignificat homines iuſtos.ibidem.
cæli facti ſunt in intellectu dupliciter.2384.
Cælum ſignificat ſuperbiam.2434.
Cælum quomodo eſt inferius aquis.2571.
Cælum aqueum quid ſit, & quare ſit factum.
ibidem.
Cælum multa ſignificat.2571.
Cælum firmamenti eſt duplex.2590.
Cera ſignificat molliciem legis nouæ.305.
Cera multa ſignificat.935.1049.
Ceruix ſignificat ſuperbiam,quæ tamen deponitur in morte.2315.
ceruus ſignificat amorem ſupernorum.233.
Ceruus ſignificat epiſcopos.418.
Ceruus ſignificat fideles.688.
Ceruus ſignificat multa.ibidem.
Ceruus ſignificat compaſſionem Chriſti.ibidem.
cetus dicitur quidam draco.1781.
lectus quomodo illuditur & capitur.1781.
¶Cham ſignificat Aegyptios.1333. Ch.
Chamus aduerſitates magnas ſignificat.471.
Chananeus ſignificat luxuriam.1337.
chaos poſitum inter bonos & malos quid ſignificat.404.
Cherubim quid ſit,oſtenditur.1372.
Cherubim dicitur ſedes Dei,& quare.1678.
Cherubim ordo angelorum quod officium habet.
ibidem.
Chore filii qui dicantur.674.755.
Chore cum ſuis quomodo fuit igne combuſtus
1852.
chorus eſt concordia cantantium.2583.
Chriſtus eſt cauſa materialis totius libri pſalterii.
in prologo.
Chriſtus omni peccato caruit.1.
Chriſtus fuit ſub lege, in lege: & ſupra legem.
2.
contra Chriſtum fremuerunt reges & gentes.
8.9.
iſtus in ſcriptura abſolute poſitus, ſignificat fi
Chrium Dei.9.
Chriſtus eſt rex omnium & dominus.13.735.744.
767.
Chriſtus per Dauid figuratur.21.
Chriſtus ſatisfecit pro nobis.47.431.1455.
Chriſti grandis patientia,oſtenditur.67.
Chriſti aſcenſio ponitur.71.770.
Chriſtus dicitur arcus & gladius.77.
Chriſtus dicitur magnificentia Dei.83.
Chriſtus fuit humiliatus infra angelos.87.
Chriſtus per filium abſolute poſitum ſignificatur,
91.
Chriſtus dicitur manus.125.

Chriſtus deponet Antichriſtum.125.
chriſtus nomine iuſti intelligitur.135.
chriſtus ſanctus dicitur, qui deficit non in ſe,ſed in aliis.141.
chriſtus ab aliis prophetis diſtinguitur.146.
chriſti verba nos iuuant contra omnia mala.147.
chriſtus dicitur finis & facies.150.
chriſti facies vtilis multipliciter fuit vilipenſa. 147.
chriſtus dicitur conſilium noſtrum.151.165:
chriſtus an fuerit à Iudæis cognitus filius Dei. 165. 128.
chriſtum perſequebantur Iudæi multipliciter.160.
chriſtus orando nos docuit orare.174.
chriſtus ſcientiam experientiæ acquiſiuit in paſſione.180.
chriſti anima ad infernum deſcendit.182.422.
chriſti oratio omnis fuit exaudita. 190. 292. 365. 1105.
chriſti maximum mirabile fuit quando ſacerdotes de templo eiecit.191.
chriſti corpus Iudæis in poteſtate traditum fuit. 193.
chriſtus dicitur manus & framea.198.
chriſtus ante reſurrectionẽ erat ſuſcitatus quo ad animam.200.
chriſti corpus dicitur templum.207.
chriſtus ſuperat ſcientiam omnium angelorum. 211.
chriſtus manifeſtatus fuit multipliciter.214.
chriſtus habet duplicem viam mundam.230.
chriſtus Dei dextera dicitur.235.
chriſti corpus dicitur tabernaculum. 256. 460. 1579.
chriſtus patienter aduerſa ſuſtinuit.257.306.
Chriſti aſcenſionis vtilitas.258.
chriſtus an timorem filialem habuerit.261.
chriſtus orauit tripliciter tempore ſuæ paſſionis 268.506.
chriſti voluntas in paſſione diſcordabat à voluntate Iudæorum.2171.
chriſtus dicitur ſalutare. 272. 869. 1043. 2114. 2247.
chriſtus eſt nomen Dei in quo magnificamur. 272.
chriſtus in primo ſuo inſtanti habuit omnia merita.278.
chriſtus habuit gratiam duplicem.280.
chriſti corona multiplex.280.
chriſtus an habuit ſpem.284.436.298.1583.
in Chriſtum multa mala declinauerunt Iudæi.288.
chriſtus quomodo fuit derelictus à patre.291.
chriſtus an habuit verum mortis timorem.292.
chriſtus dicitur vermis.296.
chriſtus crucifixus fuit irriſus.297.303.
chriſti corporis dignitas.289.
chriſti humanitas à verbo nunquam fuit ſeparata. 300.
chriſti corpus in paſſione fuit teſta.306.
chriſti oſſa qualiter in paſſione dinumerata fuerũt. 308.
chriſti tunica qualiter fuerit virtutis.399.609.
chriſtus dicitur frater noſter.313.
chriſtus fuit pauper.315.674.
chriſti regnum per reſurrectionem fuit dilatatum. 321.
chriſtus dicitur mons.336.756.775.
Chriſtus dicitur rex gloriæ ad Iudæorum confuſionem.391.
chriſti fides omni tẽpore neceſſaria fuit & erit. 377.
chriſtus fuit vnctus,quia verus rex & ſacerdos.379 743.
chriſtus fuit ſufficiẽs hoſtia noſtræ redemptionis. 389.
chriſtus dicitur via & ſemita.396.
chriſti corpus in poteſtate diaboli traditũ fuit.396.
chriſtus clamauit in multis locis.399.422.
chriſtus orauit multipliciter.400.
chriſtus an fuiſſet mortuus naturaliter.401.
chriſti caro floruit & refloruit.408.
chriſti hæreditas quid dicitur.410.
chriſtus intonuit & qualiter.413.
chriſtus patrem exaltauit.421.
chriſtus qualiter orare potuit, cum Deus eſſet.422.
chriſti mortis cauſa fuit peccatum noſtrum.426.
chriſtus mane ſurrexit.426.
chriſti dignitas.427.
chriſti decor,virtus & poteſtas.428.810.
chriſtus fuit conturbatus.429.
chriſti triſtitia in gaudium conuerſa fuit.434.
chriſti corona ſpinarum.435.
chriſti vnitas cum eccleſia.436.
chriſtus clamãs ſpiritum emiſit.441.
chriſtus vtrum oret pro nobis.442.
chriſtus traditus fuit,in manib.diaboli,ſed non concluſus.445.
contra Chriſtum multipliciter Iudæi cõſiliati ſunt. 451.
chriſtus dicitur iuſtus.456.
chriſtus fuit tribulatus.504.
chriſtus omnes redemit quo ad ſufficientiam 520.
chriſtus quomodo fuit captus.530.
chriſti anima quomodo exultauit in domino 531.
chriſto nullus ſimilis eſt.532.1464.
chriſtus nos ſua paſſione redemit.533.
chriſtus aliqua dicebatur ignorare,quia illa nõ approbabat.534.539.
chriſti caro dicitur cilicium. 536.
chriſti ieiunium fuit deſiderium noſtræ ſalutis. 537.
contra chriſtum conuenerunt Iudæi multipliciter. 439.
contra chriſtum crudelitas Iudæorum.545.
chriſtus dicitur finis.636.
chriſtus fuit perfectus vir in vtero matris.657.
chriſtus iuſtitia ſatisfecit pro nobis.662.
chriſti paſſio in Heliſæo fuit figurata.688.
chriſtus ſeipſum pro nobis obtulit Deo patri. 999.





Chriſtus dicitur lux multipliciter.706.
Chriſtus ſalutem fuit operatus.714.
chriſti duplex aduentus.706.
chriſti poteſtas per cornu ſignificatur.714.
Chriſtus fuit ſpecioſus.737.
chriſtus poteſtatem ſuam oſtẽdit miſerendo.739
chriſtus habuit patres.752.
chriſti natiuitas.756.762.763.764.
chriſtus dicitur medium multipliciter.759.782.
chriſtus aſcendit & deſcendit.770.
chriſtus eſt filius Dei & amor.787.
chriſtus dicitur ſapientia.790.
chriſti natiuitas per calcedonium figuratur.800.
chriſti ſepulchrum per ſmaragdum oſtẽditur.812.
chriſti verba quæ dixit in cruce.824.
chriſti deſcenſum ad inferos ſignificat ſardonius. 832.
chriſti reſurrectio per ſardium ſignificatur.434.
chriſti aſcenſio per ſardium ſignificatur.839.
chriſtus quomodo in cælũ potuit aſcendere.839.
chriſti ſanguinis aſperſio commendatur.840.
chriſtus eſt mihi adiutor.872.
chriſtus ſaluat nos multipliciter.884.
chriſtus bellat pro nobis.903.
chriſtus dicitur promiſſio.910.
chriſtus dicitur luna.910.
chriſti pedes qui ſunt oſtenditur.921.
chriſti gloria dicitur caro.924.
chriſtus dicitur miſericordia.926.
chriſti ſepulchrum oſtenditur.938.
chriſtus dicitur gladius.647.
chriſti patientia.947.
chriſtus eſt rex & dominus Iudæorum.951.
chriſtus dicitur Lucifer.953.
chriſtus per Iudam ſignificatur.965.
chriſtus dicitur petra 872.
Chriſtus eſt ſpes noſtra.972.
chriſtus eſt precium noſtrum.981.
chriſtus dicitur ſtathera.986.
chriſtus homo eſt paſſus.1005.
chriſtus dicitur leo.1023.
chriſti feſta principaliter ſunt tria.1024.
chriſti poteſtas oſtenditur.1054.
chriſtus dilecti nomine intelligitur. 1060.
chriſtus vere mortuus fuit.1069.
chriſti pedes ſunt prædicatores.172.
chriſti opera viderunt Iudæi.1073.
chriſtus commutationem habuit & quomodo. 1089.
chriſti clamor clamori leonis comparatur. 1092.
chriſti peccata dicuntur peccata noſtra.1095.
chriſti opprobrium ponitur.1098.
chriſti confuſio ponitur.1098.
chriſti cilicium fuit tunica eius.1102.
chriſti ſepulchrum dicitur lutum.116.
chriſtus dicitur puer.1100.1474.1701.
chriſtus fuit pauper & humilis.1122.
chriſtus dicitur iuſtitia.1153.2485.
chriſtus dicitur brachrium.1153.1366.
chriſti magnificentia multiplicatur.1160.
chriſtus dicitur rex.1164.
chriſtus nos liberauit.1175.
chriſtus dicitur fermentum.1179.
chriſtus dicitur æternus.1180.
chriſtus dicitur ſinus Dei.1223.
ch[illegible] dicuntur eſſe pœnæ noſtræ.1234.
[illegible] homo.1237.1414.
chriſti habitatio quæ dicatur.1241.
chriſtus ſuos conſolatur.1260.
chriſti mirabilia.1268.
chriſtus eſt via.1270.
chriſtus eſt Deus magnus.1270.
chriſtus eſt Dei virtus.1271.
chriſtus per Ioſeph ſignificatur.1271.
chriſtus nos redemit.1271.
Chriſtus per Aaron ſignificatur.1277.
Chriſtum laudare debemus.1281.
chriſti charitas fortitudo,& patientia.1281.
chriſtus dicitur columna nubis,& ignis.1294.
chriſtus eſt petra dans aquam.1295.
Ex Chriſti latere aqua triplex exiuit.1300.
chriſtus dupliciter fuit cognitus.1367.
chriſtus dicitur facies Dei.1374.
chriſtus eſt dux noſter.1380.
chriſtus legem impleuit.1386.
chriſtus dicitur filius hominis.1386.
chriſtus dicitur vir.1388.
chriſtus eſt beatitudo noſtra.1390.1453.
chriſtus dicitur pupilus,& pauper.1408.
chriſtus qualiter à diabolo, & à Iudæis cognitus fuit.4101.
chriſtus q modo tacet loquetur in iudicio.1414
chriſtus dicitur lampas.1414.
chriſtus ſignificatur per Iſrael.1417.
chriſtus dicitur ſanctuarium.1414.
chriſtus dicitur dominus.1430.
chriſtus dicitur paſſer,1433.
Chriſti gratia dicitur benedictio.1437.
Chriſtus quare ponitur in fine orationũ eccleſiæ. 1436.
chriſtus dat nobis gratiam,& gloriam.1442.
chriſtus qualiter peccata remittere poteſt.1445.
chriſtus portauit peccata noſtra & pœnam.1445.
chriſtus ſignificatur per calandriam.1449.
chriſtus dicitur miſericordia,& ſalutare.1450.
chriſtus nobis attulit pacem.1461.
chriſtus ſedet primus in corde bonorum.1452.
chriſtus propè fuit Iudæis.1543.
chriſtus ambulatio pœnitentiæ.1457.
chriſtus orauit.1458.
chriſtus dicitur ſanctus.1459.
chriſtus nos ducit.1467.
chriſtum impugnauerunt teſtes iniqui.1470.
chriſtus eſt fundamentum eccleſiæ.3474.
chriſtus dicitur homo.1478.
Chriſtus fundauit virginẽ Mariam.1478.
Chriſtus clamauit die ac nocte.1481.
Chriſtus paſſus fuit voluntate non neceſſitate. 1484.
Chriſti vulnera animam noſtram ſanant.1485.
Chriſtum tradidit Iudas.1489.
Chriſtus tota die quomodo fuit in cruce.1490.
Chriſtus mortuos ſuſcitauit tres.1491.
Chriſti ſedes ſunt iuſti.1504.
chriſto nullus eſt ſimilis.1506.
chriſtus humiliauit diabolum.1510.
chriſtus creauit omnia.1511.
Chrſtiani ſunt omnes boni,& non mali.1511.
Chriſtus iudicabit mundum completo numero bonorum.1513.
chriſtus fuit electus,& exaltatus.1518.
Chriſto auxilium Dei datum.1520.
Chriſti inimicus dicitur diabolus.1521.
Chriſtus fecit veritatem.1523.
Chriſti miſericordia oſtenditur.1523.1547.

Chriſti poteſtas,& regnum dicitur cornu. 1523. 1595.
Chriſtus vt Deus patrem habet, vt homo habet dominum.1525.
Chriſtus ſolus dignè pro nobis orat.1525.
chriſtus dicitur primogenitus multipliciter 1526
Chriſtus quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.1527.
Chriſtus quomodo fuit ex ſemine Dauid oſtẽditur.1528.1532.
Chriſtus eſt teſtis noſtræ futuræ reſurrectionis. 2535.
Chriſti oratio ponitur.1551.
Chriſti humilitas.1551.
Chriſtus eſt ſapientia Dei.1564.
Chriſtus ſuſcepit nos,& pœnas noſtras multipliciter.1571.
Chriſti ſcapulæ ſunt exempla eius,vel promiſſiones.1573.
Chriſtus dicitur leo agnus;lapis,& huiuſmodi cũ nullum ſit horum.1574.
Chriſti latus dicũtur illi,qui cum ipſo iudicabũt. 1576.
Chriſti latus dicuntur reprobi.1576.
Chriſtus dicitur refugium altum.1578.
Chriſtus dicitur ſpes noſtra.1578.
Chriſtus dicitur orbis terræ.1602.
Chriſtus in paſſione cõmotus non fuit:ſed Deus contra ipſum.1602.
Chriſtus plures conuertit moriens quam viuẽs. 1606.
Chriſti vulnera foſſa dicuntur.1620.
Chriſtus multipliciter fuit condemnatus iniuſte. 1628.
Chriſtus ad nos multipliciter venit: & nos ad eũ venire debemus.1631.
Chriſto exultare,debemus,& qualiter.1631.
Chriſtus propriè dicitur dominus quod nulli homini competit.1633.
Chriſtum adorare debemus.1636.
chriſtus templum ſpirituale quomodo ædificauit.1642.
chriſtus in iudicio apparebit magnus multipliciter.1645.
chriſtus vt verbum omnia fecit.1646.
chriſti præſentia exultauit omnis terra.1652.
chriſto quare ramos arborum pueri proſternebant.1653.
chriſtus qui modo eſt manſuetus in iudicio erit ſeuerus.1654.
chriſtus quomodo ad iudicium veniet cũ ſanctis in nubibus.1656.
chriſti humanitas qualiter eſt adoranda.1662.
Chriſti poteſtas omnem aliam ſuperat poteſtatẽ. 1664.
chriſtus ſuper omnes fuit exaltatus ratione humilitatis.1664.
chriſtus exemplum vitæ nobis fuit.1666.
chriſtus eſt vera lætitiá noſtra, & non mundus. 1666.
chriſtus multipliciter ſaluat.1669.
chriſtus ſtatim natus fuit manifeſtatus &quibus 1670.
chriſtum melius viderunt gentilesquam Iudæi. 1672.
chriſtus multipliciter dicitur excelſus.1679.
chriſti ſcabellum eſt multiplex.1642.
chriſti fides ſemper neceſſaria fuit.1683.2239.
chriſtus dicitur columna nubis,& ignis.1684.
Chriſti nomen quare nulli imponitur.1694.
Chriſti aduentus duplex in carnem,& ad iudiciũ. 1664.
chriſtus ſolus propriè dicitur innocens.1695.
chriſtus in omnibus ſemper tenuit mediũ.1701.
chriſti non omnis oratio fuit exaudita.1703.
chriſtus dicitur os ſed apoſtoli caro & mulieres pellis.1708.
chriſtus dicitur pellicanus, nycticorax, & paſſer. 1709.
chriſtus eſt æternus ratione perſonæ.1715.
chriſtus triplici viſione videtur.1719.
De Chriſto multa videre debemus, & credere. 1719.
chriſtus an in triduo fuit verus homo.1746.
chriſtus charitas omnem aliam ſuperat charitatem.1757.
chriſtus aſcendit multa.1757.
chriſtus eſt panis vitæ.1769.
chriſtus dicitur ſol.1773.2387.
chriſti mortem ſignificat ſolis occaſus.1773.
In chriſti morte quare factæ ſunt tenebræ.1774.
chriſtus dicitur lux.1776.
chriſtus quomodo diabolum cœpit.1781.
chriſti cibus,& bonorum quis eſt.1782.
chriſti dicti ſunt patres antiqui.1804.
chriſti mors multiplicat fideles,& virtutes.1812.
Chriſtus nos redemit multipliciter & eſt redemptio noſtra.1844.1882.
chriſtus dicitur altare.1869.
chriſtus electos congregauit ex gentibus.1878.
chriſtus mare id eſt,mundum congregauit.1883.
chriſtus dicitur via ratione humilitatis.1884.
chriſtus deducit nos ad ciuitatem gloriæ.1887.
chriſtus ſuſcepit nos multipliciter.1897.
chriſtum abominati ſunt Iudæi.1898.
chriſtum per ſerpentem æneum ſignificari.1900.
chriſtus miraculoſè pacificauit mare.i.mundum. 1903.
chriſtus dicitur pſalterium,&c.1925.
Chriſti confeſſio ad patrem eſt noſtra eruditio. 1926.
chriſtus dicitur miſericordia Dei.1917.
chriſtus non profecit in meritis.1927.
chriſtus orauit ꝓ ſuis,vt ſeruarẽtur à malo.1929. 1940.
Chriſtus per ſanctum intelligitur:quãdo ſanctus ponitur abſolutè.1929.
chriſto detrahere quam graue ſit peccatum,oſtẽditur.1940.
chriſto fit omnis bona oratio.1943.
chriſtum tradidit Iudas à notitia.1944.
chriſti mortem tractantes Iudæi cum omni poſteritate ſua ſunt extincti.1949.
chriſtus fuit inops,& mendicus.1652.
chriſtus compunctus fuit corde,& carne.1952.
chriſti nullum præceſſit meritum, vt Deus eſſet. 1957.
chriſti miſericordia nobis valet ad multa.1657.
chriſti vita velut vmbra fuit ablata.1959.
chriſtus fuit à facie multorum perſecutorum. 1959.
chriſtus comparatur locuſtæ.1959.
chriſtus apparebat amplioris temporis quam eſſet,& quare.1960.
chriſtus dicitur manus Dei.1963.
chriſtus multipliciter dicitur factus.1963.
chriſti dextera nos ſaluat.1967.
chriſtus ſedit in cruce,& in gloria.1968.







Chriſto non ſolum Iudæi,ſed etiam omnia ſubiiciuntur.1969.
Chriſti humanitas dicitur virga.1970.
Chriſti figura fuit Melchiſedech multipliciter. 1972.
Chriſtus confregit reges ipſum perſequentes. 1973.
chriſtus dicitur caput.1975.
chriſti natiuitas.1989.
chriſtus dicitur ſol qui habet occaſum & ortum. 1997.
chriſti conſideratio nos fortificat.2003.
chriſtus ſedauit mare id eſt,perſecutores eccleſię. 2004.
chriſto ſe ſubiecit mundi poteſtas.2006.
chriſtus mundum conuertit.2008.
chriſtus dicitur Deus Iacob & quare.2026.
chriſtus inclinauit ſeipſum multipliciter pro nobis.2030.
chriſtus peccata conuertit in aqua ſpiritualiter. 2009.
chriſtus cælum donat nobis,& qualiter.2026.
Chriſtus virtutem fecit Iudæis ſed gentibus gratiam.1046.
chriſtus eſt lapis reprobatus, in caput anguli factus.2048.
chriſtus à Iudæis fuit multipliciter circundatus. 2058
chriſtus vlciſcitur multipliciter.2059.
chriſtus eſt dextera Dei.2063.2480.
chriſtus omnium virtutum nobis dedit exemplũ. 2063.
chriſtus dicitur porta cæli.2066.
chriſtus eſt noſtra ſalus,per quã ſaluamur. 2067. 2071.
chriſtus eſt lapis angularis.2068.
chriſtus venit in nomine domini, & qualiter. 2071.
chriſti teſtimonia ſunt ſcripturæ.2078.
chriſtus fuit à patre derelictus.2084.
chriſtus eſt via teſtimoniorum Dei,& eius exempla.2089.23.
chriſtus ante principes fuit ductus.2098.
chriſti teſtimonia ſunt martyria.2099.
chriſto fortius adhæſerunt mulieres, quam viri. 2106.
chriſtus eſt ductor noſter.110.
chriſti opprobrium eſt nobis vtile, & glorioſum. 233.
In chriſto viuificamur: ſed morimur in nobis. 224.
chriſtus docuit nos reſpondere tentanti diabolo. 226.
chriſtum publice confiteri debemus:quem credimus corde.226.
chriſtum negantes aliqui ſunt reparati.227.
chriſto crucifigi quid eſt.2196.
In Chriſtum quomodo deficiunt oculi noſtri. 2196.
chriſtus dicitur facies Dei.2208.
chriſtus iuuenis, & deſpectus mundi redemit. 2214.
chriſti merces eſt,proximus noſter & ideo diligẽdus.2223.
chriſtus longe à Iudæis.2228.
chriſtus eſt paſtor,reus,& iudex.2229.
chriſtum Iudæi gratis perſecuti fuerunt.2234.
chriſtus à multis abſtulit ſpolia multa.2235.
chriſtus dicitur manus Dei.2246.
Chriſtus quærit nos & nos ipſum debemus quærere. 2249.
Chriſtus clamans fuit exauditus.2250.
Chriſtus eſt particeps omnium iuſtorum. 2236.
Chriſti participes in omnibus ſunt iuſti.2136.
chriſtus ſolus dicitur verus magiſter, & doctor. 2137.2146.
chriſti oratio pro eccleſia.2153.
chriſti dicitur dies.2164.
chriſtus multiplex ſuper omnes ſe docẽtes. 2172.
Chriſtus non prohibeat pedes ſuos à malo.&qualiter.2174.
chriſtus per ſeipſum legem euangelicam dedit. 2175.
chtiſti iuſtitia eſt humilitas.2185.
Chriſtus docuit nos humiliari.2185.
chriſtus dormit in nobis quando fides tepeſcit. 2258.
chriſtus non dormit,nec dormitat.2259.
chriſti diuinitatem ſignificat ſol,&luna humilitatem.2261.
chriſtus nobiſcum eſt in terra:& nos cum ipſo in cælo.2273.
chriſti charitatem ſignificat auſter.2295.
chriſtus conuertit perſecutores ſuos ad ſuũ amorem.2295.
chriſti dilectio per ſuam paſſionem oſtenditur. 2297.
chriſtus per Salomonem figuratur.2299.
chriſtus dicitur lux.2301.
Contra chriſtum ſe erigẽtes ſurgunt ante lucem. 2301.
chriſtus eſt porta vitæ.2304.
chriſti vxor eſt eccleſia.2305.
chriſtus dicitur propitiatio.2322.
chriſti lex dicitur charitas.2322.
chriſtus ſolus nos redemit.2425.
chriſti pedum vix eſt locus.2338.
chriſto reconciliabuntur Iudæi.1341.
chriſtus ſedit ſupra ſedem Dauid, & qualiter. 2342.
chriſtus dicitur cornu.2349.
chriſti veſtes ſunt omnes fideles.2353.
chriſtus ſignificatur per hermon.2353.
chriſtus noſter laudari debet.2359.
chriſtus eſt ſuauis.2361.
chriſtus iudicabit Iudæos.2372.
chriſtus venit ex Syon,id eſt,ex Dauid.2379.
chriſtus ſolus habuit ſimul omnia dona ſpiritusſancti.2379.
chriſtus percuſſit diabolum cumo mnibus vitiis 2389.
chriſtus dicitur brachium Dei.2392.
chriſtus dicitur filius,& ſeruus.2401.
chriſtus dicitur fundamentum.2416.
chriſtus magnificatus eſt.2421.
chriſtus moriendo retribuit pro nobis.2427.
chriſtus vt Deus habet patrem: ſed vt dominum homo habet.2428.
chriſtus dicitur liber.2442.
chriſtus eſt vita æterna.2450.
chriſtus clamauit in perſona ſuorum.2465.
chriſto comparata mũdi ſapientia nihil eſt.2471.
chriſti verba poteſtatem habebant.2472.
chriſtus nunquam cecidit.2495.
chriſto quomodo aperitur cordis oſtium,vel clauditur.2477.
chriſtus eſt terra viuentium.2482.
chriſtus perſecutus fuit à diabolo,& à Iuda.2487

Chriſtus expandit multa pro nobis.2490.
Chriſtus an potuerit peccare.2490.
Chriſtus dicitur ſeruus.2498.
chriſti bellum contra diabolum ponitur.2499.
chriſtus eſt fons miſericordiæ.2500.
chriſtus exaltatur multipliciter.2516.
chriſti regnum eſt anima noſtra.2538.
chriſtus in ſcientia diabolum vicit.2500.
chriſtus non ſemper fuit exauditus & quomodo intelligitur.2533.
chriſto aperuit virgo Maria.2532.
chriſti carnibus ſaturari quis cupit dupliciter. 2501.
chriſtus rex eſt,& ſacerdos.2582.
Vide Aduétus.Incarnatio.Paſſio Chriſti.Mors Chriſti. Reſurrectio Chriſti. Aſcenſio. Iudicium vltimum,&c.
¶Chriſtianus quilibet vngitur multipliciter.379.
Chriſtiani Iudæis præferuntur.1289.
chriſtiani ſunt electi repulſis Iudæis.1351.
chriſtiani nominis memoria oſtenditur.1372.
chriſtiani falſi dicuntur inimici domini.1404.
chriſtiani falſi figurantur per Moab.1419.
chriſtianus malus peior eſt infideli.2085.
chriſtianorum dignitas oſtenditur.2243.
chriſtianus quis dicitur.2169.
chriſtiani omnes ſunt vnus homo.2278.
chriſtiani præ aliis Deo obligantur.2567.
Vide Fidelis.
Chuſi fuit conſiliarius Dauid.64.
Ci. ¶Cibus malorum fugiendus quis eſt oſtenditur. 865.
Cibus dicitur ſacramentum euchariſtiæ.1405.
cibus diaboli quis eſt & quis cibus bonorum. 1782.
cibus corporalis tria habet:ſimiliter & cibus ſpiritualis tria debet habere.2176.
cibus ſpiritualis dicitur ſcriptura ſacra.2176.
Vide Cibus pœnitentiæ.1376.
cicatrix dicitur ſpiritualiter fomes peccati.613.
cimbala quid ſignificant 2594.
cilicium dicitur caro chriſti.536.
cilicium & cinis ſunt arma pœnitentium.733.
cilicium ſignificat aſperitatem veſtium.1102.
Cinis ſignificat pœnitentiam.1712.
cinis ſignificat humilitatem pœnitentiam & miſeriam.2563.
cynomia eſt muſca canina.1819.
circulus& falx ſignificant vltimũ iudicium.2434.
circundederunt Iudæi Chriſtum multipliciter. 74.2058.
circundedit fœmina virum & qualiter.657.
circundamur triplici malo.665.
circundat nos virtus chriſti.2058.
circundamur in præſenti miſeria.2058.
circunſtantia peccatum aggrauat.9.
circunſtantiæ peccatorum ſunt confitendæ.1901
circuitus ſignificat temporalia.149.450.
circuitus bonus multiplex.1508.
circuitus dicitur peccatum.2460.
circuncifio ſpiritualis.2109.
Vide Cilium.
Cithara multa ſignificat.481.
cithara quid ſignificat.708.
cithara ſignificat pœnitentiam.1392.
cithara & pſalterium dicitur chriſtus.19.25.
ciuile animal natura dicitur homo.882.
ciues cæli ſunt ſancti: nos autem in præſenti ſumus peregrini.2127.2548.
Vide Ciuilis Ciuitas.
Ciuitas eſt duplex,ſcilicet Dei & Diaboli.66.
Ciuitas eſt triplex,ſcilicet conſcientiæ eccleſiæ& gloriæ.461.
ciuitas Dei dicitur eccleſia.775.1128.1475.1912.
ciuitas gloriæ qualis ſit.1480.
ciuitas duplex,ſcilicet gloriæ & inferni.1934.
Ciuitas non dicitur gloria cæleſtis, ſed vt ciuitas. 2266.
Ciuitas Dei dicitur anima & qualiter cuſtodiri debet.2300.
ciuitas dicitur iſte mundus.2446.
ciuitas vitiorum multiplex.2446.
¶Clamor eſt oratio.24.295.1038.
clamauit Chriſtus multipliciter multotiens.399.
clamor dicitur oratio Chriſti.422.
clamans Ieſus emiſit ſpiritum.441.
clamant mali bona ſua,ſed mala tacent.468.
clamor orationis iuſtorum exauditur à Deo.516. 1584.
clamare debemus orando multipliciter.894.
Clamor chriſti clamori leonis comparatur.1092.
Clamor orationis domini aures pulſat.1258.
clamauit Chriſtus in die,& nocte.1481.
clamauerunt filij Iſrael ad dominum in Ægypto. 1893.
clamor oppreſſorũ auditur à domino.1893.1899.
clamor orationis nobis eſt neceſſarius.2218.
clamor cordis eſt deſiderium.2218.
clamauit Chriſtus in perſona ſuorum.2405.
claritas gloriæ ſignificatur per diem.717.
claudunt proſpera oculos mentis.728.
claudit iniquitas os malorum.1922.
clauditur cor noſtrum Chriſto,& aperitur:&qualiter.2477.
claudicabant Iudæi.246.
claudicat quilibet peccator.246.
clauium eccleſiæ poteſtas.469.
clauium eccleſiæ poteſtas ad quid valet.469.
clericorum vanitas quanta ſit.505.
cleros quid ſit.1061.
cleric præ aliis ſunt delicati.1187.
clericis competit ſanctitudo: ſed ſanctitas laicis. 1607.
Clericorum peccata multa mala faciunt. 1347. 2378.
clerici præ aliis debent eſſe miſericordes.2050.
clerici quales debent eſſe.2130.
Clibanus ſignificat ſcripturam.286.
clibanus ſignificat pœnam damnatorum.286.
¶Coacta ſeruitia Deo non placent.170.2181.
cophinus quid ſit.1396.
cogit Deus nullum ad bonũ,nec ad malum.1953.
cogitationes doloſæ Iudæorum contra chriſtum. 106.
cogitationes Iudæorum diſſipauit Deus.489.
cogitatio ſignificatur per capillum.666.
cogitatio Iudæorum qualis fuit occidere chriſtũ. 681.
cogitationes malas in nobis non facit diabolus. 843.
cogitatione peccat,quis etiam ſine opere.854.
cogitationes cordis diabolus neſcit.929.
cogitatio Dei mutari non poteſt.1590.
cogitanda ſunt agẽda,antequã fiant.2132.2133.
cogitatio eſt cauſa omnium bonorum & malorum.2191.





Cogitationem alterius quomodo quis cognoſcere poteſt.2429.
Cogitat diabolus ſemper nos decipere.2455.
Cogitationes malorum pereunt.2540.
cognoſcitur Deus à nobis per crearuras.85.1754. 2449.
cognoſcit Deus aliquos multipliciter:& econtrario.107.820.
cognouerunt Iudæi chriſtum, & quomodo. 156. 246.1280.
cognitio Dei dicitur facies.339.
cognitionem peccatorum Deus dat nobis.475.
cognitio noſtra incipit ab vniuerſalibus.556.
cognoſcere Dei eſt duplex.584.
cognitionem Dei claram habuit homo ante peccatum.618.
cognitionem duplicem habuit Chriſtus.685.
Cognoſcit Chriſtus multa.685.
cognoſcit Deus peccata noſtra,& qualiter.229.
cognitio peccati,& contritio.751.
cognitio peccati eſt ſalutis principium.836.
cognitio Dei eſt gloria iuſtorum.860.
cognitus fuit Chriſtus dupliciter.1367.
cognoſcere nomen domini quid eſt.1583.
cognoſcit Deus omnia,& videt.1614.
cognoſcere peccata non dicitur Deus quia non punit.1614.
Non cognoſcunt animæ ſeparatæ quæ hic aguntur.1746.
cognoſcunt mortui,quæ hic aguntur à ſuis.1945.
cognitio boni ſine operatione non ſufficit.2083.
cognitio ſcripturæ dicitur via teſtimoniorum dei. 2089.
cognitio præcedit dilectionem.2084.
cognitionem dat nobis ſolus Deus.2146.
Vt cognoſcamus nos intellectus dat nobis. 2146.
cognitio peccati neceſſaria eſt pœnitenti.2242.
cognoſcit Deus ſuperbos à longe.2425.
cognoſcere Dei aliquando idem eſt,quod approbare.2424.
cognoſcit Deus peccatores & nõ cognoſcit.2428.
cognoſcere alterius cogitationes quomodo quis poteſt.2729.
cognitio Dei duplex,ſcilicet viſionis,& approbationis.2449.
cognoſcit Deus multa ſpecialiter.1618.
¶Colere.cultus Dei qualis debet eſſe.772.
colimus illud,quod plus amamus.1682.
colimus Deum & Deus nos colit.2541.
coluntur idola multipliciter à diuerſis.2015.
Vide Iacob.
colligere eſt multiplex.2317.
colles ſignificant humiles.1022.
colles ſignificant prædicatores.1166.
colles ſignificant ſubditos.1166.
Columba ſignificat pœnitentes & apoſtolos.881.
columba dicitur eccleſia & virgo Maria.1661.
columna eſt multiplex.1238.
columna nubis, & ignis dicitur Chriſtus. 1294. 1684.
columna nubis, & ignis præcedebat filios Iſrael. 1827.
comedere peccatorum.1362.
comedere eſt addiſcere: ſed eructare eſt docere. 2522.
commendatur quis,cum à malis diffamatur.1594.
complacere ſemper eſt inter plures.667.
complacet Deus nobis.1264.
Communio ſanctorũ adinuicem oſtenditur.868.
Communicauit Iudas in cœna domini.890.
Communicatio bonorum oſtenditur in gloria. 2266.
Conceptio Chriſti per calcedonium ſignificatur. 795.
concipitur homo in peccato ,& qualiter.838.
conceptio peccati eſt multiplex.78.
concludi in manibus alterius quid ſignificat.445.
concluditur quis aduerſitatibus.2218.
concordes benedicunt dominum.2354.
Vide cantare.
conculcat diabolus malos.902.
concupiſcere dicitur deus,& quomodo.747.
concupiſcentia carnis eſt ex originali peccato.838. 1891.
concupiſcentia diuitiarum nocet.985.
concupiſcentia per muſicam deſignatur.1330.
concupiſcentia rei alienæ quantum malũ ſit.1333.
concupiſcentia alienæ vxoris eſt magnum malum.1816.
concupiſcentia rebellat voluntati.1890.
concupiſcentia duplex bona & mala.2995.
concupiſcentia & deſiderium quomodo differũt. 2095.
concupiſcentia oculorum ſignificatur per Seon regem Amorrhæorum.2369.
condẽnatio aliqua tripliciter dicitur iniuſta.1628.
condemnatus iniuſte fuit Chriſtus.1628.
¶Confeſſio peccatorum eſt multum difficilis.57.
confeſſio an fieri debeat de peccatis non habitis. 60.
confeſſio eſt multiplex.81.432.1236.2048.2419.
confeſſio peccati ad quid valet poſt cõtritionem. 432.471.
confeſſio peccati eſt neceſſaria.470.2101.
confeſſio ad quid valet: quia Deus omnia nouit. 470.
confeſſio debet eſſe accuſatiua.471.
confeſſio dicitur tunica chriſti.609.
confeſſio fit ex tribus inutilis.627.
confeſſione cor mundatur.843.
confeſſio debet fieri ſtatim habita opportunitate.1632.
confeſſio eſt de iure diuino.1632.
confeſſio habet pulchritudinem,& decorẽ. 1637.
confeſſio requirit contritionem.1667.
Peccata per confeſſionem extra emittere debemus exẽplo hirundinis, quæ filios ſuos inſtruit ſumme,vt extra nidum proiiciant ſua ſtercora. ver.893.1028.
confeſſio eſt ſalutis principium.1691.
confeſſio debet fieri de peccatis propriis, & non alienis.1991.
cõfeſſio dicitur eloquiũ:& debet eſſe amara.1788.
confeſſio dicitur diſputatio.1788.
confeſſio eſt magni certaminis.1788.
confeſſionem indixit nobis dei bonitas.1834.
confeſſio nullum falſum debet continere.1834.
confiteri peccatũ alterius quandoque licet.1839.
confeſſio debet eſſe verecunda.1888.
confeſſio debet eſſe voluntaria.1895.
confeſſio exprimere debet circunſtantias peccati.1901.
confeſſio debitum confeſſorẽ quærere debet.1191.
confeſſionem quis audire poſſit.1911.
confeſſio ſanctificat.2003.2153.
confeſſionis vtilitas.2249.

Vide Confeſſio laudis.venia.
Confeſſio laudis.91.250.1458.2083.
Confitentur mali Deo tẽpore proſperitatis.250.
Confeſſio laudis malorum.806.
Cõfeſſio chriſti ad patrẽ eſt noſtra eruditio.1926
Confiteri Deo toto corde,quid ſit.1468.
confeſſio,& magnificentia ſunt opera Dei.1970.
confitentur omnia Deum eſſe.1978.
confeſſio nominis Chriſti debet eſſe publica. 2042.2116.
confeſſio laudis qualiter debet fieri.2464.
cõfitetur & laudat Deum omnis creatura.2579.
Vide Laudare.gratiarum actio.
cõfidere in Deo magnæ eſt vtilitatis.133.384.624
confidere in temporalibus nullus debet.570.
confidentia malorum eſt multiplex.793.
Confidentia eſt multiplex.915.2055.2286.
confidendũ eſt in Deo nõ hominib.2539. 2055.
confirmationis ſacramentum tractatur.414.
confirmationis ſacramẽti gratia,& dignitas. 414.
confirmat Deus iuſtos multipliciter.1078.2103.
confirmatio eſt multiplex.2047.
confractio eſt multiplex.1856.
confringitur peccator, & conteritur, & qualiter. 1973.
¶Confuſio eſt triplex.345.1132.
confundunt animam maxime tria peccata.346.
cõfuſio dãnatorũ quãta erit in iudicio.455. 525.
confuſione induuntur damnati.1150.
cõfundẽturne beati cognoſcẽtes peccata ſua.585.
confuſio malorum.716.
confundere quid ſit.1097.
confuſio Chriſti qualis fuit.1998.
confuſio temporalis non nocet.1111.
confuſio bona.1151.
confuſio dicitur pœnitentia.1473.
confuſio damnatorum duplex.1965.
confundi non poteſt adhærens Deo.2106.
confuſio duplex malorum & bonorum.2151.
confuſio eſt vita præſens.2291.
confuſio malorum multiplex.2350.
congelat peccatum animam.2295.
congratulari quid ſit.550.
cõgregatio antiquitus fiebat cum ſanguine. 177.
congregantur aquæ à Deo,& quomodo.486.
congregauit Deus gentes per apoſtolos.774.
congregauit Deus electos de gentibus.1878.
congregauit Chriſtus mare.i.mundum.1883.
cõiugati virgines & cõtinẽtes sũt in eccleſia.750.
¶Commiſſio.peccatum duplex eſt ſcilicet cõmiſſionis.470.
commotio dicitur conuerſio peccatorũ.487.760.
commotio eſt ſecundum totum motio.779.
commouetur homo,& qualiter.959.1030.
commotus fuit Deus contra chriſtum.1602.
commotus non fuit chriſtus in paſſione.1602.
commotio multiplex.1650.
commutatio eſt multiplex.1089.
commutatio dicitur pœnitentia.1549.
compaſſio proximi per ceruum ſignificatur.688.
compatiebatur chriſto nullus.1113.
compaſſione debet fieri eleemoſyna.2297.
compedes ſunt verba Dei.2588.
compunctio multipliciter accipitur.540.
compunctio iuſtorum.826.
compunctus fuit chriſtus carne,& corde.1952.
¶Conſcientia dicitur quædam ciuitas.461.
conſcientia noſtra dicitur tabernaculum.2062.
conſcientia noſtra teſtis noſter eſt.2184.
Conſcientiæ iudicium quale eſt.2227.
cõſcietiæ dom⁹ qualiter ædificatur de Deo.2272.
conſcientia dicitur domus.2377.1435.
In conſcientiaconſiſtit gloria iuſtorum.2585.
conſcientia ſemper obligat.1435.
Vide conſpectus.
conſcriptum iudicium quid ſit oſtenditur.2589.
conſentit malis,qui non obuiat,dum obuiare poteſt.1409.
conſentientes & agẽtes pariter puniuntur.2290.
conſeruat nos charitas.174.
conſeruatio Dei omnia in eſſe conſeruat. 380. 2361.2431.
cõſideratio bonorũ & malorũ eſt multiplex.599.
¶Conſilium impiorum quod eſt.1.1874.
conſilium bonum eſt bona operatio.151.
conſilij donum oſtenditur.253.
conſilium Dei differt à ſententia.271.
conſilia Dei dicuntur ſemita.347.1276.
Conſilia Iudæorum contra Chriſtum.541.
Conſilia malorum qualiter diſsipat deus.489.
Conſilium dei immutari non poteſt:ſed bene ſententia.490.
Conſilium dei etiam per malos adimpletur.490.
Conſiliũ aſtutum malorũ dicitur laqueus. 529.
Conſilia diaboli quæ ſunt. 957.14.16.
Cõſilia Iudæorũ cõtra xp̃m defecerũt.1094.1027.
Conſilium malorum quale ſit.1148.
Conſiliatores falſi dicuntur inimici.1594.
Conſilia humana contra dei ordinationem non poſſunt.1806.
Conſiliũ dei a nobis mutari nõ põt.1847. 2099.
Conſilia iuſtorũ dicũtur exempla ſanctorũ.1976.
Cõſiliũ dari ſẽper dẽt a ſuperiori inferiori. 2538.
Conſolatio de remiſsione peccati.841.
Cõſolatur Chriſtũ qui ad ipſum reuertitur.1113.
Conſolatio mundi eſt vana.1260.
Conſolatur Chriſtus ſuos electos.1260.
Cõſolatio datur ſecundũ mẽſuram doloris.1626.
Conſolationem habemus in deo: ſed in mundo dolorem.2035.
Conſolat᷑ iuſtos iudiciũ Dei,ſed terret malos 2125.
Conſolatio multiplex in pœnitentia.2210.
Conſolatio aduerſitatum oſtenditur.2210.
Conſpectus Dei quid dicitur.225.1558.
Conſpectus Dei multas virtutes habet.686.
Conſpectus Dei dicitur eius ſapientia.1112.
Conſpectus Dei eſt duplex.1482.
Conſpicit Deus peccata,quæ punit.1558.
Conſpectui Dei aſtare quid eſt.1675.
Conſpectus dicitur conſcientia.1689.
In conſpectu omnis populi erimus in patria.245.
Conſpectus Dei eſt ſuper bonos & malos.2241.
Conſpiratio peccatum aggrauat.9.
Conſtantiæ exemplum fuit Ioſeph.1249.
Conſtantini conuerſio.1980.
Conſummatio multiplex.2169.
Contaminare proprie quid ſit oſtenditur.898.
Contemplatio Dei nos cuſtodit.269.
Contemplatio nos elongat à mundo.882.
Contemplatio omnia alia opera excludit. 1260.
Contemplatiui, & veri pauperes figurantur per ceruum.1772.
Comtemplatiui aſcendunt vſque ad cælos,& deſcendunt.1906.
Contemplatiuam vita actiua præcedit.2077.
Contemplatiui ſignificantur per Iſrael.2377.
Contemptus eſt duplex ſcilicet Dei & mundi. 2997.





Contemnit peccator,& quomodo.2492.
contẽtio,& ſuperbia hæreticorum oſtẽditur.1920.
contentio vitioſa.1920.
conteretur quis multipliciter.162.
conteſtari.quid ſit.1398.
cõtinẽtes,virgines,& cõiungati ſunt ĩ eccleſia.750
Vide caſtitas.
contra accipitur pro coram.1259.1951.
contra accipitur dupliciter.
contradictio eſt multiplex.244.884.
cõtradictionis aqua ,quare ſicvocatur.1227.1965.
contra dicebant gentes apoſtolis. 1377.
contradictio pertinax dicitur porta ærea.1895.
cõtraria iuxta ſe comparata magis eluceſcũt. 936.
contraria ſemper agũt adĩuicem,& patiũtur 1866.
contritio animam iuſtificat.626.
contritio peccatorum,oſtenditur. 826.
conteri idem eſt quod fumigare. 2503.
contritio animam ſanat.2549.
Vide confeſſio peccatorum.Fumus.
Nullus chriſto contriſtabatur.1113.
Vide compaſſio.
cõturbatus qualiter fuit chriſtus in paſſione.429.
conturbatio dupliciter accipitur.779.
conturbatio ſignificat pænitẽtiã.100.1496.
Coturnices qualiter deus dedit populo ſuo in deſerto.1828.
cõuenerũt Iudæi cõtra chriſtũ multipliciter. 539.
conuerſari cũ bonis eſt vtilẽ,ſed cum malis damno ſum.1700.
Vide Vnitas.
conuertuntur mali in inferno,& qualiter.63.
conuerſæ ſunt gentes per Apoſtolos. 95.
conuertentur Iudæi in fine.166.
conuerſio peccatoris deo confitetur. 250.
conuerſi ad deum ſunt innocentes.565.
conuerſio gentilium per diluuium figuratur. 419
conuerſionẽ peccatorũ facit amor, & timor. 455.
conuerſio peccatorum dicitur conmotio. 487.
conuerti retrorſum quid eſt.669.
conuerſio duplex.1323.1326.
conuerſio mala multiplex.1323.
conuertit nos deus.1374.
conuerſio ad deum multiplex.1378.
conuerti ad cor quid ſit.1452.
Conuerſio gentium oſtenditur.1895.1509.
conuertens ſe peccator,dicitur ſurgere.1522.
conuerſionis tarditas eſt periculoſa.1522.
conuerſionem peccatorum deus quærit.1553.
conuerſionis magna eſt difficultas.1565.
conuertit chriſtus plures moriens quã viuẽs.1606.
conuerſus retroſum qualiter fuit Iordanis. 2004.
conuertit chriſtus mundum.1004.
Conuerſio peccatoris multiplex.2152.
cõuerſionis infideliũ cauſa fuit paſſio chriſti.2294.
conuerſos ex gentibus magnificat deus. 2294.
conuertit chriſtus perſecutores ſuos ad amorem ſuum.2295.
cõuertẽs de⁹ peccatores facit vindictã in eis.2587.
Vide carbones.
copulamur chriſto tripliciter.1725.
¶ cor qualiter dicitur vanum.48.
cor noſtrum eſt altare ſpirituale. 572. 1434.
cor noſtrum qualiter ſtabilitur.372.
cor peccatoris dicitur cubile.555.
cor ſtat in medio animalis.759.
cor ſanguine nutritur.841.
cor eſt omnium vitiorum origo.843.
cor mundatur multipliciter.843.
cor contritum & humiliatum quid ſit. 850.
cordis cogitationes diabolus neſcit. 929.
cor effunditur & qualiter.925.
cor altum quod dicitur.1005.
cordis exultatio.1038.
cor noſtrum qualiter deo offerre debemus. 1208.
cor noſtrum ſolus deus docet.1274.
cor directum quid eſt.1288.
cor qualiter dirigitur.1298.
cor peccatoris dicitur Lapis. 1296.
cor loquela manifeſtatur.1299
cor rectum quid ſit.1318.
cor,& caro quomodo exultauerunt in deo. 1432.
In corde bonorũ chriſtus primus ſedet.1452.
corde toto multa debemus facere.1468.
cor prauum dicitur cor obſtinatum.1697.
cor qualiter deus indurat.1697.
corde inſatiabilis quis dicitur. 1699.
corde dantis,non ex dato munus penſatur. 1737.
cor deo debet humiliari. 1924.
corde toto quærendus eſt deus.2078.
corex omni parte cuſtodiri debet.2082.
cor lætum dilatatur.2107.
cor mundandum eſt confeſſione.2153.
cor noſrum in celeſtib⁹ ſolũ debet occupari.2162
corde toto eſt orandum.2218.
corde pricipalius laudatur deus,quam ore. 2538.
Vide gratiarum actio. aperire.
corã deo nullus ãgelus,vel hõ iuſtificari põt.2486.
Vide contra.
¶ corripit aliquos deus in furore.54.
corripit deus malos.1617.
corrigens alium,multis vitijs debet carere.1651.
corrigit hic deus quos diligit.329.
corrigere debent parentes filios ſuos. 1349.1531.
correctio dei dicitur virga.1531.
correctio debet fieri cum miſericordia. 1562.
corrigens alium,de ſe multa debet cogitare. 1562.
correctores ſunt boni inimici.1594.
correctio debet habere zelum,compaſſionem & diſcretionem.2139.
corrigit charitas:ſed timor comprimit.2203.
correctio multa requirit.2470.
correctio incipit pie:ſe malis ſeuere terminat.1803.
¶ cornu ſignificat chriſti regnum.203.1523.
cornu ſignificatur diaboli ſuperbia. 312.
cornu ſignificat chriſti poteſtatẽ. 714. 1523. 1595.
cornua poteſtatis aliquos impediunt. 714.
cornu ſignificat peccatum.1240
corun multa ſignificant. 1245.
cornu dicitur chriſti.2349.
cornua ſignificant virtutes.993.
cornu ſignificat xp̃m,& euchariſtię ſacramẽtũ.2439
cornu dicitur xp̃s incarnatus , & etiã iuſti. 2579.
Vide ceruus.
¶ corona victoriæ,ſcuto figuratur.53.
corona glorię datur ſeruãtibus mandata. 263.
corona chriſti multiplex oſtenditur.280:
corona clericorum quid ſignificat. 418.
Corona ſpinarum chriſti.435.
coronat deus multipliciter iuſtos.1021.
corona meritorum iuſti coronatur.1735.
Vide Maria virgo.
¶ Corpus noſtrũ ſignificatur per ſemen. 357.
corpus noſtrum dicitur tabernaculum.857.
corp⁹ peccatoris dr̃ ſupulchrũ:ſed iuſti templũ.1492
corpus & animã hominis deus creauit. 1636.

Corpus totum per diſciplinam ornatur.1647.
Corporis infirmitas,animam ſanat.1897.
Corpus aggrauat animam.2100.
Corpus noſtrum dicitur pauimentum.2100.
Corporis noſtri oſtenditur dignitas.2145.
Corporis ſalutem medici quęrunt, & non animæ.
2247.
Corpora noſtra dicuntur domus noſtræ.2378.
Corpus fatigant delectationes, & proſpera. 2437.
Corporis poteſtatem habent mali ſed non animæ.2459.
Corporis & animæ duplex eſt perſecutio.2484.
Corpus eſt carcer animæ.2485.
Corpora malorum ſunt ſepulchra.2548.
Vide Caro.
Corpus chriſti eſt ecclesia. Chriſti corpus eſt eccleſia.261.
Corpus eccleſiæ capiti chriſto vnitur.650.
Vide eccleſia.
Corpus Chriſti dicitur tabernaculum.256.1579.
Corpus Chriſti dicitur vermis.296.
Corpus Chriſti dicitur terra.396
Vide euchariſtia.
Corruptio ſpiritualis multiplex.863.
Coruſcatio ſignificat miracula.1275.
Coruus paſcitur rore cæleſti.2556.
Coruus ſignificat gentiles.2556.
Vide detractio.
¶ Crapula vultum nocet.1348.
Creare quid eſt:& quid facere.488.2573.
Creationis mundi opus.710.
Creauit omnia Chriſtus. 1511.
Creat deus quædam:& quædam facit. 2572.
Creatura omnis exultauit ad præſentiam Chriſti.
1652.
Creatura omnis homo eſſe dicitur.1672.
Creatura omnis deo benedicit.1753.
Creatura omnis dat teſtimoniu diuinæ bonitatis.
2202.
Creatura omnis à deo conſeruatur in eſſe.2431.
Creatura omnis laudat deum.2525.2526. 2568.
2579.
Creaturarum multiplex differentia. 2568. 2525.
Vide cognitio.
Creditur alicui propter multa.252.1846.
Credire in deum,eſt deum benedicere. 502.
Credere dicimur dupliciter.776.
Credere in deum an peccator ſe dicere poſſit.781.
Credere deo, vel in deum quomodo differunt.
1288.
Credere multa bona facit.1303.
Credere noluerunt Iudæi.133.
Credere debemus mirabilia dei, non perſcrutari.
1580.2383.
Credere multa debemus de Chriſto. 1719.
Credens debet loqui,quæ credit 2038.
Credunt facilius ſimplices, quam litterati. 2203.
Credit malus omnes eſſe malos.2549.
Cremium quid ſit,oſtenditur.1706.
Creſcunt virtutes aduerſitatibus.1801.
Creſcit aliquid dupliciter.2432.
Vide virtus.
Cretenſes communiter ſunt mendaces.
862.
Chryſtalus eſt aqua congelata.2564
Chryſtalus ſignificat obſtinatos.2564.
Chryſtalus fuit Paulus obſtinatus.2564.
Crucifixio Chriſti qualiter fuit.308.
Crucifixus qua hora fuit Chriſtus.308.
Crucifixus Chriſtus ſignificatur per ſerpentē æneum.100
Crucifigens ſecum chriſto,carnes ſuas configit.
Vide fides.
Crudelitas Antichriſti quanta erit.121.
Crudelitas Iudæorum erga Chriſtum. 297.
545.
Crudelitas dicitur cubile.555.
Crudeles ſignificat Gabal.1419.
Crudelitas maxima eſt,filios occidere.1869.
Crux dicitur lumen vultus dei.35.
Crux dicitur thronus Chriſti.94.98.
Crux præſentabitur in iudicio 98.
Crucis titulus ponitur.174.
Crucis exaltatio.290.
Crucis virtus.481.2249.
Crux ſignificatur per ſmaragdum.812.
Crux fuit ſcala Chriſti.824.
crucis mors erat turpiſſima.1490.
In cruce quomodo tota die fuit Chriſtus.1460
Crux fuit chriſti ſedes.1968.
Crux chriſti dicitur virga.1970.
¶ Cubile dicitur corpus noſtrum.33.
Cubile eſt multiplex.555.
culpa excæcat oculos mentis.163.
culpa ploranda eſt non pœna.2209.
Vide peccatum.
Cupiditas omnium malorum eſt cauſa. 370.
857.
cupiditas diuitiarum damnatur,non diuitiæ.1988.
curuitas hominis quid eſt, & quid rectitudo. 480.
614.1987
currus ſignificat ſuperbiam.275.
currus dei dicuntur angeli ſancti. 1065.
curam ſpecialem de hominibus habet deus.1637.
Cura eſt deo de bobus,& quomodo non.2541.
¶ cuſtodit nos dominus per aduerſa. 148.
cuſtodire mandata dei, coronam gloriæ meretur.
263.
cuſtodit nos contemplatio dei.269.
cuſtodia præceptorum ponitur.1339.2082.
cuſtodiunt iuſtos aduerſa.1498.
cuſtodia noctis dicitur vigilia, habens tres horas.
1555.
cuſtodit hominem probatio dei.1570.
cuſtodiunt angeli animas noſtras.1580.
cuſtodit dominus ſpecialiter multos.1665.
2034.
cuſtodia ſermonum dei eſt operatio mandatorum
2085.
cuſtodia matutina ſignificat chriſti reſurrectionē.
cuſtodit dominus multa perſonarū genera. 2454.
cuſtodia noſtra virilis debet eſſe, non feminalis.
2467.
Video cr.
DAgon idolum cecidit ante arcam domini.411.
dalida meretrix ſignificat carnē.1432
Damnati æternaliter punientur. 108
Damnatos vident beati.130.459.
Damnatorum pœna per clibanum ſignificatur.287.
Damnati perdunt bona,quæ fecerunt. 287.
Damnabuntur impij in iudicio.375.
De dānatorum pœnis gaudent beati.404
Damnatorum confuſio.455.1965.
Pro dānatis non eſt orandum.515.

Dam



Damnati confuſione induuntur.550.
Damnatus non redimitur.794.
Damnatos beati videndo,gaudent. 858.
Damnatis beati non compatiūtur.936.
Damnati vno igne diuerſimode cruciantur. 1426.
Damnatio æterna figuratur per ve. 1443.
Damnatorum pœna duplex per diploidem ſignificatur.1965.
Damnati pœnitent, ſed inutiliter. 1994.
Damnati ſimiles erunt idolis. 2017.
Damnati deum blaſphemant. 2027.
Damnati omnes iuſte damnantur.2210.
In damnatis eſt miſericordia dei,& qualiter.2524.
Damnatorum pœnæ quales erunt: concipitur ex pœnis iuſtorum.quas hic patiuntur.2566.
Damnatorum obſtinatio.2588.
Vide terra.
¶ Dan.ex tribu Dan orietur antichriſtus.2557.
Dare eleemoſynam qualiter debemus.751.
Dare & dimittere,quomodo differunt. 1737.
Dare nobis ſemper paratus eſt deus. 1832.
Datham & Abiron quomodo abſorpti fuerunt,
oſtenditur.1851.
¶ Dauid non fecit omnes pſalmos. in prologo.
Dauid ſignificat Chriſtum.8.21. 521. 780.
Dauid pluries in regem fuit vnctus.8.379.1519.
Dauid peccauit multipliciter.54.834.
Dauid fuiſſe peccata dimiſſa,oſtēdit portarū tēpli
apertio.421.
Dauid exemplum fuit pœnitentibus.833.
Dauid multas reuelationes habuit.839.
Dauid pietas erga Saul oſtenditur. 869.
Dauid fuit humilitatis exemplum.1249.
Dauid quomodo à deo fuit electus.1353.
Dauid quomodo fuit innocens: qui tamen tot
peccata fecit.1355.
Dauid electio in regem.1528.
Dauid qualiter fuit maximus prophetarum.1683
Dauid multoties fuit in periculo mortis. 1735
Dauid iunior inter fratres ſuos ad regnum fuit electus.2214.
Dauid manſuetudo & humilitas oſtenditur. 2332.
Dauid ſpiritualiter dicit ſeruus dei,& quare. 1341.
In ſede dauid quomodo ſedit chriſtus.1342.
Dauid ſignificatur per Sion.2379.
Dauid multarum virtutum exempla tribuit nobis.
2447.
Dauid peccauit lingua multipliciter. 2465.
Dauid bellum contra Goliam ponitur.2499.
Dauid ſignificat multa.399.
Vide dextera.
¶ Decipit nos diabolus, vitia ſub virtutum ſpecie
occultando.344.
Decipit nos mundus & caro.2100.
Vide diabolus.
Declinant mali & qualiter.159.
Declinare dei in ira quid eſt.392.
Declinare à malo,& facere bonum:ſunt partes iuſtitie.513.
Declinare à mandatis dei, quid eſt.2096.
Declinare iudicia dei quid eſt.2175.
Declinare eſt multiplex.2290.
Decus propriè quid ſit.282.
Decor eccleſie eſt ſanctitas.374.
Decor innocentiæ chriſti.428.
Decor chriſti oſtenditur.810.
Decorem habet confeſſio.1647.
Debitor nobis eſt deus ex promiſſo.1748.
Deducere propriè quid ſit.973.
Deducuntur multi male multipliciter.1887.
Deducit nos chriſtus ad gloriam.1887.
Deducit ſuos chriſtus bene multipliciter.2390.
Defenſio peccati ipſum aggrauat.553.
defendentes malos,ſunt hoſtes dei.2468.
deficere dicitur Chriſtus, & ſanctus, & quomodo.
141.
Deficit iuſtus &qualiter.245.
Deficit peccator,quando pœnitet.1589.
Defecerūt magi Pharaonis in tertio ſigno & quare.1819.
Deficit anima in deum,& qualiter.2154.
Deficere animam facit amor.2154.
Deficiunt oculi in deū, & qualiter. 2155.
Deficit caro creſcente ſpiritu, & econtrario. 2156.
Delbora ptophetiſſa.1421.
Delectatio noſtra in deo debet eſſe. 569.
Delectat aliter amor dei, & aliter amor mundi.
1769.
Delectatio exterior figuratur per renes. 2439.
Delectatio interior ſuperat exteriorem.2561.
Deleri quid ſit de libro vitæ.1121.
Delitas,& diuitias, lex noua excedit. 262.
Delitiæ dicuntur verba ſacræ ſcripturæ.2437.
Delictum qualiter differt à peccato.264.350.950.
1230.
Delinquere idem eſt,quod peccare.520.
Vide peccare.
Demergere dicitur ſepeliri.1091.
Dæmones nos perſequūtur propter peccata.620.
Dęmones dicuntur oculi. 1261.
Dæmones poteſtas quanta ſit,oſtenditur. 1331.
Dæmones ſunt miniſtri dei.1331.
Dæmones quomodo chriſtum cognouerunt. 1410.
Dæmones dicuntur principes.1412.2539.
Dæmones maiores dicuntur leones.1775.
Dæmones dicuntur vectes ferrei.1896.
Demones ſunt inimici noſtri. 2495.
Vide diabolus. ſcriptura ſacra.
Dentes ſignificant crudelitatem.27.
Dentes ſignificant ſenſus interiores.919.
Dentes boni & mali.2282.
Deprecatio difert ab oratione.62.185.430.647971.
Deprecatio eſt pro bonis habēdis:ſed poſtulatio eſt
pro malis remoeundis.2243
Vide oratio.
Dereliquit deus pater xp̄m,& quomodo oſtēditur.
291.8084.
Derelinquit deus malos,& nō iuſtos.600.630.
Dereliquit deus hominē multipliciter. 1149.2459.
Derelinquit deus aliquos multipliciter.2084.
Vide deſerere.
Deridentur iuſti à malis.449.2276.2277.
Deriſio propriè quid dicitur.722.946.
Deſcendit Chriſtus quo inferius nō poteſt.770.
Deſcendere,& aſcendere.547.
Vide inferius.
Deſerit nos deus quando nos deſtruit.257.
Deſerit deus iuſtos,& quomodo.1150.
Vide derelinquere.1022
Deſertum ſignificat peccatum.417.
Deſertum ſignificat genus.1022.
Deſertum dicitur inuium.i.ſine via.1920.
Vide patria.
Deſiderium eſt ſolum reſpectu futurorum.131.
Deſiderium dicitur paſſio Chriſti.279.
Deſideria noſtra clamant ad deum. 390.

Deſiderium dicitur ſitis.689.981.990.
deſiderare qualiter deus poteſt.747.
deſiderium,& amor dicitur ignis.1657.
deſiderare debemus videre deum.2131.
deſiderio,& oratione ſpiritus acquiritur.2204.
deſiderium cordis dicitur clamor.2218.
deſideria malorum pereunt.2540.
deſperandum de nullo eſt in præſenti vita.393.2565.
deſperare Chriſtum,volebant Iudæi.396.
deſperatus peccator contẽnit.2320.
deſponſata fuit eccleſia per Chriſtum.966.
deſtruit quandoque deus,quando punit.405.
deſtruit nos deus,quandoque nos deſerit.857.
detractio eſt multiplex.629.1698.
detractio quid ſit.828.
detrahunt mali bonis.878.
detractores ſunt inimici.1594.
Detractio figuratur per coruum.1698.
detractionis figura ponitur.1698.
detractio quam graue ſit peccatum.1940.
detractio multa mala facit.1940.
detrahebant Iudæi Chriſto dupliciter.1956.
detractio nocet ſoli detractori.1940.
¶ Deus habitat in ſanctis.41.263.101.
deus qualiter dicitur iratus.41.55.
deus qualiter dicitur iratus, zelotes, pœnitens &c.55.
dei ira ſignificat iuſtitiam.69.
deus per creaturas cognoſcitur. Vide cognitio.
deus videt multipliciter.103.
deus aliquos cognoſcit multipliciter.107.
deus qualiter recedit à nobis.112.
deum quomodo alicui negant.117.157.
deus quomodo dormire dicitur.125.145.197.
deum eſſe Chriſtum Iudæi quomodo cognouerũt.156.
deo nec nocere poſſumus nec proficere.174.
deus & dominus dicitur Chriſtus.231.
deus quibus dicitur via.247.
deus quomodo memeratur.270.349.
deus aliqua multipliciter facit.299.
deus ſolus dicitur bonus.351.
dei audire & noſtrum quid eſt.433.
deus peccatores expectat.484.
dei reſpicere quid ſignificat.493.
Dei gratiam quærere debemus,non noſtram.502.
deus cum ſit immenſus, quomodo dicitur iuxta.517.
deus regit omnia iſta inferiora.566.
dei cognitio dicatur approbatio.584.
deum cognouit homo ante peccatum.618.
dei ſilere,quid eſt.648.
dei habenda eſt memoria.725.
deus quomodo dicitur noſter.755.
deus dicitur multipliciter.774.809.1391.1411.
deum negare,quid eſt.862.863.
deus habet alas,& quomodo.915.
deus egreditur contra hoſtes.977.
deo debemus ſubiici propter multa.978.
deus eſt nomen ſummæ excellentiæ.679.
Quomodo efficimur vnum cum deo.996.
Deus ſolus mentem immutat,non homo.1029.
deus nos ſaluat.1069.
deus in adiutorium meum intende.1137.
deus quomodo dicitur patientia noſtra.1143.
deus quomodo elongatur à nobis.1150.
Deo ſimilis qualiter quis dicitur.1158.1464.
dei mirabilia ſunt opera.1182.
deus eſt vbique,& immenſus.1182.
dei ſcientia omnia nouit.1194.
dei opera credenda ſunt non perquirenda.1199.
deus memoratur multipliciter.1234.
deus complacet nobis.1264.
deus magnus dicitur Chriſtus.1270.
deus tentatur multipliciter.1298.
dei reſpicere,& videre quid ſit.1385.1439.
deus recens vel alienus quid ſit.1398.
deum audire quid eſt.1400.1402.1451.
deus ſolus dicitur altiſſimus.1430.
deus prope eſt humilibus.1453.
Deum glorificat datio legis.1507.
deo p lacet quandoque opus malorum.1540.
deus eſt immutabilis.1552.
deus ſolus proprie dicitur eſſe.1552.2108.
deus conuerſionem quærit peccatorum.1553.
deus peccata videt,quando punit.1558.
deus ſua protectione nos cuſtodit.1570.
deus attendit intentionem noſtram nõ opus.1577
deus operatur omnia bona noſtra.1589.
deus proprius dicitur iuſtitia quam iuſtus.1600.
deus contra Chriſtum fuit cõmotus.1602.
deus corporis membra non habet.1616.
Deo ſoli proſternare nos debemus non homini.1630.
deus,meus quis dicere poſſit.1571.
deus qualiter ſanctis loquebatur in nube.1684.
deus reuocat à bono,quando nõ dat gratiã 3.1727.
deus lætatur & qualiter.1785.
deus ſolus peccata dimittere poteſt.1835.
deum eſſe,omnia confitentur.1978.
deo attribui debent omnia merita noſtra.2010.
Deus ſua bonitate bona nobis facit.2011.
deus non vult habere ſocium in dominio.2164
deus eſt totum bonum noſtrum.2495.
deus innotuit homini multipliciter.2501.
deus in omnibus quæ facit,eſt iuſtus.2533.
deꝰ nõ deſerit nos niſi priꝰ deſeratur à nobis.2539.
Vide Abominatio. Adiutoriũ. Admirabilis. Aeternꝰ. Altus. Auris. Auxiliũ. Auertere. Beneficus. Benedicere. Bonus. Cogitatio. Cognitio. Cõſiliũ. Cor. Corrigere. Cura. Cuſtodire. Debitor. Deſiderium. Deſtruere. Diligere. Dirigete. Dicere. Docere. Dominus Electio. Erudire. Exaltare. Excelſus. Exquirere. Fidelis. Fidelitas. Finis. Fortitudo. Fugere Habitudo Iacob. Intendere. Interrogare. Ita. Iudicia. Ignis. Iniuria. Iurare. Iuſtificare. Laudare. Loqui. Magnus. Magnificentia. Miſericors. Miſericordia Magnificare. Magnes. Mirabile. Memoria. Obliuio. Odiũ Oliua. Pænitentia. Perſeuerentia. Portio Poteſtas. Proijcere. Patientia. paſſio xp̃i. Poſſidere. Paſcere. Peccator. Requieſcere. Recordatio. Reſiſtere. Repellere. Rex. Reſpicere. Refugium. Reſpondere Satiare. Sedes. Superbus. Sedere. Spes. Suſcipe. Saluare. Timere. Tentare. Voluntas. Vindica. Veſtis. Terribilis. Chriſtus. Zelus.
¶ Dee gratia. hoc verbum deo gratias, deo ſumme placet: vnde in horis frequenter.1291.
¶ Dextera ſignificat filium dei.23.
dextera dicitur chriſtus.235.713.2063.2480.
Dextera ſignificat virtutẽ iudiciariam.285.
Dextera ſignificat interiorem interiorem.1376.
Dextera ſignificat diuinitatem chriſti.740.
Dextera ſignificat multa.841.2506.
Dextera ſignificat præmium bonorum.1207
Dextera Chriſti ſignificat gloriam æteroam.1576.
Dextera ſignificat prædeſtinatos.1576.





Dexte.dicitᶜ cuilibet omẽ illud ꝙ p̃diligit.1942.197.
A dextera chriſti ſalus noſtra proceſſit.1867.
Ad dexteram dei ſedet Dauid,& qualiter.1968.
Dextera ſignificat bona ſpiritualia.1260.
Dextera ſignificat vitam æternam: ſed ſiniſtra tepo ralem.24124.2480.
Dexterę alia eſt ſalus & alia ſiniſtræ.2426.
Dextera dei quid ſit,oſtenditur.2426.
Vide ſiniſtra.
¶Diabolus eſt Dei inimicus.69.
diabolo ſuperior eſt Antichriſtus.116.
diabolus fuit princeps mundi.152.
diabolus dicitur maliginus.172.
Diabolus ſemper pugnauit contra nos.234.
Diabolus vexat indignè cõmunicantes.330.
diabolus eſt inimicus noſter.286.1521.2054.
Diabolus redimi non debuit: ſed homo.564.
diabolus cognouit xp̃um incarnatum.621.
diabolus ſemper dolos meditatur.621.
Diabolus gaudet de peccatis noſtris.
Diabolus vincitur reſiſtendo.628.
Diabolus dicitur mors.801.
Diabolus multipliciter bellat.903.
Diabolus fuit humiliatus.1157.1510.
diaboli peccatũ fuit irremiſſibile, nõ hominis.1322.
Diabolus caput eſt malorum.1415.
Diabolus quomodo à xp̃o fuit captus.1781.
diaboli cibus quid ſit.2782.
Diabolus dicitur peccator.1942.
Diabolus vincere non poteſt,niſi volentem.1054.
Diabolus iuſtos impugnat.2098.
diabolum vincere poſſumus.2153.
diaboli contra nos diligentia.2192.
diabolus eſt incentor omniũ malorum.2194.
diabolus calũniatur iuſtos.2195.
diabolus perſequitur aliquos. gratis & aliquos nõ gratis.2224.
diabolus eſt porta mortis.2304.
diabolũ xp̃s percuſſit & oĩa primogenita eiꝰ.2389
diabolus ſemper cogitat nos perdere.2455.
diabolus captus fuit eſca carnis Chriſti.2500.
Vide Aſpis. Adã. Aſſur. Aquilo. Auis. Beſtia Baptiſmus. Caligo. Cogitatio. Conſilium. digitus. hoſtis. Impius. Interitus. Iudas. Iuſtitia. Leo. Loqueus Paſſio chriſti. Princeps. Poteſtas. Pharao. Perſecutio. Nihil. Tentatio. Vnicornis.
¶dicere dei multipliciter accipitur.14.
dicere dei proprie quid eſt.514.
dicere dei qd eſt,& quid dicere hominis.552.1608.
dicere dei quãdoq; idem eſt quòd deliberare.632.
Vide loqui.
¶dies ſignificat proſperitatem: & nox ſignificat aduerſitatem.2.690.1481.1587.2438.
dies ſignificat legem nouam.253.1638.
dierum ſex opera ponuntur.253.
dies à planetis denominantur.334.
dies boni non ſunt in præſenti.511.
dies vitæ præſentis ſunt breues.638.
dies ſignificat gloriæ claritatem.717.
die tertia quomodo Chriſtus reſurrexit.834.
dies dimidiare quid ſit.901.
diei altitudo dicitur potentia mundi.904.
dies æternus quid dicitur.975.
dies tota quid dicitur.1153.
dies quando incipit,& quando terminatur.1220.
dies,& nox dicitur vita præſens.1258.
die tota Chriſtus fuit in cruce,& quomodo.1480.
dierum dimidium quid ſit.1727.
dierum longitudo dicitur vita æterna.1585.
dierum longitudo eſt gratiarum plenitudo.1585.
dies gratiam ſignificat.1585.
dies ſignificat virtutem.2157.
dies dicitur chriſtus.2164.
dies dicitur iuſtus,eccleſia & gloria æterna.2164.
Vide nox.
digitus ſignificat trinitatem.85.
digitos quinque habet manus dei.152.
digitus dei dicitur ſpiritus ſanctus.1819.
digitis & manu bellamus contra diabolum.2499.
dignitas Chriſti.299.
dignitas hominis oſtenditur ex eius creatione.2146.
dignitas crhiſtianorum virtutis, & orationis.2243.
dignitas hominis oſten ditur.2502.
dilatatur eccleſia aduerſis.221.
dilatat pedes diſciplina.237.
dilatare proprie quid ſit.1399.
¶dilectio meretur dilectionem.359.
dilectio dei flagellat dilectum.362.
dilectio dei qualis eſſe debet.464.
dilectio charitatis eſt in patria.491.
dilectio qualiter per charitatem ordinatur.868.
dilectionem dei inducunt aduerſa.1204.
dilectio falſa contrariatur dilectioni dei.1317.
dilectio dei duplex. ſcilicet viſus & fruitio.1665.
dilectione diligitur,& oditur.2065.
dilectio mandatorum conſiſtit in multis.2120.
dilectio dirigit greſſus mentis.2206.
dilectio dicitur virtus.2270.
dilectio Chriſti per paſſionem oſtenditur.2286.
dilectionem à nobis exigit deus.2462.
Vide dilectus. diligere.
dilectus ſignificat chriſtum.416.1060.
Vide dilectio diligere.
dilexit Chriſtus patrem.201.
diligere an debeamꝰ deũ ꝑpter bñficia.& q̃litᶜ.201.
diligere debemus deum,& qualiter.464.
Illud quod quis plus diligit,adorat.1682.
diligere qualitᶜ debemꝰ deũ ex toto corde &c.2021.
diligere deum quis non põt. ſine cognitione.2094.
diligendus eſt deus multipliciter.2170.
diligẽdꝰ eſt proximus: q eſt merces ſanguinis.2238.
diligens legem dei,non habet ſcandalum.2236.
diligere aliquem,& odire ſimul poſſumus.2448.
Vide mandatum.
diluculum quid ſit.946.
diluculum dicitur trãſitus à culpa ad gratiã.2221.
diluuium ſignificat gentiles.419.
diluuium ſignificat auaritiam.453
diffamant mali bonos.878.
diffamari a malis,eſt cõmendari.1194.
dimidiare dies quomodo intelligitur.901.
dimidium dierum quid ſit.1727.
dimittere & dare differunt.1737.
dimittere melius eſt quàm dare.1727.
dimittere peccata,eſt poteſtatis infinitæ.1935.
dimittere peccata,poteſt ſolus deus.1835.
dioniſius tyrannus omnia tinebat.1592.
dionyſius doctor cæco illuminato credidit.2527.
diplois ſignificat duplicem pænam dãnatorũ.1967
dirigit nos deus,& qualiter.353.
dirigere proprie quid ſit.1047.
dirigitur cor & qualiter.1288.
dirigit opera noſtra deus.1568.
dirigit nos lex euangelica.2112.
Vide dilectio.

Diſcedunt mali dupliciter à bonis.61.
Diſcere iuſtificationes Dei quid eſt.2144.
Diſcernere proprie quid ſit.1092.
Diſcretionem timor requirit.112.
Diſciplina multa bona facit.136.237.
Diſciplina multipliciter accipitur.826.
Diſciplina ſolum hominibus competit.882.
Diſciplina totum corpus ornat.1647.
Diſciplinam non quilibet bonus optat.2139.
Diſcipuli Chriſti dicuntur oculi.1092.
Diſcordia impedit auditum verbi Dei.1400.
Diſperdere quid ſit.1630.
Diſperdit Deus malos multipliciter.2497.
Diſperſio eſt multiplex.1993.
Diſputatio intellectus dicitur garrulitas.2090.
Diſputare cum deo volunt ſuperbi.2486.
Diſrupit peccati vincula cognitio peccati.2044.
Diſſipat deus conſilia malorum.489.
Diſſipare ſignificat multa.540.
Diſſipatur quis dupliciter.1081.
Diſtantia facit errare viſum.1743.
Diuites hic dormiunt ſed vigilabunt in morte.1250.
Diuitum bonis pauperes viuere debent.1771.
Diues quilibet dicitur ſuperbus & pauper humilis.
2347.
Vide diuitiæ.pauper.
Diuitię ſunt cauſa ſuperbiæ.208.
Diuitias omnes excedit lex noua.262.
Diuitiæ per aquam ſignificentui.473
Diuitiæ non ſatiant mẽtẽ diuitis.509.570.582.
Diuitias ſuas mali mali perdunt ſed nõ boni.797.
Diuitiarum confidentia decipit.295.987.959.
Diuitiæ per ſubſtantiam ſignificantur.1090.
Diuitiæ temporales malorum ſunt præmium.1195.
Diuitiæ temporales dicuntur ſomniũ.1204.
Diuitiæ ſignificantur per ſpinas.1400.
Diuitias habuit iudas ex furto.1947.
Diuitiæ non damnãtur, ſed diuitiarum cupiditas.
1988.
diuitias ſuas bias portabat in pectore.1988.
diuitiæ non beatificant.1512.2514.
diuitię ſine filiis ſunt ad pœnam.2514.
diuitias habere,non eſt malum ſed illis abuti.2515
diuinitas p ſolẽ ſignificat ſed hũanitas p lunã.2261.
Vide deus.
diuiſio veſtimentorum Chriſti.309.
diuiſio malorum eſt vtilis.884.
Vide diſcordia.
¶docet nos aliter deus aliter homo.353.
docere volens prius addiſcere debet.373.
docere quomodo poſſit mulier.846.
docet homines deus & nõ homo.1155.
docere cor noſtrum;ſolus poteſt.1274.
docet nos deus multa.2495.
docere ſignificatur per eructare.2522.
Vide doctor.
¶doctores ſunt aliorum oculi.446.
doctor ſignificatur per ceruum.688.
doctores figurantur per animalia.1058.
doctores honore prælatũ præcedere debẽt.1958.
doctores ſignificantur per hyadis cõſtellationẽ.
1759.
doctores ſunt patres:ſed diſcipuli ſunt filii.2024.
doctorum verbis opera concordare debent.2117.
doctor vere ſolus dicitur Chriſtus.2137.2146.
docentes ſe omnes ſuperauit xp̃s.2172.
doctor eſt miniſter dei.2245.
doctores ſignificãtur per lunam & ſtellas.2570.
Vide docere.magiſter.
doctrina ſignificatur per pluuiam.1058.
doctrina apoſtolorum figuratur per aquam.1764.
doctrinam operatio præcedere debet.2088.
Vide docere.doctor.oliua.
dolor eſt multiplex.78.
dolor dicitur peccatum.204.
dolor contritionis oſtenditur.626.
dolor pænitentis dicitur dolor partudientis.780.
doloribus impletur vita malorum.1592.
dolor non eſt carnis ſed animæ.1626.
dolor miſcetur cum gaudio ſpirituali.1712.
dolor qñq; inuenit,& qñquæ inuenimus dolorem.
1032.
dolore plus debemus de peccatis aliorum,q̃ de pœ
nis noſtris.2126.
doloſitas eſt occulta perſecutio.49.
doloſus quis proprie dicatur.143.
doloſa lingua quid ſit oſtenditur.2251.
Vide dolus.
dolus quid proprie ſit.467.886.
dolos continue diabolus meditatur.921.
Vide doloſus.
dominium quilibet noſtrum habet.767.
dominatio proceſſit ex vitio.1690.
dominari an licite vnus alteri poſſit.1690.
dominium deſiderare qualiter ſit licitum.1737.
dominium non vult habere ſocium.2164.
Vide.dominus.
dominus & deus eſt Chriſtus.851.
dominus & rex iudeorum eſt Chriſtus.951.
dominus verus eſt ſolus deus.1430.2382.
dominus dicitur deus pater.32.
dominus dicitur pater & filius.82.
dominus proprie dicitur Chriſtus & non homo.
1633.
dominus dicitur quilibet iuſtus.2026.
dominis etiam malis ſeruire debemus.2288.
Vide dominium.
domus dei eſt multiplex.333.2360.
domus dei eſt eccleſia.374.777.
domus dei dicitur templum.421.
domus refugij quid eſt.437.
domus & tabernaculum qualiter differunt.691.
domus ſpeciei dicitur eccleſia.1060.
domus noſtra eſt conſcientia.1435.2377.
domus medium dicitur virgo Maria.1701.
domum glorię peccatores non intrant.2264.
dom⁹ cõſciẽtiæ quomodo ædificat deo.2272.2269.
domum in nobis qualiter deo parardebeemus.
2335.
domus noſtra eſt q̄ diligimus.2378.
domus noſtræ ſunt corpora noſtra.2379.
Vide habitatio.
dona ſpiritusſancti ſunt ſeptem.250.
dona ſpiritusſãcti per cõlũbam ſignificãtur.1238.
dona omnia ſpiritusſancti ſolus habuit xp̃s.2387.
donec multipliciter accipitur.815.
donec ſignificat æternitatem.1969.
dormitio dicitur mors.25.1485.
dormire dicit de⁹,& qualiter.125.145.197.513.547.
dormiẽte corpore vigilat aĩa,& ecõtrario.989.2103
dormiũt hic diuites,ſed vigilant in morte.1250.
dormiit xp̃s in nobis:qñ fides tepeſcit.2258.
Non dormit Chriſtus,neq;dormitat.2259.
dormit & dormitat omnis homo.2259.
Dormit & dormitat omnis homo.2259.
Dormire,obdormire,& dormitare qd ſint.2259.
Dormitat quis,& qualiter.2335.
Vide dormire.
Dorſum conuertunt peccatores ad Deum.241.
289.
Dotes beatorum ſignificantur per ſolem & lu-
nam.1545.
¶Draco ſignificat regnum Ægypti.1226.
Draco aſpis,leo,& baſiliſcus eſt Diabolus.1582.
Draco ſignificat iracundos.1582.
Draco dicitur cetus.1781.
Draco quid ſit oſtenditur.2573.
¶Ducere multiplex eſt.1380.
Ducit nos Chriſtus.1467.
Ductor noſter eſt Chriſtus.2110.
Dulcis & rectus eſt dominus.352.
Dulcedo diuinæ miſericordiæ.457.
Dulcia videntur peccata ſed ſunt amara.2138.
Dulcia amor facit omnia.2176.
Duodecim ſunt apoſtoli,& quare.411.
Duodenario numero ſignificantur omnes boni.
1238.
Duces eccleſiæ fuerunt apoſtoli.1077.
Dux noſter eſt Chriſtus.1386.
EBrietate ſignificantur gaudia beatorum.
560.
Ebrietas facit hoſtes vincere.989.
Ebrietas multa mala facit.1907.1348.
Ebrietas duplex,ſcilicet bona & mala.1020.
¶Eccleſiæ multa reuerentia debetur.43.1100.
Eccleſia habet diſtincta nomina.82.749.
eccleſia per lunam ſignificatur.85.1773.2261.
eccleſia ſignificatur p Syon.101.1128.1336.1351
1719.1724.2345.
eccleſia continet bonos,& malos.167.1780.
eccleſia dicitur tabernaculum.212.758.
eccleſia aduerſitatibus dilatatur.221.448.
eccleſia exaltatur multipliciter.249.
eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum.269.291.
eccleſia non ſemper exauditur ad votum.291.
eccleſia dicitur vnica.311.
eccleſia catholica dicitur magna.317.542.
eccleſia ſignificatur per terram.334.2163.
eccleſia fundata fuit aduerſitatibus.335.1606.
eccleſia eſt domus Dei.336.374.777.
eccleſia eſt duplex,alia bonorum, & alia malo-
rum.371.
eccleſia eſt ad benedicendum domino.378.
eccleſia dicitur atrium.412.
eccleſia vnita eſt capiti Chriſto.436.650.
eccleſia dicitur ciuitas Dei.461.758.772.1475.
Vtrum eccleſiam debemus credere, vel in eccle-
ſiam.893.
eccleſia deſponſata fuit à Chriſto.968.
eccleſia dicitur ſpeciei Domus.1060.
eccleſiæ duces fuerunt apoſtoli.1077.
eccleſia dicitur vinea.1371.
eccleſiæ dignitas oſtenditur.1381.
eccleſia deſtruitur à tribus.1383.
eccleſia dicitur torcular.1391.1431.
eccleſia quomodo differt à ſynagoga.1406.
eccleſia dicitur turtur.1433.
eccleſiæ fundamenta ſunt prædicatores.1474.
De eccleſia glorioſa ſunt dicta.1475.
eccleſiæ vnitas.1475.
eccleſiæ quare caput habent ad orientem.1636.
eccleſia inſulis comparatur.1655.
Eccleſia ſtabibiliter eſt fundata.1759.
eccleſiæ perſecutiones terminat Deus.1763.
eccleſia figuratur per arcturum.1756.1909.
Eccleſia dicitur ciuitas.1916.
eccleſia dicitur ager.1917.
eccleſia à gentibus primo fuit paſſa.2057.
eccleſia conſiſtit ex Iudæis & gentibus.2068.
eccleſia vſque in finem mundi durabit.2157.
eccleſia dicitur dies.2164.
eccleſia turbatur per multa.2275.
eccleſiæ cuſtodes ſunt prælati.2300.
eccleſia parit bonos & malos.2302.
eccleſia vxor eſt Chriſti.2307.
eccleſia conſiſtit ſolum in bonis.2312.
eccleſiam odit,qui fictè eccleſiam intrat.2315.
Extra eccleſiam non eſt ſalus.2358.
eccleſiæ poteſtas eſt in vita præſenti.2388.
eccleſia dicitur aduena.2545.
eccleſia dicitur Syon & Hieruſalem.2556.
eccleſia militans aliter laudat quam triumphans.
2559.
eccleſiæ portæ ſunt ſacramenta.2560.
eccleſia ſignificatur per organum.1593.
Vide Aduerſitas.Ancilla.Ciuitas.Dilatatio.Do
mus.Gentes.Nauis.Perſecutio.
¶Educit nos Deus multipliciter.2390.
Vide ducere.
Educere quid ſit.1345.
¶Aedifi care. domus conſcientiæ qualiter ædifica
tur Deo,& conſecratur.1272.
edificatur domus eccleſiæ Deo,& qualiter.2299.
egypto incepit ſtudium ſcientiæ.1810.
egyptus ſignificatur per Cham.1333.
egyptiorum ſubmerſio.1845.
emulari multa ſignificat & accipitur multiplici-
ter.566.
equalis Deo voluit eſſe Diabolus, ſed antichri-
ſtus maior.116.
equitas plus dicit quam innocentia.604.
Iudicare in æquitate quid eſt.1651.
Eſſe omnium creaturarum conſeruatur à Deo.
2431.2522.
etates habet corpus,& anima.2118.
etas hominis,& mundi multiplex.1156.944.
eternitas ſignificatur per hodie.14.
eternus dicitur Chriſtus.1715.
eternus eſt Deus.1728.
eternus eſt Dei filius.1730.
eternitas ſignificatur per ſeculum.2118.
etheus ſignificat accediam.1337.
ethiopum conuerſio ponitur.1172.
ethiopes ſignificant gentes.1226.1477.
ethiops ſignificat ignorantiam.64.
Edon idem eſt quòd Eſau:qui ſemper contrarius
fuit filiis Iſrael.2415.
¶Effari eſt exterius loqui.1611. Ef.
Effunditur multipliciter aqua,ſic & Chriſt⁹ mul-
tipliciter fuit effuſus.304.
Effundere cor qualiter debemus.985.
effuſio eſt multiplex.1185.
effundit Deus iram ſuam:& qualiter.1361.
effundere lachrymas ſemper debemus.2209.
¶Egeni ſunt diuites mali.509. Eg.
Egenus & pauper quomodo differunt.647.
Vide pauper.
egreſſo eſt multiplex & multorum.680.
Egreditur Deus contra hoſtes noſtros.968.
Egreſſus eſt Chriſtus per incarnationem.1065.

Egredi quid ſit oſtenditur. 1345.
Egreſſio dicitur locutio. 1489.
¶Electio multa debet habere. 1350.
El. Eligit Deus iuſtos ſola gratia. 227.
electio Dei & prædeſtinatio eſt duplex. 769.
electos ſuos Deus transfert: & qualiter. 1083.
eligitur quis à Deo multipliciter. 1013.
electorum à Deo ſignum ſunt aduerſa. 2159.
eligere debemus ſpiritualia non temporalia. 1441.
electio Dauid in regem oſtenditur. 1514.
eligit Deus quos vult, & reprobat. 1590.
electio Dei in nobis eſt cauſa meritorum. 1838.
electi Dei dicuntur gentiles. 1838.
electos ſuos congregauit Chriſtus ex gētib. 1878.
elegit Deus ab æterno bonos gratis. 2345. 2362.
electi ſunt quidam apud Deum & quidam apud homines. 2469.
eleemoſyna, ieiunium, & oratio ſunt partes ſatiſfactionis. 474.
eleemoſynam facere debet iuſtus. 484. 592.
eleemoſyna liberat in die iudicij. 674.
Eleemoſyna res datas conſeruat. 1203.
eleemoſyna debet fieri cum hilaritate. 1673.
eleemoſynam dare minus eſt quam dimittere. 1737.
eleemoſyna in peccato facta non valet. 1735.
eleemoſyna danda eſt prædicatoribus etiam non petentibus. 1768.
eleemoſyna omnibus eſt facienda. 18. 368.
eleemoſyna debet fieri humiliter, & læte. 1990.
eleemoſyna eſt merces æterna. 1993.
eleemoſyna ſtat in voluntate. 2295.
eleemoſyna ex cōpaſſione procedere debet. 197.
elementa renouabuntur in fine, & quomodo. 1749.
eleuabitur mons Syon ſuper omnes altos mōtes, & qualiter. 1474.
Vide aſcenſio.
eliſus quis proprie dicatur. 4544.
elongatur Deus à nobis. 1150. 1209.
Eloquia domini multipliciter ſunt vtilia. 147.
eloquium dicitur confeſſio. 3788.
eloquium Dei dicitur ſpirituſſanctus. 1808.
eloquium Dei eſt vita animæ,
eloquia Dei dicuntur cibus, & potus. 2276.
eloquia Dei multa ſpolia habent. 2235.
eloquium Dei dicitur filius Dei. 2562.
Vide verbum. loqui.
¶Enoch & Helias contra Antichriſtum venient, & prædicabunt. 126.
¶Ephraim tribus præ aliis aſpirabat ad regnum Iſrael, & quare. 1289.
ephraim ſignificat bonos. 2182.
epiſcopus per coruum ſignificatur. 318.
epiſcopatus omnes alios ordines continet. 318.
epiſcopatum deſiderare qualiter ſit licitum. 1736.
epiſcopatus eſt nomen laboris. 1944.
Vide prælatus.
Epithalamium quid ſit. 735.
equus ſignificat luxurioſos. 275.
equus multa ſignificat. 1251. 2557.
equus amorem magnum habet ad dominum ſuū 2120.
equus ſignificat ſuperbiam. 2557.
¶Errare an vtero, eſt factis vel verbis contradicere conſcientiæ. 930.
errat quis multipliciter. 1884.
Errauerunt filij Iſrael in deſerto quadraginta annis. 1884.
Eriguntur à deo humiles. 2530.
Eripit nos Deus multipliciter. 1142. 1149.
Erubeſcere ſignum eſt interioris verecūdiæ. 344.
Erubeſcere quid proprie ſit. 1096.
Eruca ſignificat luxuriam. 1623.
Eructare quid ſit. 735. 2244.
Eructare idem eſt quód docere. 2522.
Erudit nos Deus multipliciter. 1619.
eruere quid propriè ſit. 643.
erugo eſt quidam ventus vrens. 1328.
erumna quid eſt, & vnde dicitur. 469.
¶Eſca inordinata multa mala facit. 1311.
eſca qua Diabolus fuit captus, fuit Chriſti caro. 2500.
Vide cibus. euchariſtia.
eſſe proprie ſoli Deo conuenit. 1552. 2108.
eſſentia dicitur vterus Dei. 1921.
¶Euchariſtia. per ſacramentum euchariſtiæ nobiſcum ſemper eſt Chriſtus. 317.
euchariſtia ſatiat digne ſumentes. 318.
euchariſtia eſt memoria dominicæ paſſionis. 319.
euchariſtiam digne quis ſumit. 322.
euchariſtia dicitur menſa. 330.
euchariſtia qualiter conſecratur. 331.
euchariſtiæ ſacramentum tractatur. 416. Et per totum pſal. 33.
Euchariſtiæ multiplex eſt vtilitas. 505. 506. 507. 1981.
euchariſtiam volens ſumere qualis accedere debet. 505.
euchariſtia fidem continet, & nos facit exaudire. 506.
euchariſtia continet ſpem. 507.
euchariſtia continet charitatem, quæ ſatiat. 508.
euchariſtia dicitur teſtamentum Chriſti. 814.
euchariſtia eſt oblatio Deo accepta. 818.
euchariſtia eſt ſacrificium laudis. 823.
euchariſtiam indigne conſecrans, & aſſumens in quo magis peccat. 824.
euchariſtia dicitur via ad cælum. 832.
euchariſtiam dedit Chriſtus Iudæ in cœna. 890.
euchariſtia per adipem ſignificatur. 994.
euchariſtia quare ſub duplici ſpecie datur. 1019.
euchariſtia dicitur frumentum. 1179.
euchariſtiæ cibus oſtenditur. 1405.
Euchariſtia requirit pulchritudinem mentis, & cordis. 1647.
euchariſtia dicitur magnificentia. 1647.
euchariſtia dicitur hoſtia. 1649. 589.
euchariſtia figuratur per manna. 1979. 1305. 1306.
euchariſtia bonis eſt ad ſalutem malis ad iudiciū. 1979. 1984.
euchariſtia multa continet. 1679. 1980.
euchariſtia multa miranda continet. 1980.
euchariſtia continet veram Chriſti carnem. 1981.
euchariſtia dicitur mandatum cōfirmatum. 1982.
euchariſtia ſemper continet quod figurat. 1982.
euchariſtia dicitur teſtamentum, & eius inſtitutio. 1983.
euchariſtia dicitur eſca. 2464. 1114.
Euæus ſignificat acediam. 1337.
eufrata ſignificat legem, & prophetas. 2337.
euge multa ſignificat. 549. 670.
euge quid ſit oſtenditur. 1134.
Euangelium. vide Lex noua.
euangeliſtæ per animalia figurantur. 1058.





Exacerbare Deum quid ſit. 1322.
Exacerbare ſermones, eſt ꝓmiſſa non facere. 1816.
exaltatur Deus à nobis & qualiter. 69. 421.
exaltabatur Diabolus ante aduentum Chriſti. 152.
exaltatus fuit Chriſtus per paſſionem. 290.
exaltamur in Chriſto, quando beatificamur. 389.
exaltauit Chriſtus patrem. 421.
exaltat Deus bonos. 1242.
exaltatus fuit Chriſtus ſuper omnes rationes humilitatis. 1664.
exaltatus fuit Chriſtus in reſurrectione. 1928.
exaltat Deus humiles. 2001. 2530.
exaltatio ſignificatur per ſedere. 2301.
exaltatur Deus & Chriſtus multipliciter. 2516.
exaltatus dicitur Deus. 2578.
exaltabuntur iuſti in futuro. 2579.
exaltantur aliter manſueti: & aliter ſuperbi. 1584.
exaltatur eccleſia multipliciter. 149.
exaudire orationem quandoque Deus differt, & quare. 65. 516. 750. 1495.
exaudit Deus iuſte petentes. 74.
exaudita fuit omnis oratio Chriſti. 190.
Non ſemper exauditur eccleſia ad votum. 291.
exaudit Deus orentes deuote. 294.
exaudiri nos facit fides. 506.
exaudiri nos facit euchariſtia. 506.
exaudit Deus iuſtos ad vtilitatem. 514. 515.
exaudiri orationem faciunt multa. 624.
exaudit Deus quandoque orationem non ſibi placitam. 876
exaudiebantur martyres, quando occidebantur. 999.
exauditur oratio pura. 1109.
exaudit Deus poſtulantes diuerſimode. 1310.
exauditur quis ad malum ſuum. 1311.
Quæ oratio meretur exaudiri, & quæ non. 1583.
exaudiri facit orationem obſeruatio præceptorum. 1685.
exaudire orationem aliud eſt, & aliud eſt audire. 1703.
exaudita non fuit omnis oratio Chriſti. 1703. 1431.
exaudit Deus orationes priuſquam fiant. 1872. 2465.
exauditus fuit Chriſtus clamans. 2250.
exauditur oratio inſtans. 2347.
exaudibilis oratio multa requirit. 2461.
Non ſemper exauditur oratio iuſtorum. 2541.
Vide Oratio, Confidentia, Reſpicere, Humilitas.
¶Excelſus dicitur Chriſtus multipliciter. 1679.
excelſus quid eſt. 1998.
excelſus multipliciter dicitur Deus. 1968. 2725.
excelſus quid ſit. 2039.
excelſus fit dupliciter 2039.
excuſatio peccati Deum accuſat. 1240.
excuſantes malos ſunt inimici Dei. 2408.
excuſat ignorantia peccatum, & qualiter. 2533.
excuſatio peccati peccatum aggrauat. 553.
excuſſores dicuntur prophetæ. 2303.
execrare quid eſt. 906. 951.
exempla efficacius promouent, quam verba. 864.
exempla virtutum ſanctos illuminant. 873.
exemplis bonorum ad virtutes accendimur. 1249. 1394.
exempla Chriſti nobis relicta dicūtur ſcapulæ Chriſti. 1573.
exemplum fidei fuit Abraham. 1745.
exemplum humilitatis & obedientię fuit Abraham 1798.
exemplum patientiæ fuit Iſaac. 1798.
Exempla ſanctorum dicuntur conſilium. 1976.
Exempla Chriſti ſunt via teſtimoniorum Dei. 2089.
exempla dicuntur greſſus noſtri. 2206.
exempla virtutum dant nobis animalia bruta. 2218.
Exemplis ſuis ſancti auxilium nobis præſtant. 2256. 2264.
exemplum multarum virtutum dedit nobis Dauid. 2447.
exemplum vitę nobis fuit Chriſtus. 1666.
exequiarum pompa mentitur. 1830.
exhortatur nos Deus ſimul, & minatur. 2521.
exinanire quid eſt, oſtenditur. 2419.
exitus eſt multiplex. 2002.
exit peccator de Aegypto per pœnitentiam. 2002.
exitus matutini quid dicitur. 1017.
expandit Deus manus multipliciter. 2490.
expandit Chriſtus multa pro nobis. 1490.
expectat Deus peccatores, vt conuertantur. 75. 484. 1255.
expectare Deum eſt credere quòd non fallit. 398.
expectare ſignificat multa. 601.
expectare quid ſit. 650.
expectare idem eſt quod ſuſtinere. 2323.
expellere Dei idem eſt, quòd damnare. 50.
experientia Chriſtus didicit, quæ non ſciebat. 180.
exprobratio eſt multiplex. 724.
exprobrare quid ſit. 1549.
exprobrant nobis verbum infideles. 2116.
exquirere Deum quid ſit. 504. 1286.
exquiritur lex in præſenti: ſed in futuro tenetur. 2108.
extaſis quid ſit oſtenditur. 1349.
extaſis eſt mentis exceſſus. 436.
extendit Deus apoſtolos ſicut pellem. 1756.
exterminare quid eſt. 574.
exultatio differt à lætitia. 92. 443.
exultare ſimul nullus poteſt in Deo, & in mundo. 155.
exultare debemus in aduerſis. 257. 2007.
exultare in Deo quid eſt. 480. 531.
exultauit in Deo anima Chriſti. 531.
exultare debemus in præſenti. 671.
exultatio cordis quid ſit. 1038.
exultare Chriſto quomodo debemus. 1631.
exultauit omnis creatura ad præſentiam Chriſti. 1652.
exultant in diuerſis boni & mali. 2585.
exurgit Deus & qualiter. 145. 197. 534.
Exurrexit Chriſtus per incarnationem. 1716.
FAbricant mali, & qualiter. 2314.
Fabricii fidelitas oſtenditur. 1372.
Fabula eſt multiplex. 2158.
Fabulis poetarum prædicator vti non debet. 2158.
facit aliqua Deus dupliciter. 324.
facere quid eſt, & quid creare. 488. 2572.
facere bonum, efficaciter nobis Chriſtus dedit exemplum. 864.
facit omnia Chriſtus, vt verbum. 1646. 1178. 2572.
facere quandoque dicitur ſcire, & non facere neſcire. 2101.
facere bonum timore pœnæ, peccatum eſt. 2108.
facere debemus bona, quæ cognoſcimus. 2146.
facere mandata minus eſt quam diligere. 2232.
Aliud eſt facere mandata & aliud diligere. 2240.
facientes & conſentientes pari pœna puniuntur. 2240.
facies dicitur Chriſtus. 150. 1374. 2208.

Faciei Chriſti multiplex vtilitas.150.
facies noſtra eſt mens noſtra 168.
facies Dei dicitur eius notitia.339.
facies hominis duplex.ſ.interior & exterior.391.
facies Dei dicitur eius dilectio.392.
facies Dei dicitur fides,& lumen gloriæ.454.
facies dicitur verbum.459.
facies differt à vultu.515.
facies dicitur incarnatio Chriſti.689.844.
facies Dei dicitur eius miſericordia.732.
facies qualiter eleuatur ad Deum.993.
facies mentis quid dicitur.1039.
facies Dei dicũtur Iudæi.1514.
facies Dei dicitur eius clara viſio.2131.
facies Dei dicitur effectus ſuæ bonitatis.2208.
facies peccatorum ſumere,quid eſt.1407.
factura Dei dicitur homo.1589.
factus Chriſtus dicitur multipliciter.1551.1965.
factus refugium noſtrum, quomodo dicitur.1629.
factus eſt Deus ſalus noſtra,& quomodo.2061.
falce ſignificatur vltimum iudicium.2414.
falſitas nulla debet in confeſſione dici.1834.
famam ſuam durare homines conantur.798.
famam alterius tollens ad reſtitutionem quomodo tenetur.828.
fama, laus, honor, & gloria quomodo differunt. 1792.
famam ſuam nullus negligere debet.1938.
fames ſignificat deſiderium.585.
fames eſt duplex:ſcilicet corporis & mentis.944.
fames eſt multiplex.1805.
fame moritur auarus.2512.
fato non regitur mundus.91.
fatum neceſſitatem nobis non imponit.2469.
fauo mellis ſcriptura ſacra comparatur.2176.
¶Fœcũdatæ fuerunt mirabiliter multæ mulieres ſteriles.2002.
felle vinum mixtum bibit Chriſtus.1114.
¶Felicitas. Ad felicitatem via,ſunt aduerſa.1807.
felicitas hic haberi non poteſt.2267.
felicitas terrena dicitur tabernaculum.2334.
felicitas non eſt in filiis.2510.
felicitas nõ eſt in bonis temporalibus.2515.2514.
felicitas non eſt in diuitiis.2512.
Vide beatitudo.
feneſtræ noſtræ dicuntur affectiones noſtræ.751.
feno tectorum comparantur peccatores.2316.
fenum ſignificat omnia temporalia.2555.
feræ arundinis dicebantur Romani 1080.
ferus ſingularis quis dicatur.1384.
ferrum dicitur Chriſtus.945.
ferrei vectes dicuntur dæmones,& contradictiones. 1896.
feſta Chriſti quatuor principaliter celebrãtur.1024.
feſta Iudæorum qualiter celebrantur.1115.
feſta Iudæorum oſtenduntur.1220.1393.
feſtus dies qua hora incipit.1220.
fetorem viciorum mali non ſentiunt.2015.
fetoſus quid ſit.2513.
¶Ficus diſſipatæ ſunt hypocritæ.1829.
fictus amicus multum nocet.907.
fidelis quomõ dicitur Deus nobis, & nos Deo.483.
fideles per capillos ſignificantur.666.
fidelis dicitur Chriſtus.1471.
fideles ſunt multiplicati per mortem Chriſti.1812.
fideles exultant in pœnis.2007.
fideles cur dicuntur ſerui,cum ſint filii.2274.
fideles conuerſos magnificat Deus.2290.
fideles omnes ſignificantur per Iſrael.2377.
Fidelis & verax dicitur Deus.2529.
Fideles omnes ſunt filii Abraham & Iſrael.250.2580.
Vide fides.
fides dicitur ſcutum.53.
fides receperunt gentes per apoſtolos.95.
fides facit orationem exaudiri.174.506.
fides in homine creſcit paulatim.222.
fide Chriſti omnes ſaluamur.377.
fides,& aliæ virtutes dantur in baptiſmo.379.
fides Chriſtum nobis abſcondit.388.
fides dicitur fortitudo.420.
fides quomodo manet in beatis.436.
fidei multiplex vtilitas.505.
fides liberat.506.
fidẽ apoſtolorũ reformauit reſurrectio Chriſti.731.
fidei articuli tractãtur. vide Articulus.
fides circa quæ verſetur oſtenditur.776.
fides mundat corda noſtra.843.
fidem conatur diabolus nobis tollere.
fides data ſeruari debet.1339.1372.
fides gentibus prædicatur.1644.
fides Chriſti ſemper fuit neceſſaria ad ſalutẽ.1683.
fides non innititur rationibus naturalibus.1795.
fides tria requirit.795.
Fidei ſapientia ſignificatur per aquam.1915.
fide carens martyr eſſe non poteſt.2038.
fides eſt vita animæ.2092.
fides habet gradus.2092.
fides humilibus datur.2159.
fides eſt principium verborum Dei.44.
fides quando tepeſcit,tunc Chriſtus dormit in nobis.2268.
fidei myſteria malis non ſunr prædicanda.2411.
fidem perdit mala vita.2416.
fidei obſcuritas nobis eſt vtilis.2554.
fide fortes dicuntur iuuenes.2578.
figmentum dicitur fomes peccati.1744.
figmentum ſcripturarum nubes dicuntur.2554.
figuli vas dicuntur eſſe mali.16.
¶Filius. Qui dicantur filii hominum.31.928.
filius hominis ſignificat iuſtos.86.
filius hominis dicitur Chriſtus.91.1376.
filius punitur pro peccato patris.200.1750.
filiis non proficiunt mores parentum.1285.
filij iræ naſcimur omnes.1494.
filios ſuos patres corrigere debent.1531.
filij ſanctorum dicuntur omnes iuſti.1731.
filij noſtri dicuntur opera noſtra.1731.1748.
filius magis amatur à patre quam ecõtrario, & quare.1744.
filij filiorum dicuntur præmia debita operibus noſtris.1748.
filios ſuos diabolo immolabant filij Iſrael.1868.
filios ſuos occidere eſt ſumma crudelitas.1869.
filij Iſrael ſubditi fuerunt gentibus multoties.172.
filii Iſrael errauerunt quadraginta annis per deſertum.1884.
filii dicũtur diſcipuli, ſed doctores ſunt patres.2024.
filios Dei nos faciunt fides & pax.2024.
filius hominum dicitur quilibet peccator.2025.
filius prodigus ſignificat populum gentilium.2884.
filiorum amor oſtenditur.2186.
filius vel puer quis dicitur.2206.
filiorum mortis conſolatio.2210.
filius & ſeruus dicitur Chriſtus.2401
filii ſuccedunt patribus,ſi bene faciunt.2343.
filij noſtri dicuntur ſpes noſtra.2343.
filijs Iſrael ſemper inimicabantur filij Edon.2435.
filii ſequuntur mores parentum.2417.
Fili



Filiorum Dei duplex eſt generatio.2519.
Filij Abrahæ,& Iſrael ſunt omnes fideles.2586.
Filium non poteſt pater impedire à ſeruitio Dei. 2586.
filius Dei dicitur dextera.23.
filius Dei dicitur manus Dei.285.2505.
filius Dei & pater ſimul producunt ſpiritum ſanctum.485.
Circ a filiũ Dei Arrius multipliciter errauit.787.
Filius Dei per ſaphirum ſignificatur.791.
filius Dei dicitur ſapientia Dei.1778.
filius Dei omnia fecit.1778.
filius Dei dicitur auris Dei.2030.
filius Dei,& ſeruus dicitur Chriſtus.2401.
filius Dei ſolus dicitur redemptor noſter.2403.
filius Dei dicitur eloquium Dei.2562.
filius Dei dicitur æternus.730.
Vide incarnatio.
fimbria ſignificat vitæ finem.749.
finis accipitur multipliciter,& ſignificat Chriſtũ. 26.124.150.636.650.
Finem ſuum quilibet ignorat.889.1559.1890. 2486.
finem omnium Deus videt.1637.
fines terræ dicuntur eſſe gentes.1634.
finis omnis conſũmationis dicitur Chriſtus.2169
fines terræ dicitur homo.1672.
finem laus Dei non debet habere.2518.
Vide fimbria.
firmamentum noſtrum dicitur Chriſtus.1141. 1179.
firmamentum ſignificat euchatiſtiæ ſacramentũ. 1179.
firmamentum, quod dicitur cœlum, eſt duplex. 2590.
Vide fortitudo.
Fl. ¶Flagella hic ſuſtinent iuſti & pœnas.645.
Vide aduerſitas.pœna.
flamma ſignificat libidinem.417.
floris more egreditur homo,& fugit velut vmbra 1714.
flori vita præſens comparatur.1556.
fluctus ſignificat ſuperbiam.1016.
fluctus multa ſignificat.1487.1905.
fluctus ſignificat perſecutiones.1605.
flumen ſignificat mundi potentes.335.
fluuius ſignificat ſacram ſcripturam.758.
fluuius dicitur vita præſens.1019.1604.2407.
fluuius Iordanis fuit principium regni Chriſti. 1171.
fluuius ſignificat prædicatores.1227.
fluuius ſignificat baptiſmum.1524.
flumina ſignificant apoſtolos.1676.
flumina Babylonis quid ſignificant.2497.
Fo. ¶Folia ſignificant verba.4.
fomes peccati dicitur figmentum.1744.
fomes peccati ex originali peccato ꝓceſſit.1891.
fontes Iſrael dicuntur apoſtoli.1075.1764.
fontes quomodo poſſunt oriri ex terra.1764.
fons miſericordiæ dicitur Chriſtus.2500.
fons peccati eſt oculus.2194.
formidare quid ſit.1528.
formica nobis datur in exemplum.1467.
fornicatio eſt duplex, ſcilicet luxuriæ & idololatriæ.157.1209.1870.
forſitan quomodo dicitur de Deo.1403.
forſit an idem eſt quòd an putas.2281.
fortes dicuntur mundi diuites.940.
fortificatus fuit Iſrael in Ægypto,& qualiter.1812
Fortificatur quis dupliciter.2432.
Fortificati fuerunt apoſtoli.2443.
fortes in fide dicuntur iuuenes.2578.
Vide fortitudo.
Fortitudo ſignificatur per cælum,quod dicitur firmamentum.158.253.
fortitudinem cauſat timor.358.
fortitudo plebis eſt Chriſtus.499.
fortitudo dicitur fides.420.
fortitudo noſtra eſt Deus.439.
fortitudo Dei eſt ſupra cor hominis.955.
fortitudo ſignificatur per Aaron.1277.
fortitudo & patientia Chriſti.1281.
fortificat nos conſideratio Chriſti.2004.
fortior quis poſt peccatum reſurgit per pœnitentiam.2061.
Fortitudo iuſtorum eſt Deus.2061.
Fortitudo animæ & corporis dicit̃ ſaluatio.2219.
Fortitudo ſignificatur per oſſa.2441.2473.
fortitudo patientiæ latet intus.441.
fortuna vel fato non regitur mundus.91.
fortuna dicitur vitrea,quia fragilis.575.
fortuna vt rota faciliter vertitur.586.
Vide Fatum.
fouea ſignificat mortem.921.
fouea eſt malis ipſorum proſperitas.1620.
fouea dicuntur vulnera Chriſti.1620.
¶Fragilitas peccatum minuit.1543.
fragilitatis noſtræ conſideratio nos debet humiliare.1783.
framea dicitur Chriſtus.197.
framea dicitur verbum Dei.524.
framea ſignificat mortem.311.
frater noſter dicitur Chriſtus.313.
fratres ſunt multiplices.1099.
fraudulentus differt à doloſo,& inſidioſo.143.
fremere quid ſit.8.540.
frigidus erat Dauid ex multis, & calefieri non poterat.158.636.
frumentum ſignificat euchariſtiam.1179.
frumentum dicitur Chriſtus.1179.
¶Fugit quandoque Chriſtus,& quare.888.1959.
fugere quomodo quis poteſt à Deo.1048.2433.
fugit peccator,quando conuertitur.1622.
fugere prælato quomodo licet.1707.2481.
fugiens peccatum vnum in aliud cadit.2201.
fuga eſt duplex.2481.
Fugere à Deo ad Deum,quõ quis poteſt.2445.
Fulgura ſignificant miracula.215.1658.2504.
fulgur quid ſit oſtenditur.2365.
fumigare idẽ eſt,quòd conteri & humiliari.2503.
fumus ſignificat orationem.209.
fumus ſignificat ſuperbiam.1049.1706.
fumus ſignificat contritionem.1786.
fundamenta eccleſiæ ſunt apoſtoli & prophetæ. 216.2416.
fundamentũ eccleſiæ dicitur Chriſtus.336.1374. 2415.
fundamenta eccleſiæ ſunt prædicatores.1474.
fundata fuit à Chriſto virgo Maria.1428.
fundata eſt eccleſia ſtabiliter,& qualiter.1759.
fundatur terra ſuper aquas & quomodo.2385.
funes dicuntur ſortes.179.
funes multa ſignificant.2134.
funes dicuntur peccata.2456.
funiculus dicitur menſura.1337.
fur proprie dicitur Diabolus.827.
fur erat Iudas.1947.
furor & ira quomodo differunt.12.
CCc 3 Furo

futura per modum præteriti quare dicunt prophe tę.2137.
GAlaad ſignificat martyres.964.
Garrulitas quædam eſt bona.2090.
Gaudent beati de pænis dãnatorum. 407.322.
Gaudium ſequitur poſt triſtitiã.4€4.
gaudium in præſenti vita non debemus querere. 6171.841.
gaudium eſt multiplex.821.
gaudium ſpirituale dolore,miſcetur.1712.
gaudium beatorum eſt ſecundum menſuram tribulati.2292.
gaudium noſtrum de ſolo Deo debet eſſe.1517.
¶gebal.per gebal ſignificantur crudeles.1419.
gedeonis bello ,ad bellandum ſperitu docemur. 234.
gedeonis ſignum in vellere poſtulauit,quid ſignificet.1225.2423.
gemitus fit corde,ſed voce rugitus.616.
Vide plangere.
generatio ſpiritualis fit per fidem.323.
generatio ſperitualis generat fęminas ſicut mares. 750.
generatio quid dicatur.128.1370.
gene atio hominis eſt multiplex.1202.
generatio altera dicitur generatio ſpiritualis.1482. 1721.
generatio eſt duplex.1270.1448.1504.2371.
generationis ſpiritualis modus ponitur.2330.
generationes à principio vſque ad legem viginti ſex fuerunt.2391.
generatio eſt duplex veteris teſtamenti. 2519.
generatio eſt duplex filiorum dei.2519.
gentes per apoſtolos ſunt conuerſæ.15.
gentium ſuperbiam ſignificat cedrus.415.
gentibus quomodo iudęi ſunt poſiti in ſimilitudinem.723.
gentes ſignificantur per deſertum.1022.
gentes ſignificantur per terram.1026.1056.
gentium conuerſio prædicatur.1172.
gentes per mare ſignificantur.1225.1509.1524.
gentes ſignificantur per ioſeph.1271.
gentium conuerſio.1465.1509.
gentes figurantur per Raab.1476.
gentes ſignificantur per Babyloniam.1479.
gentes ſignificat Æthiops.& tyrus. 1477.
gentium perſecutionem ſignificat fluctus.1605.
gentes ſignificantur per fines terræ.1634.
gentibus fides prædicitur.1644.
gentes dicuntur electi Dei.1838.
gẽtibus multoties filij iſrael ſubiecti fuerunt.1872.
Ex gentibus congregauit deus electos.1979.
gentes eſuriebant verbum Dei.1893.
gentes receperunt gratiam dei.1813.
gentibus per apoſtolos ſeminatum fuit verbum. dei.1917.
gentes prius ſteriles fæcũdatę fuerunt.2002.
gentes debent laudare Deum.2046.
gẽtibus facta eſt miſericor.ſed iudæis veritas.2040.
gentes primo perſequebantur eccleſiam.2057.
De gentibus vlta eſt eccleſia ipſas conuertendo. 2057.
Ex gentibus &iudæis conſtat eccleſia.2068.
gentes chriſti miraculis illuminantur.2203.
Vide gentilis.
gentiles ſignificantur per diluuium.419.
gentilium conuerſio ponitur.1067.
gentiles melius xpm cognouerũt quam iudæi.1682
gentili peior eſt iudęus.2085.
gentiles dicuntur campi ſyluę.2337.
gentiles ſignificat filius prodigus.2429.
gentiles figurantur per coruum,2556.
Vide gentes.
genua ſoli deo curuare debemus.322.
genua primo ſentiunt debilitatem corporis.1960.
genua Chriſti dicuntur apoſtoli.1960.
gerere aliud eſt & aliud portare.223.
gladius ſignificat ſcripturam ſacram.76.526.738. 945.
gladius ſignificat Chriſtum.77.945.
gladius ſignificat pænam.712.96.576.
gladius ſignificat poteſtatem.725.1541.
gladius ſignificat rebelles.1248.
gladius ſignificat tentationem.1145.
gladius duplex bonus & malus.2508.
gladius multa ſignificat.2508.
gladius bis acutus dicitur ſcriptura ſacra.2586.
¶gloria ſequitur pænam.397.
gloria bonorum operum Deo debet dari.412,
gloriæ lumen dicitur facies Dei.454.
gloria iuſtorum conſiſtit in multis.479.860.
gloriam propriam nullus querere debet ſed Dei. 502.
gloriam ſuarum virtutum quomodo quis publicare poteſt vel querere.
gloria iuſtorum differt à gloria hypocritarum.649. 502.
gloria acquiritur per aduerſa.984.
gloriam de malo nullus debet habere.1216.1610.
gloria quid ſit & quid honor.1748.
gloria,honor, laus & fama differunt.1792.
in gloria,& in cruce ſedit Chriſtus.1968.
gloriam meretur humilitas.2034.
gloriam meretur paſſio.2041.
gloriam ſibi querere de bonis eſt lingua doloſa. 2251.
gloria malorum comparatur feno tectorum.2316.
gloriam meretur duplex humilitas.2403.
gloriam chriſti prædicat omnis creatura.2526.
gloria malorum eſt in laudibus hominum.2585.
gloria bonorum ſtat in conſcientia.2585.
Vide gloria ęterna.
gloriam Chriſtus in reſurrectione accepit, & quomodo.282.
gloria æterna figuratur per vnum.385.
gloria æterna dicitur ciuitas.471.
gloria ęterna acquiritur per aduerſa.700.2033.
gloriam ęternam habuiſſet homo ſine mortę ſi nõ peccaſſet.1012.
gloriæ conſideratio non habitæ contriſtat.1252.
gloriæ conſideratio multa bona facit.1431.
gloriam non meremur de condigno.1442.
gloriam dat chriſtus.1442.
gloria per mare ſignificatur.1566.
gloria angelorum augetur per homines.1567.
gloria æterna ſignificatur per dexteram.1576.
gloria æterna ſignificatur p lõgitudinẽ dierũ.1585.
glorię amor,& timor pęnę à pec.nos p̃ſeruãt.1668.
gloria ęterna ſigr̃ p hier. 1724.24.226.2286.2548.
gloria ęterna dicitur annus.2727.
Circa gloriã peccatum in tribus facit errare.1743.
gloriam ęternam ſignificat terra,promiſſionis.1832. 1814.1858.
gloria æterna ſignificatur per atrium.2045.
Ad gloriã nos inuitãt ſancti ſuis exemplis.2264.
gloriam peccatores non intrant.2264.
gloria æterna dicitur turris.2170.
gloria æterna dicitur menſa.2308.
gloria æterna dicitur Sion & Hieruſalem.2310.

gloriam



Gloriam nos habituros dubitare debemus. 2346.
Gloriæ domus qualis ſit oſtenditur.2360.
Gloria æterna omne bonum continet, & nullum malum.2514.
Gloria ęterna datur gratia,non meritis. 2496.
Gloriæ cæleſtis pulchritudo oſtenditur.2527.
In gloria æterna erit vere pax, quæ in præſeni haberi non poteſt.2561.
Vide gloria.
gloriari de malo,ſumme diſplicet deo.853.1610.
glorificare quid ſit oſtenditur.1465.
glorificat deum datio legis.1507.
glorioſa de eccleſia prædicta fuerunt.1475.
Ho. ¶ Goliæ bellum & dauid ponitur.1499.
Ho. ¶ Gradus eccleſiæ ſunt tres,ſcilicet virginum, continentium,& coniugatorum.750.
graduales pſalmi quare ſic dicuntur. 2550.
grando ſignificat malos.1329.
Grãdinis aqua terram facit ſterilem,& quare.1330.
¶ Gratia figuratur per aquam 3.1019.1913
Gratia eſt duplex,ſcilicet præueniens& ſub ſequẽs. 280.
gratia dei eſt finalis perſeuerentia 332.
gratia dei dicitur pulchritudo.344.
gratia dei quandoque præcedit benedictionem, quandoque ſubſequitur.338
gratia in confirmatione data an ſit maiorquàm baptiſmi.414.
gratia tanto eſt maior quantodatur indigniori.1462
gratia non meritis homo deo fuit vnitus.947.
gratiæ bona ſunt vera bona.1014.
Gratia ſignificatur per pluuiam.1057.
Gratia facit vmbram.1062.
gratia dei præuenit nos.1363.2204.
gratia dei nos regit.1401.
gratia Chriſti dicitur benedictio.1437.
gratiam dat Chriſtus pro gratia.1442.
gratia dei dicitur ſplendor.1569.
gratia dei dicitur ſcutum.1574.
gratia dei ſignificatur per deum.1587.
gratiam quãdo deus nõ apponit,tunc reuocat à bonis.1727.
Gratiam dei timor acquirit.1747.
gratia datur humilibus.1764.
Gratia ſignificatur per oleum.1770.
Gratia remota,prædicatio non proficit.1783.
Gratia dei priuati fuerunt Iudæi.1913.
Gratiam gentes receperunt.1915.
Gratia requiritur ad implendum mandata.2082.
gratia merita participat.2136.
gratiam inuocare debet prædicator.2137.2299.
Gratia & voluntas ad meritum requiritur.2185.
gratiæ tempus dicitur matutinum, ſcilicet diluculum.2221.
gratia ſpirituſſancti dicitur vnctio.2352.
gratia dicitur ros.2353.
gratia anima carens dicitur terra ſine aqua. 2490.
Gratiarum actio nobis eſt neceſſaria.482.
gratiarum actio eſt,deum benedicere. 502.
gratiarum actio quid ſit oſtenditur.771.1550.
gratiarum actio debet fieri trinitati,912.
gratiarum actio qualiter debet fieri oſtenditur. 923.1291.
Gratias deo agere quantum deo placeat, oſtenditur.1291.
gratiarum actio ſignificatur per Iudam.1322.
gratiarum actio debet fieri cum lętitia.1673.
gratiarum actio fit dupliciter.1924.
Vide ingratitudo.
Quid ſit odire gratis.1093.2255.
Gratis perſecuti fuerunt iudæi chriſtum.2234.
gratis aliquos diabolus perſequitur,& aliquos nõ gratis.2234.
Gratis nos elegit deus.2345.2362.
gratulor ſignificat duo.550.
grauitas triplex eſt.30.542.
Grauitas eſt duplex,ſcilicet bona & mala.2757.
Græcorum error circa ſpiritum ſanctum ponitur. 485.
Greſſus dicuntur principia meritorum. 589.
greſſus mentis charitate diriguntur.2206.
Greſſus noſtri dicuntur opera noſtra, & exempla. 2206.
grues qualiter vigilant ad cuſtodiam.990.
¶ Gubernat deus omnia:& regit ſuperiora & inferiora.2574.
guloſi dicuntur ſupulchrum.1312.
guloſi per Philiſtęos figurantur.1419.
gula generat luxuriam.1861.
guttæ ſpecies ſignificat humilitatem. 744.
HAbent aliqui diuitias: aliqui habentur ab eis.1988.
habitat deus in ſanctis ſuis. 11. 101. 136.293.
habitare & inhabitare differũt:& qualiter.1129.
habitatio iudæorum duplex ſtat deſerta.1118.
habitatio chriſti quid dicatur.1247.1065.
habitat quis in adiutorio dei,& qualiter.1570.
habitat deus in bonis,& non in malis.2268.
habitare in cælis ſpes nos facit.2278.
habitans in deo,habitatur à deo.2338.
hamus quomodo à chriſto captus fuit diabolus,oſtẽditur.2500.
¶ hædus ſignificat luxuriam.840.
hælias & Enoch perdicabunt contra Antichriſtum. 126.
helias non eſt mortuus,ſed morietur.1546.
helias verbo ſuo clauſit cælũ,& aperuit. 1913. 1914.
heliſeus ſignificat Chriſtum.1154.
heman idem eſt quod Aman.1481.
heman dicitur iſraelita ,& ezraita, & quare.1481.
herbę,& flori comparatur vita præſens.1576.
herba ſignificat iuſtos.2555.
hæreditas chriſti ſunt fideles conuerſi.178.410.
hæreditas eſt multiplex.974.
hæreditas dei dabitur ſanctis.975.
hæredes alicuius illum deſiderant mori.1333.
hæreditas dei erant iudæi.1356.
hæreditas dei.ſ.ſancti,ſemper laudant deum.1838.
hæreditas eſt duplex,ſcilicet adæ & Chriſti.2784.
hæretic⁹, pceſſ⁹ doctrinę hęretiorũ oſtẽdit i pœmio
hæretici debent cõuinci par ſenſum literalem. 8.
hæretici per principes intelliguntur.340.
hæretici contra eccleſiam pugnant.382.
hęretici maximè peccant.863.
hęreticorum contentio,& ſuperbia oſtẽditur.1920.
hęretici odiunt pacem.2255.
hermon mons ſignificat Chriſtum.695.1513.2353
herodius idem eſt quod falco.1772.
herodius ſignificat ſuperbos & rapaces.1772.
¶ hyacinthus ſignificat reſurrectionem.875.
hyades ẽ q̃dã cõſtellatio,& ſignificat doctores. 7159
¶ hieruſalem deſtructio.1671.1118
hieruſalem dicitur vertex capilli.1070

Hypo

Hypocritarum in quibus conſiſtit gloria.749.
Hypocritarum vana confidentia.793.
Hipocritæ falſam habent ſtatheram.986.
Hypocriſis facit cor eſſe curuum.1288.
Hypocritas ſignificant Agereni.1419.
Hypocrita araneæ comparatur.1560.
Hypocritæ pugnant contrã deum.1792.
Hypocritæ dicũtur vineæ diſſipatæ,& ficus.1821.
Hopocritæ illuminãt à luna,ſed boni à ſole. 2261.
Hypocritarum gloria comparatur feno tectorum. 2316.
Hypocritæ ſunt in ſtathera mendaces.986.
Hircus ſignificat pœnitentes.1036.
Hirundo nos docet agere pœnitentiam.893.
Hiſtrionibus aliquid dare non licet.2585.
¶ Hodie ſignificat æternitatem.14.
Holocauſtum quid ſit.270.
Holoca uſtum quid ſit,quid oblatio,& ſacrificium. 958.
Homicida quilibet peccator eſt ſubijpſius.45.
Homicida eſt,qui pauperem non paſcit.375.
Homicidium committitur cupiditate gloriæ. 857.
Homicida quis eſt ,occidẽs aliũ,& qualiter. 1825.
Homo homine erat redimendus.65.
Homo ſignificat peccatores.86.
Homo habet corpus à mundo,ſed animam à deo. 260.
Homo & vermis fuit Chriſtus.296.
Homo duabus naturis ſubſiſtit.357.
Homo proprie ſolum ille dicitur, qui viuit ſecundũ rationem.558.589.
Hominem primum quare tentauit diabolus. 621.
Homo multipliciter accipitur.799.1412.
Homo natura eſt animal ciuile.882.
Homo quandoque ſignificat diabolum.902.
Homo dicitur commotus multipliciter. 959.
Homines tot erunt beati,quot angeli beati.967.
Homini vni aſſimilatur eccleſia. 980.
Homo Chriſtus fuit paſſus.1005.
Hominem totum ſignificat caro.1011.
Homo non poteſt immutare mentẽ alterius,ſed ſolus deus.1029.
Homo ad laborem naſcitur.1188.
Homo totus ſignificatur per animam.1231.
Hominis peccatum remiſſibile fuit,& non dæmonis.1321.
Homo per terram ſignificatur.1444.
Hominem cuſtodit protectio dei. 1579.
Homo quare dicitur factura dei.1589.
Homo proprie non dicitur dominus, ſed ſolus deus.1633.
Hominis dignitas ex modo ſuę creationis apparet. 1636.2146.
Hominum ſpecialem curam deus habet.1637.
Homo dicitur omnis creatura,& fines terræ.1672.
Homo habet duplex eſſe,ſcilicet naturæ & gratiæ. 1690.
Homo fuit factus immortalis,ſed per peccatũ mortalis.1707.
Homo miſericor eſt creaturis cæteris,1713.
Hominibus quomodo nota eſt diuina voluntas, 1738.
Homo tribus modis dicitur.1745.
Homo an Chriſtus fuerit in triduo.1746.
Homo dicuntur apoſtoli.1777.
Hominem luxuria vertit in pecus.1824.
Homo perfectior eſt omni idolo.2014.
Homines timere non debemus,ſed deum.2053.
Homines & dæmones dicuntur inimici. 2054.
Homo quilibet hic circundatur miſeria.2058.
Homo nouus ſignificatur per filiũ iuniorẽ.2084.
Homo omnis dormitat.2259.
Homo vnus ſunt omnes fideles. 2278.
Homo omnis eſt peccator.2321.
Homines cum angelis deum laudant.2420.
Homines iubilant,ſed angeli laudãt.2420. 2569.
Homo chriſtus habet dominũ:ſed vt deus habet patrem.2418.
Homo iniquus dicitur diabolus.2451.
Homo coram deo iuſtificari non poteſt.2486.
Hominis quanta ſit dignitas oſtenditur. 1501.
Homo quid eſt:reſpondetur multipliciter. 2501.
Homo quomodo ſimilis eſt vanitati.2501.
Homo per carnem quandoque ſignificatur totus,quãdoque ſolum pars2537.
in homine nõ eſt confidendum , ſed ſolũ in deo. 2539.
Hominis ſpiritus dicitur anima. 2540.
Homines hic ſunt peregrini : ſed beati angeli ciues cæleſtes.2548.
Vide anima.filius.flos.miſericordia.
Honorem confert punitio peccati. 34.
honor quid eſt,& quid gloria , & quomodo differunt.1648.1782.
Hoſtes noſtros deus expugnat.968.
hoſtes noſtri ſunt diabolus,mũdus, & caro.983.
Hoſtes dei ſunt omnes defenſores malorũ.2468.
Hoſtis omnium eſt peccator.2268.
hoſtia viua dicitur pœnitens.411.
hoſtia eſt multiplex.817.
hoſtia dicitur euchariſtia.1649.
¶ Humanitas chriſti dicitur pupilla oculi.193.
Humanitas chriſti per citharam ſignificatur.481. Hu.
Humanitatis cum verbo vnio erit.1532.
Humanitas chriſti qualiter eſt adoranda.1662.
Humanitatis ratione Chriſtus dicitur via.1884.
humanitas chriſti dicitur virga.1970.
humidũ radicale hominis quomodo nutritur, & conſeruatur.637.
humiliatio eſt duplex.ſ.virtutis & pœnæ.896.
Vide humiliare.
humiliat nos conſpectus domini.686.
humiliant nos aduerſa. 1032. .612.1783.2180.
hmiliantur boni à malis.1612.
humiliat de⁹ ſupperos & exaltat humiles. 1762.
humiliat nos conſideratio propriæ fragilitatis, 1783.
humiliare debemus cor noſtrum deo.1924.
humiliari quandoque idem eſt, quod pati.2048.
humiliauit ſe Chriſtus.2185.
humiliare intelligitur per fumigare.2503.
humiliatus fuit Chriſtus ſub angelis.87.
humiliati erunt ſancti ab Antichriſto.124.
humiliatus fuit diabolus per Chriſtum.116.1510.
humiles dicuntur pauperes ſpiritu.99.
humiles reſpicit deus.444.
humiles ſignificantur per colles.1044.
humiles ſignificantur per valles.1764.
humiles & ſuperbos continet eccleſia.1780.
humiles regere debent,ſed ſuperbi regi. 1780.
humiles deus exaltat.F001.2530.
humilibus datur fides.2159.
humiliũ,& ſuperborũ differentia oſtẽditur.2327
humilis qlibet dicitur paup,& ſupb⁹ diues.2347
humilibus & non ſuperbis reuelatur ſcriptura ſacra.2552.2553.


Humi-




Humilitas facit orationẽ exaudiri.40. 315.362.437. 463.2478.
Humilitas aſcendere facit in cælum.227.
Humilitas vera quid ſit.468.
Humilitas eſt gloria iuſtorum.479.
humilitatem probat illata iniuria.635.
Quod eſt maximum humilitatis ſignum oſtenditur. 733.
humilitas per guttæ ſpeciem ſignificatur.844.
humilitatis veræ conditiones ponuntur.951.
humilitas ſignificatur per oliuam.860
humilitas eſt habenda in proſperis.881.
humilitas quomodo differt ab humiliatione.896.
humilitas per ceram ſignificatur.935.1049.
humilitas requiritur in oratione.1139.
humilitas eſt duplex,ſcilicet virtutis & pœnæ.1233.
humilitas eſt multiplex.1242.
humilitatis exemplum fuit Dauid.1240.2332.
humilitatem inducit incarnatio.1169.
humilitas requiritur ad habendam ſapientiam.1278
humilitas recte ambulare facit.1290.
humilitas virginis Mariæ oſtenditur.1472.
humilitas Chriſti quanta fuerit.1551.
humiles Deus ſpecialiter cuſtodit.1665.
humilitatis exemplum fuit Abraham.1898.
humilitas in proſperis:ſed patientia requiritur in aduerſis.1883.
humilitas meretur gloriam.2034.
humilitas eſt multiplex.2123.
humilitatem inducunt aduerſa.2146.
humilitas duplex.2165.
humilitas eſt maxima virtus.2180.
humilitas præualet prælationi.2180.
humilitas eſt iuſtitia Chriſti.20185.
humilitatem inducit lex antiqua.2203.
humilitas laudabilior eſt in iuuene quã in ſene.2214
humilitas eſt caput & forma omnium virtutũ.2226.
humilitas eſt lex Dei.2226.
humilitas quædam eſt afflictionis & pœnæ.2226.
humilitas eſt neceſſaria.2249.
humilitas ſignificatur per ſedere.2301.
humilitas dicitur panis doloris.2301.
humilitas & ſuperbia mutuo ſe expellunt.2328.
humilitas eſt verum ſacrificium.2327.
Humilitas duplex meretur gloriam.2034.
Humilitas ſignificatur per cinerem.2563.
Vide humiliatio,humiliare,humiliatus,humilis.
Hur ſignificat charitatem & dilectionem proximi. 1814.
Ia. IAbim rex humiliatus fuit à filiis Iſrael. 1421.
Iacere quid eſt ſpiritualiter : quid ſedere, & quid ſtare,oſtenditur.734.
Iacob nobis eſt in exemplum tolerantiæ. 1249.
Iacob ſignificat Iudæos:ſed Ioſeph gentes.1271.
Iacob ſignificat Chriſtum.1271.
Iacob fuit etiam vocatus Iſrael.1283.
Iacob habuit præceptum diuini cultus.1799.
Iacob Deus,dicitur Chriſtus.2008.
Iacob & Iſrael ſignificant fideles & iuſtos.2362.
Iacob conuertitur in Iſrael:quando dominus beatificat iuſtos.2541.
Ianua eſt multiplex.1218.
Iaſpis ſignificat primum articulum fidei.781.
Id. ¶ Idithum quid ſignificat,oſtenditur.978.
idololatra fuit Salomon.1539.
idololatra eſt quilibet auarus.2112.
Idololatræ ſunt ſimiles idolis.2576.
Idololatria eſt fornicatio ſpiritualis.157.
Idololatria eſt corruptio quædam.863.
Idololatriæ Iudæorum punitio ponitur.1623.
Idololatriæ cauſa videtur fuiſſe Aaron.1853.
Idololatria multum eſt deteſtanda.1854.
Idololatria quando incœpit.1861.
Idololatriam inducit luxuria.1861.
Vide Idololatria,Idolum.
Idola multa Chriſtiani colunt.157.
idolum nullum fuit,quod vbique coleretur.772.
idola diuerſa ſignificant diuerſa peccata.2661.
idolorum vanitas,quæ argento comparatur.2013.
idolum per aurum ſignificatur.2013.
idolo perfectior eſt omnis homo.2013.2014.
idola coluntur à diuerſis,diuerſis rationibus.2014.
idolis aſſimilantur peccatores & damnati.2017.
idolorum vanitas oſtenditur.2373.
idolis ſimiles ſunt idololatræ.2376.
Idumæus quid eſt,& Edon ſignificat auaros.1414.
¶ Iebuſæus ſignificat ignorantiam.1337. Ie.
ieiunium eſt pars ſatisfactionis.474.
Ieiunium eſt duplex.535.
ieiunium Chriſti fuit deſiderium noſtræ ſalutis.537.
ieiunauit Chriſtus,& quare.1101.
ieiunium irrigatur lachrymis pauperum.2296.
Ieſus nomen quomodo honoratur.355.
Ieſus nomen eſt virtuoſum.662.
¶ Ignis ſignificat auaritiam.136. Ig.
ignis duplicem habet virtutem.868.
ignis incendit aurum propter tria.1031.
Ignis ſignificat aduerſa.1033.
ignis columna ſignificat Chriſtum.1294.
ignis non eſt Deus.1399.
ignis vn⁹ inferni diuerſimode cruciat dãnatos.1426.
ignis iudicii duplex.1657.
ignis dicitur deſideriũ Dei & amor,& ipſe De⁹.1657.
in ignis ſpecie multotiens angeli apparuerunt.1758
ignis dicitur verbum Dei,& charitas.2213.
Ignis ſignificat luxuriam.2461.
Vide Columna.
ignominia quid ſit.1428.
ignoramus an opera nr̃a Deo ſint accepta.347.665.
ignorantia qñ que dicit⁹ pctm̃ ex ignorãtia factũ.350.
ignorantia eſt multiplex.554.
ignorabat Chriſtus:ſed qualiter.534.
ignoramus finem noſtrum,& quare.880.1890.
ignorantia per Iebuſæum ſignificatur.1337.
ignorãtia qũo pctm̃ aggrauat,vel excuſat. 2089.2533
ignorat omnis malus.2109.
ignoſcit Deus peccatum quod homo cognoſcit.355.
¶ Illuminauit nos incarnatio Chriſti.153.2208. Il.
illuminat nos lex euangelica.260.
illuminatur anima per baptiſmum.179.
illuminatur intellectus per fidem.505.
illuminat nos multipliciter conſpectus Dei.686.
illuminat nos Deus exemplis bonorum.1249.
illuminantur boni à ſole:ſed mali à luna.2261.
illuminat nos Deus multipliciter.2543.
illuſio quomodo accidat.615.
illuſio quid ſit proprie.1359. Im.
¶ Imago Dei nos ſumus.640.
imago eſt multiplex.640.
imago Dei an æqualiter ſit vir,& mulier.640.
imitatores alicuius,dicuntur eius ſemen.1795.
immaturitas dicitur tempus importunum.2220.
Vide Iuuentus.
immenſus eſt Deus.1183.
immolare quid ſit propriè,oſtenditur.18868.


Immo

Immolabāt Iudæi filios ſuos,& filias ſuas,dæmoniis, diabolo:& qualiter.1868.
immortalis & mortalis factus fuit hō,& qūo.1707.
immortalis ſolus Chriſtus reſurrexit.2324.
impius quis dicatur.1.5.6.
impius perit,quando peccator conuertitur.95.
implere poteſt deſiderium noſtrū ſolus Deus.2304.
impoſſibile ad impoſſibile nullus obligatur.2427.
improperium Chriſti quid ſit.1111.
¶Inane quid proprie dicitur.1889.
Incantatores dicuntur prædicatores.932.
incarnatio Chriſti dicitur ſuſceptio.33.1571.2189.
incarnatio Chriſti nos à peccatis liberat.64.
incarnatus Chriſtus nos redimit.65.
incarnatio Chriſti dicitur viſitatio.86.1018.1837.
incarnatio Chriſti dicitur Dei reſpicere.152.
incarnatio Chriſti nos illuminauit.153.2208.
incarnatio Chriſti nobis dedit perſeuerantiā.154.
incarnatio Chriſti eſt ſupra intellectum noſtrū.211.
incarnatio Chriſti dicitur miſſio.
incarnatio Chriſti floruit.408.
incarnatio Chriſti dicitur facies.459.689.
incarcationem Chriſti ſancti patres deſiderabāt.642 2249.
incarnatio Chriſti fuit maximum mirabile.656.
incarnatione Chriſtus factus eſt noſter.755.
incarnatio Chriſti nos adiuuat.872.
incarnatio Chriſti dicitur promiſſio.919.
incarnatio Chriſti dicitur calciamentum.966.
incarnatio Chriſti difficiliter intelligitur.1042.
incarnatio Chriſti via Chriſti.1043.
incarnatio Chriſti dicitur egreſſio.255.
incarnatio Chriſti in vellere Gedeonis figuratur. 1169.
incarnatio Chriſti multipliciter eſt vtilis nobis.1267 & infra.2233.
incarnatio Chriſti dicitur miſericordia magna.1469i
incarnatio Chriſti oſtenditur.1432.1551.
in incarnatione Chriſti mirabilia ſunt facta. 1658. 2669.
incarnatio Chriſti dicitur ſurgere.1716.
incarnationis Chriſti fructus eſt miſericordia.2137.
incarnationis Chriſti tempus,dicitur tempus faciendi.21199.
incarnatio Chriſti per mane figuratur.2493.
incarnatus Chriſtus dicitur via.3494.
incarnatio ſignificatur per apertionem manus.2532.
incenduntur iuſti aduerſitatibus.113.
incenſa dicuntur peccata,& ſuffoſſa.1387.
incenſum ſignificat orationem.1036.
incitare quid ſit.1230.
inclinatio ſignificat humilitatem.190.
inclinare autem eſt exaudire.437.
inclinatio eſt multiplex.2030.
inclinauit ſe xp̄s multipliciter pro nobis.2030.
inclinare cor noſtrum,nos docuit Chriſtus.2185.
incola & inquilinus quid ſit.1801.2094.
incolatus dicitur peregrinatio.2254.
increpatio dicitur prædicatio.217.
increpationes Dei dicuntur aduerſa.545.
increpatio Dei dormire facit.1251.
increpatio eſt duplex:quædam verbis,quædam actis 2096.
incuruatus eſt quilibet peccator.614.
induuntur damnati confuſione.550.
induimus Chriſtum multipliciter.348.
infantum laus Chriſtum laudantium, altior fuit quā angelorum84.
Infantes ſignificant apoſtolos.84.
Infantes dicuntur eſſe viatores.1821.
infernus quomodo habet confeſſionem.58.
infernus vbi ſit,oſtenditur.108.
inferni pœna clibano deſignatur.286.
infernus dicitur lacus.423.651.
inferni pœna quanta ſit.520.
iufernus accipitur multipliciter.803.832.
infernus à quibuſdam viuis inhabitatur.891.
infernus dicitur mare.1091.
infernus dicitur profundum & puteus.1107.
infernus eſt duplex,ſ.ſuperior & inferior.1369.
infernus dicitur abyſſus.1906.
infernus ſignificat obſtinationem.2434.
infernus ſignificat omnes malos.2473.
inferiori datur conſilium à ſuperiori,& non econtrario.2538.
inferius ſemper eſt corpus reſpectu animæ.2538.
infidelitatis peccatum Iudæorum oſtenditur.1297.
infideles non purgantur aduerſis.1542.
infideles Deo & Moyſi fuerunt filij Iſrael.1839.
infiniti ſunt angeli nobis:ſed non Deo.2444.
infinita eſt ſcientia Dei.2550.
Vide Mors.
infirmitas duplex.55.
infirmitas ſignificat idololatriam.175.
infirmorum more Deus nos curat aduerſis.578.
infirmitatis recidiuatio eſt periculoſa.607.
infirmitas omnis ex peccato procedit.611.
infirmitas omnis animam ſanat.1897.
ingratitudo eſt multiplex.535.
ingrati ſunt proſperantes in mundo.1192.
ingratitudo eſt magnum peccatum.1291.
ingratitudo ſignificatur per Amon.1419.
ingratitudo Iudæorum oſtenditur.1855.
initiare quid eſt.1861.
inimici noſtri ſunt peccata.64.
inimici Chriſti dicuntur omnes idololatræ.84.
inimicus noſter dicitur diabolus.93.389.2495.
inimici noſtri ſunt motus carnales.238.
inimicos habet eccleſia vicinos,& notos.449.
inimicos triplices habemus.628.
inimicorum mortem quandoq; deſiderare licet.678
inimicorum ſunt multa genera.938.594.
inimici Dei dicuntur Babylonij & Iudæi.1222.1230.
inimici domini ſunt falſi Chriſtiani.1404.
inimieus Chriſti eſt diabolus.152.
inimici boni,ſunt correctores.2594.
inimici noſtri ſunt doctores & homines.2054.
inimici Dei ſunt etiam noſtri.22.
inimicus vnde dicitur.219.
iuiquitas ſignificat peccatum operi.76.
iniquitas idem eſt quod peccatum.138.
iniquitas dicitur torrens.205.
iniquitas dicitur originale peccatum.224.
iniquitas longe eſt à iuſtitia.2414.
iniquitas quomodo differt à peccato.376.401.949.
iniquitas quid proprie dicitur.456.
iniquitas dicit̄ tā peccatū originale, quā actuale.612.
iniquitas accipitur multipliciter.915.
iniquitas occidit,niſi prius occidatur.1002.
iniquitatis filius fuit Iudas.1521.
iniquitas claudit os malorum,ne loquatur.1922.
iniquitas eſt duplex,ſcilicet pœnæ & culpæ.2151.
iniquitas eſt immunditia.2236.
Vide Iniquus.
iniquorum verba quæ ſint.1012.
iniqui omnes ſunt ſedes iniquitatis.1627.







Iniquus & malus quomodo differunt.2451.
Iniuria ab amico facta,grauius toleratur.887.
iniuria ab inimico facta,leuior eſt.887.
iniuria facta ſine culpa,non confundit.1198.
iniuria dei non eſt toleranda ſed noſtra.1101.1549.
iniuria proprie quid eſt.2542.
iniuſtitia ſignificat peccatum operis.29.
iniuſtus proprie quis dicitur.
innocentia eſt duplex.367.
innocentia minus eſt quàm æquitas.604.
innocentia confortat patientem.2563.
innocens proprie ſolus fuit chriſtus.1695.
innotuit deus homini multipliciter.2501.
innouare.qualiter in fine innouabitur mūdus, oſtēditur.1729.
inops differt à paupere,& quomodo.145.180.1458.
inops & mendicus fuit chriſtus.19052.
inopes dicuntur humiles.1176.
inquilinus quis dicatur.1801.
iniquiritur peccatum multipliciter.553.
inſatiabilis corde quis dicitur,oſtenditur.1699.
inſipiēs quis dicitur multipliciter.1615.
inſidioſus quis dicatur.143.
inſignis vnde dicatur.1393:
inſulis comparatur eccleſia.1655.
intelligere mirabilia dei non poſſumus.1466.
intelligere quandoque ſignificat operationem. 2168.
intelligere eſt duplex:ſcilicet practicum & ſpeculatiuum.2177.
intelligit deus de longe malas cogitationes.2429.
intellectus per peccatum obſcuratur.60.
intellectus per idem illuminatur.505.
intellectus datur homini,vt ſeipſum cognoſcat, 2146.
intellectum & cognitionem dat ſolus deus. 2146. 2198.
intellectus dicitur bonus & malus.2198. 2243.
intellectus datur quandoque ſine voluntate, quādoque econtrario.2188.
intellectus eſt maxima virtus.2217.
intellectus quomodo facti ſunt cæli.2384.
intellectus ſcripturæ ſacræ requirit humilitatem& bonam operationem.2553.
Vid.intelligere.
intentionem magis aſpicit deus quàm opus.1577.
intentio operis,operi nomen imponit.1577.
intentio per oculum ſigaificatur.2273.
intentio penſanda eſt,& non opus.2273.
intendit nobis deus,& qualiter.876.
intendere deo,quid eſt.1400.1462.
interficitur terra,& quomodo.1870.
Vide occidere.
interitus dicitur ipſa mors.529.
interitus diciturdiabolus.900.
interrogat nos deus multipliciter.138.225.2449.
interrogare quādoque idem eſt quod rogare.2269
intonuit chriſtus,& qualiter.413.
introducit deus iuſtos multipliciter.2390.
inuēiri poteſt xp̄s in preſenti vita:ſed in nō futura. 285.
inuēiunt aliqui pœnam,& aliqui inueniūtur à pœna.2031.2034.
inuenit tribulatio aliquos, & aliquos non.2226.
inuidus ſignificatur per baſiliſcum,1582.
inuidia motus,nps diabolus tentat.2455.
inuidia vnde habuit ortum,oſtenditur.2455.
inuidia contra bonos faciliter ſanatur.2455.
inuium dicitur deſertum.i.ſine via.1920.
inuocare quid ſit,oſtenditur.204.454.
inuocare deum,quid ſit.1790.
inuocare deum aduerſa nos faciunt.2128.
inuocare in veritate,quid eſt.2534.
inuolūtarium omne eſt triſte.2138.
inutilis eſt quilibet peccator.864.
¶ Iob quanta fuerit patientia,oſtenditur.165.
ioannes baptiſta dicitur iuſtitia.1457.
ioannes baptiſta fuit homo.1478.
ionas qualiter fuit proiectus in mare,& viuus eua ſit.1903.
iordanis fluuius fuit principium regni chriſti.1171
iordanis fluuij nomine intelligitur.1227.
iordanis deſiccatio ponitur.1431.
iordanis quomodo cōuerſus fuit retrorſum.2004.
ioſeph fuit dn̄s Ægypti cōtra volūtatē fratrū.490.
ioſephfuit nobis caſtitatis exemplum.1249.1396.
ioſeph ouis quid ſit.1371.
ioſeph quomodo ſciuit linguam Ægypti.1395.
ioſeph ſignificat populum iſrael.1396.
ioſeph venditus factus eſt dominus Ægypti.1806.
ioſeph falſe accuſatus,incarceratur.1807.
ioſeph ad regnum fuit exaltatus.1809.
ioſeph patientia quanta fuerit,oſtenditur.2165.
ioſue fuit exemplum conſtantiæ.1249.
¶ ira differtà furore,& quomodo.12.54.
ira eſt multiplex.32.446.
ira quomodo cadat in deo.55.684.1360.
ira dicitur bellum contra nos.384
ira mutus factus eſt eloquens.644.
ira dei quid diſcitur.958.
ira dei eſt ī præſentl.ſed furor:ī futor in futuro.1117.
ira dei vincit miſericordiā:qn̄q; econtrario.1266.
ira facit cor eſſe curuum.1288.
ira dei timenda eſt.1302.
ira à correctione debet eſſe aliena.1349.
ira dei effundere quid ſit.1361.
iraſcitur Chriſtus prouocatus.1365.1375.
ira dei dicitur pœna noſtra.1448.
iræ filij naſcimur omnes.1544.
ira dicitur ignis.1544.
ira dei diuerſos habet effectus.1563.
iracundus per draconem ſignificatur.1582.
in ira arguitur quis à deo,& quis in furore.1617.
ira dei proficit bonis.174.
irā,dei quomodo quis auertere poteſt.1857.
irridereproprie quid ſit.11.345.578.
irritare proprie quid ſit.1533.
¶Iſaac fuit exēplū patientiæ.1249.1344.1798.
iſacar ſignificat memoriā chriſtiani nominis.1372.
iſmaelis cedar filius fuit pater Sarracænorū.2254.
Per iſrael ſignificātur omnes fideles.1083.1371.
iſrael fuit vocatus etiā iacob.1283.
iſrael ſignificat chriſtum.1417.
Iſrael quomodo ī AEgypro fuit fortificatus.1812.
iſrael ſignificat cotēplatiuos fideles,&beatos.2377.
iſrael fit ex iacob: quando deus beatificat bonos. 2541.
iſrael filij dicūt̄ fideles,& etiā abrahæ.2580.2582.
¶ ite miſſa ē,quare nō dicit̄ in omnib⁹ miſſis.1733.
iter nobis facit aſcenſio chriſti.1068.
itinerantes multa obſeruare debent.2240.
¶ iubilatio quid ſit.766.1145.2569.
iubilant homines:ſed angeli deum laudant.2569.
iudas pe abſalon ſignificatur.21.
iudas auaritia tradidit chriſtum.370.1489.1944.
iudas ſignificat chriſtum:965.

Iudę tribus dignitatem regiam quare habuit. 1351
1841.
iudas ſignificat gratiarum actionem. 1372.
iudas dicitur filius iniquitatis. 1521.
iudas exiuit à cæna condemnatus. 1943.
iudæ oratio quomodo ſibi fuit in peccatum. 1943
iudas per modicum tempus fuit in apoſtolatu.
1944.
iudas hab uit diuitias, quia fur erat. 1947.
iudas cum omni ſua poſteritate defecit. 1949.
iudæ tribus quomodo ſanctificatio dei fuit. 2003.
iudas & diabolus perſecuti ſunt chriſtum. 1487.
iudæi chriſti inimici, quomodo deſtructi fuerunt.
84.
iudæorum captiuitas multiplex. 150. 1221. 1536.
iudæi an cognouerunt chriſtum verum eſſe deum.
156. 1280.
iudæi multipliciter Chriſtum perſequebantur.
160.
iudæi finaliter conuertentur. 166. 415. 953. 1341.
2341.
iudæi quare chriſtum crucifixerunt. 196.
iudæi ſupplantati fuerunt in chriſti morte. 197.
iudæi dicũtur filij alieni. 246.
iudæorum voluntas in chriſti morte contraria chri
ſto. 271.
iudęi cupiditate chriſtum occiderunt. 276.
iudæi qualiter mala declinabant in chriſtum.
288.
udæorum diſperſio. 289. 1048.
iudęi dicuntur vituli. 302.
iudæi aperuerunt ora multipliciter contra chriſtũ.
303.
iudæorum crudelitas contra chriſtum. 307. 545.
1961.
iudæorum punitio. 405.
iudæi ſubiecti ſunt eccleſiæ. 768.
iudæi dicuntur inimici dei. 948
iudæi ſunt teſtes fidei noſtræ. 949.
iudæorum execratio & mendacium contra chri-
ſtum. 951.
iudæorum rex & dominus dicitur Chriſtus.
952.
iudeorum aſtutia nihil profuit eis. 987.
iudæorum lingua dicitur ipſorum verba. 1001.
iudeorum mendacia contra chriſtum. 1025.
iudæorum conſilia contra chriſtum fuerunt diſſi-
pata. 1027.
iudæorum capita erant ſacerdotes. 1070.
iudæi viderunt opera Chriſti. 1073.
iudæi ſignificantur per aquam. 1089.
iudæorum feſta. 1115.
iudæorum excæcatio. 1116.
iudęa per vellus ſignificatur. 169.
iudæi fuerunt amici dei. 1223.
iudæi dicuntur manus dei. 1223.
iudæus quis proprie dicatur. 1246.
iudæi de terra ſua ſunt repulſi. 1275.
iudæis data beneficia dei. 1280. 1877.
iudæorum generatio mala. 1287.
iudæis merito præferuntur chriſtiani. 1289.
iudęis expulſis vocatę ſunt gentes. 1307. 1351.
iudęos adiuuit deus. 1316.
iudęi dicebant hęreditas dei. 1356.
in iudęis regnabitur antichriſtus. 1417.
iudęis prope fuit chriſtus. 1453.
iudęi dicuntur facies dei. 1514.
iudęorum rex eſt deus. 1517.
iudęorum idololatria quomodo punita fuit. 1523.
iudęi dicuntur plebs dei. 1634.
iudei minus chriſtum viderũt quam gentes. 1672.
iudęi ſignificantur per onagrum. 1765.
iudęorum ingratitudo. 1655.
iudęi gratia dei ſunt priuati. 1913.
iudęi effecti ſunt ſteriles. 1914.
iudęorum captiuitas facta per Romanos. 1946.
iudęi propter chriſti mortem diſſipati ſunt. 1949.
720. 721.
iudęi perdiderunt nomen populi. 1949.
iudęi maledictione ſunt operti. 1955.
iudęi omnes chriſto ſubijcientur. 1969.
iudęi differuut à populo dei, ſicut pars à toto
2062.
iudęis benedictio conuerſa eſt in maledictionem.
2022.
iudęis facta eſt veritas: ſed gentibus miſericordia.
2046.
A iudæis circundatus fuit chriſtus. 2058.
Ex iudæis, & gentibus conſiſtit eccleſia. 2068.
iudæus peior eſt gentili. 2085.
iudæi iudicati ſunt à chriſto. 2372.
iudæis primo credita fuerunt eloquia dei quam ali
is. 2423.
iudæi ſignificantur per arenam. 2444.
iudæus dicitur propriè quililibet fidelis. 2582.
iudex habet præmiare bonos, & malos punire. 283
iudex iuſtitiam ſeruare debet. 742.
iudex iuſtus dicitur chriſtus. 1045.
iudices antiquitus ſedebant in portis ciuitatis
1103.
iudex erit chriſtus vt homo. 1237. 1241.
iudex, & dominus liber dicitur chriſtus. 1608.
iudex quilibet iudicando, tria debet ſeruare. 845.
Vide iudex.
iudex iudicare debet ſecundum allegata & proba-
ta. 2229.
Vide iudicium.
iudicabunt aliqui in vltimo iudicio, & aliquiiudica
buntur. 6. 2268.
iudicat nos deus dupliciter. 49.
iudicauit deus chriſtum, ſecundum iuſtitiam. 72.
iudicare alicui aliud eſt, quam iudicare aliquem.
132. 1408
iudicare debemus noſipſos, ne iudicemur à domi-
no. 837.
iudicabit chriſtus omnes, & qualiter. 852.
iudicat nos deus in virtute, & qualiter 869.
iudicabunt omnes iuſti in vltimo iudicio. 1238.
iudicare in æquitate, quid eſt. 1407. 1651.
iudicare inique propter tria. 1407.
iudicabit chriſtus in forma hominis. 1414.
iudicabant antiquitus ſacerdotes populi. 1515.
iudicantes cum chriſto dicũtur latus chriſti. 1576.
indicat quis communiter alios tales qualiter ipſe
eſt. 2113.
iudicare aliorum occulta non licet. 2113. 2451.
iudicare noſipſos debemus. 2227.
iudicat nos hic deus vt ſaluet. 2227.
iudicia dei occulta ſunt ſemper meditanda. 223.
iudicia dei dicuntur abyſſus. 557. 1760.
iudicia dei ſunt imcompræhenſibilia. 784.
iudicia dei inueſtigari non debent. 1199.
iudicia dei ſunt multa. 663.
Iudicia dei prædeſtinationis, & probationis ſuntin
ira. 1676.
iudicia dei ſunt mirabilia. 1904.





Iudiciorum dei ſola Dei voluntas eſt cauſa. 1926.
Iudicia iuſtitiæ ſunt mandata dei. 2083. 2179
Iudicia dei omnia quis enumerare poteſt. 2088.
Iudiciorum conſideratio nos dirigit ad deũ. 2105.
iudicia Dei occulta. 2105.
iudicia iuſtos cõſolantur, & nõ peccatores. 3125.
iudicia Dei omnia ſunt iuſta. 2125. 2148.
iudicia omnia ſunt laudanda. 2148.
iudicia dei declinare quid eſt. 2175.
iudicia dei iuſtos adiuuant. 2288.
iudicium eſt duplex. 91. 93. 522. 1165. 2227.
iudicium quo Chriſtus fuit iudicatus dicitur no
ſtrum. 94.
iudicium ſignificat iuſtos. 694.
iudicium Dei qualiter timeri non debet. 704.
iudicij poteſtas Chriſto eſt data. 7164.
iudicium & iuſtitia quomodo differunt. 1164.
2194.
iudicium, & præceptum Dei quid ſunt. 1394.
iuſtitia quomodo conuertetur in iudicium. 1622.
iudicium diſcretionis quid eſt. 1651.
iudicium conſcientiæ quale eſt. 2227.
iudicium eſt multiplex. 2463.
iudicium conſcriptum quid eſt. 2589.
Vide iudex. Iudicare. Iudicium vltimum.
¶ Iudicium vltimum. in iudicio vltimo diſtinctos
gradus perſonarum habebit. 6.
Iudicium per octo figuratur. 54.
In iudicio apparebit crux Chriſti. 98.
Iudicium vltimum dicitur congregatio. 777.
In iudicio omnes tam boni quàm mali chriſtum
videbunt. 283.
Iudicium boni lętanter expectant: ſed non mali.
642. 792. 1253. 164. 219.
Iudicium vltimum tractatur per totum pſalmum
quadrageſimum nonum. 1084.
Iudicium per chryſolitũ lapidẽ ſignificatur. 845.
iudicium vltimum dicitur arcus. 961.
iudicij tempus eſt occultum. 1427.
in iudicio Chriſtus apparebit magnꝰ multiplici-
ter. 1645.
In iudicio Chriſtus erit ſeuerus qui modo eſt mã
ſuetus. 1654.
Ad iudicium veniet chriſtus cum ſanctis, & in nu
bibus. 1655.
Iudicij ignis erit duplex. 1657.
Aduentus Chriſti ad iudicium. 1694.
in iudicio occidentur omnes peccatores. 1702.
iudicii dies dicitur porta. 2104.
iudicium malorũ ex pœnis bonorũ pẽſari poteſt.
2372.
Iudicium intelligitur per falcem & circulũ. 2434.
Iudicium ſignificatur per turbam. 3592.
Vide Mane.
Iugum graue eſt miſeria vitæ præſentis. 912.
iumenta ſignificant peccatores. 558.
iumentum dicitur iuſtus. 1206.
iumentum dicitur homo. 1332.
iumentum eſt multiplex. 1918.
iumentum quis dicitur virtute patientiæ. 1918.
iupiter eſt planeta beniuolus. 752.
iurat Deus qaandoque iratus quandoque placa-
tus. 1641.
iurare Dei quid eſt. 1972. 1534.
Vide Votum.
ius idem eſt quod iuſtum. 2542.
iuſtificationes Dei quid ſunt. 1833. 2081.
iuſtificationes ſunt ſacramẽta nouæ legis. 2084.
iuſtificationes & mandata quomodo differunt.
2092.
iuſtificationes dei diſcere, quid eſt. 2144.
iuſtificatio eſt duplex ſcilicet Dei & noſtra. 2190.
iuſtificant nos aduerſa. 1031.
iuſtificatur Deus à nobis quando facimus quod
præcipit. 2099.
iuſtificat lex noua. 2108.
iuſtificatur cor per confeſſionem. 2153.
iuſtificabat lex antiqua, & qualiter. 2166.
iuſtificari coram Deo non poteſt angelus neque
homo. 2486.
iuſtitia vnicuique tribuit debitum. 54.
iuſtitia eſt duplex ſcilicet Dei & hõinis. 47. 2215.
iuſtitia duas habet partes. 72.
iuſtitiæ ſignificant bonos. 74.
iuſtitia multa bona facit. 168.
iuſtitia dicitur virtus vniuerſalis. 222.
iuſtitia non omnibus eſt recta. 260.
iuſtitia & miſericordia ſunt in omniopete Dei.
354.
iuſtitia debet conſiderari ante peccatũ: ſed miſeri
cordia poſt peccatum. 369.
iuſtitiam defendens propter lucrum peccat. 376.
iuſtitia originalis quid ſit. 394.
iuſtitia in nobis debet pręcedere miſericordiam.
484.
iuſtitia & miſericordia dicuntur oculi Dei. 497.
iuſtitia ſignificat humilitatem. 651.
iuſtitiam veram docet lex noua. 661.
iuſtitiã noſtræ redẽptionis prędicat chriſtus. 662.
iuſtitię & miſericordię opera predicauit Chriſtꝰ.
663.
iuſtitia eſt multiplex. 740.
iuſtitiæ ſacrificium dicitur eucharistia. 852.
iuſtitia vera ſtat in factis non in verbis. 928.
iuſtitiæ diuinę timor debet eſſe cũ ſpe venię. 985.
iuſtitia & miſericordia Chriſto appropriãt. 988.
iuſtitia & miſericordia maxime regibus cõueniũt
1108.
iuſtitia dicitur dies. 1153.
iuſtitia dicitur punitio. 1158.
iuſtitiæ & veritatis quæſtio cum pace & miſeri-
cordia ponitur. 1454.
iuſtitia dicitur pænitentia. 1457.
iuſtitia dicitur Ioannes baptiſta. 1457.
iuſtitia in aduerſis cogitari debet. 1501.
iuſtitia Dei aduerſa accidunt: ſed ꝓſpera ex miſe
ricordia. 1587.
iuſtitia ꝓprius dicitur eſſe Deus quã iuſtus. 1600.
iuſtitia & miſericordia nos præſeruãt à peccatis
1693.
iuſtitia contra malos cito debet fieri. 1702.
Iuſtitia dicitur præceptum æternum. 1748.
iuſtitiæ commendatio. 1849.
iuſtitia ſapiẽtia & redẽptio dicitur Chriſꝰt. 1848.
iuſtitiam cũ miſericordia prælati debẽt habere.
1856.
iuſtitia eſt duplex ſcilicet legalis & æqualis. 1864.
iuſtitia conſiſtit in medio multipliciter. 1978.
Iuſtitia dicitur virga. 1670.
iuſtitia Chriſti eſt humilitas. 2185.
Iuſtitiam non debemus à deo petere ſed miſeri-
cordiam. 2107.
iuſtitia dei in aduerſis oſtenditur & nos fortificat.
2210.
iuſtitia continetur in lege. 2236.
iuſtitia omnis eſt deo noſtra. 2485.

Iuſtitia dicitur Chriſtus.2485.
Iuſtitia noſtra reſpectu diuinæ eſt immunda.2486
iuſtitia Chriſtus vicit diabolum 2500.
Vide iudicare.iudicia dei.Iudicium.
Iuſtus ſignificat Chryſtum.135.456.
Iuſtus homo an debet orare deum.184.
iuſtus ſignificatur per ceruum,233.
Iuſti deridentur à malis.449.
iuſtorum gloria conſiſtit in multis.479.
Iuſti laudant Deum non peccatores.380.
iuſtos nutrit Deus,& liberat 498.
iuſti hic patiuntur aduerſa.514.
Iuſti per montem figurantur.557.
Iuſti figurantur per lunam.571.
Iuſti per fortunam non decipiuntur.586.
iuſtus ſignificatur per cœlum.815.
I ſti timent,& qualiter.879.
iuſtus quilibet dicitur rex.998.
iuſtus quilibet dicitur orphanus.1052.
iuſti ſignificantur per capillos.1093.
Iuſtus quilibet dicitur ſanctuarium. 1424.
iuſtus quilibet dicitur paſſer.1433.
iuſti corpus dicitur templum.1492.
Iuſto aduerſa cuſtodiunt.1498.
Iuſti ſunt ſedes Chriſti.1504.
Iuſtos ſuſcipit deus.1571.
Iuſti palmæ omparantur.1597.
iuſti peribunt in finé quo ad corpus:ſed in melius commutabuntur.729.
Iuſtorũ oratio ꝓ peccatorib⁹ deo eſt accepta.1856.
iuſtorum fortitud est Deus.2061.
Iuſtos confirmat Deus multipliciter.2103.
iuſtis non eſt lex impoſita.2108.
iuſtorum portio eſt Deus.2130.
iuſtorum omnium particeps eſt Chriſtus.2136.
iuſtus inſultatur à malis.2142.2276.
iuſtus l benter videt iuſtos.2147.
iuſtus quilibet dicitur vter.2156.
iuſtus dicitur cælum.2162.
iuſtus dicitur dies.2164.
Iuſti humiliantur.2180.
iuſti cogitant mala,quæ fecerunt non bona.2182.
Iuſtos calumniatur diabolus.2195.
Iuſtis proxima ſunt aduerſá carnis.2223.
iuſti dicuntur ſedes Dei.2268.
iuſtus quomodo ſeipſum laudare poteſt.2378.
iuſtus quandoque vt oſtendat iuſtitiam ſuam imprecatur ſibi malum.2330.
iuſti omnes ſunt ſacerdotes.2340.
iuſtus quilibet dicitur ſeruus.2359.
iuſtos ſignificat timor.2378.
iuſtos ſignificant luminaria cæli.2386.
iuſtos probant aduerſa.2462.
iuſtorum oratio non ſemper exauditur.2531.
iuſtus eſt Deus in omnibus, quæ facit.2533.
iuſtus quilibet dicitur pupillus.2545.
iuſti omnes dicuntur ſtellæ.2550.
iuſti & peccatores ſignificantur per niuem.2563.
iuſti ſignificantur per ſenes.2571.
iuſti omnia bona ſua attribuunt Deo.2586.
Vide Aduerſitas.Cornu.Eexmplum. Herba.iudicium. iudicium, vltimum. iumentum. iudicare.
iuuentutis peccata dicuntur illa quæ non fiunt ex certa malitia. 350.
iuuenes in tribus erudiri debent 1143.
iuuenis ſignificat peccatorem .1346.
iuuenes multas malas conditiones habent.1346.
iuuentutis conditiones ponuntur.2201.
iunior Dauid inter fratres à Deo fuit electus.2214.
in iuuene melius ſedet humilitas quàm in ſene. 2214.2220.
iuuentus dicitur immaturitas.2220.
iuxta vel longe quomodo eſt Deus cum ſit immenſus & vbique.517.
LAbia hypocritæ habent doloſa. 185.
labia aperire debemus ad laudẽ Dei. 848.
Labiorum bonorum conditiones ponuntur. 192.
Labores noſtros Chriſtus voluntarie ſuſcepit.257.
Labor pœnitentiæ regnũ meretur æternum.397.
Labor laborem intrinſecum fouet.626.
labor homini competit.1188.
laboribus in vita præſenti ſe occupant iuſti.1496.
labor quomodo ſignitur in præcepto Dei.1627.
labor eſt dicere mendaciũ:ſed non veritatẽ.2460.
labor eſt in vitiis.2460.
lac ſignificat multa.2153.
lacte magis ſpecialiter nutrimur quam pane.2330.
lac paruulorum quomodo factus eſt panis angelorum.2330.
lactantes dicuntur eſſe beati.1721.
lactat adulatio peccatorem.1491.
lachrymis multiplex lectus lauatur.59.
lachrymæ ſunt duplices ſcilicet ſupiores & inferiores,690.
lachrymæ ſunt pænitentium cibus.1376.
lachrymarum duplex eſt genus.1723.
lachrymarum vtilitas oſtenditur.1842.
lachrymas effundere ſemper debemus.2209.
lachrymis pauperum ieiunium noſtrum debet irrigari.2196.
lacum aperit qui diabolo conſentit.79.
lacus ſignificat infernum.423631.
lacus ſignificat peccatum.423.202.
lacus duplex ſcilicet pænæ & culpæ, ſuperior & inferior.1486.
lacus eſt multiplex.2492.
laicis cõpetit ſactitas⁹ ſed clericis ſanctitudo.1607.
Vide Clericus.Se ularis.
lampas dicitur Chriſtus.1414.
lapis ex quo educit aqua,eſt cor peccatoris.1266.
lapis dicitur gratia Dei.1364.
lapis qualiter dicitur Chriſtus.1574.
lapis reprobatus factus in caput anguli,fuit chriſtus.2948.
lapis angularis dicitur Chriſtus.2068.
lapis ſignificat bonos cõuerſos, & ꝓphetas.1717.
laqueus dicitur doloſa cogitatio.106.
laqueus dicitur peccatum.129.205.
laqueos multos Chriſto parauerunt iudei.440.
laqueus dicitur aſtutum conſilium.529.921.
laqueus iudæorum fuerunt Romani.1115.
laqueos nobis continue diabolus parat.1572.
laqueus martyrum multiplex.2183.
laqueus diaboli eſt auaritia.2183.
laqueus multiplex eſt laqueus diaboli.2284.
laqueus diaboli dicitur occulta tentatio.2474.
laqueos in via virtutũ nobis parat diabolus.2429.
laqueos nobis parat diabol⁹ à dextris & à ſiniſtris. 2479.
latera ſunt multa:ſcilicet bonorũ & malorũ.2307.
latibulũ dicit caro xpi ĩ quà dei verbũ latebat.211.
latitudo dicitur charitas.2119.
latitudinem altitudinem longitudinem,& ꝓfundũ quomodo habet Deus.2119.





Latitudo dicitur vita ſancta.2119.
Latum dicitur mandatum dei.2169.
Latro bonus pendens in cruce multas habuit virtutes.1849.
Latus,de latere Chriſti fluxit triplex aqua. 1300.
Latus,chriſti ſignificat reprobos : ſed dextera bonos.1576.
Latus Chriſti dicuntur illi ,qui cum ipſo iudicabunt.1576.
Lauatur lachrymis multiplex lectus.59.
Laudare peccatorem magnum eſt periculum.114.
Laudare debemus opera dei non noſtra.250.
Laudãt mali deũ ĩ ꝓſperis:ſed boni ĩ aduerſis.250.
laudare ſeipſum an quis licite poſſit, oſtẽditur.357 368.1290.1936.2328.
Laudat deũ iuſtus,& nõ peccator.480.2360.2520.
Laudare deum eſt ipſum benedicere. 502.
Laudari in deo quid eſt.902.
Laudant mali quos perdere volunt.981.
Laudare debemus deum.1044.1996.
Laudatur deus dupliciter.1127.
Laudat deum qui pœnitet.1636.
Laudabilis nimis dicitur deus, & quomodo. 1645.
Laudatur deus à beatis,& à viatoribus.1721.
laudari non poteſt deus,quãtũ eſt dignus. 1754.
Laudant ſancti ſamper deum.1838.
Quis magis peccat,vel laudans ſe, vltra condignũ, vel vituperans.1938.
Laudant deum pueri & iuſti.1995.
Laudare nomen domini.quid eſt. 1995.
Laudare deum debent gentes.2046.
Laudat deum populus multiplex in quo deus laudatur.2046.
Laudat deum omnis creatura 2239.2525. 2579.
Laudandus eſt deus in aduerſis.2357.
Laudatur deus in operibus ſuis.2357.2519.
Laudari debet Chriſtus multipliciter.1359.
Laudat deum corã angelis,qui de cæleſtibus gaudet.2420.2568.
Laudant deũ ſimul angeli,& homines.2320. 2468.
Laudare aliquid aliud eſt, & aliud admirari.2432.
laudãdus eſt deus ſemp ĩ ꝓſperis, & aduerſis.2517.
Laudandus eſt deus ſine fine.2518.
laudare deum perfectè,hic non poſſumus.2538.
Laudãt deum omnis,qui benefacit.2547.2468.
laudem deum aliter beati,aliter uiatores.2559.
laudant deum ſol,luna,& ſtellæ.2570.
laudare deum eſt totum officium beatorum. 2572.
laudant deum pulices,& omnia animalia.2476.
laudatur deus magis admirando,& tacendo, quam loquendo.25091.
vide Allelia.Benedicere. laus.
laus chriſti puerorum mirabilior fuit quam angelorum.84.
laus magis nocet quam vituperium. 1134.
laus dei oſtenditur.1152.
laudes dei narrare debemus.1281.1370.
laus dei in aduerſis ſignificatur per tubam ductilem.1674.
laus,honor , gloria , & fama qũo differunt.1792.
laus bonorum operum non nobis ſed deo eſt danda.1792.
laudem merentur ſolum boni.2361.
laus vitæ præſentis non eſt tuta.1084
Laus maxima dei eſt quoniam bonus.2029.
laus nocet multipliciter laudato.1985.
laus in aduerſitatibus dicitur voluntaria. 2181.
laus probat qui ſint boni,& qui non.2289.
laus dei non deo proficit,ſed nobis.2559.
laus dei eſt præmium noſtrum.2380.
laudis confeſſio qualiter,fit.2464.
laudis dei multiplex eſt materia.2516.
laus vera principalius ſtat in corde quam in ore. 2538.
Vide confeſſio.laudare.
laus vana dicitur.
¶ lectus multiplex lachrymis lauari debet.69.
lectus doloris,dicuntur bona temporalia.676. Le.
leo dicitur diabolus.196.312.2451.
leo ſignificat peccatorem.574.
leo ſignificat perſecutionem apertam.933.
leo dicitur chriſtus 1365.1574.
leoni comparatur clamor chriſti.1092.
leo dicitur pius.1302.
leo ſignificat paupertatis timorem.1582.
leones dicuntur dæmones maiores,ſed catuli leonum dæmones minores 1775.
læonem vicit agnus.2588.
lætantur iuſti in multis.479.
lætati fuerunt Ægyptij in egreſſu filiorum Iſrael. 1826.
lætantur iuſti in omnibus operibus,ſed mali triſtantur.1922.
lætantur mali in vitiis.2509.
lætantur in diuerſis boni & mali.2585.
lætatur deus,& qualiter.1785.
lætitia differt ab exultatione.92.
lætitia noſtra omnis in chriſto debet eſſe.155.
lętitia ſequitur poſt tribulationem.500.
lætita debet haberi in datione eleeimoſynæ. 751. 1673.
lætitia debet eſſe in omnibus noſtris operibus bonis.1146.1792.
læticia vera eſt in chriſto,non in mũdo.1666.
lętitia debet eſſe in gratiarum actione.1674.
letitia eſt duplex.1831.
letit a vera conſiſtit in tribus.2414.
lætitiam veram mali non habent.2414.
lætitia requiritur ad bene cantandum. 2424.
lætificat timor domini.2235.
Leuare multa debemus:ſcilicet animã,faciẽ,man⁹, & oculos.993.221.
leuare animam quomodo debemus.1460.
leuare manus,eſt operari pro cæleſtibus.2121.
lęuare oculos debemus ad ſanctos.2256.
¶ lex. aliud eſſe in lege,aliud ſub lege ,& aliud ſupra legem.3.
legiſlator erit antichriſtus.211.
lex per ſe intendit pręmium,ſed per accidens pœnam.1254.
lex duplex,ſcilicet vetus & noua.1232.
legem chriſtus impleuit.1386.
legis antiquę ſacrificia ſignificabant noua. 1537.
lex antiqua data fuit per angelos,ſed noua per deum,1638.
lex antiqua dicitur nox.ſed noua dies.1938.
lex ſine gratia peccatum aggrauat.2086.
De lege miſerire quid ſit.2104.
lex quomodo imponitur peccatoribus,& quomodo iuſtis.2108.
lex noua iuſtificat,non vetus.2108.
lex eſt via iuſtitiæ,& mandatorum.2109.
lex noua dicitur via & ſemita.2110.
lex antiquam promittebat proſpera, ſcilicet noua promittit aduerſa.2113.
lex noua nos dirigit.2112.

lex dei deponit ſuperbiam.2124.
legis dei meditatio,vitam meretur æternam,2150
lex dei continet omnem virtutem.2159.
lex vetus quomodo iuſtificabat.2166.
legem nouam dedit chriſtus p ſemetipſum.,2175.
lex noua eſt amoris,ſed antiqua timoris.2200.
lex antiqua chriſtum figurabat.220.
lex noua declarat antiquam.2203.
lex antiqua humilitatem inducit.2203.
lex antiqua figura fuit euangelij.2215.
legem qui non cuſtodit peccatum frangit.2231
lex continet omnem iuſtitiam.2236.
legem qui quinon cuſtodit pactum frangit.2231.
lex continet omnem iuſtitiam.2256.
legem dei diligentibus,non eſt ſcandalum. 2238.
lex antiqua figuraturper ſeptem:ſed noua perocto.
2250.
lex per ephrata ſignificatur.237.
lex noua dicitur canticum nouum.2507.
Vide lex euangelica.glorificare.
lex euangelica omne peccatũexcludit.147.
lex euangelica dicitur immaculata.259.
legẽ euangelicã chriſt⁹ operibus ad impleuit. 270.
lex euangelica habet altum premium. 276.
lex euangelica omnia neceſſaria docet. 325.
lex euangelica dicitur iuſtitia.661.
lex euangelica dicitur lex oris dei.2141.
Vide lex.
Lib. ¶ liber dicitur ſapientia dei.550.
liber vitæ quomodo deletur.1121.
libera Sara ſignificat eccleſiam.39.
liber dicitur Chriſtus.24402.
libere deus facit omnia:ſed nos neceſſitate. 2364.
liberat nos chriſtus in patria.366.
liberationem noſtram accelerari oramus.437.
liberat dominus iuſtos.498.
liberat nos fides.507.
liberatur quis à tribulatione duplicitet.518.
liberatio populi iſrael de Aegypto.611.
liberatio multiplex.1110.
liberauit nos Chriſtus.1175.
ligat peccatores peccatum.276.
ligatur peccator multipliciter.1835.
ligno exiguo nauis ſe homines committũt.1967.
Vide gentes.
limbus vbi eſt,& qualis ſit,oſtenditur.108.832.
limus dicitur peccator. 090.
lingere terram quid eſt.1172.
linguam magniloquam habent ſuperbi.144.
lingua refrenari debet.04.633.
linguarum diuerſitas quomodo fuit in apoſtolis
254.
lingua dicitur meditari,& qualiter.551.
lingua varie cuſtoditur à multis.632.
lingua prophetarum,& calamus dicitur ſpiritusſanctus.736.
linguadoloſa eſt periculoſa.856.
lingua accipitur pro loquela & verbis.919 1001.
lingua iudæorum erat acuta.1001.
linguam AEgypti ioſeph quomodo ſciuit.1365
lingua doloſa quid ſit.2251.
lingua dicitur acuta dupliciter.5454.
lingua frenanda eſt,non liganda.2467.
Vide loqui.Dauid.
littera quid ſit & quid litera tura, oſtenditur. 1154.
littera occidit,& qualiter.1154.
litigatores dicuntur maligni.2188.
Lo. ¶ locus ſanctus dicitur eccleſia.336.
locus omnis habet miſericordiam.1739.
locus pedum Chriſti eſt multiplex.2338.
locus ſignificat adulatores.1328.1823.
locuſta ſignificat inanem glorian.1823.
locuſta ſignificat Chriſtum.1959.
locuſta multa ſignificat.1959.
locuſta ſignificat chriſti reſurrectionem.1959.
longe quomodo dicitur deus à nobis.664.
longe à iudæis dicitur Chriſtus.2228.
longe eſt iniquitas ab iniuſtitia.2314.
A longe cognoſcit deus ſuperbos.2415. 2429.
longitudo d erum ſignificat gloriam,& gratiarum plenitudinem.1585.
longitudinem,altitudinem,latitudinẽ,& profunditatem habet deus,& qualiter,oſtenditut. 2119.
¶ loqui debemus opera dei non hominum.188. Lo.
loqui ſuperbiam quid ſit.194.
locutionis tria ſunt genera.254.
loquendo multipliciter lingua peccat.512.
locutionem meditatio præcedere debet.598.
loquitur deus nobis,& nos deo,&.636.
loqui dei quid ſit;& quid ſilere.978.
locutio turpis cauenda eſt, & maximè in iuuenibus.679.
locutionem propheticam ſignificat beryllus lapis.
861.
locutio mala bonos mores corrumpit.863.
loquitur quis in corde,& quis in ore.945.
loquitur deus ad intra,& extra.988.
locutio iniquorum fuit diaboli,& primorum parẽtum.1012.
locutio cor manifeſtat.1299.
loquitur Chriſtus in iudicio, qui modo tacet.
1414.
loquitur deus dupliciter.1451.
loqui non poſſumus mirabilia dei.1466.
locutio tranſit,ſed ſcriptura manet.1469.1721.
locutio dicitur egreſſio.1489
loquitur contra deum, qui murmurat in aduerſis.
1611.
loquebatur deus ſanctis in nube, & qualiter.
1684.
locutores vani par ranas ſignificantur.1840.
loqui nonpoſſunt mali,quorũ os claudit iniquitas.
1922.
locutionis multæ ſunt differentię.1939.
loquendo peccat quis quadrupliciter.2086.
loquuntur oculi,& quomodo.2155.
loqui de rebus mundi ,eſt verbum ocioſum.
2245.
loquitur quis quadrupliciter.2281.
locutio vana malorum,ſignificatur per Sæon.
2398
loqui pauca:ſed audire multa debemus. 2462.
loqui & etiam ſilentium diſcretionem habere debet.2467.
lucent boni deo,& non mundo: ſed mali econtrario.571. ¶ Lu.
lucerna & lux quomodo differunt.2178.
lucerna dicitur verbum dei.2178.
lucerna & lumen dicuntur ſancti.217
lucerna fuit ioannes baptiſta.2349.
lucerna multa ſignificat.2349.
lucifer dicitur Chriſtus.953.
lumen gloriæ excedit intellectum noſtrum.561.
lumem eſt multiplex.1516.
vide lucerna.lux.
luna ſignificat eccleſiam.85.1169.1773.2261.
luna ſignificat ſcientiam terrenorum.253.
luna magis propinqua ſoli quam nobis, magis obſcuratur.571.
luna ſignificat chriſtum.910.
luna ſignificat omnem creaturam. 1168.
luna ſignificat temporaiia.1168.
luna ſignificat virginem Mariam.1773.
luna ſignificat humanitatem chriſti.2261.
luna illuminãtur hypochritæ:ſed boni à ſole. 2261.
luna ſignificat beatos. 1535. & dominos temporarales.2388.
lutum dicitur carnalis concupiſcentia.651.
lutum eſt multiplex.1106.
lux dicitur Chriſtus.706.1776.2301.
lucem inacceſſibilem quomodo habitetdeus.2088.
Ante lucẽ ſurgere eſt cõtra chriſtũ ſe erigere.2301.
Vide lumen.
luxuria igne & ſulphure digne punitur.139.
luxuriam maxime excludit lex euangelica.147.
luxuria dicitur idololatria.157.
luxuria confundit.346.417.
luxuria ſignificatur per malum.476.
luxuria maxime obſcurat mentem. 528.
luxuria dicitur cubile.555.
luxuria ſignificatur per vocem humanam. 653.
luxuria frangitur aduerſis.1204.
luxuria facit cor curuum. 1288.
luxuria ſiguificatur per Amorreum.1337.
luxuria hominem mutat in pecus.1824.
luxuria ad idololatriam ducit.1861.
luxurioſi per peccra ſignificantur.88.
luxurioſi figurantur per Amalech.1419.
luxurioſi ſignificantur per Sæon regem amor rheorum.2369.
M
A cula peccati eſt multiplex.168.
madiam qui dicuntur,vel Madianitæ oſtenditur.1421.
nagorũ ad finem conuerſio.778.779
nagi dicũtur reges Tharſis. &c.1173.
Magi pharaonis quomodo defecerunt in tertio ſigno.1819.
magicis artibus vtetur antichriſtus.118.
Magiſter verus ſolus dicitur Chriſtus:quia ipſe ſolus docet intus,alius interius.2137.
Vide Doctor.
¶ Magnificare , qualiter deus magnificatur à nobis.272.503.551.
Magnificauit deus conuerſos ex gentibus. 2294.
Magnificatus eſt Chriſtus,& qualiter.2421.
magnificentia dei dicitur Chriſtus.83.
Magnificẽtia Chriſti quomodo multiplicatur.1170
Magnificentia dicitur ſacramentum euchariſtiæ.
1647.
Magnificentia,& confeſſio ſunt opera dei. 1978.
Magnificentia propriè quid eſt.2421.
Magnificentia dei apparet in multis.2520.
Magnus dicitur Chriſtus.775.
Magnus ĩ iudicio multiplex apparebit chriſt⁹1645.
magnus idem eſt quod magnificatus.1927.
Magnus dicitur deus multipliciter.2363.2518.
Magog,& go.1678.
Maieſtas quid dicatur,oſtenditur.1183.
maledictio eſt multiplex.1954.
Maledictionem voluerunt Iudæi, & non benedictionem1953.
Maledictione Iudæi ſunt operti.1955.
maledicebant Iudæi Chriſto.reſuſcitato. 1964.
Maledictio temporalium datur malis. 2022.
In maledictionẽ Iudæis cõuerſa eſt benedictio.2022
Vide Benedictio.
Malicia continet multa mala.557.
Maliciam & malum nullus per ſe poteſt velle.855.
Malicia multa mala facit.1630.
Malignus dicitur quilibet malus.178.
Malignus quis proprie dicatur oſtenditur. 566.
1596.
maligni dicuntur litigatores.2188.
malignum dicitur omne dubium.2174.
malum eſt duplex:ſcilicet culpæ & pœnæ. 288.
malum declinare & facere bonum ſunt partes iuſtitiæ.513.
malum nulli debet eſſe glorificandi cauſa.1216.
malum facere leuius eſt quam bonum .1557.
mala præterita ſemper cogitare debemus,& de illis pœnitetur.2132.
Ad malum natura pronior eſt quam ad bonũ.2174
Mala odire debemus.2177.
mala omnia & bona à cogitatione procedunt.2191.
malis conſentit qui non obuiat.1409.
malorum omnium diabolus eſt incentor.2194.
malum propoſitum mutare,virtus eſt.2201.
malum proprie dicitur non pœna ſed peccatum.
2262.1579.
mala noſtra omnia à nobis ſunt : ſed bona à Deo.
2489.
Vide Bonum. Malus.
malorum vita in duobus conſiſtit.5.
mali aduerſis peiorantur,boni meliorantur.138.
mali ſemper hic mixti ſunt cũ bonis.167.367. 650.
mali timebunt in iudicio.283.
mali autem hic habent proſpera & boni aduerſa.
329.
mali & boni differenter moriuntur.401.
mali aliorum bona interpretantur in malum.449.
mali cum fortuna mutantur.586.
mali de medio ſunt amputandi.604.
mali melius vincuntur tacendo quam reſpondendo.644.888.
mali bonis nocere non poſſunt.997.
malorum triplex eſt pœna.998.
mali bonos perſequuntur.1148.
malorum vita diu durat.1187.
malis quare dantur mala.1199.
malorum proſperitas non eſt pura neque firma neque vera.1201.1202.1203.
Mali pereunt.1202.
malos perturbat iudicij cogitatio.1293.
mali ſolum bona ſua conſiderant non mala.1263.
malos ſignificat grando,& nix.1329.
Mali dicuntur oues.1369.
malorum caput eſt diabolus,& Antichriſtus.1415.
mali non ſunt Chriſti,ſed boni 1411.
malorum opera quandoque Deo placent.1540.
Malus alios ad bonum accendere non poteſt.1550.
malos corripit Deus.1617.
malorum ſocietas eſt damnoſa.1700.1866.
mali cito ſunt puniendi.1702.
mali bonos purgant.1740.
Maloshomines quos deus præſciuit quare creauit.
1775.
mali ſibijpſis nocent,non bonis.1803.
mali ſunt multi:ſed boni pauci.1919.
malorum os claudit iniquitas.1922.
malorum omnium caput eſt ſuperbia.1974.
mali non percipiunt odorem virtutum, nec vitiorum fetorem.2005.
mali bonis nocere non poſſunt,niſi quantum deus permittat.2065.

malus omnis ignorat.2109.
Mali bonis inſultant.2142.
Malis mors eſt vtilis.2210.
Mali nolunt videri.2241.
Malorum oculi ad mundum reſpiciunt.2274.
Mali deridet iuſtos.2277.
Quare permittit deus bonos pati à malis.2288.
Malos & bonos parit eccleſia. 2302.
Malorum latera ſunt mali.2307.
Mali bonos perſequuntur.2313.
mali deum accuſant.2313.
mali peccata ſua bonia imponunt.2314.
Malis myſteria fidei non ſunt prædicanda.2411.
Mali veram læticiam habere non poſſunt. 2414.
Malus differt ab iniquo.2451.
Malus omnis alteri nocet.2451.
malos diſperdit deus multipliciter.2497.
malus credit omnes alios eſſe malos. 2549.
mali non faciunt populum dei.2584.
mali iudicabuntur à bonis.2587.
Vide bonus. Audire. Benedictio. Blaſphemare. cogitatio.Carbo.Cõſilium,Deſideriũ.dolor.Fenũ. hoſtis,humiliare.manaſſes. Pœna. Populus. Proſperitas.Calix.Sepulchrum.
manaſſes ſignificat confeſſores.964.
manaſſes ſignificat malos.2182.
mãdata & teſtimonia dei quomodo differũt.1080.
mandata dei ſine gratia implere nõ poſſumus.282.
mandata omnia cuſtodire oportet.2082.
mandata dei dicuntur iudicia iuſtitiæ.2083.
mandatorum obſeruatio dicitur cuſtodia ſermonum dei.2085.
mandata dei & iuſtificationes quomodo differunt 2091.
mandatis debetur exercitium:ſed meditatio iuſtificationibus.2091.
mandatorum dilectio conſiſtit in tribus. 2120.
mandatum dei quomodo dicitur latum. 2169.
mandatorum cuſtodia qualis eſſe debet.2177.
mandata dei quomodo cuſtodiuntur.2219.
mandata dei diligere,plus eſt quam facere 2232.
mandata facere aliud eſt,quam diligere.2204.
mandatorum cuſtodiam tria impediunt.224.
mandata dei,omnia ſunt ęquitas:2245.
¶ manducare.qualiter euchariſtia dignè manducatur.322.
manducare eſt addiſcere,& eructare docere.2522.
mane eſt hora apta orationi.42.
mane chriſtus reſurrexit 426.
mane ſignificat Chriſti reſurrectionem. 802. 694.
mane ſignificat vitam futuram.955.1566.
mane multa ſignificat.2493.
manes dicuntur dij infernales.1779.
manifeſtatus fuit Chriſtus mũdo multiplciter.214.
manipulus ſignificat bona opera & gloriam. 2298.
manna ſignificat euchariſtiam.1305.1306.1979.
manna quid ſit oſtenditur.1504.
manſuetudo quid.740.1461.2332.
manſuete nos deus punit.1562.
manſuetos nos deus facit pœnis.1562.
manſuetus modo eſt Chriſtus,qui in iudicio erit ſeuerus.1654.
manſuetudo dauid oſtenditur.2332.
manſueti exaltantur aliter,& aliter ſuperbi, 2584.
manus dei dicitur eius potentia.125.
manus dei multa facit.127.
manus ſignificat dei potentiam & le folio.
manus dei eſt chriſtus.167.1663.2246.2505.
manus ſignificat opera.766.
manus eleuantur quando opera ſunt bona.993.
manus dei dicuntur iudęi.1223.
manus dei dicitur punitio.1403.
manus dei quinque digitos habet:ſcilicet chriſtus, 1520.2436.
manus dei quomodo facit hominem.2146.
manus dei eſt eius ſapientia.2145.
in manibus noſtris quomodo conſiſtit anima noſtra.2182.
manus dei quæ ſunt.2182.
manus dei quandoque dicitur ligata, quandoque non.2391
manus expandamus multipliciter.2490.
manus apertio ſignificat incarnationem chriſti. 2532
Vide.Leuare.Bellum.
mane ſignificat aduerſa mundi.335.
mare ſignificat infideles.756.
mare ſignificat pœnitentiam.1015.1028.
mare dicitur ſuperbia.1016.
mare ſignificat infernum.1091.
mare dicitur maria.1171.
mare ſignifiat gentes.1325..1509.1524.
mare qualiter diuiſam viam populo dedit. 1294.
maris aqua ſignificat perſecutiones.1293.
mare ſignificat malos.1511.
mare rubrum dicitur,quia ripas habet rubras.1841.
mare ſignificat baptiſmum.1843.1844.
mare ſignificat mundum. 1883. 2004. 2008. 2435.
maris pericula oſtunduntur.1907.
mare miraculoſe pacatur à Chriſto.1909.
mare ſignificat baptiſmum & pœnitentiam,&quomodo diuiditur.2392.
¶ maria virgo dicitur ſol.256.
maria non contraxit formaliter originale peccatum.428.
maria virgo concepit:quod multis ſua detur exemplis.808.
maria dicitur terra.1046.1455.
mariæ corona ponitur.1046.
maria dicitur columba.1061.
marię virginitas oſtenditur.1169.
maria dicitur mare.1171.
maria virgo conuertit gentes.1352.
maria dicitur ancilla.1472.
mariæ humilitas.1427.
maria dicitur virga.1531.
maria eſt aduocata peccatorum.1531.
mariæ nomen ab aliquibus fuit deturpatum.1692.
maria dicitur medium domus.1701.
maria dicitur cælum.1722.
maria dicitur luna.1773.
maria per arcam figuratur.2339.
maria aperuit Chriſto.2532.
¶ maria magdala.quare chriſtus dixit magdalenę. noli me tangere.942.
magdelena habuit audaciam bonam.2469.
martyres à deo quærunt vidictamq́ ipſorum ſanguinis.192.1367.
martyres quibus comparantur,& quare.720.
martyres p Gala ad ſignificantur,ſiue figurantur. 964
martyres occidebautur.& exaudiebantur.999.
martyres oratione Chriñi fortificabantur.1000.
martyres fuerunr apoſtoli.1077.
martyres ſignificantur per oriones.11759.
marty extra eccleſiã & ſine fide nullus eſſe poreſt martyr
Martyr aliquis vult eſſe qui non poteſt.2184.
Martyrum ſanguis fecundauit eccleſiam.2472.
Martyres fortes ſignificantur per oſſa.2473.
Mathatiæ conſtantia oſtenditur.725.
matris vterus quid ſignificat.2439.
matrimonij ſacramentum tractatur.417.
matutinum dicitur tempus gratiæ.2221.
maturina cuſtodia ſignificat Chriſti reſurrectionem.2324.
Vide Mane.
Maxilla ſignificat rerum temporalium abundantiam.477.
Me. ¶Mediator Dei & hominum eſt Chriſtus.1267.
Vide Medium.
medici ſalutem corporis contra ſalutem animæ agunt.2247.
meditatio ſpectat ad linguam,& quomodo,oſtenditur.551.597.
Meditari propriè quid eſt.1269.
meditatio legis vitam æternam meretur.2150.
meditatio legis requirit viuere ſecundum legem. 2150.
meditari debemus continue in nobiſipſis.2170.
medium multipliciter dicitur Chriſtus.759.782.
medium terræ dicitur multipliciter.1224.
medium tenet virtus.1337.
medium in omnibus tenuit Chriſtus.1701.
medium tenet iuſtitia multipliciter.1978.
Vide Maria virgo.
medula ſignificat charitatem.1036.
mel de petra quid eſt.1405.
mel dicitur ſcriptura ſacra.2176.
mel dicitur ſcientia moralis.2176.
melchiſedech quomodo obtulit abrahæ panem viuum.1969.
melchiſedech multipliciter fuit Chriſti figura. 1972.
memoria Dei poſt mortem non proficit ad veniam.58.
memoria quomodo cadit in Deo.270.
memoriam ſuorum peccatorum habẽt beati.585.
memoria beneficiorum Dei nobis dat confidentiam.695.
memoriam Dei habere debemus.725.1230.1749.
memoriam ſui quærunt homines relinquere poſt mortem.798.
memoria iuſtorum in duobus conſiſtit.1131.
memoratur Deus multipliciter.1234.1548.
memoriam beneficiorum multa impediunt.1316.
memorari Deum quid eſt.1324.1363.
memoria nominis Chriſtiani.1372.
memoriã bonorũ habet Deus non malorũ.1991.
memoria malorum parum durat.1991.
memoriæ ſcripturã cõmendare debemus.2091.
memoratur Deus,& obliuiſcitur,& qũo.2122.
memoria beneficiorum Dei eſt habenda.2166.
memoratur Deꝰ noſtri ꝙ illius eramꝰ obliti.2522.
membra eccleſiæ Chriſto capiti ſunt vnita.436.
membra corporis Deus non habet.1616.
membra omnia ſua officia ad inuicem communicant.2327.
mendacia Iudæorum contra Chriſtum.1025.
mẽdax qũo eſt omnis homo & ꝓpter ꝙ nõ.2039.
mendaciũ pro vita ſeruanda dicere nõ licet.2165.
mendacia ſemper cum labore dicuntur:ſed nõ veritas 2460.
mentiri aliud eſt & aliud dicere falſum.44.
mendicare an liceat iuſtis.591.
mendicare an liceat prædicantibus.1768.
mendicus fuit Chriſtus & inops.1952.
mens noſtra dicitur vterus.930.1971.
mẽtem hominis ſolus Deus põt immutare.1029.
mens dicitur facies interior.1039.
mentis exceſſum habuit Paulus.1076.
mens ſignificatur per ſignum.1548.
mentis oculos aperit aduerſitas.1873.
mentem noſtram capit viſio mulierum.2369.
menſa ſignificat euchariſtiam.330.
menſa Iudæorum illis fuit in laqueum.1115.
menſa dicitur ſcriptura ſacra.1115.
menſa dicitur gloria cæleſtis.2308.
menſura dicitur funiculus.1337.
menſura conſolationis datur ſecundum menſurã doloris.1626.
mercatorum ſtathera qualis debeat eſſe.986.
meridies ſignificat Chriſti aſcenſionem.894.
merito maiori premium maius debetur.73.
merito correſpondet præmium.153.222.547.
meritum paſſionis Chriſti fuit in primo inſtanti incarnationis.278.
merito melius eſt præmium.357.
meritum gloriæ de condigno habere non poſſumus.1442.
meritorum noſtrorum cauſa eſt electio Dei.1838
meritorum tempus eſt in præſenti : ſed in futuro præmiorum.1879.
In merito non profecit Chriſtus.1927.
meritũ nullũ ꝓceſſit,vt Chriſtus eſſet Deus.1957
meritum & peccatum auget ſcientia.1985.
meretur quis & peccat ſola voluntate.1986.
merita noſtra Deo attribui debẽt nõ nobis.2010.
merita omnia per gratiam participantur.2136.
meritum requirit gratiam & voluntatem.2185.
meritum & demeritum ſtat interius.2194.
mereri poſſumus gloriam de congruo non de condigno.2233.
merita non fuerunt cauſa noſtræ electionis.2362.
meritis noſtris nõ datꝰ gloria:ſed gratia Dei.2496.
multiplex eſt meſſis.2317.
meum bonum quod ago dicitur meũ & Dei.72.
meus & tuus ſignificant relationem.979.
meus Deus quis dicere poteſt.1571.
¶Milites debent eſſe fideles.871. Mi.
mille ſignificat vniuerſitatẽ,& perfectionẽ. 1797
miniſtri Dei ſunt dæmones.1331.
miniſtri Dei ſunt Angeli.1752.
mirabilia Dei vſu viluerunt.191.
mirabilia Dei ſcrutari non pñt.1182.2202.2283.
mirabilia Dei & Chriſti memorari debemꝰ.1268.
mirabilia Dei dicuntur veſtigium.1276.
mirabilia Dei intelligere nõ poſſumꝰ.1456.1592.
mirabilia facta in Chriſti incarnatione.1668.
mirabilia Dei dicuntur prodigia.1794.
mirabilia iudicia Dei.1904.
Vide Iudicia Dei.
mirabilis quis redditur propter multa. 82. 1668. 1904.2383.
mirabilis nobis eſt Deus propter multa.82.
miraculorum poteſtatem habuit Chriſtus.191.
miracula quare fiebant in primitiua eccleſia & modo non.1059.
miracula dicuntur coruſcationes.1275.
miracula ſignificantur per fulgur.1658.2504.
miraculis Chriſti gentes illuminantur.2203.
mirari quid eſt & vnde oritur:&quomodo differt à laudare.2432.
mirificauit Deus Chriſtum.32.
mirificatur in nobis Chriſti voluntas.175.

Mirificare eſt mira, & noua facere.191.
miſſa quare incipitur ī latere dextro altaris mediatur in ſiniſtro & terminatur in dextero.126.
miſſæ valor quomodo conſideratur.400.
miſſę quare diuerſe terminatur:ſcilicet quādoque per ite miſſa eſt,quandoque per Benedicamus domino &c.1733.
Vide Euchariſtia.
miſeria hominis quāta ſit.612.965.1440,25.2058.
miſeria inclinat ad miſericordiam.1958.
Vide linis.
miſeratio differta miſericordia & quomodo.664.
miſerator & miſericors qūo differūt.1471.1988.
miſeretur aliter Deus,& aliter homo.103.
miſereri Dei eſt reſpicere ipſius.360.
miſereri volēs alteri primo ſibi debet miſereri.1977
miſereri de lege quid ſi .2105.
miſericordia quomodo cadit in Deo oſtenditur.55.
miſericordia Dei in multis apparet in nobis.55.
miſericordia dicitur oculus Dei.137.
miſericordia differt à bonitate.351.
miſericordia & veritas ſunt in omni opere Dei.354 663.
miſericordia Dei poſt pactum cogitanda :ſed iuſtitia ante.369.
miſericordia Dei eſt vniuerſalis.434.
miſericordia in nobis debet ſequi iuſtitiam.483.
miſericordia & iuſtitia ſunt duo oculi Dei.497.
miſericordia differt à miſeratione.664.
miſericordia Dei nobis confidentiam præſtat.704.
miſericordia Dei quanta ſit erga nos.782.
miſericordia Dei eſt multiplex.833.834.
miſericordiam Dei Dauid merito poſtulabat.834.
miſericordia Dei eſt magna:ſed miſericordia hominum parua,834.
miſericordia dimittit peccata : ſed iuſtitia punit 847.
miſericordia dicitur Chriſtus.926.
miſericordia Dei & non merita Chriſtus fuit incarnatus.947.
miſericordia non erit in patria.976.
miſericordia & iuſtitia Chriſto iudici approprian tur.988.
miſericordiæ opus fuit paſsio Chrſti.1105.
miſericordia & iuſtitia ſunt virtutes regiæ.1108.
miſericordia Dei dicitur potentia.1158.
miſericordia & iuſtitia dicuntur magnalia Dei.1150
miſericordia dei quandoque vincit iram eius:quandoque econtrario.1266.
miſericordia Dei præuenit nos.1363.
miſericordia & ſalutare noſtrū dicit Chriſtus.1450.
miſericordia bellat cum iuſtitia.1454.
miſericordia Dei duplex.1500.
mīa eſt in ꝓſperis iuſtitia in aduerſis.1501.1558.
miſericordia fuit in Chriſto.1573.1547.
miſericordia replentur beati.8566.
miſericordia Dei nos adiuuat.1625.
miſericordia & iuſtitia nos præſeruant à peccatis. 1643.
miſericordia Dei eſt in omni loco.1739.
miſericordiam & gratiā Dei timor acquirit.1747.
miſericordiam cum iuſtitia prælatus debet habere 1856.
miſericordia Dei erga Iudæos.11977.
miſericordia Dei multiplex in nobis.1923.2229.
miſericordia Dei dicitur Chriſtus.1925.2115.
miſericordia Dei ī chriſto ad multa nobis valet.1658
Ad miſericordiam inclinat miſeria.1958.
miſericordiæ opera corporalia & ſpiritualia.1989.
miſericordia ſua Deus bona tribuit nobis.2011.
miſericordia exhibita eſt gentibus:ſed veritas Iudæis.2046.
miſericordia maxime ſpectat ad clericos.2050.
miſericordia duplex ſcilicet quædam iuſta,& quædam iniuſta.2131.
miſericordia eſt fruct⁹ incarnatiōis & paſſiōis xpi. 2138.
miſericordia Dei plena eſt terra.2137.
miſericordia eſt magna.2149.
miſericordia & miſeratio quomodo differunt.2150
miſericordiam Dei petere debemus non iuſtitiā. 2197.
miſericordia & iudicium ſunt ſimul in punitione peccatorum.2222.
miſericordia Dei ſemper eſt cum iuſtitia& econtra 2224.
miſericordiæ opera dicuntur pax.2269.
miſericordię opus fuit reſurrectio Chriſti.2325.
miſericordiæ Dei commendatio.2350.
miſericordia quomodo eſt in beatiō nulla eſt miſeria.2380.
miſericordia veritas Dei.2421.
miſericordia peccata dimittit.2500.
miſericordiæ fons eſt Chriſtus.2500.
miſericordia Dei eſt in dānatis & quomodo.2524.
miſericors Deus iraſcitur prouocatus.1365.
miſericors & miſerator quomodo differunt.1988
miſericors eſt Deus multipliciter.2033.
miſericors & terribilis eſt Deus,minatur & exhortatur.2521.
mitis & ſuauis eſt dominus.1461.
mixtum vinū & merū in calice dñi quideſt.1342.
¶moab ſignificat malos.965. mo.
mo ab ſignificat falſos Chriſtianos.1419.
moyſes fuit exemplum manſuetudinis.1249.
moyſes ſignificat baptiſmum.1277.
moyſes fuit ſacerdos.1683.
moyſes qualiter fuit ſummus prophetarum.1683.
moyſes quare fuit ineloquens.1814.
moyſes ſignificat ſcientiam.1814.
moyſes erat principalis:ſed Aaron miniſter.1814.
moyſi & Deo Iudæi fuerunt infideles.1889.
moyſes & Aaron Deo non crediderunt.1865.1866.
moyſes quomodo mortem euaſit.1292.
mons ſignificat cæleſtem patriam.167.
mons ſignificat ſuperbos.208.
mons dicitur Chriſtus.336.
mons ſignificat iuſtos,& gloriam æternam.557.
mons in ſingulari ſignificat Chriſtum:ſed in pluli apoſtolos.756.775.
mons Sion ſignificat Iudæos.784.
mons Sion commendatur ex multis.810.
montes dicuntur prædicatores.1016.1179.1239. 2005.
mons ſignificat multa.1062.
montes dicuntur angeli & pręlati.1166.2552.2287.
montes deſerti quid ſignificant.1241.
mons Sion ſignificat eccleſiam.1136.1351.
mons Sion qualiter eleuatus eſt ſuper alios mōtes. 1474.
mons Thabor & Hermon.1512.
mons ſignificat peccatores.1659.
montibus altiores ſunt aquæ.1760.
montes exultauerunt itter dantes populo Iſrael. 2005.
montes dicuntur ſancti.2256.
montes ſignificant mundi diuites & potentes, 2555.
montes quidam mirabiliter ſunt alti.2575.
morale bonum quid ſit.1014.





Vide Mel.
Mores patrum vt in pluribus filii ſequuntur.2417.
mores parentum filiis non proficiunt.1286.
mors corporalis dicitur dormitio.25.682.1485.
mortis portę ſunt peccata.104.
mors ſignificatur per Saul.201.
mortis laqueus eſt originale peccatum.205.
mortem quomodo timuit Chriſtus.292.
mortis vmbra dicitur miſeria prçſentis vitę.328.
mors corporalis non eſt timenda. 39.1069.2051.
mors eſt triplex ſcilicet mala peior,peſsima.520.
mortis vniuſcuiuſque tempus eſt determinatum. 637.
mortem eſſe vicinam credunt boni ſed nōmali.638.
mortes ſuorū cęlebrant Thraciani: plangunt ortum.671.
mors corporalis dicitur vmbra.707.1486.
mori mali non credunt.796.
mors ſignificat diabolum.801.
mortis conſideratio eſt vtilis.891.
mortem non timebant martyres.999.
mors non fuiſſet ſi non fuiſſet peccatum.1012.
mors dicitur ſeruitus.1024.
mors dicitur occaſus.1051.
mors eſt multiplex.1187.
mors & vita noſtra à Deo eſt ordinata.1229.
mortis diffinitio.1321.
mortis vmbra ſignificat multa.1486.
mors crucis erat turpiſſima.1490.
mors peccati eſt multiplex.1491.
mors omnibus eſt communis.1546.
mortem quilibet naturaliter fugit.1557.
mors dicitur vita præſens,que eſt quoddam mori. 1585,1890.
moriendo Chriſtus plures conuertit quam viuēs. 1606.
mors Chriſti fuit cauſa vnitatis eccleſiæ.1925.
mortis cauſat fuit ſuperbia.1746.
moritur quis male bene viuens , & econtrario. 1760
mors Chriſti per occaſum ſignificatur.1773.
mors Chriſti multiplicauit fideles & virtutes.1812.
mors dicitur occidens.1883.
mors dicitur torrens.1975.
moritur quis mundo cui non moritur mundus:& econtrario.207.
mors eſt multiplex.2027.2114.2445.
mortis dolores ſunt peccata.2031.
mors dicitur infidelitas.2036.
mortis & vitæ duplex eſt porta.2066.
moritur mundo,viuens Deo & econtrario.2114.
mors eſt vtilis malis.2210.
mortis & vitę duplex zelus.2212.
mortis porta eſt diabolus.2304.
mortem inducunt proſpera & aduerſa vitam.2426
moritur fame diuesauarus.2512.
mortis diem ignoramus ex miſericordia Dei.2523.
mortalis factus eſt homo per peccatum.1707.
morticinum quid ſit.1357.
mortificantur quotidie iuſti,& quomodo.730.
mortificatio carnis per tympanū ſignificatur.2583.
mortuus vere fuit Chriſtus.1069.
mortu⁹ fuit Chriſt⁹ voluntatę nō neceſsitate.1484.
mortuos tres Chriſtus ſuſcitauit.1491.
mortuorum officium quare ſecundis veſperis caret. 1601.
mortui an cognoſcant quę hic aguntur.1746.1654
mortui ſunt in deſerto omnes , qui exierunt de Ægypto numerati.1859.
mortui aliq peccāt aliqui viui,& quomodo.2279.
mortuus ſeculi differt à mortuo ſeculo.2488.
Vide mors.
motus eſt multiplex.839.
¶mulier accipitur quandoque pro mollicie quandoque pro ſexu.1655.748. Mu.
mulier an æqualiter ſit Dei imago,ſicut vir.640.
mulier an poſsit docere.846.
mulierum viſio non eſt peccatum.1789.
mulieres dicuntur cutis Chriſti,& pellis.1708.
mulieres multos deceperunt.2186.
mulierum viſio mentem capit.2869.
mulus ſignificat luxuriam.476.
multiloquium peccato non caret.2462.
Vide loqui.
multi ſunt vocati:ſed pauci electi.895.
multitudo tria in ſe debet habere.1273.
multitudo vel multiplicatio multiplex eſt.24222.
mundiciam à ſe nullus habet.1891.
mūdicia dicitur iuſtitia & mūditia iniuſtitia,2236
mundatur cor multipliciter.843.
mund. potentia dicitur altitudo Dei.904.
mundi ętates ponuntur.944.
mundus diabolus & caro ſunt noſtri hoſtes.683.
mundi ſapientia decipit.987.
mundi princeps dicitur diabolus.1048.
mundi conſolatio eſt vana.1260.
mundi lętitia non eſt vera.1666.
mundus in fine innouabitur & qualiter.1729.
mūdus dic tur mare, ꝙ xps cōgregauit in vnū.1883.
mundus ſe ſubdidit Chriſto.2006.
mūd⁹ & caro ad modū meretri.nos acciplūt.2100.
mundo ſunt intenti oculi malorum.2274.
mundus dicitur quædam ciuitas.2446.
mundus ſignatur per equum.2557.
munera quomodo accipere licet.172.
munera magorum notantur.1173.
munitus qualiter quis dicitur.1140
munus eſt multiplex.376.748.
munus datū cum corde dantis penſari debet.1737.
murmuratio aliquando eſt bona.954.
murmurans in aduerſis accuſat deum.1621.
murmuratio quid ſit & quam multiplex.1858.
murus eſt obſtaculum peccatorum.229.
murus ſignificat prælatos.885.
Quoddam genus muſcarū dicitur cynomyia.1317.
muſca canina dicitur cynomiya.1819.
muſcipula diaboli fuit crux Chriſti.533.
mutus & ſurdus fuit Adam.622.
mutus factus fuit Pharao,volens occidere Moyſen. 1192.
mutuo multa accipimus à Deo.587.
mutatur peccator,& qualiter.587.
NArrauit Chriſtus nobis patrem.314.
narrare debemus laudes Chriſti.1281.
natiuitates ſuorum plorant Thraciani. & in morte exultant.671.
natiuitas ſpiritualis fit per baptiſmum.752.
natiuitas Chriſti fuit tempore pacis.762.763.
natiuitas chriſti idola depoſuit.766.
natiuitas Chriſti per chalcedonium figuratur.800
natiuitas ſpiritualis figuratur per oriens.1372.
natus Chriſtus ſtatī notificatus fuit omībus.1679.
natiuitas Chriſti oſtenditur.1989.
Vide Ira.
¶natura. angelus eſt nomen non naturæ ſed officij.1758. Na.
natura Deus eſt lux inacceſsibilis & non per gratiā 2088.

Natura humana ad malum eſt prona.2174.
natura peccatoris odio non debet haberi ſed vitiũ. 2186.
naturalibus rationibus non innititur fides.1785.
nauis ſignificat eccleſiam.1780.
Vide l gnum.
¶Nebula ſignificat peccatum.2563.
neceſſitas ſignificat aduerſitates temporales.361.
neceſſitate nõ eſt paſſus Chriſt⁹ ſed volũtate.1483.
neceſſitare nos operamur:ſed Deus liberè.234.
neceſſitatem nobis nõ ĩponũt aſtra vel fatũ.2469.
negat qs deũ multipliciter.117.157.458.862.863.
negare Deum quid ſit.862.
Ne. negatur deus verbo & facto.863.
negat Deum quil bet ingratus.915.
n gatio quandoque infert affirmationem.1951.
negantes Chriſtum aliqui ſunt reparati.2117.
negligentiam ſecuritas parit.1135.
negligere nullus debet famam ſuam.1938.
negligẽtiã maxime in prælato reprehẽditur.2085.
negotium in tenebris dicitur auaritia.1675.
neom niæ fæſtum quid ſit.1393.
nequitia ſignificat omne peccatum.1191.
neſcire Dei quomodo intellig tur.584.
neſcire quandoque idem eſt quod facere.2101.
¶Nycticorax dicitur Chriſtus.1709.
nycticorax dicitur pœnitens.1709.
nycticorax dicitur prædicator.1709.
Ny. nidus ſignificat fidem.1433.
nihil dicitur eſſe peccatum.808.970.
nihil dicitur multipliciter.908.1403.
nihil ſignificat humiles.946.
nihil dicitur diabolus.970.
n m's accipitur dupliciter.1607.1645.3080.
nimis quid ſit,& quid parum.2080.
nimis cuſtodire debemus mandata Dei.2080.
nix ſignificat malos.1329.
nix quomodo generatur.2563.
No. nix alba & frigida ſignificat peccatores,& iuſtos. 563.
¶Nobiſcum eſt Chriſtus in terra & nos cum ipſo ſumus in cœlo.2273.
nocere Deo non poſſumus nec proficere.174.
nocet quilibet peccãs primo ſibi quam alteri.197.
nocere alteri, eſt vitium contra naturam.604.
nocere bonis mali non poſſunt,997.
nocent mali ſibiipſis non bonis.1803.
nocet multipliciter adulatio & laus.1985.
nocere bonis mali non poſſunt:niſi quantum deus permittit.2065.
nocent detractores ſibi non aliis.2207.
nocet alteri omnis malus.2451.
nomen quandoque ac ipitur pro fama.82.
nomen peccatoris perdunt pœnitentes.95.
nomen Dei eſt dominus.100.
nomen Ieſus eſt magnæ vtilitatis.655.
nominis Chriſtiani memoria.1372.
nomen Chriſti quare nulli imponitur.1692.
nomen domini cognoſcere,quid eſt.1583.
nomen populi perdiderunt Iudęi.1949.
nomen domini laudare quid eſt.1995.
nominis Chriſti confeſsio debet eſſe publica,2042
In nomine domini venit Chriſtus.2071.
nomen ſolis bonis conuenit.2550.
nomen in quo magnificamur eſt Chriſtus.272.
noſcere Dei accipitur multipliciter.7.
Vide cognoſcere.notitia.
noſtra bona, quæ facimus ſunt noſtra,& ſunt Dei. 72.222.548.905.2485.
noſter quomodo dicitur Deus.755.
notit a Chriſti eſt multiplex.685.
nouacula ſignificat perſecutionem.854.
nouiſsima peccata dicuntur antiqua:ſed pænæ dicuntur nouiſsima.2431.
nouum fecit dominus quod mulier circundaret virum.657.
nouus homo dicitur iunior filius.1084.
Vide canticum nouum.
Nox ſignificat aduerſitatẽ.2.690.1587.2128.3237. 2438.
nox ſignificat partres antiqui teſtamenti.253.
nox & Dies dicitur vita præſens.1256.
noctis cuſtodia quid dicitut.1555.
noctis partes diuerſæ oſtenduntur.2555.
nox ſignificat vitam præſentem.1566.
nox dicitur lex antiqua ſed dies noua.1638.
nocte orandum eſt.2128.2135.2221.
nox & dies minus important quam ſemper.2190.
Vide dies.
nubes in ſcriptura ſignificãt prædicatores.550.127 926.2365.
nubes dicuntur ſancti.1084.1085.
In nubibus qualiter veniet Chriſtus.11656.
in nubibus qualiter Deus ſanctis loquebatur.1684
nubes fuit aſcenſio Chriſti.1757.
nubes quomodo generantur.2365.
nubes dicitur confuſio peccati.2365.
nubes ſignificant ſcripturarum figuras & ſacramẽta1554.
numęrauit Dauid ex ſuprbia populum.53.
numerus beatorum erit ſecundum numerum angelorum beatorum.967.
numero beatorum completo fiet iudicium.1513.
numerus perfectus eſt ſex,& quare.2319.
numerum faciunt ſolum boni non mali.2413.
nuncſignificat æternitatem.1155.
nũc benedicere debemus deum.i.in vita pſẽti.2255
nuncii etiam dicunt ſpiritus ſũmi angelici.1758.
nunquid multipliciter tenetur.1301.
nutrit Deus bonos.498.
OBdormire quid eſt oſtenditur.2259.
obediẽtiæ exemplum fuit Abraham. 1246.1394.1898.
obedientia dicitur auris.1458.
obedientia quantum bonum ſit oſtẽditur.1866.
obedire debent filii parentibus.2024.
obedientiam inducit pœna.5140.
obedit cælum Deo,obſeruãs ordinẽ ſibi datũ.5162
obediẽtiã ſupiori debet q̃ eã ab ĩferiori exigit.2170.
obedientia præceptorũ ſcientiam acquirit.2177.
obedire idem eſt quod audire.5423.
oblatio noſtra de nobis Deo fieri debet.1034.
oblatio differt à ſacrificio & holocauſto.658.
obligatur quis ad impoſsibile.2203.
obligari ad impoſsibile,quomodo null⁹ põt.2427.
obligantur Deo Chriſtiani præ aliis.2567,
obliuio pauperum non erit in fine,109.
obliuio quomodo cadit in Deo.339.1363.2122.
obliuio beneficiorũ eſt ſumma ingratitudo.1291.
obliuio dicitur vmbra mortis.1489.
obliuio dicitur peccator.1493.
obliuio eſt multiplex.1091.
obmuteſcunt iuſti per patientiam.634.
obſecratio quid ſit proprie.771.
obſcuratus eſt ſol pręlatorũ & luna ſeculariũ.2388
obſcurare quandoque idem eſt quod occultare vel abſcondere.2438.







obſcuritas ſcripturæ nobis eſt vtilis.2552.2554.
obſeruare multipliciter accipitur.224.442.
obſeruare proprie quid eſt.2280.
obſtinatio per ſcutum ſignificatur.763.
obſtinatio Iudæorum contra Chriſtum oſtenditur. 1002.
obſtinatos ſignificat aſpis.1582.
obſtinatum cor dicitur cor prauum.1667.
obſtinatus ſemper eſt contra Deum.1951.
obſtinatio ſuperborum ſignificatur per lac.2143.
obſtinatio per infernum ſignificatur.2434.
obſtinati ſignificãtur per cryſtallum.2564.
obſtinati ſunt damnati.2588.
obſtuit peccatum intellectum.60.
obſtrictum erit in iudicio os peccatorum.998.
Qui malis non obuiat dum poteſt conſentire dicitur.1409.
obumbrat ſuper nos Deus verbis ſacræ ſcripture. 2458.
¶Occaſus dicitur peccatum,mors,& cælum.1051.
Diſtantia occaſus ab ortu ſignificat culpam.1742.
occaſus ſolis ſignificat Chriſti mortem.1773.
occaſum & ortum habet ſol.i.Chriſtus.1997.
Vide occidens.
occidens & oriens quid ſignificant.1141.
occidens ſignificat culpã:ſed oriens gratiam.1847.
occidens ſignificat mortẽ ſed oriens vitam.1883.
vide occaſus.
occiſio iudæorum ponitur.720.721.
occidit iniquitas niſi prius occidatur.1002.
occidit litera,ſed non intellectus literæ.1154.2108.
occidere cito debemus malos.1702.
occidentur in iudicio omnes mali.1702.
occidens litera dicitur lex.2108.
occidere alium,quomodo ſit licitum.2397.
occidit quis ſeipſum multipliciter 2445.
Vide homicida.
occulta ſunt nobis iudicia Dei.91.
occultum eſt dei iudiciũ dã hic bon's bona:& malis dantur mala:plus quàm econtrario.223.
occulte nos tentat diabolus & aperte.244.
Vide obſcurum.
o curſus ſolum dicitur inter æquales.942.
octium eſt periculoſum 2159.
otioſus nunquam eſt amor.2164.
otioſa verba ſunt,quæ de mundo loquuntur.2245.
Vide accedia.
octo numerus ſignificat legem nouam.2250.
oculus Dei dicitur miſericordia eius.137.513.
oculum mentis excæcat culpa quẽ aperit pæna.163.
oculus ſpiritualis eſt multiplex.446.
oculus ſignificat prælatos.446.
oculus reſpiciens mouet alium ad reſpiciendum. 475.
oculus Dei duplex.ſ.miſericordia & iuſtitia.497.
oculus duplex ſcilicet corporis,& mentis.618.
occulus ſignificat maiores.1116.
oculi ſignificant dæmones,& ſenſus noſtros.1261.
oculi ſunt diligenter cuſtodiendi.1261.
oculos mentis aduerſa aperiunt.1428.
oculus dat ſignum amoris.1696.
In oculis primo ſuperbia demonſtratur.1694.
oculus verius iudicat quam alius ſenſus & turpius decipitur.2014.
oculi quomodo deficiũt,& quomodo loquũt.2155.
oculi quomodo deficiunt in Chriſtum.2196.
oculos leuare debemus ad ſanctos.2256.
oculus ſignificat intentionem.2273.
oculus duplex,ſcilicet dexter & ſiniſter quid ſignificat.1273.
oculi malorum ad mundum reſpiciunt.2274.
oculorum concupiſcentiam ſignificat Seon rex Amorreorum.2369.
oculi Chriſti dicuntur diſcipuli.1092.
Vide leuare.
¶Odit deus malos,& qualiter.44.
odire gratis,quid ſit.1093.2255.
oditur quandoque dilectio.2095.
odire mala debemus.2177.
odire aliquando ſimul poſſumus & diligere.2448.
Vide odium.
odium eſt multiplex,363.
odium qualiter cadit in Deo.442.
odium aliud eſt gratum aliud iniquũ.543.
odiũ & mala volutas ſunt cã omnis peccati.194.
odio qualiter quis poteſt habere Deum.1235.
odio debent haberi vitia, non natura.2106.
odium proximi qualiter ſit licitũ & qualiter nõ 2417.
odium perfectum quid ſit.2448.
Vide odire.
odorem virtutum non ſentiunt mali.2015.
offerre nos deo, qualiter debemus.411.
offerre cor noſtrum deo debemus.1208.
officia ſua ſibi adinuicem cõmunicant omnia membra noſtra.2298.
officium totum beatorum eſt laudare Deũ.2572.
¶Ogog & Magog quid ſignificant.1678.
¶olla ſignificat tribulationem.965.
oleum ſignificat gratiam ſpiritusſancti.331.
oleum dicitur ſacra ſcriptura.652.
oleum calcem extinguit quam accendit aqua.1159.
oleum multiplex,ſignificat gratiam ſpiritusſancti. 1970.
oleum ſignificat peccatum.1954.
oleum dicitur ſpiritusſanctus.1960. Ot
oleum ſpirituale multiplex.2178.
oleum duplex,ſcilicet iuſti & peccatoris.2470
oleum dicitur à adulatio.2470.
oliua ſignificat chriſti incarnationem.655.
oliua ſignificat iuſtos.860.
oliua reuerenter debet petractari.860.
¶omne ſignũ vniuerſale tenetur multipliciter.91. 255. Om
omnis accipitur dupliciter.1011.
omnis creatura,& omnes fines terrę dicitur.homo 1672.
omnia confitentur Deum eſſe.1978.2579.
omnia iudicia Dei quomodo quis poteſt narrare. 2088.
omnia ſignificantur per ſemper.2118.
omnia poſſidet,habens Deum.2130.
omnibus præſens eſt Deus.2224.
omnis creatura deum laudat.2237.2579.
omnes fideles dicuntur vnus homo.2278.
omnia Deus præſcit.2430.
omnia bona ſut à Deo:& omnia mala à nobis.2489.
omnis creatura gloriam Dei prædicat.2526.
omnia facit verbum.2571.
omnia à Deo conſeruantur in eſſe.2572.
Vide mandata.
omnipotentia cũm ſit communis tribus perſonis diuinis quare parti appropriatur.782.
¶onager ſignificat iudæos.1765.
onix lapis excitat.706. on
operatus maxime fuit Deus in principio creando mundum.710.
operari ſignificatur per intelligere.2168.
Vide opus.

Opera dei ſunt mirabilia.82.
Opera ſex dierum exponuntur ſpiritualiter. 253.
Opera exteriora non poſſunt bene cognoſci niſi per interiora.749.
Opera dei ſcrutari non poſſunt. 1190.
Opus malorum quandoque deo placet.1540.
Opera non iudicat deus ſed intentionem.1577.
Opera noſtra bona deus operatur.1589.
Opera dei credi debent non perſcrutari.1590.
Opera ſunt teſtimonii credibile.1607.
Opera noſtra dicunt eſſe filij noſtri.1731.1748.
Operibus bonis iuſti ſemper lætantur.1922.
Opera dei ſunt confeſſio,& & magnificẽtia. 1978.
Opera noſtra ſunt ſemina noſtra. 1987.
Opera miſericordiæ corporalia,&ſpiritualia.1989.
Opera quandoque dicuntur ſermones.1990.
Operibus noſtris non ſaluamur ſed per Chriſtum. 2097.
Ad opus ſcientia ordinatur.2090.
Opera doctoris verbis correſpõdere debent. 2117.
Opera dei mirabilia quomodo ſcrutari licet.2202.
Opera miſericordiæ dicuntur ſemina.2296.
Opera bona ſignificantur per manipulum. 2298.
Operibus bonis laudatur deus.2353.2519.
Vide operari.
Operti Iudæi ſũt iniqtate,& õni malo.1189.1955.
Oppreſſorum clamor auditur à deo.1893.
In opprobrium boni ſunt malis 722.
Opprobrium Chriſti quale fuerit.1098.
Opprobrium quid ſit proprie.1538.
Opprobrium eſt duplex, ſcilicet apud deum, & apud mundum.1997.2113.
¶ Oratio eſt quidam clamor cordis.24.422.699.
Oratio quædam eſt verbalis.39.
Orationem tria exaudiri faciunt.40.
Oratio differt à deprecatione,& qũo.52.185.647.
Oratio iuſta exauditur.24.294.516.
Oratio duo requirit.100.
Oratio noſtra exemplo orationis chriſti tria debet habere.174.
Oratio debet habere charitatem.189.
Orationes noſtras præuenit deus.190.1462.
Oratio pricipalius conſiſtit in corde quã ĩ ore.206.
Oratio aſcendit vt fumus.209.
Oratio facta t more pœnæ nõ exauditur.242.
Orationẽ exaudiri facit humilitas.315.362.437.444.733124601139.
Orationes noſtras angeli deo præſentant. 324.
Oratio ſolum cæleſtia petere debet.344.
Oratio eſt deſiderium mentis.390.
Oratio debet eſſe generalis.400.504.
Orationes ſanctorũ ad quid valẽt nobis.851.452.
Oratio eſt pars ſatiſfactionis.472.
Oratio an ſit magis ſatisfactoria quam ieiunium & eleemoſinatur vel econtrario.474.
Oratiões eccleſię quare terminãtur pchriſtũ 1439.
Orationis perſeuerantia.1460.
Orationis virtus.1482.
Oratio aliter auditur,& aliter exauditur.1703.
Oratio fumigare facit ſuperbos,1786.
Oratio iuſtorum proficit malis.1856.
Orationis clamor auditur à deo.1584.
Oratio clamat ad deum.1899.
Ad orationem inducunt aduerſa.1908.
Oratio idem eſt quod oris ratio.1943.
Oratio quomodo ſit in peccatum.1943.
Oratio omnis bona fit per chriſtum.1043.
Orationis clamor nobis eſt neceſſarius.2218.
Oratio pro inimicis eſt deo gratiſſima.2223.
Orationẽ aſcendere facit bona vita orantis. 2243.
Orationis d gnitatis.2243.
Oratio inſtans exauditur.2347.
Orationes exaudit deus,antequam fiant. 2465.
Oratio quatuor debet habere.2466.
Oratio debet eſſe hominibus ſecreta.2476.
Oratio vt exaudiatur,tres conditiones debet habere.2491.
Oratio iuſtorum non ſemper exauditur.2531.
Oratione ſolum deum debemus quærere. 2534.
Orationem timor exaudiri facit.2535.
Vide Exaudire. Mane.Oratio xpi. Orare.Pſalm⁹, Vox. Mundatia. Deprecatio. Aduerſitas. Confidentia.
orationis Chriſti vtilitas.189.
Oratio omnis Chriſti an fuerit exaudita. 100.292. 1703.2531.
Orauit chriſtus tripliciter tempore ſuæ paſſionis. 268.509.
Orauit Chriſtus de die ad patrem.292.
Orationis chriſti efficacia.365.
orauit chriſtus multipliciter.399.
orauit chriſtus ad exemplum.400
oratio Chriſti aliter fuit exaudita quam noſtra. 405
Vtrum Chriſtus oret pro nobis,oſtenditur.442.
oratio omnis chriſti fuit exaudita. 1105.
orauit ſolus Chriſtus digne pro nobis.1525.
oratio Chriſti fuit magnæ humilitatis.1551.
orauit chriſtus pro prædeſtinatis.1929. 1940.
orauit Chriſtus pro eccleſia.2153.
Vide oratio.orare.
orare an debemus,oſtenditur.184.
orandi duplex eſt modus.870.
orando multa poſtulare debemus.893.
orare ſemper,quomodo debemus.1460.
orandum eſt,quando tentamur à carne. 1704.
orans qualiter non debet,peccat.1943.
orandum eſt in morte aduerſitatis.2135.2221.
orandum eſt toto corde.2218.
orare quid debemus contra diabolum.2455.
Vide oratio Chriſti.
orando,an,aliquid in particulari debemus petere, 504.
orant ſancti ſed non pro damnatis.513.
orbis terræ dicuntur apoſtoli. 602.
orbis terrarum ſignificat Adam.1654.
ordinationem dei conſilia noſtra impedire nõ poſſunt.1806.
Vide ordo.
ordines angelorum ſunt nomen.1752.
In pluribus ordinibus vnus ſpiritus angelicus ponitur.1752.
ordinibus angelotum collocantur homines.2001.
ordo faciendi rem ſciri debet.2101.
oreb,Zeb, Zabee,& ſalmana.1423.
organum eſt nomen generale omnium inſtrumentorum muſicorum.2593.
organum ſignificat eccleſiam.2593.
oriens & occidens quid ſignificant.1241.
Quare verſus orientem adoramus.1636.
oriens ſignificat vitam & occidens mortem.1883.
Vide occidens.ortus.
origenis error de ſaluatione damnatorum ponitur 108.
originale peccatum dicitur laqueus mortis.205.
originale peccatum eſt fomes aliorum.224.
originale peccatum cauſa fuit omnis culpæ & pœnæ.394.



Originale peccatum non contraxit virgo Maria. 428.
Originale peccatum cauſa fuit cõcupiſcentiæ.1891
orationes quædam. ſcilicet conbellatio ſignificat martyres 1756.
orphanus dicitur,quæ mundum ſpernit.128.
Orphanus dicitur quilibet iuſtus.1052.
ortus diſtantia & occidentis ſignificat culpã.2742.
ortum & occaſum habuit ſol.i.Chriſtus.1997.
ornatus eſt multiplex 2611.
Oſſ. ¶ Oſſa ſignificant virtus. 55.458.519.532.867.
oſſa ſignificant apoſtolos.304.
oſſa Chriſti crucifixi numerari poterant.308.
oſſa ſignificant prælatos.448.
oſſa ſignificant viros fortes eccleſiæ.701.
os dicitur Chriſtus.1708.
oſſa ſignificant animam.1454.
oſſa ſignificant pãtienriam & fortitudinem.2441.
oſſa dicuntur martyres fortes in fide.6477.
os Antichriſti plenum erit maledictiõe,& qualiter. 119.
os dicitur meditari,& quomodo.597.
os peccatorum in iudicio erit obſtructum.998.
os aperire ſignificat,quod attenden da ſunt dicẽda
os malorum claudit iniquitas.1922.
oris veritas quid eſt.2117.
oris dei lex dicitur euangelium.2145.
os aperire,eſt deſiderare.2204.
os habet animam & corpus.2204.2292.
Vide.laudare.
oſtium cordis quomodo Chriſto clauditur,& aperitur.2477.
ouis ſignificat bouos ſubditos.88.1334.
ouis ſignificat martyres.720.
oues ſignificant malos.1369.
ouis Ioſeph quid fuerit.1371.
Pa. Acificus quis dicatur, oſtẽditur.2270.
Pactum inter aliquos factum. dicitur teſtamentum.2231.
Palmæ iuſti comparantur.1597.
Palpebra ſignificat diuina iudicia.137.
Panis Chriſtus eſt panis vitæ.1769.
Panem & vinũ melchiſedec Abrahæ obtulit.1968.
panis doloris dicitur paſſio & humilitas.2308.
panis angelorum quomodo factus eſt lac paruulorum.2330.
papa an mortaliter peccans deſinit eſſe papa.2312.
Vide poteſtas.
parabola quid ſit oſtenditur.781.1279.
paradiſus terreſtris ſignificat deuotã cõſcietiã.759.
paralytico quare ſanior eſt aqua ad potãdum, quã vinum.645.
parcens Deus quandoque nõ parcit & quandoque non parcens parcit.1563.
parcit Deus peccato,& quomodo.1176.
parentum mores filiis nõ proficiunt,niſi illos imitentur.1289.
parentes ſuos filios corrigere debent 1349.
parentum mores filii communiter imitantur.2417
Vide pater.
pars quandoque accipitur pro toto & econtrario. 91.1490.
partitur Deus gentes, quia aliquæ conuertuntur, & aliquæ non.963.
parturiẽs dolor pœnitentis quare aſſimilatur doloribus parturientis.780.
paruulorum panis factus eſt panis angelorũ.2330.
participationem meritorum facit gratia.2136.
particeps omnium iuſtorum fuit Chriſtus.2136.
particeps omnium iuſtorum fuit Chriſtus.2136.
paſcit nos Deus & nos paſcimus Deum.1637.
Vide paſtor.
paſcua ſcriptura ſacra dicitur.325.
paſſer ſignificat iuſtos.1433.
paſſer multa ſignificat.1703.2110.
paſſer dicitur anima noſtra.2283.
paſſio ſanctorum erat cauſa conuerſionis infideliũ. 2293.
paſſio dilectionem oſtendit.2297.
paſſio omnis pœnarum, quas patimur, eſt iuſta. 2566.
paſſionis Chriſti grauitas ex circunſtantiis apparet 21.429.
paſſio Chriſti omnia ſibi contraria dedit.68.
paſsio Chriſti dicitur opus iuſtitiæ & qualiter.94.
paſsio Chriſti fuit opus Dei, & iudæorum. 186. 403.1119.
paſsio Chriſti fuit ſacrificium.270.
paſsio Chriſti dicitur deſiderium. 289.
paſsio Chriſti fuit meritũ ſuæ glorificationis.282.
paſsio Chriſti fuit eſca diaboli.296.
paſsio Chriſti dicitur effuſio.304.
paſsionis Chriſti vtilitas.20.5.2059.1089.
paſsionis chriſti memoriam facit euchariſtia 319.
paſsio Chriſti dicitur teſtamentum.354.
paſsionis Chriſti tempore multi fidem perdiderũt. 731.
paſsio Chriſti fuit vniuerſalis 812.
paſsionis Chriſti vtilitas per ſmaragdum ſignificatur.816.824.
paſsio Chriſti veſpere ſignificatur.894.
paſsionem tenuit Chriſtus vt homo.915.
paſſus fuit Chriſtus vt homo.1005.
paſsionis Chriſti efficacia.1089.
paſsio Chriſti debitum noſtrum ſoluit.1094.
paſſus eſt Chriſtus volũtate,non neceſsitate.1484.
paſsio Chriſti dedit ſacramentis efficaciam.1723.
paſsio Chriſti vniuit eccleſiam.1725.
paſsionis Chriſti calix eſt via ad gloriam.2041.
paſsio Chriſti dicitur mandatum.2200.
paſsio Chriſti vmbram nobis facit.2458.
paſsio Chriſti dicitur ſacrificium veſpertinum. 2266.
paſsionis chriſti beneficium.2584.
paſtor,ideſt prælatus ſubditos paſcere debet.1354.
Vide prælatus.
pater.pro peccato patris punitur filius.199.774. 1860.1950.
patres habuit chriſtus.752.
pater filium corrigere debet.1531.
pater magis diligit filium quam ab eo diligatur & quare.1744.
patres ſunt doctores,& diſcipuli ſunt filij.2024.
patribus filii obedire debent.2024.
pater à ſeruitute Dei filiũ reuocare nõ poteſt.2587
Vide parentes.
pater Deus ſignificatur per dominum.32.
pater & filius producunt ſpiritum ſanctum.485.
pater noſter qui es in cælis &c.915.
pater Deus dicitur ſolus.1168.
pater Deus quare non eſt incarnatus,ſed filius.1373
patrem habet chriſtus vt Deus ſed dominũ habet vt homo.2428.1525.
pater Deus proprie dicitur principium.1971.
patientia iniuriis eſt neceſſaria.633.19.257.589.
patientia ſignificatur per aurum.751.
patientia Chriſti in ſua paſsione oſtẽditur.97.306.
patientia Dei erga peccatores eſt multa.75.1471.

Patientia in aduerſis diabolum vincit.881.
patientia in aduerſis Deum laudat.9023.
patientia Chriſti oſtenditur.947.1281.
patientia dicitur fundamentum.1141.
patientia noſtra dicitur Deus & quomodo.1143.
patientiæ exemplum fuit Iſaac.1249.1394.1798.
patientia in aduerſitate ſed humilitas in proſperitate requiritur.1833.
patientia facit hominem iumentum.1918.
patientiam in aduerſis ſpes generat.2123.2189.
patientia eſt magna virtus.2138.
patientia in aduerſis debet poſtulari.2149.
patientia Iob & Ioſeph oſtenditur.2165.
patientia & perſeuerantia ſunt à Deo.2163.
patientia ſignificatur per oſſa, quæ intus latent. 2441.
patiens omne requirit diſpoſitionem vt in ipſum agens poſſit agere.2010.
Pau. ¶Pauci.multi ſunt vocati,pauci vero electi.895.
Pauci ſunt boni & multi ſunt mali:& econtrario. 1919.
pauli conuerſio.1076.
pauli captus fuit mentis exceſſus.1076.
Paulus à diabolo inductus,rogauit contra ſtimulum carnis.2006.
pauli quanta fuit humilitas oſtenditur.2226.
paulus obſtinatus fuit cryſtallus.2586.
pauper dicitur humilis.99.128.2347.
pauperum non obliuiſcetur Deus in iudicio.109
pauper & inops quomodo differunt. 145.580. 1176.1458.
pauper dicitur Chriſtus.315.674.1122.
pauper & egenus quomodo differunt.674.
pauper per ceruum ſignificatur.588.1772.
pauper ſignificat populum:& econtrario.1165.
pauper & pupillus dicitur Chriſtus.1408.
pauperum lachrymæ rigant ieiunium.2296.
pauper ſecurior eſt diuite.2347.
pauperes de bonis diuitum debent viuere.1771.
paupertas eſt multiplex.506.1167.
paupertas iuſtorum ſatiat eos.582.
paupertas omnia poſſidet.987.
paupertatis timor per leonem ſignificatur.1582.
paupertas facit hominem mirabilem.1668.
Vide pauper.
pauimentum dicitur corpus noſtrum, & omnia temporalia.2100.
pax noſtra dicitur Chriſtus.513.
pax Chriſti quid ſit,oſtenditur.551.
pax peccatorum multiplex.1186.
pax eſt multiplex.1247.2270.
pax frangitur multipliciter à multis.1247.
pacem nobis attulit Chriſtus.1451.
pax ocioſa eſt periculoſa.2159.
pacem peccator habere non poteſt.2206.
pax ſpiritualis.2238.
pacem odiunt hæretici.2255.
pax dicuntur opera miſericordiæ. 2269.
pax cum Deo generatur ex aduerſis.2290.
pax continet omnia bona. 2311.
pax vera hic haberi nõ poteſt ſed in gloria.2561.
pax & concordia faciunt canticum nouum. 2581.
Pe. ¶Peccare contra aliquem, & peccare alicui, quomodo differunt.837.
peccant grauius Chriſtiani aliis.887.
peccare Deo aliud eſt quã peccare in Deũ. 1297.
peccare eſt in poteſtate hominis.1313.
peccante multitudine pauci puniuntur.1863.
peccare vel bonum agere,Deus nullũ cogit.1953.
Peccatur ac etiam meretur voluntate ſine opere. 1966.
peccat qui bonum agit timore pœnæ.2108.2193.
peccant aliqui viui,& aliqui mortui.2279.
Vide peccator.Peccatum.
peccator dicitur puluis.5.527.432.
peccator omnis occidit ſeipſum.45.
peccator dupliciter cadit.50.
Erga peccatores eſt multa patientia Dei. vide Patientia.
peccator conuerſus dicitur carbo.77.
peccatoris dolor quomodo conuertitur in caput eius.80.
peccator ſignificatur per hominem.86.
peccatorem laudare,eſt magnũ periculum.114.
peccatorẽ ſtatim punire,eſt op⁹ miſericordiæ.115
peccator omnis primo ſibiipſi nocet.197.
peccator ſignificatur per terram.208.809.
peccator omnis claudicat.246.
peccator laudat Deum in proſperis non in aduerſis.250.
peccatoris iuſtificatio eſt mirabilis.250.
peccator falſum Deum colit.300.
peccator Deum non laudat ſed iuſtus.480.
peccatores expectat Deus.484.1265.
An pro peccatoribus ſancti orent.515.
peccator lucet mundo ſed non Deo exemplo lunæ.571.
peccator aſſimilatur leoni.574.
peccator cadit in laqueum,quem aliis parat.581.
peccator quomodo mutatur.587.
peccator confeſſione & charitate debet mundari. 609.
peccator mortem non vult conſiderare.638.
peccator quomodo ad nihilum deducitur.934.
peccator aduerſis obſtinatur:iuſtus econtra.974.
peccator ſignificatur per ceram.1049.
peccator dicitur limus.1090.
peccator dupliciter peccat.1190.
pec iuuenem ſignificatur.1346.
peccatorum faciem ſumere,quid eſt.1407.
peccatores ſignificantur per ſiluam.1426.
peccator dicitur tenebra.1493.
peccator dicitur obliuio.1493.
peccator quando cõuertitur dicitur fugere.1522.
peccator ab omni creatura punitur.1552.
peccator per montem figuratur.1659.
peccatores ſtatim puniri debent.1702.
peccatores occidentur in iudicio.1702.
peccatores vocat Deus multipliciter.1339.
peccatores reſpiciens Deus ducit ad contritionẽ. 1786.
peccator per pœnitentiam deficit:quia perdit nomen peccatoris.1789.
peccatores Deus vocat per decem plagas Aegyptiorum.8126.
peccator ligatur multipliciter.1835.
peccatorem ſolus Deus ſoluere poteſt:&qualiter ſacerdos.1835.
peccatores abominatur Deus ad ipſorum vtilitatem.1871.
peccatores iuſti abominantur, & qualiter.1871.
peccatorum conſilium quale eſt.1874.
peccatores reſpicit Deus quãdoq; vt puniat:quandoque vt pareat.1875.
peccator abſolute ſignificat diabolum.1943.
peccator conteritur & confringitur, & qualiter. 1973.
peccator exit de Aegypto per pœniẽtiam. 2022.





Peccator nõ palpat,nõ ambulat,nõ clamat. 2016.
Peccatores & damnati idolis ſunt ſimiles.2017.
peccator dicitur filius hominum.2026.
peccator non ambulat in viis Dei. 2079.
peccatores terrent iudicia Dei.2125.
peccatores ſignificantur per ſenes.2173.
peccator aliquis dicitur cæli : & aliquis peccator terræ.2192.
peccatores terræ quomodo interficiuntur. 2192.
peccator peccat opere interiori non exteriori.
peccator pacẽ nec quietem habere poteſt.2206.
peccatot eſt hoſtis omnium.2212.
peccatores non intrant domum gloriæ.2264.
peccatorum proſperitas eſt cauſa damnationis ipſorum.2288.
peccator deſperatus contemnit.2319.
peccator eſt omnis homo.2321.
peccatoribus dat Deus ſigna diuerſa, vt conuertantur.2367.
peccator omnis in hac vita eſt captiuus.2409.
peccatores cognoſcit Deus,& non cognoſcit, & qualiter.2429.
peccatores reuocat Deus per viſum ſuum, & reſpectum.2442.
peccator contemnit,& quomodo.2492.
peccatores omnes recipit Deus.2530.
peccatorum via eſt multiplex.2545.
peccatores & iuſti per niuem figurantur.2573.
Vide peccare,Peccatum.
¶Peccatum tribus modis committitur.1.
peccatum Iudæorum contra Chriſtum aggrauatur ex multis.9.
peccatum an poſſit vitare exiſtens in peccato.55
peccatum obſcurat intellectum.60.
pro peccato ſolus Chriſtus potuit ſatisfacere.65.
peccatum abſolute poſitũ ſignificat ſuperbiã.66.
peccatum omne eſt iniquitas.78.
peccatum eſt triplex.88.
peccata principalia ſunt tria.139.
peccata omnia cõfundit Chriſti prædicatio.147.
peccatum debet tolli à manu,& à corde.168.
peccatum dicitur noſter inimicus.219.
peccatum qũo differt,à delicto.264.950.1239.
peccatum ligat hominem,& cadere facit.276.
peccatum ex deliberatione commiſſum, eſt grauius.309.451.
peccatum quod homo cognoſcit,Deus parcit.355
peccata vitantur,conſiderata Dei iuſtitia.369.
peccata ſignificantur per manus.372.
peccatũ & iniquitas quomodo differũt.376.941.
peccatorũ omnium radix eſt ignorantia.405.
peccatum ſignificatur per deſertum.417.
peccatum dicitur lacus.423.
peccata noſtra fuerunt cauſa mortis Chriſti.426.
peccata quomodo dicuntur tecta.466.
peccatum eſt duplex,ſcilicet cõmiſſionis & omiſſionis.470.
peccatũ omne habet ignorantiã admixtam. 528.
peccatum eſt grauius,quod committitur ex malitia quàm ex tentatione.543.
peccatũ eſt duplex,ſ.infirmitatis & induſtriæ 552.
peccatum inquiritur multipliciter.553.
peccati excuſatio ipſum aggrauat.553.
peccatum dicitur cubile peccatoris.555.
peccatum dicitur vmbra.567.
peccatorum ſuorum an beati recordabũtur.585.
pctm̃ impunitũ eſſe nõ poteſt.595.830.835.1836
peccatũ dicitur venenũ,&qualiter purgatur.626.
peccatum eſt imago diaboli.640.
peccatum ſignificatur per capillos.
peccata ſex per ſex gentes ſignificantur.711.
peccata multa mali abſcondunt.729.
peccatum ſignificatur per Saturnum.752.
peccato principis punitur populus.774.1914.
peccati cognitio eſt ſalutis principium.836.
peccatum aggrauatur ex habitis beneficiis.839.
peccatis gloriari eſt ſummum malum.853.
peccato omnes erant obnoxij ante Chriſtũ.864.
peccatum dicitur nihil.908.970.
peccatum fuit cauſa mortis.1012.
peccatum dicitur occaſus.1051.
peccatum dicitur vinculum.1054.
peccata noſtra dicuntur peccata Chriſti.1095.
peccatum addit Deus peccato & qualiter.1120.
peccatum eſt pœna peccati & cauſa.1120.
peccatum elongat nos à Deo.1029.
peccatis nos Deus repellit.1212.
peccati excuſatio Deum accuſat.1240.
peccatum ſignificatur per cornu.1240.1245.
peccatum terret hominem quem innocentia confortat.1253.
pecca a ſignificantur per abyſſum.1272.
peccati recidiuatio ipſum aggrauat.1297.
peccata punire differt Deus pp multa.1302.1361
peccatum eſt facere bonum timore.1317.1285.
peccatum hominis remiſſibile fuit,& non dæmonis.1321.
peccatum diminuit caro.1321.
peccata tria rana ſignificat.1327.
peccato pœna correſpondet.1333.
peccata clericorum aliis multum nocent.1347.
peccatum illud grauius Deus punit quod diutius tolerauit.1365.
peccatorum ſunt duo genera:quia quędã ſuffoſſa, quædam incenſa.1387.
peccata prælatorum ſunt grauiora quàm ſubditorum. 1412.
peccatum remittitur multipliciter.1445.
peccata noſtra & pœnam tulit Chriſtus.1445.
peccatum dicitur vmbra mortis.1486.
peccati mors eſt multiplex.1491.
peccatorum præteritorũ beati recordantur.1500.
peccatum fragilitate minuitur.1545.
pecatorum conuerſionem Deus quærit.1553.
peccata illa aſpicit Deus,quæ punit.1558.
peccatũ grande eſt ,delectari de peccato commiſſo.1610.
peccata Deus dicitur non cognoſcere,quæ nõ punit.1614.
peccata aliqua figurantur per idola.1661.
peccati punitio eſt magnum beneficium.1686.
peccati ſeruitus.1688.
A peccatis nos præſeruat iuſtitia & miſericordia Dei.1693.
peccata fugere facit etiam timor ſeruilis.7118.
peccata noſtra & proximorum annunciare debemus.1724.
peccatum cauſat caro,& ipſum minuit.1734.
peccata punit Deus citra condignum.1741.
peccatum ſignificatur per occidens.1743.
pcccatum facit errare multipliciter.1741.
peccatum ſuccedens conſumit quod præcedens relinquit.1823.
peccata dimittere,eſt poteſtatis infinitæ.1835.

Peccatum alterius quandoque quis in confeſſione dicere poteſt.1839.
Peccata nouem genuit diabolus:quæ diuerſis maritauit.1861.
Peccata diuerſa diuerſis applicantur.1861.
peccata exquiſita dicuntur adinuentiones.1862.
peccata ſubditorum imputantur prælatis. 1892.
peccatum ſignificatur per ſanguinem.1869.
peccati ſanguinem effundere debemus, & qualiter.1869.
In peccatum quomodo fit oratio.1943.
peccatum auget ſcientia peccantis.1895.
peccatum non dicitur opus extrinſecum, ſed voluntas.1926.
peccata dicuntur dolores mortis.2031.
peccatorum cognitio ipſorũ vincula rũpit.2044.
peccatum generat lex ſine gratia.2082.
peccatum aggrauatur ſcientia & ignorãtia.2089.
peccata ſunt viæ hominum.2101.
Peccatoribus qũo ponitur lex:& qũo iuſtis.2108.
peccata occulta ſunt in nobis ꝙ ignoramus.2113.
peccata proximorum plus dolere debemus quam pœnas noſtras.2126.
peccata dicuntur funes & vincula.2134.2456.
peccata videntur dulcia,ſed ſunt amara.2138.
peccatum præcedit pœnam.2138.
peccatum vnum fugiens, in aliud quandoque cadit.2261.
peccator quis dicitur dupliciter.2228.
peccatũ proprie dicitur malũ,& non pœna.2262.
peccata dicuntur aqua ſine ſubſtãtia.2281.
peccatum congelat animam.2295.
peccatorum viæ quæ ſunt.2305.
peccata ſua malis boni imponunt.2314.
peccatum generat caro.2321.
peccatum dicitur ſomnus.2335.
peccati confuſio dicitur nubes.2365.
peccata dicuntur antiqua,ſed pœnæ nouiſſima. 2431.
peccata dicuntur tenebra.2437.
paccatum dicitur creditus.2460.
peccata dicuntur carbones.2461.
peccato non caret multiloquium.2462.
peccata dicuntur obſcura.2488.
peccatum dicitur lacus.2492.
peccara dimittit miſericordia.2500.
peccata nos à Deo faciunt alienos.2509.
peccatum dicitur nebula.2563.
peccati duriciem liquefacit Dei verbum.2665.
Vide Dauid, Originale peccatum.Pater.Satisfactio.Exemplum.
pecora ſignificant luxurioſos.88.
pecus fit homo per luxuriam.1824.
pellicano multa comparantur, ſcilicet Chriſtus, pœnitens,& prædicator.1709.
pellis mali Iudicis ſedi iudiciariæ fuit affixa.742.
pellis Chriſti dicuntur mulieres.1708.
pellis more Deus extendit cælos,id eſt apoſtolos. 1756.
pœna æterna multipliciter nominatur.139.
pœna aperit oculos mẽtis,quos claudit culpa.163.
pœna inferni per clibanum figuratur.285.
pœna maior eſt damni,quam ſenſus.287.
pœnæ ſignificantur per neceſſitatem.361.
pœna temporalis timeri non debet.381.
pœna eſt cauſa exaltationis.397.
pœnis damnatorum gaudent beati.404.522.
pœnam minuit conſideratio præmij.478.
pœna inferni quanta,& qualis ſit.520.
Pœna vitæ præſentis eſt multiplex.612.
pœna æterna ſignificatur p̃ aduerſa p̃ſentia. 961.
Pœna malorum eſt multiplex.997.
pœna ſine culpa leuior eſt, quam cũ culpa. 1098.
pœnæ noſtræ dicuntur eſſe Chriſti.1234.
pœna correſpondet peccato.1333.
pœnam noſtram Chriſtus portauit.1445.1571.
pœnæ locus eſt duplex.1486.
pœna temporalis tranſit & purgat.1407.
pœnæ æternæ timor proficit.1497.
pœnis nos facit Deus manſuetos.1562.
pœna auget gloriam.1567.
pœnæ timor,& amor glorię à peccatis pręſeruãt. 1668.
pœnis exultant fideles.2007.
pœna qñq; nos inuenit:qñque econtrario.2031.
Pœnæ ad gloriam nos adducunt.2033.
pœna inducit obedientiam.2140.
pœna omnis à Deo eſt iuſta.2148.
pœnæ timore dimittens peccatum,peccat. 2193.
pœnę timor quandoque inducit ad bonum.2195.
pœna non eſt ploranda,ſed culpa.2209.
pœna temporali redimittur æterna.2211.
pœna malorũ cõtinet iuſtitiã,&miſericordiã.2222.
pœnis eccleſia creuit.2248.
pœnæ timor animam liberat.2283.
pari pœna agẽtes,& cõſentiẽtes puniũtur.2290.
pœna malorum ex pœnis bonorum cõſideratur. 2372.2566.
pœnam peccato debitam ſignificat altitudo cæli à terra.1742.
pœna duplex.1965.
pœnæ ſunt iuſtis ad probationem,ſed malis ad dãnationem.2462.
pœnæ dicũt nouiſſima,ſed peccata antiqua.2341.
pœnas omnes,quas patimur iuſte patimur.2566.
Vide, Aduerſitas.Punitio.
¶Pœnitentia valet vſque ad vltimum articulum vitæ.285.
pœnitentia dicitur atrium.412.
pœnitentiæ ſacramentum pertractatur.415.
pœnitentia requirit quatuor.466.
pœnitentia per citharam ſignificatur. 431.
pœnitentia facit orationem exaudiri.624.
pœnitentiæ tres partes in tribus mãſionibus templi figurantur.751.
pœnitentia dicitur quædam commotio.760.
pœnitentiæ dolor aſſimilatur parturienti.780.
pœnitentia ſanguine Chriſti fouetur.841.
pœnitentia ſtatim veniam acquirit.910.959.
pœnitentia dicitur dotatio.960.
pœnitentia dicitur conturbatio.1007.
pœnitentia dicitur mare.1015.1028.1171.2392.
pœnitentię aduerſitas proficit.1030.
pœnitentia dicitur commutatio.1089.1549.
pœnitentię cibus ſunt lachrymę.1376.
pœnitentia dicitur cithara.1392.
pœnitentia dicitur iuſtitia.1457.
pœnitentia dicitur ambulare.1457.
pœnitentia per cinerem ſignificatur.1712,
pœnitentię cantus qualis eſſe debet.1787.
pœnitentia,peccator deſinit eſſe peccator.1789.
Per pœnitentiã peccator exit de Aegypto. 2002.
Pœnitentię duplex dolor eſſe debet.2032.
Per pœnitentiam poſt peccatũ quis fortior reſurgit.2061.
Pœnitentię multiplex eſt conſolatio.2210.
Pœnitentia prefertur innocentię.2242.
Pœnitentia debet eſſe cum ſpe venię.2319.


Pœniten




Pęnitentia dicitur tribulatio.2426.
Pœnitẽtia finalis dicitur ſacrificium veſpertinum. 2466.
Vide Penitens.
Pœnitens duas gratias recipit à deo.475.
pœnitens quomodo dicitur deus. 55.684.1876. 1972.2342.
pœnitens ſignificatur per capram.836.
pœnitens per turturem ſignificatur.1433.
pœnitens laudat deum.1636.
pœnitentes ſignificat aquila.1736.
pœnitens per piſcem ſignificatur.1817.
pœnitenti eſt neceſſaria peccati cognitio.2244.
pœnitens tribulatur dupliciter.2240.
pœnitentes ſedent & ſurgunt. 2428.
pœnitent damnati,ſed inutiliter.1994.
Vide Pœnitentia.
Penne ſiue ale iuſtorum que ſunt.881.
penne ventorum ſunt precepta charitatis. 1757.
Vide Ala.
percipere auribus eſt perfecte capere.788.
percipere quid proprie ſignificat.870.1462.
percuſſio eſt multiplex.1349.2368.
percuſſit chriſtus diabolũ cũ omnibus vitijs.2389.
peregrini ſumus in preſenti.1010.
peregrinus,aduena,& accola quomõ differũt.1801.
peregrini ſunt iuſti in hoc mundo.2127.
peregrinario dicitur incolatus.2254.
peregrini ſumus in vita preſenti, ſed angeli ſunt ciues celeſtis glorie.2548.
perdere diabolus ſemper nos cogitat.2455.
perditur quis dupliciter.2498.
perfectior eſt homo idolo.2013.
perfectius eſt omne viuum non viuo.2014.
perfectius eſt omne animal ſimulachro.2016.
perfectio ſignificatur per ſeptem.2237.
perfectum odium quid ſit oſtenditur.2448.
perfecit chriſtus legem.1286.
pericula maris oſtenduntur,1907.
periculis plenum eſt corpus noſtrum.2160.
pereunt mali.1202.40.
pereunt cogitationes & deſideria malorum.2540.
perſecutio malorum ſignificatur per dentes.27.
perſequebãtur iudei chriſtũ multipliciter.49.160.
perſecutio Antichriſti erit magna.112.71.
perſecutionibus eccleſia creuit.778.1606.1921.
perſecutio ſignificatur per nouaculam.854.
perſecutio eccleſie oſtenditur.1133.
perſecutio duplex.1142.
perſequuntur mali bonos.1148.
perſecutionem ſignificat aqua maris.1293.
perſecutio gentilium ſignificatur per fluctus.1605.
perſecutiones eccleſie deus terminat.1763.1909.
perſocutio per ſolum figuratur.1959.
perſecutio & aduerſitas eſt ſignũ electorum.2159.
perſecutio vtilis eſt.2159.
perſecutio iniuſta meretur,ſed non iuſta.2159.
perſecutio vitiorum eſt multiplex.2230.
perſecuti ſunt chriſtiani ab infidelibus gratis.2234.
perſequitur diabolus aliquos gratis,& aliquos nõ. 2234.
perſecutiones martyrũ fuerunt ſpolia ipſorũ.2235.
perſecutio duplex:ſcilicet corporis & anime.2484.
perſequitur nos diabolus aduerſitatibus. 2487.
perſequebatur diabolus chriſtum & iudas.2487.
Vide Perſecutor.
perſecutores noſtra ſunt vitia.64.
perſecutores eccleſie facti ſũt illius defenſores.96.
perſecutores vincebantur patientia martyrum.105.
perſecutor eſt quilibet falſus chriſtianus.453.
perſecutores bonorũ ſemp ſũt mali.980.2313.2313.
Vide Perſecutio.Venator.
perſeuerãtia in bonis eſt neceſſaria.844.1793.2324. 2458.2263.393.
perſeuerantia à ſolo deo eſt.2458.
perſeuerare idem eſt quòd ſtare.2356.
perſonarũ acceptio nõ debet eſſe apud regẽtes.759.
perſcrutari quid ſit oſtenditur.2078.
¶Pes ſignificat affectiones noſtras.378.1185.
pedes chriſti fuerunt apoſtoli.445.
Pes ſuperbie dicitur ſuperba voluntas.563.
pes dexter amoris eſt premittendus.652.
pedes ſignificant apoſtolos.768.
pedes chriſti ſũt promiſſiones & increpationes.911.
pedes chriſti ſunt predicatores.1072.2469.
pedes ſuos non prohibuit chriſtu sà malo.2174.
pedes ſunt duplices.2174.
pes ſignificat voluntatem.2258.
pedum chriſti locus multiplex.2338.
pedes ſignificant perſeuerantiam.2338.
petere non debet ab alio qui eius voluntati contradicit.187.
petere in nomine ſaluatoris quid eſt.569.
petere à deo confidenter bona debemus.2092.
petens omnis accipit.2119.
petra eſt nomen loci in quo dauid fuit ſaluatus.29.
petra dicitur chriſtus.389.652.972.
de petra fluxit aqua.1295.1296.
petram chriſtus conuertit in aquam.2009.
petrus omnia bona ſua deo attribuebat.587.
petrus primo fuit timidus ſed poſtea fortis. 2008. 1141.1437.
¶Pharaonis ſomnium ponitur.1808. Ph.
pharao ſignificat diabolum.2394.
phariſeus ſuperbus multa perdidit bona propter ſuperbiam.1096.
phenix auis eſt caſtitatis exemplum. 2218.
pherezeus ſignificat ſuperbiam.1337.
philiſtei ſignificant guloſos.1419.
¶Pietas donum ſignificat opus tertie diei.253. Pi.
pietas dei magna eſt qua nos expectat.910.
pietas maxime conuenit principibus.1052.
pietas eſt magna virtus.2217.
Vide Abraham.
pilatus indutus tunica chriſti ceſarẽ placauit. 609.
pingues dicuntur ſuperbi.1312.
piſcatores ceperunt reges mundi ad fidem conuertentes.2588.
piſcis ſignificat auaros.89.
piſcis ſignificat lachrymas pęnitentis. 253.
piſcis ſignificat deditos temporalibus.1391.
piſcis ſignificat ſpem & penitentes.1817.
¶placere.an ſit licitũ velle placere hominibus.867. Pl.
placent deo multa.1125.
placent deo quandoque opera malorum. 1540.
plaga dicuntur aduerſa.644.
plage chriſti dicuntur fouea.1620.
plage egypti ponuntur.1816.& infra.
plagis egyptiorum myſticis deus vocat peccatores. 1826.
planeta quilibet ſuo menſe regit conceptum. 752.
plaudere quid ſit manibus.766.
plebis adiutor eſt deus.409.
plebs quid ſit proprie oſtenditur.1452.
plebs dei dicebantur iudei.1634.
plenitudo dicitur ipſa gratia.334.


 plenitudo

Plenitudo temporis multipliciter intelligitur.800.
ploranda eſt culpa non pęna.2209.
pluuia ſignificat gratiam & doctrinam.1057.
pluuia in vellus ſignificat Chriſti incarnationem. 1169.
pluuia fecundat terram,ſed grando ipſam facit ſterilem.1330.
pluuia tempore hęliæ ceſſauit per tres annos cum dimidio.1913.
Po. ¶ Pollutio in dormitione proueniens quandoque eſt peccatum quandoque non.615.
populus quis ſit & quid proprie dicatur.816.
populi nomen iudęi perdiderunt.1949.
populus ſignificatur per aquam.1089.2280.1272.
populum ſignificat pauper.1165.
populus large loquendo etiam conſiſtit ex malis. 1802.
populus, plebs, vulgus,& tribus quomodo differunt.1802.
populus quandoque punitur pro peccato principis.1914.774.
populus multiplex laudat deum:in quo deus laudatur.2046.
populus dei ſunt boni,& non mali. 2584.
portio & pars iuſtorum eſt deus.2130.
porta ſignificat virtutes & vitia.104.
portę templi quomodo a ſeipſis fuerunt clauſę & apertę.334.2332.
portarum templi apertio oſtendit peccata Dauid fuiſſe remiſſa.424.
In portis ciuitatis antiquitus ſedebant iudices. 1103.
portę ſion dicuntur ſacramenta.1474.
porta ęrea dicitur dęmon & audax contradictio. 1896.
portę celi ſunt multiplices.2066.
porta eſt duplex:ſcilicet mortis & vitę.2066.
porta vitę eſt Chriſtus: ſed diabolus porta mortis. 2304.
porta dicitur dies iudicij.2304.
portę eccleſiæ ſunt ſacramenta.2560.
portare & gerere differunt & quomodo.223.
Poſſidet nos deus & poſſidetur à nobis.491.2362. 2541.1213.
poſtulatio eſt de malis remouendis.2243.
Quid proprie ſit poſtulatio.771.
potatio eſt multiplex.960.
potentatus quid ſit oſtenditur.274.
poteſtas & potentia Antichriſti magna erit.129.
poteſtas ſignificatur per cornu.203.
poteſtatem & decorem dedit deus Chriſto.428.
poteſtatis plenitudinē quomodo habet papa. 469.
poteſtas nulla eſt ſine deo.488,
poteſtas maior maiori timori ſubditur.581.
poteſtas per gladium ſignificatur.715.1541.
poteſtatem Chriſti oſtendit miſericordia ſua.739.
poteſtas temporalis non habet confidentiam.723.
poteſtas mundi dicitur altitudo diei.404.
poteſtas Chriſti apparet ī ſolutiōe peccatorū.1054.
potentia dei dicitur miſericordia.1158.
poteſtas dei vitam noſtram continet.1257.
poteſtas dæmonis quanta ſit oſtenditur.1331.
poteſtas dei quanta ſit.1465.2526.
poteſtas reſurrectionis Chriſti.1472.
poteſtas Chriſti & regnum dicitur cornu.1523.
poteſtas Chriſti ſuperat omnem aliam poteſtatem. 1665.
potentia dei ſignificatur per manum.1730.2260.
poteſtatem habent mali ſupra corpus non ſupra animam.2459.
poteſtatem multam habebant Chriſti verba.2472.
poteſtatis dei conditiones.2526.
poteſtas Chriſti triplex.2527.
potentes mundi & diuites dicuntur montes.2555.
¶ Præceptum Chriſti intelligitur humilitas.70. Pr.
præcepta dei dicuntur via ſed conſilia ſemita.347.
præceptorū obſeruatio eſt deum benedicere. 502.
præcepta dei cuſtodire debemus.1339.
præceptum & iudicium quomodo differunt.1394.
In præcepto quomodo fingitur labor.1627.
præceptorum tria ſunt genera:ſcilicet moralia,iudicialia & cerimonialia.1681.
præcepta & teſtimonia quomodo differunt.1685.
pręceptorum obſeruatio orationem facit exaudiri. 1585.
præcepta dei hic perfecte impleri nō poſſunt. 2161. 2219.
præceptorum obedientia acquiritur ſcientia.2177.
præcepta dicuntur domini teſtimonia.2184.
præcepta duo alæ charitatis dicuntur.2435.
præcepta dei dicuntur vincula.2588.
præcingere quid eſt & quid accingere.232.
præcipitare quid eſt & quid præceps oſtenditur. 856.884.
præcium noſtrum dicitur Chriſtus.981.
præcogitare debemus agenda.2132.2133.
¶ prædeſtinatio eſt duplex:ſcilicet ſecundum præſentem iuſtitiam & ſecundum eternā præſcientiam.769.857.
prædeſtinatio differt ab effectu ſuo.1013.
prædeſtinatio dei dicitur vterus.1144.
prædeſtinationis & reprobationis mira ſunt iudicia.1676.
prædeſtinatio duplex dicitur duplex benedictio.
Contra prædeſtinatioaem diuinam ponitur error pelagii.2326.
Vide Prædeſtinatus.
prædeſtinati ſunt membra Chriſti.228.
prædeſtinatus quomodo deleri poteſt.1121.
prædeſtinatos ſignificat dextera dei.1576.
prædeſtinati vt ſaluentur Chriſtus aſcendit & miſit Spiritumſanctum.1928.
prædeſtinati finaliter non cadunt.2475.
Vide Prædeſtinatio.
¶ Prædicatio ſignificatur per ſonum.97.
prædicatio Chriſti omnia vitia confundit.147.
prædicatio apoſtolorum totum orbē repleuit.213
prædicatio dicitur ſagitta 215.1006.1274.
prædicatio dicitur tonitruum.1761.
prædicatione apoſtolorum ſaturata fuit terra.1767.
prædicatio non proficit ſine gratia.1783.
prædicatio fidei ex Sion proceſſit.1970.
prædicatio fidei dicitur virga virtutis.1970.
prædicatio per turbam ſignificatur. 2592.
Vide Prædicator.
prædicatorem fore credibilem faciunt multa.252.
prædicator ſignificatur per celum.252.1404.1660.
prædicator primo debet addiſcere quam docere. 373.
prædicator per ſagittam figuratur.610.
prædicator quandoque a prædicatione ceſſare debet.634.
prædicator ſignificatur per ceruum.688.
prædicator plus operibus docere debet quàm verbis.776.
prædicator exiſtens in peccato an prædicare poſſit. 825.
prædicatores dicuntur nubes.926.2365.
Prædicatores ſignificantur per galaad.964.
Prædicatores ſignificantur per montes.1016.1179. 1249.2005.2287.
prædicatores quare modo nō faciūt miracula.1059.
prædicatores dicuntur canes.1072.
prædicatores ſunt pedes Chriſti.1072.2469.
prædicator dicitur tonitruum.1155.
prædicatores dicuntur colles.1166.
prædicatores dicuntur fluuius & torrens.1227.
prædicatores primi idiote fuerunt.1273.
prædicator cor docere non poteſt.1274.
prædicatores ſunt eccleſiæ fundamenta.1474.
prædicator fortius debet arguere paeccatores maiores.1643.
prædicator facere debet quæ docet 1643.
prædicator aſſimilatur pellicano.1710.
prædicatorum tria ſunt genera.1710.
prædicatores facit deus ſpirituales & ignitos.
prædicatoribus danda ſunt neceſſaria etiam nō petentibus.1768.
prędicatoribus an liceat mendicare.1768.
prędicatores dicuntur terra.1769.
prædicator tacere debet,quando nō proficit.2086.
prædicatorum opera verbis conformari debent. 2088.2177.
prædicator docere non poteſt aliū,quia ſolus deus docet.2088.
prædicator perdit loquelam,qui non facit quod dicit.2117.
prædicator gratiam dei inuocare debet.2137.
prædicator fabulis non debet vti.2138.2245.
prædicator ſcripturam ſacram prædicare dēt.2247.
prædicator ſine gratia proficere non poteſt. 2299.
prædicatores ſunt excuſſores prophetarum. 2303.
prædicatores ſignificantur per ventum.2366.
prędicatores bonis auditorum paſci debent.2555.
prædicatores dicuntur ſol & ſtelle.2570.
Vide Prædicatio.Lucerna.
prælati quomodo deuorant ſubditos.193.
prælati dicuntur angeli eccleſię.446.
prælati ſignificantur per ceruum.688.
prælati dicuntur arietes.1023.
prælati omnes dicuntur reges.1062.2120.
prælati dicuntur montes.1166.
prælati multa patiuntur à ſubditis.1215.
prælatos repellit deus propter tria.1343.
prælatus debet paſcere ſubditos.1354.
prælatorum peccata ſunt grauiora quam ſubditorum.1412.
prælatum doctor honore præcedere debet. 1681.
prælatio & dominium proceſſit ex vitio.1690.
prælatio quandoque fugere licet.1707.2481.
prælati ſunt cuſtodes eccleſiæ.2300.
prælatorum conditiones.1809.
pręlatus debet habere ſcientiam & charitatē.1814.
prælatis imputantur peccata ſubditorum.1862.
prælatus negligens eſt repellendus.2085
prælationi præualet humilitas.2180.
prælati & prædicatores dicuntur lucerna.2349.
prælati ſignificantur per Aaron.2377.
prælatorum ſol obſcuratus eſt.2388.
Vide Princeps.
prēlium ſpirituale eſt multiplex.384.
pręliantes contra diabolum Chriſtus adiuuat.983.
pręlium quale eſt inter angelos.1751.
Vide Bellum.
præmium maius bonum eſt merito.357.
præmij conſideratio minuit pęnam.478.
præmium correſpondet merito.547.
Pręmium ęternum dicitur iuſtitia.1748.
pręmia ęterna ſignificantur per temporalia bona. 1840.
pręmiorum tempus eſt in futuro,ſed nunc meritorum.1879.
pręmium per ſe intendit lex, ſed pęnam per accidens.1254.
pręmiū ęternum per manipulum ſignificatur.2398.
pręmium noſtrum dicitur laus dei.2380.
Vide Meritum.
pręoccupare quid eſt.884.
pręſcientia quomodo cadit in deo oſtenditur. 55. 684.
pręſcientia dei iam ordinauit omnia.1229.
pręſcit deus omnia.2430.
preſcire aliud eſt,& aliud pręuidere.2430.
præſcitus quilibet finaliter cadet.2475.
prætendere quid proprie ſignificat.562.
præterito modo prophete prædicunt futura.2137.
præuaricatio quid ſit.1696.
præuenit nos miſericordia dei.1363.
præuenitur à deo oratio noſtra.1463.
præuenire eſt multiplex:dei & hominis.1494.
præuidere aliud eſt,& aliud præſcire.2430.
primogenitus dicitur dupliciter:ſcilicet affirmatiue 134.
primogenitus dicitur Chriſtus multipliciter.1526.
primogenita dicuntur fides & peccatum.2366.
princeps ſignificat oēs hęreticos & infideles. 340.
princeps mundi dicitur diabolus.1048.
principes dicuntur angeli.2001.2256.
principibus fuit xp̄s pręſētatus & martyres.2098.
principes & amici dei ſunt angeli & apoſtoli.2443.
principes dicuntur demones.2539.
Vide Punire
principium proprie dicitur deus pater.1971.
principium eſt multiplex.1971.
principium verborum dei eſt fides.2233.
probatio contra hæreticos non valet niſi ex ſenſu literali 8.
probat nos deus per aduerſa.368.
probat deus ſuos multipliciter.1013.2428.
problema quid ſit.1279.
procella ſignificat ſuperbiam.139.
prodigalitas minus vitiū eſt quam ſit auaritia.641.
prodigus filius ſignificat gentiles.2429.
procidere quid eſt.1172.
prodigium quid ſit.762.
peodigia dicuntur mirabilia dei.1794.
profanare quid ſit.1530.
proficere deo non poſſumus nec nocere.174.
profundum dicitur infernus.1107.
profunditatem deus habet.2119.
profundum eſt multiplex.2319.
proiicit nos deus & qualiter.1264.
promiſſio dicitur Chriſtus.910.
promiſſiones Chriſti dicuntur ſcapule eius.1573.
promiſſiones dei dicuntur teſtimonia.2225.
promiſſio apud deum pro voto reputatur. 2333.
promiſſa omnia ſeruat deus.2529.
promptuarium dicitur antiquum cellarium. 2522.
prope eſt deus humilibus.1453.
prope fuit Chriſtus iudęis.1453.
prope eſt deus omnibus & præſens.2224.
prope quomodo dicitur deus cum ſit vbique. 2534.
prophetia multipliciter reuelatur.in prologo.
prophetia eſt multiplex,& multipliciter rtuelatur. 1804.

Prophete dicuntur nubes.212
prophetarum lingua & ſcriba eſt ſpirituſſanctus. 736.
prophete ſpirituſancto loquuntur.861.
prophete defecerunt in iudeis.1221.
prophetarum quis fuerit ſummus, moyſes an dauid.1683.
prophetis non ſemper adeſt ſpiritus prophetie. 1694.
prophete excutiuntur per apoſtolos.2033.
prophete per ephratam ſignificantur.2337.
Vide Lapis.
propicius quid proprie dicatur.355.2322.
propiciatur nobis deus.1012.
propiciatio dicitur chriſtus.1322.
propoſitū bonum conatur diabolus impedire.347.
propoſitum malum mutare virtus eſt.2201.
proſpera hic habēt mali,ſed boni aduerſa.239.2514.
proſperitatibus deficit eccleſia.448.
proſperitas vite preſentis multis aſſimilatur. 567.
proſperitatem propriam & nō dei querere, eſt peccatum.572.
proſperitas mundi nulla ſtabilitate firmatur. 575.
proſperitas malorum nocet illis. 577.
proſperitas mundi eſt ſignum diuine reprobationis.578.
proſperitas mundi non durat.583.
proſperitas hominem deficere facit.611.
proſpera plus nocent quàm aduerſa.645.
proſperis mali ad infernum trahuntur.700.
proſperitas inducit ſuperbiam.2.727.2146.2186.
proſpera claudunt oculos mentis quos aperiūt aduerſa.728.
proſpera ſancti plus timent quam aduerſa.365.
proſpera & aduerſa proficiunt bonis.1017.
proſperitas malorum non eſt vera.1201.
proſperitas dicitur dies.1481.1587.2438.
proſperitas non probat amicos.1488.
proſperitas eſt ex miſericordia dei.1501.1587.
proſperitas malorum eſt illis fouea.1620.
proſperitas per auſtrum figuratur.1883.
proſperitas duplex.2071.
proſperis conſtringitur cor, & dilatatur aduerſis. 2107.
proſpera promittit lex antiqua, ſed noua aduerſa. 2113.
proſperitas non eſt conſolatio iuſtis, ſed aduerſitas.2216.
proſperis non probatur patientia, ſed aduerſis. 2230.
proſperitas ducit ad mortem, ſed aduerſitas ad vitam.2416.
proſperitas corpus fatigat.2437.
proſperitatis & aduerſitatis tempore laudādus eſt deus.2517.
Vide Aduerſitas.Somnium.
proſternere nulli ſe debet homo ſed ſoli deo. 1636.
protector noſter eſt deus. 438.1140.
Protegit nos deus.1000.
protectio dei hominem cuſtodit.1570.
protegit deus ſe timentes.2020.
proximi dilectio eſt deum benedicere.502.
proximus ſine cognitione diligi non poteſt. 2094.
prudentia eſt multiplex.1810.
pruina quid ſit oſtenditur.1329.
Pſ. ¶Pſalmi non eodem ordine ponuntur in pſalterio, quo facti fuerunt in prologo.
pſalmi quare plus leguntur in eccleſia alijs ſcripturis.in prologo.
pſalmi graduales quare ſic dicuntur.2250.
pſalmus quid ſit.2547.
Vide Pſalterium.
pſallere quid ſit.389.2542.
pſallere plus ſtat in opere,quam in voce.771.772.
pſallere non poteſt qui charitatem nō habet.2507.
pſalterium quid ſit decem chordarum 8.791.1392.
pſalterio qualiter deus laudatur.708.
pſalterium eſt vnus liber:& non plures.1880.
pſalterium & cithara dicitur chriſtus.1925.
pſalterium diuiditur in tres quinquagenas, & quare.2590.
¶Pudor quid dicatur.1151. Pu.
puerorum laus maior fuit quam angelorum.84.
puer dicitur peccator.989.
puer dicitur chriſtus.1109.1472.1671.
puer accipitur multipliciter.1995.
pueri dicuntur ſancti.1995.
puer quis proprie dicatur.2206.
pugnant hypocrite contra deum.1792.
pulchritudo differt à ſpecioſitate.739.
pulchritudinem mentis & corporis euchariſtia requirit.1647.
pulchritudinem & decorem habet confeſſio.1647.
pulchritudo glorie cęleſtis.2527.
pulli coruorum ſunt gentiles conuerſi.2556.
pulſus ſuo motu manifeſtat amorem.479.
puluis ſignificat peccatores.5.527.432.
punire ſtatim peccatorē eſt opus miſericordie.115.
punitio peccatorum eſt opus dei.405.
punitio peccati dicitur ira dei.425.
punitio peccati eſt magne vtilitatis.573.
puniri oportet peccatum 574.595.830.835.
punitur populus peccato principis.774.1914.
punire peccata differt deus ꝓpter multa.1302.1351.
punit deus grauius quos diu tolerauit.1365.
punit peccatorem omnis creatura.1552.
punit nos deus manſuete.1562.
punit deus quandoque vt parcat, qaandoque vt dānet.1563.
punitio peccatorum eſt magnum dei beneficium. 1689.
puniri ſtatim debent peccatores.1702.
punire peccatorem eſt ſignum amoris.1711.
punit deus peccata citra condignum. 1741.
punitio ſignificatur per operire.1851.
punitur filius pro peccato patris.1860.1950.199.
puniuntur pauci peccante multitudine.1863.
punitio vnius corrigit multos.
puniuntur equaliter facientes & conſentientes. 2290.
Vide Pœna.
pupilla oculi dicitur homanitas chriſti.192.
purgantur boni per malos.1740.
purgatorium quid ſit,& vbi.108.
purificat nos conſpectus dei.686.
purificat animam tribulatio.2497.
puritas ſacerdotum quanta debet eſſe.507.
puritas facit orationem exaudiri.1109.
An putas,idem eſt quòd forſitan.2281.
puteus dicitur infernus.900.1107.
QVadraginta numerus ſignificat omne tempus.1640. Qu.
Quadraginta eſt numerus penitentiæ deputatus.1640.
quare tenetur multipliciter.8.
quaſi tenetur multipliciter.
querere debemus deum & qualiter.1125.
querere cauſam diuine voluntatis eſt fatuum.1988.





Querendus eſt deus toto corde.2078.
Quærens omnis inuenit,& quipetit accipit. 2119.
Quęrere debemus miſericordiam & non iuſtitiam.2197.
Querit nos chriſtus,& nos querimus chriſtum. 2249.
Querens ſibi de bonis que facit gloriam, eſt lingua doloſa.2231.
Querere debemus deum per orationem. 2534.
Quies fidei per nidum ſignificatur.1433.
Quietem in præſenti iuſti non quęrunt. 1496.
Quies bona eſt multiplex.1641.
Quietem habemus in deo:non in mundo.2035.
Quies & otium ſunt periculoſa.2156.
Quietem peccator habere non poteſt.2206.
Quoniam multipliciter tenetur.190.
RAab meretrix ſignificat getes.1676.
ratio intelligitur per vultum.35.
Ratio per hominē intelligitur.253.
ratio oris dicitur oratio.1943.
radix ōnīū bonorum eſt charitas.7.
radix oīm malorū eſt cupiditas.857.
ramos arborum quare chriſto proſternebant in via pueri,1653.
rana ſignificat aliqua peccata.1327.
rana ſignficat vaniloquos & garruloſos.1818.
rapinam committit omnis peccator.1094.
raptores ſignificantur per herodium. 1772.
raptus Pauli fuit mentis exceſſus.1076.
¶ reatus peccati quid proprie eſt.466.
rebellat concupiſcentia voluntati.1890.
recedit deus à nobis & qualiter.112.
recens deus quis dicatur.1398.
¶ recidiuatio,reliquię infirmitatis ſunt cauſa recidiuationis.606.
recidiuatio peccati eſt cicatricem putreſcere.613.
recidiuatio peccati ipſum aggrauat.1297.
recordatio & obliuio quō cadit in deo.349.1324.
recordatio ſtatus noſtri lacrhymas inducit.601.
recordatio beneficiorum præteritorum ſpem futurorum indicit.695.
vide beatus.
rector aliorum non debet eſſe perſonarum acceptor.759.
recta eſt omnis iuſtitia,& nō tamē omnibus.260.
rectus & dulcis dicitur deus.352.
rectꝰ quis dicatur,& quis curuus.480.1987.2485.
rectum dicitur verbum domini.484.
rectitudo hominis qd ſit,& que eiꝰ curuitas.614.
rectum cor quid dicatur.1318.
reddere multas habet ſpecies& modos.67.535.1941
reddere dicitur Chriſtus ſacramentū euchariſtie. 217.
redimi debuit homo ꝑ animal rationale.65. 389.
redempti ſumus ſanguine chriſti.377.533.
redimit nos chriſtus perfecte.431.1271.
redemit chriſtus omnes quo ad ſufficientiam.521
redemi debuit homo,& non diabolus.564.1745.
redemptio noſtra ſolum per chriſtum potuit fieri 667.794.803.
redemit chriſtꝰ aliter electos,& aliter reꝓbos.895
redimit nos chriſtus multipliciter.1844.1882.
redemptio & ſapientia dicitur chriſtus.1844.
redimitur pena ęterna per temporalem.2211.
redemit mundum chriſtus iuuenis & deſpectus. 2214.
redemit nos ſolus chriſtus.2325.2325.2403.
redimere idem eſt quod iterum emere.2408.
Vide,Redemptor.
Redemptor noſter dicitur chriſtus.267.
redemptor noſter an ſit ſolus chriſtus.2403.
Vide Redemptio.
Refecit nos chriſtus & qualiter.326.
refloruit caro chriſti in reſurrectione.408.
refrigerium quid ſit propriè.1033.
refugij domus eſt chriſtus & eccleſia.438.
refugium noſtrum eſt chriſtus.439.755.
refugium altum eſt chriſtus & qualiter.1578.
refugium moyſi qualiter fuit deus.1629.
refugium nobis factus dicitur deus,& quomodo. 1629.
regitur mundus à deo,& non fato.91.
ręgit deus etiam omnia inferiora. 566. 1508. 2574.
regere alios debēt humiles,ſed ſuperbi debēt regi 1780.
regnum chriſti quomodo fuit dilatatum.321.
regnum iſrael quare tribui iudę debebatur. 1351. 1841.
regnum Chriſti ſignificatur per cornu.1523.
regnum Chriſti ſpirituale,& non temporale. 2528.
regnum Chriſti anima noſtra.2528.
regna fuerunt quatuor captiuantia iudæos. 150.
reges contra chriſtum aſtiterunt & qui.9.
rex omnium chriſtus. 13.379.735.744.767. 1164.
rex quomodo differt à tyranno.168.
res ad bellum periculoſum non debet accidere. 268.
regis nobilitate regnum nobilitatur.304.
rex gloriæ chriſtus.341.
regem confirmat amor ſubditorum.773.
rex iudæorum & dominus dicitur chriſtus. 952. 1517.
rex dicitur quilibet iuſtus.968.2423.
reges dicuntur prelati.1062.2120.
rex & ſacerdos fuit Aaron:1277.
reges terræ chriſtus confregit ipſum perſequentes.1973.
rex & ſacerdos eſt chriſtus.2582.
reges mundi per piſcatores capti fuerunt.5288.
regio quadruplex dicitur eſſe. 037.
Regnabit antichriſtus in iudæis.1417.
relatiua quomodo dicuntur de deo.1164.
religio dicitur atrium.412.
relinquit deus aliquos multipliciter.2084.
reliquię iuſtorum ſunt bona opera ipſorum.
reliquię quid proprie dicuntur oſtenditur. 1255.
Vide,recidiuatio.
remiſſio peccati præſupponit contritionem,& 751.
remittuntur peccata noſtra multipliciter. 1445
remittuntur peccata ſola gratia dei.466.
remittere peccata quomodo poſſunt ſacerdotes 469.
remittuntur peccata abſque cōfeſſione,& qualiter.571.
remittit nobis deus,quando peccata delet. 649.
rem publicam auget iuſticia.168.
renes ſignificant delectationes exteriores. 2539.
enouatio,ad ſimilitudinem renouationis aquile renouatur penitens.1736.
repellit nos deus & qualiter.705.718.
repellit deus peccatores quando ipſos conuertit 958.

Reprobatio malorum eſt ab ęterno.227.
Reprobatio eſt duplex, ſicut eſt prædeſtinatio. 857.
Reprobatus quis dicitur multipliciter.1121.
Vide prædeſtinatio.
Requies patrię qualis erit.2346.
Requiem nos habituros dubitare debemus.2546
requieſcit deus in nobis:quia nos in eo.2345.
reſiſtere deo quomodo quis poteſt.192.1252.
Reſpectus dei reuocat peccatores.2432.
Vide,Reſpicere.
Reſpicere dei eſt miſereri,150.360.303.493.873 1385.
Reſpicere dei eſt incarnatio chriſti.152.1722.158.
Reſpicere dei eſt exaudire.444.541.1720.
Reſpicere dei quid proprie eſt.1439.1385.
Reſpondere deo interroganti quid eſt.137.1726.
Reſpondere diabolo tentanti nos docuit Chriſtus.2116.
Reſtes dicuntur peccata.2456.
Reſurrectio multiplex.6.
Reſurgent mali in iudicio,& qualiter non.6.
Reſurrectio noſtra quare vſque in finem differtur.25.311.813.
Reſurrectio chriſti fuit magnę miſericordię & iuſticiæ.64.918.
reſurrectione ſatiatus plene fuit chriſtus. 200. 282.
Reſurrectio chriſti fuit opus magnę lętitiæ. 272. 124.
reſurrectio chriſti dicitur ſuſceptio matutina.291
Reſurrectio chriſti eſt cauſa & forma noſtrę reſurrectionis.424.918.
Reſurrectio chriſti mane fuit.426.802.
Reſurrectio chriſti recuperauit perditam fidem. 731.
Reſurrectio chriſti per ſardonium ſignificatur. 834.
Reſurgente chriſto, multi alij ſurrexerunt. 839.
Reſurrectionis articulus declaratur.875.
reſurrectio chriſti per manè ſignificatur.894.
Reſurrectio chriſti gloria carnis.924.
Reſurgit homo,cum à ſeruitute peccati liberatur.1024.
Reſurrectio chriſti per arcam eleuatã figuratur. 1048.
Reſurrectio chriſti dicitur ſuſceptio.1122.
Reſurrectionis chriſti poteſtas.1472
Reſuſcitauit chriſtus tres mortuos.1491.
Reſurrectionis futurę teſtis eſt chriſtus.1535.
Reſurrectio chriſti ipſum exaltauit.1928.
Reſurrectione accepit chriſtus nomen dei,& qualiter.1928.
Reſurrectio per locuſtam ſignificatur.1959.
Reſurgit homo poſt peccatum fortior per pœnitiam.2061.
Reſurrectionis dies eſt magnæ letitiæ.2070.
Reſurrectio chriſti dicitur cuſtodia matutina. 2324.
Reſurrexit immortalis ſolus chriſtus.2324.
reſurrectio noſtra eſt opus miſericordię dei.2325
Reſurrectio futura perſuadetur exemplis. 2383.
In chriſti reſurrectione ſol per tres horas ante ſurrexit.2438.
retribuit deus bonis & malis multipliciter. 227.
Retributio bonis duplex.263.
Retributionis multæ ſunt ſpecies.535.2092.
retribuere & tribuere quomodo differunt.2040.
retribuere pro beneficijs nõ poſſumus deo. 2040
retribuit pro nobis chriſtus moriendo.2427.
retrorſum conuerſus fuit diabolus per chriſtum. & quomod.093.
retrorſum peccator conuertitur per pœnitentiam.669.
retro cadere quid eſt.726.
reuelatio prophetię fit multipliciter.in prologo.
reuelamus deo facta noſtra & qualiter.570
reuelationes multas habuit Dauid.839.
reuelare quid eſt:2093.
Vide,Oculus.
reuerentia multa debetur eccleſię.43.
reuerentia quandoque accipitur pro verecundia 1111.
reuereri quid ſit,1123.1163.
reus omnium factus eſt,qui offendit in vno.2082
¶ rigant ieiunium lachrimę pauperum. 2296. Ri.
¶ roborat in aduerſis nos ſacra ſcriptura. 2165. Ro.
rogare quandoque idem eſt quod interrogare. 2269.
romani dicuntur ferę arundinis.1080.
romani fuerunt iudęis laqueus.1115.
romani per ſuperbiam ſignificantur.1215.
romani quomodo captiuauerunt iudęos.1946.
ros ſignificat gratiam ſpiritusſancti. 2353.
rota ſemper cadit ante,& retro eleuatur.450.
rota dicitur quidam flos.1425.
rota ſignificat inſtabilitatem.1425.
¶ rubigo ſignificat impatientem.1823.
rubrum mare dicitur propter ripas quas habet. rubras.51841.
ruina angelorum ex hominibus reſtauratur.1974
SAbbatum multipliciter accipitur. 334.609.775.1586. Sa.
ſaccus ſignificat carnem.434.
ſacerdos & rex fuit chriſtus. 379. 2582.
ſacerdotes quomodo peccata remitunt.469.
ſacerdotes quomodo habeãt eccleſię claues..469
ſacerdotum quanta puritas debet eſſe.507.
ſacerdotum auarita oſtenditur.1100.
ſacerdotum veſtis qualis erat.1189.
ſacerdotes antquitus iudicabant populum. 1515.
ſacerdos fuit moyſes.1683.
ſacerdotes angelis debent aſſimilari.1972.
ſacerdotes dicuntur omnes iuſti.2340.
ſacerdotes alijs debent eſſe meliores.2340.
ſaciat nos ſcramentum euchariſtiæ .318.
ſaturitas multiplex.1849.
ſatiare non poſſunt diuitię temporales.509.569. 582.
ſatiant ſuos bona æterna.458.1889.
ſatiare deſideriũ noſtrum ſolus deus poteſt.2304
ſatiari chtiſti carnibus dupliciter aliqui cupiunt. 2562.
ſatietatis gloria qualis eſt.2562.
ſacramenta eccleſię quare ſunt ſeptem.413.
ſacramenta eccleſiæ efficaciam habuerunt in chriſti paſſione.542.1723.
ſacramenta per capillos ſignificantur.2016.
Vide Porta,iuſtificationes.
ſacrficium iuſtitiæ dicitur ipſa pęnitentia.34.
ſacrificium dicitur paſſio chriſti.270.
ſacrificium, oblatio,& holocauſtum quomodo differunt.658.
ſacrificia omnia antiquę legis per euchatiſte ſa-





Sagitta dicitur tenratio & vana gloria.1575.
ſalices ſunt virides & ſteriles: ideo ſignificat bonos & malos.2408.
Salmana quid ſignificat oſtenditur.1423:
ſalomon fuit idololatra.1529.
ſalomon vtrum ſit ſaluus.1531.
ſalomon ſignificat chriſtum.2299.
ſaluat deus ſperantes in eum dupliciter.298.
ſaluare nullus poteſt ſeipſum.495.
ſaluat nos chriſtus.716.1069.166.1842.
ſaluat nos ieſus multiplex.869.883.1139.
ſaluantur aliqui ſibijpſis aliqui deo. 1669.
ſaluamur per chriſtum:& non ex operibus noſtris 2067.
ſaluatio idem eſt quod fortitudo operis & animę. 2219.
ſaluare quos vult deus,hic punit.222.
ſalutem noſtram chriſtus ieiunauit.537.
ſalus à ſolo deo poteſt eſſe.607.
ſalutem noſtram chriſtus operatur.714.
ſalus noſtra in aduerſis conſiſtit.992.
ſalus noſtra quomodo factus eſt deus.2061.
ſalus noſtra eſt chriſtus.2067.2071.
ſalus duplex,quã alia dextere,alia ſiniſtre.2426.
ſaluare dicitur chriſtus.105.146.155.272.662.979 1043.1450.2115.2247.
ſalutare dicitur ipſa reſurrectio chriſti.282.
ſamuel fuit benignitatis exemplum.1249.
ſanare nos deus differt ad noſtram vtilitatem.56.
ſanant animam aduerſa,& ipſam ſanitatem conſeruant.677.
ſanat animam corporis infirmitas.1897.
ſanat animam contritio.2549.
ſanitas omni moda fuiſſet,ſi non fuiſſet peccatum 611.
ſanctificatio dei qualiter fuit iudęa.2003.
ſanctificium quid.ſit.852.
ſanctitudo competit clericis,ſed ſanctitas laicis. 1607.
ſanctitas noſtra eſt dei & noſtras.225.
Vide ſanctitudo.
ſanctuarium dei eſt ſcriptura.1200.
ſanctuarium dei dicitur chriſtus.1200.
ſanctuarium dei eſt chriſtus & quilibet iuſtus. 1424.
ſanctorum cõmunionem ſignificat chryſopaſſus lapis.868.
ſancti dicuntur nubes.1084.
ſanctus quis dicitur multipliciter.1459.2525.
ſanctus abſolute dicitur chriſtus.1459.1929.
ſanctorum circuitus multiplex.1508.
ſancti dicuntur veſtes dei.1755.
ſanctorum conſilium ſunt ipſorum exempla. 1976.
ſancti dicuntur pueri.1995.
ſancti dicuntur montes.2256.
Ad ſanctos oculos leuare debemus.2256.
ſancti ſuis exemplis auxiliũ nobis præſtãt. 2256.
ſancti ſuis exmplis nos ad bonum prouocant. 2264.
ſanctorum paſſio erat cauſa conuerſionis infideli um.2293.
ſanctos ſuos probat deus multipliciter.2428.
ſancti propriè dicuntur in nouo teſtamẽto.2625
ſancti iudicabunt malos.2586.2587.
Vide bonus.iuſtus.
Quare communicantibus non datur calix ſanguinis chriſti ſicut datur hoſtia:vide verſi. 960.
ſanguis multiplex aſpergebatur antiquitus. 840
ſanguine cor dilatatur.841.
ſanguis ſecundum grammaticos non dicitur pluraliter licet hoc ſcriptura dicat.837.
ſanguis ſpiritus & aqua quomodo dant teſtimonium.1283.
in ſanguinem conuerſa aqua eſt ſapiẽtia mundia. 1326.
ſanguis ex timore contrahitur interius.1538.
ſanguis ſignificat peccatum.1869.
ſanguinem peccati effundere debemus & qualiter.1869.
ſanguis martyrum fecundat eccleſiam.2472.
ſangne chriſti & non animaliam congtegantur fideles.177.
ſanguis chriſti per calicem ſignificatur.331.1020.
ſanguis chriſti dicitur noſter potus.960.
Vide Paſſio chriſti.
ſanſon ſignificat ſpiritum.1432.
Per ſapphirũ declaratur ſecundus articulus fidei. 701.
ſapientiam in nobis cauſat amor dei.772.
ſapientia dicitur chriſtus.790.1564.
ſapientia mundi non dat confidentiam bonis. 793.
ſapientia mundi decipitur & quare. 897.
ſapientia ſignificatur per aurum.1178.
ſapientia mundi eſt ſanguis conuerſus ex aqua. 1326.
ſapientia eſt filius dei,quo facta ſunt omnia. 1778
ſapientia & redemptio dicitur chriſtus.1834.
ſapientia per aquam figuratur.1915.
ſapientia & poteſtas ſunt manus dei.2146.
ſapientia ædificauit ſibi domum eccleſiæ & qualiter.2299.
ſapientia dicitur vxor noſtra.2307.
ſapientia ad modum vitis ligat beatos.237.
ſapientia mundi chriſto comparata, nihil eſt. 2471.
ſardus lapis ſignificat chriſtum.707
ſardius lapis ſignificat aſcenſionem chriſti. 841.
ſardonius lapis ſignificat chriſti deſcenſũ ad inferos & reſurrectionem.832.834.
ſatiſfecit chriſus pro nobis.47.65.431.662.1455.
ſatiſfactionis pars quę plus valet oſtenditur.474
ſatiſfacere pro peccato nullus homo poteſt. 834.
ſatiſfactionis tres ſunt partes ſpeciales.846.
ſaturnus planeta mortificatiuus ſignificat peccatum quod mortificat.752.
ſaul ſignificat mortem.201.
¶ ſcabelum chriſti eſt multiplex.1682.
ſcandalum quid ſit oſtenditur.829.1115.2456.
ſcandalum non habet diligens dei legem.2338.
ſcapulę chriſti ſunt exempla eius nobis relicta. 1573.
ſcapulę chriſti ſunt promiſſiones eius.1573.
ſcenophegia feſtus dies iudęorum quid dicitur. 1220.
ſchiſma multa mala facit in eccleſia.412
ſchiſma eſt magnum peccatum.891.
ſcientia per cherubim ſignificat ſupra quos Chriſtus aſcendit.211.
ſcientia ſignificatur per ſolem & lunam.253.
ſcientia ſignificatur per aquam.757.1915.
ſcientia peccatum aggrauat 839.
ſcientia mundi decipit.915.
ſcientia dei omnia nouit.1194.

Sinifer idem quod zinzali. 1819.
ſhire dicitur dupliciter.7.
Scire dei dicitur multipliciter.470.
ſcire duplex,ſcilicet practicæ & ſpeculatium.2087.
Scire quandoque idem eſt quod facere.2101.
Scire aliquid aliud eſt:& aliud ſcire ordinem eius. 2102.
Scit deus multa ſpecialiter.1618.
Scribarum concordia de chriſto oſtenditur.1454.
Scriptura ſacra per glandum ſignificatur.76.
Scriptura ſacra dicitur celum.83.
Scriptura ſacra per arcum ſignificatur.134.934.
Scriptura ſacra ſeptem donis ſpirituſſancti ornatur.47.
Scriptura ſacra per aquam ſignatur.212.216.
ſcriptura ſacra dicitur paſcua.325.
Scriptura ſacra dicitur ſagitta.610.
Scriptura ſacra omnium ſcientiarum dicitur regina.745.
ſcripturam ſacram audire eſt magnę vtilitatis.746.
Scriptura ſacra dicitur fluuius.758.
Scripturaте ſacrę verba ſunt mollita.898.
Scriprura noua in veteri continetur.949.
Scriptura ſacra omnibus quęſtionibus reſpondet. 988.
Scriptura ſacra omnibus conuenit.1063.
Sacriptura ſacra per ſtillicidia ſignificatur.1169.
Scriptura ſacra dicitur ſanctuarium.1200.
Scriptura ſacra dicitur calix.1242.
Scriptura ſacra manet,ſed locutio tranſit.1479. 1721.
Scriptura dicitur teſtamentuum.1257.1797.
Scriptura ſacra non ſemper allegatur de verbo ad verbum.1655.
Scriptura dicitur teſtimonia Chriſti.2078.
Scripturæ ſacrę dicuntur vię teſtimoniorũ. 2089.
Scripturam ſacram memorie cõmendare debemus. 2301.
Scripturæ ſtudium omnia alia excedit opera.2151.
Scripturæ ſacræ vtilitas.2165.
Scriptura in aduerſis roborat mentem. 2165.
Scriptura ſacra fauo mellis comparatur. 2176.
Scriptura ſacra cibus noſter dicitur. 2176.
Scriptura ſacra dicitur cibus & potus.1176.
Scripturæ ſacrę ſtudium damones impedire conantur.2188.
Scripturæ ſacræ ſtudens ab omni vitio debet eſſe mundus.2188.
Scriptura ſacra docet voluntatem dei.2202.
Scriptura ſacra quanquam ſcecundum literam exponi non poteſt.2406.
Scriptura ſacra dicitur lucerna.2349.
Scriptura ſacra habet ſtaturam altitudinem & horribilem aſpectnm.2356.
Scripturæ verba dicuntur delitię.2437.
Scripturæ verbis obumbrat nos dominus.2458.
Scripturæ verba & exempla ſanctorum dicuntur carbones.255.
Scriptura ſacra reuelatur humilibus,non ſuperbis 2552.
Scripturæ obſcuritas vtilis.22.2552.2554.
Scripturæ intellectus requirit humilitatem & opera bona.2553.
Sriptura ſacra dicitur glaudius bis aeutus. 2586.
Vide.Menſa.
Scrutari non debent mirabilia dei ſed credi. 1790. 1591.
Serutari mirabilia dei qualiter licet.2202.
Sculptile quid ſit t.1341.
Scutum ſignificat obſtinationem.763.
Scutum dicitur gratia Dei.1574.
Scutum ſignificat fidem & coronam victoriæ.53.
¶Seculares dicuntur Deum timere.2051.
ſeculum ſeculi ſignificat perpetuitatem.95.
ſeculum ſeculi quid dicitur.596.
ſeculum quid proprie dicatur.1224.1880.
ſeculum eſt multiplex.1369.
ſecula in plurali quid ſint oſtenditur.1404.
ſeculum ſignificat æternitatem.2118.
ſeculum accipitur multipliciter.2331.
ſeculo quis dicitur mortuus & quis mortuus ſeculi.2488.
ſecuritas beatitudinis oſtenditur.491.
ſecuritas negligentiam parit.877.1135.
ſedere cum aliquibus ſignificat cum illis pacem habere.371.
ſedere dicitur Deus & qualiter.734.
ſedere ſignificat peccare ex deliberatione 929.
ſedebant antiquitus iudices in porta ciuitatis. 1103.
ſedet Chriſtus in corde bonorum primus.1453.
ſedet Deus ſuper Cherubim & qualiter.1678.
ſedit Dauid à dextris Dei & qualiter.1968.
ſedit Chriſtus in cruce & gloria.1968.
ſedere ſignificat humilitatem & exaltationem. 2301.
ſedit Chriſtus ſuper ſedem Dauid & quomodo. 2342.
Vide Sedes.
ſedi iudiciali pellis mali iudicis fuit affixa.742.
ſedes Chriſti ſunt omnes iuſti.1504.2268.
ſedes iniquitatis ſunt omnes iniqui.1627.
ſelinon ſignificat gentiles.1062.
ſemen alicuius dicũtur eius imitatores.314.1130. 1795.
ſemen dicitur corpus noſtrum quod ex ſemine generatur.357.
De ſemine Dauid quomodo dicitur eſſe Chriſtus 1328.
ſemen verbi Dei ſeminatum fuit per apoſtolos. 1917.
ſemen noſtrum dicũtur opera noſtra.1987.2296.
ſemen paruum arborem magnam continet.2575
ſemita ſignificat charitatem.189.347.
ſemita dicitur ſecreta viuendi regula.327.
ſemita dicitur Chriſtus.395.
ſemita dicuntur conſilia.1276.
Semita quid ſit & quid via.347.1332.
ſemita & via dicitur lex euangelica.2110.
ſemper ſignificat totum tempus vitæ præſentis. 2118.
ſemper ſignificat omnia.2118.
ſemper ſignificat plus quam die ac nocte.2190.
ſenatores vnde ortum habuerunt.1594.
ſenectutis conditiones oſtenduntur.1147.
ſenectus & ſenium quid ſint.1156.
ſenes multas malas conditiones habent.1561.
ſenes aliquas bonas conditiones habent.1595.
ſenes dicuntur peccatores.2713.
ſeniles mores melius in iuuene ſedent.2220.
ſenes ſignificant iuſtos.2572.
ſententia Dei mutari poteſt ſed non conſilium. 271.49.
ſententia vltimi iudicij an dabitur verbis.811.
ſententia aliqua dicitur iniuſta multipliciter. 1628.
Seon rex amorreorum ſignificat cõcupiſcentiam luxurioſorum.2369.



¶Septem.quare ſeptem ſunt pſalmi pœnitentiales.57.
Septẽ donis ſpirituſſancti ornatur ſcriptura.147.
Septem dona ſpirituſſancti habuit Chriſtus.150.
ſeptem ſunt ſacramenta eccleſiæ,& quare.413.
ſeptem ſignificat viam futuram, & ſex præſentem.875.
Septem ſignificat vniuerſitatem.1238.1368.
Septem ſunt tribulationes vitæ præſentis.2250.
Septem ſignificat legem antiquam.2250.
ſeptem ſignificat multa.2237.
ſepties in die quare cadit iuſtus.2237.
Sepulchrum patens fuerunt Iudæi Chriſtum perſequentes.49.160.
Sepultura Chriſti per ſmaragdũ ſignificatur.812.
ſepulchrum Chriſti qualiter ſignatum fuit.938.
ſepulchrum Chriſti ſignificat lutum.1106.
ſepulchrum dicitur quilibet guloſus.1312.
ſepulturam negare mortuis crudelitas eſt.1358.
ſepultura malorum & bonorum quomodo differt.1358.
ſepulchrum animæ dicitur corpus.1492.
ſepulchra ſunt corpora malorum.2508.
ſeraphim eſt quidam ordo angelicus , & quid ſit oſtenditur.1752.
ſermones ſcripturæ ſunt molliti.899.
ſermones dicuntur opera noſtra.905.1990.
Vide Verbum.
ſerpens æneus ſignificat Chriſtum.1900.
ſerpenti comparantur adulatores.2453.
ſeruat nos Deus aliter & aliter cuſtodit.148.
ſeruit Deo populus quem non cognouit & qualiter.247.
ſeruitia coacta Deo non placent,ſed libera.2170. 2181.
ſeruire debemus etiam dominis malis.2288.
Vide Seruus.
ſeruus mundi dicitur peccator.1013.
Serui dicuntur patres antiqui.1130.
ſeruitus eſt multiplex: ſcilicet peccati,corporis,& gratiæ.1688.
ſeruitus eſt duplex.1731.
ſeruitus mala peccati,multipliciter nocet.1867.
ſeruitus mitigatur bonitate domini.2165.
ſeruus Dei quis dicitur.2198.
ſeruitus multiplex.2208.
ſerui cur dicuntur fideles cum ſint filij Dei.2274.
ſeruus Dei ſpecialiter quare dict᷒ eſt Dauid.2341.
ſeruus & filius dicitur Chriſtus.2401.
ſerui dñi multiplici ratione eſſe debemus. 2355.
ſeruus dicitur quilibet iuſtus.2359.
ſeruus dicitur Chriſtus.2498.
Vide Seruire.
ſex ſignificat præſentem vitam, ſed ſeptem futuram.875.
ſex eſt numerus perfectus & quare. 2319.
Si. ¶Si accipitur multipliciter.863.
ſichiſma ſignificat gentiles.963.
ſicut accipitur multipliciter.3.
ſicut & tanquam notant ſimilitudinem.1346.
ſicut , quaſi & tanquam accipiuntur multipliciter.2291.
ſignum quid ſit oſtenditur.1217.
ſignum ſignificat prophetas.1221.
ſignum eſt multiplex.1815.
ſigna multa dat Deus peccatoribus vt conuertantur.2367.
¶Silentium.quid ſit ſilere Dei.546.648.
Silent quandoque licite prædicatores.634.
Silentium à nobis exigit Deus.2462.
ſilẽtiũ & loquela diſcretionẽ debẽt habere.2467.
ſylua ſignificat peccatores.1426.
ſyluarum ligna erant gentiles.1653.
ſylue campi ſunt gentiles.2337.
Symbolum Apoſtolorum & eccleſiæ.488.
ſimilis Chriſto nullus dicitur.531.1464.1506.
ſimilis Deo qualiter dicitur homo.1158.1464.
ſimiles idolis ſunt idololatre.2376.
Vide Similitudo.
ſimilitudo, in ſimilitudinem gentibus quomodo fideles ſunt poſiti.723.
ſimilitudo eſt duplex.1158.
Vide Sicut.
ſimulatio quandoque videtur licita.501.
¶Simulachrum, omnis homo & omne animal perfectius eſt ſimulachro.2016.
ſimulachris ſimiles ſunt peccatores & damnati. 2017.
ſynagoga idem eſt quòd congregatio.70.
ſynagoga quomodo differt ab eccleſia.1406.
ſynagoga potentum fuerunt ſacerdotes.1470.
ſingulare quandoque ponitur pro plurali:& econtrario in ſcriptura ſacra.1327.
ſiniſter oculus quid ſignificat,& qd dexter. 2273.
ſiniſtra ſignificat bona temporalia,ſed dextera ſpiritualia.2260.
ſiniſtra ſignificat vitam temporalem, ſed dextera æternam.2412.
A ſiniſtris & dextris parat nobis laqueos diabolus.2480.
Vide Dextera.
ſinus dicitur ſecretũ diuinæ prædeſtinatiõis.537.
ſinus Dei dicitur Chriſtus.1223.
ſinus ſignificat mentem.1548.
Syon ſignificat eccleſiã.101.1128.1336.1361.1719 1724.2345.2559.
ſion ſignificat contemplationem.269.
ſion mons ſignificat terram Iudæorum.784.
ſion mons chriſtum manifeſtauit.810.
ſion mons quomodo eleuabitur ſuper omnes colles.1474.
ſion porte dicuntur ſacramenta.1474.
De ſion exiuit prædicatio fidei.1970.
ſion ſignificat gloriam æternam.2310.
ſion ſignificat Dauid.2379.
Syrene tres maris quid ſignificant.653.
Siſara quid ſignificat oſtenditur.1421.
ſitis ſignificat deſiderium.689.981.990.
ſitis eſt multiplex.1295.
ſitiebant & eſuriebant gentiles verbum Dei.1885
Smaragdus lapis ſignificat Chriſti paſſionẽ. 812. 816.824.
Smaragdus ſignificat Chriſti ſepulturam.812.
¶Sociale animal natura eſt homo.882. So.
ſocietas mala multum nocet.1615.1866.
ſocietatem in dominio nullus vult habere , nec Deus.2164.
ſol in Chriſti reſurrectione per tres horas ante ſurrexit.2438.
Sol & luna ſignificant ſcientiam.253.
ſol ſignificat virginem mariam.255.
ſol multa ſignificat.256.
Sol triplicatus videtur in ſpeculo:in aqua poſito. 479.860.

ſol lunam diſtantem magis illuminat nobis.571.
ſol ſignificat tempus.11668.
ſol dicitur Deus pater.1168.
ſol ſignificat dotes beatorum.1535.
ſol ſignificat Chriſtum.1773.2387.
ſolis occaſus ſignificat Chriſti mortem.1773.
ſol ſignificat perſecutionis aduerſitatem.1959.
ſol dicitur Chriſtus,qui habet ortum & occaſum 1997.
ſol ſignificat diuinitatem Chriſti:ſed luna eius humanitatem.2261.
ſol illuminat bonos:ſed luna malos.2261.
ſol qualiter dicitur in poteſtate diei.2387.
ſol ſignificat prȩlatos,qui obſcuratus eſt.2388.
ſol & luna & ſtelle laudant Deum.2570.
ſol & ſtelle ſignificãt doctores & p̃dicatores.2570
ſolicitudo temporalium quandoq; eſt cauſa mortis.672.
Solicitudo temporalium qualiter ſit licita:oſtenditur.899.
Solitaria vita an ſit licita.892.
ſoluit iuſtus mutuum deo:ſed non pȩccator.587.
ſoluit chriſtus que non rapuit.1094.
ſoluere peccatorem,ſolus deus poteſt.1835.
Vide.Abſoluere.
Somnium dicitur malorum proſperitas.1203.
ſomnus dicitur mors corporalis.682.
Somnus eſt multiplex.2302.
ſomnus ſignificat peccatum.2335.
Somnus ſignificat omnia vana & temporalia. 2335.
Somnus incipit à temporalibus.2336.
Sonus ſignificat apoſtolorum prædicationem. 97.
Sonus in loco concauo eſt magis ſonoroſus.624.
Sonorum tria ſunt genera.2594.
Sortibus an ſit vtendum.452.1337.
¶ Specioſus dicitur chriſtus.737.
Speciosus & pulcher differunt & qualiter.739.
¶ ſpeculatio.ſcire eſt duplex: ſilicet practicum & ſpeculatiuum:2097.
Sperare in deum debemus multipliciter.202.
ſperat quis in deo dupliciter.458.
Sperandum eſt in ſolo deo,& non in angelis vel hominibus.2055.2056.
Vide Spes.
Spes impetrandi orationem adiuuat.100.174.
Spes in deo multa bona facit.133.452.2018.
Spes qualiter fuit in chriſto.1.284.298.436. 1583.
ſpes in deo non deficit:ſed in temporalibus.443.
ſpes in ſacramento euchariſtie continetur.507.
Spes continet omnes virtutes.559.2331.
Spes eſt certa expectatio &c.608.
Spes patientiam preſtat in aduerſis.694.2123. 2189.
ſpes noſtra dicitur chriſtus.973.1578.
ſpes venie nobis eſt neceſſaria.985.1881.
ſpes eſt neceſſaria tribus generibus hominum. 1138.
Spes noſtra qualiter eſt deus.1143.
ſpes nos facit adhȩrere deo.1210.
ſpes eſt in deo ponenda.1286.
ſpes ſignificatur per piſcem.1817.
ſpes dicitur anchora.2018.
ſpes eleuat animam à temporalibus ad deum. 2122.
ſpes humilibus datur.2123.
Spes conſolatur in tentationibus.2123.
ſpes aduentus chriſti ſemper neceſſaria fuit.2239.
ſpes nos facit habitare in celeſtibus 2278
Spes quare deficit in nobis.2324.
ſpes venie ante peccatum eſt periculoſa.2523.
Spem includit timor dei.2558.
Spes vite eternȩ eſt habenda.2572.
Non eſt quod faciat peccatum irremiſſibile, niſi deſperatio venie.Ver.985.
Spinarum corona chriſti.434.
Spina ſignificat auaritiam.468.469.
Spiritualia eligi debent & non temporalia.1441.
Spirituales homines dicuntur volucres.1766.
Spiritualia ſignificat dextera:ſed ſiniſtra temporalia.2260.
Spiritus qnandoque dicitur anima, quandoque eius effectus.441.
Spiritus deficit,carne creſcente.671.2156.
Spiritus hominis dicitur eſſe ſuperbia.1257.1746 2467.2491.
Spiritus aqua & ſanguis quomodo dant teſtimonium.1283.
Spiritus impugnatur à carne.1432.2537.
Spiritus prophetie non ſemper adeſt prophetis. 1694.
Spiritus dicitur vita ſpiritualis.1749.
Spiritus dicitur anima noſtra.1746.2540.
Spiritus ſummi etiam aliquando mittuntur & fiunt angeli.1758.
Spiritus predicatores ſuos deus facit.1768.
Spiritus eſt duplex,ſcilicet bonus & malus.2496.
Spiritus ſignificat virtutem prophetizandi.845.
Spirituſſanctus ſuis donis ornat ſacram ſcripturam.147.
ſpirituſſancti omnia dona habuit chriſtus.150.
ſpirituſſanctus à chriſto miſſus, totum mundum inflammauit.258.
Spirituſſanctus quare apparuit in ſpecie columbe.413.
Spirituſſanctus à patre filióque procedit.485.
De ſpiritu ſancto conceptus fuit chriſtus.800.
Spirituſſanctus per beryllum ſignificatur.856. 891.
Spirituſſancti dona ſignificantur per columnas. 1238.
Spiritusſanctus quare non fuit incarnatus,ſed filius.1784.
Spiritus ſanctus multa bona facit in anima noſtra.784.
Spirituſſanctus dicitur eloquium dei.1808.
Spirituſſanctus dicitur digitus dei.1819.
ſpirituſſanctus per oleum ſignificatur.1960.
Spirituſſanctus acquiritur deſiderio.2204.
Vide Gratia.
ſplendor dei dicitur gratia.1569.
ſpolia martyrum fuerunt perſecutores.2235.
ſpolia multa abſtulit chriſtus à multis.2335.
ſpolia multa habuit eloquium dei.2235.
¶ ſtare quid ſit in conſpectu dei:oſtenditur.1675.
ſtare ſolum ſpectat ad bonos.2356.
ſtare idem eſt quod perſeuerare.2356.2360.
ſthatera dicitur chriſtus.986.
ſtathera multiplex marcatorum & malorum. 686
ſtellis,id eſt ſanctorum exemplis,vita præſens perluſtratur.388.
ſtelle dicuntur omnes iuſti.2550.
ſtelle,ſol,& luna laudant deum & quomodo. 2570.
ſtephani inuicta charitas.2352.





ſteriliias qualis fuit tempore Helie.2352.
ſteriles effecti ſunt iudei.1914.
ſteriles multȩ mulieres,mirabiliter fecundate fuerunt.2002,
ſtllicidia quid ſint.1020.
ſtilicidia dicitur ſcriptura ſacra.1169.
ſtratus ſignificat proſperitatem.995.
ſtudens quilibet docetur & quomodo.2137.
ſtudens ſcriptura ſacram, ab omni vitio debet eſſe mundus.2188.
ſtudium ſcientiæ incipit in egypto.1810.
ſtudium ſcripturȩ ſacræ,omnia alia opera excellit.155.
ſtudium ſcripturæ ſacræ dȩmones impedire conãtur.2188.
Su. ¶Suauis dicitur Deus.1461.2361.
ſuauis idem eſt quòd aſſuetus.1957.2524.
ſubditorũ peccata imputantur prælatis.163.1862.
ſtbditi peccato principis puniuntur.774.
ſubditus quilibet Deo eſſe ſdebet.978.
ſubditi ſignificantur per colles.1166.
ſubditi mali infeſtant prælatos 1215.
ſubditorum peccata ſunt minora quam prælatorum.1412.
ſubditi ſunt omnes Chriſto.1969.2006.
ſubmerſio Aegyptiorum ponitur.1845.
ſubſannare quid ſit proprie,oſtenditur.540.
ſubſtantia ſignificat diuitias.1090.
ſubſtantia eſt multiplex.1545.
ſubſtantia accipitur tripliciter.1947.
ſubſtantia pro diuitiis accepta,tria debet habere. 1947.
ſubſtantia carens aquą dicuntur peccata.2281.
ſuffoſſa al qua peccata dicuntur, & aliqua incenſa.1367.
ſuffragia eccleſiæ qualiter valent,oſtenditur.400.
ſulphur eſt pœna luxuriæ debita.139.
ſummum quid ſignificat,oſtenditur.1217.
ſuperbia Dauid numerauit populum.54.
ſuperbia intelligitur per peccatum abſoluere poſitum.66.
ſuperbia antichriſti erit maior quam ſuperbia diaboli.116.
ſuperbia antichriſti ſignificatur per brachiũ.129.
ſuperbiam ſignificat procella.139.
ſuperbiam excludit ſcriptura ſacra.147.2124.
ſuperbia maxime per oculos manifeſtatur.227. 1669.
ſuperbia confundit ſuperbos.346.
ſuperbie bellum oſtenditur.384.
ſuperbiæ duæ ſunt ſpecies.468.
ſuperbia figuratur per equum.477.2557.
ſuperbia dicitur cubile.555.
ſuperbiæ pes eſt voluntas ſuperba.563.
ſuperbia dicitur caput.723.
ſuperbiam inducit proſperitas:ſed aduerſitas humilitatem.727.2146.
ſuperbia per mare ſignificatur.1016.1883.
ſuperbiæ fluctus oſtenditur.1016.
ſuperbie fumus oſtenditur.1049.
ſuperbia ſemper aſcendit.1235.
ſuperbia dicitur ſpiritus hominis.1257.
ſuperbia deprimit.1272.
ſuperbia facit cor eſſe curuum.1288.
ſuperbia per pherezeum figuratur.1337.
ſuperbiæ arcus dicitur prauus.1340.
ſuperbia maius eſt peccatum cæteris.1609.
ſuperbia cadere facit ad ima.1664.
ſuperbia hereticorum & contentio.1920.
ſuperbia eſt caput omnium malorũ.1974.2460.
Superbia omnia bona perdit,& quantum ſit malum oſtenditur.2096.2124.
ſuperbia eſt maximum malum.2167.
ſuperbia mouet pedem voluntatis.2258.
ſuperbiam inducit proſperitas.2286.
ſuperbia per ceruicẽ figuratur quæ deficit in morte.2315.
ſuperbia expellit humilitatẽ & econtrario.2327.
ſuperbiam ſignificat cælum.2434.
ſuperbia dicitur ſpiritus.2477.2091.
Vide ſaperbus.
ſuperbi ſignificantur per volucres.89.
ſuperbos non reſpicit Deus.444.
ſuperbos humiliat Deus.1762.
ſuperbi per herodium ſignificantur.1772.
ſuperbi ſubiici debent, & non alios regere.1780.
ſuperbos fumigare Deus facit per orationem, 1786.
ſuperbi aſcendunt & deſcendunt.1906.
ſuperborum obſtinatio per lac figuratur.2143.
ſuperbi ſpernuntur à Deo.2191.
ſuperborum calumnias per fidem crucis ſuperamus.2195.
ſuperbi accuſant Deum de peccatis, & ſe excuſant.2315.
ſuperborum & humilium differentia.2327.
ſuperbi ambulant in magnis & ſupra ſe.2328.
ſuperbus omnis eſt ingratus.2329.
ſuperbos à longe Deus cognoſcit.2425.
ſuperbi diſputare cum Deo volunt.2486.
ſuperbos ſignificat draco.2573.
ſuperbi exaltantur:ſed aliter exaltantur manſueti.2583.
Vide Superbia.Pinguis.
ſuperior anima ſeper eſt ſuperior corpore.2538.
Vide Conſilium.
ſupplantare proprie quid ſit.598.
ſupplicium lex per accidẽs intendit:ſed prȩmium per ſe.1254.
ſurdus & mutus fuit Adam.922.
ſurgere Chriſti eſt eius incarnatio.1716.
ſurgere ante lucem,eſt ſe erigere cõtra Chriſtum. 2301.
ſuſcipere ſignificat Chriſti incarnationem.23.
ſuſcepit Deus Chriſtum in reſurrectionȩ.686. 1122.
ſuſcipit nos Deus & qualiter.1206.
ſuſceptor noſter eſt Deus multipliciter.1571. 1867.2189.
ſuſcepit Chriſtus pœnas noſtras.1571.
ſuſcipit Deus iuſtos.1571.
ſuſceptor & adiutor noſter dicitur Chriſtus.2187
ſuſcitauit Chriſtus tres mortuos.1491.
Vide Reſurrectio.
ſuſpicioſi ſenes communiter ſunt.1561.
ſuſpicamur aliqua peccata,quæ ſunt in nobis occulta.2113.
ſuſpicari de occultis aliorum non licet.2113.
ſuſtinere aliquid, eſt illud præ aliis ſurſum tenere.345.
ſuſtinere ſignificat multa.2323.
ſuſurratio quid proprie ſit,oſtenditur.681.
TAbernaculum ſpiritualiter eſt multiplex.167.1219.
Tabernaculum dicitur corpus Chriſti.388.460.1579.
Tabernaculum dicitur militans eccleſia.691.758.

Tabernaculum dicitur corpus peccatorum.857.
Tabernaculum dicitur gloria æterna.1431.
Tabernacula Iacob ,ſunt ſacrificia legis antiquæ. 1474.
Tabernaculum dicitur fœlicitas æterna.2334.
Vide Conſcientia.
Tabeſcere quid ſit,oſtenditur.2212.
Tabeſcit quis multipliciter.2231.
Tacere veritatem,qualiter eſt peccatum.458.
Tacere dicitur qui non confitetur.668.
Tacendo melius vitantur mali , quàm reſpõdendo.646.
Tacet nũc Chriſtus,qui loquitur in iudicio.1414.
Tacere debet prædicator, quãdo nõ proficit.2086.
Tacendo & admirando magis laudatur Deus, quã loquendo.2591.
Tanis nomen eſt ciuitatis regalis Ægypti,in qua fecit Moyſes ſigna ſua.1292.
Tanquam accipitur multipliciter.3.
Tanquam notat ſimilitudinem , & quomodo. 1248.
Tanquam,quaſi & ſicut dicuntur multipliciter. 2391.
¶Tangere.Quare Chriſtus reſuſcitatur dixit Magdalenæ,noli me tangere.642.
Tarditas pœnitentiæ eſt periculoſa.1522.
Tau ſignum,ſignificat humilitatem. 2249.
¶Tecta peccata qualiter dicuntur.466.
Tectorum fœno copar ãtur gloria malorum.2316.
Templo Dei magna reuerẽtia debet exhiberi.43.
Templum Dei ſunt omnes boni.136.
Templi portæ qualiter à ſe clauſæ fuerũt, & apertæ.334.
Templum Dei eſt corpus Chriſti.386.782.
Templum aſpiciẽs orauit Chriſtus in cruce. 400.
Templum dicitur domus Dei.420.
Templum eſt locus refugij & ſaluationis.655.
Tempus eſt anima iuſti.751.1356.
Templum dicitur corpus iuſti.1492.
Templum Iudæorum fuit combuſtum.1537.
Templum ſpirituale qualiter Chriſtus ædificauit. 1642.
Templũ eſt duplex,ſcilicet materiale & ſpirituale.1986.
Templũ in nobis qualiter Deo parare debemus. 2335
Tempeſtas dicitur vltimum iudicium.812.
Tempeſtas ſignificat mortem.1091.
Tempeſtatem maris ſpiritualiter placauit Deus. 1909.
Temporalia omnia dicuntur vanitas.170.
Temporalium ſpes decipit.443.
Temporalia dicuntur circuitus. 450.
Temporalia concedebat Deus in antiquo teſtamento,non autem in nouo. 709.
Temporalia ſignificantur per lunam.1168.
Temporalia bona per tympanum ſignificantur. 1392.
Temporalia non ſunt eligẽda, ſed ſpiritualia.1441.
Temporalia bona ſignificant æterna.1840.
Temporalia bona dicuntur veſtimentum.1954.
Temporalia omnia dicuntur pauimentum.2110.
Temporalibus prælati non debẽt intẽdere. 2188.
Temporalia pœna redimitur æterna.2211.
Temporalia bona per ſiniſtrã ſignificantur.2260.
Temporalia bona inuite perdi poſſunt, ſed nõ ſpiritualia.2260.
Temporalia bona dicuntur ſomnium.2335.
Temporalis vita ſignificatur per ſiniſtram.2412.
Temporalia bona non poſſunt nos facere beatos. 2512.
Temporalia haberi poſſunt ſine peccato.2515.
Temporalia ſignificantur per fœnum.2555.
Tempus quomodo dicitur malum.585.
Tempus ſignificatur per ſal.1168.
Tempus bonorum & malorum quod eſt.1404.
Tempus iudicij eſt nobis incertum.1427.
Tempus omne per quadraginta ſignificatur.1640.
Temporis amplioris apparebat Chriſtus quã eſſet,& quare.1960.
Tempus totũ vitæ pręſentis ſignificatur per ſemper.2118.
Tempus faciẽdi dicitur tẽpus incarnationis.2199.
Tempus importunum,dicitur immaturitas.2220.
Tempus gratiæ, dicitur matutinum & diluculum. 2221.
Tempore omni laudandus eſt Deus.2517.
Tenebra ſignificat vitam præſentem.
Tenebra dicuntur obſtinati in peccato.228.
Tenebra dicitur peccator.1493.2427.
Tenebræ quomodo factæ ſunt in Chriſti morte. 1774.
Tenebrarũ plaga in Ægypto facta eſſe , oſtẽditur. 1816.
Tenebræ dicuntur vita præſens.1890.
Tenent nos quandoque vitia,quandoque tenẽtur à nobis.1189.
Tentatio diaboli dicitur tribulatio.361.
Tẽtatio eſt multiplex,ſcilicet Dei,hominis,& diaboli.368.
Tẽtationes dæmonũ qualiter diſſipat Deus. 489.
Tentatio carnis qualiter ad peccatum imputatur. 905.
Tentationibus quãdoq; nos Deus exponit.1108.
Tentatio diaboli eſt diminuta.1175.
Tentatio per gladium figuratur.1345.
Tentatio dicitur ventus 1425.
Tentatio eſt multiplex.1572.
Tentatio per ſagittam figuratur.1575.
Tentationes moderat Deus.1635.
Tentationi ſtatim eſt reſiſtendum. 1949.
Tentatio diaboli non ſuperat vires noſtras.2054.
Tentatione calumnia eſt grauior.2207.
Tentationibus qualiter quis concluditur. 2218.
Tentatio occulta dicitur laqueus diaboli.2474.
Vide Tentari.
Tentat diabolus fortior mulieres. 56. 877. 620. 1135.2142.1159.
Tentauit diabolus Chriſtum.193.
Tentando nos decipit dæmon.345.346.
Tentatur Deus multipliciter.1298.1639.
Tentare non poteſt diabolus de vitio,quo fuit victus.1570.
Tentauit populus Deum multipliciter in deſerto. 1639.
Tentati à carne debemus orare.1704.
Tentari quare Deus permittit illos quos nouit caſuros.1775.
Tentare Deum quid ſit.1848.
Tentãti diabolo nos reſpondere docuit Chriſtus. 2116.
Tentatos ſpes conſolatur.2113.
Tentat nos diabolus,tripliciter.1451.2454.
Tentat nos diabolus aperte & occulte. 2452.
Tentat nos diabolus & mali inuidia.2455.
Tentorium dicitur eſſe cœlum.1756.





Terra in medio ſui habet infernum.108.
Terra dicitur caro chriſti.193.396.929.
Terra ſignificat peccatores.208.809.2115.
Terra ſignificat eccleſiam.334.2163.
terra dicitur infernus & ęterna.651.2026.
terra ſignificat auaritiam.931.
terra ſignificat gentiles.1016.1056.
terra dicitur virgo maria.1046.1455.
terrę imago deſcribitur.1046.
terrę medium multipliciter accipitur.1224.
terra dicitur homo.1444.1552.
terrarum orbis dicitur adam.1654.
terra & celum tranſibunt & quomodo.1729.
terrę diſtantia a celo ſignificat pœnam peccati. 1742.
terra aquis circundatur.1760.
terra infra ſe continet aquas.1764.
terra ſignificat prædicatores.1769.
terra promiſſionis ſignificat gloriam eternã 1832. 1858.
terra dicitur interſici & quomodo.2870.
terrę ſterilitas tempore helię,oſtenditur. 1914.
terram promiſſionis diuiſit ioſue.2036.
terra plena eſt miſericordia dei,& quomodo. 2137.
terra corporis noſtri eſt periculis plena.2160.
terra dicitur anima ſpiritualis.2163.
terrę & celi ſunt peccatores.2192.
terrę peccatores quomodo interficiuntur.2192.
terra quomodo fundatur ſuper aquas.2385.
terra eſt triplex:ſcilicet viatorum,beatorum,& dãnatorum.2482.
terra viuentium dicitur chriſtus.2482.
Vide.Terminus.
terremotus qualiter fit & quid ſignificat , oſtenditur.959.
terribilis dicitur deus.1252.
terribilis eſt ſolus deus.1680.2521.
terrigena dicitur homo.789.
terminus terrę dicuntur omnia corruptibilia.1229.
teſta quid proprie dicatur.306.
teſtamentum dicitur paſſio chriſti.354.358.
teſtamentum ſignificat multa.898.
teſtamentum nouum,in veteri continetur.949.
teſtamentum duplex:ſcilicet vetus & nouum.1232.
teſtamẽtum dicitur pactum inter aliquos factum. 1818.
teſtamẽtũ dicitur ſcriptura ſacra.1503.1427.1799.
teſtamentum dicitur euchariſtia.1983.
teſtamenti veteris eſt generatio duplex.1519.
Vide Sanctus.
teſtimonium eſt triplex:ſcilicet ſpiritus , aquę , & ſanguinis.1283.
teſtimonium ab operibus magis eſt credibile. 1667.
teſtimonia chriſti ſunt ſcripturæ ſacrę.2028.
teſtimonia dei & mandata quomodo differũt.2080. 1685.
teſtimoniorum dei via eſt chriſtus,& cognitio ſcripturę.2089.
teſtimonia dicuntur martyria.2099.
teſtimonia dei ſunt exempla chriſti.2111.
teſtimonia dei dicuntur eſſe præcepta.2184.
teſtimonia dei ſunt opera, quibus veniam præbet. 2202.
teſtimonia dei ſunt promiſſiones eius.2225.
teſtis eſt alius falſus,& alius iniquus.534.
teſtis quilibet multas conditiones debet habere. 534.
teſtes iniqui contra chriſtum.1470.
teſtis noſtrę futurę reſurrectionis eſt chriſtus.1535.
teſtis eſt idem quòd martyr.2097.
teſtis noſter eſt deus & conſcientia noſtra.2184.
teſtis diuinę bonitatis eſt omnis creatura.2202.
tetragranmaton magnum dei nomen quid ſignificet.1069.
¶Thabor mons quid ſit.1512. Th.
theodoſius imperator maxime miſericordię fuit. 834.
thronus chriſti fuit ſancta crux.94.
thronus eſt regia ſedes.742.
¶Timiditas & timor qualiter differunt,oſtenditur. 880. Ti.
timere homines non debemus.281.2053.
timet iuſtus ſed qualiter,oſtenditur.879.
timere non debet ſperans in deo.904.
timuit petrus:ſed poſtea fuit fortis.1008.
timere non debemus corporis mortem.1069.2053.
timentes deum ab ipſo adiuuantur & peregrinantur.2020.
timentes deum dicuntur ſeculares.2051.
timere debemus deum quia nos videt:& non econtrario.2051.
timere non debemus aduerſa præuiſa.2133.
timere debemus ſolum deum, & non homines 2234.
Vide.Timor.
timor dei differt a timore mundi.17.1017.
timore ſolo pęnę conuerti ſiue bonum facere:non eſt meritorium:imo etiam peccatum.242.1315.
timoris donum ſignificat opus prime diei.253.
timoris fuit lex antiqua:ſed noua eſt amoris.260.
timoris multe ſunt ſpecies.261.2305.
timor an vere fuerit in chriſto.292
timore filiali deus laudatur.314.
timor multa bona facit.356.
timor domini nos fortificat.358.
timor & amor cauſa ſunt conuerſionis ad deum. 455.
timor eſt multiplex.487.510.999.
timor filialis quid eſt,oſtenditur.508.
timor quidam dicitur verecundia , & quidam non, 723.
timore temporali multi omittunt benefacere.866
timor & timiditas dicuntur,& qualiter.880.
timor quandoque eſt cauſa cõuerſionis malorum. 897.
timor iuſticie debet eſſe cum ſpe venie.985.
timor eſt duplex.1335.2112.2193.
timor & amor,omnis peccati ſunt cauſa.1387.
timor pęnę ęternę proficit.1497.2515.
timor ſanguinem contrahit ad interiora.1538.
timor paupertatis per leonem figuratur.1582.
timor pęnę & amor glorię nos præſeruat a peccatis.1608.
timor ſeruilis valet etiam ad fugienda peccata. 1718.
timor dei acquirit gratiam & miſericordiam. 1747.
timor dei valet ad multa.1747.
timor dei diſcretionem requirit.2112.
timor dei beatificat.2130.
timor filialis quomodo differt à ſeruili.2130.
timor pęnę & amor glorię , inducunt ad bonum. 1195.
timor mentem comprimit,non corrigit.2201.
timor maioris periculi,fortificat ad minus.2234.
timor dei lętificat.2235.
timor caſtus generat amorem.2236.

Timor pęnæ animam liberat.2283.
Timor ſignificat omnes iuſtos.2378.
timor facit orationem exaudiri.2535.
Non eſt timēdum ſubire mortem corporis pro domino cum ſe caſus obtulerit.ver.999.
timor dei ſpem includit.2558.
Vide Timere.
¶Timpora.à timporibus incipit ſomnus.2336.
tympanum quid ſignificat,oſtenditur.1074. 2593.
tympanum ſignificat temporalia bona.1392.
tyrannus quis dicatur; & quomodo differt tyrannus à rege,oſtenditur.735.
tyrus ſignificat omnes gentiles & idololatras.748.
tyrus ſignificat fortes.1419.
tyrus ſignificat gentes.1477.
titulus multiplex eſt.174.
titulus crucis Chriſti ponitur.174.
titus & veſpaſianus diſperſerunt iudęos.289.
To. ¶Tonitruum dicitur prædicatio.1155.1761.
tonitruum qualiter generatur.1274.
topazius lapis ſignificat eccleſiam.862.
topazius lapis pręcioſus,eſt & virtuoſus.2200.
torcular dicitur eccleſia.82.1391.1431.
torrens ſignificat peccatum.205.
torrens ſignificat prædicatores malos.1227.
torrens ſignificat aduerſitates & mortem. 1875. 1281.
torrens dicitur vita præſens.2295.
totum quandoque accipitur pro parte:& econtrario.91.
tota dies quid proprie dicitur.1153.
tota die Chriſtus fuit in cruce & qualiter.1490.
toto corde,tota anima diligendus eſt deus.2209.
totum cor deo debemus.2419.
totum bonum noſtrum eſt deus.2495.
Tr. ¶Traciani populi plorant in natiuitate ſuorum, & gaudent in morte.671.
traditor chriſti fuit iudas.1489.
tradidit iudas Chriſtum auaricia.1944.
transfert deus electos ſuos multipliciter. 1013.
tranſire. quomodo cęlum & terra tranſibunt. 1729.
tremere facit deus ſuperbos, reſpiciens eos. 1786.
tribuere & retribuere quomodo differunt.2040.
Vide Retribuere.
tribulatos clamantes deus conſolatur.29.2250.
tribulatio dicitur tentatio diaboli.361.
tribulatio eſt multiplex.474.1704.
tribulationes multas paſſus fuit chriſtus.504.
tribulatio quandoque inuenit nos,quandoque vero nos inuenimus eam.755.2216.
tribulatio corporis aperit oculos mentis.1873.
tribulatis datur auxilium dei.1936.
tribulatur pęnitens dupliciter.2250.
tribulationes vitæ præſentis ſunt ſeptem.2250.
tribulatio dicitur pęnitentia.2426.
tribulatio quare hic datur iuſtis,oſtenditur.2497.
tribulatio animam purificat.1497.
tribus vnde dicitur.118.2267.
tribus,populus, plebs, & vulgus quomodo differunt.1802.
tribus iude quare meruit regnum iſrael, oſtēditur. 1841.
trinitatis diuine opera ſunt duplicia.485.
trinitatis diuine myſterium,oſtenditur. 667. 845. 1047.
trinitatis myſterium per dominum oſtēditur.1047. 1643.
triſtitia chriſti in gaudium eſt conuerſa.
triſtitia chriſti in gaudium eſt conuerſa.444.
triſtitiam ſequitur conſolatio.500.
triſtitia præſens mitigatur conſolatione gloriæ. 693.
triſtitiam habent mali in operibus bonis.1923.
triſtitiam ingerit omne quod eſt inuoluntarium. 2138.
triumphus apud romanos erat duplex:ſcilicet maior & minor.375.
¶Tubarum feſtum iudęorum,oſtenditur.1393.
tuba ductilis ſignificat laudem in aduerſis.1674.
tuba dicitur magiſtra bellorum.2592.
tuba ſignificat vltimum iudicium & prædicationem.2592.
tunica chriſti qualis fuit inconſutilis. 309.
tunica chriſti erat cilicium.1102.
turbatio eſt multiplex.56.
turbantur obſtinati ad auditum prædicationis. 1249.
turbatur eccleſia propter multa.2275.
turris dicitur gloria ęterna.2270.
turtur ſignificat eccleſiam & pęnitentes.1433.
turtur eſt caſtitatis exemplum. 2214.
tuus ego ſum:quis deo dicere poteſt.2167.
VAcca quæ offerebatur antiquitus ſignificat chriſti carnem. 840.
Valles ſignificant humiles.1764.
Vane glorię vitium in omnibus eſt fugiendum.2112.
Vide Vanitas.
vanitas cordis in duobus conſiſtit.48. Va.
vana dicuntur omnia temporalia. 337. 370. 492. 443.
vanum dicitur quod fine caret intento.442.
vana laus quid ſit,oſtenditur.144.
vanitas dicitur omnis homo viuens.639.986.2502.
vanitas cordis deo debet humiliari.1924.
vana ſunt omnia idola.2013.
vanitas in omnibus eſt fugienda.2112.
Vide Adhęrere.
¶Vbi quadrupliciter quærit: ſcilicet vbi fuit: vbi erit:vbi eſt:& vbi non eſt.599. Vb.
vbique præſens eſt deus.2224.183.
vbique præſens eſt deus, à quo nullus fugere poteſt.2433.
vbique cum ſit deus, quomodo aliquibus dicitur prope.2534.
vbique ſunt formę rerum abſtractę.2562.
¶Ve ſignificat damnationem ęternam.1943. Ve.
vectis eſt multiplex.1896.
vectes ferrei ſunt dęmones.1896.
velocitas eſt multiplex.161.2491.
velocitas quædam bona,& quædam mala.1705.
velocitate nihil eſt velocius.2572.
vellus gedeonis ſignificat incarnationem Chriſti. 2169.
vellus ſignificat iudęam.1169.2423.
venator nullus legitur iuſtus.2134.
venatores dicuntur perſecutores.2282.
vendit bona ſua,qui illa pro laudibus facit.721.
vendidit nos adam diabolo.2291.
veneficus idem eſt quòd venenum faciens.931.
venenum peccati labore ſanatur.626.
venie ſpes debet eſſe cum timore iuſtitiæ.985.
venie ſpem confeſſio debet habere.1881.2319.
venia peccatoribus data eſt per teſtimonium Chriſti.2202.
venie ſpes ante peccatum eſt periculoſa.2523.
veniet Chriſtus manifeſte ad iudicium.811.
Venit filius dei,& nō pater neque ſpirituſſanctus: & quare.1373.
Venit ad nos chriſtus multipliciter.1632.
veniet chriſtus ad iudicium in nubibus, & qualiter.1656.
veniet chriſtus ad iudicium cum ſanctis.1656.
venit chriſtus in nomine domini,& qualiter.2081.
venire debemus ad chriſtum multipliciter.1631.
venite:ſcilicet inuitatorium:eſt multiplex.1147.
ventus ſignificat tentationem.527.1425.
ventus orientalis eſt ſanior.677.
ventus dicitur anima noſtra.1757.
ventorum pęnnę ſunt præcepta charitatis.1757.
venti quatuor quid ſignificant.1784.
ventus quomodo generatur, & ſignificat prædicatores.2366.
verax eſt vnum de nominibus chriſti.1471.
verba ſeptem quæ chriſtus dixit in cruce.824.
verba bonorum mali ſuſtinere non poſſunt.906.
verba iniquorum fuerunt verba diaboli & primorum parentum.1912.
verbum aſperum quid dicatur.1572.
verbi diuini vtilitas 2122.
verbum dei dicitur ignis, & eſt multæ vtilitatis. 2213.
verborum dei principium eſt fides.2233.
verba dei dicuntur medicina.2234.
verba dei habent multa ſpecialia.2235.
verba ocioſa ſunt illa,quæ de rebus mundi loquuntur.2245.
verba dei dicuntur ſagittę.2253.2504.
verba malorum boni audire non poſſunt,& econtrario.2411.
verba dei prius credita fuerunt iudęis.2423.
verba ſcripturę ſacræ,dicuntur delicie.2437.
verba ſacræ ſcripturæ dicuntur carbones.2461.
verbo dei nihil eſt velocius.2562.
verbum dei duriciem peccati liquefacit.2565.
verba dei dicuntur compedes.2588.
verba chriſti poteſtatem habebant.2472.
verbum dei chriſtus omnia fecit.1646.
verbo dei omnes ſatiantur.1771.
verbum dei eſt anime cibus.
verbum dei reuerenter audiri debet.510.725.
verbum dei dicitur gladius & framea.524. 738
verbi dei auditus,multa bona facit.746.
verbum dei eſuriebant gentiles. 2885.
verbi de carentia eſt mors animæ.1898.
verbis dei opera doctoris concordare debent. 2117.
verbum dei eſt duplex.2178.
verbum dei dicitur rectum.483.
verbum dei dicitur lucerna.2178.
vereri quid eſt:& quid reuereri.515.
verecundia quare ruborem cauſat in facie. 344. 1528.
verecundia quid proprie ſit 223.
verecundia aliquos corrigit,aliquos non. 1429.
verecundiam confeſſio debet habere.1888.
veritas eſt multiplex.141.169.1161.
veritas & miſericordia eſt omnis via dei.354.
veritatem tacere,quandoque eſt peccatum. 458.
veritas quid ſit proprie,oſtenditur.464.
veritas dicitur vita bona.740.
veritas in patria non requiritur.976.
veritatem & miſericordiam prædicare debemus. 1501.
veritas per chriſtum facta eſt.1523.
veritas nos circundat.1574.
veritas oris quid eſt.2117.
veritas & miſericordia dei,oſtenditur.2411.
veritas dicitur ſine labore: ſed omne mendacium cum labore dicitur.2460.
vermis dictus eſt chriſtus.296.
vertex capilli fuit hieruſalem.1070.
veſpere peccauit homo: & veſpere chriſtus fuit mortuus.426.
veſpere ſignificatur paſſio chriſti 894.
veſpera ſignificat vltimam mundi ętatem. 944.
veſperum dicitur Antichriſtus.952.
veſperis ſecundis quare caret officium mortuorum.1603.
veſpertinum ſacrificium dicitur paſſio chriſti.2466.
veſpertinum ſacrificium dicitur finalis pęnitentia. 2466.
veſtigia chriſti dicuntur eius exempla.237.
veſtigia dei ſunt miracula.1276.
veſtes chriſti quare per milites diuiſe fuerunt. 309.
veſtis chriſti placat inimicos.609.
veſtis chriſti dicitur charitas & confeſſio.609.
veſtis chriſti eſt eccleſia,& veſtes ecclęſię ſunt fideles.745.2353.
veſtes probant hominem naturaliter eſſe ſocialem. 882.
veſtis ſacerdotalis quid ſit.1189.
veſtis dei ſunt omnes ſancti.1755.
veſtes populi iſrael in diſerto per quadraginta annos non fuerunt attrite nec lęſę.1825.
veſtimentum ſignificat temporalia bona.1954.
veſtis duplicem habet oram.2353.
¶Via eſt duplex:ſcilicet mortis & vitæ.183.572. Vi.
via quomodo differt à ſemita.189.327.347.1332.
viam duplicem impollutam habet chriſtus.330.
via,veritas,& vita non eſt omnibus deus.247.
via omnis dei eſt miſericordia & veritas.354.
via recta dicitur charitas.378.
via dicitur chriſtus.395.1270.1388.1884.
via noſtra ſunt actiones noſtre.589.632.2081.
via qua itur ad mortem,eſt vita præſens.800.
via chriſti dicitur incarnatio eius. 1043.2494.
via ad beatitudinem ſunt aduerſitates.1807.
vias domini non ambulant peccatores. 2079.
via teſtimoniorum dei chriſtus eſt. 2089.
via teſtimoniorum dei eſt ſcripturæ cognitio.2089.
via teſtimoniorum dei, ſunt exempla vitæ Chriſti. 2089.
vie hominum ſunt peccata.2101.
via hominis quæ ſit,& quæ via dei.2101.2450.
via veritatis quæ ſit,oſtenditur.2105.
via iuſticię & mandatorum dei eſt lex.2109.
via & ſemita dicitur lex euangelica.2110.
via peccatoris dicitur arcta.2119.
via eſt multiplex:ſcilicet bona & mala.2305.
via eterna dicitur chriſtus.2450.
via chriſti ſunt virtutes quas oſtendit.2494.
via domini eſt multiplex.2533.
via peccatorum multiplex.2545.
vitia odio debent haberi,non natura.2186.
vitiorum multiplex eſt perſecutio.2230.
vitia omnia percuſſit deus.2389.
vitiorum multiplex eſt ciuitas.2446.
vitiorum omnium caput eſt ſuperbia.2460.
vitia omnia labor continet.2460.
In vitijs mali lętantur.
Vide Peccatum.
victoria de diabolo facit orationem exaudiri.624.
victoria omnis,deo eſt attribuenda.714.
videre dei dicitur multipliciter.103.
videre accipitur multipliciter.127.

vident beati damnatos & econtrario.130.459.
videbunt mali Chriſtum iratum in iudicio.283.
videre alium,alium ſe facit videre.475.
videre noſtrum quomodo perditur.618.
videmus deum hic per ſpeculum : & nota exemplum.860.
videt nos deus:vt nos illum videamus.991.
viderunt iudei opera chriſti.1073.
videre dei quid eſt.1385.
videre mulieres non eſt peccatum.1589.
videt omnia deus.1614.
vident gentiles Chriſtum melius quàm iudei.1672.
vident aliqui melius a longe,quam prope.1672.
videre debemus multa in chriſto.1719.
videt deus peccatores,quandoque vt parcat, quandoque vt puniat.1875.
videt nos deus,& non econtrario:ideo ipſum timere debemus.2051.
videre deum quomodo quis poteſt.2131.
videre deum,deſiderare debemus.2131.
videri à deo volunt boni,ſed non mali.2241.
Vide.Viſio.
vidua.tres gradus eccleſiæ ſunt virgines, viduę, & coniugati.750.
vidua ſignificat eccleſiam & animam iuſtam.2247.
vigilat animam dormiente corpore,& econtrario.989.2103.
vigilare ſpiritualiter quid eſt.989.
vigilia dicitur cuſtodia noctis.1555.
vigilię noctis quomodo diuidebantur.2324.
vincitur caro fugiendo,mundus patientia: ſed diabolus reſiſtentia.628.
vincere non poteſt diabolus, niſi volentem.2054.
vincere poſſumus diabolum.2157.
vicit chriſtus diabolum iuſtitia.2500.
vinculum dicitur peccatum.10.154.2134.
vinculum eſt multiplex.1894.
vinculum multiplex martyrium ſoluit.2044.
vinculum peccati,ſoluit peccati cognitio.2044.
vincula ſunt dei præcepta.2588.
vindicta qualiter animę beatę a deo quærunt vindictam,oſtenditur.102.
vindicat deus multipliciter.248.
vindicta omnis deo eſt relinquenda.1608.
vindictam facere an ſit licitum.2587.
vindicta magna eſt , de inimico facere amicum.248.
vindicta fit de peccatoribus , quando conuertuntur.2587.
Vide.Vltio.
vinea eccleſia dicitur.1371.
vinea diſſipata ſunt hypocritę.1821.
Vide.Anima.
vinum ſignificat gloriam ęternam.385.
vinum ſignificat proſpera ; ſed aqua aduerſa.645.
vinum dabant iudei occidendis ; vt inebriarentur.1103.
vinum merum & mixtum quid ſignificat.1242.
vinum ſignificat amorem.1769.
vinum & panē obtulit melchiſedech abrahę.1968.
Vir accipitur quandoque pro virtute, quandoque pro ſexu. 1748.
vir an ſit imago dei,pluſquam mulier.640.
vir ſignificat audaciam.2557.
virga ferrea ſignificat virtutem iuſticię.16.
virga ſignificat correctionem , qua nos deus caſtigat.324.
virga dicitur populus iudęorum.1214.
virga eſt multiplex.1214.1670.
virga correctionis dei.1531.
virga dicitur virgo maria.1531.
virga virtutis dicitur prædicatio fidei.1970.
virginitas virginis marię poſſibilis oſtēditur multis exemplis.808.
Vide.Virgo.
virgines dicuntur qui ſunt integri mente.2578.
Vide.vidua.virginitas.
virtus omnis fortior eſt vnita quam diſperſa.143.
virtutes creſcunt in nobis.222.1437.2138.
virtus dei dicitur verbum patris.278.
virtutes accipiuntur multipliciter.342.
virtutes ſuas an liceat alijs publicare. 368.2194.2232.
virtus poteſtatis miraculorum Chriſti, oſtenditur.428.
virtutes per oſſa ſignificantur.468.519.
virtutes electorum conſeruantur finaliter.519.
virtutes dicuntur arma.523.
virtutes ſunt dei & ſunt noſtrę.548.
virtutes omnes adinuicem ſunt connexę.559.
virtutes ſunt vera bona.913.674.
virtutum exempla ſtellis comparantur.973.
virtutes terminum habent.1229.
virtutes ſignificantur per cornu.1245.1993.
virtus conſiſtit in medio 1537.
virtutes dicitur quidam angelicus ordo.1752.
virtutes aduerſitatibus creſcunt.1801.
virtutes multiplicat mors & paſſio chriſti.1812.
virtutes multas habuit latro pendens in cruce.1844.
virtutum actus ceſſant quandoque manente habitu.1907.
virtutem operum dei continet euchariſtia.1980.
virtutum odorem mali non ſentiunt.2015.
virtutes omnes operatur chriſtus : & omnium nobis dedit exemplum.2063.
virtutes ſunt portę celeſtes.2066.
virtutum cauſa quandoque ſunt aduerſa.2140.
virtus ſignificatur per diem.2157.
virtutum exempla dicuntur greſſus mentis.2206.
virtutum exempla nobis dant animalia bruta.2218.
virtutum omnium forma eſt humilitas.2226.
virtutum dignitas,oſtenditur.2243.
virtus dicitur charitas & dilectio.2270.
virtutes omnes continet ſpes.2331.
virtutes ſignificantur per diem.2387.
virtutum exempla nobis dedit dauid.2447.
virtus dei in ſe vna eſt : ſed duplex in effectibus.2591.
¶Viſio clara diuinitatis nos facit beatos.491.
viſus facilius immutatur quàm auditus.654.
viſus & auditus maxime ſunt neceſſarii addiſcentibus.746.
viſus decipitur in temporalibus & quare.1914.
viſio eſt triplex.1076.
viſio & fruitio eſt dilectio duplex.1665.
viſione triplici chriſtus videtur.1719.
viſio dei clara dicitur facies.2131.
viſus magnam habet efficaciam.2147.
viſio mulierum capit mentem.2369.
viſus dei reuocat peccatores.2442.
Vide.videre.
viſitatio dei fuit incarnatio chriſti. 86.1018.1837.
viſitat nos deus multipliciter.943.


¶Vita


¶Vita Deus non eſt omnibus & veritas. 247. A
vita ſolitaria an ſit licita.882.
vita eſt multiplex.909. 2028.
vita hominis naturaliter in libertate conſiſtit.1024.
vita malorum diu durat.1187.
vita noſtra & mors à Deo ſunt præfixa. 1229.
vita noſtra eſt in Dei poteſtate.1257.
vitæ longioris ſpes decipit multos.1554.
vitæ breuitas nos ducit ad Deum.1555.
vitæ fluxus ex peccato proceſſit.1557.
vitæ finis nobis eſt incognitus.1559.
vita malorum repletur doloribus.1592.
vita dicitur oriens.1883.
vita Chriſti ſicut vmbra fuit ablata.1959.
vita bona debet præcedere doctrinam. 2078.
vita abſolutè poſita,ſignificat vitā beatā. 2150.
vitæ breuitas oſtenditur.2157.
vita noſtra continuè conſeruatur à Deo. 2161.
vita propriè non eſt in præſenti : ſed in futuro.2248.
vita noſtra dicitur torrens.2295.
vitæ porta dicitur Chriſtus.2304.
vita mala perdit fidem.2416.
Vide,vita præſens,vita ſpiritualis, vita æterna,viuerere,viuens.
vita præſens dicitur vmbra mortis. 328.
vita præſens miſeriis eſt plena.366.1440.2033.2274.
vita præſens ſemper habet bonos cū malis. 367.
vita præſens multis rebus comparatur. 567.
vitæ præſenti à Deo præfixus eſt terminus. 637.
vita præſens dicitur breuis & nihil. 638.1554.
vita præſens eſt via,qua itur ad mortem. 800.
vita præſens dicitur fluuius. 1019.1604.2407.
vita duplex:ſcilicet corporis & animæ. 1493.
vita præſens herbæ & flori comparatur 1556.
vita præſens amari non debet.1559.
vita præſens dicitur nox 1566.
vita præſens dicitur mors.1585.
vita præſens dicitur tenebra.1690.
vita præſens dicitur vmbra mortis. 1890. 1959.
vitæ præſentis tribulationes ſunt ſeptem. 2250.
vita præſens eſt quædam confuſio.2291.
vita præſens eſt quædam captiuitas.2409.
vide,vita,vita æterna,vita ſpiritualis.
vitam ſpiritualem plus ſaluare debemus quàm corporalem.836.
vita noſtra ſpiritualis eſt ſpirituſſanctus. 856.1746.
vitæ ſpiritualis exemplum nobis fuit Chriſtus.1666.
vitæ ſpiritualis panis eſt Chriſtus. 1769.
vita ſpiritualis animæ,eſt fides.2092.
vita ſpiritualis animæ eſt verbum Dei. 2123.
vita vera erit poſt reſurrectionem & non ante.
vitam futuram non credunt multi,& quare.796.797.
vitæ æternæ articulus declaratur.878.
vitam æternam nobis merentur aduerſa. 2217.
vita æterna ſignificatur per dexteram: ſed temporalis per ſiniſtram.2412.
vitæ æternæ ſpes eſt habenda.2572.
Vide, Miſericordia.
vitis ad modum ſapientia lætificat.2305.
vitrum dicitur fortuna mundi.575.
vitulus laſciuus ſignificat Iudæos.302.
vitulus ſignificat Chriſtum.818.
vitulus ſignificat ſuperbos.840.
vituperatio quandoque magis proficit quā laus.1134.
Quod eſt peius vel ſe vltra condignum laudare, vel vituperare.1938.
viua hoſtia dicitur homo pœnitens.411.
viuere noſtrum eſt mori.1685.
viuens quis bene, quandoque male moritur, & econtrario.1760.
viuit Deo qui ſe propter Deum mortificat.323.
viuens mundo,moritur Deo:& econtrario. 2114.
viui aliqui peccant,& aliqui mortui. 2279.
viuum omne,perfectius eſt non viuo.2014.
viuificatur peccator per gratiam.675.
viuificat nos Chriſtus.1389.
viuificamur per verbum Dei,non per merita noſtra.2100.
viuificamur in Chriſto , & morimur in nobis.2114.
¶Vltores dicuntur Pagani.84.
vide,vltio.
vltio eſt duplex , ſcilicet temporalis & æterna.1366.
vlta eſt eccleſia de gentibus , ipſas conuertendo.2057.
vltio Domini eſt multiplex .2057.
vltus fuit Chriſtus de Iudæis multipliciter.2058
vlciſcetur Chriſtus dupliciter. 2059.
vide,vindicta.
¶Vmbra mortis eſt vita præſens. 328.
vmbra dicitur vita præſens.567.1959.
vmbra mortis dicitur mors corporis.707.1486.
vmbram nobis gratia facit.1062.
vmbra mortis ſignificat multa.1486.
vmbræ more fugit homo.1710
vmbræ more ablata fuit vita Chriſti.1959.
vmbram nobis facit paſſio Chriſti.2454.
¶Vnanimis quis dicatur.889.
vnctus fuit Chriſtus per gratiam tripliciter. 479.743.
vnctionis extremæ ſacramentum tractatur.416.
vnctus fuit Dauid in regē tribus vicibus. 8. 379.1619.
vnctio duplex.1804.
vnctio ſignificat gratiam Spirituſſancti.2352.
vnicornis dicitur diabolus.312.
vnicornis ſignificat Gentiles. 1352. & Iudæos.416.
vnicornis multa ſignificat.1595.
vnita virtus,fortior eſt quàm diſperſa.143.
vnitas eccleſiæ cum Chriſto ponitur.204.
vnio Chriſti ad verbum nunquam eſt diuiſa.300.1532.
vnita dicitur eſſe eccleſia.311.1475.
vnitatem pacis debet habere auditor ſcripturæ.789.
vnitas trinitatis diuinæ oſtenditur.845.1047.
vnitas ſumme Deo placet.1503.
vnitatis eccleſiæ cauſa eſt Chriſti paſſio.1725.
vnitas eſt multiplex.ſ.bona & mala.2351.
vnitas malorum nocet.884.
vniuerſitas per ſeptem ſignificatur.1368.
vniuerſitas ſignificatur per mille.1797.
vnus ſignificat Chriſtum.864.
vnum cum Deo qualiter efficimur.996.
vnum eſſe omnia facit charitas.1569.2358.
vnus homo dicuntur eſſe omne fideles.2278.


¶Vocati

¶ vocati ſunt multi.895.
vocat deus peccatores multipliciter.1739.
voluntaria debet eſſe confeſſio.1895.
voluntarium omne eſt lętum,& inuolatarium triſte.2138.
Voluntaria dei laus eſt in aduerſitate.2181.
voluntaria ſeruitia,deo placent,non cotcta.2181.
voluntas chriſti multiplex.175.
voluntas ſignificatur per vultum.186
voluntas dei an ſemper impleatur.221.
voluntas dei multipliciter accipitur. 386.1516.2012.
voluntas ſola peccat 405.
voluntas nunquā vult malum ſub ratione mali.855.
Volūtas in operibus conſiderari debet.1119.2273
voluntate paſſus fuit chriſtus, non neceſſitate,1484.
voluntas dei quomodo nobis eſt nota.738.
voluntati repugnat concupiſcentia 1890.
voluntas mala & odium,& cauſant omnia peccata.1941.
voluntas dei cauſa eſt omnium,& cauſam non habet.1977.2364.
voluntas dei ſemper impletur,cui nullus reſiſtere poteſt.1977.2012.
voluntas ſine exteriori opere meretur,& peccat.1986.
voluntas quandoque datur ſine intellectu, quandoque econtrario.2398.
voluntatem dei nos docet ſcriptura.2202.
voluntas per pedes ſignificatur, quę moritur ſuperbia.2258.
voluntas pro facto acceptatur à deo.2269.
Voluntas pro facto reputatur.2296.
In voluntate conſiſtit eleemoſyna.2396.
Vide.beatus.
vota chriſti alia erant à votis in 'æ r m.271.
vota chriſti dicuntur ſacramentum euchariſtiæ.317.
Votum reddit opus magis meritorium, quam ſine voto.1000.
votum eſt duplex.1256.
vota noſtra plene reddentur deo in patria.2025.
votum apud deum & iuramentum,dicitur voluntas vel promiſſio.2333.
Vota & iuramenta ſunt ſeruanda.2333.
vox clamans ad deum,eſt deſiderium cordis.390.791.
Vox cęca & ſurda dicitur terrenorum hominum.
vox qualiter ad deum leuari debet.993.
vox in loco vacuo,altius ſonat.624.
vox eſt multiplex.1258.
voce non fit clamor orationis:ſed corde.2218.
vox propriè ſpectat ad bonos.2457.
vox quomodo formatur.2457.
¶ Vſura eſt multiplex.1177.
vſura in quibus committitur, oſtenditur. 886.
¶ vt,dictio tenetur multipliciter.553.
vter ſignificat carnem: & quemlibet iuſtū.2156.
Vterus dicitur mens noſtra.930.
vterus dicitur perdeſtinatio dei.1144.
vterus dicitur eccleſia dei,& mens noſtra.1971.
vterus matris quid ſignificat,oſtenditur.2439.
vt nam ſignificat indigentiam alterius adiutorij.2081.
¶ Vulgus,tribus,populus, & plebus differunt,& Vul. quomodo.1802.
vulnera chriſti dicuntur foſſiones.308.1620.
vulnerat deus corpus:vt animam ſanet.611.
vulnerat nos deus dupliciter.992.
vulnera chriſti.animam ſanant.1985.
Vulpis ſignificat deceptores.997.
vultus ſignificat rationem.35.
vultus ſignificat voluntatem.186.
vultus differt à facie & quomodo oſtenditur. 515.
vultus ſignificat gloriam ęternam.713.
vulua ſignificat patres antiquos.930.
¶ vxorem alterius concupiſcere: eſt deteſtabile crimen.1816.
Vxores multos deceperunt.2186.
vxor noſtra dicitur ſapientia.2307.
vxor chriſti dicitur eccleſia.2305.
ZAbulō ſignificat infidelitatem.2372.
Zelare idem eſt quod amare.566.
Zelare accipitur multipliciter.2286.
Zeb & zebee ſunt nomina propria duorum regū & quid ſignificant.4 3.
Zelus quomodo cadit in deo,oſtenditur. 684.
Zelus chriſti qualis fuit.360.
Zelus chriſti quid ſit.1460
Zelum & diſcretionē correctio debet hēbere.2139
Zelus noſter eſt zelus dei.2212.
Zelus eſt duplex ad vitam & ad mortem.2212.
Zoroaſtes riſit ſtatim natus& malum ſignū hoc fuit in eo.841.

FINIS.